JOH. HENRICI HEIDEGGERI

ציון אצל עצם גוג

TUMULUS TRIDENTINI CONCILII,

Juxta Ejusdem

ANATOMEN, SEU SCELETON,

Antehac exhibitum,

NOVITER ERECTUS.



Ubi *Anatome Historico-Theologica Concilii Tridentini,* secunda Editione emendatior, repræsentatur, & Veritas Fidei a Tridentinis damnatæ, adversus D. AUGUSTINI REDING, Abbatis Einsidlensis, jactatam *Inextinctam Concilii Tridentini Veritatem* summa fide studióque asseritur.




TOMUS POSTERIOR,

Exhibens Sessiones IX. Concilii posteriores, Pontifice Pio IV. celebratas.

TIGURI.
Apud DAVIDEM GESSNERUM.
M DC XC.





TOMI POSTERIORIS
INDEX OCTUPLEX.

INDEX I. GENERALIS.

Bullarum, Sessionum, Historiæ, Notarum & Quæstionum Theologicarum.

BULLA PII IV. de celebrando Concilio. Pag. 1
Notæ ad Bullam Pii IV. 4.
SESSIO XVII. Concilii Tridentini. 7.
Historia Sessionis XVII. 8.
Notæ ad Historiam & Decretum Sessionis XVII. 13.
SESSIO XVIII. Concilii Tridentini. 15.
Historia Sessionis XVIII. 16.
Notæ ad Historiam & Decretum Sessionis XVIII. 18.
SESSIO XIX. Concilii Tridentini. 25.
Historia Sessionis XIX. 26.
Notæ ad Historiam & Decretum Sessionis XIX. 31.
SESSIO XX. Concilii Tridentini. 33.
Historia Sessionis XX. 34.
Notæ ad Historiam & Decretum Sessionis XX. 37.
SESSIO XXI. Concilii Tridentini. 48.
Historia Sessionis XXI. 41.
Notæ ad Historiam & Decretum Sessionis XXI. 49.
Quæstio Theologica ad Sessionem XXI.
De Communione sub utraque specie. 60.
SESSIO XXII. Concilii Tridentini. 89.
Historia Sessionis XXII. 97.
Notæ ad Historiam & Decretum Sessionis XXI. 105.
Quæstiones Theologicæ ad Sessionem XXII.

)(2 *Sacri-*

De Sacrificio Missæ. Pag. 113.
De Missa pro Defunctis. 190.
De Missa in honorem Sanctorum. 203.
De Canone Missæ. 209.
De Ceremoniis Missæ. 227.
De Missis privatis. 248.
De Lingua Missali. 268.
De Secreta pronuntiatione Consecrationis. 288.
De Vini & aquæ mixtura. 305.

SESSIO XXIII. Concilii Tridentini. 324.
Historia Sessionis XXIII. 322.
Notæ ad Historiam & Decretum Sessionis XXIII. 340.
Quæstiones Theologicæ ad Sessionem XXIII.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

De Sacramento Ordinis. 350.
De Septem Ordinibus Ecclesiæ. 365.
De Ordinationis Efficacia. 385.
De Ceremoniis S. Ordinationis. 397.
De Hierarchia Ecclesiastica. 410.
De Episcopi & Presbyteri differentia. 436.
De Vocatione Ministrorum. 466.
De Episcopis Titularibus. 489.

SESSIO XXIV. Concilii Tridentini. 498.
Historia Sessionis XXIV. 508.
Notæ ad Historiam & Decretum Sessionis XXIV. 514.
Quæstiones Theologicæ ad Sessionem XXIV.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

De Sacramento Matrimonii. 524.
De Impedimentis Matrimonii. 540.
De Gradibus Divinitus prohibitis. 555.
De Divortio, seu dissolutione vinculi. 564.
De Causis Divortii. 577.
De Matrimoniis clandestinis. 583
De Prærogativa cælibatus. 593.

Voto

De Voto Cælibatus. Pag. 603.
De Cælibatu Sacerdotum. 620.
De Judice causarum matrimonialium. 670.
SESSIO XXV. Concilii Tridentini. 680.
Historia Sessionis XXV. 687.
Notæ ad Historiam & Decretum Sessionis XXV. 689.
Quæstiones Theologicæ ad Decreta Fidei Sessionis XXV.
De *Purgatorio.* 696.
De *Invocatione Sanctorum.* 749.
De *Cultu Reliquiarum.* 828.
De *Sacris Imaginibus.* 867.
De *Peregrinationibus Religiosis.* 928.
De *Peregrinatione Hierosolymitana.* 966.
De *Lauretana.* 979.
De *Eremitana, seu Einsidlensi.* 984.
De *Monachatu.* 1011.
De *Indulgentiis.* 1085.
De *Jejunio in delectu Ciborum.* 1121.
De *Jejuniis statis & Quadragesima.* 1141.
De *Festis Diebus.* 1159.
BULLA PII IV. super confirmatione Concilii. 1178.
Historia confirmationis Concilii. 1182.
Notæ ad Historiam confirmationis, & Bullam Pii IV. 1184.
Quæstio Theologica
De Authoritate Decretorum Concilii Tridentini. 1188.
Henrici Vagedes Dissertatio de Spiritu Bulgari Concilii Trident. 1249.

INDEX II. SPECIALIS.

Capitum præcipuorum Reformationis abusuum, quæ in Notis Historiæ & Decretis Concilii subjunctis, obiter perstringuntur.

De
Ordinationibus gratuitis. Pag. 56.
Ordinationibus ad Titulum. 57.
Distributione bonorum Ecclesiæ. 57.
Ecclesiarum Parochialium divisione. 59.
Vicariis Rectorum Ecclesiæ. 59.
Beneficiorum simplicium in alias Ecclesias translatione. 59.
Quæstoribus Eleemosynarum. 59.
Clericorum vita. 108.
Dispensationibus extra curiam Episcopis committendis. 108.
Testamentorum cognitione Episcopis commissa. 109.
Testamentorum executione iisdem legata. 109. 110.
Xenodochiorum cura. 109.
Ratione à piorum locorum administratoribus Episcopo reddenda. 109.
Notariis Episcoporum examini subjiciendis. 110.
Bonorum Ecclesiasticorum administratione. 110.
Ordinandorum ætate. 348.
Ordinationis loco. 348.
Ordinibus per saltum conferendis. 349.
Ordinibus exercendis. 349.
Confessione. 349. 350.
Clericorum seminario. 350.
Reformatione Principum. 516. 517. 694. 695.
Trina denuntiatione copulandorum. 518.
Matrimonio Sacerdote præsente contrahendo. 518.
Matrimoniis clandestinis. 518.
Dispensationibus in gradibus prohibitis. 519.
Pœna raptoris. 519.
Pœna concubinarii. 519.

Tem-

De
Tempore nuptiarum. Pag. 520.
Electione Cardinalium & Episcoporum. 520.
Cardinalibus. 521.
Prædicandi munere injungendo Episcopis. 521.
Publica pœnitentia. 522.
Unione beneficiorum. 522.
Pensionibus. 522.
Annatis. 522.
Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis. 522.
Resignationibus. 523.
Exspectativis. 523.
Reservationibus mentalibus. 523.
Cognitione causarum in prima instantia. 523.
Facultate bona immobilia possidendi concessa Ordinibus. 691.
Societate Jesu. 691.
Episcoporum frugalitate & humilitate. 692.
Episcoporum προεδρία 692.
Usu gladii excommunicationis. 693.
Episcoporum jure circa monitoria & excommunicationes. 694.
Beneficiis curatis. 694.
Pœna duelli. 694.
Clausula illa, *Salva authoritate Sedis Apostolicæ.* 695.
Jure confirmandi Concilium. 1184.

IN-

INDEX III. SPECIALIS.
Quæstionum Theologicarum, juxta Locos Communes dispositarum.

I.
DE LEGE, in specie DE CULTU SANCTORUM.

1. *An bonum & utile sit, Sanctos unà cum Christo regnantes suppliciter invocare, & ob beneficia impetranda à Deo per Filium ejus Iesum Christum, ad eorum Orationem, opera auxiliúmque confugere?* 749.

2. *An Sanctorum Martyrum, & aliorum cum Christo regnantium corpora, aliaq; reliquiæ à fidelibus religioso cultu sint veneranda?* 828.

3. *An memorias Christi & Sanctorum, impetrandæ eorum opis causâ, frequentare, & ad eas ex remotis locis peregrinari liceat?* 928.

4. *An cultus religiosus in peregrinationibus Hierosolymitana, Lauretana & Eremitana, tanta certitudine nitatur, quanta ad cultum verè Divinum requiritur?* 966.

5. *An Christi, Deiparæ Virginis Mariæ, & aliorum Sanctorum imagines in Templis sint habendæ, & honore, ac veneratione impertiendæ?* 864.

6. *An de fide sit, in Novo Testamento præter diem Dominicum, alios esse festos dies propriè dictos, quorum celebratio per se & ratione mysterii, non ratione ordinis vel politiæ Ecclesiasticæ tantùm sit necessaria?* 1159.

II.
DE CONCILIIS.

7. *An decreta Concilii Tridentini, tanquam Catholica, & populo Christiano utilia & salutaria, ab omnibus Christi fidelibus devotè suscipienda sint?* 1188.

III.
DE MINISTRIS ECCLESIÆ ET MONACHIS.

8. *An sacra Ordinatio sit verum & propriè dictum sacramentum, à Christo Domino nostro institutum?* 350.

9. *An in Ecclesiæ ordinatissima dispositione sint diversi Ministrorum ordines, per quos velut gradus quosdam in Sacerdotium tendatur?* 365.

10. *An sacra ordinatio conferat ordinatis, ex opere operato tum gratiam Spiri-*

Spiritus Sancti gratum facientem, tum spiritualem potestatem perpetuam, characteris impressi beneficio? 385.

11. *An sacra unctio, tonsura circularis, & reliquæ ceremoniæ, quibus in ordinatione Ecclesia Pontificia utitur, sint necessariæ?* 397.

12. *An in Ecclesia Catholica Divina ordinatione sit constituta Hierarchia, constans ex Episcopis, Presbyteris & Ministris?* 410.

13. *An Episcopi sint jure Divino Presbyteris superiores?* 436.

14. *An electio & vocatio ad Ministerium Ecclesiasticum à solo Episcopo facta, sine consensu Ecclesiæ, sit valida?* 476.

15. *An Episcopi titulares, authoritate Romani Pontificis assumpti sint veri & legitimi Episcopi?* 489.

16. *An Monachatus sit religiosus vitæ status, in quo per observantiam votorum paupertatis, cœlibatus & cœcæ obedientiæ, Evangelica perfectio, supererogatio meritorum, & satisfactio pro peccatis acquiri possit?* 1011.

IV.
DE MATRIMONIO.

17. *An Matrimonium sit verè & propriè dictum N. T. Sacramentum à Christo Domino institutum?* 524.

18. *An præter eos gradus affinitatis & consanguinitatis, qui in Levitico exprimuntur, etiam aliæ causæ & gradus, à Romano Pontifice prohibiti, possint impedire matrimonium?* 540.

19. *An prohibitiones graduum in Levitico sint à naturali æquitate, an verò à jure positivo per Pontificem Romanum dispensabili?* 555.

20. *An Matrimonii contracti & consummati vinculum adeò sit indissolubile, ut ne quidem propter adulterium alterius conjugis dissolvi, & alia duci possit?* 564.

21. *An Ecclesia multas ob causas divortium ad certum incertúmve tempus permittere possit?* 577.

22. *An clandestina Matrimonia, inprimis contra Parentum consensum contracta, sint rata & vera matrimonia, quandiu ea Ecclesia irrita non fecerit?* 583.

23. *An cœlibatus suâ naturâ, & intrinseca ratione, non tantùm respectu finis, commodi & utilitatis, sit excellentior & melior conjugio?* 593.

24. *An Christianis cœlibatum solenni voto profiteri liceat?* 603.

25. *An Clericis in sacris ordinibus constitutis, Ecclesia legem cœlibatus figere possit?* 620.

26. *An causæ matrimoniales pertineant ad solos judices Ecclesiasticos, excluso Magistratu Politico?* 670.

V.
DE EUCHARISTIA, EIQUE OPPOSITA MISSA.

27. *An ex Dei præcepto omnibus singulisque fidelibus adultis, utrumque Eucharistiæ symbolum, adeóque etiam benedictus calix administrari debeat?* 60.

28. *An in actione Cœnæ, quam Missam vocant, offeratur Deo externum & proprium sacrificium, non laudis duntaxat, gratiarum actionis, commemorationis, sed verè propitiatorium?* 113.

29. *An Missæ sacrificium prosit soli sumenti, an potiùs offerri debeat pro vivis & defunctis, pro alienis peccatis, pœnis, satisfactionibus & necessitatibus?* 199.

30. *An Cœna Domini, seu, ut vocant, Missa celebrari debeat in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda?* 203.

31. *An Canon Missæ Latinus errores contineat, adeóque abrogandus sit?* 209.

32. *An Ceremoniæ, vestes & externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Pontificia utitur, pietatis magis sint officia, quàm impietatis incitabula?* 227.

33. *An Missæ illæ solitariæ, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, sint illicitæ, adeóque abrogandæ?* 248.

34. *An Eucharistia, quam Missam vocant, vulgari lingua celebrari debeat?* 268.

35. *An damnandus sit ritus ille, quo summissa voce pars Canonis & verba Consecrationis proferuntur?* 288.

36. *An in calice Eucharistiæ sacerdos vinum aquâ miscere necessariò debeat?* 305.

VI.
DE JEJUNIO.

37. *An ad mortificandam carnem conducat jejunium, consistens in delectu ciborum?* 1121.

38. *An*

38. *An stata, iisdémque quotannis diebus recurrentia jejunia sub peccato mortali, lege unius Ecclesiæ Romanæ, Christianis omnibus indici possint?* 1141.

VII.
DE PURGATORIO.

39. *An detur Purgatorium, seu locus, in quo fidelium animæ post mortem, antequam ad Regnum Cælorum aditus pateat, detineantur, à reliquis sive peccatis ipsis, sive temporalibus peccatorum pœnis purgentur, & fidelium suffragiis, & potissimùm altaris sacrificio, adjuventur?* 696.



BULLA

BULLA
Celebrationis Concilii Tridentini
SUB PIO IV. PONT. MAX.



Ius Episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Ad Ecclesiæ regimen, licèt tanto oneri impares, solâ Dei dignatione vocati, statim circumferentes mentis oculos per omnes Reipublicæ Christianæ partes, cernentéque non sine magno horrore, quàm longè latéque pestis hæresium & schismatis pervasisset, & quanta Christiani populi mores correctione indigerent, in eam curam & cogitationem, pro suscepti muneris officio, incumbere cœpimus, quemadmodum ipsas hæreses extirpare, tantúmque & tam perniciosum schisma tollere, moréfque adeò corruptos & depravatos, emendare possemus. Cùm autem intelligeremus, ad hæc sananda mala aptissimum esse remedium, quod sancta hæc Sedes adhibere consuevisset, Oecumenici Generalisque Concilii ejus congregandi, & Deo juvante, celebrandi consilium cepimus. Indictum illud quidem antea fuit à fel. rec. Paulo III. & ejus successore Julio, prædecessoribus nostris, sed variis de causis sæpius impeditum & interpellatum perfici non potuit: siquidem Paulus, cùm id primò in urbem Mantuam, deinde Vincentiam indixisset, quasdam ob causas in literis ejus expressas, id primò suspendit, postea Tridentum transtulit: deinde cùm quibusdam de causis ibi quoque ejus celebrandi tempus dilatum fuisset, tandem suspensione sublata, in eadem civitate Tridentina inchoatum fuit, verùm Sessionibus aliquot habitis, & nonnullis decretis factis, ipsum se postea Concilium, aliquibus de causis, accedente etiam Sedis Apostolicæ auctoritate, Bononiam transtulit. Julius autem, qui ei successit, in eandem civitatem Tridentinam id revocavit; quo quidem in tempore

facta alia quædam decreta sunt: sed cùm novi propinquis Germaniæ locis tumultus excitati fuissent,& bellum in Italia & Gallia gravissimum exarsisset: rursus Concilium suspensum & dilatum fuit, adnitente nimirum humani generis hoste, aliásque ex aliis difficultates & impedimenta objiciente, ut tantum Ecclesiæ commodum, quod prorsus auferre non poterat, saltem quàm diutissimè retardaret. Quantopere verò interea auctæ fuerint,& multiplicatæ, ac propagatæ hæreses, quantopere schisma creverit, sine maximo animi dolore nec meminisse possumus, nec referre. Sed tandem pius & misericors Dominus, qui nunquam ita irascitur, ut misericordiæ obliviscatur; Regibus & Principibus Christianis pacem & unanimitatem donare dignatus est. Quâ nos occasione oblatâ, maximam in spem venimus, ipsius misericordia freti, fore, ut his tantis quoque Ecclesiæ malis eadem Concilii via finis imponatur. Nos itaque ad schisma hæresésque tollendas, ad corrigendos & reformandos mores, ad pacem inter Christianos Principes conservandam, celebrationem ejus non esse duximus diutius differendam. Habitâ igitur cum venerabilibus fratribus nostris, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, deliberatione maturâ, factis etiam consilii nostri certioribus carissimis in Christo filiis nostris, Ferdinando, Romanorum Imperatore electo, & aliis Regibus atque Principibus, quos quidem, sicut de eorum summa pietate & sapientia nobis pollicebamur, paratissimos ad ipsius Concilii celebrationem adjuvandam invenimus, ad Dei omnipotentis laudem, honorem & gloriam, atque universalis Ecclesiæ utilitatem, de eorundem fratrum nostrorum consilio & assensu, sacrum œcumenicum,& generale Concilium, ex auctoritate ejusdem Dei,& beatorum Petri & Pauli Apostolorum, quâ nos quoque in terris fungimur, freti & subnixi, in civitate Tridentina, ad sacratissimum diem Resurrectionis Dominicæ proximè futurum indicimus,& ibi celebrandum, sublatâ suspensione quacunque, statuimus atque decernimus. Quocirca venerabiles fratres nostros omnibus ex locis, Patriarchas, Archiepiscopos,& dilectos filios Abbates, cæterósque, quibus in Concilio generali sedere, & sententiam dicere, jure communi, vel ex privilegio, vel ex antiqua consuetudine licet, vehementer in Domino hortamur & monemus, atque etiam districtè præcipiendo man-

mandamus, in virtute sanctæ obedientiæ, in vi quoque juramenti, quod præstiterunt, & sub pœnis, quas in eos, qui ad Concilia generalia convenire neglexerint, sacris sciunt esse canonibus constitutas, ut ad Concilium ibi celebrandum conveniant intra eam diem, nisi fortè impedimento fuerint legitimo præpediti: quod tamen impedimentum per legitimos procuratores Synodo probare debebunt. Monemus prætereà omnes & singulos, quorum interest, interesséve poterit, ut in Concilio adesse ne negligant. Carissimos verò in Christo filios nostros, Romanorum Imperatorem electum, cæterósque Reges & Principes, quos optandum sanè esset Concilio interesse posse, hortamur & rogamus, ut si ipsi Concilio interesse non potuerint, at Oratores suos, prudentes, graves, & pios viros utique mittant, qui ipsorum nomine illi intersint, curéntque diligenter pro sua pietate, ut ex eorum regnis atque dominiis Prælati sine recusatione, ac mora, tam necessario tempore, Deo & Ecclesiæ officium suum præstent: eosdem etiam curaturos esse minimè dubitantes, ut per ipsorum regna & dominia tutum ac liberum iter Prælatis, eorúmque familiaribus, comitibus, & aliis omnibus ad Concilium euntibus pateat; benignéque ac comiter omnibus in locis recipiantur atque tractentur; sicut, quod ad nos attinet, ipsi quoque curabimus; qui nihil omnino prætermittere decrevimus, quod ad tam pium & salutare opus perficiendum, à nobis, in hoc loco constitutis, præstari possit; nihil, ut Deus scit, quærentes aliud, nihil propositum habentes in hoc Concilio celebrando, nisi honorem ipsius Dei, dispersarum ovium reductionem, ac salutem, & perpetuam Christianæ Reipublicæ tranquillitatem ac quietem. Ut verò hæ literæ, & quæ in eis continentur, ad omnium, quorum oportet, notitiam perveniant, nec quisquam ea excusatione uti possit, quòd illa ignoraverit, præsertim cùm non ad omnes, quos de his literis certiores fieri oportet, tutus forsitan pateat aditus; volumus & mandamus, ut in Basilica Vaticana principis Apostolorum, & in Ecclesia Lateranensi tunc, cùm in eis populus, ut Missarum solemnibus intersit, congregari solet, palàm, clara voce à Curiæ nostræ cursoribus, seu notariis aliquibus publicis recitentur: & postquam recitatæ fuerint, ad valuas earum Ecclesiarum, itémque Cancellariæ Apostolicæ, & in loco solito Campi Floræ affigan-

tur; ibique, quò legi, & omnibus innotescere possint, aliquandiu relinquantur; cùm autem inde amovebuntur, earum exempla in eisdem locis affixa remaneant. Nos enim per recitationem hanc, publicationem & affixionem omnes & singulos, qui his literis comprehenduntur, post duos menses à die publicationis & affixionis earum, volumus perinde astrictos & obligatos esse, ac si ipsismet illæ coram editæ, & lectæ fuissent. Transsumptis quoque earum, quæ manu publicæ alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munita fuerint, ut sine dubitatione ulla fides habeatur, mandamus atque decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ indictionis, statuti, decreti, præcepti, admonitionis & adhortationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Dat. Romæ, apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1562. Kalend. Decemb. Pontificatus nostri anno primo.

Antonius Florebellus.
Barengus.

NOTÆ HISTORICÆ
Ad Bullam Pii IV.

QUæ ad Bullas Pauli III. & Julii III. animadversa sunt, magnam partem huc etiam pertinent. Pauca iis, & Bullam præsentem propiùs spectantia, adjungere lubet. *Primò* Bullæ hujus author est Pius IV. Johannes Angelus Mediceus ante Pontificatum dictus, ex nobili Mediceorum Mediolanensium, Florentiâ ardentibus civilibus bellis profugorum, stirpe oriundus. Ejus vitam descripsit Onuphrius Panvinius, qui se ei familiarem fuisse profitetur. Eo teste ante Pontificatum fuit *humanus, patiens, beneficus, gratus, mitis, pecuniæ minimè cupidus:* at Pontifex factus statim *aliam personam, alios mores induisse visus est.* Carolum Caraffam Cardinalem, Comites Montarii, Allifanum & Leonardum Cardinalem, qui ipsum ad Pontificatum evexerant, iniquissimo, uti plerique

eo

eo tempore Juriſconſulti conſtantiſſimè aſſeverârunt, judicio Majeſtatis damnatos ſupplicio capitis affecit. Fuiſſe ipſum *palàm iracundum, occultè invidum, ad audiendum impatientem & difficilem, in reſponſis aliquando acerbum, dominandi cupidum, vafrum, cujuslibet rei, quam ignorari ſua intererat, ſimulatorem ac diſſimulatorem, timidum, audacem tamen, ad occultandam audaciæ ſpeciei formidinem, parùm gratum erga promotores, pecuniæ cupidum, ad aurum excipiendum etiam cum alieno detrimento attentum, ad ſervandum verò parùm cautum, amicitiam non ex re, ſed ex commodo æſtimantem, fratri infenſum, cibi vinique avidum, ſed in prandio profuſum, in Cœna parcum, in voluptates pronum &c.* totidem verbis Onuphrius, hominis minimè pii, ſed profani & animalis veriſſimam effigiem delineans, teſtatur. *Secundò* profitetur Pius, ſe conſilium cepiſſe generalis Concilii celebrandi & congregandi, *optimum* videlicet *remedium ad hæreſes exſtirpandas, ſchiſma tollendum, & mores adeò corruptos & depravatos emendandos.* Sed Concilii illius animo invito ſuſcepti cauſæ impellentes fuerunt tum metus, ne Galli Concilium Nationale indicerent: tum querela publica, quòd ob Concilium interruptum religio paſſim mutetur, & Scoti libertatem religionis, ſancito cum Anglis adverſus Reginam ſuam fœdere, ſibi vindicaverint: tum denique Maximiliani Regis Bohemiæ amicitia, quam cum Proteſtantibus adeò arctè coluit, ut Papa quereretur, *habere ſe filium hæreticorum fautorem.* Hæc æquè aliâs, quicquid etiam ſimularet, à Concilio abhorrentem, ad illud denuo celebrandum compulerunt, parum penſi aliâs habiturum, quicquid de hæreſibus, ſchiſmate, corruptis & depravatis populi Chriſtiani moribus fieret. Interim de corruptione & depravatione morum populi Chriſtiani querela juſtiſſima Bullæ arguit, decreta Reformationis præcedentibus Seſſionibus cuſa & vulgata, parùm admodum ad comprimendam morum populi Chriſtiani licentiam valuiſſe. De *extirpatione hæreſium* videſis, quæ ſuperiùs adnotata à nobis ſunt. *Tertiò* fatetur Bulla ſub Paulo III. Concilium Tridento Bononiam translatum eſſe *accedente etiam Sedis Apoſtolicæ authoritate.* Atqui id omne factum eſſe inſcio Pontifice, Legati ſtrenuè ſimulaverunt, & Scipio Henricus pertendit. Conſule, quæ eam in rem à nobis ſupra quoque dicta ſunt. *Tertiò* fatetur Bulla, *adnitente humani generis hoſte, aliáſque ex aliis difficultates & impedimenta objiciente* factum eſſe, ut tantùm eccleſiæ commodum, Concilium videlicet, quàm diutiſſimè retardaretur. At nemo graviora impedimenta Concilio, inprimis legitimo & Chriſtiano, objecit, quàm ipſimet Pontifices, uti hiſtoria Concilii huc uſque producta manifeſtum facit. *Quartò* imbellis & vana querela eſt Bullæ, *quòd interea auctæ fuerint, multiplicatæ & propagatæ hæreſes, quòd ſchiſma creverit.* Evangelii veritas infami *hæreſeos* nomine perſtringitur. Quòd ſi tamen hæreſes veræ creverunt, cur integro decennio Concilium inter-

interruptum dormivit? Et quis tandem fructus fuit præcedentis à Concilio tot annos navatæ operæ, si eo tempore non imminutæ sed auctæ hæreses & schisma fuerunt? *Quintò* Pius Imperatorem, Reges & Principes invitat ad Concilium his verbis: *Charissimos verò in Christo filios nostros, Romanorum Imperatorem electum, caterósque Reges & Principes, quos optandum sanè esset Concilio interesse posse, hortamur & rogamus, ut si ipsi Concilio interesse non potuerint, oratores suos prudentes, graves & pios viros utique mittant.* Nihil dicam de insolentia termini, cùm Imperatorem per contumeliam *electum* vocat; quasi videlicet veri & absoluti Imperatoris axioma reportare, nisi emendicato suffragio Pontificis non potuerit. quo nihil iniquius & probrosius dici cogitaríque potest. Et meritò omnes boni detestati sunt intolerabilem fastum Pauli IV. Pontificis, qui renuntiationem Caroli V. & coronationem Ferdinandi, quia ipso auctore facta non erat, invalidam pronuntiavit, & Ferdinandi, quia ipso auctore facta non erat, invalidam pronuntiavit, & Ferdinandi Oratorem Susmannum pro confirmatione ejus Romam missum, ne quidem audire dignatus est, adeò ut infecta re, protestatione tamen priùs interposita, Româ discedere coactus fuerit. Quem Pauli IV. typhum non obscurè postea damnavit ipse hic Pius IV. qui statim atque Papa electus est, pronuntiavit Ferdinando injuriam esse factam, adeóque ejus electionem ratam habuit. Cur verò Imperatores, Reges & Principes invitat Pius, ut ipsi Concilio intersint, cùm tamen Concilio interesse dedignati ipsi Pontifices fuerint? Quasi videlicet infra dignitatem Pontificis, qui sibi præcipuam Concilii curam arrogavit, fuerit ἀμέσως intervenire Concilio: at Imperatori, Regibus & Principibus gloriosum esse debuerit ad Purpuratorum Patrum subsellia abjici.

Cætera, quæ in Bulla hac occurrunt, animadversione digna, incidunt fere in eas notas, quas Pauli III. & Julii III. Bullis subjunximus: nec non in Sessionis XVII. historiam, eique additas notas.



SESSIO XVII.

SESSIO XVII.

Quæ est Prima

SUB PIO IV. PONT. MAX.

Celebrata die 18. Jan. An. 1562.

Decretum de celebrando Concilio.

PLacétne vobis ad laudem & gloriam sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii & Spiritus Sancti, ad incrementum & exaltationem fidei & Religionis Christianæ, sacrum œcumenicum & generale Concilium Tridentinum, in Spiritu sancto legitimè congregatum, ab hodierno die, qui est 18. mensis Januar. anni à Nativitate Domini 1562. Cathedræ Romanæ S. Petri, Apostolorum Principis, consecrato, sublata quacunque suspensione, juxta formam & tenorem literarum sanctissimi Domini nostri Pii IV. Pont. Max. celebrari, & in eo ea, debito servato ordine tractari, quæ proponentibus Legatis, ac Præsidentibus, ad horum temporum levandas calamitates, sedandas de religione controversias, coërcendas linguas dolosas, depravatorum morum abusus corrigendos, Ecclesiæ veram atque Christianam pacem conciliandam apta & idonea ipsi sanctæ Synodo videbuntur? Responderunt. Placet.

Indictio futuræ Sessionis.

Placétne vobis, proximam futuram Sessionem habendam, & celebrandam esse Feriâ quintâ, post secundam Dominicam Quadrag. quæ erit die 26. mensis Februarii? Responderunt. Placet.

HISTORIA SESSIONIS XVII.

EXacto biennio, in quod usque Concilium superiori Sessione prorogatum erat, Romæ in consessu Cardinalium, quid deinceps agendum esset, deliberatum est. Quamvis autem decreto illi apposita conditio esset, ut suspensio continuetur etiam post biennium, *si legitima impedimenta submota non fuerint:* tamen ejusmodi impedimenta legitima, & quæ ad suspendendum ulteriùs Concilium sufficerent, vix apparebant. Unde quidam declarationem aliquam instituendam esse monebant. Alii verò suadebant,

debant, malum bene positum ne moveretur; dum de Concilio altum esset ubique silentium, neque Princeps vel Populus quisquam illud deposceret, opportunum minimè esse, alios ad illud flagitandum animare. Quod quidem argumentum apud Pontificem adeò efficax fuit, ut de Concilio omnem in posterum cogitationem curámque abjecerit. Mortuus est Julius III. decimo Cal. Aprilis An. 1555. Cui mox datus est successor Marcellus Cervinus S. Crucis Cardinalis, qui Marcelli II. nomen, novo humilitatis & modestiæ exemplo, retinuit. Ei reformationis & emendationis Curiæ Romanæ, ac Pontificiæ potestatis imminutionem seriò curæ cordique fuisse, sunt qui testificentur. Palàm enim fassus est, *à prædecessoribus suis quinque successione perpetua ipsum emendationis nomen abhorruisse, quòd persuasum haberent illius authores Pontificiæ authoritatis solummodo extenuationem spectare. Se è contra sentire, nihil æquè quàm emendationem ejusmodi facere ad authoritatem Pontificiam vel conservandam, vel amplificandam.* Onuphrius Panvinius in vita ejus narrat, se sanctissimum ejus de Christianismo vel per Generale Concilium, vel quavis alia ratione ad concordiam redigendo mentem ex familiaribus sermonibus cum ipso Marcello, dum Cardinalis esset, habitis agnovisse. Idem subjicit, Marcellum hunc Papam in prandio narrantem Hadriani VI. verba de summa Pontificum miseria, manu mensam percutientem hæc in verba erupisse: *Non video, quomodo, qui locum hunc altissimum tenent, salvari possint!* Secundo & vicesimo Pontificatus sui die decessit, successorémque habuit Johannem Petrum Caraffam, dictum Paulum IV. Is timentibus à severo ejus ingenio ecclesiæ reformationem, vetus illud occinuit: *Uxorem non habentes sæpe verberant.* Nihilominus, ut nominis sui nonnullam apud posteros existimationem consequeretur, Curiæ Romanæ emendationem meditari videri voluit. Exeunte enim Januario An. 1556. Congregationem instituit constantem XXIV. Cardinalibus, XLV. Præsulibus, aliisque hominibus ob eruditionem in aula maximè conspicuis, ad centum usque & quinquaginta. Hi tres in Classes distincti, materiam de Simonia ventilabant. Cúmque nonnulli censerent, hac de re in Concilio generali dicendum esse, Paulus indignatus respondit: *Sibi, qui supra omnes sit, nihil Concilio opus esse.* Cardinali Bellajo subjungenti, Concilium non requiri ad authoritatem Pontifici addendam, sed magis ad ineundam rationem executionis, ut ubique sit eadem & æquabilis, respondit, *se, si res ita postulaverit, Romæ Concilium celebraturum. Ut haberetur Concilium Tridenti, hoc est, in medio Lutheranorum, nunquam se consensisse. Concilium enim propriè solis Episcopis constare. Magna igitur fuisse vecordiæ sexaginta Episcopos, neque eos maximi nominis, & 40. Doctores non omnes de meliore nota, Tridentum ad montes ablegâsse, sicut jam bis factum sit. Se verò persuasum esse, non alios rectiùs ecclesiæ doctrinam & disciplinam ad ra-*

ionis normam exigere posse, quàm ipsum Christum vicarium, adhibitis in consilium tum Cardinalibus, tum Præsulibus & Doctoribus, quotquot sint Romæ, qui eruditione sint superiores omnibus iis, qui omni operâ & studio Tridentum adduci poterant. Nihilominus postea apud Principes eorúmque Legatos assiduè Concilium jactavit, sed tale nimirum, *quod Romæ coram se constituatur, & quo caput & membra, ordo secularis æquè ac Ecclesiasticus emendetur.* Sic nempe subducebat rationes, facilè omnem de Concilio curam cogitationémque abjecturos Principes, si intelligerent, ipsi in animo esse non Ecclesiasticum duntaxat, verùm & magis etiam secularem ordinem reformationi subjicere. Quod novum & insolitum superioribus Pontificibus ejus arcanum fuit. Mortuus est XV. Kalend. Sept. An. 1559. postquam intolerabilem ob superbiam & insanam tyrannidem ardentissimum in odium populi R. incidit. Successorem nactus est Pium IV. de quo in notis ad Bullam ejus nonnihil dictum. Statim atque electus est, de Concilio, convocandum illud postliminio esset nécne, cura animum ejus subivit. Cúmque de eo cum Cardinale Morono diu multúmque deliberâsset, tandem eam in sententiam descendit: *Concilium quidem haberi non posse ullo Ecclesiæ aut Regnorum per religionem divisorum bono, ac sine summo authoritatis Pontificiæ periculo: quia tamen veritatis hujus homines minimè sint capaces, idcirco illud etiam palàm & manifestè repudiari non posse.* Proinde constituit in omnem eventum ostendere, se promptum & Concilii cupidum aliorum desideria antevertere, quò tectiùs eorum conatibus obsisteret, & existimationi suæ rectiùs consuleret: deliberatione interim ea , ad quam humanum judicium pertingere non potest, superiores in causas rejecta. Cúmque paulò pòst in Gallia de Nationali Concilio indicendo & celebrando palàm ageretur, aliæque causæ, quas in notis ad Bullam ejus obiter attigimus, invitum compellerent, cœpit cum Cardinalibus de loco habendi Concilii generalis consultare. Re diu multúmque deliberata, Tridentum placuit, ut ita Concilii continuatio haberi posset. Ita convocatis Cæsaris, Hispaniarum, Lusitaniæ, Poloniæ Regum, nec non Venetorum & Florentiæ Principum Legatis, de convocando postliminio Concilio animi sui mentem aperit, qui consilium Pontificis probant, & à Principibus suis promptissimam opem pollicentur. Interim Papa apud eos multa de executione decretorum Concilii, quæ curari debeat ab ipsis Principibus, commemoravit, ut obliquè ipsius Concilii convocationem remoraretur. Neque etiam sententia ejus de Concilio indicendo Principibus omnibus æquè placuit. Hispaniarum quidem Rex & Concilii celebrationem & locum ejus simpliciter probavit. Galliarum verò Rex celebrationem quidem Concilii, at non locum. Commendavit potiùs Constantiam, Treviros, Spiram, Wormatiam, Hagenojam, veluti loca opportuniora

tuniora reliquis. Addebat, non continuandum Concilium, ſed novum potius indicendum, abolitis iis, quæ Tridenti jam decreta erant. Cæſar etiam reſpondit, de Concilio nihil ſe niſi Ordinibus Imperii in Conſilium adhibitis ſtatuere poſſe. Quoad eas autem ditiones, in quas hæreditario jure poſſidet Imperium, vix ſperare ſe, adduci eas poſſe, ut Legatos ad Concilium mittat, niſi conceſſa antea communione Calicis, permiſſo Sacerdotibus matrimonio, commoda reformatione inſtituta, omnibúſque, quæ Tridenti inchoata fuerant, retractatis. Nomen ipſum Tridenti adeò omnibus exoſum eſſe, ut eam in Civitatem nunquam illi aſſenſuri ſint. Id Cæſaris reſponſum gratum erat Pontifici, utpote cui ex eo conjecturam capere proclive fuit, Concilium hac ratione in longum extractum iri. Sed Nationalis Concilii in Gallia habendi metus indies creſcens Pontificem adegerat, ut Concilio & quidem Tridenti aperiendo & continuando, ſecus quàm pertendebant Ferdinandus, Rex Galliæ, aliique, qui non vetus Concilium Tridenti continuari, ſed novum alibi indici petierunt, diem deſignaret. Ita diploma vel Bulla, quam ſuperiùs poſuimus, conficitur, & in Galliam, Germaniam utramque, Hiſpaniam, Angliam, Poloniam & Moſcoviam mittitur. Cæſar reſpondit, ſe, quâ *Ferdinandus* eſſet, quamlibet diplomatis formam libenter accepturum: verùm quâ *Imperator* eſſet, non eſſe fas ſibi ſententiam promere, quoad reſponſum eſſet, quid ab nuntiis Apoſtolicis Legatiſque ſuis in Naumburgenſi Proteſtantium Conventu geſtum eſſet. Rex Galliæ ad Oratorem ſuum ſcripſit, eſſe in diplomate nonnulla, quæ emendationem requirant, quale ſit, quòd titulum quidem præferat *Indictionis*, at in eodem verba appareant, quæ evincant diploma factum eſſe ad ſuſpenſiones Concilii jam inchoati tollendas. Se verò ea in ſententia omnino eſſe, ut quæ jam Tridenti decreta ſunt, ſub examen denuo revocentur. Neque aliter Germanis ſatisfieri poſſe. Quòd ſi id minùs ſuccedat, tum ad remedium Concilii Nationalis ſibi decurrendum. Neque etiam Hiſpaniarum Regi ſatis diploma probatum eſt, eò quòd continuandum eſſe Concilium, non apertis ſed ambiguis duntaxat in eo verbis expreſſum eſſet. Cæterùm non obſtantibus iis, quæ adverſus diploma objecta ſunt, Pontifex nihil in eo immutare certus, appetente tempore, quod Concilio inchoando deſtinatum fuerat, Præſides futuros Concilii deſignavit Herculem Gonzagam Cardinalem Mantuanum, & Jacobum Puteum Nicæum, magni nominis Juriſconſultum. Cúmque poſterior hic circa tempus inchoandi Concilii graviter morbo laboraret, ejus in locum ſubſtituit F. Hieronymum Seripandum Cardinalem. Hi duo Legati iter ingreſſi circa feſtum Paſchatis An. 1561. Tridentum venerunt, quo tempore novem jam Epiſcopi aderant. Interea Ponti-

Pontifex non parùm commotus est literis Catharinæ Mediceæ, Reginæ Galliæ, die 4. Augusti ad eum exaratis, quibus hominum Catholicæ unionis studiosorum, ex mente inprimis & consilio Johan. Monlucii Episcopi Valentini, sententiam promit, quousque Protestantibus ad publicam Regni quietem indulgendum sit. Inter alia scribit, *tantam esse multitudinem eorum, qui ab Ecclesia Romana secesserint, ut nec legibus, nec armis cogi possint. Cúmque illi Symbolum Ecclesiasticum & VI. Concilia Oecumenica recipiant, plerisque consultum videri, ut, licèt diversa sentientes, ad Ecclesiæ communionem admittantur. Offensionum etiam causas us præcidendas: à Baptismo sputi in os infantis injectionem, exorcismos, aliáque ejusmodi removenda: usum Calicis, precum in lingua vulgari, Psalmodiam vernaculam restituendam, festum Corporis Christi abrogandum.* Cæterùm cùm nec Germaniæ, nec Galliæ Præsules accessuri ad Concilium, & Hispani exiguo numero adfuturi crederentur, Itali quoque Pontificem implorârunt, ut paucis ad Concilium ex gente sua ablegandis contentus, reliquos eo onere eximat. Quibus Pontifex reclamans, necessitatem eundi obtendit, ne Transalpini, qui omnes Pontificatum Concilio subjicere in animo habeant, vincant maximo cum Italæ gentis detrimento. Adjunxit duobus Legatis Præsidibus tertium Stanislaum Hosium, Cardinalem Warmiensem, & mox etiam quartum & quintum, nimirum Ludovicum Simonetam & Marcum Syricum, Cardinalem utrumque. Et Cardinale quidem Simoneta Tridentum ingrediente, visus est immanis ignis è terra exurgens urbem supergredi instar vaporis igniti, quem stellam ardentem vocant, à qua sola magnitudine differebat. Aderant tum Tridenti præter Cardinales Legatos quinque, Episcopi nonaginta duo. Ex Polonia duo Præsules adventantes, reliquorum absentiam Cardinalibus Legatis excusant, simúlque, ut absentibus per procuratores authoritate munitos Synodo intervenire, & unà cum præsentibus Episcopis suffragia ferre liceret, petunt. Id postulatum à Legatis ad Pontificem relatum, tum ipsi, tum Cardinalibus ingratum suspectúmque fuit, utpote quibus certum erat, decreta condenda esse, non per nationum, sed per singularum personarum præsentium suffragia, quò sic Itali Concilio proximi reliquos suffragiis suis vincere possent. Idque eò magis observandum videbatur eo tempore, quò magis & Hispanos & Gallos id moliri constabat, ut Pontificia authoritas per Episcopalis authoritatis incrementum minueretur. Polonis igitur Episcopis responsum est, *Concilium illud idem esse cum eo, quod à Paulo III. cœptum erat, & ejus continuationem; proinde agendi formam & ordinem ibi inchoatum, ac utiliter usurpatum, deinceps quoque servandum. Inter alia autem id receptum fuisse, ut absentium suffragia non computentur.* Quo accepto responso Poloni duo Episcopi Tridento discesserunt, neque illuc amplius reversi

ſunt. Interim die 15. Januarii An. 1562. Congregatio generalis Tridenti habetur, in qua Cardinalis Mantuanus Legatorum Apoſtolicorum Princeps, de neceſſitate & opportunitate aperiendi Concilii pluſcula diſſeruit, Præſules, ut ad actionem adeò piam & ſanctam ſe jejuniis, eleemoſynis &c. præparent, admonuit, Legationis diploma, & tria Pontificis Brevia prælegi curavit. Cúmque in tertio Brevi ad tollendam materiam controverſiarum, quæ ex præcedentia oriri poſſent, ediceretur, ut Patriarchæ primum locum teneant, ſecundum Archiepiſcopi, atque in his non ſedis dignitas, ſed promotionis tempus reſpiciatur, neque dignitatum primatialium, ſive veræ, ſive prætenſæ illæ fuerint, ratio habeatur; graviter ei ſe oppoſuit F. Bartholomæus de Martyribus in Luſitania Archiepiſcopus Bracarenſis, indignabundus ſuam ſedem, quæ omnium in Hiſpania primatum obtineat, Pontificis ſententiâ ſubjici non ſolùm aliis ſedibus Archiepiſcopalibus ſibi ſubditis, ſed etiam Archiepiſcopo Roſſanenſi, cui nullus eſt ſuffraganeus; imò Archiepiſcopis Nicienſi & Antiborenſi, qui locum, in quo reſideant, ne quidem habeant. Fas æquúmque non eſſe, ut Pontifex authoritatis ſuæ retinentiſſimus, alios jure legitimo ſpoliet. Cúmque à Legatis edoceretur, nemini hac ratione præjudicium creari, ægrè tandem acquievit. At reliqui Epiſcopi Hiſpani majorem moleſtiam faceſſiverunt Legatis, contendentes, ut apertis verbis declaretur, non novum Concilium ſed veterem continuationem inſtitui. Contentio adeò efferbuit, ut poſt altercationes varias & amarulentas Epiſcopi illi comminati fuerint, ſe Proteſtatione facta in Hiſpaniam redire velle. Tandem ne Cæſari, Gallis, Germanis ſe opponerent, & Proteſtantium querimoniis anſam præberent, placati ſunt ea lege, *ut nec verba ulla Decretis inſerantur, quæ aut novum arguant Concilium, aut quidquam continuationi prioris detrahant: tum ut Cardinales promittant, Pontificem ea omnia, quæ duabus præcedentibus Synodi Convocationibus Tridenti acta fuerunt, confirmaturum, eo etiam caſu, ſi Concilium abrumpi contingat, antequam ad finem perducatur.* Ita igitur in id convenit, ut verbis ſignificantibus exprimeretur, *dari principium celebrationi Concilii, ſuſpenſione qualicunque ſublata.* Quibus verbis ambiguis, & contrarios ſenſus recipere idoneis, quòd concordiæ inter Patres ſarciendæ ſufficere viderentur, omnes acquieverunt, indicta Seſſioni die XVIII. Finita congregatione Legati cum intimis ſuis de Decreto condendo deliberantes, inter alia etiam ad coërcendam Epiſcoporum, qui Romanam Curiam depreſſam cupiverant, libertatem, & ne quid temere illi agitare poſſent, ſtatuerunt Decreto inſerere, ne quis præter Legatos quidquam in Synodo deliberandum in medium adducere poſſit. Cúmque ea re offenſum iri Epiſcopos facilè intelligerent, eo artificio uſi ſunt, ut poſitionem negativam, *ut nemo præter Legatos*

pro-

proponat, ceu duram nimis & asperam, negligerent, & affirmativam, *ut Legati proponerent*, utpote quâ non disertis verbis, sed virtualiter cæteri excludantur, quæsito etiam prætextu debiti ordinis servandi, & deliberationis ad ipsam Synodum referendæ, deligerent. Successit tandem die 18. Januarii Sessio XVII. in qua Cardinalis Mantuanus Missam Spiritûs S. celebravit, & Casparus à Fosso, Archiepiscopus Rheginus Orationem habuit, cujus argumentum fuit ecclesiæ supra scripturam authoritas, primatus Papæ, Conciliorum potestas & infallibilitas. Dein Secretarius Synodi, Episcopus Thelesinus legit Diploma convocationis Synodi, & Archiepi[illegible]pus Rheginus Decretum de Concilio aperiendo. Verbis iis, *Proponentibus [illegible]gatis* prælectis, quatuor Præsules, Petrus Queretus Archiepiscopus Gran[illegible]nsis, Franciscus Blano Auriensis, Andreas de Questa Legionensis, & Anthonius Gorromero Almeriensis Episcopi, contradixerunt, *utpote novis, nec in aliis Conciliis usitatis, quæque libertatem proponendi in Concilio restringerent*, postulâruntque, uti suffragia sua in acta Concilii referrentur.

NOTÆ
Ad Historiam & Decretum Sessionis XVII.

Historia in compendio narrata decem annorum intercapedinem complectitur, inter abruptum nimirum sub Julio III. & redintegratum sub Pio IV. Concilium. Ac *primò* quidem luculenter ex ea Pontificum à Concilio aversissimus animus cognoscitur. Etenim si celebrandi Concilii seria cura subivisset animum eorum, sublatis è medio, uti mox post abruptum Concilium contigit, impedimentis sine dubio postliminio illud coivisset. Atqui biennio elapso, cùm Cardinales legitima impedimenta non reperirent, statuerunt, *malum bene positum movendum non esse, inprimis nemine jam principe vel populo Concilium flagitante.* Julii successor Marcellus II. visus est expetere Romanæ curiæ reformationem. Et Prædecessores suos quinque ab emendationis vel nomine duntaxat abhorruisse fassus est. At à doctrinæ emendatione toto animo abhorruit. Qui & huic suffectus est, Paulus IV. palàm Concilium detestatus est, dictitans, *sibi, qui supra omnes sit, nihil Concilio opus esse.* Utque omnes à Concilio absterreret, minatus est, Concilium Romæ se coram & Cardinalibus habendum, cui non ecclesiasticus duntaxat, sed secularis etiam ordo subjiciatur. Sed & Pius IV. animo abhorruit à Concilio, lingua ejus amorem professus est, eò quòd, uti dicere solitus est, veritatis hujus, *quòd* videlicet *Concilium Papatui minùs utile sit*, homines capaces non existant. Proinde nihil non oblique & per cuniculos egit, ut

illud ſufflaminaret, donec neceſſitas & majoris mali metus ipſum cogeret. *Secundò* Marcelli II. ingenua de Reformationis neceſſitate & dubio ſtatu ac ſalute ejus, qui Pontificis ſedem obtinet, confeſſio, quam inſita eis vis conſcientiæ extorſit, planè ἀξιομνημόνευτος eſt. Similis eſt ei, quam Hadriano VI. in vita Marcelli hujus tribuit Onuphrius, nimirum, *Romano Pontifice* (Beatiſſimo videlicet Patre) *neminem eſſe miſerabiliorem, neque conditione ejus ullam miſeriorem.* Ita de ſalute Pontificis duo Pontifices reliquis omnibus vitæ innocentiâ præferendi, dubitare, & tantùm non deſperare coacti ſunt. *Tertiò* Pauli IV. immanis typhus meritò perſtringendus venit. Concilium deteſtatus eſt eo ſolo nomine, quòd ipſe ſit ſupra Concilium. Quin & Paulum III. ac Julium III. Prædeceſſores palàm inſimulavit ſtoliditatis, quòd Tridentinum Concilium, cujus authoritatem animosè ſugillavit, inſtituiſſent. Utque Principes à Concilio deterreret, minatus eſt; ſe ſuo, Romano videlicet Concilio etiam ſecularem ordinem ſubjecturum, quaſi videlicet ſummæ in terris poteſtates, quæ neminem Deo, in civilibus inprimis rebus, ſuperiorem habent, Pontificis imperio & cenſuræ ſubjacerent. Fuítque hoc arcanum Pauli Pontificis, ut hoc φοβήτρῳ à Concilii poſtulatione Principes populíque omnes depellerentur. *Quartò* Imperatoris & Regum de indictione & loco Concilii habendi diſſentientium æſtus prodit interiorem animi ipſorum de Concilio ſenſum. Sanè Rex Galliarum & locum vehementer improbavit, & contendit, ut novum potiùs illud Concilium quàm continuatum haberetur, atque quæ antèhac Tridenti decreta erant, irrita priùs omnia redderentur. Sed & Ferdinandi Imp. hæreditariæ ditiones, ut vetera illa Tridentina decreta antiquarentur, expetierant. *Quintò* Bullam Pii IV. ad examen ſuperiùs revocavimus. Id unum nunc addimus, inſolenter feciſſe Pontificem, qui Imperatoris & Regum circa eam animadverſiones adeò flocci pendit, ut ne unum quidem Bullæ apicem in eorum gratiam mutare dignatus fuerit. *Sextò* Papa novo exemplo quinque Legatos Concilio præfecit, & Italis, ut magnâ frequentiâ Tridentum proficiſcerentur, quamvis haud alii quàm Hiſpani adfuturi crederentur, mandavit. Ita denuo ſe munire voluit, ne Pontificia poteſtas, cui utpote injuſtas ab omnibus Tranſalpinis inſidias ſtrui ipſe Papa faſſus eſt, ullum in periculum adduci poſſet. *Septimò* Catharinæ Mediceæ Epiſtola ad Paulum IV. exarata, jugulum variis Papatûs erroribus & abominationibus petit, & Proteſtantium in Regno Galliæ patrocinium apertè ſuſcipit, eóſque ab intentato hæreſeos crimine vindicat. *Octavò* Poloniæ Epiſcopi duo, abſentium Præſulum procuratoribus ſuffragandi poteſtatem conciliaturi, à Concilio rejecti ſunt. Cùm igitur ex Italia ſola tot ſuffragia colligi potuerint, Polonia duobus ſuffragiis contenta eſſe debuit. Ita facilis

fuit

fuit Episcopis Italis, Papæ mancipiis, victoria, Quæ quidem fraus Pontificis in causa fuit, ut Episcopi Poloni Concilium desererent, neque ex Regno illo potentissimo quisquam deinceps in Concilio ampliùs compareret. *Nonò* Congregatio generalis Præsulum contentionibus miserè divexata, ipsis Romæ Cardinalibus infausti ominis visa est. Inprimis memoratu digna est ab Hispanis Episcopis mota acerrima disputatio, quâ illi apertis verbis Concilii continuationem potiùs, quàm novam indictionem fieri, prodi expetierunt. Quæ contentio adeò efferbuit, ut Episcopi illi discessum jam molirentur. Tandem compositus est ille animorum æstus generali & ambiguâ verborum formulâ, sub qua uterque Patrum contradicentium sensus occultari posset. *Decimò* Decretum quod attinet, ei fraudulenter & callidé inserta sunt verba *proponentibus Legatis*, quibus Pontificii Legati omnibus reliquis in Concilio Episcopis facultatem quidquam præter voluntatem Pontificis & Legatorum proponendi, ademptam præcisámque voluerunt. Proinde iis utpote novis, libertatem Concilii restringentibus, solenniter quatuor in ipso Concilio Præsules contradixerunt.

SESSIO XVIII.

QUÆ ET II. SUB PIO IV. P. M.

Celebrata die 26. Febr. An. 1562.

Decretum de librorum delectu, & omnibus ad Concilium fide publica invitandis.

S*Acrosancta, Oecumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitimè congregata, præsidentibus in ea eisdem Apostolicæ sedis Legatis, non humanis quidem viribus confisa, sed Domini nostri Jesu Christi, qui os, & sapientiam Ecclesiæ suæ se daturum promisit, ope & auxilio freta, illud præcipuè cogitat, ut Catholicæ fidei doctrinam, multorum inter se dissidentium opinionibus, pluribus locis inquinatam & obscuratam, in suam puritatem & splendorem aliquando restituat; & mores, qui à veteri instituto deflexerunt, ad meliorem vitæ rationem revocet; corq; patrum ad filios, & cor filiorum ad patres convertat. Cùm itaque omnium primùm animadverterit, hoc tempore suspectorum ac perniciosorum librorum, quibus doctrina impura continetur, & longè latéque diffunditur, numerum nimis excrevisse, quod quidem in*

causa

causa fuit, ut multa censura in variis provinciis, & prasertim in alma urbe Roma, pio quodam Zelo edita fuerint, neque tamen huic tam magno ac pernicioso morbo salutarem ullam profuisse medicinam; censuit, ut delecti ad hanc disquisitionem Patres de censuris librisque, quid facto opus esset, diligenter considerarent, atque etiam ad eandem sanctam Synodum suo tempore referrent; quò faciliùs ipsa possit varias & peregrinas doctrinas, tanquam zizania, à Christiana Veritatis tritico separare, déque his commodiùs deliberare, & statuere qua ad scrupulum ex complurium animis eximendum, & tollendas multarum querelarum causas, magis opportuna videbuntur. Hac autem omnia ad notitiam quorumcunque deducta esse vult, prout etiam prasenti decreto deducit: Ut, si quis ad se pertinere aliquo modo putaverit, qua vel de hoc librorum & censurarum negotio, vel de aliis, qua in hoc generali Concilio tractanda pradixit, non dubitet à Sancta synodo se benignè auditum iri.

Quoniam verò eadem Sancta Synodus ex corde optat, Deúmque enixè rogat, qua ad pacem sunt Ecclesia, ut universi communem matrem in terris agnoscentes, qua, quos peperit, oblivisci non potest, unanimes, uno ore, glorificemus Deum & Patrem Domini nostri Jesu Christi; Per viscera misericordia ejusdem Dei & Domini nostri, omnes, qui nobiscum communionem non habent, ad concordiam & reconciliationem, & ut ad hanc sanctam Synodum veniant, invitat atque hortatur; Utque charitatem, qua est vinculum perfectionis, amplectantur; pacémque Christi exultantem in cordibus suis, pra se ferant, in quam vocati sunt in uno corpore. Hanc ergo non humanam, sed Spiritûs Sancti vocem audientes, ne obdurent corda sua, sed in suo sensu non ambulantes, neque sibi placentes, ad tam piam & salutarem matris sua admonitionem excitentur & convertantur. Omnibus enim charitatis officiis sancta Synodus eos ut invitat, ita complectetur.

Insuper eadem Sancta Synodus decrevit, fidem publicam in Congregatione generali concedi posse, & eandem vim habituram, ejusdémque roboris & momenti futuram, ac si in publica Sessione data & decreta fuisset.

HISTORIA SESSIONIS XVIII.

DIe 27. Jan. habita est congregatio, in qua tria à Legatis proposita sunt. 1. *Ut libri à diversis authoribus, post natas hæreses editi, unà cum censuris adversus eos examinarentur, quò de iis Synodus judicium ferre possit.* 2. *Ut Synodi decreto citentur omnes, quos ea res concernit, ne se inauditos damnari querantur.* 3. *An hæreticis salvus conductus concedi debeat?* De primo itum est in partes. Duo Archiepiscopi, Ludovicus Beccatellus Ragusinus, & P. Augustinus Selvaga Genuensis, indicem librorum à Paulo IV. prohibitorum probant, & ulteriorum in hoc negotio operam inutilem & supervacaneam esse judicant. Contra Johannes Thomas de S. Felicio Pauli IV. Indicem, uti rigidum nimis

nimis retractandum à Patribus censet, simúlque suadet, ut libri censoriam nondum virgulam experti inter Patres & Theologos, tam præsentes in Concilio, quàm absentes distribuantur, qui examinatos censura sua perstringant: utque congregatio non admodum numerosa designetur, quæ de censura judicium ferat. De citandis quoque librorum authoribus variatum est sententiis. Alii citandos, audiendósque statuerunt. Alii libros mortuorum simpliciter condemnandos, vivos verò etiam audiendos censuerunt. Alii etiam adversus mortuos eadem juris forma, qua erga vivos, procedendum pertenderunt. F. Georgius, fratrum Eremitanorum Generalis, librorum prohibitionem comparabat cum prohibitione cibi à medico vetiti. Sicut igitur interdictum ejusmodi non sit contra cibum, nec contra eum, qui præparaverit, qui tamen audiri debeat, quia præceptum medici tum ipsi, qui præparavit, tum ægrotanti bono sit cessurum: ita prohibitionis librorum similem omnino rationem esse. Circa tertium articulum de Protestantibus, concesso libero commeatu, factáque spe veniæ ad pœnitentiam invitandis, ipsi Legati sententiis variabant. Cardinalis Mantuanus omnes venia, & præteritorum impunitate donandos censuit. Hac enim ratione futurum, ut plures ecclesia lucrifaceret. Contrà legatus Simoneta spem impunitatis multis fore ad peccandum illecebram, acerbitatem verò suppliciorum ingratam esse equidem ea perpetientibus, at necessariam, ad innumeros in officio retinendos, multáque ejusmodi alia differebat. Statutum tandem, *quoad Indicem quidem librorum prohibendorum, ut ei conficiendo nonnulli deligerentur; tum ut per aliquam decreti clausulam iis, quorum libri vocantur in quæstionem, indicetur, eos invitari ad Concilium, & auditum iri: de diplomate verò liberi commeatûs ampliùs deliberandum.* Die proximâ in generalem congregationem adductus est Anthonius de Miglicio Moravus, Archiepiscopus Pragensis, Orator Cœsaris. Die 9. Febr. receptus etiam est in Synodum Ferdinandus Martinez Mascarerius, Lusitaniæ Regis Orator, lectis unâ cum mandato ejusdem Regis literis fiduciariis. Die 11. in congregatione admissus est alter Orator Cæsareus Sigmundus à Tuun. Legati etiam, factâ sibi à Patribus potestate, librorum, censurarum, ac indicis conficiendi negotium dederunt Oratori Cæsaris pro Regno Hungariæ, Patriarchæ Veneto, Archiepiscopis quatuor, Episcopis novem, Abbati uni, & Præpositis, sive Generalibus duobus. Die 13. Oratores Cæsarei à Legatis quinque postulant 1. *Ut nomen Continuationis Concilii, quantum fieri potest, caveatur. 2. Ut Sessio proximè futura protrahatur, vel certè in ea levia duntaxat tractentur. 3. Ut confessionis Augustanæ Socii in ipso Concilii primordio non exasperentur, neque libri ipsorum damnentur. 4. Ut quæ in Congregationibus tractantur, clausa arcanáque habeantur.* Die 17. ad hæc capita responsum à Legatis est. Ad 1. Sicuti in Cæ-

ſaris gratiam decreverint nomen *Continuationis* vitare: ita ad Hiſpanorum quoque vitandam offenſionem è contrario non minùs abſtinendum. Ad 2. Seſſione proximâ ſe levia duntaxat tractaturos. Ad 3. De Confeſſione Auguſtana impræſentiarum damnanda ſe non cogitare. Librorum verò prohibendorum Indicem non ante Concilii finem conficiendum. Ad 4. Nationi Germanicæ fidem ampliſſimâ cautione interponendam, poſtquam definitum fuerit, utrùm Germanis ſeorſim ab aliis Nationibus, an junctim cum cæteris ejuſdem confeſſionis cautio præſtanda ſit? Ad 5. curaturos ſe optimâ ratione, ne arcana eliminentur. Die 24. Febr. Georgius Draſcovitius Croatus, Epiſcopus Quinqueccleſienſis, tertius Cæſaris Orator mandatum Legationis in Generali Congregatione exhibuit. Succeſſit die 26. Seſſio XVIII. in qua Anthonius Helii Patriarcha Hieroſolymitanus rem divinam celebravit, & Decretum promulgavit; Anthonius verò Cauchus Archiepiſcopus Corcirenſis Orationem habuit. Lectum etiam in ea Seſſione eſt Breve Pontificium, quo negotium conficiendi Indicis refertur ad Concilium. Factum id erat eam ob cauſam, quia jam antea Paulus IV. Indicem componi curaverat. Ne igitur Synodus Indicem eum emendans, vel innovans, ipſo Pontifice inde ſuperior probabiliter argui poſſet, placuit Pontifici ad prævortendum illud præjudicium, ultro facultatem eam Synodo permittere. Lecto Decreto, cui præmiſſus erat titulus, *Sacro-ſancta Occumenica & Generalis Tridentina Synodus*, Archiepiſcopus Granatenſis petiit, ut adderentur titulo verba, *Univerſalem eccleſiam repraſentans.* Idem rogavit Anthonius Farragues, Archiepiſcopus Calaritanus, eique accedentes Præſules Hiſpani propemodum omnes, ut ſaltem poſtulatum ipſorum publicas in tabulas referretur, flagitabant. Cui petitioni neque contradictum, neque quicquam reſponſum eſt.

NOTÆ

Ad Hiſtoriam & Decretum Seſſionis XVIII.

IN Seſſionis hujus hiſtoria animadverſionem meretur, tum quòd circa Indicem conficiendum, & liberum commeatum, ac veniæ ſpem Proteſtantibus indulgendam, adeó Legati & patres contraria in ſtudia ſciſſi ſunt: tum Breve Pontificis, quo facultas conceditur Synodo novum conficiendi Canonem, quóque præjudicium, de ſuperioritate Concilii ſupra Papam, timidè æquè ac callidè anticipandum duxit: tum Hiſpanorum de titulo Concilii proteſtatio, quam tanti fecerunt Pontificis Legati, ut ne reſponſo

ſponſo quidem dignam arbitrarentur. Conſulenda interim ſunt, quæ de Concilii Titulo à nobis ſupradicta ſunt. Quoad Decretum ipſum, ſequentia adnotanda ſunt. *Primò* quoad indicem librorum prohibendorum ſancitur, *ut delecti ad diſquiſitionem Patres de Cenſuris libriſque vetitis, quid facto opus eſſet, diligenter conſiderarent, & ad eandem Synodum ſuo tempore referrent, quò faciliùs ipſa poſſit varias & peregrinas doctrinas, tanquam zizania à Chriſtianæ veritatis tritico ſeparare, déque his commodiùs deliberare & ſtatuere, quæ ad ſcrupulum ex plurium animis eximendum, & tollendas multarum querelarum cauſas magis opportuna videbuntur.* Accipimus equidem, & laudamus ante omnia ingenuam Synodi Confeſſionem, quòd ſuperiores videlicet prohibitiones in animis hominum ſcrupulos ingeneraverint, & *querelarum cauſas* excitaverint. His nempe verbis non obſcurè pulſat Synodus Indicem, juſſu Pauli IV. Romæ ab Inquiſitoribus compoſitum, & An. 1559. typis impreſſum, cujus prima claſſis continebat nomina eorum, quorum omnia opera cujuſcunque argumenti, etiam profani, omnino vetantur, quem in cenſum relati ſunt non ii duntaxat, qui doctrinam Pontificiam profeſſi non ſunt, ſed plerique etiam, qui in Eccleſiæ Romanæ communione nati ſunt, vixerunt & obiêrunt: Secunda comprehendebat nomina librorum ſigillatim damnatorum, non vetitis aliis eorundem authorum libris: tertia verò complectebatur Scripta authoribus anonymis edita, præterquam quòd clauſulâ etiam generali vetabantur libri omnes, qui non præferebant nomen authoris, inde ab A. 1519. Atque ſic plurimi libri damnabantur, quos totis quadringentis, trecentis &c. annis Eccleſia Romana, nemine contradicente, verſaverat, nonnulli etiam in ipſa Italia, & Romæ quidem, inquiſitione, imò etiam Pontifice per diploma approbante, excuſi, velut Eraſmi in N. T. annotationes, à Leone X. diplomate Romæ dato approbatæ. Fidei quoque & religionis prætextu pari ſeveritate interdicti, damnátique ſunt authores librorum, quibus auctoritas Principum & Magiſtratûs civilis, contra illicitas Eccleſiaſticorum uſurpationes defenditur, aut poteſtas Conciliorum & Epiſcoporum à curiæ Romanæ injuſtis occupationibus vindicatur, aut denique illorum hypocriſis & tyrannis, quibus fuco religionis imponitur populo, aut vis infertur, liquidò detegitur. Quin etiam contexuit hæc Inquiſitio Catalogum 72. Typographorum, quorum omnium libros, quos illi ſcilicet typis ſuis evulgâſſent, à quocunque auctore, de quacunque arte, aut quocunque Idiomate prodiiſſent, quin & omnium Typographorum, qui vel unum librum hæreticum edidiſſent, omnes libros prohibuit, ut jam vix unus legendus liber ſupereſſet. Pœna etiam addita erat legentibus ejuſmodi librum, nimirum excommunicatio *latæ ſententiæ*, & reſervata Pontifici privatio atque incapacitas munerum & Sacerdotiorum, per-

petua infamia, aliæque pœnæ arbitrariæ. Denique nunquam arcano tam præcellenti religionem ad dementandos homines adhibitam esse, meritò queritur hîc Historicus. Neque adeò injustæ erant de hoc Pauli IV. Indice *querelarum causa*, vel contemnendi *scrupuli*, quorum ipsa in Decreto Synodus meminit. Rigidam igitur hanc Pauli IV. censuram Successor ejus Pius IV. revocavit, concessa Synodo alium Indicem conficiendi facultate. Et Patres quidem, quibus id negotii à Synodo datum erat, sub finem Concilii Indicem confecerant. Quia tamen Synodus *ob librorum varietatem & multitudinem distinctè & commodè* eum indicem se dijudicare non posse agnovit, iccirco præcepit, *ut quicquid ab illis præstitum est, sanctissimo Romano Pontifici exhibeatur, ut ejus judicio atque authoritate terminetur & evulgetur*, uti verba Synodi *Seff. XXV. continuata cap. 3.* habent. Finito igitur Concilio Index Pontifici Pio IV. exhibitus est, qui eum, uti verba literarum ejus, per formam Brevis, die Martii A. 1564. consignatarum, & valvis affixarum, sonant, *doctissimis quibusdam, probatissimisque Prælatis accuratissimè legendum, examinandúmque tradidit, & ipse etiam legit, ac eum unà cum regulis ei præpositis, authoritate Apostolica approbavit, imprimíque ac divulgari, & ab omnibus universitatibus Catholicis, ac quibuscunque aliis, ubique suscipi, easque regulas observari mandavit ac decrevit.* Is igitur Index à Pio IV. editus, à Sixto V. auctus, & à Clemente VIII. die 17. Octobris A. 1595. recognitus & publicatus est. Continet autem partim Regulas decem, quibus accesserunt observationes circa 4. & 9. regulas, aliáque, nec non instructio eorum, qui libris tum prohibendis, tum expurgandis, tum imprimendis operam daturi sunt, Clementis VII. auctoritate regulis Tridentinis adjecta: partim ipsum indicem tripartitum, cujus *prima Classis auctores sive hæreticos, sive hæreseos suspectos, secunda libros sive hæreticorum, sive eorum, qui à Romana communione nunquam defecerunt, tertia eos libros, qui sine scriptoris nomine exiverunt in vulgus, & eam doctrinam continent, quam Romana Ecclesia tanquam Catholicæ fidei, aut morum integritati contrariam refutandam decernit, complectitur*, uti Franciscus Forerius Tridentinæ Deputationis Secretarius distribuit. In regulis porro potissima sunt, *ut libri omnes, quos ante annum 1515. aut summi Pontifices, aut Concilia Oecumenica damnârunt, prohibiti intelligantur: ut hæresiarcharum libri omnes, reliquorum verò hæreticorum libri, qui ex professò de religione tractant, prohibeantur, reliqui, qui de religione non tractant, examinentur & interpungantur: ut versiones Scriptorum Ecclesiasticorum, dummodo contra sanam doctrinam nihil contineant, permittantur: ut librorum V. T. versiones viris doctis & piis, judicio Episcopi, concedantur, modò iis non tanquam Sacro contextu, sed tanquam elucidationibus vulgatæ versionis utantur, at versiones N. T. ab auctoribus primæ classis hujus indicis factæ nemini concedantur: ut sacra Biblia vulgari Linguâ judicio Episcopi aut inquisitoris nemini legenda concedantur, nisi cui ea lectio damno cessura non videbitur; qui verò abs-*

que

que permissione legerint, peccatorum absolutionem non percipiant, & Bibliopolæ, ea sine facultate edentes vel vendentes, pœnæ subjaceant: idémque circa libros vernaculos, quibus controversiæ tractantur, obtineat: ut libri, qui hæreticorum auctorum operâ interdum prodeunt, in quibus nullâ aut pauca de suo apponunt, ab Inquisitoribus expurgati permittantur, &c. Instructio porrò Clementis VIII. varia etiam sancit tum de prohibitione, tum de correctione, tum de impressione librorum. Ibi, quam Pius IV. facultatem concessit, ut Bibliorum versorum lectio de consilio Parochi quibusdam permitteretur, eam Clemens hic inclemens sustulit, imò jam ante Inquisitorum perfidia revocaverat. Inter alia præcipitur, ut etiam extra Italiam Episcopi, & Inquisitores, & publicæ Universitates Indices conficiant, & publicari curent eorum librorum, qui per eorum Regna atque Provincias hæretica labe infecti, ac bonis moribus contrarii vagantur, sive propriæ nationis, sive aliena lingua conscripti fuerint. Nati hinc sunt procedente tempore etiam Indices *Expurgatorii*, seu potiùs *corruptorii*, quibus curârunt (ita loquitur Sixtus Senensis Epist. Bibliothecæ præfixa ad Pium V.) *expurgari & emaculari omnia Catholicorum scriptorum, ac præcipuè veterum Patrum scripta, hæreticorum ætatis nostræ fæcibus contaminata & venenis infecta.* Testes ejus rei locupletissimi sunt Hispanici non tam librorum, quàm fraudum & falsationum Pontificiarum certissimi indices. Ita enim jussu & auctoritate Philippi II. Hispaniarum Regis, ac Albani Ducis consilio, concinnatus est in Belgio, & editus Antverpiæ Index An. 1571. cui præfationem συστατικὴν præmittere B. Arias Montanus non erubuit. Eum ex tenebris eruit Cl. Franciscus Junius. Et eodem anno alius Index Madriti excusus est jussu Caspari Guiroga, Cardinalis & Archiepiscopi Toletani, Generalis in Hispania Inquisitoris de consilio supremi Senatûs generalis inquisitoris. In præfatione ejus pollicentur Hispanici Inquisitores, se curaturos, *ut correctiones per illos, qui expurgationibus præficiuntur, quàm minimo eorum, qui libros corrigendos deferrent, & sumptus & laboris impendio fierent.* Neque defuit sanè promissioni fides. Præterquam enim quòd Romæ à S. Palatii Magistro, Neapolíque librorum omnis generis expurgatoriæ spongiæ prodierunt; etiam Anno 1619. amplissimus Index Sandovalii, Archiepiscopi Toletani auspiciis vulgatus, qui in cryptis Inquisitorum & Bibliopolarum officinis latitans, viros bonos arrodebat, & eruditorum scripta laniabat, edita & edenda damnabat, opera Viri Cl. Benedicti Turretini in lucem emersit. Sed & anno hujus seculi quadragesimo Anthonius de Sotomajor, Archiepiscopus Damasci, Generalis Inquisitor, in omnibus Regnis & Dominiis Regis Hispaniæ, edidit Indicem novissimum Hispanicum locupletissimum, nuper demum An. 1667. unà cum Indice Alexandri VII, aliisque, publicæ orbis Christiani luci expositum.

positum. Ejuſmodi Indices decreto hoc Tridentini Concilii innixos qui oculis uſurpaverit, levato veluti velo *τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης* ſervorum *τῆς ἐπιλαλίας* expanſa reperiet. Deprehendet videlicet interfectores veritatis, hiſtoriæ tum ſacræ tum profanæ adulteros, integritatis exectores, pietatis, juris, charitatis, & publicæ honeſtatis ſubverſores. Damnantur innumeri ſcriptores, etiam non auditi, non lecti; opera etiam nondum edita, & fortè nunquam edenda. Princeps regula *καθαρτικῶν* eſt, S. Biblia, Patris teſtamentum, verba vitæ, plebis ac gregis Chriſti oculis ſubducere. Centum circiter etiam Latinorum Bibliorum editiones prohibentur & proſcribuntur, & Scriptura ſalutis Magiſtra, hæreticæ peſtilentiæ vehiculum habetur. Et qui ubique ad ravim uſque Patres, venerandam antiquitatem, priſcam eccleſiam appellitant, illi ipſi heic expurgatoriis ſuis, cauteriiſque miſerè eos urunt, ſecántque. Quid Ambroſio factum ſit Ann. 1559. Lugduni, ubi à Frelonio editus eſt, Franciſcanorum ungulis miſerè diſpunctus, ex Franciſci Junii *Præfatione ad Lectorem* Hiſpanicis Indicibus præfixa; quid Anaſtaſio Bibliothecario, ex Marquardi Freheri libello edito formâ Manifeſti, nec non Blondelli de eo narratione liquere poteſt. *Teſtes appello,* (ait Kimedoncius lib. 2. de ſcript. auth. cap. 6.) *paſſim tot Monaſteriorum per Papatum Bibliothecas, in quarum quibuſdam ipſemet vidi Monachos audacter admodum falſarias manus intuliſſe ſcriptoribus Eccleſiaſticis, integras ſententias, & paginas totas obliterando, imò integris ternionibus & libris exciſis auctores indignè caſtrando.* Quid Auguſtino Venetiis excuſo contigerit, docere poſſunt verba editorum in libri inſcriptione, his verbis: *In quo præter locorum multorum reſtitutionem ſecundùm collationem veterum exemplarium curavimus removeri omnia illa, quæ fidelium mentes hæretica pravitate poſſent inficere, aut à Catholica Orthodoxa fide deviare.* Ea videlicet ſpecie plagia, furta, adulteria obvolvuntur, ne poſthac Patres quicquam ampliùs Romanæ Curiæ moleſtum ſonent. Delent ex Auguſtini Indice verba: *Non merita noſtra, ſed dona ſua Deus in nobis coronat,* quæ ipſiſſima extant Epiſt. 105. Delent ejuſdem Indicis verba: *Sancti honorandi ſunt imitatione, non adoratione,* quæ extant libro de verit. Relig. Delent, *Templa Angelis, Creaturis ædificare ſacrilegum eſt.* At Auguſtinus *contra Marc. lib.* 1. diſertè habet: *Nonne ſi templum alicui ſancto Angelo excellentiſſimo de lapidibus & lignis faceremus, anathematizaremur?* Ex Athanaſii Indice delent: *Adorari ſolius Dei eſt, & creatura nulla adoranda.* *Θεοῦ ἐστι μόνου τὸ προσκυνεῖσθαι.* *Adorari ſolius Dei eſt.* In Caroli M. libros, Imaginum cultum oppugnantes, Synodi Pariſienſis & Remenſis Acta, Bertramum Presbyterum, Erigenam Scotum, Rathramnum Corbejenſem, Huldricum Auguſtanum, Rathramni hujus æqualem, Sigebertum Gemblacenſem, Honorium Auguſtodunenſem, Theodoricum à Niem, alióſque ejuſ-

modi

modi Romano palato minùs ſapientes, quàm atrociter incubuerint Tridentinæ & Hiſpanicæ Spongiæ, Indices eos obiter inſpicienti liquet. At in recentiores, qui Pontificis Romani potentiam, & eccleſiæ ejus decreta oppugnare ſuſtinuerunt, multò etiam impotentiùs cenſura efferbuit. Stylum utraque parte exercent: delent, addunt, diruunt, mutant quadrata rotundis. Quotquot in Pontificum R. vitam, moréſque, Curiæ Romanæ vitia, ſuperſtitionis fœditatem, tyrannidis ſævitiam, doctrinæ abſurditatem ſtylum ſtrinxerunt, facti ſtigmatiæ æternis damnantur tenebris, nec alia ratione quàm flammis expiandi, ſæviſſimis edictis proſcribuntur. Miſeranda planè eſt horum temporum conditio, quibus nefas eſt, ubi Pontificiæ leges vigent, Chriſtum audire: capitale, Evangelium ſua lingua legiſſe: inexpiabile ſcelus, ullum è notatis authoribus, quos inter tot ſunt etiam Latinorum Bibliorum editiones, domi aſſervâſſe; nec aliunde verba vitæ, quàm ab iis, qui ſeſe jurato Eccleſiæ hoſti addixerunt, petenda, id eſt, cibus è media flamma, & veritas ex fallaciarum abyſſo auferenda. Juvabit verò heic ex doctiſſima hac de re Suavis Polani diſſertatione, quæ extat *lib. VI. p. 427. 428. &c.* prohibitionis librorum occaſionem, originem & gradus exponere. *In eccleſia veteri*, inquit, *Martyrum perſecutionibus adhuc exercita, nulla fuit prohibitio eccleſiaſtica. Viris tantùm piis religio fuit impios libros legere, ne videlicet impingerent in unum è tribus Divinæ legis præceptis, quibus jubentur homines mali contagionem vitare, tentationibus, nulla neque neceſſitate, neque emolumento invitante, ſeſe non objicere, & tempus rebus vanis non impendere. His legibus quippe naturalibus tenentur, & obligantur ſemper homines ad vitandam librorum improbatorum lectionem, etſi eam lex eccleſiaſtica nulla vetaret. Succeſſit exemplum Dionyſii Epiſcopi Alexandrini, qui circa An. 240. à ſacerdotibus ſuis hoc nomine increpitus, & ob rationes jam dictas titubans, per viſionem monitus fuit, ut quemvis librum legeret, quòd prava a rectis diſcernere peritus eſſet. Et tamen à libris Gentilium plus periculi importari putabatur, quàm à libris hæreticorum, eràntque & libri eò magis exoſi, quò plures Chriſtiani Doctores nimia addiſcendæ eloquentiæ curioſitate aſſiduis eos manibus verſabant. Quam ob cauſam D. Hieronymus ſive per viſionem, ſive in ſomnis à Satana virgis cæſus creditur. Inde ſub hæc ipſa tempora circa An. 400. Concilium Carthaginenſe interdixit Epiſcopis Gentilium librorum lectionem, hæreticorum libros legendi poteſtate facta, quod decretum extat inter Canones à Gratiano conſarcinatos. Atque hæc eſt prima prohibitio forma Canonis. Sunt & alia apud Patres conſilii formæ, ad legis divinæ ſuprà citatæ normam exigendæ. Jam hæreticorum libri, qui doctrinam complectebantur, damnatam à Conciliis, ſæpe ab ipſis Imperatoribus civilis diſciplinæ cauſa, legi vetabantur. Ad hunc modum Conſtantinus libros Arii, Arcadius Eunomiorum & Manichæorum, Theodoſius Neſtorii, Martianus Eutychianorum, & in Hiſpania Riccardus Rex Arianorum ſcripta prohibuit.*

prohibuit. Conciliis atque Episcopis visum satis est ostendere, quorum librorum damnabilis, aut apocrypha doctrina esset, quod factum à Gelasio An. 404. *neque ulteriùs pergere, sed cujusque conscientiæ liberum relinquere, libros eos vitare, an boni cujusquam causa legere velint? Post annum* 800. *Romani Pontifices librorum lectionem prohibuerunt, & libros flammis mandari imperârunt, quorum auctores ipsi damnaverant. Ad hoc tamen seculum usque paucissimi libri prohibiti sunt. Universalis certè prohibitio, sub pœna excommunicationis, nulla alia sententia præcedente, ne quis libros legeret hæreticam doctrinam continentes, aut hæreseos suspectos, nondum inoleverat. Martinus V. Papa diplomate suo omnes hæreticorum sectas, Wiclefistas & Hussistas inprimis sacrorum communione interdixit, sed de iis nullam facit mentionem, qui libros eorum evolvebant, licèt eorum manibus tererentur. At Leo X. Martino Luthero damnato, libros simul ejus omnes sub pœna excommunicationis legi vetuit. Et secuti eum Pontifices, hæreticis omnibus, diplomate eo, quod vocant in Cœna, damnatis atque excommunicatis, eodem diris devovent etiam illos, qui in libris eorum versantur. Tum in aliis contra hæreticos in genere diplomatis eodem diro censurarum fulmine librorum lectores feriunt. Inde magna rerum confusio invecta: quandoquidem minimè editis hæreticorum, qui damnati essent, nominibus, potiùs ex doctrinæ qualitate, quàm ex nominibus auctorum, ad librorum cognitionem veniendum erat. Cúmque diversa essent diversorum judicia, innumeri inde conscientiis hominum scrupuli injiciebantur. Diligentiores quique hæreticæ pravitatis Inquisitores sibi Catalogos conficiebant, qui ad ipsorum notitiam pervenerunt: sed nisi hi inter se componerentur, eadem adhuc difficultas restabat. Philippus Hispaniarum Rex primus, forma tolerabili confusionem hanc tollere aggressus est, lege lata An.* 1558. *qua edictum, ut librorum ab Inquisitoribus Hispanis prohibitorum Catalogus Typis excuderetur.* Subjicit dein Pauli IV. Indicem, de quo nos superiùs. Atque hæc ad decretum Synodi de librorum prohibitione dicta sufficiant. Ad reliqua nunc pergendum. *Secundò* igitur decretum ait, *hæc*, nempe quæ præcesserunt, *ad notitiam quorumcunque deducta, Synodum velle, ut si quis ad se pertinere aliquo modo putaverit, quæ vel de hoc generali Concilio tractanda prædixit, non dubitet à Sancta Synodo se benignè auditum iri.* Ita Synodus invitat eos, ad quos res in Concilio postmodum tractandæ pertinent. At cui demum subolere potuit, quæ res in Concilio tractandæ sint, cùm superioribus temporibus ferè omnia præter expectationem proposita fuerint, & ipsi Concilii Præsides ne divinatione quidem, quid proponendum esset, assequi potuerint, antequam Româ ad ipsos mandata perferrentur? Hi igitur, quorum intererat librum aliquem non damnari, quomodo scire potuerunt, essétne is liber Censuræ subjiciendus, nécne? Ita citationis hujus universalitas, & causæ incertitudo neminem non ad iter Tridentinum adigere debuisset, cùm vix quisquam sit, cujus non hoc aut illud negotium in Concilio tractari possit.

Hoc

Hoc videlicet efficiunt illi verborum cothurni,quibus Synodus ludere necessum habuit, quoties Patres ejus de argumento aliquo, uti hîc etiam factum,dissidentes,aliter ad concordiam redigi non potuerunt. *Tertiò* Synodus invitat omnes , qui cum ecclesia Romana communionem non habebant,*ad concordiam & reconciliationem.* Et subjicit: *Hanc ergo non humanam,sed Spiritus S. vocem audientes,ne obdurent corda sua,&c.* Ita reconciliationem eam ecclesia Romana,quæ fiat videlicet receptione & exosculatione decretorum ejus,non *humanam*,sed *Spiritûs S.*Synodi videlicet *vocem* appellat. Quicquid nempe Synodo ex mitratis larvis constanti dicere, decernere placuit, illud omne *Spiritus S.vox erat.* Neque alia reconciliationis ratio erat,quàm in Synodi verba & decreta ἀνεξετάστως jurare. Meritò querebantur multi,decretum hoc in speciem invitare,sed revera à Concilio excludere. *Quartò* Synodus decernit, *Fidem publicam* Protestantibus interponendam *in congregatione generali concedi posse, & eandem vim habituram, ejusdémque roboris & momenti futuram,ac si in publica sessione decreta & data fuisset.* Id non immeritam suspicionem Germanis movebat, ignaris,quid discriminis inter Synodum & generalem congregationem esset,iisdem personis in utroque conventu congregatis, neque alia ratione differentibus,quàm quòd in sessionibus mitrati, in congregationibus pileati comparuerint. Quòd si ob temporis angustias diploma expediri non potuit,quid obstabat,quò minùs ejus in rei gratiam Sessio vel prorogaretur,vel nova ex composito indiceretur?

SESSIO XIX.

QUÆ EST III. SUB PIO IV. P.M.

Celebrata die 14. Martii. An. 1562.

Decretum prorogationis Sessionis.

SAcrosancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus , in Spiritu S. legitimè congregata, præsidentibus in ea eisdem Apostolicæ sedis Legatis, decreta ea, quæ hodie in præsenti Sessione statuenda ac sancienda erant, justis nonnullis ac honestis causis,in Feriam quintam,post proximam Solennitatem Corporis Christi,quæ erit pridie Nonas Junii,prorogandа esse censuit,ac prorogat;dictáque die Sessionem habendam esse ac celebrandam, omnibus indicit. Interea rogandus est Deus,& Pater Domini nostri Jesu Christi, auctor pacis, ut sanctificet corda omnium; quo adjuvante,Sancta Synodus &

 nunc,

nunc, & semper meditari, atque peragere valeat, quæ ad ejus laudem & gloriam pertineant.

HISTORIA SESSIONIS XIX.

POst Sessionem XVIII. Legati à Pontifice literas acceperunt, quibus is rescripsit, *primò, sibi non placere, ut hæretici facta promissione veniæ ad pœnitentiam invitentur: deinde ut salvus conductus seu commeatus detur omnibus, qui inquisitione non premerentur, sed caveatur tamen, ne hæc exceptio exprimatur, modus verò interponendæ fidei Synodi arbitratui permittatur: denique ut Delegati ad conficiendum indicem captum fortiter urgeantur, quoad occasio se daret decretum evulgandi.* Accepto hoc à Pontifice responso die 2. & 3. Martii habitæ sunt congregationes de venia pœnitentibus, & salvo conductu, concedendis, déque utriusque forma. Post multam disceptationem die demum 4. itum est in sententiam Pontificis, statutúmque, ne sectarii invitentur ad pœnitentiam. At de diplomate commeatûs quæsitum est, *an etiam Gallis, Anglis & Scotis, imò & Græcis illud indulgendum esset?* De Græcis statim apparuit, eos gravi servitute pressos sine periculo & subsidio pecuniario ad Concilium proficisci non posse, adeóque invitandos haud esse. Quoad cæteros, erant multi, qui indiscretè omnes invitandos putarent. Sed Hispani, applaudentibus Legatis, reclamabant, neque Concilio supra Inquisitionem Hispanicam authoritatem constare asserebant. Decretum tandem formatum est, tribus capitibus constans. 1. *Ut caveatur Germanicæ Nationi eadem forma, qua id An.* 1552. *factum.* 2. *Ut eadem cautio extendatur ad alios etiam dissentientes, ex quibuscunque Regnis, Nationibus, Provinciis, Civitatibus & locis, in quibus publicè prædicatur ac docetur contrarium ejus, quod Romana ecclesia sentit.* 3. *Utcunque sub illa extensione non omnes comprehendi videantur, non excludi tamen ab ea cujusvis nationis homines, qui pœnitentia ducti ad ecclesiæ gremium redire constituerint. Sed de forma illius commeatus consultationem Synodi in aliud tempus differendam.* Deinceps Oratores Cæsarei de reformando Clero, & Protestantibus per literas ad Concilium invitandis agi postulant. Responsum est à Legatis, decretum esse, omnino Synodo incumbere in generalem Ecclesiasticorum per universum orbem Christianum emendationem, at Cleri Germaniæ emendationem, absentibus quidem Præsulibus, suscipi non posse: deinde Protestantes per literas ad Concilium frustra solicitari, quando certum sit, eos, qui Nuntios Pontificis tam immodestâ responsione exceperint, ad Synodi literas nihilo responsuros modestiùs. Die 2. Martii Legati in Congregatione Generali XII. de residentia, Sacramento ordinis & Matrimonii articulos proximis congregationibus excutiendos pro-

proponunt. Die 16. ejusdem menſis Franciſcus Ferdinandus Avala, Marchio Piſcarius, Regis Hiſpaniæ Orator: die verò 18. etiam Coſmi & Florentiæ Ducis Orator, Johannes Strozius in congregatione auditi & recepti ſunt. Sed & die 20. Melchior Luſſi, Eques, Helvetiorum Pontificiorum Orator, nec non Joachimus Abbas Eremitanus ejusdem nationis, Eccleſiaſticorum nomine in Congregatione admiſſi ſunt. Nomine Oratoris Luſſi orationem habuit Adamantius Ordinis Eremitarum Auguſtini. Inter alia hæc in verba diſſeruit: *Chriſtianos Principes eſſe tanquam ſtellas in firmamento poſitas, quorum ſit poſt ſolem, id eſt, ſummum Pontificem, in ſubjectos populos ſecundùm datam de cælo poteſtatem, virtutem influere. Cantones Pontificios, qui ſint ipſis fidei hoſtibus non finitimi dumtaxat, ſed etiam conjunctiſſimi, nunquam adduci potuiſſe, ut in eorum perverſa dogmata aliquando concederent, licèt ab iis omnibus quotidie machinis oppugnentur, quin potiùs eis ſemper conſtantiſſimè reſtitiſſe, & tanquam legitimos Iſraëlitas cum execratis Moabitis jungere profana connubia nunquam voluiſſe. Imò cum ipſis religionis cauſa bello, immaniſſimum ac nefandiſſimum Eccleſiæ hoſtem Zvinglium hæreſiarcham peremiſſe, extractúmque è cadaveribus combuſſiſſe, quò teſtarentur ſibi cum illis, quandiu extra eccleſiam manere vellent, perpetuum bellum & verè ἄσπονδον fore. Nec ſine cauſa illos in ipſis Italiæ limitibus & finibus conſtitutos eſſe, ut ſcilicet tanquam validum propugnaculum obſtarent, ne grave malum, quod ab Aquilone juxta Prophetæ vaticinium quotidie panditur, in ipſius Italiæ viſcera tam facilè irrumpat & penetret.* Synodus per Promotorem reſpondit, Helveticæ gentis erga ſedem Apoſtolicam pietatis officia & merita multa, immaniáque eſſe, neque ullum tamen opportunius, quàm ſit hæc ipſa legatio; & poſt Cæſarem, Reges ac Principes plurimùm laudatiſſimæ huic Nationi ſe confidere. Die 6. Aprilis recepti etiam ſunt Andreas Dudithius tum temporis Tinienſis, poſtea factus Quinqueccleſienſis Epiſcopus, nec non Johannes Coloſuarinus Epiſcopus Chanadienſis, pro Clero Hungariæ Oratores. In congregationibus porro à die 7. uſque ad 18. Aprilis aſſiduè habitis à Patribus diſceptatum eſt de quatuor primis articulis, & fusè, magnáque partium altercatione, de Reſidentia, controverſia videlicet tali, quæ proprium Præſulum peculium tangebat. Varia Præſulum de eo argumento ſuffragia recitat Hiſtoricus lib. VI. pag 441.442. De reliquis etiam articulis variantes opiniones Præſulum animos diſtraxerunt & exercuerunt. Deſignati tandem Patres, qui de quatuor illis articulis decreta conderent, de Reſidentia nec ſecum ipſi, nec cum Legatis conſentiunt. Cardinalis Simoneta pertendebat, eam eſſe de jure divino poſitivo, adeóque ejus determinationem omitti Poſſe. Mantuanus contra, ut definiretur articulus ille, ex mente plerorumque Patrum inſtabat. Simonetæ Altempſius, & Mantuano reliqui duo Legati acceſſére. Hinc in congregatione generali

D 2 die 20.

die 20. habita ad roganda suffragia itum, & à majori parte solo verbo *placet* pronunciatum, *ut in Synodo declaretur, residentiam esse de jure divino.* Congregatione multis jurgiis, contumeliosis vocibus & confusis sermonibus soluta, Legati Secretario Romam misso suffragiorum numerum, & totius rei eventum per literas Pontifici ocyssimè exponunt, atq; interea dum responsum expectatur proximis Congregationibus, reliquos articulos prosequi statuunt. Id cùm subolerет Hispanis Præsulibus, illi servituti intolerabili factum initium gravissimè conquerebantur. *Omnes*, ajebant, *Synodi tractationes Romæ non modò expendi ac considerari, sed deliberari etiam ac constitui. Concilium antehac bis eadem in civitate congregatum, infelicem propterea exitum sortitū, & sine fructu, imò maxima cum offensione solutum esse, quòd à Patribus nihil, omnia Romæ definirentur. Per omnium jam ora vulgò jactari infame proverbium, Spiritum illum Sanctum, qui Tridentinæ Synodi consilia gubernat, in mantica clausum Româ subinde mitti Ecclesiæ minori offendiculo fuisse, qui Concilii convocationem omnino detrectârunt, quàm qui convocatum, sibi servum & obnoxium esse voluerunt. Olim homines sperâsse futurum, dummodo Concilium impetrari posset, omnia habitura rectiùs. Nunc verò post observatam rerum, quæ Julio & Paulo Pontificibus, & quæ hoc Pontifice geruntur, ἀταξίαν, omnem rerum meliorum spem planè deploratam esse, neque ultra boni quicquam à Synodo expectandum, utpote quæ ad curiæ Romanæ commoda tota projecta sit, & hujus unius arbitrio moveatur & quiescat.* Cùm igitur proxima in congregatione de articulis antehac propositis agi cœptum esset, repetito de Residentia sermone, animorum adeò exasperatio recruduit, ut à mordacibus & aculeatis verbis ad partes jam & factionem omnia spectaverint; & ad eas itum fuerant, nisi Cardinalis Warmiensis præses Congregationis, moderandis Patrum affectibus intentus, abrupto de eo argumento sermone, de liberandis Episcopis, qui in Anglia captivi attinebantur, novam consultationis materiam subitò proposuisset. De reliquis sex articulis moderatiùs & pacatiùs in Congregationibus actum est. Circa id tempus Bavariæ Ducis Oratores Tridentum veniunt, sed Legationem in congregatione exponere recusant, nisi honoratior iis, quàm Venetis Oratoribus locus detur. Id cùm Veneti graviter ferrent, Legati de eo Pontificis voluntatem per literas exquirunt. Cæterùm allato Pontifici, Aulæ & Curiæ Romanæ de Hispanorum Præsulum moliminibus, nuntio nec non suffragiis de Residentia, aliisque, quæ in congregationibus acciderant, non parum ea re commoti sunt. Pontifex de Rege Hispaniæ hujus rei conscio, sibique minùs fido conquestus, sermonem finivit his verbis: *Si principes ipsum deserant, se in cœlo præsidium reperturum. Habere se in numerato decies centena millia aureorum, neque si res postulet, alia totidem desideraturum. de cætero Deum Ecclesiæ suæ consulturum.* Sed & Aula pariter atque Curia Romana insignis periculi sui sensum præ se ferebat, animo præsagiens, *novitates illas*

Patrum

Patrum id spectare, ut tot sint Papæ, quot Episcopi; aut certè, ut Pontifex nullo loco sit, omnibus officiorum Cancellariæ suæ emolumentis amputatis. Mox Romam Prælatis futuram vacuam, omnique prærogativa & eminentia spoliatam, Cardinales Romam inhabitantes Episcopatibus exclusos, pluralitatem beneficiorum prohibitam. Authoritate Pontificia magna parte labascente eventurum id, quod Livius suggerit, Majestatem principis difficiliùs à summo fastigio ad medium detrahi, quàm à medio ad ima præcipitari, aliáque ejusmodi plura. De Legatis etiam graves ab eadem Curia motæ querelæ, quòd articulum de Residentia vel proposuissent ipsi, vel proponi ab aliis permisissent, imprimis cùm jam ante in Synodo decretum fuerit, ut ipsi omnia proponerent, ad eludendos videlicet conatus eorum, qui Romæ malè cuperent. Neque deerant, qui alios Tridentum mittendos Legatos dicerent, nominatim etiam Johannem Baptistam Cigalam, S. Clementis Cardinalem authoritatis Pontificiæ propugnatorem acerrimum, & ea quidem lege, ut Cardinale Mantuano sit superior, quò is contumelia hac affectus sponte provinciam deserat, & Concilio se subducat. Die 9. Maji convocatis Cardinalibus, literas Tridento acceptas Pontifex prælegi jubet. Tum consultationes varias repetit, dextrè & constanter in hoc negotio procedendum monet, eò quòd magna sit manus contra sedem Apostolicam conjuratorum. Dein responsum Tridentum mittendum legi imperat, duobus videlicet capitibus comprehensum, quorum prius erat, *Concilium abs se libertati suæ semper relictum, deinceps quoque relinquendum esse*; posterius, *æquum esse, ut Concilium se pro capite agnoscat, & observantiam Apostolicæ sedi debitam sibi deferat.* Id responsum unanimiter approbatum est à Cardinalibus, monentibus etiam, consultum esse, ut Pontifex cum Cardinalibus Bononiam migret, quò Tridento ad omnes occasiones intenti viciniores præstò sint; quibus Papa respondit, se paratum esse, non Bononiam duntaxat, sed etiam Tridentum, si necessitas postulet, proficisci. De aliis Legatis mittendis consultationem differre placuit, ne Cardinalis Mantuanus sibi missionem dari postulet, quòd Pontificis & Synodi existimationi magnum præjudicium allaturum esset. Deinceps Pontifex cum Oratoribus Ducis Venetiarum & Florentiæ agit, suis ut Principibus persuadeant, ut agi mandarent cum Prælatis ditionum suarum, ne intersint tractationibus contra sedem Apostolicam institutis, ac sigillatim negotium de residentia tanto animorum ardore ne prosequantur. Dein Episcopis omnibus, qui adhuc in aula sua erant, ad se accersitis, expositáque iis necessitate profectionis ipsorum Tridentum, negotii sui curandi causa, locupletes quidem promissis onustos, tenui verò viatico sublevatos ad Concilium amandat, ad augendum videlicet suorum numerum, cùm de residentia sermo habendus esset, & quia in Synodo XL. Galli ex-

 pectabantur,

pectabantur, de quibus nihil admodum boni mente præſagiebat. Utque Galliæ etiam Regno ſuis deſideriis obſequentiore uteretur, ſtatuit Galliarum Regi centum millia aureorum in ſubſidium dono dare, & totidem commodatò,quaſi à mercatoribus ſumpta,Rege de ſorte & uſuris idoneam cautionem interponente. Ea pecunia conducendos eſſe Helvetios & Germanos,qui bello Proteſtantibus indicto,& revocatis Edictis,ſub Legato ſuo cum inſignibus eccleſiæ militent. Additæ & hæ conditiones, *ne cuiquam Hugonoto niſi Pontifice conſentiente ignoſcatur: Cancellarius Epiſcopus Valentinus, aliique ab ſe nominandi in cuſtodiam tradantur: in Synodo contra authoritatem ſuam nihil tractetur: de Annatis nulla ab Oratoribus fiat mentio, de quibus ipſe cum Rege paciſci velit.* Quo ad reſidentiam penſitatis apud ſe rationibus, ſtatuit,eam & approbare, & exequendam curare,quacunque tandem lege nitatur,ſive canonica ſive Evangelica, ſed hactenus, ne executio ad alium quàm ad ſe pertineat, *eò quòd executio praeceptorum Evangelicorum ſibi ſoli deputatione tradita ſit juxta Chriſti ad Petrum verba: Paſce oves meas*; uti Oratori Gallo ſuggeſſerat,addens apud eundem, decretum igitur ſibi eſſe diploma conficere ſub pœna privationis Epiſcopatuum, quod procul dubio longè futurum ſit formidabilius, quàm ulla Concilii declaratio *de jure divino*. Oratore inſtante,ſic Concilii libertatem infringi,reſpondit,*ſi omnimoda libertas Concilio concederetur,fore ſic,ut non ad Pontificis duntaxat, verùm etiam ad Principum Secularium reformationem extendant.* Eodem tempore Curiam ſuam abſque opera Concilii reformare occœpit,& à membro primario auſpicatus *pœnitentiaria* emendationem promulgavit, facta ſpe etiam *Cancellariæ & cameræ reformandæ*. Cúmque ſpem in certam omnes erigerentur,fore,ut quæ animæ ſalutem ſpectant,qúæque in hoc officio ſæpe multúmque tractantur,ad pietatis regulam conformentur,nihil tamen tale factum eſt,neque in diplomate eo vel pœnitentiæ,vel conſcientiæ,vel ullius rei ſpiritualis mentio facta eſt,ſed *Pœnitentiariæ* tantùm facultates ademptæ, quæ tamen non ſublatæ, ſed poſtea *Datariæ* permiſſæ ſunt. Cæterùm confecta tandem, & in congregatione promulgata ſunt novem decreta,omiſſis articulis de reſidentia & matrimonio, nequicquam fautoribus reſidentiæ indignantibus,& muſſitantibus,*meram fraudem & artificium eſſe,ut ſic reſidentia nunquam decernatur.* Regis Hiſpaniarum Orator Piſcarius,eúmque ſecuti Hiſpani Præſules Regis,ſuóque nomine urgebant,uti Patres in futura Seſſione declarare vellent, Synodum illam eſſe continuationem ejus,quam Paulo Pontifice cœptam Julius proſecutus eſt, eò quòd id fidei ſtabiliendæ neceſſitas omnino requirat,cùm alioqui decreta jam facta in dubium à quolibet revocari poſſint. Contra Legati Cæſarei, ſi id definiretur,ſe proteſtatione facta è veſtigio abituros minantur. Hic ex Legatis

gatis Seripandus Hiſpanis, at Mantuanus Cæſareis partibus ſuffragatur. Placati tamen ſunt Hiſpani ſpe facta declarationis in alia Seſſione ſecuturæ. Interea literæ redduntur Concilio à Ludovico Lanſaco, principe Legationis Gallicæ, quibus ex via ſcriptis Legati Patréſque orantur, uti ad ſuum Collegarúmque adventum Seſſio protollatur. Re in deliberationem adducta ſtatutum eſt, ad conſervandam Synodi dignitatem, ut extrahatur Seſſio, ſed eadem nulla propoſita materia celebretur. Ita die 14. Maji celebrata eſt Seſſio XIX. in qua tum Principum mandata prælecta, & Promotoris reſponſum ad ea perhibitum, tum ab Epiſcopo miſſam celebrante Decretum recitatum eſt.

NOTÆ HISTORICÆ.

Ad Hiſtoriam & Decretum Seſſionis XIX.

PRimò Pontificis ad Legatos reſcriptum pœnitentibus veniam negat, & commeatum fraudulentum, quo videlicet ii, qui Inquiſitione premuntur, non comprehenderentur, non expreſſa tamen exceptione, præſcribit. Id cruentum & ferali ſævitia inflammatum Pontificis & Synodi ſententiam hanc approbantis animum manifeſtè arguit. Præterquam quòd hoc rigore prædeceſſorum ſuorum Julii III. & Pauli IV. veniam pœnitentibus, vel potiùs ad vomitum redeuntibus, promittentium facilitatem non obſcurè damnat. Tantum veritatis odium in perverſis horum animis arſit, ut qui mendaciis ipſi ſupra modum delectabantur, ob ſolam veritatis profeſſionem præcedentem, mendacia ſua pro veritate venditata impunè adoptari vetuerint. Et quàm profana fuit argumentatio, fore nimirum, ſi liber commeatus etiam Hiſpanis Inquiſitionis jugo preſſis concedatur, ut ſic Concilium ſupra Inquiſitionem conſtituatur, quod Patres illi tanquam abſurdum exagitârunt? Sic decuit Concilii auctoritatem infra Inquiſitorum carnificinam præcipitem detrudi! *Secundò* Adamantii Oratio, Legati Helvetici nomine, applaudente & laudante Concilio, habita, non tantùm inſana & turpi adulatione Pontificem ſoli, & Reges ac Principes *ſtellis firmamenti* comparat; ſed etiam injuriis, dicteriis, & iniquis calumniis, *in meliorem ſaniorémque* Helvetiæ partem referta eſt. Eos, qui ſequeſtratis *traditionibus*, & abrogata iniqua dominatione Pontificis, ex ſolo Dei verbo ſapere *conſtituerunt*, in Moabitarum tribum compingit. *Zuinglium immaniſſimum & nefandiſſimum Hæreſiarcham*, impurum & ſceleſtum os pronuntiat. Qui verò Moabitis ſimiliores ſint, ii, qui unum Deum colunt & adorant,

an

an qui tot sibi Numina constituerunt, & idolis palam serviunt, facilè cordati, bonique omnes judicabunt. Peremptum esse Zuinglium & combustum ait ἄθυρον σῶμα à Cantonibus, *quò testarentur, quandiu extra Ecclesiam manere vellent, sibi cum illis perpetuum bellum & verè ἀσπονδον fore.* Sic Patribus coram probantibus & applaudentibus classicum sanguinarius homo canit, & spiritualibus armis destitutos, carnalibus succingit. Cætera thrasonis impia dicteria mitto. *Tertiò* quæstio de Residentia denuo tanta animorum exulceratione, non sine periculo totius Pontificatus Romani, uti desperata Pii IV. & Curiæ Romanæ post acceptum de concertatione Patrum nuntium verba, & Patrum Pontifici addictorum contrariæ machinationes, arguunt, agitata, pandit morbum pestilentissimum Ecclesiæ Romanæ à Pontificibus, ob dispensationum nundinationem sustentatum, de quo etiam superiùs à nobis actum. *Quartò* servum fuisse Concilium, non liberum, Hispani Præsules non tantùm rotundè asserebant, sed etiam gravi oratione συλλήβδην à nobis exhibita, deplorabant, ultro etiam fassi, Concilium propterea bis Tridenti sub Paulo III, & Julio III. solutum esse *fine fructu, imò maxima cum offensione.* Id adeò verum est, ut jam in proverbium ab ipsis Patribus Concilii cusum & jactatum abierit, Spiritum S. qui Tridentinam Synodum moderatur, in mantica clausum subinde Româ mitti. Arguit & hoc immanem Pontificis in Concilium dominationem, tum quòd Cardinalem Mantuanum Legatum in argumento de Residentia Concilii potiùs, quàm Pontificis desideriis satisfacientem; alio Legato, qui Pontificis nexu ac mancupio totus esset, submittendo, eúmque Mantuano præponendo, deprimere, eique Concilio se subducendi ansam objicere constituit: tum quòd novos Episcopos Papa Tridentum ea occasione amandavit, ut in argumento de Residentia, aliísque ejusmodi suffragiorum numero sanior pars opprimeretur. Denique Synodum sibi obnoxiam esse non dissimulavit ipse apud Oratorem Gallum Pontifex, eam servitutem stabiliens, fore nimirum aliâs, ut ea libertate Patres adversus se & Principes seculares uterentur. *Sextò* id quoque callidissimis Pontificis consiliis accensendum, quòd executionem definitionis de Residentia ad se unum pertinere indicavit, eò quòd præceptorum Evangelicorum executio sibi à Christo deputatione tradita sit juxta verba illa: *Pasce oves meas.* Hoc videlicet validissimum scutum omnibus Concilii definitionibus, quibus potestatis & Majestatis Pontificiæ arcana attingerentur, prætendere potuit, ut in nihilum recideret, quicquid illa Synodus *in Spiritu S. legitimé congregata* minùs gratum acceptúmque Pontifici decerneret. Tam proficua sunt Romanis Pontificibus pauca illa verba Christi, *pasce oves meas,* quæ tamen officium potiùs omnibus veri divini ministris commune, quàm pri-

privilegium ejuſmodi omni exceptione majus complectuntur. *Septimò* attentatæ à Pontifice reformationis curiæ Romanæ ſpecimen, totius reformationis, qualem Pontifices animo conceperant, & magnificis verbis jam pridem promiſerant, perſpicua imago eſt. Nempe Pœnitentiariæ ſuæ emendationem aggreſſus, facultates eas, quas in variis cauſis beneficiariis, & exteriorem fratrum Regularium diſciplinam ſpectantibus exercere conſueverat, ei abſtulit, ſed ita, ut eadem à Dataria adeóque idem diverſa via, & majore duntaxat ſumptu impetraretur. Ita parturientibus montibus ridiculus mus prodiit. *Octavò* denique timiditatis Concilii documentum præbuit oborta contentio ob Præſulum Hiſpanorum poſtulatum, ut videlicet declaretur, Concilium continuari, non novum celebrari. Quam declarationem definire Synodus non ſuſtinuit, metu partium, quarum altera continuationem, altera novam celebrationem, abolitis videlicet ſuperioribus decretis, inſtitui pertendit.

SESSIO XX.

Quæ eſt Quarta

Sub Pio IV. Pont. Max.

Celebrata die 4. Junii 1562.

Decretum prorogationis Seſſionis.

Sacro-ſancta Oecumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis, propter varias difficultates, ex diverſis cauſis exortas, atque etiam ut congruentiùs, majorique cum deliberatione omnia procedant: nempe ut dogmata cum iis, quæ ad reformationem ſpectant ſimul tractentur & ſanciantur, ea, quæ ſtatuenda videbuntur tam de reformatione, quàm de dogmatibus, in proxima Seſſione, quam omnibus indicit in diem ſextam decimam ſubſequentis menſis Julii, definienda eſſe decrevit. Hoc tamen adjecto, quòd dictum terminum ipſa Synodus pro ejus arbitrio & voluntate, ſicuti rebus Concilii putaverit expedire, etiam in generali congregatione reſtringere & prorogare liberè poſſit & valeat.


HISTORIA SESSIONIS XX.

FInito consessu Cæsar intellexit, propositum esse Synodo declarare continuationem. Quâ re graviter commotus, siquidem succederet institutum, Oratores suos Tridento se evocaturum minatus est, & iisdem, ut promulgatione non expectata, si deliberationem suscipi cognoscerent, Tridento discederent, imperavit. Curia etiam Romana de Patribus Concilii, inprimis Legatis Mantuano, Scripando & Warmiensi quiritari non destitit. Vicissim Præsules Tridentini, Hispani præsertim, de Pontifice & aulicis acerbis querimoniis omnia complent. De illo, *quòd Synodum servitute premeret, cui cùm liberam de rebus omnibus agendi, statuendique facultatem absque interpellatione retinere teneatur, nihil tamen neque Synodo proponeretur, nisi quòd Legatis placeret, iisque Româ præscriberetur; neque postquam propositum in medium, liberum esset de eo sententiam proferre, etiamsi nonnunquam septem Episcopi consentirent: tum quòd Synodus leges accipere debeat eorum, quæ tractanda sunt, simúlque eorum, quæ tractata sunt, limitationes, emendationes & decreta: tum quòd Synodo intersint plusquam 40. Præsules, quorum aliis triginta aureorum, aliis usque ad sexaginta coronatorum menstruum congiarium à Pontifice pensitetur; cæteris verò plerísque Cardinalium, aliorúmque aulicorum literis metus intentetur. Quæ cùm ita habeant, causam non esse, cur legitimum hoc Concilium dici mereatur.* De Aulicis quoque Patrum querelæ percrebescebant, *quòd cùm ipsi emendationem pati non possint, fas tamen sibi esse putent calumniari, increpare, censoria virgula omnia, quæ ad Divini nominis cultum facerent, perstringere; cúmque contra reformationem adeò se obstinaverint, majores etiam turbas ab iis expectandas, ubi ad reformationem perventum fuisset.* In conventu plurium Episcoporum certatum est acerrimè inter Paulum Æmilium Verallum Episcopum Caputaquensem, & Bellajum Episcopum Parisiensem, quorum hic sententias Patrum non numerandas, sed ponderandas pertenderat, illo repugnante, & dictitante, Episcopos omnes æquali esse conditione. Quæsiverat ex Verallo Bellajus, *quot animas cura sua subjectas haberet?* Respondente eo, *quingentas,* regessit, *si inter personas comparatio instituatur, se quidem cedere paratum: sin ratio habeatur eorum, quos utrique repræsentant, æquum non esse, ut qui pro quingentis hominibus, cum eo, qui pro quingentis millibus verba faciat, æquiparetur.* Die 26. Maji in Congregatione generali comparuere Caroli IX. Regis Galliarum Oratores, Lansacus, Renaldus, (alii Arnoldum vocant) Ferrerius & Guido Faber, qui postremus orationem habuit, Patribus plerisque parùm acceptam, cui proinde in præsentiarum nihil à Synodo responsum. Inter alia etiam hæc in verba disseruit: *Sicut ii homines comprimendi mihi semper visi sunt, qui arbitratu suo, vel potiùs libidine, sine auctoritate, sine ullo decreto, ceremonia-*

rum omnem penitus rationem convellentes, impium quendam cultum, ritúsque novos induxerunt: Sic contra à nobis peccari fortaſſe poteſt, dum omnia, quæ Seculis muniuntur, & vetuſtate, mordicus retinenda eſſe putamus: neque ſatis ſpectamus, quid inclinatio rerum, quid momenta temporum, quid publica quies poſtulet. Nonnulla, atque haud ſcio an veriùs dixerim, multa communi concordiæ permittenda ſunt, neque quiſquam à dignitate ſua vel conſtantia alienum putare debet, aliquid alteri condonare potiùs, quàm obſtinatione rectæ ſententiæ tantam inter Chriſtianos diſſenſionem alere. Poſtea ſigillatim explicat tentationes Sathanæ, quibus is uſus ſit ad patres ſeducendos, quibus ſi aurem illi commodaturi ſint, omnem Concilii auctoritatem mox interituram. Præterita Concilia pleraque caruiſſe fructu, quia minùs legitima, minúſque libera illa fuerint. *Quòd ſi,* inquit, *in privatarum rerum Judiciis, de fundo & ſtillicidio ubi agitur, ſententiam ſuam ad alicujus gratiam accommodare turpe haberi debet, & ſeveriſſimis legibus noſtris vindicatur; quónam quæſo ſupplicii genere digni ſunt, qui de rebus divinis conſcripti Judices, dignitatis parùm memores, in cenſendo vel auram captant popularem, vel principibus, quibus obnoxii ſunt, turpiter ſe venditant, vel ex aliorum dictatis & perſcriptis, togata tanquam mancipia, ſententiam ferunt? Æternis certè tenebris & vinculis leves iſti & nummarii Judices mandandi ſunt. Hanc querelam habuit ætas ſuperior. Ne idem quoque poſteri, qui incorruptè judicaturi ſunt, de vobis exiſtiment & loquantur, magnopere eſt providendum. Atque etiam ut tecti ad homines eſſe poſſitis, ad Deum immortalem qui poteritis eſſe? Videtis quid in calculo ponendo ſpectemus, quid in ſuffragiis & ſententiis ſequamur, num Imperatorum, aut Pontificum, aut Regum liberalitates erga nos turpiſſimo obſequii genere, gratioſo ſcilicet calculo, & judiciariis tabellis provocare atque elicere cupiamus.* Mox ſubjicit: *Quamobrem excitamini patres, &c. Et cùm ex nonnullorum fortaſſe Conciliorum invidia hæc Synodus laboret, curate, ut omnes intelligant, abiiſſe illud tempus, mutatam eſſe rationem, patere nunc aditum unicuique ad diſputandum, non flammis hic diſceptari, non fidem frangi, non præjudiciis agi, veritatis diſceptationem integram eſſe, Spiritum ſanctum hic adeſſe, præſidere, &c.* Iidem Oratores poſtridie apud Legatos Præſules Gallos, quòd nondum advenerint, excuſant, ſimúlque Regis nomine petunt, uti diſertis tandem verbis declaretur, non continuari Concilium, ſed novum indictum eſſe, quandoquidem eam controverſiam Papa à Rege Galliæ de eo interpellatus ad Concilium rejecerit. Legati ſcripto reſpondent, *ſe Epiſcoporum abſentium excuſationes accipere, penes ſe autem non eſſe, declarare, hanc Synodi indictionem novam eſſe, ſed tantùm juxta Pontificii diplomatis tenorem & arbitrium Synodi ibi præſidere.* Reſponſo hoc Galli Oratores acquieſcentes, deliberatione cum Cæſareis habita, ſtatuerunt ulteriùs non procedere, quandiu in actis Synodalibus mentio nulla *continuationis* habeatur. Quòd verò arbitrio Synodi ſe præſidere dictitarent Legati, Hiſpanorum ſermonibus occaſionem

 præbuit.

præbuit. Dicebant enim, *Legatos verbis se Concilio subjicere, at factis eidem imperitare.* Granatensis addebat, *verè absolutum, plenúmque esse illud in Concilium dominium, uti Legatis servis suis in omnes occasiones, actúsque, etiam ut dominando heri partes agant.* Posthac cùm Legati Sessionem in sequentem nihil proponerent, Hispani Præsules Residentiam in Synodo tandem definiri expetunt, eò quòd & Præsulum pars major, & in his nominatissimi quique decisionem deposcant. Instant etiam unà cum Cæsareis, ut dogmatum tractatio in adventum usque Protestantium differatur, cùm supervacuum sit nemine contradicente de iis disputationem instituere, in primis cùm alia non desint, de quibus inter omnes conveniat, nempe morum reformatio. Respondent Legati, *residentiam definitu difficilem esse, eò quòd materia non satis sit digesta; nec sufficiat tempus consessui destinatum ad eam explanandam. Sed & negotium reformationis videri quidem facile, sed valde arduum esse, quippe quod in beneficiorum dispositione consistat, cujus abusus à Regibus & Principibus potissimùm proficiscatur.* Adeò autem crevit animorum ardor, ut inter Præsules Transmontanos plerosque convenerit, interposita protestatione discedere. Et discesserant, nisi Oratores eos, ne inde Pontifex occasionem Concilii abrumpendi atriperet, cohibuissent. Successit Sessio XX. die 4. Junii, in qua post lecta Episcopi Salzburgensis & Regis Galliarum mandata, Promotoris ad orationem Guidonis Fabri Gallici Oratoris Responsum perhibitum, & Decretum ipsum recitatum est. Responsum autem Promotoris, Cardinalis inprimis Altempsii consilio, utpote qui author fuit, *ut hominis illius forensis, qui cum plebejis solis agere consueverit, insolentia retunderetur,* aculeatum satis & στηλιτευτικὸν fuit. Inter alia regessit, *Tridentinum hoc Concilium aliorum Conciliorum invidia minimè laborare, cùm clarum sit, sacra, generaliáque Concilia, ritè Christi Spiritu ab eo, qui potestatem habeat inchoata, ritéque absoluta, & legitima semper fuisse habita & libera. Nec adversus Tridentinum Concilium Sathanæ insidias ac fraudes Christi Spiritu Præsidente prævalituras. Sedulam & liberam Legatorum admonitionem de aura populari non captanda meliorem in partem interpretari Synodum, ne quid præter mansuetum, piúmque propositum atque constitutum suum respondere cogatur: eam tamen non necessariam & superfluam existimare. Utq; Oratoribus inanem, quo percelli videantur, metum adimat, & unà propositum suum reique veritatem aperiat, iis prædicere, ex effectibus aliquando appariturum, Concilium cujuscunque hominis aut Principis cupiditatem, voluntatem & potentiam, post propriam dignitatem & authoritatem habere.*



NOTÆ

NOTÆ
Ad Historiam & Decretum Sessionis XX.

PRimò Præsulum Concilii, Hispanorum inprimis, de misera Concilii ad Pontificis & Legatorum imperia projecti servitute, gravis fuit & multis, justísque rationibus munita querela, cujus conclusio huc exiit, *non mereri hoc Concilium legitimum dici.* Habemus igitur Patres αὐτοκατακρίτους, & reos confitentes, quòd legitimum Christianúmque hoc Concilium minimè fuerit. *Secundò* disceptatio Æmilium Verallum inter & Bellajum de suffragiis non numerandis, sed appendendis, animadversione digna est. Confirmat enim & in memoriam nobis revocat Andreæ Dudithii Quinqueecclesiensis Episcopi, qui & ipse Concilii pars fuit, querelam, quæ extat in Epistola ad Maximilianum II. in hæc verba: *Quid profici potuit in eo Concilio, in quo numerarentur, non suis momentis ponderarentur sententiæ? Si causâ, si ratione pugnandum fuisset; si pauci quidam socii nobis adfuissent, viceramus, quamvis pauci, magnas copias adversariorum. Sed cùm numerus tantùm prodiret in aciem, quò longè inferiores futuri fuissemus, in optima causa victores discedere non potuimus. Singulis nostrûm centenos de suis Papa potuit opponere: ac si centeni parùm multi viderentur, repente mille creare potuit, quos suis laborantibus subsidio mitteret. Itaque videre erat quotidie famelicos & egentes Episcopos, ex majori parte barbatulos adolescentes, luxúque perditos Tridentum volitare, conductos ad sententiam secundùm Papæ voluntatem dicendam, indoctos illos quidem & stolidos, sed tamen impudentia & audacia utiles, &c.* Sic facilis & in manibus fuit Pontifici victoria. *Tertiò* Guidonis Fabri Gallici Oratoris ad Patres dicta cedro digna Oratio prodit, quo loco Galli Concilia Pontificia, ac nominatim etiam Tridentinum sub Julio III. & Paulo III. habuerint. Non obscurè in eo sugillat obstinationem Patrum in retinendis omnibus iis, quæ consuetudine invaluerant, judices leves, nummarios, togata mancipia, nullo non supplicii genere digna, gratiosos calculos, aliaque ejusmodi verissimè pronunciata. Quæ omnia Promotor Concilii apertè refellere non ausus est, utpote qui responso suo quamvis aculeato objectum Concilii dedecus declinavit potiùs quàm excepit. *Quartò* Hispanorum Præsulum, inprimis Granatensis querela de Legatis Pontificis quidem servis in omnes occasiones actúsque, at Concilii heris ac dominis iterum miseram Concilii servitutem manifestè demonstrat. *Quintò* Legati ab argumento *residentiæ & reformationis* tractando adeò abhorruerunt, ut Episcopi Transmontani plerique victi tædio tergiversationis & contumaciæ ipsorum discedere ex Concilio constituerint. Est & hoc Papatus ἀθεωρ-

πάντα indiciis manifestis accensendum. Patet enim hinc, ipsorum etiam Præsulum in emendanda Romana curia studium vanum, irritúmque fuisse.

SESSIO XXI.

Quæ est Quinta

Sub Pio IV. Pont. Max.

Celebrata die 16. Julii 1562.

De Communione sub utraque specie & parvulorum.

Cap. 1.

Sancta Synodus declarat & docet, nullo divino præcepto Laicos & Clericos non conficientes obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum, neque ullo pacto (salva fide) dubitari posse, quum illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat, quod sacrarum literarum testimonio comprobatur.

Cap. 2.

Declarat hanc potestatem perpetuò fuisse in Ecclesia, ut in sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum locorúmque varietate, magis expedire judicaret. Quam auctoritatem in se agnoscens sancta Ecclesia, usum nascentis Christianæ religionis communicandi sub utraque specie, mutatum jam progressu temporis videns, justis causis persuasa, hanc consuetudinem communicandi sub altera specie approbavit, & pro lege habendam decrevit: quam reprobare, aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libitu mutare non licet.

Cap. 3.

Declarat etiam, fatendum esse, etiam sub altera tamùm specie, totum atque integrum Christum, verúmque Sacramentum sumi: atque adeò nullâ gratiâ necessariâ ad salutem eos defraudari, qui solam unam speciem accipiunt.

Cap. 4.

Cap. 4.

Denique docet, parvulos usu rationis carentes, nulla obligari necessitate, ad sacramentalem Eucharistiæ communionem, siquidem adeptam in baptismo gratiam, illa ætate amittere non possunt. Neque tamen ideò damnata antiquitas est, si eum morem pro illius temporis ratione, alicubi nonnunquam servavit.

Canones de Communione.

Canon 1.

Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, Anathema sit.

Canon 2.

Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam Catholicam non justis causis & rationibus adductam fuisse, ut Laicos, atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errâsse, Anathema sit.

Cap. 3.

Si quis negaverit totum & integrum Christum, omnium gratiarum fontem & auctorem, sub una panis specie sumi, quia (ut quidam falsò asserunt) non secundùm ipsius Christi institutionem sub utraque specie sumatur, Anathema sit.

Canon 4.

Si quis dixerit, parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, Anathema sit.

Decretum de reformatione in eadem Sessione publicatum.

Cap. 1.

Neque Episcopi, neque alii Ordinum collatores, aut eorum ministri, quovis prætextu aliquid accipiant, pro collatione quorumcunque Ordinum, etiam clericalis tonsuræ, neque pro literis dimissoriis, neque pro sigillo, aut aliqua alia causa, etiam si id sponte offeratur. Notarii verò, in iis solùm locis, ubi & consuetudo accipiendi invaluit, & salarium nullum habent, decimam tantùm partem unius aurei, pro singulis literis dimissoriis aut testimonialibus accipere poterunt.

Cap. 2.

Ne cum ordinis dedecore sacris ordinibus initiati mendicent, aut sordidum quæstum captent, nullus deinceps clericus sæcularis (licèt idoneus scientiâ sit & ætate) ad sacros

sacros

cros ordines promoveatur, nisi legitimè constet, eum beneficium Ecclesiasticum possidere pacificè, quod sibi honestum suppeditet victum: neque illud beneficium resignare possit, nisi facta mentione, quòd ad ejus beneficii titulum sit promotus: neque ea resignatio admittatur, nisi aliunde commodè vivere possit: aliâs facta resignatio nulla censeatur. Neque patrimonium obtinentes, aut pensionem, ordinentur, præter illos, quos Episcopus necessarios vel utiles Ecclesiis suis duxerit. Hos autem Episcopus non initiabit sacris, nisi & fraudem in possessione eorum substantiæ abesse perspexerit, & ad vitam degendam sufficiens sit, & sine licentia Episcopi, illa alienari aut extingui vel remitti nullatenus possit, nisi aliunde ad vitam transigendam necessaria adepti sunt.

Cap. 3.

In Ecclesiis tam Cathedralibus quàm Collegiatis, in quibus aut nullæ, aut tam tenues sunt distributiones quotidianæ, ut negligantur, tertia pars fructuum omnium Canonicatuum, dignitatum, &c. separetur, & in distributiones quotidianas convertatur, & secundùm proportionem justam ab Episcopo dividatur. Salva tamen consuetudine Ecclesiarum, in quibus non residentes vel servientes, nihil aut minùs tertia parte fructuum percipiunt. Quòd si qui in non serviendo contumaces sint, contra eos juris & Canonum sacrorum sanctionibus procedatur.

Cap. 4.

Episcopi, in Ecclesiis ubi viderint unum rectorem non posse sufficere, sacramentis ministrandis, & divino cultui peragendo, cogant rectores, & alios, ad quos hæc res spectat, tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficere arbitrabuntur: & novas Parochias etiam invitis rectoribus constituant, ubi cognoverint esse necessarias, juxta constitutionem Alexandri tertii (quæ incipit, ad audientiam) & portionem assignent congruentem sacerdotibus, quos novis Ecclesiis præficient, ex fructibus Ecclesiæ matricis. Imò si sit necesse, populum cogant Episcopi, ea subministrare, quæ sufficiant ad vitam horum sacerdotum sustentandam, neque ab hac re ulla ratione impediri possint.

Cap. 5.

Liceat etiam Episcopo facere uniones perpetuas Ecclesiarum quarumvis, beneficiorúmque etiam Curatorum, si ipsarum hoc exigat paupertas, aut alii casus jure permissi. Neque hæ uniones possint revocari, aut quoquo modo infringi causa resignationis &c.

Cap. 6.

Episcopi illiteratis imperitisque Ecclesiarum Parochialium rectoribus (licèt alioquin vitâ sint honestâ) coadjutores aut Vicarios pro tempore deputent: & fructuum partem eisdem pro victu sufficienti assignent, vel aliter provideant. At verò eos rectores, qui turpiter & scandalosè vivunt, post admonitionem, coërceant & castigent: qui si adhuc per-

[illegible] in [illegible] Episcopis priventur beneficiis, nulla appellatione aut exceptione [illegible], ut sacri Canones sanxerunt.

Cap. 7.

[illegible] transferre possint beneficia simplicia (etiam Juris Patronatus) ex Ecclesiis [illegible] neque instaurari possunt (vocatis iis, quorum interest) in matrices vel [illegible] vicinorum: atque in eisdem Ecclesiis [illegible] vel [illegible] sub [illegible] invocationibus. Parochiales vero Ecclesias (etiamsi sint Juris [illegible]) [illegible], reficit & instaurari procurent: quod si proventus earum huic reparationi non sufficiunt, Patronos aut Parochianos ad id opportunis cogant remediis [illegible] transferantur. Quod si nimia omnes egestate laborent, ad matrices seu vicinores [illegible] Ecclesias dirutas in prophanos usus, non tamen [illegible].

Cap. 8.

[illegible] Prioratus & Praepositurae in quibus non [illegible] beneficia etiam curata, saecularia & regularia, quocunque [illegible] exempta, ab Episcopis annis singulis visitentur, qui operam [illegible] debentur [illegible], posthabita [illegible]. Quod si regularis in eis locis vigeat observantia, [illegible] Episcopi, ut & superiores [illegible] sua regula vitam componant & subditos in [illegible]. Quod si [illegible] superiores intra sex menses, eos non visitaverint & [illegible] Episcopi eos visitare possint, perinde ac superiores juxta earum in[illegible], &c.

Cap. 9.

[illegible] & usus penitus ab omni Christiana Republ. [illegible] adversantur nec [illegible] concessa Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, &c. [illegible] deinceps per ordinarios locorum, adhibitis duobus de Capitulo [illegible] publicentur, qui nulla prorsus mercede [illegible] eleemosynas [illegible] fideliter [illegible] Ecclesiae thesauros non ad quaestum, sed ad pietatem exercere [illegible].

HISTORIA SESSIONIS XXI.

D[illegible] Anno 1562. habita est generalis congregatio, in qua [illegible] sunt articuli sex, communionem sub utraque specie [illegible]. [illegible] autem Oratores Galli ac pleraque etiam Prae-

 sules

sules hactenus pertenderint, de dogmatibus priùs tractandum non esse, quàm constet, utrum Protestantes Concilio interesse velint necne, tamen nunc quæstione habitâ nemo se opposuit, omnibus propter sedula Cæsareanorum officia spem concipientibus, fore, ut calicis communio impetrari posset. Interea residentiæ declaratio à nonnullis Patribus urgetur, quæ res turbis occasionem dedit, ægrè tandem à Cardinale Mantuano sopitis, postquam is fidem interposuit, fore, ut in ea sessione, in qua de Ordinis Sacramento tractabitur, etiam ea controversia definiatur. Quæ Mantuani promissio Cardinalem Simonetam adeò vehementer commovit, ut offensio ea in manifestum dissidium proruperit. Postero die Cæsarei Oratores Legatos adeunt, & viginti super Reformatione postulata ex mente Cæsaris iis proponunt. Ea, utpote observatu dignissima, apponere non pigebit.

1. *Orandum summum Pontificem, ut se ipsum & Curiam Romanam reformari benignè patiatur.*

2. *Ut numerus Cardinalium reducatur, si non ad duodenarium, saltem ad duplicatum, cum duobus supernumerariis, nempe XXVI.*

3. *Providendum, ne fiant ampliùs dispensationes scandalosæ.*

4. *Revocandas omnes exemptiones contra jura communia passim concessas, Monasteriaque omnia sub Episcopi potestate constituenda, sub cujus sunt diœcesi.*

5. *Tollendam prorsus pluralitatem beneficiorum, & statuendum, quòd singulæ Ecclesiæ Cathedrales, & Collegia singulas erigant Scholas. Et quod Ecclesiastica officia non dentur conductitiis presbyteris.*

6. *Episcopos omnino ad residentiam cogendos, nisi in extrema Ecclesiæ necessitate, ut officia sua per se ipsos, non per vicarios exerceant. Quòd si Episcopi non sint idonei, vel potentes, non uni vicario totius diœcesios curam mandandam, sed pluribus personis. Insuper visitationes, diœcesanásque Synodos quotannis habendas.*

7. *In Ecclesia omnia ministeria gratis præstanda, & quæ sunt adeò tenuis reditûs, ut ministeria Ecclesiæ, absque quotidianis emolumentis nequeant supportare, incorporanda cum aliis beneficiis, non curatis pinguioribus.*

8. *Revocandos in usum veteres Canones contra Simoniacam pravitatem.*

9. *Constitutionum Ecclesiasticarum multitudinem non nihil contrahendam, superfluis resectis, neque prælatorum sanctionibus obligationi juris divini æquiparatis.*

10. *Excommunicatione non utendum extra casum peccati mortalis, & notoriæ irregularitatis.*

11. *Officia divina diligenter & devotè celebranda, quæ aliquando ita præcipitatè à celebrantibus proferuntur, ut nec ipsi se intelligant, nec ab aliis intelligantur.*

12. *Breviaria & Missalia purganda, resecandaque omnia, quæ non ex divinis sunt*

ſunt [illegible] *prolixitatem Pſalmorum & Orationum, habito delectu, contrahendam.*

13. [illegible] *qua Latino ſermone peraguntur, preces linguâ vernaculá ſidelibus* [illegible]

14. [illegible] *Monaſticum ad primitivam inſtitutionem redintegrandum,* [illegible] *tam flagitiose diſſipentur.*

15. [illegible] *ſacro Concilio, an non res ipſa efflagitet aliqua juris poſitivi* [illegible] *aliquid remittere ſuper diſcrimine ciborum, jejuniis, &* [illegible] *concedendo.*

16. [illegible] *in animos, tollendas multiplices Evangeliorum* [illegible] *per peritos Theologos faciendam: & ſimiliter novam* [illegible] *quam Parochi omnes recipere teneantur.*

17. [illegible] *non ad malos Parochos expellendos, quod eſſet* [illegible]

18. [illegible] *in* [illegible] *Provinciis erigendos, & opulenta cœnobia in* [illegible]

19. [illegible] *Eccleſiaſtica in alios uſus converſa & diſtracta, præſtitare* [illegible] *injuriæ.*

20. [illegible] *dare operam debere, ne quæſtiones inutiles, quæ* [illegible] *an ſit reſidentia de jure divino, necne? aut ſimiles, pro*[illegible] *non patiantur ſaltem Patres effundi in bilem, nec* [illegible]

[illegible] *arbitris capto reſpondent, cum in proxima* [illegible] *de communione Calicis definiri debeat, aliud interea* [illegible] *Oratoribus, ita reſponderi, ut Cæſaris* [illegible] *Viſum igitur iis è re, ut Cæſar per Epiſcopum Pra*[illegible] *ad ipſum ablegatum de totius Concilii ſtatu certior redderetur.* [illegible] *parum ex animi ſententia ſuccederent, & Pontificem* [illegible] *Leonhardum* [illegible] *Archiepiſcopum Lan*[illegible] *Romam ad Pontificem* [illegible]*dant, eique, ut de rerum & an*[illegible] *ſtatu apud Pontificem referret, Legatos excu*[illegible] *omnibus modis placatum iret, in mandatis exhibent. Fer*[illegible] *Romanos inter & Tridentinos Præſules, non* [illegible] *offenſionibus & commutationibus. Deplorabant Tridentini* [illegible] *ac planè deploratam ſpem eccleſiæ* [illegible] *Romani contra querebantur* [illegible] *a ſede Apoſto*[illegible] *non tam depreſſionem quam ab*[illegible] *Sed Pontifex & præſentibus &* [illegible]

periculis

periculis ſuis prævortendum ratus,primò militem conducere ſtatuit, nimirum quater mille Helvetios,& ter mille Germanos equites: deinde Sabaudiæ Principi pecuniam deſtinat,ut ſuos armaret ad reſiſtendum Hugonottis,ſi pars penetrare in Italiam tentarent: denique ut Principes omnes inèſcaret,conſtituit cum iis pangere fœdus defenſivum contra Proteſtantium ubicunque locorum machinationes, facilem omnium aſſenſum ſibi ſpondens,ſaltem hoc intuitu, ut mutuis ſuſpicionibus ſinguli ſe liberarent. Sed fefellit Pontificem ſpes,ne uno quidem Principe fœdus ratum habente,ſingulis propriam aliquam cauſam allegantibus, ſed communem unam, fore, nimirum hac ratione,ut Concilii progreſſus impediatur. In Cardinalium conſiſtorio prolixam de Oratoribus querelam inſtituit. De Gallo Lanſaco *inprimis,quòd in poſtulatis ſuis videatur Orator Hugonottorum,eò quòd & Proteſtantes,pro hoſtibus ac perduellibus pridem denunciatos,in Concilio exſpectandos pertendat, & Pontificem Concilio ſubjicere,unà cum aliis moliatur; & in menſa multis Præſulibus coram dixerit,tot è Gallia & Germania Epiſcopos venturos,ut idolum illud ROMA profligaturi ſint.* De reliquis etiam Oratoribus,quòd in *Concilio Hugonottorum inſtar vivant, neque Sacramento reverentiam debitam exhibeant.* Cardinales Mantuanum, Seripandum & Warmienſem galero Cardinalitio indignos eſſe pronuntiat. De Præſulibus ſingulis qualibet occaſione quiritatur,eorúmque amicos urget,ut per literas officii monerentur. Quæ omnia ab eo gerebantur,dicebantúrque non linguæ aliquâ intemperantiâ,ſed de induſtria, ut variis artibus unumquemque, hunc pudore, illum metu, alium civilibus officiis ad ſui excuſationem impelleret, adeóque omnes lucrifaceret, vel certe cautiores & circumſpectiores,ac offenſionum pavidos redderet. Atque id adeò illi feliciter ſucceſſit,ut ipſe poſtea jactaverit,artibus his hoc ſe conſecutum eſſe,*ut omnes contra ipſum antea fœderati,nunc in ipſius gratiam conſpiraturi ſint: eò quòd ipſius ope omnes indigeant, & ſuſpectus unus, gratus alius requirat.* Præterea Tridentum miſit ſecretum miniſtrum Carolum de Vice Comitibus,Epiſcopum Ventimiglienſem, cui in mandatis dedit,*ut cum diverſis ea coràm tractaret quæ chartis inſerenda non viderentur,Legatorum diſſenſiones,eorumque cauſas,Epiſcoporum affectus,opiniones,artes,Mantuani actiones, aliáq; quæ momenti alicujus viderentur, obſervaret, & ſigillatim perſcriberet; cum Simonetta conſilia communicaret; Reſidentiæ declarationem impediret; ſi id non poſſet,efficeret,ut ad finem uſque Synodi differretur, vel certe in longum extraheretur.* Eidem ſchedulas exhibuit, in quibus conſignati erant Pontificiæ cauſæ fautores, quos promiſſa gratitudine animari juſſit. Adverſarum verò partium Præſules quomodo tractandi ſint, ejus arbitrio permiſit; atque id duntaxat monuit, ut vegetis apud eos interminationibus, ſed ſine verborum acrimonia, uteretur, & anteactorum

oblivionem

[illegible] promitteret. De omnibus autem his Cardinalem Borromæum certiorem [illegible] jussit. In Mantuanum porro Legatorum Principem, quod [illegible] tractationem Patribus promisisset, & Camillum Olivum ejus Secretarium, Pontifex palam indignationis suæ virus effundendum censuit. In Mantuanum quidem, dum mandata, quæ hactenus illi, utpote primario Legato, Roma mittebantur, non ad ipsum ampliùs, sed ad [illegible] præcepit, & ejus nepotem Gonzagam ex albo Cardinalium Romæ Tridentinis consultationibus præpositorum expungit, eique per Borromæum [illegible] jubet, *Cardinalem patruum suum de evertenda sede Apostolica [illegible] in ipsius caput, & familiæ ejus ruinam redundatura.* Camillus [illegible] post heri sui mortem ab Inquisitoribus Mantuæ in carcerem detrusus, multaque indigna perpessus est. Dum ita Pontifex affectus est, Romam venit Archiepiscopus Lancianensis, qui in Legatis & Præsulibus excusandis, & Pontifice demulcendo operam adeò sedulam navavit, ut Papa maximam inde lætitiam conceperit, & in admirationem raptus [illegible], *[illegible] linguas & nequiores calamos, Legatos & Patres longè aliis [illegible] depinxisse.* Itaque Lancianensem cum literis ad Legatos aliósque Patres [illegible] Tridentum remittit, eique mandat, *ut cunctis suo nomine [illegible] Concilium velle liberum, neque alieno & offenso animo se esse, quòd Præsules [illegible] in sententia suffragentur, sed magis ob negotiationes & artes, quibus [illegible] ac [illegible] vis quædam afferri videtur, nec non ob contentiones & [illegible] inter ipsos natam.* *Non intercedere se, quò nimiùs residentia [illegible], sed [illegible], et [illegible] animorum fervorem, qui transversos abripit, desiderare [illegible].* *Cardinali verò Mantuano ut significet, se cum gaudio ipsius innocentiam per[illegible], & [illegible] testatorem. Orare duntaxat, uti annitatur, quò Syn[illegible] habeat.* In communibus ad Legatos literis monuit, *ut vestigia Concilii [illegible] Julio [illegible], eaque eo Concilio digesta repetentes, eas continuò, sine facto, [illegible].* Interea Tridenti in Congregationibus inde à 9. ad 23. Junii usque, Patres Theologorum de sex articulis superius propositis opinionibus [illegible] vacant. Ac *primi* quidem de necessitate communionis sub utraque [illegible] differentes, eam nullam esse, quamvis diversis rationibus [illegible]. *Secundo* varias rationes afferunt, ob quas calix laicis communicandus non sit. *Tertio* concomitantiæ doctrinam stabiliunt. Subibat disputatio, *an qui Christum sub una specie sumunt, omnes gratias recipiat?* aliis [illegible] negantibus aliis. Sed & Amans Servita Brixianus, Episcopi [illegible] Theologus, efficacibus argumentis concomitantiam oppugnatio. *Quod [illegible]*, concitato Patrum strepitu factus timidior, se exercitii duntaxat gratia fecisse ajebat. *Quarta* agitabatur quæstio: *An usus cali-*

cis concedi debeat, in gratiam Germanicæ Nationis, vel alterius cujuscunque? Negabant strenuè Hispani, aliique partibus illorum addicti. Franciscus Porierus Lusitanus affirmavit, *Principes eos, qui calicem postulant, Concilii permissu Lutheranos evadere velle.* Franciscus verò Turrensis Jesuita dictum Cardinalis S. Angeli summi Pœnitentiarii laudabat: *Sathanam solitum se transformare in Angelum cœlestem, nunc verò sub calicis & sanguinis Christi involucro & operimento hortari ad calicem venenatum populo propinandum.* At qui Cæsaris Principumque partibus favebant, charitatem Christianam urgebant, quæ jubeat infirmis fratribus aliquid condonare, necnon diversam diversorum temporum rationem. *Quintò* iidem posteriores, quibus legibus conditionibúsque calicis usus concedendus sit, disputant, aliis conditiones à Paulo III. fixas, aliis non tam conditiones, quàm remedia periculorum seu incommodorum, quæ vulgò jactantur, opponenda contendentibus. *Sextò* denique de Sacramenti Eucharistiæ necessitate & infantum communione actum. Finitis Theologorum Congregationibus Legati inclinavêre ad calicem Laicis concedendum iis conditionibus, quas Paulus III. fixerat. Proin congregati cum intimis suis, super articulis 1. 4. & 5. sepositis reliquis decretum formant. Postea accersitis in Congregationem Præsulibus proponunt, an placeat ea decreta confecta dari, ut de iis in prima Congregatione sententiæ promantur? Cúmque hîc Granatensis Archiepiscopus de ordine articulorum controversiam moveret, atque ipsum inter & Thomam Stellam Episcopum Justinopolitanum paulò acrior contentio exoriretur, salibus & dicteriis de industria, uti sæpe aliàs, ad dissolvendum conventum factum fuit, sparsis, conventus finitus est. Die 27. Junii. Augustinus Baumgartner Bavariæ Ducis Orator in Congregationem admissus, habitâ oratione prolixâ religionis in Bavaria statum commemorat, omnia Zwinglianis, ac Lutheranis scatere, & contagionem eam non plebem duntaxat, sed nobiles etiam invasisse queritur, ejus rei causam perhibet impuram Cleri vitam, & immania flagitia, ac concubinatum adeò frequentem, *ut è centum Sacerdotibus vix tres reperiantur, quatuórve, quos ea labes non attigerit, aut qui non clam vel palàm matrimonium contraxerint*; denique ad commodam ecclesiæ reformationem, quæ dogmatum tractationem præcedere debeat, tria jussu Principis sui postulat, nimirum *ut Scholæ & Academiæ erigantur: Sacerdotibus conjugium permittatur, & laicis calix restituatur.* Orationi quamvis aculeatæ benignè tamen Synodus per Promotorem respondet, quod Gallos Oratores asperiùs longè exceptos malè habuit. In eadem Congregatione Ferdinandi Cæsaris Oratores scripto Legatis exhibito, quantum in calicis concessione momentum positum sit, non Bohemorum duntaxat, sed Germanorum Pontificiorum etiam, quorum nomine Cæsar

Synodum

Synodum [illegible] fusè declarant, & Cæsarem petere, *ut fas sit Archiepiscopo Pragensi [illegible] Sacerdotes Calixtinos*; idem poscere in Regni gratiam [illegible]; imo & in Hungaria cogi Sacerdotes ipsis ministrare calicem, bonorum, imo capitis periculo intentato, narrant; orántque [illegible] fortem miserentur. Finita Congregatione Patres [illegible] tractatione, fusius tamen denuò quæstionem illam [illegible] communicantes plus duabus speciebus, an una recipiant; [illegible] sed id duntaxat concludunt, *totum Christum gratia- [illegible]*. Porrò eodem tempore Episcopi illi, qui Residentiam [illegible] urgebant, ac inter hos Episcopus Mutinensis, Episcopus [illegible], Julius Pavesius Archiepiscopus Surrentinus, Petrus Paulus [illegible] Episcopus Aquensis, aliique, tum quòd se exosos animadverterent, [illegible] in incœpto persisterent, magnum malum metuentes [illegible] Tridento veniam à Legatis implorant simul & impetrant. [illegible] etiam, nisi moram injecisset Orator Lusitaniæ, [illegible] posse citra famæ & existimationis Concilii [illegible] exclamaturis, exulare à Synodo libertatem, & [illegible] sese comparaturis. Die 4. Julii Congregatio [illegible], ut de articulis reliquis suffragia ferantur. Oratores igitur Galliæ Legatos monent, ut circa communionem calicis de [illegible], quia iis in rebus, quæ juris sunt positivi, [illegible] sint, utque prærogativæ Regum suorum, qui [illegible] calicem accipere consueverint, præjudicium nullum [illegible]. [illegible] ad eludendam hanc petitionem multa Legati comminiscuntur, [illegible] concessio calicis multa alia post se trahat, puta matrimonium [illegible], Linguæ vulgaris in Sacris usum, imaginum abolitionem, de quibus jam Orator Gallus Lansacus in Convivio mussitaverit. [illegible] principiis quàm progressibus obsistatur, tractationem [illegible] differri, quod ipsum etiam ab Oratoribus [illegible] Gallicanis impetravère. Die 8. Julii nova Congregatio [illegible] Daniel Barbarus, Patriarcha Aquilejensis tractationem [illegible] dogmatibus in adventum usque Præsulum Gallorum protrahi [illegible] fabulam surdis cecinit. Die 10. etiam Leonhardus Haller [illegible] Episcopus Philadelphiensis, Germanos quoque Præsules [illegible] irrito conatu petiit. In proxima verò Congregatione [illegible] Reformationis Capita jam stabilita recitantur. Inter alia Episcopus [illegible] monuit *[illegible] tenebras discuti non posse, nisi sublata priùs [illegible] neque corpori ægro sanitatem restitui, quamdiu caput, à quo influens*

xus est in membra, malè sese habet, quâ figuratâ oratione reformandi Pontificis ipsius necessitatem insinuavit. Cœtu dimisso Legatis de reprimenda Præsulum παῤῥησίᾳ consultantibus, Johannes B. Castellus Promotor suggessit exemplum Cardinalis Crescentii, qui sub Julio III. solitus fuerit interpellare Patres, quoties extra oleam vagarentur, imò subinde silentium iis indixerit. Indignatus huic Cardinalis Warmiensis regessit, *mirum non esse, si Deus O.M. Concilii hujus progressum minimè beaverit, cujus dirigendi rationem adeo obliquam Crescentius secutus fuerit. Synodum amissâ libertatis opinione, simul existimatione omni defraudatum iri.* Appropinquante Sessionis die, cùm impetrandi calicis spes omnis decollâsset, Galli cum Præsulibus petunt, ut Sessione indictâ nihil promulgaretur, sed sequentem in Sessionem omnia prorogarentur. Legati contra ad vitandam ignominiam omnibus ingenii nervis contendunt, ut quædam decernantur, saltem quatuor capita de Communione, & novem de Reformatione publicentur. Quamobrem die 14. habitâ Congregatione capita decreti præleguntur, & immutatâ nonnihil ob Præsulum quorundam contradictiones, confirmantur. Ubi ventum ad verba illa Decreti, quibus asseritur, communionem sanguinis elici non posse ex verbis Christi apud Johannem: *Nisi ederitis carnem filii hominis, & biberitis sanguinem ejus &c.* Granatensis Archiepiscopus opposuit, verba Christi apud Johannem non de Sacramento, sed de fide ex sententia etiam multorum Patrum, inprimis Augustini, accipienda esse, tandémque impetravit, ut adderetur hæc clausula, *ex illis verbis, quocunque sensu accipiantur secundum varias Patrum expositiones, communionem calicis inferri non posse.* In secundo etiam capite Episcopus Alliphiensis verba illa, quibus asserebatur, *ecclesiam potuisse mutare usum calicis, ad exemplum formæ baptismi immutatæ*, tanquam blasphema accusavit, eò quòd in essentia Sacramentorum, veluti materia eorum & forma, ecclesia nihil mutare possit, tandémque obtinuit, ut clausula tolleretur. Eadem Congregatione Episcopus Quinqueecclesiensis quod priùs dixerat, nempe *Romæ Episcopatus dari ad homines duntaxat promovendos,* longâ oratione repetit, & confirmat potiùs quàm excusat. Sed & ultima die, Arrias Gallego, Episcopus Gerundensis, Legatos jam abituríentes novo exemplo considerare jubet, & super 3. Reformationis capite postulat, ut potestas Episcoporum non ad tertiam modò præbendarum partem in distributiones convertendam, sed latiùs extendatur. Eandem sententiam & Archiepiscopus Pragensis variis argumentis confirmavit; & Episcopi Hispani tacito consensu probârunt, adeò ut Legati promittere necessum habuerint, fore nimirum, ut proxima Sessione de eo sermo habeatur. Successit tandem die 16. Julii ipsa Sessio XXI. in qua ante omnia Episcopus Tiniensis concionem habuit minùs gratam Legatis, aliisque, eò quòd instanter urgeret tum residentiam, tum

con-

concessionem calicis, rogarétque impensè Patres, *ut imbecillitati filiorum, qui propter sanguinem Christi aliud nihil poscant, aliquid condonent, ne tot provinciarum & regnorum amissionem pro levi jactura ducant.* Inter decantandum missam duo Jesuitæ Alphonsus Salmero & Franciscus Torrensis seu Turrianus, Legatis & Patribus aurem vellicant, ut explanando primo capiti addatur, *Christum instituisse Sacramentum in panis & vini speciebus, Apostolorum tantùm & conficientium, non autem omnium fidelium gratiâ.* Legatis id post lectum jam Decretum proponentibus, & plerisque Patribus assensum negantibus, non tam ob rei ipsius naturam, quàm ob subitum & improvisum proponendi modum, placuit id ipsum quoque sequentem in Sessionem rejicere. Prælectis decretis, sequens Sessio in diem 17. Septembris indicta est.

NOTÆ

Ad Historiam & Decretum Sessionis XXI.

PRimò deploramus vices Cardinalis Mantuani principis Legati, qui, quòd Residentiæ declarationem apertè & candidè promitteret, incidit non tantùm in æmulationem Collegæ sui Simonetæ, sed etiam in Pontificis odium adeo intensum, ut eum loco movere, & Cardinalem Gonzagam nepotem ejus Romæ arcere à consultationibus Tridentinis, additis adversus utrumque minis indignissimis, constituerit, & Secretarium Mantuani Camillum Olivum pessimè mulctaverit. Ita igitur, non jam in subjectos Patres, sed in ipsum principem Legatum Pontificis ira incumbit, ut & hoc indicio liquere possit, quàm dura Pontificis servitute Concilium premerentur. *Secundò* Oratorum Cæsaris super Reformatione viginti postulata ecclesiæ Pontificiæ, Pontificis inprimis & Curiæ ejus corruptam faciem ostendunt. Ex iis enim colligere licet, obtinuisse antehac scandalosas dispensationes, exemptiones communi jure prohibitas, beneficiorum Simoniacam pluralitatem & pravitatem, presbyteros conductitios, quin & curam Sacrorum ab Episcopis desertam, sanctiones Ecclesiasticas Divino juri æquiparata, Officia Divina negligenter celebrata, Breviaria & Missalia depravata. Clerum & Ordines Monasticos à primæva integritate degenerâsse, & dotalia Monasteriorum flagitiosè dissipâsse, aliáque ejusmodi plurima, *quæ Concilii* operâ adeò non sublata sunt, ut nihil ferè Cæsareani *emendationem* petentes aliud, quàm Pontificis indignationem sibi conciliaverint. *Non* prætereundum etiam, quòd iidem Oratores Linguæ vernaculæ in *Sacris* usum, conjugium Sacerdotum, aliáque ejusmodi solicitâsse. *Dolendum* duntaxat, quòd surdis fabulam cantari apparuit. *Tertiò*

legatio Archiepiſcopi Lancianenſis ad Pontificem, facta hunc in finem, ut Legatos & pleroſque Patres,qui liberis vocibus ſuis , Pontificis offenſam incurrerunt,purgaret, denuo Concilii à Pontificis nutu ſuſpenſi ſervitutem prodit. *Quartò* Pontifex animadvertens Majeſtatis ſuæ apices tangi, non tantùm militem ſcribit,ſed etiam ad impediendum Concilii curſum callido conſilio fœdus publicum defenſivum Principum Pontificiorum contra Proteſtantes meditatur, atque ad illud ſolenniter Principes invitat. Atque ita denuo vi armata cum Proteſtantibus tranſigere,& Concilio minimè fidens ejus curſum ſufflaminare ſatagit. Mox verò,cùm inſtitutum parum ſuccederet, malo dolo variiſque artibus, metu, pudore, civilibus officiis Patres,ne ſibi ulla in re adverſentur, obligat, tandémque jactat, *effeciſſe ſe, ut omnes in ejus gratiam conſpirent, eò quòd ipſius ope omnes indigeant, & ſuppetias unus, alius gratias requirat.* Utque Tridentina arcana expiſcâretur omnia,illuc miſit Epiſcopum Ventimiglienſem , qui ſecretum miniſtrum ageret, & abditiſſima quæque ſigillatim Romam perſcriberet.Ita vis,virtus an dolus quis in hoſte requirat?*Quintò* minax illa vox Lanſaci,fore, ut Epiſcopi Galliç & Italiæ ad Concilium venturi illud idolum ROMA profligent,argumento eſt, quo animo Gallia,cujus os Legatus ille fuit,erga Romanam ſedem affecta fuerit. *Sextò* ſententiarum de communione ſub utraque ſpecie conflictum inferiùs recenſebimus. Hîc duntaxat notamus impia & in Chriſtum ipſum, ac calicem ab ipſo inſtitutum , nec non in Principes etiam Pontificios, ipsúmque adeò Cæſarem contumelioſa dicteria Franciſci Forieri Luſitani & Franciſci Turrenſis Jeſuitæ, quorum ille aſſeruit , *Principes calicem flagitantes velle permiſſu Concilii fieri hæreticos*; hic verò, *Diabolum ſub calicis & ſanguinis Chriſti involucro hortari ad calicem venenatum populo propinandum.* Tanta in *calicem , cui benedicimus* , ceu *communioni ſanguinis Chriſti* , impietas impunè in Concilio graſſata eſt , ut calicem petere & *hæreſeos* nomine venerit , & *Diabolo* authori tributum fuerit , útque calix à Chriſto inſtitutus tanquam *venenatus* ab illo ἐχιδνῶν γεννήματι palàm traductus fuerit. Certè qui talia dixerunt, & dicentes ἀνελέγκτως audiverunt , non illi *ſacroſanctum* ſed *blaſphemantium* & *malignantium* Concilium appellari meruerant. *Septimò* perſtringenda eſt quorundam in Concilio conductitiorum & ex audacia ac facetiis mixtorum , inſignis fraus , qua oborta vel præcipui Præſulis alicujus offenſa, vel gravi controverſia , maximè ſi in Pontificiæ authoritatis ac poteſtatis damnum ea redundatura videretur , cœtus ab illis facetâ dicacitate in riſum ſolvere , & finire etiam ſueverunt. Tales artem facetè & prudenter jocandi, alios irritandi, explodendi edoctos, ipſos interim imperturbatos & decorum ſervantes, ex eorum numero, quos Papa Tridenti menſtrua penſione

ſione ſuſtentavit,in Præſules ſibi in Concilio contrarios ipſe Cardinalis Simoneta Legatus immittere credebatur. Eſt & hoc accenſendum Machiavelliſticis illorum,qui à Spiritu S.actiones ſuas gubernari prætulêre,artibus, *Octavò* Bavariæ Ducis Orator Auguſtinus Baumgartnerus in Generali Congregatione ea protulit, quæ Proteſtantium cauſam ſuffulciunt. Poſtquam enim de concubinatu Sacerdotum graviter queſtus eſt,palàm aſſerens,*è centum Sacerdotibus vix tres quatuórve reperiri,quos ea labes non attigerit, quíque non vel clam vel palàm matrimonium contraxerint*, ſubjunxit Principis ſui nomine petitionem tripertitam,ut videlicet Scholæ erigantur,matrimonium Sacerdotibus,& calix plebi concedatur. Ea oratio benignè equidem,ſecus ac nuper Oratori Galliæ factum,audita,fructu tamen penitus omni deſtituta fuit,Patribus de obfirmati animi ſui rigore ne tantillum quidem remittentibus. Quod magis etiam apparuit in repulſa indigniſſima,quam etiam Ferdinandi Cæſaris Legati communionem calicis pro Bohemis & Germanis implorantes,paſſi ſunt. Memorabile eſt,quòd Orationem Auguſtini Baumgartneri Collectores Lovanienſes inter Orationes in Synodo habitas edere non ſunt auſi. Illam tamen ex privatis ſcriniis eruit Calixtus, atque libro *de Communione ſub utraque* inſeruit. *Nonò* fuga à Præſulibus aliquot,qui de Reſidentia pauló liberiùs differentes Pontificis iram expaveſcebant, ex Concilio adornata,& ab uno Luſitaniæ Oratore impedita,oſtendit denuo miſeram Concilii ſervitutem, quod vel unius hominis libidini mancipari, vel triſtiſſima quæque experiri neceſſum habuit. Quò referenda etiam eſt Cardinalis Warmienſis ingenua vox,oppoſita Caſtelli de reprimendis liberis vocibus conſilio, & memorato ab eodem Cardinalis Creſcentii exemplo,*mirum non eſſe,ſi Deus O.M.hujus Concilii progreſſum minimè beaverit,cujus videlicet dirigendi rationem adeò obliquam Creſcentius ſecutus fuerit. Concilio Chriſtiano nihil eſſe libertate vel utilius vel neceſſarium magis. Qui verò mediis humanis & violentis obviam ire velit contentionibus,effecturum, ut Synodus amiſſâ libertatis opinione, etiam exiſtimatione omni cadat. Bonum eſſe factum, Deo omnia permittere, qui potens ſit Concilia regere,& animos in nomine ſuo congregatorum moderari.* Liquet ex his, qualis Concilio ſub Creſcentio,qualis etiam deinceps ei libertas conſtiterit. *Decimò* digna eſt quæ notetur temeritas duorum Jeſuitarum,Alphonſi Salmeronis & Franciſci Torrenſis, qui in ipſo conſeſſu inter decantandum Miſſam alter Warmienſi, alter verò Madrucio aurem vellicârunt, ut diſertis verbis addatur clauſula, Chriſtum inſtituiſſe Sacramentum in panis & vini ſpeciebus, *Apoſtolorum tantùm & Sacerdotum conficientium,non omnium fidelium gratiâ.* Quæ inſignis levitas tantò majorem reprehenſionem meretur,quod in eo conſeſſu,in quo deliberationi ampliùs locus non erat,adeó-

que inſcio Concilio addi, ſuâ duntaxat authoritate freti, petierunt clauſulam ejuſmodi, quâ Sacramentum Cœnæ Dominicæ pro universa Chriſtiana plebe inſtitutum negatur. Etenim ſi Chriſtus Sacramentum Cœnæ in panis & vini ſpeciebus pro Apoſtolis duntaxat & Sacerdotibus conficientibus inſtituit, quo jure universa eccleſia Chriſtiana ante Conſtantienſe Concilium, utramque ſpeciem, poſt illud verò ſaltem panis ſymbolum participavit? Quod Chriſtus negavit, eccleſia indulgere non potuit. Par utriuſque ſpeciei ratio, par inſtitutio, par mandatum eſt. Hanc porro labem à duobus illis Ieſuitis abſtergere conatus eſt ejuſdem Societatis aſſecla Scipio Henricus *Cenſura p.217.218.&c.* Sed quàm ille frivolis prætextibus lectori illudit! *Scire vellem,* inquit, *quando primùm Theologi iſti ad Concilium acceſſerint, præcedenténe die, an in ipſo Seſſionis inſtanti? Si primum, jam de Concilii decretis eruditi potuiſſent adire Legatos, & talem declarationem faciendam tum proponere, & non poſtea repentè, in ipſo evulgationis inſtanti. Si ſecundum, unde iſti Theologi ſcire potuerunt id, quod continebatur in decretis ante eorum evulgationem? Magna temeritas & impudentia eſt, quæ doctiſſimis & ſanctiſſimis illis Patribus tribuitur ab Hiſtorito, quòd in momento & ex improviſo tanti ponderis declarationem de his, quæ ad fidem pertinent, faciendam peterent.* Quaſi videlicet Jeſuitæ non ante præcedentem Conſeſſûs diem præſentes eſſe Synodo potuerint. Sed audiat homo ille verba Ventimiglienſis Epiſcopi eodem tempore ſcripta Tridento ad Carolum Borromeum Pii IV. Pontificis nepotem, citata à Cæſare Aquilino *de tribus Hiſt.* p.40. *Hoc manè etiam,* inquit, *cùm ſicut in aliis diebus res ex improviſo in Seſſione proponenda perſeveraret, poſt lectam doctrinam & Canones, nova quædam clauſula Patribus propoſita eſt, quæ deſiderari videbatur pro majore explicatione inſtitutionis duarum ſpecierum communionis in Cœna Domini, ut aſſereretur, eas inſtitutas fuiſſe tantùm pro Apoſtolis ac ſacrificantibus, & non pro omnibus fidelibus.* In additione verò ad eandem Epiſtolam ſub die 23. Menſis Julii, hæc adduntur: *Audivi ab Illuſtriſſ. Simoneta, Cardinales Warmienſem & Madrucium, ſuadentibus Salmerone ac Turriano effeciſſe, ut in præterita Seſſione apponeretur illa additio, quæ parùm Patribus ſatisfecit, cùm ex improviſo propoſita eſſet.* Quin & Pallavicinus, citante eodem Cæſare Aquilino, lib. XIV. cap. 2. ita hîc cum Suave Polano confligit, ut notitiis ſuis innixus fateatur, biduo ante Seſſionem veniſſe Alphonſum Salmeronem & Franciſcum à Turre, Theologos Pontificis, ad Cardinales Hoſium ſeu Warmienſem & Madrucium, dicentes, *ſe in Decretis invenire quædam indigna Concilio & mutationis indiga, neque contemnenda eſſe, quæ ipſi proferrent, eò quòd Pontificii ſint Theologi, & ab illo ad Concilium miſſi.* Cardinales re cum Collegis communicatâ decreviſſe, Theologos illos à nonnullis Epiſcopis & Theologis fortè præſentibus eſſe audiendos. Propoſuiſſe eos quatuor themata, ac primo loco illud de addenda

denda clausula. Responsum fuisse à Patribus, decretum immutandum haud esse, *eò quòd semper ecclesia intellexerit, institutionem illam sanctissimæ Eucharistiæ in cœna novissima factam esse pro omnibus fidelibus.* Sed confirmatis postea Hosio & Madrucio, eosdem Jesuitas denuo in arenam descensuros effecisse, ut ante missæ & Decretorum publicationem (post eam tamen id contigisse narravit Ventimigliensis) ea disputatio redintegraretur. Nihil tamen eos promovisse, quòd propositio ea Patribus visa fuerit importuna, & scandalum paritura. Ita Ventimigliensis & Pallavicinus, qui priùs Scipioni debellandi sunt, quam frivolis conjecturis rei verè gestæ ulteriùs ogganiat. Sed pergit Scipio, & pro tribulibus suis adversus Suavem Polanum argutatur secundò *à declarationis hujus temeritate & falsitate.* Etenim *semper ecclesiam intellexisse institutionem hanc sanctissimæ Eucharistiæ pro omnibus fidelibus factam esse in Cœna novissima, neque in ea limitationem illam unquam auditam esse. Præterea Paulum scribentem ad Corinthios, volentémque ante illorum oculos ponere hujus Sacramenti institutionem, nullam aliam referre nisi illam, quam Evangelistæ factam in Cœna novissima narrant. Neque etiam sanctam Synodum Seß. XIII. cap. 1. ex Evangelistarum, & S. Pauli verbis aliam hujus Sacramenti institutionem assignare, quàm pro omnibus Christi fidelibus. Quod si hæc non fuerit pro omnibus, sed tantùm pro Apostolis & Sacerdotibus, debuisse assignari aliquam aliam institutionem pro laicis & non conficientibus Clericis*, pag. 219, 220. Applaudimus toto animo. Temeraria, impudens, falsa fuisset declaratio ejusmodi, judice ipso Scipione. Cùm igitur Jesuitæ, Salmero & Turrianus, teste non tantùm Suave Polano, sed etiam Ventimigliensi & Pallavicino, declarationem illam instanter urserint, relinquitur, judice ipso Scipione, homines hos fuisse pro genio sectæ suæ *impudentes, temerarios, falsos.* Ita quos purgare instituerat, ipsemet imprudens denigrat. Obvertit tertiò, *assertionem illam nullis niti fundamentis. Quæ enim*, inquit, *ratio assignari potest, cur institutio illa fuerit pro Apostolis & Sacerdotibus tantùm, & non pro omnibus: cùm communis ecclesiæ sensus institutionem hanc pro omnibus Christi fidelibus factam semper retinuerit?* Rectè sapientérque, Scipio. Sed tua tuorúmque vineta cædis. Tribules tui urserunt temerè, impudentérque declarationem nullis fundamentis innixam. Quartò denique instat, *assertionem illam esse falsam, imò nec à doctissimis illis Theologis propositam fuisse. Si enim talis declaratio necessaria fuisset, certè in sequenti Sessione, sive alia occasione oblatâ, ut promissum fuisse scribitur, hac de re & disputatum & definitum fuisset*, pag. 220. Quæ verò hæc temeritas, rem verè gestam ejusmodi argutiis non gestam esse negare? Ita videlicet solent Jesuitæ apertæ luci tenebras offundere. Noverat Scipio, plura à Legatis & Patribus sæpiùs promissa esse, non eo animo, ut dicto fides fiat, sed ut quæ præstò erant obstacula, hac ratione perrumperent, gnari talia perinde ac tem-

pus ipſum diffluere. Sed miſſo Scipione, telam pertexamus. *Undecimò* igitur Decretum,ſeu capita fidei & Canones quod attinet,de iis ſigillatim inferiùs agemus. Hoc tamen heic præterire non poſſumus,quòd cap.IV.aſſerunt Patres, *antiquitatem, quæ morem, infantibus communicandi Cœnam aliquibus in locis ſervavit,ſui quidem facti probabilem habuiſſe rationem,at nulla tamen ſalutis neceſſitate id feciſſe.* His igitur Patribus ſi credimus,antiquitas Euchariſtiam pro neceſſaria non habuit,adeóque non neceſſitatis opinione,ſed alia probabili de cauſa infantibus cœnam adminiſtravit. Hoc verò Synodi decretum materiam vulgi & doctorum ſermonibus præbuiſſe, notat Hiſtoricus,ſubjicitque, *ubi agitur de veritate hiſtoriæ, rem eſſe facti & præteriti, ubi authoritas locum non habeat, quæ jam facta immutare nequeat. Imò notum eſſe legentibus Auguſtinum, eum novem locis non uno verbo,ſed oratione perpetuâ aſſerere, Euchariſtiam parvulis eſſe neceſſariam: duobus verò ex his eam Baptiſmo, æquare quoad neceſſitatem. Imò ſæpius quàm ſemel dicere,ipſam Eccleſiam Romanam tenuiſſe ac definiviſſe eam neceſſariam ad parvulorum ſalutem,adducto in eam rem Innocentio Pontifice,cujus adhuc extet Epiſtola, id explicatè adſtruens,* lib.VI.pag.490. Hæc quamvis veriſſima ſint,& ſi falſa forent,verè tamen à vulgo & doctis ita dici poterant: non veretur tamen denuo Scipio Henricus in Suavem Polanum incurrere his verbis pag.216. 217. *Reſpondetur,hoc pertinere ad jus,non ad factum, quia dicere, antiquos Patres putaviſſe, communionem eſſe neceſſariam ante uſum rationis, eſt affirmare authoritate Patrum,quod falſum omnino eſt. Cæterùm quòd dicunt de authoritate Auguſtini,eſt apertum mendacium, & debuiſſet Hiſtoricus non loqui perperam, ſed referre loca atque ejus verba. Oppoſitum enim ex eodem Auguſtino aſſerit S.Thomas 3.p.q.73.art.3.referens verba ejuſdem ad Bonifacium contra Pelagianos,quæ talia ſunt: Nec illud cogitatis,parvulos vitam habere non poſſe, qui ſunt expertes corporis & ſanguinis Chriſti. Et ibidem quæſt.50.art.7.refert eundem Auguſtinum, aſſerentem parvulos ante uſum rationis communicandos non eſſe. De Innocentio Papa certum eſt, Hiſtoricum mentiri more ſolito.* Hactenus ille, more ſolito temerè effutiens quidlibet. Etenim 1. quæſtio facti cùm ea demum ſit,qua de hominum dictis factíſque quæritur, eodem utique referenda fuerit quæſtio de ſententia Patrum circa communionem infantum. Neque Concilium omni vi & authoritate ſua efficere potuit,ut de ea quæſtione aliter ſenſiſſe Patres credantur,quàm verè ſenſerint. Præterea dicere, *antiquos Patres putaviſſe communionem eſſe neceſſariam ante uſum rationis,* eſſe affirmare *authoritate Patrum,quod falſum eſt,* nemo,cui ſanum ſinciput eſt, aſſeruerit. Ita Chriſtus ait,veteres dixiſſe: *Odio habebis inimicum tuum,*Matth. V.42. An iccirco Chriſti ſententia fuit,ut odio habeantur inimici? Nempe ſi verum,ſi rectum juſtúmque eſt,quicquid veteres Patres dixerunt,fecerunt. 2. De Auguſtini & Innocentii ſententia minimè Hiſtoricus mentitus eſt,

ſed

ſed verum dixit. Etenim Auguſtinus paſſim ex illis Chriſti apud Johannem verbis : *Niſi manducaveritis carnem meam & biberitis ſanguinem meum, non habebitis vitam in vobis*, argumentatur, vitâ cariturum, quiſquis Euchariſtiæ adeóque & baptiſmi non fuerit particeps. Locus verò à Paulo Suave indigitatus extat in Epiſtola 106. ad Paulinum , ubi cùm dixiſſet uſurpata ad eandem veritatem confirmandam *ab Apoſtolica ſede*, (id eſt, ab Innocentio I. P.R.) *illa Domini verba, Niſi manducaveritis &c. Si autem*, inquit, *credunt* (Pelagiani) *Sedi Apoſtolicæ , vel potiùs ipſius Magiſtro & Domino Apoſtolorum ; qui dicit, non habituros vitam in ſe ipſis, niſi manducaverint carnem filii hominis & biberint ſanguinem ejus, (quod niſi baptizati non utique poſſunt) nempe aliquando fatebuntur parvulos non baptizatos vitam habere non poſſe.* Eodem pertinent, quæ habet in ſequenti Epiſtola: *Ipſi*(inquit)*ſi in illa parva ætate moriuntur, utique ſecundum ea, quæ per corpus geſſerunt, id eſt, tempore quo in corpore fuerunt, quando per corda & ora geſtantium crediderunt vel non crediderunt, quando baptizati ſunt, vel non baptizati ſunt, quando Chriſti carnem manducaverunt vel non manducaverunt, quando & ſanguinem biberunt & non biberunt. Secundum hæc ergo, quæ per corpus geſſerunt &c. judicantur.* Vult igitur, damnatum iri, qui vel non crediderint, vel non baptizati fuerint, vel carnem Dominicam non manducaverint. Conferri poſſent, quæ idem Auguſtinus eam in rem ſcribit *de Pecc. Orig.* contra *Pelag. lib. 2. pag. 337.* nec non *contra duas Epiſtolas Pelagii lib. 1. cap. 22. lib. 2. cap. 4. lib. 4. cap. 4. lib. 1. contra Julian. cap. 4. lib. 3. cap. 1.* Innocentii porro Epiſtolam ad Concilii Milevitani Patres legere eſt inter Auguſtinianas, num. 93. *Illud verò*, (inquit Innocentius) *quod eos*(Pelagianos) *veſtra fraternitas aſſerit prædicare parvulos æternæ vitæ præmiis etiam ſine baptiſmi gratia poſſe donari, perfatuum eſt. Niſi enim manducaverint carnem filii hominis, & biberint ſanguinem ejus, non habebunt vitam in ſe ipſis.* Imò hanc eſſe Apoſtolicam univerſæ eccleſiæ traditionem pronunciat Auguſtinus *de Pecc. mer. & remiſſ. cap. 24.* quanquam pro more ſuo ibi *Apoſtolicum* eſſe exiſtimat, quod in omnibus ſui ævi eccleſiis teneri cenſebat, cujúſque claram & certam in aliquo ſuperiorum temporum Concilio originem non reperiebat, minùs attendens, multas & opiniones & conſuetudines ab uno & altero, præter primam Apoſtolorum traditionem exortas, inde primò à pluribus exceptas, paulatim ſenſímque ac ſine ſenſu in omnium animos, ſive ob auctorum famam, ſive ob veritatis vel utilitatis ſpeciem irrepſiſſe, poſtremóque totius eccleſiæ communes factas eſſe, etiam abſque ullo ſuperiorum temporum Concilio præeunte, quod in hoc quoque negotio accidiſſe nullo negotio probari poſſet. Accedit, quòd Maldonatus *in Joh. VI. 53. Pſal. 116.* candidè fatetur, illam de Euchariſtiæ ad infantium ſalutem neceſſitate opinionem *ſexcentos circiter annos viguiſſe in Eccleſia.* Jam igitur quivis intel-

ligere

ligere poteſt, quàm juſtè, verè & ſapienter Tridentini hi Patres decernant non tantùm id, quod ipſi hac de re falsò dicunt, *eſſe ſine controverſia credendum*; ſed etiam can. 4. *eſſe anathemate feriendos, qui dixerint, parvulis, antequam ad annos diſcretionis pervenerint, neceſſariam eſſe Eucharistiæ communionem*: quo fulmine ſuum Innocentium, Auguſtinum & alios ſanctiſſimos & celeberimos Patres, imò, ſi Maldonatum audimus, ipſam ſex priorum Seculorum Eccleſiam peti, tangi ac feriri cernimus, utpote in qua, Maldonato judice, ea ſententia viguit, in quam muſtei iſti Salmonei brutum ſuum caſſúmque fulmen mittere non erubuerunt. *Duodecimò* non immeritò & illud animadverſum eſt, quòd Canone 2. anathema dicitur ei, qui affirmaverit, *Sanctam Eccleſiam Catholicam non juſtis cauſis & rationibus adductam fuiſſe, ut laicos atque etiam Clericos non conficientes ſub panis tantùm ſpecie communicaret, aut in eo erraſſe*. Hoc enim non aliud eſt, quàm fidei articulum ſuper actione humana ſtabilire. Mirúmque admodum eſt, quod inde ſequeretur, nimirum hominem non teneri ad obſervationem decreti, niſi *de jure humano*; at ut idem credat eſſe juſtum, obligari *de jure Divino*. Excipit Scipio p. 216. *licèt Eccleſiæ lex ſit lex humana, tamen Eccleſiæ authoritatem eſſe de jure Divino. Unde qui ei contradicit, damnandum eſſe ut hæreticum*. Atqui eccleſia cùm ſit cœtus hominum fidelium, ejus authoritas per ſe niſi humana eſſe nequit. Quòd ſi tamen Divina eſſet, utique ejus quoque edicta legéſque parem authoritatem, adeóque Divinam quoque obtinerent. *Decimò tertio* denique Reformationis Capita paucis etiam nobis diſcutienda fuerint. De iis, teſte Hiſtorico, vox publica percrebuit, neque articulos minoris momenti, neque leviori brachio attingi potuiſſe. Patres ſcilicet imitatos eſſe medicum, qui corpore phthiſi laborante, in pruritûs curationem incumbat. *Primum* caput eſt de ordinationibus gratuitis. In eo *Simoniacæ pravitatis* accuſantur contrariæ illi decreto *taxæ, ſtatuta & conſuetudines etiam immemorabiles quorumcunque locorum*, quæ videlicet hactenus Romana in eccleſia obtinuerant. Atque ita candidè detegitur Simoniacæ pravitatis ſacer morbus, qui hactenus eccleſiæ Pontificiæ corpus corripuerat. Præterea Albertus Duimius Epiſcopus Veglenſis profeſſus eſt, ſe Decretum illud habere pro imperfecto, niſi unà ſtatuatur, Romæ quoque abſtinendum eſſe à pecuniis exigendis propter diſpenſationes, ſine ordinum indebito tempore, ætate immatura, abſque venia & examine Ordinarii ſumendorum; ſive irregularitatem, aliorúmque impedimentorum Canonicorum: quandoquidem in his ingentes ſumptus fiant. Epiſcopis egenis eleemoſynam dari, quam ille omnino tollendam etiam cenſeat, ſed hac lege, ne decimetur ruta, aurum verò & argentum furtim ſurripiatur. Atque ea occaſione in taxationem ſolutionum, quæ Romæ

fiunt

ſiunt omnis generis diſpenſationum nomine, excurrit, quídque ſibi, quoties Româ adferuntur diſpenſationes, moris ſit, commemorat. Cúmque Legati reſpondiſſent, ejus cauſæ determinationem à Concilio ad Pontificem remiſſam eſſe; regeſſit Epiſcopus, Romæ paulò antè ſibi eâdem de re conqueſto in ædibus Cardinalis Peruſini multis coram Cardinalibus & Præſulibus aulicis reſponſum eſſe, in Concilio hæc eſſe proponenda. Nunc verò cum videat contra fieri, & à Synodo ad Pontificem rejici, *decreviſſe ſe perpes ſilentium, curâ emendationis Deo relictâ.* Quale igitur ſit primum hoc Reformationis Decretum, ex ipſo hoc Epiſcopo intelligere licet. *Secundum* Reformationis caput agit de ordinationibus ad titulum, in quo arcentur à ſacris ordinibus, qui non habent unde vivere poſſint. Cæterùm ſapienter monuit in Concilio Quinqueccleſienſis Epiſcopus, magis convenire veteris eccleſiæ inſtitutis, ne quiſquam ſine titulo & officio, quàm ſine beneficio & reditu ordinetur. Inde enim maximum offendiculum naſci, multis functionem Sacerdotalem capeſſentibus, non ut Deo Eccleſiæque inſerviant, ſed ut otio luxúque diffluentes amplis facultatibus gaudeant. Id igitur operam dandum, ne quiſquam reperiatur Eccleſiaſticus, niſi certo miniſterio dicatus. Obſervâſſe ſe antehac, Romæ Epiſcopatus nonnullis dari ad promovendos eos duntaxat, quibus breve intra tempus reſignatis ipſi Epiſcopi titulares maneant, ſolâ nominis dignatione affectatâ. Arguit igitur etiam hujus Decreti vanitatem tanti Epiſcopi confeſſio. *Tertio* capite, ad diligentiùs obeundum Divinum cultum, ratio augendi quotidianas diſtributiones præſcribitur, conſuetudo etiam, qua non reſidentes nihil, vel minus tertiâ parte fructuum percipiunt, laudatur, abſentium verò contumacia punitur. Sancitur inter alia, *ut in eccleſiis tam cathedralibus quàm collegiatis, in quibus nullæ ſunt diſtributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut veriſimiliter negligantur, tertia pars fructuum & quorumcunque proventuum & obventionum, tam dignitatum, quàm canonicatuum, perſonatuum, portionum & officiorum ſeparetur, & in diſtributiones quotidianas convertatur.* Hic videlicet mos Canonicorum aliorúmque præbendariorum ad functionem officii, putà quod in Matutinarum, Tertiarum, Sextarum, Veſperarum & id genus cantationibus conſiſtit, invitandorum jamdudum inoleverat. Sed quia diſtributiones quantumvis opiparæ ſic quidem zelum refrigeſcentem accendere poterant, Tridentinis Patribus viſum eſt eas lautiores nitidioréſque reddere. Sic igitur non abs re à Poëta *Magiſter artis Ingeniíque largitor* venter dicitur. Sicut enim hebetes, ſtupidóſque, argutos & ſolertes reddere ſolet: ita etiam torpentium & genio ſuo indulgentium zelum excitat. Equidem ante Conſtantini M. tempora Eccleſiæ Paſtores æquè ac pauperes ex fidelium liberis oblationibus ſuſtenta-

ri moris erat. Constantinus postea curavit, ut iis honestum ex publico salarium assignaretur, soluta iis singulos in annos certa tritici viníque, nec non aliarum rerum victui vestituíque necessariarum mensura. Quo in beneficio cùm turbarentur à Juliano Apostata, postea à Valentiniano Imp. A. 454. in integrum restituti sunt, & in Concilio etiam Agathensi anno circiter 490. statutum, *ut omnes clerici Ecclesiæ servientes salario pro functionis suæ merito perfruerentur, útque salario careat, quisquis nulli ministerio vacat.* Successu temporis Clericis habendi cupiditate fluentibus, eorúmque erga pietatem Zelo propemodum extincto, fructuum decimis, bonorúmque latifundiis immensum quantum locupletati sunt. Quæ tantæ opes muneris fungendi curam pietatémque profligârunt, Posterioris verò seculi Clerici, ne penitus munerum suorum functionem abjecisse viderentur, háncce diurnarum distributionum rationem excogitârunt, eámque Tridentini auxerunt, quò sic studium & Zelus eorum, qui alioqui desidiâ, genialíque indulgentia torpescebant, resuscitaretur. Tanta est Cleri illius πλεονεξία, ut nisi onusti muneribus & largitionibus Deo ejúsque cultui publico inservire detrectent. Præterea Patres molliter severos se ostenderunt erga eos, qui functionibus hisce cuticulæ curam præferre solebant. Bessem nempe illis suorum proventuum, quò opiparè otium alere, ac dies noctésque securè stertere possint, benignè reliquerunt; trientem duntaxat resecari ad diurnas illas distributiones voluerunt. Capitibus IV. V. VI. & VII. Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, potestas tribuitur portiones congruas moderandi, Rectiores populi, imò & populum ipsum ad subministrandos Sacerdotibus sumptus cogendi, parochias amplas, etiam invitis rectoribus, dividendi, plures ecclesias uniendi, illiteratis parœcis presbyteris coadjutores adjungendi, ecclesias unâ cum oneribus transferendi, collapsas ex fructibus & proventibus quibuscunque restaurandi, non obstantibus quibuscunque appellationibus, immunitatibus, reservationibus, aut aliis ejusmodi provisionibus. Talia cùm architectonicæ potestati, quæ sola jus habet in inferiores, multùm derogent, non immeritò à Galliarum etiam Regibus, qui extraordinaria ejusmodi imperia nequaquam tolerant, rejecta sunt. Iniquum etiam est, quod sancitur tum capite *quarto*, ut ad novum ecclesiæ ab Episcopo præfectum Sacerdotem sustentandum, *compellatur populus ea subministrare, quæ ad vitam ejus sustentandam sufficiant:* tum capite *Septimo*, ut liceat Episcopo *ecclesias collapsas restaurare ex fructibus & proventibus quibuscunque.* Hoc enim est manum violentam in Populi bulgam immittere. Meritóque teste Historico *lib.VI.pag.* 490. decretum illud à bonis judicatum est insolens, tum quoad substantiam, tum quoad modum. *Quoad substantiam*, quòd clero etiam ad luxum superessent opes,

qui variis nominibus laicis ob accepta magis debitor erat. *Quoad modum* vero, quòd nec Christo, nec Apostolis unquam venerit in mentem homines compellere ad sua contribuenda, sed suis tantùm permittere, ut spontè oblata acciperent. Legenti porro Pauli ad Galatas & Corinthios Epistolas facile appariturum, quam curam debeat dominus bovi trituranti, & quod officium catechumenus institutori, elementis religionis ipsum imbuenti: sic tamen, ut nulla actio, aut jus ejus exigendi iis competat, neque ullum extet Prætoris edictum, cujus authoritate niti debeant. Addendum & illud, ad capitis IV. decretum, quo amplas numerosásque Ecclesias Parochiales dividendas esse statuitur. Si in amplis ejusmodi parochiis necessarium id duxére Patres, certè eadem vel major etiam Episcopatuum amplissimorum dividendorum necessitas iis incumbebat. Monuit appositè Episcopus Quinqueecclesiensis, esse in Hungaria Episcopatus, qui ad ducenta milliaria procurrant, quique adeò ab uno nec visitari commodè, nec regi queant. Sed id curiæ Romanæ fautoribus minùs arridebat, timentibus, ne si tale quid decerneretur, ad residentiam quoque decernendam gradus strueretur. Caput *quintum* velificatur unionibus beneficiorum & ecclesiarum, de quibus in superioribus abundè dictum. Capite *sexto* imperitis rectoribus vicarii cum parte fructuum pro tempore deputantur. Verùm opera danda erat, ne imperiti & illiterati rectores ecclesiæ admoverentur. Admoti verò deponendi potiùs, quàm adjuncto tali sustentandi fuerant. Ministri enim ecclesiæ propter ecclesiam sunt. Quòd si ad eam regendam inepti inhabiléśque fuerint, beneficiis quoque & emolumentis ecclesiæ percipiendis nequaquam digni sunt. Capite *Septimo* sancitur, ut beneficia simplicia, etiam juris patronatûs ex ecclesiis vetustate collapsis, in matrices alias ecclesias locorum eorundem seu viciniorum transferantur. Sed ita eorum, à quibus fortè beneficia piè legata erant, intentionem defraudari, in propatulo erat. Quòd si tamen id fas piúmque fuit Concilio, fas igitur piúmque fuerit etiam superioribus Evangelicæ Reformationis temporibus veræ ecclesiæ, ejúsque piis Nutritiis, post collapsa non Templa, sed publicum Dei in Templis cultum, beneficia piè legata, genuinum, sacrum & Deo unicè placentem in usum convertere, ita videlicet ut ecclesiæ usibus, sed piis, sed legitimis inservirent. Capite *Octavo* statuitur, ut Monasteria commendata, in quibus non viget regularis observantia, & beneficia quæcunque quotannis ab ordinario visitentur. Sed Monasteriorum beneficiorúmque tam curatorum, quàm non curatorum multiplices abusus rectiùs ante omnia sustulissent. *Nono* denique capite Quæstorum eleemosynarum nomen & usus tollitur, sancitúrque, ut indulgentias & spirituales gratias ordinarii publicent, *nullâ prorsus merce-*

de acceptâ, ut tandem cœlestes hos Ecclesiæ thesauros non ad quæstum, sed ad pietatem exerceri omnes intelligant. Monuit hic opportunè Segoviensis Episcopus, parùm esse è dignitate Synodi aut ecclesiæ utilitate, à minutiis hisce reformandis initium capere. Ab iis potiùs, quæ summa essent, auspicandum, & à gradu superiori ad inferiores descendendum fuisse. Præterea quòd quæstores Eleemosynarum hîc tollantur, indicat putidissimum ecclesiæ Pontificiæ ulcus, quo Papa jam diu in ecclesia pietatem quæstui habuit, & ex eleemosynis ob spirituales gratias dispensatas collectis, thesauros suos locupletavit. Cujus rei turpitudinem ipsi heic Patres prodere videntur, jubentes per Ordinarios eleemosynas, nullâ prorsus acceptâ mercede, colligi, *ut tandem cœlestes hos Ecclesiæ thesauros non ad quæstum, sed ad pietatem exerceri omnes verè intelligant.* Hactenus ergo ad quæstum exercebantur; nunc *tandem* ad pietatem exerceri jubentur. Sed de indulgentiis suo loco uberiùs.



Ad Canones Sessionis XXI.

De COMMUNIONE SUB UTRAQUE SPECIE.

QUÆSTIO UNICA.

An ex Dei præcepto omnibus singulisque Christi fidelibus adultis utrumque Eucharistiæ symbolum, adeóque etiam benedictus calix administrari debeat?

TRidentini equidem cap. 1. & Can. 1. negant sub anathemate, ex Dei præcepto & necessitate salutis etiam laicis & Sacerdotibus non conficientibus incumbere, ut utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumant. Atque ita de officio fidelium Sacramentum suscipientium loquuntur. Nos verò statum quæstionis accuratiùs formavimus de officio presbyteri communionem ministrantis. Fieri enim potest, ut ex DEI præcepto & necessitate salutis non obligetur fidelis ad communionem sub utraque specie, veluti si aliquod vel internum & ab ipsius suscipientis corpore profectum, vel externum & ab aliis

aliis caufis exortum impedimentum alteram fpeciem fumere prohibeat. Quo cafu impeditus fidelis commiferatione quàm reprehenfione dignori exiftet. Quanquàm ex ipfo fidelium omnium officio etiam presbyterorum adminiftrantium officium nullo negotio colligi poteft. Afferimus igitur, & presbytero adminiftranti, & fideli fufcipienti Cœnam, ex Dei præcepto & neceffitate falutis incumbere, ut utrumque benedictum fymbolum, ille quidem communicet, hic verò fumat. Etenim

ARG. I. Chriftus Euchariftiam inftituens utrumque fymbolum Apoftolis omnibus dedit, Matth. XXVI.27. Audito verò Chrifti præcepto, non edendi duntaxat, fed etiam ex poculo bibendi, ἔπιον ἐξ αὐτῦ πάντες, *biberunt ex eo omnes*, Marc. XIV.23. Hoc primum & maximè authenticum Chriftianæ fynaxeos exemplum eft, in quo calix communicantibus & à Chrifto omnibus diftributus, & ab omnibus fumptus eft. Hoc autem omnibus etiam impofterum facram Domini cœnam celebrantibus faciundum imitandúmque fuiffe, liquet ex præcepto Chrifti: *Hoc facite ad mei commemorationem*, Luc. XXII.19. Quæ neceffitas eft adminiftrandi & manducandi panem, eadem eft porrigendi calicem & ex eo bibendi. Chriftus enim ὡσαύτως *fimiliter* accepit calicem, ei benedixit, & bibendum præbuit.

RESP. REDING: *1. Euchariftiæ à Chrifto inftitutæ ac præceptæ fumptioni fatisfit, fi vel una tantum fpecies accipiatur, uti ex Joh. VI.59. 1. Cor. XI.27. Act. II.42. liquet. Unde Chriftus fumpta fola corporis fui fpecie cœnaffe dicitur 1. Cor. XI.25. Similiter & calicem poftquam cœnavit (fumpta fcilicet corporis fui unica fpecie) dicens, &c. Luc. XXII.20. Unde S. Auguftinus Epift 118. Ipfam, ait, potuit Cœnam appellare, quia jam corpus acceperant, ut deinde calicem acciperent. 2. Chriftus verbis, Hoc facite in mei commemorationem, Apoftolis poteftatem contulit conficiendi Sacramentum fub utraque fpecie, eófque conficientes, non alios, ad confecrandam utramque fpeciem, & communicandum fub utraque obligavit. Juffit enim facere id, quod ipfe fecit, in fui commemorationem. Atqui Chriftus & confecravit & diftribuit utramque fpeciem. An ergo finguli confecrare & diftribuere tenentur?* Aug. Reding in Seff. XXI. Tract. VIII. Ss.2. pag. 190--192. Refp. 1. Chriftus inftituens Sacramentum dixit: *Bibite ex eo omnes.* Redingius fatisfieri præcepto Chrifti ait, fi vel una fpecies accipiatur, adeóque præter conficientem non omnes, fed nemo bibat. Uter fidem meretur? Dominus, an minifter Domino reclamans? De locis Joh. VI.59. Act. II.42. infra agimus. Et profectò methodus iniquiffima eft, aperto Chrifti mandato opponere textus dubios, atque iifdem clariffimum Chrifti mandatum infractum ire. Neque etiam in verbis Apoftoli 1. Cor. XI.27. *Qui edit panem hunc, aut bibit poculum indignè, reus erit corporis & fanguinis Domini*, particula ἢ *aut* fic disjungit membra, ut alterius omittendi gratiam faciat. Quæ tua λεπτολογία eft, novi fcilicet Archimedis, infinitam molem parvo machinamento movere conantis. Alias etiam Sacerdoti conficienti liberum erit omittere calicem: & fumentibus vel panem folum, vel calicem folum. Difce ergo, quod dicitur in fententia condemnante, perperam à te transferri ad traditionem fymboli & ad παράκλησιν ipfam. In una poteft reus fieri, five edendo five,

ve bibendo, qui non celebrat S Cœnam tantùm comedendo. In παραλλήλοις verò v. 28. junguntur copulativè per ἐσθίητε ἢ πίνητε *edas & bibas*. Sœpe autem particula ἢ *aut* copulativo sensu apud Scriptores & Sacros & profanos, Jurisconsultos inprimis Latinos accipi, Cl. Dallæus *de Cultibus Relig. Lat. lib. V. 6.* fusè comprobat. Ex multis loca Luc. XX. 2. coll. cum Matth. XXIV. 23. & Rom. IV. 13. coll. cum Gal. III. 16. consulantur. Neque ex Luc. XXII. 20. probare potes, Christum post Cœnam calicem bibendum propinasse, in Cœna seorsim panem distribuisse. quo nihil ineptius est Nam post Cœnam Paschalem (nimirum ἐσθιόντων *postquam comedissent, cœnassent*, Matth. XXVI. 26. Marc. XIV. 22.) Eucharistiam Christus in utroque pariter symbolo instituit. Atque id ipsum Lucas Brugensis vestras ex particula ὡσαύτως *similiter* probat. quasi diceret Christus, *similiter calicem ut panem, utrumque post Cœnam.* Cur ergo hoc μετὰ τὸ δειπνῆσαι *post cœnam* ad calicem addidit, non ad panem? Respondet idem Brugensis: *ut distingnat hunc calicem à priore, (v. 17.) quem ex antiquo usu, inter cœnandum, statim post esum paschatis porrexit.* Et de hoc quicquid fiat, standum Christianis est mandato Christi, jubentis sicut edere, ita etiam bibere; sive ipse cum discipulis in Cœna, sive sub finem Cœnæ bibit. Nam, juxta verba S. Augustini à te laudata, *jam corpus acceperunt, ut deinde calicem acciperent.* 2. Christus verbis: *Hoc facite ad mei commemorationem*, sic Apostolos obligavit ad consecrandum & panem & calicem, ut eosdem, quoties consecrarent, obligaverit etiam ad distribuendum consecratum symbolum utrumque. Nam quod ipse fecit, *hoc facere* jussit. Atqui ipse non consecravit duntaxat utrumque symbolum, sed utrumque etiam discipulis, nondum, ut ipsimet Adversarii fatentur, Sacerdotibus, nedum conficientibus, distribuit. Id ipsum ergo facere Apostolis, ministerio Christi defungentibus, incumbebat: & incumbit Ministris omnibus; & consecrare scilicet, & edere, bibere, & edendum, bibendum distribuere. Non ergo omnes consecrare, sed consecrantes omnibus distribuere calicem, & ex eo bibere omnes, atque sic quisque ordine & loco suo *hoc facere* ad commemorationem Christi tenentur. Et perstat vis argumenti, à particula ὡσαύτως *similiter* petiti. quam tibi refellere non licuit. Nec verò Jansenius tam præfractè audax est; cujus hæc *Harm. cap. 131.* verba sunt: *Proinde hæc verba non pertinent ad singulos fideles, nisi quatenus pronomen* Hoc *refertur ad sumptionem.* Relatum igitur ad sumptionem pertinet ad fideles omnes.

ARG. II. Christi institutionem & mandatum secuti sunt Apostoli, primique Christiani. Hinc enim Paulus secutus traditionem Domini ecclesiam Corinthiacam ad sumendam utramque speciem obligat, 1. Cor. XI. 23. 24. ubi manducatio & bibitio velut duæ essentiales unius ejusdémque mysterii partes per particulam ὡσαύτως connectuntur, & in consectariis ex verbis institutionis Dominicæ deductis, tanquam inseparabiles perpetuò conjunguntur.

RESP. REDING: 1. *S. Paulus 1. Cor. XI. 23. 24. &c. contrarium docet, eam inter species Eucharisticas differentiam statuens, ut de pane v. 25. loquens, absolutè jusserit hoc facere ad commemorationem Christi: de calice verò agens, non absolutè, sed sub conditione, dicens v. 25. Hoc facite, quoties biberitis, ad meam commemorationem.* Idem pag. 192. Resp. Non verba, sed verborum sensum expendere debueras. Is utrobique idem est. Quod de pane dicitur, de calice itidem dici poterat, & vicissim. Utrobique verborum sensus æquè conditiona-

ditionatur, neutro loco absolutus est. De pane ergo eadem ratio: Hoc facite, quotiescunque ederitis de hoc pane. Neque enim non edentes hoc facere poterant. Neque jussus est panis edi absolutè, sed tantum, cùm celebraretur Sacramentum. Atqui hoc non celebratur semper. Idcirco S. Paulus v.26. de utroque eadem ratione dixit: *ὁσάκις quoties ederitis hunc panem & biberitis hoc poculum.* Ergóne etiam, ob additam pani conditionem, licebit panem æquè ac calicem negligere, hoc est, universum augustissimum illud Sacramentum abolere? Sic scilicet nuper visum est Benigno Bosveto, Meldensi Episcopo, censenti, posse omitti etiam panem, *si spiritui traditionis ita visum esset.* Macte, Viri, in pejus proficientes quotidie! Et tamen Salvator, Redingio urgente, absque omni conditione de pane dixit: *Hoc facite.* De cœtero cur Apostolicam praxin, Redingi, nullam demonstras? Nimiùm hic tibi aqua hæsit.

ARG. III. Ecclesiam Latinam antiquitus eâdem in sententia fuisse, liquere potest ex antiquissima Latina interpretatione loci 1.Cor.X.17. ubi pro verbis Apostoli, *οἱ γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν*, Latinus interpres de suo aliquid addens, habet: *Omnes, qui de uno pane & de uno calice participamus.* Qui sic legerunt olim, putârunt utique, Pauli ævo *quicunque corpus unum in Domino sunt*, adeóque omnes omnino fideles, de uno calice æquè ac de uno pane in Eucharistia participâsse. Erat autem ea lectio ante Clementinam correctionem publica ac pœnè omnium communis, adeóque antiqua, ut ipse vetustissimus Pauli commentator, qui inter Ambrosii opera circumfertur, eam exhibeat.

RESP. REDING: *Atqui S. Paulus in Græco textu solius panis, non calicis meminit. Quando igitur vetustus Interpres etiam calicis mentionem addidit, sensum esse distributivum, non collectivum, hoc est, satis esse alterutro participare, insinuavit.* Ib. pag. 193. Resp. Memineris verò, Redingi, argumentum hoc esse ad hominem. Ubi Græcus textus habet *ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου ex uno pane*: ibi vulgatus vester pervetustus habet, *de uno pane, & de uno calice.* Non ergo vel ille, vel Ecclesia ejus temporis, quo ille vixit, symbolorum communionem distraxit, sed & nominato panis symbolo subintellexit etiam symbolum calicis: & usum sui temporis, quo participare solebant *de uno pane, & de uno calice*, prodidit. Neque verò verba Interpretis ejus sensum distributivum patiuntur, quia non reddidit ille, *vel de uno pane, vel de uno calice*; sed, *de uno pane, & de uno calice.* quæ copulativè planè sensus sunt. Nam sic membra copulantur & colligantur, non distribuuntur.

ARG. IV. Calicem ipse Christus nuncupat *καινὴν διαθήκην novum Testamentum* in suo sanguine, Luc. XXII.20. At testamento humano etiam, nedum Divino, vetat Apostolus *ἐπιδιατάσσεσθαι*, Gal. III.15. Nefas igitur est à pane calicem separare.

RESP. REDING: 1. *Eo ipso instanti, quo Christus consecravit Eucharistiam, adeóque ante communionem, integrum Novi Testamenti Sacramentum substitit.* 2. *Si, te fatente, fieri potest, ut ex Dei præcepto & necessitate salutis non obligetur fidelis ad communionem sub utra-*

utraque ſpecie : poteſt igitur communio ſub utraque, citra teſtamenti Divini violationem omitti. Alias tu ipſe violandi teſtamenti author eris. Ib.pag.193. Reſp. 1. Hypotheſin hanc tuam ſupra debellavimus. Conſecratio facit equidem Sacramentum ; at nonniſi relatione ad communionem,in qua Sacramenti conſummatio eſt,habita. Sicut teſtamentum, ſine jure communicandi bona teſtata,inutile, & litera mortua eſt : ſic Sacramentum, quo Teſtamentum obſignatur, ſine communione ſymbolorum, cortex inanis eſt , & ſine nucleo. 2. Fieri poſſe,ut non obligetur ad communionem ſub utraque fidelis, faſſus ſum.*Velut,ſi*c verba mea habent ,*ſi aliquod vel internum, & ab ipſius ſuſcipientis corpore profectum ; vel externum, & ab aliis cauſis exortum impedimentum alteram ſpeciem ſumere prohibeat.* Hic ergo neceſſitas abſtinendi authore Deo ipſo, qui diſpenſat pro lubitu,injungitur. Sed quod Deo,Teſtamenti, & obſignationis ejuſdem authori licet, non æquè licet hominibus. Sic ſuum teſtamentum, & ceremonias circa illud mutare poteſt teſtamenti author. at, citra notorium falſi crimen, nemo alius privatus poteſt.

ARG. V. Sublato calice tollitur tum repræſentatio Chriſti,ut mortui ſanguine fuſo,tum ſignificatio integræ & ſolidæ refectionis ac nutritionis, tum denique conſolatio fructus de remiſſione peccatorum , quæ bibitioni æquè ac manducationi annexa eſt. Sacramenta enim eum in finem inſtituta ſunt,ut de promiſſionum Divinarum,ex quibus omnis & animi conſolatio, & affectuum ſanctificatio, & vitæ æternæ ſpes & patientia ſub cruce, & Chriſtiana denique charitas pendet,veritate certiores ſecurioréſque reddamur. Quòd ſi ea contra inſtitutionem Chriſti mutilentur, planum eſt,ipſam etiam promiſſionum Divinarum certitudinem eatenus in animis fidelium multùm & imminui & labefactari.

RESP. REDING : *Cùm verba Chriſti , quibus Sacramentum corporis ejus conficitur , eatenus corporis ſub panis ſpecie præſentiam ſignificent , ut ſub illa ponatur ſanguis Chriſti , non ex vi verborum, ſed naturalis concomitantiæ, nihil vel ad repræſentationem Chriſti, ut mortui ſanguine fuſo , vel ad ſignificationem integræ nutritionis, vel ad conſolationem deeris.* Ib.pag.194. Reſp. Concomitantiam in re ſignificata perperam te trahere ad concomitantiam ſignorum , quæ ſeorſim Chriſtus ad repræſentandam mortem Chriſti per ſanguinem fuſum,nutritionem perfectam, & conſolationem ſuffulciendam inſtituit, infra oſtendimus. Chriſtus infirmitati noſtræ,diverſorum ſignorum inſtitutione, conſuluit. Vos invidioſo animo gratiam hanc Chriſti coarctatis.

ARG. VI. Sacramentorum inſtitutio ſingularem teſtificationem continet & bonitatis & gratiæ Divinæ, eóque ampliorem quàm ipſius verbi Dei prædicatio, quòd hæc etiam nondum converſis, illa verè,utpote fœderatorum pignus & teſſera, nonniſi converſis contingit & applicatur. Unde Judæi meritò circumciſione gloriabantur, & agni Paſchalis ceremoniam maximo in pretio habuerunt. Et Veterum quoque Chriſtianorum baptizatorum conditio non ſuper infideles duntaxat , ſed catechumenos

etiam extollebatur. Imò Sacramenti etiam privatio gravissimæ pœnæ loco semper habita fuit. Quid ergo populus Christianus commeruit, quòd non inscio equidem, sed invito Deo privatur eo beneficio, quod summo semper in pretio habitum fuit?

RESP. REDING: *Nisi corporis & sanguinis Christi sub bina specie separationem perfidè adstruas, non potes ex unius duntaxat, corporis nempe Christi, speciei communione populum Christianum proclamare privatum beneficio sanguinis Christi.* Ib. p. 194 Resp. Non perfidè equidem, sed fide summa Divini verbi, quod sanguinem Christi morientis effusum, adeòque à corpore separatum, separato etiam signo repræsentari, obsignari & exhiberi testificatur, corporis & sanguinis Christi, in morte scilicet ejus, separationem adstruxi. Hujus separationis, seu mortis Christi S. Cœnam Sacramentum esse cùm voluerit Christus, separata etiam symbola, seorsim sumenda, instituit. Id verò inficiari necesse tu habuisti, quia Christi corpus, & sanguinem corporaliter in Cœna, velut sacrificio, adesse, contendis. Corporaliter autem corpus & sanguis fusus adesse nequeunt. Negare ergo separationem & rei signatæ, corporis & sanguinis Christi; & signorum, saltem quoad usum communem, necesse habuisti. Sic error errorem, velut vara vibiam sequi solet. Sed de rei signatæ separatione quicquid sit, at signa institutio Christi disertissimè separavit, & seorsim adhiberi præcepit. Quo beneficio cùm populum Christianum immerentem defraudetis, testificationem singularem gratiæ & bonitatis Divinæ à vobis haberi insuper, argumentum meum queritur meritò, neque tu respondere quicquam potuisti.

ARG. VII. Sed & Paulus 1. Cor. XI. 26. jubet, non in panis duntaxat, sed poculi etiam usu *mortem Christi commemorare, usque dum ipse veniat.* Nempe cùm non tantùm Christi corpus in morte sit laceratum, sed etiam sanguis ejus fusus, ipsius porro effusionis sanguinis in omni propitiatione facienda semper ratio habita sit, utique haud convenienter ille celebrat ἀνάμνησιν illius mortis, in qua peccatorum nostrorum expiatio facta est, qui non eam quoque Sacramenti partem usurpat, in qua fusionis sanguinis Christi commemoratio instituta est.

RESP. REDING: *Mortis Christi commemoratio communione & panis & calicis Eucharistici distributè spectata perficitur adeóque sola etiam manducatione corporis.* Id. pag. 194. 195 Resp. Atqui Christus & S. Paulus non alterutro, sed utroque symbolo mortem Christi commemorari asserunt. *Quotiescunque comederitis panem hunc, & biberitis calicem hunc,* (non alterutrum) *mortem Domini annuntiate, donec venerit,* 1. Cor. XI. 26. Atque ejus rei manifestam rationem, mysterii plenissimam, quòd videlicet in omni propitiatione facienda effusionis sanguinis semper ratio habita sit; argumentum meum pandit, quam tu ne attingere quidem ausus es; ego, lucem majorem fœneraturus argumento, amplificabo etiam. Præcipit ergo Christus: *Bibite ex eo omnes;* addita ratione: *Hic enim est sanguis ille meus Novi Testamenti, qui pro multis effunditur ad remissionem peccatorum,* Matth. XXVI. 27. 28. Res hactenus inaudita erat, sacrificii expiatorii gustare carnem, nedum sanguinem bibere. Prohibuit olim Deus, ne quisquam vesceretur carne sacrificii pro suis peccatis oblati, Levit. VI. 25.. 28. VII. 1. 7. coll. cum Levit. IV. 12. 21. In

promptu ratio est. Nondum venerat, qui carnem suam daret pro vita mundi, cum qua ad justitiam & vitam intima communio requirebatur. Quando verò Christus corpus suum pro peccatis nostris Deo obtulit, idem carnem suam nobis comedendam dedit, ut eam habeamus in nobis manentem, & per eam vivamus, & quidem æternam vitam. quod mysterium Salvator noster Joh. VI. 51—57. aperuit. Illius ergo rei symbolum panem dedit, quem comedentes fideles credunt, se communionem cum ipso Christi corpore, pro se in mortem dato, habere, & ex illo vivere. Quæ maximæ consolationis materies erat, qua non potiebantur fideles ante Christum, qui à typicæ carnis communione arcebantur, ut ad veræ illius exhibitionem tantò ardentiùs suspirarent. Sed districtior etiam olim sanguinis prohibitio erat, Levit XVII. 10—14. ubi ratio interdicti his verbis redditur: *quia anima carnis in sanguine est. Ego autem dedi illam vobis super altari, ad expiationem faciendam super animabus vestris, siquidem sanguis est, qui expiat animam.* Olim ergo sanguis pecorum venit super altare, ut ibi expiationem faceret pro animabus, sicut ipse velut anima pecorum erat. Nam Bestiæ quidem animam humanam non habent. Habent tamen, quod illam quodammodo referat, sanguinem, cujus subtilissima pars illis loco animæ est. Sic sanguis, seu anima bestiæ pro anima peccatoris in altari substituta vicariam substitutionem animæ Christi repræsentavit. Nefas tamen erat sanguinem pecorum comedere, ne comedendo eumvenire putarentur in communionem animæ pecorum. perinde ac si in ea esset expiatio vera animæ peccatoris, neque alia expiatio, per Christum videlicet, animam suam pro nobis ponentem; adeóque cum eadem communio, justitiæ & vitæ causa unica, expectanda esset. Postquam verò Christus effuso sanguine animam suam in cruce pro nobis posuit, simul ille declaravit, non solùm carnem suam manducandam, sed etiam sanguinem suum bibendum esse, adeóque cum eodem intimam communionem vera fide ineundam esse. Hujus mysterii Sacramentum instituens Christus, ex calice bibere jussit omnes, addita ratione; quòd *hic* (calix) *sit sanguis ille suus Novi Testamenti, pro multis, effundendus,* & postea effusus *ad remissionem peccatorum.* cum quo proin post expiationem realem, & consummationem conscientiæ jam factam, libertatem, lætitiam spiritus jam factam, potato necessaria sit ad peccatorum remissionem communio. Liquet inde, quanti piorum intersit, istud maximorum suorum privilegiorum sigillum sartum tectumque perstare; & quò demum spectet ista pars mysterii iniquitatis, qua ille Regni Christi juratus hostis, Sathanas, clam primùm, & quasi aliud agendo; deinde, ubi dolus patere cœpit, aperta vi calicem populo Christiano extorquere conatus est. Nimirum insidiis hisce appetiit ille maxima fidelium Novi Testamenti bona, peccatorum per effusum sanguinem Pontificis deletionem, expiationem actualem, & conscientiæ peccatoris consummationem. Agnoverunt mysterium ipsum veteres. Sic enim ex pluribus Cyprianus *lib. de Cœna Dom. cap. 7.* scribit: *Nova est hujus Sacramenti doctrina,* & Scholæ *Evangelicæ hoc primum magisterium protulerunt, & Doctore Christo hæc primùm mundo innotuit disciplina, ut biberent sanguinem Christiani, cujus esum legis antiquæ authoritas severissimè interdicit.* Et *lib. de unct. chrism. Statuit,* inquit, *Deus Sacerdotes, quibus calicem sanguinis sui inexhaustæ plenitudinis abundantia semper refertum conservandum tradidit & erogandum, cujus aspersione & communione intus & extus corda & corpora mundarentur.* Quin & ipsis sacrilegii architectis excidere talia, ex quibus colligere est, hoc Sathanam egisse, ut laicis, quos vocant, nihil nunc tribuatur ampliùs, quàm in V. T. fidelibus tributum erat. Sic enim Gerson *tract. contra commun. sub utraque* inter alias negandi calicis ratiunculas

& istam

& istam affert; *quòd esset periculum in falsæ credulitatis inductione, quòd tanta esset dignitas laicorum circa sumptionem corporis Christi, sicut & Sacerdotum.* Æneas quoque Sylvius *Colloq. cum Boh.* inter rationes suas hanc etiam refert: *Quòd impleatur figura veteris legis, quæ licet populo ministrari de sacrificio juberet, libamina tamen Sacerdotibus, Levitisque reservat.* Quin apud ipsos Tridentinos, S. Polano *Hist. C. T. lib. VI.* narrante, ratione ea calicis communione populo interdictum est, *quia sic laici pari cum Sacerdotibus gradu constituerentur.* Sed fusiùs etiam argumentum isthoc Celeb. Melchioris Commentatione *de Sanguine Christi Eucharistico* accuratissima *pag.* 24—36. illustravit.

ARG. VIII. Mutilatio calicis pugnat cum ecclesiæ veteris tam Orientalis quàm Occidentalis praxi. Fusè id post alios demonstrat Vir Ecclesiasticæ antiquitatis peritissimus Joh. Dalleus *de Cultibus Latinorum Relig. lib. V. 7. 8. 9.* &c. ubi pro Eucharistiæ sub utraque specie distributione cap. 7. ex quatuor primis Seculis Justini, Irenæi, Tertulliani, Origenis, Cypriani, Pseudo-Ignatii, Dionysii Alexandrini; *Cap.* 8. Pseudo-Clementis, Athanasii, Optati Milevitani, Hilarii, Basilii, Gregorii Nazianzeni, Cyrilli Hierosolymitani, Chrysostomi; *Cap.* 9. ex quinto Seculo Hieronymi, Augustini, Arnobii Junioris, Clericorum Edessenorum in Synodo Chalcedonensi, Leonis I. Theodoreti, Gelasii, Pseudo-Dionysii Areopagitæ; *Cap.* 10. ex sexto, septimo & octavo Seculis Remigii Remensis, Cassiodori, Pseudo-Ambrosii de Sacramentis, Gregorii M. Isidori Hispalensis, Bedæ, Paulini Aquilejensis, Alcuini, Theodolphi, Leonis III. Caroli M. Concilii Cabilonensis, Jonæ Aurelianensis, Concilii Parisiensis VI. Paschasii, Radberti, Remigii Altissiodorensis, Ratherii Veronensis testimonia fusè allegat & vindicat. *Cap.* 11. etiam loca miscellanea colligit ex mediæ antiquitatis auctoribus, in quibus vel lapsi à corpore & sanguine Domini separari, vel morientes sub utraque specie communicari dicuntur. *Capite* 12. ex XI. & XII. Seculo testimonia Humberti, Lanfranci, Micrologi, Desiderii Cassinensis, Leonis Hostiensis, Petri Damiani, Urbani P. R. II. Paschalis II. Ordinis Romani, Chronici Novall. Radulphi Ardentis, Algeri, Ruperti Tuitiensis, Bernhardi, Petri Cluniacensis, Thomæ, Lucæ Tudensis, aliorúmque producit. *Capite* 13. allegat testimonia veterum liturgiarum, quæ Basilii, Chrysostomi, Petri, Jacobi, Marci, Gregorii, Cyrilli nomina præferunt. Missæ Mozarabicæ, olim in tota Hispania solennis, cujus extat breve compendium à Latinis adornatum, & veterum aliquot Missarum ex antiquis MS. Codicibus à Menardo editarum. *Capite* 14. consensum laudat cæterorum Christianorum, Græcorum, Russorum, Armenianorum, Syrorum, Jacobitarum, Nestorianorum, Æthiopum, qui Eucharistiam omnes sub utraque specie communicantibus distribuunt. Quid verò multis? Ipsum Constantiense Concilium Sess. XXIII. id ipsum

 fatetur.

fatetur. Ait enim. *Licet Christus hoc venerabile Sacramentum instituerit sub utraque specie* & *licet in primitivâ ecclesia hujusmodi Sacramentum receptum sit à fidelibus sub utraque specie*; attamen se *declarare, decernere & definire, diversam consuetudinem ab ecclesia introductam, habendam esse pro lege, quam non liceat reprobare, aut sine ecclesiæ authoritate pro libitu mutare.* Orientalem ecclesiam sub utraque specie communicare, fatetur Georgius Cassander. Neque ausus est negare impudens cæteroquin Græcanicorum rituum Interpres Leo Allatius, exceptis paucis casibus. Idem Cassander in libro *de Communione sub utraque specie* edito agnoscit, in Ecclesia Latina mille ampliùs annis integram communionem obtinuisse. Eo ipso verò tempore, quo aliquibus in locis dimidiata communio introducta est, in aliis, præsertim verò in Monasteriis integram servatam esse ultra annum 1400. donec in Constantiensi & Tridentino Concilio aliter statueretur. Atque id ipsum ultro fatentes Georgium Vicelium, Franciscum Cordubensem, Ruardum, Lindanum, Petavium inducit Dalleus ibid. *Cap.* 15. Imò ipsum Concilium fatetur cap. 2. *ab initio Christianæ religionis non infrequentem fuisse utriusque speciei usum.* Quantopere in ipsa Synodo Tridentina Germani, Galli, Bohemi, alii in id incubuerint, ut restitueretur ecclesiæ communio sub utraque specie, ex historia superiùs narrata ac Epistola etiam Catharinæ Mediceæ ad Pontificem exarata liquet. Quin & Anthonius de Valtelina Dominicanus in Concilio communionem calicis sub utraque specie ex Ordine Romano comprobatum ivit. Doctissimus etiam Calixtus *de Comm. utr. pag.* 13. *& seq.* accuratè executus est, qui Germanorum à Synodi principio ad finem usque, qui post ipsum Synodi exitum fuerint labores, qui conatus, quæ officia Ferdinandi & Maximiliani optimorum laudatissimorúmque Imperatorum, Alberti Ducis Bavarici, & aliorum, ut communionem sub utraque specie impetrarent. Quin & ipsam Oratoris Bavarici Augustini Baumgartneri Orationem in Collectaneis Lovaniensibus omissam, aliáque multa de hoc argumento rara & recondita, ex privatis scriniis eruta in lucem publicam revocavit & edidit. In Concilii denique sequentis Sessione 50. Præsules calicem concedendum pertenderunt.

RESP. REDING: 1. *Si qui Patres communionis sub utraque specie meminerunt, non illi necessitatem communionis sub utraque statuerunt, sed liberum Ecclesiæ arbitrium reliquerunt. Licet enim Eucharistiæ Sacramentum pro omnibus Divinitus institutum sit sub duabus speciebus, earum tamen sumptionem Christus sub disjunctione duntaxat praecepit.* 2. *Justinus Martyr Christi praeceptum non refert ad communionem sub utraque specie, sed ad talem consecrationem panis, ut ex hoc Apostoli fecerint corpus Christi. Tertullianus lib. de resurrect. scribit, nos sanguine vesci, non sanguinem bibere. Nempe vescimur*

mur Christi sanguine sub specie panis. Origenes homil. 6 in Num. *ait, populum Christianum habere in usu bibere sanguinem. Cur in usu, non in praecepto? Cyprianus Epist. 2 lib. X. dicit equidem, Sanguinem Domini esse dandum fidelibus, ut roborentur ad martyrium. Sed addit idem, muniri debere Martyres protectione corporis Domini. Apud Ignatium (quem temere Pseudo-Ignatium vocas) Epist. ad Philadelph. verba isthaec à vestris citata,* unus calix omnibus distributus) *in Latinis Codicibus non extant; sed sic legitur:* Unus calix totius Ecclesiae. *Clemens Alexandrinus lib. II Paedag. cap. 2. ait, bibere sanguinem Christi facere participem incorruptionis Divinae. Atqui ille effectus aequè sumptioni corporis Christi tribui potest. Ejusdem tenoris reliqua à te allegata testimonia sunt. 3. Verba Constantiensis Concilii pervertis, sicut ante te Lutherus illa turpiter falsavit. Nihil enim tale habet, sed potius definit, non esse de jure Divino, sumere utramque speciem. Hoc sibi vult, Christi Eucharistiam in prima institutione discipulis suis, sub utraque specie consecrantis exemplum non importasse praeceptum, nisi in sacrificantibus, quibus dictum erat, ut hoc, quod Christus fecit, facerent. 4. Gratos ad aegrotos duntaxat panis deportare speciem; Genebrardus testis est. Sed & Hypatius Ruthenorum Legatus, Coccio teste, A. 1595. in fidei suae professione, fateri se ait, quòd sub altera tantùm specie totus & integer Christus, verùmque Sacramentum sumatur. Et quid tibi haeretici & schismatici Orientales prosunt? 5. Sicubi ante Constantiense Concilium in usu fuit communio sub utraque specie, non ex praecepto Christi, sed Ecclesiae indulgentia id obtinuit.* Ibid. pag. 195. 197. Resp. Non ausus es, Redingi, integrum argumentum meum lectori tuo repraesentare. Timebas enim ei ab aculeis ejus, ne forte illi lecti plurium animis haererent infixi. Sed & *cavillationes* tuae levissimi ponderis sunt. Etenim 1. audacter S. Patribus imponis, quòd communionem sub utraque memorantes, Ecclesiae tamen liberum reliquerint, sub utraque, vel una specie distribuere, hoc est, Christo praecipienti vel obedire, vel non obedire. Unum, si potes, ex omnibus libertatis hujus, seu potiùs licentiae authorem ede. Frustra verò Ecclesiae corruptae somnia vestra Ecclesiae integrae adhuc imputas. Tuam porro λεπτολογίαν, qua Christum Eucharistiam instituisse, ut sumatur disjunctivè, supra discussi. 2. Consuetudinem perpetuam veteris Ecclesiae fuisse, distribuere utrumque symbolum, non tantùm Celeb. Dallaeus *loc. cit.* post Chamierum, Calixtum, alios irrefragabilibus documentis, quorum summa capita argumentum meum indicat, quaeque tu vellicando potiùs nonnullorum dicta, quàm solidè refellendo quicquam, impudenter attrectas veriùs, quàm ingenuè tractas, demonstravit; verùm candidi etiam Papistae quique rotundè confitentur. En paucos. Arboreus *Theosoph. lib. VIII. 11.* *Olim*, inquit, *laici communicabant sub utraque specie, quod tamen antiquatum est.* Alphonsus de Castro in hac ipsa controversia: *Ut credamus, non esse contra Evangelicam institutionem, Eucharistiam sub utraque specie aliis, etiam Laicis porrigere. quod firmissimè fatemur. Nam olim per multa Secula sic apud omnes Catholicos usitatum esse (NB) ex multorum Sacrorum Scripturis didicimus.* Salmero *Tomo IX. tract. 2. Per metaphoram innuit Esaias potum sanguinis Christi, qui in Ecclesia à populo toto sumebatur, quemadmodum nunc à solis Sacerdotibus.* Durationem longam consuetudinis illius Soto *artic. 12. quaest. 1. in dist. 12. quarti* sic explicat: *Non modò inter haereticos, verùm inter Catholicos etiam ritus ille multo tempore invaluit, adeò ut temporibus S. Thomae nondum fuerit abolitus.* Lyranus *in Joh. VI. Licet in primitiva Ecclesia populus sub utraque specie communicaverit, tamen postea ordinatum est, ut non communicetur sub utraque.* Thomas Aquinas in hunc ipsum locum: *Secundum antiquae Ecclesiae consuetudinem omnes*

sicut communicabant corpori, ita communicabant & sanguini. Quid ergo, Redingi, tergiversare? Cur Patrum dicta sic torquere audes? Verè enim te detorquere Justinum, Tertullianum, Origenem, Cyprianum, Ignatium, Clementem Alexandrinum, quos ex innumeris, detorsioni tibi opportuniores visos, fidiculis imponis, manifestum est. Etenim Justinus Martyr *Apolog* 2. disertissimè dicit, *Diaconos distribuere unicuique præsentium, ut participent ex pane, & vino, & aqua benedictis*, en. non *uni de clero*, sed ἑκάστῳ τῶν παρόντων *unicuique præsentium.* Subjicit: *Nam Apostoli in commentariis à se scriptis, quæ Evangelia vocantur, οὕτως παρέδωκαν ἐντετάλθαι αὐτοῖς τὸν Ἰησοῦν, ita sibi præcepisse Jesum tradiderunt.* Non ergo ipsi visum est isthoc liberæ observationis. Frustra tu verba illa ad consecrationem solam, non ad communionem referenda esse, ex Bellarmino sciscis. Nam ad omnia, quæ superiùs dixerat, hoc referri, ex ipsa serie verborum Justini liquet. In superioribus enim non aliquid, sed omnia de communione planissimè dixerat, quæ locus requirebat. Et in verbis posterioribus hoc Christi ex Evangelio dictum disertè, & quidem primo loco repetit: *Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem.* At *bibere* non Sacramentum consecrare, sed communicare est. Tertullianus *de resurrect. carn. cap.8.* carnem fidelis cujusvis *corpore & sanguine Christi vesci* ait. *Vesci*, excipis, non *bibere*. Perpulchrè. Quomodo enim caro fidelis vesci potest sanguine Christi, hoc est, vino (nam caro fidelis utique non sanguine, sed vino, sanguinis symbolo vescitur) nisi bibendo? Neque Tertulliani animum figmentum vestrum Methusiasticum subivit, quòd carnem Christi edendo simul sanguine vescamur. Sed & vescendi verbum commune est tum escæ, quæ editur, tum liquoris, qui bibitur. Ita Cicero *de Nat. deor. lib.II.* negat, sidera *potionibus vesci*. Ex Nonio etiam observant, apud Latinos *vesci* idem sæpe esse, ac uti. ut apud Pacuvium *armis vesci*. Origenes populum Christianum *in usu habere sanguinem* bibere, scribit. *In usu*, regeris, *non ex præcepto.* Quasi scilicet hic non de usu veteris ecclesiæ contentio tota sit; vel usus Ecclesiæ aliunde, quàm à præcepto Christi originem traxerit. Unde enim, explica, traxit, si non inde? Cyprianus, *Epist.56.* ad plebem Thibaritanam, *Gravior*, inquit, *nunc & ferocior pugna imminet, ad quam fide incorrupta, & virtute robusta parare se debent milites Christi, considerantes se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, ut possint & ipsi propter Christum sanguinem fundere.* Vel negandum est, laicos Christi milites esse, & sanguinem propter eum fundere debere: vel his quoque Cypriani ætate calix sanguinis Christi propinatus est. Sed addit idem, inquis, *muniri debere Martyres protectione corporis Domini.* Imò verò & corporis & sanguinis Domini. Sic enim *Epist.*54. loquitur: *Quos* (lapsos) *excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione sanguinis & corporis Christi muniamus.* Mox: *Quomodo*, inquit, *ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos priùs ad BIBENDUM in Ecclesia poculum Domini jure communicationis admittimus.* Pseudo-Ignatium vocavi, quia Epistolæ Ignatii nomine venditatæ ei affictæ sunt, tertio demum, quod alibi probamus, seculo. Sic autem author ille, quisquis est, *Epist ad Philadelph.* scribit: *Una est caro Domini nostri Jesu Christi, & unus illius sanguis, qui pro nobis effusus est, & unus panis omnibus fractus est, & εἷς ποτήριον τοῖς ὅλοις διενεμήθη, & unus calix OMNIBUS distributus.* Hæc verba, *unus calix omnibus distributus*, in Latinis Codicibus non extare, caussaris. In Græcis tamen extare, quod nobis sufficit, negare non audes. Translationem autem fonti præferre, hominis indocti & parùm sensati est. Reliquas Bellarmini adversus locum illum strophas solidè Doctiss. Vedelius *Exercit. III.7. in Ignatium* discussit. Clementem Alexan-

drinum

drinum non allegavi. Et tamen glossa tua quid ineptius est? Dicit Clemens *Pædagog. lib.II.2.* Τὸ δ' ἐστι πιεῖν τὸ αἷμα τοῦ Ἰησοῦ, τῆς κυριακῆς μεταλαμβάνειν ἀφθαρσίας. *Hoc est, bibere Jesu sanguinem, esse participem incorruptionis Domini.* Regeris, effectum eum etiam corporis Domini sumptioni competere. Quasi non idem effectus, apotelesma idem à diversis caussis oriri, eadémque res diversis, uti hic Christus instituit, signis, diversóque adeò modo repræsentari possit. Habet lector Redingiani in tractandis, & ad figmenta novitia inflectendis Patribus candoris specimen. Innumera verò & irrefragabilia Patrum testimonia præterit. 3 De Constantiensi Concilio miror sanè tuas ineptias. Hoc unum enim ejus testimonio suffulcivi ego, *quòd in primitiva Ecclesia Sacramentum receptum sit a fidelibus sub utraque specie.* Annon diserta hæc Concilii verba sunt? Cur ergo à me perverti querere? Quin fatetur Concilium, *diversam consuetudinem ab Ecclesia introductam, & habendam eam esse pro lege.* Duplex ergo fuit consuetudo Ecclesiæ; prior Apostolicæ & primitivæ, utramque speciem distribuentis; posterior Papalis serorum & sequiorum temporum. Posteriorem consuetudinem pro lege habendam ajunt. Prior verò, Christi institutioni innixa, cur non potiùs legis vim habere censetur? Scilicet Papæ voluntas, legem Divinam, & antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem abolentis, legis vim habet: Christi instituentis voluntas non habet. Lutherum cur fraudis crimine arcessas, explicare debueras. Urebat forte te, quòd Concilium Constantiense Ἀλγονενικὸν. *Non-obstantiense* appellavit, eò quòd *Seff.XIII.* definire non dubitaverit: *Licet Christus* (Eucharistiam) *post Cœnam instituerit, & suis discipulis administraverit sub utraque specie panis & vini: tamen* HOC NON OBSTANTE *Sacramentum non debere confici post Cœnam; & rationabiliter introductam esse consuetudinem, quòd licet in primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus sub utraque specie, à laicis tantùm sub specie panis suscipiatur.* Quibus verbis Concilium illud indelebile impietatis stigma sibi inussit, meritò Luthero, quicquid etiam rei stomachentur, dedecus propalante & perstringente. 4. De Græcorum, panem ad ægrotantes deportantium more infra. Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus Epistola ad Theologos Wirtembergenses An. 1576. exarata; *Dicitis,* inquit, *primùm, in Sacra Cœna percipiendam esse utramque speciem.* Καὶ καλῶς λέγετε: *Et rectè dicitis. Sic enim & nos facimus.* Sic quoque Metrophanes Critopulus, Alexandrinus Patriarcha, *Confess. Eccl. Orient. cap.9.* aliique. De Ruthenis Guagninus *pag.176.* testis est, sub utraque eos specie Eucharistiam percipere, sigillatim etiam exequens, quomodo utramque valentibus & infirmis, ac deniq; pueris ministrent. Neque Hypatius dissentit. Aliud enim est, Christum totum sub unaquaque specie accipi, aliud, unam speciem distribui. Neque etiam Orientales allegati in eo hæretici & schismatici fuerunt, súntque hodie, quòd Christi institutioni inhærentes sub utraque communicant. Et communis eorundem praxis ritus antiquitatem demonstrat, quia commutatio ritus hujus nulla apud eos demonstrari potest. 5. Indulgentia legitima est, cùm quis de suo, adeóque indebitum illud indulget. Nam aliena indulgere, hominis injusti & furacis est. Cùm igitur Ecclesia calicem à Christo institutum, & distribui præceptum distribuit, atque sic institutioni & præcepto Christi satisfacit, nulla hæc indulgentia, sed debitum officium est dispensandi ea, quæ Christus, ad beneficia sua, non Ecclesiæ, obsignanda dispensare jussit.

ARG IX. Spirituale hoc furtum etiam Apoc.IX.21. nomine κλέμματος *furti* traducitur, ubi de iis, qui à plagis immunes & superstites extiterunt, dicitur,

dicitur,non resipuisse eos ab operibus manuum suarum,ne adorarent dæmonia,idola aurea,argentea,&c. à cædibus,veneficiis, scortatione sua, οὔτε ἐκ τῶν κλεμμάτων αὐτῶν, *nec à furtis suis*. Quàm apprimè hoc vaticinium conveniat idololatriæ & mutilationi calicis Pontificiæ, mediocri utens sagacitate cognoscere potest.

RESP. REDING: 1. *Turpissima calumnia hæc est: Vos Christi corpus & sanguinem ex Eucharistia abstulistis.* 2. *Nos verò sub specie panis & corpus & sanguinem Christi dari professi, nullius furti rei sumus.* Ib. pag. 197. Resp. 1. Non calumnia hæc, nedum turpissima, sed justa accusatio, & complementi Prophetiæ in ipsa re demonstratio est. Neque nos Christum ex Eucharistia, sed opinionem Panacci Numinis, non à Christo dati, sed à sacrificulo creati, jure meritoque sustulimus. 2. Non quid vos dari profiteamini, sed quid Christus dari jusserit, quæritur. Christus autem distribui calicem, & distributo eo sanguinem suum obsignari jussit. Hunc calicem vos & negantes populo, & dari seriò prohibentes, imò sublati & prohibiti calicis sanctionem vivicomburio eorum, qui pro communione calicis pugnaverant, Hussi puta & Hieronymi, sancientes, oraculi à me citati, quo superstites à plagis nec à cædibus, nec à furtis resipuisse dicitur, mensuram implevistis, hodieque impletis.

ARG. X. Vera causa mutilationis Synodo fuit, tum ne superiora Concilia erroris suspecta redderentur: tum ut potestas & excellentia Sacerdotum amplificarentur, & authoritas exerceretur pro lubitu conscientiis dominandi: tum ut verba promissionis de remissione peccatorum ad missam faciliùs transferrentur, & ad eam redimendam passim homines invitarentur.

RESP. REDING: 1. *Fictitia & calumniosa hæc esse, ex rationibus, quibus Synodus ad decretum suum inducta est, liquet.* 2. *Siccine superiora Concilia Oecumenica tibi suspecta erroris sunt?* Ib. pag. 197. 198. Resp. 1. Contra institutionem Christi omnes λόγοι ἄλογοι, & carnalis sapientiæ fœtus sunt. 2. Concilia superiora Papalia (de his enim, non Oecumenicis legitimis, ratio loquitur) erroris non suspecta duntaxat, sed convicta sunt.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Christus quidem Dominus in ultima Cœna venerabile hoc Sacramentum in panis & vini speciebus instituit & Apostolis tradidit. Illa tamen institutio & traditio non eò tendit, ut omnes Christi fideles statuto Domini ad utramque speciem accipiendam adstringantur.* Ita Concilium cap. 1. Addunt alii, *verba Christi jubentis bibere, vel Apostolis solis dicta esse, vel esse mera invitationis, quæ liberum obsequium relinquit, non imperii. Unde etiam Christum Luc. XXII. 19. verba illa,* Hoc facite, *posuisse post speciem panis, & non post calicem datum.* Resp. 1. Concilium temerè sibi potestatem arrogat *institutionem* & *traditionem* Christi ab ejus *statuto* distinguendi. Quasi non Christi institutio æquipolleret mandato

dato ejus perpetuo, esſétque praxeos perpetuæ regula, adeóque æquè calicis ac panis diſtribuendi neceſſitatem injungeret. Etenim ſi inſtitutio non eſt idonea cauſa diſtribuendi calicis, etiam ipſius panis diſtribuendi nulla omnino neceſſitas incumbet. Quis non videt, univerſum Cœnæ Dominicæ Sacramentum hac ratione tolli & concuti? 2. Ad Apoſtolos ſolos ſpectâſſe mandatum bibendi, quod pertenderant in Synodo Salmero & Turrianus Jeſuitæ, ipſa tamen Synodus definire haud ſuſtinuit. Nempe ad eoſdem ſpectat mandatum bibendi, ad quos etiam mandatum edendi ſpectat. At hoc omnes fideles concernere fatentur Adverſarii. Rationem diſcriminis ediſſerant. Apoſtolis non qua talibus, ſed quâ fidelibus Sacramentum Chriſtus adminiſtravit. Argumenta ipſius Scipionis Henrici adverſus hanc ςρέβλωσιν videantur ſuperiùs pag. 694. 3. Verba Chriſti eſſe *præceptiva*, non nudè invitantia, fatentur, etiam Andradius & Hardingius. Fatemur invitari fideles ad cœnam. Sed invitatis æquè liberum non eſt, an bibere, ac liberum non eſt, an edere velint. Utrinque ſimilis ratio obtinet. 4. Etſi Lucas mandatum hoc *faciendi* non ſubjecit poſt datum calicem; tamen id fecit Matthæus, & ex æquo ad panem & calicem diſtinctè applicat, S. Paulus 1. Cor. XI. 24. 25.

Excip. Reding: 1. *Cùm mandatum Chriſti non obſtringat omnes ad conſecrandum, cur omnes obſtringit ad Sacramentum ſub utraque ſpecie ſumendum? 2. Inſtitutio & mandatum Domini, his verbis, Facite hoc ad meam commemorationem, comprehenſum; reſtringendum eſt ad ſolos Sacerdotes conſecrantes. Licet enim factum ſit pro omnibus, tamen non omnes obligat. ſicut matrimonium pro omnibus inſtitutum, non perinde omnes obligat. Neceſſitas verò edendi corpus non ex inſtitutione, ſed aliunde, ex mandato disjunctivo, vel corpus edendi, vel ſanguinem bibendi 1. Cor. XI. 27. petenda eſt. 3. Præceptum, Bibite ex hoc omnes, non utique univerſos homines, ſed eos tantum, qui Chriſto accumbebant, Apoſtolos præſentes ſpectabat. 4. Non Matthæus, ſed Lucas ſolus cap. XXII 19. ante calicem datum iſthæc verba: Hoc facite ad meam commemorationem; poſuit; S. Paulus vero 1. Cor. XI. 24. 25. de pane loquens* abſolutè; *de calice,* hypotheticè, *(quoties bibetis, permittente ſcilicet Eccleſia) ad ſui recordationem facere jubet.* Ibid. pag. 198. 200.

Reſp. Magno verborum ſtrepitu vix aliud quam recoctam olidámque crambem reponis. Etenim 1. mandatum Chriſti Apoſtolos & Miniſtros omnes obligavit tum ad conſecrandum, tum ad dandum ſeu diſtribuendum fidelibus præſentibus & idoneis, eoſdémque ad edendum, bibendum obſtrigendos. Nempe 2. mandatum *Hoc faciendi*, non ad unum duntaxat, ſed ad omnia, quæ Chriſtus fecit, apertè refertur. Atqui Chriſtus non tantùm *benedixit*, adeóque benedicendo conſecravit; ſed etiam *fregit, & dedit diſcipulis, & dixit. Accipite, edite: Hoc eſt corpus meum. Et accepto calice, gratiis actis, ἔδωκεν αὐτοῖς dedit iis, dicens: Bibite ex hoc omnes.* Matth. XXVI. 26. 27. Quod autem ſic ipſe fecit, id ipſum Apoſtolos facere juſſit, Luc. XXIV. 19. Ergo & Apoſtoli, & eorum in communi munere ſucceſſores omnes non tantùm benedicere, conſecrare; ſed etiam *dare*, hoc eſt, præſentibus diſtribuere, & dicere: *Edite, Bibite ex eo omnes*, debuerunt,

runt, hodiéque debent. Par & consecrandi calicem, & eundem consecratum dandi seu distribuendi præsentibus necessitas tum ab institutione, tum à mandato Christi injungitur. Si obligat mandatum consecrandi obligat etiam mandatum dandi omnibus. Frustra ergo inter mandatum pro omnibus, & mandatum omnibus datum distinguis. Omnibus enim consecrantibus datum est mandatum distribuendi fidelibus præparatis præsentibus omnibus, & pro omnibus. Sic matrimonium contrahendum omnibus est, pro quibus illud institutum est; puta idoneis ad multiplicandum humanum genus, & vocatis ad illud, vocationisque Divinæ signa recognoscentibus. Mandati verò disjunctivi figmentum supra rationibus confixi. 3. Præceptum Christi: *Bibite ex eo omnes*, obligavit utique præsentes tum Apostolos. Sed ut Sacerdotes conficientes, quæro, an ut simpliciter fideles? Si prius, jam Sacerdotes ergo fuerint, & consecerint omnes. Hoc verò strenuè negatis ipsi; & verbis demum his, *Hoc facite* &c. compellatos in Sacerdotum dignitatem consurrexisse pertenditis. In communione ergo ipsa Sacerdotes non fuerunt. Si posterius, jam ergo fideles præsentes omnes, parium pari ratione habita, sicut accepto pane comedere, ita accepto & ordine distributo calice bibere debent. Hos enim, qua fideles, non alios Apostoli repræsentare potuerunt. Neque enim non Sacerdotes repræsentare Sacerdotes, & quidam conficientes potuerunt. Unde etiam Christus Matth. XXVI.26. panem dedisse dicitur *τοῖς μαθηταῖς discipulis* & *αὐτοῖς iisdem* etiam calicem. Est autem *τοῦ μαθητοῦ discipuli* appellatio omnium in Christum credentium, non eximia vel Apostolis vel Sacerdotibus. Hoc scilicet argumento mota Synodus Salmeronis & Turriani sententiæ album calculum adjicere dedignata est. 4. S. Matthæus cap. XXVI.26.27. testatur, Christum mandasse ut comederent, quibus panem distribuit, & biberent, quibus calicem propinavit, OMNES. Verba porro Luc. XXII.19 *Facite hoc ad mei recordationem*, mandato edendi subjecta, ad mandatum bibendi æquè pertinere, supra ostendimus. Et ad utrumque S. Paulus 1.Cor.XI.27. nullo discrimine, & mandato utrinque, uti supra etiam vidimus, non absoluto, sed hypothetico, manifestè refert.

OBIECT. II. *Libertatem communionis sub una duntaxat specie indigitat Christus Joh. VI. Nam qui dixit vers.53.* Nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; *idem quoque superiùs v.51. dixit:* Si quis manducat ex hoc pane, vivet in æternum. *Est argumentum Concilii cap.1.* Resp. Concionis Christi Joh.VI. de pane vitæ, carne Christi, varias esse Sanctorum Patrum & Doctorum interpretationes, ipsum Concilium non dissimulat. Neque etiam de Sacramentali manducatione panis & carnis ibi agi, definire sustinuit. Nos de spirituali, quæ extra Sacramentum locum habere potest, agi minimè dubitamus. 2. Quòd si tamen de Sacramentali manducatione accipienda concio esset, minimè libertas manducandi inde evinci posset, cùm v.53.54. præcisum & grave mandatum bibendi sanguinem contineatur, versu autem 51. non mandatum exter, sed promissio vitæ facta ei, qui ex pane illo nempe ordine modóque à Christo instituto, manducaverit.

EXCIP. REDING: *Christus Joh VI.51. praecisè carnis suae manducationi vitam aeternam promisit. Praeceptum ergo ejusdem v 54. de carnis & sanguinis sumptione latum non collectivè, sed distributivè accipiendum est.* Ibid. pag.200. Resp. De Sacramentali manducatione Joh VI. agi, ipsemet asserere non audes. Et si de ea maximè ageretur, tuum erat, versus 51. & 53.54. conciliare, non discerpere: & conciliationi à me allatae respondere. Nam verba v.53.54. disertissimè copulativa, non disjunctiva sunt: *Nisi ederitis (καὶ) & biberitis*; non, *ederitis vel biberitis*; nec non: *Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum*; non: *Qui vel edit carnem, vel bibit sanguinem.*

OBIECT. III. *Etiam Apostoli Luc.XXIV.30. & primi Christiani Act.II.42. XX.7. communicârunt panem frangendo, adeóque sub una duntaxat specie panis, omisso calice.* Resp.1. Panis, quem Christus discipulis suis Emaunte porrexit Luc. XXIV.30. non sacrae, sed communis mensae panis fuit, ad coenandum, non ad Sacramentum celebrandum paratus, uti omnia suadent, hora, res, Christi mos, consentientibus etiam Lirano, Dionysio Carthusiano, ipso Wideforde contra Wiclefum artic.1. ubi negat, *aliud ex antiquis Doctoribus probari posse.* 2. Duo reliqui loci de Sacramento rectè accipiuntur, in quibus tamen *fractio panis* non unius, sed recepta in Scripturis Synecdoche utriusque speciei usum significat. Ita *manducatio Paschatis*, cujus mentio est Matth.XXVI.17. Luc.XXII 11. Joh.XVIII.28. non fuit sine potu. Ita Graeci voce *συμπόσιον*, & Hebraei passim verbis אכל vel שבר לחם *comedere, frangere panem*, totum convivium simili tropo insinuant. 3. Quòd si sub una duntaxat specie ibi vel Emaunte celebrata esset coena, sequeretur etiam unam duntaxat speciem panis consecratam esse. Id verò cum mente omnium Doctorum & sensu ecclesiae pugnare, in ipsa Synodo Anthonius Mondulphensis, Pragensis Episcopi Theologus arguit.

EXCIP. REDING: 1. *Theophyl. Eus., Augustinus Epist.59. & Hesychius Hierosol. in Levitic. lib. II.9. coenam Emaunticam Eucharisticam interpretantur. Neque enim communis, sed Eucharisticus panis ingenerandae notitiae Christi efficaciam habuit.* 2. *Cur S. Paulus 1.Cor. XI.25. tam [illegible] calicem laicis fidelibus dari solitum, ultra panis speciem; Act. II.42. XX 7. autem solius fractionis panis meminit, nisi quia innuere voluit, ritè Eucharistiam sub utraque vel alterutra specie celebrari posse? Neque Synecdochen verbis iis [illegible], quia ad communionem eam, quae Act II. & XX. describitur, confluxerunt Judaei, qui inter Nazaraei sui voti, uti ex Act.XXI.4. colligitur, tenaces, vino abstinuerunt.* 3. *Interim [illegible] Act. II & XX. utramque speciem consecratam, & à sacrificantibus sumptam [illegible]. Sed laici non communicarunt nisi sub fractione panis, quia nulla mentio calicis est, quem Nazaraei repudiarunt. Emaunte verò Christo licuit unam speciem, propter excellentem [illegible] potestatem consecrare.* Ibid. pag.200-204. Resp. 1. De Coena Emauntica sic W[illegible] vester *contra Wiklefum art.1.* scribit: *Dico, quòd non habetur ex textu, vel ex Glossa Lucae vigesimo quarto, vel per antiquos doctores, quòd ille panis, quem [illegible] post resurrectionem in sero, coram discipulis suis consecratus, vel quod ille panis fuit Sacramentalis, vel conversus in corpus Christi.* Augustinus equidem & alii

nonnulli Patres, ubi allegorias venantur, ad mysterium trahunt, quòd Christus inter frangendum illum panem à discipulis fuit agnitus, eoque Eucharistiæ vim & efficaciam significatam volunt; panem verò illum Eucharisticum fuisse, nulli asserunt. Vitro futiliora & fragiliora sunt, quæ vitilitigatores alii afferunt, solidè à Chamiero *Panstrat. lib.IX.2.* & Calixto *contra comm.sub utraque pag 91.* discussa. Si Eucharistica actio fuit, cùm solius panis sumpti mentio sit (unde communem sub utraque oppugnas) solus etiam à Christo consecratus; solus ab eodem conficiente sumptus fuerit oportet. Qualis hæc Eucharistia fuit? 4. Calicem laicis datam fuisse 1.Cor.XI.25. fateris ultro. Idque ex institutione Christi ipsius S. Paulus demonstrat. Synecdochen ergo in verbis *κλάσεως τ̃ ἄρτου fractionis panis*, agnoscas oportet, nisi primos Christianos fractæ violatæque institutionis Christi Domini sui reos peragere mavis. Accedit usus phraseos, sacris etiam Hebræis & Græcis scriptoribus receptissimus, adeò quidem, ut convivia vix aliter Hebræi quàm phrasi שבר לחם *frangere panem*, & voce משתה *compotationis*, neque Græci aliter quàm vocabulo *συμποσίου compotationis* describant. uti loca Genes. XXV.37 & XXXII.54. & XLIII.25 31. Exod.II. 20. 1.Sam.XX.34. Matth.XV.2. Luc. XIV.1.15.&c. fidem faciunt. Ne tamen sine ratione insanire videare, urges, Judæos Nazaræos, qui voto sibi vini usu interdixerunt ipsi, fractioni panis, Act.II. & XX. memoratæ interfuisse. Atqui vinum in Eucharistia adesse, vos pernegatis. Illi autem non utique vini species, sed vinum ipsum abhorruerunt. Unde Nazaræos illos primos Christianos, Calvinistas fuisse, lepidè insinuas ipse. Tum an major fuit obligatio Nazaræorum non bibendi vinum, quàm Judæorum omnium non bibendi sanguinem? Et tamen Christum & Apostolos, Judæos utique, sanguinem bibisse asseritis. Dein semel in libro Actuum aliquid legeras de quatuor quibusdam viris, capita certo die ex voto rasuris. Hinc statim tibi nati sunt Nazaræorum manipuli, qui, in Ecclesiam Christianam sparsis Calvinistis licet à te assimilati, eò quòd vinum, non sanguinem sibi propinari opinarentur, Apostolos cogerent in sui gratiam calicem de plebis manibus excutere, & institutioni Christi fraudem facere, ne scilicet Nazaræi præter votum suum vinum biberent. Quo præterea authore, quo teste Nazaræos fractioni illi panis interfuisse probas? Tam profectò verisimile est, propter Nazaræos dictum esse, discipulos perdurasse in fractione panis: quàm propter eosdem Esaj.LVIII.7. dictum esse: *Frange esurienti panem tuum.* 3. Si in locis Act.II. & XX. synecdoche nulla est, qua ratione conficies illam verisimilitudinem tuam, quòd utraque species consecrata, & à conficientibus sumpta sit? Nam profectò *panis fractio* propriè, & sine synecdoche, solam panis communionem, non vel Eucharistiæ totius consecrationem, vel poculi communionem notat. Quid verò Emaunte Christo licuerit, frustra disputas, quia Eucharistiam ab ipso celebratam esse non probasti. Si tamen celebrata & una species consecrata & communicata est, jam aliud planè genus fuerit Eucharistiæ, diversum ab eo, quod pro perpetuo Ecclesiæ usu Christus instituit.

OBJECT. IV. *Ecclesia Christi habet authoritatem in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia ea statuendi vel mutandi, quæ suscipientium utilitati, & Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum & locorum varietate magis expedire judicat. Illa igitur justis & gravibus causis adducta, mutatâ priori consuetudine, illam sub altera specie communicandi consuetudinem approbavit, & pro lege habendam decrevit.* Verba sunt Concilii Cap.2. Rationes illas justas & graves depromunt

munt alii nominatim etiam Bellarminus, & ante ipsum Gerson, varia nimirum incommoda, qualia sunt 1. *Impossibilitas calicem administrandi iis in locis ubi populus valde numerosus, & unus tantùm sacerdos.* 2. *Quòd multi abhorrent à vino, & vel natura vel educatione abstemii sunt.* 3. *Vini quibusdam in locis penuria.* 4. *Irreverentiæ in Eucharistiam periculum, si fortè sacri vini aliquid effundatur, vel laicorum barbis adhærescat, vel asservatum acescat, &c.* Resp. 1. Ecclesiæ tam nulla potestas est in mutandis Sacramentorum ritibus à Christo institutis, quam nulla est in mutando ejus verbo & lege. Sicut enim hoc audibile, ita illi visibile voluntatis Divinæ signum continent. At Christus communionem sub utraque instituit, fatente Synodo, & calix ad Sacramenti materiam externam, adeóque essentiam pertinet. Alia ratio est εὐταξίας seu ordinis externi, de quo intelligendus est locus Apostoli 1. Cor. XI. v. ult. à Concilio allegatus. Quòd si hæc ecclesiæ potestas permittitur, quid vetat, quò minus totum Cœnæ Sacramentum abolere posse dicatur? 2. Neque justæ gravésque causæ fuerant mutilandæ cœnæ, quæ allegantur. Etenim eadem incommoda etiam Christus prævidit. Neque tamen temperavit, quò minùs Apostolos bibere, & hoc facere ad sui recordationem juberet. Neque etiam vetus ecclesia incommoda hæc eo loco habuit, ut integram communionem rejiciendam putaret. Unde ipsos in Concilio Patres incommoda hæc derisisse, allatâ hac ratione: *Si ecclesia totis XII. Seculis, etiam cùm majori paupertate laboraret, rationem obviam eundi his periculis reperire potuit, nostro utique tempore longè proclivius esse hisce incommodis occurrere,* Historicus *lib. VI. pag.* 473. narrat. 3. Præterea hi casus nec semper, nec ut plurimum occurrunt, nec obstant nobis saltem, quò minùs integram cœnam administremus. Etenim ecclesiæ illi, quæ ab uno pastore commode doceri potest, etiam ab eodem calix administrari potest. Si qui verò sunt prorsus abstemii, eos Deus à lege communi exemisse intelligitur. Et propter penuriam vini quibusdam in locis non magis adimendum est vinum aliis populis in usu sacro, quàm in usu communi. 4. Denique tollenda est superstitio & prava persuasio, quæ imaginaria hæc incommoda vano terrore auget.

EXCIP. RESPONDEO: *1. Substantia institutionis Christi mutari nequit. Ad illam verò communio sub utraque specie non pertinet, quia sub alterutra specie totus Christus percipitur. Ipsa Confessio vestra cap 28. rituum libertatem, salva fide, probat. Sic ipse S Paulus libertatem circa ritus hujus Sacramenti confirmavit, scribens 1. Cor. XI. 34. Cætera cùm venero, disponam. 2. Etiam Ecclesia anteriorum Seculorum extra speciales casus, veluti Manichæorum detegendorum, sub una specie communicari posse, persuasum habuit. 3. Incommoda allegata secundariæ decreti causæ fuerunt. Primaria fuit hæreticorum pertinax error de necessitate utriusque speciei, per institutionis Divinæ legem obtinente, aliæ*

quæ veræ fidei adversantes consequentiæ. Ib. pag. 204. 205. Resp. 1. In Christi institutione & legibus nullum substantiæ & circumstantiarum discrimen attendi potest. Quicquid enim, ut fiat, instituit; quicquid facere mandavit, illud omne faciendum religiosè est, sive ad substantiam mandati pertineat, sive non. Institutam porrò à Christo & mandatam esse sicut edendi, ita bibendi etiam necessitatem, supra ostendimus. Non licet autem Ecclesiæ Christi instituta & mandata, cujuscunque rationis sint, inducere & mutare; sed sola obsequii gloria eidem relicta est. Alias jam non Evangeliorum, sed temporum habebimus fidem. Alia ratio est earum circumstantiarum, eorum accidentium, de quibus Christus non dedit mandatum; veluti Eucharistiam celebrandi post cœnam; vel celebrare sedendo, pane azymo, vino rubello &c. Nusquam hæc mandata sunt; sed simpliciter Christus dixit, *Hoc facite*, hoc est, *edite, bibite ex eo omnes*. Sapienter S. Augustinus *Epist.* 118. *ad Januar.* sic scribit: *Si Christus monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur S. Cœna, credo quòd eum morem nemo variasset.* Sed & pars materialis Eucharistiæ, signum calicis à Christo institutum, quomodo tu ab Eucharistiæ substantia disparabis? Neque enim satis est dicere, sub alterutra specie Christum integrum contineri, quia hic non de sola re significata, sed signis etiam à Christo institutis, & modo significandi quæstio est. Jam enim supra satis demonstravimus, calicem quoque à Christo signum Eucharisticum institutum esse, & peculiarem suam habere ad rem signatam relationem, adeóque fidei suam præbere meditationis materiam, ex qua singularis insuper fructus gratiæ, seu consolatio & exhilaratio, fidelibus N. T. eximia, nasci queat. Præterquam enim quòd integra refectione, quæ cibo potúque peragitur, animæ non minùs, quàm corporis redemptio adumbratur; plenissima etiam peccatorum remissio per sanguinis fusi participationem, bonorúmque N. T. communicatio, donorum denique Spiritus S. uberrimorum ad spiritualem lætificationum effusio obsignatur. Hæc ad substantiam & essentiam Eucharistiæ pertinere, quis sanus negaverit? Inter dispositionis porro Paulinæ partes ritus à Christo instituti abrogatio neutiquam censeri potest. 2. De Ecclesiæ veteris praxi infra. 3. De incommodorum vestrorum incommodis à me dicta cur non expendis? Probo interim causarum primariarum & secundariarum differentiam à te notatam; & primarias, sed parùm honestas fuisse, quas ipse insinuas tu, & superiùs *Arg* 10. disertiùs ego notavi, ultro largior.

OBIECT. V. *Sub altera specie panis æquè ac sub utraque totus & integer Christus, verúmque adeò Sacramentum sumitur. Proinde quoad fructum nullâ gratiâ necessariâ defraudantur ii, qui unam duntaxat speciem accipiunt.* Est argumentum Concilii cap. 3. Addunt alii, *totum Christum sub una specie contineri, non quidem vi Sacramentalium verborum, sed per concomitantiam. Cùm enim corpus Christi virtute consecrationis sub pane existat, corpus verò Christi sit vivum, adeóque nunquam non sanguine comitatum, effici omnino, ut panis specie sumpta totus simul Christus recipiatur.* Resp. 1. Argumentum hoc falso principio innititur, transsubstantiatione videlicet panis in corpus, superiùs debellatâ. 2. Agnoscimus equidem *concomitantiam* corporis & sanguinis in ipsa *re signata*, quatenus & naturali & personali unione hæc sunt conjuncta. Negamus verò illam *concomitantiam* locum habere in *signis significantibus*, tum quia talis est con-

conjunctio corporis & sanguinis cum speciebus, qualis est à *Christo* instituta; Christus porrò in institutione declaravit, cum pane sumi corpus, cum vino sanguinem Christi, non cum pane per concomitantiam utrumque: tum quia in Eucharistia fidelibus offertur corpus Christi mortificatum, non vivum, cùm ipse Christus vocet corpus fractum, sanguinem fusum, & instituerit Sacramentum in mortis suæ annuntiationem, & Christus eo modo panem corpus suum vocâsse videatur, quo in Paschate agnus vocatur גופו של פסח *corpus ipsius Paschæ*, quod autem ut & *σῶμα* nonnisi exangue corpus significet, corpori autem mortuo non jungitur sanguis, quippe extra venas positus: tum quia, si panis in concomitantiam trahit sanguinem, ne sacerdos quidem opus habebit calice: tum quia si hoc concomitantiæ dogma contra institutionem valeret, universa Eucharistia abrogari posset, cùm aliis etiam modis Christi participes fiamus, nempe per fidem, Spiritum inhabitantem, baptismum, &c. tum quia Eucharistiæ natura est, ut spiritualiter nos nutriat, plena porro nutritio non fit sumptione corporis & sanguinis concomitantis, sed separati: tum denique, quia aliàs justæ forent prædicationes tales; *Panis est sanguis. Vinum est corpus.* Quid quòd etiam transsubstantiationem ipsam concomitantiæ dogma evertit? Si enim sanguis concomitatur corpus, tum verbis illis: *Hoc poculum est sanguis meus*, vinum non transsubstantiatur in sanguinem, quippe jam ante sub specie panis per concomitantiam contentum. Neque etiam necessaria foret transsubstantiatio panis in totum corpus, sed abundè foret, si in digitum vel dentem unum corpus transsubstantiaretur, quia concomitantia cætera æquè adduceret. Meritò igitur etiam in ipso Concilio Amans Servita Brixianus concomitantiam oppugnavit, tum quia, juxta Cajetanum, sanguis non sit pars naturæ humanæ, sed alimentum, qui proinde in concomitantiam trahi non possit: tum quia sanguis in Eucharistia juxta Christi verba, sit sanguis effusus, adeóque extra venas, ac proinde cum vena in concomitantiam trahi non possit, &c. 3. Neque deerant in Concilio plures, qui inficias irent, eum qui Christum sub una specie sumit, omnes ejusdem gratias & fructus percipere, eò quòd baptizati Christo pleni evadant, & tamen Eucharistiæ gratia adhuc careant, & sacerdos bibens calicem plus utique gratiæ percipiat, nisi actio illa pro indifferente & inani haberi debeat; quódque bibitio sanguinis sit actio sacramentalis, in omni autem actione Sacramentali juxta ecclesiæ & Scholasticorum doctrinam, gratiæ gradus aliquis confertur.

Excip.

EXCIP. REDING: 1. *Cùm in re signata concomitantiam corporis & sanguinis Christi agnoscas, & Christi corpus & sanguis sub speciebus panis & vini realiter existant, sub qualibet ergo specie totus Christus continetur.* 2. *Confundis corporis & sanguinis Christi cum inter se, tum cum speciebus Sacramentalibus conjunctionem. Non potest cogitari corpus & sanguis Christi nisi cum relatione ad ejus personam, cujus vi una cum corpore & sanguine Christi ejus quoque hypostasis sub Eucharistica specie ponitur. Quia porro Christi corpus non ampliùs moriturum inseparabilem cum anima & sanguine ejus conjunctionem habet, ideo licet verba, Hoc est corpus meum, ex formali significatione nonnisi corpus realiter præsens significent, ex parte tamen rei significatæ in vi naturalis unionis talis cum Christi sanguine & anima connexio est, ut hæc quidem non ex vi verborum, sed per concomitantiam sub panis speciebus existant. Neque ulla gratia salutari destitui potest, qui alterius speciei particeps est, quia carnis Christi virtus subsistit per hypostaticam unionem cum verbo Divino, seu spiritu vivificante, omnis gratiæ authore.* 3. *Confundis etiam actionem sacrificativam & Eucharisticam. In illa, quæ quoad causalitatem Sacramento prior est, & nonnisi à Sacerdote ex Christi instituto peragitur, corpus Christi sub specie panis quà mortuum & exangue, pro aliquo priori naturæ ponitur priùs, quàm in hac sub specie panis Christi sanguis per concomitantiam existere intelligatur. Quæ etiam causa est, quòd Sacerdos, sacrificio defungens, calice opus habeat: non habeat laicus communicans, quia sacrificio non defungitur.* 4. *Neque sic tota Eucharistia abrogari poterit, quia modo per Divinum præceptum definito participem Christi fieri oportet non sine specie aliqua, sed sub alterutra tamen.* 5. *Cùm spiritus vivificans hypostaticè unitus æqualiter sit tam carni quàm sanguini, ejus vis & efficacia, adeóque etiam solida nutritio sub sola panis specie exhibetur.* 6 *Neque ideo calicis communio, si quando laico illa permittatur, inutilis erit, quia sic crescente devotione & interiori animæ dispositione, abundantior etiam gratia respondebit. quâ tamen si defraudabitur communicans sub sola panis specie, negligentiæ suæ id imputabit.* 7. *Minimè autem concomitantia transsubstantiationem evertit. Licet enim vi transsubstantiationis speciei panis sic corpus Christi succedat, ut concomitetur etiam sanguis Christi; hæc ipsa tamen concomitantia alteram adhuc actionem transsubstantiativam admittit, cujus vi substantiæ vini sub istius speciebus succedat sanguis Christi, tanquam terminus formalis in quarto perseitatis genere actionis ejusmodi specificativus. Ideo utramque speciem consecrari Christus voluit, ut sic passio & mors Christi consummata in omnimoda sanguinis effusione, corporisque ac sanguinis separatione repræsentetur. Proin etiam minimè sufficit panem, in dentem vel digitum Christi converti, quia transsubstantiationis Eucharisticæ quidditas pensari debet ex termino formali, quem verba consecrationis definiunt. Hic verò in consecratione panis corpus, vini verò sanguis definitur.* Ibid. pag. 205-209. Resp. Difficilis profectò bolus est, quem concomitantiæ tuæ, cujus ne nomen quidem veteres & saniores Theologi nôrunt, devorandum objeci, utpote quo eam suffocari penitus, inanes tui, enixissimi tamen illi conatus demonstrant. Quædam ne attingere quidem ausus es. inter quæ inprimis sunt argumenta tum Amantis Servitæ Brixiani efficacissima, quibus in Concilio concomitantiam oppugnavit; tum aliorum etiam, qui in eodem Concilio sustinuerunt, eum, qui Christum sub una specie sumit, omnes ejusdem gratias & fructus non percipere. Tu non aliud reponis, quàm Amantem Brixianum palinodiam cecinisse. Quid verò isthoc ad nos? Argumenta ejus, ut & reliquorum illorum, objecta ponderanda tibi fuerant. Sed gravia nimiùm tibi visa sunt. Ad cœtera perplexè & intricatissimè pro more tuo respondes, & ser-

pentis

pentis instar caput potiùs abscondis ubique, quàm ingenuè pugnas. Etenim 1. realis præsentiæ vestræ figmentum supra elisimus. Concomitantiam in re signata, hoc est, in Christo resuscitato & vivente agnoscimus utique, & adversus Nestorianos strenuè propugnamus ipsi. Cœterùm Sophisticè disputationem à signis ad res significatas transfers. Licet nunquam possit corpus Christi sumi absque sanguine, potest tamen corporis signum separari à signo sanguinis. quod & reapse Papistæ faciunt. Non igitur ut rerum signatarum, sic signorum etiam naturalis concomitantia datur; sed tantùm moralis, seu Sacramentalis. quatenus duo signa unum Sacramentum constituunt; adeóque sicut nemo corpus Christi sumere sine sanguine, sic nemo panem sine calice sumere potest. Unde S. Paulus panem communionem corporis, non sanguinis: calicem communionem sanguinis, non corporis dixit. secus quàm postremis & corruptis illis Seculis à nugacibus Sophistis fictum est. quorum tragelaphi perpetua etiam vigilantium somnia sunt. 2. Non igitur nos corporis & sanguinis Christi conjunctionem cum Sacramentalibus speciebus confundimus, quia his distinctis distinctè illa, hodie unita licet, significari pertendimus. sed vos confunditis. Habet utique & corpus & sanguis relationem ad personam totam, in qua λόγος cum carne unitus est. Nihilominus in eadem persona corpus & sanguis distincta, non distinctis duntaxat, sed separatis etiam signis significari & repræsentari Christus voluit, & quidem ad commemorationem mortis, qua in cruce caro & sanguis ejus non distincta duntaxat, sed etiam separata sunt. Frustra ergo subsistentiam corporis & sanguinis in eadem persona urges, cùm hic de symbolis distinctis in eadem persona distincta corpus & sanguinem distinctè ex institutione Christi repræsentantibus sermo sit. 3. Actionem sacrificativam in Eucharistia nullam agnoscimus. Si tamen in ea esset, non ideo in Eucharistica æquè ac sacrificatoria actione non utraque species requireretur, quia Christus unicuique signo suam significationem assignavit, idque cùm loqueretur de ipsa communione. Id sanè in Eucharistia communicandum est, quod Christus benedictum & consecratum distribuit, & distribui, adeoque etiam communicari jussit. Atqui utramque speciem consecravit, utramque distribuit, utramque distribui, adeóque etiam communicari jussit. Si Eucharistia est Sacrificium, ergo vel quatenus Sacramentum, vel quatenus Eucharistia. Si quatenus Sacramentum, omne igitur jam Sacramentum sacrificium erit. Si quatenus Eucharistia, quod in Sacrificio obtinet, idem in Eucharistia obtineat necessum est. Unde in prima Cœna Apostoli biberunt non ut Sacerdotes, sed ut fideles, Eucharistiam participantes, non sacrificium offerentes. Denique verba: *Hoc est corpus meum*, annon Sacramentalia sunt? Fatetur certè Bellarminus. Cùm igitur vi illorum verborum totus Christus non sit sub specie panis, sequitur, totum Christum ibi non esse Sacramentaliter præsentem. Quod dogma disertis verbis Alexander Alensis *pag. 4. q. 10. m 7. a. 3.* tuetur, scribens: *Totus Christus sub utraque specie panis & vini Sacramentaliter adest.* 4. Modo per Divinum præceptum definito in Eucharistia Christi non sub alterutro, sed sub utroque symbolo participes esse jubemur. Neque ratio reddi potest, cur alterutrum, & hoc potiùs quàm illud symbolum negligi salva pietate possit. 5. Licet spiritus vivificans hypostaticè æqualiter utrique speciei unitus sit, ratio tamen essendi non naturalis, sed, quæ *sola hic* spectatur, Sacramentalis in significando, repræsentando & obsignando consistens, ad perfectam nutritionem ex Christi institutione utramque speciem exigit. Perpetua tua à Sacramentali illa essendi ratione, quæ sola hic in quæstionem venit, ad naturalem aberratio est. Ipse modus ille, quo Christus in S. Cœna corpus qua fractum, & sangui-

ſanguinem,qua fuſum offert,Sacramentalem & naturalem eſſendi modum manifeſtè diſtinguit. In naturali enim ſtatu Chriſti neque corpus fractum, neque ſanguis fuſus amplius obtinet. Addo, ſymbolum qua tale, non aliter agere, quàm vi χρήσεως, quam in inſtitutione accepit. Atqui in uno ſymbolo una χρῆσις eſt; neque unius ſymboli χρῆσις ſimul eſt alterius. Conſentiunt nobis planè Scholaſtici antiquiores. Sic enim Alexander Alenſis *pag.4. q.10. m. 4. a. 1.* ſcribit: *Quantum ad ſignificantiam utraque ſpecies eſt de Sacramenti integritate,quia neutra ſpecie ſignatur res hujus Sacramenti: quia Chriſtus quantum ad corpus non ſignatur Sacramentaliter in ſpecie vini,nec quantum ad ſanguinem, in ſpecie panis: perfecta refectio non eſt niſi in utraque ſpecie. Reficit hoc Sacramentum non quoſcunque, ſed ſpiritualiter manducantes. Manducatio autem ſpiritualis reſpicit paſſionem corporis & ſanguinis effuſionem: & ideo utrumque diſtinctè ſignatur. Præterea refectio non eſt in paſſione, qua paſſio, ſed qua noſtra redemptio.* Eadem Bonaventura *in 4. diſt 11. q.2.* repetit & explicat. 6. Cùm porrecto calice creſcere devotionem & interiorem animæ communicantis diſpoſitionem aſſeras ipſe, plus utique gratiæ communio non ſolius panis, ſed etiam calicis impertiatur neceſſe eſt, quàm ſolius panis. Hanc gratiam fidelibus non negligentia eorum, ſed πονηροκλεψία veſtra neſariè intercipit. Denuo Alexandrum Alenſem *loc. cit.* audiamus. *Sumptio in una ſpecie non eſt tantæ efficaciæ, in quantum reſpicit ſignificatum, & non contentum, quanta eſt in utraque.* Et *q. 11. m. 2. a. 2. ſ. 3. Sumptio ſub duabus ſpeciebus eſt majoris meriti, tum ratione augmentationis devotionis, tum ratione fidei dilatationis actualis, tum ratione ſumptionis completioris.* 7. Si tranſſubſtantiationis terminus præciſus & formalis, *in quarto*, ſic βαρβαρίζεις, *perſeitatis genere, actionis illius ſpecificativus*, in pane eſt corpus, in calice ſanguis; unde igitur ſanguis, imò anima & Divinitas ſub ſpecie panis, unde corpus & reliqua ſub ſpeciebus vini exiſtunt? Per concomitantiam, inquis. Sic ancilla concomitantia potentior longè erit, quàm domina Tranſſubſtantiatio. Nam hæc per ſe pani ſiſtit merum corpus exanime & exangue: at illa animam, ſanguinem & Divinitatem addet. Quin & fruſtra erit tranſſubſtantiatio calicis ad ſanguinem Chriſti in Euchariſtia ſiſtendum, quem jam ſufficienter in conſecratione panis concomitantia adduxit. Sed & ſanguis Chriſti aliter erit in pane, quàm in calice, & corpus aliter in calice, quàm in pane, cùm alia ratio formalis & efficientia ſit tranſſubſtantiationis, concomitantiæ alia. Accedit, quòd ſic futuri ſint duo corpus & ſanguinem Euchariſtiæ ſiſtendi modi formaliter & realiter diſtincti, unus tranſſubſtantiationis, concomitantiæ alter: quódque ſic duplex futura ſit manducatio corporis Chriſti, una in pane, altera in calice; duplex etiam bibitio ſanguinis, una in calice, in pane altera. Et quod abſurdius etiam eſt, oraliter manducabit carnem, qui bibet ex calice: & oraliter ſanguinem bibet, qui panem manducabit. Quin & ſanguis ille, qui eſt pro termino tranſſubſtantiationis in calice, alius erit ab eo, qui jam eſt ſub ſpeciebus panis per concomitantiam; aut ſi ad corpus latens ſub ſpeciebus panis, ſanguis adducitur demum per conſecrationem calicis, manebit illud corpus exangue, ſi calicem conſecrare Sacerdos noluerit, vel nequiverit. Denique omnino ſic ſatis erit, panem in dentem vel digitum Chriſti converti, quia propter unionem reliquorum & concomitantiam, corpus univerſum, ſanguis anima & Divinitas ultro conſequentur. Neque obſtat, quòd terminus conſecrationis panis ſit corpus, vini ſanguis. Concomitantia enim, vel ſolo digito poſito, terminum illum anteverter, efficiétque, ut ne conſecratio quidem ulterior neceſſaria ſit. Profectò tot abſurditatum ſyrma poſt ſe muſteum iſthoc concomitan-

tiæ

tiæ dogma trahit, ut pertinaciam pro muro habere eum oporteat, qui defensioni ejus inhæserit.

OBIECT. VI. *Ecclesiam quoque veterem liberam fecisse communionem sub una duntaxat specie, multa evincunt. Etenim* 1. *Manichæos sub una specie, uti Leo testatur Serm.4. de Quadrag. cap.5. communicantes nunquam reprehendit. Quin Manichæi Romæ, & Macedoniana mulier Constantinopoli simulabant se Catholicorum Eucharistiam sumere, etsi panem quidem acciperent, vinum verò haurire declinarent.* 2. *Infirmorum etiam & morientium, communionem sub una specie administratam fuisse, Serapionis, Ambrosii aliorúmque exemplis constat.* 3. *Sed & infantibus sub una specie communicatam cœnam esse, Cyprianus Serm. de Lapsis innuit.* 4. *Et fideles olim particulas Eucharistiæ servatas domi siccas esitâsse videntur.* 5. *Sed & τῶν προηγιασμένων seu Præsanctificatorum apud Græcos, & Parasceves apud Latinos communio sub una duntaxat specie fieri consuevit.* 6. *Eodem facit communio laica, ad quam olim Clerici ob grave delictum damnabantur, quæ sub una duntaxat specie administrata fuit.* Resp. Meræ hæ & inanes suspiciones ac ariolationes Bellarmini sunt, quibus ipsius Concilii, fatentis, pristinæ ecclesiæ *consuetudinem* jam *latissimè mutatam* esse, testimonium opponi potest. Etenim 1. prodere videtur Bellarminus syncretismum cum Manichæis. Quanquam incertum est, Manichæos sub una specie communicâsse. Leo tantùm refert, istos cùm Romæ versarentur, ac deprehendi timerent, ad tegendam infidelitatem suam Catholicorum interfuisse Mysterio, ut tutiùs laterent, ita tamen, ut panem quidem acciperent, vinum verò, à cujus usu ex suæ impietatis dogmate omnia abhorrebant, haurire declinarent. Non constat autem, eos vel alibi ita fecisse, vel eorum Sacerdotes conficientes aliam, quàm laicos communionem celebrâsse. Probabilius est, nullam omnino ab iis Eucharistiam celebratam esse. Sanè Petrus Siculus testatur, Manichæos seu Paulicianos Leone remotiores sanctorum mysteriorum corporis & sanguinis Christi τὴν μετάληψιν seu *sumptionem* aversatos esse. *Sed qui latere potuerunt Manichæi Romæ*, quærit Bellarminus, *si communio sub una specie libera & recepta non fuit?* Atqui pauci erant, universæ Catholicorum multitudini immixti. Neque fortasse omnes communicabant, & communicantes rarò ad mensam veniebant. Accedit quòd non ab uno eodémque homine, nec uno eodémque tempore utraque species administrari consuevit, uti ex Ordine Romano liquet. Facilè igitur fuit Manichæo homini sumpto à Presbytero pane, mox furtim ante Diaconi calicem porrecturi adventum se proripere. Macedonianam mulierem quod attinet, si vera sunt, quæ Sozomenus & Nicephorus tradunt, illius tamen factum nihil cum usitata fidelium communione simile habet. Il-

lam nempe pavor, trepidatio & inde ortus terror communionem abrumpere confestim subegit, non ausam ulteriùs progredi, ne si & in calicem manum mitteret, perfidiæ suæ majores pœnas daret. 2. Infirmis & morientibus quinto & secutis seculis eucharistiam datam fatemur, sed sub una specie datam esse negamus. Serapion à puero per Presbyterum misso bucellam accepit non siccam, sed madefactam vino, haud dubiè eum etiam in finem à Presbytero misso, quia à sene viribus exhausto panis nisi madefactus glutiri non potuit. Jussit enim Presbyter puerum ἀποβρέξαι, uti verba Dionysii Alexandrini habent. Et missum cum bucella etiam vinum nihil omnino credere vetat. Ambrosius pane glutito statim Spiritum emisisse dicitur, teste Paulino Afro. Mortuo autem calix propinari non debuit. 3. Quod de infantum communione sub una specie olim facta mussitat Bellarminus, non minùs incertum est, si de primis XI. Seculis sermo sit. Cyprianus l. c. parvulum panem sumpsisse non negat. In alio verò ejusdem Sermonis loco docet, plenam, non dimidiatam fuisse parvulorum communionem. Infantes enim ita loquentes inducit: *Nos nihil fecimus, nec derelicto cibo & poculo Domini ad profana contagia sponte properavimus.* 4. Figmentum etiam est, quòd fideles olim particulas Eucharistiæ servatas domi siccas comederint. Negat id etiam Albaspinæus Aurelianensis Episcopus *Observat. lib.*1. *cap.*4. Ex Gregorio tum Nazianzeno tum Romano, nec non Pseud-Amphilochio contrarium Dalleus *De Cult. Latin. Relig. lib.V.*21. post Calixtum *de Commun. sub una, sect.*152. probat. 5. Neque etiam in Missa προηγιασμένων seu *Præsanctificatorum* quidquam præsidii Adversarii habent. Etenim illa Præsanctificatorum communio recens satis fuit, quippe quæ A.D. 700. nondum erat in usu apud omnes Latinos, neque apud Græcos Trullanis Patribus antiquiorem testem ullum habet. Et de Græcorum communione Nicolaus Cabasilas scribit, in ea haberi dona τέλεια καὶ ἡγιασμένα καὶ σῶμα καὶ αἷμα Χριστοῦ, *perfecta & sanctificata & corpus & sanguinem Christi*, Eupost. Lib. c. 24. p. 130. De Latinorum illa præsanctificatorum communione idem liquet ex Ordine Romano *in Parasc.* T.10. ex quo constat, Pontificem & populum in Parasceve etiam sub specie vini, pane in id immisso, sanctificati seu consecrati, adeóque sub utraque specie communicâsse. 6. Denique nec communio Laica aliud probat, teste ipso Cassandro *de comm. sub utraque pag.*1029. ubi fatetur, doctissimos quosque hodie agnoscere, *ea quæ de Laica communione apud veteres leguntur, non debere intelligi de alio communicandi genere, sed de gradu, ordine & loco communicantium, quod alia dicendi forma dicebatur inter Laicos, cum Laicis, ut Laicum communicare.* Quin & Gabriel Albaspinæus *Observat. Lib.*1.
*cap.*4.

cap. 4 abditam communionis illius Laicæ in veterum monumentis rationem ita clarè solidéque patefecit, ut nullus ampliùs contra hiscendi locus adversariis supersit. Iis ipsis temporibus, quibus Laica communione puniri vel condemnari clerici dicti sunt, sub utraque specie ipsos Laicos communicâsse efficacissimè probat. Idem vir doctissimus Laicam communionem etiam extra Eucharistiam locum habere potuisse, ostendit. Nam *communicare*, inquit, *nihil aliud est, quàm partem habere in consociatione fidelium, quæ etiam considerata extra Eucharistiam multas alias rationes complectebatur.* Albaspinæi facem præeuntem ac vestigia secuti sunt Morinus *Exerc. Eccles. lib.* 1. *Ex.* 9. & Nicolaus Rigaltius ad locum Cypriani de Trophimo.

EXCIP. REDING: 1. *De Manichæis Leo dilucidè scribit, eos de unius duntaxat speciei sumptione notatos, tutò adhuc latuisse, ore indigno Christi corpus accipiendo, ac Redemptionis sanguinem declinando. Non ergo sumpta panis specie ante Diaconi calicem porrecturi adventum se proripuerunt.* 2. *Sed & mulierem Macedonianam domo secum tulisse panem, non vinum, ut illum Eucharisticis panis speciebus, non hunc sacratis vini speciebus substituendo Catholicorum communionem simularet; historia testis est.* 3. *Dionysio Alexandrino teste, puero illi exigua Eucharistiæ pars à Presbytero data est, cum præcepto, ut eam madefactam in os Serapionis senis infunderet: Non ergo Presbyter eam Eucharistiæ panis particulam sacratis vini speciebus tinxit.* 4. *Ne Ambrosii exemplum eludere possis, Amphilochius in vita S. Basilii testatur, eum in morte Eucharistiam accepisse in sola panis specie, longo tempore asservata.* 5. *Ex Cypriano id constat, puellam, quæ panem per ætatem comedere non poterat, ad sacrum calicem post adductam, Divina quadam vi ejusdem expertem factam esse. Ex verbis verò eorundem: Nos nihil fecimus, &c. non probatur, eos in utramque speciem participasse, sed Divinum judicium intentatur parentibus, qui infantes ad idololatriam abstrahendo efficiunt, ut facti rationis participes à Christianorum communione avellantur.* 6. *Ex Origene homil.* 13. *in Exod. Basilio M. Epist. ad Cæsarium Patricium, & Ambrosio Orat. super excessu fratris, planè liquet, fideles olim particulas Eucharistiæ asservatas domi siccas edisse. Gregorius verò Nazianzenus loquitur sub disjunctione, Gorgoniam recondisse quidpiam signorum corporis aut sanguinis Domini. Et tempore Gregorii R. in Anglia ab initio prædicationis discipulorum ejus, cœpisse usum publicum unius speciei, Beda Histor. lib. II. 5. testatur.* 7. *Præsanctificatorum communio apud Græcos per totam quadragesimam, excepta Dominica ac Sabbatho vigebat: & apud Latinos hodiéque durat is usus feria sexta Parasceves, quo ipso etiam Sacerdos sub sola panis specie communicat. Consuetudinis illius apud Græcos Concilium Laodicenum Can.* 45. *& Trullanus: apud Latinos, Gregorius, Innocentius I. Ordo Romanus, Rhabanus testes sunt. Licet verò in communione illa soleat aliqua de consecratis panis speciebus particula in vinum immitti, non tamen vinum illud ea die Parasceves consecratur; & communio sub sola specie panis peragitur, uti ex Ordine Romano constat.* 8. *Quæ de laica communione habes, Bellarminus ex Felice Papa, Siricio, & Concil. is Eliberitino, Saracensi & Agathensi refutat.* Ibid. pag. 209.-213. Resp. 1. Manichæi quæcunque fraude usi sunt, nihil certè inde tibi seritur vel metitur. An enim si illi fraudulenter

 egerunt,

egerunt, iccirco Ecclesiæ Ministri fidelibus symbola ex Christi instituto non distribuerunt? Imò accedentes ad poculum repulerunt, & hæreticorum in censum retulerunt, uti vos hodie? Et quia Bellarminus, & tu cum eodem capere nequis, quo pacto Manichæi in Ecclesia Leonis latere potuerint, administrata utraque specie, negandum jam fuerit, quod omnis antiquitatis libri, omnia monumenta loquuntur, solennem fuisse sub utraque administrationem? Tam, nisi fallor, Sophistæ hic estis, quàm Manichæi calicem declinantes Sophistæ fuerunt. Ex Ordine Romano, & aliis Ritualibus libris constat, panem ab Episcopo vel Presbytero, primùm unius ordinis communicantibus sigillatim dari; iisdem dein calicem à Diacono offerri consuêsse. Quid ergo facilius fuit, quàm Manichæum hominem sumpto à Presbytero pane, mox furtim ante Diaconi calicem porrecturi adventum se proripere, atque ita latere, uti in spissa hominum sibi vacantium multitudine contingere potest? Annon, quod ex Leone affers, speciem panis sumentes notari, deinceps latentes ampliùs non notari potuerunt? Sed propinaverit Diaconus Manichæo vinum. Annon stomachi infirmitatem caussari potuit? Ipse Leo dicens, Manichæos *sanguinem redemptionis suæ haurire omnino declinare*, satis insinuat, illos ab officio sumendi calicem oblatum astutè se subduxisse. Nullis *declinandi* artibus opus erat, si apud Catholicos libera & usitata sub una specie communio fuisset. 2. Mulierem Macedonianam unam speciem panis secum domo asportasse, nec Sozomenus, nec Nicephorus historiam pertexens uterque, habet. Sed pro calice aliud quid sumere potuisse, negat Bellarminus, *quia moris fuerit calicem admoveri ori communicantium.* Unde verò moris fuisse, ut ori admoveretur, & non in manus porrigeretur calix, probat ille? Posterius equidem longè certius est. Sed præterea mulierem illam panis Eucharistici communionem simulantem, & miraculo panis in lapidem conversi territam, non abrupisse ilico communionem, adeóque ad calicem ne quidem perrexisse, quis dubitet? Hinc adeò, missis cæteris, ad Episcopum è vestigio convolavit, ut animi pavorem & admissam fraudem ingenuè confiteretur. 3. Argumentum à communione ægrotantium petitum non minùs ἀπροσδιόνυσον est. Non enim quæstio est, quomodo pauci nonnulli necessitate quapiam constricti in privatis inprimis locis communicaverint; sed an Ministri communicantibus apud mensam Eucharistiam sub una specie rite ac solenniter ex communi ævi sui more porrexerint? Negari equidem nequit, quinto & consecutis Sæculis morem inolevisse, ut fideles moribundi hoc sibi viatico consulerent. Sed id factum in una specie, probari nequit. Serapion & pœnitentium ægrotantium numero senex bucellam vino madefactam, puero, narrante Dionysio Alexandrino, à Presbytero misso ministrante, communicavit. An verò vinum non æquè in vase ac bucella puero committi, & asportari potuit? Quæ verò consequentia est: Puer seni bucellam madefactam, seu intinctam dedit: Ergo non vino à Presbytero consecrato madefactam? Missum poculum qui non dicit, non ideo missam negat. Imò id ex facta Eucharistiæ mentione satis ab omnibus illius ævi intelligebatur. Et an hic alium, quo bucella macerabatur, liquorem fingere, præter omne textus Eusebiani indicium, licebit, quàm qui Eucharistiæ ordinarius est? Certè Presbyterum oportuit facere, quod Dionysius jusserat. Atqui ille *sacra mysteria* hoc est, bina symbola, dari pœnitentibus morituris dari jusserat. Nondum equidem Serapionis ævo mixtura ejusmodi panis & vini promiscuè usitata fuit. Sed in necessitatis casu usitatam fuisse, nihil obstat. 4. De Ambrosii facto cùm nihil respondere potueris, ad S. Basilium convolas; seu potiùs scriptorem vitæ ejus Amphilochium, cujus νοθεία adeò nota est, ut non semel Baronius ipse

ipse ignitis cum censuris ustulaverit. Et tamen nullum in Scriptoris hujus testimonio præsidium adversarii habent. Nam is Basilium *μεταλαβεῖν ἄρτον panem percepisse* scribit. Vinum non percepisse, non scribit. Ipsum alias Basilium, idem author *pag.* 211. testatur, Judæum in sua catechesi docuisse, *neminem in Regnum Dei intraturum, nisi per aquam & Spiritum; & nisi vivifica antitypa intemerati corporis & sanguinis Christi sumpserit.* Quomodo igitur ipsemet ad novissima sua approximans sumere neglexisset? 5. S. Cyprianus parvulæ non datum esse panem, non asserit; calicis verò solius meminit, quia tremendum Dei in sumptione ejus judicium commemorare voluit. Imò id quod in ore parvulæ idololatria polluto manere non potuisse scribit, disertè *Eucharistiam* idem vocat, quæ utrumque sanè symbolum complectitur. Ubi verò parvuli apud eundem Cyprianum negant, *se derelicto cibo & poculo Domini ad profana contagia sponte properasse*, quid clarius est, quàm iisdem utrumque, non alterutrum symbolum propinatum esse? Neque enim de se ut adultis, uti tu fingis, sed ut infantibus loquuntur. Sed parvulos cibum solidum sumere posse, Bellarminus negat. Jam ergo pane prohibiti fuerint ob necessitatem naturæ, quæ cùm adultis nulla incumbat, ad eos trahi exemplum nequit. Quanquam olim infantes panem sumpserunt, uti hodieque teste Alvarezio *Itin. Æthiop. cap.* 22. Æthiopes, & fatente apud Joh. Nicium Erythræum *lib. VII. Epist.* 24. Leone Allatio, ac probante etiam Thoma Schmith *de Eccl. Græcorum statu*, Græci, solent panem multa aqua maceratum in os, indéque in fauces infantum immittere. Quod ex Augustino, Authore Hypognisticon, Dionysio, Carolo M. Alcuino, Paschali Cel. Dalleus *De Cult. Relig. lib. V.* 10. probavit. Ipse Vasquez *Tomo III. in 3. part. Thomæ disp.* 213. *cap.* 2. ingenuè fatetur, *in antiqua Ecclesia hoc Sacramentum non sub specie panis, sed sub utraque parvulis datum esse, quò ab iis faciliùs deglutiri posset.* 6. Albaspinæus vestras *Observat. cap.* 4. quærit: *quo tandem pacto probare possint, laicis Eucharistiam sub specie panis domum portare licuisse, sed vini non licuisse?* Idem ex te, Redingi, quæro. Nihil enim testes à te inducti habent. Origenes particularum panis asservatarum meminit: vinum domi communicatum esse, haud negat. Basilius *Epist.* 289. hoc unum in genere dicit, licere *Eucharistiam & communionem* domi propriis manibus sumere, sicut *integra* accepta fuerat à Sacerdotibus. Præmiserat autem in hæc verba: Τὸ κοινωνεῖν καθ' ἑκάστην ἡμέραν καὶ μεταλαμβάνειν τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ καλὸν καὶ ἐπωφελές. *Quotidie communicare & accipere corpus & sanguinem Christi, bonum & utile est.* Ambrosius *Orat. de excessu fratris Satyri*, fratrem hunc suum in naufragii periculo constitutum *Sacramentum ab his, quos initiatos esse cognoverat, poposcisse* refert. An Sacramentum solus panis est? Quid sic ineptis? Gregorius Nazianzenus *Orat.* 11. sic scribit: *Si quid uspiam antityporum pretiosi corporis aut sanguinis manus (ἐθησαύρισεν) recondiderat, id lachrymis admiscuit.* Sed sub disjunctione loquitur, ἢ αἵματος *aut sanguinis.* Sic Bellarminus. Frivolè, si quid aliud. Nam particulam ἢ *aut* identidem copulativè sumi, supra ostendimus. Hic verò si disjunctivè sumatur, nihilo secius oratio hæc Gregorii conficit, tam sanguinis, quàm corporis antitypum ab ævi illius fidelibus recondi solitum esse. Gregorius Romanus *Dial. lib. III.* 36. narrat, Maximianum & socios navi tempestate fracta periclitantes, *corpus & sanguinem Redemptoris accepisse.* Non ergo panis sola, sed vini etiam species servari suevit. Frustra Bedam objicis testem ejus rei, quæ Gregorii R. tempore in Anglia fiebat. Rectiùs id ex ipso Gregorio discere est. Si enim asservari ejus ætate suevit utrumque symbolum, cur non ordinariè utroque communicasse statuerimus? Dicit tamen Beda, lo-

eo ante citato, Christiani cujusdam Regis filios paganos questos esse, *quòd Episcopus panem nitidum, quem Patri dabat, sibi minimè daret.* Scilicet ex paganorum sermonibus discendum nobis est, quæ fuerit vera & legitima populi Christiani communio: & qui panem nitidum communicatum affirmat, vinum communicatum negat? Sed Anglos suo tempore sub utraque specie communicasse, idem Beda *Histor. Angl lib. IV. 3. & 14.* disertè testatur. Qui verò asservari potuit vinum, cùm sanguis ex calice bibendus offerri sueverit? Movet id Bellarminus. Certè quidem ei, qui bibere volebat, vinum sacrum ex calice bibendum fuit. Si quis verò sibi vinum servandum dari expeteret, quid prohibebat, id illi ex calice in vasculum, quod ad excipiendum paratum habebat, refundi? Sed vinum, inquit idem, æquè diu ac panis asservari non poterat. Æquè forte diu asservatum est, atque panis, qui non nimiùm diu asservari sueverat. Exemplum enim ex Moscho seu Sophronio fidelis illius Seleuciensis, cujus in armario depositæ sacræ particulæ totum illic annum remanserunt, singulare fuit. 7. Προηγιασμένα seu *Præsanctificata* Græcis & Latinis sunt symbola, non eodem die, quo sumuntur, sed præteritis sanctificata. Græci quidem non putantes decorum, ut jejunio Eucharistia offeratur & celebretur, quadragesimalis jejunii tempore Eucharistiam nullam conficiunt. Sabbatho tamen & Dominica, quod iis prandere tum liceat, conficiunt. Ut verò cæteris hebdomadæ diebus ex Sacramento die Dominico confecto communicare liceat, eam Eucharistiarum copiam servant, quæ Ecclesiæ suæ reliquis hebdomadis ad Sabbathum proximum feriis satis ad communicandum futura sit. Hanc porro Præsanctificatorum apud Græcos communionem sub utraque specie fieri solitam esse, ex Cabasila demonstravi. Neque tu negare, vel ad Cabasilæ testimonium respondere ausus es. Sed apud Latinos in Parasceve sua communionem Præsanctificatorum sub una specie factam esse, confidenter nimis asseris. In Ordine enim Romano *in Parasc.* disertè habetur, *Subdiaconum reposito à Presbyteris in patina corpore Domini, ante ipsos calicem cum vino non consecrato tenere, & utrumque, id est, corpus Christi & vini calicem super altare à Presbyteris deferri, & panis sancti particulam in calicem poni, atque sic sanctificari vinum non consecratum per sanctificatum panem.* Non ergo sub specie panis tantùm communicabant Pontifex & populus in Parasceve, sed etiam sub specie vini pane in id immisso sanctificati, seu consecrati, adeóque sub utraque specie. Extat porro hic Ordo Romanus in Bibliotheca Patrum *Tomo X. pag. 75.* Id ipsum docet Ordo Romanus à Cassandro *pag 112.* descriptus. *Ipse Pontifex*, inquit, *confirmatur ab Archidiacono in calice sancto, de quo parum refundit Archidiaconus in majorem calicem, sive in scyphum, quem tenet Acolythus, ut ex eodem sacro vase confirmetur populus, quia vinum etiam non consecratum, sed sanguine Domini commixtum, sanctificatur per omnem modum.* Alia ergo omnia ex ordine Romano constant. Unum addo, Latinos Missam Præsanctificatorum appellare solere *imperfectam*, & *nonnisi æquivocè Missam.* Ita Cardinalis Bona *lib. 1. Liturg. cap 15. §. 5.* Bellarminus quoque *de Euchar. lib. IV. 23.* ait, *Sacerdotibus utriusque speciei sumptionem necessariam esse ex parte Sacramenti. Nam quia*, inquit, *Sacramentum sub duplici specie institutum est, utraque species necessariò ab aliquo sumenda est.* Atqui in Missa hodierna Veneris Paschalis & Præsanctificatorum nihil quicquam ampliùs accipit Sacerdos quàm populus. Non igitur verum Sacramentum est. Quid ergo ponderis hæc adversus nos omnis argumentatio habet? 8. Quoad *laicam communionem*, denuo te ad Cassandrum, Albaspinæum, Morinum & Rigaltium vestros, te longè acutiùs in ritibus veterum cernentes, amando. Nam inter illos etiam Mo-

tinus *Exercit* 10. ad Felicis, & Sardicensis Concilii testimonia à Bellarmino objecta solidè respondet. Rigaltius vester ad locum Cypriani de Trophimo, Clericum ad laicam communionem dejectum docet *recepisse quidem Ecclesiasticam communionem, hoc est, societatem & conversationem cum cæteris fidelibus; sed non recepisse locum, quem in ordine priùs tenuerat. Itaque*, inquit, *de Episcopo, de Presbytero, de Diacono fiebat id, quod erat, priusquam fuisset ordinatus. Reddebatur illi locus in Ecclesia, non dignitas loci. Communicabat ut laicus, sive plebejus. Utebatur jure cæterorum fidelium, qui nondum erant promoti ad quemcunque ordinem ecclesiasticum. Hæc erat tunc communio Laica, cujus adeo participes Eucharistica Sacramenta, speciem, inquam, utramque panis & vini sumebant.* Hæc hodie nemo vestrûm & nostrûm, nisi indoctus, & qui cucurbitas lippit, ignorat. Certè B. Bossuetus, Condomensis & Meldensis Episcopus, qui non ita pridem cuncta ad argumentum isthoc pertinere visa ex Antiquitate corrasit, & specie quadam inducta nostris propinavit, allegatis authenticis, uti vocat, consuetudinibus veteribus, istam de Communione laica à Bellarmino memoratam, consultò prudentérque, ne se doctis deridendum exponeret, omisit. Quin & Cardinalis Bona *recentiorem* laicam illam communionem urgentium *inscitiam* apertè traducit, uti ejus *lib. I. de reb. Liturg. Cap.* 19. videre est.

SESSIO XXII.

Quæ est Sexta

Sub Pio IV. Pont. Max.

Celebrata die 17. Sept. 1562.

De

SACRIFICIO MISSÆ.

SAcrosancta Synodus ut absoluta & ex omni parte perfecta fides atque doctrina de magno Eucharistiæ mysterio, in Catholica Ecclesia retineatur, & in sua puritate (propulsatis hæresibus) conservetur, de ea quatenus verum & singulare sacrificium est, hæc quæ sequuntur, docet & declarat, & fidelibus populis prædicanda proponit.

Caput I.

Quoniam sub priori testamento (teste Apostolo Paulo) propter Levitici sacerdotii imbecillitatem consummatio non erat, oportuit (Deo Patre misericordiarum ita ordinante) sacerdotem alium secundùm ordinem Melchisedech surgere, Dominum nostrum Jesum Christum, qui posset omnes, quotquot sanctificandi essent, consummare, & ad perfectum

adducere. Is igitur Deus & Dominus noster, etsi semel seipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem sacerdotium ejus extinguendum non erat, in Cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ suæ sponsæ Ecclesiæ, visibile (sicut hominum natura exigit) relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, ejúsque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis Apostolis (quos tunc novi Testamenti sacerdotes constituebat) ut sumerent, tradidit, & eisdem eorúmque in sacerdotio successoribus ut offerrent, præcepit per hæc verba, Hoc facite in meam commemorationem: uti semper Ecclesia Catholica intellexit & docuit. Nam celebrato veteri Pascha (quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israël immolabat) novum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum, in memoriam transitûs sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit, atque eripuit de potestate tenebrarum, & in regnum suum transtulit. Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest: quam etiam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit, & quam non obscurè innuit Apostolus Paulus Corinthiis scribens, cùm dicit, Non posse eos, qui participatione mensæ dæmoniorum polluti sunt, mensæ Domini participes fieri: per mensam altare utrobique intelligens. Hæc denique illa est, quæ per varias sacrificiorum naturæ & legis tempore similitudines figurabatur, utpote quæ bona omnia per illa significata, velut illorum omnium consummatio & perfectio complectitur.

Caput 2.

Et quoniam in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur & incruentè immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruentè obtulit, docet sancta Synodus sacrificium istud verè propitiatorium esse, per ipsúmque fieri, ut si cum vero corde & recta fide, cum metu & reverentia, contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit. Una enim eadémque est hostia, idémque nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cujus quidem oblationis (cruentæ, inquam) fructus, per hanc incruentam uberrimè percipiuntur: tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quare non solùm pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo, non ad plenum purgatis, ritè juxta Apostolorum traditionem, offertur.

Caput 3.

Caput 3.

Et quamvis in honorem & memoriam sanctorum nonnullas interdum Missas, Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit. Unde nec sacerdos dicere solet: Offero tibi sacrificium Petre & Paule: sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.

Caput 4.

Et cùm sancta sanctè administrari conveniat, sitque hoc omnium sanctissimum sacrificium, Ecclesia Catholica ut dignè reverentérque offerretur ac perciperetur, sacrum Canonem multis antè seculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maximè sanctitatem & pietatem quandam redoleat, mentésque offerentium in Deum erigat. Is enim constat cùm ex ipsis Domini verbis, tum & Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus.

Caput 5.

Cúmque natura hominum ea sit, ut non facilè queat sine ipsis adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam summissa voce, alia verò elatiore in Missa pronuntiarentur, instituit: ceremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliáque id genus multa ex Apostolica disciplina & traditione: quò & majestas tanti sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis & pietatis signa, ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

Caput 6.

Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solùm spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quò ad eos hujus sanctissimi sacrificii fructus uberior proveniret: nec tamen si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas damnat, sed probat, atque adeò commendat. Siquidem illæ quoque Missæ verè communes censeri debent, partim quòd in eis populus spiritualiter communicet: partim verò, quòd à publico Ecclesiæ ministro non pro se tantùm, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur.

Caput 7.

Monet deinde sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent: tum quòd Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam, quia è latere ejus aqua simul cum sanguine exierit: quod Sacramentum hac mixtione

tione recolitur, & cùm aquæ Apocalypsi beati Johannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur.

Caput 8.

Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari lingua passim celebraretur. Quamobrem retento ubique cujusque Ecclesiæ antiquo, & à sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum matre & magistra, probato ritu, ne oves Christi esuriant, néve parvuli panem petant, & non sit qui frangat eis, mandat sancta Synodus Pastoribus, & singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios ex iis, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim dominicis & festis.

Caput 9.

Quia verò adversus veterem hanc in sacrosancto Evangelio, Apostolorum traditionibus, sanctorúmque Patrum doctrina fundatam fidem, hoc tempore multi disseminati sunt errores, & multa à multis docentur atque disputantur, sacrosancta Synodus post multos gravésque in his de rebus maturè habitos tractatus, unanimi Patrum omnium consensu, quæ huic purissimæ fidei sacræq; doctrinæ adversantur, damnare, & à sancta Ecclesia eliminare per subjectos hos Canones constituit.

De Sacrificio Missæ.

Canon 1.

Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium, aut quòd offerri non sit aliud, quàm nobis Christum ad manducandum dari, Anathema sit.

Canon 2.

Si quis dixerit, illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinâsse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum, Anathema sit.

Canon 3.

Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantùm esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium: vel soli prodesse sumenti: neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, Anathema sit.

Canon 4.

Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto, per Missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari, Anathema sit.

Canon 5.

Si quis dixerit, imposturam esse Missas celebrare in honorem sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, Anathema sit.

Canon 6.

Si quis dixerit, Canonem Missæ errores continere, ideóque abrogandum, Anathema sit.

Canon 7.

Si quis dixerit, ceremonias, vestes, & externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quàm officia pietatis, Anathema sit.

Canon 8.

Si quis dixerit, Missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideóque abrogandas, Anathema sit.

Canon 9.

Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo summissa voce pars Canonis & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse, aut lingua tantùm vulgari Missam celebrari debere, aut aquam non miscendam vino in calice offerendo, quòd sit contra Christi institutionem, Anathema sit.

Decretum de reformatione in eadem Sessione.

Caput I.

Nihil est quod alios magis ad pietatem instruat, quàm eorum vita & exemplum, qui se divino ministerio dedicârunt. Quapropter sic decet clericos in sortem Domini vocatos, mores suos componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus, nihil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præ se ferant. Statuit itaque sancta Synodus, ut quæ aliàs à summis Pontificibus & sacris Conciliis de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrináque retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscumque criminibus, nec non secularibus negotiis fugiendis, copiosè ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum pœnis vel majoribus arbitrio ordinarii imponendis, observentur:

nec appellatio executionem hanc suspendet. Et si qua in desuetudinem abierunt, ea quàm primum in usum revocentur.

Caput 2.

Quicumque ad Cathedrales Ecclesias erit assumendus, non solùm natalibus, ætate, moribus, ac vita, ac aliis, quæ in sacris Canonibus requiruntur, plenè sit præditus: verùm etiam in sacro ordine antea, saltem sex mensium spatio constitutus: & ut scientia polleat, qua tanto muneri satisfaciat.

Sit is antea promotus in universitate studiorum magister, sive Doctor, aut Licentiatus in sacra Theologia vel Jure Canonico, aut saltem publico alicujus Academiæ testimonio idoneus, ad alios docendos ostendatur. Quod si regularis fuerit, à superioribus suæ religionis similem fidem habeat.

Caput 3.

Episcopi tertiam partem fructuum & proventuum, dignitatum, personarum & officiorum Ecclesiarum Cathedralium & collegiatarum, dividere possint in distributiones, eorum arbitrio assignandas: ita ut distributionem amittant, qui personaliter suum officium quolibet die statuto non impleverint. Quæ distributio fabricæ indigenti, aut alteri loco pro Episcopi arbitrio applicetur. Contra contumaces verò, juxta sacrorum canonum constitutiones procedatur. Quòd si alicui dignitati, in Ecclesia Cathedrali vel Collegiata, administratio vel officium non competat, sed curam animarum habeat extra civitatem in Diœcesi, tunc dum in curata Ecclesia ministraverit, habeatur tanquam præsens in sua Ecclesia Cathedrali seu Collegiata: non obstantibus consuetudinibus, &c.

Caput 4.

Nullus vocem habeat in Capitulo Cathedralis vel Collegiatæ Ecclesiæ (sive secularis ea sive regularis sit) qui saltem subdiaconus non sit, etiam si hoc ab aliis liberè concedatur. Qui autem obtinent aut deinceps obtinebunt dignitates, officia, aut alia beneficia quæcumque, quibus annexum est ut dicant & cantent vel Missas, vel Evangelia, vel Epistolas, ii teneantur infra annum, justo impedimento cessante, ordines suscipere requisitos: alioqui pœnas Concilii Viennensis incurrant. Cogantque eos Episcopi suos ordines per seipsos exercere, sub eisdem & aliis gravioribus pœnis. Nec aliis in posterum fiat provisio, nisi iis, qui ætatem & cæteras habilitates integrè habere dignoscantur: aliter irrita sit provisio.

Caput 5.

Omnes dispensationes, quæ extra Romanam curiam committendæ erunt, committantur ordinariis illorum, qui illas impetraverint: & eæ, quæ gratiosè conceduntur, suum effectum non sortiantur, nisi ab eisdem summariè cognoscatur & extra judicium supplicationis, preces non fuisse subreptitias vel obreptitias.

Caput 6.

Caput 6.

Cognoscant etiam Episcopi summariè, in commutationibus ultimarum voluntatum (quæ nisi urgente necessitate non fient) nihil nisi verè fuisse in precibus narratum, nec prius quàm hoc intelligatur, executioni mandentur.

Caput 7.

Legati, & Nuntii Apostolici, Patriarchæ, Primates & Metropolitani, tam in admittendis appellationibus, quàm in dandis inhibitionibus, post appellationem servent formam sacrarum constitutionum, & præsertim Innocentii 4. quæ incipit: Romana. Aliàs quæcumque inde sequuta, sint ipso jure nulla non obstantibus, &c.

Caput 8.

Episcopi in casibus à jure concessis, omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate, quàm inter vivos, sint exequutores. Habeant jus visitandi hospitalia, Collegia, Confraternitates Laicorum, non tamen quæ sub immediata Regum protectione sunt, sine eorum licentia. Eleemosynas montis pietatis, sive charitatis, & loca pia omnia, etiamsi eorum cura ad laicos pertineat & excepta sint, ac omnia, quæ ad Dei cultum, animarum salutem, pauperum sustentationem sunt instituta juxta sacros Canones, agnoscant & exequantur, non obstantibus, &c.

Caput 9.

Administratores tam Ecclesiastici, quàm Laici fabricæ Ecclesiæ cujuscumque, hospitalis, & quorumcumque piorum locorum, singulis annis reddant rationem ordinariæ suæ administrationis, nisi secus fortè in institutione talis Ecclesiæ seu fabricæ cautum esset. Quòd si aliis ratio reddenda esset ex privilegio, aut institutione, tunc cum iis conjungatur etiam Ordinarius, aliter liberationes factæ administratoribus non suffragentur.

Caput 10.

Possit Episcopus quosvis notarios etiam Apostolicâ, Imperatoriâ, vel Regiâ auctoritate creatos, examinatione factâ de sufficientia, scrutari, iisque repertis parùm idoneis, aut in officio delinquentibus, prohibeat officii usu perpetuo aut ad tempus, in negotiis & causis Ecclesiasticis & spiritualibus. Nec appellatio interdictionem suspendat.

Caput 11.

Si quem clericorum aut laicorum, quacumque is dignitate, etiam Imperiali aut Regali præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus Ecclesiæ, seu cujusvis secularis aut regularis beneficii, montium pietatis, aliorúmque piorum locorum jurisdictiones, bona, census ac jura etiam feudalia & emphyteutica, fructus, emolumenta;

ta, seu quacumque obventiones, quæ in ministrorum ac pauperum necessitates converti debent, per se, vel per alios, vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum aut laicorum, seu quacumque arte, aut quocumque quæsito colore in proprios usus convertere, illósque usurpare præsumpserit, seu impedire, ne ab aliis, ad quos jure pertinent, percipiantur: is Anathemati tam diu subjaceat, quàm diu Jurisdictiones, bona, res, jura, fructus, & reditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositæ personæ pervenerint, Ecclesiæ ejúsque administratori sive beneficiato integrè restituerit, ac deinde à Romano Pontifice absolutionem obtinuerit.

Quòd si ejusdem Ecclesiæ patronus fuerit, etiam Jurispatronatus, ultra positas pœnas, eo ipso privatus existat. Clericus verò, qui nefandæ fraudis & usurpationis hujusmodi fabricator seu consentiens fuerit, eisdem pœnis subjaceat, nec non quibuscumque beneficiis privatus sit, & ad quæcumque alia beneficia inhabilis efficiatur, & à suorum Ordinum executione, etiam post integram satisfactionem, absolutionem, arbitrio sui ordinarii suspendatur.

Decretum de observandis vel evitandis in celebratione Missæ, in eadem sessione promulgatum.

Omnis diligentia & opera, in eo est collocanda, ut quanta maximè fieri potest cordis puritate, atque exteriori devotionis & pietatis specie, sacrosanctum Missæ sacrificium peragatur: cui ut debitus cultus ad Dei gloriam & fidelis populi ædificationem restituatur, decernit sancta Synodus, ut Episcopi ea omnia prohibere & tollere sedulò curent, & teneantur, quæ vel avaritia, vel irreverentia, vel superstitio induxit.

Inprimis quod ad avaritiam pertinet, quascumque mercedum conditiones, pacta, conventiones, & quicquid pro Missis celebrandis datur, & importunas eleemosynarum exactiones, aliáque similia, omnino prohibeant, quæ à Simoniaca labe vel certè turpi quæstu non longè absunt.

Deinde ut irreverentia vitetur, interdicant ne cui vago & ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat. Publicè & notoriè criminoso, neque sacro ministrare altari, neque sacris interesse permittant. Ne patiantur in privatis domibus, atque omninò extra Ecclesiam, aut oratoria divino cultui tantùm dicata (quæ ab ipsis designentur & visitentur) sanctum hoc sacrificium peragi à seculari seu regulari sacerdote: idque fiat decenter composito corporis habitu. Ab Ecclesiis Musicas, ubi organo vel cantu lascivum aliquid miscetur, seculares actiones, prophana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceant: ut domus Dei verè domus orationis dici possit.

Postremò ne superstitioni locus esse possit, edicto & pœnis propositis caveant, ne Sacerdotes aliis quàm debitis horis celebrent, néve ritus alios aut ceremonias & preces adhibeant, in missarum celebratione, præter eas, quæ ab Ecclesia probatæ, ac laudabili & frequenti usu receptæ fuerint: quarundam verò Missarum & candelarum certum numerum, qui

magis

magis à superstitioso cultu, quàm à vera religione inventus est, omnino ab Ecclesia removeant: doceantque populum quis sit, & à quo proveniat hujus sanctissimi sacrificii tam pretiosus ac prope cœlestis fructus. Moneant etiam eundem populum, ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus Dominicis & majoribus festis accedant. Hæc & quæcunque huc pertinere visa fuerint, ipsi Episcopi prohibeant, mandent, corrigant, statuant: & pœnis propositis ipsorum arbitrio, ad ea servanda fidelem populum compellant, non obstantibus privilegiis, &c.

Decretum super petitione Concessionis Calicis, in eadem sessione publicatum.

Hoc decreto sancta Synodus refert ad Pontificem Maximum sententiam, & judicium integrum illorum duorum articulorum, quos antea propositos nondum discusserat: nimirum, an consuetudo Catholicæ Ecclesiæ communicandi laicos, & non conficientes Sacerdotes, sub una tantum specie panis, ita sit retinenda, ut nulla ratione Calicis usus cuiquam sit permittendus, &, an si concedendus alicui vel nationi, vel regno, Calicis usus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit: & quænam sint illæ?

HISTORIA SESSIONIS XXII.

POst Sessionem XXI. duo Cardinales Præsides Mantuanus & Simoneta, hactenus non parùm dissidentes, literis Româ Pontificis nomine missis excitati in gratiam rediêre, simúlque Archiepiscopus Lancianensis Episcopis, qui per ipsum literas ad Pontificem dederant, convocatis Breve Pontificium exhibuit, humanitatis, amoris & speciosarum promissionum plenum, quod ad omnes mitigandos, pristinúmque in asserenda residentia ardorem relaxandum vim magnam attulit. In Congregatione die 20. Julii habita, de materia proxima Sessione tractanda deliberatum est. Granatensis & Quinqueeclesiensis Episcopi, de Missa & Ordine simul tractandum esse contendunt. Sed de Missa placuit articulos numero XIII. discutiendos deligere. In eadem congregatione prælectæ sunt VII. regulæ, quibus ordo à Theologis inter differendum observandus præscribitur, qui quòd disputandi partes solis Italis, Hispanis ac Lusitanis tribueret, occasionem dedit Gallis Oratoribus scribendi ad Regem, ac de eo quiritandi, simúlque Præsulum ac Theologorum adventum solicitandi, ut nonnullæ etiam Theologorum in excutiendis dogmatibus partes sint, neque suffragia Gallorum desint. Longas præterea iidem querelas texunt, *decretum nimirum esse Synodo nihil audire, quod compendio vel authoritati Curiæ Romanæ officere queat, Pontifice in decisionibus dominante, neque aliis nisi Legatis quidquam pro-*

ponere ausis. Plurimos esse Præsules Pensionarios, clientes, capita Pontifici devota. Decrevisse Pontificem Curiæ Romanæ reformationem non attingere, sed Pontifici reservare. Hispanos initio Zelo flagrantes, nunc frigescere, imò Regis monitu pœne stupescere. Nihil nisi ex Beatissimi Patris beneplacito obtineri posse. Prætermissâ solidâ disciplinæ ecclesiasticæ reformatione, exhibitis licèt articulis non ad usum duntaxat primitivæ ecclesiæ, sed ad ipsa quoque Pontificum decreta accommodatis, dogmata fidei controversa, utcunque absentibus protestantibus, adeóque irrito conatu tractari. Quæ verò mores concernentia proponantur, aut levia esse omnia, aut nullum fructum allatura. Pontifex etiam ad Legatos scripsit, *se in curiæ suæ reformatione occupari, quod ipsi apud Patres verbo profiteri debeant, simúlque in expediendis negotiis sedulam operam ponere. Fieri enim posse, ut tribus Sessionibus, quæ supersint omnia conficiantur. Negotium residentiæ & calicis, & si qui alii nodi explicatu difficiles suboriantur, remittenda esse ad Pontificem, cui proclive sit res in Cardinalium Senatu determinare, accersitis ad se, ubi opus erit, quot videbitur Doctoribus.* In prima Theologorum Congregatione Salmero, & postridie Torrensis Jesuita, uterque in differendo & modum & tempus præscriptum excessisse videbatur, adeò ut Torrensem notatum Simoneta in tabulas conjecerit, ejúsque audaciam reprimendam esse novo exemplo dictitaverit. Aliquot deinceps Congregationes consumptæ sunt in demonstranda Missa, quòd nimirum in ea veri nominis Sacrificium sit. Lis tamen oborta, an in prima Cœna Christus seipsum obtulerit, necne? aliis ajentibus, negantibus aliis. In Congregatione die 24. Julii habita Georgius Ataides Regis Lusitaniæ Theologus ad argumenta ea, quibus ex verbo Dei depromptis, Missam esse sacrificium reliqui Theologi hactenus probare conati sunt, prolixè respondet, eáque omnia aërea & invalida esse demonstrat, ac denique non aliunde id constare posse, quàm ex traditione, infert. Negavit etiam, Christum verbis illis, *Hoc facite*, Apostolos Sacerdotes instituisse. Ad argumenta Protestantium diluenda ubi perventum, aqua ei hæsit. Sed Jacobus Payva, Theologus alter Lusitanus, ab Ataide dicta refellenda statim suscepit. Die 28. Julii Johannes Cavillonius Jesuita, Ducis Bavariæ Theologus, eadem de re disseruit, & Missam ex miraculis, Liturgiísque Jacobi, Marci, Basilii, Chrysostomi probavit: Legatos tandem hortatus, ne in qualibet materia patiantur hæreticorum argumenta proponi, nisi simul manifestissima eorundem confutatio subjiciatur. Ejus oratio à Patribus quidem benignè accepta fuit, at non ab Oratore Principis sui, dicente, *egregiam meruisse laudem, qui docuerit Synodi Patres in doctrina Christiana simplicitate, sophisticâ ad fucum faciendum apposite uti.* Postea etiam F. Anthonius de Valtelina de ritibus Ecclesiæ Romanæ in celebratione Missæ differens, multa dixit ex historiis de varietate Ritualium veterum, minùs accepta

Patri-

Patribus, ægre ab Episcopo Quinqueecclesiensi defensus. Quæ pugnæ Theologos, eædem etiam Præsules in conficiendis Anathematibus occupatos exercuerunt. Martinus Perezius, Segoviensis Episcopus, doctrinam & Canones de Missa jam ante sub finem an. 1551. conditos repetendos, & sicubi opus sit, emendandos esse pertendit. Id Cardinali Seripando displicuit, eò quod justum non sit alienam sementem demetere, & restrictiùs loqui tutius sit. Sed & de institutione sacerdotii & sacrificii Missatici, nec non rationibus missam probantibus decreto inserendis in partes itum est. Die 3. Augusti habitâ Congregatione generali proposita est Decreti formula. Ibi Archiepiscopus Lancianensis, qui propediem finem Concilio imponi desiderabat, pertendebat, sola Anathemata esse publicanda, capita verò doctrinæ & eorundem rationes omittendas, quia *Doctorum sit opiniones suas rationibus firmare, judicum vero, quales sint in Concilio Episcopi, sententias absolutas pronuntiare & quò plura dicantur, eò major contradictionis seges suppeditetur.* In contrariam sententiam disserebat Octavianus Preconius, Archiepiscopus Panormitanus, extremæ esse ignaviæ disceptandi cum hæreticis aleam detrectare. Re in Congregatione iterum in deliberationem adductâ, majori suffragiorum parti placuit, ne à recepto semel ordine abscederetur. Suborta hic de *Residentiæ* declaratione controversia, Legati Mantuanus & Seripandus, ut Pontifici studia sua probarent, ad artes ac prensationes variorum Præsulum confugiunt. Hispani contra Præsules non tantùm in sententia sua fortiter perstant, sed etiam ad Regem suum communes literas exarant, & de Pontifice *Residentiæ*, cujus fundamento totum Reformationis Ecclesiasticæ ædificium superstrui debeat, declarationem sufflaminante, de Concilii libertate per Italorum, Pontifici variis modis obnoxiorum, pluralitatem suppressa, de Legatis ex Pontificis nutu pendentibus acerbas querelas movent. Legati contra operam dant, ut & ipsos Hispanorum Præsulum duces apud Regem in suspicionem adducant commercii cum Quinqueecclesiensi in flagitanda communione calicis, & apud Cardinalem Ferrariensem in Gallia instant, ut is efficiat, ne Galli adventantes cum Hispanis in eo negotio se conjungant. Interea Pontifex denuo periculum subodoratus, firmandis rebus suis scribit militem, & Principum Italorum amicitias sibi adjungere studet. Ab hoc instituto ipsum revocare conantur Oratores & Gallus & Hispanus, ille causatus hac ratione turbari Concilium, hic verò, si periculum subsit à Protestantibus, à Rege suo suppetias pollicitus. Quæ pollicitatio denuo Pontifici animum addidit, adeò quidem, ut Legatis scriberet, ut in reprimendo omni de residentia sermone sedulam operam navent, & Concilio finem ante Gallorum Præsulum adventum, si fieri possit, imponant. Interim Oratores Galli de-

N 2 nuo

nuo intercedunt, & Sessionem instantem prorogari obnoxiè expetunt, donec nationis suæ Præsules, ante finem Septembris advolaturi præsto sint. Interea quæ ad mores & disciplinam spectant, vel residua in materia calilicis capita commodè tractari posse. Repulsam indignam passi, saltem audiri in Congregatione petunt. Id quoque illis negatum, eò quòd nulla ad negotia in Synodo tractanda via nisi per Legatos pateat. Gravis inde orta Gallorum Oratorum apud Hispanos de durissima Concilii servitute querimonia, *Legatis Principum non cum Concilio, sed cum solis Legatis tractationem permitti, perinde ac si non ad Synodum, sed ad Legatos mitterentur, idque pugnare cum antiquo Conciliorum more, & cum magna Principum suorum injuria conjunctum esse. Decretum si quod factum sit eam in rem à Synodo, illud & ostendendum & examinandum esse. Neque tolerabilem esse injuriam, quòd principio ultimæ convocationis, Legati cum paucis Præsulibus Italis Româ venientibus, Decretum condiderint, & severiter executi sint.* Auctæ sunt eæ querelæ, ubi nuntiatum est, Insulanum, Regis Galliæ apud Papam Oratorem, mandato Regio id ipsum postulâsse, & à Papa ad Legatos rejectum esse. Lansacus igitur dicebat, *perpetuâ memoriâ dignum esse, quòd Pontifex rem referret ad Legatos, Legati nihil possent absque Synodo, Synodus nihil audire posset nisi per Legatos. Annon ita Principes deridiculo haberi?* Die secundo Augusti suffragia ferri de decretis in materia sacrificii Missæ cœperunt, disceptatúmque aliquandiu, an oblatio Christi in Cœna decreto inserenda esset? Die 14. Aug. Lainezius Jesuitarum Generalis adventans, Generalibus reliquorum Regularium de loco honoratiori controversiam movet. Factum hinc, ut in catalogo eorum, qui synodo interfuerunt, ejus nomen non consignaretur. Eodem tempore Hispani Præsules emendationem petebant abusuum ex privilegio Conclavistarum manantium, quibus factum erat, ut Cardinalium singulorum conclave ingredientium duo asciti ministri, *Conclavistæ* dicti, post Papæ electionem in ejus familiam asciscerentur, magnísque privilegiis ornarentur, adeò ut in præjudicium Episcoporum, beneficia, quæ hactenus possederant, in manus cujuscunque Ecclesiastici resignare iis liberum esset. A Legatis igitur ad Pontificem rejecti sunt, qui reputans, Conclavistas præcipuos Romæ & apud Cardinales morari, cæteros verò emendandos paucos esse nec magni nominis, simúlque quòd hac emendatione Præsules Concilii demulceri ac deliniri possent, desideriis eorum satisfecit, & sequenti mense multa privilegia antehac concessa revocavit. Sed revocationem eam Successores ejus secuti non sunt. Sub idem tempus Faber, tertius ex Oratoribus Gallicis, Tridento discessit, malè de eo discessu suspicantibus Patribus. De Missæ Sacrificio in Congregationibus usque ad diem 18. Aug. habitis actum. Oblationem in Cœna factam esse

Salme-

Salmero strenuè astruebat, & aliter sentientium etiam domos invisebat, iisque, authoritate & nomine usus Card. Warmiensis, Seripandi, & obliquè etiam reliquorum, persuadebat, ut vel tacerent, vel remissiùs agerent. Quibus artibus ita singulos fatigaverat, ut Episcopi Clodiensis & Vegliensis d. 18. Aug. in Congregatione de injuria ista apud Patres expostulaverint, & posterior Vegliensis, quòd Christus semetipsum in Cœna obtulerit, pluribus argumentis demonstraverit. Atque eodem die Cæsar per Archiepiscopum Pragensem à Synodo petiit, ne ante Ordinum Germaniæ conventum de Sacrificio Missæ ageretur, & articulus de communione calicis quàm primùm expediretur. Posteriori petitioni locum cessere Patres, at priori minimè, utpote quibus stabat sententia finem Synodo ocyssimè imponere. In fine Congregationis Quinqueecclesiensis Episcopus pro permissione calicis in Cœna gravem Orationem habet, in qua fusè demonstrat, *Christianæ charitati haud convenire, ad retinendam nimis strictam ac severam unius ritus observationem, tam multa Sacrilegia & cædes in nobilissimis provinciis non prohibere, neque tam multas animas ad Ecclesiæ Catholicæ gremium reducere.* Simul articulum de calice exhibuit ea forma qua tractatum volebat; nimirum ut iis qui sub Imperatoris ditione sunt, per Germaniam universam & Hungariam calicis usus permittatur. Quo facto strepitus excitatus, clarisque indiciis aversatio Patrum prodita est. Die 3. Septemb. denuò Oratores Galli de proroganda Sessione petitionem ingeminant, sed irrito denuo successu. Legati enim accepto de Cardinale Lotharingo, Præsulibus & Theologis Gallis propediem adfuturis nuntio, accelerandam potiùs Sessionem, ne cum novis sibi difficultatibus confligendum sit, rati, blandis verbis Oratorum petitionem eludunt. De quo Lansacus acerbè questus, non tam Legatis, quàm ipsi Pontifici Gallos metuenti id totum imputat, subjicitque, *quandoquidem quod justum, & non petenti etiam ultro largiendum, toties tentatum non successerit, de aliis dehinc remediis cogitandum.* Qua minaci voce Concilii solutionem portendi, Patres conjectabant simul & lætabantur, tanquam de re minimè sibi injucunda futura. Palàm etiam jactabatur, Cardinalem Lotharingum animum propensum ad convellendam sedis Apostolicæ authoritatem ostendisse, & Gallos lactâsse spe obtinendi Pontificatûs, quem esse in potestate Collegii Cardinalium Italorum iniquo animo ferebat. Galliam quoque semper sibi potestatem arrogâsse Pontificiæ potestatis coërcendæ, atque ejusdem Concilii decretis subjiciendæ. Atque huic opinioni etiam Hispanos accessuros, minimè à Gallis dubitatum esse. Scriptum etiam Tridenti circumferebatur, cujus argumentum erat, synodi exitum maturari haud posse; in quo etiam admonitus est Pontifex, ne vel translationem, vel suspensionem synodi permittat,

 ne

ne in Principum omnium offensionem incurrat. Interea Legati decretorum conclusionem in proximam Sessionem urgebant. De sacrificio Missæ decretum nullo negotio confectum. Supererat concessio calicis. De ea tres in universum opiniones fuerunt. *Prima* extrema & negativa, calicem nullatenus concedendum esse. *Secunda* affirmativa, concedendum esse, sed iis legibus & cautionibus, quæ synodo idoneæ videbantur. *Tertia* media, negotium totum ad Pontificem devolvendum esse. quanquam de modo non idem sensus omnium fuit. Erant & aliæ à tribus his dissidentes opiniones, sed quæ in numerum haud perveniebant. Neque etiam deerant impudentes, qui pertenderent, Cæsareos Oratores ab ea deliberatione penitus excludendos esse, Captembergensem in Stiria Episcopum secuti. *Primam* sententiam *negativam* tuiti sunt Hispani omnes, ab Oratore Varga per literas Roma moniti, id bono Religionis, & compendio ipsius Regis expedire, præsentissimo inde excidio Belgis & Insubribus imminente. Pro defendenda hac sententia variis rationibus ingenii sui vires in Concilio periclitati sunt Patriarchæ tres, Archiepiscopus Roassanensis, asserens, *petitionem eam hæreseos introductionem sapere*; Archiepiscopus Bracearensis, Episcopus Cavensis, Captembergensis, Johannes Baptista Osius, Episcopus Rheatinus, Sogobriensis, Campaniensis, Legionensis, Almeriensis, Lucensis, Imolensis, quorum suffragia Historicus recitat. Variis iisque subinde putidis rationibus certatum. Dicebat nonnemo, sicut nemo hac lege in Ecclesiam recipiendus sit, ut integrum ei sit fornicari: ita nec populos illos, qui calicem postulant, hac lege admittendos esse. Inter suffragatores etiam fuit Richardus de Vercellis, Abbas Prevalensis, qui, quòd in æstu sermonis Basileensis synodi authoritatem astruxisset, tanquam Pontifici parùm propitius, in mendosorum tabulas à Mantuano relatus, & propediem ex Concilio amandandus, præ animi ægritudine mox Tridenti diem obiit. *Secunda* seu *affirmativa* sententia suffragatorem habuit ipsum Cardinalem Madrucium, Episcopum Mutinensem, Casparum de Casal, Episcopum Leiriensem, Quinqueecclesiensem, & in universum Præsules quinquaginta. Præ cæteris omnibus Quinqueecclesiensis Episcopus, Andreas Dudithius, strenuam operam navavit, & negantium rationibus solidè respondit, hortatus ad extremum, *uti velint Ecclesias ipsorum miserari, & Cæsaris tanti Principis postulata non negligere, qui unienda ecclesiæ anhelans vix unquam sine lacbrymis hoc negotium memoret*; questúsque, *sic affectu præpeditos multorum Præsulum animos, ut præ vano metu mutationis in iis, in quibus ipsi degunt provinciis, animarum interitum siccis oculis aspicere sustineant.* Tertia denique, eáque *media* sententia fuit quinque Archiepiscoporum, Episcopi Conimbri-

nimbricensis, aliorúmque. Sed prima sententia suffragiorum numero superior fuit. Legati igitur, cùm Imperatori satisfactum vellent, neque rationem ullam perspicerent, qua id in Synodo effici posset, negativæ sententiæ suffragiis præpollentibus, omni ope in id incumbunt, ut res ad Papam remitteretur. Datum etiam negotium Jacobo Lomelino, Episcopo Mazariensi & Ventimigliensi, ut id ipsum apud Patres maximâ curâ ambirent. Neque cessatum ab ipsis Legatis. Horum opera persuasum id est primò tribus Patriarchis, dein omnibus ditionis Venetæ Prælatis. Atque tot jam conciliatis, quot ad rem conficiendam sufficere videbantur, literas ad Pontificem formâ ordinariâ cum suffragiorum omnium indice conscribi jubent. Dum de forma illa consultatur, Episcopus Quinqueecclesiensis decretum in Sessione faciendum urget, eique inseri petit verba, quibus Synodus declaret, expedire calicis usum concedi. Unde unius hebdomadæ moram interponi, ac interea Missæ decretum, à majori parte approbatum stabiliri placuit. Deinceps varia reformationis capita exhibentur, ex composito delecta circa res faciles, contradictioni haud obnoxias, & Episcoporum authoritati favorabiles, ne videlicet cujusquam oppositione remora injiciatur. De his die 9. Septembr. agi cœptum sine dimicatione ulla, nisi quòd Philadelphiensis, Conimbricensis, Parisiensis, Segoviensis, Auriensis, Quinqueecclesiensis aliique Episcopi testati sunt, non placere sibi, quòd gravissimis rebus, reformatione nimirum capitis & membrorum omissis, res leves & minimæ tractentur. Segoviensis etiam addebat. *Synodum facere, quod imperiti medici solent, morbis lethalibus applicare medicamenta anodyna, & oleo inungere, quæ ferro pungenda.* Posthac denuo Insulanus Regis Galliæ apud Pontificem Orator Romæ instat, ut tempus Sessionis ad adventum usque Gallorum Præsulum extrahatur. Pontifex etsi Concilii prolationem invitus audiret, tamen ne timorem suum proderet, respondit, *sua parùm interesse, differatur nécne, significaturum se per literas Legatis, quid ab ipsis postuletur, & declaraturum amplius, se contentum, ut Sessio differatur.* Hæ literæ aliáque effecerunt, ut Legati potiores ad Sessionem protrahendam propenderent. Sed Simoneta Papæ potiùs mentem quàm verba sequenda pertendens effecit, ut contrarium omnino statueretur, & Sessio acceleraretur. Articulus porro de concessione Calicis ad Papam remittenda, ob adjunctam clausulam, *Papæ permitti etiam suffragante & approbante Concilio id facere, quod expedire videbitur*, non placuit Patribus, ne jue prius probatus est, quàm clausula ea tolleretur. Qua sublata tandem formatum decretum est, reclamantibus licet Hispanis, qui negativam mordicus defenderunt, sed Pontificiis & Legatis multùm plaudentibus. Habita est post Generalis Congregatio omnium Oratorum, Venetis

& Flo-

& Florentino exceptis, in qua consultatum est de Legatis adeundis & obsecrandis, ut Sessione instante omissis dogmatibus, quorum tractatio absentibus Adversariis prorsus inutilis sit, de Reformatione non defunctoriè, ut hactenus, sed seriò ageretur. Non assentiebatur Secretarius Hispaniæ, ne nova methodo adhibita non continuatum, sed novum illud Concilium videretur. Lusitanus etiam generalibus verbis usus, cœtui se subduxit. Helvetius verò novam haberi consultationem suasit. At Lansacus Oratorum nomine postulatum Legatis proponit, à quibus blandis adeò verbis demulcetur, ut ab ulteriori petitione Oratores abstinuerint. Deliberatum deinceps est de tempore & materia sequentis Sessionis. Protrahi tempus suadebat Granatensis, ut Gallis & Polonis opportunitas detur non ad iter duntaxat expediendum, sed singula etiam pernoscenda. Accedebant huic sententiæ etiam Hispani, & vicerant haud dubiè, nisi Pontifex absolutum mandatum Legatis tulisset, *ne Synodus ultra duos menses protolleretur, & ut de Sacramentis Ordinis & matrimonii simul ageret.* Legati igitur monstrabant, se cogi ad decretum Pontificis voluntati conformandum. Decretis perlectis pristinæ contentiones recruduerunt, blandis & mollibus verbis Legatorum ægrè sopitæ. Congregatio enim duabus noctis horis continuata est, & decreta cum summa bonorum omnium offensione ex partis majoris assensu, etsi non multò paucioribus contradicentibus, conclusa sunt. Successit tandem Sessio ipsa die condicto 17. Septembris, in qua post peractam Missam & concionem ab Episcopo Ventimigliensi habitam, ante omnia prælectæ sunt Cardinalis Amulii literæ, qui Ecclesiarum Orientalium Christianam fidem profitentium protector, Synodo significabat, profectum esse Romam Abdissum Patriarcham Muzalis, in Assyria ultra Euphratem, Papæque obedientiam debitam præstitisse, & ab eodem confirmatum pallium accepisse. Papales ei subjectos ab Apostolis Thoma ac Thaddæo, horúmq; discipulo Marco fidem accepisse eandem cum Romana, eadem Sacramenta ritúsque, ac de iis etiam extare libros ab ipsis Apostolorum temporibus conscriptos. Præsulis ejus regiones ad Indiam usq; interiorem protendi, quarum partem Turcico Imperio, partem Sophiano Persiæ, partem Lusitaniæ Regi parere. Lectis literis, Orator Lusitanus protestabatur, Orientales Antistites Regi suo parentes neminem superiorem Patriarcham agnoscere. Dein recitata est ejusdem Patriarchæ confessio Romæ die 7. Martii facta, quâ suum cum ecclesia Romana consensum profitebatur, atque eandem doctrinam se Metropolitanos & Episcopos diœcesanos sibi subjectos edocturum recipiebat. Lecta ejusdem ad Synodum Syngrapha, qua & excusabat se, quòd ob longinquum iter non ipse coram se Synodo stiterit, & rogabat simul, ut Synodi decreta ad se mitterentur,

tur, quæ ut singula rectè observentur, ipse operam daturus sit. Ipsa verò Lusitani protestatio hominum animos excitaverat ad varia absurda ea in narratione excurrenda, de quibus in Congregatione agendum esse Legatorum mandato Promotor promisit. Posthæc lecta sunt de Missæ Sacrificio capita IX. totidemque anathemata. Decreto tamen illi, quo Christum seipsum obtulisse dictum est, ab Episcopis XXIII. reclamatum est, ab Archiepiscopo Granatensi, qui Sessioni se subducens in eam protractus est, facto dissentiendi initio. Mox lectum etiam Reformationis decretum est, ac postremò etiam Decretum super concessione calicis, quod uti in Congregatione, ita etiam in Sessione majoris duntaxat patris assensum habuit, nonnullis etiam petentibus, ut ea res protrahatur, & alio tempore examinetur. Quibus cùm responsum esset à Promotore nomine Legatorum, de ea re deliberandum esse, in diem XII. Novembris proxima Sessio indicta, atque sic præsens finita fuit.

NOTÆ

Ad Historiam & Decretum Sessionis XXII.

P*Rimò* notandus venit Legatorum hactenus diffidentium, Mantuani & Simonetæ inprimis, Syncretismus potiùs, quàm vera concordia. Nam quæ animorum consensio valere debuit ad provehendam nominis Divini gloriam, ea Pontificis Romani promovendis, cum detrimento Ecclesiæ, commodis tota inserviit. Hinc videlicet consilia illa in unum collata, quo pacto Pontifici & Romanæ Curiæ in negotio de Residentia satisfieri queat, faciunt. Quem in finem etiam Mutinensem & Brixianum Episcopos futuros negotii rectè curandi proxenetas, conducere haud verentur. *Secundò* ordo Theologis inter disserendum præscriptus haud immeritò ipsis Oratoribus, inprimis Gallis, suspectus fuit, utpote Pontifici nimium addictus. In eo enim disputandi partes non aliis quàm Italis, Hispanis & Lusitanis tribuuntur. Et Jesuitæ ipsi, Salmeron & Torrensis legis certum tempus ad differendum præfinientis frænum mordere non verecundati fuit. *Tertiò* Pontifex non dubitavit illudere Concilio, jubens Legatos in eo profiteri, quòd in Curiæ suæ Reformatione omni studio defixus sit. Vim etiam denuo concilio intulit, præcipiens Legatis, ut omnia ad finiendam Synodum maturent, & quæ difficultatibus laborare videbuntur, compendiaria via usi suam ad cognitionem Romam remittant. Qui quidem dolus in decreto de communione calicis haud infeliciter illis successit. *Quartò* Cavillonii Jesuitæ, Ducis Bavariæ Theologi, admonitio ad

Legatos, ne in quacunque materia & à quolibet patiantur hæreticorum argumenta in medium proponi, & sicubi proponentur, ut probationes intermediæ omittantur, meritò ab Oratore Ducis Bavariæ falsè perstricta est, utpote quæ doceat in doctrinæ Christi simplicitate Sophisticâ apposite uti. Si causæ Pontificiæ confisus est homo, cur contrarias rationes à quolibet etiam non in plebejorum, sed eruditorum corona & comitiis proponi vetuit? Cur Patres reliqui tam perverso monitori vacivas aures præbuerunt? *Quintò* affine huic est, quòd Archiepiscopus Lancianensis pertendit, sola Anathemata omissis doctrinæ capitibus vulganda esse. Quis non videt, puduisse bonos Patres doctrinæ suæ, ob errorum intimam conscientiam? *Sextò* Theologi & Episcopi nonnulli animi sui de propositis thematis sensa liberè depromentes exagitati & malè habiti sunt. Ita Antonius de Valtelina ecclesiasticorum in celebratione missæ rituum varietatem verissima oratione demonstrans, offensam Patrum incurrit, ut patrocinio Quinqueecclesiensis Episcopi protegi debuerit. Abbas quoque Prevalensis ob assertam Basileensis Synodi authoritatem, tanquam Pontifici parum propitius, à Legatis in mendosorum tabulas refertur, déque eo honesto colore amandando consultatur. Quæ contumelia adeò eum discruciavit, ut mox diem suum in ipso Concilio ob ægritudinem summam animi oppeteret. Cæsareos, & inter illos inprimis Dudithium Quinqueecclesiensem, quòd communionem calicis instantiùs urgerent, omni de eo argumento judicio abstinere deberet, emerarii nonnulli pertenderunt. Quid dicam de tot querelis hac ipsa Sessione ingeminatis à Præsulibus Hispanis apud Hispaniæ, & ab Oratoribus Galliæ apud Galliæ Reges, graviter serióque, de adempta Concilio omni libertate ingeminatis? Et Oratoribus quidem integrum non erat hiscere in Concilio, Legatis sibi solis facultatem proponendi calido consilio nuper per fraudem inito & obtruso vindicantibus, adeò ut Lansacus jure questus fuerit, perpetuâ memoriâ dignum esse, *quòd Pontifex rem referret ad Legatos, Legati nihil absque Synodo, Synodus nihil nisi per Legatos audere posset.* Tanta denique austeritas Pontificis & Patrum fuit, ut nec precibus ullis, nec minis ad procrastinandam in adventum usque Gallorum Præsulum Sessionem adduci potuerint. Sunt hæc argumenta irrefragabilia Concilii in Papæ miserrimam servitutem redacti. *Septimò* Conclavistarum privilegia hactenus usurpata, denuo corruptionis ecclesiasticæ & Simoniacæ pravitatis publica authoritate grassantis indicium præbent. Ei obviam ivisse Pontifex sublatis privilegiis videri voluit. Sed Hydræ hoc caput adeò penitus præcidi non potuit, ut statim etiam renatum fuerit. *Octavò* perstringi meretur nefarius Jesuitæ Salmeronis, suffragia Episcoporum pro oblatione Chri-

sti

ﬅi in Cœna definienda domatim emendicantis, ambitus, Legatorum ipſorum authoritate munitus, & ab Epiſcopo Vegllienſi obliquè graviterque reprehenſus. Dignum ſanè Jeſuitâ & malâ causâ propoſitum. *Nonò* σκληροκαρδία Patrum, inprimis Hiſpanorum, calicem nullis idoneis rationibus, & frivolis duntaxat prætextibus negantium, tum artificium Legatorum cauſæ dubiæ deciſionem ad Papam prenſatis ſuffragiis remittentium, animadverſione etiam dignum ſatis eſt. De quo in examine Decreti illius fuſiùs. *Demùm* phaleræ ad populum fuerunt, quòd de Abdiſſo Aſſyriorum Orientalium Patriarcha Cardinalis Amulii fumum tot Patribus venditantis literæ in Concilio pomposè prælectæ ſunt. Ita ſolebant Pontifices vel arte quadam procurare, vel fingere etiam peregrina ejuſmodi authoritatis ſuæ incruſtandæ ſubſidia, quoties poteſtas ejus apud propinquos labaſcere cœpit. In literis Amulii inter alia jactatum erat, bonum illum Abdiſſum omnes antiquos Doctores Græcos & Latinos in Linguam Chaldaicam, Syriacam & Arabicam converſos habere, ipsúmque & ſubjectos ejus iiſdem cum eccleſia Romana Sacramentis, eadem confeſſione auriculari, precibus pro mortuis, eodem canone in conſecratione Miſſæ, eodem imaginum cultu uti, aliáque ejuſmodi, quæ Judæus apella credat. Syngrapham etiam & Sponſionem Chaldaicis characteribus exarâſſe ſcribunt. Miror verò, an illi Chaldaici characteres ab Hebræis diſtincti, necne fuerint? In Syngrapha ea, ſeu ſponſione juratò pollicitus eſt ille Patriarcha, ſe Decretis Concilii omnibus etiam ἀδοκιμάστοις ſubſcripturum, & ut in ampliſſimis ditionibus ſuis obſerventur, ſedulam operam navaturum. Quis non videt, ad ſcenam ornandam omnia ſtudio comparata fuiſſe, & fuiſſe hominem illum leve aliquod & conductum Pontificis Romani, adeóque *Latinizatum*, uti vocant, mancipium. Venit nempe, Onuphrio teſte, *ut à Pontifice confirmatus, pallium de corpore S. Petri ſuſciperet.* Et hactenus inſolens fuit, Orientales Patriarchas Romano Pontifici, more Occidentalium Epiſcoporum ſacro & religioſo juramento ſe obſtringere. Atque hæc forte cauſa eſt, quòd Orator Luſitanus in Concilio proteſtandum ſibi duxit, *Antiſtites Orientales Regi ſuo parentes Patriarcham neminem ſuperiorem agnoſcere, utq́; hac admiſſione vel Orientalibus ipſis vel Regi ſuo præjudicium nullum creetur*: quódque hac proteſtatione exciti ſunt homines ad varia abſurda ea in narratione Amulii Cardinalis excutienda, & orto rumore ipſi ſe Præſules ad loquendum comparaverint, quibus proinde ſpe facta fore, ut aliâs hoc excutiatur, à Promotore, Legatorum nomine ſilentium indictum fuit. Fruſtra igitur Petrus Fontidonius in apologia pro Concilio Tridentino turgida oratione illud Abdiſſi de Tridentino Concilio fucatum judicium, Johanni Fabricio Montano oppoſuit.

Quin Doctissimus & Celeberrimus Claudius innumera ejusmodi imposturarum in hoc ipso argumento, famoso suo Adversario Sorbonistæ Arnoldo obvertit, ut temerè hactenus jactatæ illius cum Orientalibus consensionis & pœnitere multos, quibus non omnino læva mens est, cœperit, & pudere omnes debeat. *Undecimò* decretum de sacrificio Missæ inferiùs Σ. Θ. ventilabimus. Nunc pauca de Reformationis capitibus. Ac in universum quidem publica querela erat, inprimis à Principibus & eorum Oratoribus agitata, gravioribus & unicè necessariis Reformationis capitibus omissis, non tractari in Synodo nisi levissima & perfunctoriè quidem; de Notariis, Quæstoribus aliisque ejusmodi minutiis. Parisiensis innuebat, rem hactenus nec seriò nec sincerè, sed dicis causâ & simulatè tractatam esse. Facit huc Segoviensis simile ab imperito medico, oleo inungente, quæ ferro pungenda erant, arcessitum. Et I. quidem capite de vita & honestate clericorum vetusti canones innovantur. Ritè equidem sapienterque. Sed luxus cleri instrumenta, divitias Regias, impurum cœlibatum, aliáque ejusmodi vitiorum incentiva & bonæ mentis venena, publicâ lege ante omnia etiam tollenda fuerant. Capite II. sancitur, quinam ad Cathedrales ecclesias assumendi sint? Sed Collegiatarum, Cathedralium &c. ecclesiarum discrimen nec Dei verbo, nec piæ antiquitatis exemplo nititur, & typhi Pontificii indicium præbet. Scientia verò rerum sacrarum, linguarum originalium, bonarum artium, quali pollere debeant ad munus assumendi, exprimi debuit. Nam ea quidem Scholasticæ matæologiæ, & Juris canonici, nec non desultoria Linguæ Latinæ notitia, ad munus aliquod sacrum ritè obeundum minimè sufficere potest. Capite III. de distributionibus proventuum, *quarto* de suffragiis in capitulo, & suscipiendis Ordinibus ab iis, qui dignitates, personatus, præbendas &c. onerosas obtinent agitur. Caput V. de dispensationibus extra curiam Episcopo committendis, multorum reprehensionem non immeritò incurrit, objicientium, olim dispensationes omnes à Pastoribus in propriis ecclesiis administratas esse; temporis verò progressu Romanos Pontifices sibi nonnullos casus principales reservâsse, quibus reservationibus non aliud quæsitum sit, quàm Bullarum Pontificiarum actio, quibus divenditis satius existimaverint, ut ille opus exequatur, qui id exequi potuisset, nisi ei interdictum esset, quàm quivis alius. Capite *Sexto* Episcopis tanquam Apostolicæ sedis Delegatis, vendicatur extrajudicialis cognitio commutationis ultimarum voluntatum. Quæ manifesta est ministrorum ecclesiæ in populum, verbo Dei, quod vetat eos, qui Christo in ecclesia serviunt, ταῖς τοῦ βίου πραγματείαις implicari, & æquitati, addo & Regiis Constitutionibus repugnans jurisdictio. Accedit quòd ex juris, tum civilis

civilis tum Pontificii sanctione nihil firmiùs religiosiúsque, quàm postremum defuncti judicium observari debeat, adeóque pro arbitrio Præsulis alicujus haud facile mutandum sit. Meritò igitur judicâsse multos testatur Historicus *abusum illum esse intolerabilem, quòd in comperto sit, testamentorum vim omnem à jure civili pendere; horúmque mutationem ei deberi. Quòd si quis dicat, vigorem sui m à lege naturali habere, eò minùs sacerdotibus quidquam in ea authoritatis competere. Administranda testamentorum cura leges non à Conciliis, sed Majestate petendas, cùm eam non exerceant ut Christi Ministri, sed membra ac brachia Reipub. secularis, pag.*526. Si quod ejusmodi olim in Ecclesia Episcopis judicium tributum est, singulares causas habuit, quibus cessantibus ipsum quoque factum cessare debet. Non pecuniarum, sed conscientiæ cura fidos Ecclesiæ ministros decet. Capite VII. innovatur Decretum Innocentii IV. Papæ de appellationibus. Hæc spectant ad Jurisdictionem Episcoporum, superiùs à nobis oppugnatam. Capite VIII. Episcopis tanquam Apostolicæ sedis delegatis vendicatur potestas exequendi piorum dispositiones tam in ultima voluntate, quam inter vivos, visitandi Hospitalia, Collegia quæcumque, ac Confraternitates laicorum, dummodo non sint sub immediata Regum protectione, nec non eleemosynas montis pietatis, sive charitatis, & pia loca omnia, etiamsi eorum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegio sint munita, &c. cognoscendi. Clausula ea, quâ excipiuntur ea loca, quæ sub immediata sunt protectione Regum, adjecta est in Regis Hispaniæ gratiam, utpote gaudentis privilegio exemptionis, inprimis quoad Regnum Siciliæ, quo propter Monarchiam antiquitus munitum fuit. Pugnat autem illud decretum cum facultate libera, quam quisque habet in deligendis in suo Testamento executoribus, & ejus cura hæredi committenda, & cum Dei verbo, quod vetat Ecclesiæ ministros rebus hujus seculi se immiscere. Sed & cura ac administratio externa Xenodochiorum aliorumque piorum & calamitosorum locorum Episcopis nullo jure competit, & iisdem etiam abrogata est in Gallia, ob pravam ipsorum administrationem, *quia* videlicet *locorum illorum reditus, aut certè maximam partem sibi inque suam rem adscribebant, adeo ut propemodum nomina Hospitaliorum & Hospitalitatis aboleverint, inque titulos Beneficii mutaverint, quæ sibi collata esse asserunt, pauperes alimonia sua fraudantes, Deique præceptis nec non fundatorum intentioni refragantes,* uti verba edicti Caroli IX. habent. Eadem labe contaminatum est caput IX. quo administratores quorumcunque piorum locorum reddere rationem jubentur ordinario, nisi aliter in fundatione sit cautum. Cui decreto minime obsequentem se gerit Gallia, in qua coram judicibus Regiis, præsente quidem Episcopo, aut ejus vicario, ratio ab administrationibus redditur,

Capite X. Notarii Episcoporum examini & judicio subjiciuntur, an videlicet sint capaces, & idonei nec ne? qui si idonei reperti non fuerint, aut si quid forte in muneris su functione deliquerint, Episcopo potestas datur, eos exercitio in negotiis Ecclesiasticis perpetuò aut ad tempus interdicendi. Quod ipsum quoque architectonicæ potestati derogat, & Ecclesiæ ministrum in temporalem judicem deformat. Unde etiam in Gallia ad solum Regem, Regiósque judices notitia delictorum à Notariis admissorum pertinet. Ultimo denique capite bonorum cujuscunque Ecclesiæ aut pii loci occupatores quacunque dignitate, etiam Imperiali aut Regali præfulgeant, anathemati subjiciuntur. Atque adeò tum Pontifici & Clero bonorum Ecclesiasticorum administratio in solidum vindicatur: tum & potestas corrigendorum in bonorum Ecclesiasticorum administratione abusuum, supereminenti potestati eripitur. Hæc videlicet illa fabula est, quam jam olim Bonifacius VIII. agitavit, scribens ad Philippum Francorum Regem hæc in verba: *Bonifacius Episcopus Servus Servorum Dei, Philippo Francorum Regi. Deum time, & mandata ejus observa. Scire te volumus, quòd in spiritualibus & temporalibus nobis subes. Beneficiorum & prabendarum ad Te collatio nulla spectat: & si aliquarum vacantium custodiam habeas, usum fructum earum successoribus reserves: & si qua contulisti, collationem haberi irritam decrevimus, & quatenus processerit, revocamus.* Sed cordatum generosissimque responsum Rex edidit in hæc verba: *Philippus Dei gratiâ Francorum Rex, Bonifacio se gerenti pro summo Pontifice, salutem modicam, sive nullam. Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus nos alicui non subesse: aliquarum Ecclesiarum & prabendarum vacantium collationem ad nos jure Regio pertinere, & percipere fructus earum: contra omnes possessionem nostram viriliter nos tueri: Secus autem credentes fatuos reputamus atque dementes.* Cúmque Bonifacius omnium ferè beneficiorum collationem ad se traxerit, Bullis reservatoriis, gratiis expectativis, aliisque id genus provisionibus, eóque contra canonum decreta, quasi sub hasta pluris ementibus addixisset; idem Rex in Antistitum & Baronum Regni sui generali conventu, ejus rei gratia convocato, Bonifacium hæreseos ac Simoniacæ pravitatis, aliorúmque criminum reum peregit. Et hodiéque Gallia Decreto huic Tridentino fortiter refragatur, anathemate eorum nihil pensi habito. Nosque etiam superiùs usurpatam istam, & in Concilio hoc confirmatam jurisdictionem ecclesiasticam, ex verbo Dei profligavimus. Lubet heic memorare querelam de his Decretis multorum in ipso Papatu, quam texit Historicus lib. VI. pag. m. 525. Querebantur illi, *bonorum ecclesiasticorum dominium olim fuisse totius ecclesiæ, hoc est, omnium Christianorum unum in cœtum coeuntium. Eorum administrationem Diaconis, Subdiaconis, aliisque Oeconomis commissam, inspectoribus Episcopis & Sacerdotibus, ad ea*

in victum ministrorum, viduarum, infirmorum, pauperum, in educationem puerorum & adolescentum, in hospitalitatem, redemptionem captivorum, aliáque opera pia distribuenda. Clerum igitur cœpisse primò velle partem suam internoscere, & ab aliis separare, eáque ad libitum uti. Crescente abusu non populum duntaxat bonorum dominio prorsus exclusum, & Clericos pro administratoribus factos dominos, verùm etiam id omne, quod pauperibus hospitalitati, Scholis, aliisque piis operibus destinatum fuerat, ab iis proprios in usus conversum. Ea de re cùm multis Seculis homines frustra questi essent, laicos solo pietatis studio in quibusdam locis alia Xenodochia, alias Scholas, aliósque pietatis ac charitatis montes, qui piis operibus sufficerent, erexisse, administratoribus tamen laicis. Nunc verò hoc seculo quo omnia postulatis remediorum, & ut Xenodochia & Scholæ iniquè à Sacerdotibus occupata justis Dominis restituantur, perstrepunt, Synodum, quæ justis dolentium precibus auscultare debuit, & Collegiis, Scholis, Xenodochiis, aliisque locis piis ablata restituere, Capite VIII. & IX. portam aperuisse invadendis etiam iis, quæ postea fuerant instituta, inspectione Episcopis demandata. Qua quidem via quando bona olim iisdem piis operibus dedicata, fuisse occupata constat, & ad alios usus minimè pios translata, ecquem dubitaturum, quin intra breve tempus ab eodem medio idem effectus sit manaturus? Atque id ipsum à Curiis Parlamenti in Gallia animadversum, à quibus apertè dictum sit, Synodum auctoritatis suæ fines excessisse, manu in alienam messem, nempe bona Secularia, immissa, cùm tamen indubitatum sit, titulum pii operis Sacerdoti jus nullum acquirere. Christiano enim cuivis liberum esse bona sua pro arbitrio cuivis operi applicare, nulla habita ratione legis cujusquam, quam ei Ecclesiasticus imponere possit. Aliàs intolerandam fore laicorum servitutem, si illis non liceat, nisi ad nutum sacerdotis cuiquam benignè facere. Hactenus illi. *Duodecimò* & postremò de Decreto super petitione concessionis calicis ad Pontificem remittendo, pauca etiam in medium afferre lubet. Ac decretum quidem illud ante omnia alieno loco & perverso ordine collocatum esse, abundè liquet. Recensendum enim fuerat in decreto fidei. Verùm quia vulgatum axioma erat, in stabiliendis fidei Decretis unanimem consensum, vel certè talem, ut notabilis aliqua pars non dissentiat, requiri: at in condendis Reformationis Decretis majorem suffragiorum partem sufficere, hinc factum, ut Decretum illud, contradicentibus multis, ejus architecti non cum fidei, sed cum Reformationis Decretis conjungendum duxerint. Sed de hoc quicquid fiat, certè Tridentini ejusmodi Decreto concessionem calicis ad Pontificem rejicere non debuerunt. Etenim mandata Dei cum ἀνυπεύθυνα sint, æquum non est, ut illorum dispensatio ulli homini subjiciatur. Tum nititur hoc decretum imaginaria plenitudine Pontificiæ potestatis, quæ verbi Divini jure nulla est. Deinde timiditatem Synodi arguit, quæ Spiritui S. cujus assistentiam jactavit, confidere non ausa magis se ad nutum Papæ componere necessum habuit. Etenim concessio

Calicis,

Calicis ex jure Divino vel necessaria, vel libera fuit. Si *prius*, cur Synodus eam non definivit, quæ multa alia hactenus majoris momenti capita definivit. Si *posterius*, an res liberas, adiaphoras tractare ac definire non potuit, quæ sibi animarum curam & universum spirituale regimen traditum esse gloriabunda credidit? Quod argumentum etiam Quinqueclesiensis Episcopus urgebat. Accedit dilemma, quod Petrus Danesius Vivariensis Episcopus in ipsa Synodo nectebat. Concessio Calicis, inquiebat ille, ad Pontificem remissa est, vel tanquam ad superiorem, vel tanquam ad inferiorem. *Non tanquam ad superiorem*, tum quia hactenus Synodus ausa non est definire, quæ sit potestas superior: tum quia ad superiorem non itur nisi ob incurrentes inextricabiles difficultates, quales hic nullæ apparent. Non *tanquam ad inferiorem*, quia ad inferiorem non fit remissio, nisi ad molestias superiore indignas evitandum, quales etiam hoc loco minime apparent. Præterea revera populum Christianum Synodus ludos fecit. Etenim postulatum calicis primitùs ad Papam delatum, ille ad Synodum rejecit. Synodus petitionem justam, sex integros prius menses agitatam, dein ad accuratiorem disquisitionem duos iterum menses dilatam, postliminio ad Pontificem remisit. cùm sine tanti temporis jactura, absque tot officiis ac laboribus in ipso statim principio ad ipsum remitti potuerit. Unde publica querela sonabat, conditionem Christianorum esse juxta prophetiam Esajæ: *Manda, remanda. Expecta, reexpecta.* Denique alii non erubuerunt levato velo dicere quod res est, nimirum Synodum hoc decreto haud obscurè fassam esse, rationes eas, quibus calix à nonnullis negatus est, idoneas & sufficientes haud esse. Nam si idoneas judicassent, in prohibitione perseverandum fuisse. Si dubias, in examine pergendum.



QUÆ-

QUÆSTIONES THEOLOGICÆ
AD
Decreta Fidei Sessionis XXII.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

QUÆSTIO I.

An in actione Cœnæ, quam Missam vocant, offeratur Deo externum & proprium Sacrificium, non laudis duntaxat, gratiarum actionis, commemorationis, sed verè propitiatorium?

AFfirmat Synodus Cap. I. & II. nec non Can. I. & III. Et capite quidem *primo* asserunt Patres, Christum, quamvis semel in ara crucis se Deo Patri oblaturus fuerat; quia tamen per mortem sacerdotium ejus extinguendum non erat, in Cœna novissima reliquisse sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, & salutaris ejus virtus in remissionem peccatorum, quæ à nobis quotidie committuntur, applicaretur. Declaraturum igitur, se sacerdotem illum esse secundum ordinem Melchisedeci constitutum, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulisse, ac sub earundem rerum symbolis Apostolis, quos tum sacerdotes fecerit, ut sumerent, tradidisse, & eisdem, eorúmque in sacerdotio successoribus ut offerrent, præcepisse per hæc verba: *Hoc facite in mei commemorationem.* Atque ita Catholicam Ecclesiam semper intellexisse & docuisse. Ne verò qualecunque sacrificium intelligatur, subjiciunt capite II. quoniam in hoc sacrificio idem ille Christus contineatur, & incruentè immoletur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit, iccirco istud *vere propitiatorium* esse, quippe cujus oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittat. Unam enim eandémque esse hostiam, eundem nunc offerentem sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversam. Hactenus Tridentini. Nos fatemur

temur equidem, in Ecclesia Christiana & quolibet Dei cultu necessarium esse sacrificium, sive illud sit *externum* & propriè, sive *internum* & communiter dictum. Agnoscimus, Christum seipsum semel in ara crucis Deo Patri obtulisse, in plenariam peccatorum nostrorum expiationem, & Dei cœlestis Patris propitiationem. Neque etiam morosè cum quoquam contendimus, an Eucharistia possit appellari *Missa*. Extat enim illud vocabulum apud Ambrosium & Leonem in Epistola ad Dioscurum Alexandrinum, nec non in Epistola Cornelii Papæ ad Lupicinum Viennensem, cujus temporibus circa finem seculi III. usurpari cœptum videtur. Missa autem pro *missione*, *remissione*, dicta notabat totum ordinem agendi, seu liturgiam veterum, distinguebáturque in Missam fidelium & Catechumenorum, quæ posterior κατ' ἐξοχὴν *Missa* dici suevit: uti Casaubonus suis in Baronium Exercitationibus eruditè demonstrat. Missæ igitur nomine κατ' ἐξοχὴν ipsa Eucharistiæ celebratio veniebat. quo sensu ab hac voce nulli abhorremus. De voce enim litem movere, ubi de re ipsa convenit, facinus est μικροψυχίας γέμον. Adversariis autem Missa non est ipsa communio, quæ à missa secluditur, sed potiùs acroama illud & spectaculum, ac theatrica illa repræsentatio per verba, ornamenta, ritus, gestus, actúsque ejusmodi mimicos. Neque etiam intercedimus, quò minùs Eucharistia dicatur *Sacrificium*, nimirum *Symbolicè* ratione communicationis, repræsentationis, applicationis & gratiarum actionis. Verùm in Eucharistia sub speciebus panis & vini offerri Christum Deo Patri, adeóque in ea peragi sacrificium propriè dictum, externum, corporale, & quidem verè ἱλαστικὸν, propitiatorium pro peccatis hominum, tum viventium tum mortuorum, pernegamus. Etenim

ARG. I. Christum in eucharistia non esse præsentem externa, locali & substantiali præsentiâ, neque panem & vinum transsubstantiari in corpus & sanguinem Christi, supra efficacissimè probavimus. Non igitur Christus corpore suo in Eucharistia sacrificari & offerri potest. Oblatio enim requirit præsentiam corporalem hostiæ.

RESP. REDING: *Substantialem Christi in Eucharistia præsentiam supra demonstravimus.* Tomo III Tract. 9. Ss. 2. pag. 257—259. Resp. Non demonstrasti quicquam, sed asseruisti sine ratione & revelatione omni. Luculenter id ex nostris addicta tua animadversionibus constat.

ARG. II. Omne Sacrificium Deo placens, ab ipso institutum sit oportet. At sacrificium illud Missaticum nec à Christo institutum, nec ab Apostolis usurpatum est. Expendatur enim tota historia institutionis Eucharistiæ. In ea Christus accumbebat mensæ, non Sacerdotis instar astabat altari:

altari panem & vinum benedictione sua sanctificabat, & discipulis quidem distribuebat ad edendum, bibendum, non ad circumgestandum, adorandum, immolandum : atque id ipsum facere jubebat *εἰς ἀνάμνησιν ad recordationem*, adeóque repræsentationem, obsignationem corporis in cruce fracti, & sanguinis fusi, non ad expiationem, *propitiationem*, satisfactionem pro gravissimis criminibus. Quod Christus fecit, id ipsum etiam facere discipulos jussit, qui proinde non aliud tradiderunt, quàm quod à Christo acceperunt, locupletissimo teste Paulo 1.Cor.XI.26.27. Quid autem illi acceperunt? Non utique sacrificium, sed sacramentum; non ad missificandum, sed ad commemorandum, ad mortem Dei annuntiandam, usque quò venerit; non panem & vinum transsubstantiatum, vice Christi sæpius sacrificandum, cùm hoc semel ille fecerit, per se & plenarie in altari crucis. Cùm igitur Divina institutione sacrificium missaticum careat, impletur in missificibus querela Dei, Jerem.XIX.5. *Ædificârunt excelsa Baalim, quæ ego nec præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum.*

RESP. REDING : 1. *Mysterii alicujus veritas dupliciter contineri in sacris literis dicitur: vel in actu signato, secundum ipsas voces; vel in actu quasi exercito, secundum ipsam re fide Divina credendæ veritatem. Licet autem ratio sacrificii in actu signato, quod necessarium non est, sacris literis exposita non esset, nullatenus inde concludere liceret, dogma illud non esse de fide, quia saltem in actu exercito S. literis continetur. Etenim Sacrificium re ipsâ est Cerimonia sacra per Divinam authoritatem instituta ad Divinæ Majestatis, absolutique dominii excellentiam sub proportionata rei sacrificatæ immutatione publicè protestandam. At Christus in ultima Cœna benedixit pani & vino gratias agendo; atque sic publicam Divinæ supremæ excellentiæ protestationem edidit. Cùmque instituta hæc fuerit, ceu commemorativa mortis Christi, sic protestatur de Divina excellentia, ut eo ipso absolutum Dei in Christi ex Dei præcepto mortui vitam dominium recognoscatur. Benedictionis illius ea vis fuit, ut per eam verificarentur verba, Hoc est córpus meum, adeóque prævia mutatione, qualis in sacrificio est, corpus & sanguis Christi sub speciebus panis & vini demonstrando, corpus & sanguinem suum dixit Christus, in ultima Cœna Apostolis manducandum & bibendum dedit; & Hoc facere, adeóque se imitari Apostolos jussit. 2. Quin etiam in actu signato sacrificium exprimitur his verbis: Hoc facite, hoc est, sacrificate in mei commemorationem. 3. Id ipsum ex viva in fidelium mentibus incorruptè propagata fide, Patrum Orthodoxorum testimoniis, & continuo usu probari potest.* Ibid. pag.259—262. Resp. Desperatam profectò causam prodis, dum neglectis argumentis meis, quibus sacrificii in Eucharistia institutionem solidè oppugnavi, nescio quas, lubricas certè illas, actus signati & exerciti speculationes reponis, & sic institutionem sacrificii probare anniteris. Scilicet quia Christus in Eucharistia benedixit pani & vino, gratias egit, atque id, cui benedixit, corpus & sanguinem suum esse declaravit, ideo sacrificavit, hoc est, mutatione rei alicujus protestatus est de excellentia & dominio Dei. Hæc est demonstratio instituti sacrificii in actu *quasi exercito*. Quia jussit facere, quod ipse fecit; ergo & sacrificavit ipse, & sacrificare jussit. Hæc est demonstratio instituti sacrificii in *actu signato*, qui nomen & rem signat ac definit; ut jam quodvis *facere* sit sacrificare.

Nam actus quilibet signatus rei proprius & adæquatus esse debet. Hæc rei tantæ, cui universus Papatus inædificatur, demonstratio est. Proh hominum fidem! Nunquam certè Christianus orbis demonstrationes ejusmodi excepisset, nisi priùs alibi cœca obedientia dementatus, alibi aperta vi, eculeis, laqueis, ferro & flamma, quæ potentissima jam diu argumenta vestra sunt, adactus fuisset. Sed propiùs ad rem. 1. Sacrificii propriè dicti propitiatorii definitionem tuam excutere equidem non libet. Unum dicam, omitti non posse, quòd sacrificium propriè dictum, de quo hic quidem sermo est, expiationis peccati vel proprii vel alieni gratia potissimùm institutum sit. Esto igitur hæc perfectior & clarior definitio, quam vestri etiam nonnulli probant: *Sacrificium sacra actio est, qua Sacerdos secundum præscriptum ac mandatum Dei, externam aliquam & sensibilem rem Deo offert, ut ea, destructionis interventu ritè sacrificata. Deum placet, & peccata expiet.* Fatentur autem plerique vestri, neque abnuis ipse. *destructivam mutationem* in omni sacrificio externo necessariam esse. Dum autem quæritur, quæ sit illa *destructiva* in Sacrificio Missæ *mutatio*, sic vobis aqua hæret, ut vix alibi magis perplexi & impediti videamini. Neque enim vos expedire potestis ab objectione illa: *Omnis veri & externi sacrificii natura est, ut victima destructiva quadam mutatione consummetur. At in Missa corpus Christi destructiva mutatione non consummatur. Ergo in Missa corpus Christi non sacrificatur.* Declinaturus ictum huncce Suarez *in Thom. 3 part. disp. 73. S. 5.* aliique, etsi fateantur, de ratione sacrificii esse aliquam mutationem hostiæ, negant tamen, necessariò destructivam rei oblatæ; sed vel solam moralem etiam, qua ex re non deputata Divino cultui, jam ei deputetur & sacra fiat esse debere sufficere. Quam sententiam Vasquez *in 3. part. Tom. 3. disp. 220. num* 19. refutat eo argumento, quòd sic sequeretur, *eum, qui in Sacerdotem consecratur, & templum etiam, cui benedicitur, & calicem similiter immolari & sacrificari, cùm aliquid sacrum circa hæc fiat.* Ergo pertendunt illi, ad essentiam sacrificii propriè dicti concurrere debere talem mutationem, ut ex parte rei per ipsum sacrificandi actum hostia, quatenus sacrificatur, statum accipiat decliviorem, & destructionem includentem. Sed de destructiva illa & sacrificiali actione in Missa ii ipsi anxiè adeò disputant, vix ut sibi ipsis satisfacere, nedum aliis sententiam suam persuadere valeant. Johannes Malderus, Antuerpiensis Episcopus, *Tract.* 10. *de Just. & jure cap. 3.* novem suorum opiniones proponit, quas omnes refellere conatur, ne excepta quidem sententia Bellarmini, pertendentis, in consecratione hostiæ tria fieri, puta conversionem panis in corpus Christi, exhibitionem corporis Christi, quæ fit in altari; & ordinationem ad veram, realem & externam destructionem. Respondet Malderus, *non dici sacrificari, quod remanet residuum post mutationem sacrificalem, sed quod talem mutationem subit, sicut in holocausti cineres ex victima producti sacrificari dici non potuerint. Corpus autem Christi non pati illam panis mutationem. Tum oblationem non distingui à subjecto sacrificali destructione; sed in ipsa destructione semper aliquam oblationem esse. Denique parum referre, quòd sub ea forma exhibeatur corpus Christi, nempe in forma cibi, & sanguis in forma potus, quia destinatio ad destructionem non sit ipsa destructio, sed potiùs destinatio ad eam.* Similiter reliquas octo opiniones explodit; atque ipse decimam hanc comminiscitur, ceu *probabiliorem* (tanti enim momenti dogma in probabilitate consistit) *quòd substantialis sacrificii Missæ mutatio in eo sita sit, quòd Christus, qui naturaliter homo vivus est, cibo potuque inidoneus, nisi occidatur in hoc Sacramento QUASI iterum mortuum accipiat esse, in quo jam tanquam occisus comedi, & sanguis ejus potari possit, quod sacrificii veri rationem habeat, quamvis non realis immolationis, quia immolatio ex usu vocis dicit cruen-*

cruentam sacrificationem. Quid hoc aliud est, quàm ingenuè confiteri, in Eucharistia non esse verum, proprium & reale sacrificium, sed tantùm sacrificii in cruce peracti repræsentationem? Nam mutatio illa, quam ponit, non est realis vel physica, qualis in omni sacrificio propriè dicto requiritur, sed *Quasi occisio*, vel, ut postea loquitur, illud esse *in eo mortuo* non potest intelligi nisi significativè & Sacramentaliter; neque possumus Christum tanquam occisum vel mortuum, anima ejus à corpore separata, comedere nisi *significante mysterio*. Ait ille quidem, Christum pati *quodammodo & in Sacramento* quod in cruce passus est. Sed illud *quodammodo*, & *in Sacramento* ostendit, Sacrificium non fieri nisi *quodammodo* & *sacramentaliter*. quod veteres dixere *sacrificium memoriæ*, Scripturæ *recordationem mortis Christi*. Sed & Azorius *lib.X.19.* conflictum illum rationem veri sacrificii in Missa indagantium sic exponit: *Sunt qui putant, rationem sacrificii totam consistere in verbis, precibus, ceremoniis & ritibus, qui in consecratione adhibentur: eò quòd sacrificii ratio, inquiunt, nequit in ipsa consecratione consistere: quin è contrario consecratio ad rationem Sacramenti potiùs, quàm ad naturam sacrificii pertinet. Alii existimant, Sacrificii actionem tribus Sacerdotis actionibus constare, consecratione, oblatione & sumptione. Alii quidam sensere, ad rationem hujus sacrificii quatuor, imò quinque concurrere, consecrationem, oblationem, fractionem, sumptionem. Alii rationem sacrificii ponunt in duobus actibus, consecratione & oblatione. Alii dicunt, totam sacrificii rationem in una tantùm actione consistere, videlicet in oblatione. Alii constituunt totam rationem sacrificii in una actione, videlicet consecratione.* Quid credas illis, qui sibi non credunt, & in capitali quæstione tot sententiarum divortiis distrahuntur? Sed Redingium videamus. *Christus*, inquit, *benedixit pani & vino, gratias agendo, atque sic publicam Divinæ supremæ excellentiæ protestationem edidit.* Ergone quisquis benedicit, & gratias agit, sacrificat? Ostende, si potes, in benedictione & gratiarum actione mutationem destructivam. *Instituta hæc fuit*, inquis, *seu commemoratio mortis Christi.* An ergo commemoratio mortis alienæ Sacrificium, mutatio destructiva? commemoratio sacrificii sacrificium est? Atqui commemorans mortem alienam, non destruit, non sacrificat aliquid, sed mortem ac destructionem factam supponit. Quid quod comedentes & bibentes omnes, adeóque etiam fideles non Sacerdotes, comedendo, bibendo mortem Christi commemorant. *Benedictionis illius ea vis fuit*, inquis, *ut per eam verificarentur verba, Hoc est corpus meum.* Fateor. Benedictio igitur & pronuntiatio verborum illorum distinguuntur, ut prius & posterius. Benedictio mutat, & mutatio facta prædicationem factæ ejus infert. Sed ubi hic, Redingi, sacrificium, ubi destructiva mutatio? *In prævia*, inquis, *mutatione, qualis in sacrificio est.* Atqui in sacrificio non qualiscunque mutatio, non certè moralis, sed physica, hoc est, destructiva requiritur. Quid ergo in mutatione illa, quæ fit benedicendo, destruitur? An substantia panis & vini? Ita videtur vobis. Sed substantiam tamen illam panis & vini destructam sacrificium esse non conceditis. An species panis & vini? Atqui illæ benedictioni symbola mutanti juxta vos non substant, sed superstites manent. adeóque benedicendo non destruuntur. An corpus Christi, sub speciebus latens destruitur? Atqui & latere fingitis. & corpus Christi gloriosum destrui nequit. *Hoc ipsum*, concludis, *quod sub speciebus panis & vini demonstrando, corpus & sanguinem suum dixit Christus, in ultima Cœna Apostolis manducandum & bibendum dedit.* Sed an sic, loquere clarè & rotundè, vel ipse Christus Sacerdos corpus suum manducandum, & sanguinem bibendum præbens, corpus & sanguinem suum obtulit? Atqui quod sacrificando offertur, in al-

tari positum Deo offertur. Quod aliis manducandum & bibendum offertur, nec in altari ponitur, nec Deo offertur, sed manducantibus & bibentibus, qui ipsi cibum & potum illum non Deo libant, vel offerunt, sed in substantiam corporis & sanguinis sui convertunt. An Apostoli manducando & bibendo sacrificarunt? Atqui in Cœna illa manducarunt & biberunt, non ut Sacerdotes, sed ut fideles: & hodiéque apud vos laici manducant, nec sacrificant tamen. Sic soles, Redingi, actus tuos *quasi exercitos* ex Scripturis demonstrare, hoc est, Scripturis illudendo Sophisticen tuam exercere. Sed inferiùs argumentum isthoc recurret. Interim argumentum ab inconstantia & contradictionibus vestris petitum, quódque definire non potestis, nedum unanimes, qua in re sacrificialis destructio consistat, ejusmodi mihi videtur, ut vel solum Missam vestram penitus jugulare possit. 2. Talis actus tuus signatus est, qualis fuit exercitus. Signat & ille Sophisticen & audaciam tuam, qua non vereris τὸ ποιεῖν *facere* convertere in θύειν *sacrificare*, de quo infra fusiùs etiam. 3. Denique & suo loco manifestum faciemus, *vivam* illam, quam jactas, *in fidelium mentibus incorruptè propagatam fidem*, non aliud esse quàm figmenta vestra, quæ veteris Ecclesiæ testimoniis detortis fucata Scripturæ opponitis.

ARG. III. Sacrificium propriè dictum requirit altare & sacerdotem externum. At in N. T. nullum est altare, nulli sacerdotes externi. Non *altare*, quia nuspiam scriptura id ostendit. Habemus equidem *altare* Hebr. XIII. 10. nempe Christum, per quem semper offerimus Deo hostiam laudis, fructum nimirum labiorum nomini ejus confitentium; non externum, mole aliqua corporea constans, vel ex alia materia fabricatum. Non *sacerdotes externi*, quia eorum institutionem nuspiam scripturæ memorant. Equidem Apostolus, qui numerum & naturam Ecclesiasticorum munerum probè noverat, eorundem nomina & gradus accuratè percensens Ephes. IV. 11. Sacerdotum corporis Christi nuspiam meminit. Cúmque scriptura tam copiosè egerit de sacerdotio Melchisedeci, & sacerdotio N. T. nuspiam illud vel uno apice collocat in missa, sed potiùs in Christi morte Heb. V 6. 7. 8. Claro indicio, non alium sacerdotem esse N. T. quàm Christum, seipsum Deo Patri in cruce immolantem. Imò Paulus Christum disertè facit sacerdotem secundum ordinem Melchisedeci talem, cujus sacerdotium sit ἀπαράβατον, successionis, adeóque etiam vicarii, suffraganei expers, Hebr VII. 24. Si successores, vicarii, suffraganei Christi nulli sunt, nulli igitur post Christum sacerdotes externi & propriè dicti sunt.

RESP. REDING: 1. *Altarium in N. T. usus constat ex testimoniis S. Patrum tum Græcorum, Clementis R. Dionysii Areopagitæ, Irenæi. Athanasii, Gregorii Nazianzeni, Cyrilli Hierosol. Eusebii Cæsar. Gregorii Nysseni, Chrysostomi; tum Latinorum, Tertulliani, Cypriani, Hilarii, Optati Milevitani, Ambrosii, Hieronymi, Concilii Carthaginensis III. Pauli Nolani, Augustini.* 2. *S. Paulo Hebr. XIII altaris hostia est Eucharistia, de qua fas non erat Judæis comedere. Ita S Patres exponunt Cúmque dicat Apostolus: Nos habemus altare; non præteritum crucis Christi sacrificium, sed, præsens aliquod necessariò intelligitur,*

tur, in altari illo consummandum. *Eodem collimant verba S. Pauli 1. Cor. X 21. Non potestis mensæ Domini participes esse & mensæ dæmoniorum.* 3. *Sed & Sacerdotes in Ecclesia N. T. ordinatos esse, iidem fere, qui supra, Patres Græci & Latini testantur; & S. Paulus Ephes. IV 11. insinuat nomine Pastorum, quorum ministerium est facere, quod Christus fecit, adeóque sacrificare.* 4. *Argumentum ex Hebr. V. 6. 7. negativum, adeóque nullius roboris est, maximè cùm Apostolus, uti ex v. 11. & 12. liquet, non universa mysteria exponere instituerit. Sed & ex capp. V. VI. VII. colligitur, Apostolum Ordinis Melchisedeciani Sacerdotium pro perpetuo Ecclesiæ statu firmare voluisse. Christi autem sacrificium in cruce peractum neque est secundum ordinem Melchisedeci, nec in seipso formaliter spectatum, cum perpetuo Ecclesiæ statu connexum.* 5. *Sed & S. Paulus Hebr. VII. 24. asserit, Christum eo quod maneat in æternum, habere Sacerdotium perpetuum. Quatenus ergo in Cœlo hoc Sacerdotium viget, vicarii expers est, quatenus verò in terra, vicarium habeat oportet, eo munere ministerialiter fungentem; Christo tamen principaliter per ministros suos offerente; uti etiam Ambrosius in Psal. 38 docet.* Id. pag 262 266. Resp. I. Nullum sine altari propriè dictum sacrificium esse in confesso est. Missaticum igitur sacrificium propriè dictum à Christo si institutum est, altare pro eodem institutum sit oportet. At nullius uspiam Scriptura meminit. Nam nec de eo struendo vel consecrando quicquam scriptum reperitur: & Christus, Apostoli, & Christiani ejus temporis Eucharistiam apud mensam, non super altare celebrarunt. Neque etiam Judæi quicquam primis Christianis de violato Divinæ legis unicum altare apud suos erigi præcipientis mandato objecisse in lucubrationibus hodiéque residuis uspiam leguntur. Cúmque Latini hodie in iis locis in quibus Christianismum suum prædicant, altaria statim erigere soleant: nihil tale Apostoli factitasse reperiuntur. In persecutionibus etiam trium priorum Seculorum sævissimis. & accuratè descriptis, nulla uspiam destructorum altarium mentio est; cùm altaria in persecutionibus suis eversa acerbissimè Latini hodierni commemorare soleant. Sed argumenta clarissima, quòd Christiani veteres altaribus caruerint, illud est, quod Pagani veteres, Celsus apud Origenem, Cæcilius apud Minutium, omnes vulgò apud Arnobium, Julianus desertor apud Cyrillum Alexandrinum, Christianis exprobrarint, quòd nulla habeant. Ex iis Cæcilius paganus apud Minutium Fel *in Octav. p. 25.* sic Christianis insultavit: *Cur nullas aras habent? Templa nulla? nota simulachra?* Dilutum est, quod Bellarminus *de Missa lib I. 16.* & infra *pag. 305* Redingius excipiunt, *Christianos cavisse, ne Ethnici suis sacris interessent, & ea pernossent.* Atqui si maximè sacris non interfuissent, tamen sicut Templa, ita altaria, res stabiles & per se visibiles scire utique poterant. Neque Minutius Cœcilio respondens, altaria se habere affirmat. Ita Origenes Celso exprobranti, nullos Christianos habere βωμὸς *(aras)* id minimè equidem inficiatur, sed confitetur. Ubi βωμὸν *aram* à θυσιαστήριον *altari* distinguentem Perronium Cl. Dallæus *de Cult. Relig. lib. VIII* 18. f. 22. doctissimè refellit. Idem *cap. 25. &c.* solidè demonstrat, Tertullianum & alios post eum Græcos & Latinos Patres, à te ostensos *aræ* & *altaris* nominibus impropriè uti, & *mensam* significare. Nam iidem passim omnes rem eandem promiscuè & *altare*, & *mensam* dicunt. Quin & *cap. 26* ex Athanasio, Latinorum Breviario, Optato, Socrate, Ruffino & Augustino docet idem, Mensas Dominicas, etiam postquam altaria dici cœperunt, ligneas tamen, & quidem ejus formæ, cujus hodie mensæ sunt, fuisse. Quid quòd altarium suorum essentiam hodierni Latini in consecratione constituunt? Atqui consecrationem eam novam esse, vel ex solo Breviario Romano *ad d. 9. Nov. lect. 4.* colligere est, ubi *Silvestrum Papam*

eos

eos ritus, quos in consecrandis Ecclesiis & altaribus (impropriè dictis, hoc est mensis) *Romana servat Ecclesia, primum instituisse*, traditur. Accedit & illud, quòd veteribus etiam absque altari, seu mensa, Eucharistiam celebrare religio nulla fuit. quod Luciani Martyris apud Philostorgium *Lib.II.14.* & Theodoretum *Hist.Eccl.cap.20.* exemplo comprobari potest. 2. Quæ altaris Hebr XIII. 10. memorati hostia sit, heic non quærimus; sed quale ipsum altare fuerit, externum & ligneum, an aliud. Certè Thomas Aquinas, cujus locum infra exhibemus, vel Christi crucem, in qua immolatus fuit, vel Christum ipsum intelligi affirmat. Sed & Pontificale Romanum *Par.II. de Subdiac. p.25.* verissimè: *Altare quidem*, inquit, *Sanctæ Ecclesiæ ipse est Christus, teste Johanne, qui in Apocalypsi sua altare aureum se vidisse perhibet ante thronum, in quo & per quem oblationes fidelium Deo Patri consecrantur.* Et Bellarminus ipse *lib.I. de Miss. cap.14.* ingenuè: *Quia*, inquit, *non desunt ex Catholicis, qui eo loco per altare intelligunt crucem, aut ipsum Christum, non urgeo ipsum locum.* Tu, cedere nescius, non præteritum crucis Christi sacrificium, sed præsens aliquod in altari illo consummandum *necessariò intelligi*, sciscis. Sed de altari cùm quæratur, cur de sacrificio respondes? *Atqui altare*, excipis, *intelligitur, quod habemus.* Christum ergo non habemus, sed habuimus duntaxat? Atqui jactantiæ vestræ basis est, quotidie eum vos in Missa habere. De loco 1 Cor.X.18. infra fusiùs. 3. Ministros quosvis S. Patres equidem *Sacerdotum* nomine insigniunt, alludentes tum ad vocem ἱερουργῶν Rom.XV.16. tum ad Malach. I.11. ubi prædicantes Evangelium in toto mundo *puram Deo oblationem offerre* dicuntur: tum ad munus suum, quo specialiter se Deo consecrant: tum denique ad consuetudinem appellandi Ministros in V.T. receptam, non ad rem, Sacrificium scilicet propriè dictum. uti infra probamus. Appellatio ergo illa juxta fidei & Scripturæ analogiam, quin & sensum ipsorum Patrum alibi expressum explicanda est. Quod enim S.Paulus Hebr.V.1. omnem Pontificem à Deo constitutum docet ad hoc, *ut offerat dona & victimas pro peccatis*, manifestum est, loqui eum de Pontifice & Sacerdote propriè dicto, quales Aharon, Melchisedec, Christus fuere. quibus solis, non Evangelii Ministris id ipsum Christus applicat. Cúmque Christus *obtulerit se ipsum Deo in ara crucis, &* (NB.) *unica illa oblatione consummaverit omnes sanctificandos*, Hebr.X.14. planum est, in N. T. soli Christo Sacerdotis nomen κυριωνύμως competere. Quòd si autem ex appellatione Sacerdotis firmiter colligi posset notio Sacerdotis propriè dicti, externum Sacrificium offerentis, jam omnes fideles tales essent. Omnes enim fideles Sacerdotum nomine frequenter in Scriptura & apud S. Patres veniunt. *Sacerdotes* nuncupati veteribus sunt soli Episcopi & Presbyteri, non Diaconi, quia, uti Nicæni Concilii Canon 18. habet, ὅτι ὁ κανὼν, ὅτι ἡ συνήθεια παρέδωκε, τοὺς μὴ ἐξουσίαν ἔχοντας προσφέρειν, τοῖς προσφέρουσι διδόναι τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, *nec canon, nec consuetudo tradit, ut qui potestatem non habent offerendi, iis qui offerunt, dent corpus Christi.* Tales autem Diaconi erant. Est autem ibi προσφέρειν *offerre* impropriè Eucharistiam administrare, hoc est, uti S.Hieronymus *Epist.85.* loquitur, *precibus suis corpus Christi conficere.* Sed de usu vocis illius apud S.Patres quicquid fiat, illud certè mysterio non caret, quòd nuspiam S. Scriptura Sacerdotum voce Evangelii Ministros insignit. Nam sub *Pastorum* voce eos Ephes.IV.11. insinuari, quia institutum erat, ut Pastores *hoc facerent*, putidissimus Redingii coccysmus est. Sic enim jam *hoc facere*, & *Sacerdotem esse*, æquipollebunt. Invertimus nos potiùs argumentum: Si Ministri N. T. nuspiam Sacerdotes appellantur, non igitur *facere* illud, quod iis injunctum est, sacrificare significat. Quin & primis Christianis notionem Sacerdotum receptam

ceptam haud fuisse, ipse Bellarminus *de cultu Sanct. cap.* 4. fatetur, *propter recentem*, sic fingit, *memoriam Sacerdotii Aharonici, ne viderentur adhuc durare Ceremoniæ Judaicæ* veram rationem sic supprimens, quòd in N. T. unicus verus Sacerdos, Christus sit, quem Aharonica omnia sola figurarunt. 4. Neque verò negativum argumentum est, ubi siletur id in loco, quod sileri ad rei necessariam expositionem non debuerat. Qui igitur de Sacerdotio N. T. & Melchisedeciano agens, atque illud etiam κατ' λεπτὸν explicans, nullo apice Missam tangit, vel Sacerdotes N. T. institutos nullos memorat, is silentio suo nullos esse prodit. Nam Missam & Sacerdotis nomen vos neutiquam inter δυσερμήνευτα *explicatu difficilia*, de quibus S. Paulus Hebr. V. 11. 12. agit, numeratis, quibus nihil apud vos obvium magis est; adeò ut vel infantibus, quibus lacte opus, hoc est, tyronibus vestris notissima isthæc sint. Hebræi quoque sacrificiis externis assueti facilè sermonem ejusmodi comprehendissent. Et erant inter eos, qui sensus haberent exercitatos, ad discretionem boni & mali. Illinc difficiliùs intelligere potuerunt mysterium Missæ, quam Corinthii gentiles, quibus S. Paulum illud exposuisse contenditis? Illud porro crassum nimis est, quòd Christi sacrificium in cruce peractum negas fuisse secundum ordinem Melchisedeci. Quale enim sacrificium habuit Christus, quâ Pontifex ille secundum ordinem Melchisedeci si non habuit illud, quod in cruce obtulit? *Sacrificium*, inquis *pro perpetuo Ecclesiæ statu*. Atqui tale est sacrificium crucis, unica oblatio, quæ consummat omnes sanctificandos, Hebr. X. 14. Quid enim post consummationem sanctificandorum omnium ampliùs pro perpetuo Ecclesiæ statu desideramus? Denique si sacrificium crucis non fuit secundum ordinem Melchisedeci, Christus igitur se in cruce offerens non fuit ejusdem ordinis cum illo Sacerdote, qui in Missa secundum ordinem Melchisedeci offert. 5. Imò Christus manens in æternum habet ἱερωσύνην ἀπαράβατον *Sacerdotium, quod in alios non transit*, Hebr. VII. 24. Tu ingeniosè distinguis inter Sacerdotium, quod Christus gerit in Cœlis, & quod gerit in terris. Illud vicarium non admittere, hoc admittere, garris. Ubi verò sic Apostolus? Imò ille, *si in terra esset* (puta sive in se, sive in vicario, qui locum principalis implet) *ne quidem Sacerdos esset, cùm illic* (in terra) *sacerdotes sint, qui secundum legem dona offerunt*, cap. VIII. 4. Atqui sic haberet opus καθ' ἡμέραν *quotidie* (in vicariis terrestribus) sacrificare. quod tamen ille fecit ἐφάπαξ *semel, se ipsum offerens*, cap. VII. 27. Quod quis semel perfecit, in eo vicario nullo indiget: sed indiget in solo eo, quod imperfectum est, & quod per se perficere necessitate aliqua prohibetur. Certè S. Paulus idem Hebr. VII. 23. 24. imbecillitatis Sacerdotum veterum argumentum perhibet, quòd & plures simul fuerunt, & successivè alii aliis morte sublatis succedebant. quod à Christi Sacerdotio removet. Quomodo removeret, si ipse quoque sacerdotio defungeretur in vicariis pluribus, & sibi ordine succedentibus? Quin & hæc in re differentia Sacerdotii Aharonici & Melchisedeciani, consistit, quòd in illo plures locum habuerint: in hoc unus omnia sine successore vel vicario perficiat. Denique nullum exemplum dari potest in alterutro ordine ministrorum Sacerdotum vel manentium, Summo Sacerdote absente, vel idem sacrificium iteratò offerentium, quod ille semel obtulerat.

ARG. IV. Negat disertè Paulus Hebr. IX. 25. 26. &c. usque ad v. 19. Cap. X. Christum ampliùs quam semel offerri posse. Et sufficientiam unicæ illius προσφορᾶς Apostolus ibidem emphaticè demonstrat, *tum* quia

omnia peccata priſcorum ſeculorum Chriſti ſanguis in conſummatione ſeculi ſemel effuſus tollere & abolere potuit, cap. IX. 25. 26. *tum* quia convenit Divino ordini, ut ſicut omnis homo moritur ſemel, & mortem hanc ejus judicium ſequitur: ita Chriſtus ſemel, moriatur legi, & deinceps ſine peccato conſpiciatur, v. 27. *tum* quia ratio repetendi oblationem non convenit Chriſti ſacrificio, ſicut conveniebat ſacrificiis V. T. quæ nec accedentes conſummare poterant, cùm *ἀνάμνησιν* duntaxat, ſeu *commemorationem* peccatorum effecerint; nec peccata omnino auferre, cùm taurorum duntaxat & hircorum ſanguine conſtiterint, cap. X. 1--10. *tum* quia Chriſtus oblatione defunctus non manſit in terra, ut ſacerdotes Aharonici, ſed conſedit ad dextram Dei Patris *εἰς τὸ διηνεκὲς in perpetuum*, v. 11. 12. *tum* quia Chriſtus jam nihil aliud expectat, quàm ut ponantur hoſtes ejus ſcabellum pedum ejus, v. 13. 14. *tum* denique quia in Chriſti oblatione eſt vera, ſolida & perfecta remiſſio, quod verbis Jeremiæ confirmatur, c. V. 16--19. Quæ omnia liquidò demonſtrant, unicam oblationem Chriſti in cruce conſummatam adeò perfectam & ſufficientem eſſe, ut aliud ſacrificium citra blaſphemiam ſtatui nullo modo poſſit.

RESP. REDING. *Argumenta iſthæc non aliud probant, quàm quòd unica Chriſti in cruce conſummata oblatio adeò perfecta ſit, ut aliud ſacrificium, quo prius illud ſuppleatur, citra blaſphemiam ſtatui nequeat. Atqui in Miſſa non eſt ſacrificium ejuſmodi ſupplens, ſed perfecti illius ſacrificii Chriſti applicativum duntaxat & rememorativum: imò in ea eadem eſt oblata hoſtia, idem offerens principalis, Chriſtus, nec aliud redemptionis pretium pro peccatis, quod etiam Ambroſius in Epiſt. ad Hebræos docet.* Ibid. pag. 266. 267. Reſp. Κενοφωνίαν iſthoc *Reſp. ad Object. VIII.* fuſè & ſolidè diſcutimus. Unum dico, cùm Apoſtolus prægnantibus argumentis unitatem & Sacerdotii & Sacrificii Chriſti aſſerat, eo ipſo ſacrificia propriè dicta reliqua omnia, quocunque nomine ab hominibus induantur, jugulari: & argumenta S. Pauli æquè his directè opponi. Si enim ſanguis Chriſti in conſummatione Seculi ſemel effuſus omnia priſcorum peccata, ſine alio ſacrificio reali cujuſcunque nominis, abolere potuit: etiam peccata ſequentia ſine quocunque alio ſacrificio reali cujuſcunque nominis abolere poterit. Si una Chriſti oblatio eſt, quia ſemel Chriſtus legi mortuus eſt, non alia erit cujuſcunque nominis, quia in ea denuo Chriſtus legi mori deberet. Si nulla ratio eſt repetendi oblationem Chriſti talis, qualis in V. T. repetitionis ratio obtinuit, non poterit eadem in Miſſa repeti quocunque nomine vel prætextu, quia ſic Chriſtus ſua oblatione ſemel facta peccatores non conſummaſſet, & quotidie in Miſſa fieret *ἀνάμνησις* ſeu *commemoratio* peccati denuo expiandi. Si Chriſtus, ut ſacrificio ſuo defungi poſſet, manere non potuit in terra, ſed Cœlum ingredi, conſeſſurus ad dextram Dei, debuit, tum in terra ampliùs offerri non potuit, adeoque nec in Miſſa quæ in terra celebratur, offertur propriè ullo modo. Tum denique ſi in Chriſti ſacrificio eſt vera, ſolida, perfecta remiſſio peccatorum omnium, ergo nihil remittendum in Miſſa, & vi Miſſæ, ceu ſacrificii, ſupereſt. En eodem

mucro-

mucrone Sacrificium vestrum Missaticum, quod simul vobis applicativum & rememorativum, simul propitiatorium & reale, non sine manifesta terminorum contradictione, eluet, confossum! Si distinctiones vestræ valerent, ipsi quoque Hebræi similibus distinctiunculis unitatem sacrificii Christi concedere, & Levitica tamen sua cum eodem conjungere potuissent. Quid sic S. Paulus præstitisset? Neque etiam Missæ gesticulatio vel materia vel forma cum crucis sacrificio congruit; nisi forte sacrificuli milites Christum crucifigentes & lancinantes repræsentare volunt. Materia sacrificii Christi fuit corpus ejus [illegible], passibile, sacrificabile. Tale post ejus in Cœlum ingressum amplius nullum est. Neque corpus Missaticum in Cœlo, ubi nunc Christus corpus suum habet, sed in capsula, nebula est. Frustra profectò Ambrosium in societatem erroris vestri vocas. Is enim de sacra Cœna, tanquam de sacrificio, alicubi loquitur, fateor. Sed qua mente? Certe postquam *in Epist. ad Hebr. X.* multis rationibus evicit, unicum esse Sacrificium, Christi nimirum cruci affixi, quia Sacrificium illud sufficientissimum; quia Sacerdotis, quippe æterni, infinita & sempiterna virtus; sibi ipse objectionem proponit: *Quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus?* Nempe quia sacra tum Cœna in magnis Civitatibus quotidie celebrari solita, seu civibus, seu peregrinis. Cæterùm sic ille sibi ipsi respondet ilico: *Offerimus quidem* (inquit) *sed recordationem facientes mortis ejus: & una est hæc hostia, non multæ. Quomodo una est, & non multæ? Quia semel oblata est in Sancto Sanctorum. Hoc autem sacrificium exemplar est illius, id ipsum semper offerimus.* Et paulo post: *Hoc autem, quod nos facimus, in commemorationem fit ejus, quod factum est. Hoc enim facite, inquit, in mei commemorationem. Non aliud Sacrificium, sicut Pontifex, sed ipsum semper offerimus, magis autem recordationem sacrificii operamur.* Quis ita occæcatus est, quin videat, sacrificium, immolationem ejusdem Christi in Eucharistia idem ei esse, quod sacrificii, immolationis unicæ recordationem, commemorationem? Et quis unquam sanus sacrificii & immolationis recordationem, commemorationem vel sacrificium propriè dictum, vel id ipsum sacrificium, cujus recordatio, commemoratio est, dixit? Non sic Ambrosius deliravit, qui *de Sacr. Lib. IV. 4.* de pane & vino Sacramentalibus apertè enuntiat: *Sunt, quæ erant, & in aliud commutantur.* Et *cap. 5.* *Oblatio hæc est figura corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi.* Figura, testor conscientiam tuam, Redingi, numquid propitiatura pro peccatis?

ARG. V. Sacrificium externum & verè ἱλαστικὸν *propitiatorium*, quo peccata remittantur, sive *typicè* sive *realiter*, oportet conjunctum sit cum *αἱματεκχυσίᾳ effusione sanguinis*, teste Apostolo Hebr. IX. 22. Suntque illa ἐξ ἀνάγκης connexa, Christum *offerre* & Christum *pati*: efficere *remissionem* peccatorum, & *sanguinem* effundere, Hebr. X. 12. Unde illud: *Offer filium in holocaustum*, notat *interfice*, Genes. XXII. 2. Hoc autem quomodo locum habere potest in sacrificio tali, quod ipsa Synodus *incruentum* vocat? Verba Apostoli, quæ remissionem fieri sine *cruore* negant, omni exceptione majora, & solis radio scripta sunt. Non potest esse θυσία absque θύειν, nec *occisio* victimæ absque *sanguine*. Accedit, quòd Christus remissionem peccatorum non impetrat, nisi quâ Mediator N. T. Ubi autem testamentum

eſt, mors teſtatoris intercedat neceſſum eſt, Hebr. IX. 15. 16. Non poteſt Chriſtus N. T. Mediator ſacrificari ſine morte, neque mori poteſt ſine effuſo ſanguine.

RESP. REDING: 1. *In Miſſa exhibetur Chriſti mors non phyſicè ac materialiter, ſed myſticè & repræſentativè, cum reali tamen ejusdem efficacia per Chriſtum ei annexa. Ita S. Patres & liturgiæ, veluti illa S. Jacobi, in qua hæc extant: Offerimus tibi venerandum hoc & incruentum ſacrificium, &c.* Ibid. pag. 267. 268. Reſp. Frigidè profectò & jejunè ad diſertiſſimum argumentum reſpondes. Nam peccatorum remiſſionem ſine ſanguinis effuſione, adeóque morte, ſeu deſtructione phyſica, non repræſentativa illius, quod offertur, non contingere, argumentum probat. Tu in Euchariſtia eſſe mortem myſticam & repræſentativam Chriſti, regeris. Non ergo illa remiſſionis peccatorum cauſa eſſe poteſt, quia ubi mors in myſterio aliquo repræſentatur, (uti ſanè etiam in myſterio verbi Evangelii, & S. Baptiſmi, uti ex Rom. VI. 3. 4. Gal. III. 1. liquet, ad vivum, ſine ulla ſacrificii ratione, repræſentatur) ibi ipſa mors & ſanguinis effuſio, *ἱλασμοῦ propitiationis* & remiſſionis cauſa, non eſt. Nullum ergo ſacrificium incruentum & repræſentativum propriè dictum ſacrificium *ἱλαστικὸν propitiatorium* eſſe poteſt. Nam quod repræſentatur, repræſentatione ipſa prius eſt. Mors igitur & effuſio ſanguinis Chriſti, remiſſionis & propitiationis cauſa, quæ in Euchariſtia repræſentatur, prior ipſa Euchariſtia eſt. Non igitur in Euchariſtia ipſa eſt. Ingenuè, Redingi, & disertè reſponde; in Miſſa Chriſtus offertur vivens, an ſanguine vivo mortuus? Si prius, non ſacrificatur in Miſſa. Sin poſterius, Chriſtus quotidie moritur, & ſanguinem fundit quod Scriptura negat. *In Miſſa*, ſic Bellarminus tuus reſpondet, *offertur quidem Chriſtus, qua eſt res vivens, & offertur in forma rei viventis, quantum ad repræſentationem, ubi ſolùm requiritur mors repræſentata, non autem mors reipſa. Sed ut eſt ſacrificium reale & propriè dictum, offertur in forma panis & vini, juxta ordinem Melchiſedeci.* Quis non hic videt contradictionum præſtigias, ex quibus ſacrificium Miſſæ conflatur? Scilicet in Miſſa Chriſtus ſimul offertur in forma rei viventis, & in forma rei viventis non eſt ſacrificium propriè dictum: at in forma rei mortuæ eſt ſacrificium reale & propriè dictum. In forma rei viventis ſacrificium repræſentatur; ſed in forma rei mortuæ ſacrificium idem habetur. Denique juxta ordinem Melchiſedeci offertur Chriſtus in forma panis & vini; & juxta ordinem ignotum in alia forma ſimul offertur. Prodigioſi dogmatis prodigioſas antilogias! Nil tale vel S. Patres vel liturgiæ veteres unquam aſſeruere. Neque enim, ubi Euchariſtiam *ſacrificium incruentum* Jacobi liturgia (ſuppoſititia illa, & ante Concilium Trullanum ignota) appellat, propriè dictum, reale, propitiatorium ſacrificium, cujuſmodi niſi cruentum nullum eſſe poteſt, agnoſcit. Niſi forte, quod de Jacobo, liturgiæ illius authore λεγομένῳ. Claudius de Xaintes *cap. de Jacobo* deliravit, non *Chriſtianè* duntaxat ille, ſed etiam *Judaicè* ſacrificavit.

ARG. VI. Cœna Domini eſt Sacramentum. At idem eſſe & Sacramentum & ſacrificium, eſt planè *ἀσύστατον*. Sacramentum enim tanquam pignus & ſigillum gratiæ datur à Deo, & à fidelibus accipitur: Sacrificium contra à fidelibus offertur & datur Deo, atque ab ipſo paternè ac-

ceptatur

ceptatur. Terminus *à quo* in Sacramento eſt Deus, *ad quem* homo. In ſacrificio contra res habet. Quantum igitur Oriens ab Occidente, cœlum à terra, tantundem Sacramentum à Chriſto inſtitutum, & ſacrificium Miſſaticum diſtant.

RESP. REDING: *Licet Sacramenti & Sacrificii ratio non poßit in una re ſubſiſtere: tamen in ipſa Sacramenti Euchariſtiæ confectione licet reperire rationem actionis ab homine tanquam Chriſti Miniſtro manantis, cujus terminus à quo ſit homo, ad quem Deus; ſecus quàm in Sacramento. Sic Agnus Paſchalis in V. T & Sacramenti & ſacrificii rationem habuit. 2. Catechiſmus veſter Dial. 96. profitetur, Deum per Sacramenta ſimul nobis promiſſiones ſuas obſignare, ſimul nos obligare ad officium erga Deum & proximum. Annon hæ ſunt diverſæ in eodem Sacramento formalitates? Quid ni ergo & Sacrificii diverſa formalitas in eadem actione obtinere poſſint?* Ibid pag. 268. 269. Reſp. 1. In Euchariſtia quid conficit Chriſti Miniſter? Corpus dicitis, & ſanguinem Chriſti. Sed quo fine? An ut Deo, an ut hominibus offerantur & exhibeantur? Litem decidat inſtitutio, quæ corpus & ſanguinem Chriſti benedicendo confectum teſtatur, non oblatum Deo, ſed hominibus. Nam Chriſtus corpus & ſanguinem ſuum in Euchariſtia non Deo Patri ſuo obtulit, ſed diſtribuit diſcipulis, cum mandato: *Edite, bibite.* Viden' terminum ad quem non Deum, ſed fideles. Interim eandem actionem Chriſtus etiam ad ſe retulit, jubens edere, bibere *ad ſui commemorationem*, non ad ſui oblationem Deo faciendam. Bellarminus in Euchariſtia promiſſionem & ſignaculum diſtinxit; promiſſionem ajens conſiſtere in verbis: *Accipite, manducate*; ſignaculum eſſe ipſum corpus & ſanguinem Domini ſub ſpeciebus panis & vini. *Promiſſio*, inquit, *non eſt ſacrificium: at ſignaculum promiſſionis nulla eſt ratio cur ſacrificium eſſe non poſſit.* Ex nimia circumgyratione ſacrificii ſui in vertiginem actus ille, quid ſcriberet, neſcivit. Nam præceptum accipiendi & edendi promiſſionem interpretatur; & ſicut promiſſionis, ita etiam ſignaculi promiſſionis, in uno & eodem Sacramento, ſine ulla variatione motus, varios terminos imaginatur, ita ut promiſſio ad homines referatur, & ſignaculum promiſſionis ad Deum. Una eadémque actione nihil accipi & dari poteſt. Vel igitur oſtendat nobis Redingius in Euchariſtia duas actiones, quarum una illa accipiatur ut Sacramentum, altera Deo offeratur ut ſacrificium (cujuſmodi diſtinctæ actiones erant in Paſchate, aſperſio ſanguinis agni ad altare Deo oblata, & epulum hominibus datum) vel commenti ſui τὸ ἀσύστατον agnoſcat. 2. Catechiſmi noſtri Dialogiſmum obtorto collo huc rapis. Nam in eo Sacramentorum diverſi fines ſubordinati, quorum nullus ſacrificialis oblatio eſt; non diverſæ formalitates Sacramenti & Sacrificii diſtinguuntur. Ludis profectò pueriliter.

ARG. VII. In tota actione ſeu celebratione Miſſæ nihil inveniri poteſt, in quo rectè ponatur eſſentia ſeu formalis ratio ſacrificii. Vel enim ea poſita eſt in fractione, vel in oblatione hoſtiæ quæ Deo fit, vel in conſecratione, vel in benedictione, vel in manducatione. Atqui non in *fractione*, tum quia corpus Chriſti *ἀπαθὲς impaſſibile eſt*, quódque adeò etiam adverſarii cenſent ſub ſingulis hoſtiæ particulis integrum manere: tum quia quod integrum manet in ſe, id ſub alio, ſpeciebus nimirum, frangi ne-

 quit:

quit: tum quia Bellarminus negat fractionem ad essentiam sacrificii pertinere, eò quòd Missa aliquando peragatur sine fractione, veluti cùm hostia integra cadit in calicem: tum denique quia Christus fregit panem ante prolationem verborum, *Hoc enim est corpus meum*, quibus transsubstantiationem fieri fingunt. Non in *oblatione*, quæ Deo fit, qua videlicet Presbyter attollens hostiam à Deo postulat, ut hanc oblationem prono affectu suscipiat, quod ipse quoque Bellarminus negat, tum quia eam oblationem non adhibuerit Christus, imò nec Apostoli in principio: tum quia verba hujus oblationis non dicantur in persona Christi, sed in persona ministri & Ecclesiæ; sacrificium autem in persona Christi præcipuè offeratur. Addere debuit Jesuita, presbyterum post consecrationem oculos intendentem in hostiam & calicem, sic Deum affari: *Per quem* (Christum) *hæc omnia, Domine, bona creas, sanctificas, benedicis & præstas nobis.* Id quod Deo offert, vocat *hæc bona*, & hæc bona dicit nobis præstari & creari per Christum. Non igitur offert Deo ipsum Christum, sed *bona*, quæ nobis à Deo dantur per Christum. Non in *benedictione*, quia bene dicere pani non est sacrificare panem, vel offerre Deo sacrificium expiatorium pro peccatis. Aliâs pater benedicens filiis, eos mactaret aut immolaret. Non in *consecratione*, quam perhibent fieri tacita prolatione verborum H. E. E. C. M. & in qua Neoterici plerique rationem formalem sacrificii positam esse statuunt; tum quia consecratio à benedictione distincta haud est, uti superiùs probavimus: tum quia aliud est sacrificium, aliud consecratio hostiæ sacrificandæ, quæ duo non minùs quàm media à fine distant: tum quia consecratio sacrificium præcedit, cùm alioquin futurum esset, ut res profana & non consecrata Deo offerretur: tum quia hac ratione templi, vasorum & sabbathi consecratio totidem sacrificia essent: tum quia his vocibus *Hoc enim est corpus meum*, nihil à Christo Deo Patri, sed Apostolis symbola oblata sunt: tum quia in Missa nihil offertur Deo quod sit consecratum; non *panis*, cùm juxta illos desierit esse panis; non *accidentia*, cùm color, sapor, figura Deo in sacrificium minimè offerantur; non *corpus Christi*, quod consecrari & sanctificari ab homine non potest, cùm ipse Christus nos sanctificet: tum denique quia in Papatu die veneris diem Paschatis præcedente nulla fit consecratio, sed hostiæ pridianæ jam consecratæ imponuntur altari, quo non obstante hæc Missa sacrificium corporis Christi perinde appellatur. Non denique in *manducatione*, tum quia aliâs singuli de plebe forent Sacerdotes, & quotquot sunt plebis & Sacerdotum ora, totidem essent altaria: tum quia manducare non est offerre Deo, sed potiùs ab eo aliquid accipere:

re:

re: tum quia Sacerdos dicitur offerre Sacrificium pro populo, & manducat ipse pro se, & in rem suam: tum quia Sacerdos in cœna dicitur repræsentare Christum; is autem in eucharistia repræsentatur ut moriens pro nobis, non ut manducans.

RESP. REDING: 1. *In mysteriis fidei non semper earum rationes formales seu quidditates imbecilli intellectu nostro assequimur. Ita Theologi variis circa differentiam generationis filii, & processionis Spiritus S. opinionibus distrahuntur. Nemo tamen pius alterutram negat, sed captivandus intellectus est in obsequium fidei, credendúmque Divinis mysteriis, licet formalem earum rationem non assequamur. Satis est, Christum in mysterii Eucharistici tum confectione, tum consumptione sacrificium propriè dictum instituisse. 2. Licet in fractione Sacramenti & oblatione post consecrationem fieri solita essentia Sacrificii non consistat, utraque tamen illa accidentariè de significatione sacrificii participat. Nam corpus Christi in speciebus sibi conjunctis frangitur mediatè, & sic mors Christi rememoratur, seu protestativa supremi dominii Dei. Et oblatio consecratione posterior mysticam significationem mortis Christi in cruce peractæ significationem, ex Ecclesiæ institutione pendentem, obtinet, adeóque de sacrificio participat. Neque obstat, quòd bona ea nobis dari per Christum Sacerdos dicit, quia, quicquid Deo sacrificamus, ab eodem accepimus priùs. 3. Neque in benedictione à consecratione distincta, sed in consecratione sacrificii essentia consistit; quia in transsubstantiatione Eucharistica intervenit Christi immolatio, quatenus illa est moralis quadam destructio, mortem Christi non tantùm speculativè commemorans, sed practicè exhibens, non quoad physicam vitæ privationem, sed quoad ejusdem in cruce physicè peractæ mortis valorem satisfactorium, quo Divinum dominium peccato violatum reparatur; imò hac ipsa Christi mors sub mystica quadam corporis & sanguinis separatione realiter per transsubstantiationis intrinsecam naturam exhibetur. 4. Neque, uti tu arguis, consecratio hostiæ & sacrificium, ut medium & finis differunt; quia sub hostiæ consecratione non prævia quadam benedictio, sed actio termini à quo in Sacrificii terminum ad quem transmutativa intelligitur; quæ à sacrificio formaliter spectato nihil differt. 5. Neque etiam res profana & non consecrata Deo offertur, si consecratio sacrificium non præcesserit; quia in instanti consecrationis terminativo panis ita transit in corporis Christi substantiam, ut eo ipso res jam non profana, sed sacra Deo offeratur. Sic ergo in Missa offeruntur tum panis, tanquam terminus A quo; tum corpus Christi, tanquam terminus ad quem transsubstantiativæ consecrationis; tum accidentia, tanquam species cum corpore Christi quodammodo unitæ & sacratæ. 6. Sumptio Eucharistiæ licet non sit de essentia sacrificii, est tamen de integritate ejus substantiali, quæ essentiæ quandam extensionem seu, proprietatum participationem superaddit. Sic sumptio Eucharistiæ, quæ in officio Parasceves fit à Sacerdote, Sacrificium vocatur, quia est quadam consummatio sacrificii præterita die peracti. Neque ita singuli de plebe Sacerdotes existunt, quia sumptio Eucharistiæ non est pars integrans sacrificii, nisi quatenus ex potestate conficiendi corpus Christi, soli Sacerdotibus concessa, procedit.* Ib. pag. 269. 272. Resp. 1. Sicut mysteriorum rationem à priori in verbo Dei non revelatam, adeóque rei τὸ διότι nemo piè sobrius indagat: ita credere rem, seu τὸ ὅτι rei nusquam revelatum, nec pii, nec prudentis est. Hic autem non de ratione mysterii sacrificii à priori, sed de mysterio, seu sacrificio ipso, quod sine essentia non est, quæstio est, an videlicet

delicet

delicet in Eucharistia sacrificium propriè dictum institutum sit; & si institutum est, qua in parte, quo in actu Eucharistiæ institutum sit; in benedictione, fractione, distributione, pronuntiatione verborum H. E. E. C. M. manducatione, an alio? Qua de re Scholæ vestræ doctores supra modum laborant; qui an formalitatem sacrificii hujus intellectu suo singuli assecuti sint, tu judica. Et si nulla in Eucharistiæ parte, nullo in actu institutum, vel oblatum est sacrificium, planè nec institutum, nec oblatum sit oportet. Sic quomodo genitus sit Christus à Patre, quomodo processerit Spiritus S à Patre & Filio, non quærimus, dummodo genitum esse Christum à Patre, procedere Spiritum S. à Patre & Filio ex revelatione constet, uti planè constat. Revelatis igitur simpliciter acquiescere est intellectum captivare in obsequium Christi: non revelatis Divinitus, sed à solo Papa & Spiritu ejus confictis fidem adhibere, id verò est intellectum captivare in obsequium non Christi, sed Papæ, hujúsque adeò signaturam in frontem & manum suam recipere. Tibi verò illud Papæ mysterium adeò penitus notum est, ut essentiam, integritatem, accidentia omnia, exactissimus scilicet partium Missæ dissector, quasi digitis tuis numerata in promptu habeas. Etenim 2. in fractione & oblatione post consecrationem fieri solita, te definitore, nec essentia, nec integritas, (sic tamen Bellarmino visum) sed accidentaria duntaxat sacrificii quædam participatio est. Et tamen nihil sacrificio & morti similius est, quàm fractio; adeò ut oblatio Christi pro peccatis κλάσις τοῦ σώματος *fractione corporis ejus* 1 Cor. XI. 24. definiatur. Attamen in Eucharistia non frangi immediatè & propriè corpus Christi, sed symbola; & fractione symboli panis non frangi corpus Christi, sed *fractionem corporis* ejus *rememorari*, hoc est, repræsentari & adumbrari, rectè mones. Si igitur in fractione non consistit essentia hujus sacrificii, multò minùs in reliquis actibus, minùs adhuc cum sacrificio analogiæ habentibus consistet. Probo etiam, quod in oblatione illa, quæ posterior consecratione est, essentiam sacrificii consistere negas. Sed rationes à me allatæ omnem sacrificii sive essentialem rationem, sive accidentalem participationem ab eadem removent. Licet enim Sacerdotes homines nihil offerant de suo, non acceptum priùs à Deo, à quo bonum omne desuper venit: tamen quod aliunde acceptum offertur, non hominibus illud, sed Deo soli in veri nominis sacrificio offertur. Accedit, quòd Christum tali oblatione usum esse, haud constat; & fatetur Bellarminus ipse pertendens, supplementum illud factum esse ab ipsis Apostolis, cùm ceremoniæ istius celebrandæ ritum pleniùs ordinarunt, quod ex fictitiis liturgiis nequicquam probare satagit. Quasi scilicet Christi sacrificium aliquod imperfectum aliquando fuerit, quod blasphemiam apertam spirat. Accedit, quòd & fractio prior fuit pronuntiatione verborum H E. E. C. M. & oblatio illa eadem posterior. Cùm igitur juxta vos ante pronuntiationem illam sacrificium nullum existat, & finita illa sacrificium consummatum sit: quomodo quod sacrificio prius & posterius est, ad ejusdem vel integritatem, quod Bellarminus pertenderat, vel accidentariam quandam perfectionem, uti tu nugare, pertinet? 3. Consecrationem Eucharistiæ benedicendo successisse, & pronuntiatis verbis H. E. E C. M. perfectam fuisse, liquidò supra demonstravimus. Non ergo vel in benedictione, pronuntiationem illam antecedente, vel in consecratione, utpote à benedictione haud disparata, sacrificii essentia consistere potest. Et ratio tua pro consecratione futilis planè est, tum quia figmento consecrationis à benedictione distinctæ, transsubstantiationis, & consecrationis pronuntiatione verborum H. E. E. C. M. peragendæ innititur: tum quia immolationem Christi talem obtrudit, qualis nunquam extitit vel existet, *in morali* puta *destructio-*

ne,

ae, mortem Christi practicè exhibentes, non quoad vitæ privationem, sed quoad ejusdem in cruce physicè peractæ mortis valorem satisfactorium consistentem. Quæ enim, obsecro, hæc assertionum portenta sunt? *Immolationem in morali destructione* (qualis non substantiæ, sed accidentis cujuspiam esse potest) *consistere*: & *destructionem illam moralem Christi practicè exhibere* (cùm tamen amplius Christus mori, adeóque mors ejus practicè, uti sacrificium propriè dictum exigit, exhiberi nequeat:) *mortem Christi in Missa exhiberi non quoad vitæ privationem* (quasi ulla mors sacrificialis sine vitæ privatione vel cogitari & mors Christi in sacrificio practicè citra destructionem physicam exhiberi possit) *sed quoad ejusdem in cruce physicè peractæ valorem satisfactorium* (quasi sacrificium reale & propitiatorium esse possit id, quod mortem Christi non in destructione vitæ ejus, sed in repræsentatione valoris duntaxat & pretii exhibet.) Denique, ais, *hanc ipsam Christi mortem sub mystica quadam corporis & sanguinis separatione realiter per transsubstantiationem intrinsecæ naturam exhiberi.* Quid tuis sermonibus intricatius, quid abstrusius esse potest? Quid enim tibi *mystica corporis & sanguinis Christi separatio est?* Nam vita Christum privari in hoc sacrificio negas. Quomodo ergo *mysticè* corpus & sanguis Christi separantur? *Mysterium* enim arcana revelatio est. Ubi arcanum illud continetur? Si *mysticam* separationem intelligis symbolicam & Sacramentalem, quid illa ad sacrificium? Denique quomodo Christi mors *moraliter* simul, & *practicè*, & *mysticè*, & *realiter* in transsubstantiatione exhibetur? Et novas illas prophetias, nova mysteria, quo teste fide digno probas? Nam Bellarminus equidem, tecum sacrificii essentiam in consecratione collocans, neque Christum, neque Apostolos, neque Ecclesiæ primitivæ Patres testes dogmatis sui prodidit; sed novellos illos, ex Græcis Nicolaum Cabasilam; ex Latinis Ruardum Jodocum Tiletanum, Casalium & Alanum, dignos scilicet, quibus tantùm authoritatis tribuatur. Idem *de Missa lib. I. 27.* perplexitatem vestram in explicando hoc dogmate, adeóque extremè deploratam causam haud obscurè prodit. Nam alios ait in consecratione sacrificii essentiam constituere, *quia per consecrationem fit realis & vera mutatio corporis Christi.* Quæ sententia ipsi non probatur, quia sic solus panis triticeus sacrificaretur, utpote qui solus mutatur. Tum mutatio, quæ fit in sacrificio, sensibilis sit oportet. Talis verò non est mutatio panis in corpus Christi. Denique non esset idem sacrificium Ecclesiæ, & sacrificium crucis quoad rem oblatam. Addere potuit, sic nullum futurum discrimen sacrificium inter & transsubstantiationem, cùm tamen transsubstantiatio omnino natura sacrificium antecedere debeat. Debet enim corpus Christi esse & constitui, antequam sacrificetur. Alios ideo in consecratione essentiam sacrificii Missatici reponere scribit, *quia per eam verè, licet mysticè & incruentè Christus immoletur.* Hæc Redingii quoque mens est; minus tamen ipsi etiam Bellarmino approbata, eò quòd verum & reale sacrificium veram & realem mortem aut destructionem rei immolatæ desideret; hæc autem tantummodo mystica sit. Tum si per consecrationem vera & realis immolatio fieret, ea tamen non in altari, sed in Cœlo fieret. Nam immolatio fit, ubi animal vivum occiditur, sive ubi fit divisio corporis ab anima & sanguine. Porro divisio corporis Christi ab anima & sanguine, si qua fit per verba Sacramentalia, non fit in altari, sed in Cœlo. Ibi enim fieri debet divisio, ubi res ante divisionem præexistit. Vix autem credibile est, nec à quoquam forte inprimis Missæ cultore credetur, sacrificium Christianæ religionis non in terra, sed in Cœlo tantummodo celebrari. Denique, sic ἐμψυχῶς

ille, vel in Missa fit vera & realis Christi mactatio & occisio, vel non fit. Si non fit, non est verum & reale sacrificium Missa. Sacrificium enim veram & realem occisionem exigit, quando in occisione ponitur essentia sacrificii. Si autem fit, ergo verum erit dicere, à Sacerdotibus Christianis verè & realiter occidi. At hoc sacrilegium, non sacrificium esse videtur. Imò verò non *videtur*, uti molliter & dubitanter loqueris, quia vix dubitas, quin à Sacerdotibus vestris Christus in Missa occidatur; sed est. Et quandoquidem ex subtilissimi Cardinalis sententia *Sacrificium verum & reale occisionem exigit, & in occisione ponitur essentia sacrificii; dicere autem, Christum verè & realiter occidi, sacrilegium, non sacrificium esse videtur*; incredibili dexteritate eum præditum esse oportet, qui vel sacrificium verum & reale Eucharistiam efficiet, & non occidet tamen Christum realiter; vel qui Christum realiter occidet, & sacrilegium non perpetrabit. His porro Bellarmini argumentis, quibus tuam, Redingi, sententiam confixit, si potes, responde. Ipse denique Bellarminus sic sententiam suam explicat: *In Eucharistiæ consecratione tria fiunt, in quibus sacrificii veri & realis ratio consistit. Primùm res profana fit sacra: panis enim, res alioqui communis & terrena vertitur in corpus Christi.* Nulla tamen hic immolatio, & realis occisio comparet. *Secundò in consecratione res illa sacra ex profana effecta Deo offertur, dum in altari Dei collocatur.* Neque tamen omnis oblatio occisio realis est: & collocare in altari atque occidere diversa sunt. Nondum ergo sacrificium reale tenemus. *Tertiò per consecrationem res, quæ offertur, ad veram realem & externam mutationem & destructionem ordinatur, quod erat necessarium ad rationem sacrificii.* Quomodo verò consecratio, quam dicitis fieri pronuntiatione verborum, *Hoc enim est corpus meum*; rem oblatam ad realem destructionem ordinet, explicandum fuerat. Nam verba illa pertenditis equidem habere vim effectivam corporis Christi, simul destructivam ejusdem habere possunt? Attamen esto. Nondum sacrificium habemus. Ordinare enim ad destructionem, & destruere atque occidere realiter differunt. Quid ergo sequitur? *Nam*, inquit Bellarminus, *per consecrationem corpus Christi accipit formam cibi: cibus autem ad comestionem, & per hoc ad mutationem & destructionem ordinatur. Neque obstat, quòd corpus Christi nullam in se læsionem patitur. neque esse suum naturale amittat, cùm manducatur Eucharistia. Nam amittit esse Sacramentale, & proinde desinit esse in altari, desinit esse cibus sensibilis.* Sic essentia Sacrificii constituitur in duabus rebus, ordinatione ad destructionem, & destructione seu consumptione τ' esse Sacramentalis, de quo infra. Hic verò Dei atque hominum fidem appellamus, annon hæc mera sit frustratio & ludificatio Christianorum? Elato brachio, districtóque gladio Christi mactationem & occisionem realem sine sacrilegio conjunctam minatus Bellarminus est, totúsque jam pendebat, atque imminebat in ictum, cùm ecce inanem atque falsam illam cibi corporei personam, quam Christi corpori consecratione circumligaverat, dentibus disrupit, & Christum immolasse se gloriosè prædicavit. Satius tamen erat sic expectationem nostram frustrari, quam Christum occidere. 4. Quid verò ineptius, ad eludendam vim argumenti mei, quòd consecratio sacrificio prior esse debeat, dici poterat, quàm *quòd actio termini à quo in terminum ad quem transmutativa* seu *transsubstantiativa nihil à sacrificio differat.* Nam terminus transsubstantiationis *ad quem* juxta vos corpus & sanguis Christi sunt, quæ juxta vos transsubstantiando demum fiunt, & incipere sub speciebus panis & vini incipiunt, non destruuntur. An eodem instanti res corporea inprimis, fieri & destrui potest? Ad has τερατολογίας vos obstinatus in errore animus adigit. 5. In instanti consecratio-

ſecrationis terminativo ais panem tranſire in corpus Chriſti, atque ſic rem jam non profanam, ſed ſacram offerri. Ergo ne, denuo quæro, ſimul panis tranſit in corpus Chriſti, ſimul corpus Chriſti offertur? hoc eſt, tranſitus ad eſſe ſimul eſt tranſitus ad non eſſe? Quæſo ipſe, depoſitis præjudiciis, aſſertionum tuarum monſtra perpende; ſimúlque nos pro perſpicientia tua edoce, quomodo dici poſſit, offerri & *panem* tanquam *terminum à quo* (cujus ſubſtantia, priuſquam periit, apud vos res profana, non ſacra cenſetur) & *corpus Chriſti*, tanquam *terminum ad quem tranſſubſtantiativæ actionis* (quod tranſſubſtantiando fit, non occidit) & *accidentia panis*, tanquam *ſpecies cum corpore Chriſti unitas & ſacratas* (quæ à ſubjecto ſeparata res nihili ſunt, & ne exiſtunt quidem.) Quis unquam ſacrificium ex rebus adeò differentibus, profanis & ſacris, animatis & inanimatis, vivis & mortuis, entibus & non entibus, exiſtentibus ſimul, & ſimul non exiſtentibus conflatum vidit! Atque hoc illud ſacrum Papatus totius palladium eſt: quin & ſacrificium eſt numero idem cum ſacrificio crucis! 6. Denique *ſumptio*, inquis, *licet non ſit de eſſentia ſacrificii, eſt tamen de integritate ejus ſubſtantiali, quæ eſſentiæ quandam extenſionem, ſeu proprietatum participationem ſuperaddit.* Quis myſteria hæc, nullo teſte, ratione nulla probata, vel intellectu perſpicaciſſimo aſſequi potis eſt? Quomodo ad *integritatem* rei *ſubſtantialem* pertinet, quod ad rei *eſſentiam* non pertinet? Quomodo rei eſſentiam obtinere poteſt, quod *ſubſtantialem integritatem* non habet? Annon ſic ſacrificium claudum, cæcum, mutilum Deo offert Sacerdos? Et eſſentiæ (quæ alias *ἐν ἀτόμῳ in indiviſibili* conſiſtere cenſetur) *extenſio* quomodo ab eſſentia ipſa differt? Et ſi poſt conſecrationem non ſumatur Chriſtus, (uti non tantùm ſtatim non ſumitur in conſecratione Paraſceven Paſchatis præcedente, ſed etiam hoſtiæ multæ aſſervatæ planè non ſumuntur) numquid tum integrè perfectè Chriſtus ſacrificatus & immolatus cenſebitur? Si affirmas, non igitur ſumptio eſt de integritate ſubſtantiali. Si negas, offerri igitur Chriſtus poterit imperfectè, qualia ſacrificia vel in ipſis Judæis Deus damnavit olim. Negas tamen, ſacrificii conſumptionem, uti fit à populo, ſacrificii partem eſſe. Acutè. Nam populus certè Sacerdos non eſt. Sacrificium autem à ſolo Sacerdote peragitur. Sed *pars eſt ſacrificii*, inquis, *quatenus ex poteſtate conficiendi corpus, ſolis Sacerdotibus tributa, procedit.* Et tamen ante ſumptionem & conſumptionem jam corpus & confectum & oblatum cenſebatur. Et habebunt ſic dentes & ventres impuriſſimorum ſacrificulorum tantam deſtruendi Chriſti facultatem, quanta alibi reperiri non poteſt. Atqui conſumptio illa, quæ manducatione fit, non fit à Sacerdote, qua tali, ſed qua ejuſdem conditionis eſt cum populo. Nam qua Sacerdos eſt, ſuſtinet perſonam publicam: qua Sacramenta communicat, perſonam privatam gerit. Sed *in tota actione Miſſæ*, inquit Bellarminus, *nulla eſt alia realis deſtructio victimæ præter iſtam. Requiritur autem ad victimam realis deſtructio.* Sic ergo ut realem Chriſti in Miſſa deſtructionem habeatis, neceſſe habuiſtis manducationem Sacerdotis à ſacrificii integritate non excludere. Imò hæc ratio eſſentiam ſacrificii in manducatione conſtituit. Nam deſtructio ſacrificii quomodo non ad eſſentiam ejuſdem pertinet? Cùm verò ad realem illam deſtructionem explicandam venitur, illa tota in oblatione τῦ ὄντος non naturalis, ſed Sacramentalis reponitur. quam realem & ſacrificialem deſtructionem corporis & ſanguinis Chriſti eſſe, credat, qui vento quàm veritate paſci malit. Ubi ergo jam eſſentia ſacrificii Chriſti manet, & benedictione, & fractione, & conſecratione, & oblatione, & manducatione ne micam quidem ejus prodentibus? Delitescit in Democriti puteo. Fruſtra vos eam, repugnantibus maximè ſtudiis, inde eruere conati eſtis. Prudentiores

longè veteres Scholæ vestræ doctores fuerunt, qui circa curiosas quæstiones cætera insanientes, hunc tamen de Missa scopulum silentio prænavigare maluerunt. Magister eorum *lib.IV.* d.12. parcè admodum & modestè definit, *illud, quod offertur & consecratur à Sacerdote, vocari sacrificium & oblationem, quia memoria, recordatio & repræsentatio est veri sacrificii, & sanctæ immolationis factæ in ara crucis.* Alexander Alensis, Thomas, Bonaventura, Scotus, Biel, Durandus iisdem phrasibus occasione data utuntur, sine ulla quæstionum multiplicatione: quas sanè nunquam illi in re adeò gravi omisissent, si Seculo illo sic mysterium illud revelatum fuisset, uti hodie à vobis docetur: vel aliquid in rem illam maximi momenti, quæ Papalis Ecclesiæ nervus est, dicere habuissent. Adeò illi cautiùs quàm castiùs mercari voluerunt.

ARG. VIII. In quolibet Sacrificio externo & propriè dicto victima oblata destruitur. At in Cœna Domini nulla est destructio θυσίμη. Quid enim destruitur? An panis? At negant prolatis verbis substantiam panis superesse. Neque panis substantia destructa cluere potest sacrificium externum ἱλαστικόν. An Christus, quem sub hostia latere volunt? Atqui is gloriosè jam regnans est prorsus ἀπαθὴς *impassibilis.* An accidentia? At nec illa vel destrui vel sacrificari possunt. An τὸ esse Sacramentale corporis Domini, hoc est, *esse sub speciebus*, & sic *esse cibum visibilem?* Ita Bellarminus contendit. At ubi fit destructio τοῦ esse Sacramentalis, ut desinat esse cibus visibilis? Scilicet in ventriculo Sacerdotis communicantis, imò aliquando etiam muris. Ubi enim desinunt species, ibi sub iis esse quoque desinit. Bellarminus verò idem *de Missa lib.* 1. *cap.* 27. asserit, Sacramenti consumptionem ut fit à populo, non esse partem Sacrificii; ut autem fit à Sacerdote sacrificante, esse partem sacrificii essentialem. Cùm igitur manducatur eucharistia, corpus Christi amittere esse Sacramentale, & proinde desinere esse realiter in altari. Corruptis in stomacho speciebus, sine ulla sui læsione desinere ibi esse. Atque hanc esse veram & realem destructionem asserit. Perinde videlicet, ac si diceres, destrui hominem, cùm exuit tunicam. Ita etiam ad rationem veri sacrificii satis fuisset, si Christus vestem suam ex lana, lino, imò accidentibus confectam cruci affigi passus esset, modò ille tandiu lateret sub illa veste spectator ridiculi dramatis, donec crucifixio perageretur, ipse interim illæsus, nulloque mali sensu percitus. Quid futilius & cum majori ignominia de ejus sacrificio dici potuit? Hæc scilicet sunt impia Gnosticorum & Aphtartodocitarum deliramenta. Christus per passiones consummatus est, ut princeps nostræ salutis Hebr. II. 10. & V. 8. 9. At his si creditur, semper consummatur sine passionibus, per destructionem non realem, non τοῦ esse, sed esse Sacramentalis, hoc est, per τὸ desinere esse in stomacho sacerdotis; & tamen nunquam est consummatus, nisi ubi missa

offerri

offerri desierit, quod in fine mundi fore sperant. Scriptura Novum Testamentum, adeóque remissionem peccatorum collocat in fusione sanguinis Christi. At hi in destructione § esse Sacramentalis. Quid est ἐπιδιατάσσεσθαι τῇ διαθήκῃ προκεκυρωμένῃ, adeóque illam *ἀθετεῖν irritam facere*, Gal. III. 15. si hoc non est?

RESP. REDING: 1. *Panis substantiam ceu terminum A quo Eucharisticæ conversionis physice destrui in Sacrificio Missæ, alibi ostendimus. Ipsum etiam corpus Christi, terminum Ad quem transsubstantiationis non quidem physicè, sed moraliter (quod ad sacrificii rationem sufficit) destrui, inde probatur, quòd corpus Christi in Missa destruitur humano modo, quatenus accipit statum decliviorem, & talem, quo reddatur inutile ad usus humanos corporis humani, atque aptum ad alios diversos usus per modum cibi. In hac morali destructione vera sacrificii ratio consistit. Alii sufficientem destructionem ex eo statuunt, quod sub panis speciebus panis ex vi verborum præcisè corpus Christi, & ex vi verborum præcisè sanguis Christi ponatur sub vini speciebus. Licet enim sic non destruatur corpus Christi, tamen ex vi verborum connaturaliter destructio illa sequi deberet. unde veri sacrificii rationem habet. 2. Esse Sacramentale consistit in reali corporis & sanguinis Christi sub consecratis speciebus præsentia, importante actionem illam, qua corpus & sanguis Christi accidentia illa in genere causæ efficientis sustentant. Hujus & productio & destructio ex Christi institutione ordinatur in talem mortis Christi memoriam, per quam à Sacerdote publica dominii Divini protestatio editur. Annon sub tali formalitate veri sacrificii ratio subsistit? 3. Aliud est esse rei substantiale, aliud accidentale. Atqui crucis sacrificium substantiale esse Christi destruere debuit, non accidentale. quale hominis tunica est. 4. Licet Christus in cruce per passiones consummatus sit, ejus tamen memoria sub formalitate absoluti Divini dominii protestativa, veri etiam Sacrificii rationem habet, ad applicandum valorem satisfactionis in cruce peractæ.* Ib. pag 272--274. Resp. 1. Nec panis substantiam in Eucharistia destrui; nec ejus in locum corpus Christi substitui, nec substitutum destrui; nec moralem destructionem rei sacrificandæ sufficere ad sacrificium, nos fortiùs demonstravimus. Destructionem verò illam, quæ *humano*, ita loqueris, *modo* fit, & per quam *res destruenda decliviorem statum quendam accipit*, sacrificalem neutiquam esse, exemplo sacrificii Christi, quale Scriptura describit, & quod sine dubio veri sacrificii numeros omnes habuit, disce. Ille enim, ut sacrificium reale & propitiatorium esse posset, haud satis habuit decliviorem statum accipere; sed *exinanitus est usque ad mortem, mortem autem crucis*, Phil. II. 1. 2. &c. Et par ratio erat Leviticorum sacrificiorum, in quibus victimæ non statum quendam humiliorem & decliviorem, sed destructionem naturæ suæ omnimodam patiebantur. Missaticum proin quod talem non patitur, reale, verum, propitiatorium esse nequit. Sed esto etiam. In morali ejusmodi destructione Christianorum sacrificium consistere possit. Quomodo eam corpus Christi gloriosum, ἀπαθὲς, exaltatum ad dextram magnificentiæ, non exinaniendum ampliùs in æternum, subibit? Profectò undique constricti tenemini. Sed *alii, inquis, in eo destructionem ponunt, quòd ex vi verborum connaturaliter illa sequi deberet.* id est Christus destrui, occidi deberet. Quid *alii*, & *alii* apud vos de eadem illa re sentiant, omnia ubique intuta reperientes, parùm pensi habemus. Quanquam illi aliis æquè ineptiunt. Nam quòd corpus Christi *connaturaliter* occidi debuisse, sacrile-

gè afferunt illud occidi,destrui negant tamen. Sacrificium autem reale, propitiatorium actualem destructionem postulat. 2. Realem corporis Christi præsentiam, & actionem Christi accidentia in genere causæ efficientis (cùm tamen illa essentialiter materiam, subjectum ad sui subsistentiam requirant) sustentantem temerè supponis, non probas. *Hujus & productio*, inquis, *& destructio ordinatur ad Christi memoriam.* De productione nihil dicam. Destructio verò corporis Christi qualis est? Hoc agitur. Cur non explicas? Si naturalis, blasphemia est asserere, Christi corpus gloriosum naturale destrui. Si Sacramentalis, vel ad signa, vel ad rem signatam (nam hæc, non alia Sacramenti materies est) vel ad unionem utrorumque (quæ Sacramentorum forma est) refertur. Si ad rem signatam, redit blasphemia. Si ad signum, juxta vos accidentia panis & vini illud sunt. Atqui hæc à subjecto separata nihil sunt: cum subjecto conjuncta res inanimata sunt, adeóque sacrificium reale, propitiatorium esse nequeunt. Sed *ordinantur illa*, inquis, *ad Christi memoriam, & protestantur de absoluto dominio Dei. Annon sub tali formalitate veri sacrificii ratio consistit?* Ergo quod ordinatur ad memoriam sacrificii Christi, in quo solo non absoluti duntaxat dominii Dei recognitio, sed inprimis peccati expiatio obtinet, hoc est, memoria sacrificii Christi ipsum sacrificium Christi erit. Ex quonam, quæso, Trophonii antro hæc nobis de *formalitate* sacrificii oracula fundis? Nam ab iis & revelatio, & sana ratio omnis abhorret. Ergo deveniendum erit ad tertium, ut dicamus, destrui unionem, seu relationem illam, quæ inter corpus Christi & panis ac vini accidentia intercedit, ut sub iis delitescat, atque in iis rationem cibi & potus habere videatur. Atqui ratio illa cibi & potus, quam ope accidentium panis & vini corpus Christi habere videtur, omnino cum natura corporis Christi non convenit. Illa enim habent speciem alimenti corporei, constituti in substantiis, quæ propriè panis & vinum sunt. Corpus Christi non est cibus corporeus; ac multò minùs substantia panis & vini. Ratio igitur illa cibi fallax est, & veluti larva corpori Christi circumposita, quæ substantiam & usum ipsius mentitur, & sic nobis illudit. Cùm igitur consumptione accidentium detrahitur illa veluti persona, dici ne potest Christus ea propter destrui? Haud magis certè, quàm ille, cui circumposita larva detrahitur. Accedit, quòd justitia Divina sibi minimè constat, si in tali destructione τ͂ ἀναιμ Christi propitiatio existere potest. Illa enim, quæ sese olim ita inflexibilem præbuit, ut, nisi Christus, unigenitus Filius Dei, maledictam mortem oppeteret, & sanguinem suum pretiosissimum in cruce ignominiosa funderet, induci non potuit, quin æternas pœnas peccatorum nostrorum reposceret, non sic hodie placabilis est, ut pro gravissimis sceleribus contenta sit ludicra ejusmodi propitiatione, quæ in detractione ineptæ illius relationis, quæ Christo nunquam convenit, consistit. 3. *Crucis*, inquis, *sacrificium substantiale, non accidentale Christi esse destruere debuit.* Optimè. Sed quid Sacrificium Missaticum, de quo solo hic loquimur, &, quod ipse fateris, *quoad physicam entitatem* toto genere à sacrificio crucis differre? Ostende *substantiale* illud *esse*, quod in eo destruitur. Nam vel species consumptæ in ventre Sacrificuli, vel Christi corpus desinens ibi esse cibus sensibilis, qualis nunquam tamen fuit, quam substantiam perdidere? Perinde igitur omnino est, dicere, Sacramentali ejusmodi esse destructo sacrificari Christum; ac si dicas, sublata hominis tunica eundem destrui & sacrificari. 4. In cruce Christum per passiones consummatum esse: in Missa autem consummationis ejus *memoriam* esse, ais. Si hæc fides vestra est, cur nobis estis molesti? Cur in nostros similem confessionem edentes ferro & flamma sævitis? Proximè accessistis, ingredimini

ni patent Eccleſiæ fores. Agnoſcamus utrinque, ſacrificium Euchariſtiæ, uti vox ipſa ſonat, euchariſticum eſſe, non propitiatorium; memoriam veri ſacrificii crucis, non ipſum verum & propriè dictum ſacrificium Chriſti eſſe; adeóque in unica Chriſti morte & ſufficientiſſima propitiatione acquieſcamus. Sed fruſtra id ſatagimus. Non enim veritati ſic ceditis, ſed ſuccumbitis. Plumis noſtris diram hanc avem veſtram ornatis, quæ dignoſcitur ex cantu ſuo. Miſſam enim veſtram non memoriam duntaxat eſſe veri ſacrificii, ſed ſacrificium ipſum reale, propitiatorium propriè dictum pro peccatis vivorum & mortuorum, Tridentini Patres cecinerunt, & contrarium ſeriò ac ſincerè tradentibus anathema dixerunt. Tu quoque *memoriam* illam ſacrificii crucis, *ſub formalitate abſoluti dominii Divini proteſtativam, veri etiam ſacrificii rationem habere*, definis, quaſi ſcilicet æquè memoria ſacrificii crucis, quo & abſolutum dominium Dei recognoſcitur, & peccatorum expiatio peragitur, verum & propitiatorium, de abſoluto dominio Dei proteſtans, & peccata expians ſacrificium eſſet, atque ſacrificium illud verum, quod memoratur. Sic profectò Miſſa non ſubordinatur ſacrificio Chriſti tanquam ejus *ἀνάμνησις commemoratio*, vel applicatio etiam; ſed ei tanquam ſacrificium æquè propitiatorium, in quo omnem fiduciam collocatis, opponitur. Quid multa? Miſſa vel ipſum Chriſti ſacrificium eſt, vel non eſt. Si ipſum eſt, Chriſtus quotidie moritur, quod blaſphemum dictu. Sin ipſum non eſt, ſed ejus *applicatio* tantùm, ſacrificium propriè dictum non eſt, nec eo peccata vivorum & mortuorum expiantur.

ARG. IX. Vel Chriſtus obtulit in cœna corpus ſuum Deo Patri in ſacrificium ſub ſpeciebus panis & vini ante prolationem illorum verborum, *Hoc enim corpus eſt meum*, vel ipſa prolatione, vel poſt illam. Non *ante* prolationem, quia juxta doctrinam illorum nondum corpus ejus ſub ſpeciebus illis erat. Non *ipſa prolatione*, quia verba illa non ſunt ſacrificatoria. Corpus enim ſignificat quidem materiam ſacrificii. At verbum *Eſt* immolationem ſeu oblationem ſignificare non poteſt, cùm juxta illorum clamores ſignificatio propria, non tropica ulla obtineat. Porro copulam *Eſt* proprio ſenſu ſignificare *offerre*, immolare, nemo ſanus dixerit. Neque etiam *poſt* prolationem illorum verborum, quia jam dederat panem diſcipulis, aut ſaltem dabat, atque illi accipiebant, & inter dandum pronuntiabat illa verba, *Accipite, edite, Hoc enim eſt corpus meum.* Neque poſtea recepiſſe à diſcipulis legitur, ut Deo offerret in ſacrificium, vel iterato fregiſſe panem, aut effudiſſe vinum, ſed tantùm verbis illis expoſuiſſe, quid præcedente illa fractione ante dationem facta, & vino jam in poculo extra uvas, potabili ſignificare voluerit.

RESP. REDING: 1. *In vanum hæc omnia recidunt, quia jam oſtenſum, oblationem Chriſti ſacrificativam factam eſſe pro inſtanti terminativo verborum: Hoc enim eſt corpus meum &c. 2. Licet in verbis conſecrationis copula Eſt ex vi ſuæ naturalis ſignificationis non importet oblationem, importat tamen ex vi inſtitutionis, ac huic annexæ veritatis verborum illorum, quæ in ultima Cæna ſic ex ſupereminente Sacerdotio Chriſti promanabant, ut actionem panis in corpus, & vini in ſanguinem Chriſti tranſmutativæ, Chriſtus impreſſerit*

ris formalitatem mortis suæ, adeóque supremi dominii sui per hanc repræsentatæ protestatricem. Ib. pag. 274. Resp. 1. Figmentum tuum de oblatione pro instanti terminativo verborum H. E. E. C. M. vanissimum esse, supra ostendimus. 2. Cùm verba *Hoc enim est corpus meum* propria esse, severissimè alias pertendatis, hic tamen asseverare non dubitas, copulam EST vim *naturalis suæ significationis* amittere, & non virtute hujus, sed institutionis, quam tamen nec probasti hactenus, nec in æternum probabis, oblationem vel immolationem Christi significare; & nugaris insuper, per verba illa ex Christi supereminenti Sacerdotio promanantia, eandem actioni panis in corpus, vini in sanguinem transsubstantiativæ, mortis suæ formalitatem impressisse. Quid est impudenter & audacter quidvis effutire, si hoc non est? Unde enim probas, verba illa ex supereminente Sacerdotio Christi, quo actu non in Eucharistia, sed in cruce defunctus est, promanasse: panem, vinum agere in corpus & sanguinem Christi, adeóque sic agendo illa transsubstantiare (ut sic transsubstantiatio illa jam sit actio rei inanimatæ, panis & vini; non Christi vel Sacerdotis) & illi panis & vini actioni Christum formalitatem mortis suæ sacrificialis impressisse? Quorum verborum sensus si ille est, quòd toties mors Christi formaliter exhibeatur, quoties sic panis in corpus Christi agit, næ iterum atque iterum crucifigitis Christum, & pani potestatem illam crucifigendi eum tribuitis. Miserandi magis an detestandi sint, qui sic in manifestissimo errore animum obfirmant, ut absurda ejusmodi, & in auribus piorum pessimè sonantia proloqui, quàm veritati apertæ cedere malunt, nescio.

ARG. X. Illud etiam omnes absurditatis numeros implet, quòd definiunt Patres, Christum se ipsum in Cœna obtulisse. Quod multis argumentis prudentiores in Concilio Patres oppugnârunt. Ajebant enim, sacrificii naturam id haud permittere. Supervacuam alioqui futuram fuisse oblationem in cruce, si oblatione in cœna facta redemptio constitisset. Deinde sacrificium altaris à Christo institutum esse in commemorationem ejus, quod in cruce oblaturus erat. Nihil autem commemorari posse, nisi quod est peractum. Præterea nec Scripturam, nec Canonem Missæ, nec Concilium ullum unquam meminisse, quòd Christus se ipsum obtulerit. Ita illi ipsi arguebant, teste Historico *lib. VI. pag.* 495. Et sanè Scriprura nullum uspiam memorat Christi sacrificium, si ab unico illo, quod in cruce obtulit, discesseris. Neque fieri potuit, ut ipse visibili forma mensæ accumbens, loquens, agens, atque non aliud quàm id ipsum agens, neque immutatus quidquam simul pateretur, destrueretur, offerretur, idemque esset agens & patiens, spirans vividissimè & simul mortuus.

RESP. REDING: *1. Assertioni huic, quòd Christus in Eucharistia seipsum obtulerit, Patres Græci & Latini astipulantur. Licet ergo nonnulli in Concilio dissenserunt initiò, re tamen maturè expensa in eandem sententiam iverunt omnes. 2. In prima Cœna mors mox subeunda repræsentata est; in sequentibus subita commemoratur. Et repræsentatio & commemoratio veri sacrificii rationem habet, quia utraque Divini dominii peccato læsi protestationem continet. 3. Neque ideo oblatio in cruce facta supervacanea fuit,*

fuit, quia ad efficaciam redemptionis consummatio Christi per mortem accedere debuit. Prima oblatio Christi in Cœna facta infinitum etiam satisfactionis valorem obtinuit, sed non acceptandum nisi per mortem consummaretur. 4. *An repugnare putas, ut Christus in substantia sua immutatus accidentariè mutetur? Licet ergo substantia Christi in prima Cœna mutata non fuerit, attamen, cùm Christus sub speciebus panis & vini præsens esse cœpit, secuta est accidentaria immutatio supernaturalis ejus præsentiæ, qua species illas effectivè sustentavit.* 5. *Denique Christus in prima Cœna non physicè & realiter destructus est; sed sic tamen mors ejus in cruce peragenda ibi repræsentata est, ut repræsentatio illa veri sacrificii rationem habuerit.* Ib. pag. 274. 275. Resp. 1. Ubi verò astipulatur Christus, ubi Apostoli? Sine horum astipulatione nullam fidem reliqui omnes merentur. Quanquam etiam Patres nonnulli astipulari visi, cum grano salis intelligi debent. Obtulit se non realiter, sed in figura, Sacramento, mysterio; eo planè modo, quo Christus in V. T. sacrificiis oblatus: quo Agnus ab origine mundi occisus dicitur, Apoc. XIV. 8. Sicut Christus in mensa occisus, ita in eadem immolatus est. At in mensa non verè & realiter, sed mysticè & Sacramentaliter occisus: ergo neque in eadem verè & realiter, sed mysticè & Sacramentaliter immolatus est. Sic planè S. Augustinus, optimus sententiæ veterum interpres, *Epist.* 23. *Nonne*, inquit, *semel immolatus est Christus in semet ipso? Et tamen in Sacramento non tantùm per omnes Paschæ solennitates, sed etiam omni die populis immolatur. Nec utique mentitur, qui interrogatus, eum responderit immolari. Si enim Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, Sacramenta non essent.* Et Cyprianus *de unctione Chrism.* non luculenter minùs: *Dominus noster in mensa, in qua ultimum cum Apostolis participavit convivium, propriis manibus panem & vinum: in cruce verò manibus militum corpus tradidit vulnerandum.* Cœterùm Theologi in Concilio crasso errori illi, quòd Christus in ultima Cœna se ipsum propriè & realiter obtulerit, repugnantes, errantium multitudine, non pondere rationum oppressi, haud equidem errantibus assenserunt, sed silentii sibi legem dicere coacti, suam secum fidem retinuerunt. 2. Perstant interim argumenta eorundem à me opposita, quæ diluere non potuisti. Repræsentatio & commemoratio mortis Christi, in qua sola veri & realis sacrificii ratio obtinuit, sic verum & reale sacrificium est, uti tragœdia, quo cruentum bellum repræsentatur & commemoratur ipsummet illud bellum cruentum est. 3. Amplector ambabus manibus, quòd ad efficaciam redemptionis consummationem Christi per mortem intercedere debuisse asseris. Ubi igitur ejusmodi per mortem consummatio nulla est, ibi nec efficacia redemptionis, adeoque nec sacrificium reale & propitiatorium locum habere potest. Nam redemptionem fingere, ubi mors nulla intervenit, absurdum esse ipse Bellarminus *de Missa Lib. II.* 3. agnoscit, & probat inde, quia mereri, redimere, satisfacere Christus nonnisi pretium solvendo, adeóque moriendo possit. Unde ipsi Missa sacrificium potiùs impetratorium, quam meritorium & satisfactorium audit. In prima porro Cœna & Missa vestra consummationem ejusmodi Christi per mortem nullam fuisse, ultro fatemini. Alias enim morte Christi in cruce opus neutiquam fuisset. Nullum ergo etiam sacrificium redemptionis & meritorium, adeóque nec propitiatorium etiam, quia sine satisfactione nulla redemptio est. Accedit, quòd sacrificium reale & propitiatorium sine morte præsente ne quidem concipi possit. Unde de destructionis in Missa ratione conflictatio vestra exorta est. 4. Mirùm profectò in prima cœna sacrificium, miram oblationem, in qua substantiæ immutatio nulla intervenit! Et quid supernaturalis

præsentiæ sub speciebus panis & vini mutatio relativa ad sacrificium propriè dictum? Causa deplorata te tot absurda, quot verba dicere subigit. 5. Denique à physica destructione ad repræsentationem physicæ destructionis devolveris iterum. Hinc, non illam in prima cœna agnoscis. Agnoscimus nos quoque. Sed repræsentationem sacrificii realis in sacrificium repræsentatum reale convertere, novum transsubstantiationis æquè monstrosum genus est. Quocunque te vertas, quantumcunque moliare, tandem in veri sacrificii Christi memoriam, recordationem, repræsentationem res tota exit. Eam verò invita veritate, nullis aliis argumentis in reale sacrificium ubique stolidè commutas.

ARG. XI. Ecclesia primitiva ejusmodi Sacrificium externum in cœna, offerri minimè agnovit. Etsi enim Eucharistiam apud Patres subinde hostiam, & Sacrificium appellari, & Sacerdotum, oblationum, altarium apud eos crebrò mentionem fieri haud inficias imus, tamen & illud certum est, Sacrificium eos intellexisse non hypostaticum & externum, quo Christus Deo Patri denuo offeratur, sed vel symbolicum, vel Eucharisticum. Unde resolvenda esse ejusmodi vocabula per adverbium, *Velut*, vel aliud hujusmodi, monet etiam Picherellus *Lib. de Missa*. Eucharistiæ porro celebrationem, & Missæ originem ac progressum per quinque ferè intervalla deducunt. *Primum* intervallum continetur ætate Christi & Apostolorum. Ea ætate nihil simplicius Cœnæ institutione & celebratione, nihil à theatrica pompa alienius. Mentio equidem est Cœnæ Domini, mensæ, panis & vini benedictione, fractione, distributione, Eucharistica mortis Domini annuntiatione, recordatione. De Missæ Sacrificio propitiatorio ne γρῦ quidem usquam. Et Apostolus non aliud tradidit, quàm quod à Christo accepit, 1. Cor. XI. 23. Plus pietatis quàm apparatus in Evangelica veritate reperias. *Secundum* intervallum à morte Apostolorum ad tempus usque Gregorij I. fluit. Quo intervallo non accessit quidquam magni momenti, quod aut varietate onerosum, aut vanitate ludicrum esset. Etenim Gregorius ille *lib. 1. Epist. 7.* Apostolos Orationem tantùm Dominicam in hoc mysterio adhibuisse monet. Atque id ut facerent, à Domino illos accepisse monet Hieronymus *Cont. Pelag.* & ex ipso agnoscunt Durandus, Anthoninus, Platina. Quin Magister Cerem. Innoc. III. *Rational. lib. IV. tit. 5.* confitetur, B. Petrum tribus tantùm Orationibus in primordio nascentis Ecclesiæ, Antiochiæ Missam celebrâsse. Apud Cyprianum & Augustinum extant hi ritus. Instructus pane & vino ad mensam stabat Sacerdos, benedictionem hanc impertiens populo: *Dominus vobiscum*. Excipiebat eum populus his verbis: *Et cum Spiritu tuo*. Addebat ille, *Gratias agamus Domino Deo nostro*. Responderunt hi, *Dignum & justum est*. Post gratias

Deo

Deo habitas institutionem verbis Evangelicis recitabat Sacerdos, distribuebat symbola, Orationem Dominicam subjiciebat, atque sic cœtum dissolvebat. *Tertium* intervallum à Gregorio I. ad Leonem usque IV. adeoque ab An. Chr. 600. ad 850. excurrit. Illud in gestibus, vestibus, Altaribus, palliis, corporalibus, sequentijs, prosis, tractibus, ablutionibus aliisque ejusmodi superstitiosa satis multa obtrusit. Huc incidit illud Vitaliani de Sacris idiomate Latino celebrandis. In illis tamen tenebris nondum pro veri nominis sacrificio habita est Missa, & doctrinæ ipsius puritas aliquatenus per Bedam, Isidorum, Damascenum, Alcuinum, Amalarium, Rabanum, Christianum Druthmarum, Haymonem aliósque conservata est. *Quartum* intervallum à Leone IV. ad Concilium usque Lateranense, seu Innocentij III. tempora protenditur. Hoc intervallo controversia de fermentato & Azymo pane Græcos, de corporali præsentia Christi Latinos exercitos habuit. Restiterunt tamen & his Missæ præludijs pro viribus Bertramus, ac inprimis Berengarius, qui tyrannide Antichristi protritus, & in quinque Concilijs oppressus, edita infami ac Cyclopica palinodia errori succubuit, at ante mortem ad saniorem mentem redijt. *Quintum* denique intervallum à Concilio Lateranensis ad Tridentinum usque porrigitur. Hoc potissimùm temporis intervallo Missæ sacrificium, obstetricantibus varijs erroribus, miraculis etiam fictitijs, conceptum, formatum, natum, exclusum, & in Concilio Tridentino bruto anathemate firmatum roboratúmque est. Neque defuere tamen hoc ipso in intervallo, qui vel ambigua locutione, vel aperte Missam Sacrificium esse negarent. Nam Magister Sententiarum 4. *Sent. D.* 12. disertè ait, *in Sacramento recordationem fieri illius Sacrificii, quod factum est semel.* Et Thomas Aquinas 3. *part. q.* 83. *art.* 1. ait, *per hoc Sacramentum participes nos factos esse Dominicæ passionis.* Quin ipso in Concilio auditæ sunt liberæ voces Theologorum & Præsulum, nominatim Georgii Ataidæ Lusitani, negantis ex verbo Dei probari posse Missam; nec non Episcopi Vegliensis, qui in Missa esse sacrificium propitiatorium propriè dictum, validis rationibus inficias ivit.

Resp. [illegible]: *1. Sacrificium S. Patres non externum & hypostaticum, sed symbolicum [illegible] & Eucharisticum intellexisse, nudè asseris, non probas. Cùm verò in Eucharistia sit actio externa, ex publica Divinitus instituta Sacerdotii authoritate referens mortis Christi memoriam, sub Divini ac absoluti dominii protestatione, quid vetat idem sacrificium & symbolicum & externum ac hypostaticum appellare? 2. In primo intervallo confundis ritus accidentarios cum substantia sacrificii, quòd in sola consecratione ac sumptione Eucharistiæ subsistit, à qua ritus ornamenti causa deinceps accedentes abesse potuerunt. Substantia vero sacrificii ex Abdia, Martiale, liturgiis cognoscitur. In se-*

cundo intervallo idem error tuus est. De cætero substantiam sacrificii agnovere Clemens R. Alexander I. Justinus Martyr, Irenæus, Augustinus &c. Quoad tertium intervallum, ipse Chemnitius fatetur, Missam, uti nunc est, tempore Gregorii absolutam esse. Sed & Calvinus Instit. lib. IV. 18.1. ait, pestilentissimo errore Sathanam totum pæne orbem occæcasse, ut crederet, Missam esse Sacrificium ad impetrandam remissionem peccatorum. In quarto Bertramum nominas, qui potiùs Oecolampadius est, sub Bertrami nomine sua venditans. Et unum perjurum hominem, Berengarium, quinque Conciliis integris præferre non dubitas. Atqui Berengarii adversarii, Adelmannus, Hugo Lingoniensis, Guilmandus Aversanus apertis rationibus Berengarii errorem convicerunt. In quinto intervallo quinam sunt errores isti, quibus obstetricantibus Missæ sacrificium formatum esse, pronuntias? Certè transsubstantiatio jam in Lateranensi Concilio definita erat. Neque pugnat, mysterium Eucharisticum esse verum sacrificium, & simul sacrificii crucis rememorativum, uti Thomas & Magister Sententiarum vocant. Nam Thomas 3. p. q. 83. Augustini adducto testimonio disertè probat, semel quidem immolatum esse Christum in semetipso, & tamen quotidie immolari in Sacramento. Ib. pag. 275--278. Resp. 1. Quo sensu Patres sacrificii voce hoc in argumento usi sint, res ipsa loquitur. Nam & sacrificium & Eucharistiam eandem rem creberrimè appellant: neque unquam vel Sacramentum à sacrificio distinguunt, quin potiùs ipsum Sacramentum volunt esse sacrificium, quia scilicet est imago sacrificii, juxta Augustinum *lib. 83. Quæst. 79.* & *de Civit. Dei lib. X. 5.* vel Tridentinorum stylo usi, propriè dictum, reale, propitiatorium insigniunt. Paucis sanè multa S. Augustinus *de Civ. D. lib. X. 5.* dixit, inquiens: *Illud, quod ab hominibus* (Patribus) *appellatur sacrificium, signum est veri sacrificii.* Clemens *Constit. lib. VI. 23. Christus sacrificium instituit, quod per symbola corporis & sanguinis sui celebratur.* Verba ejusdem in rem eandem consignatissimè ex *lib III. de Doctr. Christ cap. 9.* supra retulimus. Chrysostomus *in Epist. ad Hebr. X. serm 17.* προσφέρομεν μὲν, ἀλλ' ἀνάμνησιν ποιούμενοι τοῦ θανάτου αὐτοῦ. *Offerimus quidem, sed commemorationem facientes mortis ejus.* Τοῦτο ἐκείνης τύπος, καὶ αὕτη ἐκείνης. *Hoc* (sacrificium) *exemplum* seu *typus est illius* (sacrificii Christi in passione) *& idem cum illo.* Quin & veterum mentem sic *Canon Hoc est, Dist. 2. de Consecrat.* ex Augustino explicat: *Vocatur ipsa immolatio carnis, quæ Sacerdotis manibus fit, Christi passio, crucifixio,* NON REI VERITATE, *sed significante mysterio.* Quo sensu panis & vinum corpus & sanguis Christi dicitur, eodem sacrificium dici potest; quia non aliter corpus & sanguis, quàm quatenus illa in cruce oblata sunt, dicitur. Rationem porro, quam pro reali sacrificio fingis, non ex ingenio tuo promere, sed ex dictis S. Patrum, de quorum hic sensu quæstio est, probare debueras. Nos verò illam identidem jam discussimus. 2. Nec substantialem sacrificii propriè dicti ritum, nec accidentales illos, quibus hodie Sacerdotes mimum suum peragunt, Ceremonias in *primo* illo intervallo demonstrare poteris unquam. Nam supposititia illa & apocrypha γράμματα Abdiæ Babylonii, Martialis Lemovicensis Episcopi, Liturgiarum, quarum authores fœtus hosce, doctissimis quibuscunque in Papatu suffragantibus, supposuerunt, diu post Christi & Apostolorum tempora cusa, sententiæ Christi & Apostolorum testes idonei non sunt, nec sacrificium reale ullo apice innuunt. De accidentariis ritibus à me cum substantiali confusis frustra etiam quereris, vel hanc ob caussam, quòd ante Concilium Tridentinum vestrates Theologi in iis Missæ τὸ πᾶν καὶ ὅλον reposuerunt. Eccius enim *lib. de Missa, cap. 10.* Missam sacrificium esse ait, *quia Ecclesia non modò Eucharistia in memoriam passionis utatur, sed quia tota actione gestuum, verborum,*

borum, rituum &c. in Missa repræsentes oblationem passionis Christi, & hac repræsentatione ipsum Christum denuo offeras. Idem Gropperus, Sidonius, Vicelius, Architectus formulæ & interreligionis, questi graviter, sibi à nostris, imputantibus, quòd Missam sacrificium propitiatorium statuant, injuriam fieri; asserunt. Hanc igitur theatricam *gestuum, verborum, rituum, vestium &c.* actionem, & passionis Christi repræsentationem ex Christo & Apostolis per certa documenta, si potes, ostende. Intervalli *Secundi* par ratio est. Neminem enim produces in eo testem, quòd Missa sit sacrificium reale, propitiatorium. De Clemente, Justino Martyre, Irenæo, Augustino infra. In *Tertio* intervallo nescio quid Chemnitio, Luthero, Calvino imponis. Si horum sententia circa veteris Ecclesiæ sensum statur, res salva est. Scribit Calvinus *Instit. lib.IV.18.1.* Satanam *pestilentissimo errore totum pene orbem occæcasse, ut crederet Missam sacrificium & oblationem esse ad impetrandum peccatorum remissionem.* Sed quo tempore, quo Sæculo *sic totum pene Christianum orbem* occœcavit? Christi, Apostolorum, veteris Ecclesiæ? Ubi sic Calvinus definivit? Imò ille infra *saniorum Scholasticorum* ætatem descendit. Et *loc. cit. s.10.* sic ille scribit: *Si de approbando sacrificii commento, quale in Missa confinxerunt Papistæ, agitur, ejusmodi sacrilegio veteres nequaquam patrocinantur. Utuntur illi quidem sacrificii vocabulo: verum simul exponunt, se nihil aliud intelligere, quàm memoriam veri illius & unici sacrificii, quod in cruce Christus peregit.* Sic ludere & illudere soles, ubi ratio te deseruit. In *Quarto* intervallo Bertramum fingis esse Oecolampadium. Nihil inscitia impudentius esse solet. Opus Bertrami *de Sacramento Corporis Dominici* sic apertè præsentiam corporalem, novitium tum quorundam dogma, oppugnat, ut sudes sit in oculis recentioribus Sophistis. Ergo nonnulli frontem perfricantes, & cum iis Redingius, Bertrami opus esse negant. Sed ingenui & docti quique authorem eum libri illius esse, confitentur. Bellarminus *de Euchar. lib.I. cap.1.* inter eos, qui veritatem corporis Domini in Eucharistia in quæstionem vocarunt, tertio loco Bertramum numerat, cujus errorem à Paschasio Corbejensi doctissime refutatum ait. Alanus *de Euchar. Sacr lib.I. cap.21.* clarè: *Bertramus*, inquit, *Presbyter, Vir doctus & disertus ad hanc hæresin animum applicuit, & scripsit opus offensionis & falsitatis plenum ad Carolum Crassum de Sacramento corporis Dominici docens [illegible] & callidè, ipsum corpus quod natum est de Virgine, non esse in Eucharistia. Qui liber meritò damnatur in Indice.* Quin & Perronius *de Euchar. lib.II. Auctor 29.* ingenue confitetur, *extare apographum Manuscriptum sub eodem Ratramni* (sic Bertramus alias vocatur) *titulo, illi, quod Adversarii sub Bertrami nomine publicarunt, conforme.* Sed magno mihi insuper crimini Redingius dat, quòd *Berengarium, unum hominem perjurum, quinque Conciliis præferam.* Quidni unum hominem liberum, & cum ratione sentientem pluribus Conciliis Papæ servientibus & errantibus præferam? Et tamen ille solus non fuit, sed a partibus suis stantem habuit Brunonem Andegavensem Episcopum. Quid verò Brunonem memoro? Certè Matthæus Westmonasteriensis *ad An.* 1087. de Berengario: *Omnes*, inquit, *Gallos, Italos & Anglos suis jam pene corruperat pravitatibus.* Matthæus Paris in Wilhelmo II *Scatebat & inficiebatur omnis Gallia ejus doctrina.* Durandus Troarnensis *de corp. & sang. Dom. part. 9. Maxima*, inquit, *multitudo nostro tempore Francorum occupaverat Provincias, & veneno suæ perfidiæ circumpositas inficere moliebatur regiones & loca. Porro hujus author & caput videlicet Berengarius, cui plures Francorum, nonnulli quoque Normannorum plurimum favoris dependebant.* Sic igitur unus fuit, uti superiore Sæculo in Helvetia

Zwinglius, in Germania Lutherus. Sed perjurum fuisse ais. Si perjurus est, qui non rationibus convictus, sed intentato præsentis mortis metu subactus veritatem ejerat, atque metu sublato ad sanam mentem redit, & malè jurata non implet, tum Berengarius perjurus fuit, sed nullo cum præjudicio veritatis, & pœnitens. Qualia verò fuerint Concilia illa, quæ eum damnarunt, & quale juramentum, quod præstitit ille, ex formula ipsi conceptis verbis præscripta liquet. Sic autem illa habet: *Ego Berengarius &c. cognoscens veram Catholicam & Apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresin, præcipuè eam, de qua hactenus infamatus sum, quæ astruere conatur, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodo Sacramentum, & non verum corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, nec posse sensualiter nisi in solo Sacramento manibus Sacerdotum tractari vel frangi, vel fidelium dentibus atteri. Consentio autem Sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedi, & ore & corde profiteor de Sacramentis Dominicæ mensæ eam fidem tenere, quam Dominus & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc Sancta Synodus authoritate Evangelica & Apostolica tenendam tradidit, mihique firmavit, scilicet panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solùm Sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, & sensualiter non solùm in Sacramento, sed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi & fidelium dentibus atteri: jurans per Sanctam & homousion Trinitatem, & per hæc sancta Evangelia. Eos verò, qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus & sectatoribus suis æterno anathemate dignos esse pronuntio, &c. Lecto & perlecto sponte subscripsi.* Sic sponte subscribere solent, quibus Romanus ille Draco atramenti, vel sanguinis optionem dat. Ipse certè Berengarius domum redux Confessionem eam, non modò velut urgente mortis periculo extortam, sed etiam & falsam & absurdam ejeravit. Annon enim Tibi etiam, Redingi, talis videtur? Tune ausis profiteri, *panem & vinum post consecrationem non solùm Sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse?* Quæ verba quocunque sensu accipiantur, juxta vos falsa sunt. Si enim panis & vinum accidentia panis & vini notant (notare autem nequeunt, quia talia juxta vos etiam corpus & sanguis Domini non sunt) falsa sunt. Si substantiam panis & vini, juxta vos falsa sunt. Si substantiam panis & vini, quia talis erat, non est ampliùs; sensus ille verbis non congruit, & in juramento, in quo, ut Bellarminus *de Euchar. lib. I.* 5. loquitur, *confirmare non licet nisi sententias apertissimas & certissimas & quæ non possint in alium sensum torqueri, ne locus detur perjurio*, ambigua verba ponere nefas est. An præterea ausis juratò affirmare, *panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solùm Sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, & sensualiter, non solùm in Sacramento, sed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri?* An ergo juxta vos corpus Christi *in veritate* Sacerdotum manibus frangitur, & dentibus fidelium atteritur? Atqui *fractio*, sic Suarez *Disp.* 47. *S*. 4. scribit, *propriè & in rigore significat divisionem & discontinuationem partium, quam constat non fieri in partibus corporis Christi; & ita dicit Ecclesia: Nulla rei fit scissura, signi tantùm fit fractura.* An juxta vos corpus & sanguis Christi manibus Sacerdotum *sensualiter* frangitur, dentibus atteritur; adeóque fractio illa, comminutio, & attritio corporis Christi *sensibus* dignoscitur, deprehenditur? En igitur, cujus commatis fuerit ille, qui juramenti formulam præscripsit, Nicolaus Pontifex (*Pompificem* & *Pulpificem, Lanfranci infatuatione infatuatum* Berengarius vocavit) cum Romano suo Concilio.

cilio, cujus anathemati ipsi vos, seorsim utique sentientes, subjacetis. Sed *Adelman-*
nus, inquis, *aliique erroris Berengarium convicerunt.* Scilicet crassè errantes ipsi, uti
Confessio ostendit. Et primùm quidem ad solita Romæ argumenta, ignes & gladios
conclamarunt. Episcopus enim Leodiensis Epistola ad Henricum Regem, quæ *Biblioth.*
Patrum tomo 3. extat, sic scribit: *Fama supremos Galliæ fines supergressa totam Germa-*
niam pervasit, jámque omnium nostrûm replevit aures, qualiter Bruno Andegavensis
Episcopus, & Berengarius Turonensis aliquas hæreses modernis temporibus introducen-
do, astruant, corpus Domini non tam corpus esse, quàm umbram & figuram corporis Domi-
ni. Hujusmodi homines nequaquam oportet audiri, neque tam est pro illis Concilium
advocandum, quàm de illorum supplicio exquirendum. Paulò post: *Verè illi Concilii*
audientia deneganda est, & cum vestris, cùmque nostris Episcopis, cum amico vestro Impe-
ratore, cum ipso Papa, quæ vindicta in illos statuatur, deliberandum. Argumentis por-
ro Adelmanni, Sigberto teste, respondit Berengarius, *fastuoso stylo, non amici*
corrigentis benivolentiam, sed defendens suam de mysteriis Christi sententiam. Quæ
responsio suppressa quin solida fuerit, haud dubitamus, cum Adelmannus non solùm
levibus, sed etiam parùm cohærentibus argumentis eum impugnaverit. veluti cùm
scribit, *Dominum de pane dixisse: Hoc est corpus meum: naturam Christi humanam in*
Eucharistia circumscriptam esse: Christum in Sacramento certissimum sui pignus reliquis-
se. quod cum hypothesi eorum, qui corporalem præsentiam defendunt, parùm cohæ-
ret. Superest postremum intervallum, ubi transsubstantiationem jam in Lateranen-
si Concilio definitam esse, gloriaris. Hæc ergo dogmatis illius incunabula sunt? Cu-
jusmodi illud ævum fuerit, nihil attinet dicere. Nos verò de vera ejus origine plura *ad*
Sess. XIII. Quæst. III. arg. 10. diximus, & ante Tridentinum Concilium illud definitum
non esse, demonstravimus. Ibidem certè ipsemet confitebare, hæreseos damnari non
posse qui ante Concilium Tridentinum dixerint, post consecrationem manere adhuc
realitatem quampiam panis. Noveras nempe, plures in Ecclesia doctores perecelebres
ita sensisse. Idem porro Sacrificium reale, propitiatorium; & recordationis, comme-
morationis, repræsentationis esse simul non posse, sæpe jam ostendimus. Neque etiam
allegati à me doctores vestri simul propitiatorium, simul recordationis sacrificium
uspiam dixerunt. Tridentino Concilio mendacium cum veritate ferruminanti isthoc
εὕρημα acceptum referimus.

ARG. XII. Vera causa dogmatis blasphemi est partim, ut Sacerdotes, qui se Creatorem sui creare profitentur, potestatis suæ peristromata dilatarent; quod Gabriel Biel *Lect. 2 in Can. Missæ &c.* profitetur, asserens, *non voluisse Dominum aliquem habere potestatem solvendi & ligandi super corpus mysticum, seu ecclesiam, nisi haberet potestatem super corpus Christi; & Sacerdotes digniores esse Regibus, Angelis, B. Virgine Maria, quia Christum creant &c.* partim ut plebi obtruderetur preciosissimum Sacrificium, pretio maximo pro expungendis peccatis licitandum. Pro quo etiam dogmate tanquam pro aris & focis dimicant, haud ignari, si quæstuosum hoc & juge sacrificium cessaret, fore ut exsiccetur confestim stagnum, in quo Apocalypticæ ranæ liberiùs adhuc natant & clamosiùs coaxant.

Resp. Reding: 1. *Vera nobis dogmatis causa est veritas S. literis & Apostolicâ traditione nixa.* 2. *Biel conversionem novam creationem humanæ naturæ non absolutè spectatæ, sed quà existentis sub speciebus Sacramentalibus, dixit.* 3. *Quoad temporale lucrum, non aliud ex Missa speramus, quàm victum ex altari, cui inservimus. Pro his aris & focis fortiter pugnantes, verbum Dei propugnamus, & expugnatores ejus, novi Evangelii præcones, ceu ranas Apocalypticas, in stagno, in quod Bestiæ characterem habentes immissi leguntur, licentiosiùs natantes strenuè refutamus.* Ib. p. 278. Resp. 1. Nulla revelatione, sed sola Tridentini Concilii authoritate dogma vestrum niti, ex iis, quæ huc usque diximus, liquidò constat. 2. Qui naturam Christi humanam sive sub speciebus Sacramentalibus sive sine iis creat, is certè creat, adeóque ejus creator est. Annon enim naturam Christi humanam veram, non utique apparentem, phantasticam sub speciebus latere, severè pertenditis? De cœtero Bielis blasphemiam tacendo approbare videris. 3. Missam à vobis haberi quæstui, & eadem uti vos non ad victum velut ex altari aucupandum (quanquam ex altari peregrino victum quærere, imò Christum ipsum non triginta argenteis, uti olim Judas, sed juxta computationem Gallicam triginta nummulis æreis, neque tamen semel, sed quoties emptor occurrit, vendere facinus plenum *αἰχροκερδίας* & sacrilegæ impietatis est) sed ad Regales opes Sacerdotio vestro accumulandas, & nidorem culinæ, obstetricante inprimis Purgatorii fabula, suavissimè instruendum, alibi dedita opera demonstravimus. Paucis. Si missando quæstum sordidum præcipuè non intenditis, cur Missas privatas quæstuosas, quàm publicas non quæstuosas frequentiores; imò has cum illis comparatas ferè nullas habetis? Cur privatas Missas communicantibus orbatos, tanquam unicè salutares, sine fine & modo vestris commendatis; publicas non item? Cur publicis Missis tantundem efficaciæ pro singulis, quantum privatis pro singulis non tribuitis? An enim sanguinis Christi sacrificium publicè & sine pretio applicatum minorem efficaciam habet, quàm applicatum seorsim, & cum pretio? Sola Regina pecunia sacrificium primò propitiatorium; & mox privatum quàm publicum magis propitiatorium invexit. Cur pro divite, unctiores vos reddente, quàm pro paupere, qui reddere nequit, missatis crebriùs? Taceo innumera. Certè non sine causa jam olim Alvarus Pelagius *de Planctu Eccles. lib. II. art. 5.* Missas *quæstuarias* insignivit. Sed ain tu? Nos Missæ *expugnatores* à vobis strenuè refutamur? Pugnate, refutate pro extremis viribus. quia pugnam hanc foci vestri exigunt. Dummodo à nobis *expugnemini*, quæ vox non sine omine tibi excidit. De stagno vestro, noli metuere. Jam pridem illud sic implevistis, ranis illis similiores quàm ovum ovo; imò à Spiritu S. nota hac unicè insigniti, & publicè compuncti, ut nullus in eo nobis, æterni Evangelii præconibus, locus vel sit, vel esse debeat. In eo igitur liberrimè coaxando regnare pergite; & regnabitis, donec Deus justo judicio suo illud exiccaverit. Denique à stagno sulphuris metuendum maximè est Bestiæ & Pseudoprophetæ, qui ibi est, ubi Babylon; hoc est, vestris judicibus, Roma.

ARG. XIII. Sicut autem in reliquis dogmatibus, ita in hoc etiam, quod totius Papatus arx & acropolis est, non exiguus Pontificios inter Theologos dissensus est. *Cœna Domini* nomen Eucharistiæ dari posse, præfractè negat Maldonatus, Meurisse Franciscanus, alii; asserunt Catechismus Romanus, Baronius, Gregorius de Valentia. *Missæ* vocem esse originis

originis Hebraicæ, idem nempe quod מנח *oblatio*, ut Claudius de Saintes, Meurisse, aliíque pertendunt; at negant Vasquez, Matthæus Galenus Professor Duaci, alii. Quidam eam retulerunt ad hostiam *missam* à Deo; quidam ad Angelum à Deo *missum*; alii etiam ad ipsum Christum à Deo *missum*. Institutam esse Missam à Christo plerique asserunt. At id negant, & à traditione arcessunt Jansenius, Baronius, Georgius Ataides, Salmeron, alii. De ratione formali Sacrificii Missatici mirificè digladiantur. Azorius lib.X.19. variantes sententias colligit his verbis: *Sunt qui putant rationem sacrificii totam constitui in verbis, ceremoniis & ritibus, qui in consecratione adhibentur. Alii existimant, sacrificii rationem tribus Sacerdotis actionibus constare, consecratione, sumptione & oblatione. Alii sensêre, ad rationem hujus sacrificii quatuor, imò quinque actiones concurrere, consecrationem, oblationem, fractionem, sumptionem. Alii rationem sacrificii ponunt in duobus actibus, consecratione & oblatione. Alii dicunt, totam sacrificii rationem in una tantùm actione consistere, videlicet in oblatione. Alii constituunt totam rationem sacrificii in una actione, videlicet in consecratione.* En capitalem dissensum Cadmeorum fratrum in definienda ipsa natura, forma, essentia sacrificii Missatici. Sed & multa passim ipsi Adversarii dicunt, quæ cum Missatico hoc sacrificio ἀσύστατα sunt. Canon Missæ vocat *sacrificium laudis pro redemptione animarum.* Tridentini Sacrificium *verè propitiatorium.* Hæc vero sunt ἀσύστατα. Nam si debitor mille encomia in laudem creditoris texeret, non propterea vel pro debito satisfaceret, vel laudibus se redimeret. Deinde constans est Romanensium Theologorum sententia, Missam non ex opere operantis, sed ex opere operato, id est, vi nudæ actionis, non ex merito ejus, qui eam peragit vel audit, prodesse. Sic igitur incogitantes dicunt, dignitatem personæ Christi se ipsum offerentis in Missa nihil ad ejus effiaciam conferre. Christum non esse amplius in statu satisfaciendi vel merendi, Bellarminus *de Missa lib.II.2.* docet. Quomodo igitur Missa statui potest sacrificium redemptionis vel ἱλαστικόν? Idem Bellarminus Missam facit sacrificium *impetratorium*, sacrificium verò crucis meritorium & satisfactorium. Id si verum est, non plus tribuitur Missæ, quàm nudis precibus, quæ remissionem peccati suo sensu impetrant. Cúmque etiam Christus pro nobis oret in Cœlo, atque hæc ejus intercessio ad impetrationem sufficiat, cui bono is denuo in Missa sacrificatur? Et si *impetratorium* est, non *meritorium* hoc sacrificium, vim igitur habet ex opere operantis, non ex opere operato, cum ad impetrandum fides & virtus petentis sit necessaria. Accedit & illud, quòd virtutem sacrificii Christi in cruce peracti in Missa ap-

plicari nobis Tridentini *Cap.1.* ajunt. Quomodo igitur in Missa verum sacrificium est? Neque enim sacrificium sacrificio, emplastrum emplastro, mors morte applicatur. Denique Canon Missæ Sacrificium miris modis extollit. Contra Catechesis Tridentina *Cap. de Sacramento altaris* Eucharistiam minora tantùm peccata, & Bellarminus *lib.IV.de Sacram. Euchariſt.cap.17.18.* peccata jam remissa abstergere docent, videlicet ne Sacramento pœnitentiæ aliquid decedat. Ad dedecus etiam Sacrificii pertinet, quòd Missa ad sanationem equorum, ovium, ad depellendam à segetibus rubiginem, à vitibus pruinam, à porcis anginam adhibetur. Ne quid dicam de καπηλεία, seu nundinatione Missarum, quæ ejus honos & decus extremo ludibrio exponitur.

REST. REDING: 1. *Nomen Eucharistiæ passim Maldonatus usurpat.* 2. *De vocis Missæ origine dissensum frustra exprobras, quando de Divina ejus institutione nemo nostrûm ambigit. Nam etiam traditio originem suam à Christo habet.* 3. *Licet de ratione formali & essentia sacrificii non conveniat inter omnes; in iis tamen, quæ dogmaticè de hoc mysterio definita sunt, dissensus nullus est.* 4. *Non pugnat esse idem sacrificium laudis pro redemptione animarum; & propitiatorium. In Missa enim præter applicationem satisfactionis Christi reparandus etiam per laudes est honor Dei peccato læsus.* 5. *Missa non prodest ex opere operantis, nempe Ministri; prodest tamen ex opere operantis principalis causæ, Christi.* 6. *Licet Christus non ampliùs sit in statu merendi, mortis tamen meritum eo sacrificio applicatum, ei ex opere operato efficaciam redemptionis & impetrationis tribuit.* 7. *Preces impetrant gratiam intrinseca sua honestate, & orantis sanctitate: Missa verò ipsissimum Christi meritum applicat.* 8. *Christus in Cœlo orando Patri merita sua exhibet: simul Sacerdotis in terris constituti oblationi cooperatur, & eam Patri suo offert, meriti sui efficaciam eidem sic applicando.* 9. *Missa non tantùm habet immediatam ex opere operato virtutem tollendi peccata venialia; sed mediatè etiam ad peccatorum mortalium remissionem conducit. quod Trid. Concilium Sess.XXII. cap.2. definivit. Et Thomas in 4 Dist. 12. q.2. a. ait, Missam Peccata mortalia in iis, pro quibus offertur, delere, non sicut causam proximam, sed in quantum gratiam contritionis iis impetrat.* 10. *Sicut denique pro quovis temporali etiam malo Deum pro Christo citra ullum ejus dedecus deprecari licet: sic merita & satisfactiones ejus mediantibus fidelium precibus pro quibusvis etiam corporalibus malis, quæ peccatorum pœnæ sunt, adhibere licet. quod efficaciam satisfactionis ejus demonstrat, nullámque adeò dedecus ei infert.* Ibid. pag. 278--280.

Resp. 1. Non Eucharistiæ, sed Cœnæ nomen Missæ invidere Maldonatum, aliósque, reclamantibus aliis, diximus. 2. Vocis, qua tantum mysterium vestrum insignire soletis, etymon à vobis vel ignorari, vel studiis adeò pugnantibus disceptari, turpe nobis videtur. Institutionem verò ejusdem, quam Divinam nullam probare potestis, alii à Scriptura, alii à traditione arcessere soletis. Imò institutionem ejus Divinam necessariam fuisse, Gregorius de Valentia *de Missa lib.I.4.* negat. *Si maximè*, inquit, *cultus Missæ non institutus esset à Deo, concludi tamen non posset, illum non esse legitimum, cùm ad bonitatem cultus vel sacrificii minimè requiratur.* Ex Scripturis institutionem

Divi-

Divinam demonstrare non potestis. Ergo ad traditionem confugitis. Ita Jansenius *Concord. Evang. cap.31.* Baronius *A.55. fs.13.* Salmero *Disp.8. in Epist. ad Rom.* alii. Sed nec traditionem veterem Missæ, qualis à Concilio Tridentino definita est, favorabilem reperitis. Necessitatem igitur institutionis in dubium Valentianus vocavit. 3. Quidsi de Missa dogmaticè definitum nihil esset, uti ante posteriora Concilia vestra definitum nihil est? Tum ergo de tota Missa dubitare, & quodlibeticè disputare, adeóque pilam modò huc, modò illuc jactare licuit? Si qua tamen Conciliaris definitio requirebatur, quid magis definiendum fuerat, quàm in qua Eucharistiæ actione sacrificii essentia conspicua sit? 4. Missa vestra propitiatoria si sacrificium simul laudis est, quid ergo laudat? Propitiationem factam, an faciendam? Si factam, ipsa propitiatoria non est. Si faciendam, sacrificium laudis non est; quia non futura, sed præterita & præsentia laudantur. Sed honor, inquis, Dei læsus per sacrificium laudis reparari debet. Quasi quicquid in peccato est, perfecta propitiatione, quæ per sanguinem Christi facta est, non reparatum sit. Hunc igitur λατρευτικῶς in Eucharistia laudamus, adeóque sacrificium laudis non reale & externum, sed impropriè tale Deo offerimus. 5. Quomodo verò Missa non prodest ex opere operantis Ministri, seu Sacerdotis, quem Christum creare, quem Christum manibus suis offerre pertenditis? Quomodo sacrificium crucis à sacrificio Missæ ea etiam in re differre Bellarminus, Vasquez, Valentia, alii docent, quòd in sacrificio crucis Christus se immediatè obtulit, at in Missa se offert per manus Sacerdotis, quæ differentia ex personæ dignitate apertè petita est? Hoc ergo opus Sacerdotis creantis, offerentis nihil operatur? Nihil certe, ac proin merum Missa vestra ludibrium est, quæstus vestri gratia inventum. De cætero non tangis vim argumenti. Nam si Missa prodest tantùm ex opere operato, non operantis, utique etiam Christum operantem juxta vos principalem excluditis. Revera excluditis. Et opus illud operatum vobis nuda actio est, in qua non requiritur vel fides, vel pietas, vel attentio ejus, qui offert, vel pro quo offertur. Prodesse enim Missam cantatam ab homine profano, aut pro homine nullam fidem aut devotionem afferente, modò ne data opera obluctetur, obicem ponat, & Missam aversetur, inter κυρίας vestras δόξας est. saltem per modum impetrationis, quia per Missam ei impetratur donum contritionis, per quam peccator instigatur ad agendam pœnitentiariam satisfactionem, petendámque absolutionem. Qua etiam ratione dogma illud de opere operato Missæ evertitur. Nemo enim quicquam à Deo impetrat, nec cujusquam postulatio Deo accepta est, si careat fide & pœnitentia. Idque eandem agnoscit Bellarminus *de Missa Lib II.4.* sic scribens: *Sacrificium cùm ad impetrandum tendat, & simile sit orationi, sine dubio placere non potest, nisi placeat offerens.* Valet ergo ex opere operantis. Hæc ἀνακόλουθα vestra est. 6. Cùm Christum non amplius esse in statu merendi, fatearis ipse, quomodo igitur in Missa est sacrificium redemptionis, quod sine merito & satisfactione nullum est. At applicat tamen, inquis, meritum. Non igitur sacrificium redemptionis est, quia res applicata & applicans realiter distinguuntur, & tempore differunt. Quis enim applicando sibi alienam redemptionem, meritum, satisfactionem, sacrificium, dici potest propriè se redimere, mereri, satisfacere, sacrificare? Quid quod applicatio hæc fit Sacramento Eucharistiæ sine sacrificio? *Panis enim, quem frangimus, est communio corporis Christi*, 1.Cor.X.16. Quæ applicatio longè certè nobilior est, quandoquidem in Sacra Cœna pii apprehendunt fide Christum mortuum pro omnibus nostris peccatis in pretium æternæ redemptionis. At illi censent Missam ap-

plicare nobis beneficium Christi tantùm ad remittendam aut minuendam pœnam temporalem,quæ post remissam culpam remanet. Hinc est,quòd Missæ canuntur pro animabus purgatorii, quarum culpam omnem remissam esse ajunt. 7. Cui verò bono applicatio crucis per Missam, sacrificium & ipsum propriè dictum,si nec Missa propriè,quod Bellarminus fatetur, meretur & satisfacit,sed tantùm impetrat; cùm intercessio Christi in Cœlo pro nobis orantis ad quidvis impetrandum haud dubiè sufficiat? Nam vel hæc ad applicationem & impetrationem insufficiens, vel non necessaria est. Prius blasphemum; posterius igitur verum est. 8. Nam sic Christum in Cœlo pro nobis orare, & orando cuncta nobis impetrare,ut simul in terra Sacerdotis oblationi cooperetur, eámque Patri suo offerat, non Scripturæ effatum, sed sacrificuli, suo honori cum dedecore Christi veri Sacerdotis, qui solus & semel se obtulit, solus torcular iræ Divinæ calcavit, impium commentum est. Cùm enim Christus semel in cruce mortuus,potestate meriti in Cœlo jugiter pro suis intercedendo, nihil non impetret,nec alia omnino oblatione, nedum divisa Christum inter & Sacerdotem in offerendo operatione,opus est. 9. Ne sacrificio Missæ Pœnitentiæ Sacramentum everteretur, necesse fuit vobis efficaciam Missæ immediatè & proximè ad peccatorum duntaxat venialium remissionem coarctare. Sed hoc vile videri poterat, inprimis cùm peccata venialia cerebri humani commentum sint. Ergo Thomas, aliique Scholæ vestræ doctores etiam peccata mortalia per Missam abstergi mediatè, quatenus per eam impetratur contritio,quæ in Pœnitentiæ Sacramento remissionis causa statuitur,scisceunt. Quomodo verò sic sacrificium erit reale & propitiatorium pro peccatis vivorum & mortuorum? Nam si contritionem tantùm Missa impetrat, non ipsa utique propitiat. Et cùm in Eucharistia corpus Christi datum, hoc est, juxta vos,oblatum sit ad remissionem peccatorum,illa ibi peccata remittuntur, pro quibus corpus Christi datum est? At datum est haud dubiè pro mortalibus, saltem, juxta vos, primariò. Quin Missæ vestræ ἀδυναμία nullo certiori argumento cognoscitur. Nam peccata mortalia per se non propitiat. Venialia nulla sunt. Nihil ergo propitiat; similis amuletis muliercularum, quæ nulli rei prosunt. 10. Suaviter verò insaniunt, qui Missas pro equis, porcis, segetibus, litibus, morbis, aliísque beneficiis temporalibus impetrandis celebrant. Tametsi enim temporalia quæque,quatenus & quando saluti nostræ conducere videtur, precibus implorata,si Deo videatur ad salutem nostram conferre, impetrantur; & preces medium Divinitus institutum sunt ad impetranda bona temporalia & spiritualia, neque aliter quàm per & propter meritum Christi, qui & corporis & animæ nostræ Salvator est; Christus tamen, ex cujus solius institutione & promissione res pendet,Eucharistiam instituens horum non meminit; sed solius remissionis peccatorum, Matth. XXVI.28. Sacrificia quidem sub lege oblata esse ad impetrationem bonorum etiam temporalium agnoscimus. Sed ita fiebat tum, quia bona temporalia præcipuè Judæis, ut figura & pignus rerum cœlestium & spiritualium promissa sunt. quod de terra Canaan inprimis ex Genes XVII. 8. colligitur. Frustra etiam liturgiæ Basilii & Chrysostomi, in quibus preces inveniuntur pro terræ proventu,& pro felicitate Imperatorum obtenduntur. Nam si quid à Deo in liturgia petitur, non necessum est, ut pro ejus adeptione Christus sacrificetur,aut sacra Cœna celebretur. Sed hanc latissimam sanè fenestram ad turpem nundinationem Satan aperuit. Nam ob id ipsum Magistri nostri Missæ efficaciam ad tam multa extenderunt, ut quasi sagena latiòr plura converreret. Inde Missæ privatæ,certissimum Presbyterorum aucupium, quas singuli pretio redimunt, ut pri-

privatis incommodis medeantur. Et tamen Missarum ejusmodi quamvis pretio redemptarum efficacia nulla est. Cùm enim dicuntur Missæ pro ægritudine viventium, vel hominum vel animalium, aut successu negotii alicujus, persæpe accidit, ut frequentatis etiam, imò fere sine numero dictis Missis, successus non respondeat, adeóque pecuniam circa Missæ emptionem frustra collocatam esse, experimento cognoscatur. Nam & sæpe liberantur à morbis non solùm pauperes, sed etiam Missæ contemptores, qui circa Missas impendium nullum fecerunt. Neque si quis post Missam solutam convalescat ex morbo, iccirco id Missæ efficaciæ adscribendum venit. Non enim si post hoc, ergo ob hoc. Regnant haud raró fallaciæ causæ. Neque est ut regeras, sæpe ægrotos mori post preces pro iis in Ecclesiis nostris conceptas. Has enim preces non vendimus nos; nec eas Deo offerimus in pretium redemptionis, aut sacrificium propitiatorium, quale Missant illi faciunt. Emptori enim post solutum pretium non tradere rem emptam, & inhumanum, & injustum est.

ARG. XIV. Ad extremum mille absurditatibus & contradictionibus Missaticum sacrificium scatet. In eo nempe videas sacrificium *externum & non externum*, quia hostia vera non videtur: *sanguinem fundi*, quod in omni sacrificio requiritur, & *sanguinem non fundi*, quia incruentum esse docent: *corpus verum* Christi offerendum quippe Deo Patri, & *corpus non verum*, quippe invisibile, haud palpabile, circumscriptum, extensum, adeóque spirituale: *Sacrificium crucis & Missæ numero idem*, & tamen *non eandem* hostiam, actionem aut passionem: *destructionem* simul & *non destructionem* rei oblatæ, quippe juxta illos non desinit esse simpliciter, sed tantùm sub speciebus: *Sacerdotes* & *non sacerdotes*, quippe qui vero altari, vera victima destituuntur: *Christum semel oblatum*, qui tamen identidem offertur, nec desinit ante finem seculi offerri: *Sacrificium infiniti valoris*, quod tamen *valorem nullum* nisi millies milliésque repetitum habet: *Christum pro aliis ad auferenda eorum peccata se offerentem*, & tamen oblatum ab alio, ad auferenda peccata jam ablata & remissa, perinde ac si Christus Dominus dignitatem demum reciperet, ut acceptetur è manu hominis, pro quo, si bene cum ipso agitur, se sanctificavit: Morientem *semel*, & *singulis diebus* morientem Christum: *ad dexteram Dei sedentem*, *in Sanctum Sanctorum intrantem, jugitérque se Deo Patri ἐμφανίζοντα*, & tamen tanquam *victimam* quotidie in terris patientem: Christum in cruce clamantem τετέλεσται, *consummatum est*, & tamen *non consummatum* ante finem Seculi. Alia ejusdem incudis portenta, quibus Ethnicis, Judæis & Muhammedanis Sacrosancta Cœnæ Mysteria deridenda & detestanda proponuntur, silentio involvimus.

RESP. REDING: 1. *Sicut Ethnicis, Judæis & Turcis, rationi suæ confisis, talia stulta putantur, & offendiculo sunt: ita vos Cœnæ Christi mysterium hoc non ex Dei verbo, lumine fidei, sed naturali intellectus mensura dimetientes, absurditates & contradictiones*

fingitis, ubi earum ne umbra quidem est. 2. *Annon enim sic etiam illudere liceret Baptismo, in quo est aliquid externum & non externum; planè sicut in Missa species Sacramentales externæ, corpus sub speciebus contentum non externum.* 3. *In Missa effusio sanguinis est non physica, sed mystica & repræsentativa.* 4. *Corpus Christi sic præsens realiter offertur, ut tamen ob accidentia supernaturalia eum statum obtineat, ut nec palpabile, localiter extensum, nec quoad substantiam, vel connaturales proprietates spirituale sit.* 5. *Neque pugnat, crucis & Missæ sacrificium spectata formalitate Divini dominii, per Christi immolationem recogniti, idem quoad speciem; spectata hostia utrinque oblata, idem numero; considerata physica actionum sacrificandi entitate, secundum quam in crucis sacrificio sanguis effunditur, in Missa sanguinis effusio repræsentatur, idem genere esse.* 6. *In sacrificio crucis destructio physica; in Missa ejusdem memoria, & destructio & esse Sacramentalis obtinet; in illo in semetipso, in hac sub speciebus Sacramentalibus offertur.* 7. *Valor Missæ in se infinitus, ex singulari dispositione Divinæ providentiæ, non statim effectum sortitur, sed iteratione indiget.* 8. *Neque Christi mortem quotidie repeti dicimus, sed ejus memoriam, nec sterilem illam, sed crucis Christi merita virtualiter in se continentem.* 9. *Christi vox, Consummatum est, probat tum veteris testamenti, tum redemptionis nostræ consummationem; quæ in Missa jugiter applicatur.* Ib. pag. 280--282. Resp. 1. Frustra nobis *verbum Dei, Fidei lumen* occinis, cùm Divinum Missæ mandatum nullo rationis vel revelationis apice demonstrare potueris, atque hæ ipsæ antilogiæ & absurditates, sanæ rationi, quæ Divinæ lucis, cum revelationis lumine ubique consona, nullibi repugnans scintilla est, omni adversantes, non vos Dei, sed Papæ solius verbo, non Divinæ, sed humanæ & cæcæ fidei lumine recepto inniti, clarissimè arguunt. De cætero veritatem cum falsitate sic temperare & commiscere necessium habuistis, ut apud Christianos, ægrè à Christo solo se divelli patientes, fidem dogma vestrum inveniret. Sic Apoc. XIII. 11. Bestia inducitur, habens cornua duo, similia cornibus Agni, & loquens, ut Draco. Conciliationes porro tuæ ex iis, quæ dicta sunt, & quæ dicenda restant, nullo negotio solvuntur. Age tamen, defungamur & hic paucis. 2 Quid quæso Baptismo cum Missa? Ibi utique est elementum externum & gratia interna, realiter distincta. Hic vero sacrificium reale fingitis, quod si reale est, externum & visibile sit oportet. Et tamen nemo illud vidit unquam. Simul ergo idem, nec à se, nec ab alio distinctum externum est, tanquam sacrificium reale; simul non externum, quia h stia nullos in sensus incurrit. Species enim Sacramentales sacrificium juxta vos non sunt, sed continent. 3. Effusio sanguinis mystica, hoc est, repræsentativa sacrificialis vera non est, sed sacrificiali posterior; sicut homo pictus homo non est. Ex hominum arbitrio non pendet, ut sacrificii naturam mutent, & sacrificium esse propitiatorium illud dicant, in quo cruor nullus conspicuus est, quia hoc modo sacra & inviolabilis Dei institutio concideret. Firmum semper est Apostoli Hebr. IX 22. principium, requiri sanguinis effusionem, ut remissio, adeóque etiam propitiatio locum habere possit. 4. In corpore Eucharistico, hoc est, in Eucharistia per externa symbola repræsentato nec naturale accidens ullum, quale extensionem & localitatem esse, supra ostendimus, deficit; nec supernaturalia accidentia humani corporis statum mutant, ut jam sive quoad substantiam, sive quoad essentiales proprietates, sive quoad modum essendi in loco spirituale censeri possit. 5. De identitate sacrificii crucis & Missatici ex professo infra. Interea eidem sacrificio diversas adeò formalitates induere, ut quoad rem idem, à se ipso tamen & numero, & specie, imò etiam genere, uti supra *pag.* 273. affirmaveras, discrepet,

per, portento simile est. Nam differentia generica quidem & specifica essentialis haud dubie est, numerica etiam individualis qualis inter individua separata intercedit. Sic ergo quæ genere, specie & numero differunt, eadem tamen numero esse possunt. Quæ insanior contradictio est? 6. Destructionis memoria & repræsentatio nec physica destructio est, nullis in sacrificio requiritur; nec sacrificialis ullo modo. Desitio quoque esse Sacramentalis relationem mutat, non essentiam; sine cujus mutatione sacrificium nullum constat. 7. Valor sacrificii infinitus nulla dispensatione finitus evadere potest, sicut creator per nullam dispensationem creatura evadere potis est. 8. Memoria mortis Christi nulla sacrificium propitiatorium esse potest, quia sacrificium tale mortem & sanguinis effusionem essentialiter requirit. 9. Denique ubi redemptio & peccatorum remissio consummata est, nulla ibi hostia realis ulterius locum habere potest, juxta verba Apostoli Hebr. X. 8. Ὅπου ἄφεσις, οὐκ ἔτι προσφορὰ περὶ ἁμαρτίας. *Ubi remissio* (adeoque redemptionis consummatio) est, *ibi nulla amplius oblatio pro peccato est.*

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Christus fuit sacerdos secundum ordinem Melchisedeci. Sicut igitur Melchisedecus panem & vinum obtulit, ita Christus, ut se Sacerdotem secundum ordinem Melchisedeci in æternum constitutum declararet, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit.* Est argumentum Concilii Cap. I. Atque illud etiam verbosè amplificat A. Reding Dissert. VIII. 3. & 4. Summa huc redit, *proprium sacerdotii Melchisedeci actum fuisse offerre panem & vinum, uti arguat sequens ratio:* Erat enim Sacerdos altissimi, *quam causalem esse probat tum ex eo, quòd Patres agnoverint, Melchisedecum sacrificasse panem & vinum, veluti Cyprianus Epist. 63 Epiphanius hær. 55. Hieronymus Epist. 17. ad Marcellum cap. 2 Chrysostom homil. 35. in Genesin. Augustinus in Psal. 33. ubi inter alia habet Christum de corpore & sanguine suo instituisse sacrificium secundum ordinem Melchisedeci: tum ex eo. quòd in Hebræo occurrat copulativa Vau, quam causalem quandoque esse probat ex Genes. XX. 3. Es. LXIV. 5. tum ex eo, quòd veteres Rabbini Samuel, Rabba, Phinces, Moyses Hadarsan, eodem modo intellexerint. Cùm igitur Christus sit Sacerdos secundum ordinem Melchisedeci in perpetuum, oportere ut habeat etiam tanquam perpetuus Sacerdos sacrificium perpetuum, hoc est, cum perpetuo ecclesiæ statu connexum, quod Daniel. XII. 7. appellatur Sacrificium juge. Tale autem non fuisse Sacrificium Christi in cruce peractum, utpote formaliter non perpetuum, nec connexum cum perpetuo ecclesiæ statu, sed Sacrificium incruentum formaliter importans corporis & sanguinis Christi, sub panis & vini speciebus oblationem.* Resp. I. Ad argumentum hoc in ipso Concilio respondit Georgius Ataide Lusitanus, *Christum esse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedeci, quatenus unicus esset & æternus, absque decessore, sine patre, sine matre, sine genealogia. Id ex epistola ad Hebræos luce clarius evadere, ubi Paulus eam rem ubertim tractans, Sacer-*

doti

dotii æternitatem & singularitatem exponat, panis autem & vini non meminerit. Et ne idem ipsi objiceretur, quod Cl. Vedrosio objectum est ab antagonista, argumentum esse negativum, subjicit, *doctrinam esse Augustini, ubi proprius est & accommodus ad dicendum aliquid locus, neque tamen quidquam ejus dicitur, tum argumentum inde peti posse ab authoritate negativum.* 2. Largiamur, Melchisedecum obtulisse panem & vinum. Potuit illa oblatio esse non principale sacrificium, sed ἐπίμετρον duntaxat & προσθήκη, qualis fuit olim panis & vini oblatio Sacerdotibus Levitis Exod. XXIX. præscripta, quam Bellarminus fatetur non principale sacrificium fuisse, sed accessoriam ejus partem & condimentum. 3. Imò Sacrificii à Melchisedeco pro Abrahamo oblati genus & materiam suggerit mentio מעשר מכל *decimarum pro omnibus*, quas Abrahamus pependisse recitatur Genes. XIV. 20. Si Abrahamus & in lumbis ejus Levitæ decimas dederunt ex omnibus, consequitur ex lege Levit. XXVIII. 32. Melchisedecum etiam tanquam Sacerdotem altissimi ex manibus Abrahami accepisse decimas Boum, ovium & caprarum, adeóque ex illis Deo obtulisse sacrificium Eucharisticum simul & propitiatorium, in cujus acceptatione Divina haberet benedictionis, qua ipsi Melchisedech sacerdos altissimi benedixit, Sacramentum. 4. Productionem illam vel oblationem munerum illorum panis & vini non fuisse sacrificium oblatum ex pane & vino, sed honorarium quoddam & veluti Xenia Melchisedeci, quibus is testatus est lætam congratulationem de victoria ab Abrahamo reportata, fusè probatum dedi *Histor. Patriarch. Tom. II. Exercit. II. 22.* ubi etiam verbum הוציא Vulgato, LXX. Interpp. reddentibus disertè ἐξήνεγκε αὐτῷ *protulit ipsi* (Abrahamo, non Deo,) Onkeloso, Samaritano, Syro & Arabi notionem habere *producendi* simpliciter, non *offerendi* ostendi. Allegare possem Papistas ὁμοψήφους complures, inprimis Cajetanum, Andradium Tridentinæ Synodi hyperaspisten, & Vatablum, qui notat, Melchisedecum quâ *Regem* Abrahamum & ejus comites hospitio excepisse, pane ac vino aluisse, qua *Sacerdotem* eidem benedixisse, & decimas ab eo accepisse. Quam annotationem Index Sandovalianus expurgavit. 5. Neque obstant verba והוא כהן. Primò enim, esto, causalia sint, & retineatur vulgata versio: *Erat enim Sacerdos Dei Altissimi.* Quid obstat quò minùs ad sequentem potiùs actum *benedicendi*, quàm sacrificandi referatur? Etenim benedictionis expressa mentio est, oblationis verò nulla. Neque etiam Paulus alium actum Sacerdotalem quàm *benedictionem* memorat. Deinde ut particulam *Vau* causalem dicamus, nulla ratio est. Græci reddunt: ἦν δ' ἱερεύς, *erat autem Sacerdos.* Ita etiam Epiphanius, Hieronymus, eósque secuti

Caje-

Cajetanus & Vatablus Hebraicæ Linguæ callentissimi, qui plus fidei merentur quàm mille Monachi linguarum rudes. Fatemur, copulam *Vau* alicubi etiam αἰτιολογικὴν esse. Sed hoc loco esse minimè constat, quia in præcedentibus sacrificii mentio non est, adeóque actus præcedentis causa reddi non potest. 6. Ad Patres & Rabbinos frustra provocat Adversarius. Nam Patres quod attinet, plerique, nominatim Clemens Alexandrinus *lib. IV. Strom. pag.* 603. Ambrosius *de Sacram. lib. IV.* 3. Tertullianus *adversus Jud. cap.* 3. Chrysostomus *in Genesin homil.* 35. Epiphanius *hæres.* 55. Damascenus *lib. IV.* 14. docent, Melchisedecum non Deo, sed Abrahamo obtulisse panem & vinum. An igitur Abrahamo sacrificavit? Sed Abrahamo pariter atque Deo obtulisse Melchisedecum argutatur A. Reding, *quia olim moris erat, ut post oblationem Deo factam, alii etiam rei oblatæ fierent participes* p. 499. Egregiè videlicet! Nempe si iis, qui ex victima comedere sueverunt, ipsa victima oblata uspiam in Scripturis dicitur. Hoc priùs, Redingi, demonstra. Neq; diversum docuit Augustinus, sive author Quæstionum ex utroque Testamento mixtim, cujus verba sunt p. 186. *Obviavit Melchisedec Sacerdos Dei summi Abrahæ revertenti à cæde Regum, & protulit panes ac vinum, & obtulit Ei, & benedixit eum.* Alibi quidem *lib. Quæst.* 9. 60. aliud dicere videtur vulgata ejus lectio, quæ ita habet: *Ut illud quod Melchisedec obtulit Deo, jam per totum orbem &c.* Neque aliud evincere potest Adversarius ille Dipnosophista ex verbis Augustini de C. D. lib. XVI. 22. *Ibi primùm apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis offertur Deo toto orbe terrarum &c.* Sensus enim S. Patris, uti plura ejus loca similia demonstrant, est, in productione panis & vini, tanquam simili & præludio quodam apparere *Sacrificium, quod nunc à Christianis offertur.* Eucharistiam ita nuncupat more sensúque veterum, non Pontificiorum, quam illa productione panis & vini à Melchisedeco facta adumbratam innuit. Patres nempe solent ad hoc Melchisedeci factum alludere, non ex eo quidquam concludere. Conferunt Melchisedeci donaria cum Cœnæ Symbolis, non inde inferunt carnale aliquod Missæ Sacrificium, uti Hospinianus *Histor. Sacram. lib. V.* 13. & Mornæus *de Euchar. lib. III.* 2. irrefragabilibus testimoniis demonstrant. Rabbinos porro Adversarius, Galatinum & Genebrardum secutus, frustra etiam in subsidium vocat. Etenim Lyra Judæos reprehendit, referentes panem & vinum ad Abrahæ refectionem. Et Rabbini ab aliis allati pro more ἀλληγορουμένως panes propositionis seu facierum respiciunt. Ne dicam, Galatinum & Genebrardum in citando Mosis Hadarsan testimonio sibi parùm constare. 7. Et quæ tandem sacrificium inter Melchisedeci & Missaticum similitudo? An sicut in hoc

fingunt, etiam in illo facta est rei oblatæ mutatio substantialis? Et quidem manentibus solis accidentibus panis & vini? Cur Apostolus sacrificium Melchisedeci ad Missæ hoc sacrificium non transtulit? Annon in ea præcipua similitudinis ratio sita fuisset? An etiam Melchisedecus Sacerdotes habuit, sicuti fingunt Christum habere? Et tamen ille mortalis erat; hic verò potentia vitæ indissolubilis præditus, ut sacerdotium ejus morte interrumpi nequiret. 8. Si sacrificium crucis non fuit *formaliter* perpetuum, & cum statu perpetuo ecclesiæ connexum, sacrificium contra Missaticum tale est, uti Adversarius arguit, quo pacto igitur verum est, quod Tridentini *cap.2.* dicunt, *unam eandémque esse hostiam, eundem nunc offerentem Sacerdotum ministerio, qui se ipsum in cruce obtulit?* Christus tanquam Sacerdos & Pontifex confessionis nostræ non tantùm animam suam posuit sacrificium, sed etiam post resurrectionem sub eadem Sacerdotis *forma* ingressus est non in sacrarium manufactum, sed ipsum Cœlum, *νῦν ἐμφανισθῆναι τῷ προσώπῳ τοῦ Θεοῦ ὑπὲρ ἡμῶν, ut nunc appareat apud faciem Dei pro nobis*, ad intercedendum nempe & benedicendum nobis, Hebr. X. 24. Qui proinde quamvis mortuus, vivit tamen Sacerdos secundum potentiam indissolubilis vitæ, altior Cœlo, habens Sacerdotium ἀπαράβατον, cui æquè ac Melchisedeco non succeditur. Quomodo igitur sacerdotium ejus *formaliter* etiam perpetuum, & cum perpetuo ecclesiæ statu connexum fore negat ille, nisi quotidie in terris Christus sacrificetur? Et si *formaliter* perpetuum esse debet Christi sacrificium, ita nimirum ut identidem reperatur & quotidie offeratur Christus, sacrificium tale non erit secundum ordinem Melchisedeci, sed Aharonis, & necessum erit Christum quotidie mori, mactari, crucifigi, neque adeò sacrificium crucis Christi *formaliter* temporale perfectum & πλειωτικὸν fuerit, quippe quotidianæ repetitionis indigum. Cúmque sacrificium crucis Christi semel peractum valuerit etiam ad expianda peccata V. T. etsi nullum ibi reale sacrificium fuerit, cur non illud ipsum quoque connexum fuit cum perpetuo statu ecclesiæ Nov. Test. etsi quotidie non continuetur? Scilicet minor vis mortis Christi se in ecclesiam N. T. hodie diffundit. Apage quæsitissima hæc sophismata & blasphemias! Perpetuum igitur est sacrificium crucis, tum quoad separata sacerdotis exercitia, tum quoad commemorationem, tum quoad infinitum effectum. Aliter perpetuari & cum ecclesiæ statu connecti debuisse Adversarius ille demonstrare, non supponere debuit. Nam ex Dan. XII. 11. 31. ubi auferendum dicitur התמיד *juge* puta sacrificium, seu ἐνδελεχισμός, semper futurum esse in ecclesia externum sacrificium, probari haud potest. Potest enim speciei nomine genus, cultus Divinus intelli-

intelligi: vel abolitio illa referri ad desolationem ecclesiæ Judaicæ sub Antiocho, vel ad excidium Hierosolymitanum, uti omnes Patres faciunt.

EXCIP. REDING: 1. *Georgio Ataidi injuriam fieri, ex Pallavicino disce.* 2. *Cùm Christus sit Sacerdos æternus, Sacerdotium igitur ejus morte ipsius extinctum non est, adeóque durare, & ei sacrificium aliquod respondere debet, quia Sacerdos sine hostia nullus est, Hebr. V. 1. Tale autem sacrificium non est sacrificium crucis, utpote semel consummatum, & formaliter transiens, neque nisi in valore meritorum ejus virtualiter durans.* 3. *Licet autem Paulus Hebr. VII. expressè non meminerit panis & vini, tamen reducendo Hebræos ad figuram sacrificii Melchisedeciani, in Christo eatenus impletam, ut sacrificii ejus æternitas secundum ordinem Melchisedeci subsistere debeat; eo ipso implicitè & virtualiter Eucharistiam Christi sacrificium exponit.* 4. *Sacrificium Melchisedeci non tantum accessoriè, sed principaliter importabat eam oblationem, quæ erat figura sacrificii perpetuo Christi Sacerdotio respondentis. Principaliter ergo in oblatione panis & vini subsistit.* 5. *Abrahamus Melchisedeco dedit decimas animalium quorundam. Sed ex decimis illis sacrificium Melchisedeci constitisse, ubi historia testis est?* 6. *Melchisedecus sive dicatur protulisse sive obtulisse, parùm refert, quia dicitur seu protulisse, seu obtulisse tanquam Sacerdos Altissimi. Et potuit hoc ipsum sacrificium fieri in congratulationem victoriæ ab Abrahamo reportatæ.* 7. *Benedictio Genes. XIV. 19. descripta non habuit rationem sacrificii, quale tamen in omni Sacerdotio requiritur. Ergo causalis illa non ad benedictionem, sed ad præcedentem oblationem referri debet. Et Paulus Hebr. VII. tres illos actus, videlicet occursum Melchisedeci Abrahamo factum, benedictionem & decimationem Abrahami, memorans, eosdem cum ejus Sacerdotio conjungit, & in primo super oblatione panis & vini reflectit.* 8. *Clemens Alexandrinus Strom. lib. IV. dicit, Melchisedecum dedisse sanctificatum panem & vinum nutrimentum in typum Eucharistiæ. En sanctificatum, scilicet à Sacerdote, adeóque in sacrificium priùs oblatum! Ambrosius de Sacr. lib. IV. 3. Melchisedecum offerentem panem & vinum, fuisse authorem Sacramentorum Christianorum, & sic offerentem similem per omnia fuisse filio Dei, asserit. Quin & cap 6. inducit Sacerdotem in Sacrificio Missæ sic orantem: Precamur, ut hanc oblationem Deus suscipiat, sicut suscipere dignatus es sacrificium, quod tibi obtulit Melchisedec. Epiphanius loc. cit. scribit, quando Melchisedec Abrahæ proposuit panem & vinum, fuisse præfigurata mysteriorum ænigmata & exemplaria, cùm Dominus noster dicat: Ego sum panis vivus &c. Chrysostomus homil. 35. in Genesin panem & vinum Abrahæ oblatum fuisse typum, & sic initia futura præsignata esse &c. Neque obstat, quòd Abrahæ oblata dicuntur illa munera. Nam sensus est, priùs sanctificata, hoc est, Deo oblata; & post Abrahæ collata esse. Duæ ergo juxta Augustinum. lib. Quæst. 60. & Auth. Quæstionum utriusque Test. erant oblationes panis & vini; altera posterior, Abrahæ; altera prior Deo facta. Pickerellus author prohibitus est. Si tamen maximè in verbis Augustini ejus interpunctio recipiatur, manebit, sacrificium illud in toto orbe Deo offerri, quod præfigurative Melchisedec obtulit.* 9. *Rabbini in libro Beresith Rabba Samuel, Phinees, Moses Hadarsan, disertiores sunt, quam ut eos torquere liceat. Sed & Nicolaus Lyranus in Genes. XIV. multis argumentis adversus Judæos recentiores probat, panem & vinum in sacrificium, non in refectionem prolata esse.* 10. *Similitudo sacrificii Melchisedeci & Missæ est in materia panis & vini, & generica sacrificii ratione. Differunt tamen in specifica ratione, quia in illo figura fuit, in hoc veritas est.* 11. *Melchisedeci in ter-*

ris adhuc agentis præfigurativum Sacerdotium unius & solius illius personæ cohærebat: Christi verò in Cælum evecti Sacerdotium æternum ad perpetuum Ecclesiæ statum sese extendit, ac proin vicariis indiget. 12. *De Sacrificii crucis ratione formali fuit, ut reali morte constaret; de Missæ verò, ut repræsentatio esset. Illud formaliter semper peragi, & cum perpetuo Ecclesiæ statu conjungi non potuit: hæc potest. Et tamen eadem utrobique hostia est, uti Concilium rectè statuit, differens ratione tantùm modi, per quem in cruce sub propria corporis & sanguinis figura; in Missa sub aliena panis & vini specie sacrificatur.* 13. *Sacerdotii qua talis formaliter spectati ratio est essentialiter correlativa ad sacrificium. Ergo Sacerdotium in se ipso perpetuum, nequit tamen in ordine ad perpetuum Ecclesiæ statum denominari formaliter æternum, nisi pro ista etiam Ecclesiæ perpetuitate juge sacrificium respiciat. cujusmodi non est sacrificium in cruce peractum, utpote quod virtualiter tantùm per merita perseverat, sed Eucharisticum, Christi secundum ordinem Melchisedeci æterno Sacerdotio respondens.* 14. *Cùm meriti in cruce peracti valor infinitus sit, quotidiana ejus repetitione, qualis in Sacrificiis Aharonicis erat, opus non est. Sufficit in Missa applicationis quotidiana reiteratio. Sic Christus Sacerdos in Cælo jugiter nobis benedicet, non sacrificii indigentiam supplendo, sed meritorum ejus infinitam virtutem applicando.* 15. *Ex Augustino, de Civit. D. lib. X. 8. aliisque Patribus liquet, sacrificium juge Danielis esse Missam, Antichristi tempore abolendam. Neque enim in Ecclesia Christi aliud sacrificium juge ostendi potest. Et Propheta loquitur de uno solenni sacrificio. qualia non sunt spiritualia sacrificia.* quæ etiam *Antichristi tempore non cessabunt, cùm multi fideles in fide & charitate perseveraturi sint.* Id. ibid. pag. 282.-290. Resp. Si tam flagrante veritatis amore ducereris, Redingi, quàm pertinax studium apertissima quæque obscurandi vel eludendi te abripit, non ita magno conatu & industria magnas nugas ageres, & veritatis vento occlamares. Quicquid autem ingente labore satagas, frustra te exemplo Melchisedeci ad impietatem Missæ, qua tum intolerabili blasphemia Christum, unicum Ecclesiæ Sacerdotem, Sacerdotes (ac si mortuus vel nullus esset) ei substituendo, afficitis: tum Christi crucem, altare novum erigendo, evertitis: tum mortem Christi, testamentum ejus obliterando, & Christum, quantum in vobis est, iterum mactando, ex memoria hominum excutitis: tum mortis Christi fructum, novam in Missa redemptionem proponendo, fidelibus præripitis: tum denique Cœnam, in qua Dominus passionis suæ memoriam insculptam formatámque reliquerat, erecta Missa, è medio tollitis; tegendam armas. Quod vel unum argumentum illud, quòd S. Paulus, mysterium Melchisedeci universum ad Christum transferens, Missam vestram ne minimo quidem apice tangit, potenter evincit. Nam qui Sacerdotium Melchisedeci & Christi correlatum accuratè adeò explicat, & difficiliora longè silentio haud involvit; ille, Redingi cogita, nec oblationis panis & vini meminit, nec oblationem illam ad Novum Testamentum, vel Christi sacrificium traducit. En mysterium vestrum primum, religionis vestræ elementum, quod tyronibus vestris, qui non cibo solido, sed lacte pasci solent, inculcare soletis; S. Paulo ignotum penitus! Sed singula paucis perstringamus. 1. De Georgio Ataide Lusitano alibi fusiùs. Historiæ interim Suavianæ de eodem fidem frustra Pallavicinus lacessit ex Diariis suis & Actis. Nam referebat sanè, luculentum illud Ataidæ Missam oppugnantis testimonium iis haud credi, ne posteritati, innotesceret, Missam in ipso Tridentino Concilio oppugnatorem Theologum Pontificium habuisse. Sed de hoc quicquid fiat, nos argumentis potiùs, quàm authoritate Ataidæ pugnamus. 2. An Christum sic morte sua extinctum putas, ut non revixerit Sacerdos,

dos, & talis in æternum maneret? Imò verò unico ſacrificio infiniti valoris, & ejuſdem perpetua in Cœlo repræſentatione coram Deo Patre,atque vi repræſentatæ hoſtiæ interceſſione, Sacerdotali utraque, Sacerdotio, quali ad ſalutem opus erat, unico Chriſtus,ſine conſorte,defunctus eſt, & defungitur adhuc & in æternum defungetur. Ille ſolus ſacrificium propitiatorium offerre, hoc eſt, vicariam pro peccatore mortem obire poteſt,qui ſolus nos Deo propitiare poteſt. Atqui ſolus Chriſtus Deo nos propitiare potuit; ſine ſuffraganeo & vicario ullo. Solus igitur, ſine ſuffraganeo,ſacrificium verè propitiatorium offerre potuit: ſolus obtulit Neque alio ſacrificio reali & infiniti valoris opus fuit, quàm tranſeunte, conſummando in tempore. quod perpetim Deo Patri repræſentans, manet in æternum Sacerdos. Si enim aliud externum, reale, propitiatorium ſacrificium æternum Sacerdoti æterno reſpondere debet, certè Miſſa,quæ æterna non erit,ſed in tempore abolebitur,ejuſmodi ſacrificium æternum eſſe non poterit. Quin & verba Apoſtoli Hebr.VII.23. fortiùs vos conſtringunt, quàm ut ſic elabi poſſitis; nempe alios *plures eſſe factos Sacerdotes,quia morte impedirentur permanere.* Chriſtus ergo,qui morte non impeditur,adeóque Sacerdos etiam poſt mortem manet, unus eſt,nec conſortibus indiget. Denique ſi Sacerdotii Chriſti æternitas in eo conſiſteret, quod quotidie ipſe offerri debet uſque ad finem mundi, adeò ut non poſſit eſſe Sacerdos æternus,niſi in æternum ab aliquibus offeratur, quomodo igitur idem Apoſtolus paſſim in Epiſtola ad Hebræos perennitatem Sacerdotii illius in eo conſtituit, partim quòd nihil habet neceſſe quotidie offerri,quia nos unica oblatione ſanctificavit, adeóque etiam conſummavit *εἰς τὸ διηνεκὲς in æternum*: partim quòd ſublimis factus ſupra Cœlum pro nobis in perpetuum interpellat? Is unicus commentarius eſt, quem Apoſtolus ad verba illa: *Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedeci*, adhibuit. 3. Hebræos S. Paulus vocavit ſanè ad figuram Sacerdotii Melchiſedeci. Cœterùm figuram illam explicans & applicans, nullam oblati panis & vini, nedum ſacrificii panis & vini mentionem ſive implicitam, ſive explicitam facit, ſed in generatione ſine patre, matre, genealogia, initii & finis dierum carentia,nec non in Sacerdotio ejuſdem æterno comparationem omnem inſtituens, reliqua nihil ad figurationem illam & *ἀφομοίωσιν aſſimilationem* facere, apertè innuit. Vos verò S. Paulo ſapientiores ſcilicet in oblatione panis & vini aſſimilationis illius ſubſtantiam collocatis, fatentes interim, explicitam à S. Paulo in oblatione panis & vini comparationem nullam inſtitui; & implicitam ſine omni ratione fingentes. 4. In ſacrificiis Leviticis nonnullis panis libaminis uſum fuiſſe,ex Exod.XXIX.34.40, liquet. Sed ſacrificii illa pars minùs principalis, & quædam veluti προσθήκη erat. Si ad ſacrificium Melchiſedeci panis & vinum pertinuit, parem rationem obtinere potuiſſe quidem conjectant. quod incertum equidem arbitror. Tametſi frivola ista ratio nil niſi principium mendicat. Proba,Melchiſedeci ſacrificium principaliter importaſſe oblationem eam, quæ figura fuerit ſacrificii Miſſæ. Hoc enim τὸ κρινόμενον eſt. 5. Viciſſim quæro: Ubi ex pane & vino ſacrificium Melchiſedeci conſtituiſſe, hiſtoria teſtis eſt? Majorem certè veriſimilitudinem habet, ex decimis animalium ſacrificaſſe Deo Melchiſedecum, quàm ex pane & vino. Illa enim idonea ſacrificii materies erat; & ſub lege etiam ſic fieri conſueſſe,ex Levit.XXVIII.32 colligitur. Hæc vero ſacrificii propitiatorii principalis materies eſſe nec in figura,nec in rei veritate potuit. Cœterùm cùm de victima Melchiſedeci tacuerit & hiſtoria & S. Paulus, nos eandem inveſtigationem tutò negligimus. Sapienter interim à nonnullis obſervatum, ideo Moſen Melchiſedecum Summi Dei Sacerdotem appellaviſſe, nulla hoſtiæ

mentione

mentione injecta, ut in eo existeret typus aliquis atque documentum suis demum temporibus intelligendum ac revelandum, in eo, quem Melchisedecus adumbrabat, Sacerdotem & victimam differre non debuisse. Nuspiam præterea etiam ratio regni, quod ille gerebat, explicatur. An ideo Rex non fuit? 6. Protulit Melchisedecus *Sacerdos Dei Altissimi* panem & vinum. sed qua, vel quia Sacerdos, nec protulisse, nec obtulisse dicitur. Tuum erat hoc probare, non nudè asserere. 7. Benedictio haud equidem sacrificii rationem habuit: at habuit tamen Sacerdotalis actus. Sacerdotis enim actus proprius erat æquè benedicere populo, ac sacrificare. Ita Christus & se ipsum obtulit, & quâ Sacerdos populo suo benedixit. Et benedictionis quidem, Sacerdotalis utique, historia Melchisedeci disertè meminit; at oblationis, sacrificii, vel materiæ sacrificii idoneæ non meminit. Cur ergo verba illa והוא כהן אל עליון *Et ipse erat Sacerdos Dei Altissimi*, ad sacrificii potiùs materiam nuspiam expressam, quàm ad benedictionem expressam referamus, si ad alterutram omnino referenda est? Occursum sanè Melchisedeci, benedictionem & decimationem Abrahami disertè satis S. Paulus Hebr. VII 1.2. conjungit cum Sacerdotio ejusdem, sed non cum solo, verùm cum Regno etiam ejusdem. Dicit enim: *οὗτος Μελχισεδὲκ, βασιλεὺς Σαλὴμ, ἱερεὺς τοῦ Θεοῦ ὑψίστου, ὁ συναντήσας Ἀβραὰμ* &c. *Ille Melchisedecus, Rex in Salem, Sacerdos Dei Altissimi, occurrens Abrahamo, &c.* Quid vetat ergo dicere, cum qua Regem in Salem, obviam euntem Abrahamo, exercitui ejus munera obtulisse, uti erga peregrinos Reges solent, adeóque viritim panem & vinum distribuisse; qua Sacerdotem benedixisse Abrahamo, & ab eodem decimas accepisse, atque sic in ejusdem lumbis Levitas decimasse? Certè panem & vinum protulisse Melchisedecus dicitur non qua Sacerdos Dei Altissimi; sed quâ מלך שלם *Rex in Salem*; & prolatis sic pane & vino, demum Sacerdotis mentio sequitur, eique actus benedicendi & decimandi subjunguntur. Sed de hoc quicquid fiat, saltem qua Sacerdotem Melchisedecum obvium Abrahamo statim sacrificasse, & quidem panem & vinum Deo obtulisse, nec historia, nec Apostolus habet. Redemptio verò sine ratione id asseveranti fidem nemo prudens habet. 8. Si S. Patres omnes totidem verbis, & voce altissima dixissent, Melchisedecum in pane & vino sacrificium propitiatorium & maximè propriè dictum obtulisse, pluris nobis unius Apostoli silentium esse deberet, ubi tacere non debuit, id si verum est, quàm omnium aliorum hominum testimonia, ubi sanè nihil opus erat, ut loquerentur. Quid enim si in rebus fidem concernentibus loquantur homines omnes, & taceat Deus? Quanquam sensus Patrum cum vestro neutiquam concors est. Compararunt eorum aliqui Melchisedeci illam oblationem panis & vini cum Sacra Cœna, ob similitudinem, quæ intercedere inter utraque videbatur. Utrobique panis atque vinum, utrobique panis & vini accidentia, neutrubi corpus Christi, neutrubi sacrificium propitiatorium, utrobique, si Melchisedeci actio ad religionem referri debet, est aliqua Divinorum beneficiorum commemoratio: illic victoriæ, quam Abrahamus consecutus erat, hic liberationis & redemptionis, quam Christus nobis peperit: denique utrobique omnia consentanea sunt cum sensibus hominum; nihil à recta ratione discrepat, nihil à natura rerum abhorret. At inter Melchisedecicum illud sacrificium, quod à Patribus creditum est, & ementitum Missaticum, quod in in Eucharistia celebrari putatur, omnia dissentanea inter se sunt. Illic panis & vini substantia fuit, hic nulla. Illic Christi corpus nullum fuit, hic Christi corpus existere putatur. Illic accidentia rerum in propriis & naturalibus subjectis resident, hic carent proprio subjecto, & alieno insident. Illic nulla fuit peccatorum expiatio; hic

hic propitiatio peccatorum tum viventium tum mortuorum fieri existimatur. Illic nullum factum est miraculum: hic miraculis scatent omnia. Illic denique omnia cum natura rerum consentanea sunt, hic Cœlum terræ miscetur. Patres ergo Melchisedeci oblationem cum re adeò dissimili contendisse, id verò probandum vobis fuerat. Illi sanè umbram aliquam saltem habuerunt, cur alterum in altero figuratum esse duxerint: Vos verò, qui pro Melchisedeciis Sacerdotibus vos venditatis, mirum est non ridere, cùm vos mutuò aspicitis, si quid unquam de Melchisedeco cogitastis. Sed à te allegatos Patres videamus. Clemens Alexandrinus *Strom. lib.IV.* Melchisedecum *dedisse panem sanctificatum, & vinum nutrimentum in typum Eucharistiæ*. En δίδως *dedit*, non obtulit; & δίδωσι τροφὴν *dedit nutrimentum*, adeóque hominibus, non Deo; & dedit nutrimentum *εἰς τύπον εὐχαριστίας in typum Eucharistiæ*, quæ nutrimentum est; non in typum sacrificii Missæ, quæ nutrimentum non est. Sed *dedit*, inquis, *panem sanctificatum*, adeóque consecratum. an etiam consecrando transsubstantiatum? τροφὴν ἡγιασμένην, *nutrimentum sanctificatum* vocat Clemens. An quælibet cujuslibet rei sanctificatio etiam à Sacerdote facta sacrificialis consecratio est? Profectò splendide nugaris. Ambrosius *de Sacram. lib.IV.* 3. Melchisedecum offerentem panem & vinum ait *authorem* fuisse *Sacramentorum Christianorum*. Cur non dixit, sacrificii, & quidem realis, propitiatorii? An enim quodvis Sacramentum sacrificium est? Sic offerentem filio Dei per omnia similem factum idem asserit. At filius se obtulit in cruce. Quid hoc ad Missam, quæ sacrificium crucis non est? Sed precatio fit à Sacerdotis, apud eundem *cap.6.* ut oblationem in Eucharistia acceptam Deus habeat, sicut acceptum habuerit, *quod ei obtulit Melchisedec*, plus roboris habet. Atqui quid obtulerit Melchisedec, non exprimit: & oblationem cum sacrificio tum Abrahami, qui filium offerre destinaverat, tum Melchisedeci comparatam Eucharisticam, adeóque impropriè dictam intelligit; eo sensu explicandam, quo sententiæ omnes Patrum, quibus Eucharistia sacrificii, oblationis nomine venit. Epiphanius Melchisedecum *Abrahæ proposuisse panem & vinum* docet. Id constanter dicit, ἐξήνεγκε, ἐξέθηκε αὐτῷ, *extulit, proposuit ipsi, Abrahamo, & suis in refectionem*. An hoc est Deo offerre panem & vinum in sacrificium? Sic vero præfigurata idem dicit mysteriorum ænigmata. Quorum verò? An sacrificii Missæ? Neutiquam. Sed illud mysterium, quo se Christus panem vivum dixit. Porro panis vivus Christus est tum extra Sacramentum vera fide receptus; tum in Sacramento talis significatus; non in Missa Deo oblatus. Sed & Chrysostomus manifestè panem & vinum Abrahæ oblatum dicit, non Deo; & sic oblatum typum vocat, non Missæ sanè, sed Eucharistiæ. Sed duas hic Redingius fingit oblationes, priorem Deo in sacrificium, posteriorem Abrahæ in nutrimentum factam. Cùm verò Patres de posteriore ferè sola loquantur, quomodo iisdem testibus priorem ille confirmare nititur? Et quomodo imprimis teste Scriptura? Nam Bellarmini ratiunculæ fumo magis evanidæ sunt. *Refectionem*, inquit ille, *corporalem ut daret Abrahæ Melchisedec, ratio nulla erat, quia cum magna præda revertebatur victor*. Et tamen S. Patres Abrahæ refectionem datam testantur. Et sanè prædam universam ille Regi Sodomæ restituit, neque ex ea attingere quicquam voluit. Præterea Regibus etiam & ducibus panem & vinum honoris causa præberi solitum, *Histor. Patriarch. Tom II. Exercit. II. §.22.* exemplis tum sacris tum profanis inductis probavimus. *At sic*, instat Bellarminus *sacrificium Melchisedeci ignoraremus*. Et ignoraremus totò, quia nec historia, nec S. Paulus exposuerunt de quo supra. In Augustini loco interpunctionem à Pichrello, Facultatis Theologicæ do-

ctore

ctore vestro observatam, nulla ratione refellere potuisti. Sed *manebit tamen*, inquis, *illud sacrificium Deo in toto terrarum orbe offerri, quod Melchisedeci oblatione præfiguratum est.* Non sacrificium offerri ibi Augustinus dixit, sed, quod Melchisedec obtulit *Deo, jam per totum terrarum orbem in Ecclesia offerri nos videre.* offerendi voce Sacræ Cœnæ actionem, uti mos seculi illius erat, significans. 9. Rabbinorum consensum frustra jactatis. Etenim si illorum valeret sententia, nec nos Sacramentum Eucharistiæ à Christo institutum haberemus; nec vos Sacrificio Missæ à Papa subintroducto gauderetis. Imò Rabbinos, sine veterum & novorum discrimine, Missam Melchisedeci sacrificio à vobis inædificatam, refellentes, Lyranus (quod solum ego observavi) apertè notat, & refutare nequicquam conatur. Certè etiam de Missa intellectum locum ex professo Author *Thesch. Lamz. pag.*13. refutat. Loca verò à Galatino, mero Raimundi Martini plagiario, producta vel ὑποβολιμαῖα sunt, vel hoc sibi volunt, *Messiæ tempore omnia abrogatum iri sacrificia legalia; solum mansurum Eucharisticum* (non propitiatorium) *peragendum pane & vino, sicut Melchisedec panem & vinum Deo altissimo protulit*, uti Bibliander *de Trinit. lib.II.pag.*89. & Mercerus *in Genesin*, ostendunt. 10. Maximam Sacrificii Melchisedeci & Missatici differentiam supra fusiùs exposuimus. Tu frustra genericam sacrificii & materiæ convenientiam urges. Nam nec sacrificii propitiatorii propriè dicti ratio ulla in Missa obtinet; nec materia congruit. In Melchisedecico enim sacrificio substantiam & accidentia panis & vini; in Missatico accidentia sola panis & vini obtinere pertenditis. Annon supra modum discrepans materia est? 11. Quo sensu Christi Sacerdotium, Melchisedecico respondens cum perpetuo Ecclesiæ statu cohæreat, supra vidimus. Apostolus certè in Melchisedeco æternitatem etiam Sacerdotii Christi præfiguratam innuit, asserens Hebr. VII.3. eum neque *dierum initium, neque finem vitæ* habuisse. Cùm ergo & ille suo sensu & in allegoria æternus Sacerdos suffraganeos nullos habuerit, cur Christus habere debuit? Potuit ille esse Sacerdos expers initii dierum & finis vitæ sine vicariis. Cur hic, in quo rei veritate hæc implentur, non possit? Sicut Sacerdotium Melchisedeci typus fuit Sacerdotii Christi, ut in ejus persona hæsit, quod Apostolus fusè in Epistola ad Hebræos docuit: ita illius sacrificium typus esse debuit sacrificii hujus, ut ab ejus persona peractum est. 12. De repræsentatione sacrificii crucis per sacrificium reale, & hostiæ identitate haud semel jam nugas tuas dissipavi. Quomodo, quæso, repræsentatio fieri potest per id ipsum, quod repræsentatur; repræsentatio hostiæ per ipsam numero eandem hostiam? Quid ab omni ratione abhorret magis? 13. Qua ratione Sacerdotium Christi æternum sit sine repetitione sacrificii per vicarios, supra ostendimus. 14. De applicatione quoque sacrificii crucis mox plura dicturi sumus. Sacrificium porro illud infiniti valoris esse fateris. Quid ergo Missatico Sacrificio relinquitur? Applicatio enim profectò absurdissimè in sacrificium commutatur. 15. Denique in loco Daniel. XII.11. nihil est, quod Missæ faveat. Sive enim per abolitionem τοῦ תמיד ἐνδελεχισμοῦ, seu *jugis* intelligitur sacrificii jugis propriè dicti abolitio, qualis sub Antiocho Epiphane, & per Hierosolymæ excidium contigit, uti quidem plerique omnes S. Patres à Mornæo *de Sacrif. Missæ lib.III.*2. citati interpretantur, quid hoc ad Missam? Sive per תמיד *juge* intelligitur illud, quod sacrificio jugi Levitico, ceu res per illud figurata, adeóque veritas, respondet, quódque sub Antichristo demum abolendum esse, Hieronymus & Augustinus censuerunt, ne hoc quidem Missæ patrocinatur, sed adversatur potiùs. Quid enim sic sacrificium juge est? Jugis, seu quotidianus, perpetuus valor sacrificii, qui pro Ecclesia

ἐμφα-

ἐμφανίζεται τῷ θεῷ εἰς διηνεκὲς apud Deum compares תָּמִיד *jugiter* , seu *in perpetuum.* Hebr IX.24. & in Ecclesia *jugiter* Deo in fide repræsentatur. Quando igitur invalescente Antichristo fides ea mutata est in opinionem sacrificii alterius, quale Missaticum est, nec non operis operati, quod in ecclesia fiat justificationis ergo, & ea opinio prævalebat, tum verò ablatum est juge sacrificium, fides & confessio Sanctorum, qui latere coacti sunt. Id quemadmodum contigerit inde à multis Seculis, nemini obscurum est. Hieronymus *in Daniel cap.XII. A tempore*, inquit, *ἐντελεχισμοῦ (quod nos interpretati sumus juge sacrificium) quando Antichristus orbem obtinens, Dei cultum interdixerit.* En *juge illi Dei cultus* est; & Theodoreto ibid. *ἐκκλησιαστικὴ λειτουργία Ecclesiæ ministerium*, seu *cultus* publicus. Aliud ergo longè in Ecclesia sacrificium juge ostendi potest. neque de uno solenni sacrificio, quale erat vetus illud typicum; sed de veritate universa typo illi respondente sermo est.

OBIECT. II. *Christus celebrato veteri Pascha, novum Pascha instituit, se ipsum videlicet ab Ecclesia per Sacerdotes immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem. Eadem Christi in Missa oblatio illa est, quæ per sacrificiorum naturæ & legis tempore similitudines figurabatur, utpote quæ bona omnia per illa significata, vel ut illorum consummatio & perfectio complectitur.* Sunt verba Concilii *Cap.1.* Resp. 1. Ipse in Concilio Ataides ad hoc argumentum solidè respondit, *pro manifesto ac confesso non esse supponendum, agnum cum fuisse sacrificium. Imò si contrarium quis probandum susciperet, nimis tamen adhuc duram fore tractationem, agnum typum Eucharistiæ constituere, & non potiùs victimæ in cruce oblatæ.* Ubique nempe Scriptura pascha cum cruento Christi sacrificio contendit. 2. Quomodo sacrificia cruenta figurare potuerunt incruentum? Diversa utrorumque natura est. 3. Neque etiam omnis victima externa figura est alterius victimæ externæ. Ita Eucharistica sacrificia figurârunt nostram Deo debitam gratitudinem, quæ non iccirco sacrificium est. 4. Potest etiam victima quoad partem aliquam celebrationis figura esse alterius rei, quæ non est victima, sed tamen in illa parte figuræ similis. Ita Paschalem agnum quandoque cum Eucharistia comparant Patres. De quo videsis Mornæum de Euchar. lib.III.2.

Excip. Reding: 1. *Exod.XII.6. postquam mandaverat Moses, ut singuli per familias agnum tollerent, subjicitur: Immolabitque eum universa multitudo. Et v.27. vocatur victima transitus Domini. Quin & Num.IX.13. qui non fecerit Phase, ex populo exterminandus dicitur, quia sacrificium Domino non obtulit. Annon sic disertè Pascha sacrificium accensetur? 2. Quis prohibet Pascha & crucis Christi, & Eucharistiæ typum constitui? Sanè Eucharistia Agno Paschali successit. Et sicut Agnus in memoriam transitus Angeli & liberationis populi ex Ægypto celebrabatur olim: sic Eucharistia in memoriam transitus Domini per passionem ex hoc mundo ad Patrem, & spiritualis redemptionis nostræ celebratur. Agnus autem habebat rationem Paschatis non sub præcisa Sacramenti ejus manducatione, sed quatenus immolabatur ceu victima transitus Domini, & ut sacrificium offerebatur. Unde Apostolus 1.Cor.V. hortatur ad sinceritatis V.T. ce-*

remoniis præfiguratæ puritatem, v.7. *subjicit causam : Etenim, dicens, Pascha nostrum immolatus est Christus. Pascha autem nostrum etiamnum celebratur in corpore & sanguine Domini, non utique absque immolatione.* Ibid. pag.290. 291. Resp. 1. Quid in Agno Paschali Sacramentale, quid θύσιμον fuerit, supra exposuimus. Neque tuæ ἐνστάσεις solidæ sunt. Nam vox זבח mactationem & communem & sacrificialem notare potest. Sacrificialis autem tum demum intelligitur, cùm & à Sacerdote fit, & hostia mactata in altari Deo offertur. Hic autem שחט *mactare* (non propriè *immolare*) debuit כל קהול עדת ישראל *omnis congregatio cœtus Israel*, Exod XII.6. & quidem non in altari, nec ad offerendum agnum Deo, excepta aspersione sanguinis, sed לאכל *ad comedendum*, v.7. Fuit ergo verè זבח פסח *victima transitus*; ratione aspersi sanguinis, *in quo radix, seu essentia sacrificii est*, inquit notissimus Judæorum canon. Confer Exod. XXIII.18. & XXXIV.25. non ratione mactationis & manducationis Agni. Nam nec à Sacerdote mactari, nec in altari offerri sueverat. Bellarmino autem *de Missa lib.I.2.* Sacrificium id est, *quod propriè & per se ad actionem Sacerdotis pertinet*, ab *electo* (ut ajunt) *ministro offerendum*. 2. Agnus Paschalis haud dubiè Christi, Agni inde ab incunabulis mundi mactati, typus erat. Si Eucharistiæ typus etiam fuit, at non sacrificii Eucharistici, quod nullum est. Neque uspiam incruenti sacrificii typum Scriptura Pascha constituit, in qua non aliud quàm aspersio sanguinis, seu cruentatio, sacrificiale fuit. De cœtero an Eucharistiæ typus Pascha fuerit, disceptare nihil ad rem facit. Si ἀκριβολογεῖν lubet, typus typi, & figura figuræ non datur; neque aliam ad se invicem relationem Pascha respectu manducationis & Eucharistia habent, quàm typorum seu figurarum similium ejusdem rei figuratæ. quod solum argumenta tua probant. Alias victima quoad partem aliquam celebrationis potest esse figura alterius rei, quæ non est victima, sed tamen in illa parte suæ figuræ planè sest consimilis. Sic Agnus quoad epulum potuit esse figura Eucharistiæ, vel similis Eucharistiæ ejusdem rei, Christi vera fide manducandi quamvis in Eucharistia nulla immolatio sit. Christi verò figura Pascha fuit, & quidem Christi immolati in ara crucis. Scripturæ enim sonora vox est: *Agnus occisus est*, Apoc.XIII.8. *Peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum*, 1.Pet.II.24. *Pascha nostrum* (res figuræ veteri respondens, usitata metonymia signi figuræ nomen induens) *immolatus est Christus pro nobis*, 1.Cor.V.7. en ἐτύθη, *immolatus est*, non deinceps immolandus. Itaque *epulemur*, inquit, *non in fermento veteri, nec in fermento malitiæ & nequitiæ, in azymis sinceritatis & veritatis.* Ex tuo sensu potiùs illaturus erat Apostolus: *Ergo immolemus eum quotidie in altari.* Sed clariùs adhuc Johannes cap.XIX 36. *Ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo.* Quod impletum proculdubio in cruce, non in mensa; in Altari ipso certè non implendum, si fides est Canoni, *Ego Berengarius*, quo *frangi & dentibus atteri*, sub anathematis pœna asseritur.

OBIECT. III. *Oblationem hanc in Eucharistia prædixit Deus Malach.I.11. fore nimirum, ut magnum sit in omnibus gentibus nomen suum, & omni in loco nomini ejus offeratur oblatio munda.* Est argumentum Concilii cap.1. Addit Aug. Reding Dissert.VIII.3. *hanc oblationem mundam esse Sacrificium Missaticum semper creditum esse in ecclesia, idque liquere testimoniis Irenæi adversus hæreses cap.32. Augustini de C. D. XVIII. 32. aliorúmque.* Resp. 1. In Concilio argumentum hoc solidè elisit idem, qui supra, Ataides, conferens nimirum cùm oblatione

tione illa munda adorationem Dei omni in loco, quæ fit in Spiritu & veritate Joh.IV.23.24. Utrumque locum de una eadémque re loqui. Cùm igitur Christus dicat, Deum esse Spiritum, & in Spiritu adorandum, neminem nisi qui omnia impropriè velit enuntiare, unquam dicturum, Sacramentum, quod constat re visibili & invisibili, esse merè spirituale. Quare si quis utrumque locum de interna adoratione interpretetur, hunc erroris convinci posse negavit. Nisi fortè fructum labiorum confitentium nomen Dei Hebr.XIII.15. & λογικὴν λατρείαν Rom.XII.1. perperam Apostolus *Sacrificium vivum* & laudis appellavit. Rectiùs hîc Tridentinis sapuit Paraphrastes Chaldæus, qui ita locum reddidit: אנא אקבל צלותיכון ושמי יתקדש וצלותיכון כקורבן דכי קדמי *Ego recipiam preces vestras & nomen meum sanctificabitur, & oratio vestra erit sicut oblatio munda coram me.* Ita David Psalm.CXLI.2. *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* Verbo dicamus quod res est. Cultus Spiritualis universus N. T. externo legis ritu designatur. 2. Patres hîc de Missa ne somniârunt quidem. Barbaros dixissent, qui ex hoc loco sacrificium sub accidentibus panis & vini offerendum colligerent. Irenæi locus de Sacrificio Eucharistico, non ἱλαστικῷ seu Missatico agit: de gratiarum actione, non de propitiatione: de oblatione fructuum aliarúmque rerum inanimatarum, non de reali Christi Domini immolatione: de solennibus gratiis Deo pro immensis suis erga nos beneficiis agendis, non de Deo erga nos tantorum maleficiorum conscios placando: de oblatione denique à quovis fideli fieri solita, non à Sacerdote tantùm offerenda. Et seq. capite disertè *incensa* interpretatur *Orationes Sanctorum.* Sed & Augustinus *de Civit. D.XVIII.35.* in ambiguo haud relinquit, sit ne hoc Sacrificium laudis, an pro peccato? Alibi Sacrificium laudis & Orationes Sanctorum se intelligere disertè declarat, inprimis *contra Advers. Legis & Proph. lib.I.20.* Testimonia porro Patrum discussa videantur apud Mornæum *de Euchar. lib.III. cap.2.*

Excip. Reding: *1. Si verba Malachiæ de oblatione munda nomini Dei offerenda propriè sumantur, apertè significabitur sacrificium externum N. T. Judaicis veteribus succedens. 2. An in Eucharistia Deus non adoratur in spiritu & veritate, ubi tamen juxta vos mera corporis & sanguinis Christi figura est? Quid ergo impedit, quò minùs ex Sacramentis etiam sensibilibus per fidem mens ad Divina ac spiritualia mysteria elevetur, & sic Deus in spiritu & veritate adoretur? 3. Oblatio illa munda definitur unum certum sacrificium, veteribus omnibus oppositum, quale non est adoratio interior, quæ etiam in V. T. obtinuit. Quin & oblatio illa vocatur simpliciter munda. Quomodo hoc dici potest de adoratione fidelium, inprimis juxta vos, apud quos fidelium opera omnia immunda, imò æterna damnatione digna censentur? 4. Alia ratio est fructus labiorum confitentium, & rationabilis cultus nostri, quæ impropriè sacrificium appellantur; hoc est, sicut sacrificium, Psal.CXLI.2. Per oblationem verò apud Malachiam promissam absolutè dicimur*

ſacrificare, & ſtatuitur illud determinatum ac juge novæ legis ſacrificium. 5. *Ipſa Tigurina verſio veſtra pro munda oblatione legit molam puram. quæ utique ſacrificium farreum eſt.* 6. *Hinc adeò Cyprianus lib. II. epiſt. 3. oblationem illam mundam à Sacerdote novo inſtitutam & oblatam ait conſiſtere in pane & vino, ceu corpore & ſanguine Domini. Et Chryſoſtomus in Pſal. 95. interpretatur myſticam menſam, quæ incruenta hoſtia eſt. Et homil. 24. in 1. Cor. ait, Chriſtum pro brutorum corde ſe ipſum offerendum præcepiſſe.* 7. *Irenæus loc. cit. diſertè prophetiam Malachiæ impletam eſſe ſcribit, quando Chriſtus accepto pane dixit: Hoc eſt corpus meum &c. & hanc N. T. novam oblationem eſſe dicit. Auguſtinus de Civ. D. lib. XVIII. 35. probat oblationem illam mundam eſſe ſacrificium, quod per Sacerdotium Chriſti ſecundum ordinem Melchiſedeci in omni loco videmus jam Deo offerri; & id ſacrificium Chriſtianorum Judæorum ſacrificiis opponit. Quin & lib. I. contra adv. legis & Proph. cap. 20. incenſum inter & hoſtiam puram diſtinguit, & illud in orationibus Sanctorum; hanc in ſacrificio ſecundum ordinem Melchiſedeci collocat.* Ib. pag. 291—293. Reſp. 1. Si propriè ſumuntur, inquis, verba Malachiæ tum ſignificabitur ſacrificium externum Judaico reſpondens. Utique. Sed propriè ſumi, probandum tibi, non edicendum fuerat. Par ratio eſt מנחה טהורה *oblationis mundæ*, quæ eſt מקטר *hoſtiæ* in altari incendendæ, hoc eſt, *holocauſti.* quæ propria Hebraicæ vocis, quæ participialiter enunciata nominaliter ſumitur, notio eſt. Ubi verò in Eccleſia Chriſtiana hodie mihi holocauſtum propriè dictum demonſtras? Sed memineris inſuper, non de quolibet ſacrificio, etiam propriè dicto, ſed de ἱλαστικῷ *propitiatorio* nobis contentionem eſſe. Atqui neutrum, nec מקטר puta, nec מנחה ſacrificium propriè propitiatorium ſignificat. Neque etiam ſacrificium propriè ἱλαστικὸν *in omni loco* offerri poterat; ſed in eo ſolo, in quo & pax danda erat, per hoc videlicet ſacrificium, Hagg. II. 8. Non igitur ulla ratione propriè dictum propitiatorium intelligi hoc loco poteſt. 2. In Euchariſtia & extra eam adoratur Deus, qui in cœlis eſt, in ſpiritu & veritate. Et ex Sacramentis ſenſibilibus per fidem mens elevatur ad Divina ac ſpiritualia myſteria. Sed nihil hoc ad rem. Nam in Euchariſtia, ut in ſacrificio, propitiatorio, Deum in ſpiritu & veritate adorandum eſſe, vel in N. T. adorari poſſe, probandum fuerat. Quantò rectiùs Cajetanus: *In ſpiritu, non in monte, non in Hieroſolymis, non in loco aliquo, non cultu temporali, non lingua, ſed interiore cultu, conſiſtente in Spiritu, hoc eſt, in animo, quatenus ſpiritualibus intendit.* Et Toletus Jeſuita: *Hæc eſt adoratio in ſpiritu, quando non corporeas res, umbras & figuras offerimus, nec in his ſervimus Deo, ſed in actibus virtutum, qui ex Spiritus S. gratia procedunt.* 3. Oblationem mundam definiri unum certum determinatum ſacrificium externum, propriè dictum, propitiatorium, hoc verò tibi probandum fuerat. Hic rhodus, hic ſaltus! Sed & adoratio in Spiritu & veritate quoad rem in utroque Teſtamento eadem fuit; neque quiſquam non ſic adorans unquam ſalvari potuit, vel poterit. In modo tamen, efficacia, gradu, & adorantium extenſione latiſſimum diſcrimen eſt. Ibi adoratio fuit affixa ad locum, terreſtribus ceremoniis & carnali cultui implicita multum, reſtricta ad unum populum. Hic alia omnia obtinent. Ubi verò oblatio à Malachia promiſſa *ſimpliciter* munda vocatur? Etenim טהורה *munda* vocatur. Poteſt autem *mundum*, dici, quod *ſimpliciter* mundum non eſt. Sed *mundæ* profectò ſunt *oblationes* noſtræ ſpirituales; at quatenus per ſanguinem Chriſti aſperſum iis mundantur, & immundities, quæ iis, quatenus à nobis, non à gratia proficiſcuntur, inhæret, omnis per remiſſionis gratiam non imputatur, imò per ſanctificationis gratiam paulatim etiam tollitur. Sic enim etiam corda per fidem purificari

tificari dicuntur, Act.XV.9. & fideles omnes καθαροὶ καρδίᾳ *mundi corde* Matth.V.8. appellantur. 4. Utique fructus labiorum confitentium, & rationalis cultus fidelium impropriè ſacrificium appellatur. Nam veritas ſic figuræ nomine venit. Sed ſimili improprietate ſermonis etiam cultus ſpiritualis N.T. *holocauſti* & *muneris*, ſeu *oblationis mundæ* nomine venit. Figura exprimitur, & res ſeu veritas figurata intelligitur. Sed *abſolutè*, inquis, vocatur *oblatio*, alibi, veluti Pſal.CXL.2. *ſicut ſacrificium*, ſeu oblatio. Non tantùm, inquam ego, *oblatio*, ſed etiam מקטר *incenſum* ſeu *holocauſtum*. Ubi ergo Eccleſia Chriſtiana holocauſta propriè dicta habet? Et in omni loco offerenda cùm dicitur, improprietas apertè inſinuatur, uti ſupra probatum. In loco verò Pſal.CXLI.2. hallucinaris miſerè. Nam nec Hebraica lectio ullam ibi ſimilitudinis notam habet: & vulgatus, ſimilitudinis notam *ſicut* ex ſuo *incenſo* addens, eandem *in ſacrificio veſpertino* omittit. 5. Tigurina verſio מנחה *molam* reddit appoſitè, ſpeciem ſacrificii exprimens, hoc eſt, *ſacrificium ex farre*; cùm alias מנחה in genere quodvis munus ſignificet. Quid verò hoc ad rem? Nam ſacrificium typicum exprimi, & veritatem ſignificari, res ipſa docet, & Interpretes à me citati, quos refellere non potuiſti, confirmant. 6. Cyprianus *loc. cit.* oblationem mundam in Euchariſtiæ ſymbolis, corpus & ſanguinem ſignificantibus oſtendit. Sed de Miſſa ibi vel ſacrificii externo neque γρῦ neque μύ. quod mihi ſufficit. Chryſoſtomus de myſtica menſa, non de altari: de incruenta hoſtia, non de ſacrificio propitiatorio externo: de Chriſto ſe ipſum in ara crucis immolante, non de ſacrificio Miſſatico ullo loquitur. Cur ſic extra oleas vagare? 7. Irenæi *lib.IV.* 32. hæc verba ſunt: *Chriſtus ſuis diſcipulis dans conſilium primitias Deo offerre ex ſuis creaturis, non quaſi indigenti, ut ipſi nec infructuoſi, nec ingrati ſint; eum qui ex creatura panis eſt, accepit, & gratias egit, dicens: Hoc eſt corpus meum &c. & Novi Teſtamenti novam docuit eſſe oblationem.* At qualem? *Quam*, inquit, *Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in univerſo mundo offert Deo, ei, qui alimentum nobis præſtat, primitias ſuorum munerum in Novo Teſtamento.* Et hic locum Malachiæ ſubinfert; nempe quia Chriſtiani de fructibus ſuis & liberè & liberaliter Deo offerre ſolebant. Ex his verò oblationibus ſumebantur panis & vinum in Euchariſtia diſtribuenda; reliquiis in pauperes alioſque uſus inſumptis. Viden' Redingi, oblationem ex Irenæi ſenſu, non ſacrificialem, propitiatoriam, ſed factam, ut dixi, à quibuſvis fidelibus ex fructibus ſuis in honorem Dei & uſum Sacrum Eccleſiæ. Aquam citiùs ex pumice, quàm ex his Miſſam elicias. Iccirco Irenæus ipſe hunc Malachiæ locum ſequenti capite ediſſerens, *Quoniam ergo*, inquit, *nomen Filii proprium Patris eſt, & in Deo Omnipotente per Jeſum Chriſtum offert Eccleſia, bene autem ſecundum utraque: Et in omni loco incenſum offertur nomini meo, & ſacrificium purum. Incenſa autem Johannes in Apocalypſi orationes eſſe ait Sanctorum.* Concludit: *Igitur Eccleſiæ oblatio, quam Dominus docuit offerri in univerſo mundo, purum ſacrificium reputatum eſt apud Deum, & acceptum eſt ei, non quod indigeat à nobis ſacrificium, ſed quoniam is qui offertur glorificatur ipſe in eo, quod offert, ſi acceptetur munus ejus.* Irenæus, dic Redingi, ita de Filio Dei locuturus erat, ſi realiter is a Sacerdote offerendus? Parum enim reputari apud Deum Chriſti ſacrificium, quis Theologus ferat? Aliud enim eſt reputari, aliud eſſe. *Quod* (donum, inquit idem *cap.* 34) *in omni ſimplicitate & innocentia Dominus volens nos offerre, prædicavit, dicens: Cùm igitur offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris, &c.* Adhuc ne, Redingi, inficiabere, Irenæum loqui de oblationibus non à ſolis Sacerdotibus, ſed ab omnibus fidelibus faciendis? Sequentia omnia, cum de oblationibus munerum à tota Eccleſia fa-

ctis, testantur. Augustini *de Civit. D. lib. XVIII.* 35. hæc verba sunt: *Malachias prophetans Ecclesiam, quam per Christum jam cernimus propagatam, Judæis apertissimè dicit ex persona Dei, Non est mihi voluntas in vobis, &c.* Mox addit: *Hoc sacrificium per Sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedec, cùm in omni loco à Solis ortu usque ad occasum, Deo jam videamus offerri: Sacrificium autem Judæorum, quibus dictum est, Non est mihi voluntas in vobis; cessasse negare non possunt, quid ad hoc expectant alium Christum?* Alibi *contra Adv. Leg. & Proph. lib.* I. 20. sic se explicat: *Ecclesia immolat Deo in corpore Christi sacrificium laudis, ex quo Deus Deorum locutus vocavit terram à Solis ortu usque ad occasum. Hæc quippe Ecclesia est Israel secundum spiritum, à quo distinguitur ille Israel secundum carnem, qui serviebat in umbris sacrificiorum, quibus significabatur singulare sacrificium, quod nunc offert Israel secundùm spiritum.* Nota, *Ecclesia immolat Deo in corpore Christi*; non utique *corpus Christi*. Item: *Sacrificium laudis*, non pro peccato. Nempe Ecclesia Eucharistiam celebrans, sacrificium corporis Christi Deo proponit, Deo ob oculos ponit, quod ipse unum, ut paulò ante dixerat, cœterorum sacrificiorum loco donavit, statuit, in gratiam unici hujus sacrificii in cruce peracti, sua sibi delicta condonari, donari suppliciter rogans.

OBIECT. IV. *Christus in Cœna novissima corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini obtulit. Liquet id ex verbis præsentis temporis, Traditur, Frangitur, Effunditur, quæ ad Eucharistiam utpote præsentem, non Sacrificium crucis utpote futurum referri debent.* Addit Aug. Reding *pag.* 506. rationem multis verborum gryphis pro more involutam, cujus summa huc redit, *quòd Christus transsubstantiato pane & vino, & manducatis ac consumptis speciebus Eucharisticis talem ceremoniam exhibuerit, quæ sub congrua rei sanctificatæ mutatione esset publicè protestativa supremæ Patris æterni excellentiæ ac Majestatis, absolutique in vitam ac mortem dominii. Proinde ceremoniæ huic convenire integram sacrificii definitionem.* Resp. 1. Christum in novissima Cœna se ipsum non obtulisse, plures in Concilio Patres pertenderunt, quorum argumenta superiùs recensuimus. Addi possunt, quæ ab Episcopo Vegliensi dicta Historicus lib. VI. pag. 504. memorat. 2. Sed & Ataides in Concilio ad hoc argumentum respondit, longè planiorem verba illa sensum habitura esse, si per enallagen videlicet temporis præsentis pro futuro, quæ Hebræis usitatissima est, referantur ad corpus & sanguinem in esse naturali, non Sacramentali, hoc est, ad Sacrificium crucis, symbolis illis in Eucharistia repræsentatum. 3. Et sanè verba institutionis non *Patrem* respiciunt, sed *Discipulos*, quibus symbola data sunt non offerenda, sed comedenda, non ut sacrificium corporis & sanguinis, sed ut Sacramentum. Cur verò verbis præsens tempus notantibus, *datur, frangitur*, &c. utatur Christus, rationem reddit Cajetanus in Luc. 22. quia videlicet ostendere voluerit Christus, dationem, fractionem, effusionem illam proximè instare, imò jam cœptam esse. 4. Si Aug. Redingii speculationem ex Sophistico latibulo extractam retexere animus

mus esset, ilias absurditatum in aprico statui posset. Paucis hoc ab ipso exigo, ut solidè probet, non ridiculè supponat, *benedictione* Symbolorum à Christo facta ea substantialiter mutata esse, & specierum eucharisticarum *manducationem*, ut ille vocat, *consumptivam* esse corporis & sanguinis Christi realem oblationem. Quid unquam absurdiùs excogitari potuit, quàm corpus & sanguinem Christi verè, realiter & propitiatoriè offerri ac sacrificari tum, cùm species eucharisticæ, quæ extra subjectum suum à NIHILO nihil distant, in stomacho hominis alicujus consumuntur? Longè aliam formare sacrificii definitionem, adeóque *signatum actum* suum debuisset, siquidem ipsi tale exemplum, seu *exercitus actus* respondere debuit. Ita nempe sacrificium definiri debuit: *Sacrificium est manducatio seu consumptio specierum à subjecto proprio avulsarum, de potestate & dominio Divino protestans.* Nam species consumendæ, & corpus sacrificandum toto genere distant, neque Sacrificium Missaticum, & veri nominis Sacrificium quidquam commune habent, quàm nomen, arbitrio non Dei, sed hominum manducationi hostiæ impositum, ut proinde nova hìc definitione rei tam absurdæ convenientè opus sit.

EXCIP. REDING: 1. *Patrum Concilii diversæ sententiæ in eo concordabant, quòd Christus in ultima Cœna se ipsum sacrificaverit.* 2. *Quando Christus oculis in Cœlum elevatis, & gratias agens ac benedicens dixit:* Hoc est corpus meum: *quin & discipulis dedit potestatem faciendi, quod ipse fecerat, his verbis:* Hoc facite in meam commemorationem, *annon ad Deum Patrem respexit?* 3. *Nihil obstat uni literæ duplicem sensum literalem aptare, sicut Scriptura verbis:* Ego hodie genui te. *plures sensus aptavit. Sic etiam hic per tempus præsens,* frangitur, datur, *utraque Christi mors, tam realis, Esse naturale consumens; quam mystica, Esse Sacramentale corporis Christi afficiens, designari potest.* 4. *Accidentia extra subjectum suum à Nihilo nihil distare, haud minùs hæreticam blasphemiam sapit, quàm si quis diceret, humanam naturam extra suppositum nihil esse. Utique existentia, seu esse actuale accidentis ab ejus essentia distinguitur, adeóque de ejus essentia non est. Aliud enim, Aristotele judice, est magnitudo, aliud magnitudinis esse.* 5. *Cavillatio tua circa definitionem sacrificii Dialectico & Theologo indigna est. Supposita enim sacrificii generica definitione, ad ejus pro sacrificio Eucharistico demonstrando applicationem progrediendum fuerat.* Ibid. pag 293-295. Resp. 1. Concordes Theologi vestri in dogmate licet, in probatione tamen dogmatis, à novissima Christi Cœna petita, haud exiguo cum causæ præjudicio, discordabant maximè. quod solum ratio mea urget. Certè Bellajus Parisiensis Archiepiscopus, te ipso ex Pallavicino *pag.* 222. referente. articulum hunc, quòd Christus in Cœna se obtulerit *fundamentum esse religionis Pontificiæ, & sacrificii à Christo oblati* asseveravit. Quin Bellajus idem, te narrante affirmavit, *dubitaturum se fuisse, an ipse hæreticus foret, si aliter sentiret.* Non igitur eo judice exigui momenti dissensio illa est. Contentiones super oblatione Christi in S. Cœna Sessionis XXII. Congregationibus aliquot motas esse constat. Nam tu ipse quidem ex Pallavicino, oraculo tuo, *pag* 222.223. nobis edisseris conflictus illius historiam,

ſtoriam, in quo Chriſtum ſe obtuliſſe, in Cœna Madrucius Cardinalis, Archiepiſcopus Hydruntinus, Lainezius, alii pertenderant: at Archiepiſcopus Granatenſis, Bracarenſis & Lancianenſis, Epiſcopus Veglienſis, aliique contra ſuſtinuerant, Salvatorem in Cœna S. ſacrificaſſe quidem, ſed ſacrificium merè Euchariſticum, hoc eſt, *laudis & gratiarum actionis, non expiationis & ſatisfactionis, veriti,* ſic Pallavicinus tuus loquitur, *ne aliter derogaretur ſacrificio crucis.* Recruduit paulò poſt in Congregationibus aliis eadem contentio, ducibus partium Salmerone, qui oblationem affirmavit, & Cardinalis Warmienſis nomen & authoritatem præ ſe ferens domos Præſulum circumivit, ut ſuffragia adverſa corrumperet; & Epiſcopis Clodienſi ac Viglienſi, qui eandem negarunt, argumentis graviſſimis. qualia erant, *quòd oblato ſacrificio propitiatorio, ſi ad expianda hominum delicta illud ſufficiat, alterius oblatione nihil opus ſit, niſi forte ad gratiarum actionem: quòd in Cœna ſacrificium propitiatorium adſtruens neceſſariò fateri debeat, hoc ſe ſacrificio redemptum, non ſacrificio crucis, cui tamen & Scriptura Sacra, & doctrina Chriſtiana noſtram redemptionem tribuat. Si quis autem,* ſubjiciebant, *dicat, utrumque ſacrificium unum idémque eſſe, ſed inchoatum in cœna & perfectum in cruce, eum in alia abſurda haud leviora incidere. Hæc enim quodammodo contradicere, ſacrificii principium eſſe ſacrificium; quia ſi quis poſt initium factum deſiſteret, neque ultra pergeret, nemo diceret, eum ſacrificaſſe. Præterea ſi Chriſtus Patri non fuiſſet obediens usque ad mortem crucis, ſed in Cœna tantùm obtuliſſet, neminem dicturum, nos redemptos fuiſſe. Quare ejusmodi oblationem, quæ principium ſit ſacrificii, non ideo ſacrificium nuncupandam eſſe.* Hæc tuorum argumenta priùs tibi refellenda fuerant, quàm manum tuam mecum confereres. Nam quòd Pallavicini tui verbis *pag* 223. narras, *fere omnes tandem in primam ſententiam abiiſſe, etiam eos, qui acerrimè illi reſtiterant;* neſcio qua fide dicatur. Suavis enim longè Pallavicino integrior, *Hiſt. C. T. lib. VI pag.* 505 memorat disertè, *Epiſcopi Veglienſis diſſertationem,* ante à nobis recitatam, *tantum apud omnes valuiſſe, ut communiter cenſerent, de Sacrificio Chriſti propitiatorio ne verbum faciendum. De cætero,* inquit, *opinionem ejus pars ſolùm aliqua amplexi ſunt.* Si in priorem ſententiam iverunt omnes, cur igitur Synodus definire auſa non eſt; quòd Chriſtus in Cœna ſe ipſum obtulerit? En argumentum adverſus Pallavicinum ex re ipſa petitum? 2. Chriſtus benedicendo, gratias agendo haud dubiè Patrem compellavit; ſed aliud eſt compellare, aliud offerre. Verba verò inſtitutionis maniſeſtè diſcipulos ſpectant. Nam Chriſtus accepto pane *benedixit, fregit, dedit diſcipulis, & dixit: Accipite, edite, Hoc eſt corpus meum,* Matth. XXVI. 26. Quibus dedit, quos accipere & edere juſſit, iiſdem (non Deo Patri) dixit illa verba: *Hoc eſt corpus meum.* Sed & verba: *Hoc facite ad commemorationem meam,* ad diſcipulos utique, non Deum directa, jubent facere, quod Chriſtus fecit, hoc eſt, benedicere, frangere, dare diſcipulis, cum mandato edendi panem corpus Chriſti, ad ſui commemorationem, non immolationem Deo faciendam. Nam commemorare mortem Chriſti non eſt mortem inferre, atque ſic Deo immolare. 3. De duplici literali ſenſu Scripturæ figmentum veſtrum alibi diſcutitur. Certè verborum *Hodie genui te,* ſenſus literalis unus eſt de æterna Chriſti generatione, quamvis eadem alibi ad ejuſdem æternæ generationis demonſtrationem applicentur. Fruſtra ergo per verba *frangitur, datur,* duplicem mortem Chriſti obtrudis; & eadem verba eodem loco poſita propriè & impropriè, de præſenti & futuro intelligenda ſciſcis. Quid eſt ima ſummis miſcere, ſi hoc non eſt? Etenim Chriſtus ἅπαξ προσενεχθεὶς *ſemel immolatus eſt,* Hebr. IX. 28. Tu duplicem ejus mortem, præſentem & futuram, iiſdem verbis ſigni-

significatum fingis; & alteram quidem *non realem*, hoc est, mortem non mortem; certè non mortem totam, qualis in propitiatorio sacrificio requiritur. 4. Accidentis esse est inesse. Quæ igitur non insunt, vel per se existunt, ut substantiæ, vel nihil sunt nec essentiam accidentis habent. Sed *hæreticam* hoc tibi *blasphemiam* sapit, similem illi, qua quis dicit, humanam naturam extra suppositum nihil esse. Insignem professò Sophistam agis. Quid enim tibi est natura humana *extra suppositum*? An existens extra suppositum? Sic in Nestorii castra abis. An natura humana propria subsistentia seu suppositalitate destituta? Sic tibi probandum est, de essentia naturæ humanæ esse, ut habeat propriam subsistentiam, sicut de natura accidentis est, ut insit actu. Id enim si verum est, natura Christi humana, quæ propriam subsistentiam non habet, vera natura humana non erit, quia quadam essentia humanæ naturæ destituitur. Quò te cœcus ardor rapit? Sed *existentia*, inquis, *seu esse actuale accidentis ab ejus essentia distinguitur, adeòque de ejus essentia non est.* Quid te juvat sic ineptire? Nos enim hic de accidentibus existentibus loquimur, neque, an existentia de eorum essentia sit, nec ne, inquirimus. Tu ergo proba, accidentia quædam existere, & actu non inesse, hoc est, non existere. Sive ergo actualis inhærentia actualem constitutionem accidentis extra causas significet, sive non, parum refert. Cùm verò extra causas est, hæc ejus naturalis conditio est, ut non per se subsistat, quod substantiæ est, sed existat in alio, eique insit & inhæreat adeò, ut accidentis essentiam amittat, si in alio non existat; & vel substantia, vel nihil fiat. Aristoteles inter magnitudinem & ejus τὸ εἶναι *esse*, hoc est, *existere*, distinguit. Nihil hoc ad rem, quia de accidentibus existentibus sermo est. Alias idem Aristoteles *Categor. cap* 2. τὸ esse in subjecto, in quo accidentis essentiam ponit, definit, ὃ ἔν τινι, μὴ ὡς μέρος ὑπάρχον, ἀδύνατον χωρὶς εἶναι τοῦ ἐν ᾧ ἐστι. *quod cùm in aliquo sit, non ut pars, non potest tamen esse sine eo, in quo est.* 5. Cùm hic de sacrificio non quovis, sed propitiatorio, quod externum, reale unicum est, quæstio sit, extra ejus limites te evagari haud patior. Frustra enim hic genericam sacrificii definitionem urges, & in sacrificio propitiatorio unico actum signatum & exercitum distinguis. Hoc sanè a te expeto, ut sacrificii realis propitiatorii definitionem accuratam, sanæ, non perversæ tuæ Theologiæ & Dialecticæ convenientem pandas. Etenim si sacrificium propriè dictum externum reale propitiatorium tibi sit *actio Sacerdotis, creaturam destruentam Deo ad propitiandum ejus iram offerentis*; quomodo eam ad sacrificium missaticum applicabis, in quo non est destructio sacrificialis creaturæ à Sacerdote facta & Deo oblata, ad propitiandum iram Numinis; sed juxta te *manducatio seu consumptio specierum a subjecto suo avulsarum, de potestate & Dominio Dei protestans.* Huic actui exercito signatum aliquem conformem, si potes forma. Species enim manducandæ, & corpus sacrificandum, ut argumentum meum repetam, toto genere differunt.

OBIECT. V. *Christus Apostolis eorúmque in Sacerdotio Successoribus ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in mei commemorationem, quibus verbis Apostolos eorúmque successores Sacerdotes constituit.* Sunt verba Concilii *Cap.* 1. *&* *Can.* 1. Audit Aug. Reding, *Facere in S. Literis quandoque usurpari pro Sacrificare, nominatim Exod. XXX.* 22. *Levit. XI.* 14. *XXIII.* 19. 1. *Reg. XVIII.* 23. *Cum igitur actio Christi in novissima cœna veri sacrificii rationem ac definitionem sortita sit, uti ex supra dictis constat, consequens esse, ut & hic facere positum sit pro sacrificare.* Resp. 1. Ar-

gumento etiam huic in Concilio occurrit Ataides, dicens, verba Christi *Hoc facite*, intelligenda esse de eo, quod ab ipso factum discipuli viderant. Opus igitur esse, uti priùs constet, quid ille obtulerit. Cùm igitur Christum nihil obtulisse ipsi in Concilio plures Episcopi non fassi duntaxat sint, sed argumentis superiùs allatis probaverint, manifestum est, illis Christi verbis Sacerdotes Apostolos minimè constitutos esse, adeóque nec sacrificium probari posse. Neque aliam ob causam puto Salmeronem versutum Jesuitam in Concilio prensâsse Patres, ut definiant, Christum se ipsum in cœna novissima obtulisse, quàm ut ex sequentibus verbis *Hoc facite* sacrificium probari possit. Suboluit enim ei, si Christus se ipsum non obtulit, ex verbis illis *Hoc facite* sacrificium & sacerdotii institutionem probari nullo modo posse. Ut ita intelligere debeant Sacrificuli, non parùm se hujus Jesuitæ ambientis versutiæ debere. Accedit, quòd Apostolus τὸ *Hoc facite* interpretatur per πίνειν, deinde per εὐλογεῖν, κλᾷν, κυριακὸν δεῖπνον φαγεῖν 1. Cor. X. 16. 20. XI. 25. 26. De institutione peculiaris Sacerdotii ne apex quidem. Tum Christus jussit HOC FACERE, quod ipse nempe fecerat, in sui videlicet memoriam. At impossibile est sacrificare Christum in memoriam Christi. Hoc enim perinde absurdum est, ac si quis diceret, agnum hunc sacrificari in memoriam hujus agni, aut Judæos Christum crucifixisse in memoriam Christi. Rei alicujus typus & monimentum cum re, cujus typus & monimentum est, eadem res numero esse nequit. 2. Inepta porro est grammaticatio Redingii, cui *Facere* idem est quod *Sacrificare*. Apud Latinos quidem & Hebræos *facere* & עשה alicubi notat Sacrificare singulari constructione & additâ semper victimâ, ut clarè constet non divinandum sit, qua de re agatur. At apud probos authores Græcos nunquam τὸ ποιεῖν & *Sacrificare* æquipollent. Matthæus autem Græcè verba hæc descripsit, nec victimæ ullum in ejus sermone vestigium apparet. 3. Quæso autem, quales sunt Sacerdotes, quos Christus instituit? An secundum ordinem Aharonis? At illos Christus Sacerdotio suo sustulit. An secundum ordinem Melchisedeci? At Sacerdotium hoc soli Christo Sacerdoti secundum potentiam indissolubilis vitæ competit, ita ut sit ἀπαράβατον. Neque solidum est, quod Redingius Cl. Vedrosio ex distinctionum suarum spelunca opponit, Sacerdotes à Christo verbo illo *facite* institutos esse Sacerdotes secundum ordinem Melchisedeci non *authoritativè* & *absolutè* instar Christi, sed *ministerialiter* & *participativè* cum subordinatione ad Christum. At Apostolus non distinguit, sed simpliciter Christum vocat ἀπαράβατον ἱερο-

σύνην

σύνη ἔχοντα. Neque Melchiſedecus utpote ἀγενεαλόγητος ſuccenturiatos & ſubordinatos Sacerdotes ullos habuit, ſicut Aharon & Pontifices ſummi. Súntque ejuſmodi prædicata Sacerdotis ſecundum ordinem Melchiſedeci, ut nulli nudo homini communicari valeant. Sicut Chriſtus unicus Sponſor & Mediator non habet plures ſponſores & mediatores miniſtrantes: ita unus Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedeci non habet alios ejuſdem ordinis miniſtros. Non igitur amplius divinandum relinquitur, cujus ordinis ſint, qui pro *Sacerdotibus* ſe venditant. Quippe ſi ab Aaronis & Melchiſedeci ordine diſceſſeris, non alius Sacerdotum ſacrificantium externo ritu ordo, quàm Baalis memoratur. Minimùm Chriſti partes tales invadunt, ut Kore, Dathan & Abirom Aharonis. 4. Si Apoſtolos Chriſtus Sacerdotes fecit, cur nuſpiam vel ipſi, vel reliqui eccleſiæ Miniſtri Sacerdotum nomine in Scriptura veniunt? Inſtitores Chriſti, χερσεμπόρους rectiùs eos vocaveris.

Excip. Reding: 1. *Falſum eſt, multos Patres in Concilio ſuſtinuiſſe, quòd Chriſtus in ultima Cœna ſe non obtulerit. De modo ſacrificationis diſceptatum eſt, non de ſacrificatione ipſa. Et tandem conſenſerunt omnes.* 2. *Haud repugnat, aliquid pro diverſo ſtatu præ ſe ferre ſui ipſius rememorationem. Ita Chriſtus ad Patris dextram ſedens ſub ea, qua jam potitur, corporis gloria, ſui ipſius in cruce conſummati memoriam exhibet. Filius eſt figura ſubſtantiæ Patris, Hebr. I. 3. à quo ſubſtantialiter non diſtinguitur.* 3. *Agnus in ſacrificiis erat mera figura, & per ſe memoria haud dignus; contra Chriſtus in cruce ſacrificatus ſui commemoratione dignus eſt.* 4. *Etiam hic ſingularis conſtructio verbi facere obtinet. Iſtis enim verbis, Hoc facite &c. Apoſtolis data eſt publica pro perpetuo Eccleſiæ ſtatu poteſtas faciendi, quod Chriſtus fecit, in proteſtationem Dominii Dei ſub Chriſti mortis memoria eluceſcentis. Adeóque ex ſingulari hac conſtructione clarè victima & ſacrificium cognoſcitur.* 5. *Chriſti Sacerdotium non tantùm conjunctum eſt cum potentia indiſſolubilis vitæ, ſed etiam in ſe ipſa, ſecundum formalem ſacerdotii rationem, æternum eſt, & cum perpetuo Eccleſiæ ſtatu conjunctum. Qualis Sacerdotii perpetuitas nulla eſſet, ſi talis ſacrificii perficiendi in Eccleſia nulla jam poteſtas eſſet. Non enim Chriſtus ſe adhuc in Eccleſia viſibilem exhibet.* 6. *Licet ejus, qui principaliter & abſolutè Sacerdos eſt ſecundum ordinem Melchiſedeci, prædicata puro homini non conveniant; ejus tamen qui talis miniſterialiter & ſubordinatè eſt, prædicata puro homini convenire poſſunt. Ita etiam Chriſto unico Sponſori & Mediatori alii ſubordinantur.* Ib. pag. 295-297.

Reſp. 1. Impudentiam tuam quis non miretur? Etenim tu ipſe ex Pallavicino *pag.* 223. texis nobis diſſidii illius hiſtoriam, & in altera claſſe inducis Archiepiſcopos Granatenſem, Bracarenſem & Lancianenſem, rotundè negantes, *quòd Chriſtus in Cœna ſacrificium ſatisfactionis & expiationis obtulerit*; conſentientémque Veglienſem Epiſcopum, qui rationibus corraboravit, *Chriſtum non obtuliſſe ad remiſſionem peccatorum ante crucem.* Nunc autem non de Sacrificio, propitiatorio ſcilicet (de quo ſolo quæſtio eſt) ſed de modo ſacrificii in Concilio diſceptatum eſſe, ſcribere non dubitas. Sic videlicet ſoles, quoties tibi Cadmæorum fratrum veſtrorum prœlia objiciuntur, putida diſtinctione inter rem & modum rei obducta, nodum non ſolvere, ſed ſecare. 2. Non hic

quæri-

quæritur, an possit aliquid sui ipsius esse *μνημονικὸν commemorativum*; sed *an Christus possit sacrificari in memoriam sacrificii Christi.* sic ut utrumque sacrificium & memorans & memoratum sit unum idémque, & quidem numero. quod Missatoribus placet. Exempla proin tibi afferenda fuerunt, in quibus memorans seu memoriale & res memorata sit res eadem & numero una. Christi sessio ad dextram & glorificatio non ipsa consummatio ejus in cruce, sed consummationis ejus consequens fuit, teste Apostolo Phil.II. 8.9. Antecedens autem & consequens realiter diversa sunt. Sic Christus est character subsistentiæ Patris Hebr.I.3. sed non ipsa subsistentia Patris. 3. Christum crucifixum sui commemoratione dignum esse, quis dubitavit? Commemorationem eam fieri per sacrificium idem numero cum eo, quod in cruce obtulit, hoc verò tibi probandum fuerat. 4. Verba, *Hoc facite &c.* manifestè construuntur cum eo, quod Christus fecit. At Christus in Cœna se non obtulit. Nec protestatio dominii Dei quævis sacrificialis est propriè (cum talis etiam in spiritualibus sacrificiis obtineat) nec memoria mortis ipsa mors vel sacrificium est. Profectò stylus vester insolens, nec Scripturæ, nec sanæ rationi, nec communi usui congruit. Semper sic loquimini, ut velitis verba aliud significare, quàm quod sonant. Sic dicitis corpus Christi in Missa frangi, sed sine fractione; mori, sed sine morte, sola mortis memoria; sanguinem effundi, sed sine cruore; & sic effundi, ut non moveatur, nec venis exeat; & destrui, sed non in se, verùm in speciebus, ac si quis diceret, Sempronium occidi in alio, sed manere illæsum in se. An speratis, fidem vos inventuros apud homines sanos, qui ipsi vobis non creditis, & ultro sic vos implicatis? 5. De æternitate Sacerdotii Christi secundum ordinem Melchisedeci jam sæpe ratiocinationem tuam fregi. Si quod illa pondus habet. Sacerdotes vestri etiam in Cœlo post consummationem Seculi missabunt. Nam Christus in æternum erit Sacerdos secundum Melchisedeci ordinem. Æternus ergo, juxta collectionem tuam, habebit Sacerdotes ministrantes & subordinatos, qui sacrificia externa in æternum offerant. Licet verò Christus in Ecclesia visibilem se non ampliùs præbeat: non ideo vel in Cœlo invisibilis est: vel mortuus est: vel in Cœlo Sacerdotio non defungitur, vel per sacrificii sui semel oblati meritum & efficaciam non sanctificat omnes, qui salvantur. 6. Sacerdotes ergo subordinatos & ministrantes, ceu creaturas Papæ, & dedecora Christi æquè ac alios Mediatores & Salvatores abominamur meritò.

OBIECT. VI. *Sacrificium Missæ non obscurè innuit Paulus Corinthiis scribens* I.Cor. X.21. *cùm dicit, non posse eos, qui participatione mensæ dæmoniorum polluti sunt, mensæ Domini participes fieri, per mensam altare utrobique intelligens.* Ita Concilium cap.I. Addit Aug. Reding. pag.507. *meminisse ejusdem Altaris etiam Apostolum Heb.XIII.* 10. Resp. 1. In Concilio respondit Ataides, intelligendos esse in loco priori ritus per Mosen institutos, & ab Ethnicis inter Sacrificandum adhibitos. In Sacrificiis olim Judæorum votivis totam victimam Deo exhibitam fuisse. Unam ejus partem, quæ Sacrificium fuit, igni absumptam fuisse: reliquam fuisse partim Sacerdotis, partim offerentis. Idque non vocatum fuisse *Sacrificare*, sed *Sacrificatum participare.* Perperam igitur Sacrificium hinc concludi, cùm non altaris, sed mensæ, in qua dapes *θύσιμοι* consumptæ, Apostolus meminerit. 2. Neque

si

ſi Apoſtolus menſam Domini cum altaribus compararet, ſequeretur in Cœna propriè dictum altare, adeóque etiam Sacrificium requiri. Comparationis enim hujus qualitas eſt communio vel participatio, non altaris vel Sacrificii ratio. Perinde hoc eſt, ac ſi quis concludere vellet, officium beneficentiæ eſſe quoddam genus injuſtæ diſpenſationis, quia illud comparat Dominus Luc.XVI.8.9. cum prudentia injuſti diſpenſatoris. 3. Per altare Hebr.XIII.10. crucem Chriſti intelligere plures Catholicos Pontificios, monet ipſe Bellarminus *lib.1. de Miſſa, cap.14.* Et Thomas in h. l. *Illud altare*, inquit, *aut Chriſti crux eſt, in qua pro nobis fuit immolatus, aut Chriſtus ipſe, in quo & per quem preces noſtras offerimus, & illud altare aureum eſt, de quo Apoc. octavo.* Altare igitur non lapideum & Miſſaticum, ſed Chriſtus ipſe intelligitur, qui ratione protectionis, expiationis, ſatisfactionis altare noſtrum habetur. Confirmat hoc phraſis, *comedere de altari*, quæ proprio ſenſu ſacrificulos ad lapides comedendos adigeret.

EXCIP. REDINO: *1. S. Paulus 1.Cor.X.21. apertè comparat menſam Domini, unde Euchariſtiam ſumimus, cum altari gentilium, ubi immolabatur idolis, & Hebræorum, ubi ſacrificia carnalia Deo vero immolabantur. Sicut ergo per menſam dæmoniorum intelligebatur altare, in quo falſis Diis ſacrificabatur: ſic per menſam Domini altare, in qua domino ſacrificatur. 2. Quomodo poteſt participari ſacrificatum, & inde non inferri ſacrificium, ſuper menſa, ſeu altari iſto ſacrificatum? 3. Sic comparatur communio ſeu participatio, ut tamen illa reducatur in id, quòd non poſſit fidelis particeps eſſe menſæ ſimul domini & dæmoniorum; adeóque etiam ſacrificii in eadem menſa. 4. Hebr.XIII.10 intelligitur altare, quod de præſenti habemus, & de quo comedimus, adeóque ad literam non myſticum aliquod, ſed propriè dictum cui non aliud ſacrificium reſpondet, quàm corporis & ſanguinis Domini uti docent S.Patres, Chryſoſtomus homil.24. in 1.Cor. & Auguſtinus in 1.Cor.10.* Id. ibid pag.297.298 Reſp. 1. Quàm rectè à menſa ad Miſſam progrediare, ipſe videris. An enim menſa Euchariſtica cum altari comparari non potuit ſine converſione menſæ in altare propriè dictum? Noſti ſimile non eſſe idem; & comparationem nullam extra tertium ſuum extendi debere. Alias mihi æquè & majori fortè ratione ſic argutari liceret: Sicut communionem cum dæmoniis & idolis habuerent Gentiles, in cibis idolothytis quoad ſubſtantiam non mutatis (neque enim idolothyta in dæmones tranſſubſtantiantur) ſic Chriſtiani in Euchariſtia cum Chriſto communionem habent, ſine tranſſubſtantiatione omni. Præterea menſa Euchariſtica non cum altari vel gentilium vel Hebræorum comparatur, ſed cum menſa dæmoniorum, in qua gentiles idolothytis veſcebantur. quæ vera menſa, non altare fuit. Sicut autem menſa illa ſuppoſuit ſacrificium in altari peractum: ſic menſa Euchariſtica ſupponit ſacrificium in altari crucis peractum. 2. Participatio ergo ſacrificii ſacrificium ſacrificatum planè ſupponit, ſed non in Miſſa. An enim alia Chriſti ſacrificatio quàm in Miſſa vaſro Sathanæ conſilio menſæ Euchariſticæ admixta, nulla fuit? Vel cibus corporis & potus ſanguinis Chriſti in cruce oblati non ſufficit uſque ad conſummatio-

nem Seculi? 3. Futilis ergo tua de participatione sacrificii ad Missaticum sacrificium reductione ratiocinatio est. 4. De loco Hebr.XIII.10. supra *ad Arg III.* jam nonnihil diximus. *Videte*, inquit idem Apostolus 1.Cor.X. 18. *Israelem secundum carnem. Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Hunc Israelem secundum carnem, nempe Judæos, Hebr.XIII.10. opponit Israeli secundum spiritum, id est, Christianis, ut eos à ritibus Judaicis abstrahat. Ne putetis, inquit, nobis Christianis non etiam altare & sacrificium esse. de quo inservientes tabernaculo potestatem comedendi non habent, quia videlicet gratiam Dei contemnunt, & crucis sacrificium evacuant. Altare igitur & sacrificium Christianorum Christus idem est, se æterno spiritu Deo offerens, & fidelibus omnibus se spiritualiter per fidem, in Sacramento Eucharistiæ insuper symbolicè etiam manducandum exhibens. *Per hoc* altare, sic v.15. concludit Apostolus, *offeramus sacrificium laudis jugiter, &c.* Per Christum, altare nostrum offerendum, inquit, non Christus ipse offerendus. Spirituale verò sacrificium illud est & explicatur. Tunde serio pectus, Redingi; num hic vel umbra Missæ? Bellarminus equidem alicubi turbam secutus, altare externum intelligit. At *lib.I. de Missa cap.*14. mentem mutans: *Quia*, inquit, *non desunt ex Catholicis, qui eo loco per altare intelligant crucem, aut ipsum Christum, non urgeo ipsum locum.* Neque aliud hic altare vel sacrificium, quàm Christum in cruce oblatum Chrysostomus & Augustinus à te inducti viderunt. *Pro brutorum cæde se ipsum offerendum præcepit*, inquit Chrysostomus. an verò in altari externo? an potiùs in Sacramento? Augustinus; *Quasi prudentibus*, inquit, *dico, judicate vos, quod dico. Calix benedictionis, & panis, quem frangimus, &c. Propter hoc subjunxit: Videte Israel secundum carnem. Nonne qui de sacrificiis manducat, socii sunt altaris?* Quid verò inde? Christianos manducare de sacrificiis? Atqui de Judæis sic loquitur apertè, non de Christianis: & verba ad Christianos traducta non aliud arguunt, quàm quòd illi in mensa (sic v.21.) de corpore & sanguine Christi, vero sacrificio, participantes, socii sint non dæmoniorum, sed Christi, veri unicique altaris.

OBJECT. VII. *Act.XIII.2. Lucas de Barnaba & Nigro verba faciens dicit, λειτουργούντων αὐτῶν, Sacrificantibus illis injunxisse Spiritum S. ut segregent Barnabam & Saulum. Ibi λειτουργεῖν est publico ministerio defungi, quod sine Sacrificio fieri non potest. Nam precibus vel verbo incumbere non est Deo ministrare, cùm ipsi verbum non prædicetur.* Resp. 1. Verba λειτουργούντων αὐτῶν Vetus versio reddit: *Ministrantibus* illis. Addit Lyranus: *In bonis operibus secundum suos gradus & officia.* Syrus & Arabs: *Ipsis orantibus Deum*, quia sequitur, *jejunantibus.* Chrysostomus & Oecumenius, κηρυττόντων *prædicantibus.* Hugo Cardinalis, *Ministrantibus prædictis prophetis.* Cajetanus, *docendo & prophetando.* Qui *Sacrificantibus illis* vertat, præter Erasmum, qui alioquin illis sudes in oculis est, repertus nemo. 2. Quid quòd vox λειτουργεῖν etiam de plebeiis 2.Cor. IX.12. Rom.XV.27. de Regibus Rom.XIII.16. de Angelis Hebr.I.7.14. enuntiatur? Numquid & illi in censu sunt Missaticorum Sacerdotum? 3. Quid igitur impedit, quò minùs verba illa intelligamus vel de precibus, cùm seq. versu preces jejunio jungantur; vel de prædicatione verbi, cùm & ille utique Deo ministret, qui verbi præconio ecclesiæ membra adjun-

adjungit, & præcones V. D. sint utique ministri Dei? 4. Etsi tandem Sacrificium intelligatur, & quidem in eucharistia administratum: an iccirco in eucharistia Sacrificium offertur propriè dictum externum, reale, propitiatorium? Patribus etiam evangelii prædicatio Sacrificii nomine venit. Non tamen ideo Evangelium est Sacrificium propriè dictum.

EXCIP. REDING: 1. *Vetus versio significat ministerium non erga homines, sed erga Deum formaliter & immediatè præstitum, à jejunio contradistinctum. Munus autem concionandi, & Sacramenta administrandi transcendentali tantùm ratione quadam ex reflexa in Deum intentione, adeòque mediatè & consecutivè Dei ministerium est. Unde à jejunio, quod etiam ad ministerium Dei mediatum pertinet, distinguitur. 2. Arabs & Syrus versiones*, orantibus ipsis; *adorationem intelligunt specificam, quæ sacrificii formam induis, quomodo etiam Joh. IV. 21. 23. & Genes. XXII. 5. vox illa accipitur.* Ib. pag. 298. 299. Resp. Somnia tua, quæ nunquam sitivimus nos, præcipua responsione mea neglecta, nobis propinas. Etenim 1. ministrabant illi Domino; & demus, ministrasse publicè. Sed ministerium Dei *formaliter & immediatè* acceptum non esse nisi sacrificium, externum, & si formaliter acceptum sacrificium est, hic eo sensu accipi, unde verò fidem facis? Asseris nudè, & distinctione tua fascinum inducere tentas; non probas quicquam. Probandum autem omnino fuerat, verbi λειτουργεῖν eum usum proprium esse apud authores sacros, addo etiam profanos, & tum probato priùs, nonsupposito, sacrificio Missatico, hic etiam λειτουργεῖν eum sensum habere. Nil tale præstas. Annon prædicatio verbi Dei, & Sacramentorum administratio tum instituente, legante, mandante Deo peragitur; tum ad gloriam Dei peragitur? & peragentes sic passim Dei, Christi ministrorum nomine veniunt? Cùm Missæ contra, vel ministerii Missæ in S. literis nec vola, nec vestigium extet. Jejunium autem à Ministerio Dei cur distingueretur, ratio erat, quia adjunctum duntaxat, & circumstantia singularis ministerii & precum est. 2. Tua porro de adoratione crisis, quam Syro & Arabi interpretibus invitis imponis, ecquodnam in texto præsenti fundamentum habet? Nam ubique *adorare* idem esse quod *sacrificare*, nemo sanus dixerit. De loco Joh. IV. 20. supra egimus. Samaritana adorationis nomine universum cultum à Mose præscriptum intellexit. Erat autem externi cultus V. T. pars non postrema sacrificium externorum religio, quæ cùm in N. T. expiraverit, eodem nomine ampliùs appellari nequit; inprimis cùm ipse Christus Samaritanam mulierem docuerit, adoratores Dei *in spiritu & veritate* deinceps Deum adoraturos; hoc est, Cajetano Interprete, *interiore cultu consistente in spiritu, hoc est, in animo*, quatenus spiritualibus intendit.

OBJECT. VIII. *In Sacrificio Missatico idem ille Christus continetur & incruentè immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit. Non potest igitur non esse verè propitiatorium. Hujus enim oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit. Et cruentæ oblationis fructus per hanc incruentam uberrimè percipiuntur, tantùm abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur.* Est argumentum Concilii Cap. 2. Et cap. 1. idem innuit, *Sacrificium Missæ non esse nisi applicationem & repræsentationem Sacrificii cru-*

tis.

cis. Resp.1. Christum eandem numero victimam duobus modis, cruento & incruento sacrificari, solidè ex Scripturis probari, non dictatoriè asseri debuit. 2. Agnoscimus tamen in eo Dei providentiam. Necessum enim erat, Antichristos non negare unitatem Sacrificii, saltem externa professione. Extra ecclesiam enim se collocâssent, qui juxta prophetiam in Templo Dei considere debebant. 3. Quomodo verò idem Christus diversis modis sacrificatur, actione eadem numero, vel diversa? Si eadem, necessum erit, ut factum & faciendum, præteritum & præsens tempus in unum conflentur. Si diversa, quomodo non diversum erit, quod diversa actione peragitur? Esse verò diversas, imò contrarias actiones, facilè probatur, quia definitione differunt. Sacrificium crucis fuit cruentum, asperum, visibile, uno in loco, irreiterabile. Sacrificium Missæ contra. In Sacrificio crucis Christus satisfecit, fuitque in statu merendi. In Sacrificio Missæ contra. Sacrificii crucis virtus infinita est. Missarum contra efficacia perexigua, cùm duabus drachmis vulgò veneant, & vix millenæ sufficiant ad unius animæ liberationem ex purgatorio. Præterea Christus moriens & non moriens una esse victima nequeunt, cùm ne victima quidem esse possit, nisi cùm moritur & pro nobis patitur. Præcipuè in prima Eucharistiæ celebratione Christus sacrificari non potuit ut moriens, quia figurabatur ut moriturus. Denique Sophisticæ distinctionis nervos elidit Apostolus, qui agens de Sacerdotio Christi secundum ordinem Melchisedeci, ejusque æternitatem astruens, non tantùm unius sacrificii meminit, sed & *semel* duntaxat illud oblatum ait, iterat & inculcat, neque uspiam aliter loquitur, imò id ipsum quoque probat rationibus superiùs à nobis ex textu collectis, quæ vel meri paralogismi erunt, vel fictitiam distinctionem illam penitus in fumum dabunt. Ruit igitur cariosum Sacrificii propitiatorii fundamentum. 4. Repræsentare & applicare rem gestam est agnoscere, nos non facere quod est factum, sed tantum recolere, repetere id quod factum est, ne excidat. Neque applicatio potest esse oblatio, cùm hæc oblatio facienda, illam oblationem præsupponat factam. Applicatur autem oblatio Christi ex parte nostra per fidem in sanguine ejus; ex parte Dei *externè* per communicationem verbi & Sacramentorum, *internè* per Spiritus S. vorticordiam operationem, non histrionicam ejusdem Sacrificii reiterationem. Neque magis requiritur talis Sacrificii in cruce repræsentatio, quàm incarnationis, resurrectionis, ascensionis, similia dramata ad articulos illos recolendos, & populo repræsentandos.

EXCIP. REDING: 1. *Si extra Ecclesiam nos collocavimus, sacrificium cruentum & incruentum distinguentes, quia vos, sacrificium penitus tollentes?* 2. *S. Paulus Hebr. VII. æternitatem Sacerdotii Christi secundum ordinem Melchisedeci astruens, inter sacrificium crucis, & ejus applicationem distinguit. Illud in Christo semetipsum offerente semel peractum asserit; hanc à Christo ad interpellandum pro nobis semper vivente, ad perpetuum Ecclesiæ statum extendi supponit, quia interpellatio ejusmodi satisfactionis in cruce peractæ applicationem importat. Nam interpellatio ea reducitur ad sempiternum Christi secundum ordinem Melchisedeci Sacerdotium, quod sine jugi sacrificio, in oblatione panis & vini consistente (nam sacrificium crucis semel tantùm peractum, formaliter æternum non fuit, sed [illegible] duntaxat) concipi nequit.* 3. *Annon actio, per quam homo resurget, diversa fuit ab actione, qua primò genitus fuit? Vides, idem diversa actione peragi posse. Et ea in sacrificio Christi actionum diversitas facit quidem, ut infinita virtus propitiatoria [illegible] Christi per se primò conveniat sacrificio crucis; Eucharistico tantùm per applicationem, quæ ideo iteratur semper, quia licet in se sacrificium illud infiniti valoris sit, tamen Deum ad acceptationem obligare nequit, nisi identidem repetatur, & sic passio ejus Deo repræsentetur.* Ib. pag. 299--301. Resp. Plura argumenta à me adducta Redingius ne attingere quidem ausus est. Provoco ad lectorem quemvis, annon, alias Fabius loquacissimus, hic ferè ad ἀφωνίαν redactus sit. Ne tamen redactus videatur, omissis præcipuis, nonnulla attingit, & crambem suam sæpe coctam reponit. 1. Nos sacrificium crucis perfectissimum & consummatissimum à spuriis sacrificiis à Papa, quæstus sui gratia, superadditis, vindicantes strenuè, in Ecclesia Christi per ejusdem benignitatem manemus & manebimus: & extra Papæ, Sacerdotis Christi æmuli, falsam hostiam [illegible] Ecclesiam nos lubentes meritòque collocavimus. 2. Non semel tuum de duplici sacrificiorum Christianorum genere, puta crucis & Missatici, ex æternitate Sacerdotii Christi eruto, commentum profligavimus. Certè Apostolus non sine causa [illegible] illud ἐφάπαξ *Semel* (non semel in ara crucis, millies, imò infinities in Missa) ingeminat, &, si pluries offerretur, pluries ipsi moriendum fuisse pertendit, & absque sanguinis effusione nulla peccata remitti posse asserit; & *unica* oblatione Christum consummasse omnes, qui sanctificantur, astruit; & iterationem frequentem eorundem sacrificiorum (quæ ipsissima vestra, *applicationis* nomine venditata iteratio est) imperfectionis sacrificii semel obiti argumentum ponit. Non sine peculiari, inquam, [illegible] Apostolus unitatem irreiterabilem sacrificii Christi tam frequenter, & tot argumentis ingerit & inculcat, [illegible] data opera occurrens spiritui erroris, qui olim in Ecclesiam [illegible] erat aliud sacrificium Christi, præter mortem ejus, per quod homines sese efferrent supra Christum, & invaderent sacerdotium Novi Testamenti, ut quæstui & ambitioni suæ velificarentur. 3. Actio circa hominem primitus natum, & olim resurrecturum [illegible] est, [illegible] idem quoad substantiam homo nascatur & resurgat. Sed actiones [illegible] in Christo mortuo, & ex morte resuscitato nullæ dantur, quia is semel mortuus & oblatus non amplius moritur, adeóque nec offertur. Oblatio enim sine morte nulla est. [illegible] oblationem ejusdem Christi tot argumentis Apostolus [illegible]. [illegible] non diversæ duntaxat, sed etiam contrariæ, uti ratio mea [illegible] ad eundem effectum, propitiationem peccatorum concurrant, id verò [illegible] debueras. Denique applicari sacrificium per sacrificium, nec nisi [illegible] Christi, infiniti illud valoris licet, à Deo acceptari, & repræsentationem sacrificii crucis per novum sacrificium in Missa offerendum fieri,

non in Cœlo per apparitionem Christi coram facie Dei, peragi, vestræ κυρίαι δόξαι sunt, quibus nunquam probatis, probandis nunquam, superinducti novi sacrificii, Christi sacrificio oppositi, impietatem tegere nequicquam studetis.

OBIECT. IX. *Nulla unquam religio fuit sine Sacrificio aliquo externo. Ergo nec Christiana religio tali carere potest. At nullibi illud conspicuum est nisi in Missa.* Resp. 1. Siccine igitur in statu innocentiæ vera religio non fuit? Ibi enim nullum sanè externum Sacrificium habere locum potuit, quia Sacrificium omne ex Dei instituto est testimonium fidei in Christum, uti etiam Paulus Hebr. XI. 4. exemplo Abelis docuit. 2. Neque etiam Christiana religio externo Sacrificio destituitur, Christi nimirum in cruce peracti, quod ejusmodi est, ut æternum & infinitum valorem habeat, & in Eucharistia vividissimè repræsentetur ac recolatur, ac denique fidelibus omnibus eo modo, quo proximè diximus, applicetur.

EXCIP. REDING: 1. *Si status integritatis per peccatum non fuisset abruptus, debuisset nihilominus populus sub religionis unitate coadunari, & externo ac publico sacrificio potiri, quo non singuli duntaxat privatim Deum colerent, sed unus etiam omnium nomine publicum religiosæ contestationis ritum Deo exhiberet. 2. Si Christo Divinitus præfinito in V. T. à fideli populo suo Deus exegit publicam fidei per sacrificium contestationem, cur id ipsum in N. T. non etiam exigeret?* Ib. pag. 301. Resp. Exceptiones hæ tuæ ex Judæorum infidelium, quibus strenuè illæ patrocinantur, pharetra non ex Divinis Mosis & Christi pandectis petitæ eadem ratione rejiciuntur, qua afferuntur. Unde enim in statu integritatis, vel post Christi oblationem sacrificiorum, propitiatoriorum maximè, de quibus solis controvertimus, religionem, quæ non juris naturalis, sed positivi tota est, & peccatum vicaria morte seu oblatione expiandum necessariò supponit, obtenturam fuisse, & adhuc debere probas? An cultus Dei publicus sine sacrificiis talibus nullus exerceri: nulla sine sacrificiis religiosa contestatio locum habere potest? Id si verum est, in ipsum Cœlum, ubi Angeli & Cœlites omnes Deum sub uno capite & domino uniti flagrantissimè colunt, ejúsque excellentiam quàm maximè contestantur, sacrificiorum religio induci, atque ibi vel homines, vel pecora mactari, certè sanguis effundi debet. Nam lagano vel placentula certè nemo ibi, Missatorum more, faciet. *Ubi est peccatorum remissio, ibi non est oblatio pro peccato* Hebr. X. 18. Ubi ergo est oblatio pro peccato, seu sacrificium propitiatorium, de quo solo quæstio nostra instituta est; ibi peccatorum remissio, seu actualis expiatio nulla est. Quid statui innocentiæ cum tali sacrificio? quid Ecclesiæ Christianæ, post expiatum semel & una die in cruce peccatum?

OBIECT. X. *A temporibus Apostolorum ad nostra usque tempora Ecclesia Catholica in Eucharistia propriè dictum & propitiatorium Sacrificium credidit. Extant enim Liturgiæ, nominatim Jacobi Apostoli, de qua Patres 227. in Quinisexta Synodo Can. 32. testimonium ferunt; Petri Apostoli, Marci Evangelistæ, tres S. Basilii, Gregorii Theologi, Cyrilli Alexandrini ex Arabico conversæ; ejusdem Anaphora ex vetustissimo Codi-*

*Codice Syriaca Lingua scripto; Liturgia Constantinopolitana Chrysostomi, ex quarum omnium formulis patet, Missam sub ratione veri Sacrificii fuisse celebratam. Ejusdem usum illibatè conservatum testantur Clemens I. Justinus Martyr, Irenæus, Hippolytus Martyr, Methodius Palaucensis, Cyprianus, Eusebius, Cyrillus Hierosol. Gregorius Nazianzenus Nyssenus, Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus. Accedunt Oecumenica Concilia, Nicenum I. Can.*14. *Ephesinum Epist. Decret. Cyrilli & Synodi ad Nestorium, Synodus Quinisexta* Can.32.52. *Lateranensis sub Innoc.III. Toletana XII. Can.*5. *Bracharensis III. Laodicensis, Arelatensis, Florentina, Constantiensis.* Aug. Reding. *Dissert.VIII.cap.*3. *num.*28.29.*&c.* ubi horum omnium testimonia se petenti demonstraturum liberaliter promittit. Resp. 1. Sacræ Scripturæ præsidio depulsi frustra ecclesiæ consensum appellitant. Sacramentorum enim institutio & usus ex verbo Dei, eóque claro & intelligibili, non hominum arbitrio arcessi debet. 2. Primos Christianos propter recentem memoriam Sacerdotii Aharonici abstinuisse non solum à vocabulo Templi, sed etiam Sacerdotii, ac Sacerdotum, fatetur Bellarminus *lib. de Cult. Sanct. cap.*4. Missæ etiam & Sacrificii mentionem apud eos rariùs occurrere, certum est. Imò Patres unum Sacrificium propitiatorium in cruce peractum agnovisse, irrefragabilibus eorum testimoniis probatum dedere Theologi nostrates πλυμαθέστατοι, Mornæus de Eucharist. *lib. III. cap.* 4. 5. *&c.* Hospinianus *Histor. Sacram. libr.III.II.&c.* Edmundus Albertinus *de Euchar. Sacr. lib.II. III. &c.* His priùs solidè satisfacere Adversarii debuerant, quàm veteris ecclesiæ consensum thrasonicè nimis jactarent. 3. Liturgia Romana Petri, Hierosolymitana Jacobi, Alexandrina Marci, Æthiopica Matthæi, Mediolanensis Ambrosii, Cappadociana & Syriaca Basilii, Constantinopolitana Chrysostomi vel prorsus supposititiæ, vel misere interpolatæ sunt, vel denique tales, ut Sacrificium Missæ Pontificium evertant potiùs, quàm stabiliant. De manifesta νοθείᾳ Liturgiarum, Apostolorum quorundam nomen præferentium, videsis Cl. Riveti *Critic. S. lib.I. cap.*3. Authoritatem verò earum simul semélque elusit & elisit ipse Bellarminus *de Sacram. Euchar. lib.IV.*3. ubi Græcos iis innitentes ita refutat: *Nec obstat, quòd in Liturgia S. Jacobi & aliorum Patrum habeantur illa verba. Nam non omnia, quæ in Liturgia habentur, desumpta sunt ex Domini exemplo aut præcepto. Constat enim multa addita esse ab aliis. Itaque probare deberent Græci aliquo testimonio (quod tamen non possunt) verba illa ex Domini verbis aut factis manasse.* Quod igitur Græcis Bellarminus, idem & ego heic Latinis probandum incumbere pertendo. 4. Quod genuina Patrum ac Conciliorum testimonia, quæ singula excutere haud vacat, concernit, illud utique animadvertendum, & κλεῖδα τῆς γνώσεως *clavis intelligentiæ*

inſtar habendum, non ex verborum ſono, ſed loquentium ſenſu rem æſtimandam eſſe. Neque enim ſi Miſſæ, altaris, menſæ, Sacrificii, Sacerdotum meminerunt, ilicò ſequitur, Pontificiam miſſam eos intelligere, talem videlicet, qua verè & propriè offeratur Deo ipſe Chriſtus ſpeciebus panis & vini incluſus, & quidem in ſacrificium verè propitiatorium. Nihil hujuſmodi veteribus in mentem venit. Non dicam, oblationem elementorum à populo factam, & quòd res à populo oblatas acceperint ex offerentium manibus paſtores, eáſque in menſa Dominica collocaverint ſanctificandas & conſecrandas, in Sacramentum ſalutare populi, alicubi Sacrificiorum nomine veniſſe, & paſſim Sacrificium Euchariſticum, laudis videlicet, quod pii in illa commemoratione mortis Domini Domino offerebant, dictum eſſe. Gemino adhuc ſenſu veteres Cœnæ Dominicæ celebrationem *Sacrificium* nuncupavére. Et *primò* quidem *impropriè & metonymicè*, ex intuitu videlicet veri illius & proprii Sacrificii, quod Chriſtus in paſſione pro nobis obtulit, *ſigno* ipſi induendo nomen *ſignati*. Propriè enim Euchariſtia eſt Sacramentum Sacrificii illius μνημονικόν: Impropriè verò per metonymiam ſignati pro ſigno dicitur etiam Sacrificium, & quidem ſano ſenſu etiam propitiatorium, quod Chriſtus in paſſione pro nobis obtulit. Hic ſenſus manifeſtè liquet ex Chryſoſtomo *Serm.* 17. *in cap.* 10. *ad Hebr.* προσφέρομεν μὲν, inquit, ἀλλ᾽ ἀνάμνησιν ποιούμενοι τοῦ θανάτου αὐτοῦ. τοῦτο ἐκείνης τύπος ἐστι, καὶ αὐτὴ ἐκείνης. *Offerimus quidem, ſed commemorationem facientes mortis ejus. Hoc exemplum ſeu typus eſt illius, & hæc illius.* Non igitur ipſum Sacrificium Chriſti, ſed commemorationem & typum ejus operabantur. In eandem ſententiam Auguſtinus Epiſt. 23. *Sæpe ita loquimur, ut paſcha propinquante dicamus, craſtinam vel perendinam eſſe Domini paſſionem, cùm ille ante tam multos annos paſſus ſit, nec omnino niſi ſemel illa paſſio facta ſit. Nempe ipſo die Dominico dicimus: Hodie Dominus reſurrexit, cùm ex quo reſurrexit, tot anni tranſierunt. Cur nemo tam ineptus eſt, ut nos ita loquentes arguat eſſe mentitos, niſi quia iſtos dies ſecundum illorum, quibus hæc geſta ſunt, ſimilitudinem nuncupamus: ut dicatur ipſe dies, qui non eſt ipſe, ſed revolutione temporis ſimilis ejus: & dicatur illo die fieri, propter Sacramenti celebrationem, quod non illo die, ſed jam olim factum eſt. Nonne ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſeipſo, & tamen in Sacramento non ſolùm per omnes Paſchæ ſolennitates, ſed omni die populis immolatur: nec utique mentitur, qui interrogatus eum reſponderit immolari? Si enim Sacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum, quarum Sacramenta ſunt, non haberent, omnino Sacramenta non eſſent. Ex hac autem ſimilitudine plerunque etiam ipſarum rerum nomina accipiunt.* Qui unus locus evidens omnium inſtar eſſe poteſt. Exponunt verba illa Canonem 14. aliis 18. Concilii Niceni dicentis:

Οὐ τὸ

Οὔτε ὁ κανὼν, οὔτε ἡ συνήθεια παρέδωκε τοὺς ἐξουσίαν μὴ ἔχοντας προσφέρειν, τοῖς προσφέρουσι τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ. *Neque regula, neque consuetudo tradidit, ut qui offerendi potestatem non habent, iis qui offerunt, dent corpus Christi.* Corpus Sacramentum corporis, & Sacrificium commemorationem ac repræsentationem veri Sacrificii in cruce oblati significant. Atque ita etiam in alio Canone qui reperitur in Actis Gelasii Cyziceni dicitur, quòd *in Sacramento* jaceat Christus ἀμνὸς Θεοῦ ἀθύτως ὑπὸ τῶν ἱερέων θυόμενος, *agnus Dei à Sacerdotibus sine Sacrificio Sacrificatus*, quasi dicas, oblatus repræsentativè, non hypostaticè. Sic Græci vocabant ἄθυτα ἱερὰ, *res sacras non oblatas.* Proinde inanis est triumphus Aug. Reding contra Cl. Vedrosium pag. 517. ubi *glossas*, uti vocat, *Vedrosianas ex ipso textu Concilii evanescere* jactat. Quomodo vero? *Per mensam*, inquit, *conformiter loco 1.Cor.XI. altare intelligi, in quo perageretur sacrificium corporis & sanguinis Christi, testatur Augustinus, Chrysostomus, Clemens Rom. &c.* Hoccine verò est *ex verbis Concilii* litem decidere? Ita videlicet agit tortuosus Sophista. Scripturam detortam ex Patribus detortis, Concilium itidem & Patres ex Scriptura obtorto collo rapta interpretari solet. Ita nunquam lusciniolæ deesse cantio potest. Quia Scriptura & Concilium mensæ, Patres altaris meminerunt, idcirco mensa, cujus Concilium meminit, propriè dictum altare fuit, in quo externum Sacrificium perageretur. Sed verò de mensa Apostoli supra satis responsum. Nunc etiam Patres *altare* propriè, non metaphoricè dictum intelligere, probare Adversarius, non simpliciter asserere debuit. Nos verò altare propriè dictum rem esse in Eucharistia apud Christianos novam pertendimus. De eo enim vel struendo vel usurpando nihil uspiam scriptum est. Christus etiam Eucharistiam apud mensam, non altare celebravit. Neque aliter Apostoli & primi temporis Christiani. Neque etiam Judæi Christianis toto illo tempore de violato Divinæ Legis unicum altare apud suos erigi præcipientis mandato, quidquam uspiam objecere. Imò Pagani Celsus, Cæcilius, Julianus, alii Christianis exprobrant, quòd nullas aras, nulla altaria habeant. Plurima eam in rem dicta vide cùm ab aliis, tum inprimis Cl. Dalleo *de Cult. Relig. lib. VIII. cap.16.17. &c.* Altare propriè dictum Scriptura facit Christum, oblationes nostras sanctificantem Matth.XXIII.19. Joh.XVII.19. Hebr.XIII. 10. Et quæ tandem licentia est, nomine mensæ obtrudere altare propriè dictum? Si quem porro desideramus Niceni Canonis interpretem, officio eo defungi potest Eusebius, qui Concilio Niceno interfuit. Ita autem habent ejus verba lib. I. cap.10 Dem. Evang. *Itaque post omnia quasi mirabilem quandam victimam, sacrificiumque eximium Patri suo operatus pro nostra omnium*

mnium ſalute obtulit, in ejúſque rei memoriam, ut nos ipſi Deo pro ſacrificio offerremus, inſtituit. Cùm ergo ſacrificii memoriam ſignis quibuſdam (non ſacrificiis) *in menſa celebrandam, corporiſque item illius, ſanguiniſque ſalutaris, iti N. T. inſtitutum habet, acceperimus; rurſus à Propheta inſtruimur ad dicendum: Paraſti in conſpectu meo menſam &c.* Et paulò poſt: *Sacrificamus & incendimus, aliâs quidem memoriam magni illius ſacrificii, ſecundum ea quæ ab ipſo tradita ſunt myſteria celebrantes, & Deo gratias pro ſalute noſtra agentes: aliâs nos ipſos totos ei ſacrificantes, &c.* Hoc igitur jure exigimus ab Adverſario, ut fidem nobis certis ſolidíſque argumentis faciat, S. Patres, cùm in Euchariſtia offerri Sacrificium dicunt, & alibi ſe perſpicuis verbis declarant, intelligere ſe ſacrificii Chriſti cruenti *commemorationem, ſignum, typum, ſimilitudinem, &c.* Papiſtarum more intellexiſſe verum, propriè dictum, numero idem & modo duntaxat diverſum à ſacrificio crucis, propitiatorium ſacrificium, in quo Chriſtus ſub ſpeciebus & panis & vini propriè deſtruatur & immoletur. Non admittimus enim coccyſmum & manifeſtam fallaciam Redingii ſacrificium ſuum probantis ex iis verbis Patrum, quibus in Euchariſtia agnoſcunt *ſacrificium, menſam, altare, &c.* Cúmque verba illa ambigua ex apertioribus eorundem locis, quibus Euchariſtiam *commemorationem, ſimilitudinem, ſignum, typum* ſacrificii appellant, illuſtramus & explicamus, ad prima illa & dubia verba, ut poſteriora aperta & ſimplicia involvat ac obſcuret, identidem & ἀλλοπροσάλλως, non alium in finem, quàm ne obmuteſcere cogatur, confugientis & recurrentis. Sed de priori *ſacrificii* apud Patres ſignificatu hæc abunde dicta ſunto. Alio igitur etiam ſenſu Patres Euchariſtiæ celebrationem ſacrificium appellavere, nempe *ſpirituali*, & tribus quidem modis. Primò ex conſideratione ipſius actionis, quatenus eſt pars cultus ſoli Deo debiti. Quò pertinet illa ſacrificii definitio, quam tradit Auguſtinus de C. D. lib. X. cap. 6. *Verum ſacrificium eſt omne opus quod agitur, ut ſancta ſocietate inhæreamus Deo: relatum ſcilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati poſſimus. Unde & ipſa miſericordia, qua homini ſubvenitur, ſi propter Deum non fit, non eſt ſacrificium.* Secundò intuitu invocationis Domini ex corde contrito & ſincera fide. Cujus ſacrificii & oblationis duæ ſunt partes, nempe tum humilis & ſincera peccatorum confeſſio, cum pia cordis contritione, tum ſupplex, ſeria & fidelis imploratio miſericordiæ Dei. Chryſoſtomus *Serm. 17. in cap. IX. ad Hebræos* priorem illam partem vocat προσφορὰν τῶν ἁμαρτημάτων, *oblationem peccatorum*; poſteriorem verò αἴτησιν συγχωρήσεως *implorationem veniæ.* Quam utramque oblationem opportunè facimus in Euchariſtia. Tertiò denique reſpectu illius oblationis, quâ fideles non ſymbola tantùm

tùm conſecranda, ſed etiam ſeipſos Deo offerunt, accedendo ad menſam Domini, ſeque ſanguine Domini redemptos, & redemptionis jure ſervos Domini profitendo, & fidele ſervitium vovendo. *Hoc*, inquit Auguſtinus de Civ. D. lib. X. cap.6. *eſt ſacrificium Chriſtianorum, multi unum corpus ſumus in Chriſto: quod etiam Sacramento altaris fidelibus noto frequentat eccleſia, ubi ei demonſtretur, quòd in ea oblatione, quam offert, ipſa offeratur.* En veteris eccleſiæ ſacrificia: quibus ſi acquieſcerent Papiſtæ, hactenus cum iis libenter ſacrificaremus. Sed alio longè ſenſu illi ſacrificantes, cogunt nos dicere ex Pſal.XVI.4. *Non libabimus libamina eorum de ſanguine, neque aſſumam nomina eorum in labiis meis.*

Excip. Reding: *1. Quid tum poſtea, ſi primi Chriſtiani Eccleſias dixerunt, quas nos hodie Templa, & Epiſcopos ac Presbyteros, quos nos Sacerdotes? Templum eſt, ubi locus altaris, in quo ſacrificium peragitur, quocunque nomine appelletur. At altaria illos habuiſſe, ex 1 Cor XI & Hebr.XIII. jam oſtendimus. Etiam Canon Apoſt.3. Dionyſius. Irenæus, Athanaſius &c altarium meminerunt. 2. Licet non omnia, quæ liturgiis continentur, ex Domini exemplo vel præcepto deſumpta eſſent; ſufficit tamen ſacrificii ſubſtantiam iis comprehenſam ex Domini præcepto petitam eſſe. 3. Quoad Patres, ſatis etiam eſt, quòd dilucidus loquentium ſenſus, ex concordi verborum emphaſi & proprietate elucеſcit, probátque, eos ita Miſſæ, altaris, menſæ, Sacrificii & Sacerdotum meminiſſe, ut Chriſti corpus & ſanguinem ſub ſpeciebus Euchariſticis verè ac propriè in ſacrificium propitiatorium offerri, aſſeveraſſe intelligantur. 4. Ex Chryſoſtomi verbis allegatis liquet, ejuſmodi in ſacrificio Miſſæ commemorationem mortis Chriſti fieri, ut ſimus tamen offerentes; & oblationem illam ita eſſe typum ſacrificii in cruce peracti, ut quia, ſecundum eundem, offertur unum Chriſti corpus, ſacrificium quoque unum ſit. Clarè enim dicit, Hoc (Euchariſtiæ) ſacrificium ita eſſe illius in cruce peracti exemplar, ut id ipſum ſemper offeramus. 5. Sed & Auguſtinus diſertè dicit, Chriſtum omni die immolari in Sacramento, cum tamen ſemel duntaxat in ſemet ipſo immolatus ſit. Addit, abſque etiam illis verbis,* in Sacramento, *ſimpliciter dici poſſe, Chriſtum quotidie immolari, eò quòd Sacramenta obtineant ſimilitudinem rerum, quarum Sacramenta ſunt, atque ex hac ſimilitudine ipſarum rerum nomina plerunque accipiant. Hoc ſibi vult, quòd vox immolationis ſecundùm primævam originem ſacrificio cruento appropriata, ex ſimilitudine Sacramentali eatenus ad myſticam in Euchariſtia immolationem applicari poſſit, ut Chriſtus tamen verè dicatur quotidie immolari in Sacramento. 6. Eodem facit Canon Nicænus, ubi per verba* offerunt. offerendi poteſtas, Corpus Chriſti; *non mera ſacrificii in cruce peracti commemoratio, & corporis Chriſti repræſentatio, ſed oblatio de præſenti fieri ſolita, Chriſtique corporis veritas ſignificatur. In altero etiam Canone ex Actis Gelaſii recitato, ubi Chriſtus dicitur jacens in Sacramento, Agnúſque Dei à Sacerdotibus ſine ſacrificio ſacrificatus, ita excluditur materiale ſacrificium, & repræſentatio ſacrificii in cruce peracti docetur, ut hac ipſa tamen repræſentatio Chriſtum, ceu Agnum Dei præſentem, & à Sacerdotibus ſacrificatum importet. Confirmatur id ex Concilii Nicæni I. Diatyp. de Divina menſa, ubi aſſeritur, in ſacra illa menſa ſitum eſſe Agnum illum Dei, tollentem peccata mundi, eúmque incruentè à Sacerdotibus immolari, & ſic nos pretioſum ejus corpus & ſanguinem*

nem verè sumere, ut necessum sit, per mensam altare intelligi. Et dicis Concilium, fide nos intelligere, Agnum ibi situm incruentè immolari. Fides porro falli nescia rei veritatem ex ipso Deo revelante supponit. 7. Verba Canonum & Patrum, præsertim geminata, propriè intelligenda sunt, nisi omnia fidei mysteria discrimini exponere volumus. Quando ergo dilucidis & geminatis verbis de altari illi loquuntur, altare propriè dictum intelligi debet, non aliud. Quale etiam fuit mensa Christi & Apostolorum, quia alias Christus se non obtulisset in Cœna, nec alios offerre jussisset. Judæi verò Christianos violatæ legis arguere non potuerunt, quia ipsos Christiani in eo superstitionis accusarunt. Ethnici verò exprobrare jure altarium defectum Christianis non potuerunt, quia à mysteriis illorum prohibiti, Christianis etiam in cryptis delitescentibus, cultus illorum notitiam exactam habere non potuerunt. Aliud longè testantur veterum monumenta, Canonum Apost. Dionysii Areop. Tertulliani, Irenæi, Athanasii, pluriúmque aliorum, quorum verba, altarium usum probantia, per extensum proferre paratus sum. 8. Si Christus altare est, an igitur altare nullum aliud esse consequitur? O ineptias! Annon Christus sanctificationem pro suis, Joh. XVII. 19. insinuatam in altari materiali crucis perfecit? 9. Neque ulla licentia est mensam interpretari altare, cùm præiverit ipse S. Paulus 1. Cor. X ubi cùm v. 18. interrogasset, annon qui edunt hostias, sint altaris participes, v. 21. subjunxit: Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. Intelligi autem hic per mensam altare propriè dictum, textus innuit, cùm gentes super illam mensam immolasse dæmoniis Apostolus scribit. 10. Eusebium qua fronte pro te citas? Annon enim ille disertè dicit, instituisse Christum, ut in N. T. nos ipsi Deo pro sacrificio offeramus, in memoriam scilicet sacrificii crucis? Et paulò ante V. & N. T. Sacerdotium comparans, dixit, Sacerdotes N. T. ad longè præstantius & sacrificium & munus assumptos esse. In vita Constantini testatur idem, Altaria in toto terrarum orbe fuisse constructa. Et demonstrat. Evang. lib V. cap. 3. Altari Sacerdotium secundum ordinem Melchisedeci à Christi Ministris in Ecclesia gerendum connectit. ii Sacrificia spiritualia genericè talia sunt. Patres autem simul sacrificium specificum, propriè dictum, & à solis Sacerdotibus peragendum, agnoscunt. Ib. pag. 301--307. Resp. 1. Imò verò non parum ad rem facit, quod primi Christiani nec Missæ, nec Templorum, nec Sacerdotum, nec altarium, in quibus vos religionis vestræ proram & puppim collocatis, uspiam meminerint. Hodie certè talia dissimulantes nescio quo crimine ab Inquisitoribus vestris arcesserentur. Verba Bellarmini infideliter à me citata quereris, & tamen citationis infidelitatem demonstras nullam. En igitur ejus verba diserta, quæ *de Cultu Sanct. cap. 4.* sic sonant: *Ad testimonia Patrum dico. primos Christianos propter recentem memoriam Sacerdotii Aharonici abstinuisse non solùm à vocabulo Templi, sed etiam Sacerdotii, ne viderentur adhuc durare Judaicæ Ceremoniæ. Itaque Apostoli in suis Epistolis pro Sacerdotibus Episcopos & Presbyteros, pro Templis Ecclesias dicunt: & similiter loquuntur Ignatius, Justinus & antiquissimi Patres.* Tu Templa tamen obtinuisse, inde probas, quia altaria obtinuerunt; & ex altaribus sacrificia infers. Ita doctor perplexus rem perplexam ex magis perplexa & dubia infers. 2. Cùm, eodem Bellarmino judice, non omnia, quæ in liturgiis habentur, ex Domini exemplo aut præcepto desumpta, & multa ab aliis addita sint, quo verò tu argumento probas, sacrificii substantiam potius, quàm alia ex Domini præcepto & exemplo desumpta esse? Nam documenta & instrumenta alicubi interpolata & immutata haud ampliùs authenticam fidem præstare possunt. De Jacobi liturgia sic Claudius de Xaintes vestras *cap. de Jacobo* scribit: *Judaice hic & Christia-*

ne sacrificavit. Hoccine ad substantiam rei pertinet? Liturgiæ ejus non ante octavum Seculum quicquam veterum meminit. Prima ejus mentio in Synodo Trullana sexta occurrit. Virginis θεοτόκου & τοῦ ὁμοουσίου haud semel illa meminit. An igitur Patres & Concilia adversus Nestorium & Arium authoritate ejus non pugnassent, si iis temporibus cuiquam in Ecclesia illa innotuisset? Inducit Templa, altaria, thurificationes, thuribula, eo tempore, quo flagrabat maximè Ecclesiarum persecutio, cultus Dei erat clandestinus, in ædibus privatis, in cryptis. Ab illo certè apparatu multis Seculis Ecclesia aberat. Denique cùm Jacobus ante scriptas à S. Paulo Epistolas mortem violentam oppetierit, universus tamen liturgiæ ejus contextus periodis ex Epistolis Pauli manifestè decerptis quasi perfunditur. Similia νοθείας argumenta in reliquis liturgiis Viri docti, Pontificii et alii, detexerunt. Solus ferè hodie Redingius, & cum illo imperitiores alii quisquiliis illis pasci amant; nil pensi habentes afferre quidvis, dummodo obmutescere ne cogantur. 3. Patres Missam, altare, mensam, sacrificium, Sacerdotes memorantes, *verborum* illorum *emphasi & proprietate* uti, adeóque verbis illis intellexisse, quæ hodie vos intelligitis, probandum tibi, non pro imperio edicendum fuerat. Quomodo *verborum emphasi & proprietate* eandem rem illi *altare* & *mensam* appellare potuerunt? Manifestus vel hic stupor tuus est. Ubi vestra verborum emphasi *sub speciebus Eucharisticis*, à subjecto videlicet suo avulsis, Christi corpus *verè, propriè, realiter* (his enim vos terminis utimini) offerri, & quidem *in sacrificium propitiatorium*, quo sacrificium crucis *appellari* debeat, illi dixerunt? Has verborum vestrorum *emphases & proprietates* paulum certè emphaticas & proprias nobis demonstra. Missa sanè ne nomine quidem primis Christianis innotuit. Notior vox ea fuit Suetonio, cùm Caligulam dicit *missam fecisse Lolliam Paulinam*; quàm S. Paulo, Apostolis, vel Apostolico cuiquam viro. Actionem tamen sacram, in qua spirituales cordium hostiæ Deo per pœnitentiam immolantur: incensa orationum, vituli labiorum adolentur, concremantur; Evangelium, verbum Dei, ut est apud Paulum, sacrificatur: Viscera nostra, tanquam per miserationem effunduntur, dispergiuntur, proximis Christi membris per eleemosynas distribuuntur: Christi porro mors, sacrificium crucis nuntiatur, prædicatur; & de Sacerdotis ipsius summi diserto mandato, qui Deus æternus & ipse; hanc, inquam actionem, haud invitis nobis S. Patres sacrificium, oblationem dixerunt; cùm interim nomina sacrificii, oblationis *in emphasi & verborum proprietate*, uni solique sacrificio crucis competere, ipsimet severissimè pertenderint. Cruentum verò & incruentum sacrificium quomodo in verborum emphasi & proprietate sacrificium utrumque dici potest? Si enim cruentum in emphasi & proprietate verbi sacrificium est, incruentum non erit, quia in illa vera & realis mors, quæ ad expiationem peccati necessariò intercedere debet, obtinebat, in hoc nihil minùs. Non igitur in emphasi utrumque sacrificium dici potest. Neque ἀναίμακτοι θυσίαι *Sacrificia incruenta* apud Patres uspiam discrimen constituunt inter Sacrificium crucis & Sacramentum seu sacrificium altaris; sed inter sacrificia seu Judæorum, seu gentilium, & sacrificia Christianorum. Sic Athenagoras *Apolog. pro Christ. Quid ergo*, inquit, *holocausta curem, quibus non habet opus Deus. Debet is sibi victimam incruentam, animum rationis compotem sibi offerri ac ministrari.* Ubi ne Eucharistiæ quidem mentio habetur. Eusebius *de Demonstrat. lib. I. 6* preces [illegible] *Sacrificia incruenta & immaterialia* vocat. Quin & [illegible] temperat, addito ὥσπερ ἀχειρους (inquit *de vita Const. lib I 41*) ἀχράς, [illegible] καὶ ἀναίμακτους θυσίας, ἀποτελεῖν. *Preces, quibus gratias ageret, tanquam*

quam sacrificia quædam ignis & nidoris expertia Deo dicavit. 4. Chrysostomi verba quæ *homil.*17.*in Epist. ad Hebr.* extant, integra repræsentemus: Postquam is de oblationibus sub V.T. factis egit, subjungit: Τί οὖν ἡμᾶς, καθ' ἑκάστην οὐ προσφέρομεν; προσφέρομεν μὲν, ἀλλὰ ἀνάμνησιν ποιούμενοι τοῦ θανάτου αὐτοῦ. καὶ μία ἐστὶν αὕτη, οὐ πολλαί. Πῶς μία ἐστὶν οὐ πολλαί; ἐπειδὴ ἅπαξ προσηνέχθη ἐκεῖνο, εἰσηνέχθη εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων. Τοῦτο ἐκείνης τύπος ἐστὶ, καὶ αὕτη ἐκείνης. Τὸν γὰρ αὐτὸν ἀεὶ προσφέρομεν. οὐ νῦν μὲν ἕτερον, ἀλλ' ἀεὶ τὸν αὐτόν. ὥς μία ἐστὶν ἡ θυσία ἐπὶ τῷ λόγῳ τούτῳ. &c. Verba isthæc accuratè sic redduntur: *Quid igitur nos, an quotidie non offerimus? Offerimus quidem, sed recordationem facientes mortis ejus. Et una hæc est, non multæ. Quomodo una & non multæ? Quia semel oblatum illud, illatum est in Sancta Sanctorum. Hoc figura est illius. Hæc* (autem, quam nos offerimus) *illius* (quoque, oblationis scilicet in cruce) *figura est. Eandem enim semper offerimus. Non nunc quidem aliam, sed semper eandem. Proinde unum est hoc sacrificium hac ratione.* Concludit: Οὐκ ἄλλην θυσίαν, καθάπερ ὁ Ἀρχιερεὺς, ἀλλὰ τὴν αὐτὴν ἀεὶ ποιοῦμεν, μᾶλλον δὲ ἀνάμνησιν ἐργαζόμεθα θυσίας. *Non aliud sacrificium, sicut Pontifex, sed idem; potiùs autem oblationis recordationem operamur.* Dicens ergo Chrysostomus, *offerre nos, sed facientes recordationem mortis ejus*; annon apertè innuit, id, quod in Eucharistia fit, propriè non esse oblationem Christi, sed oblationis ipsius commemorationem; ita ut tum dicamur offerre, quando commemoramus mortem ejus. An, dic Redingi, commemoratio mortis Christi propriè oblatio Christi est? Nam commemorationem eam fieri per novam oblationem, ab oblatione in cruce facta distinctam, nec dixit sanè, nec somniavit. Offerimus sanè, sed faciendo commemorationem mortis; adeóque non propriè offerimus. Ubi verò Chrysostomus id, quod in Eucharistia offertur, dicit esse simul figuram hostiæ crucis, simul ipsam crucis hostiam? Sic certè relatum foret correlatum. Sed manifestus est verborum Chrysostomi sensus. Τοῦτο *Hoc* (puta oblationis legalis in sancta sanctorum introductio annua, de qua in præsenti per enallagen temporis loquitur; quemadmodum & paulò ante dixerat, Sacerdotem sæpe id *facere* quotannis) ἐκείνης τύπος ἐστὶν *illius* (oblationis Christi in cruce) *figura est*; καὶ αὕτη *& hæc* (quam nos offerimus, faciendo commemorationem mortis, *figura* similiter est) ἐκείνης *illius* (oblationis in cruce semel factæ) Manifestè enim revocandum est figuræ vocabulum in priori clausula adhibitum, & posteriori applicandum, quod in Græcis tantillum versati deprehendent facilè. Cùm dein Chrysostomus addit, id quod Dominus in cruce obtulit, & quod nunc in pluribus locis offertur, idem esse corpus, eundem Christum; hoc sibi vult, idem esse corpus, eundémque Christum per relationis scilicet unitatem, quomodo relata, qualia signa & signata sunt, unum censentur. Sic enim loquitur, quia panis & vini oblatio, quam in Eucharistia fieri innuit, τύπος *figura* est, uti innuit, & imago hostiæ in cruce oblatæ. Solenne quippe apud veteres est, imaginem, & id, cujus imago est, unum atque idem esse, non multa; ob relationis unitatem, non substantiæ identitatem. Ita Eusebius *contra Marcell. de Eccl. Theol. lib.II.*23. ὥσπερ βασιλέως κρατοῦντος ἑνὸς, εἰκόνος δὲ αὐτοῦ πανταχοῦ γῆς περιφερομένης, οὐκ ἄν τις σωφρονῶν δύο εἴποι τοὺς κρατοῦντας, ἀλλ' ἕνα τὸν καὶ διὰ τῆς εἰκόνος τιμώμενον. *Nemo sanus dixerit Regem & Regis imaginem ubique circumlatam duos esse Reges. Unus enim est in imagine sua honoratus.* Basilius *de Spirit. S cap.*18. Βασιλεὺς λέγεται καὶ ἡ τοῦ βασιλέως εἰκὼν, καὶ οὐ δύο βασιλεῖς. *Rex dicitur etiam imago Regis, nec ideo duo sunt Reges.* Ita Haymo Halberstadiensis *in* 1.*Cor.X Caro*, inquit, *quam assumpsit & iste panis* (Eucharistiæ) *omnisque Ecclesia non faciunt tria corpora Christi*

Chriſti, ſed unum corpus. Neque enim intelligit, panem Euchariſtiæ eſſe propriè & ſubſtantialiter Chriſti corpus, quàm Eccleſia illud ſit; ſed mens ejus eſt, tria quidem eſſe, quæ corpus Chriſti nominentur; re vera tamen, accuratè & propriè loquendo, unum tantùm illorum eſſe, cui hæc appellatio eſſentialis ſit. Denique dicit Chryſoſtomus: *Eundem ſemper Chriſtum offerimus*, non quod propriè & ſtrictè loquendo jam à nobis Chriſtus offeratur, ſed quia offeratur in ſigno, hoc eſt, quia ſignum ipſius offeratur. Ipſemet enim hiſce in Epiſtolam ad Hebræos homiliis teſtatur paſſim, Chriſtum eſſe materiam hujus, quæ quotidie fit, oblationis, qua occiſum & mortuum. ſub qua ratione Adverſarii ipſi fatentur, eum nonniſi repræſentativè à nobis offerri. Deinde paulo ante verba citata comparationem inſtituens inter oblationes V. T. & Chriſti in cruce factam; *Quod*, inquit, *multas oblationes & perpetuò offerebant, oſtendit, eos illis non fuiſſe mundatos. Medicamentum enim, verbi gratia, ſi fuerit validum & ſanitatis effectivum, & omnem morbum abigere valens, ſemel impoſitum id efficit, &c. Quòd igitur ſemper offerrentur, arguit imbecillitatem. In Chriſto autem contra. Semel oblatus eſt. Figuræ ſiquidem ſolum typum habent, non virtutem.* Si intelligeret, Chriſtum hodiéque offerri in ſacrificium *reale, verum, proprium, veréque propitiatorium*, quomodo non ſimile foret ipſius ſacrificium medicamento invalido, veteribúſque oblationibus repetitione indigentibus? Denique id apertè docet, concludens his verbis: *Non alteram oblationem facimus, quemadmodum Pontifex olim, ſed eandem; μᾶλλον δὲ potius autem oblationis recordationem operamur.* quæ poſteriora verba expoſitivè ab eo addita ſunt, ut innueret, propriè loquendo nos jam Chriſtum non offerre, ſed oblationis ipſius tantummodo memoriam ac figuram in pane Euchariſtico. Quæ explicatior Chryſoſtomi mens clariſſimè patefacit, quo ſenſu juxta veteres, dicamur Chriſtum in Euchariſtia offerre. S. Auguſtini diſertiſſimis verbis, quæ *Epiſt. 23. ad Bonifac.* extant, nequicquam tenebras offundere conaris. Dicit ille, *ſemel immolatum eſſe Chriſtum in ſemetipſo, & tamen in Sacramento non ſolùm per omnes Paſchæ ſolennitates, ſed omni die populis immolari.* Explicat ſe hac ratione: *Si enim Sacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum, quarum Sacramenta ſunt, non haberent, omnino Sacramenta non eſſent. Ex hac autem ſimilitudine plerunque ipſarum etiam rerum nomina accipiunt.* Quia ergo in Sacramento eſt ſimilitudo immolationis ſemel à Chriſto factæ, dum videlicet frangitur corpus, & effunditur ſanguis: ideo in eo immolare Chriſtum dicimur; non rei veritate, ſed ſimilitudine Sacramenti, ceu figuræ ſcilicet cum re in eodem figurata. Sed hoc ſibi velle S. Patrem fingis, *quòd vox immolationis ſecundum primævam originem ſacrificio cruento appropriata ex ſimilitudine Sacramentali eatenus ad myſticam in Euchariſtia immolationem applicari poſſit, ut Chriſtus tamen verè dicatur quotidie in Sacramento immolari.* Ubi ſic Auguſtinus concludit? Immolari Chriſtum quotidie in Sacramento dicit: ſed verè, propriè, realiter immolari non dicit. Imò *per ſimilitudinem* immolari dicit eundem Chriſtum. Si verè quotidie idem immolatur, qui in cruce immolatus eſt, jam immolationis ſimilitudo erit nulla, ſed identitas. Similitudo figuræ eſt: veritas rei figuratæ. Ex ejus quippe mente Sacramenta ſacra ſigna ſunt, quemadmodum *Epiſt. 5.* ait, *Signa cùm ad res ſacras pertinent, Sacramenta dicuntur.* Quid quod S. Auguſtinus paulo ante ſic locutus erat: *Ita ſæpe loquimur, ut Paſcha propinquante dicamus, craſtinam vel perendinam eſſe Domini paſſionem &c. hodie Dominus ſurrexit, cùm ex quo reſurrexit, tot anni tranſierint. Cur nemo tam ineptus eſt, ut nos*

ita loquentes arguat mentitos? nisi quia istos dies secundum illorum, quibus hæc gesta sunt, similitudinem nuncupamus; ut dicatur ipse dies, qui non est ipse, sed revolutione temporum similis ejus: & dicatur illo die fieri, propter Sacramenti celebrationem, quod non illo die, sed jam olim factum est. Hinc similitudinis & veritatis rei distinctionem ex mente Augustini discere clarissimè est. Sicut *ipse dies, qui non est ipse, sed revolutione temporum similis ejus*: Sic *ipsa immolatio, quæ non est ipsa*, ac ne verè quidem immolatio, sicut dies paschatis non est verè passio; sed *similis* ei; unici scilicet sacrificii, quod Christus Dei Filius in cruce obtulit, memoria, meditatio, gratulatio. 6. Idem planè Nicæni Canonis sensus est. Vetat is, ut *qui offerendi potestatem non habent, iis, qui offerunt, corpus Christi non dent.* Sunt igitur, qui offerendi (nempe in signis) potestatem habeant: sunt qui eodem modo offerant: sunt qui corpus Christi dent; hoc est, Sacramentum corporis Christi. Nempe, juxta modo explicata Augustini verba, *Sacramenta ex similitudine ipsarum rerum, quarum Sacramenta sunt earum nomina plerunque accipiunt.* Diatyposis à Gelasio Cyziceno quinti Seculi homine conficta, & Nicæno Concilio supposita nihil equidem ad rem admodum facit, quia scriptum nothum est. Neque tamen causæ tuæ in ea inservit quicquam. *Iterum etiam*, inquit, *hic in Divina mensa ne humiliter intenti simus ad panem & poculum* (in Divina ergo mensa illa panis & poculum est, sed tamen illorum substantiis sistenda mentis operatio non est) *sed attollentes mentem fide* (per fidei, quæ institutione Divina nititur, operationem. unde realem præsentiam frustra Redingius inde colligit) *intelligamus situm in sacra illa mensa* (non altari) *Agnum illum Dei tollentem peccata mundi* (nempe per panem & vinum tanquam symbola in mysterio repræsentatum; secundum generale illud Augustini *de Doctr. Christ. lib. II. 1.* de signis axioma, *ne quis in signis attendat, quod sunt, sed potiùs quòd signa sunt, id est, quod significant.* Sic planè archetypum in imagine conspici solet. Atque ita verbum κεῖσθαι *jacere* apud Græcos & Latinos passim. velut Eustathium *Præfat. in Iliad. Hom.* scribentem: *Septem orbis miracula κεῖσθαι ἐν λόγοις jacent in verbis*, seu historiis, quia videlicet in eis recitentur) ἀθύτως ὑπὸ τῶν ἱερέων θυόμενον (non *Incruentè*, uti inscitè ex Bellarmino Redingius reddit, sed) *sine immolatione* vel *mactatione* (non igitur propriè immolatum, quia alias non ἀθύτως, sed impropriè in Eucharistia, in qua repræsentatur immolatio Christi per panis fractionem, & calicis à pane separationem) *& pretiosum ipsius corpus & sanguinem verè sumentes credere hæc esse resurrectionis nostræ symbola* (sive *verè* sumentes spiritualiter, cùm corpus & sanguinem Christi sumere spiritualiter, sit illud *verè* sumere: sive typicum & symbolicum Christi corpus, panem, quem *verè*, ore corporis sumimus: sive *verè*, id est, devotè, sincerè, sine hypocrisi) 7. Verba geminata propriè semper intelligenda esse, unde probas? Nova hæc regula hermeneutica est, cui nulla ratio fidem facit. Christus de se Joh. XV. 1. 5. bis pronuntiavit, geminavit illa verba: Ἐγώ εἰμι ἡ ἄμπελος, *Ego sum vites.* An iccirco propriè vites est? Sed *alias*, inquis, *fidei mysteria periculo exponerentur omnia.* Fictitio Missatico mysterio si quod inde periculum conflatur, veris mysteriis, quæ à verborum sive propriorum, sive impropriorum genuino sensu pendent, conflatur nullum. Egregiam verè rationem tuam. Si mensa Christi & Apostolorum non fuisset altare, Christus in Cœna se ipsum non obtulisset! Atqui se non obtulit in cœna: neque se obtulisse, definire Tridentini ausi sunt. Ergo non fuit altare. Judæi lege Mosis freti, cur non accusant Christianos, altaria hinc inde erigentes: æquè ac accusarunt eosdem, legis Mosaicæ capita alia

trans-

transgredientes? De Ethnicis & Canonum ac Patrum testimoniis exceptionem tuam supra *Resp. ad arg.* 3. elisi. Per *extensum* quidem multa proferre soles: sed per *intensum* parum, vel nihil. 8. Post sacrificium in cruce Christi obitum, altaris nomine in Scriptura venire aliud quicquam, quam Christum & crucem ejus, proba; & cùm probare omnino nequeas, tuas verò ineptias resorbe. Christus omnino sanctificationem pro suis in altari perfecit. Sed pro Missatico Sacerdote altare externum institutum esse, efficacibus argumentis proba, non inanibus verbis jacta. 9. Nunquam etenim efficies, ut 1 Cor X 21 τράπεζα mensa vel *Domini*, vel *dæmoniorum* sit altare propriè dictum. Nam illud intelligitur per mensam, in quo peracto sacrificio convivium, seu μετοχὴ *participatio convivii* instituitur. Neque enim gentiles in altari solebant de sacrificiis comessare: & Eucharistia, in qua participes reddimur sacrificii Christi, altare non est, sed mensa est. Sed textus, inquis, docet, gentes super illam mensam dæmoniis immolasse. Ubi verò docet Redingi? Quæ gentes immolant, illa dæmoniis eas immolare, Apostolus v. 20. docet. Super mensa immolare, nuspiam docet. Causæ tuæ desperatio ad effutiendum quidvis te adigit. 10. Eusebii *de Demonstrat. Evang. lib.* I. 10. verba disertiora sanè sunt, quàm ut eludi à te valeant. Christum ait is θαυμάσιον θῦμα καὶ σφάγιον ἐξαίρετον *mirabilem quandam victimam, hostiámque eximiam Deo Patri operatum, pro nostra omnium salute se obtulisse*, μνήμην καὶ ἡμῖν παραδόντα ἀντὶ θυσίας τῷ Θεῷ διηνεκῶς προσφέρειν, *memoriam nobis tradentem vice sacrificii perpetim offerendam.* Post præstantissimum igitur illud corporis ac sanguinis Domini à Christi in cruce oblatum sacrificium, *sacrificii vice* (non igitur novum externum sacrificium) offerendum ex Salvatoris mandato non aliud quam *memoria*, seu memoriale illius ab eo oblati. Ergo non idem est quoad substantiam cum sacrificio, quod ipse Dominus in cruce obtulit. Memoriale enim sacrificii corporis & sanguinis Domini, non est idem cum sacrificio corporis & sanguinis Domini; sicut memoria passionis non est ipsa passio. Quippe memoriale ex earum rerum genere est, quæ ad aliud referuntur. Nihil ad seipsum realiter referri potest. Cœterùm Eusebius exponens, quidnam sit memoriale illud sacrificii Dominici in cruce peracti, quod ait vice sacrificii restare pro nobis offerendum, illud in oblatione symbolorum corporis & sanguinis ejus consistere, sic docet: Τούτου δῆτα τοῦ θύματος τὴν μνήμην ἐπὶ τραπέζης ἐκτελεῖν διὰ συμβόλων τοῦ τε σώματος αὐτοῦ καὶ τοῦ σωτηρίου αἵματος, κατὰ θεσμοὺς τῆς καινῆς διαθήκης παρειληφότες, πάλιν ὑπὸ τοῦ προφήτου Δαβὶδ παιδευόμεθα λέγειν. Ἡτοίμασας ἐνώπιόν μου τράπεζαν. *Cùm itaque hujus sacrificii memoriam in mensa perficiendam per symbola corporis ejus pretiosique sanguinis, secundum N. T. sanctiones acceperimus, rursum à Propheta David edocemur dicere: Parasti coram me mensam.* Viden, Redingi, *per symbola corporis & sanguinis Domini*, non per ipsum corpus & sanguinem, *in mensa*, non altari, *perficiendam* hanc *memoriam accepimus.* Symbola certè corporis & sanguinis Domini se ad ipsum corpus & sanguinem Domini habent, sicut signum significans ad significatum; typus ad veritatem. Addit Eusebius: *Quemadmodum Melchisedec solo pane & vino Abrahamo benedixit:* τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον, *ita & nos in cunctis gentibus spiritualem leiturgiam secundum ecclesiasticas sanctiones perficientes, pane & vino mysteria corporis & sanguinis pretiosi exprimere.* Intelligit autem, vero pane, veroque vino Melchisedecum usum esse. Oblationem ergo nostram veri panis verique vini oblationem esse similiter intelligit. Sed *paulò ante*, inquit Redingius, *quem Eusebius V. & N. T. Sacerdotium Sacerdotes N. T. ad longè præstantius sacrificium vocatos esse, ajsse is.* Dixerat ergo Eusebius eodem capite, *Quando secundum*

testimonia Prophetarum inventum est magnum ac æstimandum redemptionis pretium Judæorum simul & gentium, τὸ τοῦ παντὸς κόσμου καθάρσιον illud totius mundi piaculum pro anima omnium sacrificium; (in cruce Christi sola, non alibi expiationem & propitiationem ostendit) *illa pro omni macula & peccato pura victima, agnus ille Dei; illa Deo grata & munda ovis &c. meritò corporis & sanguinis ejus memoriam celebrantes* (non corpus & sanguinem ipsum propriè, ceu sacrificium propitiatorium, offerentes) & *κρείττονος ἢ κατὰ τὰς παλαιὰς θυσίας τι καὶ ἱερουργίας ἠξιωμένους, præstantius sacrificium munúsque, quàm veterum illud fuerit, consecutos non ampliùs integrum sibi putare recidere in prima illa & infirma elementa & imagines, veritatem ipsam non continentia.* Præstantius illud sacrificium & munus est Sacramentum Eucharisticum, quod in pane & poculo consistens continet in se *veritatem*, hoc est, virtutem corporis & sanguinis Christi, quam vetera signa *infirma*, uti Eusebius illa vocat, ita tenuiter habebant, ut illius comparatione eam nec habere, nec continere rectè dici queat. De altaribus supra egimus. II. Sacrificium specificum, externum, propriè dictum, propitiatorium à Patribus intelligi, τὸ κρινόμενον est. quod turpiter petis. Nunquam enim, quantacunque virium contentione desudaveris, vel unum eam in rem testimonium ex puriori antiquitate proferes. Non ergo Redingi, meritoriæ & meretriciæ Missæ vestræ turpitudinem tegere potuisti. Quin illa jam, omni purpurisso tuo inducto & penitus deleto, patescit magis; & apud sanos cordatósque quosvis

Cùm bene se tutam per fraudes mille putavit,
Omnia cùm fecit, Thaida Thais olet.

QUÆSTIO II.

An missæ sacrificium prosit soli sumenti, an potiùs offerri debeat pro vivis & defunctis, pro alienis peccatis, pœnis, satisfactionibus & necessitatibus?

POsterius asserit Canon. III. cap. II. Nos Missam nec sumenti, nec aliis; Eucharistiam verò soli sumenti, non aliis sive *viventibus*, de quibus infra, ubi de privatis Missis mentio incidet, uberior dicendi locus erit; sive *defunctis*, de quibus in præsentiarum potissimùm agemus, prodesse contendimus. Rationes.

ARG. I. Christus usum Cœnæ instituit pro iis, qui accipiunt, manducant, bibunt. Sumentibus, non aliis vel vivis, vel defunctis dictum: *Panis est corpus meum pro vobis datum: Vinum est sanguis meus pro vobis effusus in remissionem peccatorum.*

RESP.

RESP. REDING: 1. *Si soli sumenti prodest corpus & sanguis Christi, extra Cœnam igitur, quando illa non sumuntur, proderunt nemini. 2. Pretium corporis & sanguinis Christi formaliter applicatum per Eucharisticam sumptionem, vi Sacramenti ex opere operato gratiam confert solis sumentibus. Cùm verò idem Deo Patri offertur secundum eum valorem, quem in sui traditione ac effusione is ratum habuit, tum prodest non sumentibus solis, sed universo humano generi, adeóque quibusvis animabus sanguine Christi redemptis. Neque enim commemoratio corporis Christi in mortem traditi, & sanguinis ejus effusi sterilis est, sed traditionis illius in mortem, & effusionis valorem conjunctum habet, adeóque à Sacerdote peragi non tantùm pro se, sed pro quibusvis aliis potest.* Reding. Tomo III. Tract. IX. Ss. 2. pag. 307 308. Resp. 1. Concedo totum. Nam etiam extra Cœnam non manducantes carnem Filii hominis, & non bibentes ejus sanguinem, vitam in se ipsis habere non possunt, Joh. VI. 53. Sed manducatio illa spiritualis fide peragitur sine symbolis: in Eucharistia fide symbolis adjuta. 2. Pretium corporis & sanguinis Christi Deo in cruce à Christo oblatum est: in Missa verò offertur nullum, uti supra evicimus. Si tamen in Missa oblatum sumptionem non requirit, cur non eandem Sacerdos conficiens omittit? An enim ille non manducans sacrificium offerre censebitur? Haud puto equidem. Sed de eo quicquid sit, Christus in Eucharistia nonnisi ad manducantes & bibentes dixit, hoc esse corpus, hunc esse sanguinem suum traditum, effusum pro iis ad remissionem peccatorum. Et commemorare jussit mortem suam nec non edendo, non bibendo: nec per sacrificium aliquod novum Deo Patri offerendum. Ficulneæ igitur & falsis fundamentis innixæ sunt responsiones tuæ.

ARG. II. Defuncti sunt vel beati in Cœlis, vel miseri in inferis. At neutris prodest Dominica Cœna. Non illis, quia consummati sunt, & beatitudine fruuntur. Non his, quia nullis subsidiis ex inferno liberari queunt. Tertium verò locum purgandorum videlicet, non agnoscimus.

RESP. REDING: 1. *Falsæ hypothesi, purgatorium eliminante, niteris. 2. Mortuis preces apud altare fusas & oblationes prodesse, S. Patres agnoscunt. Quin & Beatis Cœlitibus sacrificii Missæ oblatio prodest, non ad propitiationem, sed gratulationem oblatæ cœlestis gloriæ, & excitandum in iis accidentale gaudium.* Ib. pag. 308. 309. Resp. 1. Hypotheseos veritatem tuemur infra. 2. Sed & Patrum sententiam æqua lance infra libramus. De usu verò & fructu Missæ ad ipsos Beatos Cœlites redundantis figmenta tua cassa nuce digna non sunt. Typhus hic est Sacrificulorum, qui non de vivis duntaxat & mortuis militantibus, sed triumphantibus etiam Cœli incolis bene se mereri jactant. Quid verò hoc est, Redingi, sacrificium propitiatorium reale, quale Missam fingitis, sacrificare ad solam gratulationem? Erit enim hoc sacrificium respectu illorum, qui in Cœlo sunt, non propitiatorium, adeóque sua natura non Missaticum, hoc est, Missa non Missa. uti apud vos omnia contradictionibus scatent. Mendacia enim non bene cohærent.

ARG. III. In V. T. canonicis Scripturis nullum potest exemplum ostendi sacrificii expiatorii pro defunctis. Nec in N. T. mandatum est,

ut vel Cœna pro iis administretur, vel offeratur sacrificium. Ergo hic cultus minimùm est ἐθελοθρησκεία.

RESP. REDING: 1. *Præter Judæ Macchabæi exemplum etiam textum habes Tobiæ cap. IV.18. ubi jubemur panem & vinum nostrum mittere supra sepulchrum justi. Quem S. Patres de pane & vino pro eleemosyna in justi defuncti refrigerium oblato interpretantur. 2. In N. T. Christus præcipiens hoc facere ad sui commemorationem, sui in cruce oblati sacrificii commemorationem, haud sterilem mandavit. Cujus mandati vi licet pro justis defunctis, pœnæ alicui temporali adhuc eluendæ obnoxiis, pretium ejusmodi Eucharisticæ oblationis Deo Patri offerre.* Id. pag. 309. Resp. 1. De Judæ Macchabæi exemplo infra. Neque etiam apocryphus Tobiæ textus, non tam instructionem Spiritus S. quàm humani ingenii admonitionem complexus, patrocinatur errori. Nam, etiam te indice, Patres non de sacrificio externo propriè dicto, sed de eleemosynis, in justi defuncti refrigerium, interpretantur. Intellexerunt autem illi refrigerium extra purgatorium, uti paulò post ostendimus. Sed & illi, qui sic explicant, ab originalibus verbis abludunt, quæ sic habent: Ἔκχεον τοὺς ἄρτους σου ἐπὶ τάφον τῶν δικαίων: *Effunde panes tuos super sepulchrum justorum; & ne dederis aliquid sceleratis. En, justorum.* Quo nomine cur eos comprehendas tantùm, qui nondum purgati sunt, & non eos etiam, quos Sanctos appellatis, rationem dicas oportet. Constitui ergo debebat panis & vinum super sepultura justi, id est defuncti sancti cujuslibet. At nemo Sanctus defunctus indiget cibo. Quæ ratio efficit id fieri ad cibandos mortuos, eadem efficit, non fieri ad precandum pro mortuis. Scilicet videntur hæc dicta ex more quodam reficiendi pauperes circa sepulchra mortuorum, quò celebrior, diuturnior & sacratior apud eos & aspicientes esset memoria justorum hominum, ut eorum exemplis gestísque posteritas ædificaretur, & merces aliqua virtutis etiam in hoc Seculo superesset ad disciplinam viventium. Si ad parentalia vel gentilium, vel avarorum Monachorum, oblationes pro mortuis ad quæstum suum convertentium, respexisse Tobiam pertenderis, eo ipso libri illius authoritatem manifesto periculo exposueris. Parentalia quippe ejusmodi nec legis Divinæ, nec exemplorum probatorum testimonium habent; & superstitionem à Sanctis, nominatim verò S. Augustino in Sermone de Cathedra Petri, improbatam semper; nec non avaritiam planè respiciunt. 2. Commemorationem mortis suæ Christus minimè sterilem equidem præcepit; sed nec sic tamen monstrosè fœcundam, ut commemorationem sacrificii per Sacrificium illud numero idem commemoratum peragi jusserit. Talia nulla rationis umbra hactenus demonstrata obtrudi sibi sanus nemo patitur. Cocecæ fidei carbonarii vestri patiantur.

ARG. IV. Nemo viventium sacrificulorum confidere potest, se missis suis purgatorium evasurum. Multò minùs quisquam sibi persuadere debet, fore ut quocunque opere suo alios ex pœnis sibi debitis liberet. Nam & hic verum est illud: *Medice cura te ipsum.*

RESP. REDING: *Cùm Missæ Sacrificium non sterilis, sed mortis Christi pretio fœcundata commemoratio sit, poterit Sacerdos mysterium id perficiendo, pretii hujus valorem tam pro se, quàm pro aliis Deo offerre. In quantum verò id Deus acceptet ad pœnarum ejus eluitionem in abscondito consilio latet. Cùm verò ille sacrificii Christi valor in Missa*

sa pro peccatis duntaxat præteritis offerri possit, potest quidem sacerdos ex sacrificiis pro se oblatis plurimùm confidere de expiatione peccatorum, quorum in purgatorio pœnas sustinere debuisset; at de pœnarum pro peccatis futuris, præsertim paulò ante mortem committendis, extinctione, nihil sibi spondere potest. Ib. pag. 310. Resp. Crambem sæpius coctam recoquis. De cætero cum in Missa nihil habeatis, quod realiter offerri Deo pro peccatis possit, nihil Deus acceptat. Nullus proin Missationis vestræ fructus est, nisi quòd sacrificium crucis probro exponit, & Dei iram adversus vos accendit magis. Sed & sorex suo se prodit indicio. Si enim sacrificium Missæ pro peccatis duntaxat præteritis, non futuris valet, non igitur idem numero est cum sacrificio crucis, quod ejus, pro quo Deo Patri oblatum est, peccata & præterita & futura, adeòque in universum omnia expiat. Vestrum vero de peccatis futuris nihil spondet, ne scilicet purgandum nihil, ad tinnitum æris, supersit. Hoc denique perscire velim, cùm pro sceleratissimis quibusvis, dummodo numerato pretio focos vestros calefecerint, nitidiorésque reddiderint, liberaliter missare soleatis, unde vobis constet, omnes illos Purgatorii incolas, adeòque inferno damnatos non esse. Certè sic pauci divites, nobiles damnabuntur; & pauperes ac despecti in mundo damnabuntur plerique. Si non constat, illos, pro quibus offertis Deo, Purgatorio post mortem beatos esse, unde ergo constabit, quod tu asseveras, Deum Missæ sacrificium pro talibus oblatum ad pœnarum saltem aliquarum extinctionem acceptare. Si non acceptat, cui ergo offertis; & quis alius acceptat? Divinate sacrificuli.

ARG. V. Nec vetus Ecclesia purior sacrificavit pro defunctis purgatorianis. Tribus primis seculis ne quidem oblationum pro defunctis apud ullum Scriptorem mentio est. Et quæ deinceps memorantur oblationes pro defunctis, diversissimæ fuerunt ab iis, quas Tridentini nobis commendant. Neque enim opinio veterum fuit ipsam Eucharistiam tanquam sacrificium externum & verè propitiatorium pro defunctis purgatorianis valere. De quo inferius.

RESP. REDINGI: *Pura ergo non fuit Chrysostomus, qui lib 6. de Sacerd. scribit, sacerdotem esse deprecatorem apud Deum, ut hominum omnium non viventium modò, sed etiam defunctorum peccatis propitius fiat. An pura non fuit Ecclesia Apostolorum, à qua pro defunctis orandi* (seu sacrificandi) *morem, ab Augustino & Chrysostomo assertum, promanasse Zwinglius ipse fatetur? Certè etiam Augustinus Enchirid. ad Laurent. cap. 105. defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cùm pro eis sacrificium Mediatoris offertur, pronuntiat.* Ib. pag. 310. Resp. An, Redingi, quilibet deprecator, sacrificator, hoc est Mediator est? An orare, sacrificare? Hoc queri semper cogimur, vos ex ritibus & dogmatis vestris novissimis interpretari Patres, & verba eorum in alienissimum sensum detorquere solere. Zwinglius Epicher. pag. m 186. sic scribit *Perhibent Augustinus & Chrysostomus, morem pro defunctis orandi ab Apostolis usque ad se manasse, quod ego vehementer admiror, cum nemo Apostolorum quicquam de ea re prodiderit, tametsi in mentionem mortuorum nonnunquam inciderint. At si omnino res haberet, ut Augustinus & Chrysostomus prodiderunt non puto Apostolos alia causa, quam indulgentia infirmitatis quibusdam permisisse pro mortuis orare. Paulus enim nos non vult contristari pro mortuis, uti illi, qui à spe futuræ vitæ alieni sunt. Sic etiam hodie faciendum arbitrer, si qui adeò tenui fide*

ſunt, ut fideles parentes cœleſti domino anxiis precibus commendare cupiant, abjiciendos importunè non conſeo. Violenter enim Chriſtus linum fumigans non extinxit, & ὀλιγοπίστους diſcipulos toleravit. Sed in infirmitate permanere, & quod lucriones quidam faciunt, ſtabilire, id verò nullis permittere debemus, &c. Nundinas, venales preculas, & Miſſas, fictáſque vultu hipocriſes, ἃς κυνόσπερμος ocyter mihi mittas oro. Si eadem tibi, Redingi, mens eſt, mitte venales preculas, Miſſas &c quæ principale ſacerdotium tuum ſuſtinent. Aliud enim certé ſunt orationes pro mortuis non in purgatorio laborantibus, ſed ante finem mundi, qui veterum à vobis ipſis rejectus error fuit, faciem Dei non videntibus: aliud preces & Miſſæ venales pro iis, qui in Purgatorio igne, hoc eſt, in Utopia deſudant. Auguſtinum errori priori implicitum fuiſſe, nulli negamus. Aſt ab Apoſtolis eam opinionem ſuam hauſiſſe, fidem nullibi fecit. Sed & Enchirid. ad Laur. Cap. (non 105. ſed) 110. quod nævum & ἀκυρολογίαν ejus continet, per *ſacrificium Mediatoris*, quod pro defunctorum animabus offerri ſcribit, neutiquam Miſſæ ſacrificium, cujus cum ignariſſimis juxta ignarus fuit, ſed Cœnam Domini, in qua mortuorum memoria celebrari ſueverat, intellexit, quia ſcilicet Cœna, uti ipſemet *de Civ. D. lib. X.* 20. ſe explicat, ſacramentum ſacrificii eſt.

ARG. VI. Oblationes pro defunctis fovit Eccleſiaſticorum ardor, tum ad commendandam officii ſacerdotalis dignitatem, tum ad lucrum & quæſtum Eccleſiæ promovendum. Et manavit hinc innumera multitudo privatarum miſſarum, Sacerdotum Miſſaticorum & præbendarum. Hinc etiam turpiſſima illa nundinatio, qua poſt funera defunctorum pro certa pecunia tot miſſas ſacrificuli quæſtores celebrant quot maleſana ſuperſtitio deſiderat.

RESP. REDING: *Calumnias has orthodoxæ Antiquitatis pietas refutat. Si porro pro ſacerdotum officio illis ſuſtentatio, & Eccleſiæ ad promovendum cultum ſplendor retribuitur, illud turpis nundinationis convitio impetere, non alterius, quàm ex orco prodeuntis ſpiritus eſt.* Ib pag. 310. Reſp. Si non alia re, quàm orthodoxæ Antiquitatis pietate hic ſtandum, ſalva res eſt. Non calumniam ſic ullam, ſed juſtiſſimam accuſationem aſſertio mea continebit. Demonſtra enim nobis, ſi potes, orthodoxam Apoſtolorum & primævorum Chriſtianorum antiquitatem, Miſſas pro defunctis privatas pretio addixiſſe: & divitum hic quàm pauperum rationem potiorem habuiſſe. Id ſi demonſtrare non potes, uti in æternum non potes; non nundinationis veſtræ juſtam accuſationem, ſed nundinationem potiùs veſtram improbam, quæ falſam pietatem quæſtui habet, unà cum ſpiritu illo ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων, qui Babylonicam illam ἐμπορίαν pro pia ſuſtentatione Miniſtrorum, & cultus Divini exornandi adminiculo venditat & tuetur, ex orco prodiiſſe, tute memineris. Tua enim maximè tuorumque, quibus hic ſeritur & metitur, multum intereſt, ne ex Orco prodiiſſe illa rerum minimè ſacrarum cauponatio videatur. quæ ſi ex Cœlo (unde omnis avaritia exulat) non prodiit, ex Orco prodierit neceſſe eſt.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Olim in V. T. Sacrificia celebrabantur pro defunctis. Nam 2. Machab. XII. Judas Machabæus juſſit offerri Sacrificium pro peccatis mortuorum. Quidni ergo idem*

liceat

liceat in Eucharistia N.T. Resp. 1. In V.T. nuspiam præceptum est sacrificium pro defunctis. 2. Libros Machabæorum apocryphos esse, adeóque nullam in fidei rebus authoritatem habere, supra probavimus. 3. Machabæorum tempore Judæi ex Græcorum consuetudine multa sibi affricuêre. Constat enim, sacrificatum esse Judaico more in Paganorum etiam gratiam, pro Regibus idololatris, Lacedæmoniis, pro ipso adeò Heliodoro, qui templum expiaverat. Et ex paganorum consuetudine ac sensu etiam Raziæ αὐτοχειρία ab authore illo commendatur. 4. Dubitari posset an Judas voluerit sacrificium fieri, quo ipsi mortui expiarentur; annon potiùs quod author & exscriptor ille non animadvertit, offerri jusserit pro Ecclesiæ totius peccato, ne ob defunctorum crimen ira Dei in superstites quoque exardesceret? Quòd si tamen priori consilio sacrificari jussit, id factum est nec ex legis præcepto, nec ex Patrum exemplo, nec ex usu Ecclesiæ recepto. Author ipse sententiam dicens, à peculiari ratiocinatione id illi esse satis ostendit his verbis: Πάνυ καλῶς καὶ ἀστείως πράττων ὑπὲρ τῆς ἀναστάσεως λογιζόμενος, *urbanè & honestè faciens, de resurrectione ratiocinatus.* 5. Denique factum illud Judæ neutiquam missis pro defunctis velificatur, tum quia in Eucharistia nullum propriè dictum sacrificium obtinere jam probavimus: tum quia sacrificium Judæ oblatum est pro iis, qui in mortali peccato, sacrilegio videlicet, defuncti sunt; at in purgatorio non alia quàm venialia peccata expiari illi pertendunt.

EXCIP. REGINO: 1. *Non ex Græcorum consuetudine, sed ex vera religione fluxisse eam pro mortuis oblationem, ex textu liquet. Ubi v. 43. Judas jussit offerri sacrificium illud, justè & religiosè de resurrectione cogitans; & in fine sancta & salubris cogitatio statuitur, pro defunctis orare, ut à peccatis solvantur.* 2. *An sacrificare pro idolatris ad eorum conversionem & temporalem salutem procurandam, à vera religione alienum putas? Razias quoque corpus & animam tradere pro Judaismo, & in eodem perseverare proposuit. Qua inscitia & nequitia hæc ad sacrificium pro mortuis torques?* 3. *Dubitationem tuam, an Judas voluerit sacrificium offerri ad expianda mortuorum peccata, nec ne, tollit clara & aperta litera, quòd miserit Judas Hierosolymam pro peccatis mortuorum sacrificium, bene & religiosè de resurrectione cogitans,* &c. *Et quòd sancta & salubris sit cogitatio pro defunctis orare. An ausis dicere, Judam errasse in facto, quòd ex bona & religiosa cogitatione profectum asseritur. Licet defuncti illi, pro quibus Judas offerri jussit, sacrilegium commiserint, quia tamen spes erat, occumbentes per contritionem justificatos esse, licuit Judæ non pro peccato mortali, sed pro hujus superstite pœnæ temporalis reatu, sicut hodiéque facimus, offerre.* Ibid. pag. 31. Resp. In exceptionibus tuis cunctis libri immediatè Divinam authoritatem nunquam probatam, probandam nunquam, ridiculè supponis. 1. Ex textu, inquis, liquet, oblationem eam pro mortuis ex vera religione fluxisse, quia Judas jussit offerri *justè & religiosè de resurrectione cogitans.* Cur verò non de Purgatorio, de Limbo, de Missis? Sed unde constat, Judam de resurrectione cogitasse? Quia scilicet ita libri scriptor, Jason, sive quisquis ille est, tradidit. Hic scriptionem canonicam supponis, nun-

quam probatam. Et unde scriptori suboluit, ita cogitasse Judam? Nam καρδιογνώστης fortè non fuit: imò divinavit malè, quia non æquè atque Judas Machabæus gnarus fuit legis illius Divinæ, quam in casu simili haud dubiè observandam ille duxit. Noverat ille exactè, lege Deut. VII. 25. fuisse interdictum attingere quicquam eorum, quæ idolis consecrata fuerunt; imò ista anathemata, & sculptiles Gentilium Deos comburendos ocyùs esse. Jam verò quod præceptum est in Lege Mosis, id præceptum est toti populo Judæorum, ut si quis unus è populo se anathemate inquinasset, totus populus reatu peccati implicaretur, quod ex Achanis & exercitus totius Josuæ historia, Josuæ VI. & VII. manifestum est; ubi cùm Achan solus de anathemate accepisset, propterea Jsraelitæ omnes prævaricati dicuntur prævaricatione in anathemate; Deúsque adeò crimen & flagitium in universum Israelem summa vindicta persecutus est. Quamobrem cùm sciret Judas, posse meritò vindictam Divinam imminere universo exercitui, eo quòd ex illo aliqui Jamnæ oppidum direpturi, quædam inter spoliandum ipsi sibi de iis, quæ idolis consecrata erant, adeòque juxta legem Deo devota & execrabilia censebantur, vindicassent: statuit ille vindictam Dei jam severè adversus milites quosdam sacrilegos, qui in prœlio occubuerunt, exercitum à toto populo avertere; inprimis cùm metus haud vanus esset, ne superessent nonnulli milites ejusdem rapinæ rei, vel conscii saltem: & ipsi superstites non eum zelum exercuerint, quem exercere juxta Legem Deut. VII. 25. jubentem anathemata ilico comburi, debuerant. Averti autem iram Dei posse, Judas piissimus, & legis Divinæ gnarissimus Dux censuit, si non tantùm omnes ad preces converterentur, sed etiam summa quædam drachmarum viritim collecta Hierosolymam ad sacrificium pro peccato mortuorum, ne scilicet vivo exercitui imputaretur, & victoriarum progressum sufflaminaret, mitteretur. Nam et id ipsum præcipitur faciendum Levit. IV. 13. 14. *Si totus cœtus Israel commiserit aliquid per errorem, postquam peccatum innotuerit, tunc offeret congregatio juvencum, filium bovis,* לחטאת *in sacrificium pro peccato.* Planè sicut Judas dicitur destinasse sacrificium περὶ ἁμαρτίας *pro peccato*, à mortuis scilicet commisso, at viventi exercitui imputato. Sic enim Græcus textus habet, & legunt omnia exemplaria Græca, Veneta, Aldi, Complutensia, etiam Romana, authoritate Sixti V. Papæ ex vetustissimis exemplaribus Bibliothecæ Vaticanæ edita; secus quàm nunc Biblia Clementis VIII jussu excusa, expuncta meliori & fonti consentiente lectione, *pro peccato*, legunt, *pro peccato mortuorum.* Præterea quæ simili contagione maculantur, simili quoque modo detestanda esse, ex Deut. XIII. 16. idem Judas noverat. Annon, Redingi, Judas Macchabæus has potiùs leges Divinas tam molliter è scriptura deductas, quàm quidvis aliud, cogitare potuit? Imo annon cogitavit homo sanctimonia & pietate præstans, qui omnia fecisse ad præscriptum legis, sic à parente sanctissimo Mathathia educatus, notatur? Sed aliud cogitavit libri scriptor Jason, uti putatur, Cyrenæus, qui cùm circa ea tempora, quibus Sadducæorum secta infaustum caput extulit, scriberet factum Judæ ad refutandum Sadducæorum errorem, de quo nondum noto Judas ne cogitare quidem potuit, detorsit. 2. Nuspiam certè Lex Divina sacrificare pro idololatris, gentilibus; sed pro solo populo Dei, & singulis in populo jussit. Qualis enim, Redingi, pro extraneis & idololatris victima offerri debuit? Nam pro qualitate personarum & delictorum victimas Lex Divina præscripsit. Nullam demonstrare potes. Raziæ verò αὐτοχειρίαν spontaneam, ejusdem pro religione Zelus neutiquam purgat. Non enim Zelus religionis cuiquam spontaneam mortem dictat: sed ad Martyrium verum sola divina vocatio incitat. Laudavit ergo Jason Raziæ peccatum, adeoque Di-

vino

uno Spiritu neutiquam concitum hic se ostendit. Et sanè Razias moriturus nemini utilis erat aut privatim, aut publicè. Itaque primò, propriè & per se cogitavit sibi necem inferre, haud aliter ac Cato Uticensis. *Qua verò, inquis, ineptia & nequitia hac ad sacrificium pro mortuis torques?* Non torqueo quicquam, sed ad fidem Jasonis, Judæ factum detorquentis, minuendam ista attuli, sine ulla *ineptia*, nedum *nequitia*, qua me uti causæ bonitas & indoles non sinit, uti mala causa patronos suos nequam esse ubique subigit. 3. Dubitationem meam litera clara & aperta neutiquam tollit. Illa enim non Judæ Macchabæi est, sed Jasonis ex ignorantia Legis Divinæ factum Judæ detorquentis. Neque adeò ausim dicere, Judam errasse. Sed Jasonem errasse, fingendo & narrando falsam Judæ cogitationem, clarè dico, & supra probavi. Sed nondum insuper, quod petieram, ostendisti legis Divinæ, oblationem pro mortuis sancientis, Præceptum. *Legis, inquis, non tam sterilis litera, quàm interior Spiritus oblationes ejusmodi præcipit.* Egregiè profectò, & strenuè Enthusiasticè! Legis litera tibi sterilis videtur, quia figmentis tuis non favet. Ad Legis ergo spiritum provocas. Sed quà notà spiritum, quem literæ inspiras, Divinum esse, & non impostoris alicujus, demonstras? Papales enim inspirationes nimiùm profectò suspectæ sunt. 4. Figmentum vestrum de remissione peccati & pœnæ æternæ, manente temporalis pœnæ reatu, Judæ Macchabæo οὐδὲ κατ' ὄναρ in mentem venit. Impudenter ergo ejus facto, ex propriis scilicet conjecturis fortissimus disputator, illud applicas; atque insuper contritos & justificatos occubuisse sacrilegos illos fingis cum eodem Jasone, qui v. 45. ait, illos *μετ' εὐσεβείας κοιμωμένους cum pietate dormientes κάλλιστον χαριστήριον optimam repositam gratiam habuisse.* Mortuos cum pietate qui potuit dicere in flagranti crimine deprehensos, & citra pœnitentiæ argumentum ullum (quis enim *τοὺς ἐπ' αὐτοφόρῳ δεινὰ δρῶντας εἰλημμένους* pœnitentes unquam dixit? Inprimis cùm morientes hi non abjecerint anathemata, sed ea sub tunica asservarint, uti ex v. 40. colligitur) in eodem morientes? Eadem ratione poterat Moses laudare eum, quem Phineas occidit in ipso scortationis actu. Erat enim Israelita, & profitebatur pietatem. Sed longè aliud pietatis judicium est. Denique sic nemo foret mortuorum, pro quo non orari & offerri posset. Vix enim ullus adeò sceleratus est & moritur, cui conjecturis quibusdam humana præsumptio suppalpare non possit.

OBIECT. II. *Paulus 1. Cor. XII. 12. &c. docet; inter membra unius corporis esse communionem bonorum & officiorum. Quidni igitur etiam vivi pro mortuis ejusdem capitis membris offerre teneantur?* Resp. 1 Communionis Sanctorum officia in Verbo Dei definita sunt. At ut vivi pro mortuis sacrificent, nusquam definitum est. Imo Scripturæ, quæ mortuos docet vel requiescere à suis laboribus in Cœlo, vel cruciari in inferno, oblationes ejusmodi contrariantur. 2. Si propter communionem Sanctorum viventium oblationes inserviunt mortuis in purgatorio, ut minuantur illorum pœnæ, magis igitur illis proderit sacrificium & intercessio Christi capitis, ut penitus inde eximantur.

Excip. Reding. 1. *Cùm animæ in Purgatorii pœnis constitutæ per fidem actualiter sint membra Christi, capaces fructus satisfactionis ejus, quæ per Missæ sacrificium applicatur,*

utique communio Sanctorum etiam ad sacramentorum & sacrificiorum participationem se extendit. 2. Apoc. XIV. 11. sic mortui requiescere à laboribus suis dicuntur, ut opera illorum ipsos sequantur. Hæc autem opera sunt, quæ post se pœnæ temporalis reatum, remissa culpa superstitem, trahunt. Et quia mortui à laboribus suis requiescunt, nequeunt ipsi reatum illum expungere. Adeóque per Missæ sacrificium expungi debet. 3. Sacrificium Christi, nisi applicatum per media Divinitus ordinata, mediantibus hominibus nihil operatur. Inter illa autem Missæ sacrificium est, quod vi communionis Sanctorum vivi pro mortuis, qui ejusdem capitis & Domini Christi membra sunt, offerunt. Ib. pag. 311. 312. Resp. 1. Mitte Purgatorii fabulam, & fictitii sacrificii crucis per Missæ reale sacrificium applicationem, & corruent reliqua. Certè sua membra Christus horribilibus Purgatorii flammis, quales infernalibus æquales fingitis, ustulari patietur nunquam Quid insuper audio? Ad Sacramentorum etiam participationem se communio isthæc viventes & mortuos inter extendit? Quæ ergo sacramenta Purgatoriani participant? Baptizantur, Eucharistiam manducant, confirmantur, ordinantur, absolvuntur, copulantur, unguntur? An propria quædam & eximia sibi sacramenta participant? 2. Textum Apoc. XIV. 11. detorques nefariè. Qualis, amabo, beatitudo illa est in Domino obdormientium, quiescere *à laboribus*, merendi scilicet & satisfaciendi; & *opera* interea pœnalia in proprio corpore, purgatoriis dirissimis flammis discruciando subire? Certè beatiores longè sunt fideles, cùm in terra adhuc degunt & militant, quàm cùm morientes sic à laboribus suis quiescunt, & opera in Purgatorio punienda sic illos sequuntur. Non igitur dicendum fuerat: *Μακάριοι Beati*, sed *ταλαίπωροι Miseri sunt, qui in Domino obdormiunt ἀπ' ἄρτι à nunc*, & beati fuerunt, priusquam sic in Domino obdormivissent. Sed laus Deo sit, quòd à Rhadamantorum talium gratia fideles non pendent. 3. Parum certè sacrificium Christi etiam per Missam applicatum operatur, si Purgatorii pœnæ nihilominus exantlandæ supersunt. Si quid prodest applicatio talis, æquè temporales illas pœnas & maledictiones, ac alia omnia expiare debuit. De cætero falsis ubique hypothesibus tuis niteris.

OBIECT. III. *Ecclesia vetus offerre solebat pro defunctis. Passim enim oblationum illarum meminerunt Liturgia Apostolorum, Epiphanius, Augustinus, Chrysostomus, imò integra Concilia.* Resp. 1. Si quid tale fecit ecclesia vetus, illud omne à verbi Divini regula & instituto ablusit. Proinde hactenus illius exorbitantis exemplum fideles minimè obligat. 2. Quicquid sit de testimoniis à Bellarmino per saturam cumulatis, quorum multa *νοθείας* postulari possunt; hoc unum dicere suffecerit, primis tribus seculis oblationum in Sacra Synaxi nullum scriptorem fide dignum mentionem ullam facere; & sequentium temporum memoratas *oblationes* toto genere à Pontificiis & missaticis oblationibus differre. Justinus Martyr *Apol. 2. p. 76. 77.* ubi totum Eucharistiæ celebrandæ & communicandæ morem ac ritum edisserit, oblationum vel precum pro defunctis haud meminit. Tertullianus quidem *de Cor. cap. 3. p. 121.* ineunte Seculo tertio *oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die factas memorat.* Verùm oblationes intelligere ipsum non ipsius Eucharistiæ, sed eleemosynarum aut agaparum, indicat alter ejusdem locus

de

de Monag. cap. 10. ubi oblationes eas non Sacerdos, unus Sacramenti legitimus minister, sed mulier vidua offerre dicitur. Et orationem ac oblationem eam Tertullianus annuam duntaxat facit, cùm hodie preces pro defunctis quotidie in Missa fundantur. Origo autem oblationum pro defunctis ejusmodi est. Invaluit paulatim, ut, Gentilium æmulatione, in memoriam defunctorum, amici cibos aliáque donaria, quas sportulas vocabant, in usum pauperum clericorum conferrent, uti ex Origenis *lib.* III. *in Jobum*, & Cypriani *Lib.* I. *Epist.* 9. liquet. Mox etiam tales sportularum collationes, advocatis Sacerdotibus, fieri cœperunt, cùm eucharistia celebraretur, oblationúmque nomine venerunt. Tandem sicut omnes orationes ecclesiæ in actione mysteriorum S. Eucharistiæ recitari solebant: ita etiam commemoratio, commendatio defunctorum, & pro iis oblationes in actionem illam translatæ sunt. Nemo tamen omnium ipsam Eucharistiam sacrificium esse pro defunctis reputavit. Imò orare in Eucharistia veteres solebant pro omnibus piis in fide & gratia Domini, ecclesiæque communione mortuis, etiam Martyribus. Nunc verò Papistæ non pro aliis defunctis offerunt & orant, quàm pro iis, qui Purgatorij ignotas priscis ante sextum Seculum sedes incolunt. Cæterùm idem illud de orationibus pro defunctis argumentum inferiùs suo loco discutiendum redibit.

EXCIP. REDING: 1. *Cùm veteris Ecclesiæ observantia sit verbi Divini regula, à vera religione alienum te ostendis, ubi sic illam sugillare audes.* 2. *Ipse Zwinglius Chrysostomi & Augustini consensum cum nostra doctrina largitur. Et consentiunt apertè Clemens Romanus, Damascenus, Dionysius Areopagita, Tertullianus, Cyprianus, Cyrillus Hierosolymitanus, Gregorius Nyssenus, Athanasius, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, Liturgiæ veteres.* 3. *Justini Martyris negativum testimonium nil te juvat. Tertullianus quoque de Coron. Mil. cap. 3. de ea oblatione loquitur, cujus traditio sit auctrix, consuetudo firmatrix, fides observatrix. At perpensis Patribus, ea oblatio sacrificium Missæ est. Ubi verò idem lib. de Monog. cap. 10. meminit oblationis per viduam pro anima defuncti mariti faciendæ, illa non immediatè sed mediatè per sacerdotem præstita intelligitur. Cùmque olim oblatio illa annua fuerit, quid obstat, quò minùs hodie ad majorem usum quotidie peragatur?* 4. *Cyprianus lib. 1. Epist. 1. profitetur expressè, sacrificium pro defunctis in altari celebrari solitum. Et Epist. 9. asserit, providè statutum esse à suis antecessoribus Episcopis, ut si quis frater excedens Clericum nominaret ad tutelam, pro eo non offerretur, nec pro ejus dormitione sacrificium celebretur. Quàm dolosè igitur agis, affirmando temerè, Cyprianum per oblationes intellexisse sportulas à defunctorum legatione provenientes; quæ adeò expressè ibi à sacrificiis pro defunctis offerendis distinguuntur.* 5. *Quo discrimine à priscis fidelibus factæ fuerint pro defunctis oblationes, pandit Augustinus Enchirid cap. 110. scribens, sacrificia altaris pro defunctis, baptizatis omnibus oblata, pro valde bonis gratiarum actiones esse; pro non valde malis propitiationes; pro valde malis non adjumenta mortuorum, sed qualescunque consolationes viventium. Et Cyprianus lib. IV.*

Epist.

Epist.5.agnoscit in N.T. sacrificium tum gratulatorium pro beatis,tum propitiatorium pro iis defunctis,quos sperare licet statu gratiæ non excidisse. Hinc adeò antiquitus Aerius in eo etiam hæreseos damnatus est,quòd oblationes pro defunctis negasset. Ib. pag. 312. 315. Resp. 1. Unde verò,Redingi, hausisti novissimum illud paradoxum tuum,*quòd Veteris Ecclesiæ observantia sit regula Verbi Divini?* At ipsum verbum Dei,piorum omnium judicio, regula fidei est. Tu eam in regulatum convertis, insigni impietate: & eidem insuper regulam præfinis *Observantiam* hominum. Si hominum decreta præfinires, insanires tolerabiliùs, & ut Papistam ingenuum decet, qui verbum Dei humano arbitratu pensitat. At observantiam Ecclesiæ statuere regulam Verbi Divini,à quo omnis Ecclesiæ observantia præscripta esse debet,id verò omnem insaniam superat. Quàm sic lubrica & incerta erit fidei regula,humana penitus,non subjecta verbo Dei,sed verbum Dei subjiciens,paucis cognita, imperfecta,obscura,difficilis,denique iis vitiis laborans,quæ vos per calumniam Scripturæ impingere soletis? Repeto autem,Ecclesiæ observantiam nec præcepto, nec exemplo ullo Verbi Divini firmatam,& Verbo Dei adversantem, nullam obligandi quemquam vim habere. Neque enim humana præsumptio legitimum fundamentum esse ullius dogmatis potest. 2. De Zwinglii sententia supra vidimus. Ratio porro mea de Seculis non quibusvis, sed tribus primis loquitur. Plerique verò omnes à te allegati tertio Seculo recentiores sunt; & orationes ac oblationes,nec Missaticas & propriè propitiatorias,sed vel ἀγαπητικάς, vel eucharisticas; impropriè propitiatorias; & longè diverso, quàm à vobis fieri solet,fine commendarunt. Ipsa enim Patrum testimonia diligentiùs paulò expensa testantur, orationes & oblationes illas primitus institutas esse partim ad agendas Deo gratias,cúmque glorificandum in servis suis,partim ad promeritam laudem eorum,qui in Domino obdormivissent: partim quò excitarentur alii hoc pacto ad imitationem defunctorum: partim ad fidem,spem, charitatem, ordinémque publicè testandum. Fidem quidem,quia vita licet functos vivere vitam beatam crederent: spem, quia eodem adspirarent: Charitatem,quia dulcem eorum memoriam retinerent: ordinem denique,quia judicarent in Domino mortuos, eminentiore sorte, infra Christum tamen esse constitutos. Quos fines ex ipsis Patrum testimoniis Celeb. Vossius *Disput.XXV.pag.372.* solidissimè eruit. Nulli tamen inficiamur,existimasse nonnullos,orationes & oblationes ipsis mortuis utiles esse: idque ratione status ejus,in quo animæ separatæ essent. Nempe arbitrabantur illi,animas ad resurrectionis usque diem in pœna damni, tœdio istius moræ, qua resurrectionem,plenámque Dei visionem expectarent,& in ipsa Seculi consummatione pœnam sensus,quam transituræ per ignem conflagrationis mundi, eóque purgandæ,sentire debeant,levari posse. Præterea preces addebant,quæ resurrectionem & judicium extremum spectarent. Sed nec de istis omnes sentiebant idem. Epiphanius enim,Augustinus,aliique privati,magis opinione occupati, quàm publicum Ecclesiæ judicium secuti,preces oblationésque pro defunctis, ad omnes tam malos, quàm bonos Christianos extendebant; damnationémque malorum, licet mutari non posset, levari tamen posse,credebant. Cœterùm cùm unusquisque,prout hic vixerit, aut vitam sortiatur æternam,aut Gehennæ pœnis afficiatur; liquet,orationes ejusmodi & oblationes significasse quidem in viventibus animi affectum at, minimè probasse veritatem & ejus effectum,quem illi animo non malo augurabantur malè. Alii verò,quorum institutum melius fuit, id tantùm à Deo postulabant, ut qui in fide obdormivissent, juxta Divinam promissionem,inter eos,qui ad gloriam resurgerent, conspici possent: utque in

severo

ſevero & peremtorio illo judicio eorum,quæ hic deliquiſſent,memor eſſe nollet,propter Chriſti,in quem crediSidiſſent,meritum. Et citra Purgatorium,cui accendendo hodie preces illæ & oblationes inſerviunt, illas olim locum habere potuiſſe,argumentum invictum illud ſuppeditat,quòd veteres etiam orârint & obtulerint pro Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis,Evangeliſtis, Martyribus & Confeſſoribus,quos à morte confeſtim in Cœlos recipi ipſi Pontificii agnoſcunt. A veteribus igitur oblationibus hodiernæ Papales diſſident


Quantum Hypanis Veneto diſſidet Eridano.

Et illæ ipſæ non ante ſeculum quartum invaleſcere cœperunt. 3. Nam Juſtinum equidem & Tertullianum fruſtra ſolicitas, & vel ſolorum horum,ut & Cypriani,quos ex univerſis tribus ſeculis primis,cauſæ veſtræ favere vobis fingitis,recta intelligentia cauſam veſtram premit magnopere. Juſtini Martyris teſtimonium negativum cenſeri nequit. Non enim negativum teſtimonium eſt,ubi tacetur id,quod ſi exiſteret,tacere occaſio, ordo & res prohibet. Atqui Juſtinus *Apolog. II.76.77.* totum Euchariſtiæ conficiendæ & communicandæ ordinem, & ritum,ſemel atque iterum,haud defunctoriè deſcribens, nullas uſpiam pro mortuis preces vel oblationes memorat. Cur eas omiſiſſet,ſi quæ jam tum erant? Inprimis cùm Chriſtianorum erga ipſos etiam mortuos humanitatem & officia ſignificaturæ,adeóque utiles futuræ fuerint ad mitigandos Paganorum in Chriſtianiſmum animos,ob parem ipſorum quoque in mortuorum pace & felicitate procuranda religionem? Tertulliani verba de *Coron.Mil.cap.3*.ubi *oblationes pro defunctis, pro natalitiis* (hoc eſt,ἀντὶ τῶν γενεθλίων, *loco natalitiorum*, quæ Ethnici celebrabant) *annua die factas* inter traditiones (vos autem oblationes pro mortuis ex ſcripto Verbo arceſſitis) memorat,cur ex *perpenſis aliis Patribus* potiùs, quàm ipſo Tertulliano explicas? Sic ſoles ἀλλοπρόσαλλος. Patres malè expendis, & malè expenſorum mentem affingis iis,qui nunquam tale quid cogitarunt. Quid quæſo *anniverſariis* ſeu *annuis*, hoc eſt,feſtivis oblationibus,quales Tertullianus memorat,abſurdius,ſi in tormentis iis, pro quibus offerebantur, & quidem majoribus,quàm quæ ulla excogitari poſſunt in hac vita,extiterunt? Sed *de Monog.cap.*10.perſpicuè ſe idem explicat. Ibi enim *mulierem viduam* jubet *offerre annuis diebus pro dormitione mariti*.Tu mulierem viduam mediante ſacerdote offerre debuiſſe fingis,non probas. Sic autem verba Tertulliani ſonant: *Enimverò & pro anima ejus* (mariti) *orat* (vidua) *& refrigerium* (hoc eſt,conſolationem in loco,quo reſurrectionis diem expectare animas cenſebant veteres) *interim adpoſtulat ei, & in prima reſurrectione conſortium, & offert annuis diebus pro dormitione ejus.* Sicut non jubetur orare per ſacerdotem: ita nec offerre per ſacerdotem. Manifeſtè igitur oblationes eleemoſynarum,vel agaparum intelligit, quas promiſcuè quivis offerre poterant. 4.Cyprianus *Epiſt lib.*1.9. ſcribit,eos,qui in Eccleſia Domini ordinatione clerica promoventur,in nullo ab adminiſtratione Divina avocari debere,*ſed in honore ſportulantium fratrum* (hoc eſt,honoraria, quæ *Epiſt.* 64. idem *ſtipes & oblationes* vocat, clero ſponte offerentium) *tanquam decimas ex fructibus accipientes,ab altari & ſacrificiis non recedere*,&c. ſubjicit: *Quòd Epiſcopi anteceſſores noſtri religiosè conſiderantes, & ſalutariter providentes,cenſuerunt,ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret; ac ſi quis hoc feciſſet,non offerretur pro eo,nec ſacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominari in ſacerdotum prece,qui ab altari Sacerdotes & miniſtros voluit avocare.* Teſtimonio hoc Cypriani uſus probavi,ſolitos eſſe ejus ætate amicos in memoriam defunctorum cibos,aliáque donaria,quæ ſportulas

vocabant, in usum pauperiorum Clericorum conferre. Quid enim aliud sunt *sportulantes fratres?* Explicat fusiùs morem Origenes *in Job. III.* ubi inter alia: *Celebramus nimirum* (diem mortis) *religiosos cum Sacerdotibus convocantes fideles unà cum clero: invitantes adhuc egenos & pauperes, pupillos & viduas saturantes, ut fiat festivitas nostra in memoriam requiei defunctis animabus, quarum memoriam celebramus*, &c. Ubi ergo dolosè ego, Redingi, egi? Nam *sportularum* nomine fidelium *oblationes* apud Cyprianum venire, clarissimum est. Neque eas ab eodem à *sacrificio pro dormitione* (sic Cyprianus loquitur, non *pro defunctis*) distingui, uspiam negavi; sed progressum ad errorem solum delineavi. Cœterùm Cyprianus meminit *oblationis & sacrificii pro dormitione*. Phrasis illa ambigua significat, oblatum & sacrificatum esse pro fratre, vel quia obdormivit, vel ut obdormiat. Posterius absurdum. Quando enim, vel ubi auditæ preces sunt pro aliquo, ut dormiret? Prius ergo restat; & verum, quia orabatur ὑπὲρ τῶν κεκοιμημένων. Ergo *offerre pro dormitione*, est pro iis, qui dormiunt. Dormiuntne autem in Purgatorio? Valde, opinor, securè, & in utramque aurem. Pro illis, quorum nomina memorabantur apud altare, hoc est, in Eucharistia preces fusæ, sacrificia oblata, stylo veteribus usitato, & à nobis exposito, dicuntur. S. Augustini locum *Enchirid. cap.* 110. supra excussimus. Non repeto dicta, sed unum addo, non semper cum una in sententia perstitisse. Nam *Quæst. Evang. Lib. II.* 38. apertè docet, nullum auxilium misericordiæ posse præbere justos defunctorum animabus, etiamsi maximè velint præbere, quia Dei sententia semel de illis prolata mutari nequeat. Neque enim pendet judicium Dei de mortuorum animabus, sed statim fit, & certum est, quia, ut ipse Augustinus *Epist.* 80. *ad Hesych.* ait, *qualis quisque moritur, talis à Deo judicatur*, nec Divina sententia mutari, corrigi, vel minui potest. Cùm ergo sibi hac in re parùm constet S. Augustinus, moveri ejus hoc dicto non debemus, quia & Verbo Dei, & fidei certitudine caret; adeóque vir pius & magnus hic fœnum & stipulam fundamento superstruit. Apud Cyprianum *lib. IV. Ep.* 5. (aliàs *Epist* 34.) sola hæc verba lego: Sacrificia pro eis (Laurentio & Ignatio, quos *palmas Domini & coronas illustri passione meruisse* ait) *semper offerimus, quoties Martyrum passiones & dies anniversaria commemoratione celebramus*. Ad quæ verba sic Rigaltius vester: *Græci Panegyrica celebravere honori virorum fortium, qui tyrannum sustulerunt, aut alias pro patria feliciter pugnaverant, ut hoc exemplo suorum animos ad præclara facinora erigerent. Christiani sacris anniversariis laudes Deo dicunt, commemoratis eorum nominibus, qui pro fide Christo dicta martyrium fortiter obierunt.* De sacrificio propitiatorio nec gry nec my. Finxisti ergo pro lubitu. Aerium denique Epiphanius accusavit, quòd exprobraret Catholicis recitari nomina defunctorum. Τινὶ, inquiebat, τῷ λόγῳ μετὰ θάνατον ὀνομάζετε ὀνόματα τεθνεώτων; *Qua ratione post mortem recitatis nomina mortuorum?* De quo more Catholicorum multum dein queritur. Epiphanius sic, juxta exactam Junii versionem, respondet: *Deinde verò de eo, quòd nomina dicuntur defunctorum, quid hoc instituto fuerit præstabilius? Tum quòd, qui adsunt, credunt, defunctos vivere, neque esse in conditione eorum, qui desierunt esse, sed eos esse & vivere apud Dominum* (non in flammivomo Purgatorio) *idque, ut honestissima illa prædicatio enarrari possit, spem esse iis, qui orant pro fratribus, acsi in peregrinatione existerent: tum quòd oratio facta pro illis prodest, etsi omnino crimina non abrumpit*, (quid hoc cum Missis peccata defunctorum propitiantibus?) *tamen significatur sic status perfectior, quia dum in mundo sumus, sæpe voluntariè & involuntariè labimur. Etenim pro justis mentionem facimus & pro peccatoribus. Ac pro peccatoribus quidem* (ὑπὲρ ἐλέους

Θεῦ

θεοῦ θείωσιν) sunt recurrentes (vel potiùs *respicientes*) *ad misericordiam Dei* (quasi diceret Epiphanius, absurdam non posse videri,uti Aerio visa est, memoriam mortuorum in fide,etiam peccatorum,nisi iis,qui misericordiam Dei nullam consideraruntː sed hæc si sit, nihil esse absurdi, nempe quia hæc memoria eorum peccata deleverit.) *Pro justis verò & Patribus, & Patriarchis, &c. ut Dominum Jesum Christum separemus ab aliorum hominum ordine,propter honorem,qui debetur ipsi, & ut gloriam reddamus ipsi.* Neque Aerius,neque Epiphanius de oblationibus pro defunctorum peccatis propitiandis: sed utrique de memoriis defunctorum loquuntur. Et si de libertate,non necessitate ritus sermo sit; poterat sanè Aerius non exagitare Ecclesiam ritu tali liberè utentem. Nam & nobis in more est fratrum defunctorum nomina palam in Ecclesia edere, & cœtum de humana fragilitate,de meditatione mortis,gratiis Deo fideles ad se per mortem transferentis agendis,vitæ æternæ præstantia; denique,ut subjecto illo speculo pii magis ac magis in officio contineantur,exhortari solemus. Eos verò,qui id omittunt,quósque vestigia horrendæ superstitionis terrent,memores,etiam litus odisse,qui in alto naufragium fecit; damnare religioni ducimus. Satis est,quòd nec cum Aerio facimus; nec Epiphanii sententiam,si solæ eæ utilitates,quas ipse observavit,quærantur,rejicimus.



QUÆSTIO. III.

An Cœna Domini,seu,uti vocant,Missa celebrari debeat in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda?

AFfirmat Synodus Cap.III.& Canone V.Negant equidem Patres, ipsis Sanctis offerri Sacrificium,asserúntque,Sacerdotem de Sanctorum victoriis gratias agentem,eorundem patrocinia implorare, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in Cœlis,quorum memoriam facimus in terris. Cui assertioni pauca hæc opponimus. Etenim

ARG. I. Cùm Missa, uti probavimus, veri nominis sacrificium haud sit,in honorem Sanctorum nihil in ea offerri potest.

RESP. REDING. 1. *Falso supposito utitur argutia.* 2. *S. Paulus I. Tim. II. 1. jubet pro omnibus hominibus gratias agere. Cur ergo non etiam pro Sanctis ob gratias iis divinitus collatas in Missæ sacrificio gratiarum actionem facere liceat?* Tomo III.Tract.IX.§. V.pag. 315. Resp. 1. Hypothesin demonstravi & vindicavi abunde. *Argutiæ* verò & *suppositi* nomina adeò tibi frequentia,ut nihil nisi argutiam crepes; ad Grammaticos remittimus,qui te vocum tuarum barbariem docebunt. 2. Licet pium sit,Deo ob gratiam suis concessam gratias agere; cum tamen in usum Eucharistia instituta non est; in qua vivi Christo gratias agunt de morte pro se impensa, & corporis sanguinisque ejus symbola participantes,in communionem Christi & beneficiorum ejus veniunt. Cæ-

terùm nec de gratiis pro gratia Sanctis concessa Deo vel in Eucharistia, vel extra eam agendis; sed de Missa in honorem Sanctorum offerenda: de iisdem in Missa invocandis; de meritis & satisfactionibus eorum cum merito & satisfactione Christi conjungendis, junctimque adeò offerendis, quæstio est. Hæc enim δὶς διὰ πασῶν differre nemo non videt, qui non nihil videt.

ARG. II. Cœna Domini instituta est in commemorationem mortis Chisti, Luc. XXII. 19. Et Paulus disertè 1. Cor. XI. 24. 25. 26. *Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Nullius commemoratio mandatur, nisi Christi. Dignus nempe erat Dominus, digna mors ejus, cujus unius commemorationi totum hoc Sacrum impenderetur. Ut in cruce morientis nemo socius fuit: ita nec in commemoratione socius esse debet. Turpis igitur ejus profanatio est, si celebretur in commemorationem etiam Sanctorum, & pro patrociniis illorum implorandis. Hoc enim est mutare Testamentum Dei, cui sic heterogenea superadduntur.

RESP. REDING. 1. *Christus Eucharistiam conficiendo talem mortis suæ commemorationem peregit, ut ejus repræsentatione omnium & singulorum gratiæ per gratiarum actionem in Deum, ceu earundem principium reducerentur. Hæccine commemorationis Dominicæ profanatio est? 2. Sancti extra Ecclesiam militantem in Cælo constituti pro nobis intercedere possunt, sed dependenter à Christi meritis.* Ib. pag. 316. Resp. Parum appositè respondes; & nervum argumenti mei præteris. Certè Christus mortis suæ, non cujusque alterius commemorationem in Cœna mandavit, Hoc diluendum fuerat. Nam & cœtera tua diluta sunt. Etenim 1. in Eucharistia fidelibus per Symbola repræsentatur & commemoratur mors Christi, non repræsentantur & commemorantur gratiæ fidelibus concessæ: nedum vel gratiæ fictitiæ merendi & satisfaciendi, quæ in Deum ceu principium suum reduci nequeunt, cùm gloriæ ejus è diametro oppositæ sint, commemorantur: vel pro iis gratiæ aguntur, vel Sancti iidem & eorum merita cum Christo & ejus meritis conjunguntur, quæ singula citra manifestam profanationem Eucharistiæ fieri nequeunt. 2. De intercessione Sanctorum in loco.

ARG. III. In cujus honorem Sacra Domini Cœna celebratur, is latriæ cultu afficitur. Divinus enim haud dubiè honos est, offerre alicui corpus Christi pro obtinendo patrocinio & intercessione. At Sanctos latriæ cultu affici debere ipsa Pontificia ecclesia negat.

RESP. REDING. 1. *Sacræ Cœnæ celebratio etiam in Ecclesiæ, cui concredita est, honorem cedit. An & illa cultu latriæ sic afficitur? 2. Cultu ergo latriæ is afficitur, in cujus honorem celebratio illa absolutè & principaliter peragitur: non in cujus honorem secundariò & respectivè peragitur.* Ib. pag. 316. Resp. 1. An quod in honorem alicujus cedit, idcirco ei, cui in honorem cedit, offertur? Offerre cuipiam sacrificium, vel in oblatione Deo soli facienda, merita ejus conjungere, latriæ cultus est. Atqui nec Ecclesiæ in Eucharistia aliquid sacrificatur: nec merita Ecclesiæ cum merito Christi, quod ipsemet solus & solùm Deo obtulit, offerenda Deo conjunguntur. 2. Latriæ cultus ei defertur, cui Divinus & religio-
sus

ſus honor offertur; ſive intenderit offerens ei ut primo principio, & abſolutè; ſive ut inſtrumento & reſpectivè offerre. Neque enim intentio offerentis, ſed actus ipſe ſpectatur. Quinimo diſtinctio illa & contradictoria eſt, quia is, cui Divinus & religioſus honor defertur, nec inſtrumentum eſſe, nec reſpectivè coli poteſt, & hypocritica, ad meretriciam impietatem ſeu idololatriam fucandam inventa. de quo etiam fuſiùs alibi.

ARG. IV. Solius Chriſti, non Sanctorum interceſſione juvamur. Proinde non decet ſacrificiis in honorem Sanctorum oblatis, eorundem interceſſionem ſolicitare. Hoc enim non poteſt non grandi cum injuria Chriſti Mediatoris unici conjungi.

RESP. REDING. *Sanctorum interceſſio Chriſti Mediatoris ſacrificio, cui ſubordinata eſt, non magis repugnat, quàm cauſæ ſecundæ Deo cooperantes, ejuſdem honori derogant.* Ib. pag. 316. Ineptè diſſimilima, naturam & religionem; cauſalitatem à Deo creaturis communicatam, &, quatenus communicata eſt, finitam; & cauſalitatem Deo & Chriſto propriam, incommunicabilem & infinitam (qualis eſt in Cœlo vi & poteſtate meriti pro eorum, qui in terra ſunt, ſingularibus neceſſitatibus intercedere) comparas.

ARG. V. Neque etiam ullum vel mandatum vel exemplum extat ſive in Scriptura, ſive in puriori antiquitate Cœnæ Dominicæ in honorem Sancti alicujus celebratæ. Juſtinus Martyr Apolog. 2. totius Euchariſtiæ negotium fusè exequitur. Neque tamen commemorationis alius meminit, quàm ejus quæ à Chriſto præcipitur. Non alij quàm Deo vel oblatas preces, vel dictas laudes, vel actas gratias, neque aliud quàm Chriſti & Spiritus S. nomen uſurpatum fuiſſe tradunt. Memoria Martyrum maturè celebrari cœpit, ſed ſeorſim, non in Cœnæ Domini myſterio, non quotidie, ſed certo anni die Natali, videlicet eorum, qui paſſi ſunt, non ad imploranda eorum patrocinia, ſed εἰς προζυσμὸν fidei, & patientiæ. Seculo demum IV. invecta reliquiaria religione cœperunt in ſynaxi quotidiana commemorari Martyres, primò ut ſuam cum Chriſto communionem, Martyrum commemoratione, & apud Deum commendatione teſtarentur, deinde paulatim alio etiam deteriorique fine. Ita enim magis magiſque à ſimplicitate Apoſtolica & fidei virginitate declinatum eſt.

RESP. REDING. 1. *Spiritus tui nequitiam toti orbi manifeſtam reddis, quòd Auguſtinum aliòſque Eccleſiæ orthodoxos Doctores, Miſſam in memoriam & honorem Martyrum celebratam probantes, à ſimplicitate Apoſtolica & fidei virginitate declinaſſe, protervè arguis. 2. Juſtinus Martyr in eadem, quam citas, Apologia teſtatur, Chriſtianos primos & Deum & Filium &c. aliorúmque ſequentium, aſſimilatorúmque bonorum Angelorum exercitum, & Spiritum Propheticum colere & adorare. 3. Morem celebrandi memoriam Martyrum in ipſa Synaxi, ab Auguſtino de Civ. D lib. XXII. 10 commendatum, à principio Religionis Chriſtianæ arceſſendum eſſe, liturgiæ veteres argumento ſunt.* Ib. pag. 317. Reſp. 1. Ubi verò Auguſtinum argumentum meum nominat? A fidei Virginitate non Auguſtinus, non alii Orthodoxi Doctores declinarunt: ſed declinaſtis vos, quos oratio mea ferit, dum in

Missa Sanctos Christo, ejúsque sacrificio unico conjungentes, paulatim in Ecclesiam idololatriam invexistis. Commemorare Sanctos in Synaxi paulatim veteres cœperunt. Sed *diverso fine*, uti manifestè verba mea sonant. Quod vel ipsa Augustini verba de *Civ. D.lib.XXII.*10. à te imprudentissimè citata probant. *Uni Deo*, inquit ille, *& Martyrum & nostro sacrificium immolamus: ad quod sacrificium sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen à Sacerdote, qui sacrificat, invocantur.* In sacrificio contra vestro Missatico Divi solenniter invocantur. Bellarminus enim *de Missa lib.II.*8. sic scribit: *In Liturgia nostra nusquam directè Sancti invocantur, nisi bis aut ter in aliquo versiculo, & in confessione, quæ præmittitur ante Missæ introitum.* Quanquam id sufficit ad ostendendam differentiam Augustinum inter & vos: tamen Bellarminus vafrè etiam dissimulavit, Missas apud suos esse non paucas solennes atque anniversarias, ista simplici ac vulgari auctiores; in quibus Divi directissimè non *bis* aut *ter*, quod ille ait, sed sœpissimè invocantur; velut in Missa quartæ adventus Dominicæ, Festi conceptionis, visitationis, nativitatis, præsentationis, pro mulieribus prægnantibus, Rosarii B. Virgini sacri, aliísque tum B. Virgini, tum Divis aliis sacræ. Indirectis verò invocationibus plena omnis Missa est. Contra Augustinus disertissimè. *Non tamen* (Sancti Martyres &c.) *à Sacerdote, qui sacrificat, invocantur.* Non ergo S. Augustinus à virginitate fidei defecit: sed defecistis vos. Sed sacrificii hujus *propriam & formalem* duntaxat invocationem ab eo removeri contendis, quia subjicit illa verba: *Deo quippe, non ipsis sacrificat, quanquam in memoriam sacrificet eorum, quia Dei Sacerdos est, non illorum.* Atqui non tantùm Sacerdotem Sanctis non *sacrificare*; sed nec eosdem *invocare*, Augustinus dixit, disertè removens utrumque, & sacrificium & invocationem, & asserens simul, *in memoriam eorum* Sacerdotem *sacrificare*. hoc est, uti supra dixerat, *ad sacrificium suo loco & ordine* Sanctos *nominare*. Hoc autem invocare non est, ex mente ipsius Augustini, sacrificationem in memoriam Sanctorum, ab eorundem invocatione distinguentis. Judicet jam Lector, annon spiritus *nequitiæ* crimen in ipsum potiùs Redingium, calumniatorem manifestum, & stolidum causæ suæ proditorem recidat. 2. Siccine verò, Justino Martyre prodente, veteres Christiani bonos Angelos, alióśque coluerunt & *adorarunt*? Atqui eosdem à vobis *adorari* pernegatis. Sed Justinum falsarunt vestri. Et nondum re criminis hujus pudet; nisi fortè in Græcis hospes, crimen ipsum ab aliis patratum ignoras. Sic autem Græca Justini *Apolog.*2. sonant: Ἀλλ᾽ ἐκεῖνόν τε, καὶ τὸν παρ᾽ αὐτοῦ υἱὸν ἐλθόντα καὶ διδάξαντα ἡμᾶς ταῦτα, καὶ τὸν τῶν ἄλλων ἑπομένων ἐξομοιουμένων ἀγαθῶν ἀγγέλων στρατὸν πνεῦμά τε τὸ προφητικὸν σεβόμεθα καὶ προσκυνοῦμεν, λόγῳ καὶ ἀληθείᾳ τιμῶντες, καὶ παντὶ βουλομένῳ μαθεῖν, ὡς ἐδιδάχθημεν ἀφθόνως παραδιδόντες. *Verùm hunc ipsum, & qui ab eo venit, atque ista nos, & aliorum obsequentium, exæquatorúmque bonorum Angelorum exercitum docuit. Filium & Spiritum Propheticum colimus & adoramus; cum ratione & veritate venerantes: atque unicuique discere atque nosse volenti, pro eo atque edocti sumus, candidè tradentes.* Vides, Redingi, de adoratione Angelorum vel Sanctorum ὔτε γρῦ ὔτε μὺ, & omnem argumenti tui vim à falsatione menifesta textus esse. 3. Par ratio est liturgiarum veterum, quarum νοθείαν in pluribus, quotquot apud vos paulò doctiores sunt, agnoscunt. Si quid igitur ex Augustino evincere posses, nihil liturgiæ ad ejus rei antiquitatem suffulciendam conferrent. Et tamen Augustini locum *de Civit.D.lib.XXII.*10, jugulum vobis petere, jam demonstravimus.

ARG. VI. Sic videlicet non satis erat Tridentinis Sacramentum Sacrificii

cii convertere in ipſum Sacrificium, niſi etiam ſacrificium Deo offerri dicerent in honorem Sanctorum; nec verò qualecunque Sacrificium, ſed ipſum corpus Domini.

RESP. REDING. *In Miſſa corpus Christi offertur cum rememoratione mortis ejus non nudè ſpeculativa, ſed ejus meritorium valorem practicè exhibente. Hic autem meritorum Christi valor fons eſt totius Sanctitatis beatis collatæ, quæ ſic in Deum & Chriſtum, ceu primum principium ſuum reducuntur.* Ib. pag. 317. Reſp. Meritorum Chriſti valor cauſa eſt ſanctitatis fidelium univerſæ; ſic tamen, ut omnis honor & gloria meriti uni ſolique Chriſto accepta referatur. Fruſtra enim ſanctitatem meritoriam ſupponis; quæ cùm nulla ſit, ad principium reduci nullum poteſt. Sed noveris, Chriſtum corpus ſuum Deo in ſacrificium obtuliſſe, non in honorem hominum, ſed ſolius Dei, qui peccatis hominum læſus, nonniſi expiatione eorum per ejuſmodi oblationem in integrum reſtitui potuit.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Vetus eccleſia in celebratione Eucharistiæ mentionem fecit Sanctorum, teſtibus Cyrillo Catech. 5. myſtag. Baſilio, Chryſoſtomo in Liturgia, Auguſtino tract.* 84. *in Johannem.* Reſp. 1. Nos verò malumus Chriſti & Apoſtolorum, primorúmque etiam Chriſtianorum exemplo ac veſtigijs inſiſtere, qui non alius rei quàm mortis Chriſti Sacroſanctam memoriam in Euchariſtia recoluerunt. 2. Pontificii Sanctos in Miſſa non commemorant duntaxat, ſed etiam invocant. At Auguſtinus aliique veteres *commemoratos* quidem fuiſſe apud Dominicam menſam Martyres ſcribunt, at *invocatos* non item. Imò id ipſum diſertè negat Auguſtinus *de Civ. D. Lib. XXII.* 10. ubi cùm noſtros dixiſſet *ſuis Martyribus non Templa ſicut Diis, ſed memorias ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt Spiritus, fabricare, neque iis ibidem, ſed uni Deo & Martyrum & noſtro Sacrificium immolare*, ita deinceps pergit: *Ad quod ſacrificium ſicut homines Dei, qui mundum in ejus confeſſione vicerunt, ſuo loco & ordine nominantur, non tamen à Sacerdote, qui ſacrificat, invocantur.* 3. Reliquas ſtipulas & πλημμελήματα Patrum ab εἰλικρινείᾳ fidei paulatim declinantium purganda, & ad verbi Divini regulam exigenda pertendimus.

EXCIP. REDING. 1. *Spiritum à fidei ſinceritate alienum prodis, dum Patres à fidei ſinceritate declinaſſe ſcribis, & iisdem ſtipulas tribuis.* 2. *S. Patrum teſtimoniis conſtat, veteres non tantùm memoraſſe in Euchariſtia Sanctos, ſed etiam invocaſſe. Auguſtinus enim tract.* 84. *in Joh diſertè docet, eos ad ſacram menſam ſic Martyres commemoraſſe, ut orent ipſi pro nobis. Et lib. XX. contra Fauſtum cap. 21. apertè tradit; Martyribus equidem non ut Diis, vel Templa nos conſtituere, vel ſacrificium immolare; attamen in ipſorum memoriam altaria conſtituere, Deòque, qui Martyres coronavit, offerre apud memorias, quos coronavit. Alibi verò de Civ. D. XXII 10. ſic negat nos Sanctos invocare, nempe per ſacrificium; ut tamen aſſerat, nos in memoriam eorum ſacrificare. An hoc non cedit in honorem Sanctorum?* Ib. pag 318. Reſp. 1. Utrum verò à fidei ſinceritate alienum, Redingi, eſt, dicere, Patres fuiſſe homines, & errare potuiſſe; quod ipſimet ingenuè paſſim confeſſi ſunt; ac in levioribus, fidei ſubſtan-

tiam

tiam non concernentibus, erraſſe, adeóque ad S Scripturæ amuſſim exigendos eſſe, ut infallibilitatis privilegium ſoli Chriſto & verbo ejus illibatum maneat (quomodo & vos in Auguſtino non tantùm notare errores ſoletis, veluti communionem infantibus dandam, viſionem Dei negatam fidelibus ante finem mundi, tranſitum Sanctorum per ignem conflagrationis mundi, &c. Sed etiam in nobis eundem alióſque in fidei articulis præcipuis omnibus nobis conſentientes, peſtilentiſſimarum hæreſium obliquè damnatis) an, deſerta in præcipuis S. Patrum fide, labeculas quaſdam eorum ſtudiosè colligere, & ad idololatriæ patrocinium obtorto collo rapere? Prius nos facimus, non invitis illis: poſterius facitis vos, reclamaturis illis pleno gutture, ſi ſpirantes adhuc ſic ſe rapi cernerent.

2. Argumento ſit S. Auguſtinus, cujus feſtuca ad trabem veſtram incruſtandam turpiter abuteris. Dixerat ille, Martyres commemorari in Euchariſtia haud malo equidem fine, *ut ea celebritate & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum & palmarum*, eodem (non Divis) *invocato in auxilium, ex eorum memoriæ renovatione adhortemur*, uti idem *de Civ. D. lib. VIII. 27.* clariſſimè explicat. Hoc quidem à Chriſto & Apoſtolis non accepit, ac ne quidem à primis Chriſtianis, nil tale in Euchariſtia facientibus, uti ex Juſtino aliíſque liquet. Feſtuca igitur eſt, quam ſtatim tu detorques, ad patrocinium trabalis erroris veſtri, quo in Miſſa, velut ſacrificio propriè dicto, non nudè Sanctos commemoratis, ſed eorum merita cum merito Chriſti conjungitis, & propterea eoſdem ſolenniter æquè, ſi non magis, ac ipſum Chriſtum invocatis. Contra Auguſtinus diſſertiſſimè: *Non tamen à Sacerdote, qui ſacrificat, invocantur.* Sed nec tibi fucus hic deeſt, regerenti, removere ipſum *invocationem ſacrificio propriam*, hoc eſt, ſacrificium ipſum, quod jam ante diſertè removerat, dicens, *uni Deo & Martyrum & noſtro ſacrificium immolari.* Sed fucum illum ſupra abſterſimus dedita opera. Dic, Redingi, annon ad ſacrificium Divos Sacerdos veſter invocat? Annon aliud eſt *ad ſacrificium Divos invocare*, aliud *ſacrificare*, & ſimul ſacrificando colere eum, cui ſacrificatur? Sed quis ei fuerit θυμὸς ἐν ευχῇ, idem *de vera Relig. cap. 55.* ſic explicat: *Non ſit nobis religio cultus hominum mortuorum, quia ſi piè vixerunt, non ſic habentur, ut tales quærant honores, ſed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur, nos meriti ſui eſſe conſortes.*

OBIECT. II. *Sancti pro nobis in Cœlo orare poſſunt, & orant. Bonum igitur eſt à Deo petere, tum ut Sanctos pro nobis orare faciat, tum ut illos pro nobis orantes exaudiat, quæ duo in Miſſa petuntur.* Reſp. 1. Sanctos pro nobis orare ita, ut Pontificii pertendunt, negamus, & ſuo loco falſum eſſe probabimus. 2. Neque oratio Sanctorum pro nobis qualiſcunque invocationem eorundem, qualis in Miſſa fit, flagitat. Is enim invocari debet, qui invocantium intimas neceſſitates cognoſcit, eáſque præſente animo exaudire poteſt. quales Sanctos defunctos rerum noſtrarum minimè conſcios haud eſſe conſtat.

EXCIP. REDING: *Annon expetere licet, quod ex ſe honeſtum eſt? At Sanctorum oratio ex ſe utique honeſta eſt.* Ib. pag. 318. 319 Reſp. Quæro viciſſim; Annon honeſta eſt interceſſio pro te amici Romæ degentis? An iccirco eum abſentem, flexis ad ſtatuam ejus genubus, religioſo affectu invocare, velut Numen quoddam omniſcium & omnipotens, periade honeſtum eſt? Valeat illa inhoneſta honeſtas tua.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

An Canon Missæ Latinus errores contineat, adeóque abrogandus sit?

NEgat Cap. IV. & Canon VI. Sunt autem Canon missæ illæ preces, quas secretò & cum silentio demurmurat Sacerdos in missa, in quibus ipsa etiam consecratio continetur. Incipit: *Te igitur Clementissime Pater, per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum supplices rogamus & petimus, uti accepta habeas ac benedicas hæc dona &c.* Gabriel Biel eum dividit in sex partes. Prima petit benedictionem appositorum munerum. Secunda continet Sanctorum invocationem. Tertia petit acceptationem oblatorum sacrificiorum. Quarta habet consecrationem panis & vini. Quinta commemorationem consecratorum. Sexta & ultima refrigerium & suffragium postulat. Alii tamen aliter dividunt. Eam verò authoritatem tribuunt Canoni, ut æquiparentur verba Canonis verbis institutionis, & statuatur, penitus immutabilem esse. Majores porro nostri in Cœnæ celebratione Latinum hunc Canonem sustulerunt. Abrogandum igitur, vel saltem sub anathemate non obtrudendum fuisse, probamus.

ARG. I. Nec Christus Canonem illum instituit, nec tradiderunt Apostoli. De Christo res notoria. De Apostolis, fatentur Hieronymus, Gregorius M. Innocentius III. Valafridus, Remigius, Stephanus Eduensis, Berno, Rupertus Tuitensis, Hugo victorinus, Honorius Augustodunensis, Radulphus Tungrensis, Antoninus, Platina, Martinus Polonus, imò etiam recentiores multi, Cirvelus Dorocensis, Beatus Rhenanus, Cassander &c. quorum testimonia allegata vide apud Cl. Dalleum de Cult. Lat. Relig. lib. IX. 2. absque Canone Latino ad solam orationem Dominicam verbis institutionis eos Eucharistiam celebrâsse. Canonis verò Latini novitatem pluribus argumentis efficacissimis solidè & diffusè idem Cl. Dalleus lib. cit. cap. 16--24. demonstravit. Quin constat ex Gregorio M. Alberto & Durando, præcipuæ Canonis partis authorem esse quendam nomine Scholasticum, Gregorio coævum, qui etiam Canonem ex variis centonibus ac precibus hinc inde disjectis Alexandri, Damasi, Gelasii, Siricii, Pelagii compilavit, & sine judicio compegit. De suo etiam centones quosdam adjecit Gregorius M. qui in Ecclesiam hunc Canonem invexit.

RESP. BELLING: 1. *Ceremoniarum accidentalium institutionem Christus Ecclesiæ commisit.*

Has inter cùm sit Canon, frustra Christi institutionem requiris. 2. *Integer Canon tempore Leonis I. circa A.C.* 440. *observatus, & in Concilio Chalcedonensi confirmatus est. Nam author Pontificalis in vita Leonis scribit, pauca hæc verba,* sanctum sacrificium, immaculatum, &c. *post verba per Ambrosium de Sacr. lib. IV.* 6. *relata, Canoni eum addidisse. Et Johannes Diaconus lib. II. vitæ Gregor. M. cap.* 17. *refert, à Gregorio M. Canoni adjecta esse illa verba:* Diésque nostros in tua pace disponas. *Ergo quoad præcipuas partes longè ante Gregorium, imò Leonem etiam & Ambrosium in usu fuit.* 3. *An oratio Dominica verbis institutionis non fuit accessoria? Annon eadem ratione Apostoli & Ecclesia, nominatim etiam, quod fateris ipse, Papæ Alexander, Damasus, Gelasius, Siricius, alios ritus accidentales addere potuerunt?* Tomo III. Tract. IX. s. 2. pag. 319. 320. Resp. 1. Habet sanè Ecclesia potestatem ceremonias quasdam instituendi, dummodo eæ simplicitati Christi & Apostolorum, fideique analogiæ non repugnent, nec ut pars cultus Divini necessaria præscribantur, nec essentiales institutionis Divinæ ritus obscurent vel obruant; denique ordini duntaxat & decoro Ecclesiæ inserviant. Ejusmodi non esse Canonis Missæ *εὑρήματα*, res ipsa, & rationes nostræ docent. Neque leve illud est quòd Christo & Apostolis Canon ille Missæ, in quo Missæ & liturgiæ vestræ cardo consistit, incognitus planè fuit. *Paulus*, sic Cardinalis Bessarion vester *de Sacram. Euch. Tom. VI.* scribit, *tradidit nobis, quæ acceperat. Cùm autem ea sola tradiderit, quæ in epistola ad Corinthios scribit, certè illa SOLA accepit, & illa sola Apostolos facere vidit. Nam si plura facere vidisset, ea quoque tradidisset. Nihil autem in illa epistola dicit ampliùs, nisi Christum accepisse panem in suas manus, benedixisse & dedisse suis discipulis atque dixisse, Accipite & comedite; Hoc est corpus meum. Idem igitur omni ex parte Apostoli, quibus tradentibus Paulus id accepit, faciebant. Hoc tantùm ab illis accepit Paulus; hoc tradidit nobis.* Quin & Gregorius M. *lib. VII. Ep* 63. morem Apostolorum ait, *ut ad ipsam solummodo Orationem* (Dominicam) *oblationis hostiam consecrarent.* Unde habuerit, oratione hac usos esse Apostolos Sacramentum conficientes, non constat. Si qua tamen usi sunt, præter benedictionem eam, qua Domini exemplo super oblatis gratias egerunt, verisimile est, Dominica usos esse. Sed si ad hanc *solummodo* consecrarunt, certè ab Apostolica forma immane quantum Missa differt. Similia planè Valafridus Strabo, Seculi IX. Scriptor, *de reb. Eccles. cap.* 22. tradit. *Quod nunc*, inquit ille, *agimus multiplici Orationum, cantilenarum & consecrationum officio; totum hoc Apostoli, & post ipsos proximi, ut creditur, orationibus & commemoratione passionis Dominicæ, sicut ipse præcepit, agebant simpliciter. &c. Et relatio est majorum, in primis temporibus Missas fieri solitas, sicut modò in Parasceve Paschæ (in quo die apud Romanos Missæ non aguntur) communicationem facere solemus, id est, præmissa oratione Dominica, & sicut ipse Dominus noster præcepit, commemoratione passionis ejus adhibita corpori Dominico communicasse & sanguini.* 2. Leo Papa addidit Canoni verba; *Sanctum Sacrificium*, &c. Sed ultimam sic Canoni manum imposuisse, asserere certè non audes; quin mox ipse, à Gregorio addita alia esse, statuens, non obscurè negas. Quid ergo hoc ad rem? De Leonis additamento sic Valafridus *loc. cit. De hoc etiam quæri potest, utrum ab eo loco, quæ sequuntur, addiderit, vel ipsa tantùm verba, id est,* Sanctum Sacrificium, immaculatam hostiam, *eo loco intermiscuerit, quod quia manifestè non legimus, nolumus diffinire.* Neque tamen de partium Canonis, sed de integri contextus & collectionis authore ratio nostra loquitur. 3. Oratio Dominica licet in verbis institutionis non comprehendatur, accessoria tamen non est, quia & Christum authorem habet, & eodem præcipiente, *cùm precamur*

camur (in Euchariſtia autem precandum utique eſt) *dicere debemus: Pater noſter*, &c. An tale quid de Canone veſtro, cujus & textura & partes pleræque merè humanæ; & quædam etiam vitioſæ ſunt, dici poteſt?

ARG. II. Multa quidem à Gregorio in Canonem Latinum recepta ſunt mente haud mala, ſed à Papiſtis in deterrimum ſenſum detorta. Proinde Canon ſaltem in ſenſu Papiſtico acceptus abrogari debuit. V.C. Quæ Canon dicit ſuper munera & oblationes fidelium, quæ de ſpirituali ſacrificio laudis, glorificationis & gratiarum actionis, accommodarunt ad hiſtrionicum miſſæ ſacrificium. Quæ de reddendis votis habet Canon, traducuntur ad miſſas votivas. Veterum Martyrum memoriam Canon celebrat. Pontificii ad venerationem Sanctorum oblationes pro defunctis trahunt. Quæ de ipſo corpore & ſanguine Chriſti dixêre veteres, ad oblationem panis & vini, & mimicam illam repræſentationem referuntur.

RESP. REDING: 1. *Mortis Chriſti commemoratio extendit ſe ad commemorandas univerſas Chriſti gratias ex ejus morte per myſterium illud repræſentata profluentes. An hæc ad laudis, glorificationis, gratiarum actionis conteſtationem non ſatis idonea eſt? Non ergo Miſſa, ſed blaſphema cavillatio tua hiſtrionica eſt. 2. Sub mortis Chriſti eadem commemoratione Deum proteſtamur, univerſorum Dominum. quæ proteſtatio propriè votiva eſt. 3. Quia Chriſtus de hoc myſterio edixit, eſſe corpus & ſanguinem ſuum, an piaculum eſt, quæ veteres de corpore & ſanguine Chriſti dixere, ad Sacrificium Euchariſticum referre?* Ib pag 320. Reſp. 1. Chriſti morti, quæ in Euchariſtia commemoratur, laus omnis, glorificatio, gratiarum actio debetur. Hoc Sacrificium impropriè dictum hiſtronica Miſſa in propriè dictum, reale & propitiatorium convertit. Quid ergo hic de gratiis ex morte Chriſti profluentibus garris? Nam in illis Sacrificium haud dubiè non conſiſtit. Et cur nihil de munerum ſeu oblationum commutatione cum Sacrificio? Ab *oblatis*, ſeu iis, quæ generatim populus offerebat; ad *oblatam*, ſeu eam oblatorum partem, quæ Sacramento deſtinabatur: à *Sacrificio laudis* ad *Sacramentum*: à *Sacramento* ad *Sacrificium propitiatorium*: à *ſigno* ad *rem ſignificatam*: à *commemoratione* mortis Chriſti ad realem ejuſdem *oblationem* impune tranſitis. Quæcunque ergo de donis & muneribus dicta fuerunt, de Chriſto Deo mox immolando, imò immolato intelligenda dictatis; metamorphoſi, qua nulla excogitari horribilior poteſt. 2. Proteſtatio dominii Dei votiva ſit, nec ne, non quæritur; ſed cur de votis reddendis in Canone dicta, ad Miſſas votivas, quæ data pecunia celebrantur, vos transferatis. 3. Utique aliud eſt corpus & ſanguis Chriſti: aliud panis & vinum. De illis dicta ad hæc transferre; & oblationem corporis & ſanguinis in Symbolorum oblationem convertere, quid aliud quàm inſanire eſt?

ARG. III. Nonnulla etiam à veteribus bene dicta conſarcinator perverſo loco collocavit, atque ſic ſenſum peſſimum fecit. V.G. Verba illa: *Jube hæc perferri per manus Sancti Angeli in ſublime altare Tuum, in conſpectum Majeſtatis Tuæ*, apud Irenæum dicuntur de oblationibus munerum. Olim autem teſte Auguſtino, ponebantur ante conſecrationem. Nunc rapſodus ille ponens hæc verba poſt conſecrationem, occaſionem dedit impiè opi-

nandi, in Cœna corpus & sanguinem per manus Angeli Deo offerri. Sic verba: *Per quem Christum nobis semper hæc bona creas, sanctificas, benedicis &c.* olim, teste Justino, in eleemosynis fidelium pronuntiata, post consecrationem transtulit Scholasticus ad corpus Christi, quasi in Cæna Domini de novo semper illud crearetur.

Resp. Reding.: 1. *Profer, si potes, loca Irenæi & Augustini, quibus assertioni tuæ fidem facias. Longè aliud sibi Augustini verba Cap. Utrum 72. Dist. 2. de Consecratione relata volunt. 2. Verba illa:* Per quem omnia bona creas, sanctificas, benedicis; *nusquam in Liturgiis, vel aliis authoribus ante consecrationem posita reperiuntur. Post consecrationem verò Alcuinus, Amalarius, aliique referunt. Neque quidquam absurdi verba illa continent. Nam à Deo per Christum hoc Sacramentum ratione materiæ primò creatur, dein sanctificatur, cùm dedicatur per primam oblationem ad Sacramentum conficiendum,* &c. Ibid. pag. 320. 321. Resp. 1. S. Paulus Hebr. IX. 24. dicit, Christum introivisse in ipsum Cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. Sed Sacrificulus, horrendum dictu! orat, ut per manus Angeli demum eò deferatur. Non sic veteres. Irenæus enim *lib. IV. cap. 34.* sic scribit: *Est altare in cœlis. Illuc preces nostræ & oblationes nostræ diriguntur.* Hoccine putas de oblato per consecrationem corpore Christi dici posse? Dirigitur enim oblatio illa, si qua est, non versus ullum altare in Cœlo existens; sed ad altare terrestre Missaticum. Sed Irenæus apertè loquitur de oblationibus non corporis & sanguinis Domini; sed fructuum terræ, quos appellat *primitias munerum suorum, primitias earum, quæ sunt ejus, creaturarum.* hoc est, panis & vini, quæ sanctificanda offerebantur. Etenim contra Valentinum & ejus asseclas intenderat probare, ex oblatione creaturarum terrenarum & hujus Seculi, quæ Patri fit in Ecclesia, illum eorum esse Creatorem; alioqui non recepturum, ne videretur indigus esse, & alterius Dei creaturas concupiscere. Necessum est igitur illum intellexisse oblationem panis & vini propriè sic appellatorum, quæ omnium confessione sunt creaturæ terrenæ, & hujus Seculi. De corpore autem & sanguine Domini argumentum non valuisset. Respondisset enim Valentinus convenienter suæ hæresi, illa non esse creaturas terrenas, sed cœlestes. Dein Irenæus paulò ante dixerat: *Conscientia ejus qui offert, sanctificat pura existens.* Et rursus: *Quoniam cum simplicitate Ecclesiæ offert, justè munus ejus purum sacrificium apud Deum deputatum est.* De oblatione proprii corporis id esset falsissimum. Corpus enim Christi substantiale sanctitatem suam à nemine mutuatur, nec Patri acceptabile est ratione offerentis, sed ratione sui. De oblatione verò panis & vini id verissimum est. Sanctificantur enim per gratiarum actionem & Deo per puram offerentis conscientiam acceptabilia sunt. Sed & ex verbis sub Augustini nomine (non tamen Augustini, sed Paschasii illa verba esse glossator monet) in Jus Canonicum *de Consecrat. dist. 2. cap. 72.* relatis, constat satis, verba illa consecrationem præcedere. *Unde & Sacerdos* (sic ibi legere est) *Jube, inquit, hæc perferri per manus Angeli tui Sancti in sublime altare tuum in conspectu Divinæ Majestatis tuæ. Ut quid perferenda in lucem deposcit, nisi ut intelligatur, quòd ista fiant in ejus Sacerdotio?* Quid perfertur ad altare? Res offerenda, non oblata. Quid in lucem? Res itidem offerenda. Et *ista fieri* (non facta esse) *in ejus Sacerdotio,* ait ille. 2. Frustra ad Liturgias veteres provocas, cùm Canon Petro Scholastico antiquior non sit. Ille verò de eleemosynis à veteribus, doctrina, aliisque accepta verba, post consecrationem posuit, & ad ipsum corpus Christi transtulit, quasi illud quotidie per manus sacrificuli crea-

retur. Quanquam diversimode vestri verba illa Canonis explicant. Nam Gabriel Biel sic scribit: *Creas, scilicet condendo naturam panis & vini: Sanctificas, consecrando materiam: vivificas transsubstantiando creaturam in vivam Christi carnem. Et juxta hunc intelligendi modum, quæ per pronomen HÆC demonstrantur, nunc non sunt, sed fuerunt præsentia. Vel aliter & secundò, de ipsomet corpore & sanguine Christi; Creas, scilicet ipsa in Sacramentum adducendo: sanctificas, sacris velamentis obtegendo: Vivificas increatæ vitæ uniendo: Benedicis, spiritualibus donis & beneficiis implendo. Et præstas nobis misericorditer largiendo.* Et sanè nisi verba illa, *Hæc omnia bona semper creas*, uti in Canone jacent, de ipsomet per transsubstantiationem facto corpore Christi intelligantur; etiam præcedentia illa: *offerimus præclaræ Majestati tuæ de donis & datis tuis*, de ejusdem vera & reali oblatione exponi non poterunt. Atque sic actum erit de Sacrificio Missatico.

ARG. IV. Notorios errores Canon continet. Etenim primò intercessio illa pro Papa & Rege supponit Papæ super Reges eminentiam, & militat contra formam intercessionis ab Apostolo præscriptam, 1. Tim. II. 2.3.4. Secundò Canon asserit, meritis & precibus Sanctorum defunctorum nos protegi. Tertiò corrumpit institutionem Christi, partim dicens, Christum frangentem panem oculos in Cœlum elevâsse: partim quia verbis institutionis additur particula γὰρ, enim: partim quia calicem vocat novum & *æternum* Testamentum, & addit: Calix *mysterium fidei*: partim denique, quia expungit verba, *pro vobis traditur*. Quartò Sacerdos homo peccator orat Deum, ut velit habere acceptum filium suum. Quintò orat, ut Deus filium suum acceptet eodem modo, quo dignatus est accipere munera pueri sui justi Abel, & sacrificium Abrahæ. At sacrificia hæc pecuina non potuerunt consummare cultorem. Actum igitur de salute nostra, si Filium suum non aliter Deus acceptet. Sextò Melchisedecum facit sacrificantem, cùm Abrahamo obtulit Xenia. Septimò petit sacrificium corporis & sanguinis Christi ad Deum perferri per manus Angeli, cùm Christus jam antea fuerit in Cœlis, & vultui Dei pro nobis semper appareat. Octavò Canon stabilit orationes pro defunctis. Nonò denique sacerdos sine præfatione dicit: *Hoc enim est corpus meum*, quasi videlicet ipse Christus esset. Plura etiam notari possent. Non ignoro, Bellarminum, aliósque in exponendis & excusandis his multum desudare. Sed Circius Polonus jam olim fassus est, *omnes Canonis expositiones esse ineptas.* Eò igitur confugit, ut dicat, *non esse quærendam interpretationem Canonis, sed quia sit Mysterium à Christo & Apostolis traditum, ideò non intelligendum, sed adorandum esse.*

RESP. REDING: 1. *Petro & successoribus ejus Papis Christus oves omnes pascendas dedit. Ergo ipsos etiam Reges. Eminet ergo Papa supra Reges. Et pro omnibus hominibus orare Apostolus 1. Tim. II. 2.3. jubet. Ergo etiam pro Papa.* 2. *Canon verba illa, elevatis oculis, refert ad gratiarum actionem; in qua haud dubiè in Cœlum oculos Chri-*

ſtus elevavit. Sed & particulam Γὰρ *enim ipſa textus connexio requirit. Quin & Luc XXII.22. 1.Cor.XI.25. calix diſertè teſtamentum vocatur ; & teſtamentum novum æternum etiam eſt. Denique & Evangeliſtæ, excepto uno Luca, illa verba*, quod pro vobis traditur, *omiſerunt. Sola autem verba*, Hoc eſt corpus meum; *formam conſecrationis ſubſtantialiter perfectam continent.* 3. *Orandi illæ formulæ, ut Deus acceptum habeat filium &c. etiam veteri* Eccleſiæ *in uſu fuerunt. Neque tam oratur, ut Deus Pater Filium ſuum acceptum habeat, quàm, ut benignè reſpiciat hoc munus, prout illud à nobis offertur. Sic etiam, ubi orat Sacerdos, ut Deus ſacrificium ſuum acceptum habeat, ſicut habuit munera Abelis, Abrahami; comparatio non fit inter ſacrificium noſtrum & Abelis ac Abrahami abſolutè; ſed tantùm ratione fidei & devotionis offerentium, ut tanta fide & devotione offeramus, quanta illi obtulerunt.* 4. *Sacrificia noſtra ad Deum deferri per manus Angeli, nihil aliud eſt, quàm Angelorum interceſſione juvari, & commendari Deo obſequium & cultum, quem illi immolando exhibere deſideramus.* 5. *Falſum eſt, verba illa*, Hoc eſt corpus meum, *proferri abſque præfatione. Sacerdos enim priùs aſſertè refert, quid Chriſtus geſſerit, & quòd panem porrigendo dixerit. H.E.E.C.M. Nihil ergo aliud quàm malignandi & calumniandi ſpiritum ratio tua redolet.* Ib pag.321.—323.

Reſp. 1. Nil equidem Papæ cum Petro. De ovibus tamen huic commiſſis ſupra. Neque qui ovem alienam ſibi commiſſam, velut Imperatorem &c. paſcit, ipſa major & eminentior eſt; vel ſupereminentem poteſtatem ullam habet, utpote quæ ſoli ei poteſtati, quæ gladium geſtat, competit, Rom.XIII.1.2.&c. Paſcendi enim illud munus merè miniſteriale eſt, neque ſupereminentem, dominantem poteſtatem ullam paſcenti impertitur. Cùmque Canon ille ab Eccleſiaſtico conditus ſit, nonne urbanius longè fuiſſet, poſtquam Reges etiam in hoc convivio excepturi erant, prima etiam eoſdem lectica locare? Pro Papa verò convertendo maximè orare utique poſſumus; ſed non ut eum Imperatori & Regibus præponentes, injuſtam ejus dominationem probare, & Imperatorem, Reges & Principes ſervituti ac loris ejus ſubjicere videamur. Addo, in Conſtitutionibus Pſeudo Clementinis & Græcis Liturgiis nullam Papæ mentionem occurrere. In Chryſoſtomi Liturgia mentio eſt Nicolai, non Papæ, uti perversè Latinus Interpres, & ex eo Bellarminus; ſed Patriarchæ Conſtantinopolitani, Seculo undecimo præcipite, uti ex Alexii Imperatoris mentione conjuncta liquet, in Liturgia ea nominati. Olim autem ſic non erat. 2. Elevatis in Cœlum oculis Chriſtum benedixiſſe & fregiſſe panem, Canon ait. Quanquam verò benedicendo oculos Chriſtus in Cœlum elevare potuerit, tamen elevaſſe & benedicendo & frangendo, inſtitutio nulla teſtis eſt. Canon autem Chriſtum agentem repræſentat. Neque addi quicquam in inſtitutione non comprehenſum debuerat. Par ratio eſt Particulæ Γὰρ *enim*. Verba enim inſtitutionis, quæ velut à Chriſto dicta, & ab Apoſtolis narrata repetuntur, mutari non poſſunt. Quomodo etiam perperam Evangeliſtarum verba de calice ſic redduntur: *Hic enim eſt calix ſanguinis mei, novi & æterni Teſtamenti: myſterium fidei; qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* De re & ſenſu non quæritur: ſed de verborum, quæ velut ex ore Chriſti manantia, & ab Evangeliſtis relata citantur, compage. Neque hic aliud accuſamus, quàm humanam audaciam, quæ Divinum opus integrum eſſe non putat, niſi opus quoque ſuum attulerit: quæque ſeriò vetans ullum Canonis apicem mutare, audet mutare verba Dei; & in ipſa conſecratione, qua converſionem peragi ſtatuunt, Divina utique non humana potentia ulla, humana verba miſcet. Et creſcit eadem opera licentia verba Chriſti pro lubitu fingendi, refingendi, interpolandi. Denique

cùm

cùm de sanguine Christi ex Evangelistis repetierit Canon verba, quòd effundendus sit in remissionem peccatorum; cur omisit verba corpori addita, *quod traditur pro vobis.* in quibus totius fidei & consolationis Christianæ cardo volvitur? Sufficit enim à Luca & Paulo verba illa disertè poni, adeóque apud reliquos Evangelistas subintelligi. Canon autem institutionem repetens, omittere non debuit, quod tanti momenti ad fidem erat. Quicquid sit, ex his omnibus ejus, qui Canonem composuit, licentia & ignorantia abundè cognoscitur. qua isti in Divinis verbis, uti volunt, libidinantur, at sua, indoctissima etiam & nonnunquam impia sic servari volunt, ut ne latum quidem unguem ab iis discedere fas sit. 3. Vetus Ecclesia per *dona, munera, sacrificia illibata*, quæ ut accepta Deus habeat, precari solebat; non Filium Dei, sed dona populi, seu eleemosynas intellexit. Neque aliud probatis unquam. Magna autem haud dubiè impietas est, Sacerdotem, hominem miserum, deprecatorem apud Deum esse pro Filio ipsius, & orare, ut hunc acceptum & gratum Deus Pater habeat, propter quem solum nos peccatores miseri Deo grati & accepti sumus. Sed precari Sacerdotem ais, ut acceptum habeat Deus munus hoc, prout ab eo offertur. Atqui in Missa Christum esse offerentem principalem, ipsimet asseritis. Et à quocunque offeratur, acceptatio certè ejus nulla hominum precaria opera vel intercessione indiget, sed sola hostiæ dignitate, & Dei Patris pacto nititur. Sic quoque vetus Ecclesia super munera panis & vini preces, gratiarum actiones suas precari suevit, ut accepta illa habere dignetur, sicut habere dignatus est munus Abelis, sacrificium Noæ, holocaustum Abrahami. Sic enim in Basilii Liturgia legitur: *Respice super nos, ô Deus, super hunc cultum nostrum, & accipe hunc, sicut accepisti munera Abel & sacrificia*, &c. Intelligit autem per *cultum* preces, gratiarum actiones, laudes, eleemosynas, & oblationes munerum ad aram. Sed Missiatici hæc post consecrationem collocata ad corpus & sanguinem Christi referunt, & Deum orant, ut ad Corpus & sanguinem Filii sui propitio & sereno vultu respiciens, acceptam habeat hanc hostiam, *sicut accepta habere dignatus est munera pueri Abel, & sacrificium Patriarchæ Abrahami.* Ubi manifestum est, non offerentium devotionem, uti ex Bellarmino Redingius nugatur, sed sacrificia ipsa conferri. Petit enim Sacerdos propitio & sereno vultu acceptari *hanc hostiam*, non offerentem, sicut dignatus est accepta habere *munera Abelis, Abrahami*, &c. non offerentium, Abelis & Abrahami devotionem. Desperatæ causæ argumentum est, cùm nonnisi verborum detorsione blasphemia purgari potest. 4. Et par etiam detorsio est verborum, quibus Sacerdos orat sacrificium suum, hoc est Filium, Dei deferri per manus Angelorum. Aliud enim longè est officium, quo Angeli intercedunt (si omnino intercedunt) pro infirmitatibus nostris, quod certè sacerdos verbis iis neutiquam petit: aliud officium, quo hostia ipsa per manus S. Angeli perfertur in sublime altare. Hoc, non illud orat Sacerdos, his verbis: *Jube hæc* (hostiam illam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam) *perferri per manus S. Angeli tui in sublime altare tuum in conspectum Divinæ Majestatis tuæ, ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui corpus & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti & gratia repleamur.* Quòd si sacrificia ad Deum per manus Angeli deferri nihil est aliud, quàm Angelorum intercessione juvari & commendari, sequetur inde, Christi sacrificium non propter se, sed propter intercessionem & preces Angelorum Deo gratum acceptúmque esse. Quocunque modo explicentur verba, blasphemiam intolerabilem spirant. Neque aliud est, quàm turpe κεχαφόλγετον Papæ Innocentii, qui *de Missæ Myst. lib. V. 6.* exclamat; *tantæ profunditatis*

tatis hæc verba esse, ut intellectus humanus vix ea sufficiat penetrare. Libens ex eo sciscitarer, quare in verbis ab homine inventis, adeò profundum & inexplicabile mysterium esse debeat, cujus quæ ratio sit, & quid sibi velit, tam ardua apud omnes intelligendi difficultas, qualis ne in ipsis quidem Cœnæ Dominicæ verbis inest? 5. Verum equidem est, Sacerdotem narrare priùs, quid Christus fecerit & dixerit; quanquam non sincerè, uti ostendimus. Cœterùm recitatis verbis, *Accipite & manducate ex hoc omnes,* (ex suo addens temerè particulam *omnes*, sicut & alia addidit, quasi ab Evangelistis narrata) sistit gradum, mutat vocem, & perinde ac si non cohærerent verba cum reliquis, & de se loqueretur, summissè profert verba: *Hoc est enim corpus meum.* Hæc porro verba, si sunt Sacerdotis verba Evangelistarum narrantis seu repetentis, (quod etiam Gabriel Biel *Lect.* 48. pertendit, asserens, *Ministrum celebrantem non proferre verba significativè, sed recitativè*) consecratoria esse non possunt. Nam narrare ab alio gesta & dicta, nisi fallor, non est consecrare. Neque enim qui narrat, Deum ex nihilo mundum creasse, protinus ipse quoque mundum creat, vel cladem gestam narrans belligeratur ipse. Et si *recitativè* verba Sacerdos profert, Pronomine *Hoc*, non quod ille ad manus habet, sed quod Christus in prima Cœna ad manus habuit, significabit, adeóque nihil, quod ad manum ipsi sit, consecrabit. Judicet ergo æquus Lector ex iis, quæ jam diximus, uter Spiritus malignetur, meus, cùm blasphemias illas in Filium Dei, & in Scripturis tractandis audaciam detegit & detestatur; an Redingii, qui blasphemias illas & audaciam projectam, defendere religioni nullus ducit. Cùmque plura in Canone animadversione digna notari posse, ratio mea indicet, omissa à me illa, nonnulla saltem, heic notare non pigebit. *Primò* petit Canon accepta habere Deus dignetur *hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata.* Hæc petitio etiam tum, cùm unica oblata, nondum consecrata ad manum est, ingeminatur; cùm olim ad universa munera à populo collata ingeminari sueverit. Ergóne de oblata unica, nondum consecrata, dici potest; quod sit *dona, munera sancta, sacrificia illibata*? Et in universum, quomodo panis & vinum consecrata sunt *sacrificium sanctum & illibatum*? Et quidem illud, *quod offerimus* (sic Canon) *pro Ecclesia sancta Catholica.* Frigidè Bellarminus panem & vinum *sacrificium sanctum & illibatum* dici posse ait, quia sint *materia sacrificii, jam dedicata & parata, ut ex iis fiat sacrificium.* Scilicet materia sacrificii est; cujus substantia annihilatur, priusquam sacrificium fiat! *Secundò* Canon precatur Deum, meminerit *famulorum famularúmque suarum, & omnium circumstantium, quorum ei fides cognita est & nota devotio, pro quibus,* inquit, *tibi offerimus: vel qui tibi offerimus: vel qui tibi offerunt. hoc sacrificium laudis pro se, suisque omnibus; pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis,* &c. Multa hic notari possent. Unum noto, quòd ea, quæ populus affert, *pro redemptione animarum suarum* & *spe salutis suæ*, offerre dicuntur. Offerunt autem munera nec dum sacrificata. Hoc impium, blasphemum non est? Res communes profanas offerre Deo pro redemptione animæ suæ? *Tertiò* subjicit Canon: *Communicantes & memoriam venerantes inprimis gloriosæ semperque Virginis Mariæ &c. Apostolorum, Martyrum &c.* Majorne Eucharistiæ perversio cogitari à quoquam potuit? Nam cùm in solius Christi & mortis ejus memoriam illam celebrari ipse Christus jusserit; hi omisso Christo, & veneratione memoriæ mortis ejus, profitentur, *se communicare & memoriam venerari Mariæ, Apostolorum, Martyrum* &c. Quæ ad Christi, quasi deturbati de arce sua, summum dedecus pertinere, vel cœcus viderit. *Quartò* precatur Sacerdos *Hanc oblationem servitutis nostræ (ita ineptè ministerium vocat) sed & cunctæ familiæ tuæ* (cunctáne

ergo familia Dei offert? Vel oblatio in *servitute* sacrificialis; *in familia cuncta* munerum & dono un. est?) *quæsumus, Domine, ut placatus accipias: diésque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi in electorum tuorum jubeas grege numerari.* Quàm quæso isthoc frigidum est? Quis ille est, qui à Deo jubetur nos in electorum grege nos numerare? Aliúsne ergo, quàm Deus, nos electorum gregi inserit, & in eodem numerat? An in tempore novum aliquod eligendi mandatum ferri cuiquam potest? *Quintò* sequuntur verba: *Quam oblationem Deus in omnibus, quæsumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilémque facere digneris, ut nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi Filii tui.* Apud Ambrosium *de Sacram. lib. IV. 7.* (si modò liber Ambrosii est) sic orat Sacerdos: *Fac nobis oblationem adscriptam, rationabilem: quod est figura corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi.* Hic Canonopœus pro verbis, *quod est figura corporis* &c. ponit, *ut nobis corpus & sanguis fiat* &c. Heic si uspiam, mysterium iniquitatis latenter operans, se prodit. Et Mediolanensis Ecclesia, Ambrosianæ Liturgiæ tenax, verba illa retinuit usque ad tempus Nicolai II. qui misso Mediolanum Cardinale Petro Damiano Guidonem Archiepiscopum subegit, ut verba illa omitteret, & Romano ritu Missa defungeretur, frustra apud Sigonium *de Regno Ital. lib IX.* quiritante populo: *Non debere Ambrosianam Ecclesiam Romanis legibus subjacere. Nimis indignum esse, ut quæ sub progenitoribus suis semper extitit libera, ad suæ confusionis opprobrium alteri Ecclesiæ subjecta sit.* Cúmque jugum Romanæ Liturgiæ Mediolanenses excussissent, Damianus non dubitavit Ecclesiam Mediolanensem tergiversantem heterodoxiæ accusare, addens etiam, *illam inde ab Auxentio & Ambrosio ipso manasse.* Tandem verò sub Alexandro II. & Gregorio VII Romanæ servituti collum suum Ecclesia Mediolanensis, Ambrosianis verbis expunctis, submisit. Præterea quomodo Canon orat, ut Deus oblationem illam *adscriptam* habeat? Si enim Christum intelligit, quid opus est, ut adscribatur? Si panem, quid refert adscribi, cùm secundum novellam Romanorum traditionem, substantia panis & vini transeat in corpus & sanguinem Christi? Et Canon panem & vinum nondum mutatum in corpus & sanguinem Christi, *oblationem* appellat. Cùm tamen hodie oblationes, quales olim in usu erant, expiraverint penitus. Vilescere enim pridem sacrificulis tenues ejusmodi oblationes cœperunt, & Regalium opum oblationes, (pro quibus tenuissimam oblatam, falso Divinitatis fuco incrustatam, misello populo illi reddunt) multùm iis præferunt. *Sextò* in consecratione Calicis inter alia Sacerdos de eo enuntiat: *Qui pro vobis & pro multis aliis effundetur in remissionem peccatorum.* Evangelistarum nemo *effundetur* habet; sed ἐκχυνόμενον quod *effunditur.* qua ratione sacrificasse Christum in prima Cœna pertendunt. Sed profectò Canonem hic & errori suo adversantem, & verba scripturæ falsantem habent. Sed hæc superioribus addidisse sufficiat. cùm plura etiam addi possent. Mirentur jam alii Canonem, haud secus quàm pueri Junonis avem. Nos detestamur meritò. Tot enim ferè inepta, imò & impia habet, quot orationes. Verba modò sacra excipimus; quæ tamen in sensum impium pleraque detorquentur.

ARG. V. Continet Canon nonnulla cum Pontificia doctrina ἀσύστατα. Nam missam privatam evertunt verba: *Ut repleamur omni benedictione cœlesti, quotquot ex hac altaris participatione Sacramentum sumpserimus.* Locum medium purgatorianum excludunt verba: *Memento famulorum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis.*

RESP. REDING: 1. *In prioribus verbis Sacerdos non loquitur de multis absolutè, sed oras, ut quotquot sumpserint, utiliter sumant. Et pluralis numerus adhibetur tum propter communicantes, si qui adsint: tum propter eos, qui alibi communicant, & unum corpus sunt. Ita oratio Dominica, plurali numero concepta licet, à singulis tamen seorsim orari potest.* 2. *Sed & posteriora illa verba:* Memento famulorum, &c. *de iis defunctis, qui purgatorii licet addicti panis, in statu tamen gratiæ sunt, & se totos voluntati Dei subjiciunt loquuntur.* Ib pag. 323. Resp. 1. Verba Sacerdotis sic sonant: *Supplices te rogamus, ut quotquot ex hac altaris participatione Sacramentum Filii tui corpus & sanguinem sumpserimus, omni benedictione repleamur.* Et supra idem sic orat: *Memento, Domine, omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus,* &c. Hæc quondam, cùm communio adhuc duraret, dicta, postquam Missæ solitariæ, sine communicantibus, privatæ incesserunt, retinentur tamen; & non minùs in solitudine illa clarè & discretè enuntiantur, quàm si in frequentissimo conventu sacra peragerentur. Et tamen nemo unus, nisi sit de fabulis, vel tergeminus Geryon, vel centiceps & centimanus Briareus, ista sic loqui potuit, nisi ridiculè & stultè. Frustra verò cum Bellarmino tricaris, verba ista in numero multitudinis dici non *absolutè*, sed *cum conditione*, si plures adsint. Nos enim hæc objicimus iis, qui missificant, ubi nemo adest, qui communicet, nec adesse debet, præter missificantem. Quid ergo hic conditio, quæ in solitariis Missis, nunquam expletur, neque expleri potest? Ineptiùs etiam ex eodem Bellarmino instas, *verba illa dici propter eos, qui alibi communicant.* Itane verò etiam de alibi communicantibus illa dicta censebimus, *Quotquot ex HAC altaris participatione sumpserimus?* Qui *Hanc* dicit, quam dicit, velut intento in eam digito demonstrat. Quæ alibi locorum, apud Seras si fortè, aut Malabaras, vel Japonas, vel certè apud Romam aut Hispalim Missæ fiant; vix, credo, digito monstraverit Presbyter Venetiis, vel Madriti, vel Lutetiæ in Jesuiticæ alicujus Ecclesiæ angulo missificans. Neque Gregorianus Presbyter isto sensu formulas illas usurpabat; qui quorum donorum perceptione expiari se, & eos, quorum nomine loquitur, à crimine petit, ea, inquam, dona *à Domino Deo sanctificando assumi* poscit; quod non potest de aliis, quàm de iis, quæ ipse afferebat, intelligi. *Hæc tibi, Domine*, sic Gregorius *Sacram. Dom. ant. Nat. Dom. p.* 201. loquitur, *oblata benignus sanctificando assume libamina, ut eorum perceptione expiemur à crimine.* Idem supra sic precabatur: *Purificet nos, Domine, quæsumus, muneris præsentis oblatio.* Qui Romæ hæc precabatur Sacerdos, *munus præsens* de nullo intelligebat alio, quàm de eo uno, quod ipse suis tractabat manibus, non de muneribus, quæ Deo Syracusæ, vel Alexandriæ offerebantur. Et *munus* erat *præsens*, & *præsentes ii*, qui munus sumpsisse, vel sumpturi esse dicuntur. Sunt sanè juxta præsentes & absentes unum corpus, & præsentes pro absentibus orant. Non tamen ideo congruè ac verè dicit, *quotquot ex HAC altaris participatione sumpsimus*, is, qui unus sumpsit, & solus est, dicere potest: *Orate pro me* quod Sacerdos privatim etiam missificans dicere solet. Neque etiam par ratio est Orationis Dominicæ; quæ ita quidem composita est, ut à multitudine congregata & à singulis seorsim recitari possit, & recitetur. Alia Missæ Gregorianæ ratio est, quæ sic composita est, ut à pluribus tantùm uno in loco consistentibus dici possit: ab uno verò homine nisi stultè & indecorè dici nequeat. In oratione Dominica Divina dona à Patre Cœlesti non sibi quisque soli, sed etiam fratribus suis petit, quod ubivis licet. In Canone Missæ non modò hæc missificans privatim sibi & aliis Dominum poscit, sed ex hac altaris participatione plures sumere testatur: & Deum rogat, meminerit omnium circum-

stan-

ſtantium, cùm circumſtet nemo: & fratres rectâ alloquitur, ut pro ſe orent, qui nulli adſunt: & rogatur Presbyter, *jubeat benedicere*; cùm nemo ibi ſit, neque qui eum roget, neque quem benedicere jubeat. Fuitne unquam inſcitum & inficetum magis drama? Mitto Dialogiſmos inter ſe ſalutantium, aliáque ſimilia. Siccine inſtituta eſt oratio Dominica? Cur ergo ſic lectores tuos, Redingi, pro fungis habes? 2. An qui in ſtatu gratiæ ſunt, & ſe totos voluntati Dei ſubjiciunt, *in ſomno pacis dormiunt*, cùm quæſitiſſimis tormentis afficiuntur, & flammis piacularibus toti uſtulantur? Intelligant linguam illam fabulæ Purgatorianæ architecti. Non intelligent unquam, ſe *dormire in ſomno pacis*, qui tantis cruciatibus afficiuntur. Nam etiam qui in ſtatu gratiæ ſunt, & ſe totos Deo devovent, non dormire, non pace frui, ſed ſummam perturbationem experiri poſſunt.

ARG. VI. Libertati Chriſtianæ, & veteris Eccleſiæ praxi repugnat, ut ad unam aliquam formulam ſub anathemate conſcientiæ adſtringantur. In veteri Eccleſia integrum fuit uti quacunque forma analogiæ fidei conſentanea. Ante Gregorii Liturgiam viguit Conſtantinopolitana Chryſoſtomi, Hieroſolymitana venditata ſub nomine Jacobi, Baſilii in Oriente uſitata, aliæque ejuſmodi Liturgiæ, quæ nominibus Marci, Jacobi, Petri, Chryſoſtomi, Baſilii &c. veniunt, non quòd iis authoribus confectæ ſint, ſed quia in illarum civitatum Eccleſiis, quibus illi præfuiſſe perhibentur, in uſu olim fuerint. Ne ipſe Gregorius M. quenquam ad Canonem ſuum adſtrinxit, ſed libertatem unicuique conceſſit, teſte Epiſtola 7. lib. 8. Et Carolus Calvus ſcribit, uſque ad tempora abavi ſui Pipini Gallicanas Eccleſias aliter quàm Romanam Divina officia celebraſſe. Primus Pipinus Papæ adhortatione motus Romanas ceremonias in Galliam introduxit. Hiſpani circa A. 1075. inviti Papæ nimirum R. voluntate & Regum vi ac imperio, uti Rodericus Toletanus *de Reb. Hiſpan. Lib. III. Cap.* 26. narrat, veterem ritum ab Iſidoro traditum cum Romano permutârunt. Quin hodiéque Toleti Iſidori liturgia retinetur, quam Mozarabam vocant. Imò Franciſci Ximenii authoritate in Sacello quodam maximi Templi Toletani alia liturgia obtinet, quàm in Choro. Orientales verò Eccleſias quod attinet, nunquam Canonem Romanum recipere dignatæ ſunt.

RESP. REDING: 1. *S. Paulus præpoſitis obedire non propter iram tantùm, ſed propter conſcientiam juſſit, nil præjudicans libertati fidelium. Et qui Eccleſiam non audit, jubetur Ethnicus & Publicanus haberi; adeóque anathemati rectè devovetur.* 2. *Neque ſingulis in veteri Eccleſia, ſed particularibus Eccleſiis liberum fuit Liturgiam fidei conſentaneam habere. Si id particulari Eccleſiæ licuit, cur univerſali non liceat?* Ib. pag. 323. 324. Reſp. 1. Temerè, quicquid in buccam venit, effutis. Ubi enim Apoſtolus Præpoſitis Eccleſiæ obedire juſſit, non tantùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam? De Poteſtatibus Supereminentibus, non Eccleſiæ Præpoſitis, qui illarum jure Divino ſubditi ſunt,

ſic S.Paulus Rom.XIII.5. loquitur. Interim Præpoſitis Eccleſiæ obediendum eſt etiam propter conſcientiam,ſi præceptum Dei afferant & demonſtrent: vel in adiaphoris etiam libertatem Eccleſiæ non lœdant, & ſuas definitiones non obtrudant, ut partem neceſſariam Divini cultus. Quid hoc ad Eccleſiæ Romanæ particularis Præpoſitos,qui nec Dei præceptum hac in re afferunt,ſed humana induſtria compoſitam orationem, & pluribus eam ſcatentem vitiis conſcientiis obtrudunt, & omnes reliquas Eccleſias ſub anathemate ad Liturgiam ſuam amplectendam, nulla poteſtate legitima pollentes, obtrudunt? Eccleſia, quam Chriſtus audire jubet, & particularis cujusvis fratris peccantis Eccleſia eſt,non Romana ſola; & non audientes elenchum ex Dei verbo inſtitutum pro Ethnicis & Publicanis habet. Quid hoc ad Romanos Eccleſiis aliis dominantes, & contra Dei verbum præcipientes? 2. Non ſinguli, fateor, ſed Eccleſiæ ſingulæ olim liturgiis ſuis liberè uſæ ſunt. Singulis tamen liturgiam vitioſam, nedum impiam rejicere fas erat, & adhuc eſt. Eccleſia verò univerſalis Liturgiam nullam compoſuit: nedum vitioſam compoſuit, & conſcientiis ſub anathemate obtruſit. Cedo enim Oecumenicum aliquod Concilium, in quo particulares Eccleſiæ omnes per delegatos ſuos Liturgiam univerſalem compoſuerint,vel compoſitam approbaverint? Si Eccleſia Romana univerſalis eſt, & Liturgiam jam Gregorii M. tempore univerſalem compoſuit; quomodo Eccleſiæ reliquæ & Orientales,& Occidentales plures,Mediolanenſis,Gallica, Hiſpanica &c.eidem,ſi credere fas eſt,ſubjectæ, neglecta univerſali illa Liturgia,ſuas proprias, & Gallica quidam ad octavum, Mediolanenſis ad nonum, Hiſpanica ad undecimum uſque Seculum,quibus demum non ſine aperta vi obtruſam ſibi Romanam Liturgiam receperunt,adhibuerunt? An per integra Secula tot illæ anathemati Romanorum ſubjectæ fuerunt?

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Canon Miſſæ conſtat cùm ex ipſis Domini verbis,tum ex Apoſtolorum traditionibus,ac Sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus.* Sunt verba Concilii Cap 4. Addit Bellarminus de Miſſa Lib.II.cap.19. *primum formam aliquam ſacrificii celebrandi,adjunctis ad verba Domini certis precibus & ritibus,Romanæ eccleſiæ dediſſe Petrum,teſte Iſidoro lib.I.de Officiis Cap.15. poſtea diverſos Pontifices preces diverſas addidiſſe uſque ad Gregorium I.qui ultimus fuerit eorum,qui ad Canonem Miſſæ aliquid adjunxerunt,uti ex Walafrido lib. de Obſervat.Eccleſ.Cap.22.colligi poſſit.* Reſp. 1. Verba Domini & inſtitutionis Dominicæ in Canone reperiri, ſed interpolata,& depravata peregrinum in ſenſum detorta ſuperiùs oſtendimus. 2. De Petro Canonis authore non aliud Bellarminus argumentum,quàm Iſidori Hiſpalenſis,qui annis plus quàm quingentis poſt Petri martyrium vixit, aſſertionem nudam afferre potuit. Atqui Gregorius I. aliquot annis vetuſtior Iſidoro, de Canonis Miſſalis origine, & Apoſtolicæ Euchariſtiæ ratione alia omnia tradidit. Ait enim *lib.VII.epiſt.63.* morem Apoſtolorum fuiſſe,*ut ad ipſam ſolummodo orationem Dominicam oblationis hoſtiam conſecrarent.* Additque precem eam,

quæ

quæ ſuper oblationem dicitur, quámque à Petro potiſſimùm inſtitutam eſſe docuit, ſi qua verè ab ipſo inſtituta fuiſſet, non à Petro, ſed à Scholaſtico quodam compoſitam fuiſſe. Quòd ſi Petrus *aliquam*, quod fingit Bellarminus, *ſacrificii celebrandi formam certis precibus & ritibus adjunctis ad verba Domini* inſtituiſſet, neceſſe habuiſſet Romanis eam literis mandare, ne interciderent, quod factum non eſt. Vetuſtiſſimi enim Patres, Scriptorum Apoſtolicorum indagatores, qui Petri literaria momumenta ſive vera, ſive dubia, & apocrypha accuratiſſimè enumerârunt, nullam omnino formæ illius Miſſalis ab Iſidoro ſomniatæ mentionem faciunt. Idem de Liturgiis, quæ Jacobi & Marci nominibus circumferuntur, judicandum. Nulla earum in anterioribus quatuor Seculis, ac ne quarto quidem adulto, mentio, etiam natis paſſim occaſionibus, occurrit. Fruſtra igitur Apoſtolorum traditionem Tridentini jactant. 3. Falſum denique quod Gregorius I. ultimus eorum fuerit, qui aliquid Canoni adjunxerunt. Etenim teſte Valafrido *Cap.*22. Gregorius III. qui Anno 731. ordinatus eſt urbis Epiſcopus, inſtituit in Canone dicendum à Sacerdote: *Quorum ſolennitas, hodie in conſpectu Tuæ Majeſtatis celebratur, Domine Deus noſter, toto in orbe terrarum.* Eodem, ut & Anaſtaſio teſtibus Sergius Papa, qui An. 987. ſedere cœpit, addidit carmen ante communionem cantari ſolitum, *Agnus Dei*, &c. Alia ejuſmodi proferri poſſunt, quæ dubitare non ſinunt, Canonem Miſſæ hodiernum à veteri Gregoriano differre.

EXCIP. REDING: 1. *Ab Iſidori Hiſpalenſis, viri tanti, authoritate alienum erat, temerè aſſerere, Petrum Canonis authorem eſſe. Neque refragatur Gregorii teſtimonium. Licet enim initio Apoſtoli ad ſolam orationem Dominicam miſſificaverint, poſtea tamen multa illos addidiſſe, ex Chryſoſtomo, homil.3.in Epiſt. ad Philipp. tradente, quòd oratio pro defunctis in Miſſa ex Apoſtolica traditione deſcenderit, liquet. Quid vetat etiam, quò minùs Gregorius nomine Scholaſtici, quod virum eruditione præſtantem ſignificat, Petrum ſignificaverit? Quomodo idem Epiſt. lib. X.2. vocat Matthæum Scholaſticum virum clariſſimum. Neque etiam Gregorius loquitur de Canone univerſo, ſed de alia extraordinaria prece, cujusmodi eſt* Agnus Dei, *ante communionem dici ſolita.* 2. *De Jacobi & Marci liturgiis ex claſſicis authoribus paſſim ponderoſa argumenta proſtant.* 3. *Poſito, Apoſtolos ad verba inſtitutionis Euchariſticæ ſolam orationem Dominicam addidiſſe; eadem tamen ritus inſtituendi authoritas in Eccleſia manſit.* 4. *Oratio, quam in Canone dicendam à Gregorio III. inſtitutam ais, non extat in Canone: neque etiam carmen illud* Agnus Dei, *ante communionem cantari ſolitum, de Canone eſt.* Ibid. pag. 324--325. Reſp. 1. Sic ergo Iſidorus ille

Et ſapis, & tecum facit, & Jove judicat æquo.

Si ſcripſiſſet aliquid parum ſapiens palato tuo, temerè eum ſcribere pronuntiares ilico. Nunc verò tibi favere viſus errare ſcilicet non potuit; teſtis de S. Petri dictis & factis, quingentis plus annis S. Petri Martyrio recentior. Unde ergo didicit ea, quæ præter

ipſum teſtis alius prodidit nemo? Et cujus teſtimonio tum apertè refragatur antiquior paulò Gregorius, non Hiſpalenſis aliquis Epiſcopus, ſed Romanus Papa? Non enim ille tempora Apoſtolorum diſtinxit, uti ex Bellarmino tuo nugaris, ſed ſimpliciter dixit, *morem Apoſtolorum fuiſſe, ut ad ipſam ſolummodo orationem Dominicam oblationis hoſtiam conſecrarent.* Si morem mutaſſent Apoſtoli, non ita ſimpliciter Gregorius locutus fuiſſet. Neque quicquam contra hæc valet, quòd Chryſoſtomum ais ſcripſiſſe, orationem pro defunctis in Miſſa ex Apoſtolica traditione ortum habere. Hic enim de Gregorii, non Chryſoſtomi ſententia quæritur. Neque profectò eſt, ut quiſquam putet, Apoſtolos edixiſſe, ut preces pro mortuis illi ſuo Euchariſtiæ celebrandæ ordini adjungerentur. Unde enim hoc probari poteſt? Nullum in omnibus N. T. libris additionis hujus veſtigium apparet. Chryſoſtomus verò *Homil.3.in Phil.II.* ſcribens, *Apoſtolos non fruſtra edixiſſe, ut in venerandis ac tremendis myſteriis memoria eorum fiat, qui deceſſerunt* (quod ipſum tamen longè diverſum eſt à precibus pro defunctis) deceptus haud dubié aliqua veri ſpecie erravit, & imprudens aliquid à vero alienum ſcripſit, quod aliis etiam Sanctis Patribus contigiſſe nonnunquam, demonſtrari facilè poteſt. Sic enim Epiphanius *Expoſit. fid.ſſ.* 22. feriarum quartæ & ſextæ Synaxin & Jejunium ab Apoſtolica traditione arceſſit; quod ipſi Petavio, ſententiam hanc *Not.ad h. l.* improbanti, non perſuaſit. Epiphanio autem Pſeudo-Clemens, conſtitutionum author, ſimile quid *lib.VII.22.* tradens impoſuit. Fieri poteſt, ut Chryſoſtomo idem quoque liber fraudi fuerit, & Apoſtolos orationem pro defunctis in S. Synaxeos celebratione fieri juſſiſſe perſuaſiſſe, qui ſcilicet in eo opere *lib.VIII.13.* Euchariſtiæ ſacrum facientes non ſemel preces pro defunctis fundunt. Quanquam alia etiam in errorem inducere potuerunt, inprimis regula illa ab Auguſtino *lib.IV. cap.24.* prodita, ſi quid in communi Eccleſiæ totius uſu eſſet, quod à nullo tamen Concilio inſtitutum eſſet, id *rectiſſimè credi non alia quàm Apoſtolica authoritate traditum fuiſſe.* Memoriæ autem mortuorum jam Chryſoſtomi ævo ubique ferè invaluerunt. Quàm verò fallax ſit Auguſtini illa regula, duo maximé ritus, puta Euchariſtia baptizatis infantibus tradi ſolita, & quòd Sacræ particulæ volentibus adultis fidelibus auferendæ, & domi quandiu liberet, vel aſſervandæ, vel ſumendæ tradi ſueverunt. Uterque ritus Chryſoſtomi & Auguſtini ævo invaluit, neque ab ullo Concilio inſtitutus reperitur. Et tamen Apoſtolicæ traditioni alterutrum acceptum referre Pontificii ipſi religioni ducunt. Tanta verò etiam facilitas Patrum, ritus ſuos Apoſtolis authoribus tranſcribendi, fuit, ut Hieronymus *Epiſt.28. ad Luc.* pro Apoſtolicis inſtitutis venditaverit, quæcunque non modò in univerſa Eccleſia, ſed vel in una Provincia ex tradito à majoribus more obſervari animadverteret. *Unaquæque,* inquit, *Provincia abundet in ſuo ſenſu, & præcepta Majorum leges Apoſtolicas arbitretur.* In nomine *Scholaſtici*, à quo Canonem compoſitum eſſe, Gregorius aſſeveraverat, ludis profectò pueriliter. Itáne ergo S. Petrus *Scholaſticus* fuit? Talis ſcilicet, qualis Tu, & tui ſimiles, Theologiæ *Scholaſticæ* myſtagogi? Hoc unum ad gloriam *Scholaſticorum* heroum deerat. Sed & verba ſimul atque res hunc Gregorio impoſitum ſenſum manifeſtiſſimè reſpuunt. Quis enim unquam fando audiuit *Scholaſticum* à quoquam dictum, ut S. Petrus, & non alius intelligatur? Quis ejus in urbe, quos jactatis, ſucceſſores Epiſcopos hoc nomine deſignari? Non tantùm ſycophanta audiret, ſed forte etiam Inquiſitioni deferretur, qui hoc nomine Papam hodie inſignire audeat. Repugnat etiam ipſa nomenclaturæ ratio. Non enim ſignificat *virum eruditione & eloquen-*

tia

tia præstantem (quanquam ne sic quidem ad tales viros significandos deceret *Scholastici* nomen simpliciter,quod hic Gregorius facit,nullo adjecto elogio ponere) sed in Scholis institutum,eruditum,& qui emendatè,sine solœcismis, barbarismis, aliisque sermonis vitiis & scribere & loqui possit. Quales certè nec Scholastici vestri sunt ; nec S. Petrus, Clemens, aliique primi urbis Romanæ Episcopi esse affectarunt. Quid enim illis cum hujusmodi eruditionis laude negotii fuit, qui,juxta illud S. Pauli 2.Cor. XI.6. & 1.Cor.II.4. *imperiti erant sermone,sed non scientia*; quorúmque *sermo & prædicatio non fuit in persuasoriis humanæ Sapientiæ verbis ,sed in demonstratione spiritus & potentiæ?* Sed & res ipsa loquitur. Gregorius enim Petrum hunc *Scholasticum* vocat, non honoris causâ, sed contemptim. Dicit enim : *Valde mihi inconveniens visum est,ut precem, quam Scholasticus composuerat ,super oblationem diceremus, & ipsam traditionem, quam Redemptor noster composuit ,super ejus corpus & sanguinem non diceremus.* Ubi Scholastici nomen poni ἀκυρολογικῶς, clarum est. Neque valeret comparatio, si S. Petrus, qui sua Christo & Spiritu S. inspirante composuit, canonis author fuisset. Quòd verò,diffisus meritò his de S. Petro Scholastico ineptiis, ex Bellarmino eodem pertendis, *Gregorium non loqui hic de canone,aut certè non de toto canone ,sed de alia aliqua prece extraordinaria, cujusmodi est* Agnus Dei *ante communionem dici solita* (Bellarminus contra *tres illas , quæ dicuntur ante communionem post* Agnus Dei *nominat*) manifestè Gregorio imponis. Ille enim, ut initio dixerat,se orationem Dominicam *mox post canonem dici statuisse:* ita hic eandem rem significans, ait, *se Dominicam orationem mox post precem dicere.* Ergo per *precem illam* eum ipsum *Canonem*, de quo ante locutus erat,intelligit, adeóque rem eandem & precem & Canonem dicit. Quin & ex Gregorii ejusdem verbis haud obscurè colligitur , illam Scholastici precem Gregorianis temporibus eum in liturgia habuisse locum, quem antea sub Apostolis Dominica oratio habuerit ; ac ut olim Apostoli ad hanc dona consecraverant: ita ad illam Gregorii temporibus consecrasse Romanos. Unde patet, eam in ipso Canone recitatam fuisse, non post *Agnus* Dei. Plura ejusdem rei argumenta silentio prætereo. 2. Ponderosa illa pro Petri , Jacobi & Marci liturgiis ex classicis authoribus (*classicos* ineptè vocas, quorum nomine Romani , seu Latini probati authores veniunt) argumenta cur non promis? Perstat vis argumenti mei. Altissimum apud ipsum S. Petrum , Jacobum & Marcum, nec non vetustissimos quosque authores de iis silentium est. Sed & fictas easdem esse , non obscuré illud arguit, quòd Tertullianus ea recensens , quæ suo Seculo in Sacramenti utriusque administratione præter Scripturam tradita observabantur,de Eucharistia quicquam in ejus celebratione vel fieri vel dici præter ea,quæ vel Evangelium,vel Pauli Epistola docuit, nullus memorat. Quod vel inprimis eo loco dicendum erat , si vel Petri, vel Marci, vel Jacobi traditio aliqua præter ista ritibus ac precibus constantem formam adjecisset. 3. Ad authoritatem Ecclesiæ constituendi in Ecclesia ritus, non pertinere licentiam quidvis instituendi , supra ostendimus. 4. De adjectis Canoni à Gregorio III. sic Valafridus Cap 22. scribit : *Gregorius Papa R. III. cum faceret oratorium in Basilica B. Petri in honorem omnium sanctorum , & quotidie ibidem officia ac Missas in eorum veneratione constitueret celebrari, pariter constituit in Canone à Sacerdote dicendum:* Quorum solennitas hodie in conspectu Majestatis tuæ celebratur, Domine Deus noster,in toto orbe terrarum ; *quod quia* (inquit) *specialiter pertinet ad illam celebritatem , non est Canoni,qui generaliter dicitur,adnotatum.* Sed cùm & hoc, tametsi illius celebritatis.

Pro

proprium, ad Missæ tamen Canonem pertineat, hæc utique ejus particula nova, & ante Gregorii III. tempora inaudita fuit. Sed & carmen illud, *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis*, ante communionem, dum frangitur à Sacerdote panis, cantari solitum à Sergio I. qui A.687. sedere Papa cœpit, institutum, & si non Canoni, saltem Liturgiæ Missali insertum est.

OBIECT. II. *Canonis hujus antiquitatem probant varia indicia. Etenim 1. fuisse eum in usu ante annum* 800. *arguit id, quòd extat in Ordine Romano haud procul initio, quem Ordinem citant Alcuinus & Amalarius, qui tempore Caroli M. vixerunt.* 2. *Partes Canonis extant apud Patres antiquos, v.g. Ambrosium lib. IV. de Sacram. cap.5.6. ubi præcipuas partes allegat ex antiquo ritu ecclesiæ: Optatum lib. 2. contra Parmenianum, Augustinum tract.84. in Johannem, ubi mentio est illius partis, in qua invocantur Sancti.* 3. *In toto Canone nulla mentio est Confessorum aut virginum non Martyrum, sed Martyrum duntaxat. Nempe quia eo tempore Canon compositus est, quo nondum cœperunt publicè coli Confessores. Cœperunt autem coli jam An.*800. *Proinde ante illud tempus Canon in usu fuit.* 4. *Veteres diligenter annotârunt pauca verba, quæ Leo & Gregorius Pontifices ad Canonem addiderunt. Ergo antiquior fuit Leone & Gregorio, habitúsque semper in maxima veneratione.* 5. *Ignorantia ipsa authoris præcipuarum partium Canonis antiquitatem ejus prodit.* 6. *In Canone non servatur ordo Apostolorum, qui est in Evangeliis per Hieronymum emendatis. Antiquior igitur est ipso Hieronymo.* Ita Bellarminus, ex quo partim eadem, partim similia profert Aug. Reding *pag.*540. Resp. 1. Canonicam authoritatem Canoni non quælibet antiquitas, sed ea, cujus principium in Christo & Apostolis figitur, præstat. Hanc autem antiquitatem ei haud competere certum est. 2. Bellarmini cumulatis pro antiquitate Missalis Canonis suspicionibus, opponi possunt longè certiora & planiora novitatis ejusdem indicia. Qualia sunt, quòd Gregorius testatur à Scholastico quodam confectum esse: quòd in prima Canonis parte pro Papa nominatim supplicatur, & Episcopus loci præponitur Regi: quòd in eo commemorantur Sancti: quòd in Oratione secunda quædam sunt Gregorio addita à Gregorio III. Leone, Sergio, aliáque ejusmodi: quòd ordo Missæ Gregorianus serò admodum in multis Occidentis ipsius Ecclesiis receptus est: quòd Græci, Æthiopes, aliíque Orientales à Latinis jam pridem segreges Canonem hunc nunquam usurpârunt, aliáque ejusmodi. 3. Neque contra quidquam proficiunt ariolationes Bellarmini. Etenim ordinis Romani libelli non septimo vel octavo, sed undecimo & quidem præcipiti Seculo compositi sunt à Bertholdo sive Bernoldo Constantiensi, ut author est Honorius Augustodunensis *de Scriptoribus Eccl.* Neque Alcuinus librum *de divinis Officiis* composuit, sed alius Seculi XI. Scriptor, uti Duchesuius & alii necessariis argumentis pridem demonstrârunt. Amala-

larius verò nono etiam Seculo antiquior haud eſt. Proinde parùm attinet heic diſcutere, an verum ſit, Canonem Miſſæ Latinum integrum in libris iſtis reperiri. Opus porro *de Sacramentis* non Ambroſio authore, ſed longè recentiori ſcriptum eſſe, à Coco in cenſura Patrum probatum eſt. Præterea etſi quatuor illa, quæ indicat Bellarminus, quæ in Miſſali Canone nunc dicuntur, ſimilia ſint, non tamen ſunt prorſus eadem. Nam in Ambroſiana prece veteres dicebant, Oblationem eſſe *figuram corporis & Sanguinis Domini*, quod nunc in ſua Pontificii non dicunt. Idem Pſeud-Ambroſius dicit, *Oratione peti pro populo, pro regibus, pro cæteris.* At Canon dicit: *Hæc Sacrificia illibata Tibi offerimus &c. unâ cum famulo tuo Papa N. & Antiſtite noſtro N. & Rege noſtro & omnibus Orthodoxis.* De Auguſtini *Homil 84. in Johannem* ſupra dictum. Deinde ex omiſſa mentione Confeſſorum & Virginum Martyrum non aliud concludi poteſt, quàm Canonem eſſe antiquiorem IX. Seculo, quo primùm cœperunt juxta Bellarminum Confeſſores & Virgines coli. Quanquam & illud falſum eſt, ab ipſo eccleſiæ initio Martyres cœpiſſe invocari, vel faſtos dies eorum nominibus coli. Nihil tale ante IV. Seculum apud Chriſtianos factum eſt. Tum & ea, quæ Canoni addita ſunt, non fuerunt *pauca verba*, ſed, uti multos putâſſe ſuo ævo ſcribit Valafridus, integræ periochæ & Orationes, in quibus verba illa occurrunt, ut antehac mutilum & imperfectum fuiſſe ſatis appareat. Neque credibile eſt, Leonem illi Canoni, quem ab Apoſtolis fluxiſſe putaverit, quidquam adjecturum fuiſſe. Præterea author præcipuarum Canonis partium non ignoratur. Scholaſticus enim fuit, indice Gregorio. Neque ſi ejus author ignoraretur, iccirco Apoſtolicæ originis foret, niſi fortè omnia Apoſtolis authoribus debentur, quorum author ignoratur. Denique nec Apoſtolorum ordo aliter in Canone, quàm apud Hieronymum poſitus, arguit antiquiorem eſſe Hieronymo, cùm hodiéque non infrequens ſit, alium in iis recenſendis ſervare ordinem, quàm qui apud Matthæum occurrit. Imò ne ipſi quidem Evangeliſtæ eundem ordinem ſequuntur.

EXCIP. REDING: 1. *Si canonicam authoritatem non alia antiquitas quàm ea, cujus principium in Chriſto & Apoſtolis figitur, Canoni conciliat, oportet ea, quæ tum in Liturgiis Jacobi & Baſilii, tum apud Cyrillum Hieroſol. Ambroſium, Auguſtinum recenſentur, & hodiéque in Miſſa uſurpantur, canonica authoritate deſtitui. Sufficit ergo, Chriſtum Eccleſiæ authoritatem dediſſe pro perpetuo ejus ſtatu inſtituendi neceſſaria, quæ inſtituta eo ipſo canonica authoritate pollent.* 2. *Papæ nomen habetur jam olim memoratum in Liturgia Chryſoſtomi à Leone Tuſco latinè reddita. Alcuinus etiam Lib. de officiis hujus rei meminit. Et Vaſenſe Concilium ante annosm 1100. celebratu can. 4. conſtituit, ut in Gallicanis Eccleſiis nomen Papæ Urbis Romæ in omnibus Miſſis recitetur. In omnibus quoque anti-*

quis Liturgiis supplicatos pro Episcopo loci. 3. *In substantia Canon olim ab Ambrosio recitatus, & hodie usitatus differentiam nullam recipit. Neque si antiquo Canoni modicum quid accessit cum tempore, id substantiam ejus mutat. sicut novi ædificii structura Civitatis Tigurinæ antiquitatem non evertit.* 4. *Neque Ambrosius, neque quisquam Patrum Eucharistiam appellavit figuram corporis & sanguinis Christi, ejusdem veritate destitutam.* Ibid. pag. 325. 326. Resp. Pleraque mea sicco pede transis, alia jam protrita reponis, & jejunè nonnulla regeris. Etenim 1. Ubi de antiquitate rei quæstio instituitur, quid mihi Ecclesiæ in constituendis ritibus potestatem objicis? Si quam Ecclesia hic potestatem habet, illam æquè sub finem mundi exercere potest, atque in principio suo exercuit. Qua porro hic potestate Ecclesia polleat, supra explicavimus. Canonicam verò authoritatem non conciliat nisi Divina & immediata inspiratio, qua soli libri Canonici V. & N. T. non ulla humana scripta, inter quæ Missæ Canon est, exarati sunt. 2. Novam esse orationem pro Papa Canoni insertam, ex Constitutionibus Pseudo-Clementinis, & Græcis Liturgiis, in quibus Papæ Romani nomen nullum hoc loco occurrit, constat. Neque aliud ex Liturgia Chrysostomæa Leonis Tusci colligi posse, supra ostendimus. Sed ne apud omnes quidem Occidentis Ecclesias pro Romano Episcopo solenne olim fuit nominatim precari. Neque hujus moris testis antiquior Synodo Vasensi II. edi potest. Hæc enim primo A. 529. morem eum ex Romanorum imitatione in Gallicanam Ecclesiam induxit. *Et hoc nobis*, inquit Synodus illa, *justum visum est, ut nomen Domini Papæ, quicunque sedi Apostolicæ præfuerit, in nostris Ecclesiis recitetur.* Hoc quoque, utpote ab Episcopali modestia alienum, serius invectum, quòd in Missa non pro Papa tantùm, sed etiam pro cujusvis Civitatis Episcopo priùs supplicant, quàm pro Rege, cujus in rebus humanis summa potestas & dignitas est. 3. Distinguas verò nobis oportet Canonis substantiam ab ejusdem accidentibus, ut de additamentis, qualia illa sint, procliviùs judicemus. Nos verò centonem esse, ex variis preculis, diversis temporibus cusis, quarum nulla Apostolicam originem habet, consutam certum habemus. Sed & mutatio verborum illorum, quæ apud Pseud-Ambrosium extant, *Fac nobis oblationem adscriptam, rationabilem &c. quod est figura corporis & sanguinis Domini nostri I. C.* quam supra *ad Arg.* 4. perstrinximus, substantialis differentiæ indicium non leve præbet, ut taceam plura alia. Quòd si Canon Apostolicæ originis & antiquitatis est, jam non tantùm ejus substantia, sed singuli apices iidem & illibati manere debuerunt Neque enim fas est addere vel detrahere quicquam iis, quæ Apostolis authoribus scripta sunt. Dispar ratio Civitatis est, quæ cum novis ædificiis antiquitatem non mutat, quia non in ædificiis illa, sed in πολιτείᾳ consistit. 4. Quo sensu Eucharistiam *figuram* veteres dixerint, alibi ostendimus. Certè Pseud-Ambrosius non species panis & vini, sed oblationem *figuram* corporis & sanguinis Christi vocat. Species autem non sunt oblatio.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

An ceremoniæ, vestes & externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia utitur Pontificia, pietatis magis sint officia, quàm impietatis incitabula?

Asserit Canon VII. totidem fere verbis. Et cap. V. Ceremoniæ Missales, *mysticæ benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliáque id genus ex Apostolica disciplina & traditione* derivantur. Non aversamur quidem ritus quoscunque adiaphoros, dum fidei & moribus bonis ædificandis inserviant. Ceremonias verò Missaticas juxta liturgiam, quam Gregorianam vocant, vestes, aliáque ejusmodi, sine discrimine, uti quidem indefinitè loquitur Synodus, pietatis officiis deputandas esse, planissimè negamus. Rationes.

ARG. I. Pleræque ceremoniæ in tanta rituum multitudine, quibus tantos effectus pollicentur, authoritate merè humana, non Christi vel Apostolorum invaluerunt, quicquid de Apostolica traditione garriat Synodus. Probari posset inductione omnium authorum, rituum Missaticorum, si breves cancelli, quos nobis præfiximus, paterentur. Id satis constat, & ex Justini, Tertulliani & Cypriani testimoniis liquet, simplicissimum fuisse initio Eucharistiæ ritum, & à Christo institutum, & ab Apostolis usurpatum. Atque id ipsum testantur etiam Gregorius, Valafridus, Remigius, Stephanus Eduensis, Berno, Rupertus Tuitiensis, Hugo Victorinus, Honorius Augustodunensis, Rodolphus Tungrensis, imò recentiores etiam Cirvelus Dorocensis, Rhenanus, Cassander, quorum omnium testimonia citata vide apud Cl. Dalleum *de Cultib. Relig. lib. IX. cap.* 1. 2. &c. Singularum etiam Missæ partium novitatem idem sequentibus capitibus, post Hospinianum aliósque solidissimè demonstravit. Addi potest Polydorus Vergilius *lib.V. de Invent. Rer. cap.ii* ubi fatetur, *nuda fuisse ab initio omnia, & simpliciter tradita esse ab Apostolis mysteria, nudam fuisse ceremoniarum rationem, plus pietatis quàm apparatus habentem.*

RESP. REDING: 1. *Apostolorum authoritas cum eorum morte in Ecclesia non expiravit: Ritus ergo ab Ecclesia constituti Apostolicam æquè authoritatem habent, licet ab Apostolis immediatè instituti non sint.* 2. *Vestes sacræ, ornamenta, vasa, luminaria, Ceremoniæ Mis-*

*sæ in actione & verbis consistentes singulæ mysticas quasdam ad Divinum cultum spectantes rationes continent.quod de singulis demonstrari potest.*Tomo III.Tract.IX.ss.2,pag.327 328. Resp. 1. Si de authoritate Apostolorum in communi munere pascendi Ecclesiam sermo tibi est,nihil repugno. Sed pascendi illud commune munus astrictum est ad præscriptum verbi Divini scripti,in iis maximè, quæ ad mysterium & cultus Divini partes spectant. Adeóque ad illud potestas ritus novos mysticos & significativos instituendi neutiquam pertinet. Omnia enim mysteria à Christo ipso prodita,& ab Apostolis scripta sunt. Alia ratio est rituum,quibus ordo & decorum in Ecclesia custoditur,qui mystici & significativi non sunt. Sin de authoritate Apostolorum in personali & singulari munere,ad quod etiam rituum necessariorum & mysteriorum ex præcepto Christi & inspiratione Spiritus S.propositio & descriptio pertinet,loqueris; illa cum iisdem expiravit tota. Etenim Apostolorum eximium munus erat,Christum post resurrectionem à se visum prædicare mundo. An in hoc munere cuiquam Apostolorum Papa tuus,in quem Apostolicum Spiritum Pythagorica nescio qua μετεμψυχώσει derivatum,& quidem derivatum solum somnias,successit? Nimium sic vobis suffeni estis,& Apostolicum illud fastigium,nil minùs quàm Apostolico Papæ nequicquam arrogatis. 2. De ceremoniarum Missaticarum speciebus in objectionibus fusiùs.Tu ibi jam discussa pompose,& *per extensum*,sic loqui amas,in fronte disputationis collocas,ut cùm rationibus vincere non possis, verborum mole & inanium promissorum strepitu,quibus Lectori tuo imponere conaris,pulverem excites.

ARG. II. Nec desunt impietatis incitamenta. Qualia sunt, quòd Sacerdos ante conscensum altaris gradum , peccata confitetur non Deo tantùm , sed & sanctis : quòd superstitiosæ preculæ pro mortuorum salute adhibentur: quòd pro defunctis bis canitur , *Agnus Dei*: quòd secreto silentio tractatur Canon : quòd peregrinæ linguæ usu plebs ab intelligentia earum rerum arcetur: quòd Sacerdos demurmuratis verbis facit se Creatoris Creatorem.

RESP. REDING : *Crambem bis coctam apponis,& blasphemiam committis. An enim David impius fuit,quando non soli Deo,sed etiam Nathani peccatum confessus est? &c.* Ib. pag.328.329. Resp. Non crambem recoctam, sed veritatem certissimis argumentis assertam,& à strophis tuis vindicatam. David verò non Sanctis,puta demortuis, sed Nathani viventi,Prophetæ,à Deo misso,non peccatorum judici,sed conscientiæ exploratori, & absolutionis præconi; non in aures; sed palam confessus est. Ostende, si potes,vel unici fidelis in tota Scriptura exemplum,qui Sancto cuipiam defuncto peccata sua confessus fuerit. Ostende vel umbram Divini mandati.

ARG. III. Pleræque ceremoniæ debentur pravæ imitationi vel Gentilismi, vel Judaismi. Judaismum sapit ille vestium apparatus, manuum lotio, et iam Gentilibus eximia. Gentilismum olet,quòd Sacerdos celebraturus peccata confitetur, ut & transitio illa, conversio & circumactio in dextram & sinistram altaris partem,& consuetudo legendi collectas in numero semper impari. Judaismo pariter & Ethnicismo debetur offer-

torium

torium, quo Sacerdoti offert populus. Denique & ipsa dimissio in Sacris Gentilium usitata fuit.

RESP. REDING: 1. *Ceremoniæ à Deo olim populo Judaico præscriptæ, adeóque sacræ & religiosæ erant. Cur non igitur Ecclesia etiam possit instituere ejusmodi actiones, quibus mysticæ intentiones Evangelicæ veritati consentaneæ repræsententur? 2. In ritibus gentilium & nostris similibus dissimillima est intentio, quæ si ad verum Deum dirigitur, ritus pios, si ad falsos, impios reddit.* Ibid. pag. 329. Resp. 1. Siccine Ecclesiæ licet, quod licuit Deo? Mysteriis imprægnare externos & carnales ritus illa æquè ac hic potest? Et si potest, atque sic fas est Ecclesiæ ritus Judaicos pro lubitu imitari, (uti vos imitari negare non audes, & per partes Reinoldus noster in Colloquio contra Hartum pag. 334. 335. aliique demonstrarunt) quid prohibebit, quò minùs etiam circumcisionem, Pascha, sacrificia carnalia & cruenta pecorum, denique universum cultum Leviticum cum omni apparatu ejus in orchestram postliminio revocet? Nunquam enim deerit ingenium fingendi intentionem quampiam mysticam, quæ juxta te forma ceremoniarum est. 2. Finem & intentionem actionum dirigit Dei verbum, absque quo est, diversa intentio actiones non discriminat. Moses autem Deut. XII. 21. disertè vetat *sic facere Johovæ*, sicut gentiles faciebant Diis suis. Ubi, observante Cajetano, *præcipitur ad literam, ne colant Deum similibus ritibus & ceremoniis, quas servarunt Ethnici colentes Elohe Deos suos.*

ARG. IV. Ceremoniæ antiquis usitatæ nunc mirificè sunt corruptæ. Olim in Sacris conventibus lecta Evangelia. Nunc leguntur, sed quæ distracta ac discerpta penè sensum nullum fundunt. Vetus Ecclesia perstitit in communione, hoc est, eleemosynarum contributione. Procedente tempore hæ oblationes neque ad Cœnam adhibitæ, neque pauperibus distributæ sunt, sed Sacerdotum tantùm voragini serviunt. Veteres Cœnam administraturi se populi commendarunt precibus. Ex hoc ritu post manavit histrionicus ritus, quo toties se Sacerdos precibus populi commendat.

RESP. REDING: 1. *Quæ Evangelia hodie in Missa leguntur, non sic discerpta sunt, quin genuinum veritatis Divinæ sensum retineant. 2. Oblationes fidelium ultra congruam sustentationem Sacerdotum, in usus pauperum ex stricto mandato hodièque religiosè impenduntur; neque sic filiorum & nepotum, uti apud vos fieri solet, voragini cedunt.* Ibid. pag. 329. Resp. 1. Negare non potes, aliter apud vos legi Evangelia, quàm apud veteres lecta sunt. Hi Latino populo Latina Evangelia & continua serie prælegerunt, & explicarunt. Vos & Latino idiomate, & discerpta miserè; frusta inquam, & mutilatos centones, thurificatos priùs & cruce signatos, pluribus mimicis gesticulationibus præviis. uti ex Innocentio de *Missæ Myster. lib. II.* 35 36. & Durando in Rationali *Lib. IV.* 24. liquet. Retinent ergo Evangelia lecta sensum; quomodo etiam à Magis adhibita sacra verba sensum retinent in se; (nunquam enim Scripturæ verba sic sensum admittunt) sed mutilatum, perversè adhibitum; & apud populum, qui sic fascinatus, fumo & cereorum lampadúmque luce contentus, nulla accensa verbi Dei face, nulla ejus luce conspecta, ab hoc spectaculo, omni lectorum intelligentia defraudatus, inanis dimitti-

tur, planè nullum. Siccine veteres? 2. De oblationibus fidelium nihil dicam. Olim in Cœna eleemonsyæ conferebantur, benedicebantur, ad usum sacrum adhibebantur, & reliquiæ Sacerdotum & pauperum usui dedicabantur. An communio isthæc durat apud vos? Durant apud vos preces, benedictiones oblationum sine oblationibus, quales olim in usu erant. Aliæ jam oblationes sunt, quibus vix satiari unquam Sacerdotum vorago potest. De Ministrorum Ecclesiæ veræ stipendiis frustra quereris. Neque enim illa æquant vulgaria stipendia vestra, nedum Prælatorum Regales gazas; & sufficiunt quantumvis tenuia illa alendis honestè, integris familiis, quæ lauta vix sacrificulorum singulorum ingluviem explent.

ARG. V.. Si non aliter, at certè nimia multitudine missales ceremoniæ peccant, quibus essentiales Cœnæ ritus planè offuscantur.

RESP. REDING: *Aliud testatur devotio fidelium nostrorum, qui unius Missæ etiam solennioris & protractioris mora haud defatigantur, quin plures audire studeant. Iidem facilè essentiales ritus ab accidentalibus discernunt.* Ibid. pag 329. Resp. Quis devotionem ejusmodi à manibus vestris requisivit? Nam & Pagani & Muhammedani majori forte devotione & patientia sacra sua minimè sacra obeunt Quorum tamen ceremoniis nulla inde authoritas conciliatur. Et quæ devotio est hominum, qui κωφὰ πρόσωπα adstant, spectantes curiosè ea, quæ non intelligunt? In rem præsentem si perducetur populus vester, veritas dictorum patebit magis.

ARG. VI. Ceremoniæ Missaticæ sunt vanissimæ, & superstitiosissimæ, Et tamen merita ac effectus iis admirabiles tribuuntur, ex opere operato spectatoribus obventuri.

RESP. REDING: *Blasphemiam spirat hæc ratio. Effectus porro ex opere operato iisdem tributi, ultra cujusque propriam devotionem ex communi Ecclesia prece proveniunt.* Ibid. pag. 329. Resp. Cùm Missa ipsa sit meriti & sacrificii Christi unici abnegatio, & verissima idololatria, non possunt non cerimoniæ Missaticæ superstitione pallere totæ. Non igitur blasphemiam ratio mea spirat, sed, quod res est, dicit. Effectus verò ex devotione fidelium & Ecclesiæ precibus provenientes, ex opere non operato, sed operantis manant. Vobis autem *Sacramentalia*, nedum Missales Ceremoniæ, *effectus suos operantur quodammodo ex opere operato (nam & Judæi & Ethnici sæpius ejusmodi ceremoniis adjuti sunt, teste Nazianzeno &c.) sed non infallibiliter*, sunt verba Tirini *Controv. XVIII. num.* 14. Si verò ex opere operato, quomodo non infallibiliter?

ARG. VII. Si ritus Missales & officia ejusmodi ab Apostolis constituta essent, si non omnes, at certè pleræque christiani nominis gentes iis religiosè inhæsissent. At nunquam Pontificii ritus ab Orientalibus, Græcis, Æthiopibus, &c. recepti sunt. Et diversas olim liturgias fuisse satis constat ex liturgiis Jacobi, Petri, Marci, Chrysostomi, Basilii &c. quas eorum Authorum nomina præferre, non quòd ab illis compositæ, & quales nunc extant, editæ sint, sed quia in earum civitatum Ecclesiis, quibus illi præfuerunt, in usu fuerunt, superiùs diximus.

RESP. REDINO: *Quæ ab Apostolis tradita sunt, in duplici genere sunt. Alia enim acceperunt ex jure Divino: alia ex potestate, quam Christus Ecclesiæ, & successoribus Apostolorum, capiti inprimis Ecclesiæ, concessit, pendent. Illa immutabilia sunt. Hæc ab Ecclesia, ejúsque capite mutari possunt. Neque enim summus Ecclesiæ Pastor, Papa quaslibet Ecclesias particulares quibusvis ritibus accidentariis astringit, sed, salva substantia, in his libertatem indulget.* Ibid. pag. 329. 330. Resp. Sic jam Apostolicæ originis erit, quicquid Papæ, fictitio Ecclesiæ capiti novissimis etiam temporibus placet. Falsò ergo supponis, Ecclesiæ vel cuiquam post Apostoloram tempora Apostolicum authoritatem competere: falsò ritus mysticos significativos, nuspiam scriptos, ne dicam, ineptos, superstitiosos à legitima Apostolica authoritate arcessis: falsò Ecclesiæ vestræ veritatem, Papæ potestatem legitimam supponis: falsò denique Ecclesias Orientales aliásque liturgias suas à Romana diversissimas Papa indulgente, usurpasse asseris. Figmentum isthoc est heri vel nudius tertius natum. Quin probatum à nostris, Romanam liturgiam pluribus Ecclesiis vi obtrusam esse: & Orientales Ecclesias nunquam res suas Papæ acceptas retulisse, vel subjici se ejus arbitrio passas esse.

ARG. VIII. Denique in ipso Concilio P. Johannes de Valtelina Dominicanus copiosè & ex nostra in plerisque mente disseruit, *ex historiis clarum esse, singulas Ecclesias antiquitus habuisse peculiarem suum de Missa ritualem, consuetudine magis de die in diem, quàm judicio aut constitutione introductum: minores autem Ecclesias se se ad Metropolitanas aut vicinas majores conformâsse. Ecclesiæ Romanæ ritum in multis Provinciis, ut Romano Pontifici gratificarentur, receptum. Permultas tamen superesse Ecclesias, quarum ritus ab Romano longissimè recedant. In Mozarabo intervenire equos & digladiationes Numidarum in morem, quibus grandes & mysterio pleni sint significatus. Tantam verò esse hujus à Romano discrepantiam, ut si conspiceretur in Italia, quidvis potiùs quàm Missa crederetur. Etiam adhuc permanere in Italia ritum Mediolanensem præcipuis suis partibus à Romano discrepantem. Atque hunc ipsum Romanum insignes passim mutationes cuivis obvias antiquum librum legenti, qui inscribitur Ordo Romanus, passum esse. Neque priscis modò temporibus, sed paucis retro Seculis, certè ante annos trecentos, verum ritum Romanorum non eundem fuisse cum eo, quem in civitate Romana Sacerdotes nunc servant, sed quem Ordo Dominicanorum fratrum retinet. Cæterùm vestes, vasa, quibus nunc utuntur, sic innovata & transformata esse (quòd cùm ex librorum lectione, tum ex sculpturarum & picturarum inspectione facilè sit observatu) ut si vetera in urbem reportarentur, ea nemo agniturus esset.* His dictis conclusit, *Patres, si his se constringant angustiis, ut Ecclesiæ Romanæ ritus tantùm velint approbare, reprehensioni vix carituros, quasi damnata præjudicio antiquitate, & aliarum ecclesiarum ritibus. Satius multò esse ad ea quæ Missæ essentiam respiciunt, animum intendere, omissa horum mentione.* Præterea in commemoranda notabili inter ritum, qui Romæ tunc obtinebat, & qui describitur in libro, cui nomen Ordo Romanus, differentia, id inter alia urgebat, *quòd hic laicis communio sub utraque specie permitteretur.* Hæc memo-

morantem vide Suavem Polanum *Lib. VI. p.* 498. 499. ubi addit, hanc Orationem astantes offendisse, adeò ut Quinqueecclesiensis necessum habuerit fratris illius patrocinium suscipere. Sed & Dominicus Baronius Pontificius Prædicator Val-Grani, teste Gering libro *de Constitut. Cap. XIII. Sect.* 5. centum abhinc annis fassus est, tempore Ignatii & Epiphanii diversissimam ab hodierna Missa rationem fuisse, & tanti mysterii tum in essentia, tum in circumstantiis profanationem *lachrymis dignam* pronuntiat.

RESP. REDING: *Non aliud ratiocinatio illa evincit, quàm quòd Missæ ritus condendi potestas nunquam reservata fuerit soli Romano Pontifici, sed cujusque Diœceseos vel Metropolis Antistiti permissa, ex qua ea formularum varietas promanarit. Quam in ritibus vel indecentibus abrogandis, vel decentioribus statuendis potestatem ipsa Synodus Sess. XXII. decr. de Observandis in celebratione Missæ, Episcopis intactam reliquit. Quin & illa rituum diversitas probat, quòd Christiani orbis gentibus solenne fuerit Eucharistici sacrificii substantiam diversis ritibus accidentariis exornare. Quæ consuetudo cùm arbitraria fuerit, inde ceremoniarum illarum varietas exorta est.* Ibid. pag. 330. Resp. Potestatem instituendi ritus accidentarios quis Episcopis seu ordinariis permisit? Papa, an Christus? Illius potestas nulla est. Hic verò unicuique particulari Ecclesiæ permisit potestatem liberè instituendi ritus decoro & ordini inservientes. Pugnat autem cum illa permissione Tridentinum decretum, quo ceremoniæ Missales Romanæ ab Apostolica disciplina & traditione derivantur, atque sic, exclusis aliis omnibus, solæ commendantur. Etenim si ab Apostolica traditione descendunt, ad eas Ecclesias particulares universas astringi necessum est. Atqui nec Ecclesiæ Orientales veteres, nec Occidentales etiam nonnullæ Mozarabicæ puta & Mediolanenses, ad eas se astrinxerunt, & eædem in ipsa Ecclesia Romana mutationes varias subiverunt. Hic argumenti mei, Theologi vestri ratiocinatione à Tridentinis Patribus nauseata nixi, nervus erat. Frustra ergo tu mihi varietatis ceremoniarum causas exponere satagis, ubi varietas ipsa, undecunque nata, causæ vestræ ingens præjudicium creat.

OBJECTIONES TRIDENTINORUM.

OBJECT. I. *Ceremoniæ illæ ex Apostolica disciplina & traditione manantes adhibentur, quò & Majestas tanti sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.* Sunt verba Concilii *Capite V.* Resp. I. Ex Apostolica disciplina & traditione manâsse apparatum & choragium Missaticum, non agnoverunt Cyprianus, Justinus, Tertullianus, qui veteris ecclesiæ eucharistiam celebrantis ritus commemorantes, nihil tale in usu fuisse docent. Annon mysticæ illæ benedictiones, thymiamata, lumina, vestes &c. in usu fuissent, siquidem eas Apostoli præscripsissent? Non agnovit nubes illa testium supra citatorum, qui ὁμοψήφως simplicitatem primi Christianismi in peragendo hoc Sacro decantant.

Imò

Imò ipſe Apoſtolus Paulus Concilii gloriationem retundit 1.Cor.XI. 23. ubi non aliud ſe tradidiſſe ait, quàm quod à Domino S. Cœnam inſtituente accepit. Quid autem acceperit, continuò exponit, eadem nempe cum iis, quæ apud Evangeliſtas leguntur. Atque id ipſum ex his Pauli verbis Beſſarion *de Sacram. Euch. tom.6. Bibl. P. p.476.* concluſit. Quid multis? Ipſi Pontificii non tantùm ad Apoſtolicam Miſſam, propter nudam ſimplicitatem, accommodârunt illud Prudentii:

-----Agreſti turbida vultu,
Nuda humeros, intonſa, exerta lacertos;

Sed etiam annotant, quo tempore, & à quibus Pontificibus ſingulæ Miſſæ Ceremoniæ inſtitutæ ſint. 2. Neque etiam Euchariſtiæ Majeſtas alia commendatione indiget, quàm quæ à Chriſto ipſo inſtituta, uſurpata & nobis demandata eſt. Hiſtrioniâ certè Pontificiâ, & externis Sacrificulorum geſticulationibus ſcenicis, Cœna Domini non tam commendatur, quàm profanatur. Ipſa quoque ſigna viſibilia à Chriſto inſtituta & rite religioſéque adminiſtrata, eíque adjunctum verbum, per quæ Spiritus S. efficax eſſe vult, ad fidem & pietatem excitandam, fovendam, confirmandam, & ad rerum abditarum in Euchariſtia contemplationem juvandam, abundè ſufficiunt. Si alia fidei & pietatis incitamenta requirerentur, Chriſtus benigniſſimus Salvator non paſſus eſſet ea in prima Cœna ab Apoſtolis ſibi chariſſimis deſiderari.

EXCIP. REDING: 1. *Saltem Cyprianus, Tertullianus, Juſtinus Miſſæ apparatum noſtrum, ex ceremoniis ſubſtantiali ejus ritui ſuperadditis conſiſtentem nuſpiam improbarunt; neque in uſu non fuiſſe, teſtati ſunt. Neque Cypriani mens eſt, ſic obſervandam eſſe in calice offerendo Dominicam traditionem, ut Eccleſiæ nefas ſit ceremonias quaſdam ſuperaddere, ſed nihil Dominico præcepto ac inſtitutioni detrahi vult. Nam & ipſe aquæ cum vino mixtionem, quæ ad ſubſtantiam Sacramenti non pertinet, haud improbavit. Tertullianus etiam expanſionis manuum meminit.* 2. *Myſticæ benedictiones, thymiamata, lumina, veſtes ſacræ, Eccleſiæ veteris teſtimonium habent. uti ex Euſebio, Clemente R. Anacleto, Stephano, Synodo Nicæna I. Hieronymo, Chryſoſtomo, aliis conſtat.* 3. *S. Paulus 1.Cor.XI.23. ſic aſſeverat, ſubſtantiam Euchariſtiæ ſe à Chriſto accepiſſe, ut tamen cætera, cùm venerit, ſe diſpoſiturum ſubjiciat. Hæc diſponendi poteſtas cum S. Paulo non expiravit, ſed in Eccleſia perpetim manet.* 3. *Beſſarion loc.cit. demonſtrat equidem, Euchariſtiæ confectionem ſolis Chriſti verbis peragi, eò quòd S. Paulus hujus Sacramenti ſubſtantiam tradens, non aliud, quo myſterium illud perficeretur, tradiderit. Concludit tamen, poſtea Clementem, ſive Jacobum, ſive alium plura ad ornatum addidiſſe.* 4. *Eccleſia perſecutione preſſa, ob egeſtatem ſimplicitati in vaſis, veſtibus &c. ſtuduit. At piorum dotationibus ad ſtatum locupletiorem provecta, in illa antiqua nuditate & ſimplicitate non perſiſtere, ſed potiùs divitiis ſuis ad ornatum religionis uti debuit.* 5. *Inſtitutio Chriſti ſecundum ſe commendatione alia non indiget: quoad nos tamen indiget iis myſticarum formarum demonſtrationibus, per quas, ceu viſibilia religionis ſigna ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc ſacrificio latent, contem-*

plationem fidelium mentes excitantur. Quomodo etiam vos Eucharistiæ institutionem non nudis Christi verbis, sed variis symbolis, figuris, similitudinibus populo è cathedra commendatis. Ibid.pag.330—334. Resp. 1. Certè Missaticas vestras cerimonias S.Patres illi nec improbarunt uspiam, nec ævo suo in usu non fuisse testati sunt. Quomodo enim rem non existentem, sibique prorsus incognitam disertè improbare, vel in usu eam non esse testari poterant? Nimiùm profectò deliras, & causam deploratam prodis. Cùm Patres illi Ecclesiæ suæ Eucharistiam celebrantis ritus dedita opera commemoraverint, omissuri certè non erant choragium illud vestrum Missaticum, si in usu fuisset, & ab Apostolica traditione manasset. Neque enim hîc quæstio est, an Ecclesiæ liceat ritus quosdam εὐταξίας ἕνεκα instituere, (ad quem cardinem ineptè quæstionem revocas) sed, an Missaticus vester apparatus Apostolicæ traditioni acceptus referri debeat, & veteri adeò Ecclesiæ notus fuerit. Frustra ergo vini & aquæ mixturam (qualis etiam juxta vos in prima Cœna fuit) & manuum expansionem (precantium ritum) urges. 2. Testimoniis per saturam à te cumulatis cùm pridem satisfecerim, quid referebat crambem bis coctam reponere? Scilicet farciendæ sic erant chartæ, ut opus tuum, si non nervis suis, saltem incondita mole se coecis rerum æstimatoribus probaret. 3. De loco 1.Cor.XI.34. non semel diximus. Si Missaticus vester apparatus illi S.Pauli διατάξει originem debet, cur veteri Ecclesiæ incognitus adeò fuit? Cùmque S.Paulus dicere potuerit, se, quod Corinthiis de Eucharistia tradidit, à Domino accepisse: quis demum dicere potuit, se velut à S. Paulo acceptum tradere, quod ille apud Corinthios disposuit? Sic enim demum cum ἀσφαλείᾳ quadam de dispositis illis judicari posset. Cúmque ceremoniam religiosam eo capite S. Paulus nullam instituerit, τὰ λοιπὰ *reliqua* illa ad religiosarum Ceremoniarum Eucharisticarum, nedum Missaticarum institutionem referri nullo modo possunt. 3. Quid à Clemente aliisque ad ornatum Eucharistiæ supperadditum dicat Bessarion, incerta traditione deceptus, parum refert. Satis est, quòd confitetur disertis verbis, S.Paulum *SOLA illa accepisse*, & *illa* SOLA *Apostolos facere vidisse*, quæ in Epistola ad Corinthios tradidit. Cœtera incerta esse, vel ipse Bessarion innuit, dum nullum additionum illarum certum authorem edit, adeóque rem in ambiguo relinquit, dicens, *sive Clemens, sive Jacobus, sive alius* QUICUNQUE *illa addiderit*. Imò incerta illa & ambigua de additis Apostolicæ Liturgiæ sive à Jacobo, sive à Clemente, sive ab alio ejusdem ævi viro, cum iis insuper, quæ ex illis temporibus supersunt, non obscurè pugnant. Quippe S.Patres Apostolis proximi nihil eorum memorant, & non alia fere memorant, quàm quæ & Christus fecisse in Evangelio, & S.Paulus in Epistola ad Corinthios tradidisse legitur. Sanè Cyprianus Ep.63. ad Cæcil. graviter monet, *ad radicem* atque *originem traditionis Dominicæ revertendum; sic ut aliud non fiat à nobis, quàm quod pro nobis prior Dominus fecerit. Non observari à nobis, quod mandatum est, nisi eadem, quæ Dominus fecit, nos quoque faciamus.* &c. 4. Non ergo ob paupertatem & persecutiones Ecclesia vetus simplicitati piæ studuit, sed ob religionem institutionis Christi, à qua etiam locupletior facta, deflectere non debuit, quicquid tu simplicitatem illam *nuditatis* nomine insectari non reformides. Alius divitiarum usus est, nempe ἀγαθοεργεῖν, πλουτεῖν ἐν ἔργοις καλοῖς, εὐμεταδότους εἶναι, κοινωνικοὺς &c. 1. Tim. VI.17.18. non Christi instituta sanctissima & simplicissima interpolare, & mundano splendore ac fumo implere, ut sic placeant illis, quibus mundus, & quæ in mundo sunt, placent. Fucus & ornamenta ac deliciæ non honestam matronam decent, sed Meretrici potiùs conveniunt. 5. Denique ineptè institutionem Christi *in se*, & *quoad nos* distinguis, cùm omnis sit *quoad nos*. Nam ritus Christus instituit propter nos, ut eorum

rum beneficio in notitiam mysteriorum Divinorum proveheremur. An ergo Christus vel non potuit, vel noluit illos tales instituere, ut ad notitiam illam conciliandam sufficerent? Alterutrum statuere, impium est. Neque nos mysterium Eucharistiæ aliunde, quàm ex Dei verbo explicamus: saltem ea explicantes nova signa, novos ritus mysticos & significativos nulli comminiscimur.

OBIECT. II. *Ecclesia potestatem habet in Sacramentorum confectione & administratione decernere ritus accidentales ædificationi fidelium & Dei cultui congruos. At ceremoniæ circa confectionem & administrationem Sacræ Eucharistiæ in Ecclesia Romana sub Missæ sacrificio adhiberi solitæ, & ex potestate illa Ecclesiæ Divinitus tradita, ipsisque Apostolis, & eorum Successoribus Episcopis Romanis definitæ tales sunt. Ergo.* Aug.Reding, *pag.*538. Resp. 1. Potestatem accepit ecclesia determinandi ea, quæ ad ordinem & decorum præscripti cultus Divini custodiendum requiruntur. At huc *ritus significativi & mystici*, uti appellantur, qui originem fere traxerunt ab imitatione gentilium πλετῶν & gesticulationum, vel à Judæis, nedum Ceremoniarum Missalium, quibus essentia & nucleus Sacramenti obscuratur & intercipitur, quæque superstitione & impietate magnam partem refertæ sunt, chaos minimè pertinet. Saltem pietas, religio, cultus, confessio, ædificatio sine illis consistere potest. Neque etiam potestas ecclesiæ concessa est ἐξουσία seu θέλημα κυριεύον καὶ βραβεῦον, quod prohibetur Col.II.18. alibíque passim. 2. De Apostolis & primis ecclesiæ Christianæ Episcopis superiùs diximus. Fusiùs etiam argumento huic supra respondimus.

Excip. Reding: *Ex 1.Cor.XI.34. 2.Cor.XIII.10. Hebr.XI.17. liquet, S.Paulo Apostolicam potestatem datam esse indefinitè ordinandi ea, quæ faciunt ad ædificationem fidelis populi; & necessarium esse in conscientia præpositis sic ordinantibus obedire. Quæ potestas non ad extrinsecum duntaxat & materialem ordinem, sed ad hujus præcipuè formulam mysticam religioni ac pietati congruam, & Divinorum mysteriorum repræsentativam exhibitionem pertinet.* Ibid.pag.334.335. Resp. Quæ potestas S.Paulo competiit, non ilico Papæ competit. Ipse enim una cum aliis Apostolis Divino Spiritu omne consilium Dei Ecclesiæ exposuit, ut post eos aliis mysteriis revelandis & explicandis, adeòque *formali, mystica mysteriorum Divinorum repræsentatione* alia, nedum diversa, & subinde contraria, opus Ecclesia neutiquam habeat. Sed & obedientia præpositis debetur, verbum & mandatum Dei prædicantibus, non nova mysteria depromentibus, uti non semel jam comprobavimus.

OBIECT. III. *Si decuit, ut Sacerdotes ad Sacrificia antiquæ legis celebranda incederent specialibus ornamentis ac vestibus, uti ex Exod.XXVIII.3.& 40. liquet: utique magis jam decet Sacrificium Eucharisticum illis longè sublimius. Unde ob eandem rationem tum vestium Sacrarum & ornamentorum, tum vasorum argenteorum & aureorum, tum luminarium usum vel exemplo, vel lege ac definitione aliqua quo-*

vis tempore probârunt Johannes Evangelista apud Eusebium Histor. Eccles. lib. V. 24. *Clemens Romanus Can. Apost.* 82. *Anacletus, Sixtus I. Stephanus I. Synodus Nicena Can.* 63. *Concilium Carthag. IV. cap,* 41. *& Can.* 6. *Tertullianus, Basilius, Damasus &c.* Aug. Reding *pag.* 538. 539. Resp. 1. Ante omnia probandum incumbebat Adversario, Christum pro abrogatis Mosaicis indumenta illa sacra, allegorica & Pontificalia, in quibus illi magnificè incedunt, adhibuisse, consecrâsse, benedixisse, instituisse, neque simpliciter talia apud antiquos memorari, sed *ut ab Apostolis tradita*, quod Tridentini pertendunt, adeóque religiose observanda. Sanè Johannes Cap. XIII. 4. 12. Christum vestimenta quotidiana, quæ pedes discipulorum loturus posuerat, perfecto illo officio recepisse docet. Proinde in iis ipsis vestimentis pani & vino benedixit, eáque benedicta Apostolis distribuit. Neque etiam vel Paulus vel ullus alius Apostolus ullum de Sacris vestibus, vasis &c. vel consecrandis peculiari ritu, vel ad Eucharistiam celebrandam assumendis verbum fecit. Horum exemplum nobis Ariadnei fili vicem præstat. 2. Lex Mosis ad obeundum Sacerdotium certa equidem vestimenta præscripsit. Cæterùm cùm eandem legem Christus adventu suo antiquaverit, quid illa ampliùs ad Missalia vestimenta sacra & allegorica attinent? Argumentum *à majore*, hîc minimè quadrat. Alioquin tota Levitica νομοθεσία in integrum restituenda foret. Et quis tandem animum inducere potest, ut credat, Apostolos discrimen ciborum Judaicum adeò vehementer impugnâsse, vestimentorum autem Sacerdotalium ritus ac differentiam reliquisse? 3. Neque vel Redingius, vel quisquam alius fidem idoneam facere poterit, ejus, quod præcipuum κρινόμενον est, nimirum, ut nunc, ita olim & quidem Apostolis authoribus (nam *Apostolicam traditionem* crepant Tridentini) etiam solenne fuisse Eucharistiam ritè, non aliter celebrari, quàm à Sacerdotibus *amictu, alba, cingulo, manipulo, stola & casula* vestitis, & ejusmodi quidem vestimentis, quæ ab Episcopo certo ritu consecrata essent, ut eam benedictionem consequantur, *quò his induti ab omnibus tentationibus malignorum Spirituum muniti esse mereantur*, & qui his induti non essent, Missam mancam conficerent, & mortalis peccati rei haberentur. Hoc enim propriè est τὸ ζητούμενον. Valafridus *de Reb. Eccles. Cap.* 24. ita hac de re scribit: *Vestes etiam Sacerdotales per incrementa ad eum, qui nunc habetur, auctæ sunt ornatum. Nam primis temporibus COMMUNI indumento vestiti agebant missas. Sicut & hactenus quidam Orientalium facere perhibentur.* Et quem paulò in historia versatiorem fugit, singulorum ferè vestimentorum & vasorum Sacrorum originem remotioribus authoribus assignari? Ita cali-

li-

lices & patinas initio ligneas fuiſſe, teſtari poteſt Bonifacius Martyr & Epiſcopus. Et de Exuperio habet Hieronymus *ad Ruſticum*, eum corpus Domini *in caniſtro vimineo* & ſanguinem *in vitro* portâſſe. Cúmque aureorum & argenteorum vaſorum luxus eccleſiam invaſiſſet, graviter is à Patribus, Hieronymo l. cit. Chryſoſtomo *homil.* 51. *in Matth.* Ambroſio L. II. de Offic. c. 28. reprehenſus eſt. Notáque eſt vox Bonifacii: *Cùm aurei Sacerdotes fuiſſent, ligneos calices fuiſſe: nunc aureos eſſe calices, cùm lignei ſint Sacerdotes.* Conſulat, cui volupe eſt, τὸν πάνυ Hoſpinianum noſtrum *Hiſt. Sacram. lib. III. & lib. I. de Templis*, alióſque, qui id argumenti ex profeſſo diſcutiunt: 4. Multa heic ex Bellarmino citat Redingius, non tam ut veritati litet, quàm ut propoſita illa farragine fumum lectori venditet, & caſtæ veritatis profeſſores exactoris inſtar Ægyptiaci fatiget, & obruat. Ne tamen ejus fraus non pelluceat, ſaltem præcipuum illud de Johanne ventilare non pigebit. De Johanne Apoſtolo narrat Polycrates apud Euſebium *Hiſtor. Eccleſ. lib. V. cap. 24.* Ὅτι ἐγενήθη ἱερεὺς τὸ πέταλον πεφορηκώς, *quod fuerit ſummus Sacerdos, & πέταλον Pontificale geſſerit.* Ita videlicet Ruffinus tranſtulit. Hinc igitur *mitram* Epiſcopalem Sacrificuli derivant. Eſt autem πέταλον Hebræorum ציץ Exod. XXVIII. 36. quod Vulgatus *laminam* reddit. Quid quæſo laminæ, bracteæ commune cum Epiſcopali mitra? Polycrates igitur alluſione ad Moſaicam Hierarchiam, allegorico ſermone innuit, Johannem ſummâ fuiſſe cum cæteris Apoſtolis inter Chriſti Miniſtros dignitate, qua nulla cujuſquam Miniſtri in eccleſia eſſet ſuperior: adeóque non gregarium, ſed inter præcipuos eccleſiæ miniſtros eminuiſſe. Certè laminam auream fronte geſtare, uti docti quidam viri ad literam interpretantur, non conveniebat Apoſtolis, qui cum Petro auri & argenti copiam ejerabant Act. III. 2. Quòd ſi talem geſtavit, id factum eſt haud dubiè ex συγκαταβάσει, propter Judæos, quibus ſe accommodâſſe Apoſtolos notum eſt. Cætera ad compendium ponimus, & lectorem, ac inprimis Adverſarium amandamus ad Cl. Dallei *librum* 8. *de Cultibus Religioſis Latinorum*, ubi veterum teſtimonia circa hoc argumentum fusè & accuratè expendit. Ubi porro Adverſarius *per extenſum & diſtinctè*, uti lepidè promittit, teſtimonia illa adduxerit, nacti otium reſpondere etiam nos *per extenſum & diſtinctè* parati ſumus.

Excip. Reding: 1. *Non Chriſti uſus & immediata inſtitutio, ſed poteſtas Divinitus conceſſa ad decernendos ritus ordini externo inſervientes (ad quos leges de veſtitu Sacerdotum referuntur) requiritur. 2. S. Pauli reliqua diſponentis poteſtas hodie eſt penes Eccleſiam, quæ ritus veſtiarios decernens, & myſteria iiſdem repræſentans Apoſtolica cenſeri debet. 3. Quam poteſtatem in decernendis ritibus accidentariis in V.T. Deus exercuit, eandem Eccleſiæ N.T. reliquit. Cúmque Eccleſiæ poteſtatem ejuſmodi conceſſam eſſe, indefi-*

nitè agnoscas, turpiter tibi contradicis, dum eam circa particularem vestium & sacrorum vasorum determinationem oppugnas. 4. In lege Mosis distinguendum est inter illud, quod erat Ceremoniale antiquo Testamento proprium, & quod erat morale virtutis religionis. Illud abrogatum est. Hoc omni tempore manet. Cùm ergo N. T. substantialis cultus religiosus longè sit altioris ordinis, quàm V. T. ad hujus verò cultum religiosum majore cum splendore peragendum adhibita fuerint sacrarum vestium & vasorum ornamenta; atque insuper Ecclesiam N. T. potestatem habere fateamini ritus decernendi ordinis gratiâ: qua jam fronte impugnas vestes & vasa sacra, ex religionis longè decentiori ratione ad cultus Divini decorum & ordinem per legitimam potestatem determinata? Par ratio est discriminis ciborum, quod licet formaliter, quoad ceremonialem significationem V.T. propriam sublatum sit; tamen quoad virtutis Religionis Divino legis Christianæ cultui congruam rationem, quatenus huic conducibile foret ciborum discrimen, posset æquè per Ecclesiam, ob potestatem rituum determinandorum eidem, uti fatemini ipsi, concessam id definiri. 5. Sicut ipse Spiritus S. nihil sub sole novum pronunciat, antiquitati attribuens omne id, quod vel in sua specie, vel in sua origine antiquum erat: Sic novæ censeri non debent ceremoniæ vestium & vasorum sacrorum, quæ vel inspecta potestate, per quam institutæ sunt, ad ipsosmet referuntur Apostolos, vel ab his quoad aliquam speciem & similitudinem; adeòque non tam materialiter, quàm formaliter, quoad cultus Divini, ad quem ordinantur, splendorem, mysticámque religionis virtuti congruam rationem spectata, originem trahunt. Sed præterea universa indumenta, quibus nunc in Missa utimur, enumerant, & significationes eorum explicant Innocentius III. Rupertus, Bonaventura, Walafridus Strabo, Amalarius, Alcuinus &c. quorum quidam ante annos octingentos floruerunt. Quin Julius Pomerius ante annos nongentos in vita S. Hildefonsi, ab ipsa sanctissima virgine de Cælo allatam vestem Sacerdotalem, ac S. Hildefonso donatam, qua in Missa uteretur, memorat. Et Gregorius Papa ante annos mille misit in Britanniam præter sacra vasa, & reliquias Sanctorum, etiam vestimenta Sacerdotalia, teste Diacono in vita ejus cap. 37. Hieronymus quoque lib. 1. contra Pelag. scribit Episcopos & Presbyteros in Missa candidis vestibus uti. Idem Chrysostomus homil. 83. in Matth. testatur. Concilium Carthaginense IV. can. 41. prohibet, ne Diaconi utantur Alba nisi in sacro Ministerio. Denique Author quæst. V. & N. T. q. 46. scribit Diaconos uti solere Dalmaticis. 6. Ambrosius de Offic. lib. II. 24. varia pretiosa pro sacris ministeriis initiata refert, eáque non initiatis præfert. Quomodo initiari aliter quàm Ecclesiæ precibus potuerunt? Etiam Chrysostomus homil. 51. in Matth. sic negligentiam in pauperum egestate pretiosorum etiam Ecclesiæ vasorum erogationibus sublevanda reprehendit, ut tamen disertè testetur, se non vetare talium vasorum oblationem, quia & vasa Deus suscipiat. Hieronymus nihil eorum, quæ citas, habet. Bonifacius verò dicterio illo, suo jam ævo, aureos calices in usu fuisse confirmat, neque eos improbat, sed negligentiam tantùm Sacerdotum reprehendit. Neque Apostoli vetabant habere aurum & argentum, sed omnia communia habebant, & pretium etiam agrorum venditorum ad Apostolorum deponebatur pedes. Et si auri & argenti copiam ejerabant, jam ergo religiosam paupertatem profitebantur. 7. Polycrates utrumque conjungit, & summum B. Johannis Sacerdotium, & insignia ejusdem, laminam auream. Et quomodo id propter Judæos fecisset, quod sub formalitate V. T. propria, quæ jam tam cessabat, sine superstitione facere non potuisset? Ibid. pag. 335-338. Resp. 1. Non de qualibuscunque ritibus, ordini & decoro inservientibus, sed de mysticis, significantibus, sanctitate quadam per initiationem pollentibus, necessariis quæstio est. Talium insti-

institutionem uspiam Ecclesiæ concessam vel demandatam esse, probare non potes. Sicut Ecclesia mysteria, cultum, religionem, sanctitatem non constituit, ita nec ritus, quibus talia insunt. Solus ergo Deus, solus Christus horum author esse potest. 2. Liberaliter profectò nimis Apostolica illa ordinatione uteris, dum ad *τὰ λοιπὰ reliqua* illa, quæ apud Corinthios disposuit, refers quicquid superstitio in cultum vestrum invexit. Proba ergo, *reliqua* illa fuisse ceremonias vestras, quibus *mysterii, sanctitatis, cultus, necessitatis, meriti* rationem tribuitis. Et si de S. Paulo id demonstrare non potes, numquid ergo majorem potestatem Papæ tribuere ausis, quàm qualis olim S. Paulo, immediatè divinitus inspirato, competiit? 3. Quin impietate non caret assertio tua, quòd Ecclesia, hoc est, Papa vester eandem potestatem habeat, quam olim in V. T. Deus, instituens ritus, exercuit. Hoc enim est Papam convertere in Deum, dum Divinum ei jus communicatur. Instituere enim ceremonias necessarias, à nulla potestate humana mutabiles, sanctitatem eximiam singulari initiatione obtinentes, mysticos & mysteria repræsentantes, solius Dei est. Nec quicquam tale Ecclesiæ communicatum esse, probare potes. Et si communicatum est, quid vetat, quò minùs universum cultum Leviticum illa restituere possit jure? Restituit tamen Papa, sub alio schemate, cujus minimus digitus gravior est, quàm fuerunt lumbi Mosis. Non enim satis habuit carnalem Judaicum cultum restituere. Restituit etiam Ethnicas ceremonias, ad quas Sacerdotum vertices deradendi consuetudo, cereos accendendi cerimonia, pingendi fingendique imagines Divorum ritus, incensandi imagines, atque ad eas cereos apponendi assiduitas, universus imaginum cultus, aliáque à Mose vetita potiùs, quàm præscripta, referuntur. 4. Quod ipsemet Tu de Judaico saltem cultu non dissimulas obtentu *cultus religiosi N. T. qui altioris ordinis sit, quàm cultus religiosus V. T.* Quasi videlicet vel diversa esset religiosi cultus in utroque fœdere substantia, diversus religionis, pietatis, promissionis, gratiæ nucleus: vel prærogativa cultus N. T. in jugo & σκληραγωγίᾳ ceremoniarum consisteret, demta duntaxat, vel mutata, uti Redingius nugatur, eorum *formalitate*. Etenim Novi Testamenti πλεονεκτήματα Deus ipse Jerem. XXXI. 31. &c. & ex eodem S. Paulus repetens Hebr. VIII. 10. 11. &c. explicat. Nullius verò ibi ceremoniarum mysticarum σκληραγωγίας meminit. Quin potiùs promittit ibi Deus, se velle fidelibus N. T. legem suam inscribere cordibus eorum, adeò ut nemo ampliùs proximum suum, vel fratrem suum docturus sit notitiam Domini, per ejusmodi videlicet typos, figuras, ceremonias, quibus mysterium nondum planè patefactum in V. T. adumbrari, significari, repræsentari ex Dei instituto debuit. Omnes ergo impudentiæ numeros imples, cùm asserere non dubitas, posse Ecclesiam N. T. eadem potestate nixam etiam Judaicum ciborum discrimen restituere. Sed restituistis tamen, si non in communi victu, saltem in jejuniis vestris hypocriticis. Sic vos declarare immunda, impura potestis, quæ Deus munda & pura declaravit. Tali Numine, Papa vestro gaudetis! 5. Sed bella profectò ratio tua est. Nihil sub Sole novum esse, pronuntiavit Solomon. Ergo Papæ cultus, & Papales ceremoniæ novæ esse non possunt. O jecur Theologicum? Atqui sic nos etiam Novatorum numero eximis; quia eadem ratione religio nostra nova esse non poterit. Sed vel *potestas* antiqua Ecclesiæ concessa: vel *species* & *similitudo* quædam ceremoniarum Missaticarum, religioni & cultui N. T. splendorem afferentium, antiquitatem iisdem conciliat. Mira iterum ratio, quæ si recipitur, quælibet novissima ceremonia ab Abbate vel Ordinario introducta (uti sanè ex vestris quiritantes audivi, inventionis ceremoniarum novarum nullum in Ecclesia vestra finem esse, & innovari

apud

apud vos indies cultus externi faciem) antiquissima censeri debet. Sed præstigiis meris illudis. Nam nec potestatem talem, quali in cumulandis cerimoniis vestris utimini, probasti: nec novum esse desinit, quod quacunque potestate noviter instituitur: nec ad Apostolos authores referri potest, quod generali potestate à Christo Ecclesiæ data non ab Apostolis, sed Ecclesia pluribus seculis ab iis distante, determinatur: nec species & similitudo cum veteribus ceremoniis vetustatem iisdem conciliat: nec denique splendor & ornatus cultus similitudinem quandam eiusmodi efficit. Satis enim cultus, religio, Sacramenta N. T. splendoris & Majestatis habent, ut eum à fucato illo administrantium splendore emendicare opus non habeant. Simplicitate, qualem Christus & Apostoli adhibuerunt, destituta, majestatem perdunt. Nulla ergo hic *species* & *similitudo* obtinet, quia absque omni externo splendore cultus N. T. exerceri potest, imò exemplo Christi, Apostolorum & primævæ Ecclesiæ, debet. Testem de vestibus Valafridum Strabonem *de Reb. Eccl. cap.* 24. citavimus. cujus locum integrum repræsentabimus: *Primis temporibus communi vestimento vestiti Missas agebant, sicut hactenus quidam Orientalium facere perhibentur. Stephanus autem III. constituit Sacerdotes & Levitas vestibus sacratis in usu quotidiano non uti, sed in Ecclesia tantùm. Statutum est autem Concilio Bracarensi, ne Sacerdos sine Orario celebret Missam. Addiderunt in vestibus sacris alii alia, vel ad imitationem eorum, quibus veteres utebantur Sacerdotes, vel ad mysticæ significationis expressionem.* Nihil ad testimonium hoc respondes. Et res ipsa loquitur. Ab initio enim plurimi Christiani in puritatis & candoris testimonium albis vestibus induebantur. Clemens Alex. *Pædag. lib. II.* 10 & *III* 11. omnes Christianos, ut talibus vestiantur, hortatur. Tandem Sacerdotes ab aliis hoc habitu distinguebantur. Hinc Chrysostomus à te citatus *in Matth. homil.* 43. ambulantium *in tunicis albis* meminit. quamvis id de populo Christiano communiter etiam intelligi possit. Similia habet Hieronymus *loc. cit.* Id autem omne à Catholicis initio absque superstitione, necessitatis, sanctitatis, mysterii opinione, magnáque varietate fiebat. Quin affectantes hic singularitatem quandam repressos esse constat à sanioribus. Quomodo Cœlestinus I. Galliæ Episcopis scribens *Epist.* 2. *ad Episc. Galliæ cap.* 1. sic scribit: *Discernendi à plebe vel cæteris sumus doctrina, non veste; conversatione, non habitu; mentis puritate, non cultu. Nam si studere incipiamus novitati, traditum nobis à Patribus ordinem calcabimus, ut locum supervacuis superstitionibus faciamus. Rudes ergo fidelium mentes ad talia non debemus inducere. Docendi enim potiùs sunt, quàm illudendi. Nec imponendum est eorum oculis, sed mentibus infundenda præcepta sunt.* Quid hodie aliud agitur, quàm ut oculi spectaculis pascantur, & mundus hac habitus varietate decipiatur. cujus ridiculæ significationes à Biele, Durando, aliis narratæ facilè cuivis persuaderent, omnia religionis mysteria in scenicos lusus converti posse, ut theatro potiùs serviant, quàm religiosè credantur & adorentur. Sed Innocentium III. Rupertum, Bonaventuram, omnia indumenta, quibus nunc Missatici utuntur, exponentes obiicis. Hi scilicet idonei testes sunt *antiquissimi Ecclesiæ usus*, & quod Tridentini ajunt, *Apostolicæ traditionis!* Homines undecimo & duodecimo Seculo haud antiquiores. Quomodo verò ex prima, Apostolica inprimis antiquitate, de qua tota quæstio est, probabis sex illas partes vestimentorum omnibus Sacerdotibus officium celebrantibus communium, quibus secundum Papam Innocentium eorum perfectio indicatur, *quia sexto die Deus perfecit Cœlum & terram* itémque novem partes, quibus Episcopi Sacerdotibus præcellunt, *quia spirituales sunt, ut novem ordines Angelorum*: quódque novem hæ cum sex istis conjunctæ faciant quindecim, *ut quindecim virtutum gradus ipso numero significent, quas per quindecim cantica graduum Psalmis*

mus distinxit. Hunc vestimentorum numerum; hæc numeri aliâque mysteria ex cana & sana antiquitate demonstrata dare debueras. Nihil ad hanc rem facit vel vestis Sacerdotalis Hildefonso Cœlitus Missa, si vera *Juliani* (non Julii) Pomerii, uti Tu appellas, sed Toletani narratio est (nam vestimentum quodpiam Sacerdotes Hildefonsi tempore, hoc est, Seculo septimo adulto, proprium habuisse, cui dubium?) vel vestimenta Sacerdotalia & clericalia à Gregorio M. in Britanniam Seculo sexto præcipite missa (neque enim sic insanit quisquam, ut putet, Sacerdotes & Clericos vel nudos, vel in veste nullo à communi & vulgari discrimine distincta ea ætate sacra celebrasse) neque albæ vestes Episcoporum & Presbyterorum Hieronymi & Chrysostomi (de quibus supra. quanquam ne dicunt quidem, eos ex more vel lege Ecclesiæ, adeóque necessariò candidis usos esse) vel Canon ille Concilii Carthaginensis IV. *ut Diaconus tempore oblationis tantùm vel, lectionis alba utatur* (non enim de Diaconi, sed de Sacerdotis veste, & quidem ad sacrum faciendum necessariò adhibenda quærimus) nec denique Dalmaticæ, quarum usum Diaconis Sylvester Papa injunxisse fertur; (quid enim hoc ad vestimenta Missalia sex Presbyterorum, & quindecim Episcoporum, quæ sine peccato intermitti non posse, & mysteriis ac sanctitate singulari pollere definitis? Imò vel hinc patet, novum esse, & post Sylvestri demum tempora institutum, ut Episcopus sacra faciens Dalmaticam gestet.) Tam profectò difficile est has quindecim habitus sacrati in veteribus Episcopis partes probare, quàm arduum, quindecim virtutum gradus, quos vestium totidem numero significari Innocentius decrevit, in hodiernis Episcopis ostendere. Denique quicquid de antiquitate vestium fiat, hoc unum à te, Redingi, postulo, mihi demonstres, à Jesu Christo, alio quam ordinario vestitu induto, Eucharistiam institutam, celebratam & administratam fuisse. Hoc cùm firmis testimoniis evviceris vestium mutationem nobis persuadebis: secus, aera verberabis. 6. Ambrosius *de Offic. lib. II. 28.* ea habet, quæ vasorum vestrorum luxum & splendorem egregiè retundunt. Inter alia sic ille: *Aurum Sacramenta non quærunt: neque auro placent, quæ auro non emuntur.* De Laurentio addit, *cùm quærerentur thesauri Ecclesiæ, promisisse, se demonstraturum. Sequenti die pauperes duxisse, & dixisse: Hi sunt thesauri Ecclesiæ. Et verè, inquit, thesauri, in quibus Christi fides est.* Vos hodie aurea vasa, ceu necessaria, legibus ad cultum exigitis, & ligneis utentes perstringitis, damnatis (nam *Decr. de Consecr. d. 1, c. 45. Ut calix.* sic sancitur: *Nullus de vitro aut ligneo calice præsumat Missam cantare,* cùm tamen vetustioribus tales in usu fuisse, negare non possitis;) & quod pejus, & Ambrosio repugnantius est, viduas ac pupillos spoliatis, ut idola vestiatis: pauperes frigore ac fame mori sinitis, ut ea, quæ nec bona nec mala sentiunt, magnificè ornentur. Templa viva negliguntur, cùm aurum & argentum in parietibus, vasis resplendent. Sed vasa, inquis, *non initiata* ab *initiatis* ibidem distinguit. Sic est. Sed *initiata* illa Augustinus *in Psal. 113.* definit, *quæ ipsa Sacramentorum ministerio consecrata, sancta dicuntur.* Initiatio igitur & consecratio simplex est ad Sacramentorum ministerium per eorundem usum deputatio, non per verba quædam mussitata & unguenta sanctificatio. Neque enim demonstrare poteris, vel Christum more vestro calice oleo inuncto, aut aqua asperso, usum esse; vel Ambrosii tempore Episcopum erecto corpore, mitra sua calici benedixisse, posteáque dextro pollice in Chrisma intincto, ab uno calicis labro ad alterum, crucis figuram pinxisse, totum interius inunxisse, tandémque à Sacerdote panis micis, paulò post igni aut reliquario injectis, oleum abstersum fuisse; vel ab Ambrosio eodem creditum fuisse, *quòd calix inunctus sepul-*

chrum corporis & sanguinis Christi perficiat; quódque *calix aureus significet thesauros Sapientiæ in Christo absconditos, argenteus munditiam culpæ, stanneus similitudinem culpæ & pœnæ.* quæ novæ consecrationes & speculationes sunt à Pontificali Romano *cap. de patin. & cal. consecrat. p.* 159. Durando Speculatore *Rat. lib. I. c.* 4. & 8. proditæ. Chrysostomus non vetat forte usum vasorum pretiosorum simpliciter, sed nec commendat tamen magnopere, nedum ut necessarium & mysticum exigit. Hieronymi verba quia reperire non potuisse te scribis, (forte nec inquisivisti, cùm loco à me citato apertè obvia sint!) tibi repræsento. Sic autem ille de Exuperio Tholosano Episcopo *Epist. ad Rusticum* scribit: *Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro: qui avaritiam ejecit è Templo, qui absque funiculo & increpatione cathedras vendentium columbas, id est, dona Spiritus S. mensásque subvertit Mammonæ, ut domus Dei domus vocetur orationis, & non latronum spelunca.* Idem *in vita Malachiæ*: *Postquam,* inquit, *Ecclesia Christi ad Christianos Principes venit, potentia quidem & divitiis major, sed virtutibus minor facta est.* Bonifacius dicterio illo sua ætate aureos fuisse calices, probat utique: sed quanti fecerit illorum usum, simul testatus est. Et nostris temporibus magis ejus dicterium convenit, quando veteres Sacerdotes, qui Bonifacii tempore extiterunt, cum modernis comparati plus quàm aurei fuerunt, moderni verò minùs quàm lignei sunt. De Apostolis cum Petro Act. III. 2. auri & argenti copiam ejerantibus, quid tibi vis? Negasne, contra aperta Scripturæ verba, S. Petrum ejerasse? Vel phraseos illius usum non intelligis? Sed auri & argenti copiam eos habuisse probas, quia agrorum venditorum pretium ad pedes illorum deponi suevit. Quo verò fine deponi suevit? An ut in vasorum luxum impenderent, vel sibi retinerent, & cum opulentis mundi Principibus paria facerent? Imò verò ut pauperum necessitatibus illi succurrerent. Nam διεδίδοτο ἑκάστῳ καθότι ἄν τις χρείαν εἶχε. *Dabatur unicuique juxta indigentiam,* Act. V. 35. Nunquam certè efficies, ut Apostoli Tibi similes videri possint. 7. Johannis πέταλον, à Polycrate illi tributum, mitram fuisse, quales Episcopi gestant, nondum equidem probasti, nec probare potes. Parum igitur id omne ad rem tuam facit. Utrumque conjungere Polycratem, & summum Sacerdotium, & laminam auream, non nego; neque de hoc quæritur, sed an ad literam hæc intelligenda non sint? Certè Johannes nec Judæorum, nec Christianorum Pontifex propriè fuit; ne quidem Sacerdos. quod nomen nunquam sibi Apostoli aptarunt, nedum nomen Pontificis. Cúmque S. Petrus claudo illi, qui eleemosynam petebat, dixerit: *Aurum & argentum, non habeo*; nunquam lamina illa sic texisset frontem Johannis, quin erubuisset. Neque forte Judæi tulissent Johannem Pontificalibus insignibus superbientem, quin potiùs Cœlum terræ miscuissent, quàm ut hanc principis in religione sui injuriam inultam abire sinerent. Vel ergo parum vero consentanea dixit Polycrates, vel allegorico sensu à nobis exposito dixit. Quanquam, ut hoc obiter addam, si eo sensu acciperetur S. Johannis πέταλον, quo vos accipitis, adeóque verè Pontificis more mitram gestasset, non tamen exemplo ejus efficitur, omnes Apostolos, nedum omnes Episcopos mitram gestasse. Imò quia id nominatim de Johanne solo memoratur, contrarium potiùs efficit.

OBIECT. IV. *Ceremonias Missæ, quæ in actione consistunt, quales sunt elevatio oculorum ad Cœlum, inclinatio corporis, genuum flexio, lotio manuum, osculatio altaris & libri, signum crucis &c. mysticas, seu mysteriorum repræsentativas, in antiqua Orthodoxa*

doxa ecclesia probatas esse, constat ex Liturgiis, Clemente, Irenæo, Dionysio Areopag. Tertulliano, Cypriano &c. & quidem conformiter S. Literis, uti inspicienti loca Exod. XVII. 11. Psal. LXII. 5. CXL. 8. 1. Reg. VIII. 22. Dan. VI. 10. Matth. XIV. 19. Marc. VI. 41. &c. patet. Aug. Reding. *p.* 539. Resp. 1. Tanta est actuum Sacerdotis, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Thuriferarii inter missificandum varietas & multiplicitas, ut eos vel sola inspectio clarè admoneat alienissimos esse ab ingenio antiquitatis, cujus instituta fuerunt simplicissima, eademque facilima, nedum ab institutione Christi, à qua sola propriè actus *mystici & repræsentativi*, quales hosce faciunt, pendent. Tam multa, tam involuta, tam morosa ac perplexa Sacerdoti, Diacono, Subdiacono &c. præscribit singularis liber, qui inscribitur *Ritus celebrandi Missam*, ut mirum sit, reperiri quenquam, qui totam Missam plenè perfectéque celebrare valeat. Ex ista verò immensa actuum Sacerdotalium & Diaconalium, quos ipsi omnes Sacrosanctos ac mysteriis Cœlestibus plenos esse existimant, Sylva paucissimos Bellarminus, eúmque secutus Redingius attingunt, cœteros, quorum numerus longè maximus est, planè indiscussos prætermittunt. Tam acres tam impigri Missæ suæ defensores cur heic non tantùm nihil præstant, sed ne conantur quidem? Annon hoc ipsum clamat, eos hujus generis actus ritúsque, quos intactos prætermiserunt, omni idoneo Scripturæ & antiquitatis testimonio prorsus destitui? 2. In Dominica Eucharistiæ institutione & celebratione, nec non ea, quam suo tempore in usu fuisse recenset Justinus Martyr *Apol.* 2. theatricos illos actus Sacerdotis & ministrantium æquè non offendes, ac non in Tigurina nostra, vel Genevensi, vel quacunque alia apud Orthodoxos Eucharistiæ celebratione. Apud Pseudo-Clementem Justino recentiorem *Constit. Apost. lib. VIII. cap.* 15. non aliud auctarium occurrit, quàm Sacerdotis cruce signantis, sed se unum & semel duntaxat. Ne in Pseud-Areopagitica quidem, circa Seculi V. exitum, vel VI. initium scripta, ista cernuntur, si thus exceperis, quod hîc largiùs quidem adoletur, sed semel, & ab uno sacerdote, & sine ullo numeri mysterio, & universim ad totum chori ambitum suffitu purgandum. Cætera quoque apud diligentissimum hunc hierophantam desiderantur. Longum esset ire per singulas Græcorum Liturgias, Jacobi, Marci, Petri, Basilii, Chrysostomi nomina præferentes, quas qui cum hodierna Latina contulerit, facilè animadvertet, illarum nullam cum hac convenire. Ab omnibus antiquis abest morosissima illa Pontificiorum de patera & calice tractandis disciplina; abest & anxia illa sacrificuli diligentia, qua pollices & indices vino & aqua post consecrationem & communionem

inſpicit & abſtergit &c. 4. Præterea novitios eſſe hos Sacerdotis Miſſalis actus, perſuademur eo etiam indicio, quòd plerunque ad id ipſum ſignificandum fieri videntur, quod Sacerdos loquitur. Id verò elegantiæ genus leve & puerile non aliis olim quàm Gothicis temporibus & ingeniis placuit, à veteribus verò pro vitioſo & inepto repudiatum eſt. 5. Denique non ſatis eſt, actus quoſdam ex Scriptura probare, quòd hic facit Adverſarius, citatis nonnullis locis Illud probandum inprimis, actus illos tanquam *myſticos* & *repræſentativos* inſtitutos eſſe, & ut in ſacra Synaxi adhibeantur, aut eoſdem ab Apoſtolis & cana antiquitate eadem, qua hodie ſacrificuli ſolent, religione uſurpatos eſſe. Ad has verò lineas decurrendum fuerat.

EXCIP. REDING: *1. Univerſum Ceremoniarum Miſſalium in actione conſiſtentium genus aperta Scripturæ, Liturgiarum veterum & antiquitatis teſtimonia habet. 2. Ab antiquitate Apoſtolica alienum haud quaquam eſt, quod etſi materialiter ſpectatum Apoſtolorum tempore non extitit, quoad ſpeciem tamen vel authoritatem decernendi ab Apoſtolis manantem, ad eoſdem referri poteſt. Tales eſſe ritus Miſſaticos, ſupra oſtendimus. Neque vel multiplicitas obſtat vel varietas, captu nec impoſſibilis nec difficilis iis, qui in ſortem Miniſterii Divini vocati huic potiùs, quàm uxoriis negotiis ſe impendunt. 3. Licet ſolus Chriſtus ſigna myſtica, gratiæ ſupernaturalis cauſſativa inſtituere poſſit: Eccleſia tamen æquè conſtituere poteſt ſigna, quibus mens fidelium ad contemplanda & applicanda myſteria elevetur; atque verbo, prædicatione, aliiſque modis ſimiliter mentes excitat. 4. Juſtini teſtimonium negativum nihil probat. inprimis cùm apologiæ ab eo contextæ ratio non exegerit omnium & ſingularum ceremoniarum enarrationem. Meminit tamen ille oſculi ſub Miſſæ ſacrificio myſterioſè exhiberi ſoliti, aquæ cum vino conſecrandæ mixtionis, collectæ & lectionis ex S. Scriptura ſub Miſſa fieri conſuetæ, quos ritus nec Chriſtus, nec Apoſtoli inſtituerunt, ſed Eccleſia. Neque Clemens ſolam crucis ſignificationem, ſed Conſtit. Apoſt. cap. 5. etiam manuum lotionem, & cap. 6. capitis inclinationem, & Epiſcopi benedictionem memorat; quin & Epiſt. 2. art. 4. de altarium ornatu ſcribens, pallæ, candelabri & veli meminit. Similiter Dionyſius Areopagita Eccl. Hier. cap. 3. oſtenſionis Sacramenti ad populum, lotionis manuum, & thymiamatis. 5. An etiam Baptiſmi Sacramentum leve & puerile eſt, & Gothicis temporibus convenit, quia in eo actio baptizandi à Chriſto inſtituta ad id ipſum ſignificandum, quod ejus Sacramenti Miniſter loquitur, accommodatur?* Ibid. pag. 338-341.

Reſp. 1. Ceremonias in actione conſiſtentes undecim enumeras, elevationem manus; oculorum in Cœlum; corporis inclinationem & genuflexionem; pectoris tunſionem; manuum lotionem; oſcula à Sacerdote altari & libro infixa; ſignum crucis; mixturam aquæ & vini; elevationem panis & vini conſecrandi; oſtentationem hoſtiæ conſecratæ adorandæ; fractionem hoſtiæ ſub ſpecie panis, & commixtionem unius partis cum ſanguine in calice. Has Ceremonias ſeorſim ex Scriptura, Liturgiis, Patribus probare conaris, adductis iis etiam locis, in quibus Sacramenti mentio nulla eſt. Annon eadem methodo uti ſolent Magi, ceremonias & verba ſua quandoque ex ipſis Scripturarum teſtimoniis laceris illis, & à reliquo corpore, ipſóque etiam dicentis ſcopo divulſis, probantes, in quibus nulla tamen mentio eſt ejus operationis verborum, quam illi intendunt? Hoc ergo tibi ex Scripturæ, Liturgiarum, Patrum teſtimoniis probandum incumbit, in Euchariſtia Sacrificium aliquod cum actionum illarum, & quidem myſticarum

rum,repræſentativarum apparatu celebrari debere;& ſine eo poſt Tridentinorum decretum celebrari ampliùs non poſſe. Ad has lineas tibi decurrendum eſſe,jam te monueram: neque decurris tamen, vel decurrere potes. Neque Sacerdotis duntaxat, ſed etiam Diaconi, Subdiaconi, Acoluthi, Thuriferarii inter miſſificandum actus Apoſtolicæ & veteris Eccleſiæ ſuffragiis confirmandi à te fuerunt. 2. Sophiſma tuum, recentiſſimis ritibus veſtris ob ſpeciem & ſimilitudinem, nec non poteſtatem Eccleſiæ conceſſam,antiquitatis Apoſtolicæ larvam induentis,ſupra retudi. Neque ſacrificulis veſtris captum & intelligentiam tot & tam difficilium ceremoniarum invideo. Miror magis, tuo judicio *uxoria negotia*, hoc eſt, honeſtum apud omnes S.Pauli ſententia matrimonium, diſcendis illis obſtare magis,quàm Cleri veſtri vagas libidines, concubinatus,adulteria,& ea ſcelera, quæ apud Chriſtianos nominari non debent. Sacerdotibus piis V.T.non obſtabat matrimonium, quò minùs Judaicos ritus à Moſe præſcriptos intelligerent obiréntque feliciter. Solis Eunuchis N.T. qui Chriſtianos inter primi cenſeri volunt, matrimonium,& quidem ſolum,non omnia eidem oppoſita, impedimento eſt, quò minùs myſteria Papæ intelligere & obire valeant. 3. Signa illa, quibus mentes ad contemplanda, & (NB) applicanda Cœleſtia myſteria elevantur,an gratiæ cauſativa non ſunt: ſi cauſativa gratiæ ſunt ſigna à Chriſto inſtituta,quibus mens pariter ad myſterium redemptionis vera fide contemplandum, &, per obſignationem ſaltem, applicandum elevatur? Sed ſignis veſtris, Papæ authoritate introductis, ſumma quæque à vobis tribui, & cœleſtibus myſteriis,quæ ſolus Chriſtus inſtituere & revelare legitimè poteſt,ea à novis myſtagogis veſtris fœcundari,nemo ignorat. Nihil tale humanis ſimilitudinibus, quibus Eccleſiaſtæ nonnunquam verbum Dei liberimé,non ulla lege,declarant,quiſquam ſanus tribuit unquam. 4 De Juſtino ſupra reſpondimus. Fruſtra *oſculum* non in Miſſa, ſed finitis precibus, ab eodem commendatum urges; cùm ritum eorum Orientalium,ab Apoſtolis etiam uſurpatum,uti ex Rom. XVI.15. &c. conſtat, in Miſſa vel poſt eam ipſi vos abrogaveritis. Sed & vinum aqua dilutum ipſe Chriſtus vobis judicibus adhibuit. Collectas & Scripturæ lectionem Apoſtoli mandarunt. Quid hæc ad Miſſales ceremonias? De librorum Clementi R.tributorum *νοθείᾳ* nemo ampliùs veſtrûm & noſtrûm, qui emunctiorum paulò narium ſit,dubitat. Solus tu,tuíque ſimiles ſiliquis hiſce delectamini, & rerum ignaros paſcitis. Et quid vel cum mimicis veſtris, iiſque crebris manuum lotionibus, lotio illa manuum ſimplex, nullo myſterio, nulla lege indicta: vel capitis inclinatio in honorem Dei,cum veſtra coram crucifixo inclinatione capitis affectata commune habet? Quid denique pallam Epiſtola 2. eidem falſiſſimè tributa,mihi commemoras? Quaſi menſam palla tegere myſticus & neceſſarius Sacramentalis ritus ſit,qui ſolius decori cauſa adhibetur. Denique & Pſeudo-Dionyſii verba de Sacramenti oſtenſione abs te citata *ad Seſſ.XIII. quæſt.VII.Object.5.* fusè diſcuſſimus. Thymiamatis ſeu incenſi (quod ego tamen diſertè apud ipſum extare docui) meminit ille ſanè *de Hier.Eccl.cap.3.*quod in eam,in qua ille verſatus eſt,Eccleſiam irrepſit,veſtro diſſimilimum. Nam apud illum *ſemel* hoc adhibetur. In veſtra contra ſolenni Miſſa ſœpiſſime adhibetur, variiſque rebus, veluti *cruci,reliquiis,candelabris, altari, parti ejus inferiori ſuperiorique, Sacerdotibus, libro, pani atque vino, ter ſuper calicem & hoſtiam, & ter circum, altari & Sacerdoti iterum iterùmque, Choro, diacono,ſubdiacono,populo*;& in Miſſis pro defunctis *Sacramento* etiam,*elevationis tempore.* Unde Tridentini in ſuo decreto *cap.5.* memorant *thymiamata* plurali numero. Dionyſius autem *thymiama* ſingulari. De cœtero in deſcriptione Miſſæ Pſeudo-Diony-

ſiana neque *lumina* comparent, neque *veſtimenta*, neque *crucis* ſignacula, neque omnes aliæ ceremoniæ veſtræ. 7. Denique duplicem illum veſtrum in Miſſa ſermonem, verbalem & realem, quo verba geſtibus, & geſtus verbis accommodare Sacerdos in univerſa fere actione ſua ſolet, elegantiæ genere, quod non primis illis Apoſtolicis, ſed ſequioribus Gothicis temporibus placuiſſe notavi, nequicquam Baptiſmi Sacramento palliare ſtudes. In hoc enim ex mandato Chriſti ſacra actio ſeu ablutio verbis vernaculis explicata, à vulgari actione diſtinguitur. In Miſſa contra veſtra verba populo ignota conſequentibus geſticulationibus exprimuntur.


OBJECT. V. *Ceremonias Miſſæ, quæ conſiſtunt in verbis, veluti precibus, hymnis, collectis, aliiſque, quibus Liturgia conſtat, eſſe conformes Orthodoxa Antiquitati, conſtat ex Liturgiis S. Jacobi, Baſilii, Chryſoſtomi, Dionyſio Areopagita, Juſtino, Concilio Vaſenſi, Toletano III. & IV. Chryſoſtomo, Ambroſio, Auguſtino, &c.* Aug. Reding *pag.* 539. 540. Reſp. 1. Simpliciſſimum fuiſſe initio Euchariſtiæ ritum & à Chriſto inſtitutum, & ab Apoſtolis ac prima eccleſia, quæ ad quartum ferè Seculum uſque non aliis verbis, quàm oratione Dominica & verbis inſtitutionis recitatis uſa eſt, uſurpatum, ſuperiùs allegatis idoneis teſtibus probavimus. De Liturgiis etiam ſæpius diximus. 2. Sed & ſingularum Miſſæ in verbis conſiſtentis partium novitas nullo negotio probari poſſet. Introitus ante A. D. 423. non fuit in Eccleſia Latina uſitatus, teſtibus Valafrido, Amalario, Stephano Eduenſi, Bernone, Pſeudo-Alcuino, Sigeberto, Micrologo, Hugone Victorino, Radulpho. Verſiculus *Gloria Patri & Filio* &c. quarto Seculo præcipiti à Damaſo Romæ inventus eſt. Litaniam *Kyrie eleiſon* non multò ante A. D. 529. receptam eſſe ex Concilio Vaſenſi probari poteſt. Repetitio verò Litaniæ, ut novies diceretur, à Gregorio I. originem habet. Hymnus Angelicus *Gloria in Excelſis* &c. à Teleſphoro in Miſſam immiſſus putatur. Sed ſcripta, quibus id probare conantur, Pontificale nimirum Damaſinum & Epiſtola Teleſphori, dubiæ fidei eſſe, ipſi doctiores Pontificii fatentur. Collectarum uſus à Gelaſio I. cœpit & à Gregorio I. perfectus eſt. Symbolum etiam ante An. 855. cantari in Occidente cœptum haud eſt. Offertorium totum novum eſt. Quinque quæ in eo habentur, Orationes nondum dictæ ſunt ineunte Seculo decimo tertio. Præfatio *Gratias agamus Domino Deo noſtro*, ante An. 577. & Canticum *Sanctus, Sanctus, Sanctus &c.* ante An. 529. in uſu non fuit. Hæc omnia diſertis teſtimoniis, ſi inſtituti ratio permitteret, comprobari poſſent. 3. A Redingio denique jure poſtulamus, quæ potiſſimùm Miſſæ ſuæ partes, & quorum authorum teſtimoniis, antiquitate puriori ſe probent, & ut repræſentatis ipſis authorum, non ὑποβολιμαίων ſed γνησίων verbis, aſſertioni ſuæ fidem faciat: denique ut in anteceſſum ea, quæ cùm ab aliis, tum à Cl. Dalleo *De*

Cul-

Cultibus Lat. Relig.lib.IX.Capp.4.5.&c. de allegatis ab ipso ex Bellarmino testimoniis accuratè dicta sunt, diluere satagat.

EXCIP. REDING: 1. *Singularum Missæ partium verba ex Scripturis & antiquitate demonstrari possunt.* 2. Introitus *constat versiculis Psalmorum, quorum recitationem ad initium sacrificii Ecclesiæ primitivæ fuisse in usu, ex Dionysio Areopogita constat. Versiculus,* Gloria Patri & Filio *adversus Arianorum perfidiam constitutus est. Litania* Kirie eleison *à Concilio Vasensi A. 436. celebrato laudata, & in tota Italia observari jussa est. Hymnus* Gloria in excelsis Deo, *ab ipsis angelis in nativitate Christi decantatus est.* Lectionem Evangelii *in Missa antiquitus jam usurpatam esse, ex Liturgia Chrysostomi constat.* Symbolum *Ecclesia Græca semper in Missa recitavit.* Præfatio *antiquissimarum Liturgiarum, Clementis R. Cypriani, aliorúmque testimonium habet. Versus ille* Sanctum *in Græcis & Latinis Liturgiis usurpatum, & Angelicum Esaj.VI. auditum cantum, & puerorum Hebræorum Matth.XXI. acclamationem continet, & ab Ecclesia veteri in Missa, teste Cyrillo Catech.5. adhibitus est.* Ibid.pag.341-345. Resp. 1. Partium Missæ singularum verba ex Scripturis & antiquitate eadem methodo, qua supra indumenta & actiones Missaticas, demonstrasti; Eadem igitur demonstrationem tuam responsione excipimus, neque operam ludimus. Non solùm partes, partiúmque verba, sed ordinem earundem, & quidem in Sacrificio Missatico ex *Apostolica,* quam Tridentini tui crepant, *traditione* abhibendum, neque abhibendum Ecclesiæ arbitrio, sed universalis decreti necessitate & mysterii religione, priùs nobis demonstra. Absque hoc est, Andabatarum more pugnas, neque nobis retiariis uteris. 2. Originem singularum in verbis consistentium Missæ partium fide dignis authoribus panderunt nostri; Cel. Daillæus cumprimis, & ante eum Hospinianus nostras, Molinæus, aliii ad quos te remiseram. Tu ipse in eruenda earum origine sic versaris, ut causam vestram prodas potiùs, quàm sustineas. *Introitum* enim ex Pseudareopagita, Seculi V. vel VI. authore, uti liquidò nostri probarunt, nec non Liturgiis Basilii & Chrysostomi, à posterioribus multis modis interpolatis, demonstras. Illi tamen Græcorum, non Romanorum in Synaxi mores, jura, ritus describunt: & Apostolis authoribus Introitum illum acceptum neutiquam referunt. Et alia omnia authores à me citati, Valafridus, Amalarius, Rabanus, Steph. Eduensis, Berno, alii testantur. Versiculum *Gloria Patri & Filio* adversus Arianorum demum perfidiam in Missa recitari cœptum fateris. Non igitur Apostolicæ traditioni ejus in Missa recitatio debetur. Sed nec teste idoneo ullo probabis, constitutum esse ab Ecclesia Nicenæ Synodi, uti vestri asserunt, tempore, ut in Eucharistia versus ille recitaretur. Litaniam *Kyrie eleison* à Concilio Vasensi A.436. celebrato laudatam ais. Erras verò in ratione temporum. Ex subscriptione enim Cæsarii Episcopi non A. 463. (tu inversis numeris scribis A. 436.) uti vulgò putatur, sed A 529. habitum illud Concilium Vasense III. inter eruditos hodie convenit. Eo ergo tempore Litania illa Gallis commendari cœpit. Ante tempus illud ne semel quidem in Missæ introitu dicebatur, quod nunc novies eo in loco ingeminatur. Et sanè apud Romanos novam, & à Græcis petitam Litaniam illam fuisse, vel ipsa sermonis peregrinitas arguit. Nam merè Græcam esse novit, quisquis Græcè scit. Cur verò Romani Deum hoc loco Græcè potiùs, quàm Latinè *Domine miserere,* invocarent? Hymnus *Gloria in excelsis Deo,* Angelicus est, fateor. Unde verò constat, tradidisse Apostolos, ut in Eucharistia recitetur? Etenim omnes noni Seculi, & vetustiores nonnulli authores pertendunt, illum Liturgiæ suæ à Papa Telesphoro, id est, paulò post

poſt A.142.inſertum eſſe. Quæ in hymno ſequuntur, *Laudamus te &c.* incerti authoris eſſe, Bellarminus non diffitetur. *Symbolum* in Euchariſtia cantari in Occidente demum nono Sæculo cœpit. uti ex Valafrido *de Reb.Eccl.cap.22.* colligere eſt. De *Offertorio* verò, ita dicto, quod inter *offerendum* cantetur, quid dicis? Totum ferè illud novum eſt, *diverſis modis per tempora auctum, & augendum porro uſque ad finem.* uti Valafridus idem *pag.683.* loquitur, auguratúrque. Quinque, quæ ibi dicuntur, orationes, (*1. Suſcipe Sancte Pater. 2. Offerimus tibi Domine. 3. Veni Sanctificator. 4. In Spiritu humilitatis. 5. Suſcipe Sancta Trinitas.*) nondum dici ſueverunt ineunte Seculo decimo tertio. Bellarminus ipſe *de Miſſa lib.II.17.* fatetur, ne ipſum quidem Innocentium III. qui circa Seculi XIII. primordia vixit, iſtarum Orationum meminiſſe, ſed ab Offertorio ad Secretas tranſire. Canticum denique *Sanctus, Sanctus, Sanctus* ex hymno Seraphico, & puerorum Hebræorum acclamatione contextum, ex Concilii demum Vaſenſis A.529. habito decreto in Euchariſtia uſurpari cœpit. Viden, Redingi, *Apoſtolicæ Traditionis*, à Tridentinis impudenter adeò decantatæ, audax commentum! Viden Miſſam, novellum fœtum, centonem variegatum, ex diverſis diverſorum etiam temporum aſſumentis, denique in eam, quam Tridentini probarunt, & Eccleſiæ univerſali obtrudere conati ſunt, formam exuberantem!



QUÆSTIO. VI.

An Miſſæ illæ ſolitariæ, in quibus ſolus Sacerdos Sacramentaliter communicat, ſint illicitæ, adeóque abrogandæ?

NEgat Synodus capite VI. & aſſerentibus Can. VIII. triſte anathema dicit. Nos verò non de Miſſa equidem Pontificia, quam non agnoſcimus, ſed de Euchariſtia affirmamus, ſequentibus argumentis inducti.

ARG. I. Repugnant Miſſæ illæ ſolitariæ & privatæ, teſtamentariæ inſtitutioni Chriſti. Is enim accumbens menſæ ſacris ſymbolis benedixit, panem fregit & diſcipulis dedit ad menſam accumbentibus, cum diſerto mandato: *Edite, bibite, facite hoc in mei commemorationem*, Matth. XXVI. 26. 27. Luc. XXII. 19. Atque tali demum manducationi promiſſionem annexuit. Non igitur ſolus vel edit vel bibit, abſentibus aliis, vel nudè ſpeculantibus. Eſt igitur perverſio Teſtamenti Chriſti, loco Sacramentalis ſumptionis proponere ſpectaculum; & ſpectaculo huic tribuere, quod Filius Dei ſacramentali manducationi & bibitioni tribuit.

RESP. REDING: 1. *Miſſæ, in quibus ſolus Sacerdos communicat, etiam publicæ ſunt, quia popu-*

sunt, quia populus in iis spiritualiter communicat; & publicus Ecclesiæ Sacerdos non pro se duntaxat, sed pro omnibus fidelibus sacrificat. 2. Annon ultimæ Christi Cœnæ adstitit etiam Paterfamilias, seu dominus triclinii, in quo Christus Pascha celebravit, & Eucharistiam instituit? Cùm ergo is haud comprehensus fuerit illo Christi mandato: Edite, bibite, *&c. liquet inde, universos fideles Eucharistico mysterio adstantes mandato non teneri. 3. Si præceptum*, Hoc facite, *obligat ad omnes accidentales ritus à Christo adhibitos observandos, Eucharistia celebrari etiam debebit post Pascha, pedum lotionem & noctu. Obligant ergo ad solam substantiam Sacramenti & sacrificii, quæ secundum rationem quidditativam & substantialiter integrantem consecrationem Eucharisticam specierum, earúmque à Sacerdote faciendam sumptionem solam complectitur. 4. Esto verò, mandato illo etiam contineatur præceptum distribuendi, non ideo lex Christi ad distribuendum absolutè universis fidelibus astantibus, sed sub hypothesi duntaxat, si adsint, qui petant, constringit.* Tomo III. Tract. IX. §. 2. pag. 345-347. *Resp.* 1. Quo nomine Missæ, in quibus Sacerdos solus communicat, venire possint, vel debeant, non hic quæritur: sed an Missæ ejusmodi, quocunque illæ nomine venditentur, institutioni & exemplo Christi conformes sint. An verò publicarum nomine rectè veniant, infra dispicimus. 2. Incerta pro certis venditas, & iisdem dogma nequicquam superstruis. Patremfamilias adstitisse Cœnæ ultimæ, quis tibi revelavit? Nullum vel levissimum ejus rei vestigium in historia comparet. Paschali convivio aderant domestici, familiares, ejusdem familiæ membra. At Paterfamilias Christi domesticus non fuit. Familia enim Christi ipso capite, & Apostolis duodecim constabat. Proin Christus ἀνέκειτο μετὰ τῶν δώδεκα, *accubuit cum duodecim discipulis*, Matth. XXVI 20. Sed fac, adstitisse Patremfamilias. An ideo solus Christus communicavit? Scilicet sicut solus Pascha manducavit. Atqui disertè Marcus cap. XIV. 23. Ἔπιον ἐξ αὐτοῦ πάντες. *Biberunt ex eo omnes.* 3. Præceptum *hoc faciendi* ad ritus accidentales omnes obligare, nulli dicimus. Pronuntiamus tamen, ritum eum, quo non unus, sed plures communicant, necessarium & perpetuum esse, quia ex prima institutione requirit distributionem symbolorum, & quidem eum in finem, qui nunquam in Ecclesia cessare potest, ut communio cum Christo capite, & membrorum inter se, quæ multa ἓν *unum* sunt, repræsententur. Et sanè convivium plurium convivarum est, & δόσιν καὶ λῆψιν *distributionem* & *acceptionem*, seu manducationem & potum distributorum exigit. Fuit autem Christi & Apostolorum Eucharistia convivium, Paschali convivio ἀμέσως succenturiatum, in quo cibus & potus à Christo consecratus dabatur discipulis cum mandato edendi & bibendi. Verba ergo, *Hoc facite*, non ad substantiam *sacrificii*, quod in Eucharistia nullum esse demonstravimus; sed *Sacramenti*, ac simul ad necessarios ejus ritus omnes, quos Christus & Apostoli adhibuerunt, & adhiberi jusserunt, obligat. Hos autem inter ritus etiam est communio plurium. Christus enim celebrans, sive consecrans, jussit præsentes accipere, comedere, bibere. Non enim ab Evangelistis narrantur Apostoli edisse bibisséque, quomodo sedisse, noctu edisse; (sic enim fortasse in consequentiam duci non posset) sed notant disertè jussisse Christum, ut ederent, & biberent; imò ad extremum institutionem sanxisse his verbis; *Hoc facite*, nempe quod ipse feci, jussi. 4. Obligare distributionem *ex hypothesi*, si adsint, qui petant, quis negat? Nam distribui symbola nisi communicantibus nequeunt. At hypothesin & conditionem eam Sacramentum Eucharistiæ sic exigit, ut sine ea Sacramentum & Eucharistia esse dicique nequeat. Ita prædicatio auditores postulat, & sine iis omitti debet. Neque enim prædicandum lapidibus.

ARG. II. Eandem celebrandæ Euchariſtiæ rationem & formam religioſè ſecutos eſſe Apoſtolos, non modò ſumma ipſorum in Magiſtrum ſuum reverentia perſuadet, ſed etiam Scriptura dubitare non ſinit. Lucas enim de tribus credentium millibus, poſt reſurrectionem Chriſti baptizatis Act. II. 42. ait, *eos perſeveráſſe in doctrina Apoſtolorum & κοινωνίᾳ communicatione, & fractione panis & orationibus.* Idem Act. XX. 7. de ſe & aliis Apoſtolorum diſcipulis Troade conſiſtentibus, *Una*, inquit, *Sabbathi cùm conveniſſemus ad frangendum panem.* Eundem morem apud Eccleſiam Apoſtolicam manſiſſe, Paulus in priore ad Corinthios circa A. D. 51. ſcripta epiſtola docet 1. Cor. XI. 18. 20. 21. 26. 27. &c. ubi *convenire eos in eccleſiam ad manducandum* ſeu veſcendum Cœna Dominica ait, & Cœnæ rectè adminiſtrandæ modum ex Chriſti inſtitutione declarat. Verum equidem eſt, in eo conventu agapen factam eſſe, uti Bellarminus excipit, ſed talem videlicet, quæ in Euchariſtiæ communionem deſineret. Quorſum aliàs talem inſtitutionem Euchariſtiæ Corinthiis ſuis repetitam ob oculos poneret? Ibidem Paulus opponit inter ſe Cœnam privatam & communem, & ita quidem, ut neget, privatam cœnam eſſe Euchariſtiam, quippe in qua alius edit, alius non edit, quia ſatur: quod poſterius in privata Miſſa, in qua Sacerdos edit, reliqui non item, obtinet.

RESP. REDING: 1. *Ex Act. II. 42. non aliud quàm ſynaxeos à primis Chriſtianis quotidie frequentata communio probatur. Sed ex Chriſti præcepto frequentatam non conſtat. Charitatis fervor ad id eos impulit. De cætero communio libera erat. Neque enim apud vos etiam communio quotidiana eſt. 2. Neque ex Act. XX. 7. inferri poteſt, privatim Euchariſticum ſacrificium obiri non poſſe, quia ne Chriſtus quidem in prima univerſos fideles, ſed ſolos Apoſtolos convocavit. 3. Corinthii convenerunt ad ſacram ſynaxin 1. Cor. XI. 18. &c. An idcirco ubi omnes non conveniunt, ſacra ſynaxis non eſt? Perinde ac ſi concio omnibus non convenientibus haberi non poſſet. 4. Ineptè & nequiter ex privata Corinthiorum Cœna reprobata à S. Paulo privatam Miſſam oppugnas, quia non aliud Apoſtolus in Corinthiis reprehendit, quàm quòd divites cœnam S. etiam per crapulam anticiparunt.* Ib. pag. 347. 348. Reſp. Miſeret me Tui & cauſæ quam ſuſtines. Quotieſcunque Chriſtus, Apoſtoli & primi Chriſtiani ſacram ſynaxin celebrarunt, plures communicarunt ſemper. Nunquam uno communicante celebrarunt. Nullum uſpiam exemplum in contrarium extat. Hoc ſibi argumentum meum vult; neque tu negare audes. Audes tamen loca à me citata eludere, ſed ſucceſſu pudendo. Etenim 1. de quotidiana communione non argui ego, ſed de *κοινωνίᾳ communione.* Ubi communio ſive quotidiana, ſive menſtrua, ſive anniverſaria eſt, ibi ſanè communicantes ſunt. In privata Miſſa non ſunt communicantes. Ergo nec communio, qualis Apoſtolicis temporibus obtinuit. 2. Chriſtus in prima Cœna univerſos fideles non convocavit equidem, quia in Paſchali cœna, cui Euchariſtica ſucceſſit, omnes fideles adeſſe non poterant; ſed tamen nec communicavit ſolus, verùm unà cum eo Apoſtoli præſentes. Numerum communicantium certum non definit Chriſtus; nec communionis determinatum tempus. Sed numerum tamen aliquem eſſe voluit, juſſit, ſine quo mandatum diſtribuendi, edendi, bibendi

bendi, adeóque hoc faciendi nullum valeret. Et communionem frequentem imperavit idem. Non ergo hunc vel illum numerum urgemus: non quotidianam totius Ecclesiæ communionem exigimus; sed ingluviem duntaxat unius oppugnamus. 3. Ubi omnes & singuli non conveniunt, synaxis sacra obtinere nihilominus potest. Synaxis tamen & conventus ad celebrandam synaxin esse nequit, ubi vel unus adest, vel plures præsentes non communicant. 4. Uter ineptè & nequiter agat, res docet. S. Paulus appellat Eucharistiam κυριακὸν δεῖπνον *Dominicum convivium*. Conviviumne est, ubi vel unus præsens est, vel unus comessatur? Ad convivium illud Corinthios dicit convenisse *in unum*; id est, una simul, & quidem in cœtum non contemnendum, quippe *in Ecclesiam*. Res enim una eademque est, *convenire in Ecclesiam*, & *convenire in unum*, uti orationis nexus ostendit. Annon ergo Cœnam suam Eucharisticam privatæ Missæ vestræ opponit? Et negare tu ausis, agapas veterum, quibus plures intererant, in communionem Eucharisticam desiisse, & in agapis & Eucharistia, sicut in Paschali & Eucharistica Christi Cœna eosdem planè communicantes fuisse? Quorsum enim Apostolus totam Eucharistiæ institutionem repetitam ob oculos Corinthiis poneret; quorsum ejus, sed dignè sumendæ necessitatem doceret, allatis etiam eorum, qui ob eam indignè sumptam immissis flagellis vapularunt, exemplis? Cum his, si potes, solitarias, & privatas Missas vestras concilia. Non enim is es, cujus solum eludentis flatum tanti faciamus.

ARG. III. Cum privatis Missis pugnat ratio Apostoli 1. Cor. X. 16. *Panis quem frangimus est communio corporis Christi. Unum corpus multi sumus: Omnes enim ex uno pane participamus.* Omnes igitur qui unum corpus mysticum sunt, ex uno etiam pane mystico Sacramentaliter participare debent.

RESP. REDING: *Ut ex unius corporis Christi sumptione fideles denominentur unum corpus Christi mysticum, opus non est, ut multi in unum congregati de Christi corpore communicent. Impium est, corporis Christi virtutem ad eam congregationis circumstantiam coarctare. Textus indefinitè loquitur de participatione corporis Christi absoluta, non ad localem congregationem coarctata.* Ibid. pag. 348. Resp. 1. Disce, (discere enim debet, qui docere non potest) aliud esse rem, aliud rei Symbolum. Utique unitas fidelium, cum eodem corpore Christi communionem habentium *quoad rem* nulli loco alligata est; & impius foret, qui uni loco alligaret; sicut vos fidem, adeóque etiam communionem cum Christo Romanæ Cathedræ alligare soletis. Symboli, quo spiritualis fidelium cum Christo & inter se unio repræsentatur, alia ratio est. Nam ex uno pane in eodem convivio Eucharistico participationem plurium, symbolum unionis fidelium inter se & cum Christo esse, Christus ipse, convivium instituens; & S. Paulus mysterium illud his verbis: *Unus panis, unum corpus multi sumus. Omnes enim ex uno pane participamus*; (ubi participatio ex uno pane symbolum unitatis corporis fidelium constituitur) declarans, manifestè probant. Illa porro μετοχὴ *participatio* plurium ex uno pane symbolica particularium cœtuum in particularibus locis ad participandum, adeóque communicandum ex eodem pane congregationem necessariò postulat. Imò S. Paulum per *omnes* de uno participantes, non omnes omnis ævi & loci communicantes, sed eos duntaxat omnes, qui ad unam eandémque mensam convenientes unà simul Sacramentum eodem tempore & loco sumunt, intelligere satis constat, quia panis, quem hic dicit, ille ipse est, quem versiculo superiore *frangi* dixerat. At qui apud mensam frangitur, is ipse est, qui unicuique hic vel illic apud mensam distribuitur, panis. Neque enim Apo-

ſtolus vult, omnes, quotquot tum erant, imò & quotquot futuri erant, ubique gentium fideles, eos ex iiſdem illis particulis & participaſſe olim, & etiamnum participare, quæ illo tempore Corinthi apud menſam ſacram ex uno pane fracto ævi illius fidelibus diſtribuebantur. *Omnes* ergo fideles, quotquot in ſua ſynaxi S. Cœnam una celebrant, *ex uno pane participant*; omnes ſcilicet, qui Corinthi, pane, qui in ea ſynaxi, cui interſunt, erat conſecratus veſcuntur. De Romæ, de Epheſi, de alibi communicantibus idem puta. Verbo, omnes, qui eidem menſæ ſacræ pariter accumbimus, & unam facimus *φρατρίαν*, quæ *φρατρία* totius Eccleſiæ gerit imaginem. Impia ne ergo ſunt, quibus privatarum Miſſarum veſtrarum impietas ſic apertè detegitur?

ARG. IV. Neque aliam etiam ob cauſam Euchariſtia venit nomine *κυριακοῦ δείπνου Cœna Dominicæ*, 1. Cor. XI. 20. quod etiam vulgatus vertit. Hoc enim communicationem cœnantium omnium, non unius Patrisfamiliâs arguit, ídque tantò juſtiùs, quantò magis Sacramentali hoc cibo omnes indigent, adeóque ad eum veſcendum omnes liberaliter ſe invitare debent.

RESP. REDING: *Licet fideles quique ad Cœnam eam invitentur; non tamen pro omni tempore ad ipſam Divino præcepto adſtringuntur.* Ib. pag. 348. Reſp. Hoccine in quæſtione eſt? Cauſam dicere debes, quomodo *Cœna* vel *convivium* appellari poſſit, in quo unus homo comeſſatur? Quid enim ſi invitati (quanquam ad privatas Miſſas veſtras comeſſatum non invitatis, vel invitatis ſegniter non invitantibus ſimiliores) non compareant, & unus, iſque ſolus, eo animo ad Miſſam ſe conferens, ut ſolus ibi epuletur, compareat? quis ſanus iſthoc *Cœnam*, quis *convivium* dixerit? Et quidem *Dominicam*, hoc eſt, in Domini honorem & memoriam, adeóque non ita arbitrariè, ſed religiosè, ſed neceſſariò celebratam. Non *Dominica* hæc, crede Redingi, *cœna* eſt; ſed Timonæa eſt, in qua Sacerdotes veſtri, in Cœna iſthac Timones *μισάνθρωποι*, ſuavem ſibi jucundámque Cœnam ducunt, dummodo alii omnes procul ab ea abſint; dicturi cum Timone eodem ad convivam, ſi quis adeſſet; *Quàm ſuavis hæc mihi convivatio foret, dummodo tu abeſſes!*

ARG. V. Euchariſtiæ ſubordinatus finis eſt, ut ſit typus, ſymbolum ac teſſera concordiæ & communionis ſanctorum. In privatis autem Miſſis Myſterium iſthoc repræſentari minimè poteſt.

RESP. REDING: *In Miſſis privatis myſterium communionis Sanctorum repræſentatur, non tam quoad materialem, quàm effectivam gratiæ & charitatis Divinæ communionem; quæ tum actu ubique terrarum confertur, tum univerſis fidelibus ſub Miſſis etiam privatis offertur.* Ibid. pag. 348. 349. Reſp. Vehementer, niſi fallor, repræſentatio & efficientia rei differunt. Nos verò de priori loquimur; & ſupra jam ex S. Paulo demonſtravimus, participationem plurium ex uno pane communionis & unitatis fidelium inter ſe ſymbolum eſſe. Quicquid ergo Miſſæ privatæ efficiant (nihil autem boni eas efficere, ſed Chriſti gloriæ & fidelium ſaluti unicè inſidiari, ex ſuperioribus liquet) & quantumvis innumeris in mundo locis celebrentur; eo ipſo tamen, quòd communicantium (ſive illi invitati ſunt, ſive non ſunt) numero deſtituuntur, communionis Sanctorum myſterium repræſentare nequeunt.

ARC. VI. In puriori Antiquitate apud Christianos insolens & illaudatum fuit,ut solennibus Synaxibus interessent, qui non & ipsi communicarent. Id veteris ecclesiæ disciplina,& Canones Pseud-apostolici & Antiocheni luculenter probant. Et Chrysostomus *in Epist. ad Ephes. homil.XI.* gravissimè invehitur in ἀπάντους illos, qui Eucharistiæ Sacræ non communicantes interesse non erubuerunt. Pseudo-Dionysius Areopagita *Hierarch. Eccles. Cap.*3 narrat,dimissis Catechumenis, Energumenis & Pœnitentibus,non alios in ecclesia remanere solitos,quàm *qui Divinorum adspectu & communione digni erant.* Et de Episcopo dicit : Ἐις κοινωνίαν αὐτῶν ἱερῶν αὐτός τε ἔρχεται, καὶ τοὺς ἄλλους προτρέπεται. *Ad Sacram communionem cùm ipsemet accedit,tum cæteros invitat.* Eundem morem Gregorij I. Seculo adhuc mansisse,liquere potest ex *Dialog.L.*11.23.ubi morem fuisse narrat, ut Diaconus ante oblationem clamaret : *Si quis non communicat, det locum.* Eodem pertinent , quæ Cassander in *Liturg. Cap.*16.: ex libri secundi Ordinis Romani expositiora citat. Ejusdem ritus supersunt expressa vestigia in Æthiopum missa, in Bibliotheca Patrum addita,in qua Diaconus omnes non communicantes Eucharistiæ interesse , etiam Godignus *de Æthiop.Lib.*1.*cap.*3. narrat. Æthiopicis similia leguntur in Missa Armeniorum à Cassandro exhibita. Denique & Micrologus *Cap.* 21. *Tom.X.Biblioth. P. pag.*743. scribit disertè , *antiquitus solos communicantes confectioni Sacramentorum interfuisse.* Paulatim mutatio incessit,quibusdam ex populo non tam propter communionem , quàm propter benedictionem ad finem usque Synaxeos manentibus.

RESP. REDING : 1. *Confundis diversas quæstiones. Aliud enim est quærere : An olim omnes adstantes Eucharistiæ communicare debuerint; aliud : An non adstantibus,qui communicare vellent,Sacrificium Missæ Sacerdos intermittere debuerit? Hoc,non illud,hic in quæstionem venit.* 2. *Ex Antiocheni Concilii Canone liquet , non quoscunque non communicantes,sed eos demum , qui ex superstitione vel propria quadam disciplina non communicarunt , censuram ecclesiæ subiisse.* 3. *Licet Chrysostomus loc. cit. non communicantes graviter reprehendat, non obstante tamen adstantium negligentia,se quotidie facere oblationem,& ad altare adstare,testatur. Neque absolutè intelligendum, quòd frustra oblationem eam fieri dicit,sed restrictè,quatenus illa ad fidelium communionem ordinatur.* 4. *Gregorius I.Dial lib.II.testatur,exclusos fuisse à Missa non quosvis non communicantes,sed excommunicatos.* 5. *Ordo Romanus describit modum communicandi populum inter Missarum solennia. Sed hæc intermittenda esse, non communicante populo non dicit.* 6. *De Æthiopum Missa sic,uti scribis,celebrata,nil reperio.* 7. *Ex Micrologo constat,benedictionem in Missa à Sacerdote adhibitam, ubi sacrificium isthoc temporibus anterioribus absque populi communione perfici solebat.* Ibid. pag. 349.350. Resp. 1. Diversas esse has quæstiones haud equidem ignoro. Cùm verò duplex sit Missarum solitariarum genus,alterum earum,quibus nulli omnino alii adstant,argumentum meum prioribus oppositum,

 adeò-

adeóque appositum est. Tu illud in quæstionem vocas: An,si adstantes communicare nolint,Sacerdos Missam omittere debeat? Annon eodem res redit: An videlicet Missæ solitariæ, quibus seu adstant alii non communicantes, seu adstant alii nulli, illicitæ, adeóque abrogandæ sint,nec ne? 2.Concilii Antiocheni Canon sic habet: πάντας τοὺς εἰσιόντας εἰς τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, καὶ τῶν ἱερῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ κοινωνοῦντας δὲ τῆς τελευταίας εὐχῆς ἅμα τῷ λαῷ, καὶ ἀποστρεφομένους τὴν μετάληψιν τῆς εὐχαριστίας κατά τινα ἀταξίαν, τούτους ἀποβλήτους γίνεσθαι τῆς ἐκκλησίας ἕως ἂν ἐξομολογησάμενοι. &c. *Omnes qui ingrediuntur in Ecclesiam, & sacras Scripturas audiunt, nec communicant in oratione ultima* (τελευταίας *ultimæ*, hoc est post communionem peractam factæ orationis; vocem vulgò omissam,in veteribus libris scriptam extare Salmasius *Epist Simpl.Ver.pag.* 250.251.docet) *aut aversantur participationem sacræ Eucharistiæ per quandam ordinis perturbationem, hos ab Ecclesia ejici oportet,donec* &c. Loquitur ergo Canon non de iis,qui *ex superstitione & prava opinione, vel propria disciplina* ,uti Bellarmino te fallenti credis,(nihil enim tale ἀταξία ,quam vocem hic etiam Canon Apostolicus usurpat,notat) sed qui *perturbantes ordinem* publicé, ab ipso scilicet Christo, institutum non participant. 3. Chrysostomi verba luculenta sunt, ὢ τῆς συνηθείας! ὢ τῆς προλήψεως! *O consuetudinem,o præsumptionem! Frustra est quotidianum sacrificium, frustra adstamus altari. Nemo est qui participet. Non es dignus sacrificio aut participatione. Ergo ne prece quidem dignus es.* &c.*Considera quæso. Adest mensa Regia. Adsunt Angeli ministrantes. Adest Rex ipse, & tu stas oscitans.*&c. *Venit quotidie,ut videat accumbentes,omnes alloquitur,& nunc in vestra dicit conscientia : Amici quomodo hic statis, vestem non habentes nuptialem? Quicunque est,qui mysteriorum non est particeps,* is *impudenter stat & nimis audacter.* &c. Plura supra modum ἐπιπληκτικὰ adversus non communicantes subjicit.. Sed *non obstante communicantium negligentia,quotidie Chrysostomus obtulit,& ad altare stetit,* inquis. An verò obtulit, ad altare stetit,nemine prorsus communicante? Neque enim verba illa, οὐδεὶς ὁ μετέχων, *nemo communicat,* flagellare debes. In hujusmodi enim locis, quibus de plurimis officium,quod omnes æquè debebunt,negligentibus sermo est,comparatè *nemo* id præstitisse dici solet,quod rari,paucíque præ aliis præstiterunt. Ita Joh. III.32.*Testimonium ejus* (Christi) *nemo recipit.* id est,pauci, ac pœne nemo. Quanquam & verba Chrysostomi non absolutè, sed hypotheticè intelliguntur: Εἰκῇ θυσία καθημερινή. οὐδεὶς ὁ μετέχων. *Frustra est sacrificium quotidianum,nemo communicat.* id est,si nemo communicet. Hæc cum praxi Pontificiorum comparentur, apud quos Tridentini Missas *in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat,* disertè *commendant, & qui eas reprehendunt, anathemate feriuntur.* eodem anathemate veterem Ecclesiam protervissimè ferientes. Fateor interim, *restrictè* Chrysostomum loqui,ubi frustra fieri oblationem sine communicantibus dicit, *quatenus illa ad fidelium communionem ordinatur.* Nam nec ad sacrificium, quod propriè dictum in Cœna nullum est, ordinari potest: & de oblatione ad solam communionem fidelium ordinata loquitur. Totus in eo est ut demonstret, non satis esse huic sacro interesse,nisi communices. Eo ipso igitur,quòd quis non communicat,non modo pabulo illo sacro,quod communicantibus offertur,sed etiam sacrificii (si quod hic sacrificium verum esset) fructu se ipsum ex Chrysostomi mente privat. qui ad hoc,ut Eucharistia illis utilis sit,qui ejus sacro intersunt, communionem necessariam esse constituit. 4. Gregorius *loc.cit.* ait, Diaconum in Missa ante oblationem clamare solitum esse: *Si quis non communicat,det locum.* De excommunicatis eum loqui,excipis. Esto. Saltem inde liquet,neminem præter communicantes remanere

manere sacróque interesse potuisse. 5. Ex Ordinis Romani *lib.II.* expositione Cassander *in Liturg. cap.26.* isthæc excerpit: *Missam ideo appellari dicimus, quia lecto Evangelio foras mittuntur, qui minimè offerendo vel communicando non poterunt interesse sacramentis Divini Mysterii.* Inter eos ergo, quibus Sacramenti celebrationi interesse non licuit, apertè censet *non communicantes.* & ab iis *Missis* dictam Missam, non solennem duntaxat, sed quamvis, docet. 6 Si de Æthiopum Missa nihil reperire potuisti, an ideirco fides mea laborabit potiùs, quàm tua inscitia se prodet? Extat illa *Biblioth. Patr. Tom.VI.p.48.p.48. D.* ubi Diaconus promiscue omnes non communicantes sic alloquitur: *Exite foras, qui non vultis* (non, qui non potestis. quales erant catechumeni, pœnitentes, alii) *accipere Sacramentum, sive Eucharistiam.* Idem iterum post contractum symbolum: *Qui communicare non vultis, discedite. Qui autem vultis communicare, amplectimini invicem.* Paria de Æthiopibus Nic. Godignus *de Æthiop. lib.1.3. p.217.* ubi eorum ritus tradens: *Nullus,* inquit, *potest sacro interesse, qui eo finito Eucharistiam non sumat.* 7. Micrologi locus integer *Bibl. Patr. Tom.X.21.p.743* sic habet: *Soli communicantes Sacramentorum confectioni antiquitus intererant, quibus & oratio post communionem, quæ pro solis communicantibus instituta est, pro benedictione potuit satisfacere. Apud modernos autem, cùm jam populus communicare cessaret, nec tamen à Divinis mysteriis se subtraheret, necessariò permissum est, ut à Presbytero benediceretur, ne tam benedictione, quàm communione privatus discedere videretur.* Hæc ultima sic *cap.51.* clariùs eloquitur: *ne populum ita benedictione, ut communione privatum discedere permittant.* Acutè satis & utiliter in utroque loco monet, orationem post communionem populo pro benedictione satisfecisse, vel satis fuisse; quod ex vetustissimis Liturgiæ expositoribus, Pseudo-Clemente in Constitutionibus, aliisque verum esse deprehenditur, apud quos nulla alia præsentium & exiturorum benedictio, præter illam orationem, quæ post communionem dicebatur. Cùm enim absurdum & præposterum sit, ut fideles qui sacro interfuerunt, sine benedictione dimittantur, cùm ne ipsi quidem catechumeni & pœnitentes dimitti aliter sueverint; hinc sanè apparet, nullos alios, quàm qui revera communicarent, Eucharistico sacro interfuisse. Oratio enim illa, quæ post communionem fiebat, eodem Micrologo observante, *pro solis communicantibus* (id est, iis qui Sacramentum in illa ipsa synaxi sumebant) *orare solebat.* ut inspectæ in Liturgiis preces probant. Si qui ergo Synaxi interfuissent non communicantes, ii absque ulla Sacerdotali benedictione exituri erant. Quod cùm fuerit absurdissimum, non alios S. Synaxi interfuisse quàm communicantes, manifestè inde conficitur. His enim omnibus oratio post communionem, quæ pro communicantibus orat, vice benedictionis erat.

ARG. VII. Sunt & alia irrefragabilia argumenta, ex quibus cognosci potest, privatas Missas in veteri ecclesia prorsus inauditas fuisse. Talia sunt, quòd Eucharistia olim usitatè dicta est *Synaxis, συνέλευσις, Collecta, Missa, Cæna Domini, Convivium,* quæ nomina solitarias Missas evertunt: quòd apud veteres omnes, etiam ubi Eucharistiam ex professo describunt, in Liturgiis inprimis & Constitutionibus altum de iis silentium: quòd in iisdem Libris Liturgicis omnibus plures cum Sacerdote communicantes occurrunt: quòd Concilii Nannetensis Canon 30. quem ex Regino-

Reginone, qui Seculo decimo vixit, exhibet Cassander *Liturg. cap:* 33. quoque cavetur, *ne ullus Presbyter præsumat solus Missam cantare:* quòd Synodus Moguntiaca Carolo M. adhuc superstite habita, Canone, qui in Caroli & Ludovici Filii Capitulari extat, idem prorsus cavetur: quòd in veterum Templis unicum altare fuit, manifesto indicio, angulares veteribus Missas incognitas fuisse: quòd olim tanta copia panis imposita est altari, quanta sufficeret ad impertiendam toti populo communionem, cùm hodie consecretur hostiola nummularia & orbicularis: quòd apud cæteras omnes Christiani nominis gentes, Græcos, Russos, Armenios, Syros, Ægyptios, Æthiopas ignotus ille, qui apud solos Latinos irrepsit, solitariarum Missarum usus est: quòd denique ex vetustioribus Valafridus, Humbertus, Micrologus, Odo Cameracensis, ipse quoque Innocentius III. Durantus Mimatensis, Cusanus; ex recentioribus verò Erasmus, Hoffmeisterus, B. Rhenanus, Pamelius, Cassander, Vicelius, Espencæus, Baronius, alii disertè fatentur, solitarias illas Missas à priscæ ecclesiæ moribus alienas esse. Nono demum Seculo Missarum privatarum, Sacrificulis negligentiæ plebis conniventibus, licentia, antehac Conciliorum Canonibus coërcita, invaluit. Multum ad hoc contulerunt tum plebeij sacra negligenter & oscitanter curantes; tum Eremitæ & Monachi, teste Nannetensi Concilio; tum magnatum sua sibi Oratoria & altaria in privatis ædibus ac palatiis habentium, & sensim ibi sacris operantium consuetudo, qua factum est, ut ecclesiarum singularum corpora imminuerentur, pluresque in partes lacerarentur, hinc Monachorum cellis & cœnobiis, inde potentiorum familiis non paucos sibi ex plebis numero decerpentibus; tum presbyterorum, & quidem ἀπτάκτων & *Acephalorum*, uti ex Agobardo, noni Seculi scriptore celeberrimo, constat, immanis ex immenso Sacellorum numero ebulliens multitudo, eorúmque fœda superbia, avaritia & inverecundia. Cœperunt enim soli communicare, populum ad oblationes invitare, modum præparationis & periculum indignæ manducationis exaggerare, efficaciam Missæ non apud sumentes duntaxat, sed nudè spectantes etiam mentiri. Denique Missarum solitariarum, utpote cauponationi & nundinationi in ecclesiam jam tum inductæ opportunarum amor adeò animos Sacrificulorum cepit, tantúmque communionis fastidium induxit, ut superiori Seculo vix aliis quàm tribus totius anni diebus haberentur publicæ Synaxes, hujusmodi nimirum, in quibus vel unus aliquis præter Sacerdotem fidelis communicaret. Cui etiam rei plurimùm inserviit opinio magis magísque in cæcis hominum mentibus radices agens, quòd

in

in Eucharistia sit Sacrificium propriè dictum, ipsáque hostia adoranda sit. Sacrificium enim absenti prodesse,& hostiam adorandam etiam remotis arbitris adorari posse,in confesso positum est.

Resp. Reding: *Sepulchrum calumniis scatens hic guttur tuum patet,calamo dolosè agis,& venenum aspidum sub labiis seu digitis tuis isthac scribentibus expanditur. Etenim 1. etiam privata Missa synaxis,collecta,cœna,convivium est,quia in iis omnibus parata est,si velint, communio,& non ad communionem duntaxat,sed sacrificium etiam fideles passim invitantur. Etiam Evangelicus paterfamilias paratam cœnam magnam habebat,licet invitati plures eam neglexerint. Nominum ejusmodi significationes non ex actu,sed ex jure,& aptitudine cœnæ ac convivii pro universis fidelibus,si velint,parati,& sacrificii ab universis,si velint,frequentandi,æstimari debent. 2. Etsi in liturgicis Libris plures cum Sacerdote communicantes occurrunt; in nullo tamen eorum cavetur, ut populo non communicaturo oblatio omittatur. 3. Canon Nannetensis, quo prohibetur Presbyter solus cantare Missam, id unicè intendit, ne absque Ministro, qui respondeat ad* Dominus nobiscum *&* Orate fratres; *celebretur, quod hodieque fit. 4. In Veterum Templis unicum altare fuisse, falsò asseris. Nam Gregorius Nazianzenus Orat.20. in laudem Basilii de hæreticis dicit,eos intra altaria saltasse. Et Orat.23. ait,conculcata pedibus altaria,&c. Ambrosius Epist 32. dicit, irruere in altaria. Idem lib.1. de Sacr. cap. 1.* Levitam vidisti,sed Minister Christi est. Vidisti illum ante altaria administrantem. *Cui bono autem plura altaria, nisi quòd plures in eadem Ecclesia Sacerdotes quotidie celebrarunt,dum tamen sub eodem Pontifice valde exiguus erat populus fidelis,nec adeò sub tot Missis communio solennis haberi potuit? 5. Olim tanta panis copia altari imponi suevit,quanta sufficit ad impertiendam toti populo communionem,non semper,sed iis diebus annuis,quibus universorum fidelium communio præcepta erat. 6. Valafridus cap.20. in Clericis quotidianam Eucharistiæ celebrationem probans,non tamen eandem in laicis universim exigit. 7. Græci A.1570. ad quæstionem sextam Cardinalis Guiliani: Num Sacerdos aliquando rem sacram peraget populo non præsente? responderunt: Omnino Sacerdotem quemlibet populo non præsente rem sacram peragere,saltem cum puero, qui aliquibus in locis sacræ hujus actionis ei respondere possit. 8. Negligentiam plebis quomodo accusare potes, cùm præceptum frequentandæ communionis nullum uspiam appareat? Si qui verò Sacerdotes negligentiùs officio invitandi populum defungerentur, non inde Missarum privatarum usus culpari potest. 9. Nannetensis Concilii Canones nihil faciunt contra Missas privatas. Nam Canon 8. expreßè probat quotidianas Missarum celebrationes, nulla requisita communione laicorum. 10. Neque Ecclesiæ Sacellorum reputari debet Acephalæ, quia cuique districtui ita præest caput principalis Ecclesiæ, ut hanc aliquando per annum recognoscere oporteat. 11. Non etiam nuda,sed religiosa Missæ spectatio ita est actus religionis,ut sub eo Sacerdos pro piè adstantibus singulariter Missæ sacrificium offerat. 12. Quo denique jure reprehendis, quòd superiori Seculo vix tribus totius anni diebus haberi consueverit publica synaxis, cùm ternas synaxes vos ipsi non multum excedatis?* Ibid. pag. 350-352. Resp. Utrius guttur, tuum an meum, sepulchrum ejusmodi fœtidum sit: utrius labia venenum aspidum spirent, non improba criminatio tua, certum desperatæ causæ argumentum,sed causa demonstrare debuit. Causa autem tua qualis sit,responsiones tuæ vanissimæ produnt. Etenim 1. quis unquam sanæ mentis mensam cibis instructam & paratam probè,non accedentibus convivis,vocavit, vel vocare potuit *σύναξιν congregationem,συνέλευσιν conventum,collectam,convivium* (in quo multi collecti una

vivunt) *cœnam*, quæ juxta Plutarchum *Sympoſ.lib.VIII.probl.6.* διὰ τὴν κοινωνίαν *ob communionem* ita dicatur, adeóque ferculorum actualis & communis fruitio eſt? Talis nova veſtra Lingua eſt, cujus vocabula, quæ alia omnia communiter ſignificant, figmentis veſtris, velint nolint, inſervire coguntur. Evangelicus Paterfamilias ἄριστον *prandium* (Matth.XXII.4.) δεῖπνον *epulum* (Luc.XIV.16.) non cœnam inſtruxit. An prandium illud ab uno frequentatum? Aliud hiſtoria teſtatur. Sed parata, inquis, pro pluribus communio jus dat ſe *congregandi, conveniendi, convivandi, cœnandi.* Ita eſt. Sed à jure illo, non accedente actu, congregatio, conventus, convivium non dicitur. Quanquam neſcio quomodo cum Patrefamilias illo laudato dicere poſſitis, in ſolitariis Miſſis, paratum eſſe convivium. Ad ſolitaria enim illa ſacra neminem invitatis, neminem adhortamini, nedum cogitis vel compellitis intrare ad Cœnam magni Regis; quod à Domino facere juſſus eſt ille ejus in Parabola Evangelica ſervus. Qui ſervi Domini non cogunt homines ad Cœnam Dominicam Evangelico ſenſu; id eſt, qui eos non urgent paſtorali admonitione & adhortatione ardenti ad hoc communionis officium, ii communionem, congregationem, conventum, cœnam neutiquam intendunt. 2. In veterum Græcorum & Latinorum libris Liturgicis nec vola nec veſtigium ſolitariarum Miſſarum occurrit. Inſpice, ſi lubet, Conſtitutiones vulgò Apoſtolicas dictas; Cyrilli Hieroſ. Myſtagogica, Dionyſii Pſeud-Areopagitæ Hierarchiam Eccleſiaſticam; Liturgias Jacobi, Marci, Baſilii, Chryſoſtomi, Præſanctificatorum; Gregorianum Sacramentorum opus, in quo Miſſæ omnis generis deſcriptæ habentur. In omnibus plures cum Sacerdote communicantes occurrunt; unus Sacerdos ſolúſque nullibi. Longa inductione id probari poteſt; probarunt noſtri. Neque erat cur caverent, ne populo non communicaturo oblatio omitteretur, quia ex Chriſti inſtitutione & Apoſtolorum praxi, quam ipſi etiam continuata conſuetudine exprimebant, quid facto opus eſſet, nemini clam erat. 3. Nannetenſis Concilii (quod Burchardus undecimo ineunte Seculo, Jvo duodecimo; alii ex Reginone ante Seculum decimum; Cl.Dallæus *de Cult.Lat.p.529.* circa Seculi ſeptimi ſuprema celebratum conjectant) Canon 30, ſic habet: *Definivit Concilium; ut nullus Presbyter præſumat ſolus Miſſam cantare. Cui enim dicis,* Dominus vobiſcum; *aut* Surſum corda; *aut* Gratias agamus Domino Deo noſtro, *cùm nullus ſit qui reſpondeat; aut in Canone,* Et omnium circum adſtantium, *cùm nemo adſit? Aut quem invitat ad orationem, cùm dicis,* Oremus, *cùm nullus ſit, qui ſecum oret? Aut igitur iſta penitus reticenda ſunt, & non ſolùm non erit perfectum ſacrificium, verùm etiam incurret, quiſquis ille eſt, terribilem illam ſententiam,* Si quis tulerit de hoc, tollet Dominus partem ejus de Libro vitæ; *aut ſi hæc muris aut parietibus inſuſurraverit, ridiculoſum eſt. Quapropter illa ridiculoſa ſuperſtitio maximè à Monaſteriis Monachorum exterminanda eſt. Provideant autem Prælati, ut Presbyteri in Cœnobiis & in aliis Eccleſiis cooperatores habeant in celebratione Miſſarum. Si quis hæc transgreſſus fuerit, ab officio ſuſpendatur.* Ubi nunc illa, quæ vobis, Miſſas privatas è diametro Canoni illi oppoſitas obducentibus in ore ſemper eſt, antiquitatis reverentia? Ubi illa inviolabilis Majorum, & fixorum ab iis Canonum Majeſtas? Presbyterum enim Miſſas *ſolum* cantare non debere eo probant, quòd qui ſolus miſſificat, formulas illas veteres Liturgicas, *Dominus vobiſcum, Gratias agamus,* &c. uſurpare niſi abſurdè ac *ridiculoſè* non poſſit; iſta, ubi nemo dicenti homo adeſt, *muris & parietibus* fruſtra ac ineptè inſuſurrando. Quid quæſo ſolitariis Miſſis veſtris aſſeri infeſtius potuit? Fruſtra verò Bellarmini collum premens, huic Canoni ſenſum, *ut qui miſſificat Presbyter, ſaltem unum habeat, qui reſpondeat;* affingere conaris. Ca-

non

non enim à me recitatus nil tale tinnit. Quin disertissimè sic Concilii illius Patres definiunt: *Provideant Prælati, ut Presbyteri in Cœnobiis & aliis Ecclesiis COOPERATORES habeant in celebratione Missarum.* An nomen *Cooperatores* unum saltem significat? Annon potiùs plures, qui sacris una cum celebrante operentur; verbi gratia, ex veteris Ecclesiæ usu, *Diaconum*, qui catechumenos & pœnitentes dimittat. qui modò Sacerdotem, modò clerum, modò plebem de officio moneat; *Cantores*, qui hymnos & cantica concinant, *Clericos* & *Laicos*, qui *Amen* & alia quædam suis locis respondeant, pro Sacerdote orent, &c. Hæc omnia nemo unus, sed *Cooperatores* præstant. Denique Nannetenses Patres, ut Missas illas ab uno solóque Presbytero cantatas refutent, ea ratione nituntur, quòd ipsæ Liturgiarum voces præscribant, non unam, sed plures esse debere, quibus celebrans salutem his verbis dicat, *Dominus vobiscum*, & plures *qui circumstent*; quorum neutrum ferè dicetur, non modò si nullus, sed etiam si unus tantùm Presbytero operanti adsit. 4. Altarium in veterum Templis multitudinem nequicquam Gregorii Nazianzeni, & Ambrosii adductis testimoniis asserere conaris. Illi enim plurium, fateor, altarium meminerunt. At plurium in eodem Templo non meminerunt. quod loca à Te citata ostendunt. 5. Solitariæ & solennis Missæ veterum differentia à te ex pravo more vestro conficta nihil probat. Nulla enim solitaria fuit. Quoties igitur celebraretur Eucharistia, non una hostiola nummularia & orbicularis, sed tanta panis copia, quanta ad communionem populi satis esset, disponebatur. Unum nempe numero totum & integrum panem in mensa Domini consecrabant, cujus in multas particulas à Sacerdote fracti suam singuli communicantes sumebant, non obscuro documento, sumentes, tametsi cœtera inter se diversos, unum tamen in Christo esse corpus, qualiter illæ particulæ, inter se divisæ licet, unus tamen revera idémque panis erant. Hoc ex S. Paulo 1. Cor. X. 17. & veteribus multis, nec non hodierno Ecclesiæ Æthiopicæ & Græcæ usu Cl. Dallæus *de Cult. Lat. Relig. lib. III. 26.* irrefragabiliter firmat. Neque contrarium probare potes. 6. De Valafrido sic habe. Scribit ille *de reb. Eccl. cap. 22. posse nos & debere, ut eadem Sanctarum Missarum celebratio non paucis sed multis prodesse credatur*, dicere, *cæteros in fide & devotione offerentium & communicantium persistentes, ejusdem oblationis & communionis dici & esse participes.* Quibus equidem verbis & veterem Ecclesiæ fidem debet, non alios Sacramenti participes esse censentis, quàm qui communicant; & novæ Sacrorum solitariorum consuetudini præsidia imprudens subministrat. Tametsi verò Strabo sic à Regia veritatis via deflexit, ea tamen mox subjicit, quæ cum disciplina moderna planè ἀσύστατα sunt. *Quamvis autem*, inquit, *cùm soli Sacerdotes Missas celebrant, intelligi possit, illos ejusdem actionis esse cooperatores, pro quibus tunc ipsa celebrantur officia, & quorum personam in quibusdam responsionibus Sacerdos exequitur; tamen fatendum est*, illam LEGITIMAM *esse Missam, cui intersunt Sacerdos, offerens, atque communicans, sicut ipsa compositio precum evidenti ratione demonstrat.* Si *legitima* Missa ea demum est, cui intersunt Sacerdos, offerens, atque communicans, atque id ipsa *compositio precum evidenti ratione demonstrat*, Missæ ἀκοινώνητοι solitariæ illegitimæ erunt, & cum precum compositione parum convenient. Quo ipso etiam cadere videtur, quod priùs de præsentibus & non communicantibus dixerat. 7. Græcorum Euchologium, si ita videtur, evolve integrum. Missæ solitariæ ne minima quidem vestigia reperies. Nulla apud eos nisi vel juxta Chrysostomi, vel juxta Basilii liturgiam Missa fit. Utraque suos præter celebrantem, & quidem non paucos communicantes habet. Genebrardus *Admonit. in Liturg. Præsanctif. T. 2.* de

hodiernis Græcorum ritibus verba faciens; *Hodie*, inquit, *propter tyrannidem Turcarum, opinor, unam duntaxat Missam in singulis Ecclesiis dicunt, vixque aliis, quàm Dominicis & festis diebus.* Quæ quidem *una* illa Missa solitaria esse nequit, quia Missarum, quæ festis diebus fiunt, genus aliud esse à solitariarum censu, fatentur omnes. Neque id Genebrardus Turcarum tyrannidi acceptum rectè retulit. quos constat Græcis avitæ religionis exercitium reliquisse liberum vel solo teste Metrophane Critopulo *Confess. Fid.* c 23. ubi sic inter alia ille: *Miretur quis illam summam Dei benignitatem, qui fiat scilicet, ut Antichristus* (sic Turcam insignit) *cùm tot ac tanta mala Ecclesiæ quotidie inferat, religionem non impediat, verùm permittat illam quoad cultum Divinum administrare non minùs, quàm si Christiani regnarent. Nam & quatuor Patriarchæ liberè utuntur legibus suis Ecclesiasticis, & Archiepiscopi, nec non Episcopi, nemine prohibente, ea, quæ ipsis incumbunt, peragunt. Similiter & Presbyteri ea, quæ ab ipsis exiguntur, præstant.* Quis ergo tibi de Græcis alia omnia pertendenti imposuerit, ipsemet videris. 8. De frequentando communionis præcepto *ad Sess. XIII. quæst. 9.* plura diximus, quæ repetere non vacat. Cúmque non aliud quàm Sacerdotum fœneratorum & populi negligentia, non ulla Divina institutio privatas Missas serò admodum in Ecclesia pepererit, rectiùs longè illas missas faceretis. 9. De Nannetensis Concilii sententia supra quoque rem ex vero tradidimus. Neque Canon 8. quotidianam Missarum celebrationem commemorans tibi lenocinatur. Ex Canone enim 30. constat, in qualibet Missa Sacerdotis *Cooperatores* ab eo exigi. 10. De Presbyterorum immani & immenso sacellorum numero ebulliente multitudine, magnas in Ecclesiam perturbationes invehentes querelam gravem apud Agobardum *de Sacerd privileg. & jur. cap.* 11. videsis. Hos Acephalos Stephanus Balugius, Vir doctissimus, ad eundem Agobardi locum, appellat, & de eorundem ἀταξίᾳ pluscula ex veteris illius temporis memoria observat. Quales vestri Sacellorum Præstites hodie sint, non curo. Agobardi Seculo Acephalos tales fuisse, & reprehensionem saniorum incurrisse, vestri prodiderunt. Horum & Monachorum cœnobitarum opera Missas privatas invaluisse, dicimus. Invecta in communes Ecclesiæ conventus est primò infrequentia, inde solitudo. In istis verò domesticarum ædicularum umbraculis, præsertim sub hujusmodi rectoribus, omnia præter veteris Ecclesiæ disciplinam & ordinem facta esse, quis dubitet? Gliscente indies hominum, & laicorum ambitione, & clericorum superbia, avaritia & inverecundia, res postremò eò devenit, ut nunc solitariæ illæ Missæ omnem Pontificiorum religionem inundaverint; sic ut non postrema pietatis pars habeatur, suo sacro Sacerdote seorsim uti frui. 11. Non Missæ spectatio ulla religiosa est, quia à Christi institutione deflectit, & Eucharistiæ beneficia intervertit; sed solus Sacramenti usus, sola communio participes fructus ejusdem reddit. 12. Denique querelam meam pervertis. Eò apud Vos rem devenisse, *ut superiori Seculo vix aliis, quàm tribus totius anni diebus publicæ Synaxes haberentur, in quibus vel unus aliquis præter Sacerdotem fidelis communicaret*; Dixi. Dixi verè. Negare ipse non ausis, hoc unum exprobrans, quòd *ternas synaxes annuas nos ipsi non multùm excedamus.* Imò ne una quidem ejusmodi Synaxis apud nos obtinet; sed quotquot obtinent (obtinent autem in Tigurina Ecclesia quotannis septem; in aliis vicinis & remotioribus plures) frequentes sunt, atque subinde maximo communicantium numero absolvuntur.

ARG. VIII. Sacrificulus in Missa dicere vel cantare solet: *Dominus vobiscum: sursum corda: Gratias agamus Domino Deo nostro: Accipite, edite: Orate fratres,*

tres. Et tamen ſubinde in ſolitaria Miſſa ſolus adeſt, nec cuiquam quidquam porrigit. Annon hæc Judicra ſunt? Argumentum hoc etiam Concilium Nannetenſe & Moguntiacum urſit. Innocentius III. *Lib. II. de Myſt. cap.* 25. hoc ita excuſat, quòd credendum ſit, *Angelos aſſiſtere comites orantibus.* Quomodo verò Sacrificulus ſeriò & actione non joculari porrigit Angelis hoſtiam, cibum, quem ipſe paulò poſt devorat?

RESP. REDING: 1. *Sacerdos verba iſthæc in Miſſa ſub ipſo ſacrificio ad nullos præſentium fidelium enuntiat. Neque illa Innocentii pia meditatio eò pertinet.* 2. *Concilia Nannetenſe & Moguntiacum favent Miſſæ; atque id unum ordinant, ut unus ſaltem miniſter Sacerdoti adſtet.* Ibid. pag. 352. Reſp. Ita frivolè reſpondes, ut vel inde te captum eſſe, conſtet. Etenim 1. de Miſſa privata quæritur. In ea Sacerdos & ſacrificat, ſi credere fas eſt, & communicat. Sive igitur ſacrificans, ſive communicans verba illa enuntiet, parùm refert. Certè celebrans enuntiat, *Dominus vobiſcum; ſurſum corda; Gratias agamus* &c. Hæc ſcilicet verba pluralia ex veteri diſciplina, verbo Dei conſona, ſtultus ille Sacerdos, nemine præter ipſum communicante, retinet & proclamat, ipſa licet diſciplina & praxi immutata plurimùm. Neque id diſſimulat Azorius veſtras, *Inſtit. lib. X.* 29. ubi fatetur, *verba antiqua eſſe retenta, ob honorem & venerationem antiquitatis, & mentem converti ad priſcum illum & veterem morem*, id eſt, moris veteris abrogati veſtigia quædam honoris cauſa in verborum formulis retineri. Illudi alius antiquitati, non eam ſic honorari, diceret meritò. 2. Certè Innocentius veſter, magnus ille tranſſubſtantiationis parens & omnipotentiæ Papalis aſſertor jam olim in conciliandis his deſudavit. *Statutum quidem eſt*, ſic *lib. II.* 20. loquitur, *in ſacris Canonibus, ut nullus Presbyterorum Miſſarum ſolennia celebrare præſumat, niſi duobus præſentibus ſibique reſpondentibus ipſe tertius habeatur, quia cùm pluraliter ab eo dicitur,* Dominus vobiſcum, *& illud in ſecretis,* Orate pro me; *apertiſſimè convenit, ut illius ſalutationi reſpondeatur à pluribus. Verùm aliud eſt neceſſitatis articulus, aliud religionis contemptus.* Rotundè ergo fatetur, & probat, nullam olim Euchariſtiam fuiſſe abſque pluribus. Sed quæ *neceſſitas* coëgerit Chriſti & majorum inſtituta mutare, non explicat; & cùm explicare non poſſet, *piè credi* ſubjicit, *quòd Angeli comites aſſiſtant.* quaſi ſcilicet de Angelis capi poſſit, quod in Miſſa dicitur, *Quotquot ex hac altaris participatione ſumpſerimus;* nec non illud: *Memento, Domine &c. omnium circumſtantium, quorum tibi cognita eſt fides & nota devotio.* Ad tales ſtultitias delabi eos neceſſe eſt, qui quò ſe vertant, neſciunt.

ARG. IX. Optarent Tridentini Cap. VI. *ut in ſingulis Miſſis fideles adſtantes, non ſolùm ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent.* Quomodo optarent patres iſta, quorum contrarium etiam ſub anathemate *probant* & *commendant?* Et ſi ſeriò id optant, cur hominibus falſam de virtute & efficacia ſpectaculi Miſſæ privatæ perſuaſionem non eximunt? Nempe ne quid detrimenti capiat reſpublica Pontificia, præſertim quod ad quæſturam & officium publicanorum pertinet. Et cur de illis tantùm Miſſis loquuntur, quibus *fideles adſtant*, non etiam de iis, quibus nulli fideles adſtant? Ita dedecus ſuum verſutè mihi diſſimu-

Obiectiones Tridentinorum.

OBIECT. I. *Missæ in quibus solus sacerdos Sacramentaliter communicat, non privatæ, sed communes censeri debent, partim quòd in eis populus spiritualiter communicet: partim quòd à publico ecclesiæ Ministro non pro se tantùm, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur.* Sunt verba Concilii *Cap.VI.*
Resp. 1. Privatæ an communes dicantur Missæ, parùm refert. Non enim de nomine, sed de re quæstio est. Contendimúsque, Missas illas, quocunque nomine veniant, illicitas adeóque abrogandas esse. 2. Saltem ita fatentur Patres, Missam non debere esse privatam, sed communem. Porro communis est sola illa, cùm multi de uno pane participant, finitore Apostolo. Cùm igitur unus ad se hoc rapit, & nemini communicat, certè non communis hæc, sed privata Missa est, judice Chrysostomo in illum ipsum locum. 3. Neque allegatis argumentis efficere possunt Patres, ut commune dicatur, quod privatum est. Quid enim, si etiam Sacerdos celebrans spiritualiter tantùm communicet? An ita satisfaciet institutioni, etsi nec sumat ipse, nec aliis dispenset, quæ consecrata sunt? Et annon illi, quos tam graviter objurgavit olim Chrysostomus, & ferivérunt Conciliorum Canones, eodem obtentu evadere potuissent? Est etiam is, qui Sacramentum administrat, publicus ecclesiæ minister: sed non ut solus utatur cœna, & hoc proficiat toti ecclesiæ. Ita concionator est publicus ecclesiæ Minister, non tamen ut ipse solus audiat & credat, atque hoc toti ecclesiæ, etiamsi illa nec audiat, nec credat, ad æternam vitam proficiat. Baptizans quoque publicus est ecclesiæ Minister, sed non ut ipse se baptizet, atque hoc opus illis, qui non baptizantur, ad salutem prosit.

Excip. Reding: 1. *Ad publicam & communem actionem non requiritur assistentia physica illorum, quorum res agitur, sed moralis communitatis repræsentatio sufficit. Quomodo Consul Tigurinus solus nomine Reip. negotium agens, publicè illud agere dicitur. Sic planè Sacerdos in Missa Ecclesiam repræsentans, publicè agit, ceu publicè ordinatus Sacerdos. 2. S. Paulus loquitur fidelibus de omnibus, de uno pane participantibus. Participant autem innumeris in Missis, quæ in toto orbe celebrantur. Sic ergo nulla dari poterit una communis communio. Alia igitur ratio est oblationis sacrificativæ; alia communionis sacramentalis. Illa tam ex parte Ministri præ se fert repræsentationem Ecclesiæ, quàm ex parte oblationis se extendit ad meritorum Christi pro tota Ecclesia Deo factam repræsentationem. Quia igitur hæc oblationis ratio non tantùm in consecratione Eucharistiæ, sed hujus etiam communione consistit, hæc actio publica meritò dicitur; & per hanc corporis Christi participationem universi in unum Christi corpus congregati, localiter licet dissiti, spiritualiter tamen quoad fructum sacrificii proprium participant. Quamvis verò sacramentalis communio secundum se formaliter spectata non æquè communis & publica sit, perfecti*

fecti

fectivè tamen communis est, quia fraternæ in Divina charitate radicatæ dilectionis unitatem fundat. 3. Cùm institutio Christi expressum contineat mandatum Eucharistiæ à Sacerdote eam consecrante sumendæ; expressum verò mandatum nullum sit dispensandi, saltem dum non adest qui petat; non sufficit respectu sacerdotis spiritualis manducatio, sed sacramentalis requiritur. 4. Neque minister publicus esse cessat sacerdos solus communicans, quia pro omnibus fidelibus Christi merita sacrificat, & in potentia respectu universorum Eucharistiæ dispensator est. Ibid. pag. 353. 354. Resp. 1. Denuo moneo, non de nomine Missarum, quas solitarias nos vocamus, sed de re sermonem esse, an uno communicante Sacerdote satis institutioni fiat? Hoc pernegamus. Putida insuper ratio & comparatio tua est. Minister equidem Eucharistiam celebrans Christi nomine legatione fungitur & dispensat; sed manducando, bibendo pro se, ceu fidelis, manducat, bibit; non personam quamcunque aliam, nedum Ecclesiam repræsentat. Imò si ritè officium obire, & juxta institutionem Christi celebrare Eucharistiam velit, distribuat, dispenset præsentibus; eosque manducare, bibere jubeat oportet. Hac demum ratione, non cùm manducat, bibit ipse pro se, Ministrum publicum aget. Sicut Consul Reipublicæ licet negotia curans, convivio exceptus pro se, non pro quocunque alio edit, bibit; neque edendo, bibendo Rempublicam repræsentat. Eucharistia publica esse debet eo modo, quo publica à Christo instituta est Si aliter publica sit vel nominetur, simpliciter rejici debet. 2. Omnes ex uno pane (quia licet multi panes esse possunt, ejusdem tamen naturæ sunt, & symbolicam rationem eandem habent) participare, S. Paulus 1. Cor. X. 17. docet. Omnes utique, qui ad corpus Christianum pertinent, sive hic, sive alibi participent; Ubicunque verò participant, participando ex uno pane communionem suam cum Christo & membris ejus testantur & significant, quæ communio, uno solo communicante, uti supra ostendimus, repræsentari nequit. De cœtero actionem sacrificii & communionis frustra distinguis. Priorem nullam agnoscimus; & si agnosceremus maximè, heic non de illa, sed de posteriore, quam Gabriel Biel vestras in expositione Canonis *principalissimè in sacro Missæ officio intendi*, asseverat, sola disceptamus. Negare non potes, Eucharistiam esse propriè dictum sacramentum, & quidem hujusmodi, quod panis & vini sacri esu ac potu à pluribus unà convescentibus celebretur. Est enim cœna, est epulum, est convivium Dominicum. Esto ergo quidlibet præterea aliud; esto holocaustum, sacrificium propriè dictum. Non ideo vel Sacramentum vel epulum non erit, vel Sacrificium erit aliter, quàm quatenus plebs communicat. Hæc enim est prima, vera, immutabilis, necessaria ejus forma ac ratio. Atqui Eucharistia hoc Sacramentum, hoc epulum non erit, si ea unus homo, aliis spectantibus, solus vescatur. Cogeris fateri, Sacramentalem unius Sacerdotis communionem secundum se & *formaliter* spectatam nec publicam, nec communem esse; *effectivè* tamen communem esse pertendis, quia fraternæ dilectionis unitatem fundat. Egregiè scilicet. Fraternæ dilectionis unitatem sic fundabit ille, qui solus edens bibensque genialiter, alios sive præsentes & spectantes, sive absentes, esurire & sitire sinit; quibus ex Patrisfamilias mandato cibum potúmque distribuere debuit. Hæc Sacrificulorum charitas est. 3. Nullum ne ergo mandatum est dispensandi Eucharistiam? Quo jure ergo Sarcificulus in communione publica dispensat? Annon Christus dispensavit, & edere, bibere, ac quod ipse fecit, facere jussit? Par ergo necessitas edendi, bibendi celebrantem & populum constringit; inprimis cùm celebrans publicè quidem celebret, at edat, bibat pro se, ut quivis privatus alius. Si igitur populo spiritualis manducatio sufficere potest, cur non etiam Sacrificulo, qui in privatis

vatis Missis in sui,non cujusquam alterius gratiam celebrat? Sed profectò meditandum vobis insuper est, neutiquam Missam publicam dici posse, quia communio spiritualis ad plures pertinet. Nullius enim rei denominatio sumi ab eo debet,quod est per accidens. At communio spiritualis sacramentali merè est accidentaria, quia & absque ea potest esse Missa: & ea potest esse absque Missa: & cùm fit in Missa, non ex vi Missæ, sed ex fide ejus,qui communicat,peragitur. 4. De sacerdote Christi merita sacrificante à te dicta non recipimus, quia ex institutione Christi sacrificandum, hoc est,memoria sacrificii Christi celebranda est in communione fidelium, non extra eam. Potentia verò dispensandi sine actuali dispensatione nec publicam, nec privatam actionem,utpote quæ ab actu,non à potentia denominatur,reddit.

OBIECT. II. *Ad Sacrificium, qua tale est,non refert,sive multi,sive pauci,sive nulli intersint aut communicent,cùm Sacrificium Deo offeratur pro populo,possitque Sacerdos offerre pro populo,sive præsente sive absente illo. Ita in lege cùm offerrentur Sacrificia pro peccato,nihil inde manducabat is, pro quo offerebatur, uti patet ex Levit. VII.& VIII.& tamen illi proderat. Præterea sicut oratio prodest ei,pro quo fit,etiam absenti: ita etiam Sacrificium, quod est quædam realis & efficacissima oratio. Cùm igitur etiam in Missa sit veri nominis sacrificium, quidni & illa nudè spectanti vel absenti prodesse possit?* 1. Tota hæc ratiocinatio caducum in parietem inclinat,Sacrificium nimirum Missaticum,quod nullum agnoscimus. *Si Adversarii,* inquit Bellarminus, *concederent,Missam non esse solùm Sacramentum,sed etiam sacrificium,fortasse in hac re facilè convenirent.* Hæc videlicet est illa Helena,quam nos adeò non ambimus,ut etiam despuamus. 2. Quicquid etiam sit de sacrificio, nos Dominicæ institutioni, quæ fructum Cœnæ non aliis quàm manducantibus & bibentibus promittit,Apostolicæque praxi, juxta quam, judice etiam Valafrido Strabone *de Reb.Eccles.Cap.22.* illa demum Legitima Missa est,*cui intersunt Sacerdos,offerens atque communicans,* presse inhæremus.

Excip. Reding: 1. *Stante ergo sacrificio, stant privatæ Missæ.* 2. *Valafridi sententia est, solum sacerdotem ita posse celebrare Missam, ut eorum etiam, pro quibus celebrat, personas agere queat, sitque simul offerens, respondens & communicans.* Ibid.pag.354. Resp. Sed & cadente cadunt, imò sacrificii Christi unitate jugulatæ concidunt. Sed præterea nec stante sacrificio Missæ privatæ necessariò stant. Constat enim alicui sacrificio, qua tali, convenire communionem plurium. Nam Agnum Paschalem inter sacrificia supra nobis numerabas. Et tamen necessariò illud additam communionem habebat. Denique in sacrificio propriè dicto aliquid offerebatur ab eo, pro quo sacrificabatur. Atqui ad Eucharistiam quatenus talis est, nihil quisquam jubetur dare sacerdoti, sed tantùm à Sacerdote accipere. Oblationes enim veterum non ex Sacramento, sed à liberalitate propria manarunt; atque ideo in Ecclesia etiam obsoleverunt. Non ergo sacramentum hoc ut sacrificium censetur. 2. Valafridi sententiam supra exposuimus. Tu verò ei sententiam absurdissimam affingis. Qui rem adeò absurdam pertinaciter tuentur, posse sacerdotem communicando etiam repræsentare alios, adeò-

que pro aliis edere & bibere, digni profectò sunt, qui communicantibus, adeóque genialiter edentibus & bibentibus aliis, ipsi ad esurialia prandia damnentur, fatúmque experiantur non servis Dei, sed servis Papæ prædictum Esaj. LXV.13. *Sic dixit Dominus meus: Ecce servi mei comedent, & vos esurietis: ecce servi mei bibent, vos autem sitietis.*

OBIECT. III. *A veteribus oblatum etiam esse sacrificium nemine nisi Sacerdote præsente, etsi nusquam legitur, tamen ex conjecturis colligitur. Nam in Concilio Nannetensi Can.30. jubentur Presbyteri non celebrare soli Missam, nisi habeant saltem unum secum, qui respondeat. Quidam igitur soli celebrare soliti sunt Missæ Sacrificium. Et in Concilio Toletano XII. Can.5. graviter reprehenduntur quidam Sacerdotes, qui Sacrificium offerentes non communicant. Et tamen Concilium illud non aliud requirit, quàm ut ipse Sacerdos communicet. Tum olim moris erat quosdam initiari Sacris absque ulla certa procuratione animarum, qui proinde non poterant ulli Sacramentum administrare, & tamen sine dubio Missas celebrabant. Exemplum est in S.Paulino Nolano. Præterea plurimi Sacerdotes quotidie celebrabant, & tamen populus multis in locis rarò communicabat, ut ex Chrysostomi querela liquet. Denique multa sacra fiebant pro causa ita particulari, ut verisimile non sit, alius in ejusmodi casibus ministratam communionem fuisse. Ita Augustinus obtulit pro matre sua, cadavere juxta sepulchrum posito lib.IX.Confess.Cap.12.* Resp. 1. Manifestis argumentis ex Antiquitate superiùs allegatis frigidæ hæ Bellarmini conjecturæ neutiquam officere possunt. Sanè Claudius Espensæus *de Miss.Publ.& Priv.pag.*216. rotundiùs & verecundiùs profitetur, *Missæ privatæ, seu nullis præter ministrum communicantibus, vestigium repertu esse difficile; ac publicæ contra plena esse ritualia primitiva.* 2. Nannetensis Concilii non ante septimum Seculum celebrati canon jubet Presbyteros *in Cœnobiis & aliis Ecclesiis in celebratione Missarum Cooperatores habere.* Inde nec colligi potest moris tum fuisse, ut Sacerdos aliquis solus Missam celebraret; nec si tum, septimo forte Seculo, mos ille veteris disciplinæ fastidio & oblivione inolevisset, justum id propterea rectúmque fuisse. Nam ipsi Conciliorum Canones abusus gliscentes emendare studuerunt. 3. Mos ille initiandi aliquem Clero absque certo titulo apud veteres non erat legitimus, adeóque non semel disertè vetitus. Ejus autem qui vitio ordinatus erat, actus ab ipso vitio manans legitimus esse non potuit. Et quid si sic ordinati essent, ut muneris, ad quod ita ordinabantur, functionem illam propriam non ante exercerent, quàm essent certum titulum, & Ecclesiæ vel ecclesiolæ alicujus ministerium nacti? Et cui nullius animæ procuratio certò ac definitè assignata erat, an is non potuit oves alienas, cum ejus, cujus propriè erant, venia, imò etiam illo advocante & rogante, procurare? Quid talibus aranearum telis levius esse potest? 4. Nunquam etiam apud veteres offerri hoc Sacrum con-

sue-

ſuevit,quin oblata communicantibus diſtribuerentur,uti Auguſtinus paſſim innuit.Eſto autem,refrigeſcente Chriſtianorum zelo à pluribus communio neglecta fuerit.An iccirco verum eſt,quenquam Prebyterum ſolitarium communicâſſe? Crevit ſanè Miniſtrorum numerus,ſed pro ipſarum eccleſiarum incremento,ad quarum illi uſum ordinabantur. 5. Sacra pro cauſa particulari primis Seculis omnino nulla,quarto quintóque rarò fiebant. Neque quidquam obſtat,quò minùs in illis etiam Sacris celebrantes unà cum aſtantibus communicâſſe dicamus. Exemplo eſt Lucianus Martyr,qui,teſte Nicephoro Calliſto *lib.VIII.*31. in ipſo carcere ſine adſtantibus,communicare noluit.

Excip. Reding: 1. *Eſpenſæus non abſolutè Miſſæ privatæ antiquæ veſtigia negat,ſed hoc unum aſſerit,non æquè de his,ac de Miſſis publicis ex antiquitate conſtare. Quanquam argumenta ex antiquitate petita manifeſta ſunt. Et probatis publicis etiam privatæ probantur,quia ſolis accidentariis ſolennitatibus differunt.* 2. *Nannetenſis Canon ſancit,ut Presbyteri non celebrent,niſi habeant ſaltem unum,qui reſpondeat. Sufficere ergo poteſt cum ſacerdote unus.Eidem mori Concilii Toletani Canon aſtipulatur.* 3. *S.Paulinus Nolanus in ordinatione accepit poteſtatem faciendi ſacrum; licet curam Eccleſiæ nullam habens populo communicare non potuerit.* 4. *S.Auguſtinus Epiſt.*118. *ad Jun. diſertè aſſerit, quotidianam communionem fidelibus non eſſe præceptam.* 5. *Nihil planè eorum, quæ de Lucio Martyre allegas, Nicephorus Calliſtus habet.* Ibid. pag.355. Reſp. 1. Eſpencæus veſtigium Miſſæ apud veteres repertu eſſe difficile,profitetur ingenuè. Tibi, naſum ſcilicet habenti rhinocerotis,& ſubodoranti quidvis,nihil facilius. Argumenta ex antiquitate *manifeſta* jactas, quæ meras conjecturas modeſtiores appellant. Sic verbis tuis ſtrepere ſoles, ut in veſica fabæ. Omnem etiam impudentiam ſuperat aſſertio tua,*quòd Miſſis publicis probatis privatæ probentur.* Solennitas enim,ſeu frequentia plurium *communioni,cœnæ,convivio* propria & eſſentialis eſt. adeó ut Euchariſtica cœna,communio ſine illa ne quidem conſiſtere poſſit. Quid deſperata cauſa, & pertinaci errore miſerius? 2. De Nannetenſi canone ſupra.Foedè Concilio illi imponis. Non enim definivit,*ne Presbyteri celebrent,niſi habeant ſaltem unum,qui reſpondeat;* ſed *ut nullus Presbyter ſolus præſumat celebrare Miſſam.* Non autem unum duntaxat, ſed *cooperatores*, ſed *circumſtantes* diſertiſſimis verbis exigit. Concilii Toletani Canon reprehendens ſacrificium,*cui nec ipſe ſacrificans participaſſe dignoſcitur,* de Miſſis loquitur non quibuscunque,ſed in feſtis ſolennibus multiplicatis. *In uno die,*inquit, *ſi plurima offerunt Dei ſacrificia: in omnibus ſe oblationibus à communione ſuſpendunt, & in ſola tantùm extremi ſacrificii oblatione communionis ſanctæ gratiam ſumunt.* Atqui plura in uno die ſacrificia interdicta quis neſcit, niſi in feſtis ſolennibus, in gratiam plebis communicaturæ? Non ergo Concilium teſtatur, neminem communicaſſe, ſed hoc duntaxat, cùm ex plebe alii communicarent,alii non communicarent,in poſteriorum numero etiam Sacerdotes fuiſſe. Et ſanè communio non dicitur,cùm unus totum aufert. 3. Si Nolanus ordinarius,ob defectum vocationis ad particularis gregis curam, populo adminiſtrare non potuit; at potuit vocatus, ſubſtitutus ab ordinariis, quomodo Monachi vos, ſive Jeſuitæ, ſive alii,præcipuè Dominicani,quibus inde Prædicatorum eximium nomen eſt,licet nulli Eccleſiæ addicti,prædicare tamen ſoletis,di-

ſtitri,ſi placet,cùm eodem Paulino,vos in prædicatorium officium dedicatos,non etiam in locum Eccleſiæ. An igitur ſic concluſeris, morem eſſe Eccleſiæ veſtræ prædicare abſque adſtantibus? Qua verò ratione probas, Paulino nefas fuiſſe ulli homini Sacramentum adminiſtrare? Etenim cùm Severo ſuo *Epiſt.6.* ſuam illam abſolutam in Presbyterum ordinationem nuntiaſſet,ſtatim eum invitat, ut ad ſe ſacramentum à ſe ſumpturus veniat. *Veni igitur*,inquit, *ſi placet ante Paſcha, quod nobis optatius eſt, ut ſacras ferias.* ME SACERDOTE *concelebres.* 4. Quis quotidianam communionem præceptam aſſeruit? Sic à quæſtione exorbitandum tibi eſt,ne obmuteſcere ad mea, pleraque à te præterita, videare. 5. Nicephorum Calliſtum de Luciano Martyre narrationem vel non legiſti,vel oſcitans legiſti. En igitur ejus, quæ *lib.VIII.31.* extant, verba: *De eo* (Luciano) *Martyre illud eſt decantatum,eum moriturum,cùm vis tyrannica neque Templi*, neque *ſacrarii copiam faceret, & vincula quoque atque plagæ motum prorſus denegarent,in ſuo ipſius pectore diſcumbentem tremendo illo operatum eſſe myſterio,ad eùmque modum & ipſum participaſſe de immaculato ſacrificio,*(ϗ τὺς ἄλλυς μεταλαβεῖν ἐπιτρέψαι) *& aliis ut participarent, mandaſſe. Sacrum illud in carcere perficiebatur, & Eccleſiæ ſpecimen ſacer ille chorus repræſentabat, qui eum tanquam jam morientem ſtipabat. Aliam quoque ob cauſam ſacris ita operabantur,ut,ſcilicet quæ à piis peragebantur,ab iis, qui alterius eſſent opinionis,non conſpicerentur.* Eadem Philoſtorgius *lib.II ſſ.*14.de eodem narrat. Cur iſtos circumſtantes Martyr communicare voluit, cùm res tota multò faciliùs,celeriùs,tutiùs expediri potuerit, ſi ſolùs,modernorum ſacrificulorum more, communicaſſet, iſtis nihil aliud, quàm eum objecto, donec communicaſſet,corpore ab exterorum viſu protegentibus,ne,quid ille faceret, cognoſcerent? Scilicet nefas putabat Vir ſanctus,quenquam communicare ſolum; quod Tridentini pium eſſe ſub anathemate ſanxerunt.



QUÆSTIO VII.

An Euchariſtia, quam Miſſam vocant, vulgari lingua celebrari debeat?

NEgat Synodus Cap. VIII. & Canone IX. Nos verò de Euchariſtiæ celebratione aſſerimus. Etenim

ARG. I. Chriſtus & Apoſtoli ut Sacra omnia, ſic Euchariſtiæ etiam Sacramentum vulgari & vernacula ſibi Lingua adminiſtrârunt. Illorum autem exemplum perfectiſſimum & incorruptiſſimum,ac proinde religiosè ſequendum eſt.

RESP. REDING: *An igitur Chriſti exemplum in Sacramentorum confectione quoad quasvis circumſtantias accidentales ſequendum? Ergòne etiam Hebraicum, quo Chriſtus uſus eſt,idioma retinendum eſt? Sacramentorum ſubſtantia non aliud exigit, quàm verborum Chriſti veritatem,ex vi Divinæ dictionis efficacem ad operandum,quod per eam ſigniſi-*

gnificatur. Heccine Divinæ dictionis veritas ad certum idioma alligata est? Tom. III. Tract.IX.§.2.pag.356. Resp. Parum equidem abest, quin futili *accidentalium* circumstantiarum prætextu universum nobis Sacramentum eripias, quantum in te est. Christus Eucharisticum convivium instituit. Tibi hoc accidentale, in privatis Missis mutabile est. Christus jussit edere, bibere. Tibi hoc accidentale est. Christus distribuit symbola, & quod ipse fecit, facere jussit. Tibi hoc accidentale est. Apostoli symbola ederunt, biberunt, non asservarunt. Tibi hoc accidentale est. Christus panem fregit. Tibi hoc accidentale est. Christus Sacramentum in memoriam mortis suæ instituit. Tibi hoc accidentale est. Christus noscibili lingua mysterium discipulis explicavit. Tibi hoc accidentale est. Corpus & sanguinem Christi, spiritualem substantiam substituendo, ex Sacramento exterminastis. Quæ ergo Sacramenti substantia remanet? *Verborum Christi*, inquis, *veritas, ex vi Divinæ dictionis efficax ad operandum, quod per ea significatur.* hoc est, pronuntiatio verborum quinque per os Sacrificuli, efficax ad sistendum Christum, denuo offerendum, hoc est, mactandum & crucifigendum, ad orandum, & ab eodem sacrificulo manducandum. Communio enim fidelium reliquorum juxta te ad substantiam sacramenti non pertinet. Hæc illa efficacia dictionis verborum Christi est, veriùs incantatio sacrificuli, verbis peregrino idiomate demurmuratis sistentis non Christum, sed spectrum Christi, quale is nunquam fuit. Sic Eucharistiam in *ἐπῳδὰς*, in Zoroastræum susurrum (ignosce scapham appellanti scapham) convertistis, & eliminata vera substantia ejusdem, substantiam novam, sacrificuli creatorem, substituistis. Quæ verissima vestra transsubstantiatio est. Sed fuerit usus linguæ vernaculæ in prima institutione (Hebraicè enim an Græcè, an potiùs Syriacè Christus locutus sit, parum refert; quando constat ab Apostolis jussis edere, bibere corpus suum intellectum esse) accidentalis circumstantia. At necessaria fuit, adeóque perpetua institutioni conformis esse debet, saltem in communione, quam institutam esse, negare non audetis. Qui enim communicant, quid res communicata sit, noverint oportet, exemplo Apostolorum, quibus mysterium Christus verbis intelligibilibus: *Accipite, hoc est corpus meum*, declaravit. Non tantùm ergo nulla mutandi moris causa est, sed gravissima est juxta institutionem retinendi.

ARG. II. Quin etiam Christus haud obscurè usum Linguæ usitatæ in Cœna mandavit his verbis: *Hoc facite in mei recordationem.* Hoc enim Paulus 1.Cor.XI.26.interpretatur de annuntiatione mortis Domini. Atque ut vulgus recordari possit mortis Domini, annuntiatio fieri debet in usitata, nota & vernacula Lingua:

Resp. Reding: *Annuntiatiò mortis Christi non per linguam vernaculam, sed illam ipsam actionem, quam Christus peregit, fieri debet.* Ibid. pag.356. Resp. Cur ergo in actione ipsi non acquiescitis? Cur tot verborum inconditorum & malè cohærentium, quibus canon scatet, strepitu aures communicantium etiam, si qui adsint, procul omni intelligentia mentis, obtunditis? Sed professò aliud est *καταγγέλλειν annuntiare*, mortem Christi, aliud agere, hoc est, uti tu explicas, consecrare, offerre, communicare. Communionis enim finis est annuntiatio mortis Christi, non communio, annuntiatio ipsa. Et S. Paulus actionem edendi & bibendi ab annuntiatione mortis Christi disertè distinguit, subjunctivi & imperativi verbis discretis utens. *Quoties ederitis panem hunc,*

& biberitis poculum hoc, mortem Domini annuntiate (non, edendo & bibendo *annuntiatis*) *donec veneris*, 1.Cor.XI.26.

ARG. III. Apoſtolus 1. Cor. XIV. quæſtionem hanc ex profeſſo ſibi diſcutiendam propoſuit, & εὐλογίαν ſeu εὐχαριστίν, quo nomine etiam Dominicam Cœnam innui veteres nulli dubitârunt, Lingua uſitata multis iiſque prægnantibus argumentis evicit. qualia ſunt, quòd qui loquitur Lingua aliis incognita, loquatur Deo non hominibus v. 2. quia ab uſu peregrinæ Linguæ abſit οἰκοδομὴ, παράκλησις καὶ παραμυθία, *ædificatio, adhortatio & conſolatio*, v.3.4. quòd peregrino idiomate loquens eccleſiæ prodeſſe non poſſit, v.5.6. quòd loquentes id, quod nemo intelligit, adeóque non εὔσημον λόγον edentes, nil niſi aëra verberent, v.7. 11. quòd peregrinâ linguâ loquens, & eâ loquentem audiens ſibi invicem barbari exiſtant, v.11. quòd is, qui implet locum idiotæ, ad euchariſtiam benedicentis non intellectam non poſſit dicere *Amen*, neque adeò ædificetur, v. 16. quòd præſtet in eccleſia quinque verba cum intelligentia loqui, ut & alii inſtituantur, quàm mille peregrino idiomate, v.19. quòd ſermo in peregrino idiomate pœnæ loco intentetur ab ipſo propheta, v.21.22. quòd linguæ in ſignum datæ ſint non credentibus, ſed infidelibus, v.22. quòd percepto ſermone loquentis in eccleſia infideles converti poſſint, v.23--26. Annon diſertiſſima hæc argumenta ab Apoſtolo futurorum probè conſcio, contexta eum in finem, ut eccleſiæ non deſit ſubſidium redarguendi profligatum hunc errorem, Tridentinos Patres anathema non in fideles tantùm, ſed ipſum gentium Apoſtolum vibrantes, in ruborem dare debuerunt? Ne dicam, Apoſtolum ea, quæ hîc ſcribit, v.37. inter ἐντολὰς τοῦ κυρίου, *mandata Domini*, proinde ubique & ſemper eccleſiam obligantia referre.

RESP. REDING: *Ineptias & nequitias meras ſpiras. Etenim 1. S. Paulus v.2. ait, eum qui loquitur linguas, loqui Deo, non hominibus. An hoc contra mandatum Dei eſt? Atqui Paulus eodem verſu ſubdit, talem, licet non audiatur, hoc eſt, intelligatur, ſpiritu tamen loqui myſteria. Ejuſmodi verò locutio myſterii Divinitus inſtituti cùm ad Sacramenti confectionem unicè requiratur, ineptè & nequiter verba illa ad morem Sacrificium incognita lingua celebrandi torques. 2. Idem cùm v.4. dixiſſet, eum, qui loquitur lingua, ſemetipſum ædificare: qui prophetat, Eccleſiam ædificare; mox v.5. ſubdit;* Volo autem vos omnes loqui linguis, ſed magis prophetare. *Optavit ergo voluitque Apoſtolus ad ſui ædificationem linguis loqui; licet prophetiam præferat. 3. Licet ex privata devotione in cultibus fidelium myſteria Dei peregrinis linguis loquentes, Deo tantum locuti ſint Spiritu, non alios ædificaverint, adeòque alii Amen dicere non potuerint; nil tamen hoc ad publicam & ſolennem & ſacerdotalem Miſſæ benedictionem, ſed eam duntaxat benedictionem, quam quiſque privatim ſpiritu afflatus per hymnum, pſalmum vel orationem dictabat, pertinet, quod ex v.16.26. & 31. Cornelius à Lapide probat. 4. Nihil ob-*

ſtat.

stat, quò minùs juxta v.16. idiotæ quivis in Missa, peregrino licet idiomate celebrata, dicere possint Amen, quia mysterium isthoc per catechesin Christianam didicerunt, adeóque vel in spiritu, vel voce, per, se vel per Ministros idiotarum locum supplentes probè norunt exprimere Amen. 5. Apostolus v.19.21, 22. &c. Prophetiam linguis præferens & ad eam adhortans, modum tradit, quo fieri debeant conventus & collationes spirituales tum ante, tum post synaxin. Quod proin Prophetiæ donum etiam num in Ecclesia exercetur per sacras conciones, cessante linguarum dono. Nihil autem hoc facit adversus Missam, quæ incognita lingua celebratur. 6. Sub mandatis Domini, de quibus Apostolus v.37. loquitur, non prohibitio linguarum peregrinarum in Ecclesia, sed ea, quæ v.34.35. de mulierum in Ecclesia silentio traduntur, intelligendi sunt. Ibid. pag.356.--358. Resp. Ego ex Apostoli verbis & rationibus disertissimis hæresin vestram redarguens, *ineptus* scilicet, *nequam* sum. Tu hæresin vestram Apostoli verbis jugulatam pertinaciter propugnans, & ad eandem Apostolum repugnantem nequissimè adigens, Vir es plusquam divinus, Apostolicus! Sic solet perfrictæ frontis meretrix sua dedecora castæ matronæ impingere. Sed age, detraham tibi larvam. 1. Loqui Deo, & non hominibus, simpliciter contra Dei mandatum non est. Est enim, ubi soli Deo, non hominibus loquendum sit. Velut in conclavi, in quod orandi gratia Christus secedere jussit. Cæterùm hoc loco Apostolus incognitæ linguæ usum oppugnat eo argumento, quia *qui loquitur*, incognita scilicet lingua, *loquatur Deo, non hominibus*; hoc est, testem dictorum suorum habeat tantùm Deum, non etiam homines; cùm tamen charismata hominum causa data sint, ut Deus in iis glorificetur, Ephes IV.10--14. quódque id nemo *audiat*, sive intelligat, adeóque is *Spiritu* (non *mente*, seu intellectu v.14.15.) *loquatur mysteria*, hoc est, ea quæ loquitur, licet verba Dei sint, ipsi tamen loquenti mysteria maneant. Non enim ilico sibi interpretatur, qui verba in lingua sibi cognita profert. Hoc argumento, quo Apostolus incognitæ linguæ usum cum interpretatione non conjunctum oppugnat, tu uteris ad probandum, quòd incognitæ linguæ usus mandatus sit. Talis tua prophetia, seu scripturæ interpretatio est. Sed *ad sacrificium*, inquis, *sufficit loqui Deo*, sufficit *loqui mysteria in spiritu*. Supponis, in Eucharistia esse sacrificium propriè dictum. Quanquam etiam Sacerdotes V. T. quicquid sacrificantes locuti sunt, non peregrina, sed vulgari lingua locuti sunt; & intelligi orationem sacrificantis interest ejus, pro quo sacrificatur. Sed verò in Eucharistia non solùm sacrificium esse, sed sacrificium in communionem exire, & communionem in ea, juxta illud Gabr. Bielis, præcipuè intendi, negare non debes. Mysteria autem non celebrantibus duntaxat, sed etiam communicantibus nota sint oportet. Denique in universa liturgia vix ulla verba Deum inter & sacerdotem solum commutantur: pleraque omnia vel narrantur, ex scriptura dilacerata leguntur, non Dei utique, sed hominum in gratiam: vel ad Deum funduntur plurali numero, adeóque fidelium etiam nomine: vel denique ad ipsos fideles diriguntur, veluti, *Oremus: Sursum corda:* Dominus *vobiscum* &c. Exceptio ergo tua quid aliud, quàm mera illusio est? 2. Ne porro linguarum donum, quod magni usus erat, & illustre illorum temporum miraculum, imò omni tempore prophetiæ, & communioni plurium Ecclesiarum inservire debuit, contemnere videretur Apostolus, subjungit omnino v.5. *Velim vos omnes linguis loqui, magis autem ut prophetetis. Major enim qui prophetat, quàm qui linguis loquitur, nisi interpretetur, ut Ecclesia ædificationem accipiat.* Si Paulinum illud votum obtineret in Ecclesia, nulla controversia superesset. Nemo enim lingua incognita loqueretur. Planum tamen est, non de eo Aposto-

postolum loqui, qui Spiritu loquitur mysteria, (uti v.2.) nec de eo, qui incognita lingua sacra publica facit, sed de dono linguarum simpliciter, & sed de eo cui prophetiam loquitur lingua incognita vulgó. Illo potior est, qui prophetat populariter. Attamen qui prophetat populariter, si destitutus sit peritia linguæ, sine qua prophetia fieri non potest, sine dubio minor est eo, qui prophetat cum ea cognitione ejus linguæ. Aliud porro est prophetare, aliud prophetias loqui. Qui prophetat, judicavit ipse, & novit se mentem Dei indicare. Qui prophetias quacunque lingua loquitur, is aliorum meditationes, interpretationes profert, ignarus, rectè se habeant nec ne, sed simpliciter aliorum nomen & authoritatem secutus. Quomodo vos eligitis dicere, quod Papæ & Patribus vestris placuit, & ampliùs nihil. Sed de eo quicquid sit, palam est, S. Paulum requirere inprimis, ut qui lingua incognita Prophetias loquitur, easdem interpretetur: quantò magis, ut publicè sacra obiens & populo præiens, loquatur sic, ut intelligi ipse, & ædificari auditor possit; non mussitet, cantillet, boet, sine intelligentia auditorum atque sua etiam sœpe, uti Sixtus Senensis *Biblioth. lib. VI. Annot.* 263. fatetur. Denique cùm saltem illud inficiari non possis, præferri ab Apostolo in comparatione illa prophetiam, seu interpretationem incognitæ linguæ usui, cur vos contra hunc illi, & notarum linguarum usui præfertis? 3. Sed nihil argumenta Apostoli negantis scilicet, *prodesse loquentem peregrina lingua, ædificare illam Ecclesiam, idiotam ad benedictionem, gratiarum actionem posse dicere Amen*, &c. v. 6—20. ad Missam, sed ad privatam duntaxat benedictionem, quam quisquam privatim Spiritu afflatus, per hymnum, psalmum vel orationem dictabat, facere pertendis. At hoc non est respondere, vel nodum solvere, sed fortiùs adstringere. Sicut enim Apostolus jussit ejusmodi hymnos, cantica, collationes spirituales fieri lingua vulgari, ut populus subjiceret, *Amen*: ita multò magis voluit, jussit idem, ut Divina officia, (inter quæ tamen Missam vestram haud numeramus, quam novimus nullius in vernacula lingua quacunque pretii futuram, cùm nihil in Latina valeat. De thesi, non hypothesi agimus) quæ magis necessariò frequentanda populo sunt quàm privatæ privatorum collationes, lingua vulgari celebrantur, ut populus respondere possit, *Amen*. Sed disparem hic rationem finxit Bellarminus. *Finis* enim *præcipuus*, inquit, *illorum canticorum erat instructio & consolatio populi: at Divinorum officiorum præcipuus finis non est instructio vel consolatio populi, sed cultus Dei. Quæ autem populum scire oportet ex Divinis officiis, à Pastore explicantur.* Siccine Divinorum officiorum finis præcipuus non est populi instructio & consolatio? Quid ergo sibi volunt verba Apostoli, cuncta, quæ dixerat, paucis complexa, v. 4. 26. πάντα πρὸς οἰκοδομὴν γινέσθω. *Cuncta ad ædificationem fiant?* Loquitur sanè ib. de iis, quæ in sacro coetu fiebant. Estne autem ædificatio Ecclesiæ, ubi nulla instructio, nulla consolatio populi? Ubi nemo aut pauci intelligunt, quod dicitur? Ubi auditur ἄδηλος φωνὴ *incertus sonus* v 8. λόγος μὴ εὔσημος *sermo non significans*, v.9. ubi non intelligitur δύναμις τῆς φωνῆς *vis vocis*, & *alter alteri mutuò barbarus est*. v.11. ubi νοῦς *mens* est ἄκαρπος *infrugifera* v.14. ubi qui loquitur, εὐχαριστεῖ *gratias* equidem *agit*, sed *alius non ædificatur*, v.17. ubi denique qui *sic linguis loquuntur*, videntur *furere*, v,23 & *tacere* jubentur *si nullus sit interpres* v. 28? Cujusmodi insuper cultus ille est, in quo nulla obtinet colentis intelligentia? Est ne Deo gratus cultus, preculas non intellectas mussitare, annon potiùs manifesta Dei irrisio? Est hoc quidem *opus*, uti vocant, *operatum*; sed & est merè hypocriticum illorum, qui labiis Deo appropinquant, sed corde ab eo longè abiunt. Et quæ hic mentis devotio nisi stupida, suique ignara? Quis cordis affectus, alii nullus

lus mentis intellectus? Objecta nempe movent sensum & potentiam. Ubi verò nihil menti objicitur, unde vel quomodo movebitur? Cùm autem mens quod dicit, non intelligit, nihil illi, quo moveri, & cor atque affectus excitari possit, objicitur. Denique nec de privatis duntaxat exhortationibus, canticis, collationibus, sed de publico etiam cultu, publicísque officiis Apostolus loquitur. Omnia enim in Ecclesia usitata commemorat, sive sit exhortatio, sive oratio, sive gratiarum actio, sive cantica & psalmi, sive catecheses; & rationes ubique generales, in privatis & publicis officiis spiritualibus stringentes. *Si eodem loci*, sic v.23. loquitur, *conveneris* (NB) *ἡ ἐκκλησία ὅλη Ecclesia tota, & omnes linguis loquantur, ingrediantur autem idiotæ*, vel *infideles, nonne dicent, vos furere?* Generalem hanc rationem attulerat v. 23. *Nisi sciero vim vocis, ero ei, qui loquitur, barbarus, & qui loquitur, apud me barbarus fuerit.* Hinc adeò clarè liquet, Pastorem in Ecclesia sacra munia obeuntem ignota lingua loqui non debere, quia gregi suo barbarus esse non debet, nec grex ipsi. Quod fieri necesse est, si se invicem non intelligant, & grex quid Pastor dicat, ignoret. 4. Neque juvat *σοφὸν* illud *φάρμακον*, quòd idiotæ docti, quid in Missa fiat, possint dicere Amen. Non enim *Amen* dicere deberent ad ea, quæ extra officium docti sunt, sed ad ea, quæ in officio dicuntur. Quid verò dicatur in liturgia & canone, cum ignarissimis juxta ignorant. Suo & illorum nomine preces Sacerdos fundit. Hi verò quas fundant, nesciunt. Quomodo igitur ad preces, benedictionem, orationes, aliáque *Amen* dicent? Hoc est, quomodo approbabunt vel jus Dei, quo is postulat gratiarum actionem & glorificationem: vel jus Dei, quo judicat illos, qui nomen Dei in vanum sumunt: vel denique applaudent bonísque permissis votísque, quibus declarare debuerant, se seriò ea cupere? Hoc enim ad dicendum *Amen* requiritur, & præstari à non intelligentibus verba à Sacerdote pronuntiata nequit; quicquid illi extra officium sacrum docti fuerint. Quanquam examen populi vel parum vel nihil doctum esse, proderet. Ridiculum porro est, quòd idiota, *Amen* dicere per Sacerdotem ingeris; cùm unus idemque & dicendi, & Amen dictis acclamandi officio defungi non valeat; & populus Sacerdoti vicarium isthoc officium nec delegaverit, nec delegare potuerit. 5. Ubi verò Apostolus distinguit adhortationes & collationes Spirituales ante & post synaxin: ita ut in synaxi fas sit ignoto idiomate loqui, extra eam nefas? Certè argumenta, quæ ex v. 19.21.22.&c. repetii, ita generalia sunt, ut nullam ejusmodi differentiam patiantur. Et v. 19 disertè *ἐκκλησίας, Ecclesiæ*, in qua synaxis celebratur, sic Apostolus meminit, ut dicat, se *malle in Ecclesia* quinque verba cum intellectu loqui, ut instituat etiam alios, quàm mille in lingua incognita. 6. Denique insolens tua illa assertio est, quòd v. 37. per *τὰς ἐντολὰς τοῦ κυρίου præcepta Domini* Apostolus non aliud, quàm præceptum silentii mulieribus in Ecclesia injuncti intellexerit. An enim particulare hoc præceptum *mandatorum* nomine venire potuit? Et verbo S. Pauli: *Si quis velit Propheta esse, aut spiritualis, recognoscat, quæ scribo vobis, quòd sint mandata Domini.* Ad mandata ergo Domini refert universa illa, quæ supra de *Prophetia*, seu interpretatione, atque oppositis linguis dixerat. Proin statim v. 24. cuncta à se dicta sic per *ἀνακεφαλαίωσιν* repetit: Itaque *fratres, operam date ad prophetandum*, & *non impedite linguis loqui*, eo videlicet sensu, quem v. 5. expresserat; non quòd linguis non intellectis in publico cultu defungendum sit, quod sibi oppugnandum sumpserat; sed quatenus linguarum donum est instrumentum prophetiæ, & communionis Ecclesiarum; atque etiam tempore Apostoli *εἰς σημεῖον in signum* datum est. Unum addo, non tantùm Imperatorem Justinianum in Novella Constit.

123. hoc S.Pauli loco fretum districtè Episcopis & Presbyteris præcepisse, ut clara voce, quæ à populo exaudiatur, sacram oblationem & preces in Baptismo recitent, quò majore devotione in depromendis Dei laudibus audientium animi efferantur: sed etiam ipsos adversarios nonnullos vi argumentorum Apostoli coactos herbam nobis porrexisse. Cardinali enim Cajetano hanc Apostolus *in 1.Cor. XIV. ad verba, sed non ædificatur,* confessionem extorsit: *Ex hac Pauli doctrina habetur, quòd MELIUS ad ædificationem Ecclesiæ est, orationes publicas, quæ audiente populo dicuntur, dici lingua communi clericis & populo, quam dici Latinè.* Ante ipsum Nicolaus Lyranus eundem in locum dixerat: *Ostendit, quòd si in oratione publica populus intelligat orationem, seu benedictionem Sacerdotis, meliùs reducitur in Deum, & devotiùs respondet Amen.* Addit: *Quid proficit populus simplex & non intelligens, quasi diceret nihil aut modicum: quia nescit se conformare tibi, qui es Minister Ecclesiæ, respondendo Amen. Propter quod in primitiva Ecclesia benedictiones & cætera communia fiebant in vulgari.* Ante utrumque ipse Papa Johannes VIII. *Epistola* 247. ad Sfentorem Moraviæ Principem iisdem Apostoli argumentis usus, jubet Moravos in lingua sua sacris defungi, *satis & manifestè admoneri nos* ab Apostolo dictitans, quatenus linguis (vulgaribus) *utentes Ecclesiam ædificemus.* Sed meras *ineptias & nequitias,* qui sic loquuntur, Redingio judice, spirant; quibus tamen ut corigias calceorum solvat, vel soleas portet, ipse dignus non est.

ARG. IV. Sed & veteris ecclesiæ perpetua praxis hæc fuit, ut Sacra noto & vulgari idiomate fierent. Quod vel solo argumento eo cognoscitur, quòd omnes linguæ nunc literatæ & in artem redactæ, suo tempore & sua quæque regione vulgares fuerunt: quódque etiam Latina Lingua cùm Romæ, per Italiam omnem, & in coloniis Romanis per diversas provincias in ecclesiam introducta fuit, multis etiam post Seculis iis locis popularis fuit. Manet etiam hodiéque in Pontificali Romano forma ordinandi lectores in ecclesia, ubi præcipitur, ut distinctè & articulatè legere studeant, quò à populo intelligantur. Orientales liturgias fatetur ipse Bellarminus esse vel Græcas vel Chaldaicas. Et de Sacerdotibus Liburniæ Aventinus, de Illyricis Joh.Baptista Palatinus testantur, illos in officiis Divinis vulgari sermone uti.

Resp. Reding: 1. *Augustinus lib. II. de Doctr. Christ. suo tempore Psalmos in lingua Latina cantatos scribit. Idem lib. de dono Persev. cap.* 13. *testis est, in præfatione Missæ verbis Latinis à Sacerdote,* sursum corda & Gratias agamus Domino Deo nostro, &c. *à populo verò,* Habemus ad Dominum; *item* Dignum & justum est, *verbis Latinis in Africa cantatum fuisse. In Africa autem linguam Latinam vernaculam fuisse, idem Exposit. inchoat. in Ep. ad Rom docet.* 2. *Quæ de Veteris Ecclesiæ praxi prosequeris, Pallavicinus lib. XVIII. cap. 10. n. 1.2. confutat, ostendens scilicet, nunquam catholicos inficiatos esse, olim sacra vulgari lingua celebrata esse; & hoc unum Tridentinos pertendere, quòd vulgari lingua non necessariò celebrari debeant; quin imò expediat, ut celebrentur ubique una, eáque Latina; tum quia sic optimè Ecclesiæ unitas servetur, eadémque ubique sententia retineatur: tum quia id Sacerdotum per diversas provincias communicatio exigat: tum quia hac ratione hæresibus, recentibus inprimis, faciliùs occurratur, dum sic idiotæ lingua La-*

tinæ

tinæ rudes à ferenda de rebus divinis sententia prohibentur. Ibid. pag. 358. 359. Resp. 1. Quid de peregrinis in sacris linguis S. Augustinus judicaverit, non uno is loco prodidit. Ejus generale axioma *de Genes. ad liter. lib. XII.* 8. sic habet: *Nemo ædificatur audiendo, quod non intelligit.* Quod aliis verbis *de Doctr. Christ. lib. IV.* 10. sic enuntiat: *Quid enim prodest locutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis; cùm loquendi omnino nulla sit causa, si quod loquimur, non intelligunt, propter quos ut intelligant, loquimur.* Alibi *de catechis. rudibus cap. 9.* uno verbo rem absolvit: *Populus ad id, quod planè intelligit, dicat, Amen.* Sed & *Exposit. in Psal.* 18. vult, *ut quod cantamus, intelligamus, ut humana ratione non quasi avium voce cantemus. Nam & meruli, & psittaci, & corvi, & picæ, & hujusmodi volucres sæpe ab hominibus docentur sonare, quod nesciunt. Scienter autem cantare, naturæ hominis divina voluntate concessum est.* At verè apud vos plerique Sacerdotes (quantò magis populus) *non majori quàm aves intelligentia canunt.* Quid denique clarius iis verbis, quæ *lib. de Mag. cap.* 1. habet: *Non est,* inquiens, *opus locutione, cùm oramus, id est, sonantibus verbis, nisi fortè sicut Sacerdotes faciunt significandæ mentis suæ causa, non ut Deus, sed ut homines audiant, & CONSENSIONE quadam, per commemorationem suspenduntur in Deum?* Neque contrarium probant loca à te ex Augustino petita, quæ Latinam linguam in Africa ignotam fuisse supponunt. Quod falsissimum esse, locupletissimo ejusdem, quod *Retract. lib. 1. cap.* 20. extat, testimonio probatur. *Volens,* inquit ibi, *causam Donatistarum ad ipsius humilimi vulgi, & omnino imperitorum atque idiotarum notitiam pervenire, & eorum, quantum fieri posset, per nos inhærere memoriæ, Psalmum qui eis caneretur, per Latinas literas feci.* Et paulò post: *Ideo autem non alio carminis genere id fieri volui, ne me necessitas metrica ad aliqua minùs usitata compelleret.* Augustinus ergo Psalmum composuit in gratiam quorumcunque imperitorum & idiotarum in sua Africa: composuit vocibus usitatissimis, vitatis minùs usitatis: denique composuit vocibus Latinis. Hinc verò proclive judicatu est, ipsis etiam imperitis hominibus in Africa voces literásque, hoc est, sermonem Latinum usitatum, cognitúmque fuisse. Et sanè Augustinus suos Hipponenses non docuit nisi Latinè, uti innumeri ejus tractatus Latini, ad infirmorum etiam hominum captum accommodati probant. Afri etiam fuerunt, & Afris scripserunt & concionati sunt Tertullianus & Cyprianus. Ille etiam ad uxorem, ad mulieres de habitu, ad fœminas de cultu, ad virgines de voto scripsit, non Punicè, sed Latinè. Hic quoties scripsit ad Clerum, quoties ad Martyras, quoties ad plebem? Scripsit autem non Latinè duntaxat, sed eleganter. Neque obstat, quod ex Bellarmino citas quædam Augustini, ex *inchoata* ejus *ad Romanos expositione.* Si Augustinum ipsum legisses, impostorem Bellarminum deprehendisses ipse. Sic enim verba ejus habent: *In quorundam rusticanorum collocutione, cùm alter alteri dixisset salus: quæsivit ab eo, qui & Latinè nosset & Punicè, quid esset salus? Responsum est* (שלוש Punicè) *tria. Tum ille agnoscens, cum gaudio salutem nostram esse Trinitatem, convenientiam linguarum non fortuitò sic sonuisse arbitratus est, sed occultissima dispensatione Divinæ Providentiæ: ut cùm Latinè nominatur Salus, à Punicis intelligantur Tria: & cùm punici lingua sua Tria nominant, Latinè intelligatur, Salus.* Hinc Bellarminus infert, *eo tempore Latinam linguam in Africa non fuisse vulgarem.* Quia scilicet juxta Augustinum *vox hæc Salus sit etiam Punica, & Punicè significet Tria;* & ibidem Augustinus dicat, *quosdam Latinè & Punicè, quosdam Punicè tantùm scivisse, & tales fuisse penè omnes rusticos.* Quis non hæc ex verbis Augustini partim frustra, partim falsò dici & inferri videt? *Frustra,* quia non

 sequitur,

ſequitur, Latini idiomatis ignaros fuiſſe Pœnos, etſi *Salus* aliud Punicè, aliud Latinè ſignificaret; ſed tantùm, aliud eſſe Linguam Latinam, aliud Punicam. *Falsò*, quia nunquam Auguſtinus dixit, *omnes pene ruſticos ſcivisſe tantùm Punicè*. Hoc ei Bellarminus affinxit. Quin contra *de verb. Apoſt. Serm.* 24. Auguſtinus ſic ſcribit: *Punicum Proverbium eſt antiquum, quod quidem Latinè vobis dicam, quia Punicè non omnes noſtis.* Hipponenſibus ergo magis cognita fuit lingua Latina, quàm Punica. Saltem ſicut, etſi Punicè non omnes nôrant, Punica tamen lingua non ideo non iis vernacula fuit: ſic etſi Latinè non omnes ſcirent, non tamen Latinam non fuiſſe communem ſequitur. Nempe Afris communis erat lingua Latina, propter colonias juriſdictionemque Romanam: vulgaris & propria Punica. 2. Siccine ergo, juxta Pallavicini tui oraculum, *nunquam Catholici inficiati ſunt, aliis temporibus Miſſam vulgari lingua fuiſſe celebratam.* Atqui inficiatur id Redingius: inficiatur & Bellarminus: inficiati alii. Vel ergo hi Catholici non fuerunt, non ſunt: vel fidei ſuæ decoctor & falſus teſtis Pallavicinus eſt. Sed magno diſputandi labore nos liberat Pallavicinus, à te etiam laudatus. Satis enim eſt ad argumenti præſentis aſſertionem, quòd olim non ſic fuit: quódque ſacra vulgari lingua celebrari antiquitus ſueverunt, uti ſanè veriſſimum eſt. Neque Tu argumento meo ſatisfacere potuiſti aliter, quàm Pallavicinum nobiſcum in eo conſentientem laudando. An verò rationes mutati antiqui moris ab eodem allatæ ſolidæ ſint, infra diſpicimus.

ARG. V. Origo introducti peregrini in euchariſtia celebranda idiomatis ejuſmodi fuit. Johannes VIII. Papa Moravos propter Miſſam Lingua Sclavonicâ celebratam graviſſimè primùm increpuit, eáque abſtinere eos juſſit. Rectiùs tamen edoctus An. 880. ad Sfentorem Pulchrum Moravorum principem prolixas literas exaravit, quibus non vi conceſſionis, ſed declarationis affirmat, fidei ſanæque doctrinæ non eſſe contrarium dicere, Miſſam, aliáſque preces Linguâ Sclavonicâ obeundas eſſe; *quia, qui Linguam Hebraicam, Græcam & Latinam fecit, idem alias quoq; Linguas fecerit ad nominis ſui gloriam*, adductis è Scriptura locis, ac nominatim Pauli ad Corinthios admonitione. Addidit tamen, ut ad majus eccleſiæ decorum, per eam univerſum Evangelium Latinè prius, dein Sclavonicè legeretur, quod apud nonnullos jam obtinuerat, facta tamen Comiti, ejúſque judicibus gratia, ut Latinè Miſſam audirent, ſi ea magis adlubeſceret. Æneas Sylvius in Hiſtoria Bohemica Cap. 13. ſcribit, Cyrillum & Methodium pro Ruſſis & Moravis vulgaris Linguæ uſum apud Pontificem petiiſſe. Cùm igitur ea de re in Pontificis & Cardinalium Senatu diſceptaretur, vocem de cœlo auditam eſſe: *Omnis ſpiritus laudet Dominum, & omnis Lingua confiteatur ei.* Ducentis pòſt annis Gregorius VII. ad Uratislaum Bohemiæ Principem ſcripſit, ſe celebrationem Divinorum officiorum Linguâ Sclavonicâ ei permittere non poſſe. Nec obeſſe dicebat, quòd ante actis temporibus prohibitum non ſit, cùm eccleſia multa diſſimulaverit & toleraverit, quæ poſt religionem Chriſtianam ſtabilitam, diligenti ſubtilíque examine emendata ſint. Mandatum

datum igitur Principi huic, ut omnibus viribus populi voluntati ſe opponeret. Nihilominus etiam poſtea Innocentius III. in Lateranenſi Concilio C. 9. decrevit, *ut provideantur viri idonei, qui ſecundum diverſitatem rituum & Linguarum Divina officia populis diverſarum linguarum intra eandem civitatem permixtis celebrent, & eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrent.* Unde liquet, poſt XII. Seculum morem univerſalem invaluiſſe.

RESP. REDING. *Papa Johannes VIII. Moravis Sclavonicæ linguæ uſum conceſſit, ob penuriam Sacerdotum Latini idiomatis peritorum; & ut fidei noſtræ dogmata radices ibi agerent. Unde liquet, vulgari lingua ſine Papæ conceſſione univerſè uti fas non fuiſſe. Epiſtola verò Gregorii VII. ducentis poſt annis ſcripta vulgaris linguæ uſum Bohemis interdixit, quia illic religio, & ſimul cum ipſa S. Scripturæ & Latinæ Linguæ cognitio jam dilatata fuit. Nulla igitur inter Epiſtolas illas oppoſitio eſt. Neque enim Gregorius VII. vel Tridentini negarunt, licitum eſſe, cunctis ſermonibus Divina myſteria celebrare, quæ à Chriſto uni alterive idiomati annexa fuerunt. Sed tantùm, expedire, ut celebrentur. Quòd verò correctam à ſe tolerantiam dicit Gregorius, non arguit, illicitam à ſe judicatam eſſe, ſed tantùm rem licitam cum meliore à ſe commutatam eſſe.* Ibid. pag. 359. 360. Reſp. Neque Miniſtrorum penuriam, neque neceſſitatem radicandæ fidei, neque vel conceſſionem, vel tolerantiam rei à Chriſto, uti ex Pallavicino tuo aſſeris, aliter conſtitutæ, ſed alia omnia Papa Johannes in Epiſtola ſua allegat. Ex Epiſtola ipſa, quæ inter Johannis VIII. Epiſtolas ducenteſima quadrageſima ſeptima eſt, quámque Baronius veſtras *Annal. tom. X. A.* 880. §. 19. repræſentat, rem totam diſcamus. *Literas,* ſic ille loquitur, *Sclavonicas à Conſtantino Philoſopho repertas, quibus Deo laudes debitas reſonant, jure laudamus: & in eadem lingua Chriſti Dei noſtri præconia & opera enarrentur, jubemus. Neque enim tribus tantùm linguis, ſed omnibus Dominum laudare authoritate ſacra monemur, quæ præcepit, dicens: Laudate Dominum omnes gentes, collaudate eum omnes populi: & Apoſtoli repleti Spiritu S. locuti ſunt omnibus linguis magnalia Domini. Hinc & Paulus cæleſtis quoque tuba ſonat, monens: Omnis lingua confiteatur, quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus in gloria Dei Patris. De quibus etiam in priore ad Corinthios Epiſtola ſatis & manifeſtè nos admonet, quatenus linguis loquentes Eccleſiam ædificemus. Neque ſanè fidei vel doctrinæ aliquid obſtat, ſive Miſſas in eadem Sclavonica lingua canere, ſive ſacrum Evangelium vel lectiones Divinas V. & N. T. bene translatas & interpretatas legere, aut alia horarum officia omnia pſallere: quoniam qui fecit tres linguas principales, Hebræam ſcilicet, Græcam & Latinam, ipſe creavit & alias omnes ad laudem & gloriam ſuam. Jubemus tamen, ut in omnibus Eccleſiis terræ veſtræ propter majorem honorificentiam Evangelium Latinè legatur, & poſtea Sclavonica lingua translatum in auribus populi Latina verba non intelligentis annuncientur. Sicut in quibuſdam Eccleſiis fieri videtur. Et ſi tibi & judicibus tuis placet, Miſſas Latina lingua magis audire præcipimus, uti Latinè tibi Miſſarum ſolennia celebrentur.* Ubi hic, ſodes Papalis conceſſio, tolerantia: Ubi conceſſionis & tolerantiæ argumenta, Miniſtrorum penuria, fidei radicandæ neceſſitas à vobis conficta? Atqui *jubet* ille: & jubet non Papali authoritate vel diſpenſatione, ſed authoritate ſacra verbi Divini *præcipientis* & dicentis: *Laudate Dominum omnes gentes.* Jubet exemplo Apoſtolorum Spiritu S. repletorum & omnibus linguis magnalia Dei locutorum. Jubet authoritate S. Pauli 1. Cor. XIV. admonentis, *quatenus linguis loquentes Eccleſiam ædificemus,* adeóque ex jure univerſali, non diſpenſatione, ſpe-

ciali nimirum Scripturæ locis id factum comprobantibus. Laudat factum, adeóque non dispensat. Jubet ea ratione, quòd qui creavit tres linguas principales, ipse creaverit & alias omnes ad laudem & gloriam suam. Permittit ergo omnibus, quia de omnibus linguis loquitur adeóque non dispensat. Jubet Evangelium sic Latinè Legi, ut ilico tamen Sclavonica lingua translatum in auribus populi annuntietur. Jubet denique Principem & judices (vel Latini idiomatis, gnaros, vel procurantes sibi Sclavonicè verti) Missas Latina lingua audire, *si ita iis placeat*, ut concessio sit non vulgaris linguæ, sed Latini idiomatis, ea tamen lege, ut Sclavonicè verba reddantur. Vertite, torquete verba Papæ vestri, quo modo vultis. Nunquam solidi quicquam contra præceptum & rationes ejus in medium vobis proferre licebit, neque rationem dicetis unquam, qua Gregorius VII. Papa Missam Moravis post ducentos annos vernaculæ in publicis officiis Linguæ usum interdicens, & hoc quidem prætextu falsissimo usus, *quòd Ecclesia antehac usum illum vernaculæ linguæ apud Moravos dissimulaverit & toleraverit* (en candoris Papalis specimen!) cum Johanne Papa præcedente conciliari possit. Hic spretis Johannis & præceptis & argumentis contrariis & præceptis & rationibus usus est. Linguam suam ubique regnare voluit, tanquam efficax tyrannidis suæ, & fovendæ passim ignorantiæ, superstitioni, oscitantiæ populi instrumentum. Hæc una ipsis efficacissima ratio. Neque rem illi *licitam* & antehac in Ecclesia Dei receptam, cum *expediente*, & *meliore*, sed cum & illicita, & nunquam expediente, quippe verbi Divini argumentis ab ipso Papa Johanne, veluti Bileami quadam asina prolatis, repugnante, commutarunt.

ARG. VI. Fatentur Patres Tridentini, Missam *magnam continere populi fidelis eruditionem.* Cur igitur eandem vetant vernacula lingua populo proponi, & ab eodem intelligi? Cur eam Latina Lingua, quam plebs non intelligit, pronuntiari apud populum non prohibent? Præterea in verbis illorum manifesta fraus occurrit. Dicunt enim, non expedire Patribus visum, ut missa vulgata Lingua *passim* celebretur. Sic igitur loquuntur, quasi Missa, etiamsi non *passim*, alicubi tamen vel aliquando apud suos vulgari lingua vel celebretur, vel eam ipsi celebrari jubeant, vel certè permittant, quorum prius communis experientia, alterum ipsi statim Patres refellunt, cùm statim sequentibus *verbis jubent ubique retineri cujusque ecclesiæ antiquum, à Sancta ecclesia Romana, omnium ecclesiarum matre & magistra probatum ritum.* Jam verò ex omnibus Papæ subjectis ecclesiis nulla erat, cùm hæc Patres illi decernerent, vel etiamnum est, cui alius quàm Latinè celebrandi Missam ritus solennis vel tum fuerit, vel nunc sit à Romano Pontifice probatus. Quin Bohemi annis centum ante hoc decretum flagitantes, ut aliquarum Missæ partium in vernacula Lingua celebratio sibi concederetur, in Basileensi Concilio repulsam tulerunt. Falsò igitur ac præter animi sui sensum ita Sancti illi, si Dijs, placet, Patres locuti sunt.

RESP. REDING: 1. *Missæ mysteria magna ex parte ritibus in actione consistentibus exhibentur, & ejusdem substantia in sacrificativa transsubstantiatione & sumptione consistens, arcanissima continet Sacramenta fide amplectenda; in qua proin fide populus per conciones*

& catechesin institutus, rei substantiam intelligit, licet Missæ celebratio Latino idiomate peragatur. Ne quidem verba vernaculo idiomate prolata populus intelligeret, nisi simpliciore stylo & catechesi instructus. 2. *Annon ipse tu Arg.* 8. *fateris, Synodum Missæ peregrino idiomate peragendæ ritum ita probare, ut Pontifice gratiam faciente in Romana urbe à Græcis retineatur liturgia Basilii vel Chrysostomi, Ambrosiana Mediolani, Mozarabica Toleti in Hispania, &c. Quomodo ergo non rubore suffunderis, mendacii insimulans propria tua verba, cùm vis, ex omnibus Papæ subjectis Ecclesiis nullam fuisse tempore Concilii, vel etiamnum esse, cui alius quàm Latinè celebrandi Missam ritus solennis tum fuerit, vel nunc sit à Romano Pontifice probatus?* Ibid. pag. 360. 361. Resp. 1. Transsubstantiationem vestram sacrificativam arcanissima continere mysteria, sed Papæ, non Dei, eáque fide amplexanda cocca, Papali, non Divina, dixisses rectiùs. Verè enim mysteria & arcana status ac Regni Pontificii Missa continet. Nam סוד יהוה *arcanum Jehovæ*, mysteria Dei ליראיו *ad timentes eum*, hoc est, fideles omnes pertinent, Psal. XXV. 14. At Papæ mysteria, fidelibus & Deum timentibus coram studiosè occultantur, quia lucem ferre nequeunt. Sed *substantiam mysteriorum* illorum una cum ritibus in *actione* consistentibus ex concionibus & catechesi à populo cognosci, ais. Et Tridentini decernunt *cap.* 8. satis hypocriticè, *ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, & non sit qui frangat eis, Pastores & singulos curam animarum gerentes frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios ex iis, quæ in Missa leguntur, aliquid exponere, atque inter cætera sanctissimi hujus sacrificii mysterium declarare, diebus præsertim Dominicis & festis debere.* Non inquiro, an hodiéque *inter Missarum celebrationem* id fiat, & an *diebus Dominicis & festis* id fiat. Constat enim, conciones apud vos, nisi solo Quadragesimæ & Adventus tempore, rarissimas esse. Et fortassis Divina officia si vulgari lingua celebrarentur, plures plebejos unius diei spatio edocerent, quam ex Pastorculis illis per longum tempus discere datur. Aut si unaquæque Ecclesia tali ornaretur Pastore, qualem Timotheum esse 2. Tim. II. 15. Paulus exoptat, qui rectè scilicet veritatis sermonem secaret; tamen illi assuefacti audiendis in vernaculo idiomate liturgiis & Scripturis, faciliùs ipsum intelligerent, ut Judæi Paulum Act. XIII. 17. &, Divina juvante gratia, fidem dictis procliviùs adhiberent. Sed porro illud *aliquid* exponendum an liturgia Missalis est, de qua hic quæritur? Nam in ea quidem variæ continentur preces, consecratio submissa voce peragi solita, lectiones. An hæc in concionibus vel catechesi sic exponuntur, ut populus sensum verborum liturgiæ edoctus in Missæ officio ad sacrificalia verba dicere possit, Amen? Nihil profectò minùs. Ne millesimo quidem, Latini idiomatis ignaro, de sensu verborum Canonis & universæ liturgiæ liquet. Neque aliter liquere potest, quàm lectionibus & precibus Missaticis vulgare in idioma conversis, & à populo memoriæ sic impressis, ut quæ verba vernacula Latinis respondeant, plebeji singuli liturgiam Latinam audientes compertam habeant. Id verò nec factum unquam est, nec fiet, vel fieri poterit deinceps. Verè igitur *oves Christi*, si quæ apud vos sunt, *esuriunt, & parvuli panem petunt, neque est qui frangat eis.* Sed est, qui loco panis lapidem, loco piscis serpentem, loco ovi scorpium (Luc. XI. 11. 12.) præbeat, dum sacrificii Missatici & transsubstantiationis dogma fictitium & ad cleri quæstum comparatum acri ubique tibia decantans, pro salutaribus cibis venenatos propinat. Hæc enim, vestra illa in concionibus & catechesibus *substantiæ* mysterii, vel *aliquid* ex iis, quæ in Missa leguntur, expositio est. Quoniam insuper Tridentini Patres ostendunt, hanc exponendi Missalia mysteria industriam iccirco

esse

esse necessariam, *ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant & non sit, qui eis frangat*, officii illorum fuisset expendere, pariter Deum statuere, ut mensa filiorum ejus isto pane instructa (Col.III.17.) *copiosè* sit, & tanquam Davidis mensa (Psal. XXIII. 5.) כוס רויה *poculo exuberante*, ut perpetuò bene habeant, non modò non esuriant. Cùm porro Pastoribus imperaverit Synodus, ut sæpenumero *aliquid* explicent populo, neque, quid illud sit, distinctè expresserit, annon periculum aliquod erat, ne sacrificulus quispiam, quid facere deberet, nescius illud declararet, quod arcano silentio tegendum putavit, & vicissim illud omitteret, quod declarari debebat? Sed instas, ne vernaculo quidem idiomate prolata intelligere plebejos, nisi catechesi & concionibus instructos. Hæc ergo, quia neutiquam pugnant, subordinanda, non opponenda fuerunt. Sed profectò vernacula promptiùs intelligerent, quàm Latina sacrificuli; quorum integros greges reperire est, ne verbum quidem Latinum intelligentium. Neque desunt forte, qui Canonum usu solo, absque lectione didicerint, psittacis in eo & oraculis, quàm veris Sacerdotibus similiores. 2. Neque fraudem Synodi purgas, neque ruborem mihi Atg. 5. vera narranti incutis. Negat Synodus *expedire, ut Missa vulgari lingua passim celebretur.* Innuit ergo, *passim* quidem, at non ubique celebrari lingua nam vulgari. Ubi ergo Ecclesiæ Romanæ cives *vulgari* lingua Missam vel tempore Synodi celebrarunt, vel hodiéque celebrant? Nam nec Ambrosiana Mediolanensibus talis, nec Mozarabica Hispanis Toletanis, quippe Latina utraque (nam & Mozarabicam Ximenius Cardinalis Latinè fieri curavit, quam Latinam hodiéque in Sacello magni Templi Toleti, & alibi celebrari, Duretus *Thes. Ling. cap.* 55. testis est) vernacula erat: & Græci, non Latinizati Ecclesiæ Romanæ cives non sunt magis, quàm Judæi, qui Romæ permissu Papæ æquè Hebraica, ac Græci Græca lingua sacra sua obeunt. Ego verò de *Ecclesiis Papæ subjectis*, hoc est, Papæ fidem profitentibus: & de *alio quàm Latinè*, vel non vulgari lingua *celebrandi Missam ritu solenni à R. Pontifice probato* (non tolerato) disertè locutus sum. Atqui Papæ gnathones Ambrosianam, Mozarabicam, &, si placet etiam, Basilii vel Chrysostomi liturgias alicubi à Papa *toleratam, permissam*, asserunt: at, nisi fallor, *probatam* asserunt nulli. Quinimò Mozarabico officio quædam *contra Catholicam*, id est, Papalem *fidem* inserta esse, Baronius queritur. Quæ proin nunquam Papa probaturus erat. Apertissima ergo est fraus Synodi: & tibi, à me dicta sophisticè detorquenti, non mihi fraudem propalanti erubescendum est.

ARG. VII. Sed & Ecclesiæ Orientales Græcæ, Syriacæ, Æthiopicæ, Armenicæ &c. hodiéque vulgari Lingua Eucharistiam celebrant, idque tanquam πατροπαράδοτον retinent.

RESP. REDING. Atqui *Tridentina Synodus definiens non expedire passim Missam celebrari vulgari lingua, addit tamen, se cuiquam Ecclesiæ antiquum & probatum ritum permittere.* Ibid. pag. 361. Resp. Aliter longè Bellarminus *de Verbo D. Lib. II.* 16. argumentum nostrum excipit. *Exemplis*, inquit ille, *Rhutenorum, Armeniorum & similium non magis movemur, quàm Lutheranorum, Anabaptistarum, Calvinistarum, qui Germanicè, aut Gallicè, aut Anglicè, aut etiam Polonicè, aliisque vulgaribus linguis Scripturas publicè legunt. Sunt enim etiam illi vel hæretici, vel schismatici.* Redingio judice Papa juxta Synodum Armenis, Græcis, Æthiopibus, Rhutenis &c. *antiquum & probatum suum ritum* permisit. Bellarmino ritu illo utentes *hæretici & schismatici* sunt. Uter rem acu tetigit? Neuter, opinor. Nam nec ritum illum suum gentes illæ retinent permittente

Papa,

Papa, qui, nolit velit, permittere illum debet æquè ac nobis, improbatum ab eo licet maximè: nec retinentes hæretici sunt, nisi quatenus hæreticus à Papa censetur, qui ei fasces suos non submittit. quo sensu hæreseos nomen gloriosum habetur meritò.

ARG. VIII. Denique totius decreti non alia basis est, quàm Romanæ ecclesiæ *omnium ecclesiarum matris & magistra*, uti eam heic Synodus miserè abblandiens insignit, pro ratione voluntas, & dictatorium illud ἀυτὸς ἔφα Id vel eo argumento liquet, quòd Synodus quidem ritum Missæ peregrinâ Linguâ peragendæ probat; at Pontifex mutandi ejus potestatem usurpavit. Notum enim est, eo gratiam faciente in Romana urbe à Græcis retineri Liturgiam Basilii vel Chrysostomi, Ambrosianam Mediolani, Mozarabicam Toleti in Hispania adhibitam esse. Cúmque Orientales etiam diversæ Liturgiæ objiciuntur, illas Pontificis gratia & indultu usurpari ejusdem gnathones regerunt.

RESP. REDING: *Aliis rationibus, & antiqua Ecclesiæ consuetudine decretum innititur. Ibid.* pag. 361. Resp. De hoc statim viderimus. Si minus validæ rationes à vobis allatæ comperientur, prævalebunt rationes à nobis perhibitæ. Neque alia efficacior excogitari potest, quàm Papæ infallibilitatis opinione dementati typhus, tyrannis & fraus, ignorantiæ illud Regnum suum (nam *ignorantia* mater est devotionis Pontificiæ, sicut scientia nutrix Christianæ religionis) foventis, ut opportuniores quæstui captas superstitione animas habeat. Ipsa Synodus baud obscurè Missalis Linguæ arcanum prodidit, his verbis *cap. 8. usa: Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem: non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur.* Quorum verborum hic sensus est, ut explicatiùs dicam, corruptam Ecclesiæ Romanæ consuetudinem orandi & Scripturas prælegendi lingua peregrina, minimè quidem ædificare: consilii tamen sui esse, ut retineatur, ne comminuatur Ecclesiæ existimatio. Si enim in uno aliquo se errasse concederent, homines forsan suspicaturos, in aliis quoque errasse. Et quasi defixum in animis haberent in proprio vomitu volutari, anathema minantur iis, qui damnandum Ecclesiæ Romanæ ritum hunc esse dixerint. Sic olim Magi, Ethnici, hæretici, Hieronymo in Epitaphio Lucinii memorante, *Barbaro simplices quosque terrebant sono, ut quod non intelligant, plus mirentur.* Et Babylon Magna titulum fronti inscriptum habet: *Μυστήριον, Mysterium* Apoc. XVII. 5. quia arcanis, absconditis, abstrusis, rudi plebeculæ se commendare debuit. Et jam olim Solomon Prov. VI. 24. 26. אשת רע *mulieri malæ, seu* זונה *meretrici* & peregrinæ etiam לשון נכריה *linguam peregrinam* tribuit & Deus ipse Esaj. XXVIII. 11. 12. ceu pœnam comminatus fuit, quod בלעג שפה ובלשון אחרת *infamis labii, & lingua peregrina* propheta ad populum locuturus sit.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Sacrificium aliquod veri nominis Sacrificium esse potest, etiamsi nullis omnino verbis dicatur: Offero, vel Offerimus. Par ergo ratio Sacrificii Missatici. Requiruntur quidem in eo verba consecrationis. Sed verba illa non diriguntur ad instruendos auditores, sed ad elementum consecrandum. Elementum autem nullam linguam in-*

telligit. Impertinens igitur est ad realem oblationem, utrum Missa dicatur Lingua vulgari, an non vulgari. Resp. 1. Bellarminiana hæc argutatio Sacrificio inædificata est, quod in Eucharistia nullum esse superiùs liquidò probavimus. Ruit igitur tum illud, tum pleraque sequentia etiam, quæ idem ex eodem fundamento profert, argumenta. 2. Fatetur Synodus, *missam continere magnam populi fidelis eruditionem.* Id si verum est, sive in ea Sacrificium agnoscatur, sive non, populari certè Lingua utendum fuerat, ut populus per missam commodè erudiri posset. 3. Cùm porro Missam multis verbis celebrari placuerit, & talibus quidem plerisque, quæ non tam ad Deum, quàm ad fideles communicantes diriguntur, quis furor Sacrificulos agitavit, ut non ea saltem verba, preces, hymnos &c. vernacula & intelligibili lingua pronuntiarent?

EXCIP. REDING: *Missæ sacrificium supra probavimus; fide etiam in loco facta, quòd populi instructio aliis viis, quàm vulgari idiomate, parari possit. Neque verum est, pleraque Missæ verba non tam ad Deum, quàm ad communicantes dirigi.* Ibid. pag. 361. 362. Resp. Nihil te probasse, sed magno conatu magnas egisse nugas, comprobavimus. Si non pleraque Missæ verba ad communicantes referuntur, saltem aliqua, eáque non pauca referuntur. Quod tu Missifex non ignoras. Cur ergo non illa saltem idiomate vernaculo exprimuntur? Cúmque Sacerdos missificans, & Canonem aliáque pronuntians, preces ad Deum non suo solius, sed populi præsentis nomine fundat, usitato idiomate fundere oportuit, ut populus *Amen* dicere, & judicare posset, benedictionem an maledictionem Sacerdos suo nomine à Deo imploret. Dispar etiam ratio est Sacerdotis Levitici sacrificium offerentis; & Sacerdotum Christianorum, cujusmodi jam omnes fideles sunt. Ille in Sancto Sanctorum maximè, à populo separatus, nec visus, nec auditus, Jesum Christum, qui sacrarium ingressus pro nobis intercedit, quamvis eum nec videamus, nec audiamus; figurabat. Hodie verò omnibus fidelibus Sacerdotibus factis, Apoc. 1. 6. oratio publica omnium fit nomine, adeóque intelligi ab omnibus debet. Neque verò hodie Presbyter repræsentat advocatum & intercessorem, ut olim faciebat Pontifex, sed reliquorum nomine loquitur, ipsisque voce præit, cui tota Ecclesia consentire debet, quò omnium nomine ad eum, ad quem dirigitur, acceptetur, omnèsque inde in fide & spe confirmentur. Si enim sacerdos intelligi non debet, satis erit, si solus in secreto loco aliquid murmuraverit, neque audiatur à quoquam. Si verba consecrationis ideo à populo intelligi non debent, *quia diriguntur ad elementum, quod nullas linguas intelligit*, quid hoc aliud erit, quàm quædam ἐπῳδὴ & φαρμακεία, qua verbis, sine ulla institutione Divina & naturali efficacia, vis operandi, seu elementa transmutandi tribuitur? Denique de sacrificio quicquid fiat, negari nequit, Eucharistiam etiam Sacramentum esse. In sacramentis porro Deus nos alloquitur, nobis donat, præcipit, nos instruit, & quædam à nobis exigit. Hæc omnia si lingua peregrina peragantur, quomodo donata accipiemus, præcepta implebimus, doctrinas retinebimus, & exacta reddemus?

OBIECT. II. *Per mille annos vulgaris Latinæ Linguæ usus corruit, nec quidquam tamen de Missæ idiomate in ecclesia mutatum est. Temerè igitur Novatores destruere volunt*

volunt, quod per tot Secula semper ecclesia servavit, à Spiritu S. edocta. Scipio Henricus *pag.221.* Resp. 1. At eo ipso tempore, quo Latina Lingua passim vernacula fuit, Græci, Syri, aliique vernaculo idiomate Eucharistiam celebrârunt. Quidnî igitur Linguâ Latinâ usurpari desitâ in vernaculis etiam Linguis Eucharistia celebrari debuit? 2. Etiam Latini idiomatis usu corruente Pontifices nonnulli, Johannes VIII. Moravis Sclavonicâ, Innocentius III. variis vario idiomate eucharistiam celebrari permiserunt, nec ante Seculum XIII. Latinæ Linguæ usus ubique invaluit. 3. Non igitur Spiritui S. authori tribuendum, quòd per plura Secula Latina Liturgia retenta est, sed vel socordiæ & oscitantiæ Episcoporum, Ecclesiis suis non aliter providentium, vel mysterio iniquitatis magis magísque operanti.

Excip. Reding: 1. *Hoc unum probat responsio tua, quòd permittente Papa liceat sacrificium idiomate vernaculo celebrare: non Divina lege ulla.* 2. *Quòd socordiæ Episcoporum & mysterio iniquitatis operanti Latinæ Liturgia, post collapsum linguæ usum, conservationem tribuis, calumniandi spiritum sapit, quem Ecclesiæ praxis refellit.* Ibid. pag. 362. Resp. 1. Quis Papa Græcis, Syris, aliis usum vernaculi idiomatis permisit? Bellarminus eo nomine hæreseos dicam iis impegit. An hæretici fuerunt, quia permittente Papa vulgari idiomate usi sunt? Fuissent omnino, si non alia quàm Papali authoritate usi essent. Sed profectò tam illis Papa usum idiomatis vernaculi permisit, quàm nobis. Nec illi à Papa sibi gratiam ejus rei fieri petierunt: nec petimus nos. Habeat ille sibi res suas. De Johannis Papæ Epistola ad Moravos suprà satis. Neque diluere potuisti, quæ contra mille annorum praxin. attuli. Repeto, non ante Seculum decimum tertium peregrini idiomatis usum in Ecclesia invaluisse, Papæ ambitione & tyrannide hinc inde paulatim introductum. Seculorum igitur quatuor circiter, eorúmque corruptissimorum, jactata illa antiquitas & praxis omnis est. 2. De sacerdotum socordia audi Johannem Billet in summa *de divinis Officiis.* ubi sic ille: *In primitiva Ecclesia prohibitum erat, ne quis loqueretur linguis, nisi esset, qui interpretaretur. Quid enim prodesset loqui, nisi intelligeretur? Inde etiam inolevit usus, vel laudabilis consuetudo in Ecclesia in quibusdam partibus, ut pronuntiato literaliter Evangelio statim in vulgari populo exponeretur. Quid autem in nostris temporibus est agendum, ubi nullus vel rarus invenitur vel legens vel audiens, qui intelligat? Videns vel agens, qui animadvertat? Iam videtur esse completum, quod à Propheta dicitur: Et erit Sacerdos quasi de populo unus. Videtur ergo potiùs esse tacendum, quàm psallendum: potiùs silendum, quàm tripudiandum.* Ipsi ergo Sacerdotes æquiparati populo non intellexerunt lecta: nec vel sibi, vel populo de liturgia vernacula prospexerunt, ut sic pergeret latenter operari mysterium iniquitatis illud, quo se Latinus ille Jupiter supra omnia efferre, verum Dei cultum incestare, & Latinam abominationem in Templum Dei invehere debuit. Quod iis maximè Seculis contigit, quibus genuinam dogmatis vestri antiquitatem verissimè definivimus.

OBIECT. III. *Pro tollendis impedimentis, quæ apud fideles afferre potest Latina Lin-*

guæ ignoratio, præstò sunt ubique Parochi & concionatores, quorum munus est Christi Evangelium, & alias S. Scripturæ partes exponere. Scipio Henricus *ibid.* Et Patres Synodi Cap.VI. mandant *Pastoribus, & singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios, ex iis quæ in Missa leguntur, aliquid exponant, & mysterium hoc declarent, diebus præsertim Dominicis & festis.* Resp. 1. Ecclesiæ Ministrorum non est impedimenta ecclesiæ sine justa ratione & necessitate obiicere, sed potiùs objecta è medio tollere. Atqui nulla necessitas cogit peregrini idiomatis usu intelligentiam mysterii impedire & sufflaminare. Desertis aviis regiâ ubique semitâ, institutionis videlicet Christi & praxeos Apostolorum incedendum potiùs fuerat. 2. Paulus jubet, ut qui lingua loquitur, si non sit qui interpretetur, taceat in ecclesia, sibi ipsi verò privatim, loquatur & Deo. Cui concinens Ambrosius dicit: *Si utique ad ædificandam ecclesiam convenitis, ea debent dici, quæ intelligant audientes.* Non igitur in ipsa etiam actione loquendum ita, ut non intelligat populus, sed ut mysterium propositum percipiat, & quod facit, in fide facere possit. Ad dignam enim manducationem requiritur probatio sui, quæ sine intelligentia mysterii & promissionis præsente, non futura demum & ex arbitrio ac fidelitate Pastoris suspensa, nulla est.

EXCIP. REDING: *Alia in Ecclesia functio est sacrificii, alia concionis, alia catecheseos. Posterioribus instruitur populus, ut debita cum devotione communioni adesse possint.* Ibid. pag.362. Resp. Sacrificii propriè dicti functio nulla est. Sacramenti verò functionem cur omittis? In ea Ecclesiæ Minister nomine Dei agit & loquitur cum populo, eique symbola communicat non sine declaratione præsente mysterii juxta institutionem Christi. Quæ ibi loquitur & declarat, sine manifesta illusione peregrina lingua enuntiare non potest. Neque sufficit instructio per conciones & catechesin, quia ibi Sacramentum non administratur, & interest communicantis, ut intelligat, dicta illius, qui administrat, institutioni illa congruant, nec ne. De cætero responsiones meas perfunctoriè, vel planè non attingis. Repeto, dignam manducationem & sui probationem, quæ mysterii intelligentiam præsentem requirit, sine lingua administrantis intelligibili nullam esse.

OBIECT. IV. *Accedit antiquissima ecclesiæ consuetudo. In toto Oriente non inveniuntur antiquæ Liturgiæ, nisi Græcæ aut Chaldaicæ. In toto autem Occidente antiquæ Liturgiæ nullæ sunt nisi Latinæ. Et tamen à multis jam Seculis desierunt omnes istæ Linguæ esse vulgares. Imò Germanis, Francis, Anglis, Polonis nunquam Latina Lingua vulgata fuit.* Resp. 1. Admittimus ingenuam confessionem Bellarmini de Ecclesiis Orientalibus. Sicut igitur illi in vernacula Lingua, Græca puta vel Chaldaica Eucharistiam celebrârunt: ita par erat Occidentales quoque ecclesias non aliter quàm in vulgata & vernacula Lingua

gua

gua Sacra hæc celebrare. 2. Quòd Occidentales ecclesiæ Latinè Sacra celebrârunt eo tempore,quo Latinum idioma notissimum fuit,id ipsum quoque arguit necessitatem Eucharistiæ vernaculo idiomate celebrandæ At postquam Latina Lingua in desuetudinem venit, Episcoporum partes erant,Liturgiam novis & receptis idiomatis accommodare. Non enim cultus Divinus Linguis,sed Linguæ,utpote quæ intelligentiæ mysteriorum ancillari debent,cultui accommodandæ fuerant.

Excip. Reding : 1. *Si Bellarmino concedis,in Oriente toto non inveniri antiquas liturgias,nisi Græcas aut Chaldaicas; Syri ergo,Armenii,Æthiopes, quibus Græca & Chaldaica lingua vernaculæ non fuerunt, incognita lingua sacra sua obierint necesse est.* 2. *Cavillatio tua,qua Episcopis liturgiam novis & receptis idiomatis non accommodantibus insultas,arrogantiam tuam, vetustissimam Ecclesiæ praxin reprehendentem,arguit.* Ib. pag. 263. Resp. 1. Cur verò saltem de Græcis & Chaldæis liturgiis à Bellarmino objectis non respondes? Nam illæ certè Græcis & Chaldæis vernaculæ fuerunt. Cur non de Latinis, quibus sibi vernaculis Romanum Imperium,vigente adhuc Latino idiomate, usum constat? Hic tibi aqua hæret,& hærebit semper. Constat enim,Græcam & Latinam Linguam non innumeris in Oriente & Occidente populis quam diutissimè fuisse vernaculas; imò communes etiam,ubi aliæ vernaculæ fuerunt,quod vel mediocriter docti non ignorant. Sed Bellarmino quid concessi? Orientales in vernacula Græca vel Chaldaica Eucharistiam celebrasse. At omnes Orientales in alterutra vernacula Eucharistiam celebrasse,ubi concessi? Non ita in liturgicis veteribus hospes fui,ut id concederem. Habent hodiéque Coptitæ, seu Christiani in Ægypto liturgias suas antiqua lingua Coptica scriptas, quas in Bibliothecis quibusdam Romanis extare, Athanasius Kircherius vestras in Prodromo Copto scribit. Armeniorum liturgiam ex lingua Armenica ab Andrea Lubelczyk in Latinam traductam Cassander repræsentat. Basilii Anaphoram ex Syriaca Andreas Masius Latinam fecit. Syrorum preces Widmanstadius edidit. Missam Angamellensium Christianorum S. Thomæ ex Syriaco in Latinum idioma conversum Itinerarium Alexii Menesii exhibet. Ecclesiæ in Syria, & vicinæ,quæ ad Patriarchas Antiochenum,Hierosolymitanum & Alexandrinum pertinent, quæque Arabico idiomate utuntur, suis liturgiis Arabicis gavisæ sunt. Æthiopum seu Habessinorum liturgiam ex Æthiopico Latinè redditam idem Cassander descripsit. Neque Bellarminus probare potuit,vel quisquam alius poterit, ullam Ecclesiarum Orientalium in lingua peregrina sacro cultu defunctam esse. In ipso Occidente annon liturgiam Sclavonicam Moravi,aliíque: Mozarabicam Gothi in Hispania habuerunt? Et quis Scythas,Sarmatas,Indos,Persas,linguarum Græcæ & Latinæ rudes,linguis illis peregrinis unquam in sacris usos esse,fidem faciet, vel ut credat, induci potest? Inprimis cùm S. Theodoretus *de cur. Græc. affect. lib.5.* testis sit, *libros Hebræorum sacros non in Græcam modò linguam & Romanam, verùm etiam Ægyptiam,Persicam,Indicam,Armenicam, Scythicam,Sarmaticam, adeóque omnes in linguas,quibus hodie utuntur gentes omnes,translatos esse*; & S. Augustinus *de Doctr. Christ. lib.II.5.* meminerit evidentissimè,*Scripturam Divinam,qua tantis morbis humanarum voluntatum subvenitur,ab una lingua profectam,quæ opportunè per totum orbem terrarum disseminari, per varias interpretum linguas longè latéque diffusam gentibus innotescere ad salutem.* Quidni par

ratio fuerit liturgiæ facræ, quæ eò fpectat & comparata eft, ut plebs per eam edoceatur, & in myfteriis religionis Chriftianæ inftituatur, ipfúmque cultum fuum rationalem convenienter obire difcat. 2. Non meam arrogantiam, fed Epifcoporum veftrorum fupinam negligentiam; Latinæ linguæ in qua adhuc vernacula cultus Dei à puriore Ecclefia celebrari fuevit, ufu obfolefcente, Latinas liturgias, nulla publici commodi Ecclefiæ ratione habita, nihilominus retinentium, atque fic pfittacorum cultum invehentium pulfare debueras. Antiquitati verò praxeos illius à te jactatæ larvam fupra detraxi.

OBIECT. V. *Incommoda etiam plura conjuncta funt cum vernacula Lingua in Sacris ufu. Ita enim impeditur commericum ecclefiarum, cùm fieri non poßit hac ratione, ut in ecclefia Italorum conveniant etiam Germani: reverentia & Majeftas Sacramenti minuitur, fi communi lingua myfteria vulgentur: periculum mutationis & depravationis, fi non eadem Lingua utantur omnes, imminet: denique aperitur porta latißima ignorantiæ & oblivioni Linguæ Latinæ apud miniftros ecclefiæ.* Refp. 1. Incommoda hæc non tam nobis, quàm Chrifto, Apoftolis, ac inprimis Paulo fermonem in εὐλογίᾳ καὶ εὐχαριστίᾳ intelligibilem magnis rationum momentis præcipienti opponuntur. Ædificationem potiùs ecclefiæ, quàm imaginaria & ficta ejufmodi incommoda fpectare oportuit. 2. Ut confervetur ecclefiæ unitas, non Linguæ, fed fidei ac Spiritus S. unitas requiritur, Ephef. IV. 4. 5. Imò actum erit de vera unitate & communione Ecclefiæ, fi ea in communione verborum incognitorum confiftit. 3. Paulo etiam curæ cordíque haud dubiè fuit reverentia & majeftas myfteriorum. Nihilo fecius peregrinæ Linguæ ufum validifſimè improbavit, & non tam majeftatem Sacramenti, quàm furorem reputavit. Et fi ex lingua majeftas Sacramento concilianda, cur non ex Sacris potiùs Hebræa & Græca, quàm exotica Latina? 4. Periculum mutationis & depravationis ex diverfitate linguarum metuendum minimè eft. Nam & Apoftoli diverfis linguis celebrârunt, & veteres liturgiæ non eodem vel idiomate vel ftylo omnes confignatæ funt. Depravatio igitur non tam in verbis fita eft, quàm in fenfu, qui iifdem verbis diverfus à maleferiatis indui poteft. 5. Neque etiam ignorantia Sacrificulorum ex vulgari in facris Linguæ ufu extimefcenda fuerat. Patet inde, quòd tum olim vernacula licet lingua ufi in Sacris Patres, longè Sacrificulis hodiernis doctiores fuerint: tum hodie peregrina licèt communi miffam celebrantes facrificuli plerique tamen ftupidi & bonarum literarum rudes fint, adeò ut reperti fuerint, qui baptizantes dicerent: *Baptizo te in nomine patria & filia & Spiritua Sancta.*

EXCIP. REDING: 1. *Incommoda illa, Chrifto Apoftolis, & inprimis S. Paulo, non nobis opponi, fupra oftendimus. 2. Quamvis Ecclefia quoad fubftantiam unitas non linguæ, fed fidei ac Spiritus S, unitatem requirat, ea tamen, ubi in corpus quoddam vifibile à Chrifto fuit redacta,*

dacta, exigit commercii in Sacramentis unitatem quoque extrinsecam & visibilem, in idiomatis communione consistentem. 3. *Paulo sic mysteriorum majestas cordi fuit, ut eapropter etiam linguarum donum in ipsis etiam Ecclesiæ conventibus ad psalmodias, hymnos, laudes Divinas privatim etiam usurpatum, quanquam in ordine ad ædificationem populi magis proficuam exoptarit, vel instructionem lingua cognita perficiendam, vel mysteriorum ignoto idiomate repræsentatorum interpretationem, quod utrumque apud nos peragitur.* 4. *Quæro ex te, an Apostoli ad diversorum idiomatum populos profecti, in suis liturgiis quoties mutarunt regiones, toties etiam linguas commutaverint?* Ibid. pag. 363. 364. Resp. 1. An ergo Christus & Apostoli peregrina lingua sacra sua obiverunt? Ne ipsa quidem audacia affirmaverit. An vernacula obiverunt, propter mysteriorum intelligentiam, an quamcunque aliam causam, veluti, ut communi cum aliis Ecclesiis lingua uterentur? Posterius probabis nunquam. Nam Syriaca, qua Christus in S. Cœna usus est, lingua non communis aliis omnibus, sed Judæis & Syris propria & vernacula fuit. Græca sic vel Latina lingua; Imò neutra, sed quapiam simpliciter communi (qualis nulla fuit) uti debuisset. Imò incognitam linguam, sine ejusdem interpretatione, in publico cultu à S Paulo rationum plurium ponderibus, à Christo & Apostolis exemplo proprio damnatam esse, supra ostendimus. 2. Quid linguæ maximæ Ecclesiæ parti incognitæ communio ad commercii in Sacramentis unitatem extrinsecam & visibilem conducit? Et unitas illa in mysterii communi intelligentia & fructu an in verbis, iisque populo saltem incognitis consistit? Edissere nobis. Quis etiam est in toto Oriente, Meridie apud Indos, Tartaros, Persas, Æthiopas &c. Latinæ linguæ vestræ usus? An propter paucos huc illuc commeantes, & illos fortè Latini etiam idiomatis ignaros (nam & idiotæ omnes, & sacrificuli plurimi ignari sunt) tot Ecclesiæ, tot populi nota in sacris lingua defraudandi fuerunt? An v.g. propter Alexandrinæ Ecclesiæ legatos, quorum fabulam tanta pompa Baronius tomo VI. Annalium inseruit; vel propter Ruthenos, quos idem A. 1595. Romam venisse narrat: vel propter Persas, aliósque, quos hoc Seculo Romam venisse gloriantur, liturgiæ suæ linguam Romani mutarunt, & ad hospitum illorum captum accommodarunt? An unitas externa etiam & visibilis ante tristissimum schisma Ecclesias inter Orientales & Occidentales sine ejusdem linguæ communione quàm diutissimè conservari non potuit? Atqui nunquam illæ scissæ sunt ob idiomatis diversitatem, sed ob rerum discrepantiam; maximè autem ob Episcopi Romani tyrannidem, quæ illis reconciliationis spem omnem abscindit. Et sanè nihil est in linguarum usu vario majoris momenti, quod attineat ad Sacramentorum celebrationem, quàm quod ad conciones. Quæ autem ratio efficere potest, ut cùm conciones habeantur in Italia Italicè, in Hispania Hispanicè, in Gallia Gallicè, in Germania Germanicè, eorum tamen populorum unitas non scindatur, sed constet: & tamen scinderetur, si totidem linguis ibidem sacramenta celebrarentur? Neque etiam in variis linguis majus periculum esse potest quàm in variis ritibus. Varios autem variis in locis observari, negari nequit. Singulæ dioeceses suum habent nescio quid; sua festa, suos Divos, & quid non? 3 Quo sensu S. Paulus linguarum donum optaverit, supra exposuimus. Certè non sic exoptavit, ut populus peregrino idiomate obtusus à publicarum liturgiarum intelligentia arceretur, ut alii aliis barbari essent, & *putidi* illi *idiotæ* (hoc populum fidelem convitio Hardingus contra Juellum olim proscidit) omni ædificatione & consolatione destituti ad communes preces ac supplicationes *Amen* dicere prohiberentur. 4. Quæro ex te vicissim, an Apostoli alio idiomate Evange-

vangelium prædicaverint, alio Sacramenta administraverint? Tibi affirmanti probatio incumbit. Sed splendidè nugaris. Supponis enim, Apostolos liturgias habuisse scriptas, & juxta eas Sacramenta dispensasse. Nos verò liturgiarum S. Jacobo, Petro, Matthæo, Marco tributarum νοθέιαν alibi, *Enchirid. Bibl. lib III. cap. 30 §§. 10. &c.* strictim demonstravimus, neque heic operam ludimus.

QUÆSTIO VIII.

An damnandus sit ritus ille, quo summissa voce pars Canonis & verba consecrationis proferuntur?

SYnodus Can. IX. anathemate eos percutit, *qui dixerint, ecclesiæ Romanæ ritum, quo summissa voce pars Canonis & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse.* Atque ita sub diri anathematis pœna injungit ritum illum, quem Missale Romanum præcipit, ut Sacerdos *cubitis super altare positis, stans capite inclinato, distinctè, reverenter & secretò proferat verba consecrationis super hostiam,* ut proinde verba illa halare potiùs, quàm loqui videatur. Nos verò Eucharistiam consecrandam, & populo administrandam esse clara & noscibili voce, quam fideles omnes percipere possint, pertendimus sequentibus argumentis. Etenim

ARG. I. Christus Dominus noster, cujus actiones cynosura nostra esse debent, sic celebravit Eucharistiam, ut ab omnibus adstantibus audirentur & omnia, & hæc ipsa, quæ consecratoria appellant verba. Jussit enim accipere, edere, bibere, utique ea pronuntiatione, ut intelligi possit. Nemo enim quenquam aliquid agere jubet, quem hoc ipsum, quod jubet, audire & intelligere nolit. Si enim *incertum sonum tuba dederit, quis excitabitur ad bellum,* inquit Paulus 1. Cor. XIV. 8. Quòd si verba illa jubentia clarè pronuntiata & audita ac intellecta sunt, etiam sequentia ista: *Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus,* in ejusdem orationis contextu posita, audita ac intellecta fuerint oportet: inprimis quia Christus noluit ignaros esse mysteriorum, quos eorum esse participes voluit. Quid verò multis? Apostoli verba illa descripserant. Ergo & audiverint & intellexerint oportet. Neque verò Christus clarè pronuntiavit, ut Apostolos ritum consecrandi doceret: sed potiùs ut ipse consecraret, (siquidem verbis iis juxta adversariorum hypothesin consecratio peracta esset: de quo supra) quia Apostolorum institutio consequens est consecrationis, non contra.

Quòd

Quòd si Christus hæc loquens modum ritè consecrandi docuit, vera igitur consecratio erit verba illa clarè, quod ille fecit, pronuntiare.

Resp. Reding: 1. *Si Christus verba*, Hoc est corpus meum, *protulit, ut consecraret, cur suprà pertendisti, consecrationem non iis verbis, sed prævia benedictione fieri? Non potest tuus contradictionis Spiritus, quin semet confodiat, quidquam proferre. 2. Et consecravit igitur Christus iis verbis, & consecrationem Apostolos docuit. Posterior finis claram pronuntiationem postulabat. Ad effectum priorem sufficit significatio eorum, dictionis Divinæ efficacia id causans, quod enuntiatur. Quæ significatio subsistit, sive clara sive summissa voce verba enuntientur. Meliùs enim per catechesin & conciones, quàm sub ipsa reali actione fideles mysterium hoc edocentur.* Tomo III. Tract. IX. §. 2. pag. 364. Resp. 1. Omnes Christo adstantes audivisse cùm alia Christi verba, *tum & hæc ipsa, quæ consecratoria appellant, verba,* dixi. Qui verò appellant? Ego appellavi unquam, vel nostri appellant? Imò vestros me indigetasse, ultro vidisses, nisi tibi præpotens aliquis vertiginis spiritus dominaretur. 2. Figmentum merum, non res est, clarè à Christo pronuntiari debuisse verba non aliam ob causam, quàm quia Apostoli verba illa doceri debuerint. An ergo, ut Sacerdotes vestri verba illa discant, ipsi etiam quandoque consecrando clarè, ut intelligere & discere ea possint, illa pronuntiare solent? Solere Bellarminus nos docet, *quando inter Missarum solennia ordinantur Sacerdotes.* Hoc tamen sic varians factum novum est, figmento secretæ pronuntiationis accommodatum. Et si Sacerdotes illi novi nullum aliud ritus, quo consecratio facienda est, documentum haberent, præter illud sui missificantis ordinatoris exemplum, quisquamne est, qui putet, eos aliter, quàm clara voce consecraturos esse, qualiter illum rem peregisse animadvertissent? Et si quem post audirent verba eadem mussitantem, vitio eum consecrare autumavent, ab ordinatoris sui exemplo discedentem. Quòd verò illud nunc non accidit, inde fit, quòd novi illi Presbyteri ex quotidianis aliorum Sacerdotum Missis & Missalibus libris, verba illa secretè pronuntianda esse didicerunt. Illa ergo Episcopi eos ordinantis causatio planè supervacanea, & ad pompam, vel potiùs eludendum argumentum ab institutione petitum comparata est. Apostolorum verò planè alia ratio fuit. Neminem ad istud usque tempus viderant Eucharistiæ sacrum facientem: nullum præsto erat Missale, quod aliter faciendum, quàm Christus fecit, præciperet: semel duntaxat Christus cum illis Eucharistiam celebraverat. Non potuerunt ergo Christi actum & sermonem non pro absolutissimo exemplo in omnibus instituti partibus religiosissimè, juxta disertum ejus mandatum, *Hoc facite*, sequendo habere; memores inprimis verborum ejus Matth. X. 27. *Quod vobis dico in tenebris, vos dicite in luce. Et quod in aurem auditis, prædicate supra domos.* Quid verò multis? Verba illa Christus præcipuè enuntiavit, nec ut consecraret, nec ut consecrationis ritum Apostolos doceret, sed ut explicaret mysterium, quòd illud, quod ab ipso acceperunt, corpus suum sit. Quod patet ex serie. Nam illa, *Hoc est corpus meum,* addita sunt illis, *Accipite, comedite:* quibus imperatur usus specierum non apud celebrantes, sed apud communicantes, quales in prima Cœna Apostoli erant. Præterea Christus nec separavit, nec distinxit institutionem consecrandi (ex hypothesi vestra loquor) à consecratione, tanquam actus duos re diversos. Imò unum ex alio eduxit, hoc est, eo ipso actu, quo verba illa pronuntiavit, etiam instituit Apostolos, quo pronuntiaturi ipsi essent. ... ulè ergo, & præter Christi mentem tu disparas, neque ullum in universa Ecclesiæ historia disparationis illius testem habes. Primus commentum isthoc Bellarminus orbi intulit.

ARG. II. Quod Christus fecit, id ipsum quoque religiosè Apostoli secuti sunt. Sanè Paulus 1. Cor.X.15.16. in hujus Sacramenti sermone de Corinthiis dicit: *ὡς φρονίμοις λέγω. Ut peritis loquor.* Idem 1. Cor.XI.26. mandatum Christi *faciendi hoc ad recordationem* explicat de mortis Dominicæ annuntiatione. Non igitur hoc fieri voluit secretè & presso gutture mussitando, sed clarè & apertè enuntiando. Et sanè debuerunt tum ipsi, tum posteri quoque discernere corpus Domini. Quæ autem discernendi ratio, si nulla præcessisset admonitio? Nulla autem admonitio, quæ non audita.

RESP. REDING: 1. *Paulus 1.Cor.X. 15.16. Corinthiis ut peritis loquens, ita enuntiabat:* Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne est communio sanguinis, &c. *An hinc sequitur, verba consecrationis clara voce pronuntianda esse? An Corinthiis de hoc Sacramento non aliunde, quàm ex apertatali pronuntiatione verborum illorum constitit? An non mysterium edocti sunt, priusquam ad illud admitterentur?* 2. *Idem Apostolus 1.Cor. XI.26. Corinthiis universim mandat, ut manducantes annuntient mortem Domini. An ergo etiam laici verba consecrationis clarè pronuntiare debent?* 3. *Qui de mysterio Eucharistico bene instructi sunt, ex ipsa actione, quæ peragitur, corporis Domini sub speciebus Eucharisticis præsentiam satis discernere possunt. Ineptè ergo hinc infers, verba illa H.E. E.C.M. pronuntiari alta voce debere; maximè cùm pronuntiationi verborum illorum efficaciam rei ipsius causatricem deneges.* Ibid. pag. 364. 365. Resp. 1. Quæ quis alteri ut *φρονίμῳ prudenti* loquitur, illa non secretè mussitat, ut prudens intelligere nequeat. At S.Paulus 1.Cor.X.15.16. verba illa, *Calix benedictionis, cui benedicimus &c.* quibus verba illa, quæ consecratoria adversarii appellant, explicantur, pronuntiaturus, præfatur, se ea loqui ut *φρονίμοις prudentibus*, adeóque illa intelligentibus. An verò in ipsa celebratione Eucharistiæ aliter pronuntiantur, hoc est, non *prudentibus*, stultis? Tales vobis sunt, quos idiotarum convitio deprimitis. Alia longè S.Paulo mens fuit. In ipsa porro celebratione Corinthii aliunde, quàm ex clara pronuntiatione verborum, quibus mysterium declaratur, constare neutiquam potuit. Unde enim, nisi ex pronuntiatione, liquere poterat celebranti, de corpore potiùs Christi, quàm Judæ sermonem esse? Quid fieri in celebratione debeat, aliunde constare potest. Quid fiat, nonnisi ex celebrationis actione & verbis intellectis liquet. Qui ergo verba celant, eatenus illi non prudentibus, sed perinde ac barbaris, stultis, caudicibus loquuntur. Habes explicatam argumenti mei vim. quas *ineptias* & *nequitiam* arguentis spiret nec ne, prudentes, non in errore obfirmati judicent. 2. Qui in Eucharistia manducant, ad recordationem mortis Christi id facere, & mortem Christi annuntiare 1.Cor.XI.26. jubentur. Quomodo annunciabunt mortem Christi, qui quid de corpore & sanguine Christi sacrificulus mussitans pronuntiaverit, non audiverunt, adeóque pronuntiatæ rei certitudine destituuntur? Non ergo, ut stolidè infers, ipsi plebeii verba illa altè pronuntiare, sed clarè pronuntiata, ut mortem Domini annuntiare possint, intelligere debent. 3. Quomodo ex actione sola corpus Domini discernere possunt, qui consecrationis factæ certitudinem nullam habent? Nullam autem habent, qui consecrantis verba non intelligunt. Quid enim si qui consecrare debebat, vel imponat malignè, vel ebrius, amens, obliviosus, dormitans alia omnia, quàm consecra-

ſecrationis verba pronuntiet? Quæ pronuntiationis legitimæ πληροφορία? Ibi maximè, ubi cognitio ad praxin, adorationem ſcilicet hoſtiæ, & ejuſdem adoratæ manducationem dirigitur. Quomodo enim populus adorabit id, de cujus conſecratione per intelligentiam verborum conſecrationis certus non eſt? Neque obſtat, quòd præſtigiatricem illam verborum pronuntiatorum operationem (quomodo ipſe Gabriel Biel veſtras *lect. 4. in Can. Miſſ.* confectionem corporis in Sacramento cum operatione maleficorum & incantatricum, lac vaccinum de manubriis ſecurium extrahentium comparat) vobiſcum non agnoſcimus. Satis eſt, quòd myſterii & mutationis relativæ ſymbolorum intelligentiam operantur. Non ergo Apoſtoli ſecretæ verborum pronuntiationi velificantur. Et minùs hic Synodus ipſa, quàm Redingius, ora perfricuit. Non enim ab Apoſtolis ritum illum ſecretæ pronuntiationis inſtitutum pertendit; ſed (*cap. 5.*) *Eccleſiæ* eundem acceptum refert, dicens: *Cùm natura hominum ea ſit, ut non facilè queat ſine ipſis adminiculis exterioribus ad rerum Divinarum meditationem ſuſtolli, propterea pia mater Eccleſia ritus quoſdam, ut ſcilicet quædam ſummiſſa voce, alia verò elatiore in Miſſa pronuntiarentur, inſtituit.* Non ergo Chriſtus, non Apoſtoli, ſed *pia mater Eccleſia*, Romana ſcilicet, uti *Can. 9.* iidem dicunt; inſtituit. quod & ipſum Thomas Aquinas *Summ. Theol. par. 3 q. 78. art. 1.* & Hardingus *Reſp. ad artic. 16. Juelli*, fatentur, ajentes, Chriſti exemplum, & morem Apoſtolorum una cum Patribus apertè ritui huic adverſari. Quanquam, ut id obiter animadvertam, magna cum vertigine illam rationem Synodus introduxit, quædam ſcilicet pia illa matre Eccleſia inſtituente, ſummiſſa, quædam elata voce pronuntiari debere, quia *natura hominum ea ſit, ut non facilè queat ſine ipſis adminiculis exterioribus ad rerum Divinarum meditationem ſuſtolli.* Etenim ex adminiculis ejuſmodi exterioribus, quæ Deus ad mentes noſtras à terra ad Cœlum erigendas inſtituit, præcipuum haud dubiè eſt verbi Divini auditus, Matth. XIII. 23. Act. XIII. 15. Rom. X. 17. 1. Cor. XIV. 19. Verbum ejus in Epiſtola, in Evangelio, in Canone, aliiſque Miſſæ partibus recenſetur. Miſſam porro prohibent Tridentini vulgari paſſim Lingua celebrari, adeò ut ſi omnia æquè alta voce, atque Baaliticæ Miſſæ (1. Reg. XVIII 28.) declamarentur, à vulgo tamen intelligi nequeant. Tamen neque eo contenti jubent partem aliquam ſubmiſſa voce dici, ut miſeris illis ne audire quidem liceat. Synodi ergo ratio reapſe talis eſt: *Quoniam cæcitas frigiditáſque hominum opus habet, ut illuminetur & incaleſcat vi Divini verbi, quod in Miſſa commemoratur: iccirco alia in Miſſa ſubmiſſa voce ſunt pronuntianda, ne audiant; alia altiore voce, ſed peregrina lingua, ut, etiamſi audiant, non tamen intelligant.* Qualis quæſo ſpiritus Tridentinos Principes afflavit, ut temulenta iſthæc ſcripta non effunderent duntaxat, ſed etiam anathemate conſignarent?

ARG. III. In Euchariſtia jubentur fideles edere panem corpus Chriſti, bibere vinum ſanguinem Chriſti, utrumque ad obſignandam nobis gratiam & remiſſionem peccatorum. Eſt autem contra communem ſenſum, ut quibus quid faciendum imponitur, iis quiſquam velit rationem faciendi eſſe incognitam; quibus beneficium commendatur, iis beneficii magnitudinem taceri, & quidem non taceri omnino, ſed ita dici, ut intra dentes muſſitando, ad aures nihil perveniat.

RESP. REDING: *Jubentur fideles edere corpus, & bibere ſanguinem Chriſti ad gratiam*

non speculativè, sed practicè, adeóque sub significatione ejusdem causatrice obsignandam. Num igitur contra beneficii tanti rationem erit, non alta & intelligibili voce istum gratiæ effectum pronuntiari? Quid verò si sonus de corporis & sanguinis Christi præsentia altè & clarè pronuntians, in nimia populi frequentia ad universorum aures non penetraret? An ideo mysterii ejus, cui assistunt, ratio iis incognita erit? Ex ipsa ergo actione, non ex sono mysterii intellectus hauriri potest. Ibid. pag. 365. Resp. Quomodo nisi practicè edi corpus & bibi sanguis Christi potest? Cùm ergo edendum & bibendum sit practicè, ad obsignandam in nobis communionem cum eodem, quis de consecratione adeóque mutatione symbolorum facta verbis peregrinis, mussitatis & non intellectis incertus, sic edere, sic bibere, & edendo, bibendo sibi gratiam obsignare: imò, quis (attendite artolatræ) hostiam consecratam adorare potest? Manducatio *δοκιμασίαν explorationem* sui requirit. Exploratio sui sine notitia certa mysterii & consecrationis factæ nulla est. Sed quid si sonus consecrantium verborum, frequente populo, non exaudiatur? Atqui exaudietur semper vel à paucis, vel à pluribus, quorum fraudem nullam accusantium devotio non exaudientes de recta benedictionis pronuntiatione in ipsa synaxi dubitare non finet; inprimis cùm in præparatione sui, quid Christus de pane & vino dixerit, ex Dei verbo, jam ante recoluerint. Vos potiùs scrupulus ille tangere, urere debet, quàm nos; quia effectum transsubstantiationis à pronuntiatione certorum verborum sic suspenditis, ut absque illa transsubstantiationem succedere negetis. Quomodo ergo, frequente populo, imò peregrino idiomate mussitante & vix pipiente potiùs quam loquente sacrificulo, transsubstantiationem successisse, & hostiam deificatam, adeóque adorandam esse, populo vestro innotescere potest?

ARG. IV. Ad essentiam Sacramenti pertinent verba institutionis & promissionis. Verborum autem hic naturalis finis est, ut explicent occultam notionem, adeóque intelligantur. In secreto autem murmure verba prorsus non intelliguntur.

RESP. REDING: *An verborum consecrationis significatio ac veritas non priùs subsistit, quàm ad aliorum aures perveniat? Alias certè forma Baptismi surdo administrati foret inefficax. Oportet ergo ex vi Divinæ eorundem verborum consecrationis veritatis Sacramentum esse perfectum, ubi illorum pronuntiatio completa est; sive sonus ad aures penetret, sive non. Ad notitiam verò mysterii ingenerandam sufficit actio religiosis circumstantiis vestita.* Ibid. pag. 365. Resp. Omnis verborum significatio luminis instar, est πρός τι & relativa; adeóque nulla, si intelligentiam ejus, cui aliquid verba significant, non dirigant. At verba secretò & peregrino idiomate enuntiata intelligentiam ejus, ad quem non pertinent, dirigunt. Nihil ergo significant. De veritate verborum aliud judicium est. Possunt enim verba tibi, mihi non intellecta vera esse. At veritatem illam in Eucharistia sufficere nego, ubi ea, ad dignam communionem, non tantùm esse, sed etiam intelligi debet. *Si tuba incertam vocem dederit, quis apparabitur ad bellum? Sic & vos per linguam nisi significatum sermonem dederitis, quomodo intelligetur, quod dicitis? Eritis in aera loquentes*, 1. Cor. XIV. 8. 9. Ad quem locum sic Lyranus commentatur; *Sine significatione vocis significativæ & sensu locutionis nihil est cognitum ad utilitatem Ecclesiæ: imò derisibile est.* Alia planè Surdorum, infantium in Baptismo ratio est; qui clarè dicta, & ab aliis exaudita & intellecta, non audiun

diunt, non percipiunt ob defectum rationis & sensus; adeóque per accidens non ex natura Sacramenti. Nam baptizandi adulti & ipsi audire ac intelligere debent. Infantibus verò & surdis, quibus nulla audiendi vel intelligendi præscripta ratio est, auditus & intelligentiæ privatio, quam nulla eorum culpa attraxit, & procedens etiam ætas ac ratio, in infantibus saltem, aufert, nihil obest, quò minùs sigillorum efficaciter participes reddantur. Denique Sacramentum sola veritate verborum consecrationis perfici, falsò asseris. Nam ex institutione Christi ad perfectionem ejus etiam declaratio verborum, manducatio, bibitio, mortis Dominicæ annuntiatio requiruntur. quæ sine intelligentia nullæ dantur.

ARG. V. Certitudo mutationis Symbolorum, juxta Adversarios, pendet à certitudine consecrationis & pronuntiationis verborum, *Hoc enim est Corpus meum.* At in secreto murmure verba illa vel pronuntiata esse, vel ritè pronuntiata esse, quotusquisque certus & securus esse potest? Qui igitur communicant, dubitare tenentur de præsentia Christi, atque adeò in fide communicare nequeunt.

RESP. REDING: *Duplex certitudo est mutationis symbolorum, una in actu signato, Christi verborum, institutioni ejusdem conformiter, super Eucharistica materia à Sacerdote prolatorum propria, quæ fidei est; altera in actu exercito, pendens à verborum illorum legitima pronuntiatione, ad cujus substantiam unicè requiritur veritas & significatio per Divinam dictionem efficax. Quæ certitudo in se considerata ex præcisa dictionis Divinæ veritate infallibili subsistit; quoad homines verò sic dignoscitur, ut secundum prudentialia rationis momenta gradum moralis certitudinis obtineat.* Ibid. pag. 365. 366. Resp. Certitudinem actus & signati & exerciti illam falsò supponis. Non enim Deum Christum suum ad verba certa à Sacerdote pronuntiata vel halata potius sistere velle, vel actu sistere, probasti hactenus, adeóque neutrum illud vel fidei est, vel veritate infallibili subsistit. Neque minùs falsò certitudinis *quoad homines* moralis gradum ex *prudentialibus rationis momentis* arcessis. Non satis erat talia effutire, nulla probatione suffulta. Edic ergo, quæ illa *prudentialia rationis momenta* sint, quibus, non pronuntiatis clarè & intelligibiliter consecrationis verbis, ad notitiam verborum pronuntiatorum provehi possit populus, rudis plerunque & imprudens? Quæ prudentialis ratio ipsi suggerit, Sacerdotem manu hostiam tenentem inclinatis in altare capite & cubitis, presso gutture secretè mussitantem verba quæpiam, consecrationis verba, & non alia, recto ordine & legitimè pronuntiare, ut cognita infallibiliter consecrationis veritate confidere tutò possit, Christum omnino jam corporaliter præsentem esse, manducari, imò & religiosissimè adorari posse? Nisi familiaris aliquis genius id adstanti, at nec audienti distinctè, nec intelligibilia verba audienti, id omne revelat, unde ergo consecrationis certitudinem, quæ infallibilis esse debet, populus habere possit, ne cogitatione quidem assequi quisquam poterit. quicquid tu de *prudentialibus rationis momentis* garrias.

ARG. VI. In veteri ecclesia clarè omnia pronuntiata esse, adeóque incognitum fuisse secretum illud murmur, multa argumento esse possunt. Etenim Græci constanter & in hunc usque diem Eucharistiam celebrant clara & intelligibili, verborum nullo discrimine adhibito, pronuntiatione,

ne; uti etiam Bellarminus ipſe fatetur. Si quid ab hoc Græcorum ritu alienum olim ſecuti eſſent Latini, non tacuiſſent veteres, qui utriuſque gentis in aliis etiam levioribus, ſi qua fuerunt diſcrimina, exactè notârunt. Etiam Mediolanenſis in Italia eccleſia, nobilis Latinorum portio, ac pœne ſuburbana, teſte Radulpho Tungrenſi *de Obſervat. Can.* verba hæc æquè ac Græci, clarè pronuntiavit, Ambroſianúmque ordinem ad noſtra pœne tempora retinuit. Quin & hoc notiſſimum ex Dionyſio Alex. Juſtino, Tertulliano, aliis, olim plebem Sacerdoti verba recitanti ſuccinuiſſe *Amen.* Quî verò fieri potuit, ut quiſquam ſincerus & verax ad ea, quæ non modò non intellexit, ſed ne audivit quidem, *Amen* diceret, adeòque ea verè dici confirmaret? Certè Paulus 1.Cor.XIV.16. de homine qui peregrinâ & ignotâ ſibi lingnuâ loquentem non intelligit, dicit: *Quomodo dicturus eſt Amen ad tuam gratiarum actionem?* Sed & Juſtinianus Imp. *Nov.* 123.*al.*137. jubet, *ut precatio, quæ in Sancta oblatione dicitur, aliaque orationes non in ſecreto, ἀλλὰ μετὰ φωνῆς τῷ πιςωτάτῳ λαῷ ἐξακεμένης, ſed cum ea voce, quæ à Sanctiſſimo populo exaudiatur, pronuntietur.* Quæ Novella in Græcæ Eccleſiæ Nomocanone inter publicas ac communes univerſæ gentis de rebus eccleſiaſticis regulas cenſetur. Eundem uſum poſt Juſtinianum ad nonum uſque Seculum adultum manſiſſe, ex Paſchaſio Radberto. *Epiſt. ad Frudeg. pag.* 1633. & Bertramo *de Corp. & Sang. Dom.* intelligi poteſt. Et qui eodem Seculo vixerunt, Amalarius, Rabanus, Valafridus Strabo, cùm Liturgiæ Miſſalis minutiſſima quæque perſequantur, murmuris tamen ſecreti nuſpiam meminerunt. Satis igitur conſtat, ad annum uſque milleſimum ſecretam pronuntiationem prorſus incognitam fuiſſe. Syrorum, Æthiopum, Armeniorum morem hodiéque eſſe, ut clarè pronuntient, eorundem Liturgiæ fidem faciunt. Ipſe Caſſander *Liturg.*.cap.28. variis argumentis latè confirmat, *Canonicam precem; & inprimis Dominici corporis & ſanguinis conſecrationem ita veteres legiſſe, ut à populo intelligi & Amen acclamari poſſet.* Denique originem ſecreti hujus murmuris Johannes Belthet Theologus Pariſienſis, Honorius Auguſtodunenſis, Guilielmus Durantes, Gabriel Biel, Hugo de S. Victore acceptam referunt fabuloſæ narrationi de Paſtoribus, qui verba conſecrationis hactenus audita in agro ſuper panem & vinum protulerunt, & ea repentè, ſi credere fas eſt, in carnem & ſanguinem mutârunt, ipſi verò ob facinus cœleſti igne conſumpti dicuntur. Rudem fabellam & ab incude adhuc calentem primus recitat Pſeudo-Alcuinus decimo Seculo recentior, *De Divin. Offic. Tit. de celebrat. Miſſ.* addens ibidem, *conſuetudinem inde veniſſe in eccleſia, ut tacitè iſta obſecratio atque conſecratio à Sacerdote deinceps cantetur.*

RESP. REDING: 1. *Aliud constat ex Liturgia Basilii & Chrysostomi, ex qua etiam veterum Græcorum ac Orientalium usus liquere potest.* 2. *Licet plebs Sacerdoti verba consecrationis recitanti quondam alta voce succinuerit Amen; potuit tamen notitiam illius rei habere non ex sono & pronuntiatione verborum, sed ex visu, vel ministrorum aut propinquè adstantium nutibus.* 3. *Imp. Justinianus in Novella à te citata hoc unum præcipit, ut quæ in Ecclesiis Orientalibus alta voce dici solebant, ab omnibus elata voce dicerentur. Fuerunt enim, qui ad tegendam ignorantiam suam, submissa voce recitabant ea, quæ ex recepta consuetudine altè pronuntianda fuerant.* 4. *Historiam de Pastoribus Sophronius etiam narrat. Et Alcuinus octingentis annis antiquior est. Si ergo vel hinc arcessi debeat secretæ pronuntiationis origo, satis utique antiquitatis illa habebit.* Ibid. pag. 366. 367.

Resp. 1. De Basilii & Chrysostomi Liturgia infra. Si non alio telo ad probandam Orientalium consuetudinem vestræ conformem instructus es, humi causa tua jacet. Et jacet illa sanè. Nam Richeomus vester, qui argumentum isthoc magno labore tractavit, fatetur ipse, in Ecclesia Græca olim alta voce pronuntiata omnia esse. Et testantur id ipsum Græcorum liturgiæ. 2. De Mediolanensi Ecclesia nihil respondere potuisti. Consuevisse olim populum Sacerdoti celebranti succinere *Amen*, negare ausus non es. Nimis clarè id Justinus *Apol.* 2. Tertullianus *de spectac. cap.* 25. Dionysius Alexandrinus apud Eusebium *Hist. Eccl. lib. VII.* Ambrosius *de iis, qui init. myst. cap.* 9. testantur. Neque Bellarminus argumentum diluere potuit; nondum eò provectus audaciæ, ut fingeret, pronuntiationis notitiam ex visu & nutibus hauriri, atque inde *Amen*, mussitanti Sacerdoti à populo dici potuisse. Quid verò aversa, uti hodie fit, Sacerdotis à populo ad altare facie, eáque in altare inclinata, populus vidit? Quid adstantes viderunt, quod nutibus declarare remotioribus possent? Et si viderunt aliquid, quomodo simplices & rudes maximè, ex visis, dubiam interpretationem habentibus, pronuntiata conjectare, nedum certò cognoscere potuerunt? Siccine veteres idiotæ omnes Oedipi, Davi nulli fuerunt. Quæ non desperata causa præfractos propellit? 3. Justiniani Novellam ipse Goar, Vir Doctissimus, *Not.* 131. *in Chrysost. Miss.* pro idoneo satis argumento habuit, attulítque, quo probaret, consecrationis verba illo ævo clarè recitata esse. Neque verba Imperatoris dubitare sinunt. Non tantùm enim consecrationis verba nulla excipit, sed perspicuè etiam præcipit, *ut ea precatio, quæ in sancta oblatione dicitur, & aliæ orationes* μετὰ φωνῆς *cum voce alta* proferantur. Invictam duritiem Bellarmini & tuam hic frangat ingenua confessio Hardingi vestri, cujus hæc adversus Iuellum verba sunt. *Justinianus Imperator decrevit, ut Episcopi & Presbyteri eam ob causam sacras liturgias pronuntiarent clara & distincta voce, quæ intelligi possit ab omnibus, ut populus responderet Amen. Quod quidem cùm ad omnes liturgiæ partes, tum* (NB.) *præcipuè ad consecrationem pertinet.* De imperitis Sacerdotibus in toto Edicto non aliud legere est, quàm ut non promoveantur. Κληρικοὺς, inquit, οὐκ ἄλλως χειροτονεῖσθαι συγχωροῦμεν, εἰ μὴ γράμματα ἴσασι, καὶ ὀρθὴν πίστιν, καὶ σεμνὸν βίον ἔχουσι. *Clericos haud aliter ordinari permittimus, quàm literarum peritos, & fidem rectam, vitámque honestam habentes.* Quales si, juxta Justinianum, ordinaretis solos, jam pridem clericis Ecclesia vestra caruisset. 4. De Pastorum historia infra pluribus.

ARG. VII. Ritus hic verba consecrationis secretè obmurmurandi Gentilismum incrustat, in quo Sacra abstrudi moris erat. Ita Gentiles persuadebantur, visum amittere eos, qui Orgia, Eleusinia & Bonæ Deæ Sacra vidis-

vidissent. Arcana apud eosdem erant Sacra Sibyllarum. Et notum est axioma illud veterum Magorum: *Oportet Magorum operatorem, si fructum inde consequi velit, secretum esse.*

RESP. REDING: *Ex illo gentilium secreto pronuntiationis ritu quid aliud concludere fas est, nisi rationem naturalem iis dictasse ei ritui rationem mysticam vel moralem subesse posse. In eo peccarunt, quòd ad falsos Deos transtulerint. Neque quia Magi ejusmodi in sacris dæmonibus faciendis mysteriosis modis, quos ratio suadet, utuntur, sequitur magicæ superstitioni æquiparandos esse ubi ad veri Dei cultum iidem adhibentur.* Ibid. pag.367. Resp. Sic ergo ratio naturalis sua gentilibus & magis, ac vobis etiam, cum iisdem syncretismum, cujus parum equidem te pudere videtur, colentibus mysteria, vel, uti vocas, *mysteriosos modos* dictavit. Si ratio naturalis, cur non magis revelatio supernaturalis? Atqui in hac præter profundum silentium ejus rei nihil occurrit. Prodigiosum profectò est, statuere eodem *mysterioso modo* Deum Israelis coli posse, quo Divos suos gentiles, & dæmonia Magi coluerunt. Si verum Deum coleretis, abhorreretis haud dubiè ab ejusmodi dogmatis multùm. Hoc unum restat, ut suorum etiam Numinum, quin & dæmoniorum cultum gentilibus & Magis naturalem rationem dictasse, pertendatis: utque, sicut illi suos Silentii Divos, Harpocratem, qui & Sigaleon dictus est, Angeronam, Mutam, Tacitam venerati sunt: ita vos etiam in infinito Divorum vestrorum numero Sigaleoni cuipiam locum cedatis, cique Sacerdos in suo illo Secreto litet.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Christus ad consecrationem corporis sui venturus secretò & solus orabat ab hora Cœnæ, usque dum in cruce suspensus est. Idem honorificè receptus & magnificatus à turbis cum palmis & laudibus, abiit & abscondit se. Hæ Christi actiones & latibulum hoc Sacrificuli silentio repræsentantur.* Resp. 1. Quis verò actiones illas & latibulum Christi hoc præcisè silentio repræsentari jussit? Scilicet Eucharistia histrionicus & mimicus lusus est, in qua Poetico more liceat omnes Christi passiones, antecedentia, consequentia, præter imò contra Christi & Apostolorum exemplum pro lubitu repræsentare. 2. Christus secretè oravit, sed solus. At Sacerdos orat secretè coram omnibus, imò secretè apud omnes. Christus abiit & abscondit se. At novus hic Roscius & venit & ostentat se, neque nollet non videri. An hæc paria? 3. Cui verò talia Sacrificuli hoc silentium significat? An sacrificulo soli? Quid opus igitur in publicum prodire, tanta pompa vestium & utensilium, ut ipse se denique doceat? An plebi? At hæc eorum mysteriorum nihil intelligit, nisi priùs exactè edocta. 4. Quomodo etiam significat has Christi actiones silentium? *An similitudine*? At nihil determinatum occurrit, quo magis Christus absconditus designetur, quàm Pythagoricus ἀκροατής. An *institutione*? At nemo ejus admonetur, sed tantùm gesticulatione illuditur.

EXCIP. REDING 1. *Christus Eucharistiam facere jussit in sui commemorationem,& mortem suam annuntiari indefinitè jussit. Hæc ergo si fiant non tantùm verbis, sed etiam actione reali, histrionicus, mimicus hic lusus erit? Tu verò blasphemis his dicteriis mimum ab orthodoxæ fidei scena alienissimum agis. 2. Ipse Christus in cruce continuam orationem secretò fudit. Et Joh.XI 18. fremens in semet ipso coram populo, attamen in secreto orationi comparem erga Patrem fecit religionis actum. 3. An Sacerdos ostentans se, Christum Dominum repræsentando in Missa,nequit vel solo silentio ipsum se abscondentem exhibere,sed omnimoda actionis paritas ad repræsentationem requiritur? Qui ergo vel sola faciei quoad extimam duntaxat superficiem repræsentativa effigies tua ex integro haud compar tibi, exhibere te valet? 4. Non soli sibi Sacerdos silendo mysticas istas actiones significat,sed Deo etiam. Potest enim aliquis non sibi soli,sed Deo etiam mysteria loqui, 1.Cor.XIV.2.*Ibid.Pag.*367.368*. Resp. 1.Recordari Christi,ejúsque mortem annuntiare,non est gestibus & actibus externis mimicis actiones & passiones Christi repræsentare; non est,Redingi. Summa recordationis & annuntiationis illius in eo consistit, quòd Christus Salvator mundi mortuus sit pro credentibus ad plenariam remissionem peccatorum illorum. Hic Evangelii nucleus nullis externis gestibus repræsentari, sed ex Evangelio solo prædicari, præconio externo annuntiari potest & debet. neque aliud Christus,aliud Apostoli jusserunt. Vos religionem in ludibrium & oculiferia convertentes, mimicam illam repræsentationem introduxistis non alium in finem,quàm ut populus vester scenico illi spectaculo assuetus,& in cortice Evangelii hærens, à nucleo ejusdem arceatur,& salutarem passionis Christi fructum dedoctus, quæstuariam Missam vestram cupidiùs amplectatur. Faciendum in Cœna est, quod Christus in eadem fecit. Atqui ille in Cœna sua futuræ passionis suæ mimum non peregit, sed symbolis benedictis, distributis,communicatis, de communione cum corpore et sanguine suo, hoc est, ejus merito & justitia certos reddidit. Hæc recordatio, hæc annuntiatio mortis ejus,ex institutione ejusdem definita,non indefinita est,ut humani ingenii altè stertentis inventionibus demum definiri debeat. Non ergo qui historiam ejusmodi improbant, blasphemi sunt, sed qui sacratissimum & Regale illud symposium in histrioniam talem & theatricum lusum per ἐθελοθρησκείας suæ pruritum converterunt, manifesti in Christi causa prævaricatores sunt. Si repræsentare Christum sacrificulus,adeóque se Christi loco sistere voluit,debuit repræsentare ejus potissimùm oblationem & mortem. Christus autem non alium obtulit, sed se ipsum in pretium redemptionis fidelium.Si hac in re Christum Sacerdos repræsentare vult, faciat quod ille fecit; summum & excellentissimum quod habet,semetipsum Deo offerat, Nam & Christus non alium, sed,quod, summum,charissimum,excellentissimum habuit,semet ipsum Deo obtulit. Sed illi alios, ipsum Christum & ejus membra,quàm se ipsos,offerre,mactare, crucifigere malunt. Et hinc illæ Christiani orbis lachrymæ.Non satis putant in Missa Christum ἀνασταυροῦν *iterum crucifigere*; Eundem mimica illa repræsentatione etiam παραδειγματίζειν *ostentui, ludibrio habere*,juxta illa Hebr.VI.6, amant. 2. Quid Christi & fidelium omnium secretæ preces (quanquam Christum venturum ad consecrationem corporis sui orasse secretò, nullus Evangelistarum narrat, sed Sophistæ ad incrustandum errorem ariolati primi sunt) ad liturgiam publicam, in qua Ecclesiæ Minister & suo & Ecclesiæ nomine preces ad Deum fundit, aliisque sacris publicè defungitur? Cur hoc tibi objectum non diluis? Etenim cùm vox propriè non nobis inserviat, abundè cogitationum no-

ſtrarum gnaris, ſed aliis, quibus conceptus noſtros communicare volumus: ſi ſolitarii oremus, nihil verbis opus eſt. Aſt hic Sacerdos ſecretè orat coram omnibus: imò ſecretè apud omnes, quorum intererat, alta voce eundem uti, ut myſterii certitudinem haberent. Quantum verò hoc monſtrum? 3. Se oſtentare, aliqua vel omni parte, & quidem non ſine pompa, & ſimul ſe abſcondere totum, planè ἀσύςατα ſunt, neque ſimilitudinem vel leviſſimam habere poſſunt. Quomodo effigies hominis cum homine ſimilitudinem habere poteſt, licet non totum & ex omni parte repræſentet. Ita meam effigiem glyptes, inſcio me, ex picta imagine exſculpens ſaltem aliqua ex parte me retulit. qualem tuus te referat vel referre poſſit, neſcio Si ergo Sacerdos Chriſtum ſe abſcondentem referre voluit, debuit non nulla, ſed aliqua ſaltem ratione ſe abſcondere, non pompæ inſtar, & altari ſuo affixus, ſe populo offerre. Neque Chriſtus ſe abſcondens, faciem occultavit ſolam, ſed ſe totum. Quanquam faciei etiam occultatio ſilentio vel muſſitatione, (in qua, repeto dictum, nihil eſt, in quo magis Chriſtus abſconditus, quàm Pythagoricus ἀκροατὴς, aut etiam Janus in Latio latens deſignetur) repræſentari opus non habuit, quia à Sacerdote identidem, faciem occultante, & verſus altare convertente, repræſentari longè meliùs potuit: & ſilentium vel muſſitatio, non occultationem perſonæ, ſed verborum ſuppreſſionem quampiam duntaxat referre poteſt. Sed hic perpetuus veſter mos eſt, ut ridiculi tum ſitis maximè, cùm maximè ſerii videri vultis. Ita enim, juxta Durandum, *ſi ſedent, ſignificant Apoſtolos ſedentes in Cœnaculo, triſtes de nece Domini: ſi ſtent, Moſen orantem manibus expanſis ſuſtentatis ab Aharone & Hur. Si tres cruces faciunt ſuper oblatam, deſignant Chriſtum ter traditum, à Deo ex gratia, à Juda ex avaritia, à Judæis ex invidia; vel ter crucifixum, in voluntate perſequentium, in voce clamantium, in crucifixione manuum.* et ſimilia plurima. quaſi diceretis: Si baculus ſtet in angulo, ergo hominem eſſe animal rationale. 4. Quis denique novum εὕρημα tuum non admiretur magnopere? Sacerdos ſilens ſeu muſſans Chriſti occultationem ſignificat non ſibi, non plebi, ſed Deo. Cur verò ſolam occultationem ſignificat ille Deo, non alia omnia, & majoris etiam momenti illa? Itane jam Sacerdos non creator duntaxat Chriſti Creatoris; ſed doctor etiam Dei doctoris ſupremi cluebit; & docebit Deum omniſcium, homines verò rudes, quorum referebat talia ſcire, & quorum potiſſimùm gratiâ miniſterio defungi debet, non docebit? Sed poteſt aliquis etiam, ais, Deo myſteria loqui, juxta Apoſtolum. Ubi verò ſic Apoſtolus? Referam ejus verba 1. Cor. XIV.2. *Qui loquitur lingua* (incognita) *non hominibus loquitur, ſed Deo. Nemo enim audit. Spiritu autem loquitur myſteria.* Senſus eſt, eum, qui incognita lingua loquitur. Deum non homines ſuorum dictorum teſtem habere, quia ab hominibus non intelligitur; adeóque *Spiritu* ſic loquentem *myſteria* loqui, non Deo ſed ſibi, cui dicta à ſe myſteria manent. An inde confici poteſt, ſacrificulum myſteriorum ab hominibus confictorum ipſi Deo doctorem eſſe? Quid non impietatis moliri ſacrificuli audent?

OBIECT. II. *Anna typum gerens eccleſiæ, non petitione clamoſa, ſed tacita devotione, quod petiit, impetravit. Ita Sacerdos intrare debet cubiculum cordis, & clauſo ſenſuum oſtio Deum Patrem orare, qui exaudit clamores cordis, non vocis.* Reſp. Miniſter euchariſtiæ non ſui duntaxat, ſed plebis, cujus potiſſimùm gratiâ ſacramentum publicè celebratur, rationem habere debet. Non igitur ſe ſolum,

ſed plebem etiam orare, innuit his verbis: *Te Dominum noſtrum ſupplices rogamus & petimus.* Quomodo verò plebs ſe exauditum iri ſperet, cui Sacerdos preces invidet?

EXCIP. REDING: *Reipublicæ legatus non ſui duntaxat, ſed etiam civium, quos univerſim repræſentat, rationem habere debet. Civitas verò univerſa, cujus vices agit, per ipſum loquitur Regi in ſecreto etiam conclavi. An ſic invidet plebi preces, quas ejus nomine peragit? Eadem ratione Sacerdos nomine Eccleſiæ legatione fungens ad Deum, ſic in ſecreto officium ſuum præſtat, ut plebis, cujus gratia ſacrificium Euchariſticum inſtitutum eſt, rationem etiam habeat.* Ibid. pag. 368. Reſp. Aliud eſt ſolum pro plebe orare, intercedere: aliud plebem orantem inducere. Non prius, ſed poſterius ſe facere Sacerdos mentitur. Negat enim ſe ſolum orare, dicens: *Te igitur, clementiſſime pater, per Jeſum Chriſtum filium tuum, Dominum noſtrum, ſupplices rogamus & petimus.* Non unum ſolùmque omnium nomine, & ſilentio & ſecretò (uti in conclavi & legatus pro Republica, & quiſque pro tota Eccleſia, orare poteſt) ſed omnes orare dicit. Orat etiam Sacerdos: *Ut nobis corpus & ſanguis fiat dilectiſſimi filii tui.* Nominatim *nobis*, ait, ut ſe oſtendat non precari pro ſe uno, non precari ſolum, ſed & pro omnibus, & cum omnibus. Quantum igitur ſcelus eſt, populo, cujus ſolenniter adeò negotium agitur, hanc precum partem invidere; inprimis cùm ille Sacerdoti curam ſic ſecretò nomine ſuo orandi non commiſerit; uti Reſpublica legato quandoque committit.

OBIECT. III. *Non clamare debet Sacerdos, tum ne clamando his quæ aguntur, minùs intendat: tum ne vox ejus nimio clamore deficiat: tum ne Sacra verba vileſcant.* Reſp. 1. An verò nihil periculi eſt, ſi plebs ipſa non intendat? Cur ergo hortantur: Surſum corda? Cur olim Græci in Marci Liturgia clamabant, ἐκτείνατε, *intendite?* Quomodo autem intendere potuit, ſi nihil audiat? Et quoties ad Deum ſe clamâſſe docet David, non minùs tamen intentus, quàm ſi ſummiſſa voce orâſſet? Denique in Litaniis illorum qui clamores ſuſtolluntur? Neque iccirco frangi intentionem ſuam queruntur. 2. Eſdras olim legit ab aurora ad meridiem, ita ut populus univerſus & audiret & attenderet. Neque tamen queſtus eſt ſibi vocem deficere. Et ſacrificulos vox deficeret ad exiguum momentum paulò altiùs vocem intendentes? Stentoreos clamores nemo deſiderat. Vox mediocris, clara, diſtincta ſufficere poteſt. 3. Neque periculum eſt, ne ſacra vileſcant. Nam Chriſtus, Apoſtoli, veteres Chriſtiani Sacrorum reverentiſſimi, non iccirco à clara pronuntiatione abſtinuerunt. Et quid fieret verbis Baptiſmi, quæ clarè etiam pronuntiantur?

EXCIP. REDING: 1. *Licet ſub myſtico ſilentio peragatur actio, nutibus tamen & ſignis aliis percipi illa poteſt, ut non fruſtra adhortatio ſit:* Surſum corda. 2. *Clamor vel ex intenſa cordis intentione, vel ex alieno imperio proficiſcitur. Prior in Davide locum habuit, ſupponens intentionem tantò efficaciorem, quantò validiorem effectum producit. In poſteriori pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus. Sanè etiam Sacerdos V. T. ſolen-*

ne thuris sacrificium facturus, solus intra velum perrexit, ibique precatus est. 3. Christum nonnisi clara pronuntiatione Eucharistiam celebrasse, qui probas? Evangelistæ nullum verborum sonum, quo is benedixerit & gratias egerit, referunt. Ibid. pag. 368.369. Resp. 1. De notitia mussitatæ consecrationis, ex nutibus aliisque signis hausta, supra diximus. Olim pronuntiatis verbis, *sursum corda*, ilico populus respondit: *Habemus ad Dominum.* Si nutibus aliisque signis res cognita fuisset, nutibus, non verbis populus respondisset. Sed de hoc quicquid fiat, nulla tua ratio est, quia nec clamandum, nec mussandum, sed sonorè loquendum est; & qui clamat, non propterea non est attentus. Uti Davidis exemplo probavi. Ast aliam ais rationem esse clamoris, qui ex alieno imperio proficiscitur, non ex intensa cordis intentione. Sacerdos ergo ex intensa cordis intentione (quam ad validitatem sacramenti requiritis) clamare non potest? Fortè quia missando *intensam cordis intentionem* nullam habet. Et si verba consecrationis idem declamaret, an declamaret *ex alieno imperio*, & tali quidem, quo intentio disturbaretur? Quid sic fiet de theatrica Musica vestra, & universo canendi clamandique in choro studio, quo fit, ut nihil nisi cantetis in omnibus pietatis vestræ actibus, etiam cùm intentissimè vos putatis Deum orare. Sacerdos olim cum thure solus intra velum perrexit, fateor. Non ergo fuit cum populo, uti vester: neque, ut ille, malignè mysteria Dei dispensavit, ut silentio populo illuderet: neque denique sonora ei pronuntiatione in adyto opus fuit: neque in eo sacrificulorum vestrorum, sed Christi Cœleste sacrarium cum sacrificio suo ingredientis typum gessit. Saltem murmurasse, mussitasse eum, vestro more, nulla historia testis est. 3. Quicquid de benedictione & gratiarum actione fiat, verba certè, *Hoc est corpus meum*, sonorè à Christo dicta esse, supra probavimus. Neque etiam ulla ratio suadet, benedictionem mussitatam, reliqua verò sonorè pronuntiata esse, licet id *ἀυτολεξὰ* Evangelistæ non significaverint. Sicut Eucharistiam Christus propter discipulos instituit; ita benedictionis & Eucharistiæ verba eos haud dubiè nullus celavit, inprimis cùm ratio accipiendi, edendi, bibendi symbola corporis & sanguinis ejus ex benedictione illa fluxerit.

OBIECT. IV. *Etiam Christus in silentio peragebat oblationem sui. Ergo ejusdem repræsentatio in silentio etiam fieri debet.* Resp. 1. At Christus in cruce *ἀνεβόησε φωνῇ μεγάλῃ clamavit voce magna*, Matth. XXVII.50. Luc. XXIII.46. Emortualia igitur verba & emisit, & clarè ac sonorè emisit. At Sacrificuli monstroso commento cùm loquuntur, tacent, cùm tacent loquuntur. 2. Neque Christus in cruce Sacramentum, sed potiùs rem Sacramenti peragebat.

EXCIP. REDING: 1. *Etsi Christus in cruce clamavit, ut plurimùm tamen silebat. Clamor per loquentem sacerdotem, silentium per eundem silentem figuratur. Etiam cùm clamavit, mysterium tacitum suberat. Et clamans ergo tacebat: & tacens clamabat. 2. Ipsa sacramenti res oblatio Christi in cruce in silentio facta, in sacramento per silentium repræsentatur.* Ibid, pag 369. Resp. 1. Fingitis refingitisque Christum pro lubitu, ut ludicris ceremoniis vestris servire eum cogatis. Clamavit ille in cruce & siluit. Vos nec clamatis in Missa, nec siletis; sed loquimini & mussatis. Bis clamando Christus non tacuit clamoris mysterium, sed alta voce semel se à Deo desertum quiritatus est, atque

iterum,

tterum Deo commendavit Spiritum suum. Hoc mysterium gemini clamoris erat, neutiquam tacitum. Silentium ejus patientiæ indicium præbuit. Sacerdos silens vel mussans, quæ Christi exemplo mussare non debuit, alia omnia se repræsentare dicit, Christus offerens se ipsum in cruce & siluit, & septem verba sonorè locutus est, ac quædam etiam clamavit. Sacerdos vester consecrans, simúlque offerens: nec silet, nec sonorè loquitur, nec clamat, sed mussat seu inhalat, adeóque novo monstrosóque commento neque tacet cùm se tacere profitetur: cùm loquitur, tacet: cùm tacet, loquitur. Hoccine est bona fide Christi actiones repræsentare: an potiùs novas actiones suscipiendo nova mysteria fingere, & Deo hominibúsque illudere? Talis Missa vestra est. 2. Quàm malæ ergo fidei sit repræsentatio vestra rei in Sacramento significatæ, ex his ipsis, quæ diximus, discere potes.

OBJECT. V. *Basilius de Spir. S. cap. 27. jam olim docuit, multum conferre ad dignitatem mysteriorum tuendam, ut non assuescant homines eadem sæpius audire, vel potiùs ut non efferantur ad aures vulgi. Sed & Innocentius I. P. R. Ep. I. cap. 1. indicat, præcipuam Missæ partem esse Secretam. Negat enim aperienda esse ea, post quæ omnia pax est indicenda. Præterea ex Liturgia Basilii & Chrysostomi constat, olim quædam ἐκφώνως, clarè, quædam μυστικῶς secretò pronuntiata esse. Denique huc pertinet, quòd Alcuino teste, Pastores quidam ob pronuntiata consecrationis verba cælesti igne perempti sunt.* Resp. 1. Basilius & Innocentius locis citatis non de secreta pronuntiatione verborum quorumcunque, sed de non vulgandis apud profanos necdum initiatos sacris mysteriorum officiis, agunt. Alioqui Basilii Liturgia verba consecrationis pronuntiari *ἐκφώνως clarè*, disertissimè præcipit. Unde Bellarminus *lib. 2. de Missa cap. 12.* fatetur, *verba consecrationis in Ecclesia Orientali alta voce pronuntiari consuevisse.* 2. Tempore Basilii & Chrysostomi quædam ἐκφώνως, quædam μυστικῶς pronuntiata esse in eorum quidem ecclesiis, verum est. Sed hoc ad secretam pronuntiationem verborum consecrationis Missaticam nihil prorsus attinet, cùm verba ea clarè pronuntiata esse penitus constet. Cur verò & quomodo Sacerdos vocem attollere & summittere consueverit, rationem reddit Cabasilas *Exposit. Liturg. cap. 15:* Nimirum dum populus præeunte Diacono orabat vel psallebat, Sacerdos, quem nec feriari, nec Diacono præeunte succinere decuit, orabat interea, sed *ἡσυχῇ quietè* & summissiori voce, nec populo eodem tempore oranti obstreperet. 3. Prodigium illud Pastorum verba consecrationis pronuntiantium & cælesti igne consumptorum, à Pontificiis confictum esse in hujus ipsius dogmatis gratiam, multa arguunt. Nam scriptores illi supra à nobis memorati nec temporis, nec provinciæ, nec ullius verisimilis circumstantiæ, planè ut fabulatores solent, meminerunt. Cúmque Pastores illos de Cœlo percussos statim interiisse scribant, unde causam illius supplicii didice-

runt ii,qui primi descripserunt,& decretum,quod fingunt illi ex hoc prodigio secutum,ubi,in qua Synodo,à quibus Patribus,quo Augusto imperante factum est? Quæ Bellarminus nugatur de miraculo hoc,eodem videlicet cum illo quod Sophronius scriptor Græcus descripsit in Spirituali Prato,eruditè solidéque discussa sunt à Cl. Dalleo *de Cult.Lat.Relig. Lib.VIII. cap.5.*

EXCIP. REDING : 1. *Basilium torques. Ille enim loc. cit. indefinitè loquitur, ad dignitatem & reverentiam mysteriorum conferre ajens , ut non assuescant homines sæpius ea audire,vel potiùs,ut non efferantur ad aures vulgi. Neque obstat,quòd is consecrationis verba clarè pronuntiari scribit ; quia Ecclesia hoc liberè determinat. 2. Non in eo duntaxat casu, quo juxta Cabasilam præeunte diacono populus psallebat,Sacerdos secretò orationes persolvit (quamquam vel hinc satis constat,verba à populo licet non audita,religiosè & sanctè à Sacerdote proferri) sed juxta liturgias veteres, populo tacente, ipse quoque Sacerdos mystica verba secretò protulit , Innocentio citato teste. 3. Sophronius historiam Pastorum illorum describens, ab ea secretæ pronuntiationis originem haud derivat. Quanquam origo satis antiqua esset, cùm historiam illam ab Alcuino Seculo octavo proditam constet. Falsò etiam, Pastores illos de Cœlo percussos interiisse, scribis.* Ibid.pag.369. 370. Resp, 1. Quicquid sibi Basilii verba allata velint,id clarissimum est, neque negare tu potuisti,juxta ipsum *Sacerdotem caput inclinantem , & dextram suam reverenter extollentem benedicere sanctum panem , ἐκφώνως clara voce dicentem : Dedit S. Apostolis, dicens ; Accipite,comedite,Hoc est corpus meum,quod pro vobis frangitur. Chorus canit, Amen.* Ita verò benedicit sacerdos non ex libera & mutabili institutione Ecclesiæ , uti ex impotenti partium studio fingis,sed exemplo Christi,& sic exigente re ipsa. Totus ergo Basilius hac in quæstione noster est. Idem verò *de Spir. S. cap.* 27. duo eorum, quæ in Ecclesia servantur, genera distinguit, nempe κηρύγματα *prædicationes*, quas ait nos ἐκ τῆς ἐγγράφης διδασκαλίας *ex doctrina scripta habere* ; (intelligit ea fidei capita, quæ scripturis S. tradita complectimur) & δόγματα *dogmata* sive placita, decreta, ritus , quibus Sacramenta in Ecclesia ministrantur. Nam ad hæc Baptismi varios ritus refert. Et de *dogmatis* his inter alia affirmat, quòd ea ἐκ τῆς τῶν Ἀποστόλων παραδόσεως διαδοθέντα ἡμῖν ἐν μυστηρίῳ παρεδεξάμεθα, *ex Apostolorum traditione ad nos in mysterio, sive occulto propagata acceperimus* ; quódque ἐκ τῆς ἀδημοσιεύτου ταύτης καὶ ἀπορρήτου διδασκαλίας , ἣν ἐν ἀπολυπραγμονήτῳ σιγῇ οἱ πατέρες ἡμῶν ἐφύλαξαν , *ex hac minimè publicata & arcana doctrina , quam* (inquit) *Patres nostri silentio quieto, minimèque curioso servarunt.* Qua in re Patres illos laudat his verbis : ἃ γὰρ οὐδὲ ἐποπτεύειν ἔξεστι τοῖς ἀμυήτοις, τούτων πῶς ἂν ἦν εἰκὸς τὴν διδασκαλίαν θριαμβεύειν ἐν γράμμασι ; *Nam quæ nec intueri fas est non initiatis, qui conveniebat eorum doctrinam publicitus scripto circumferri?* Nonnullis de eodem argumento interjectis κηρύγματα seu *prædicationes* à δόγμασι *dogmatis* sic distinguit : Τὰ μὲν γὰρ δόγματα σιωπᾶται. Τὰ δὲ κηρύγματα δημοσιεύεται. *Dogmata quidem silentur : prædicationes verò publicantur.* Quòd igitur ait *dogmata sileri*, manifestum est, non absolutè capiendum esse, quasi illa nunquam enunciari debeant, ne apud initiatos quidem(quod & ridiculum,& stultum esset) sed comparatè ad κηρύγματα, *prædicationes*, seu capita fidei, quæ palam docentur; cùm ritus omnibus ἀμυήτοις *non initiatis* remotis obiri consueverint. Hoc illud *silentium* est, quo scilicet ritus

tacc-

tacebantur, & usurpabantur non coram quibusvis, sed coram iis duntaxat, qui à Sacramentorum celebratione removebantur, quóque *mysteriorum venerationem* conservari dixit. Negat enim mysterium esse τὸ εἰς δημώδη καὶ ἀγοραίαν ἀκοὴν ἐκφερόμενον, *quod ad populares & vulgares aures effertur*; significans, non omni, qui in populo censetur, etiam initiato, sed non cuivis de vulgo temerè ac promiscuè, adeóque etiam ἀμυήτῳ prodi. Denique rationem, cur quædam absque scripto tradita sint, hanc affert, ne *dogmatum* (rituum sacrorum) *cognitio propter assuetudinem vulgò in contemptum veniret.* Non ergo Basilius *indefinitè* loquitur, ut liceat dogmata alia silere, alia enuntiare, pro Ecclesiæ lubitu: sed *definitè* de dogmatis seu ritibus, quos inter varios Baptismi ritus enumerat. Quis verò fando audivit, in Baptismo omnia sileri, nihil enuntiari debere? An sic apud vos? Neque perpetuum illud silentium facit, sed primæ tantùm traditionis; non quòd in sacramentorum celebratione sileatur quicquam; sed quia ea traditio olim, & ab initio scriptis publicata non fuerit. Proin silentium non voci, sed scriptioni opponit. Sileri ait non apud quosvis, sed apud ἀμυήτους, *non initiatos*; non apud initiatos, quibus ἐποπτεύειν *intueri* fas est. Vos, ô portentum! vultis taceri in media ipsa celebratione: taceri apud τοὺς μεμυημένους, *initiatos*; apud ἐπόπτας *spectatores*; quos habetis pro porcis, quibus margaritæ projiciendæ non sint; licet eos porcis sic æquiparatos mysteriis communicare patiamini. Denique quicquid hoc est silentii, de iis ritibus, qui non ex S. Scriptura, sed ex non scripta traditione constant, intelligit. Vos autem ea verba eumprimis tacetis, imò taceri jubetis, quæ maximè ex Scripturis constant. Sed quò provehor? 2. Explicationi liturgiarum Basilii & Chrysostomi, in quibus quædam ἐκφώνως, quædam μυστικῶς pronuntianda sanciuntur, ex Cabasila allatæ resistere neque potuisti, neque sustinuisti. Confecta igitur de iis res est. Nam quæ summissè sacerdos orabat, juxta rationem à Cabasila allatam aliter, populo alta voce psallente, pronuntiari haud decuit, & orationem privatam continebant. Nihil hoc ad murmur sacerdotis vestri, verba Christi plena consolationis populum celantis. Quantum verò ad Innocentium I. ejus verba *Epist.1. c.1.* sic sonant: *Pacem ergo asseris ante confecta mysteria quosdam populis imperare, vel sibi inter Sacerdotes tradere, cùm post omnia, quæ aperire non debeo, pax sit necessariò indicenda.* Hincne sanus quisquam inferre potest, *populo tacente sacerdotem mystica verba secretò* protulisse? Loquitur Innocentius ex consuetudine & legibus ævi, juxta quam in sacra synaxi acta, absentibus non initiatis, vulgari non solebant. Negat ergo, illa se *aperire*, hoc est, chartæ vel literis committere, alióve modo revelare debere. Id enim erat vetitum. Proin verendum erat, ne epistola, si hic illa aperuisset, in hominis alicujus non initiati manus incideret, qui ea inde disceret ac vulgaret. Hinc colligere licet, liturgiam tum temporis incognitam secretámque fuisse. Sed quibus? Non omnibus, non communicantibus, sed profanis scilicet & non initiatis, quales erant Ethnici & Catechumeni, quorum per ista tempora ingens erat Christianis passim permixta multitudo. Inepta ergo ratiocinatio vestra est, qua inde concluditis, & ista, quæ hic Innocentius, & alia, quæ ceteri Patres paribus locis tacent ac eloqui verentur, fidelium populo sacra audienti & spectanti ignota fuisse. Imò qui hæc non initiatis ignota ajunt, iidem initiatis nota esse, passim testantur. Unde illæ formulæ: Ἴσασιν οἱ μυηθέντες, ἴσασιν οἱ μεμυημένοι. *Nosti qui initiatus es; Sciunt initiati*, Græcis: & *Norunt fideles*, aliáque ejusmodi Latinis Patribus familiaria passim occurrunt. 3 De Pastoribus narrationem primus Author libri *de Divinis Officiis*, quem Alcuinum, seculi octavi scriptorem Bellarminus,

Chesnæus aliique eruditi multò recentiorem, post decimum seculum florentem tradidere texuit. Is cum Canonem explicans, pauca de Deo in Spiritu adorando præfatus, rudem fabellam,& ab incude calentem his verbis tradidit: *Icirco, ut ferunt, consuetudo venit in Ecclesia, ut tacitè ista obsecratio atque consecratio à sacerdote cantetur, ne verba tam sacra, & ad tantum mysterium pertinentia vilescerent, dum pæne omnes per usum ea retinentes, per vicos & plateas, aliisque in locis, ubi non conveniret, ea decantarent. Inde fertur, quòd antequam hæc consuetudo inolevisset, cùm Pastores ea decantarent in agro, Divinitus sint percussi.* Frustra hic quærimus diem & Consulem, quo vel illa de tacito cantu mirifica lex lata est, vel Pastores illi Divinitus percussi: frustra legis authorem, Pastorum Patriam, nomen. *Ut ferunt*, inquit: *Inde fertur.* Planè uti Æsopus suis præfari fabulis solebat: Ἄνθρωπός τις εἶχεν ἵππον καὶ ὄνον, *Homo quispiam habuit equum & asinum*: Ἄνθρωπός τις πρὸς σάτυρον φιλίαν ποιησάμενος: Ἄνθρωπός τις ξύλινον ἔχων θεὸν, &c. Hoc scilicet modo Pontificia religio miraculorum officina evasit: adeò ut vix ullum problema proponi possit, cui firmando non ilico myriades prodigiorum succurrant. Cúmque non solus Pseud-Alcuinus, sed etiam Honorius Augustodunensis *Gener. M. an. c.* 103 Durantes *Rat. Div Off. c. lib. IV.* 35. discrtè tradunt, Pastores illos *Divinitus percussos*, & Divinitus percussos (uti clarissimè Honorius, ne id, Redingi, ignores ampliùs) *interiisse*; imò (uti durantes loquitur) *Divino judicio igne Cælitus misso percussos esse*; denuo non abs re quæro, *unde causam illius supplicii didicerint* ii, *qui primi descripserunt?* Responde, si potes, Redingi. Neque enim causam tuam juvare potest Sophronius, seu potiùs Johannes Muscus, author Prati Spiritualis, quem Bellarminus in subsidium desperatæ causæ advocat. Repeto enim, miraculum à Sophronio illo descriptum, ab eo, quod Pseud-Alcuinus narravit, diversum esse, adeóque nihil planè ad rem facere. Conveniunt equidem Pastores, ager, saxum, panis, vinum, verba oblationis prolata à laicis, ignis Cœlo lapsus. In cœteris latum discrimen est, Sophronius ait *pueros* fuisse. Latini *Pastores*, nulla mentione ætatis addita. Ille, pueros stupentes, attonitos, exanimatos: hi Divinitus percussos intereuntes. Ille parentum pavorem, famam de miraculo ad Episcopmu delatam, monasterium ædificatum, Ecclesiam conditam, altare positum. Apud hos de talibus altum silentium est. Quin & Latini panem ad verborum sacrorum prolationem in carnem mutatum discertè tradunt. De hac mirabili metamorphosi Sophronius ne hilum quidem habet. Denique nec legis ejus, quam Latini post factum illud latam ajunt, Sophronius ullo apice meminit. Quis ergo diversitatem historiæ (si modò historia est Pseud-Alcuini narratio) diversitatem non agnoscat? Claudam disceptationem verbis Hugonis de S. Victore *in Theol. erud. cap.* 7. ubi sic ille: *In primitiva Ecclesia alta voce proferebatur* (secretum) *donec Pastores memoriter ex quotidiano usu verba retinentes in campo eodem cantabant. Sed ipsi Divina vindicta ibidem percussi sunt. Unde Ecclesia consuevit propter reverentiam tantum mysterium secretò agere.* Teste ergo hoc magno erroris vestri cunabula, in dubium abs Te vocata, disce.

QUÆ-

QUÆSTIO IX.

An in Calice Eucharistiæ Sacerdos vinum aquâ miscere necessariò debeat?

AFfirmat Synodus Cap.VII. & Can.IX.ubi negantes diro anathemate devovere non dubitat. Ritum porro hunc ipsius Christi exemplo confirmat, adeóque juris Divini necessitatem supponit. Nos quidem arbitramur, mixturam ejusmodi ritum esse ἀδιάφορον, verbo Dei nec mandatum, nec prohibitum, ideóque liberè usurpandum omittendúmve, dum ne ordo ecclesiæ turbetur. De substantia, ut loquuntur, Dominici Calicis est, ut *vinum* contineat, quod sit γέννημα ἀμπέλου *genimen vitis*. An verò illud sit merum an mixtum, ad essentiam rei non refert. Consultissimum est tali vino uti, quale in vulgari usu adhibetur. Proinde Synodum necessitatem juris Divini prætendentem, ritum hunc anathemate definientem, sine præeunte Dei verbo peccata & quidem mortalia fingentem, & immani tyrannide conscientiis superstitiosis dominantem, argumentis sequentibus refellimus.

ARG. I. Christus Cœnam administravit adhibito Symbolo *vini*, seu γεννήματος ἀμπέλου *geniminis vitis*. Merum an mixtum illud fuerit, incertum. Si *mixtum*, tali usus est ex consuetudine Orientalium, vina fortia & in calida regione diluentium. At id ipsum ut fiat iis in regionibus, quibus hæc consuetudo haud obtinet, non præcipit. Mutatæ circumstantiæ factum ipsum, quatenus ab illis pendet, mutant. Si *merum*, cur miscent illi, qui in vulgari usu vinum miscere haud solent? Annon præter mandatum & institutionem Dei partem Divini cultus ordinantibus dici potest illud Esaj.I.22. סבאך מהול במים *vinum tuum mixtum est aqua?*

RESP. REDING: *Haud obscurè sic fateris exemplum Christi non quoad universas suas circumstantias institutionis divinæ substantiam complecti. Hoc supposito, cùm Ecclesia potestatem habeat de circumstantiis Sacramenti liberè statuendi, potuit ex mystica ratione statuere, ut vinum aqua misceretur.* Tomo III. Tract. IX. ff. 2. pag. 370. 371. Resp. Non quasvis Sacramenti circumstantias, quævis accidentia Ecclesia mutare potest. Sunt enim quædam necessaria & immutabilia, quorum necessitatem institutio Christi imponit. In reliquis Ecclesia quævis particularis potestate utitur cum ratione statuendi, quod commodum & utile videtur, sic tamen, ut nec mysterium aliquod ritui à se constituto tribuat, nec ex ceremonia libera sic necessariam faciat, ut à nulla alia Ecclesia particulari citra peccati reatum omitti possit. Romanenses autem mixturam isthanc sic obtru-

dunt ut mysticam; & simul necessariam esse decernunt, ut sine peccato à nulla alia Ecclesia omitti possit. *Ecclesia Catholica* (sic Bellarminus *de Euchar. lib. IV.* 10. de Romanensi loquens) *semper credidit ita necessarium esse aqua vinum misceri in calice, ut non possit sine gravi peccato omitti.* Quin etiam eandem ibi usurpant, ubi usurpandam esse nulla recta ratio, & analogia cum institutione Christi usurpandam esse suadet. Et tyrannicum igitur & irrationale eorum decretum est, à cujus jugo Ecclesia liberanda fuit, atque etiamnum est.

ARG. II. Eadem ratio est vini, quæ panis. At de pane rectè judicat ecclesia, ad essentiam haud pertinere, triticeus sit, fermentatus an azymus. Proinde nec in vino refert, qua præditum qualitate sit, dum vinum modò sit.

Resp. Reding: *Non pugnat nobiscum. Uniformiter enim sentimus, mixtionem aquæ cum vino esse quidem valde convenientem Sacramento Eucharistiæ, non tamen esse de necessitate seu essentia calicis consecrandi. Potest enim Eucharistia perfici per formam consecrationis prolatam super solo vino, quod pro materia hujus Sacramenti à Christo præcisè definitum est.* Unde *Catechismus Pii V. cap. de Euchar. postquam dixisset, illam mixtionem aquæ non esse prætermittendam absque mortali peccato, subdit tamen: Si aqua deest, perficitur Sacramentum.* Ibid. pag. 371. Resp. Insignem sophistam agis, & quæstionis statum pervertis. Non enim, an mixtura illa ad consecrationem necessaria sit; sed an ad Sacramentum sic necessaria sit, ut sine peccato mortali omitti nequeat, quæritur. Posterius vos sentire, Bellarmini verba à me citata docent; & Tridentini, anathema dicentes iis, *qui dixerint, aquam non esse miscendam vino in calice offerendo, quòd sit contra Christi institutionem*, dubitare non sinunt. Miror sanè, te *uniformem sententiam* jactare ausum. Bellarmini sententiam percepimus. Et sententiam illam, quæ mixturam à præcepto potiùs divino quàm Ecclesiastico derivat, magis probabilem esse, Gregorius Valentia *Disp. VI. q. 12. de Euchar. mater. p. 1* censet, additque, similiter sentire Hosium, Alanum, idémque insinuare Scotum. Contra Soto: *Appositio aquæ*, inquit, *non est de necessitate Sacramenti*, Thomas Aquinas *parte 3. q. 73. art. 7.* *Consequens est*, inquit, *quod appositio aquæ non sit de necessitate Sacramenti.* Biel. *lect. 35. in Can.* negat equidem, aquæ admixtionem esse de necessitate Sacramenti; addit tamen, *esse de necessitate ministri consecrantis.* Negantis sententiæ plures rationes affert. cujusmodi, *quòd alias qui oblivione aut ignorantia omisisset, non excusaretur: quòd Græci dicantur aquam non apponere & tamen conficere: quòd quicquid est de necessitate Sacramenti, remaneat, vel secundum substantiam, vel secundum accidens, quorum neutrum fit in aqua, cujus & substantia in vinum transeat, & neque odor, neque sapor remaneat: quòd nullo in Evangelio legatur aqua apposita: quòd quicquid est de substantia Sacramenti, efficiat, quod figurat; aqua autem nihil, quia neque corpus Christi verum, neque mysticum efficiat.* Sed vestros vos morbos curate, si vultis & potestis. Post Tridentinum Concilium *mortale peccatum* patrant, *anathemati* subjacent non miscentes, verissimo argumento usi, quòd Christus non instituerit. An ergo non multum refert, qua vinum qualitate præditum sit? Unum insuper à te, Redingi, quæro. Fateris, *vinum à Christo pro materia hujus Sacramenti præcisè determinatum esse.* Quid ergo fit aquæ vino mixtæ? In vinum eam transire, Gabriel Biel dixit. Sed confundi equidem eam vino, non

tamen

tamen in illud transire, argumento est, quòd nullo negotio separari possit. Quæ autem in alterius rei substantiam transiverunt, separari nequeunt. Quid ergo in consecratione calicis fit aquæ? Vel consecratur illa, unà cum vino, vel non consecratur. Si non consecratur, communis igitur aqua manet. Ubi ergo aquæ mysterium, à vobis decantatum, quod non nisi ex consecratione dependere potest. Si consecratur, quomodo constat assertio tua, vinum solum à Christo pro materia Sacramenti hujus consecrandi determinatum esse?

ARG. III. Nititur decretum hoc plenitudine potestatis Pontificiæ, quam sine verbi Divini suffragio sibi arrogant.

RESP. REDING: *Qui Pontificiam authoritatem contemnunt, digni sunt, qui pro Ethnicis & publicanis habeantur.* Ibid. pag. 371. Resp. Christus hæc de Ecclesiæ, scandalosum redarguentis; adeóque particularis cujuslibet; non Papalis vel Ecclesiæ, quæ particularis haberi non vult; vel tyrannidis contemptoribus edixit.

ARG. IV. Sed & libertatem ecclesiæ plurimùm lædit, rem per se adiaphoram sub anathematis & mortalis peccati pœna injungere.

RESP. REDING: *Num igitur libertatem Ecclesiæ obligatio obediendi Præpositis lædit.* Ibid. pag. 371. Resp. Obligatio recta & conveniens Dei verbo non lædit. At lædit obligatio obediendi Præpositis res liberas in necessarias, mysticas, partem cultus convertentibus, ex non peccato peccatum facientibus, & decreta sua nullo mandato Dei, nulla recta ratione nixa conscientiis hominum obtrudentibus. Intelligis mentem meam.

ARG. V. Florentinum Concilium Armenos sine mixtione celebrantes ursit non Divini, sed ecclesiastici mandati authoritate. Et necessariam non esse, sed decoram duntaxat & honestam, vel certè ad *bene esse* potiùs quàm ad *esse*, hanc mixturam, statuunt Thomas, Bonaventura, Richardus, Alexander Ales, Scotus, alii, de quibus videatur Illustris Mornæus *de Euch. lib. 2. cap. 5.* Ipsa glossa Juris Canonici sciscit, aquam esse admiscendam in calice *de honestate tantùm*, quæ verba post Concilium Tridentinum jussu Pii V. expurgata sunt. Sed & Puteanus *ad 3. Th. q. 47. dubit. 2.* pertendit, *aquam esse vino permiscendam, præcepto non Divino, sed humano ecclesiastico.* quam sententiam dicit communiter teneri ab omnibus, citatis nominatim Soto & Gabriele Biel.

RESP. REDING: *Concilia Florentinum & Tridentinum consentiunt. Utraque enim mixturam à præcepto Ecclesiastico derivant. Et si non de licita, sed de valida Sacramenti administratione sermo sit, verum est, mixturam non ad Esse, sed ad bene Esse Sacramenti pertinere.* Ibid. pag. 371. 372. Resp. Æquumne ergo erat, mandata non Divina, sed humana, quæ homines nulla ratione, sed sola voluntate freti, non ad Esse, sed ad bene Esse Sacramenti, ad officium administrantis, & non Sacramenti validitatem facere definiunt, sub anathemate, & peccati mortalis reatu sancire? An sic Concilia vetera consueverunt? Sed de contradictionibus veterum & recentiorum Theologorum vestrorum abundè supra diximus.

diximus. Argumentum eorum luculentissimum est, quòd Censura Glossarum Juris Canonici post Concilium Tridentinum jussu Pii V. edita, verba illa, *de honestate tantùm*, delere jussit; & in margine Gregoriana editio addit: *Admiscetur de præcepto Concilii Tridentini.* Aliud ergo Theologis antiquioribus, aliud Concilio Tridentino placuit. Neque is, quem fingis, consensus vester est.

ARG. VI. Jure igitur Petrus Richerius, Vir suo tempore doctissimus, Villagagnoni necessitatem absolutam commendanti opposuit, *sacrilegum* esse addere quicquam velle ad materiam Sacramenti à Christo instituti; *blasphemum* dicere, non sine grandi peccato id omitti in Cœna, quod tamen neque ad illius materiam nec formam juxta institutionem Christi pertinet; *hæreticum* affirmare post Aquarios, non posse sine aqua celebrari, cùm tamen Innocentius VIII. Saxonibus, & alter quidam Pontifex Norvvegis concessisse dicatur, ut sine vino celebrarent. Quod refert, addita Volaterrani authoritate, Puteanus *loc. cit.*

RESP. REDING: *Villagagnonum absolutam necessitatem mixturæ, velut ad essentiam Sacramenti pertinentis, & Divino mandato injuncti propugnantem, rectè sic Petrus Richerius perstrinxit. Nos non alium quàm Ecclesiastici præcepti necessitatem agnoscimus.* Ibid. pag. 372. Resp. An ergo cum lemuribus luctatum esse Villagagnonum, à Cardinali Lotharingio ad movendam Reformatis controversiam illam subornatum, (de quo Thuanus *Annal.* lib. XVI.) putas? Et sanè Richerium Tirinus vester *Controv.* 21. *n.* 11. eò quòd Villagagnoni huic se opposuisset, æquè ac Calvinum ipsum pulsat, non pulsaturus, si eam, quam tu fingis, Divini præcepti absolutam necessitatem, utpote quam à nemine vestrûm assertam non semel testaris, propugnasset. Statuit ergo Villagagnon ille mixturam Ecclesiastico præcepto semel introductam absolutè necessariam, hoc est, à Sacerdote citra peccati mortalis reatum omitti non posse. Quæ vestra utique sententia communis est, sed Richerio judice verissimo, *sacrilega, blasphema, hæretica*, ob rationes ab eo consignatas.

ARG. VII. Author Fasciculi Temporum *æt.* 6. Durandus, Platina, aliique originem mixturæ hujus arcessunt ab Alexandro I. qui anno circiter 150. sedit. Sed Decretalem Alexandri illius in *Anti-Isidoro* suo Blondellus ita exsufflavit, ut de νοθείᾳ ejus ampliùs nemo ambigere possit. Saltem decretum, si quod ejusmodi fuit, toto Occidente haud observatum esse, arguit Concilium Aurelianense IV. cap. 4. ubi sancitur, *ut nullus in oblationibus sacri calicis, nisi quod ex fructu vineæ speratur, & hoc sine aqua mixtum offerre præsumat; quia Sacrilegium judicetur aliud offerri, quàm quod in mandatis sacratissimis Salvator instituit.* Celebratum est autem hoc Concilium paulò ante Gregorium M. Ducentis demum post annis Wormariensis Synodus mixtionem habet. Sed qui jure Divino, & absoluta necessitate, anathemate firmata mixturam hanc requisiverit, ante Tridentinos Patres vix quisquam repertus est.

RESP.

RESP. REDING: 1. *Ubi Tridentinum Concilium absolutam necessitatem mixturæ definivit? Imò cap. 7. non juris Divini, sed præcepti Ecclesiastici necessitatem urget.* 2. *Concilium Carthaginense III. Can.24. mixturam reducit in traditionem Christi.. Et Cyprianus Epist. 63. dicit, nos esse admonitos & instructos à Christo, ut calicem cum vino mixtum, secundum quod ipse obtulit, offeramus. Proin etiam Eugenius in suo decreto post Sess. Ult. Concilii Florentini ait, Aquam ideo admisceri, quoniam juxta SS. Patrum & Doctorum Ecclesiæ sententiam creditur, ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc Sacramentum instituisse. Ita Justinus Apol. 2. ad Anton. Martyr. Calicem consecrandum Crama vocat; quod Plutarchus vinum aqua mixtum interpretatur. Imò poculum consecrandum vini & aquæ esse, ibidem Justinus asserit. Et Irenæus Calicem temperamentum vocat, & mixturæ ejusdem Græci in liturgiis meminerunt; Latinis, Ambrosio, Hieronymo, aliis astipulantibus. Et Trullanæ Synodi canon. 32. refert, S. Jacobum scripto reliquisse, Calicem Domini esse consecrandum in vino aqua mixto.* 3. *Alexandri Decretalis Dist. 2. de Consecrat. cap. 1. citatur. Nihil contra Blondelli reproba exsufflatio facit.* 4. *Concilium Aurelianense IV. 4. contrarium sanxit. Proin crimen falsi committit.* Ibid. pag. 373, Resp. 1. De *absoluta* necessitatis termino noli vitilitigare. De re ipsa contendimus; an ritus ejusmodi adiaphorus sub anathemate & peccati mortalis reatu obtrudi potuerit. Satis *absolutè* necessarium est, quod sic necessarium est. 2. Morem veterem fuisse aquam vino miscendi, non opus erat, ut congestis testimoniis fidem faceres. Res enim nobis comperta, neque unquam in dubium vocata est. Et possem id pluribus etiam testimoniis confirmare. Sed verò isthoc non agitur: neque inde sequitur ullum necessitatis genus, quod peccatum creet. Nullius enim Concilii, Patris nullius Divina authoritas est, sed Ecclesiastica duntaxat, quæ rerum agendarum ordinem dirigere potest, cum quo nihil mixtura hæc, nihil decretum Tridentinum commune habet. Ita antiquissimus in Baptismo mos gustandi lactis & mellis, postea tamen abrogatus fuit. Nulla ergo humana additamenta Eucharistiæ celebrandæ necessaria sunt: multò minùs illa, quorum causa cessat, cujusmodi mixtura est, cujus vel retinendæ vel abolendæ contraria in regionibus calidioribus & frigidioribus consuetudo causa esse potest. Si tamen, quod Cyprianus *Epist. 63. ad Cæcil.* innuit, mixtura illa est à *Dominica traditione*, quomodo præcepti Divini eandem esse, inficiari possis, non video. Sed ea res nihil nos movet, cùm *Dominicæ traditionis* nullam Scripturam testem habeamus. Et vel unum ex veteribus, si potes, cita, qui cum Tridentinis anathemate eos defigat, *quicunque dixerint, aquam vino in Eucharistia non esse miscendam.* Quod unum in hoc negotio reprehendimus. 3. Decretalium Epistolarum Alexandri aliorúmque Pontificum vetustiorum lumbricum, demum Caroli M. ætate, obstetricante Isidoro Mercatore, natum, & Isidori Hispaniensis larva tectum, vilissimas & verè *reprobas* fæces pretiosissimis antiquiorum Episcoporum titulis appositis venditare pro genuinis tandem, erudito hoc Seculo, Redingi, desine, ne non à solo Blondello nostro, sed etiam à Sirmundo, Petavio, Petro de Marca, Christiano Lupo, Launojo, Natali Alexandro, quin ipso etiam Baronio & Bellarmino, subinde has vel illas Pontificum decretales configentibus, aliisque paulò doctioribus communionis vestræ Theologis inscitiam tuam damnari quandoque experiare. Quanquam si ritus etiam ille ex Alexandri illius, qui circiter A. 150. floruit, institutione introductus in Ecclesiam est; promiscuusque adeò ante illud tempus fuit, causa nulla dici potest, cur non nobis multis post seculis æquè promiscuus esse debeat. 4. Si Concilii Aurelia-

nensis IV. exemplaria pleraque mendosa non sunt, sic canon 4. legendus est; *Ut nullus in oblationibus sacri calicis, nisi quod ex fructu vineæ speratur, & hoc sine aqua mixtum offerre præsumat.* Quanquam minùs Latinè. Additur ratio: quæ particulam *sine* postulare videtur: *quia sacrilegium judicatur, aliud offerri, quàm quod in mandatis sacratissimis Salvator instituit.* Atqui mixturam à mandatis sacratissimis Salvatoris, ejusque institutione arcessendam esse, ipse Tu fortiter negas: & *sacrilegium* esse omittere aquam, supra in Villagagnone, sic absolutam necessitatem mixturæ statuente, improbare visus es. Non ergo crimen falsi à me commissum probare potes, utcunque cristas tuas væcors erigas. Neque in hac Aurelianensis Concilii definitione, sive particulam *sine* Patres, sive exscriptores addiderint, rei cardo vertitur.

OBJECTIONES TRIDENTINORUM.

OBJECT. I. *Christus Dominus ipse vinum aqua miscuisse creditur.* Ita Concilium Cap. VII. Id alii probant *ex sobrietate Christi, & more patrio ac Orientalium.* Resp. 1. Christus etiam in Cœna pedes lavit, consecravit vesperi & post cœnam, & mensæ accumbens. Nemo tamen id faciendum sub anathemate & mortali peccato statuit. Nempe ea in Sacramento facienda, non quæ in eo à Christo facta sunt per accidens, sed quæ facta sunt propter ipsius Sacramenti plenitudinem, ad quam mixtura hæc minimè pertinet. 2. A Christo vinum adhibitum esse pro certo constat. At de aqua itidem adhibita nihil certi habemus. 2. Argumento à sobrietate Christi & more Christi & more patrio si quod pondus inest, id ad promiscua convivia pertinet, in quibus periclitari sobrietas, & patrius mos violari poterat; non ad Eucharisticum.

EXCIP. REDING: *Cùm rituum substantialium & accidentalium differentiam agnoscas ipse, annon Ecclesia ex circumstantiis ad Sacramenti substantiam haud pertinentibus, in hujus tamen institutione à Christo usurpatis, aliquos Ecclesia sub mysticis rationibus præcipere potest?* Ibid. pag. 374. Resp. Quia Ecclesia mysteriorum domina non est, neque ea perpetua lege vel instituere, vel instituta mysticis rationibus repræsentare potest: non ergo *sub mysticis rationibus* ritus quoscunque, sive substantiales, sive accidentales præcipere; nedum sub anathemate, & mortalis peccati reatu aliis Ecclesiis particularibus (quod Romanensis particularis & ipsa facit) obtrudere potest. Hoc ergo τὸ κρινόμενον est. Nam ritus quosdam non mysterii, sed ordinis & decori gratia Ecclesiam quamvis pro se, citra præjudicium libertatis aliarum, & procul anathematum diris, definire posse, nunquam nos inficias ivimus. Neque hoc hic agitur, sed alia omnia. Quod tute non nescis, sed dissimulas.

OBJECT. II. *Ex latere Christi aqua simul & sanguis exivit, Joh: XIX. Id ipsum autem repræsentatur in calice. Proinde ei non vinum duntaxat, sed aqua etiam insit oportet.* Concilium C. 7. Resp. 1. Aquam ex latere Christi fluentem re-

præ-

præſentari in Baptiſmo, poſt pleroſque Patres etiam Bonaventura tenuit. 2. Sanguinem repræſentari Chriſtus juſſit. At ſanguinem & aquam, vino & aqua repræſentari nuſpiam juſſit. Vinum ſolum utrique repræſentando idoneum eſt, quia repræſentatio eſt in fluxu & potu.

EXCIP. REDING: *Quidni & in Baptiſmo, & in calice Euchariſtico repræſentatio illa fieri poſſit?* Ibid. pag. 374. Reſp. Ex inſtitutione modò Chriſti repræſentationem illam in utroque illo Sacramento fieri, proba, & res ſalva erit, neque hiſcemus ultra. Cœtera ſicco pede præteris.

OBJECT. III. *In Euchariſtia repræſentatur unio Chriſti cum eccleſia. Id autem aptiſſimè fit, ſi vino aqua admiſceatur. Vinum nempe Chriſtum, aquæ populum fidelem Apoc. XVII. ſignificant.* Concilium Cap. 7. Reſp. 1. Hoc argumentum eſt evertendæ tranſſubſtantiationi. Nam ſi ita res habet, ſicut vinum in ſanguinem, ita aqua in populum ejus mutabitur. Poſterius abſurdum eſt: proin & prius. 2. Unionem eccleſiæ cum Chriſto, aqua Baptiſmi, per quam ſimus σύσσωμοι Chriſto, ſignificat; non aqua Euchariſtiæ, utpote quæ neque naturaliter, neque ex inſtitutione tale quid ſignificat. 3. Si ſemel & fortaſſè iterum aquæ ſignificant populos, an propterea etiam in Euchariſtiæ Sacramento aqua eſſe debet, ut populi ſignificentur? 4. Denique nunquam aquæ populum fidelem ſignificant.

EXCIP. REDING: 1. *Concilium congruentiam præcepti de mixtura illa hac ratione firmat, quòd in Apocalypſi aquæ dicantur populi; in Euchariſtico autem myſterio repræſentetur populi fidelis cum Chriſto unio. Vinum autem ſignificare Chriſtum, Concilium non dixit, ſed tu ei affinxiſti; ut evertendæ transſubſtantiationi umbram excitares. Cùm ergo ſecundum Apocalypſin aquæ ſignificent populum, non incongruum erat aquam calici infuſam, & cum vini Euchariſtici ſpeciebus permixtam ſignificare populum fidelem, adeóque mixturam eam in ritum accidentarium Euchariſtici ſacrificii conſtitui. Neque obſtat, quòd etiam Baptiſmi aqua unionem cum Chriſto ſignificat. Non ideo enim etiam Euchariſtia deſinit eſſe communio corporis & ſanguinis Chriſti talis, ut ea mediante multi unum corpus Chriſti myſticum fiamus.* Ibid. pag. 374. 375. Reſp. 1. Licet conceptis verbis vinum, vel ſpecies vini Chriſtum ſignificare Concilium non dixerit, ex verbis tamen ejus id ipſum conſequitur. Nam *aquam vino in calice miſcendam eſſe*; & mixtura ea *populi fidelis cum capite Chriſto unionem*, *aqua* porro *populum fidelem repræſentari*, ſanxit. Sicut autem aqua populum fidelem, alteram unitorum partem: ita vinum, vel ſpecies vini Chriſtum caput, cum quo populus ille unitur, ex mente Concilii repræſentare debuit. Quomodo enim *unio populi fidelis cum capite Chriſto* repræſentari potuit, ſi aqua populum repræſentante nihil in calice cum aqua unitum Chriſtum caput, principem unionis illius partem, repræſentavit? Poteras ergo non ſic tricari. Non enim, utcunque tergiverſeris, ictum transſubſtantiationi veſtræ inflictum curare potes. Aqua quippe vel non conſecrata populum ſignificabit (quod abſurdum ſanè eſt, apud vos inprimis, repræſentationes myſticas nonniſi à conſecratione derivantes) vel conſecrata. Si conſe-

crata

crata, ergo simul cum vino consecrata. Nulla enim in Eucharistiæ celebratione alia quàm symbolorum consecratio apparet. Juxta vos autem verba, quibus calix, adeóque & vinum & aqua in calice consecratur, sic practica sunt, ut quod dicunt, operentur, hoc est, convertunt substantias super quibus verba dicuntur. Sicut autem aqua, quæ eadem consecratione (alia enim nulla in Sacramento locum habet) commune elementum esse desinit, non transsubstantiatur in populum fidelem: ita etiam vinum non transsubstantiatur in Christum. Una enim eadémque verborum super calice, in quo vinum & aqua est, pronuntiatorum vis est; neque alia aquæ, alia vini respectu. Argumento hoc non primi nos, sed jam pridem Bertramus libro *de corpore & sanguine Christi* transsubstantiationem concussit. *Considerandum*, inquit, *quòd in pane illo non solum corpus Christi, verùm corpus etiam in eum credentis populi figuratur, unde multis frumenti granis conficitur; quia corpus credentis populi multis per verbum Christi fidelibus coagmentatur, quâ de re sicut in mysterio panis ille Christi corpus accipitur, sic etiam in mysterio membra populi credentis in Christum intimatur. Et sicut non corporaliter, sed spiritualiter panis ille credentium corpus dicitur: sic quoque Christi corpus non corporaliter, sed spiritualiter intelligatur necesse est. Sic & in vino, quod sanguis Christi dicitur, aqua misceri jubetur, nec unum sine altero permittitur offerri: quia nec populus sine Christo, nec Christus sine populo, sicut nec caput sine corpore, nec corpus sine capite valet existere. Aqua denique in Sacramento populi gestat imaginem. Igitur si vinum illud sanctificatum per ministrorum officium in Christi sanguinem convertitur, aqua quoque, quæ pariter admixta est, in sanguinem populi credentis necesse est corporaliter convertatur. Ubi namque (NB) una sanctificatio est, una consequenter operatio; & ubi par ratio, par quoque consequitur mysterium. At videmus in aqua secundum corpus nihil esse conversum, consequenter ergo & in vino nihil corporaliter ostensum. Accipitur spiritualiter, quicquid in aqua de populi corpore significatur. Accipiatur ergo necesse est spiritualiter, quicquid in vino de Christi sanguine intimatur.* Hæc Bertramus, simili planè ratione, qua ego, usus. Tu, si potes, Redingi, totum isthoc confringe. Profectò ne periculum quidem facere ausus es. Quæ porro de aquæ mysterio ex Apocalypsi Concilium arguit, nervosè dilui. Tu alatus prætervolas. Doce ergo, si potes, uspiam in Scriptura *aquam* in singulari numero & quidem exiguam, qualis in Cœna, in qua *tutius semper esse, parum de aqua apponere* decernitis, miscetur; neque adeò turbulentam, streperam, sed quietam, sedatam populum significare: doce in Sacramento significare ex intentione Christi instituentis: doce populum significare fidelem. Nôsse enim debueras, Prophetico stilo populum fidelem non aquarum, sed *terræ* frugiferæ & habitatæ nomine figurari. Sed non sine Numine Synodus *aquas* illas, in quibus Meretrix Babylonica sedet, comparavit. Populos enim Meretricem illam portantes, & non cum Christo, sed cum supposititio ejus Vicario unitos, aquis illis figurari, notorium est. Hoc mysterium in Missa vestra repræsentari ægrè non ferimus. 2. Quid ergo opus erat, aquam figuram populi, & unionis ejusdem cum Christo, constitui, quæ multò meliùs, & te ipso agnoscente, ex institutione Christi significatur per *κοινωνίαν communionem*, id est, edendo panem, & hauriendo vinum. Consuluisti vobis vafrè, qui communionem illam detraxistis, ut saltem pictura reliqua fieret populo. quomodo is, qui pane liberos saturare non poterat, saltem fistula delectabat. Quibus verò religio est

Christi

Christi institutionem non violare, ii allegoricam ejusmodi conjunctionem spernunt meritò, cùm realem obtineant.

OBIECT. IV. *Ecclesia Sacerdotibus praecepit, ut aquam vino in calice offerendo miscerent.* Concilium *Cap.* 7. *Resp.* 1. Ecclesiæ authoritas omnis humana, non Divina est, habétque momentum magnum in dirigenda εὐταξίᾳ, cum qua nihil hæc aqua commune habet. Ita antiquissimus fuit usus lactis & mellis in Baptismo prægustandi, quem Pontificii abolere propterea religioni haud duxerunt. Ecclesia igitur morem hunc coluit, sed nec ubique, nec semper, nec necessitate vel juris Divini, vel ꝭ esse, sed liberè & procul ea opinione, quam Tridentini invehunt.

EXCIP. REDING: 1. *Ubique morem illum servatum esse, ex praecedentibus liquet.* 2. *Licet Ecclesiæ authoritas subjectivè humana sit, originativè tamen Divina est.* 3. *Ex eadem authoritate prægustatio lactis & mellis in Baptismo institui & aboleri potuit.* Ibid. pag 175. Resp. 1. Author Fasciculi Temporum *Ætate VI.* Bergamensis *Lib. VIII.* Platina *in Alexandro* I. pluresque inter vos alii mixtionem hanc in Ecclesia ab Alexandro I. præceptam primùm, asserunt. Nec semper igitur, nec ubique ritus ille, ceu necessarius in Ecclesia receptus est. Quin primi Tridentini necessitatem sub anathemate definiverunt. De Armeniis veteribus & recentioribus, vino meraco Sacramentum celebrantibus nihil dicam. 2. *Originativè* Divina Ecclesiæ authoritas est; hoc est, Deus author est ejus authoritatis, qua Ecclesia legitimè utitur. At Deum Ecclesiæ Romanæ soli eam authoritatem dedisse, qua instructa illa ritus adiaphoros sub anathemate, & peccati mortalis reatu sancire, aliisque Ecclesiis particularibus obtrudere, & iisdem mysteria pro luxuriante ingenio affingere possit, id verò nondum nobis comprobasti. Sola nobis vox Dei, servitutem & necessitatem injungit. Sin necessitas ab hominibus imprimitur, consuetudinem in errorem, & authoritatem Ecclesiæ in tyrannidem degenerare clamamus. 3. Libertatem eam, qua vetus Ecclesia in instituenda & abolenda prægustandi lactis & mellis in Baptismo ceremonia, nemini sub anathemate obtrusa, usa est, nobis restituite, & hactenus salva reserit.



SESSIO XXIII.

Quæ est VII. Sub Pio IV.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Die 15. Julii An. 1563.

Cap. 1.

Sacrificium & sacerdotium ita DEI ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege extiterit.

Cùm igitur in novo Testamento sanctum Eucharistiæ sacrificium visibile ex Domini institutione Catholica Ecclesia acceperit, fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile & externum sacerdotium, in quod vetus translatum est. Hoc autem ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis eorúmque successoribus in sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi & ministrandi corpus & sanguinem, nec non peccata dimittendi & retinendi, sacræ literæ ostendunt, & Catholicæ Ecclesiæ traditio semper docuit.

Cap. 2.

Cùm autem divina res sit tam sancti sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quò digniùs & majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures & diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent: & ita distributi, ut qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. Nam non solùm de Sacerdotibus, sed & de diaconis sacræ literæ apertam mentionem faciunt, & quæ maximè in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent: & ab ipso Ecclesiæ initio sequentium ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, subdiaconi scilicet, acolythi, exorcistæ, lectores & ostiarii in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam subdiaconatus ad majores ordines à Patribus & sacris Conciliis refertur. In quibus & de aliis inferioribus frequentissimè legimus.

Cap.

Cap. 3.

Cùm Scripturæ testimonio, Apostolica traditione & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem (quæ verbis & signis exterioribus perficitur) gratiam conferri, dubitare nemo debet. Ordinem esse & propriè unum ex septem sanctæ Ecclesiæ sacramentis. Inquit enim Apostolus: Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis & dilectionis & sobrietatis.

Cap. 4.

Quoniam verò in Sacramento Ordinis, sicut & in Baptismo & Confirmatione, character imprimitur, qui nec deleri nec auferri potest, meritò sancta Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt novi Testamenti sacerdotes temporariam tantummodò potestatem habere, ac semel ritè ordinatos, iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant. Quòd si quis omnes Christianos promiscuè novi Testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quàm Ecclesiasticam Hierarchiam (quæ est ut castrorum acies ordinata) confundere, perinde ac si contra Beati Pauli doctrinam, omnes Apostoli, omnes Prophetæ, omnes Evangelistæ, omnes Pastores, omnes sint doctores. Proinde sacrosancta Synodus declarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos (qui in Apostolorum locum successerunt) ad hunc Hierarchicum ordinem præcipuè pertinere, & positos (sicut idem Apostolus ait) à Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei, eósque presbyteris superiores esse, ac sacramentum confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quorum functionum potestatem reliqui inferoris ordinis nullam habent. Docet insuper sacrosancta Synodus, in ordinatione Episcoporum, sacerdotum & cæterorum ordinum, nec populi, nec cujusvis secularis potestatis, & magistratus consensum sive vocationem sive auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio: quin potiùs decernit, eos qui tantummodò à populo aut seculari potestate ac magistratu vocati & instituti, ad hæc ministeria exercenda ascendunt, & qui ea propria temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiæ ministros, sed fures & latrones, per ostium non ingressos, habendos esse. Hæc sunt, quæ generatim sacræ Synodo visum est Christi fideles de Sacramento Ordinis docere. His autem contraria certis & propriis Canonibus in hunc, qui sequitur, modum damnare constituit, ut omnes, adjuvante Christo, fidei regula utentes, in tot errorum tenebris Catholicam veritatem faciliùs agnoscere & tenere possint.

De Sacramento Ordinis.

Canon 1.

Si quis dixerit, non esse in novo testamento sacerdotium visibile & externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi & offerendi verum corpus & sanguinem Domi-

ni, & peccata remittendi & retinendi, sed officium tantùm & nudum ministerium prædicandi Evangelium: vel eos, qui non prædicant, prorsus non esse sacerdotes, Anathema sit.

Canon 2.

Si quis dixerit, præter sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios ordines & majores & minores, per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tendatur, Anathema sit.

Canon 3.

Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram Ordintiaonem non esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum à viris rerum Ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantùm ritum quendam eligendi ministros verbi Dei & Sacramentum, Anathema sit.

Canon 4.

Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum S. ac proinde frustra Episcopos dicere, Accipe Spiritum S. aut per eam non imprimi characterem, vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, Anathema sit.

Canon 5.

Si quis dixerit, sacram Unctionem, qua Ecclesia in sancta Ordinatione utitur, non tantùm non requiri, sed contemnendam & perniciosam esse, similiter & alias Ordinis ceremonias, Anathema sit.

Canon 6.

Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris & ministris, Anathema sit.

Canon 7.

Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem, vel ordines ab ipsis collatos sine populi vel potestatis secularis consensu, aut vocatione, irritos esse: aut eos, qui nec ab Ecclesiastica & canonica potestate ritè ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi DEI & Sacramentorum ministros, Anathema sit.

Canon

Canon 8.

Si quis dixerit, Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos ac veros Episcopos, sed figmentum humanum, Anathema sit.

Decretum de reformatione.

Cap. I.

Declarat sancta Synodus, omnes Episcopos, Archiepiscopos, & quacumque nomine & titulo Ecclesiis præfectos, etiam Cardinales obligari ad personalem in sua Ecclesia vel diœcesi residentiam: neque abesse posse, nisi ex causis & modis infra scriptis.

Nam cùm charitas, vel urgens necessitas, vel debita obedientia, vel evidens Ecclesiæ vel Reipub. utilitas, aliquos nonnunquam abesse postulent, hæ legitimæ causæ à Romano Pontifice, aut à Metropolitano, vel eo absente, à suffraganeo antiquiori Episcopo residente, (qui idem Metropolitani absentiam probabit) in scriptis approbentur, nisi cùm absentia sit propter munus & Reipub. officium Episcopatibus adjunctum, cujus causæ vel notoriæ sunt, vel repentinæ, quas Metropolitano necesse non erit significare: ad eum cum Concilio Provinciali spectabit judicare de hujusmodi licentiis, ne quis eo jure abutatur. Interea discessuri ovibus suis ita provideant, ne ex ipsorum absentia damnum accipiant. Extra prædictas autem causas singulis annis absentia duos, aut ad summum tres menses non excedat, idque etiam æquâ causâ & absque gregis detrimento fiat: quod an ita sit, ipsorum conscientiæ relinquit. Hortatúrque, ne ullo pacto absint ab Ecclesiis Cathedralibus tempore Dominici adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis, Pentecostes, & Corporis Christi diebus, nisi Episcopalia munia in sua diœcesi eos alio avocent. Si quis secus fecerit, præter pœnas sub Paulo III. contra non residentes impositas & innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentia, fructus suos non facere, nec tuta conscientia illos posse retinere, sed debere eos fabricæ vel pauperibus erogare. Nec liceat, per conjunctionem aut compositionem unde remittantur, aliquid ab hac pœna liberari: non obstantibus privilegiis, &c.

Eadem omnino (quo ad culpam & fructuum amissionem & pœnas) de quibuscumque beneficium cum cura animarum habentibus, sancta Synodus decernit: quando verò abesse contigerit, (causa ab Episcopo cognita & probata) vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum relinquant, cum debita mercedis assignatione. Nec licentiam (quam gratis & in scriptis dabunt) ultra bimestre tempus (nisi ex gravi causa) concedent. Quòd si etiam (etiam non personaliter) contumaces fuerint, possint eos Ordinarii per juris remedia, etiam usque ad privationem compellere, nec executionem possit suspendere aliquod privile-

vilegium, exemptio, &c. Et tam decretum hoc, quàm illud Pauli tertii in Conciliis Provincialibus & *Episcopalibus publicetur.*

Caput 2.

Præfecti Ecclesiis Cathedralibus & superioribus, etiamsi sint Cardinales, si consecrationem intra tres menses non susceperint, teneantur ad fructuum perceptorum restitutionem: Si verò intra totidem menses id facere neglexerint, Ecclesiis ipso jure sint privati. Consecratio celebretur in Ecclesia, cui præficiuntur, si Romæ non fiat, & commodè id fieri possit.

Caput 3.

Episcopi per seipsos ordines conferant, & impediti ægritudine, subditos suos examinatos & probatos, ad alium Episcopum mittant ordinandos.

Cap. 4.

Prima tonsura initientur illi tantùm, qui confirmati & in fidei rudimentis eruditi sint: quique cùm legere & scribere sciant, hoc vitæ genus elegisse videantur, ut Deo serviant, non ut secularia judicia subterfugiant.

Cap. 5.

Ad minores ordines promovendi bonum à Parocho & à Magistro scholæ, in qua educantur, testimonium habeant. Hi verò qui ad singulos majores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus ac desiderio eorum, qui volent promoveri, publicè in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus & vita à fide dignis diligenter inquirat, & literas testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum Episcopum quàm primum transmittat.

Cap. 6.

Nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus, ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere. Is etiam fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum & tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat: vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola vel universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad majores ordines suscipiendos versetur. In clericis verò conjugatis servetur constitutio Bonifacii noni, quæ incipit: Clerici qui cum unicis: modò hi clerici alicujus Ecclesiæ servitio vel ministerio ab Episcopo [illegible], eidem Ecclesiæ serviant vel ministrent, & clericali habitu & tonsura utantur: nemini quo ad hoc, privilegio vel consuetudine etiam immemorabili suffragante.

Caput 7.

Cap. 7.

Episcopus feria quarta antequam ordines conferat, aut quando ei videatur, ad civitatem evocet omnes initiandos, & eorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam & fidem diligenter investiget, adscitis sibi ad eam rem viris prudentibus & piis.

Caput 8.

Ordinationes fiant statutis à jure temporibus, in Ecclesia Cathedrali, aut alia, quæ dignissima videatur, in cleri præsentia: & quisque à proprio ordinetur Episcopo: nec alienum quisquam promoveat, ullius prætextu privilegii, nisi Ordinarii sui testimonio commendetur. Si secus fiat, ordinatus ab executione sit suspensus, quamdiu suo Episcopo videbitur.

Caput 9.

Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi triennio secum habitaverit, & ei beneficium conferat omni fraude cessante.

Caput 10.

Neque Abbatibus, neque aliis exemptis liceat tonsuram vel minores ordines conferre, nisi ei qui sibi regularis subditus sit: nec literas dimissorias vel ipsi, vel Collegia, aut Capitula, Clericis secularibus, ut ab aliis ordinentur concedant. Sed omnium ordinatio ad Episcopos intra quorum diœceses existunt, pertineant, non obstantibus privilegiis &c.

Caput 11.

Minores ordines latinè intelligentibus, neque omnes simul (nisi secus Episcopo videatur expedire) conferantur, ut in unoquoque munere Episcopi arbitrio se exerceant in ea Ecclesia, cui sunt dedicati, nisi in studiis occupentur, atque ita de gradu ad gradum ascendant, & altioribus nemo initietur ordinibus, nisi quem scientiæ spes iis dignum ostendat. Neque id fiet nisi elapso anno à postrema minorum ordinum susceptione, nisi Episcopus censeat Ecclesiam tunc secus exigere.

Caput 12.

Nullus deinceps fiat Subdiaconus ante annum vigesimum secundum suæ ætatis, neque Diaconus ante 23. neque Presbyter ante vigesimum quintum. Digni tantùm assimantur, quorum probata vita senectus sit. Regulares etiam neque minores natu, neque sine examine diligenti Episcopi, ordinentur, privilegiis quibuscumque penitus quoad hoc exclusis.

Cap. 13.

Caput 13.

Subdiaconi & Diaconi moribus literísque probati, & necessariis ad ordinem exercendum instructi, quique Deo auctore continentiam sibi polliceantur, Ecclesiis inserviant quibus adscribentur: sciant maximè decere, si saltem diebus Dominicis & solennibus sacram communionem perceperint, cum altari ministraverint. Subdiaconus nisi per annum in suo ordine versatus, ad altiorem gradum ne ascendat, nisi aliud Episcopo videatur. Duo sacri ordines non conferantur eodem die, etiam Regularibus: non obstantibus privilegiis, & indultis concessis quibuscunque.

Caput 14.

Qui piè & fideliter in ministeriis anteactis se gesserint, & ad presbyteratus ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium. Et hi sint, qui non modò in diaconatu ad minus annum integrum (nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videretur) ministraverint, sed etiam ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ministrandi Sacramenta, diligenti examine præcedente, comprobentur, atque ita pietate ac castis moribus conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum & vitæ monita ab eis possint expectari. Curet Episcopus, ut ii saltem diebus dominicis ac festis solennibus (si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant) Missas celebrent.

Cùm promotis per saltum (qui non ministraverint) Episcopus ex legitima causa possit dispensare.

Caput 15.

Quamvis presbyteri in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen sacrosancta Synodus, nullum (etiam regularem) posse confessiones secularium, etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen (si illis videbitur esse necessarium) aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: privilegiis, consuetudine quacunque etiam immemorabili, non obstante.

Caput 16.

Cùm nullus debeat ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis, sancta Synodus, vestigiis sexti Canonis Concilii Chalcedonensis inhærendo, statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non ascribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus. Quòd si locum inconsulto Episcopo deseruerit, sacrorum exercitium interdicatur. Nullus

præterea

præterea clericus peregrinus sine commendatitiis sui ordinarii literis, ab ullo Episcopo ad divina celebranda & Sacramenta administranda admittatur.

Cap. 17.

Prælatos Ecclesiarum sancta Synodus in Domino hortatur, & præcipit, ut (quantum fieri commodè poterit) in Ecclesiis omnibus, ubi populus sit frequens, & census id ferre queant, restituant functiones sanctorum ordinum à Subdiaconatu ad Ostiariatum, & eas exercentibus, stipendia assignent ex beneficiis aut fabrica. Quòd si ministeriis quatuor minorum ordinum exercendis clerici cœlibes præstò non erunt, suffici poterunt conjugati, non tamen bigami, qui vitam probatam cum tonsura & habitu clericali in Ecclesia conjungant.

Cap. 18.

Sacrosancta Synodus statuit, ut singulæ Cathedrales, Metropolitanæ, & his majores Ecclesiæ, pro modo facultatum & diœcesis amplitudine, certum puerorum numerum in collegio, in convenienti loco, ab Episcopo ad hoc eligendo alant, ac religiosè educent, & in Ecclesiasticis disciplinis instituant. In hoc verò Collegio recipiantur legitimè nati, non minores duodecim annis, legere & scribere docti, de quorúmque indole & voluntate spes concepta sit perpetuò Ecclesiasticis ministeriis inservituros. Pauperum filios eligi vult, nec divitum excludit, modò suo sumptu alantur, & studium præ se ferant Deo & Ecclesiæ inserviendi. Hos pueros Episcopus in classes divisos, partim Ecclesiarum ministerio addicet, partim in Collegio erudiendos retinebit, aliósque sufficiet, ut eorum loco ministrent. Hoc Collegium perpetuum erit seminarium DEI ministrorum. Hi semper tonsura & habitu clericali utantur. Grammatices, Cantus, Computi Ecclesiastici, aliarúmque bonarum artium disciplinam discent. Sacram scripturam, libros Ecclesiasticos, homilias sanctorum, Sacramentorum tradendorum (præsertim quæ ad confessiones audiendas videbuntur opportuna) ritum, ceremoniásque ædificent. Intersint quotidie Missæ sacrificio, singulis saltem mensibus confiteantur peccata, & juxta Confessoris judicium sumant corpus D. N. Jesu Christi. Cathedrali & aliis loci Ecclesiis inserviant diebus festis. Episcopus cum consilio duorum Canonicorum, quos ipsi eligent, hæc omnia & alia, quæ in eum finem opportuna videbuntur, constituet. Visitabit crebrò, dyscolos puniet, etiam si opus fuerit expellet. Ad harum rerum omnium sumptus, ultra ea quæ sunt in aliquibus Ecclesiis ad instituendos pueros destinata, quæ huic seminario eo ipso applicantur, idem Episcopus, cum duorum è Capitulo consilio, & duorum de Clero civitatis, partem aliquam & portionem detrahent ex fructibus integris omnium redituum Ecclesiasticorum, & Monasteriorum, non tamen mendicantium, & Hospitalium, quæ in titulum vel administrationem dantur, & Collegiorum (in quibus seminaria discentium ad commune Ecclesiæ bonum non habentur,) & omnium ordinum militum, præterquam S. Johannis Hierosolymi-

lymitani: & eam portionem detractam, & beneficia simplicia & præstimonia vacantia, huic Collegio applicabunt & incorporabunt. Hoc si ab Episcopo erigi negligatur, superiores eum, & hos Synodus provincialis acriter corripiet, & faciendum curabit. Ut hoc minori fiat sumptu, Ordinarii compellant scholasticos suæ Ecclesiæ, & alios quibus lectionis est munus annexum, ut in Collegio per se doceant, aut per substitutos, quos ipsi eligant, & ordinarii approbent. Et tales dignitates quæ Scholasteriæ dicuntur, deinceps non conferantur, nisi ea doctrina pollentibus, qui hoc muneris per se exercere possint: & aliter facta provisio invalida sit, non obstantibus privilegiis quibuscumque.

Si quæ Ecclesiæ, ob paupertatem hæc Collegia erigere non potuerunt, Synodus Provincialis aut Metropolitana cum duobus suffraganeis, in aliqua ejus Provinciæ Ecclesia unum aut plura Collegia, ex fructibus diversarum Ecclesiarum instituet, ut pueri earum quæ singulæ Collegium non possunt habere, commodè educentur.

Si diœcesis magna sit, poterit Episcopus alia habere seminaria, quæ tamen ab illo quod in civitate erectum fuerit, in omnibus dependeant.

Si pro unionibus aut portionum taxatione aut alia de causa, difficultas oriretur, quæ hanc institutionem aut conservationem perturbaret, Episcopus cum dictis deputatis vel Synodus provincialis in iis decernere providereque valeat.

HISTORIA SESSIONIS XXIII.

SEssionis hujus historiam, rerum gestarum, consiliorúmque varietate præ cæteris fœcundam ea, qua conveniebat, prolixitate orationis prosequi, brevitatis, cujus legem nobis diximus, cancelli prohibent. Summa igitur capita paucis pertexemus. Pontifex Lotharingi Cardinalis Præsulúmque Gallorum brevi Concilio interfuturorum rumore percitus, more solito id satagebat, ut plures ex Italia Episcopi, etiam Titulares, & emeriti, quibus ipse sumptus suppeditabat, quorum suffragiis Transmontani vinci possent, Tridentum allicerentur. Hæc aliáque ejusmodi multa Pontifex & Curia ejus non tectè, sed palàm agebant, quò Lotharingum & Gallos Præsules, à quibus magnopere metuebant, à frequentando Concilio absterrerent. Allatæ interim sunt ad suos Oratores Regis Galliæ literæ, quibus injunctum, ut agerent cum legatis de proroganda Sessione, vel ut in illa de Reformatione duntaxat, non etiam de dogmatibus, utpote quorum tractatio & decisio absentibus Protestantibus & Gallis Præsulibus inutilis sit, ageretur. In scripto illo, quo mandatorum Regiorum summa continebatur, inter alia extabat, *quicquid ad mores aut disciplinam pertinet, in Concilio leviter tractari; dogmata verò Religionis nimis præcipitanter decerni. Cúmque omnes, qui Tridenti sunt, religionem eandem profiteantur, neque de ulla ejus parte dubitent, disputationem*

nem

nem illam & censuram de rebus religionis non tantùm superfluam, sed etiam inutilem, & adversarios magis alienaturam videri. Eadem petitio à Cæsareis etiam oratoribus apud Legatos ingeminata est. Legati respondent, *non posse Synodum à cœpta semel methodo desistere.* Sed & Pontifex paulò post ea de re Legatis respondens, petitionem Gallorum ludibrium esse ad procrastinandam Synodum dicit, simúlque Lotharingum tanquam alterum Pontificem, qui de bonis ecclesiæ trecenta millia Coronatorum annua obtineat, adeóque tractationi Reformationis utique interesse debeat, falsè perstringit. Proponuntur dein à Legatis articuli de Sacramento Ordinis, de quibus in Congregatione disceptari cœptum est die XXIII. Septembris, desitum verò die 11. Octobris. In prima Congregatione de I. & II. articulo, *an videlicet Ordo sit Sacramentum, & an unum duntaxat,* habitæ sunt orationes à quatuor Theologis Pontificiis. Finita ea Congregatione Quinqueecclesiensis Episcopus Patribus aliquot Hungaris, Polonis & Hispanis seorsim congregatis ecclesiæ in capite & membris reformandæ studium unicè commendat. Id cùm Granatensi probaretur, & Hispani plerique ad Curiam Romanam, ut corruptelarum omnium fontem, digitum intenderent, & de Episcoporum ab eadem curia depressorum & infra Cardinalium etiam subsellia projectorum Divina institutione apertum nunc, cùm de Sacramento Ordinis agatur, campum asserent, visum iis sex eligere ex suo numero, qui scripto comprehenderent, quicquid tum ad universam Reformationem, tum ad definiendam Episcoporum institutionem ἀμέσως Divinam, necessarium & opportunum foret. Quam deliberationem cùm Martinus de Corduba Episcopus Dertusensis unus ex delectorum numero, & Pontificiis partibus nimis addictus impedivisset, reliqui tamen postridie ejus diei à Legatis expetunt, ut denuo tractentur articuli à Cardinale Crescentio in hoc ipso Concilio propositi, imò & conclusi, nempe, *quòd Episcopi à Christo instituti, & jure Divino Presbyteris sint superiores.* Cúmque nihil à Legatis impetrari posset, Præsules illi cum Theologis quibusdam agere constituunt, ut oblatis idoneis occasionibus subinde hujus rei mentionem facerent. Posthac secunda Classis è Theologis & Canonistis mixta in Congregatione disseruit de III. & IV. articulis, *an* videlicet *sit in ecclesia Hierarchia, constans ex Episcopis, Presbyteris, aliisque Ordinibus*; & *an sit in Ecclesia Sacerdotium visibile & externum*? Actum itidem de prima Tonsura & Episcopatu, quem utrumque Ordinem esse contra Scholasticos Thomas Passius Canonicus Valentinus disseruit. Disputavit idem, *an in ordinatione Episcoporum & cæterorum Ordinum populi assensus requiratur?* Pontificale, quod rationem, cur populus in electione Cleri consulendus sit, reddit, corrigendum esse pertendit. Variæ etiam de Hierarchia & Episcopatu opiniones in me-

dium propositæ sunt. Tertia Theologorum Classis in V. & VI. articulis ventilandis occupata disceptavit, *an Spiritus S. in ordinatione conferatur, de charactere, unctione, reliquisque Ceremoniis in conferendo ordine necessariis.* Dum Theologi his de capitibus digladiantur, Præsules in promovendam Reformationem intentiores eò tandem Legatos adigebant, ut scripta omnia & postulata super reformatione sibi in Synodo exhibita ad Pontificem mitterent, eique demonstrarent, tandem se, ut Principum petitionibus aliqua ratione satisfiat, impelli. Quarta Theologorum Classis de Episcoporum supra Presbyteros authoritate disseruit. Ea occasione actum de institutione Episcoporum, quam *Juris Divini* esse pertenderunt primi Johannes Fonseca, Archiepiscopi Granatensis Theologus, & Anthonius de Grosseto Dominicanus; at *Juris Pontificii* esse contra Simon Florentinus Seripandi Theologus asseruit. Legati oborientes de superioritate & institutione Episcoporum, de residentia, Præsulum in ea ad Pontificem non remittenda obstinatione, de Reformatione proponenda, difficultates literis ad Pontificem remittunt, quibus ille non parùm perculsus est, inprimis quòd fama ferebat, Lotharingum Cardinalem in eo esse, ut etiam electio Rom. Pontificis reformetur. Eas literas cùm in Consessu Cardinales expendissent, responderi placuit hunc in modum, *ut articulus Residentiæ decidatur ante adventum Gallorum, & si id fieri non possit, ad Pontificem remittatur vel cum vel sine decreto: ut articulum de institutione Episcoporum itidem ad Pontificem remitti curent, vel certè intendant omnibus modis, ne eam juris Divini esse definiatur: ut Reformationem, exceptis iis, quæ Pontificem & Curiam concernunt, Synodo liberam permitti profiteantur: ut res omnes alacriter expediant, quò Synodo finis maturè imponi queat: ne admittant vel minimum de electione ad Pontificatum sermonem, si verò obsistere nequeant, potiùs Romam revertantur, quàm Collegio Cardinalium & Italiæ quidquam præjudicari patiantur.* Die 13. Octobris habita est Congregatio Præsulum, in qua de approbatione Canonum formatorum actum. In septimo igitur Canone Archiepiscopus Granatensis addi petiit, id, quod jam propositum fuerat in Concilio à Cardinale Crescentio, tempore Julii III. ac tum à Synodo probatum, nimirum *Episcopos jure Divino institutos esse Presbyteris superiores:* simul prolixa oratione demonstravit, Episcopos esse institutos Jure Divino, & eodem jure Presbyteris superiores, citatis testimoniis Dionysii, Eleutherii, Ambrosii, Cypriani, Augustini, ex quibus etiam id inculcabat, Episcopos & esse & dici *Pontificis fratres*, imó Collegas *ejusdem meriti & Sacerdotii*, uti vocet Hieronymus, adeóque omnes esse *ab eodem trunco ejusdem arboris ramos.* Citabat præterea Scripturæ loca, quibus omnibus ecclesiæ ministris ex æquo datam esse potestatem docendi per universum mundum, Sacramenta ministrandi, remittendi peccata, ligandi, solvendi, &c. argue-

arguebat. Eorum porro Theologorum,qui ſtatuunt, authoritatem à Chriſto Apoſtolis conceſſam perſonalem fuiſſe in omnibus,excepto Petro,cujus poteſtas ad Succeſſores commeaverit, ſententiam tanquam novitiam inde à quinquaginta annis inventam, Scripturæ, Patribus & Scholaſticis repugnantem exſibilavit. Loquentem fervidiùs interrupit Cardinalis Warmienſis,dictitans,*ſuperfluum eſſe diſputare de his, de quibus nulla controverſia Catholicis cum hæreticis intercedat.* Granatenſis graviter indignatus,*ſe rem Nationibus permittere*,concluſit. Patrum alii Decretum ſimpliciter approbârunt,alii additamentum urſerunt. In ſequentibus etiam Congregationibus multiplex de eodem themate diſceptatio fuit, quinquaginta novem Præſulibus apertè ſtantibus pro ſententia Granatenſis, quòd Epiſcopatus Jure Divino inſtitutus Presbyterio ſit ſuperior. Cardinalis Simoneta adhibitis Epiſcopis nonnullis apud Patres prenſatione uſus eſt,perſuadere iis adnixus, *Hiſpanos hac aſſertione ſe à Papa obedientia ſubtrahere conari.* Sed non obſtantibus his artibus multi intrepidè contradixerunt,quos inter Georgius Sincout Epiſcopus Segnienſis hoc etiam argumento pugnavit,*ſi Epiſcopi non ſint à Chriſto, ſed ab hominibus authoritatem omnium in unum congregatam, adeóque etiam totius Concilii merè humanam eſſe, & Synodum hanc fore Congregationem hominum prophanorum, cui non præſideat Chriſtus,verùm poteſtas quædam precaria ab hominibus accepta.* Legati animadverſo gravi, in quod omnis Papæ & Cardinalium authoritas ea aſſertione incurrit,periculo, temperamentum proponunt,ut videlicet Canon formaretur his verbis, *Epiſcopos poteſtatem ordinis habere à Deo, & in ea Presbyteris ſuperiores eſſe*,omiſſa mentione poteſtatis Juriſdictionis. Cæterùm cùm nec id arrideret Hiſpanis,Lainezio Jeſuitarum Generali integra Congregatio deſtinatur ad accuratiorem contra inſtitutionis Epiſcoporum de Jure Divino fautores diſſertationem, in qua is longo verborum ſtrepitu comprobare ſuſtinuit, *omnem in Eccleſia Juriſdictionis poteſtatem uni ſolique Romano Pontifici tributam eſſe, adeóque Epiſcoporum Jurisdictionem eſſe derivatam, non fundamentalem; Conciliorum quoque decreta nulla aut efficacia, aut authoritate valere, niſi vi futuræ confirmationis Pontificiæ.* In eam Lainezii orationem graviter invectus eſt Pariſienſis Epiſcopus,qui doctrinam eam aſſerit *prioribus Seculis fuiſſe inauditam,ante annos 50. à Cajetano primùm excogitatam, ut pileum Cardinalitium mereretur,à Sorbonenſibus eo ipſo tempore ignominioſe notatam,utpote quæ ex Regno Cœleſti ſeu Eccleſia faciat non Regnum,verùm tyrannidem temporalem, quæ Eccleſiam ſpoliet titulo Sponſæ Chriſti,& eam veluti ſervam unius hominis libidini proſtituat, denique Epiſcopalem poteſtatem funditus evertat.* Cæterùm hæc controverſia Gallorum adventu nonnihil interquievit. Interea & Romæ & Tridenti feriò conſultatum eſt de remediis,quæ Lotharingi & Gallorum,quæ timebantur

tur moliminibus, opponi possent. Visa autem sunt eam in rem conducere tum comminatio Reformationis Principum: tum coercitio audaciæ Præsulum adversæ factionis, & reliquorum per promissionum ac spei propositæ illecebras confirmatio, quò sic Pontificiis partibus addicti semper numero superiores, rerúmque decernendarum domini existant: tum missio Brevium, quibus Concilii vel transferendi vel suspendendi facultas fiat: tum denique Pontificis ipsius migratio Bononiam. Congregationes deinceps ad æstum contentionis temperandum aliquot diebus intermittuntur, donec die 30. Octobris Hispani audientiam apud Legatos solicitantes instarent, ut definiretur institutio & superioritas Episcoporum de jure Divino, comminati etiam, nisi id fieret, se nec Congregationi, nec Sessioni ulli deinceps interfuturos. At Præsules Itali contra postridie ab Legatis, ut neutrum horum Canoni inseratur, postulant, quod procurantibus Legatis factum censebatur. Eóque tumultus processit, ut Legati non modò cogitationem Sessionis præstituto tempore habendæ abjecerint, sed etiam statuerint, antequam ad definitionem institutionis Episcoporum perveniatur, de aliis doctrinæ capitibus referre, & Reformationis capita nonnulla proponere. Interim etiam Marchionis Piscariensis literæ ad Præsules Hispanos fiduciariæ advolant, quibus Regis nomine, ne quid in sanctæ Sedis præjudicium tentent, admonentur. Quibus acceptis Granatensis & Segoviensis respondent, Catholicam se sententiam defendere; reliquíque eorundem asseclæ omnes Segoviensis domesticum Doctorem quendam ad aulam expediunt, ut æquitatem causæ suæ Regi commendet. Die 3. Novembris ventum est ad suffragia de doctrinæ capitibus hactenus in Congregationibus discussis. Cùm verò ob partium studia ea tractatio non succederet, coacti sunt Legati de Reformatione aliquid proponere. Parisiensis Episcopus dicebat, *tempus esse ut huic rei tandem principium detur, quò Gallis aliisque Nationibus satisfiat. Hactenus enim nullam omnino Reformationem factam esse, neque ullo loco habendum esse id, quod hactenus statutum fuerit.* Visum Legatis incipere à Residentia, & priusquam suffragiis negotium committerent, Patrum animos pertentare, multósque adeò suas in partes traducere. Die 6. Novembris Decretum de Residentia formatum est; absque declaratione tamen, essétne Juris Divini nec ne, & cum præmiis ac pœnis tantùm. Postridie à Residentia ad Episcopalem ordinem transitum est, sed sine fructu, ob altercationem Segoviensis Episcopi & Cardinalis Mantuani, *utrum* videlicet *in eadem Synodo sub Julio III. convocata Decretum de institutione Divina Episcoporum factum quidem, at publicatum non sit*, ajente Segoviensi, at Mantuano contra rei gestæ veritatem negante. Tandem ad Concilium accessit Cardinalis Lotharingus, comitibus Præsulibus Gallicanis,

quo-

quorumin gratiam permisit Pontifex,ut Sessio differretur usque ad diem 26.ejusdem mensis. Admissus à Legatis,Regis literas Concilio inscriptas eis exhibuit,& blandam ad eosdem orationem,cum prolixa benevolentiæ erga sedem Romanam testificatione habuit. Neque tamen Legatis sinceri animi fidem fecit,utpote qui ejus dicta factáque exactiùs pensitantes,varias suspicionum causas in iis deprehendunt,easdémque ad Pontificem,secreto Nuntio ad ipsum amandato , perscribunt. Die 19. Nov. Archiepiscopus Hydruntinus ad convivium *pro honore* bonóque sedis Apostolicæ celebrandum invitavit Pontificios Præsules,quod Gallorum opinione factionem sapiebat. Romæ Pontifex omnes malè de Lotharingo & Gallis suspicandi causas, aliáque quæ Tridenti gerebantur , anxio animo volutans, ita commotus est,ut palàm in consistorio Cardinalium exclamaverit , *se rémque Romanam prodi,séque hostium numerosum exercitum magnis sumptibus Tridenti alere.* Verumtamen ad remedia intentus constituit primùm, ut Episcopi nondum Româ digressi ad Concilium proficiscerentur , prohibitis eodem contendere iis, quibus diffidebat; deinde misit in Galliam quadraginta millia Coronatorum , pluriúmque etiam usque ad plenam solutionem promissæ summæ spem fecit. Die 13. Novembris Congregatione convocata recitatæ sunt Regis Galliarum literæ , à Lotharingo exhibitæ , quarum etiam capita ipse Lotharingus habita Oratione explicavit , ac inprimis morum & collapsæ disciplinæ reformationem seriis verbis commendavit. Post ipsum eodem in Consessu verba fecit Orator Gallus,Renaldus Ferrerius,pro quo dicendi & nova mandata sua explicandi facultatem ægrè Lotharingus apud Legatos impetravit. Inter alia Regis Galliæ postulatis,*utpote Sacris literis , vetustis Ecclesiæ Catholicæ Conciliis , antiquis Constitutionibus Decretis & Canonibus conformibus satisfieri,& restitui,quæ antiquus hostis Sathan vi eripuit ac longo tempore suppressit* , graviter petiit, addiditque acri dicto : *Nisi hæc fiant,Patres Sanctissimi,frustra à vobis rogabimur ,num etiam pacata est Gallia? Nos enim vobis respondebimus,quod* (2.*Reg.IX.*) *Jehu Regi Joram roganti,num pax,num pax? Et quomodo,inquit ille ,pax, cùm adhuc supersint & vigeant &c. Nôstis cætera.* Nempe sequitur,*fornicationes Jezabel matris tuæ, & venificia ejus multa.* Subdidit,*nisi his rebus diligenter detur opera,Sanguinem eorum qui peribunt,à manu ipsorum Patrum requisitum iri.* Displicuit Patribus acris ac pungens viri Oratio,indignationem suam prodere non ausis. Postero die habita Congregatio,quæ tota ab Episcopo Leirensi,argumenta Hispanornm pro Divina Episcoporum institutione,in Lotharingi gratiam,repetente consumpta est. Ipse verò Lotharingus domi suæ instituit Congregationem Præsulum & Theologorum,quos secum è Gallia adduxerat, in qua de Jurisdictione Episcoporum actum, non sine
Ponti-

Pontificiorum offenſa. Sed utrique tum Galli tum Hiſpani proditores habuere, qui eorum ſecreta Pontificiis reſeraverant. Et Hiſpani quidem Epiſcopum Pacenſem; Galli verò Hugonium Franciſcanum Sorboniſtam, quem ante diſceſſum è Gallia Pontificis nuntius ſibi conciliaverat. Is cum Ventimiglienſi à Simoneta ad ipſum miſſo in colloquium venit, multáque arcana de Regina, Oratoribus qui Tridenti erant, Præſulibus quibuſdam, Valentino inprimis, Evangelicis faventibus, Lotharingo Reginæ inſtinctu Reformationem cupidè nimis urgente, aliáque ejuſmodi detexit. Ei à Ventimiglienſi Legatorum juſſu quinquaginta coronati aurei, futuri ſecretæ proditionis auctoramentum, oblati ſunt, quos non ipſe quidem accepit, at ſervum accerſitum accipere juſſit. Die 26. Nov. Seſſioni deſtinata approximante Seripandus ob Decreta nondum rectè conſtituta Seſſionis diem prorogandum eſſe monuit, & quidem in diem indefinitum. Concluſum eſt, ut prorogetur, & poſt dies octo certa dies præſtituatur. Die 1. Decembris Epiſcopus Guadicenſis contra eam partem Canonis, qua decernitur, Epiſcopos à Papa vocatos eſſe legitimos, liberiùs diſſerens à Simoneta, Caſtello Epiſcopo Cavenſi & Patriarcha Veneto *tanquam Schiſmaticus, foras ejiciendus*, graviter increpitus eſt. Secutus inde ſtrepitus inter Præſules maximus, ſuſurri, pedum ſupploſiones, Epiſcopo dicenti partim obſtrepentium, partim faventium. Tumultu ægrè à Legatis ſedato, & finita Congregatione Lotharingus Pontificiis Præſulibus coram dicere haud erubuit, *Epiſcopum Guadicenſem non malè locutum. Si Gallus fuiſſet, ad liberius Concilium provocaturum. Niſi rectiùs Concilio provideatur, Gallos retineri haud poſſe, quò minùs diſcedentes Concilium Nationale in Gallia convocent.* Die 2. Decembris de die Seſſionis definiendo deliberatum, & ut citiùs omnia expediantur, definitum eſt, ut duæ indies Congregationes habeantur. Eodem die Epiſcopus Alliphienſis de Epiſcoporum inſtitutione diſſeruit, probavitque, Juriſdictionis poteſtatem omnibus Epiſcopis à Chriſto immediatè datam eſſe. Eum tanquam extra oleas vagantem Cardinalis Warmienſis interpellat, monétque, non pertinere hanc quæſtionem ad Synodum, utpote cum hæreticis non controverſam. Die 4. Decembris Lotharingus de Juriſdictione Epiſcoporum ambiguè diſſeruit, ita ut clarum de animo ejus judicium fieri non poſſet. Secuti eum Præſules Galli, apertiùs fortiúſque Hiſpanorum cauſam de Jure Divino propugnant, at declarationem ejus rei neceſſariam eſſe in Concilio negant, qua in re Hiſpanis minùs ſatisfaciebant. Legati quæ ab Lotharingo propoſita erant, Romam mittunt. Id Cardinalis ille moleſtiſſimè tulit, ac ſimul queſtus eſt, Gallos ſuos ab Italis contumelioſè tractari, & odioſum ſcomma ab Italis jactari hjs verbis: *De ſcabie Hiſpanica incidimus in luem Gallicam.* Inde Galli irritatiores decreverant

ſuam

ſuam in dicendo libertatem palam experiri. Nam die 7. Decembris Galli in Congregatione intrepidè profitebantur, *inſtitutionem Epiſcoporum & Jurisdictionem eſſe de Jure Divino aquè ac Papæ, neque ullam eſſe differentiam, niſi gradus cujusdam ſuperioris. Authoritatem Pontificiam eſſe Canonum limitibus circumſcriptam, commemorata Curiarum Gallicarum conſuetudine, quæ quoties judicibus Bulla approbanda offertur, continens contrarium Canonibus in Gallia receptis, eam declarent abuſivam, & executionem prohibeant.* Hæc Pontificios quamvis urerent, concoqui tamen debuerunt. Dies 8. Decembris ob Maximiliani in Regem Romanorum electionem Tridenti feſtivus fuit. Finita Regis ejus coronatione, ejus Pater Ferdinandus Francofurti cum Proteſtantium nonnullis egit, ut & ipſi Concilium Tridentinum frequentent. Reſponſum ab iis eſt, ſæpius ſe ad liberum Concilium provocâſſe, ac nunc etiam provocare. Simul decem conditiones proponunt, quibus initis, cautione etiam idonea interpoſita, ſe conſenſuros Concilio profitentur. Præcipuæ fuerunt, *ut in Germania celebretur: Papa reus Concilio ſubjiciatur: Epiſcopi Juramento exſolvantur: Sola Scriptura judex ſit: Theologi etiam Evangelici vocem deciſivam habeant acta præterita irrita fiant &c.* Cæſar hæc in illorum gratiam ſe procuraturum recipit Ceterùm in Concilio poſtquam Epiſcopi ceſsârunt de inſtitutione Epiſcoporum dicere, nihil determinatum, expectantibus Romæ Legatis, quid Pontifici de eo videretur. Interea collecta ſunt Reformationis capita Sacramentum Ordinis ſpectantia. At Oratores & Epiſcopi Galli in univerſalem Reformationem intenti, articulis formandis undequaque abuſus corradunt. Etiam ad materiam de Reſidentia, ſitne juris Divini necne, denuo ſermo deflexit. Et Galli quidem omnes, eſſe de jure Divino, contendunt. Vegliensis verò Epiſcopus id non aſſerebat duntaxat, ſed etiam probabat, allatis verbis Chriſti de bono Paſtore *ante oves vadente, proprias oves nominatim vocante, per deſertum ovem perditam quærente, &c.* quæ utique accipienda ſint de omnibus iis, quibus animarum cura credita eſt. *Quòd ſi quis*, ita arguebat, *ſe minimè reputabit Chriſti decreto ad hæc officia obligatum, aut ſemetipſum deprehendet Regnorum & Rerump. negotiis utiliorem, ei abjiciendum Paſtoris munus, & ſecularibus tantùm negotiis invigilandum.* Ob παῤῥησίαν hanc, & quòd contra Papam locutus eſſet, acriter à Simoneta reprehenſus, morbo ſimulato ex Concilio diſceſſit. Et hactenus quidem aperto Marte de Reſidentia, rationibus videlicet ultro citróque allatis, inter Præſules actum. Deinceps velificatione mutata utraque pars ad verſutias & artificia confugiebat. Et *Pontificii* quidem ad terrorem incutiendum opponebant, Juri Divino Reſidentiam attribuere eſſe authoritatem Pontificis imminuere. Ex ea enim ſententia ſequi, *non poſſe Pontificem deinceps augere aut minuere, dividere aut unire, mutare aut transferre ſedes*

Episcopales, nec vacuas relinquere, aut administrandas dare, aut commendare. Damnari ita dispensationes à Pontifice concessas, tolli facultatem imposterum eas concedendi, &c. Adversarum partium Præsules vicissim urgebant, *ex his consectariis nullum incommodum sequi, sed ipsissimam veritatem, & legitimum veteris ecclesiæ usum. Imò residentiæ declarationem à se hunc ipsum in finem postulari, ut abusus illi tollantur, quibus sublatis futurum sit; ut genuina authoritas Pontifici postliminio constet.* Interea etiam Romæ duo illa capita de Residentia & institutione Episcoporum ventilantur, scriptúmque à Pontifice Legatis, *quando suasionibus nihil hactenus profectum sit, minæ deinceps adhibeantur. Verba illa de Jure Divino aut prorsus omitterent, tanquam falsa, aut uterentur tali formula, ut dicatur, Christum instituisse Episcopos à Romano Pontifice creandos cum talis & tantæ authoritatis distributione, qualis & quanta in ecclesiæ beneficium ipsis concedenda videbitur; & cum absoluta potestate pro suo sensu datam restringendi & ampliandi. Quoad Residentiam, cùm certum sit, Pontificem habere authoritatem dispensandi, ad accuratiorem cautelam in decreto authoritatem ejus reservandam; verba verò de* Jure Divino *prorsus omittenda esse.* Acceptis his mandatis Legati, quòd quædam factu impossibilia censerent, statuunt Episcopum Ventimigliensem Romam mittere, ut sigillatim omnia Pontifici exponeret, & certiora ab eo mandata afferret. Die 30. Decembris in Congregatione decretum, ut dies constituendæ Sessioni in quindecim alios dies prorogaretur. Initio anni 1563. Oratores Galli in Concilio exhibent Reformationis Capita triginta quatuor, Ripæ & Patavii seorsim excusa, & à Thuano etiam aliisque fusè recitata, in quibus etiam de Ritibus nonnullis ecclesiæ Romanæ mutandis agebatur, ac insuper jura & emolumenta, quæ sedes Apostolica ab aliis ecclesiis percipere solet, attingebantur. Hæc cùm ingratissima essent, Episcopum Viterbiensem Legati Romam amandant, ut Papæ repræsentaret difficultates omnes, quas ipsi comperiebant. Interim Cæsarei Oratores querelam ingeminabant, quòd Gallorum articuli Reformationem concernentes propositi sint, sui non item. Die 1. Jan. etiam Ventimigliensis Romam venit, & mandata sua Pontifici exposuit. Responsum Legatis à Pontifice, ut Canon de institutione Episcoporum formaretur hunc in modum: *Episcopos tenere in Ecclesia locum principalem à Romano Pontifice pendentem, & ab ipso assumi in partem solicitudinis.* Canonem de potestate Papæ ita formari jussit: *Eum authoritatem habere pascendi & regendi Ecclesiam universalem loco Christi, à quo omnis authoritas ei, tanquam generali vicario, sit communicata.* In decreto de doctrina extendi mandavit verba Concilii Florentini *de Apostolica sedis in universum orbem primatu, Pontifice Petri Successore, totius ecclesiæ Capite, & omnium Christianorum Patre ac Doctore.* Ne ab illa formula vel latum unguem deflectant, rigidè imperatum. Vix dum cursore cum his literis Tridentum ablegato, Romæ appulit

lit Viterbiensis, Gallorum Reformationem tentatam nuncians. Eum impatientissimè Papa audivit, erumpens in hæc verba: *Reformationis illius finem esse, Datariam, Rotam, Signaturas, imò totam authoritatem Apostolicam convellere.* Ante omnia per Cardinalem Ferrariensem apud Galliarum Regem Capita illa Reformationis, tanquam pleraque non sibi duntaxat, sed ipsi etiam Regi noxia enervare conatur. Utque Rege faventiore sibi uteretur, negotium eidem Ferrariensi dedit, quadraginta illa Coronatorum millia Regi sine ulla conditione relinqueret. Deinde super iisdem censuras à diversis Cardinalibus, Prælatis, Theologis & Canonistis Romæ factas mittit, imperátque, ut mora quanta fieri posset maxima interponatur, antequam de materia illa verba fiant. Cæterùm quam formulam de institutione Episcoporum & potestate Papæ is Tridentinis præscripserat, ea nec Hispanis, nec Gallis probata erat. Atque eadem occasione Italos inter & Gallos de authoritate Conciliorum Constantiensis, Basileensis & Florentini disceptatum est. Papam habere omnem Christi potestatem negatum est, & satis esse visum, si dicatur, eum habere eandem, quam S. Petrus habuit. At Pontificii absolutam & minimè circumscriptam ejus potestatem defensitantes illam limitationem rejecerunt, ne inde inferatur, vitam & actiones Petri Pontifici esse pro exemplo debere. Lotharingus & Madrucius Cardinales formulam Decreti de Residentia conficere jussi, mandato paruerunt. At formulam exhibitam Legati, inconsultis ipsis, mutârunt. Quod adeò malè eos habuit, ut Madrucius dicere non erubuerit, *esse in Concilio secretius aliquod Concilium, quod majorem sibi authoritatem vendicaret.* Legati mala sua crescere conspicati, Congregationibus abstinent. Episcopi etiam Pontifici addicti noctu circumcursabant, & Episcopos prensabant, ut Concilium inventa ratione aliqua dissolveretur. Hinc Lotharingi apud Oratores Principum graves querelæ, junctæ cum precibus, ut quisque ad Principem suum scribat, & continuationem Concilii, modum prensationibus ejusmodi imponendum, libertatem relinquendam Patribus commendet. Concilium liberum esse negabat, *cùm nec tractari possit, nec decerni quidquam, nisi quod Legatis placeat: & Legati nihil faciant nisi de voluntate Papæ. Si meliùs res non gerantur, in Galliam se ad Nationale indicendum iturum.* Id ipsum Galli Romæ apud Pontificem queruntur, quibus ille respondit: *Se nec verborum inanibus terreri, nec Nationalia Concilia timere. Concilium non liberum, sed licentiosum esse. Mala consilia in capita consultorum reditura.* Oborta tanta rerum perturbatione Quinqueecclesiensis Episcopus ad Cæsarem Tridento proficiscitur, Hispanorum & Gallorum ei causam commendaturus. Legati contra Episcopum Commendonum mittunt, qui apud eundem suam causam ageret. Simul ad omnes Oratores scriptum mittunt, & opem eorum

rum in expediendis difficultatibus implorant. Ea occasione arrepta Oratores Galli respondent, *Concilium abusus non tollere, sed augere. Modum ponendum esse prensationibus adeò manifestis, ut Concilio indelebilem ignominiam inurant. Libertatem ex suo sensu dicendi singulis concedendam. Etiam hanc esse causam discordiæ, quòd Secretarius suffragia minùs fideliter perscribat, unde pars major in actis minor videatur, nec quod pluribus suffragiis determinatur, pro decreto habeatur. Proinde necessariò adjungendum esse alium, ut ita duo sint, qui scribant.* Idem acriùs etiam instantiúsque Oratores Cæsarei suadebant. Die 29. Januarii Tridentum Româ rediit Ventimigliensis Episcopus, qui præter alia ad Legatos mandata etiam attulit Bullas officiorum & beneficiorum, à Pontifice aliquot Prælatorum propinquis collatorum, & Referendarii dignitatem Secretario Oratoris Lusitani; pensionem satis amplam filio Secretarii Hispani, aliisque alias pollicitationes. Legati etiam Senogaliensem Episcopum ad Lotharingum mittunt, oraturum, ut aliquam rationem comminiscatur, qua Gallis satisfieri possit. Respondit is, *parum sua referre, quibus verbis canon sanciatur. Sententiam, quam confirmare satagant, sibi curæ esse. Nec illud dictum,* Pontificem habere curam regendi universalem ecclesiam, *à Gallis ullo modo admitti posse, & si deinceps proponatur, non posse committere Oratores, quin protestentur nomine Regis & Gallorum Præsulum.* Die ultimo Januarii habita Generali Congregatione exceptus est Sabaudus Orator. Tertio verò Februarii decreta est dilatio Sessionis ad diem usque 22. Aprilis, magna licèt parte contradicente, *eò quòd res indigna sit, toties de die in diem Consessus prorogari, ut videlicet Patres tædio adigantur ad assentiendum iis opinionibus, quibus conscientia repugnat.* Postridie ejus die Galli Oratores sedulò & iteratò à Legatis contendunt, ut quæ antea proposuerat Reformationis capita, in Synodo examinarentur, antequam de Matrimonio agatur. Sed ambiguo responso delusi nihil inpræsentiarum impetrant. Die sequenti Articuli octo de matrimonio, proxima septimana à Theologis discutiendi, in medium proferuntur. Nono Februarii Salmeron Jesuita & Decanus Parisiensis articulis iis ventilandis initium faciunt. Procedentibus Congregationibus actum de reliquis etiam articulis, ac inprimis in partes itum circa quæstionem, *An ecclesia potestatem habeat rescindendi matrimonia clandestina?* aliis ajentibus, negantibus aliis. Die 17. Febr. Soto Theologus tum de divortio disserit, & vinculum matrimonii, obstante Apostolica traditione dirimi posse negat: tum polygamiam naturali juri adversari ostendit, simúlque ad sermonem de Residentia delabitur. Per id tempus Commendonus ab Imperatore Tridentum reversus Legatorum animos suspicionibus imbuit, narrata Imperatoris sinistra prorsus de Concilio existimatione, ejúsque vehementi procurandæ Reformationis & Synodi continuandæ studio. Sed & paulò post Canisius

Jesuita

Jesuita scripsit ad Lainezium Generalem, *Imperatorem omnino adversus Concilii negotia malè animatum esse, & consultare, quomodo procedendum sit, si Papa perseveret, & Reformationem proponere detrectet.* Consultationis illius Articuli XVII. concernentes ipsius Concilii Reformationem, & Imperatoris in eo potestatem, per Jesuitam Natalem proditorem ad Pontificios emanârunt. Romæ interea consultatum, an concedendum sit, ut Gallorum petitiones proponerentur? Visum est, id concedendum haud esse, neque tamen præcisè negandum, sed proponendis iis dilationem interponendam. Mantuanus Cardinalis princeps Legatus paucis ante mortem diebus liberas veráſque ad Pontificem misit voces, *nescire se, quonam deinceps ore comparere debeat in Congregatione, verba tantùm daturus, quod jam abs se duos integros annos factum. Omnes Principum Ministros dicere, utcunque Pontifex de Reformatione multa polliceatur; non credere tamen se, animum ejus eò verè inclinatum, quandoquidem promissa non præstentur.* Intra sextum diem, datis his literis, è vivis excessit. In Congregationibus postremus in secunda Classe verba fecit Adrianus Dominicanus, qui à quæstione proposita divertens multa de absoluta Papæ in dispensando potestate disseruit. At Johannes Verdunus, ut Adriani sententiam refellat, disceptationem de gradibus affinitatis, ad oppugnandum dispensationes Pontificias convertit, efficacitérque ostendit, legem Divinam exceptioni aut dispensationi nullo modo obnoxiam esse, *nec esse Papam dominum, Ecclesiam verò servam, sed illum ejus servum, qui sponsus est ecclesiæ, & ab ipso præpositum familiæ ecclesiæ Christianæ, ut det unicuique propriam mensuram, hoc est, quod ipsi debetur.* Sed & Jacobus Alanus Theologus Gallus de dispensationibus differens Conciliorum Generalium authoritatem supra modum extollit, Pontificis verò potestatem elevat. Tum & Cardinalis Lotharingus paulò ante Oenipontem ad Cæsarem & Regem Filium secedens, secretò cum iis contulit de remediis opponendis Curiæ Romanæ & Prælatis Italis Tridenti dominantibus, quò obtineri possit in Concilio *communio Calicis, conjugium Presbyterorum, usus Linguæ vernaculæ in Sacris, relaxatio aliorum juris positivi præceptorum, & Reformatio in capite ac membris.* Et si obtineri non possent, qua ratione Concilium Nationale instituendum sit? Defuncto, uti diximus, Mantuano, Cardinalis Seripandus principis Legati munus deprecatur, War[illegible] i.nsis missionem postulat, at Simoneta principem locum ambit. Sed Pontifici placuit in locum Mantuani Legatos surrogare Cardinales Johannem Moronum & Bernhardum Navagerium. Per eosdem dies cùm Romæ in Rota causa quædam Segoviensis Episcopi proponenda esset, ea nec recepta, & ab uno ex Auditoribus procuratori Episcopi dictum est, *dominum suum esse hæreseos suspectum.* Hinc querelæ Tridenti à Transmontanis omnibus obortæ sunt, *quòd Romæ excogitentur calumniæ, & notæ infames iis, qui Pontificis & curiæ*

voluntati non obsecundant, impingantur. Die 4. Martii de V. & VI. articulis actum, ac inprimis de matrimonio Presbyteris concedendo, vel certè dispensando necne, indignantibus illis, qui Sedis Pontificiæ commodis favebant, eam quæstionem in medium proponi, dicentibúsque, *matrimonium Presbyteris concedere non aliud esse, quàm Hierarchiam Ecclesiasticam destruere, & Pontificem redigere ad Romæ solius Episcopatum, sublata per curam familiæ arcta illa Ordinis clericalis cum Apostolica sede conjunctione.* Eodem tempore scripsit Cæsar tum ad Legatos, tum ad Pontificem. Ad Legatos quidem *desiderare se tandem fructuosum aliquem Concilii successum, & ad obtinendum illum dandam illis operam esse, ut removeantur impedimenta, de quibus ad Pontificem scripserit.* Ad Pontificem verò, *dolere sibi, quòd parùm feliciter succedat Concilium, cujus exitus, nisi properè remedia adhibeantur, is futurus sit, ut scandalum universo orbi Christiano, & ridendi materiam adversariis præbiturum sit. Patres ad indignas contentiones delabi. Famam esse in eo Pontificem esse, ut Concilium dissolvatur. Id se summopere dissuadere. Daret potiùs operam, uti sua Concilio libertas constet, quam tribus potissimùm modis turbari, primò quòd omnia priùs Romæ consultentur; secundò quòd facultatem proponendi soli sibi Legati iniquè vendicent; tertiò quòd coitiones fiant ab aliquibus Prælatis, quibus Curiæ Romanæ amplitudo emolumento cedit. Necessariam esse Reformationem. Cúmque abusus originem & fomentum Romæ habeant, eam non in urbe Roma, sed in Concilio instituendam. Paratum esse se venire ad Concilium, rogaréque Pontificem, ut & ipse eò venire dignetur.* Literis his Papa redditus commotior est, quòd Imperator suam in Concilium authoritatem longiùs extendat, quàm decessores ejus fecerint. Respondit igitur prolixè, *sibi plenam à Christo authoritatem attributam esse, ut cujuscunque authoritatis consensum expectare non debeat. De Concilio dissolvendo se nunquam cogitâsse. Libertatem consultationibus à se Romæ habitis non impediri, sed juvari. Olim cùm Romanus Pontifex Conciliis interesset, eum solum & proposuisse & decrevisse. Absente illo solis Legatis fas esse proponere. Concilium factum esse licentiosum, non liberum. Curiam suam jam se reformâsse, & reformaturum esse deinceps. Tridentinos Præsules deformare, non reformare velle. Alias etiam aulas opus reformatione habere. Qui legem à Concilio accipere debent, eidem legem dare non debere. Atque hoc ipsum etiam reformandum esse. Quòd si Constantini, & Theodosiorum duorum pietas, imitatores haberet, Concilium in summa apud omnes existimatione futurum. Quò minùs verò ipse interesse Concilio posit, ingravescentem ætatem & negotia intercedere.* Porro pontifex Cæsaris Gallorúmque studia à suis diversa conspicatus, de Hispano sibi conciliando cogitat. Commodúmque advenerat Ludovicus Avila extra ordinem ab Hispano missus, ut tum alia, tum dispensationem in matrimonio inter Sororem & Filium regis Carolum contrahendo solicitaret. Eum Papa omni officiorum genere, & propensa etiam in dispensando consanguinitatis gradu voluntate demulcere studuit. Ipse quoque Rex Præsules suos monet, ut rebus Pa-

pæ

pæ faveant,quantum fieri salvâ conscientiâ possit.Die 17.Martii diem suum obiit Cardinalis Seripandus Legatus, communi Tridentinorum omnium dolore. Die sequenti Oratores Galli Legatos solenniter adeunt,eósque obtestantur, ut Reformationis negotium tandiu petitum tandem occipiant. Idem Cæsaris Oratores & Avila Romæ rogitabant,flagitantes,ut Reformatio in Concilio non Romæ fieret,& ut facultas proponendi in Concilio sibi quoque concederetur. Respondit junctim omnibus,se & facultatem proponendi omnibus permittere,& Reformationi quoque favere. Sed Morono interea secretiora mandata cum hac concessione pugnantia impertiit. Lotharingus callidum consilium suggessit Pontifici, nimirum Reformatione ipsum se extricare,& Concilium citò expedire posse,*si apertè intelligendum daret,quæ capita attingi nollet, ut in cæterorum tractationem incumbere liceret, ita contentiones omnes brevi cessaturas esse.* Sed Pontifex versutiam ejus subodoratus,tanquam annosa vulpes,laqueo se capi haud patitur. Cernebat nempe fore,ut si quædam in deliberationem adduci patiatur,via aperiatur etiam reliquis, quæ certum sibi præjudicium datura essent. Ad alia igitur consilia decurrit, inprimis id satagens,ut Imperatorem per Moronum Cardinalem, Tridentum tendentem,suam in sententiam pertraheret, & Concilium, si qua fieri posset, Bononiam denuo transferret. Quem in finem etiam Ventimigliensem Episcopum ad Lotharingum, qui antea dixisse ferebatur, *si Pontifici animus esset Bononiam venire, Imperatorem eodem concessurum*, mittit, ut ejus de eo sententiam animúmque expiscaretur.Cùmque averso se esse à Concilio hoc animo testaretur Lotharingus,eò quòd Pontifici Reformatio curæ haud sit, ipse etiam de transferendo Concilio cogitationem deponit. Die 13.Aprilis novus Legatus Cardinalis Moronus in Congregatione exceptus Breve Legationis protulit,& Orationem habuit. Accessit etiam ad Concilium Comes Lunensis,Hispaniæ Regis Orator.Circa illud etiam tempus Petrus Soto in confinio mortis literas dictavit & subscripsit,Pontifici mittendas, in quibus confessionis formâ declarat mentem suam de capitibus in Concilio controversis: Illud nominatim Pontificem hortatus,ut assensum commodaret Residentiæ & Institutioni Episcoporum *de Jure Divino* declarandis. Literas eas Tridenti vulgatas & non exiguum pondus habentes,animúmque Præsulibus nonnullis addentes,Simoneta supprimere, sed irrito labore,conatus est. Hispani Episcopi in ædibus Comitis Lunensis convenientes, eum de Concilii statu edocent. Illinc cùm discederent commodùm Episcopis Leriensis & Pacensis,in eos Granatensis invectus est hic verbis: *Hi sunt de numero perditorum, qui tanquam muli clitellarii sarcinis se se onerari patiuntur, & aliorum voluntate ac arbitrio reguntur,neque ad aliud quàm ad numerum implendum utiles sunt.* Cùm insta-

Instaret dies 22. Aprilis Sessioni destinatus, die præcedenti Congregatio habita est, ut ejus prorogatio denuo decerneretur. Lotharingo ita suadente, placuit, ut dies 20. Maji præfigeretur, quo deinde futura Sessio celebranda esset. Finita Congregatione Anthonius Ciurelia Buduensis Episcopus solitus & antehac Patres urbanitate imò & prophetia aliqua oblectare, de Civitate Tridentina prophetiam edidit, cujus hæc summa erat: *Civitatem eam gratiam obtinuisse, ut eligeretur tanquam urbs, ubi generalis concordia inter Christianos sarcienda putabatur. Sed propter inhospitalitatem suam indignam eo honore, brevi odium universale incursuram, tanquam majorum discordiarum seminarium.* Die 24. Aprilis Legati cum Oratoribus communicant Decreta de abusibus circa Sacramentum Ordinis formata. Eadem die 29. etiam Prælatis exhibent. Regum Oratoribus non placuit Cap. 1. de Episcoporum electione, eò quòd authoritatem Principum suorum in iis præsentandis aut nominandis labefactaret. Initio Maji à Rege Galliæ ad Lotharingum & Oratores ejus allatæ sunt literæ, quibus injunctum iis est, ut veras factæ cum Hugonotis, uti vocabantur, pacis causas in Concilio edant, simúlque Reformationem solicitent. Egerat idem Rex cum Hispano de Concilio in aliquam Germaniæ urbem transferendo. Sed consentientem minimè habuit, Pontificem verò palam etiam repugnantem. Unde Galli abjecta spe omni fructum aliquem ex Concilio colligendi, Theologis suis Tridento discedendi potestatem faciunt. Proin hi citiùs, illi seriùs discedunt pœne omnes. Die 18. Maji habita Congregatione actum est de abusibus circa Sacramentum Ordinis. Ubi Lotharingus de abusibus iis copiosissimè disseruit, perstringens tum eos, qui in Gallia obtinerent, tum & eos inprimis, qui Romæ grassarentur. *Romanam Curiam* ajebat *esse fontem, unde abusus omnes deriventur. Nullum reperiri Cardinalem sine Episcopatu, imò sine multis Episcopatibus, & eas tamen functiones esse insociabiles. Inventa Commendarum, Unionum ad vitam & administrationum, quarum interventu contra omnes leges plura beneficia re ipsa dabantur uni, cùm tamen in speciem haberet unicum, esse Divinæ Majestatis & Religionis ludibrium.* Libertatem hanc loquendi ægerrimè Pontificii tulerant, dicente Simoneta, loqui ipsum cum Lutheranis, *& faxit Deus,* ingeminabat, *ne cum iisdem etiam sentiat.* Die 21. Maji in Congregatione acceptus Comes Lunensis Hispanus Orator, ob controversiam de præcedentia se inter & Gallos Oratores seorsim locum, connivente etiam Lotharingo Cardinale, capessivit, edita protestatione de loci prærogativa sibi debita. Cui opposita est protestatio Gallorum in contrarium, longissimi temporis præscriptione jus inviolabile sibi partum asserentium. Comitis Lunensis nomine Orationem habuit Petrus Fontidonius Hispanus, qui inter Regis sui decora illud potissimùm commemoravit, quòd ma-

majori quàm reliqui Reges ſeveritate hæreticos arcuerit & compeſcuerit. Quæ quidem Oratio tanquam manifeſta reprehenſio omnium Principum, qui Hiſpaniæ exemplum haud imitati ſunt, non reliquis duntaxat Oratoribus, ſed ipſi etiam Lunenſi Comiti diſplicuit. Eo tempore, pace in Gallia facta,& ſpe ſeriæ Reformationis obtinendæ decollante, Regina Galliæ ad Pontificem & Lotharingum ſcribit,& illi quidem operam omnem addicit ut Concilium propediem finiri poſſit: huic verò ſuadet,ut Pontifici quocunque modo ſatisfacere, ejúſque ſibi benevolentiam conciliare annitatur,& quam primùm fieri poteſt,in Galliam redeat.Atque hinc Lotharingus aliàs irreconciliabili odio adverſus Evangelicos,non tam religionis,quàm factionis cauſa flagrans,multum de animi ſui ardore remittere,& Pontifici,Curiæ Romanæ acHiſpaniæ miniſtris ſe adjungere cœpit.Die 2.Junii in Congregatione receptus eſt Præſes Renatus Biragus, à Rege Galliæ ad Concilium & Imperatorem miſſus, qui exhibitis Regis literis, quibus Pacificatio nuper facta excuſatur, eandem in rem Orationem habuit. Promotor reſponſionem juxta formulam à Legatis præſcriptam adornat, ſed à Lotharingo,quòd Regis pacem ſancientis factum laudaret,non probatam,adeóque etiam, Oratoribus Gallis Lotharingo multum indignantibus,immutatam.In Congregatione Epiſcopus Nemauſenſis de capitibus abuſuum,qui Ordinem ſpectant, verba faciens,delapſus eſt ad ſermonem de Annatis, in quarum penſitatione & modum & quantitatem reprehendit,ſatis fore dicens,ſi ad aulæ Pontificiæ ſuſtentationem viceſima decimarum pars impendatur.Æquum eſſe addidit,*ut,cùm Curia Romana omnium eccleſiarum collationibus ſuſtentetur,inde quoque aliquid utilitatis percipiatur,cùm tamen ab ejus officialibus multi & prope omnes abuſus in orbe Chriſtiano naſcantur.* Inſuper in ordinationibus Presbyterorum,quæ Romæ fiunt, nec Canones nec Decreta obſervari querebatur. In alia Congregatione Epiſcopus Guadicenſis in Epiſcoporum Titularium ordinationem graviter invectus eſt, quam dicebat eſſe *Curiæ inventum,figmentum humanum.* Epiſcopus verò Lucenſis nervosè contra diſpenſationes Pontificias diſſeruit, negans ullo caſu juſtam eſſe diſpenſationem, ſiquidem conveniat,ut privatus quivis aliquid gravaminis ſuſtineat, dummodo id inſigni beneficio publico cedat. Die 7. Junii in locum Epiſcopi Tileſii, Concilii Secretarii, de cujus ſincera in conſignandis Concilii actis fide ſæpius dubitatum fuerat, ſuffectus Epiſcopus Campianenſis,reſponſum Birago reddendum,à Legatis confectum prælegit. Id Lotharingo aliiſque minùs placebat.Unde denuo reſponſum dilatum eſt,Gallis præſulibus non parùm de eo quiritantibus.Die 11.Junii conſultatio habita eſt de invenienda ratione ſtabiliendi doctrinam de inſtitutione Epiſcoporum. Ibi Lotha-

ringus digreditur in eam Gallorum assertionem, quòd Concilium sit supra Papam. Orta inde ipsum inter & Archiepiscopum Hydruntinum altercatio, exulcerati utrinque animi index, Morono etiam Legato palam Hydruntino patrocinante, *eò quòd Romæ sibi mandatum sit, ut illum magni faciat, à cujus ore & sententia quadraginta suffragia pendeant.* Die 13. Junii Præses Biragus non expectato diutius Synodi responso, Oenipontem ad Imperatorem, mandata sua ei expositurus proficiscitur. Circa id tempus Comes Lunensis, Regis sui jussu apud Legatos urgebat abrogationem illius Decreti, quod solis Legatis *proponendi* facultatem faciebat. Legati ejus postulatum scripto traditum ad Pontificem mittunt, Morono dicente, eludi posse ita, si responsio in longum extrahatur. Die 15. Junii Sessioni futuræ dies 15. Julii præfigitur, Segoviensi, aliisque reclamantibus, quòd breve nimiùm tempus sit ad expediendas plurimas, quæ supersunt, difficultates. Postero die Lainezius, Jesuitarum Generalis, quæ antehac in præjudicium Curiæ Romanæ dicta erant de Dispensationibus, de ejusdem Curiæ Reformatione, de Annatis, impudenti sermone refellere conatus est. Ejus Oratio Gallis aliisque displicuit, sed Legatis probata fuit, qui eum singulari favore prosequentes suspicionem moverunt, ac si ipsorum instinctu loqueretur. Sed & Hugonius ac Verdunus Theologi Galli, quamvis Pontificis pretio corrupti, offerebant se Lotharingo ad refutandam Jesuitæ sententiam novam, inauditam ac scandalosam, inprimis ea parte, qua dicebatur, *idem esse Christi ac Papæ tribunal.* Sed impetum hunc Lotharingus retardavit, asserens, sufficere si id obtineatur, ne in publicis Concilii decretis ad istam doctrinam aditus aperiatur, idque rem silentio tegendo, quàm contradicendo rectiùs effici posse. In Congregatione die 21. Junii habita, post lectam responsionem Præsidi Birago reddendam, orta denuo est contentio de institutione Episcoporum & authoritate Papæ, quam alii omitti & sopiri, alii discuti voluére. Sed & de electione Episcoporum anxiè quæsitum, annon digniores necessariò sint eligendi? asserebant id multi, at negabant tum Pontificii, eò qòd id pertineat ad Pontificis authoritatem restringendam: tum Oratores Galli & Hispanus, causati, sic potestatem Regum in nominationibus circumscribi. Ac circumibant etiam multi prensantes, nominatim Episcopus Britinoriensis & Lainezius, urgentes incommoda, Decretum respiciendæ dignitatis secutura. Sed & Pontifex Cardinalium Reformationem cogitans varia Tridentum capita mittit ad Legatos, præcipuis Patrum impartienda. Sed mox illud Reformationis studium obmutuit, intercedentibus Episcopis, inprimis purpurei galeri Candidatis, ne suis desideriis multa impedimenta objicerentur. Die 25. Junii Imperator id pro comperto habens, vicinitate sua Concilium non promoveri,

ri,Oenipotente discessit. Recruduit etiam controversia de præcedentia Gallum inter & Hispanum,postquam Vargas,Orator Hispanus,Romæ à Pontifice impetravit, ut etiam in Sessione Comiti Lunensi locus seorsim à reliquis Oratoribus concederetur. Ex qua quidem re Pontifex tumultum, & ex tumultu Concilii dissolutionem exorituram speravit. Res eò devenit, ut Ferrerius Orator Gallus Orationem & Protestationem adornaverit,ea usurus,nisi sibi satisfiat. In ea inter alia continebatur,*Pium IV.pro pane filio primogenito petram dedisse,& pro pisce serpentem,ut uno ictu simul & Regem & Ecclesiam Gallicanam feriret. S.Petrum à judiciis rerum mundanarum abstinuisse. At Pium IV. Successorem ejus,sed non imitatorem, honorum Regibus auferendorum potestatem sibi arrogare. Illum contra causam viduæ & pupilli pronuntiâsse,legibus locum non relinquere, nec Concilio libertatis vestigium.Recusare se hunc pro vicario Christi agnoscere. Quicquid fit, non Tridenti geri ,sed Romæ, & decreta in publicum emissa esse potiùs Pii IV. quàm Concilii Tridentini,nec ea se pro decretis Tridentini Concilii recepturos.* Asserebant præterea,Pium IV.legitimum Pontificem non esse,nec electionem ejus validam esse ob vitium Simoniæ in ea interveniens. Non prælecta tamen est protestatio illa ob controversiam Oratorum reliquorum interventu sopitam.Deinceps Lotharingus,ut Pontifici fidem suam pigneraretur, sedulam operam navavit tollendis de Residentia aliisque controversis Capitibus dissensionibus,ut tandem Sessio haberi posset. Hispanis igitur plerisque persuadet, ut desisterent à postulanda declaratione Residentiæ & institutionis Episcoporum de Jure Divino,*eò quòd res nec tuta,nec Deo grata sit,inutili studio & cum majorum malorum periculo id beneficium urgere,quòd obtineri non possit. Sufficere,quòd veritati præjudicium non creatur.* At Granatensis,Segoviensis, aliique in sententia sua perstant.Die 9 Julii cœperunt generales Congregationes. Decretum de Ordine prælectum, plerisque id approbantibus, sed Granatensi & sociis obfirmantibus animum, nisi Episcoporum institutio declaretur. Dicebant illi,*opinionem suam æquè veram esse ac præcepta Decalogi.* Dein decretum de Residentia proponitur, & plerisque probatur,at Granatensi & asseclis non item,qui apertam Juris Divini declarationem petebant,séque in conscientia ad id obligari affirmabant. Die 14.Julii in generali Congregatione denuo lectum est totum id,quod in Sessione publicandum erat. Idque sibi placere Patres 192.non placere contra Patres 28.responderunt. Cardinalis Moronus cum comite Lunensi privatim egit,ut dissentientes conciliaret,promittens, quando potestas Papæ secundum formulam Concilii Florentini declarabitur, etiam tum institutionem Episcoporum de Jure Divino declaratum iri. Vano hoc promisso lactati Granatensis & asseclæ,in ædibus Lunensis post multam disceptationem omnia se acceptaturos concludunt. Suc-

cessit tandem die 15. Julii ipsa Sessio XXIII. Missam celebrante Parisiensi Episcopo, Orationem verò recitante Alliphiensi Episcopo, in qua inter alia dixit: *Sicut melior sit fides Pontificiorum, ita meliores esse mores hæreticorum.* Lecta postea sunt Brevia Legationis Cardinalium Moroni & Navagerii, mandata Regis Poloniæ & Ducis Sabaudiæ, literæ Reginæ Scotiæ, Hispani mandatum, & Decreta tum fidei tum Reformationis.

NOTÆ.

Ad Historiam & Decretum Sessionis XXIII.

IPsa Historiæ Sessionis hujus paulò attentior lectio probo lectori plurima suggeret pessimæ in causa Dei fidei, & tum apertarum, tum clandestinarum etiam plusquam Machiavellisticarum artium, ne apertam vim & iniquitatem, ac serias cordatorum omnium querelas commemorem, indicia. Nos præcipua indicâsse satis habebimus. *Primò* toties iterata Imperatoris, Regis Galliarum, Hispani, Lotharingi, aliorum de tractatione desultoria tum fidei dogmatum, tum Reformationis Capitum; de libertate Concilii per præjudicia & mandata Pontificis ac Curiæ constricta; de iniquitate Decreti', quo solis Legatis proponendi facultas vindicata est; de apertis prensationibus & suffragiorum corruptione, de injustis Pontificis usurpationibus, aliisque ejusmodi nostram de Conciliabuli illius perversitate sententiam ac querelam luculenter confirmat. Vix efficacioribus verbis talia exprimere possemus, quàm vel Regis Galliarum, *ea quæ ad mores & disciplinam pertinent, leviter tractari, dogmata religionis præcipitanter decerni, disputationem de rebus fidei, adversariis absentibus, inutilem esse, restituenda esse ecclesiæ, quæ Sathanas ei eripuit*; vel Quiqueccleslensis & assecларum, *Ecclesiam in capite & membris seriò reformandam esse, quod hactenus factum non sit*; vel Renaldi Ferrerii Oratoris Gallici, non obscurè asserentis, *superesse in ecclesia fornicationes & maleficia Jezabelis, non Concilii, sed Pii IV. vitio electi Papæ Decreta appellari debere* &c vel Cardinalis Madrucii, *esse in Concilio secretius aliquod Concilium, quod majorem sibi authoritatem vendicaret*: vel Lotharingi, *Concilio libertatem haudquaquam constare, cùm nec tractari, nec decerni quidquam possit, nisi quod legatis placeat, & Legati nihil faciant, nisi de voluntate Papæ, Romanam Curiam esse omnium abusuum fontem*; vel Gallorum Oratorum, *Concilium abusus non tollere, sed augere, apertas prensationes ferre, quæ Concilio indelebilem ignominiam inurant, à Secretario suffragia minùs fideliter consignari*; vel ipsius Mantuani principis Legati, paulò ante mortem suam profitentis, *nil nisi verba Concilio dari, nec omnino promissis stari*; vel Impe-

ratoris Ferdinandi, *hactenus nullum fructum à Concilio manâsse*; *ejus exitum scandalum & ridendi materiam suppeditaturum*; *Patres in Concilio ad indignas contentiones delabi*; *Libertatem Concilio non constare, eò quòd cuncta priùs Romæ consultentur, facultatem proponendi Legati iniquè sibi solis vendicent, & conventicula fiant Prælatorum Pontificis emolumenta curantium*; *abusus originem & fomentum habere Romæ, proin etiam inde Reformationem exordiendam esse*; vel Archiepiscopi Granatensis, quiritantis, *esse in Concilio mulos clitellarios, qui se Pontificiis sarcinis onerari patiantur*. Ut omittam ejusmodi alia, quæ intimus conscientiæ sensus invitis his pectoribus extorsit. Atque has querelas meritò nostras facimus. *Secundò* iterum atque iterum repetita Sessionis prorogatio, & decimum usque in mensem extracta dilatio prodit Synodi hujus vanitatem. Etenim si Decreta spectes, nihil occurrit, quod non modò tanti temporis operâ assiduâ, sed ne paucorum quidem dierum impendio dignum esset. Arguit nempe hæc mora insanabiles Patrum contentiones, & mutuas machinationes partium; quarum altera, sanior videlicet, ea definiri petiit, quæ aliquod momentum haberent, & usurpatam potestatem Papæ coërcerent; altera verò Pontificia nimirum, omnibus modis, vi dolóque adhibito obstitit. Tantæ nempe molis erat Papatum nutantem oppositis machinis sustinere. Hoc etiam morâ illâ quæsitum, ut Patres tœdio adigerentur ad subscribendum iis opinionibus, quibus eorum conscientia reclamavit, quod plures in ipso Concilio Pontifici addictis Præsulibus objectârunt. *Tertiò* dignissima animadversione est controversia de institutione Episcoporum & Residentia, quam utramque Divini Juris esse, allegata etiam definitione ipsius Concilii sub Paulo III. Pontifice facta, pertendebant Præsules Galli, Hispani, imò & Itali nonnulli, victores haud dubiè futuri, nisi contrariis Româ allatis mandatis vis iis illata, & à Cardinale Lotharingo, homine ambidextro, ad extremum indignis modis deserti essent. De certaminis illius causis & momento pauca commemoranda sunt. Pontificis potestatem iniquè hactenus usurpatam aperto Marte Præsules oppugnare ausi non sunt, quòd victoriam desperatam esse cernerent. Eam igitur rectiùs obliquè, & remota quædam principia cum Oecumenico Papatu, seu Pontificis Romani ambitione ac avaritia pugnantia stabiliendi, adeóque à longinquo collimando convellere allaborârunt. Atque huc apprimè faciebat declaratio, quòd & residentia & Episcoporum institutio immediatè à Divino jure arcessenda sit. Etenim si constaret, obligari quemvis Divini juris necessitate, ne gregem suum deserat, inde inferre licebat, Episcopis cum onere ipsis tradito etiam ejusdem commodè exequendi potestatem ipsis datam esse, adeóque eas à Pontifice nec aliò vocari, nec alibi distineri posse, nec ab eodem cum iis dispensari, nec

Uu 3 potesta-

poteſtatem Divinitus conceſſam reſtringi poſſe. Eodem & illi aurigabantur, qui Epiſcoporum inſtitutionem à Divino Jure repetendam eſſe pertenderant. Si enim Epiſcopi immediatè Chriſto inſtitutionem ordinis & authoritatis ſuæ debent, ſecuturum inde confidebant, poteſtatem ſuam Pontifici ſubjectam non eſſe, adeóque nec ab eo diminui poſſe, atque ita reſtitutum iri Epiſcopis, quod iis à Chriſto datum, aliena ambitione & avaritia uſurpatum, aut per propriam ſocordiam amiſſum eſt. Denique & vim hac ratione prohiberi, quam contra ipſorum perſonas adhibere Curia Romana poſſet, quin & temporis progreſſu ſenſim ſine ſenſu Eccleſiam reformari, & collapſam diſciplinam reſtitui poſſe. Proinde declarationem hanc Papatui jugulum petituram, aſſeruere non tantùm Lainezius, dicens; *Si ſtatuatur, Epiſcopos Jure Divino inſtitutos eſſe, Pontificem non amplius fore caput eccleſiæ & vicarium Chriſti*; ſed etiam Segovienſis, qui palam jactavit, *unicam voculam* Juris Divini *Papæ fore cauſam ruinæ.* Hæc ſcilicet arcana ſunt illius controverſiæ tanto animorum ardore & tandiu agitatæ. Etiam ſub Paulo III. Anno 1547. cauſam neceſſariæ reſidentiæ, & quidem vi Juris Divini publicè ſtrenuè ac patheticè egit Bartholomæus Caranza de *Miranda* peculiari tractatu Metis & Antuerpiæ edito; cui is ſubjecerat Epiſtolas Athanaſii ad ſuæ Diœceſeos Epiſcopos & ad Imperatorem de eadem materia, nec non Excerpta quædam ex libro Martini Pereſii Ajalæ. Sed tam malam is gratiam inivit, ut Archiepiſcopatu Toletano exutus Romæ, ubi cauſam ſuam proſequebatur, An. 1575. præ animi ægritudine obiverit. Argumenta pro reſidentiæ ex Divino Jure neceſſitate Caranza ille ſex produxerat. I. *Ex Scripturæ teſtimoniis, nominatim Num. XVIII. Ezech. XIV. Zachar. XI. Joh. X. 11. 16. Act. XX. 18. &c. 1. Theſſ. V. 12. 13. 1. Thimoth. III. Tit. I. 2. Timoth. IV. 1-6. 1. Pet. V. 1-5. &c. II. Ex titulis Epiſcoporum, qui vocantur Speculatores, Angeli, milites, duces, patres, cuſtodes, ſcribæ docti ad Regnum Cœlorum. III. Ex Decretis Conciliorum viginti. IV. Ex doctrina & Decretis Pontificum. V. Ex doctrina Patrum plurimorum. VI. Ex rationibus variis.* Sed & Franciſcus Torrenſis Ambroſii Catharini poſitionem ſcriptis opuſculis aſſertam, *quòd reſidendi Jus non ſit niſi Juris poſitivi Eccleſiaſtici, quódque ſolus Papa à Deo immediatè acceperit omnem poteſtatem, Epiſcopi verò à Papa habeant ſuam Juriſdictionis poteſtatem*, tanquam falſiſſimam evertere conatus eſt peculiari tractatu *de Reſidentia Paſtorum.* Meritò igitur controverſiam in Concilio vexatiſſimam & maximi momenti paſſim hiſtoricè, quid nimirum circa eam diverſis occaſionibus in Concilio dictum factúmque ſit, Suavis Polanus, ingenuus & candidiſſimus ſcriptor tractavit. Quem tamen mendaciorum convincere Scipio Henricus Jeſuita, ipſe impudens mendaciorum architectus, futilibus ſuis ſpeculationibus conatur. Is enim *Cenſur. Hiſt. Theolog.* pag. 141. ait, *vanum & ridiculum eſſe, imò & figmentum*
menti-

mentientis Historici, si declaretur, Episcoporum Residentiam sive Institutionem esse de Jure Divino, nullam amplius Romanum Pontificem authoritatem super Episcopos habiturum. Verùm si id vanum, ridiculum, figmentum mentientis est, non Suavis Polanus fuerit vanus, ridiculus, mendax, sed ipsi in Concilio Patres, qui id disertis verbis asseruerunt sequi, nominatim Segoviensis Episcopus, Lainezius Jesuitarum Generalis, Granatensis, aliique, quorum & sententiam & verba Suavis Polanus sine ulla falsi suspicione recitat. Certum est, id intendisse Hispanos inprimis, quod superiùs diximus. An verò si destinata provenissent, futurum fuisset, ut spe sua mactarentur Præsules illi, non æquè certum est, & dubitârunt ipsi etiam Galli, qui circuitionem illam & artes Hispanorum pro frivolis habebant, dicentes, nunquam defuturas Romæ provisiones, quibus, quod illi intenderunt, inutile reddatur: proinde præstare, ut absque omni artificio rectà & apertè manifesti abusus oppugnentur. Nec plus difficultatis metuendum esse in hoc obtinendo, ad quod præcipuè tenditur, quàm in eo consequendo, quod prætexitur, quod tamen adipiscentibus nihili instar futurum sit. Si quod igitur argumenta sequentia Scipionis pondus habent, non illa valent vel contra Suavem Polanum, qui rem gestam sincerè narravit; vel contra intentionem eorum, qui Residentiam & institutionem Episcoporum à Divino jure arcessebant, ut Pontificis avaritiam & ambitionem in ordinem redigerent; sed contra eventum, quem ob Pontificis provisiones Romæ faciendas dubium fore in Concilio Galli sentiebant. *Residentia,* inquit Scipio, *nihil aliud efficit, nisi ut Episcopus à sua Ecclesia non discedat, non tamen aufert à Romano Pontifice potestatem multa sibi reservandi, plurima Episcopis indicendi, privilegia Regularibus concedendi, peccantes Episcopos puniendi.* Imò si ex Divini præcepti necessitate Episcopi residere, hoc est, præsentes esse gregi debent, non licet Pontifici contra Divini præcepti tenorem aliquid sibi reservare, privilegia non residendi indulgere, Præsules ad Curiam suam vel aliò avocare, heterogeneis occupationibus distinere, militiæ, foro præficere, titulares Episcopos creare, Episcopatus vacuos relinquere, commendare, &c. Non licet enim cuiquam mortalium contra Divinum præceptum dispensare. Quoad jus puniendi Episcopos, illud Divino Jure non ad Pontificem, sed ad supremum Magistratum ejus loci, in quo resident, pertinet. Pergit Scipio & negat, Pontifici nullam in Episcopos potestatem superfuturam fuisse, si declaratum esset, Episcopos omnes ἀμέσως à Christo institutos esse, hoc videlicet argumento, *quia etiam Presbyteri institutio sit de Jure Divino, & tamen Presbyteri Episcopo obediant.* p. 142. Sed Hieronymus, qui Episcopos & Presbyteros Jure Divino æquales esse olim docuit, unà nobiscum negaret Scipioni huic, Presbyteros Episcopis obedientiam debere. Deinde aliud

aliud est Presbyteros Episcopis, aliud Episcopos Episcopis subjicere, quod faciunt Adversarii. Sed Residentiam esse de Jure Divino declaratum esse Capite I. Reformationis, ubi dicitur, *Præcepto Divino mandatum esse omnibus oves suas agnoscere &c. quod impleri non possit ab iis, qui gregi suo non assistunt, sed mercenariorum more eum deserunt*; Scipio pertendit. Sed primò quicquid de Residentia decreverint Patres, joculare & illusorium fuit, quia dispensationes & exemptiones Pontificum non sublatæ & restrictæ, sed potiùs Concilii nutu ei integræ relictæ sunt: additæ etiam exceptiones variæ, quæ residendi necessitatem facilè solvere possent. Cætera omnia dicis causa definita sunt. Deinde declarat Synodus, *præcepto Divino mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre &c.* Hinc colligit, *debere Episcopos gregi suo invigilare & assistere, nec mercenariorum more eum deserere.* Quasi non fuerit per se clarum, neminem à munere suo, cujuscunque tandem generis illud sit, citra legitimam causam abesse posse. Neque verò hoc pertendebant illi, qui Residentiæ declarationem urgebant, sed definiri petierunt, Residentiam ita Juris Divini esse, immutabilis videlicet, ut nullus dispensationibus & exemptionibus Pontificiis, quales antehac perniciosissimæ viguerant, locus relinquatur. Hunc verò sensum minimè Synodus definivit. Unde Granatensis proposito illo decreto instabat, *ut Residentia declararetur de Jure Divino verbis apertis. Verba enim ambigua proœmij indigna esse Concilio, ad auferendas non augendas difficultates congregato.* Idem urgebatur, non Præsulum duntaxat, sed Cardinalium etiam mentio fieret in decreto. Sed in cassum ipse & asseclæ ejus laborarunt. Dixerat porro Suavis Polanus, de institutione Episcoporum sub Julio III. jam formatum sed non publicatum fuisse decretum. Eundem narrantem inducit Scipio, *decretum illud absconditum fuisse.* Quærit igitur 1. *Quomodo Historico manifestum apparuerit, quod Patribus absconditum fuerit? 2. Quomodo sub Julio III. componi potuerit tale decretum, nisi prius articulus ea de re Theologis propositus referretur?* Narrat Suavis lib. VII. pag. 564. Perezium Segoviensem Episcopum de Residentia disputantem allegâsse decretum tempore Julii III. formatum, & ut fidem allegationi faceret, diem & horam, quando id factum est, designâsse. Tum Cardinalem Mantuanum acta illius temporis proferri jussisse, adeóque Secretario dedisse legendum id, quod tum definitum fuerat. Non ergo absconditum, sed tandem depromptum, prælectum, publicatum fuisse commemorat. Cessa igitur, Scipio, nugis tuis rei gestæ veritati obstrepere. Quod definitum erat, utique à Theologis ante discussum, vel simpliciter probatum fuit. Quod actis insertum, ex actis depromptum, publicè prælectum fuit, quidnî eadem, quâ reliqua publicè gesta, ratione venire in hominum notitiam potuit? Ulteriùs insistit Jesuita, & Historicum negantem, quòd Synodus

dus declaraverit institutionem Episcoporum *de Jure Divino*, arguit *mendacii ac stultitiæ*, imò & *insaniæ*, eò quòd Synodus *Sess.XXIII.cap.*4. definiverit, *Episcopos positos esse à Spiritu S. regere ecclesiam Dei*; & *Can.*7. addiderit, *Hierarchiam ex Episcopis &c. constantem Divina ordinatione institutam esse.* Atque hinc omnia, quæ in Concilio circa hoc argumentum accidisse Suave narrat, *fortasse ab illo artificiosè conficta esse, ut occasione hac multa contra Romanum Pontificem ingerat*, concludit. Atqui certum est, Jesuitam hunc, vel supina ignorantia, vel extrema malitia laborâsse, qui rem liquidò gestam tam putidis ratiunculis non tantùm in dubium vocare, sed etiam inficias ire sine ullis allatis contrariis documentis, sustinuerit. Quæsitum fuerat in Concilio: *An Episcoporum tum ordo, tum Jurisdictio immediatè à Deo seu Christo institutus fuerit?* Atque ita quidem, *ut à R. Pontifice neutra pendeat, sed potiùs Jurisdictio tanquam proprietas Episcopalem Ordinem sequatur?* Hóccine uspiam definitum est? Aliud est dicere *Episcopos à Deo, Spiritu S. esse constitutos*; aliud, *ipsorum tum Ordinem tum Jurisdictionem immediatè à Deo, non à Pontifice emanare.* Prius asseruit Synodus, posterius non item. Nec dubito, quin posterius definientem Synodum ipse Papa anathemate percussurus fuerit. Noverat enim, & in ipsa Synodo Legati subodorati fuerant, si id definiretur, consecuturum, *claves non fuisse soli Petro datas*; *Concilium esse supra Papam*; *fieri Episcopos æquales Pontifici, cui nil nisi quædam prærogativa relinquatur*, *dignitatem Cardinalitiam Episcopis superiorem tolli*; *actum iri de Curia, Præventionibus, reservationibus*; *Beneficiorum quoque collationem trahi ad Episcopos &c.* Et talia quidem porismata Granatensis Archiepiscopus, aliique ex illo principio jam deduxerant. Unde etiam post Concilium plerique Pontificii Theologi sustinent, utramque & Ordinis & Jurisdictionis potestatem à summo Pontifice *authoritativè*, & non tantùm *ministerialiter* obtineri. Sed misso nunc Scipione, reliqua pertexamus. *Quartò* igitur variæ Pontificis & Legatorum artes & machinæ ex ipsa historiæ lectione manifestè se produnt. Huc pertinent inprimis tot mandata Tridentum missa, à quibus ne latum quidem unguem deflectere Legatos suos voluit; præscripta ab eodem decretorum circa Residentiam, Episcoporum institutionem & potestatem Papæ formulas; variæ prensationes; munera & Regi Galliæ placando missa, & Roma per Ventimigliensem Præsulibus nonnullis allata; Pacensis Hispanus & Hugonius Gallus ad prodenda utrorumque arcana pretio conducti & corrupti; Lotharingus variis promissis & officiis delinitus, ac in partes tandem pertractus; Præsulum novorum ad vincenda Gallorum, aliorúmq; suffragia missitatio; Archiepiscopi Hydruntini *pro honore & bono* Sedis Apostolicæ convivium schismaticum; Lainezii Pontificiæ potestatis accerrimi vindicis prærogativæ variæ; tentata sæpiùs Concilii vel dissolutio vel Bononiam translatio; aliáque ejusmodi pœne in-

numera,quæ repetere nihil attinet,quæque à Spiritu S. nequaquam profecta,& Concilii libertati opposita esse,pii omnes intelligunt. *Quintò* Lainezii Jesuitarum Generalis,magni Papatus Hyperaspistæ,dissertationem,qua is omnem in Ecclesia Jurisdictionis potestatem uni solíque Pontifici Romano tributam esse impudenter asseruit,(à quo haud abludunt ejusdem verba postea effutita,*idem esse Papa & Christi tribunal*) meritò Parisiensis Episcopus tanquam novitiam, ante Cajetanum inauditam,& multis nominibus scandalosam graviter perstrinxit. Est illud etiam atque etiam animadvertendum,quòd Pontificii omnibus viribus suis adnixi ægrè prohibere potuerint,ne contrarium definiretur: ut verò Lainezii sententia, adeóque Oecumenicus Papatus & Jurisdictionis absolutæ illa plenitudo definiretur,adeóque veritati illi,quæ Pontificem Concilio subiicit,ejusque potestatem limitat,præjudicaretur,ne quidem attentare animum induxerint. Unde conjicitur, Pontificiam illam absolutam potestatem & Jurisdictionem hactenus Conciliari decreto minimè stabilitam,imò ne quidem id tentatum esse,hoc solo metu,ne contrarium definiretur. Sæpiùs etiam in Concilio Lotharingus Gallorum suorum,qui cum ipso propositionem illam,quòd Papa subsit Concilio,æquè certam habuerunt,ac Symbolum Apostolicum,impetum retardaturus,eos consolatus est,quòd veritati illi hactenus in Concilio præjudicium creatum non fuerit. *Sextò* non desunt plura violentiæ à Pontifice adhibitæ argumenta.Subinde enim Papa jussit Legatos,ut Præsules liberè loquentes minis terrerent. Minaci oratione pronuntiavit, se Romæ sumptibus suis exercitum hostium alere. Segoviensis Episcopi causa Romæ rejecta,quòd hæreticus esset, nempe ob assertam Residentiam. Vegliensis Episcopus de eadem Residentia liberè locutus à Simoneta graviter increpatur,adeò ut morbo simulato ex Concilio discesserit. Idem Simoneta, aliíque Guadicensem Episcopum,quòd confidentiùs loqueretur de Canonis ea parte,qua statuitur, *Episcopos,qui à Papa vocati sunt,legitimos esse*,reprehendunt tanquam *schismaticum, foras ejiciendum*. Quod postremum narrantem Historicum Scipio Henricus ita arguit *evidentissimæ falsitatis*,ut tamen non dissimilia ipsémet mox ex Anthonio Milledomo depromat,manifesto væcordiæ ipsius indicio. *Septimò* Capita Reformationis XXXIV. à Gallis exhibita, & à Suave,Thuano,aliísque recitata planè sunt ἀξιομνημόνευτα,quòd & plures Papatus morbos detegant,& Galliæ totius desideria abundè comprobent. Inter alia petitum erat, *Sacerdotes,qui casti esse debeant,non alii ordinentur,quàm qui seniores sint,à populo bonum testimonium habeant: ut Sacerdotum libidines acerrimis Canonum pœnis coerceantur: ne eodem die Sacri ordines omnibus conferantur: ne ullus ordinetur Presbyter,cui non continuò detur una cum ordine beneficium aut ministerium: ut Diaconis & aliis Sacris ordinibus restituantur.*


tur sua munia, ne nuda & in Ceremoniis tantùm posita nomina dicantur: Presbyteri & Sacris initiati in sua functione maneant, nec in alio officio versentur: ut Monasteriis antiquæ Scholæ restituantur: unum beneficium uni tantùm conferatur, sublatâ eorum, quæ simul teneri & non simul teneri possunt, ac personarum differentiâ: à Sacerdotali ordine sordes & omnis avaritiæ labes expellantur, nec pro rebus Divinis quicquam exigatur: in Sacrificiis paroecialibus Evangelium apertè & dilucidè ex suggestu exponatur, preces à plebano praeunte lingua vernaculâ fiant, cantica pia aut Psalmi Davidici populari lingua cantentur: antiquum Leonis & Gelasii decretum de communione sub utraque specie in usum revocetur: Lingua vernacula Sacramenti explicatio semper pracedat: mandata de providendo, expectativæ, regressus, fiduciariæ resignationes, commendæ revocentur: retineantur antiqui, aut novi constituantur consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis gradus, intra quos non liceat cujusvis dispensationis obtentu matrimonium contrahere, exceptis Regibus aut Principibus propter bonum publicum: doceatur populus, quid de cultu imaginum sit sentiendum, superstitiones & abusus in iis colendis tollantur, atque idem provideatur in indulgentiis, peregrinationibus, reliquiis Sanctorum & Sodalitatibus, quas fraternitates vocant: publica pœnitentia in ecclesia instituatur: beneficia non ambientibus, sed fugientibus & de ecclesia bene meritis conferantur. Harum petitionum autographum Gallicè scriptum, & manu Regis, Catharinæ, Alexandri, Anthonii, Navarræ Regis, Caroli Borbonii, Rupi Surianii, Francisci Lotharingi Guisii, Annæ Momorantii, San andreani & Francisci Momorantii Equitum tribunorum subscriptum vidisse se, & penes se diu habuisse Thuanus commemorat. Visis iis Capitibus Papa questus est, *eorum finem esse Datariam, Rotam, signaturas, imò totam authoritatem Apostolicam convellere.* Sed ad extremum solitis artibus id effecit, ut æquissimarum petitionum nulla omnino ratio Tridenti haberetur, ipso etiam Rege thure placato. *Octavò* observatu dignissimæ sunt Cæsaris ad Pontificem literæ, quibus suam de Concilio opinionem aperto velo exposuit. Ait enim, *Concilii eum futurum exitum, ut scandali & ludibrii publici materies futura sit. Patres indignis modis digladiari. Concilio libertatem minimè constare. Reformationem necessariam esse, quæ non Romæ, sed in Concilio instituatur, cùm abusus omnes Roma originem & fomentum habeant.* Has Cæsaris literas, uti in Historia narravimus, indignis modis, insolentérque Pontifex excepit, veri rectique impatiens. Sed de eo quicquid sit, Cæsarem haud ignarum malarum artium, perperam de Concilio sensisse, cùm hæ ipsæ literæ, tum plura etiam alia, quæ in hac ipsa historia tradidimus, dubitare non sinunt. *Nonò* Granatensis Archiepiscopi de Lerinesi, Pacensi, aliisque ejusmodi in Concilio Præsulibus querimonia, quòd sint *de numero perditorum, qui tanquam muli clitellarii se sarcinis Papæ onerari patiantur, & numerum tantùm implere apti nati sint,* satis supérque prodit, quales fuerint non pauci Patres, quibus Concilium superbivit. *Decimò* Decreta fidei inferiùs pensitabimus; paucis

nunc ea, quæ in Reformationis Capitibus consideratione digna vibebuntur, discussuri. In universum frivolam & desultoriam operam Reformationi procurandæ in Concilio navatam esse, & fatentes & conquerentes in Historia Sessionis hujus vidimus Imperatorem, Galliarum Regem, Lotharingum, Hispanos, Mantuanum Legatum in confinium mortis adductum, alios. Quin & antehac sub Julio III. Veronensis Nuntius in Generali Congregatione ingenuè confessus est, ubique abusum aliquem esse, at in Sacramento Ordinis *abusuum Oceanum.* Hunc verò Oceanum levi situla exhaurire nunc student. Et Decretum quidem Residentiæ satis supérque superiùs ventilatum est. Ipse eventus docuit, quicquid ad inhibendam *non residentiam* decretum est, dicis causa factum esse, quandoquidem dispensationes & exemptiones Pontificum sublatæ non sunt: in quorum gratiam determinationes Casuistarum ac Canonistarum, si non compIurium, at certè plerorumque, additis distinctionum, limitationum & exceptionum caudis seipsas conficiunt. Valet ergo & hîc Pontificiis Oraculum illud Lessii: *Quod intellige sine justa dispensatione Papæ. Hujus enim potestati decretum Concilii non potest præjudicare.* Capite VI. statuitur, *ne primâ tonsurâ initiatus, aut in minoribus ordinibus constitutus ante 14. annum beneficium obtinere possit.* Facit huc Caput XII: ubi etiam ætas ad majores ordines requisita definitur, constituitúrque, *ne Subdiaconus ante annum 22. Diaconus ante 23, Presbyter ante 25. quisquam ordinetur.* De tonsura & minoribus ordinibus inferiùs viderimus. Quoad ætatem eligendorum ad ministerium ecclesiæ, non potest generalis regula constitui, sed ἱκανότης respicienda, quæ in quibusdam maturiùs, in aliis tardiùs se prodit. Neque etiam Apostolus in forma, juxta quam eligendi sunt ministri, ullam facit certæ ætatis mentionem, cùm tamen de vidua ad certas quasdam ecclesiæ operas adhibenda, & ecclesiæ sumptibus alenda dicat: *Vidua eligatur non minor sexaginta annis,* 1. Tim. V. 9. Interim haud immeritò jam olim Erasmus questus est, quòd in Papatu sæpius eligantur ad beneficia ecclesiastica etiam curata, seu cum animarum cura conjuncta, qui ætate adhuc immatura sunt. Atque prava ea consuetudo etiam hoc Capite VI. confirmatur. Absurdum insuper est, beneficium ecclesiasticum deputare personis ecclesiæ non administrantibus. Quod de *fori privilegio* additur, Jurisdictionem supponit ecclesiasticam, quam haud agnoscimus. Capite VIII sancitur, *ut ordinationes in cathedrali ecclesia, præsentibus Canonicis celebrentur. Si in alio diœceseos loco, dignior semper ecclesia adeatur. Unusquisque etiam à proprio Episcopo ut ordinetur.* De ordinationis Ministro inferiùs etiam dicendum est. Ut verò ordinatio fiat vel in cathedrali, vel præcipua aliqua ecclesia, humanæ & superstitionem, quæ loco sanctitatem tribuit, redolentis institutionis est. Capite IX. jubentur Episcopi familiarem aliquem non subditum ordi-

di-

dinantes, statim ei beneficium conferre. Quasi videlicet ordinationis finis obtineri possit, dummodo beneficium ordinato assignetur. At ordinationis finis non alius est, quàm ministerium ecclesiæ, cujus demum merito beneficium seu honesta sustentatio sequitur. Beneficiorum igitur collatio sine ministerii collatione ad nundinationem Papæ referenda est. Capite VI. decernitur, *ut minores ordines iis, qui saltem Latinam Linguam intelligunt, per temporum interstitia, nisi aliud magis Episcopo expedire videatur, conferantur, atque ita illi de gradu in gradum ascendant.*. Ubi illud primò censuram meretur, quòd Latinæ linguæ scientia minoribus Ordinibus necessaria statuitur. Scilicet ostiarius campanas pulsare, ostium aperire vel claudere; Acolythus lampades & candelas accendere, nisi Latinæ Linguæ subsidio haud possunt. Præterea hoc decretum manifesta declaratio fuit, Concilium illud generale non fuisse, cùm decretum hoc ab Orientalibus nec condi, nec observari potuerit. Respondet Scipio pag. 224. *Concilium in hoc decreto respexisse tempus, locum & causam.* At nec temporis, nec loci, nec causæ vel minima in decreto eo mentio facta est. Deinde quòd Episcopo potestas fit per saltum, non adhibitis gradibus conferendi omnes ordines, quod sæpius etiam fit, perridiculum est. Ita enim confertur ordo exorcistæ, ostiarii, acolythi &c. iis, qui ea munia nunquam vel exercent, vel exercere tenentur. Et cui bono ii, qui verbum Dei prædicare & Sacramenta administrare debent, priùs se exercere debent in campanis pulsandis, ostio claudendo, cereis accendendis &c? Piget ineptias has memorare. Præterea multi sunt in ecclesia Sacrificuli, qui solo aut pœne solo Sacerdotii seu Presbyteratus ordine sunt instructi. Nulli, aut pœne nulli, qui singula singulorum ordinum munia diversis locis & temporibus, legitimo spatio interjecto exercuerint. In ipso Concilio non defuerunt, qui monerent, ut decretum illud de exercendis Ordinibus omitteretur, eò quòd hac ratione ecclesia damnetur, quæ tot jam annos ejus rei usum intermiserit, neque in proclivi sit, si illud revocatum vellent, modum, quo id fiat, excogitare. Tum ad ordines minores non pueros, sed viros ordinandos esse, veluti ad observandas ecclesias, campanas pulsandas, energumenos exorcizandos. Id si fiat, jam contraveniri alteri decreto, quòd Ordines minores gradus necessarii essent ad majores. Capite XIV. cavetur, *ut Presbyteri creentur ii demum, qui ad populum docendum, ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem & administranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur, &c.* Sed id minùs bene cohæret cum ea doctrina & consuetudine Papatus, quâ curam animarum Sacerdoti essentialem esse negatur. Et quot ordinantur Presbyteri, qui curam animarum suscipere nunquam in animo habent? Capite XV. constituitur, *ne quis Presbyter nisi ab Episcopo approbatus confessiones audiat.* Id quoque non aliò spectat, quàm

ut Episcopi authoritas augeatur, & ex ejusmodi licentiarum concessione is lucrum & emolumentum aliquod cernat. Ultimo denique Capite forma erigendi seminarium Clericorum, præsertim tenuiorum ad munera ecclesiastica instituendorum præscribitur; sancitúrque, ut quisque Episcopus aliquam redituum suæ Diæcesis beneficiorum partem præcidat, ad Collegii talis juxta Ecclesiam Cathedralem instructionem & dotationem. Hoc si fieret, & in Collegiis ejusmodi juventus vera ac solida pietate, non superstitione & erroribus imbueretur, utique institutum laude dignissimum foret. Sed non est quòd quisquam speret fore, ut ejusmodi Decreta executioni mandentur, plerisque Episcopis plus impensarum in venaticos canes & phaleratos equos, quàm ejusmodi seminaria facientibus.



QUÆSTIONES THEOLOGICÆ

Ad Decreta Fidei Sess. XXIII.

DE

SACRMENTO ORDINIS.

QUÆSTIO. I.

An sacra ordinatio sit verum & propriè dictum Sacramentum, à Christo Domino nostro institutum?

ASSerit Caput III. & Canon III. Intelligit autem Synodus per sacrum Ordinem ordinatione collatum gradum aliquem eminentem in Ecclesia, qui disponat ad actum Sacramentalem ritè & legitimè exercendum. Jam olim Protestantes haud gravatè admiserunt, si ordo sumatur pro ordinatione ad ministerium verbi & Sacramentorum, dici posse Sacramentum, non strictè quidem & propriissimè, quomodo Sacramentum est illud, quod conjunctam habet promissionem gratiæ ad remissionem peccatorum exhibendam & obsignandam, sed latè & in Ecclesiastico significatu. Etenim habet Ecclesia mandatum de vocandis & constituendis verbi Dei & Sacramentorum ministris. Addita est promissio dono-

rum Spiritus S. Tum accedit accommodatus ad illam actionem ritus χειροθεσίας, quæ ab Apostolis olim adhibita ad testificandum, quòd persona ritè electa sit secundùm regulam à Spiritu S. præscriptam, ad vocatum de sua vocatione confirmandum, ad significandum, quòd Deus vocationem Ecclesiæ ratam habeat, denique ut super personam ordinati hoc more usitato nomen Domini invocaretur. Sed Tridentini non loquuntur de ordinatione ad Ministerium verbi & Sacramentorum, sed potiùs de ritu ordinandi Sacerdotes & Ministros ad Sacerdotium tendentes, eámque ordinationem faciunt Sacramentum propriissimè dictum, tale nimirum, quale etiam est Baptismus & Eucharistia, quod proinde etiam effectum suum ex opere operato sortiatur. Proinde iis opponimus sequentia argumenta.

ARG. I. Omne Sacramentum verè & propriè dictum à Christo institutum sit oportet, uti sæpiùs supra probavimus. At Christus sacram ordinationem tanquam Sacramentalem ritum nuspiam instituit.

RESP. REDING: *Ex S. literis juxta Apostolicam traditionem, & unanimem Patrum consensum ritè intellectis, ordinem à Christo institutum esse veri nominis Sacramentum, à Christo institutum, demonstramus.* Tomo IV. Tract. X. ss. 2. pag. 169. 171. Resp. Demonstrationes tuas ficulneas & penitus falsas esse, Anatome nostra infra ostendit. Proin opus non erat, ut chartas tuas impleres repetitione argumentorum, quæ ipsi infra & objicimus & dissolvimus. Sed sic tibi bonas horas malè perdere, & chartarum molem augere, prolubium est.

ARG. II. Sacramentalis ritus habet elementum externum à Christo institutum. Ordinatio autem tale elementum non habet. Nam quòd χειροθεσίαν nominant, frustra faciunt. Præterquam enim quòd elementare signum non est, sed actio, etiam Christus ea usus in ordinatione non legitur, utpote qui Apostolos ordinavit solo verbo, ac simplici mandato & deputatione, adhibita etiam insufflatione, quam tamen Sacramentalem fuisse; ne ipsi quidem Adversarii agnoscunt. Apostoli verò usurpârunt tanquam ceremoniam liberam, non ut Sacramentale signum. Tum manuum impositio est ritus communis; Sacramenta verò ritum proprium & determinatum sibi postulant. Quin & χειροθεσία in minoribus ordinibus locum non habet. Denique cùm materia Sacramenti per analogiam respondeat formæ, hîc secus planè fit. Et quid multis? Ecclesia Romana probat Canonistarum doctrinam, quòd Papa solo verbo possit facere & Sacerdotem & Episcopum, si dicat duntaxat: *Esto Sacerdos*, vel: *Esto Episcopus*. Atque ita ordinâsse Nicolaum I. Mediolani, narrat Petrus Damianus in *Relat. Legat. Mediol.* At veri nominis Sacramenta externum elementum & ritum necessariò requirunt.

RESP.

RESP. REDING: *Ad Sacramenti institutionem non requiritur elementum strictè sumptum, sed sufficit res quæpiam sensibilis gratiæ divinæ significandæ & conferendæ Divinitus instituta, qualis est actio sensibilis, Christi verbo ad Spiritus S. dationem elevata; puta insufflatio, qua Christus usus est, quæ verbis his:* Accipite Spiritum S. &c. *fæcundata non potuit ex istius verbi Divini virtute & veracitate infallibili non esse efficax ad Spiritum S. adeóque etiam gratiam sanctificantem infundendam. Neque illa insufflatio fuit actio Christi personalis, sed, juxta Augustinum lib. Quæst. V. & N. T. q. 93. discipulis regula & norma disciplinæ à Christo traditæ, quæque adeò per ipsos ad perpetuum Ecclesiæ statum dimanare debuit. Hæc porro insufflatio ab Apostolis cum manuum impositione commutata est. In ea Christi insufflatione non tam id, quod materiale erat, nempe flatus, quàm formale, nempe Ecclesiasticæ potestatis traditio attendi debet. Eandem enim Apostoli manus imponentes, quam Christus insufflans, potestatem, & eadem mediante, gratiam sanctificantem contulerunt. 2. Falsum proin est, quòd Apostoli manuum impositionem, ut ceremoniam liberam, adhibuerint; cùm adhibuerint ut signum Sacramentale, ex vi Divinæ institutionis, cum verborum forma per Christum determinata, ejusmodi analogiam habens, ut verbi Divini efficacia fæcundatum potens sit potestatem Ecclesiasticam, Spiritum S. & gratiam sanctificantem conferendi. 3. Quæ de Episcopatus vel Presbyteratus ordine per Nicolaum his duntaxat verbis:* Esto Sacerdos, Episcopus; *collato habes, ficta sunt. Nihil enim Damianus eorum habet.* Ibid. pag. 172 173. Resp. 1. Cujusmodi materia ad Sacramentum propriè dictum requiratur, analogia Sacramentorum, quæ ἀντιγαγώνια sunt, Baptismi & Cœnæ, ostendit. In illis Christus non quamcunque actionem sensibilem, sed elementum externum, permanens, durabile, puta aquam, panem, vinum; actionum sensibilium subjecta, instituit. Unde Canon receptus S. Augustini: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Quis unquam actionem sensibilem, quis transeuntem *elementum* vocavit? Non ergo tibi nudè asseveranti, non probanti, quòd actio sensibilis quævis Sacramenti elementum & materia esse possit, credimus. Atqui ne quidem *actionem sensibilem*, puta perpetuam, ordinariam, & cum statu Ecclesiæ perpetuo connexam, à Christo institutam demonstrare potes. Nam *insufflationem* à Christo Joh. XX. 22. adhibitam (quam actionem ejusmodi Sacramentalem à Christo institutam temerè asseris, & solus, nisi fallor, vel cum paucis aliis) extraordinariam & singularem actionem fuisse, ipsi Apostoli, cùm eam omiserunt, satis testati sunt. Et sanè afflando dare Spiritum S. non hominis ullius, sed solius Dei miraculosa actio est. Icirco ordinaria & perpetua apud homines manere non potuit. Et si ordinariam actionem Christus esse voluisset, Apostoli, Christi institutioni inhærentes religiosissimè, eam imitati retinuissent, commendassent, tradidissent, juxta illud S. Pauli: *Ego à Domino accepi, quod vobis tradidi,* 1. Cor. XI. 23. Neque S. Baptismi, neque S. Cœnæ symbola à Christo instituta commutare cum aliis fas piúmque Apostoli duxerunt. Cur duxissent, si insufflationis ceremoniam Sacramentalem Christus instituisset? Neque S. Augustinus quicquam tale docuit. Author verò Quæst. V. & N. T. qui Augustinus falsò creditur, *quæst. 93.* ait quidem, insufflatione Christum discipulis Ecclesiasticam potestatem contulisse, dicendo, *Accipite Spiritum S. Quia enim*, inquit idem, *omnia in traditione dominica per Spiritum S. aguntur, icirco cùm regula eis & forma traditur hujus disciplinæ, accipite Spiritum S.* Quæ ergo *regula & forma* hujus disciplinæ, juxta authorem illum, est? Non *insufflationis* ceremonia, uti ei audacter affingis (alias enim perpetua illa Ec-

clesiæ constare deberet, cùm ea *regula & forma disciplinæ* carere non possit) sed Spiritus S. quo solo duce munere suo Ministri in Ecclesia funguntur, & disciplinam custodiunt. Nullam ergo sensibilem ordinationis actionem Christus instituit. Neque etiam Apostoli, qui se Sacramentorum authores non gesserunt,(gnari utique,non alium Sacramentorum & obsignationis, alium gratiæ obsignatæ authorem esse posse) vel novam actionem instituerunt, vel cum Christi actione aliam pro arbitrio permutarunt. Nam manuum impositionem non ut Sacramentale signum, sed ut liberam ceremoniam eosdem usurpasse, pluribus argumentis probavi, quæ tu vix extremo digito attigisti: & infra ampliùs probo. Tu ad incitas redactus regeris, *in Christi institutione non tam id, quod materiale erat, nempe flatum, quàm formale, nempe Ecclesiasticæ potestatis traditionem, quæ & flatu & manuum impositione fieri possit, spectari debere.* Atqui Sacramenti propriè dicti essentiale requisitum, externa significans materia est, analogiam cum materia interna & signata habens. Cur ergo illa spectari non debet, vel, ad rationem saltem Sacramenti, necessariò & præcipuè non debet? Sed tibi desperatio materiæ ejusmodi certæ, determinatæ, propriæ, à Christo ipso institutæ ostendendæ assertionem hanc extorsit. Repeto ergo, ad Sacramenti propriè dicti rationem æquè *materiale* ac *formale* exigi, & sine *materia* determinata & propria ne quidem *formam*, adeóque Sacramentum nullum obtinere posse, quia materia omnis ad formam relationem habet, & hæc in illam induci debet. 2. Mera ergo verba, & inanes logi sunt, quibus asseris, non probas utique, Apostolos manuum impositione, ut sacramentali signo, usos esse. Nihil hic tibi respondere possum, quia nihil probare conaris. Asseris, adhibuisse; ut sacramentale proprium, perpetuum, ordinarium, à Christo institutum signum adhibuisse, non probas. 3, Non finxi, Redingi, quæ de Nicolao I. retuli: sed tu & Canonistarum vestrorum, & Nicolai illius historiam ignoras. Etenim Gygas vester, una cum doctoribus ab eodem citatis *q.5. de præs. n.3.* & Rebuff *de Benefic. unis.* apertè sustinent, posse Papam solo verbo facere Sacerdotem & Episcopum, si cui solum hoc dicat: *Esto Sacerdos, Episcopus.* Neque dubitant illi, quin sic Sacerdos vel Episcopus plenissimè factus sit. Et doctrinæ ei conforme est, quod de Nicolao I. Petrus Damiani in Relatione Mediolanensis legationis suæ habet, apud Baronium *Tom. XI. A.*1059. *n.59.* Ibi enim, in reformatione Ecclesiæ Mediolanensis Simoniaca & Nicolaitarum, quam vocant, hæresi corruptæ, post injunctas varias Ecclesiasticis errantibus, & ipsi etiam Archiepiscopo, pœnitentias, authoritate Nicolai I. *decretum est*, (sic Damiani verba habent) *ut non mox passim omnibus redderetur officium, sed iis duntaxat, qui & literis eruditi, & casti, & morum gravitate viderentur honesti: cæteris autem sufficeret, quòd S. Ecclesiæ per Divinam gratiam essent rursum inserti, à qua eatenus fuerant diræ sententiæ falce præcisi. Illi etiam ipsi, quibus ministrandi licentia redditur, non ex malè mercata veterum ordinatione, ad missum reparantur officium, sed ex illa potiùs, Beati Apostolorum Principis efficacissima authoritate, qua in B. Apollinarem repentè usus est, dicens: Surge, accipe Spiritum S. simúlque Pontificatum.* Hic Damianus ante omnia ordinationes Simoniacè factas non modò quoad executionem, sed etiam quoad ordinem ipsum nullas esse declaravit. Deinde absque nova ordinatione illos Clericos malè promotos solo verbo, authoritate Papali, ordinavit: asserens, idem à Petro Apostolo cum Apollinari factum fuisse, ut solo verbo præceptivo illum Episcopum ordinaverit. Interim hæc planè ἀσύστατα sunt, ordinem esse verum & proprium Sacramentum, quod sine

externa, certa & conſtanti ceremonia eſſe non poteſt; & ſolo verbo Papæ poſſe hominem ſacris initiari.

ARG. III. Sacramentum propriè dictum habet promiſſionem gratiæ juſtificantis. Ordinatio talem promiſſionem non habet, ſed gratiæ chariſmatum ſeu donorum.

RESP. REDING: *Ea gratia, quæ juncta eſt charitati ita diffuſæ in cordibus, ut per eam detur Spiritus S. non poteſt non eſſe juſtificans. Talis eſt, quæ in ordinatione datur.* Ibid. pag. 173. Reſp. Gratiam in ordinatione collatam quandoque charitati in cordibus credentium diffuſæ, ipsíque etiam juſtificationi jungi, non diffitemur. At ſemper jungi, & vi ordinationis jungi, hoc verò tibi probandum fuerat. Nulla ejus rei Scriptura teſtis eſt: & experientia Sacrificulorum veſtrorum, aliorúmque etiam Miniſtrorum verbi legitimè ordinatorum reclamat. Neque ſanè Ordo hoc fine confertur, quia aliâs ad omnes fideles, quibus hæc gratia confertur, pertineret. Audi eam in rem, ſi lubet, ipſum Bellarminum *de Sacr. lib. 1. 26.* ſic diſſerentem: *Per Spiritum S. intelligimus illo loco (* Joh. XX. 22. *) poteſtatem remittendi peccata, uti intelligunt Cyrillus & Chryſoſtomus in illum locum. Poteſt autem hæc poteſtas eſſe ſine gratia gratum faciente. Quòd autem Spiritus S. nomine intelligi poſſint qualibet ejus dona, licet hominem non faciant ſanctum, patet ex 1. Cor. 12. Unicuique datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem, aliis datur per Spiritum ſermo ſapientiæ, &c. Et 1. Cor. 14. Spiritus Prophetarum Prophetis ſubjecti ſunt. Ubi Spiritum vocat donum prophetandi à Spiritu S. datum,* Item: *Authoritas conferendi Sacramenta non eſt gratia gratum faciens, ſed gratis data, nec ita pugnat cum improbitate vitæ, ut ſimul cum ea eſſe nequeat, quod Cajaphæ exemplo liquet, & aliorum virtutes edentium in nomine Chriſti.* An clarius aliquid dici poterat?

ARG. IV. Sacramentum N. T. propriè dictum eſt novo Teſtamento proprium & peculiare. Atqui ordinatio æquè in V. T. locum habuit.

RESP. REDING: *In V. T. erat quidem ordinatio. Sed Moſaici ritus Sacerdotium illud erat ſymbolum Sacerdotii per Chriſtum in nova lege, cum Spiritus S. & gratiæ collatione, inſtituendi.* Ibid. pag. 173. Reſp. Imò ordinatio Sacerdotum V. T. ſolennior, & externis ſignis fœcundior erat, quàm eſt Sacerdotum N. T. In Aharonis enim & filiorum ejus ordinatione mentio fit olei unctionis, impoſitionis mitræ ſive tiaræ Sacerdotalis, induitionis veſtium ſacrarum &c. Jubentur etiam Aharon & filii ejus manus ponere ſuper caput juvenci ad ſacrificium mactandi. Et, quod præprimis notamus, Num. VIII. 10. jubentur filii Iſraël סמך ידיהם על הלוים *imponere manus ſuas ſupra Levitas.* Si talia in ordinandis N. T. Miniſtris Chriſtus præſcripſiſſet, quantopere inſoleſcerent ſacrificuli, & ordinationem ſuam ultra omnia Sacramenta extollerent? Sed illam hujus figuram fuiſſe, ais. Imò non Sacerdotalis miniſterialis, ſed principalis Chriſti, typus fuit. Neque gratia muneris & Spiritus S. ſine cujus ope rectè munere ſuo fungi non poterant: illud magis, quàm hoc, deſtituebatur. Hinc adeò peculiaris etiam Sacerdotis Moſaici ex inſtituto Dei ſanctitas fulſit, adeò ut ſeparati à vulgo ſoli altari appropinquare potuerint.

ARG. V. Verum Sacramentum non iterabile, ſed imprimens characterem,

quale

quale Ordinem faciunt Adversarij, in quocunque quantumvis fictè & indignè accedat, suum & proximum effectum sortiri, Scholastici ipsi pertendunt. Et adeò fixè ac immobiliter recipi docent ipsum Sacramentum, adeóque etiam potestatem ea validè peragendi, quæ Sacramenti illius propria sunt, ut omitti nulla ratione, vel effectus ejus impediri possit, quamvis illicitè & sacrilegè eo utatur, dummodo substantialia serventur. At ordinationem non semper suum habere effectum, Simoniacos nihil accipere, & hæreticos nihil conferre, ordinem denique esse iterabilem & amissibilem, M. Antonius de Dominis *de Rep. Eccl. II.4.* ex Patribus fusè probat.

RESP. REDING: *Duplex est, juxta Scholasticos, Sacramenti obex, seu fictio, altera Sacramenti valori repugnans; altera Sacramento validè percepto sic opposita, ut impediat ejus effectum primarium in gratia consistentem, non tamen secundarium, puta characterem. De quo charactere, seu propria ordinis potestate falsum est, Sacramentum ordinationis validè licet collatum, non sortiri ullum in Simoniacis effectum, nihilque, ubi ab hæreticis administratur, conferre, vel iterabile etiam esse, uti vel ex solo S. Augustino lib II. contra Epist. Parmen. discere est.* Ibid. pag. 173.174. Resp. Characteris commentum satis supra confutavimus. De cætero Scholæ vestræ omnis ferè S. Patrum chorus, quin & Pontifices vestri non pauci refragantur. Cyprianus *lib. 1. Epist. 4.* inter alia sic scribit: *Nec sibi plebs blandiatur, quasi immunis à contagione delicti esse possit, cum Sacerdote peccatore communicans; & ad injustum atque illicitum Præpositi sui Episcopalem assensum suum commodans; cùm per Oseam Prophetam comminetur & dicat censura Divina:* (Hos. 9.) Sacrificia eorum tanquam panis luctus, & omnes, qui manducant eos, contaminantur. *Docens scilicet & ostendens, omnes omnino ad peccatum constringi: qui fuerint profani & injusti Sacerdotis sacrificio contaminati. Quod idem in Numeris manifestari comperimus, quando Chore, Datan & Abiram, contra Aaron Sacerdotem sacrificandi sibi licentiam vendicarunt.* &c. Idem contra Novatianum *lib. IV. Ep. 2.* loquens, de Episcopo schismatico: *Episcopatum,* inquit, *tenere non posset, etiamsi Episcopus priùs factus à Coepiscoporum suorum corpore, & ab Ecclesiæ unitate descisceret: cùm Apostolus admoneat, ut nos invicem sustineamus, nec ab unitate, quam Deus instituit, recedamus, & dicat* (Eph. 4.) Sustineamus invicem in dilectione, satis agentes servare unitatem Spiritus in conjunctione pacis. *Qui ergo nec unitatem Spiritus, nec conjunctionem pacis observat, & se ab Ecclesiæ vinculo, atque à Sacerdotum Collegio separat, Episcopi nec potestatem potest habere, nec honorem, qui Episcopatus nec unitatem voluit tenere, nec pacem.* Ubi hic character indelebilis? Dionysius Areopagita *ad Demo.* negat, ordinationem quicquam in homine illiterato & imperito efficere. Sacra imperiti Sacerdotis καταρὰς *maledictiones* vocat; &, *Non est,* inquit, *iste Sacerdos, non est, sed inimicus fallax, irrisor sui; lupúsque in gregem Domini, ovilla pelle armatus.* Et perinde ait ille esse hominem illiteratum, hoc est in S. Scriptura & Theologia imperitum in Episcopum consecrare; *atque si quis tentaret non dicam brutum aliquod & stolidum animal, sed mulierem in Episcopali cathedra collocare.* Hieronymus *in Epist. ad Gal cap.* 1. promotos ad Sacerdotium modis illegitimis Sacerdotes esse negat. *Tertium,* inquit, *Apostolorum genus, quod ab homine, non a Deo est, cùm hominum favore & studio aliquis ordinatur: ut nunc videmus plu-*

rimos non Dei judicio, sed redempto favore vulgi, in Sacerdotium subrogari. Quomodo tale Sacerdotium erit Sacramentum, si à Deo non est? Gelasius I. *q.* 1. *ff. Sacrosancta*, severè satis: *Sacrosancta*, inquit, *religio, quæ Catholicam continet disciplinam, tantam sibi reverentiam vendicat, ut ad eam quilibet, nisi pura conscientia, non audeat pervenire. Nam quomodo ad Divini mysterii consecrationem Cælestis Spiritus invocatus adveniet, si Sacerdos, & qui eum adesse deprecatur, criminosis plenus actionibus reprobetur?* En, negat ille, *Cælestem Spiritum ad consecrationem mysterii venire*, ubi scelestus consecrat. Augustinus *Dialog.* 99. 65. *q.* 64. quatuor Apostolorum genera ponit: *A Deo, non per hominem, ut Moyses: à Deo per hominem, ut Jesus Nave: per hominem tantùm, ut multi favore vulgi in Sacerdotium subrogantur: ex se, ut Pseudoprophetæ.* Quærit ibidem *q.* 65. quomodo sciri possit, qui mittatur à Deo; & respondet: *Illum cognosce missum à Deo, quem non paucorum hominum laudatio vel potiùs adulatio eligit: sed illum, quem & vita, & mores optimi, & Apostolorum actio commendat Sacerdotem.* Missione legitima fieri Ministrum, nemo dubitat. Legitima verò missio à Deo est, sed nunc per homines, qui ordinant. Cùm tamen sint aliquando per homines ordinati, qui tamen à Deo missi non sunt, uti ex signis eos Augustinus inquirit, planum est, ordinationem effectum non semper habere, adeóque nec Sacramentum habere. De Simoniacis in specie Tarasius ad Adrianum scribens, sic in decreto 1. *q.* 1. *ad c*; *Eos qui*, scribit: *Quanquam* (Simoniacè) *ordinatus nomine Sacerdotium sortitus est: sed in ipsum falsò nomen istud conferri, re ipsa comprobatur.* Item: *Compertissimum quoque est, in ipsis S. Spiritus gratiam non esse, aut Sacerdotii sanctificationem: & quod non acceperunt, non habent.* Ipse Gregorius VII. *lib. VI. Registr. ad Epist.* 5. *in decretis* ordinationes interveniente pretio, vel precibus, vel obsequio alicujus personæ ea intentione impenso, *infirmas & irritas esse* declarat. Ambrosius *de dignit. Sacerd. cap.* 5. *Ergo*, inquit, *gratiam cùm ordinaveris, non suscepisti, quia gratuitò eam non meruisti: & ideo frater si gratiam non accepisti, quomodo Episcopus esse potuisti? Aurum dans perdidisti, & gratiam sanctam non acquisisti.* Ordinationes ab hæreticis factas & nullas, & irritas esse, adeóque nihil efficere, ex Romanis Pontificibus Innocentio I. *Epist.* 20. *tom.* 1. *par.* 2. Nicolao I. *Epist.* 9. *tom.* 3. aliísque confirmare possem. Fateor equidem, quædam hic asperiùs à Patribus dicta, & ad terrendos malos Sacerdotes amplificata; adeóque cum grano salis accipienda esse, cùm aliàs non usque quaque tuta Ecclesiæ salus foret. Sed de eo quicquid sit, saltem Scholæ vestræ fictitio characteri talia opponimus: & si quid ordinationes vitio factæ, vel enormiter malorum efficiunt, non vi ordinis interioris, characteris, vel gratiæ, sed ex speciali quapiam Divina providentia, ne salus animarum patiatur, efficere, proclivius dictu foret. Saltem hæresis pertinax & voluntaria, aliáve crimina gravissima, extra Ecclesiæ communionem criminosum eliminantia, quam ordinatis potestatem relinquant, non video. Cùm enim ordinatio sit deputatio Pastoris, per homines quidem facta, sed concurrente Deo: illa cesset necessum est, quando apertissimè constat, ordinatum Pastorem conversum esse in lupum. Neque contra hæc Augustini sententia à te obducta stringit. Is enim *contra Epist. Parmen. lib. II. cap.* 11. sic scribit: *Spiritus autem S. in Ecclesiæ Præposito, vel Ministro sic inest, ut si fictus non est, operetur, per eum Spiritus S. & ad ejus mercedem in salutem sempiternam & eorum regenerationem vel ædificationem, qui per eum consecratur, sive evangelizatur. Si autem fictus est, quoniam verissimè scriptum est Sap.* 1. Spiritus enim S. disciplinæ effugiet fictum; *deest quidem saluti ejus, ut auferat se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu;*

mini-

ministerium tamen ejus non deserit, quo per eum salutem operatur aliorum. Manifestum est, intelligere eum ordinationem, quæ fit modo ordinario ab Ecclesia præscripto, quo & ordinatus pastor est, non lupus: & ordinatus ritè cognitus, examinatus probatúsque promovetur, nec in lupum degenerat.. Quo sensu ordinationem Sacramentum idem dixerit, infra dispicimus.

ARG. VI. Cujuslibet nominis Sacramentum est unum specie. Patet in Baptismo & Cœna. Tum ubi requiritur determinatum symbolum, forma & materia, ibi multiplicatio specierum non habet locum. Atqui ordo non est unus specie. Numerant enim alij septem, alij novem distinctos ritu essentiali & forma.

RESP. REDING: 1. *Annon etiam in Eucharistia tam ex parte materiæ quàm formæ, imò, juxta quosdam, etiam Symboli est differentia specifica? 2. Licet ergo diversi numerentur Ordines, Sacramenti rationem diversimode participantes; ii tamen vel ex sua ad unicum tandem cultus Divini finem primarium, qui sacrificii & Sacramentorum in Ecclesia administratio est, subordinatione unum integraliter Sacramentum constituunt; vel saltem ubi specie atoma inter se differunt, sub unica tamen specie subalterna comprehenduntur.* Ibid. pag. 174. 175. Resp. 1. Eucharistia qualscunque materiales partes habeat, tamen non est Sacramentum nisi unum specie; neque aliter multiplicatur nisi in numerum, pro temporibus, personis & locis. Nempe Sacramentorum signa oportet sint res naturales actu existentes. Cùm verò hæ nonnisi numero multiplicari possint; utique & Sacramenta ipsa nisi numero multiplicari nequeunt. Alia longè ratio est ordinum, quorum singuli multiplicantur multiplicatione numerica; Presbyteratus puta in multos Presbyteros; Diaconatus in multos Diaconos; & sic deinceps. Atqui quæ numero solo inter se differunt, non possunt in se ipsis iterum numero multiplicari. Sic quia homo secundùm numerum multiplicatus est in Petrum, Paulum, Jacobum; fieri nequit, ut Petrus, Paulus, Jacobus iterum dividantur in plures. Sed respondeat tibi Soto vestras *in Sent. 4. dist. 24. art. 3.* ubi sic ille: *Respondetur, prædictam divisionem ordinum non esse in partes integrales, sicut dividitur Sacramentum Eucharistiæ in consecrationem panis & vini, quæ sunt duæ partes integrales ejusdem convivii, & ideo neutra per se est totum Sacramentum, sed ambæ simul; sicut nulla pars hominis, sed omnes simul sunt homo. In præsentiarum namque non solùm omnes simul, verùm & Sacerdotium ipsum est Sacramentum, & diaconatus, atque subdiaconatus.* Omnino necessum est, vel singulos ordines vel totidem esse individua, vel totidem species. Totidem individua esse, sanus nemo dixerit. Accidentia enim in diversis subjectis numero differunt. Cùm ergo Sacerdotium v. g. accidens sit hominis, quotquot homines sunt, in quibus Sacerdotium est, totidem Sacerdotia esse solo numero differentia oportet. Sic evitari nequit, quin Sacerdotium Ordinis sit una species, Diaconatus altera, Subdiaconatus tertia &c. adeóque Ordo sit unus non unitate specifica, sed generica. quod etiam Scotus, Petrus de Aquila, aliíque fatentur candidè. Unde tot Sacramentorum species esse, quot ordinum species sunt, consequitur. Nisi forte unum κατ' ἐξοχὴν Sacramentum est; septem Sacramentula totidem species atomas, gremio suo complexum. 2. Neque satisfacit vel finis, ad quem ordines omnes referuntur; vel speciei subalternæ unitas, quam Tu nobis ingeris. Non unitas *finis*, quia omnibus Sacramentis unus finis est propositus, nempe unio nostri cum Christo, & pro-

 missionum,

missionum Evangelii obsignatio; neque tamen ideo omnia Sacramenta unum sunt. Baptismi, pœnitentiæ & extremæ unctioni unum finem, remissionem peccatorum, etiam vos constituitis; neque tamen illa in unum compingenda putatis. Et manet anomaliæ absurditas. Baptismus enim & Eucharistia non sunt unum unitate finis, sed unitate specifica, quæ realis, in singulis individuis subsistit; adeò ut unum specie baptisma, una Eucharistia sit, quam diversæ numero personæ participant. Alia longè est ordinum ratio. Singuli enim, non junctim omnes, specie unum quid sunt, adeóque singuli in individuis multiplicantur. Non etiam unitas speciei *subalternæ*, utpote quæ à genere solo nomine, non re distinguitur. Vel igitur ordo Sacramentum non est, utpote unitate specifica destitutum: vel quot ordines, tot Sacramenta, adeóque in universum non septem, sed tredecim Sacramenta fuerint.

ARG. VII. Plerique ordines sunt præter authoritatem verbi Dei introducti, uti liquebit ex sequentibus. Atqui Sacramenta propriè dicta authoritate verbi Dei nituntur.

RESP. REDING. *Sacra ordinatio à Christo instituta est. An verò singuli ordines divinam illam institutionem habeant, in dubio adhuc est.* Ibid pag. 174. Resp. Institutam esse, ut Sacramentale signum, non probasti. Contrarium nos probavimus. Satis tamen est, quòd sic perplexi estis in hoc argumento, ut, qui ordines à Christo instituti sint, qui non, nondùm inter vos constet, de quo infra.

ARG. VIII. Ipsi Adversarij magno circa hoc Sacramentum dissensu produnt dogmatis incertitudinem. Dubitatur enim, verbi gratiâ, quis instituerit: quidnam sit, quod Sacramentum vocant, an potestas seu gradus Ecclesiasticus, an ordinatio, an character vel exterior, vel interior: an impositio manus sit de essentia ordinationis necne: an tonsura & Episcopatus ad ordines pertineat: an essentiale symbolum in ordinatione Presbyteri & Diaconi sit χειροθεσία: an porrectio instrumenti, aliisque de rebus, de quibus Forbesius *Instruct. Hist. lib. IX* 7. alijque.

RESP. REDING: *In fidei dogmate à Conciliis definito omnes consentimus. A Christo institutum esse, nemo nostrum dubitat. Uniformiter etiam docemus, in ea actione, in qua Ecclesiasticæ potestatis traditio fit, Sacramentum consistere. Sed & in formali impositionis manuum, quod est Ecclesiasticæ potestatis traditio, concors sententia omnium est; per quamcunque ab Ecclesia determinatam actionem, in formali ea traditione materialiter se habentem peragatur.* Ibid. pag. 174. 175. Resp. Ad fidei dogma circa Sacramentum aliquod veri nominis haud dubiè institutio, determinatio rei, quæ Sacramentum dicitur, materia pertinent. Hæc enim Sacramenti definitionem, adeóque essentiam ingrediuntur. In his ergo si dissentitis, in fidei dogmate dissentitis haud dubiè, quicquid de Conciliorum definitione, quæ fidei dogma nec facere, nec mutare potest, fiat. Institutio Sacramenti est institutio symboli, de qua inter vos parùm convenire, mox liquebit. Uniformiter, ais, docemus, Sacramentum consistere in ea actione, qua fit potestatis Ecclesiasticæ traditio. Cùm verò Ordo, juxta Scholasticos, vel potestatem seu gradum sacri officii significet, vel quod exteriùs sensibiliter circa aliquem geritur, ut in tali gradu constituatur;

hoc

hoc est, vel potestatem ipsam, vel ordinationem, qua potestas datur; utra in re Sacramentum consistat, neutiquam vos inter convenit. Nam potestatem ipsam, seu gradum Ecclesiasticum esse Sacramentum ordinis, Bonaventura *in 4. Sent. dist. 24. part. 1. artic. 2. q. 2.* & Thomas *ibid. quæst. 1. art 1. art. 1.* affirmant: at negant *ibid.* Scot 17 *q. un. n. 8.* Durandus *q. 1 §. 7.* & Johannes Major *q. 1.* quibus non potestas, seu gradus, sed ordinatio Sacramentum est Lombardus *4. sent. dist. 24.* Ordinem Sacramentum definit *Signaculum, id est, Sacrum quoddam, quo spiritualis potestas traditur ordinata & officium.* item, quòd sit *character spiritualis, ubi fit promotio potestatis.* Ubi Thomas & Durandus characterem & signaculum exponunt id, quòd exteriùs geritur, seu ordinationem exteriorem: Bonaventura contra, laudante Thoma, interiorem ac spiritualem characterem. Annon dissensus hic est de rei quidditate, essentia, definitione, quæ si ad fidei dogma non pertinet, quid ergo pertinet? Nec de materia Sacramenti concordant calculi vestri. Cùm enim in majoribus, quos vocatis, ordinibus duplicia adhibeatis signa, nempe impositionem manuum, & traditionem instrumentorum; utramque materiam, seu signum Sacramentale esse, Bellarminus *de Sacr. Ord. Lib. I. 9.* pertendit; at solam traditionem instrumentorum materiam esse, Dominicus Soto *in 4. Dist. 24. q. 1. art. 4.* affirmat. Jam olim etiam impositionem manuum esse partem materiæ integrantem, Scotus *in 4. sent. dist. 24. num. 9.* tenebat. At Johannes Major *ibid. quæst 1.* ait, impositionem manuum non esse de essentia hujus Sacramenti ad hoc, ut conferatur, quia sine tali impositione quis ordinetur Sacerdos. Atque id ipsum etiam Gregorius IX. Ep. ad Episcopum Londinensem sentire visus est. Nam impositione manuum omissa Sacramentum iterandum esse, negat. Regeris tamen, in formali impositionis manuum, quod est *traditio potestatis*, consentire vos omnes. Egregiè sanè! Quasi scilicet traditio potestatis sit materia externa & signum, de quo hic agitur; & non potiùs materia interna & signata, si omnino ordo Sacramentum esset. At nos materiam & signum determinatum, vestrúmque in eo consensum requirimus. Capitalem denique de numero Ordinum, corúmque Sacramentali dignitate dissensum vestrum infra notamus.

ARG. IX. Denique Ordinem Sacramentis annumerant non aliam ob causam, quàm ut Sacerdotij potestatem & dignitatem supra modum extollant.

Resp. Reding: *S. Augustinus lib. Quæst. V. & N. T q. 93. disertè scribit, gratiam per traditionem infundi ordinatis, per quam commendatiores habeantur. Quanquam non aliam ob causam potiorem Sacramentum hoc tuemur, quàm ut veritatem Divinitus constitutam retineamus, quam ipse Calvinus. Instit. lib. IV. 19: 28. agnoscere coactus est, scribens, Presbyterii munus ore Christi commendatum esse ceremoniam nequaquam inanem, sed teste Paulo, fidele spiritualis gratiæ symbolum seu arrham; imò etiam (§. 31.) impositionem manuum in veris & legitimis ordinationibus esse Sacramentum.* Ibid. pag. 175. Resp. Quem citas Augustinum, verus Augustinus non est, sed hypobolimæus. Et *commendatiores* reddi legitimè ordinatos, quis demum negavit? At veluti Sacramento dedicatos sacratiores reddi, ut dicere possint: *Mane apud te, ne appropinques mihi,* כי קדשתיך *quia sanctior te sum* Esaj. LXV. 5. negamus. Apostoli sanè una cum presbyteris per manuum impositionem Ministros in Ecclesiæ conspectum produxerunt, eósque tanquam ab ea approbatos commendarunt, ut sic in officio faciendo essent extra ὑποψίαν ἀλλοτριοεπισκοπίας ex-

pro-

probrationem invasæ procurationis, & illegitimæ vocationis. Et ſanè ritus illius finis fuit, ut nemo audens privatim colligere cœtus, & ſcindere Eccleſiam, abſque ſuſpicione ſub nomine Chriſtiani conventus latere,& venena ſpargere facilè poſſet: quinimò ut medium eſſet continuandi miniſterii & *κατηχήσεως* ab Apoſtolis ad omnes Eccleſias per omnia Sæcula. Sed futurum ſcilicet erat, ut lupi graves intrarent in gregem, & ex ipſis Paſtoribus ſurgerent loquentes perverſa, ut poſt ſe diſcipulos abſtraherent, Act. XX.29. 30. imò *φιλοπρωτεύοντες* dominatum in Eccleſia conſtituerent, ipſáque ordinationis ſucceſſio (quanquam ordinatio in Epiſcopum vel quemcunque alium majorem presbyteris non Apoſtolici, ſed humani inſtituti eſt.) fieret emplaſtrum tegendæ illegitimæ poteſtatis & dominationis in Eccleſia, qua factum, ut tandem non paterentur ſe reprehendi, quin & *δοκίμους probos* & *rectos*, ex Eccleſia ejicerent, ac ſeorſim convenire in nomine Chriſti cogerent. Sic ergo ordinationis Sacramentum jam non aliud, quàm dominationis iniquæ inſtrumentum eſt. Cœterùm non ſolus Calvinus loco citato, ſed etiam Melanchton *Apolog. Confeſſ. Aug. cap. de numero & uſu Sacr.* faſſi ſunt, imò & nos ipſi (ut Calvinum opponi nobis neceſſe non habueris, niſi *φλυαρεῖν* maluiſſes) quæſtionis hujus initio conceſſimus ultro, Ordinem, de miniſterio verbi, & vero Presbyterii munere intellectum, & impoſitione manuum collatum Sacramentum quodammodo dici poſſe. Neque enim de nominibus contentionis funem libenter ducimus. In animum tamen neque illi induxerunt, neque nos inducere poſſumus, ut huic ritui veram illam & propriè dictam rationem Sacramenti Evangelici, quæ in Baptiſmo & Euchariſtia invenitur, competere exiſtimemus, ob rationes jam à nobis allatas & vindicatas.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBJECT. I. *Ordinatio Sacra à Chriſto inſtituta eſt, jubente* Hoc facere *ad ſui commemorationem Luc. XXII. 19. quibus verbis hoc Sacramentum inſtituit. Deinde conjunctum habet externum Signum, impoſitionem manuum, uti conſtat ex Act. VI.6. VIII. 17. XIII. 3. 1. Tim. IV. 14. V. 22. 2. Tim. I. 6. nec non promiſſionem & effectum gratiæ, Symbolo externo, nimirum impoſitioni manuum alligatum, 2. Tim. I. 6. Ergo veri nominis Sacramentum eſt.* Reſp. 1. Inſtitutam eſſe ſacram ordinationem à Chriſto fatemur, non tamen illis verbis, quibus Chriſtus juſſit *Hoc facere*, quibus Apoſtolos Sacerdotes haud eſſe conſtitutos, etiam ſuperiùs probavimus. Neque etiam fas eſt credere, verbis illis Chriſtum duo ſimul Sacramenta, Euchariſtiam & Ordinem inſtituiſſe. Neque obſcura eſt conclamatæ cauſæ confeſſio, petere unius Sacramenti inſtitutionem ex inſtitutione alterius. 2. Impoſitionem manuum non poſſe ſtatui idoneum Sacramenti ejuſmodi ſignum, proximè ſuperiùs oſtendimus. Fatentur id ipſum, qui eam ad Sacramenti hujus eſſentiam pertinere negant, nominatim Angelus in Summa, Dominicus Soto, Durandus, alij, qui inſtrumentorum porrectionem, cujus tamen ne mentio quidem ulla in Sacris occurrit, ſubſtituunt. Imò eadem mens fuiſſe videtur Eugenij IV. in Concilio Florentino, ubi materiam Sacramenti Ordinis in Presbyteratu non aliam tradit, quàm calicem cum vino, & patinam cum pane. Quin &

dum

Gregorius IX. qui in literis ad Episcopum Londinensem negat, iterandum esse Sacramentum, etiamsi manus impositæ non fuerint. Et sanè impositio manuum nuspiam Christi mandato aliquo expresso instituta est. Neque in re tanta divinandum est, vel ex humanis conjecturis Sacramenta stabilienda. Apostoli verò usi sunt impositione manuum, non ut essentiali, necessario ac proprio ordinationis ritu; sed ut libera orationis efficacis parte, etiam extra ordinationem usitata, (constat enim, ea ceremonia usos esse Apostolos ad collationem peculiarium Spiritus S. charismatum, sanitatis restitutionem, commendationem quorumcunque per preces Deo factam.) Si externum aliquod elementum judicâssent necessarium, assumpsissent potiùs symbolum insufflationis, quo ipse Christus Joh. XX. 22. usus fuerat. 3. Impositio manuum, per quam gratia Timotheo collata dicitur, non accipienda est specialiter ac determinatè, prout ab oratione contradistinguitur, sed pro toto ordinationis actu, cujus præcipua pars sunt conjunctæ presbyterij & ecclesiæ preces, quibus exauditionis promissio in S. literis facta dicitur. Aliâs dicendum foret, etiam gratiam peculiarium Spiritus S. charismatum, sanationis hac ceremonia collatæ, eidem ceremoniæ alligatam fuisse. 4. Denique gratia impositione manuum collata præcisè non fuit gratia sanctificationis vel justificationis, quæ in propriè dicto Sacramento obsignatur, sed potestas muneris & charismatum ad illud requisitorum.

EXCIP. REDING: 1. *Cùm fateare, ordinationem à Christo institutam esse, ipse ostendas oportet, in quo vel Divino verbo, vel alio Divinitus destinato symbolo dignoscatur ea per Christum factæ institutionis efficacia persistere Omnes enim actiones, quibus Ecclesiastica potestas traditur, in Scriptura memoratas sic rejicis, ut in iis Divinæ institutionis efficaciam perseverare perneges. 2. Christus quod ipse in Eucharistia fecit, Apostolos etiam facere jussit. Ipse autem Sacramentum confecit & administravit. Ergo etiam Apostolos, & consequenter Ministros Ecclesiæ omnes Sacramentum conficere jussit. Hæc autem administratio & confectio proprius sacræ ordinationis effectus est. Neque verò dicimus, iisdem verbis Eucharistiæ Sacramentum institutum esse. Nam Eucharistiæ Sacramentum verbis,* Hoc est corpus meum, *&c. Ordinis verò, verbis* Hoc facite, *&c. institutum asserimus. 3 S. Paulus 1. Tim. IV. 14. disertè impositionem manuum causam facit gratiæ ipsi collatæ. Symbolum ergo & signum ejusdem fuit Unde S. Augustinus Lib. quæst. V. & N. T. q. 93. in efficacia gratiæ conferendæ illam insufflationi à Christo adhibitæ æquiparat. Si tamen impositio illa non tam materialiter, quàm formaliter accipiatur, pro symbolo, quo Ecclesiastica potestas traditur, æquè reperitur in quocunque per Ecclesiam definito symbolo, ad eam traditionem faciendam legitimè constituto. Proin traditio calicis cum vino & patinæ cum pane, quam Concilium Florentinum materiam ordinationis ad Presbyteratum constituit, ab impositionis manuum symbolo & ritu illo, quo Christus Sacerdotes ordinando dixit, ut hoc facerent, nec non insufflatione Christi, formaliter non differt.* Ibid. pag. 175. 176. Resp. 1.

Non mihi, ordinationem seu deputationem ad ministerium à Christo institutam asserenti, at institutam ut Sacramentum propriè dictum perneganti; sed tibi, ex ordinatione Sacramentum conflanti, Divinitus destinatum ejusmodi Symbolum Sacramentale demonstrandum fuerat. Christus etenim ascendens in Cœlum dedit dona, alios constituens Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores, alios doctores Ephes. IV. 8. 11. Dedit autem mediantibus etiam hominibus. Pastores, doctores in Ecclesia authoritate ejus ordinantibus. Non præscripsit autem vel verbo, vel symbolo quibus ordinatio illa peragеretur. Frustra ergo hæc à me demonstrari postulas. Sufficit deputatio personæ idoneæ, conjuncta cum efficacibus precibus, &. si ita visum fuerit, ritu etiam arbitrario. qualis est manuum impositio, quæ ab Apostolis liberè, sine ullo Christi præcepto, usurpata, liberè etiam in Ecclesia usurpari potest. Ipsos Canonistas vestros. Papæ vindicare potestatem ordinandi solo verbo: *Esto Sacerdos, Episcopus* supra demonstravi. 2. Hoc facere jussit Apostolos Christus, quod ipse fecit, & quod facientem hi viderunt. Atqui neque sacrificavit ille, ut Sacerdos, neque sacrificantem Apostoli viderunt. Quòd ipsi in Tridentino Concilio Episcopi plures fassi sunt. Sed & Apostolus 1. Cor. X 16 20. XI. 25. 26. τò *Hoc facere* per εὐλογεῖν, κλᾷν, κυριακὸν δεῖπνον φαγεῖν, πίνειν. *benedicere, frangere, Dominicam cœnam edere, bibere* interpretatur. Sacerdotii verò vel sacrificii instituti nullo apice meminit. Argumenta eam in rem plura supra *ad Seff. XXII. Quæst 1. Resp ad Object. V.* à me & allata & vindicata, mitto. Illud absurdissimum etiam, quòd verbis *Hoc est corpus meum*, Eucharistiam à Christo institutam asseris, ut ἄτοπον scilicet tibi objectum purges. Non sic purgas, neque purgare potes. Quomodo enim verba rei factæ indicativa & enuntiativa, simul præceptiva esse, adeóque institutionem continere possunt? Tollis sic omnem Eucharistiæ institutionem, & vitaturus charybdin in scyllam incidis. Sed esto etiam, instituerit Christus ordinationem verbis, *Hoc facite* &c. Non qualiscunque institutio, sed sacramentalis controvertitur. quam ex verbis illis in æternum probare non poteris. 3. S. Paulus Timotheo suo 1. Tim. IV 14. charisma collatum asserit διὰ προφητείας μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου *per prophetiam*, (hoc est per impulsum Spiritus Prophetici, qui erat in S. Paulo & aliis charisma conferentibus) *cum impositione manuum Presbyterii*. Et 2. Tim. I. 6. χάρισμα τοῦ θεοῦ *donum Dei* esse in Timotheo ait διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν *per impositionem manuum*, hoc est, uti supra, cum impositione manuum, quæ non causa charismatis, sed symbolum in collatione charismatis adhibitum fuit. Hoc charisma S. Paulus 2. Tim I 7. interpretatur πνεῦμα *spiritum*. quomodo Apostoli credentibus, Paulo Ananias, Ephesiis discipulis Paulus manus imposuere, ut Spiritu S. implerentur. Act. VIII. 15. 16. 17. IX. 17. XIX. 6. Hoc donum à fidei dono distingui, & extraordinarium charismatum donum, quale hodie cum impositione manuum non datur, significat. Sed quid quæso hoc omne facit ad cudendum Sacramentum Ordinis. & opus operatum per quod Spiritus S. & Christi corpus faciendi offerendique potestas detur? Inprimis quid confert ad propugnationem impositionis manuum Episcopi, qui plus sibi arrogat quàm πρεσβύτερος *senior*, & presbyterium ab eo actu excludit? Sed de hoc pluribus infra. Putidissimum denique commentum tuum de impositione manuum *materialiter & formaliter* accepta, nil nisi desperatam causam tuam prodit. Ubi Scriptura sic *formaliter* voce *impositionis manuum* utitur, ut quodvis symbolum, quacunque Ecclesiæ in ordinatione uti placuerit, significet; atque id liberè ab Ecclesia determinatum Sacramenti

mate-

materia, ſymbolum gratiæ, quod ſolus Deus inſtituere potuit, exſtat? Imò hic de impoſitione manuum *materialiter* accepta, quæſtio tota eſt, an illa materia & ſymbolum determinatum Sacramenti ordinationis dici poſſit? Et ſi non poteſt, uti ſanè res ipſa, & diſſenſus veſter, à me notatus, non poſſe arguit; vel ergo Sacramenti hujus materia & ſymbolum aliud à vobis demonſtrandum, vel ingenuè vobis confitendum eſt, Ordinationem Sacramentum non eſſe, utpote materia externa ſignificante & ſymbolo ordinario deſtitutam. Unum addo, impoſitionem manuum non poſſe eſſe ſignum ullius ordinis. Omne enim ſignum reſpondeat oportet ſuæ formæ per analogiam. Atqui impoſitio non reſpondet. Quod in ſingulis ordinibus manifeſtum eſt. Nam vobis Presbyterii forma hæc eſt: *Accipe poteſtatem offerendi & conficiendi pro vivis & mortuis.* Quid ſimile habet impoſitio cum oblatione & confectione ſacrificii? Diaconatus forma vobis eſt: *Accipe poteſtatem legendi Evangelium.* ſic in reliquis. Quam cum forma tali analogiam impoſitio habet? Idem de reliquis materiis, ſeu traditione inſtrumentorum, clavis, librorum, cereorum, patinæ, calicis, &c. quæ inſtrumenta functionum, non ſigna gratiæ, eam analogicè ſignificantia, ſunt.

OBJECT. II. *Ordinationem Sacramentum vocat Auguſtinus lib. II. contra Epiſt. Parm. Cap. 13. Veteres quoque ordinem fieri externa ceremonia impoſitionis manuum agnoſcunt. veluti Dionyſius Areopag. Cyprianus lib. I Ep. 4. Concilium Nicenum Can. 9. Antiochenum Can. 10. 17. &c.* Reſp. 1. Auguſtinus vocat *Sacramentum* notione non propria, ſed communi & latiori. Probat hoc ejus addita ratio *quia conſecratione datur.* At multa dantur conſecratione, quæ non propterea veri nominis Sacramenta ſunt. Aliâs Epiſt. 1. 18. duo duntaxat Sacramenta diſertè agnoſcit. 2. Manuum impoſitione uſi ſunt veteres, utitur hodièque eccleſia, non ut ritu Sacramentali, à Chriſto inſtituto, adeóque neceſſario: ſed ut libero, utili, & ob exemplum etiam Apoſtolicum celebri. Ita Paulus 1. Tim. II. 8. viris orantibus levationem manuum, mulieribus decentem ornatum commendavit. Commendârunt etiam veteres. Neutri tamen pro Sacramentis propriè dictis habuerunt.

EXCIP. REDING: 1. *Auguſtinus ordinationem æquè inter Sacramenta numerat, atque Baptiſmum; & utrumque conſecratione dari ait. Alibi vero Epiſt. 118 Baptiſmum & Euchariſtiam exempli loco ponit, non excluſis aliis quæ commendantur in Scripturis canonicis. Manifeſta igitur tua perfidia eſt. 2. Si Patres ſupra à me citati ritum illum, quo Eccleſiaſtica poteſtas traditur virtutem ſanctificandi & gratiam inviſibilem conferre aſſerunt.* Ibid. pag. 177. Reſp. 1. Oſtende apud Auguſtinum vocem tuam *æquè*. Contulit ille ordinem cum Sacramento, ſed non æquavit. Tantum oſtendit convenientiam in eo, quòd ordo non repeti debet, quemadmodum nec Baptiſmus: quòdque uterque cum conſecratione confertur. In his ipſi conveniunt, ut & in nomine Sacramenti, æquivocè accepti; at non in materia, forma eſſentiali & effectu. Illud ergò ÆQUE non Auguſtini vox eſt, ſed tuum mendacium. Si dicam, perfectionem Dei & hominis, utraſque eſſe veras perfectiones, verum dico. At ſi tu inferres, hominis perfectionem *æquè* eſſe perfectionem ac Dei, non verum diceres, ſed blaſphemares. Ita Baptiſmus & Ordo ſunt Sacramenta, unum univocum, æquivocum alterum. non quòd æqualiter Sa-

ramenta fint. Epiſtola 118. duobus Sacramentis nominatis addit equidem *& ſi quid aliud in Scripturis canonicis commendatur.* Ibidem tamen agnoſcit Sacramenta N. T. *numero pauciſſima.* qualia certè non ſunt ſeptem, vel potiùs tredecim veſtra. Et *de Doctr. Chriſt. Lib. III. 7.* mentem ſuam ſic explicat: *Quædam* (ſigna) *pauca pro multis, eadémque factu facillima, & intellectu auguſtiſſima, & obſervatione caſtiſſima ipſe Dominus & Apoſtolica tradidit diſciplina: ſicuti eſt Baptiſmi Sacramentum, & celebratio corporis & ſanguinis Domini.* Ubi duo illa non *exempli gratia* ponit; ſed ut *pauca pro multis* inſtituta doceret. Neque obſtant verba, *ſi quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur.* Non enim negamus, nomine *Sacramenti* plura duobus iſtis olim deſignata eſſe: ſed ex eo, quod identidem ab aliis ſejuncta, & tamen copulata occurrunt, concludo, ſeparatum à reliquis ordinem, ac proinde ſpeciem. ut ſic non omnia dicantur *συνωνύμως*. 2. Supra nobis Dionyſium Areopagitam, Cyprianum, Gregorium Nyſſenum, Ambroſium, Auguſtinum oppoſuiſti. Nemo illorum Sacramentum propriè tale dixit: nemo à Chriſto inſtitutum eſſentialem, ordinarium ritum & ſymbolum expreſſit: nemo ei gratiæ ſanctificantis & juſtificantis effectum deputavit. Hæc nobis ex iis elice, ſi potes. Sin, mea reſponſio ad omnium illorum teſtimonia generalis perſtat.

OBIECT. III. *Ordo amitti & iterari nequit, adeóque characterem imprimit. Ita enim Concilium Nicænum Can. 8. ſancit Epiſcopos & Presbyteros in hæreſin lapſos, & ad Eccleſiam revertentes, abſque nova ordinatione in ſuo gradu recipiendos eſſe. Ergo Sacramentum eſt propriè dictum.* Reſp. 1. Non quicquid amitti vel iterari nequit, Sacramentum eſt. Ita enim & gratia Dei hominem ſanctificans, & juſtificans amitti non poteſt, quæ non propterea Sacramentis deputanda eſt. 2. Characteris impreſſionem ſuperiùs figmentum merum eſſe probavimus. 3. Nicæni Concilii Canon non admittit indifferentes quoſcunque à quibuscunque hæreticis ordinatos, ſed illos tantùm, qui ab illis Epiſcopis ordinati fuerunt, qui decepti potiùs quàm pertinaces in hæreſin aut ſchiſma lapſi, infirmitate aliáve cauſa excuſari poterant.

EXCIP. REDING: 1. *Gratiæ amiſſibilitatem & characterem indelebilem ſupra probavimus.* 2. *Nicænus canon nullam diſtinctionem admittit. Et Auguſtinum conſentientem ſupra citavimus.* Ibid. pag. 177. Reſp. 1. Nihil à te eam in rem probatum eſſe, ibidem oſtendimus. 2. Concilii Nicæni canon 8. de Catharis ſancit, *χειροθετουμένους αὐτοὺς μένειν οὕτως ἐν κλήρῳ*, *impoſitis iis manibus ſic in clero maneant.* Loquitur ergo ſatis diſtinctè non de quibusvis ordinatis, ſed de Catharis, hoc eſt, uti Scholiaſtæ omnes explicant, de Novatianis, qui *καθαροὶ Cathari*, hoc eſt, Mundi dicti ſunt, quia ſe omnibus tam corporis quàm animæ ſceleribus puros jactitârunt. de quo Ambroſium *de Pœnit. lib. I. cap. 1.* Hieronymum *in Hoſ. cap. 13.* Euſebium *Hiſtor. Eccl. VI. 43.* Auguſtinum *de Hæreſ.* alióſque legere eſt. Fuerunt autem Novatiani non hæretici, ſed ſchiſmatici, à quibus proin ordines legitimè conferri poſſe, nec proin iterandos eſſe, Nicæni Patres judicarunt. Hoc ergo conſtituunt, ut ſi qui Novatiani, pœnitentia ſchiſmatis ducti, ad Catholicam Eccleſiam revertantur, ſinguli eoſdem ordines apud Catholicos retineant, quos apud Novatianos antea acceperant. Malè enim Canonem vel Cl. Vir, Chriſtophorus Juſtellus,

ftellus de Novatianis pœnitentibus manuum impositione recipiendis: vel Josephus Ægyptius in Arabica canonis versione de repetenda ordinatione interpretantur. Sed quis inde, nisi fungus, concluserit, ordinationem à nemine, ne deploratissimo quidem hæretico, omitti posse? Augustini mentem à Nicænorum Patrum sententia haud abludentem, supra explicatam dedimus.

QUÆSTIO II.

An in Ecclesia ordinatissima dispositione sint diversi Ministrorum ordines, per quos velut gradus quosdam in sacerdotium tendatur?

ASserit Caput 2. & Canon. 2. Eosque ordines distinguit in *Majores*, qui sunt sacerdotium, Diaconatus, subdiaconatus; & *Minores*, quorum munus qui sustinent, Acoluthi, Lectores, Exorcistæ & Ostiarii vocantur. Ac singulos hos faciunt Sacramenta verè & propriè dicta. *Sacerdotis est* sacrificare: *Diaconi* sacrificanti assistere & ministrare, distribuere Eucharistiam, Evangelium legere, bapizare, prædicare: *Subdiaconi* Diacono ministrare, patinam, calicem & librum Epistolarum ei porrigere: *Acoluthi* cum cereo accenso sequi Diaconum, urceolos ac ampullas ad sacrificium, nec non luminaria præparare: *Exorcistæ* exorcismos Ecclesiæ legere supra catechumenos: *Lectoris* extra tempus sacrificii legere in pulpito Evangelium: Denique *Ostiarii* fores Ecclesiæ aperire & claudere. Horum igitur ordinum exercitio, & actuum ab illis muneribus emanantium vi & efficacia, quasi magica quadam ἐνεργείᾳ confici volunt φελκτὸν illud Missæ suæ mysterium & sacrificium. Porro Sacerdotes ita distinguit Gratianus, ut alii sint *simpliciter Sacerdotes*, alii *Archi-presbyteri*, alii *Chorepiscopi*, alii *Episcopi*, alii *Archiepiscopi* seu *Metropolitæ*, alii *Primates*, alii *Patriarchæ*, alii *summi Sacerdotes* seu *Pontifices*. Pariter Diaconi, alii *simpliciter Diaconi*, alii *Archidiaconi*. Nos sanè agnoscimus in Ecclesia Novi Testamenti Ministros oportere esse verbi, Sacramentorum & Ecclesiasticæ Disciplinæ. Ac ex scripturis potissimùm nuncupamus *Episcopos*, qui sunt inspectores & vigiles ecclesiæ: *Presbyteros* sive seniores, & quasi Senatores Patrésque Ecclesiæ: *Pastores* ovile Domini pascentes & custodientes: denique *Doctores* erudientes & veram fidem pietatémque docentes. Cæterùm Ordines Pontificios nec quà Sacerdotium sunt, nec quà tendunt ad Sacerdotium, nec quà Sacramentis deputantur, agno-

ſcimus : denique univerſos tanquam inutiles ac pernicioſos planiſſimè rejicimus. Rationes nobis ſunt.

ARG. I. Ordines Pontificii tendunt ad ſacerdotium, & in eo tanquam culmine & faſtigio ſuo ſiſtunt. At in Novo Teſtamento nullum eſt ſacerdotium certo hominum ordini alligatum, nullum ſacrificium externum & propriè dictum. uti ſupra probavimus.

RESP. REDING : *Minor falſa eſt.* Tomo IV. Tract. X. ſſ. 2. pag. 178. 179. Reſp. Veritatem ejus in loco demonſtravimus.

ARG. II. Ordines, qui ſint verè & propriè dicta Sacramenta, Chriſtus inſtituere debuit, vel eorum ſaltem mentio in libris N. T. facienda fuit. Pontificios autem Ordines non inſtituit Chriſtus. Nam Sacerdotes propriè dictos & externos in N.T. non eſſe inſtitutos, ſupra vidimus. Sacerdotum quidem meminere Apoſtoli, ſed non externorum. Pariter Diaconi ab Apoſtolis inſtituti, ſed qui miniſtrarent menſis, non altari, quales ignorat Papatus. Exorciſtarum munus fuit temporale, nec non cum Apoſtolatu conjunctum. De cæteris Ordinibus altum ſilentium. Fatentur id ipſum Gratianus *in proœm. diſt. 2.* Caranza *in Summa Concil. p. 15.* Becanus *diſp. de vocat. Min. th. 34.* ubi minorum ordinum Scripturam meminiſſe negant.

RESP. REDING : 1. *Quorum Apoſtoli meminere, ii Sacerdotes fuerunt propriè dicti.* 2. *Cum Hierarchia Eccleſiaſtica non ſolis Epiſcopis & Presbyteris conſtare poſſit, miniſtri neceſſarii ſunt, quales Diaconi ſunt, Presbyteris proximi. Unde cum Epiſcopis & Presbyteris eos S. Paulus conjungit. Hæc verò inſtitutio cùm ad N. T. non vacuum & egenum, ſed gratia Dei fœcundatum pertineat, vim gratiæ cauſativam importat. Unde ab Apoſtolis manuum impoſitione ordinati ſunt ; & dici in ordinatione eorum ſolet :* Accipe Spiritum S. *quibus verbis juxta Concilium Tridentinum gratia Spiritus S. verè confertur. Erant quidem iidem etiam ad miniſterium menſæ deputati. Sed officium hoc ſecundarium fuiſſe, ex Dionyſio Areopagita, Clemente R. Anacleto, Juſtino, qui eoſdem Sacerdoti ſacrificanti immediatè aſſiſtere tradunt, conſtat.* 3. *Subdiaconatum etiam Concilium Florentinum videtur Sacramentum ſtatuiſſe, dum ei effectum augmenti gratiæ tribuit. Suffragatur eidem forma Subdiaconi conſecratoria, quam Clemens Conſtit. lib. VIII. 21. tradit, nec non ratio illa, quòd ceu irriterabilis ille ordo characterem imprimit.* 4. *Minores etiam Ordines Sacramenta eſſe, probabile eſt, quia in anima imprimunt characterem ſpiritualem, quod ex communi Theologorum ſententia probat Thomas.* Ibid. pag. 179. 180. Reſp. 1. Quid ſibi vult illud *quorum* ? Sacerdotes fuiſſe, *quorum* Apoſtoli meminerunt. Cur ſubjectum non exprimis? An illi Apoſtoli, Prophetæ, Evangeliſtæ, Paſtores, Doctores fuerunt? Nulli horum in Scriptura *Sacerdotum* (niſi ſpiritualium, quales fideles omnes ſunt) nedum Sacerdotum propriè dictorum nomine veniunt. 2. Hierarchia veſtra qualis ſit, infra videbimus. Cùm verbo Dei inſtituta nulla ſit, nullis etiam Miniſtris, quales Diaconos facis, gaudet. Quicunque in S. Scriptura *διάκονοι diaconi*, ſeu *miniſtri* nominantur, vel iidem ſunt cum Epiſcopis & Presbyteris, vel eleemoſynarum curatores & œconomi ſunt

neque

neque alii omnino memorantur. Cum Episcopis ergo posteriore sensu conjunguntur Phil.I.1. 1.Tim.III. 8.9.& Rom.XII.8.*μεταδιδόντες impertientes* vocantur. *Hæc institutio* inquis, *ad N.T gratia Dei fæcundatum pertinet, adeòque gratiam Dei sanctificantem habet, ideòque Sacramentum est.* Sed institutionem diaconorum distinctorum vel ab Episcopis & presbyteris, vel ab eleemosynarum curatoribus, non supponere, sed probare debuisti. Neque nos, quibus verbis Ecclesia vestra in ordinatione Diaconorum utatur, & quid de ea re senserint Tridentini, quicquam pensi habemus, Procedente tempore Episcopos & Presbyteros eorum ministerio apud altare usos esse, nulli diffitemur: sed ex institutione non Christi, non Apostolorum, sed Ecclesiæ, vel Episcoporum post Apostolos. Neque tamen sic propriè partem habuerunt in mysteriis, vel in Ecclesiastico gradu locati sunt. Aliud enim est Ordo sacer & Ecclesiasticus, aliud officium quodvis in Ecclesia vel pro Ecclesia præstitum, quod commune, non propriè ecclesiasticum esse potest. Constat enim, initio Ecclesiæ etiam laicos fideles sibi & domesticis Eucharistiam propriis manibus domum asportare solitos fuisse. Et quomodocunque iis Episcopi usi sint, illud omne arbitrio suo, non Divina institutione fecerunt. 3. Cùm ejusmodi sit Diaconatus Pontificius, de subdiaconatu quid sentiendum sit, ultro liquet. Bellarminus ipse *de Ord. cap. 2.* fatetur, de subdiaconatu non tantam esse certitudinem, cum sacramentaliter conferri, quanta est de Diaconatu, *quia*, inquit, *neque in Scriptura sit de eo mentio, nec ejus ordinatio habet manuum impositionem, & propriè non pertinet ad Hierarchiam, nisi ut Ministri Hierarcharum.* Probabile tamen putat, etiam hunc Sacramentum esse; & certò esse, Redingius, ubique sibi similis, affirmat. Sacramentum igitur erit id, cujus ne minima quidem in S. Literis mentio occurrit; imo cujus ne apud veteres quidem vestigium ullum apparet. Fatetur enim Urbanus Papa *de Æt. & qualit. Ord. cap. A multis* duos solos sacros Ordines Ecclesiam primitivam habuisse, Presbyterorum & Diaconorum. Gratianus *Dist. 21. §. Decretis* disertè pronuntiat, *Subdiaconos & acoluthos procedente tempore Ecclesiam sibi constituisse.* Neque aliter Petrus Blesensis *Serm. 47.* ubi sic ille: *Productior est ascensus ad hunc gradum* (Sacerdotii) *nunc, quàm in primitiva Ecclesia, in qua qui tantùm fidelis erat, Diaconus fiebat, vel Sacerdos. Introducti postea sunt quidam minorum ordinum gradus.* In Apostolicis, ad quas nequicquam provocas, constitutionibus *lib. VIII. cap. ult.* non alii Ecclesiastici Ordines, quam *Episcoporum, Presbyterorum* & *Diaconorum* numerantur. Cùmque Subdiaconatus ille jure Divino ne quidem ordo sit, sed jure Ecclesiastico merum officium externum & commune, circa vasa, & linteamina altaris occupatum, frustra irreiterabilitatem, characterem ejus urges. Quasi scilicet ministerium ejusmodi externum ideo irreiterabile sit, quia semel deputatus ad aliquod officium renovata deputatione non indiget, eam ob causam Sacramentum sit, vel characterem imprimat. Qua ratione quævis ad opificium vel servile ministerium qualecunque deputatio Sacramentum erit. 4. Denique Ordines minores de jure duntaxat positivo esse, Soto *de just. & jure lib. IX. q. 7. art. 1.* disertè fatetur. Sed & Bellarminus affirmat. Ordines minores illos minùs probabiliter, quàm Subdiaconatum, vim Sacramenti in se continere, *quia*, inquit, *communis non est sententia, & certum est, leviora esse munera horum ordinum, quàm superiorum.* Sunt nempe mera officia manualia, ad scopis mundandas & purgandas Ecclesias: ad valvas occludendas & recludendas: ad cereos accendendos & ferendos, aliáque ejusmodi, ad quæ olim etiam catechumenos nondum baptizatos adhibitos esse Socrates *Histor. Lib. V.* testis est. Absolutè tamen probabiliorem sententiam esse, idem Bellarminus concedit, quæ ordines omnes Sacramenta esse docet, *quia id asserunt omnes veteres Scho-*

lastici

lastici, Durando excepto: (Lombardum etiam, Gratianum, & Martinum de Ayala Coninck *p.2. de Sacr.q.20 d.6.n.42.* excipit) *& ex recentioribus Franciscus Victoria, Soto: & ita sensisse videntur Concilium Florentinum & Tridentinum.* Addit Redingius, characterem singulos illos ordines imprimere. Sed humanas illas authoritates, nulla ratione nixas, quid nos moramur? Quid characteris imaginarii commentum? De quo priùs cum Vasquezio suo Redingius transigat, quàm nobis, quorum manus oculatiores sunt, eos obtrudat. Sacramenti essentia & certitudo non ex probabili opinione hominum, speculationibus otiosis indulgentium, sed ex Divina institutione pendet. Et sanè cùm quilibet laicus quotidie *Diaconi* officio defungatur in Missa respondendo Sacerdoti missificanti; cæteráque munia *Ostiariorum* ad templum aperiendum; *Acolythorum* ad cereos accendendos & nolas impellendas, *Lectorum* ad cantandum, *Exorcistarum* ad fundendam aquam in ministeriumBaptismi exequantur passim vilissimi æditui, nullis Ordinibus vel majoribus vel minoribus initiati, quis non videt, vel nullo speciali charactere per ordinationem ad præstanda illa opus esse; vel æquè sine Sacramentali ordinatione Missam celebrari posse, atque solent à non ordinatis impleri munia Diaconatus, Subdiaconatus & minorum Ordinum?

ARG. III. Pontificii Ordines incrustant Gentilismum & Judaismum veterem. Ex Gentilismo enim petitam subdivisionem Sacerdotum, quam supra attulimus, fatetur Gratianus in Procem.dist.21. Et sanè constat, apud Gentiles fuisse Flamines simplices, Archiflamines & Protoflamines. Conferatur idem Gratianus in Dist.80. C. *in illis.* Ex Judaismo Ecclesia Papistica habet Ostiarios, Exorcistas, & Cantores, qui simul sunt Lectores. Lombardus singulos ordines ex Judaismo disertis verbis Dist 24. derivat.

RESP. REDING: 1. *Annon Gentiles ex naturæ lumine Dei notitiam habuisse, & in eo duntaxat peccasse, quòd Divini honoris species natura notas falsis Diis, non vero præstiterunt; Apostolus testis est est? Peccatne ergo Ecclesia, cùm modos cultus natura notos retinens, vero Deo impendit?* 2. *Inter V. & N. T. cultum id duntaxat interest, quòd ille Christum venturum & Ministros ejus præfiguravit, hic verè exhibet.* Ibid.pag.180.181. Resp. 1. An notitia Dei, & modus cultus seu colendi Deum, æquipollent, ut qui natura Deum novit, idem natura modum colendi Dei noverit? Magnus hic ad Pelagianismum passus est. Quid de Deo natura notum sit, Apostolus explicat Rom.I.19.II.14. nempe æterna ejus potentia & Divinitas, nec non opus legis ejus, quod cordi inscribit, adeóque natura notum est. An huc sacrificia, inprimis propitiatoria & expiatoria, quæ & peccatum, & liberationem à peccato per Christum, quem caro & sanguis neutiquam revelant, Matth.XVI.17. supponunt: an Sacerdotium, quo peccator ad Deum adducitur: an Sacerdotii specialis administratio per certos ordines, de quo hic quæritur, pertinent? Næ deliras nimiùm, & naturam ac gratiam, naturalem & supernaturalem revelationem confundis turpiter. Ubi etiam Apostolus docet, in eo duntaxat gentiles peccasse, quòd Divini honoris species natura notas falsis Diis impenderint? Atqui is Rom.I.21 in eo peccasse eos docet, non quòd modum colendi veri Dei natura notum Diis falsis impenderint, sed quòd cognoscentes Deum, non glorificarunt ut Deum, nec ei gratias egerunt.

egerunt. Unde eos in ratiocinationibus suis evanescentes gloriam Dei incorruptibilis in similitudinem imaginis hominis corruptibilis mutasse (quod & vos strenuè facitis) subjicit, & infandi facinoris pœnam iisdem Divinitus inflictam explicat. Non ergo a natura, sed à superstitione gentiles suos illos sacerdotum ordines hauserunt; & à cacozelia illa hausistis vos, disertè Gratiano *in Proam. dist.* 21. sic confitente: *Discretio illa Sacerdotum à Gentilibus maximè introducta est, qui suos flamines alios simpliciter flamines, alios archiflamines, alios protoflamines appellabant.* 2. Quod V T. figuræ adumbrarunt, illud ipsum N.T. *ἀλήθεια veritas* exhibet. Applicamus ad rem præsentem. Sacerdotium V.T. typicum adumbravit Christum, eúmque solum, Apostolo Hebr. VII. VIII &c. perspicuè docente. Nuspiam ibi Sacerdotes V.T. cum Ministris N T sed cum solo Christo comparat. Sicut autem omne simile etiam dissimile est: ita figura cum re figurata in omnibus conveniat, necessum non est. Unde non pauca, imperfectionem arguentia, à Christo Apostolus removit. Atque ad illa etiam Ordinum distinctio pertinet, qua Christus unicus, æternus & perfectissimus Sacerdos non indiguit. Si Sacerdotium vetus Ministerii Novi typus fuit: jam ergo Christianum Sacerdotium eandem differentiam recipiet, ut in eo sint Pontifex, Sacerdotes, Levitæ, Nethinæi. quod cum vestris ordinibus qua ratione conveniat, ipse videris.

ARG. IV. Pontificii ordines conferunt titulos, quibus res prorsus nulla subest. Episcopi non docent. Sacerdotes non sacrificant, destituti vero sacrificio. Diaconi non ministrant Ecclesiarum oblationibus, quas satis jam dotatas habent. Acoluthi Sacerdotum & Episcoporum sunt canes venatici, equites & milites prætorii. Exorcistæ nec voce humana, nec potestate Divina pellunt Dæmonem. Lectores non legunt, ut intelligantur. Denique his titulis vel nihil subest, vel adulterina officia & pingues tantum præbendæ. Meritò igitur inter Reformationis capita 34 à Gallis exhibita, etiam hoc capite 4. postulatum à Synodo fuit, *ut Diaconis & aliis sacris Ordinibus restituatur debita & antiqua functio, ne amplius nuda & in ceremoniis tantum posita nomina dicantur.*

RESP. REDING: *Nugas calumniis mixtas exhibes, & tibi contradicis. Si enim juxta Gallorum postulatum Diaconis & Ordinibus debita & antiqua functio restituenda fuit, Pontificiis jam ordinibus non nihil, sed res aliqua subsit oportet. Imò res ipsa clarissima est. Nam Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum S. Literæ meminerunt. Reliqui ordines semper in Ecclesia fuerunt, testibus Clemente R. Ignatio, Eusebio, Conciliis Romano, Laodicensi, Carthaginensi IV. Quod autem universa tenet Ecclesia, nec à Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi Apostolica authoritate traditum credi debere, Augustinus de Baptis. lib IV. 14. docet.* Ibid. pag. 181. 182. Resp. 1. Nec nugas, nec calumnias me fudisse, tu-metipse locupletissimus testis es. Nam nomina quidem Ordinum ex S. Scriptura & antiquitate probare conaris: sed rem, quam hodie nomina Ordinum vestrorum continent, eandem esse, quam continebant olim; imò non eam ipsam esse, quam nos verissimè eruimus, nec probas, ac ne probare quidem, vel rem larvis nominum illorum à vobis tectam, a me retectam, vel nihil potiùs illud refellere ullo apice conaris. Tam strenuus athleta es. Sed forte sufficiunt vobis ad Sacramentorum rationem nomina, quic-

quid illis subsit. Experire, si vir es, & proba, juxta S. Scripturam *Episcopi* munus esse dominari, se efferre: *Presbyteri* sacrificare: *Diaconi* altari externo & propriè dicto adstare. De cœteris, de quibus altissimum in Scripturis silentium est, nihil dicam. Frustra es, imò palmam nobis cedis, nisi hanc incudem tundis. Non satis est, veteres alicubi meminisse Subdiaconorum, Acoluthorum, Exorcistarum, Lectorum, Ostiariorum. quanquam iidem subinde alios etiam Ordines memorant. Ignatius enim, cujus alias Epistolas quasdam spurias esse. Viri doctissimi demonstrarunt, etiam κοπιῶντας *Laborantes* (Fossarios & Vespillones intelligit) annumerat. quorum nomen demum sub Imperatoribus Christianis, diu post Ignatii tempora, usurpari eo sensu cœpisse, ex Constantii lege A. 360. lata, quæ de his infimis in Ecclesia ministris verba faciens, *Theodos. L.16. tit.2. de Episc. Eccl. & Cler. L.15.* sic inter alia, *quos Copiatas (κοπιῶντας) recens usus instituit nuncupari*; Cl. Usserius *Proleg. cap.16.* ostendit, atque inde Ignatii νοθείαν probat. Sed & Gelasius Papa *Epist. 6.* ministeria minora hoc ordine recenset: *Ostiarius, Lector, notarius, defensor, acolythus, subdiaconus.* Epiphanius in fine Panarii: *Lectores, Diaconissæ, Exorcistæ, Laboratores, janitores.* In Concilio Chalcedonensi *can.* 14. inter Ordines Ecclesiasticos æquè ψάλτης *Psaltes* seu *Cantor*, atque ἀναγνώστης *Lector* numeratur nullo planè discrimine ordinationis. Et *Can.* 15. etiam χειροτονίαν seu *ordinationem Diaconissæ mulieris*, qualis esse debeat, iidem Patres explicant. Sed eos etiam ordines vel sacramentales esse, vel gratiam conferre, vel Divinitus institutos esse, nemo eorum, qui ministeria illa enumerant, docet. Frustra ergo Augustini regulam illam, à vobis peregrinum in sensum, uti alias ostendimus, detortam, applicari heic expetis. Et nomina enim non eadem retinetis, & nomina, quæ retinetis, pridem apud vos rem & vim suam veterem amiserunt. Quam etiam restitui cum petierunt Galli, argumento illud est, quod eorum judicio eam non habueritis, sed amiseritis. Neque hic contradictionem objiceres, nisi vertiginis spiritus te agitaret.

ARG. V. Confundit Synodus turpi exemplo Ordines cum quibuslibet Ecclesiæ ministeriis, qualia sunt fores claudere ac aperire, cereos accendere, vasa custodire & mundare, mensam Domini vestire, aquam ad baptismum, panem & vinum ad Eucharistiam afferre. Hæc sunt Ecclesiæ ministeria, seu officia manualia, quæ æquè validè non ordinatus ac ordinatus, obire potest. Teste Socrate *lib. V.* 21. etiam Catechumeni nondum baptizati ejusmodi ministeriis adhibiti sunt. Hodiéque quilibet laici etiam vilissimi, nullis vel majoribus vel minoribus ordinibus initiati hæc officia exequuntur non minùs validé, quàm si ipsi Sacerdotes ordinati ea exequerentur. Quòd si ex quolibet ministerio Ecclesiastico colligitur necessitas ordinis, cur non ordines etiam fabricantur cantorum, laboratoris seu fossarii, & similes?

RESP. REDING: 1. *Imò verò munerum eorum functiones non materialiter duntaxat, quoad extrinsecam à non ordinatis exhibitam actionem, sed etiam formaliter quoad religiosi publici cultus Ecclesiæ statui pro tunc accommodatam rationem spectatæ, in publicum Ecclesiæ ministerium reducuntur. Sub qua formalitate planè laicam potestatem excedunt, & determinatum ordinem ecclesiasticum exigunt.* 2. *Alia ratio est muneris Cantorum, Laboratorum &c. quia illud directè ad ministerium Eucharistiæ non pertinet, neque munus*

num in Ecclesia permanens est, sed ab Episcopi, imò & presbyteri arbitrio pendet. Ibid. pag. 182. Resp. 1. Functiones illas in publicum Ecclesiæ ministerium, sacra ordinationi conferendum, reduci debere, non probas. Nulla enim Divina institutio ordinationis illius apparet; nec ratio reddi potest, cur vel deputatio Ecclesiæ mera ad hoc sufficere non possit: vel simpliciter, sine sacra ordinatione, qualis ad Episcopatum vel Presbyteratum est, sic deputati non satis validè officio isthoc defungi valeant. Sanctitatem enim sacramentalem ad hoc requiri negamus, & Sacramenti potiùs profanationem & abusum, quàm legitimum usum interpretamur meritò. Olim etiam Diaconissæ, uti ex Chalcedonensi Concilio supra docuimus, ordinabantur. Neque tamen ordinatio illa efficit, ut pro publicis Ecclesiæ Ministris, æquè ac Episcopi vel Presbyteri, haberentur: vel Sacramentali sanctitate & dignitate gauderent. Et Bellarminus *de Ord cap 6.* dilertè negat, fide catholica necessariò tenendum esse, quòd Diaconatus (& multò minùs inferiores Ordines) sacramentali ordinatione conferatur. Quin & Aquinas *q.37. art.1 ad 2. in addit* rationem Sacramenti totam collocat in Sacerdotio: in aliis verò nonnisi per attributionem ad illud, & participationem quandam. quod est non habere in se *formaliter* rationem Sacramenti, atque sic in ministerium Ecclesiæ publicum reduc[i], quanquam ibid. *art.* 2. sibi idem contradicit, & postea etiam in inferioribus Ordinibus rationem Sacramenti agnoscit. Et de hoc quicquid sit, proprii Ecclesiæ Ministri & rectores non alii quam Episcopi, Presbyteri (quibuscunque præterea in Scriptura nominibus veniant) Divino jure constituti sunt. Ecclesia autem ad alia munera deputans, nullam personis a se deputatis sanctitatem vel potestatem, quæ laicorum dignitatem excedat, impertiri potis est 2. Cur *Cantorum* vel *Laboratorum* munus non majori jure quàm *Exorcistarum*, permanens in Ecclesia munus statuatur, rationem nullam afferre potes. Utrique enim illi apud vos etiam in ministerio publico adhibentur, cùm exorcistas verò nullos habeatis. Et Clemens *Lib. III.* 11. eosdem Cantores æquè ac reliquos *χειροτονεῖσθαι ordinari* tradit. Præterea Ordines in Ecclesia ex sola relatione ad Eucharistiam, vel potiùs sacrificium, institui debere, dogma falsissimum est, & caduco Missæ parieti innixum, eadem cadente cadit. Cur relationem ad Baptismum, prædicationem Evangelii à Christo instituram haud dubiè, ordinationi nullam tribuitis; & tribuitis ad solam Missam, cujus nec vola, nec vestigium in S. Literis extat?

ARG. VI. Minores ordines gradus dici ad superiores, tendentes ad sacerdotium, nullo pacto possunt. Etenim Apostolos à Christo Sacerdotes ordinatos esse statuunt Adversarii. Ubi verò hæc gradatio ab inferioribus? Matthias sine hac gradatione delectus est Apostolus. Ex septem Diaconis ab Apostolis institutis nullus ad altiorem gradum ascendit. In veteri Ecclesia ordinati ad munus aliquod illud ut plurimùm perpetuò exercuerunt. Ambrosius ordinatus in Episcopum, Hieronymus Augustinus, Paulinus in Presbyteros. Gregorius M. in Diaconum, sine transitu per alios gradus. Rationem hanc in Concilio ursit Hieronymus Bravo Dominicanus, quam Petrus Suavis in *Histor. Concil. Trid. lib. VII. pag.* 532. prolixè recitat. Sed & Anthonius Augustinus Episcopus Ilerdensis in Concilio Patres admonuit,

in Ecclesia primitiva, cùm paucissimi adhuc Christiani essent, tot ordinibus locum minimè fuisse.

RESP. REDING: 1. *Christus Apostolos ordinando Sacerdotes ex potestate suæ excellentiæ, iisdem sine gradatione tali unà ordines impertiri potuit.* 2. *Licet ordinationem Matthiæ ad Episcopatum, Sacerdotium, aliosque ordines Scriptura taceat, non tamen negat, sed ex jure tum Divino tum ecclesiastico perspecto supponit.* 3. *Licet Diaconi ad ordines superiores non ascendissent, non tamen inferiores ordines ideo non sunt gradus ad superiores. Ita in Republica honores inferiores sunt gradus ad supremam dignitatem, ad quam non omnes tamen provehuntur.* 4. *De Ambrosio & reliquis falsum narras.* 5. *Neque adversus Synodum Tridentinum efficit quicquam ratio tua, quia illa hoc unicum definit, ordinem esse Sacramentum.* Ibid pag. 182 183. Resp. 1. Ordines illos primò impertivisse proba: & ubi probasti, aliter ab Ecclesia ordinari debere Ministros, (siquidem ordinatio sacramentalis est) quàm Christus ordinavit, edoce. Vicariam Christi excellentiam sibi Papa arrogat. Cur ergo non imitatur Christum (cùm in majoribus longè imitari contendat) & gradationem omittit? Nam quod per pauca fieri potest, per plura fieri non debet. Gradationem illam à Christo si non exercitam, saltem institutam esse, probari debuit. Si Apostolis Diaconarum Christus contulit, peccaverint magnopere, ejus functionem dedignantes, uti dedignatos esse, Act. VI. 2. legimus. 2. Jus aliquod conferendi ordines vestros Divinum & Ecclesiasticum unde Apostoli perspexerunt? In Christi vel Ecclesiæ Apostolicæ hoc est, suæ institutione? Atqui ejus nulla uspiam umbra reperitur. Neque sanè institutio ejusmodi taceri debuit, quia referebat, Ecclesiam ejus certam regulam habere. 3. Gradum ad superiorem potestatem conferri, ei posse, cui superior potestas intercedentibus impedimentis, non confertur, fateor. At vos & superiores & inferiores omnes simul confertis. Quæ Respublica sic instituit, ut gradus omnes, etiam supremum conferat, & exercere vel subire omnes prohibeat? Vel ergo in veteri Ecclesia, in qua ordinatos ad munus aliquod, illud perpetuò exercuisse, dixi, non simul collati sunt ordines: vel singulos illis exercere licuit. 4. An etiam de S. Paulino falsum narravi? Atqui ipsemet de se narrat, cùm apud animum suum constituisset sese Divino cultui in Clero mancipare, & per omnes gradus Ecclesiasticos ire, principio ab Ostiario facto, & laicus adhuc ad id tempus opportunum expectasset, repentè se Barcinone à populo raptum, & ad Episcopum tractum, Presbyterum per saltum ordinatum esse. Id verò minimè contigisset, nisi eo tempore usitatum fuisset. Idem Paulinus in vita Ambrosii de eodem sic refert: *Baptizatus igitur fertur omnia officia Ecclesiastica implesse, ad quæ octava die Episcopus ordinatus est cum summa gratia & lætitia cunctorum.* Implevit Ambrosius *officia ecclesiastica*, ad quæ ordinatus erat Episcopus. An putamus, Episcopum eum creatum minorum illorum ordinum officia implesse, hoc est, campanas pulsasse, ostium clausisse, cereos accendisse &c? Quod de se Paulinus, idem de S. Augustino Possidonius in ejus vita refert, eum *manu injecta*, adeóque raptum ad Episcopum Valerium, *Presbyterum* ordinatum esse, quia *locus presbyterii, licet ipse majore dignus esset, appropinquaret tamen episcopatui.* Reliquorum ordinum ei collatorum nulla mentio est. Plures infra ex Arcudio referam. 5. Denique non id duntaxat Tridentini definiverunt, quòd Ordo Sacramentum sit; sed ultra etiam *can. 2.* anathema dixerunt ei, *qui dixerit, præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios ordines & majores & minores, per quos*

velut

velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur. Huic canoni mihi opponenti rationem quid alterum de Ordine Sacramento occinis?

ARG. VII. Quod ad minores ordines, argumenta ex antiquitate affert prægnantia Petrus Arcudius Corcyræus, illos nunquam vel Sacramenta, vel necessarios esse judicatos. Inter quæ eminet illud, quod ex inductione prolixa innumerorum probat, in eorum ordinatione nullam rationem minorum ordinum esse habitam. Jam Pseudo-Dionysius Areopagita, tres tantùm ordines expressè numerat, ἱεραρχῶν, ἱερέων & λειτουργῶν, quibus, posterioribus tribuit officium præparandi initiandos, hoc est, Catechizandi. Constátque minores Ordines, diversis temporibus, & varia occasione ab Episcopis institutos esse, non iis tamen cum muneribus, quæ hodie illis assignantur, nec cum eadem vel necessitatis vel Sacramentalis dignitatis opinione, de qua re propediem plura. Urgebat in Concilio idem Hieronymus Bravo *varietatem, quæ circa minores Ordines in vetustis Pontificalibus conspicitur, in uno hoc, in altero omnia alia, satis indicare, Sacramentalia hæc esse, non Sacramenta. Imò ipsam rationem huc nos ducere, dum quæ facit ordinatus, eadem & non ordinatus facere possit, nec minùs validè, eodémque effectu & perfectione.* Quin & varietas ingens in numerandis his officiis, quæ apud veteres occurrit, quámque latè deducit M. Anthon. de Dom. *de Rep. Eccl. lib. II. cap. IV. Sect. 03.* arguit, eos pro Ordinibus vel Sacramentis minimè habitos olim esse. Confer, quæ idem M. Anthonius de Dominis loc. cit. *num.* 59. 60. de Subdiaconorum ac inferiorum Ordinum in Ecclesia novitate disserit. Imò & Lombardus lib. IV. Dist. 34. ita loquitur: Excellenter Canones duos tantùm sacros Ordines appellari censent, Diaconatus scilicet & Presbyteratus, quia hos solos primitiva Ecclesia legitur habuisse. Et de his solis Apostoli præceptum habemus.

RESP. REDING: 1. *Nuspiam Tridentinum Concilium definivit, Ordines inferiores, vel etiam Subdiaconatum esse Sacramenta, quanquam esse, probabile est, non obstante illa Arcudii ratione, quod in ordinatione Presbyterorum nulla olim Ordinum Minorum habita sit ratio. Hoc enim non de receptione characteris, sed de exercitio & ministerio accipiendum est. 2. Dionysius Areopagita tres illos Ordines solos enumerat, quia soli sint Hierarchici, non quia soli sint ordines, 3. Neque minores ordines ab Episcopis duntaxat variis occasionibus institutos esse, arguunt Concilii Carthaginensis. IV. Canones, quibus definitur modus ordinationis singulorum Ordinum. 4. Nulla ordinum varietas talis demonstrari potest, qua illorum substantia deroget. Acolythorum quidem ob ministrorum in Ecclesia penuriam non frequens admodum mentio est. Sed illorum & aliorum Ordinum munia à Diaconis vel Subdiaconis suppleri consueverunt. Ita Exorcistæ duorum generum fuerunt. Alii enim munus obibant ex gratia gratis data, de quibus Clemens loquitur: alii constituebantur ordinatione Episcopi, veluti S. Martinus à S. Hilario. 5. Quòd ex Lombardo Ordi-*

nes omnes Presbyteratu & Diaconatu excepto, ex numero Ordinum deturbare conaris, perfidiam tuam spirat. Denominatio enim Sacri Ordinis secundum specialem quandam excellentiam non ex ratione Sacramenti, sed annexo castitatis voto petenda est. Illud porro votum antiquitus soli Presbyteratui & Diaconatui annexum erat. Hoc non obstante in numero Sacramentorum & olim censeri potuerunt, & hodiéque possunt. Ibid pag 183 184. Resp. 1. Non de Sacramentali duntaxat Ordinum ratione, sed de necessitate eorum etiam Arcudius loquitur. Frustra ergo Tridentini Concilii decretum opponis, quod si Sacramentalem dignitatem non definivit (definire tamen aliquid in tanta opinionum repugnantium varietate debuit) at necessitatem etiam sub anathemate *cap.2. & can. 2.* definivit; imò etiam quatuor minorum ordinum nomina & ministeria ab ipso Ecclesiæ initio extitisse pronuntiavit. Quid quòd *cap. 2.* septem Ordines numerat; & statim *cap. 3.* absolutè Ordinem Sacramentum esse, subjecit. Vel igitur Ordines omnes intellexit; vel distinguere debuit, ut appareret, quinam Ordines Sacramenta essent, qui non. Ejusmodi ambiguitatibus Synodus lectoribus illudere solet. Arcudii porro illa inductio eorum, qui ordinati sunt, nulla Ordinum minorum omnium habita ratione, ex Zacynthio Raphaele Inviciato, ab eo *de Concord. Eccl. Or. & Occid. circa Sacr. administrat. lib. VI. 9.* repetita, & characterem & exercitium negat. Quippe de collatione ipsa ordinum, non de exercitio loquitur, & ex Ecclesiæ praxi veteri, exemplisque expressis ordinatorum, veluti Chrysostomi, Eutychii Patriarchæ Constantinopolitani, S. Cæsarii, Episcopi Arelatensis, Johannis Episcopi Cabilonensis, Epiphanii, Pauliniani, Cypriani, Augustini, Piniani Hipponensis Presbyteri, Maximi Palatini, Paulini Episcopi Nolani, Marcelli Episcopi Parisiensis, Theodori Siceorum Archimandritæ, Austregesili Bituricensis Archiepiscopi, aliorum probat, Ordinum minorum quorundam, Acolythorum maximè, Exorcistarum & Ostiariorum, nullam planè in ordinatione rationem habitam esse. Ad probandam Græcorum consuetudinem ibidem citat Concilii Generalis VIII. Constantinopoli habiti canonem 5. qui sic sonat: Εἴ τις γέγονε κληρικὸς, ἢ μοναχὸς, καὶ πάντα βαθμὸν ἐκκλησιαστικὸν μετελθὼν κατὰ τοὺς ὡρισμένους ἀνεπίληπτος εὑρέθη, προβιβασθήτω εἰς τὴν ἀρχιερωσύνην, ὥστε ἐν τῷ βαθμῷ τοῦ ἀναγνώστου ἐνιαυτὸν πληρῶσαι, ἐν δὲ τῷ τοῦ ὑποδιακόνου δύο, καὶ ἐν τῷ τοῦ διακόνου τρεῖς, καὶ τέσσαρες ἐν τῷ τοῦ πρεσβυτέρου· *Si quis factus est Clericus aut Monachus, perque omnem gradum ecclesiasticum transiens, ut canones præscribunt, irreprehensibilis repertus est, ad Pontificatum evehatur, ita ut in Lectoris gradu annum, in Subdiaconi duos, in Diaconi tres, in Presbyteri quatuor annos expleat.* Ergo Seculi noni, quo Concilium illud celebratum est, tempore, nec Exorcistarum, nec Acolythorum, nec Janitorum ordines apud Græcos in usu fuerunt. 2. Quomodo verò juxta Pseudo-Dionysium Areopagitam tres illi ordines fuerunt Hierarchici, cùm solum primum is fecerit ἱεραρχῶν *Hierarcharum*, reliquos ἱερέων & λειτουργῶν *Sacerdotum & Ministrorum*? Qualis hæc divisio erit, si omnes Hierarchici sunt, ut non Hierarchicis, hoc est, juxta te, minoribus, quos ille ne nominavit quidem, Ordinibus, opponuntur? 3. Neque ex Concilii ψευδεπιγράφου Carthaginensis IV. Canonibus de Ordinibus, de eorundem prima institutione quicquam decidi potest, cùm eorum illi originem non pandant. Præterea neque eorum necessitatem, neque Sacramentalem dignitatem illi commemorant: & *Cantorum* etiam ordinem adjungunt. Certè Breviarium Romanum Ordinum illorum institutionem Cajo Pontifici & Martyri tribuit his verbis: *Constituit, ut his ordinum & honorum gradibus in Ecclesia ad Episcopatum ascenderetur, ostiarii, lectoris, exorcistæ, acoluthi, subdiaconi, diaconi, Presbyteri.* Ante ergo

non

non eodem modo ascendebatur. 4. Satis utique Ordinum à vobis enumeratorum substantiæ derogat, si Pontificalia vetera alia plures, alia pauciores enumerent; & in uno hoc, in altero omnia alia requirant, quod citatus à me Hieronymus Bravo in Concilio ursit. Et si distincti hi Ordines sunt, distinctáque ordinatione conferuntur, quomodo Diaconus ad Acoluthi munus non ordinatus eodem defungi, atque illud supplere potuerit, tu videris. Certè Clemens, Ignatius, Epiphanius nullam prorsus Acoluthi mentionem faciunt. Scribit equidem Ignatius Epistola ad Antiochenos. *Salutant vos Philon & Agathopus, οἱ συνακόλουθοί μου comites* seu *socii mei*, non, uti nonnulli reddunt, *Acoluthi* mei. Aliud enim est συνακόλουθος, aliud ἀκόλουθος. Neque enim se Ignatius *Acoluthum*, & Philonem ac Agathopum illum *una Acoluthos* dicere voluit. Neque etiam Isidorus *lib. II. de Offic. Eccl.* & auctor illius Epistolæ ad Rusticum Narbonensem apud Hieronymum, qui de omnibus ordinibus ex instituto differunt, de *Acoluthis* quicquam habent. Sed & duplicem *Exorcistarum* Ordinem fingis, non probas. Nam Clemens *Constit. lib. VIII. 26.* postquam disertè dixit: Ἐξορκιστὴς οὐ χειροτονεῖται, *Exorcista non ordinatur*, ilico hanc rationem subjicit: Εὐνοίας γὰρ ἑκουσίου τὸ ἔπαθλον, καὶ χάριτος θεοῦ· *Hoc enim munus spontaneum est Divinæ benevolentiæ, & gratiæ Dei*. hoc est, uti ipsemet Arcudius rectè explicat; donum hoc solus Deus impertit, cui vult, & quando vult. Et charisma hoc fuisse commune omnibus fidelibus, Justinus Martyr in dialogo cum Tryphone affirmat. Neque ullus tum Exorcistarum ordo alius in Ecclesia obtinuerat. Sed cessantibus in Ecclesia charismatis, Ecclesia alicubi ordinem Exorcistarum instituit, ut destitutum illum charismate, saltem ordinario: adeóque à priore longè diversissimum. Idcirco etiam auctor Epistolæ ad Rusticum Narbonensem, Ordines Ecclesiasticos de industria recensens, Exorcistas penitus omisit. 5. Quæ verò perfidia est, ex Lombardo Ordines minores lancinare, cùm diserta adeò sint ejus verba à me citata, & quæ ipsemet in dubium revocare non ausis? Imò non nudè sic ille pronuntiat, sed rationibus sententiam suam firmat. Quomodo autem votum castitatis ad excellentiam specialem Ordinis alicujus faciat: at Sacramentalis dignitas, voti illius accessorii religione major longè, nec non Apostolica institutio non faciat, explicare nobis debueras. Fingenti quidvis pro lubitu, & nudè edicenti, fides nulla debetur.

ARG. VIII. Dissensio gravis Pontificiorum Theologorum circa ordines hos prodit vanitatem hujus dogmatis. Jam olim Cajetanus opinionum diversitatem perspiciens, senex pronuntiavit: *Si collecta fuerint, quæ Pontificales codices, quæve ratio auctoritásque doctrinæ tradidit, incerta valde apparebit, Presbyteratu excepto, reliquorum natura ordinum.* De Episcopis & Cantoribus, nec non Tonsura prima & Episcopatu ingens est Theologos inter & Canonistas concertatio, illis negantibus, ad ordines eos pertinere, his strenuè asserentibus. Episcopatum quoque & Presbyteratum diversos esse ordines ajunt Canonistæ & Bellarminus, contra plures Theologi Scholastici negant.

RESP. REDING: 1. *Non in substantia dogmatis, sed Scholastica subtilitate dissensio tota est.* 2. *Neque Tonsuram primam Canonistæ omnes, sed aliqui duntaxat apud Felinum cap. sicut de Simonia n. 2. inter ordines referunt.* 3. *Alius est ordo jurisdictionis, alius potestatis conficiendi Sacramenta. Prior non est Sacramentalis, sed Hierarchicus, ad quem distin-*

ctio

ctio Archidiaconatus, Episcopatus, Primatus spectat. Cúmque Episcopatus ejúsque character sit natura sua characteris Sacramentalis perfectivus, ab eo non re, sed solo gradu distinguitur. Ibid. pag. 184.185. Resp. 1. Scilicet subtilitas Scholastica est, neque ad dogmata ullo modo pertinet, disceptare, quæ Sacramenta propriè sint, quæ non sint. Poterunt petulantes Scholastici eadem ratione, sine dogmatum fidei periculo, in quæstionem vocare, & eristici ingenii sui libidini subjicere disceptationem liberam, an Baptismus, an Cœna sit Sacramentum, nec ne? Et si dissidebunt ea in re, nulla in dogmatis substantia, sed subtilitate Scholastica sola dissensio hærebit. Talia malagmata sunt, quibus Ecclesiæ suæ morbos Redingius curare frequenter solet. 2. Satis nobis est, Canonistas pleróſque omnes Tonsuram primam distinctum ordinem constituere. In Concilio Tridentino Thomas Passius, Canonicus Valentinus, Historico *lib. VII. p.* 535. narrante, acriter Canonistarum partes suscepit, & *quod ad primam Tonsuram, ita semper se à Theologis audisse* dixit, *Sacramentum esse signum externum gratiam spiritualem significans; Esse* autem *in Tonsura signum, & rem significatam, deputationem ad res Divinas: itaque mirari satis se non posse, cur ei Sacramenti essentiam auferre postulent, præsertim cùm per eam in Clerum introitus fit, & participatio exemptionum Ecclesiasticarum. Quòd si illa à Christo instituta non esset, neque Clericatum, neque exemptionem ejus posse affirmari esse juris Divini. Illud esse manifestum, Hierarchiam in Ordinibus Ecclesiasticis consistere, neque aliam vim vocis quàm Ordinem sacrum superiorum & inferiorum: illum verò nunquam rectè constare posse, nisi quis inter Ordines numeret, (quod à Canonistis cum ratione factum) infimum, id est, Tonsuram: & summum, qui est Episcopatus. Eo pacto Hierarchiam omnem probè constitutam, cùm primo & ultimo dato, intermedii necessariò consequantur, qui sine his positis, nullo modo consistere possint.* Non ergo levis ei dissensus visus est. Et an fortiora putas esse vestra pro Acoluthatus, Ostiariatus &c. Sacramento argumenta? Cùm amplior haud dubiè sit potestas jurisdictionis, quàm Ordinis; & distincta utraque non parum, illa Ordines conferente, hoc collatos administrante; cur, non dicam, Presbyteratus, sed Acoluthatus, Ostiariatus &c. sit & Ordo singularis, & Sacramentum: at non sit Episcopatus, qui omnem illam potestatem confert, adeóque eminenter etiam continet, causam reddatis oportet. Reddere nullam potestis. Annon enim peculiaris est ad jurisdictionem illam, si vobis credimus, sacerrimam, deputatio, per signa etiam externa testificata? Annon, verbis Durandi *in Sent. 4. d. 24. q. 6.* utar, *Nobiliorem & propinquiorem habitudinem habet ad Sacramentum Eucharistiæ potestas Episcopalis ordinans ministrum ad ejus consecrationem vel confectionem, quàm minorum Ordinum potestas, disponens populum tantùm ad ejus susceptionem?* Non ergo solo gradu, sed reipsa Episcopatus jurisdictio, ejúsque character, ab Ordine illius distinguitur; neque illa Sacramentalem characterem perficit, sed totum tradit.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBJICITUR I. *Christus Ordines omnes in sua persona gessit. Fuit enim* Sacerdos *se ipsum sacrificans.* Diaconi *officio usus est, quando post Cœnam Sacramentum carnis & sanguinis discipulis dispensavit, & Apostolos dormientes ad Orationes excitavit.* Subdiaconi, *quando linteo se præcinxit, & mittens aquam in pelvim pedes discipulorum lavit, & linteo tersit.* Acolythi, *cùm dixit: Ego sum lux mundi, qui se-*

quitur

quitur me, non ambulat in tenebris: Exorcistæ, *quando tetigit aures muti & surdi & de Maria Magdalena septem dæmonia ejecit:* Lectoris, *cùm in medio Seniorum librum Esajæ aperuit, & distinctè prælegit:* Ostiarij *denique, cùm flagello ementes & vendentes ex Templo ejecit.* Resp. 1. Argumentum hoc in Concilio ursit ex Lombardo Petrus Soto Dominicanus, ab altero Dominicano Hieronymo Bravo propterea refutatus. Et sanè nugis his, quarum ipsum Lombardum non puduit, opponimus ipsum Lombardum, statim subjungentem *lib. 4. Sent. dist.* 24. hæc verba: *Cùm omnes illi Ordines spirituales sint & sacri, excellenter tamen Canones duos tantùm Sacros Ordines appellari censent, Diaconatus scilicet & Presbyteratus, quia hos solos primitiva Ecclesia legitur habuisse, & de his solis præceptum Apostoli habemus. Apostoli enim in singulis Civitatibus Episcopos & Presbyteros habuerunt. Levitas enim ab Apostolis ordinatos legimus, quorum maximus fuit B. Stephanus. Subdiaconos verò & Acoluthos procedente tempore ecclesia sibi constituit.* 2. Si Christus sua in persona Ordines exercuit, cur non eosdem in sua persona exercent Pontifices, Sacerdotes omnes, qui se Christo substitutos gloriantur? 3. Non quilibet actus Ministerij Christi sunt Ordines & quidem Sacramentales. Aliàs innumeri Ordines fabricandi essent. Ne dicam, plerosque illos actus heroicos & extraordinarios, ac miraculosos etiam fuisse, qui proinde imitatione exprimi haud possunt.

Excip. Reding: 1. *Christi exemplum non est primarium fundamentum, quo Ordines, inferiores inprimis, nitantur, sed congruentiæ duntaxat alicujus rationem habet.* 2. *Quod Lombardus de Ordinibus Diaconatu inferioribus habet, ex S. Thoma sic explicandum est, ut dicatur, propter penuriam personarum inferiorum illorum Ordinum officia Diaconis commissa esse.* 3. *Neque facile est reperire Sacerdotem, qui saltem una cum functionibus Presbyterii propriis, non inferiorum etiam Ordinum actus aliquot in Dei cultu quotidie peragat.* Ibid pag. 185. Resp. 1. Cùm ergo neque in institutione Christi, quam, nullam allegare potestis, neque in ejusdem exemplo, quod post Lombardum Fabius Incarnatus vester *Scrotin. Sacerd. part. 1. tract. 2. cap. de Ordine* pomposè, & in prima a gumentorum acie, jactat; Ordines vestri fundentur, nulli sunt, & *congruentia* illa seu incongruens & ficta. 2. De Lombardo, & ordinibus à Diacono suppletis supra vidimus. 3. An ergo etiam Papa Christi exemplo ordines illos exercet? Atqui ille, sic Durandus *Ration. lib. II.* 1. nos docet, *celebriter Missarum solennia agens, sex habet secum Ordines:* quos inter tamen neque Exorcista, neque Ostiarius, neque etiam Lector nominatur; quia eorum vices Episcopi & cantores gerunt. Et tamen perfectiorem & Sacramentum in illo numero senario doctè Durandus observat. Fst autem ipse etiam Papa Sacerdos, &, sic illi volunt, Sacerdos summus. Non ergo omnes Sacerdotes in sua persona Ordines hos exercent. Quid faciant Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, tute meliùs noveris. Ad gregarios ergo Sacrificulos redit exercitium illud atque illud non solos. Defunguntur enim Ordinum officiis cum custode Templi, & puero aliquo, forte in partem etiam puerilis ludi vocato, cùm Missa vulgari modo celebratur.

OBJECT. II. *Sacerdotum seu Presbyterorum institutio certa est. Diaconorum mentio est Act. VI. 6. 1. Tim. III. 8. Phil. I. 1. Sub nomine Diaconorum etiam Subdiaconi comprehenduntur. Reliqui ordines si non ex Scriptura, at certè ex traditione veterum, apud quos frequens est eorum mentio, constant.* Est argumentum Concilii Capite 2. Resp. 1. Sacerdotum propriè dictorum Ordo nuspiam institutus est. Presbyterorum Ordinem agnoscimus, sed talem videlicet, ut docentes ab Episcopis non distinguantur, sed iidem sint cum iis, nec alii dentur ecclesiæ ministri, qui sacra ordinatione indigeant. 2. Diaconi, quorum in Sacris mentio est, non verbi & Sacramentorum, sed curæ pauperum, quæ in λήψει καὶ δόσει, acceptione seu collectione & dispensatione facultatum ecclesiæ consistebat, ministri & præfecti erant. Ita Stephanus Diaconus non tam prædicavit, quàm apologetico apud populum sermone usus est. Philippus quoque ex Diacono Evangelista factus videtur. Cùm Diaconi Pontificii in Scripturis fundamentum nullum habeant, multò minùs Subdiaconi habebunt. 3. Ordines seu gradus quosdam Ministerii veteris ecclesiæ posterioribus inprimis & sequioribus temporibus usurpatos esse, haud diffitemur; sed vel ex Apostolorum institutione, vel ex opinione necessitatis ad sacrificii confectionem & oblationem, vel iisdem cum muneribus, quæ hodie Ordinibus illis affinguntur, vel cum restrictione ad septenarium numerum, vel ita, ut omnes simul & semel collati fuerint, usurpatos esse, negamus. Introducti sunt hi Ordines paulatim tanquam utiles & convenientes ad varios ecclesiæ usus & εὐταξίαν, ut majore cum dignitate, gravitate & decentia publicus Dei in Christianis cœtibus pauló frequentioribus cultus exerceretur, útque per varios istos Ordinum diversorum gradus illi, qui se in Clerum, hoc est, censum & Catalogum hominum Ecclesiasticorum dabant, paulatim in disciplina ecclesiastica informarentur, adeóque ad supremum Presbyteratus vel Episcopatus Ordnem & gradum aliquando promoverentur. Ita igitur *Ostiarii* constituti sunt, ut ab ecclesiæ introitu arcerent ignotos, externos, miniméque Christianos, excommunicatos, energumenos, quin & ipsos catechumenos Synaxeos tempore: *Exorcistæ*, qui primò quidem, vigentibus nimirum adhuc donis, solo vocis imperio in Christi nomine, precibus item ac jejunio dæmonia ejiciebant; postea dum in Templis Sacra peragebantur, extra ecclesiam ad Energumenos exibant, & præscriptas precum formulas de libro recitabant, quibus subinde, non semper tamen, Deo volente, & ad totius ecclesiæ intus precantis intercessionem, nōn vi ulla exorcismorum Energumeni liberati sunt; quibus precibus superstitione invalescente, etiam certæ exorcismorum formulæ adjunctæ sunt: *Lectores* & *Cantores*, qui Sacris hymnis atque Psalmis decan-

cantandis, nec non precum formulis, Evangelio & Epistola prælegendis populo præibant: Pastoribus interim seu Presbyteris Eucharistiæ benedictionem, confectionem & distributionem sibi solis reservantibus ex formula pariter præscripta, sacrásque ad populum conciones habentibus: *Acoluthi*, qui non, ut famuli vel vile aliquod mancipium, sed ut honorabiles Ministri Episcopis jam supra Presbyterorum conditionem evectis assisterent, & honoris causa perpetuò eos assectarentur, variis in rebus ad officium eorum pertinentibus iis inservirent, testésque adeò essent bonæ & laudabilis eorum conversationis, & ex iis etiam ipsi ædificarentur: *Subdiaconi*, qui ecclesiâ jam amplis possessionibus, pecunia, supellectilibus, agris, prædiis, latifundiis locupletatâ, Diaconis sublevandis adjuncti sunt. Hæc sanè munera pro ratione temporum, locorum & personarum, ac inprimis in majoribus & matricibus ecclesiis, quas Episcopales, Cathedrales, Metropolitanas, Patriarchales vocabant, in quibus ob maximum populi concursum cultus Dei magna cum celebritate exercebatur, utilia esse potuerunt, inprimis cùm aliæ non fuerint Christianorum Scholæ, in quibus S. Ministerii Candidati in universa disciplina Ecclesiastica instituerentur. Nunc verò cum alius est rerum & ecclesiæ status, quo homines convenientiori ratione ad Presbyteratum promoveri ac ascendere possunt, quàm per varium multiplicium illorum Ordinum ministerium, minùs jam Ordines illi in ecclesia necessarii ac utiles sunt. Lubet verò adscribere heic Viri doctissimi, Georgii Cassandri verba, quæ *Consult. Artic.* 14. extant: *Constat*, inquit ille, *Sacros Ordines propriè dici Diaconatum & Presbyteratum, ut quos solos primitivam Ecclesiam in usu habuisse legatur, id quod testatur Urbanus Papa, & annotavit Chrysostomus & Ambrosius in Epistola ad Timotheum priorem, ex eo quòd Episcopi Ordinationi statim Diaconi ordinationem subjiciat. Ad minores verò Ordines quod attinet, qui olim quinque se ordine consequentes commemorari fueverunt, hi sanè præsente tempestate, neglecta omni disciplina & politia ecclesiastica, prorsus confusi sunt, & eorum officia propemodum cessarunt.* Hactenus ille.

Excip. Reding: 1. *Sacrificium & Sacerdotium in omni Lege extitisse, quod Synodus dicit, an negare potes? Annon Apostolus Hebr. VII. 12. disertè contestatur, translato sacerdotio necessum fuisse, ut & Legis translatio fieret?* 2. *Philippo munus Evangelistæ ex Diaconatus Ordine congruebat. Et Stephanus Act VII. verè concionatus est, non tam more apologetico, quam veritatis demonstrativo, qui tamen non erat nisi Diaconus.* 3. *An ista Ordinum inferiorum ad publicum Dei cultum convenientia, quam ipsemet fateri cogeris, absque Apostolica authoritate vel traditione in Ecclesiam introduci potuisset? Qua ergo fronte contra Ordines istos insurgere audes?* 4. *Licet autem Christus non divisim, sed una cum sacerdotio totam eam Ordinum facultatem impenderit, licuit tamen Ecclesiæ divisim eandem impendere sicut ab Ecclesia veteri impensam non negas.* 5. *Quomodo verò isthæc cohærent, munus exercistæ*

primis duntaxat Ecclesiæ temporibus, quibus dona vigebant, extitisse; & tamen una cum reliquis ordinibus inferioribus sequioribus demum temporibus introductum fuisse? Et cur tu jam eliminare audes? Inprimis cùm ad cultus Dei celebritatem Ordines illos omnes olim utiles fuisse, fatearis. Ibid. pag 185.–188. Resp. 1. In utraque lege sacrificium & sacerdotium extitisse, non negavi unquam, non nego. In nova autem sacrificium solus Christus obtulit. Solus ergo ille verus, externus, propriè dictus Sacerdos fuit, & manet in æternum. Translatum ergo est Sacerdotium in Christum, qui Sacerdos est secundum ordinem Melchisedeci, non in alium quenquam. Tam nihil hoc ad vestros Sacerdotes, quàm nihil ad Sacerdotes vitulorum in Bethaven, vel Baalis. 2. Diaconorum munus unicum, non secundarium, erat *inservire mensis*, & quidem opposité ad λόγον τοῦ θεοῦ *sermonem*, seu præconium *sermonis Dei*, Act. VI. 2. Nullam aliam Ecclesiæ in institutione illorum curam iis conjunctam fuisse legimus. Ostendit id occasio institutionis, murmur Græcorum, hoc est, Christianorum ex Gentibus conversorum, adversus Hebræos, eò quòd ipsorum viduæ contemptui haberentur. Ut scandalo huic occurrerent Apostoli, Diaconos instituerunt. Quis verò dicat murmur & scandalum isthoc fuisse circa mensam sacram, cujus veri & proprii Ministri erant Apostoli & Presbyteri ab iis ordinati? Illud quidem oneris & officii remittebant Diaconis, quod ipsi à se abdicabant, & cui pares non erant, ut se ingererent. Quomodo verò æquum non fuisset, ut Apostoli in sacra mensa Eucharistiam sanctissimam ministrarent? Meritò igitur Origenes & Hieronymus Diaconos mensarum, & pecuniarum ac viduarum tantùm Ministros & Curatores faciunt. Neque Stephani Protomartyris & Philippi exempla diversum quid suadent. Illum enim disputasse & contulisse cum Libertinis aliisque (demonstrando utique veritatem, non enim, Papæ more, satis habuit dictare) Act. VI. 9. 10. &c. & defensione sui usum esse in populo forensi modo Act. VII. legimus. Prædicasse, nuspiam legimus. Si tamen prædicavit, vel ut fidelis quilibet prædicavit (quomodo *omnes discipuli dispersi evangelizabant sermonem Dei* Act. VIII. 4. & Mulier captiva apud Iberos prædicavit: & Rex nondum baptizatus, ab illa muliere institutus idem fecit, Rufino *lib. X.* 10. teste: & Edesius ac Frumentius adhuc privati Indorum præcones fuerunt, apud Theodoretum *lib. I.* 24. & Origenes ante impositionem manuum docuisse, ab Eusebio *lib. VI.* 20. scribitur) ut Presbyter, vel Evangelista, non ut Diaconus prædicavit. quod de Philippo ex Act. XXI 8, clarum est, ubi disertè Ευαγγελιστὴς *Evangelista* vocatur. Constat autem, nec Evangelistas omnes fuisse Diaconos, septem numero electos, nec Diaconos omnes Evangelistas. Philippus ergo & Diaconus fuit, & Evangelista; & qua Evangelista à Deo extra ordinem vocatus, forte etiam, cùm Hierosolymis discederet, ab Apostolis institutus, ministerio præconii & baptizandi functus est, uti ex revelatione singulari Act. VIII. 26. apertè colligitur. Potuerunt nempe Diaconi etiam ad altiorem ministerii gradum ascendere, quos proin bene ministrantes καλὸν βαθμὸν *gradum bonum* sibi acquirere, Apostolus 1. Tim. III. 13. ait. Sanè etiam Oecumenius *in Act.* disertè dicit, ab Apostolis creatos fuisse Diaconos *non juxta gradum, qui nunc est in Ecclesia, sed ministros, qui omni cum diligentia & non neglectim distribuere viduis simul & Orphanis ea, quæ ad alimentum pertinebant.* 3. Non ab Apostolis, sed ab Ecclesia procedentium temporum distinctionem inferiorum Ordinum introductam esse, certum mihi est; & fatentur vestri doctiores quique. Neque contra eos, prout in Ecclesia adhuc puriore adhibebantur (quorum ministeria à me exposita & à vestris diversissima, in dubium vocare ausus non es) politiæ ejus ecclesiæ liberè institutæ, ceu mi-

nisteria

nisteria quædam communia, inservientes, insurrexi. Insurgo serena fronte contra novellum errorem vestrum, ab instituto veteris Ecclesiæ devium, quo Ordinum illorum necessitas, ad Missam relatio, Sacramentalis & Ecclesiastica dignitas, & ministeria retentis iisdem nominibus diversissima; non seria illa & gravia, sed ludicra fere & ridicula asseruntur. 4. Qua verò tu fronte, vicissim interrogo, asserere non dubitas, Christum Apostolis Ordines illos non *divisim* equidem, sed *conjunctim* contulisse? Et quidem id asseris sine ratione ulla? Si tamen sic Christus contulit; cur ab ejus exemplo vos discessionem fecistis? Sapientiórne Ecclesia Papalis est, quàm Christus? 5. Exorcistarum munus primitus sine ordinatione, sola gratia Dei aspirante, exercitum esse, ex Clemente R. supra ostendi. Erat ergo tum non ordinarius, ut ita loquar, ordo, sed opus extra ordinem ad tempora primitivæ illius Ecclesiæ à Deo attributum, quibus temporibus Deus Ecclesiam suam in medio infidelium & idololatrarum coruscare voluit miraculis, ad testificationem & obsignationem veritatis suæ. Cessante gratia extraordinaria Exorcistarum nomen retentum, & deinceps hæsit Catechistis. Unde apud Cyrillum in Procatechesi exorcismi & catecheses promiscuè ponuntur. quia Catechistæ catechumenos suos instituentes ex potestate Sathanæ & tenebrarum in Regnum lucis transferebant. Pluribus hanc ἐξήγησιν notionem Doctiss. Justellus *Not. ad. Can. Eccl. Univers. pag.* 168. comprobavit. Iidem etiam precationum formulas super energumenis recitare sueverant. Sic Exorcistarum munus ordinarium esse cœpit; donec adjurationibus additis in Magicum ritum à vobis conversus est, qua de re alibi fusiùs disserui. Rectè ergo narratio mea cohæret. sed pessimè ritus ille vester cum Dei verbo, & Ecclesiæ veteris praxi. Non ergo vestros ordines utiles unquam fuisse, falsus sum: sed munera illa veterum, à me disertè descripta, & à vestris tantum distantia, quantum æra à lupinis distant; liberè ab Ecclesia instituta, *pro ratione temporum, locorum, personarum, inprimis in majoribus & matricibus Ecclesiis utilia esse potuisse.* dixi. Sed non quicquid hic & nunc utile est, semper utile est; inprimis quando usu in gravissimum abusum degenerante, & superstitione inveterascente, externus ordo, Ecclesiæ libertati relictus, mutari debet, & mutatur actu. Mentem meam intelliget facilè, qui Tecum sophisticandi mentem ad illam non attulerit.

OBJECT. III. *Ordines illi instituti sunt; adeóque etiam retineri debent, ut sancti Sacerdotii, inprimis Sacrificii Missatici ministerium tantò digniùs & majore cum veneratione exerceri possit.* Est argumentum Concilii Cap. 2. Resp. 1. At nec ex Scripturæ, nec ex veteris ecclesiæ usu instituti sunt eum in finem, cùm Sacrificium Missaticum utrique incognitum sit. 2. An septenarius iste diversorum Ordinum numerus ad Sacrificii confectionem absolutè necessarius est, necne? Si negant, cur à Sacrificii conficiendi necessitate illum arcessunt? Si affirmant, qui igitur fit, quòd in singulis Parœciis & Sacellis, in quibus Sacrificium quotidie offerri præsumitur, unus est sacrificulus, nullique adstant Lectores, Diaconi, Subdiaconi, Acoluthi, Exorcistæ, Ostiarii, qui munere suo singuli distinctè fungantur? Sed, inquiunt illi, abundè est, quòd unus sacrificulus septem illis distinctis ordinibus ornatus est, ad distinctas septem illorum Ordinum functiones exercendas

das. Cur igitur in Cathedralibus & majoribus ecclesiis numerum illum septenarium diversarum personarum instituunt? Si ad solam εὐταξίαν, pompam vel magnificentiam id pertinere asserunt, fateantur igitur oportet, Sacrificii confectionem septenarium illum numerum haud requirere, & posse id omne pro locorum, temporum & personarum circumstantiis mutari, institui, omitti vel destitui. Deinde cur tot sunt sacrificuli, qui solo aut pœne solo Sacerdotii Ordine instructi sunt? Cur pœne nulli, qui singula singulorum Ordinum munia, diversis locis & temporibus, legitimo interjecto temporis spatio, exercuerint?

EXCIP. REDING: *1. De Missa sacrificio supra actum. Sanè Clemens, Anacletus, Justinus, disertè, Diaconos assistere altari immediatè, pronuntiarunt. Intelligunt ergo, reliquos ordines mediatè assistere. Quod Dionysius Areopagita de Eccles. Hierarch. cap. 1. fusiùs explicat. 2. Absolutè necessarios esse ordines ad sacrificii confectionem, haud equidem asserimus. Ritus enim sunt sacrificii accidentarii, ad ejus religiosum ornatum, dignitatem, gravitatem & decentiam pertinentes. quos vel unus Sacerdos etiam exercere potest. Quod verò in Cathedralibus Ecclesiis per diversas personas exercetur, majoris celebritatis gratiâ fit. In Ecclesiæ autem, non cujusvis refractarii Spiritus arbitrio est, ritus illos mutare, instituere & destituere.* Ibid. pag. 188. 189. Resp. 1. De Missa nos quoque supra. Missam ergo hic faciamus. Neque enim aliud ea septem Ordines facere potest, quàm septem gradus spiritualis sacrilegii. Altari assistere immediatè, non est sacrificio propriè dicto conficiendo inservire, quia Clementis, Anacleti, Justini temporibus altarium externorum copia nulla fuit. uti supra convicimus. Adstiterunt ergo Diaconi Sacerdoti, ipsique altari, & res, quibus ad Sacramenta opus erat, ex ærario Ecclesiæ, cui præfecti illi erant, subministrando: & administrationi Sacramentorum, Ecclesia ad hoc etiam liberè eos deputante, operam commodando. Certè eosdem baptizasse, prædicasse, æquè ac altari inservivisse legimus; non tamen ut Diaconos, sed qua aut extra ordinem asciscebantur à Pastoribus in partem administrationis istius, sine auctoritate ordinaria: aut probabantur ad Presbyterii gradum evocandi, ex præstituto Apostoli 1. Tim. III. 13. Ergo tua pro relatione Diaconorum ad Sacrificium, argumentatio ἀσυλλόγιστος est. Sed putidam inprimis illa tua ab immediata ad mediatam, per ordines scilicet illos minutulos assistentium collectio est; Pseudo-Dionysii Areopagitæ, Seculi quinti Scriptore, authoritate fucata. Ubi ille in textu à te objecto Subdiaconi, ubi Acolûthi, ubi Exorcistæ, ubi Ostiarii vel minimam mentionem facit? Ubi Ordines ad solam Sacrificii confectionem χέσιν habere asserit? Meminit Ordinum Ecclesiasticorum. quales esse in ecclesia nemo sanus in dubium revocat. Sunt enim in Ecclesia Pastores, Doctores, Presbyteri: sunt Diaconi, Ecclesiæ necessitatibus inservientes. Cur sic nobis illudis, quasi talpæ essemus? 2. Siccine verò ritus *accidentarii* sacrificii, mutabiles etiam pro arbitrio Ecclesiæ *instituentis & destituentis* sunt Sacramenta? Et quomodo sic necessitas Sacramenti conficiendi Ordines hos, hoc est, ritus *accidentarios, mutabiles, ad ornatum decentiam & gravitatem cultus, non ad necessitatem, facientes* postulat? Categoricè, si potes, ad objectum argumentum meum responde. Vel unus, inquis, Sacerdos Ordines illos exercere potest. Imò propter ordinationem ad officia illa, quin & relationem Ordinum ad Sacrificii confectionem, deberet etiam. Nunc verò creatis exi-

mia pompa ac solennitate vestros Lectores, Ostiarios, Acoluthos, ad ea ministeria exequenda, quibus hi vel pueros, vel certè, quos vocant, laicos præficiunt. Quis enim cereos ut plurimum accendit, quis urceolo vinum & aquam infundit, nisi pueri, aut ex laicis sordidulus aliquis, qui ex ea re quæstum facit? Nonne iidem canunt? Nonne templorum januas claudunt & aperiunt? Quis enim in Templis vestris videt vel acoluthum, ceu ceroferarium, uti vocatis; vel ostiarium suis partibus fungentem? Quin potiùs qui puer acoluthi munere functus est, cùm in ordinem acoluthorum cooptatur, desinit esse id, quod dici incipit: ut videantur ex professo velle munus ipsum abjicere, cùm titulum assumunt. En cur Sacramentis consecrari, & Spiritum S. accipere necesse habeatis, nempe ut nihil agatis. Et annon sic Ecclesiam vestram anathemate plenam redditis; quandoquidem illa cereos & urceolos à pueris & profanis attrectari permittit, quibus tangendis nulli digni sunt, nisi in acoluthos consecrati: ostia à vilissimis claudi & reserari patitur, quibus claudendis & reserandis nisi Ordinati ostiarii pares non sunt? Sed de externa Ordinum functione quicquid fiat, stigmatizari saltem forte oportuit Sacrificulorum animam tot characteribus inustam, quot olim sigilla in solenni testamento requirebantur. Denique si in majoribus & cathedralibus Ecclesiis numerus ille septenarius totidem personarum *celebritatis* duntaxat *majoris* gratia requiritur, non igitur (repeto argumentum meum, quod ne tangere quidem audes) confectio sacrificii, sed celebritas & solennitas major numerum illum exigit. Quæ ad solam Εὐταξίαν & decentiam pertinent, ea possunt pro locorum, temporum & personarum circumstantiis mutari, institui vel destitui. Nec gravanda Ecclesia est tanto & tam multiplici personarum minùs necessariarum numero. Quod verò ad rei alicujus confectionem & essentiam necessarium est, illud omni loco & tempore requiritur.

OBIECT. IV. *Dissensio Theologorum & Canonistarum de Episcoporum & Presbyterorum, nec non Cantorum & Episcoporum diversis Ordinibus conciliari potest, si dicatur, Theologos Ordines considerare, ut se habent ad Sacrificium, atque ita Episcopum & Presbyterum, Lectorem & Cantorem non distingui: Canonistas contra Ordines considerare, ut ad Hierarchiam pertinent, atque ita Episcopum à Presbytero rectè distingui.* Resp. Bellarminiana illa conciliatio haud solida est, tum quia ita multò plures Ordines constitui deberent, cùm etiam Archiepiscopi, Metropolitani, Patriarchæ, ipse Pontifex ad Hierarchiam pertineant, eorúmque distincta sit Jurisdictio & potestas: tum quia Cantor seu Psalmista peculiarem in Hierarchia Ordinem haud obtinet: tum quia ratio dari non potest, cur ad commentitium eorum Sacrificium magis pertineat Ostiarius vel Exorcista, quàm qui infra ipsum sunt Ordines, cùm hi quicquid habent potestatis aut muneris, vel virtutis & efficaciæ ad sacrificii confectionem, illud omne ab Episcopo, à quo ordinantur, habeant.

Excip. Reding: 1. *Ubi Bellarminus Cantores in censu Hierarchici ordinis numerat? 2. Licet Episcopatus, Archiepiscopatus, Patriarchatus & Papatus sub ratione jurisdictionis Ecclesiasticæ inter se discrepant, sub ratione tamen Ordinis sacramentalis Episcopalis planè conveniunt. 3. Licet etiam reliquorum ordinum potestates ex Episcopatu dimanent, non ideo Episcopatus directè ad sacrificii confectionem reducitur, sed indirectè duntaxat, mediantibus Ordi-*

Ordinibus ex se producendis. Ibid. pag. 189. 190. Resp. 1. Nuspiam equidem id Bellarminus fecit. Neque ego (lege mea attento animo) id ei impegi. Sed dissensionem Canonistas inter & Theologos de Episcopis & Cantoribus, distincti ne sint ordines nec ne, conciliare annixus est. Sic enim (ne dubites amplius) ejus verba *de Cler. lib. 1. cap. 11.* habent: *Ad Canonistarum testimonia respondeo, illos facere novem ordines, quia distinguunt Episcopum à Presbytero, & Lectorem à Cantore: quod Theologi non faciunt. Sed in re non est dissensio. Theologi enim solùm considerant ordines, ut se habent ad sacrificium; quomodo (ut diximus) Episcopus & Presbyter, Lector & Cantor non distinguuntur. Canonistæ autem considerant ordines, ut Hierarchiam constituunt, & iccirco rectè distinguunt Episcopum à presbytero.* 2. Archiepiscopi, Metropolitani, Patriarchæ & Pontifex ipse summus, ad Hierarchiam vestram pertinentes, diversi utique & distincti gradus Ministrorum Hierarchiæ sunt; diversa & distincta potestas & jurisdictio est, quam alii habent exercentque in alios; Archiepiscopi in Episcopos, Metropolitæ in Archiepiscopos, Patriarchæ in Metropolitanos; Papa in omnes. Quin & infra Episcopos & & supra simplices Presbyteros Archidiaconi, Decani, officiales & Theologales concessione Episcopi, & tanquam ejus Administri magnam & singularem singuli in Ecclesiæ Hierarchia potestatem habent. Sic profectò ordines multiplicari plurimùm oportet, saltem respectu ad Hierarchiam habito. Distincta enim officia, potestas, jurisdictio distinctos ordines requirunt. Præterea qui magis discriminetur Psalmista à Lectore quoad Hierarchiam, quàm quoad sacrificium, Bellarminus conciliator explicare debuerat. 3. Quomodo Episcopi & Cantoris ordo *indirectè*; acoluthi, Ostiarii, Exorcistæ ordines *directè* ad sacrificium tendant, non verbis tantùm asserere, sed reapse, relationis ad sacrificium diversitate demonstrata, exponendum fuerat. An enim Episcopus non magis directè facit & confert ad sacrificium, quàm reliqui omnes infra ipsum ordines, cùm illi omnes quicquid muneris, virtutis & efficaciæ, ad sacrificii confectionem habent, illud totum ab Episcopo, à quo ordinantur, habeant? An fores Ecclesiæ aperire & claudere, vel pavimentum ejus scopare & purgare, vel campanas pulsare, quod munus ostiarii est, majus aliquid directè facit ad confectionem sacrificii, quàm psalmos & hymnos canere, quod psalmistæ est? Quasi verò Psalmi & hymni decantatio non æquè Liturgiæ sacræ pars sit, ac Epistolæ vel Evangelii lectio, ac proinde non tantum directè ad sacrificium conferat, atque ista; si modò alterutra ad sacrificium aliquid confert. Aut quasi Psalmistæ munus non tam possit esse necessarium in Liturgia sacra, quàm Lectoris, cùm qui Lector, est non possit sæpe hymnos decantare, Psalmista verò utrumque nullo negotio possit. Perperam ergo & absurdè Bellarminus discordiam illam Theologorum & Canonistarum componere conatus est.



QUÆ-

QUÆSTIO III.

An Sacra ordinatio conferat ordinatis ex opere operato tum gratiam Spiritus S. gratum facientem, tum spiritualem potestatem perpetuam, characteris impressi beneficio?

ASserit Canon IV. in quo ἀπὸ κοινῦ repeti debet, quod suprà definitum est, Sacramenta gratiam conferre ex opere operato. Agnoscimus nos, sacram ordinationem in legitimo usu conferre gratiam tum muneris & Ecclesiasticæ potestatis, tum donorum & charismatum Spiritus S. virtute precum Ecclesiæ & Presbyterij, ac devotionis ordinandi. Negamus autem, dari Spiritum ex opere operato. Negamus dari gratiam gratum facientem, justitiam & sanctitatem, nisi per accidens, puta fidei ac devotionis, & precum ordinandi. Negamus imprimi characterem, cujus beneficio acquiratur potestas spiritualis perpetua & nullo casu mutabilis. Rationes nobis sunt.

ARG. I. Gratia gratum faciens in orthodoxo sensu est justitia Christi, per fidem nostra, & causa inhærentis sanctitatis. Talis autem gratiæ in ordinatione conferendæ nullibi promissio extat.

RESP. REDINGO: *In ordinatione confertur Spiritus S. Joh. XX. 22. Is verò datur, quando charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, Rom.* (non III. sed) V. 5. *Ordinatio porro illa cùm connexa sit cum perpetuo Ecclesiæ statu, sequitur etiam Apostolorum successoribus competere potestatem dandi Spiritum mediante charitate eorum, qui ordinantur, cordibus infundendum. Atque sic vi ordinationis ita applicatur justitia Christi, causa inhærentis sanctitatis, ut ex hujus Christi justitiæ opere operato, per illam gratia gratum faciens conferatur.* Tomo IV. Tract. X. §. 2. pag. 190. Resp. Frivola responsio tua est, ab indeterminato, quod ajunt, ad determinatum procedens. Spiritus S. in ordinatione datur. Ergo datur, quando charitas Dei in cordibus nostris diffunditur. Egregiè scilicet! Annon enim etiam impio Sauli, imò illis, qui prolapsi ad pœnitentiam renovari nequeunt, Spiritus S. à Deo datus est, Hebr. VI. 4. &c? An verò tum charitas Dei in cordibus illorum diffundebatur? Credo sic diffusam esse, sicut in ordinatis vestris plerisque diffunditur. Imponis ergo, loca diversi argumenti comparando. Neque enim Rom. V. 5, de ordinatione, vel de gratia per ordinationem collata, sed de justificatorum virtutibus, & causa earundem, Spiritu S. in cordibus credentium diffuso, agitur. Quin etiam verba Apostoli crassè pervertis. Non enim ille Spiritum S. mediante charitate in cordibus nostris dif-

fundi, (quasi charitas dationis & diffusionis Spiritus S. medium sit) sed per Spiritum S. nobis datum charitatem Dei diffundi dixit. Quæ longè diversissima sunt.

ARG. II. Gratia gratum faciens est propria prædestinatorum. At gratia per ordinationem collata competit etiam hypocritis, qui Christum per contentionem, prætextu, non veritate prædicant, Phil.I.15.18. Multi arcam Noë dextrè ædificant, quam ipsi tamen ingredientur nunquam.

RESP. REDING: *Quotquot ordinantur, baptizati priùs sint oportet. Baptizati autem ingrediuntur arcam mysticam Noæ per gratiam gratum facientem. An ergo omnes hi prædestinati sunt, & consequenter hypocritæ fieri, gratiam amittere nequeunt? Prædicantes ergo vestri hypocritæ ne quidem baptizati erunt; & nulla Baptismi apud nonprædestinatos efficacia erit.* Ibid pag. 190.191. Resp. Si baptizatis omnibus gratia gratum faciens confertur, collata igitur etiam Simoni Mago, baptizato utique (Act. VIII. 13.) fuerit. Si sic sacrificulis baptizatis & ordinatis confertur, habeant illam sibi. Non erit illis κλῆρος *sors* in verbo gratiæ; neque proin arcam Noæ ingredientur unquam. Licet enim signo gratiæ mactentur, hactenus efficace, ut ab hominibus consilii Divini ignaris in populo Dei censeantur (in quo tamen haud aliter sunt quàm lumbrici, anthrax in humano corpore) rei tamen signatæ, gratiæ gratum facientis, participes nunquam redduntur.

ARG. III. Gratia per Sacramentum collata est illa, quæ analogicè significatur per symbolum Sacramentale. Atqui in ordinibus symbolum Sacramentale non significat gratiam gratum facientem, sed tantùm potestatem muneris. Vellem enim cognoscere, quæ sit cum gratia gratum faciente similitudo in symbolis ordinum, qualia sunt porrectio instrumentorum, clavis, libri vel Evangelij vel Exorcismorum, candelabri, cerei, urceolorum, calicis, patinæ? Numquid hæc aliud significant quàm potestatem exercendi muneris?

RESP. REDING: *Potestas exercendi muneris non caret viribus gratiæ supernaturalibus. Atqui omnis supernaturalis vis ad virtuosè operandum, Divinitus quasi immissa, ex se habet proportionem ad gratiam sanctificantem. Eo ipso autem quòd Sacramentalia Ordinum symbola ex institutione Christi, in se ipsa Divinæ veritatis efficaciam continente, significant muneris per ea collati non materialiter duntaxat, sed sub religiosa ad Divinum cultum ordinabilitate, exercendi potestatem, gratiæ viribus consistentem; atque hæ gratiæ vires in sanctificante gratia radicantur; manifestum redditur, symbolis illis analogicam similitudinem: non ex natura rei, sed institutionis Divinæ efficacia subsistentem inesse.* Ibid. pag. 191. Resp. Turpissimè & merè sophisticè gratiam generalem quamvis, & specialem sanctificantem confundis. Ad exercitium muneris ordinatione collati illa necessaria est, quia sine Numine ejúsque gratia nil est in homine. Sine hac tamen validè exerceri posse, Christus Matth. VII. 22. & S. Paulus Phil. I. 15.16. docent. Neque quævis supernaturalis vis ad gratiam sanctificantem ex se proportionem habet, quia hujus collatio non ab ulla operis humani etiam gratiæ viribus præstiti proportione, sed à sola

liberrima

liberrima Dei voluntate pendet. Sed de hoc quicquid sit, non sic analogicam similitudinem ullam symbolorum & gratiæ gratum facientis demonstras; atque insuper Divinæ institutionis efficaciam neutiquam probatam temere supponis. Pertendo enim, symbola illa non gratiam gratum facientem, sed solam potestatem muneris significare, adeóque in legitimo usu non aliud obsignare vel conferre posse. In omnibus enim propriè dictis Sacramentis symbola cum re significata similitudinem habent. absque qua, Augustini judicio, ne quidem Sacramenta forent. Ostende ergo hic symbolorum & gratiæ gratum facientis analogiam. Nam, exempli gratia, clavis gratia quamnam spiritualem gratiam gratum facientem significat? Imò non significat, sed est instrumentum ejus muneris, quod confertur. quod ipsa forma docet: *Sic agite, tanquam Deo rationem redituri de rebus, quæ clavibus istis recluduntur.* Lectori traditur liber: *Accipe, & esto verbi Dei revelator.* Sic in cæteris omnibus. Audin' non signa gratiæ Divinæ, sed instrumenta functionum. Unde Contarenus: *Materia sunt instrumenta, quibus utuntur in eo ordine existentes.* Et est ea quidem ratio quædam significandi; non naturalis, sed ex institutione humana. Sicut olim apud Judæos traditio calceamenti signum erat translati juris cognationis; & clavium traditio authoritatem in universam civitatem significat. Quæ significationis ratio etsi aliquantum ad signa Sacramentalia, quæ etiam *σφραγίδων sigillorum*, & *arrhabonum* locum tenent, accedit, tamen nec naturalis est, nec à Christo instituta, nedum ut gratiam gratum facientem significet.

ARG. IV. Finis ordinationis est aliorum ædificatio Eph. IV. non propria justificatio. Unde illa vox Durandi, *Ordinem non esse medicamentum suscipientis, sed communitatis.*

Resp. Reding: *Atqui ille in aliorum ædificatione constitutus finis ab ordinato absque gratiæ viribus in fontem sanctificantis gratiæ reducendis obtineri nequit. Hac justificans gratia, ceu virium supernaturalium radix, Ordinatione confertur, non ut in subjecti sui perfectione quiescat, sed ut ordinatum perficiat in ordine ad aliorum ædificationem.* Ibid. pag. 191. Resp. De ordinatione & ordinibus disputans planè *ἀνυποτάκτως inordinatè* procedis. De gratiæ cujusvis viribus non quæritur, sed de gratiæ gratum facientis. Cujusvis autem gratiæ vires in hac radicari cùm asseris, deliranti quàm disputanti similior es. Dic enim, si potes, in qua gratia gratum faciente vel sanctificante radicatæ fuerint vires illius gratiæ, qua freti Cajaphas Pontifex, Judas Apostolus munere, ad quod ordinatus uterque erat, functi sunt; & qua mactati dicere poterunt Domino: *Domine, Domine, nonne in nomine Tuo prophetavimus, & in nomine Tuo dæmonia ejecimus, & in nomine Tuo virtutes multas patravimus;* quibus vicissim ipse profitebitur: *Non novi vos,* Matth. VII. 22. 23? Insuper, qua in gratia sanctificante radicentur gratiæ vires, quibus instructi sacrificuli, qui inter vos sunt, impuri & apertè etiam impii, collatorum sibi Ordinum munia exequuntur? Sed conferri vis gratiam illam justificantem, non ut in subjecti sui perfectione quiescat, sed ut ordinatum ad alios ædificandos perficiat. Quid hæc sibi volunt, *non ut quiescat*? Clarè loquere, ut fraudem videamus. An ut conferatur ordinato, sed ab eodem recedere possit? Quomodo verò, si recesserit, munus suum, quod sine gratia gratum faciente obiri posse negas, deinceps ordinati exequentur? An ut semel collata quiescat, hoc est, remaneat; non in solo ordinato perficiendo, sed in perficiendis etiam aliis, qui ædificandi sunt? Remanebit ergo sic gratia justificans in or-

dinatis quibusvis usque ad finem; neque quisquam eorum damnari poterit, quia *quos justificavit* Deus, *hos etiam glorificavit*, Rom. VIII. 29. O beatos ter quaterque sacrificulos, imò etiam ostiarios, lectores, ceriferarios, quorum nemo sic damnari poterit! In tantæ rei possessionem tonsura & unctio immittit. Sed ut argumenti mei, leviter à te tacti, vim adstringam magis, memineris velim, te unitatis ordinum rationem supra petiisse ab uno fine, qui est unire fideles Christo mediante sacrificio, ad quod omnes Ordines illi tendant. Ordo tibi erat unum Sacramentum, etiam distributum in septem, quia hæc singula naturam sui totius participant. Si ergo propter finem unum sunt, necesse est hunc finem esse naturam Ordinis. Unire proin fideles per sacrificii administrationem, Sacramenti Ordinis effectus erit. At hic effectus non exoritur in ipsum ordinatum; sed ab eo ordinato in omnes fideles. Quid manifestius?

ARG. V. Character neque imprimitur per Sacramenta, neque si imprimeretur, signum esse posset perpetuæ potestatis spiritualis. Omne enim signum aliquid notificat cognoscenti. At character neque Deo notificat perpetuam potestatem spiritualem, neque hominibus. Non Deo, qui signis non indiget, sed intuetur. Non hominibus, quia character est invisibilis, proinde eis nihil significare potest.

RESP. REDING: *Annon ipse filius Dei est figura substantiæ Patris, sic resplendens in Divinitate, ut hujus plenam Divinitatem Patri eam intuenti formaliter notificet, Hebr. I. 1. Sic Deus impressi characteris substantiam ita intuetur, ut eam cognoscendo potestatem spiritualem intelligat.* Ibid. pag. 191-193. Resp. Parum à blasphemia isthæc comparatio abest. Quid fictitius character vester cum Christo, charactere (non *figura*, uti tu vocas. amplius enim quid character quàm figura hic significat) subsistentiæ Patris commune habet? Non satis vobis erat Christo Sacerdoti unico subrogare vicarios Sacerdotes propriè dictos, ut Sacerdotii ejus vim enervaretis. Etiam Christo characteri subsistentiæ Patris characterem sacrificulorum, Sacerdotum subrogandum putastis. Quò facit generalis tua de Sacramentali charactere determinatio quodlibetica, quòd *is habeat rationem signi naturalis per ipsammet intrinsecam quidditatem & naturam suam importantis quandam* (NB) *participationem & configurationem Sacerdotii Christi.* quam ingenii tui subtilem speculationem fusè nobis repræsentandam duxisti, ne blasphemæ illius comparationis & dogmatis vestri, quo Sacerdotes vestros Christo summo Sacerdoti tum in charactere subsistentiæ ejus, tum in Sacerdotio ipso configuratis, adeóque novos Christos facitis; (ut jam non in solum Franciscum, sed in quosvis ex ima fœce sacrificulos eæ conformitates cadant) nescii essemus. Pudet talia memorare. Sed responde, insto ego, ad argumentum meum, & doce, Deum, cujus scientia intuitiva est, signis institutis ad cognoscendam spiritualem potestatem indigere. Filius enim character Patris non est signum institutum; neque ideo à Deo Patre genitus est, ut suam in eo, ceu signo vel imagine quadam Divinitatem cognosceret. Sed vocatur χαρακτὴρ ὑποστάσεως πατρὸς *character subsistentiæ Patris*, propter originem à Patre & identitatem naturæ; quia videlicet est ex Patre, & sic cum Patre, & in Patre, & Pater in ipso; & habet, quæ habet Pater, & est id, ratione essentiæ, quod Pater est. Nam *nomen* Dei Patris *in ipso* est, Exod. XXIII. 21.

ARG. VI. Perpetuitas spirtualis muneris repugnat Ecclesiæ veteris Canonibus,

nonibus, in quibus nihil frequentius circa delicta Ministrorum Ecclesiæ, quàm eorum suspensio, καθαίρεσις sive depositio, & exauctoratio, & ad communionem laicam relegatio.

Resp. Reding: *Sicut in Baptismo, ita in Ordine distinguenda est potestas ejus ab usu. Sicut ergo baptizatus excludi potest per excommunicationem ab usu juris sui, quod per Baptismum accepit, manente jure & potestate ipsa: sic Ordinatus per depositionem & degradationem. Hoc solum canones veteres intendunt.* Ibid. pag. 193. 194. Resp. Quid ergo si baptizatus excommunicatus præfractè semper se gerat, neque pœnitentia ductus scelerum cum Ecclesia reconcilietur unquam, vel reconciliari etiam optet? An ei salvum & illibatum manebit jus communionis externæ Ecclesiasticæ, Baptismo collatum? Non puto equidem. Manebit enim sic ad finem usque vitæ gentilis & Publicanus. Atqui gentilis & publicanus ad Ecclesiasticam communionem jus & potestatem nullam habet. Pari ergo ratione etiam baptizatus excommunicatus, ita se, ut dixi gerens; qui pro non baptizato habetur, & jus baptismo collatum omne perdidit. Id verò multò magis in ordinatione obtinet, quæ fit ad actualem functionem muneris. Ubi ergo usus perpetuus cessat, uti in degradatione cessat, ibi munus & potestas omnis cessat pariter. Ideo Canonistæ vestri duplicem Clericorum depositionem, realem & verbalem distinguunt. Illa propriè *degradatio* dicitur, cujus forma describitur *c. Degradatio de Pœnis in 6.* Hæc fit per sententiam Episcopi *Cap. 2. Cod. in 6. junct. cap. 3. cum seq. 15. q. 7.* Utriusque causas recenset Canisius *lib. 3. Summ. juris Can. cap. 22. §. actualis & §. verbalis*, ubi utramque inter hanc differentiam statuit, quòd *per depositionem removetur tantùm clerus ab honoribus & dignitate clericali, salvo manente privilegio & ordine; sed in degradatione omnia amittit.* Si *omnia* amittit, non igitur solum muneris seu ordinis usum; sed munus, ordinem & privilegium ipsum. Quod ipsæ etiam degradationis ceremoniæ ostendunt; quæ contrariæ sunt iis, quibus degradandi in ordinem allecti fuerunt. Nam vestibus exuti, calice, libro, aliisque instrumentis in ordinatione traditis magna cum solennitate per Episcopos duodecim, si Episcopus; per sex Presbyteros, si Presbyter, per tres Diaconos, si Diaconus, degradandi fuerint, assistentes spoliantur. Annon sic solenniter ordinem eique connexum, si quis est, characterem amittunt? Denique si potestas & munus ipsum amitti nequit, impii ergo Sacerdotes vestri etiam in inferno Sacerdotes erunt, quia munus & potestas Sacerdotem facit. Sed sunto. Non ideo urentur clementiùs.

Arg. VII. Eidem perpetuæ potestati repugnat Adversariorum praxis, qua agunt in sacrum ordinem per censuras, irregularitates, suspensiones, excommunicationes, interdicta, degradationes. Has inefficaces esse oportet, siquidem verum est, perpetuam esse potestatem spiritualem, & ordinatum ad laicos redire non posse. Videatur hac de re M. Anthonius de Dominis *de Rep. Eccl. lib. 11. cap. 4.* ubi fusè admodum, allegato Patrum consensu, probat, ordinem iterabilem & amissibilem esse, neque semper effectum suum sortiri, & Simoniacos nihil accipere, hæreticos verò nihil conferre. Quin & Bellarminus *lib. de Sacram. in genere cap. 26.* disertè asserit,

rit, authoritatem conferendi Sacramenti non esse gratiam gratum facientem, sed gratis datam, proinde non ita pugnare cum improbitate vitæ, ut simul cum ea esse non possit. Idque probat exemplo Cajaphæ, qui prophetavit, cùm tamen esset pessimus, nec non illorum, qui Matth. VII. dicebant: *Nonne in nomine tuo prophetavimus, &c.*

RESP. REDING: 1. *Hæreticos Sacramentum administrantes nihil conferre, falsum esse, supra ex Augustino convicimus. Et per censuras ecclesiasticas ordinatos à solo muneris usu arceri, jam modò ostendimus. Imò etiam excommunicati quò minùs validè munus suum peragerent, impedire nemo posset. 2. Si character non consideretur ex sua præcisè natura, ut sic ad Sacramentorum validam administrationem sufficiente, sed prout signi ad eam spiritualem potestatem conferendi Divinitus instituti efficaciæ subest, tunc, nisi ponatur obex, virtute Ordinis Sacramentalis, etiam gratia sanctificans ad characterem illum se concomitanter habet. Noluit enim Christus signum Ecclesiasticæ potestatis collativum esse sterile.* Ibid. pag. 194. Resp. 1. Nos alia omnia & convicimus & ostendimus. Sed & tu, parum mendaciorum memor, cœpta retexis. Ajebas enim, depositos excidere usu muneris, sed non munere ipso. Nunc etiam munus ipsum validè peragere, neque in eo à quoquam impediri posse, pertendis. Quid *valida muneris peractio* aliud est, quàm usus muneris? Adeò adamantini sunt Sacerdotes vestri, ut vi nulla frangi valeant. 2. Effectus Sacramenti non *concomitanter* sed à causa sua *dependenter* se habeat oportet. Alias gratiam gratum facientem ad ordinationem concomitanter se habere posse, nulli negamus. Dependere igitur ab ordinatione, uti illa Sacramentum censetur, sanctificantem gratiam, probare, & objecta contraria exempla diluere debuisti. Noluit sanè Christus ordinationem sterilem esse. Sed neque cogi se patitur ad sacrificulos ea gratia fœcundandos, quam iis non debet; quam proin plerisque omnibus, saltem ordinatione mediante, nullam dat.

ARG. VIII. Tandem quæ gratia spiritualis, quisve character necessarius est ad ordinum inferiorum exercitium, puta actus illos corporales, quales sunt legere, accendere candelas, pulsare nolas, &c?

RESP. REDING: *Si religiosè loqui velimus, etiam inferiorum Ordinum exercitia non materialiter, sed formaliter, quatenus ad Divinum cultum ordinantur, spectata, gratiam requirunt.* Ibid. pag. 194. Resp. Si gratiam gratum facientem intelligis, nec Papisticè, nec Christianè *religiosè* loqueris, sed ineptissimus ineptissimè cornicaris. Si qualemcunque, nihil ad rem loqueris. Ministeria certè illa *materialiter* spectata etiam naturæ viribus obiri possunt: *formaliter*, juxta formam à vobis iis inditam, res nihili sunt.

OBJECTIONES TRIDENTINORUM.

OBJECT. I. *Deus Apostolis à se ordinatis contulit Spiritum S. Dixit enim ad eos Joh. XX. 22. Accipite Spiritum S. Ergo hodiéque cum potestate muneris confert etiam gratiam justificantem.* Resp. 1. Non tantùm gratia justificans, sed etiam gratis data seu potestas muneris est Spiritus S. donum. Proinde argumentatio hæc Concilii procedit à particulari. 2. Spiritus S. à Christo Apostolis

lis communicatus præstitit tum potestatem muneris, nimirum remittendi peccata vel retinendi, uti v. 23. sequens innuit, tum extraordinaria charismata, quæ ad exequendum munus ipsorum necessaria fuerunt. Quàm verò gratiam extraordinariæ vocationi concessit, eam Ordinariæ nuspiam promisit. Ita enim Deus extra ordinem aptos facit vocando. Sed ex ordine non alij, quàm qui apti sunt, vocari debent. Ipse Bellarminus *de Sacram in genere Cap.26.* docet, hoc loco per Spiritum S. intelligi potestatem remittendi peccata, quæ possit esse sine gratia gratum faciente. 3. Omnino igitur frustra hodie Episcopi dicunt: *Accipe Spiritum Sanctum.* Non enim sicut à Christo Spiritus S. processit, ita ab Episcopo etiam procedit. Orandus potiùs Deus, ut ordinato ab hominibus Spiritum S. gratiosè conferat.

Excip: Reding: 1. *Per gratias gratis datas cum statu gratiæ sanctificantis haud connexas, Spiritus S mittitur non simpliciter, sed tantùm secundum quid; quia per illa Spiritus S. non habitat in nobis, nisi quatenus cum charitate & gratia sanctificante illa conjuncta sunt. Personæ autem Divinæ dantur per sui missionem simpliciter dictam. Ita Spiritus S. mittitur, quando per ipsum charitas in corda nostra diffunditur, atque sic templum Spiritus S. reddimur. Cùm ergo Christus Apostolos afflando, iis Spiritum S. dederit, simpliciter utique illum misit, adeòque non sine infusa sanctificante gratia. Quod autem Apostolis datum est, eorum successoribus datum pariter est. 2. Licet non æquè ab Episcopo, atque à Christo Spiritus S. procedat, id tamen quod faciunt Episcopi, ex institutionis Divinæ efficacia faciunt, operando non ex propria, sed aliena virtute Christi. 3. Præsumptuosa illa Spiritus Calvinistici vox est, quòd Ministri hodie ordinati ita supponuntur apti, ut viribus gratiæ in forma sanctificante connaturaliter radicatis non indigeant, atque adeò necesse sit ampliùs iis Spiritum S. gratiæ & charitatis largitorem dari.* Ibid pag. 194--197. Resp. 1. Haud equidem opus erat, ut de missione Divinarum personarum, & in specie Spiritus S. multa balbutires, nec ad rem facientia, & notissima omnibus Hoc tibi probandum incumbebat, Spiritum S. quum is ut arrhabo habitat in cordibus nostris, & eadem sanctificat purificátque, & in ordinatione quavis, & vi ceremoniæ ordinationis dari; atque sic simpliciter mitti, adeóque etiam ut arrhabonem, paracletum, sanctificatorem. Quid enim si jam ante Ordinationem missus sic habitet in corde ordinandorum? An sic nova missione in ordinatione dabitur? Et an sic simpliciter missus habitavit in corde Cajaphæ Pontificis, Judæ Apostoli; habitátque etiamnum in cordibus impurorum & profanorum Sacerdotum? Neque enim eodem modo Christus ordinandos omnes afflat, quo afflavit Apostolos: & Apostoli afflati jam ante Spiritum S. habuerunt in cordibus suis hospitantem. Non ergo vi ordinationis sic simpliciter illis missus & datus est; sed datus est, ut *ἱκανοὺς aptos redditurus* ad Apostolici muneris functionem. Atque sic etiam datur quandoque ordinatis non vi ceremoniæ, (nequit enim à quoquam nisi à Christo, qui ceremoniæ, humanæ inprimis, se non alligavit, Spiritus S. inhalari, inspirari) sed precum ordinati & Ecclesiæ, quibus liberimè vel in ordinatione vel post illam concedit. 2. Qui legitimè ordinant, per preces suas & Ecclesiæ collationi Spiritus S. Divinæ inservire possunt: per ceremoniam verò, inprimis

à

à Christo non institutam Spiritum S. nullo modo, nec propria, nec aliena virtute; nec ut causæ principes, nec ut instrumenta conferre possunt; tum quia ceremonia ordinationis Spiritus S. conferendi promissionem nullam habet: tum quia Spiritus S. à nullo homine, quacunque is virtute operetur, procedere vel mitti potest. Sicut à solo Patre & Filio procedit: ita ab eo solo, & quidem immediatè, liberè, mittitur, donatur & confertur. Unde *Spiritus Filii* (non ullius hominis) Rom. VIII. 9. Gal. IV. 6. Phil. I. 19. nuncupatur. Et ventus, *quò vult, spirat. Et vocem ejus audis, sed nescis, unde veniat, & quò pergat. Sic est omnis ex Spiritu genitus.* Joh. III. 8. Liberior ergo Spiritus S. est, quàm ut ceremoniæ, nedum humanæ, & mandato sacrificuli dicentis: *Accipe Spiritum S.* (perinde ac si fœtido hominis halitu æquè ac Christi afflatu Spiritus S. dari posset) alligari, & ex opere ejus operato donari velit. Quin parum hoc vel nihil ab *ἐπῳδῇ* distat. 3. Ministros nonnisi jam aptos ordinari debere, S. Paulus 1. Tim. III. 1. 2. &c. docet, & de Diaconis nominatim v. 10. *Δοκιμαζέσθωσαν πρῶτον, εἶτα διακονείτωσαν. Prius explorentur, deinde ministrent, irreprehensibiles* comperti. Et cap. V, 22. *Ne citò cuiquam manum imposueris* (non explorato, non jam apto ad obeundum ministerium) *neque cum alienis peccatis communicaveris.* Christus contra Apostolos non jam aptos ordinavit, sed aptandos demum. Annon ergo ordinationis Christi & Ecclesiasticæ manifestum discrimen est, quo figmentum collationis gratiæ vestrum prorsus eliditur? Sed *præsumptuosa*, inquis, *Spiritus Calvinistici vox est, quòd Ministri ita supponantur apti, ut viribus gratiæ in forma sanctificante radicatis non ampliùs indigeant, neque ampliùs necessum sit iis Spiritum gratiæ largitorem dari.* Non quasvis gratiæ vires in sanctificante radicari, supra ostendi. Merum hoc Spiritus Papolatrici commentum est, quo Cajaphas, Judas & omnes mali operarii sanctificantis gratiæ compotes putari possent. Neque nullius gratiæ Divinæ indigere illos, qui jam apti ordinantur, dixi. Papolatrici Spiritus & hoc commentum est. Ordinariè *aptos vocari* dixi. An id in dubium vocare ausis? Atqui ordinationis vestræ ritus id ipsum docet, in qua Episcopus ex Pædagogo ordinandos sistente, de iisdem ordinandis sciscitari solet: *Suntne justi? Sunt ne docti? Sunt ne casti?* &c. Annon ergo sic ordinandi jam apti supponuntur? Neque sic apti & ordinati nulla ampliùs gratia indigent. Indigent enim & gratia sanctificante, & charismatis, & charismatum incrementis continuò. Ideo non ceremoniæ opere operato, sed ordinandi & Ecclesiæ precibus inter ordinandum & post ordinationem continuò fusis, siquidem ex fide proficiscuntur, ante omnia dotes illæ, quæ ad muneris functiones ritè & cum fructu obeundas necessariæ sunt, haud dubiè augentur, & quæ adhuc desunt, non tamen sine industria procedente ordinati, supplentur, juxta promissionem Christi, Matth. VII. 7. Illæ autem sunt scientia mysteriorum religionis Christianæ; vis eloquii, per quam ea explicare valeant, ad ædificationem Ecclesiæ; *δεινότης* quædam, idoneos reddens ad convincendos adversarios; prudentia, cujus ductu Ecclesia gubernatur; firmitudo atque alacritas ad subeundam periculorum omnium, quibus commune Christianorum bonum procurari possit, aleam; aliáque ejusmodi, quibus Minister Evangelii, ceu homo Dei, ad omne opus bonum paratus & sufficienter instructus redditur. Ad fidem verò & sanctimoniam morum quod attinet, supponuntur & illæ jam ordinando adesse. Nam ordinandi sunt, & jam fidem Christianam professi & *ἀνεπίληπτοι*, & *ἀνέγκλητοι* *irreprehensibiles*, bonum testimonium habentes etiam ab illis, qui extra sunt, 1. Tim. III. 2. 7. 10. Quòd si Ecclesia precibus & jejuniis à Deo experat, ut iis virtutibus servum suum magis atque magis augere & ornare velit, in eo non tam habetur

ratio

ratio personæ,quàm muneris,cujus exercitium non potest Ecclesiæ esse usque quaque utile,nisi superiores illæ dotes hisce tanquam fundamento suo nitantur.

OBIECT. II. *Paulus 2.Tim.I.6. jubet Timotheum resuscitare gratiam Dei,quæ in ipso erat per impositionem manuum. Et subjicit v.7. Deum Spiritum nobis dedisse non timoris,sed virtutis,charitatis & sobrietatis. Et 1.Timoth.IV.14. hortatur eundem,ne negligat gratiam,quæ ipsi per prophetiam data erat cum impositione manuum Presbyterii. Ergo ordinatis confertur gratia,ac Spiritus S. & quidem Spiritus virtutis,charitatis & sobrietatis.* Resp. 1. *Χάρισμα* seu donum Spiritus S. Timotheo concessum per impositionem manuum,propriè non est donum fidei vel gratiæ justificantis,sed extraordinariorum charismatum. Ita Apostoli credentibus manum imponebant,qui accipiebant Spiritum S. & linguis loquebantur,Act.VIII.15.16.17. Confer Act.IX.17.X.44.46. XI.15.XIX.6. 1.Cor.XII.9.10. Similia dona hodiéque conferuntur. Sed non dantur subitò,extra ordinem & per manuum impositionem,verùm accedente studio impetrantur. 2. Fatemur interim,in Timotheo cum hoc charismate per manuum impositionem collato conjunctam fuisse gratiam justificantem,adeóque etiam Spiritum virtutis,charitatis & sobrietatis,quod sequens versus indicat. At in omnibus,qui ordinantur,& vi ipsius ordinationis, tanquam Sacramentalis Symboli,hæc conjuncta esse,negamus.

EXCIP. REDING: 1. *S. Paulus 2.Tim.I.6. jubens Timotheum resuscitare gratiam,quæ in ipso erat per impositionem manuum,mox v.7. rationem subjicit his verbis:* Non enim (*en causalem ad præcedentem versum collatam*) dedit nobis Deus Spiritum timoris,sed virtutis, dilectionis & sobrietatis. *Ergo impositio manuum causa fuit virtutis,dilectionis & sobrietatis. Fuit autem illa à S. Paulo descripta ordinatio instituta à Christo pro perpetuo Ecclesiæ statu. 2. Eadem ratio erat impositionis manuum,ad sacramentum confirmationis pertinens, quæ Act.VIII.15.16. & XIX. 6. describitur. Ibi enim simpliciter datus dicitur Spiritus S. adeóque etiam quà sanctificans.* Ibid. pag.197. Resp. 1. Quicquid moliare,nunquam efficies,ut credi possit,*χάρισμα charisma* illud Dei,quod Timotheus per impositionem manuum accepit,quodque *ἀναζωπυρεῖν exsufflare*,exsuscitare, inflammare,vividum,actuosum reddere jubetur, esse vestrum illud Sacramentum Ordinis,& opus operatum,per quod Spiritus S & Christi corpus faciendi & offerendi,atque etiam in Ecclesiam dominandi potestas detur. Non enim tale charisma Timotheo datum, non à Timotheo optatum est. Chrysostomus,Theodoretus,Theophylactus illud interpretantur *διδασκαλίαν doctrinam:* alii *τὴν προφητείαν* prophetiam: alii docendi authoritatem, quibus Salmero & Justinianus astipulantur. Nulla harum ea gratia est,per quam Timotheus justificatus,sanctificatus fuit. Quis dubitet? Nam eadem gratia illum justificavit & sanctificavit,quæ reliquos fideles. At reliqui fideles non sunt justificati,sanctificati per doctrinam,prophetiam, authoritatem docendi. Non enim omnibus datum est esse doctoribus. Tum autem Timotheus justificatus,sanctificatus erat, adeóque Spiritum Dei justificantem, sanctificantem accepit,priusquam ei à S.Paulo manus impositæ sunt. Imò impositæ sunt,quia fidelis, sanctus,à pueritia sua S. Literas,potentes ipsum sapientem reddere ad salutem per fidem

in Jesu Christo, edoctus, atque talis compertus est. Præterea disparatur plerumque χάρισμα, quod gratiam gratis datam sonat, à gratia gratum faciente. Denique impositio illa manuum, per quam *charisma* Timotheus accepit, congruit cum illa Act. XIII. 3. ubi S. Paulo & Barnabæ, postquam eos Spiritus S. jussit segregari ad opus suum, ad quod eos vocaverat, ab iis, qui Antiochiæ erant, ipsorum collegis manus impositæ sunt. Num verò illi tum primùm Sacramentum Ordinis, vel Spiritum justificantem acceperunt? Quis Paulo & Barnabæ antea manus imposuit? Et tamen illi, S. Paulus inprimis, non alibi solùm, sed Antiochiæ quoque, docuerunt, & Ecclesiam gubernarunt. Nam Ananias quidem (Act. IX. 16.) S. Paulo ipsi manus im posuit, missus à Deo, ut visum reciperet, & spiritu S. impleretur. Sed non legimus, quòd vel in Apostolum, vel in Episcopum, vel in Sacerdotem ipsum ordinaverit. Sed jubet S. Paulus Timotheum, ut argumenti tui jugulo manum propiùs admoveam, (v. 6.) exsuscitare donum, per impositionem manuum ejus ipsi collatum, addita ratione (v. 7.) quia Deus *non dedit nobis*, inquit, πνεῦμα δειλίας, ἀλλὰ δυνάμεως, καὶ ἀγάπης, καὶ σωφρονισμοῦ, *Spiritum meticulositatis, sed potentiæ, & dilectionis & disciplinæ.* Observa, ἡμῖν *Nobis*, nempe, S. Paulo, Timotheo & omnibus fidelibus. An quod his datum est, & datur quotidie promiscuè ordinatis omnibus, & in ipso ordinationis actu, & vi ceremoniæ datur? Gaudeant sic Cajaphæ, Judæ, operariorum malorum socii, qui nunquam Spiritu potentiæ, dilectionis & disciplinæ carere poterunt. Sed carent profectò, caréntque nimiùm. Non ergo ordinatis, non in ipso ordinationis actu, non vi ceremoniæ hæc dantur, sed dantur omnibus fidelibus in ipso conversionis initio, augentúrque in ejus progressu. Atque hic ipse Spiritus extra ordinationem datus ordinatis potens incentivum sit oportet ad exsuscitanda & inflammanda dona, quæ iis etiam in ordinatione ipsa, per preces Ecclesiæ, ad ædificationem ejusdem collata sunt, ne illa torpescere & rubiginem, quod ajunt, contrahere patiantur. Non ergo Spiritus potentiæ & dilectionis fidelibus datus ipsum charisma est, sed causa est exsuscitandi charismatis, non in omnibus ordinatis, quia non omnes Spiritum eum habent; sed in ordinatis fidelibus, quales S. Paulus, Timotheus, omnésque fideles Dei Ministri & œconomi sunt. 2. Sed & Spiritum S. qui Act. VIII. 15. 16. & c. XIX. 6. per impositionem manuum datus dicitur, extraordinaria Spiritus S. dona contulisse, non quamvis gratiam, adeóque *Spiritum S. simpliciter*, uti tu fingis, supra ad Sess. VII. Quæst. *de Confirmat. Obj.* 1. ostendimus.

OBIECT. III. *Deus cùm dat potestatem, simul etiam dat ea, quæ ad ejus legitimum usum requiruntur. Cùm igitur in ordinatione detur potestas conficiendi Sacramenta, peccata remittendi &c. sequitur cum eadem dari gratiam justificantem, & animam perficientem, sine qua tantum ministerium ritè obiri nequit.* Resp. 1. Etiam sine intelligentia Scripturarum, dono docendi, linguarum notitia ministerium ecclesiæ rite obiri nequit. An idcirco hæc in vulgari ordinatione qualibet conferuntur? Experientia reclamat. 2. Potestatem ordinis sine gratia gratum faciente exerceri posse, fatetur Bellarminus loco superiùs citato, & exemplis Cajaphæ, aliorúmque probat. 3. Effectus igitur ordinationis proprius est collatio potestatis validè docendi & Sacramenta administrandi, quem proinde semper & infallibiliter consequitur. Sed per accidens cum potestate ordinis conjungitur collatio gratiæ gratum facientis.

tis. 4. Denique cùm Deus vocat ineptos, tum extra ordinem eos aptos reddit. Sed in ordinaria vocatione non Deus,ſed homines vocare poſſunt ineptos.


Excip. Reding : 1. *An ergo Chriſtus Ordinis poteſtatem conferendo,& ſacram ordinationem pro perpetuo Eccleſiæ ſtatu inſtituendo,ſolùm de chariſmate,quo muneris ejus exercitia validè peragerentur,providit,nulla habita ratione gratiarum,quibus etiam dignè perficerentur actus ad ordinem prope Divinum accedentes ? 2 Cùmque ordinis munus præcipuum ſit Sacramenta gratiæ ſanctificantis conferre,muneris illius condignum exercitium exigit tum in ipſo quoque Miniſtro gratiæ ſanctificantis ſtatum,tum in ordinis actu religioſam in cultum Dei ſupernaturalem ordinabilitatis honeſtatem. Hæc,hæc cauſa eſt,quòd Deus Apoſtolis poteſtatem remittendi peccata conferens,ſimul Spiritum S. contulit. 3. Si quæ ſunt ordinum functiones,quæ ordinandorum induſtria,gratiæ viribus adjuta , indigent;veluti docendi Scripturas munus,inſtruendi dexteritatem,linguarùmque notitiam exigens,ea ſic naturæ capacitatem ſupponunt,ut hæc per induſtriam gratiæ viribus adjutam perfici debeat. In his actibus,qua ex ordinis ſacramentalis poteſtate prodeuntibus,ita gratiæ gratis datæ ratio conſiderari debet,ut ſub hac formalitate ad proximi ædificationem præcisè tendere intelligantur. Quia tamen functionis illius ſanctitas exigit & ſanctitatem,& condignam cooperationem,& actionis ipſius in Dei cultum religioſam ordinabilitatem,ideo ordo non tantùm poteſtatem muneris,ſed etiam gratiam ſanctificantem,una cum aliquali jure ad gratiæ actualis vires conferre debet.* Ibid.pag.197.198. Reſp. Hoccine eſt reſpondere ad ea,quæ objectioni veſtræ à me objecta ſunt ; an extra oleas vagari,& inanes logos fundere ? Etenim 1 χειροτονίας noſtrum eſt,non quid largiatur Deus vel ordinandis vel ordinatis,ad functionem ſuam tum validè,tum dignè obeundam ; ſed quid ordinationis ritus per ſe ordinariò,& ex opere operato (non dicam vobiſcum,ſacramentali & ſymbolica efficientia,quam nullam nos agnoſcimus) ordinatis conferat ? Non aliud ſic confert,quàm poteſtatem muneris. Gratia verò ad condignè fungendum munere,ſive illa gratis data,ſive gratum faciens fit, vel jam ante ordinationem collata eſt ; vel in ipſa ordinatione , vel poſt eam , non ex opere operato ceremoniæ vel ſymboli in ordinatione adhibiti,ſed ordinariis gratiæ Divinæ impetrandæ remediis confertur ? vel planè non confertur iis,qui ſola poteſtate muneris prædití validè utcunque officio fungi poſſunt juxta inſtitutionem Dei ; at nec dignè,uti decebat in tanto munere ; & accelerantes ſibi perniciem maximam ; & auditores converſatione indigna vocatione Chriſti,quantum in ſe eſt,perdentes ; adeóque una manu ædificantes leviter,deſtruentes altera. Quod juſto Dei judicio,qui ſicut Reges, ita Paſtores impios in ira ſua dat,crebrò contingere,experientia locuples nimiùm teſtis eſt. 2. Licet autem Eccleſiæ Miniſtri in legitimo functionis ſuæ uſu gratiæ ſanctificantis Sacramenta conferre poſſint, non iccirco tamen gratiam ſanctificantem ipſam conferre poſſunt. Hoc enim ſolius Chriſti eſt. Non igitur muneris conferendi Sacramenta exercitium ſic gratiam ſanctificantem in ordinato exigit, ut ſine ea validè munus obiri non poſſit ; nedum ut gratiam illam per ordinationis ceremoniam conferri neceſſe ſit. Alias ſanè peſſimè cum Eccleſia Chriſti ageretur , cujus ſalus à filo tenui cujusvis viliſſimi Sacerdotis penderet. Quin & experientia docet, quàm parum ſanctè multi , apud vos inprimis,apertè profani muneris ſui partes exequantur.Olim etiam Patresfamiliâs ſinguli Sacramenta Circumciſionis & Paſchatis, quibus utique fœderalis & ſanctificans gra-

tia obsignabatur, administrarunt. An singuli illi gratiæ sanctificantis participes fuerunt, & quæ ordinatio hanc illis contulit? Denique si singuli Sacerdotes vestri peccata remittentes eo Spiritu præditi esse debent, quem Christus Apostolis suis insufflavit, lubrico talo stabit Sacerdotalis absolutionis fructus. Pauci enim vel nulli Apostolico Spiritu præditi sunt; saltem remittendo peccata præditi nulli sunt. Non ergo quod Apostolis dedit Christus, Episcopus ordinandis dare potest (imò dat is omnia alia, Spiritum mundi, quo ordinati se extollunt, & Christum ipsum in Missa creare, & creatum crucifigere tentant, atque inde quæstum occipiunt) & peccata Evangelicè remitti possunt validè sine Spiritu eo, quem Apostolis Christus impartitus est. Neque adeò *Hæc, hæc* causa à te jactata est Spiritus S. Apostolis collati à Christo, sed alia longè, extraordinarium Evangelii in toto mundo prædicandi, & resurrectionem Christi testificandi, ipsámque Ecclesiam Christianam plantandi munus, quod Spiritum charismatum, invicti roboris, patientiæ, παῤῥησίας, & heroica quæque postulabat. Qualia Episcopi vestri similiter, & ex ceremoniæ opere operato dare annixi, Christi potestatem invadentes, nihil agunt, neque sanè Christi, sed suum, hoc est, mundi Spiritum conferunt. 3. Non solum illud docendi Scripturas munus, conjunctum cum dono cognitionis, linguarum, Spiritu προφητείας, virtute διδακτικῇ &c. sed universum Ministerium, ad proximi ædificationem præcisè institutum est. Dedit enim Christus *Apostolos, Prophetas, Pastores &c. ad concinnationem Sanctorum, ad opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi*, Ephes. IV. 11.12. Unde etiam Scholastici nonnulli vestri cum Bonaventura *in 4. d. 24.* pertendunt, *Ordinem ex eo maximè tenere nomen Sacramenti, quòd sit medicamentum non tantùm respectu suscipientis, sed etiam respectu aliorum.* Et notum est illud Durandi, *Ordinem non esse medicamentum suscipientis, sed communitatis.* Functionem porro hujus sanctam esse debere, cui ambiguum? At sine sanctitate docentis, & ædificantis munus ipsum validè exerceri non posse: vel sanctitatem ejusmodi ex opere operato ordinationis conferri, hoc verò tibi probandum fuerat. Non probasti ulla ratione, ac ne probare quidem, vel ad mea respondere sustinuisti. Desperatam nimis causam vestram sentis.

OBIECT. IV. *In Baptismo, in quo datur potestas suscipiendi Eucharistiam, aliáque Sacramenta, datur simul gratia gratum faciens. Ergo etiam in ordinatione, utpote qua datur etiam potestas Sacramenta conficiendi.* Resp. 1. Baptismi finis non est positus in relatione ad Eucharistiam, aliáque Sacramenta. Proinde argumentum hoc insulsissimo commento superstruitur. 2. Dispar ratio est Baptismi & Ordinationis. Ille enim institutus est, ut in legitimo usu obsignet & exhibeat gratiam justificantem. Hæc non item. Unde Bellarminus fatetur, *Ordinem per se ad alium finem, quàm ad gratiæ gratum facientis collationem institutum esse.*

RESP. REDING: *Eucharistia nonnisi baptizatis confertur. Ergo Baptismus capaces percipiendæ ejus reddit, adeóque potestatem sumendæ confert. Sicut ergo ex eo, quòd Baptismi efficacia primariò ad subjecti proprii justificationem tendit, secundariò potestatem Eucharistiæ recipiendæ confert, sequitur, gratiam vi Sacramenti illius collatam ordinari etiam ad aliorum condignam susceptionem: sic etiam ordinatio ita potestatem Sacramenta conficiendi confert, ut hæc quidem à Ministro extra gratiæ gratum facientis statum consti-*

tute validè, at non condignè exerceri queat, Ordinis autem efficacia ad utrumque se extendit, adeòque etiam in ordinato gratiæ gratum facientis statum, per ordinationem conferendæ exigit. Ibid. pag. 198. Resp. Manet tamen commenti vestri insulsitas. Licet enim non baptizatis Eucharistiam percipere fas non sit: non tamen vel omnes baptizati aliorum Sacramentorum percipiendorum capaces sunt: vel Baptismus ad Eucharistiam, vel alia Sacramenta, ut finem suum, per se ordinantur. Alias fine suo, adeóque efficacia excideret Baptismus in iis, qui baptizati moriuntur, & reliquis Sacramentis frui prohibentur. Saltem gratia gratum faciens in Baptismo non datur propter reliqua Sacramenta, quibus suscipiendis ea necessaria sit, in quo comparationis cardo verti deberet. Imò contra datur in Baptismo, Sacramentali modo, gratia gratum faciens per se & propter se, & ex natura ac institutione ipsius Sacramenti. Ipsa enim Baptismi ceremonia eam gratiam significat, eíque adeò significandæ ex peculiari institutione consecratur. Neque omnes baptizati aliis suscipiendis Sacramentis idonei sunt; non infantes Eucharistiæ, ordinibus, confirmationi, pœnitentiæ, extremæ unctioni, matrimonio: non mulieres ordinibus, quanquam hæc omnia vobis Sacramenta censentur. Claudicat ergo vehementer comparatio tua. Quanquam etiam comparare humano ingenio non licet, ubi Scriptura non præit. Nusspiam autem Scriptura Baptismum & Ordinationem in eo comparat. Quid quòd juxta vos Baptismus gratiam gratum facientem efficit: Ordinatio contra supponit. Neque enim ordinare velitis quenquam, quem gratia gratum faciente, saltem in Baptismo, juxta vos, collata, destitutum putaveritis. Denique Ordinis, seu Ordinationis efficaciam, & ad *validum*, & ad *condignum*, per justificantis gratiæ suppeditationem, muneris Sacri exercitium ita se extendere, ut utriusque potestas ex opere operato ceremoniæ ordinationis, seu Sacramenti Ordinis, quod ex hypothesi vestra, æquè ac reliqua Sacramenta, gratiæ sanctificationis effectivum esse debet; & quidem perse, id est, ex sui institutione, conferatur, ubique stolidè supponis, nullibi probas. Et res ipsa adeò manifesta est, ut vel cœcus si non videre, at palpare debeat. Omnia enim Sacramenta, cujusmodi vobis Ordinatio est, significant id, quod efficiunt & conferunt. At Ordinis ceremoniæ nullam hujusmodi sanctificationem significant. Ergo nec efficiunt, vel conferunt.



QUÆSTIO. IV.

An Sacra unctio, tonsura circularis, & reliquæ ceremoniæ, quibus in ordinatione Ecclesia Pontificia utitur, sint necessariæ?

AFfirmat Canon V. & contradicentes anathemate mulctat. Solet Episcopus chrismate consecrato caput & manus ordinandi, à pollice dextro versus sinistræ manus digitum indicem, & vice versa à sinistro pollice versus indicem manus dextræ illinere, spiritum

insufflare, manus imponere. Dat etiam vestem lineam, cereos accensos, signa crucis. Mandatur ordinando, ut se patiatur in extremitate capitis tonderi circulariter, per modum coronæ. Nos excepta χειροθεσία reliqua in Christianismo spuria & νόθα esse asserimus. Rationes.

ARG. I. Ceremonia necessaria & Sacramentalis oportet à Christo sit instituta. At nec unctio Sacra, nec tonsura à Christo instituta est. Ne quidem ab Apostolis Sacra unctio est mandata, uti ex iis, quæ infra dicemus, liquidò apparebit. Etiam in Concilio Africano IV. Augustini tempore celebrato, ubi ritus ordinationis memorantur, de unctione altum silentium est.

RESP. REDING: *Helvetica Confessio vestra cap. 27. Ecclesiæ concedit libertatem instituendi accidentarios ritus. Cur ergo Sacram unctionem ex præscripto Ecclesiæ adhibere, & quidem ex mystica quapiam cultui Divino consentanea formalitate, pariter non liceret? Sanè etiam vetus Ecclesia in ordinatione unctionem adhibuit.* Tomo IV. Tract. X. §. 2. pag. 199. Resp. Si Confessionis nostræ de ritibus & Ceremoniis Ecclesiæ verba legisses, & expendisses altiùs, saperes profectò magis. *Minimè probamus*, inquit Confessio, *eorum sententiam, quibus visum est Ecclesiam Christi cohiberi oportere, ceu pædagogia quadam, multis variisque ritibus. Nam si populo Christiano Apostoli ceremonias vel ritus Divinitus traditos imponere noluerunt, quis, oro, sanæ mentis, obtrudet illi adinventiones adinventas humanitus?* Obtrudunt Tridentini sub anathemate ritus, quos superstitionem olere constat. Subjicit: *Sufficiunt piis* (ritus) *pauci, moderati, simplices, nec alieni à verbo Dei.* Vos plurimos, & à verbo Dei & simplicitate fidei alienissimos obtruditis. Ex Socrate eadem Confessio probat, *nullam religionem eosdem ritus custodire, etiamsi eandem de illis doctrinam complectitur.* Vos vestros ritus omnibus Ecclesiis obtruditis, & sub anathemate sancitis. Addit. *semper Ecclesiam in hujusmodi ritibus, sicut mediis, usam esse libertate.* Relinquite nobis libertatem in rebus mediis, & salva res erit. Denique cavendum monet, *ne inter media deputentur, quæ revera media non sunt. Indifferens enim*, inquit, (*dixit ad Augustinum Hieronymus*) *illud est, quod nec bonum, nec malum est, ut sive feceris, sive non feceris, nec justitiam habeas, nec injustitiam. Proinde cùm adiaphora rapiuntur ad confessionem fidei, libera esse desinunt.* Capin' hæc Redingi? Ecclesia vera in ritibus verè mediis libertate utitur. Vos tyrannidem induxistis, obtrudentes ceremonias ut necessarias, ut partem cultus, ut mysticas: & insuper inter media deputatis, quæ talia non sunt; minimùm simplicitatis utilitatisque nihil habent, & ex cacozelia ortum habent. Quod de ceremoniis ordinationis vestræ argumenta mea docebunt. De veteris Ecclesiæ sensu infra.

ARG. II. Unctio Sacra est κακοζηλία cultus Levitici, aliquot post Christum seculis in Ecclesiam Christianam introducta. Nec Ambrosius meminit unctionis, nec Augustinus, ubi ritus ordinationis describunt. Toties in historia sacra ordinatorum occurrunt exempla. Nunquam verò unctio-

nis.

nis. De Græca Ecclesia fatetur Innocentius III. circa annum 1200. nondum ibi in more positam fuisse unctionem.

RESP. REDING: *Quæ in cultu Levitico ceremoniæ adhibitæ sunt, ut figuræ Christi exhibendi, eas in Evangelio sub religiosa veritatis Christum exhibitum repræsentantis formalitate retinere Ecclesia potuit.* Ibid. pag. 199. Resp. Nihil sic vetabit, quò minùs universa egena illa mundi elementa, carnalémque veterem cultum omnem in Ecclesiam postliminio reducatis. Quid corpori cum umbra, veritati cum figuris? Quid majorenni filio cum lege, ejúsque ceremoniis, ceu pædagogo & œconomo? Quid denique Saræ uxori liberæ cum Hagare ancilla, quarum illa libertatis Ecclesiæ Christianæ, hæc servitutis Ecclesiæ Judaicæ typum gessit? Si condemnandus fuit Petrus, (Gal. II. 11.) quòd discipulos ex gentibus conversos ἰουδαΐζειν *Judaizare* cogeret, quos ex infirmitate quadam induxerat exemplo suo, ut Judæorum partes uno in ritu agerent: quid de vestra Ecclesia censendum erit, quæ ex obfirmato judicio inducit impellítque Christianos, ut multis adeò in ritibus personati sint Judæi? Et is quidem veritatem doctrinæ silendo agnovit, parendóque, postquam eum Paulus redarguerat. At verò Innocentius Papa vester, ritum illum *unctionis* confirmans, *Extra. de sacra unct. perag.* ait, *mentiri eos*, qui hoc nomine Ecclesiam vestram accusant. *Non Judaizat Ecclesia*, inquit, *sicut aliqui mentiuntur.* Pontifex ergo, & Pontificii omnes, qui Tridentinæ Synodi cùm alios ritus Judaicos plurimos, tum verò nominatim illum *unctionis* sacerdotalis approbantis doctrinam tuentur, non peccant isti, ut verus Apostolus Christi Petrus, sed ut ψευδαπόστολοι *falsi Apostoli* (Gal. I. 7, &c.) *qui turbarunt Galatas*, & *inverterunt Evangelium*, legem Evangelio admiscentes.

ARG. III. Sacramentorum ceremoniæ sunt simplices, uti patet in Baptismo & Eucharistia. Ceremoniæ autem in ordinatione adhibitæ simplicitatem & pietatem Christianam non redolent.

RESP. REDING: *In substantialibus sacramentorum ritibus simplicitatem: in accidentariis solennitatem Ecclesia observat. Sic in Baptismo etiam & Cæna.* Ibid. pag. 199. Resp. Abundè solennitatis sacramenta habent ex institutione Christi, quæ praxeos nostræ regula est. Imò Christus & Apostoli solennitatem illam & pompam, quæ in Judaico cultu ex Dei mandato obtinuit, sustulerunt, Joh. IV. 23. Act. XV. 29. Neque solennitatem humano arbitrio constitutam spiritualis N. T. cultus patitur; cujus illa adulterium potiùs, quàm ornamentum vel adjumentum est: inprimis cùm humanæ inventionis solennes ritus, essentiales ritus à Christo mandatos obscurant, si non abolent: quod adulterini illi ritus vestri præstant.

ARG. IV. Essentialis ritus Sacramenti perspicuè distingui debet à reliquis non essentialibus. Atqui in hac copia ceremoniarum distinctio illa non apparet. Quin de ritu essentiali Pontificii Theologi acriter litigant. Et Christus insufflationem adhibuit, at tanquam necessariam non mandavit. Apostoli quoque χειροθεσίαν nuspiam peculiari præcepto injunxerunt. Ad extremum igitur sola & simplex deputatio ad ministerium Ecclesiæ sufficere potest.

RESP. REDING: *In insufflatione illa à Christo, & manuum impositione ab Apostolis usurpata*

pata cum S. Augustino formale, potestatis Ecclesiasticæ traditionem, & materiale, actionem distingue. De illo dissensio nulla est. De hoc controversia merè speculativa intercedit, quæ substantiæ Sacramenti nihil derogat. Ibid. pag. 199. 200. Resp. Insulsam illam distinctionem, ab Augustino nunquam agnitam, supra refutavimus. Verbo, Sacramenta determinatam materiam, determinatum symbolum postulant. absque quo est, ne quidem formam habere possunt. Et quod tibi *formale* Sacramenti censetur, traditio Ecclesiasticæ potestatis, ad materiam potiùs internam, ceu rem externo signo significatam, referri deberet, si Ordo veri nominis Sacramentum esset. Nec Theologicè igitur distinctio tua sapit, & Philosophicè delirat.

ARG. V. Tonsura clericalis verbo Dei damnata est, Levit. XIX. 27. *In rotundum non attondebitis comam.* Neque alibi locum habuit in V.T. tonsura, quàm vel in depositione Naziræatus, Num. VI. 8. vel in lepra, Levit. XIV. 9. vel in luctu, Jerem. VII. 28. Extra hos casus rasura insolens fuit. Hodie verò, si his credimus, Sacramentalis ritus est, etsi nec institutus, nec usurpatus primitùs.

RESP. REDING: 1. *Siccine jam Judaizas? Annon verò æquè barbæ rasura in V.T. prohibita est? Ergóne hodièque prohibenda? 2. Clericalem verò tonsuram Evangelico statui congruere, inde Thomas Aquinas Supplem. 3. p. q. 40. a. 1. probat, tum ratione figuræ, quia corona est signum Regni & perfectionis, cùm sit circularis; Ministri autem Dei Regiam dignitatem adipiscuntur: tum ratione subtractionis capillorum, ex parte superiore per rasuram, ne mens eorum temporalibus occupationibus à rerum Divinarum contemplatione retardetur; ex parte inferiore per tonsuram, ne eorum sensus temporalibus obvolvantur. Sed & Nazaræi profitebantur perfectionem quandam in depositione comæ, significante temporalium contemptum, quamvis non in modum coronæ deponerent, sed totam, quia nondum erat tempus Regalis & perfecti Sacerdotii.* Ibid. pag. 200. Resp. 1. Et tonsura verticis in orbem, & rasura æquè barbæ prohibetur Levit. XIX. 27. his verbis: לא תקפו פאת ראשכם ולא תשחית את פאת זקנך *Non radetis angulum orbem capitis vestri: & non rades* (corrumpes) *extremitatem barbæ tuæ.* Septuaginta reddunt: οὐ ποιήσετε σισόην ἐκ τῆς κόμης τῆς κεφαλῆς ὑμῶν, οὐδὲ φθερεῖτε τὴν ὄψιν τοῦ πώγωνος ὑμῶν. *Non facietis sisoen ex coma capitis vestri, & non corrumpetis conspectum barbæ vestræ.* Ubi σισόη *Sisæ est* ציצית *cincinnus*, qui solus in occipitio supererat, reliquo capillitio in orbem circumtonso. Græcus Scholiastes κρώβυλον, Cyprianus *circum*, Suidas πλεξίδιον; Doctissimus Heinsius *Aristarch. cap. 4.* περιτραχηλάτην interpretatur. Apud Græcorum Criticos sic nominatur tonsura, quæ fit σφαιρηδὸν. Sunt qui malunt περίτροχον κείρεσθαι. Eo modo se totondisse Bacchi æmulos Herodotus in Thalia author est: περὶ τριχῶν, inquit, τὴν κουρὴν κείρεσθαι φασὶ, καθάπερ αὐτὸν τὸν Διόνυσον κεκάρθαι· κείροντες δὲ ὑποτρόχαλα. *Eodem modo, quo tonsus est Bacchus, tonderi se ajunt. porro in orbem tondentur.* Unde Jerem. IX. 26 Idumæi, Ammonitæ, Moabitæ, cœterique Arabiæ desertæ incolæ קצוצי פאה *circumcisi seu circumtonsi angulis* capitis dicuntur. Et Græcus Scholiastes in Leviticum docet, ad suum usque ævum Saracenos ita usurpasse, & capitis sui *sisæn*, id est, κρώβυλον aut πλέγμα Saturno consecrasse. Et tonsuram igitur in orbem, & rasuram seu corruptionem extremitatis barbæ legislator prohibuit. Nam & barbam ac primam lanuginem Diis suis gentiles consecrarunt: & sacrificuli Ægyptii, Isidis Sacerdotes, nec non Babylonii (de quibus Barach. VI. 30. videre

re

re est) aliique nonnisi barba abrasa sacra fecerunt. Annon Patriarchas vestros, Redingi cœterique vos τροχοκύρηδες, videtis? Nam & tonsuram gentilibus idololatris olim receptam Tridentini approbarunt seriò: & barbæ æquè rasuram (ut sciscitari desinas) Gregorius VII. Epistola ad Jacobum Calaritanum Episcopum scripta præcepit, mandans ut Clericos suos omnes abradere barbas compelleret. Quin & de Sacerdotum barbis radendis & deponendis extabat alicujus Concilii lex, Alexandri III. Papæ rescripto corroborata. quam cùm apud alium Pontificem Clementem VII. suscitare vellent quidam, & usu abolitam instaurare, de eo monitus à Cardinali Hippolyto Medicæo Johannes Pierius Valerianus ad eundem misit declamationem *pro Sacerdotum barbis*, in qua *barbarum defensionem pro Collegii Sacerdotalis dignitate tuenda se suscepisse* profitetur. Sanè Deus ipse barbas abradi disertè vetuit, non in universum equidem (nam barbæ abrasio communis quanquam mollitiei argumentum præbet, tamen interdicto hoc non spectatur) sed religionis gratia. Ita enim religionis gratia sacrificuli gentiles in orbem caput totonderunt, & barbas raserunt; ita tondentur saltem ecclesiastica lege sacrificuli vestri, barbásque si non lege, (quod Baronius ad *A.58.n.137.141.* negat) at consuetudine religiosa & mystica, plerique abradunt. Et tamen religionis gratia tonderi Deus ipse interdixit, quia sibi gentilium ritibus litare populum suum & idololatrarum stigmata cultores suos portare. (Paulus contra Christi stigmata portavit) noluit; secus quàm vos formalitatum & finium distinctione adhibita, gentilium ceremonias plures, atque hanc etiam tonsuræ & rasuræ; Christianum in cultum invexistis. Sed sic nos *judaizare* ais. Bellè profectò! Vos non judaizatis, ceremoniis Judaicis, quæ aboleri debuerunt, cultum vestrum universum fœdè contaminantes: nos judaizamus, interdictum à Deo Judæis latum, cujus ratio, ne populus Dei religiosis gentilium ceremoniis Deum suum prosequi studeat, immutabilis est (quæ enim immutandi interdicti ratio, inprimis cùm Deus ab idololatrarum cultu & sacris abhorreat, & ἐθελοθρησκείαν omnem detestetur?) urgentes, & vestram cacozeliam ejus gladio jugulantes! Quomodo enim in populo Christiano sacrum & religiosum esse potest, quod olim in populo Dei sacrilegum & profanum Deus ipse censuit? Neque profectò Hieronymus interdictum illud custodientes judaizare putavit. Is enim in suis ad illa Ezechielis XLIV. 20. *Comam non nutrient, caput non radent* &c. annotationibus sic habet: *Juxta quod discimus* (non Judæi ergo duntaxat, sed Christiani etiam) *nec calvitium novacula faciendum, nec ita ad pressum tondendum esse caput, ut rasorum similes esse videamur.* Addit, velle Dominum Sacerdotum capita operiri sua naturali cæsarie, non ad ornatum & luxuriam, sed ad honestatem. *Docete* ergo, sic cum Optato Milevitano *contra Parmen. lib. II.* tonsam rasámque cohortem compellamus, *ubi vobis mandatum est radere capita Sacerdotum, cùm è contrario sint tot exempla proposita, fieri non debere.* 2. Sed tonsura & rasura scilicet vestra non caret mysteriis, à Thoma Aquinate vestro, magno Apolline, explanatis. Quasi Isidis & Belis Babylonii Sacerdotes, aliíque non æquè rasuræ suæ mysteria prætexuerint. Corona, inquis, Regiæ dignitatis symbolum est. Sacerdotes autem Reges sunt. Scilicet *regnant* illi: *divites sunt, saturati sunt*, cùm veri interea Sacerdotes cum Apostolis dirissima quæque pati, & servire in mundo, atque theatrum fieri cogantur, 1. Cor. IV. 8. 9. &c. A spinea corona Christi, qui promissam & intonsam comam aluisse à vobis putatur, & talis depingitur; abhorrentes, calvam affectatis, calvi Reges, Papæ ראש אויבים קדקד שער *Capiti inimicorum* Dei, *vertici piloso* (Psal. LXVIII. 22.) servientes. uti quondam

Roma *Reges inservientes* (sic Tacitus H.2:81.2. appellat) habuit. Cùmque corona Regis aliquid addat capiti, quid ad Regale fastigium verticis in circulum rasura, cui id etiam ablatum, quod natura indulserat? S.Petrus 1.Epist.II.9. totam Ecclesiam *Regale Sacerdotium* vocat. Vos id ad pauculos rasos detorquetis, non sine sacrilegio; quasi soli illi per Christum facti sint Regnum & Sacerdotium Deo. Subtractos capillos ex superiori parte per rasuram, ex inferiore per tonsuram, figuram cum Thoma facis temporalium curarum resectionis, ne Divinarum rerum speculationibus obstent, atque sic animus Sacerdotum Divinis illustrationibus liber & apertus pateat. Omnia in figuris, quasi velum Templi nondum scissum esset. Sed ô utinam figuræ tali res congrueret! Clerici scilicet detonsis aliquot capillis significant, temporalium bonorum & curarum abundantiam se resecuisse, cœlestia contemplari, aurium oculorúmque concupiscentiam mortificare. At nullum est Mortalium genus, paucis exceptis melioribus, rapacius, terrestre magis, stupidius, libidinosius. Cur non magis sanctitatem verè exhibent, quàm falsis mendacibúsque signis ipsius speciem simulant? quanquam figura inepta est, quæ quoad caput saltem in oculos ejus, cui aliquid figurare debebat, non incurrit. Neque opinor pili vel meditationes cœlestes, vel Divinas illustrationes retardabant, nisi forte retardarunt Christum, nisi Nazaræos veteres: quorum comata capita aluisse *pias meditationes, de rebus cælestibus meditationes*, Becanus vester conjectavit; secus quàm tu eorum perfectionem quandam in depositione comæ somniabas: nisi denique Ezechielem, qui per cincinnos seu comam capitis sui in aera sublimis raptus, Hierosolymam usque per visionem delatus fuit, Ezech.VIII.3. Pari certè vel majore etiam ratione sacerdotes vestri etiam circumcidi debebant, quia circumcisio concupiscentiæ & peccati ἀφαίρεσιν, quam præ cæteris illi profitentur & jactant, (sed jactant solùm) inprimis figurare potest. Quousque talibus fucis & præstigiis ludetis?

ARG. VI. Testimonia Epiphanii, Hieronymi, Clementis rasuram damnantium allegat Hortensius Landus libro peculiari de *persecutione barbarum*. Olim quidem qui Ecclesiæ servierunt, soliti sunt διὰ τὸ πρέπον tondere caput, hoc est, non alere comam muliebri more promissam: multò minùs in cirros disponere, quod propriè est κομᾶν, quódque omnibus, adeóque inprimis Ecclesiæ Ministris Paulus 1. Cor.XI.14. interdicit. Origo igitur tonsuræ hujus planè moralis fuit. Crescente verò superstitione aliæ excogitatæ sunt significationes, & tonsura facta est Sacramentalis ritus. Quàm recens verò sit clericalis tonsura, ostendit Salmasius in *lib. de Coma*.

RESP. REDING: *Novitatem tonsuræ à te confictam aperta antiquitatis testimonia refutant. Epiphanius verò, Hieronymus, Clemens Alex. à te objecti de tonsura gentili, in honorem Deorum procurata, loquuntur. Ejusmodi & tonsura & rasura ex fine dijudicanda est. Ubi enim ad idololatricum cultum refertur, superstitiosa: ubi ad mysticum veri Dei cultum, religiosa est. Hortensium Landum solidè Bellarminus refutavit.* Ibid.pag.200.201. Resp. Antiquitatis testimonia à te producta infra discutimus. Epiphanii, Hieronymi &c. testimonia à Lando citata Bellarminus à te jactatus, parùm solidè refutavit; imò tantùm non victas illi manus dedit. Fatetur enim (*de Monach Lib.II.40.*) testimoniis iis convictus, *olim non tam rasuram, quàm tonsuram fuisse in usu. Tondebantur enim*, inquit, *demisse*

misse quidem, sed ita quidem, ut cutis tecta maneret. Idque ex Clemente Alexandrino, Optato Milevitano, Hieronymo, aliisque pluribus, qui tonsuræ meminerint, rasuræ nunquam; comprobat. Clarissimè Hieronymus *in Ezech. cap. 44. Sacerdotes, ait non debere comam alere, nec tamen radi, sed ita tonderi, ut cutis tecta maneat.* Imò rasuræ locum Ezech. XLIV. 10. æquè ac nos, opponit; & interdicto eo æquè Christianos atque olim Judæos constringi, palam, uti supra ostendimus, asserit. Rasuram ergo apud veteres quod Landus ille demonstraverat, inusitatam fuisse, Bellarminus concedit, longè Redingio candidior, qui de *rasura gentili* eos loqui nugatur, cùm tamen quamvis religiosam, ipso Bellarmino fatente, & verbis eorum contestantibus, rejecerint. Neque tamen in hodiernis Monachis & Clericis improbandam esse, idem Bellarminus pertendit, *quia nunquam prohibitum fuerit radi, & præterea ejusmodi ceremoniæ pro temporum & locorum diversitate variari possint.* Imò prohibitam esse rasuram etiam Christianis, Patres illi, à Lando citati, & ab ipso Bellarmino repetiti disertè statuunt; Hieronymus inprimis. Et si *pro temporum & locorum diversitate variari isthæc possunt*, pessimè cum Ecclesia ab iis actum est, qui de lana caprina, de capillo tam multas tragœdias in Ecclesia excitarunt: stultè laboravit Bellarminus tam multis de hoc argumento: stultè Thomas Aquinas, aliique rasuræ mysteria nobis propinarunt. Neque huic sententiæ convenit cum iis, quæ proximè ex Clemente Alex. Optato, & Hieronymo ab ipsomet adducta sunt, quibus non rasuræ liber usus commendatur, sed universus, religiosus maximè, damnatur. Denique sicut omnium actionum moralium, ita ceremoniarum etiam bonitas non ex solo fine, sed ex modo etiam æstimari debet, ut illicitæ censeantur omnes, quas Deus ipse in religioso cultu prohibuit; quemcunque finem propositum habeant.

ARG. VII. Tonsura olim pœna fuit flagitiorum, & scelerum. De Indis narrat hoc Stobæus Ser. 42. Crotildis maluit filios mortuos quàm tonsos videre, teste Turonensi. Confer Bonifac. Rhodiginum Hist. Lud. lib. IV. 27. & XII. 18. Præterea capitis abrasio signum fuit hominis scelestissimi & turpissimi. *Qui capite & supercilio est rasus, ne unum pilum boni viri habere dicatur*, inquiebat Cicero pro Roscio. Et paulò ante: *Nonne ipsum caput & supercilia penitus abrasa olere malitiam, clamitare calliditatem videntur?* Sic igitur & nos, quid de Sacerdotibus, qui rasuram rem sacram faciunt, & religiositatis suæ characterem, credendum sit, docemur.

RESP. REDING: *Numquid crux Ciceronis tempore abominabile turpissimi ac scelestissimi hominis erat signum; & corona spinea signum deperditissimi hominis? Quæ igitur flagitii rationem præferebant, eadem ad Christum relata religiosam significationem subire potuerunt. Par ratio tonsuræ & rasuræ, quæ olim signum flagitii, nunc mysticam & moralem significationem obtinet. Sed crucem Vos, crucis inimici, æquè ac tonsuram abjicitis ex spiritu, quæ carnis sunt, magis ambiente, & in blasphemias erumpente.* Ibid. pag. 201. Neque crucem scelestissimi hominis, neque coronam spineam perditissimi signum Cicero habuit: (de corona spinea fortè ne somnians quidem) sed pœnæ & supplicii instrumentum utrumque erat; & in perditissimis illis, & in Christo innocentissimo; quoad illos justi; quoad hunc injustissimi. Neque probare possumus, quòd & crucis lignum, & spineam coronam in religiosa signa, seu potiùs idololatriæ instrumenta convertistis, &

veram interim Christi crucem evacuastis; quin & Christum in Missa & membris quotidie crucifigitis. Sed de hoc quicquid fiat, parum id omne ad rem facit. Rasuram & tonsuram vestram religiosam Deus prohibuit, Ecclesia purior omnis abhorruit, moratiores gentes scelesti hominis, quin & morionis (apud Germanos saltem, qui morionibus viva cute tenus crines radere solent) signum habuerunt, flagitiorúmque pœnam statuerunt. Frustra rem adeò turpem, à Deo ipso prohibitam, ad Christum traducitis, & religiosam, mysticam significationem subire jubetis. Neque enim Christiana religio res spurcas & vitiosas in religiosa signa sine scelere commutat. Vestra hæc audacia, vestra insania est. De cœtero criminatio tua talis est, qualis tua causa est. Nil me illa movet.

ARG. VIII. Celebres Canonistæ, Hostiensis, Joh. Andreas, Abbas & alii affirmant, Papam solo verbo posse ordinare Presbyterum, dicendo: *Esto Sacerdos*. Quodve plus est, Innocentius omnium Canonistarum parens, universè asserit, nisi obstarent formulæ recens adhibitæ, abundè futurum, si ordinator dicat; *Esto Sacerdos*; aut verbis tantundem valentibus utatur. Formulas enim, quæ adhibentur, ab Ecclesia esse constitutas.

RESP. REDING: *A Christo constitutum esse signum Sacræ ordinationis, non tam materialiter quàm formaliter spectatum, sub ratione traditionis Ecclesiasticæ potestatis; supra probavimus. Quin & supra asserebas, pro sacra ordinatione solam & simplicem administerium deputationem sufficere posse?* Ibid. pag. 201. Resp. Nihil probasti. Distinctionem illam signi & ἀψύχου & ἀφιλόσοφον esse, nos contra non semel probavimus. Deputatio verò simplex ad ministerium non verbis, sine quo nulla deputatio mandari deputato potest, sed ceremoniis opponitur.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Unctionem ab Apostolis mandatam esse; testatur Dionysius Areopagita de Hierarch. Eccles. Cap. 4. ubi dicit, Pontificem uti sacro oleo in omni ferè consecratione Pontificali, idque ab Apostolis traditum esse.* Resp. 1. Quæ fides Pseudo-Dionysio tribuenda sit, sæpius jam dictum. Scriptor fuit quinti & præcipitis quidem Seculi. 2. Neque etiam scriptor ille in ipsa ordinatione unctionis mentionem facit, sed adhiberi eam ad functionem Sacerdotalis muneris duntaxat testificatur. Proinde alii, nominatim Pighius, non erubescunt dicere, *in rudi Christianitatis exordio, nondum ordinatâ hierarchiâ, plurima perfunctoriè ex quadam Spiritus dispensatione peracta esse ab Apostolis, quæ postea præscriptam certámque formam receperint.*

EXCIP. REDING: *Pighium à Pontificia Inquisitione atro calculo notatum nequicquam Areopagitæ opponis. Sed & Dionysius disertè asseverat, in omni fere consecratione Papali ex Apostolorum traditione Pontificem sacro oleo uti. At inter Pontificales consecrationes Ordinatio sacra præcipua est.* Ibid. pag. 201. 202. Resp. Inquisitio, quæ assertionem hanc Pighii atro carbone notavit; nec jure notare potuit; nec fidem ullam meretur, tyrannidis in ipsum Dei verbum, S. Patres, aliósque, & falsationum turpissimarum pridem convicta. Pontificem in omni ferè consecratione oleo uti, Pseudo-Dionysius asseverat. Non ergo in o-

mni simpliciter. An enim etiam in Eucharistica consecratione utitur? Sed caput rei est, quòd idem Author *Hierarch.cap.V.* Ordinationis ritum describens, solius impositionis manuum, unctionis nullius meminit. Non ergo juxta ipsum in Ordinatione unctio adhiberi consuevit.

OBIECT. II. *Unctionis etiam meminit disertè Eusebius Histor. Eccl.lib.X. cap.4. Et Chrysostomum factum Constantinopolitanum Episcopum inunctum esse, in ejus vita docet Simeon Metaphrastes. Quin & unctionis hujus meminerunt Pacianus Epist. 3. ad Sempronium, & Gregorius lib.4. in lib. Regum.* Resp. 1. Unctionem tanquam Ceremoniam necessariam & Sacramentalem in ordinatione usurpatam esse, nemo veterum testatur. 2. Eusebius loco cit. non describit *historicè*, quid in consecratione actum fuerit, sed *panegyricè* illos amicos Dei & Sacerdotes ait *Divino chrismate decoratos* esse, quod de interiore Spiritus S. unctione rectè accipitur. 3. Metaphrastæ fictitio testi fidem habeat, qui credit, in Chrysostomum ordinatum Spiritum S. in forma columbæ descendisse. Nam etiam id illi tribuit. 4. Pacianus Sacerdotem vocat *unctum*. quod de Spirituali æquè ac corporali unctione intelligi potest. Gregorius verò recentior est, quàm ut primus is de Apostolici ritus institutione testis audiri possit.

EXCIP. REDING: 1. *Eusebium miserè torques, cùm apertam Sacerdotalis unctionis mentionem de interiori Spiritus S. unctione interpretaris. 2. Pari temeritate Metaphrastem falsi testimonii insimulas. 3. Gregorius M. non ex proprio cerebro, sed ex antiquitatis monumentis ceremoniam illam repetit. 4. Quis Pontificiorum unctionem facit necessariam & Sacramentalem, & non potiùs mysteriosam equidem, sed accidentariam ceremoniam?* Ibid. pag. 202. Resp. 1. Verba Panegyristæ, *μετρίως ἐπιεικοῦς, mediocris meriti* (sic eum Eusebius appellat) ab eodem Eusebio *Histor. Eccl. X.4.* narrata, non historica, sed merè Panegyrica esse, ipse orationis titulus prodit. Vocatur enim πανηγυρικὸς ἐπὶ τῇ τῶν ἐκκλησιῶν οἰκοδομῇ, *Panegyricus super ædificatione Ecclesiarum.* Sic autem ille, quisquis est, initio Sacerdotes compellat: Ὦ φίλοι θεοῦ καὶ ἱερεῖς, οἱ τὸν ἅγιον ποδήρη, καὶ τὸν οὐράνιον τῆς δόξης στέφανον, τό τε χρῖσμα τὸ ἔνθεον, καὶ τὴν ἱερατικὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος στολὴν περιβεβλημένοι. *Amici & Sacerdotes Dei, qui sacra tunica talari induti, & cælesti gloriæ corona decorati, Divináque unctione delibuti, & Sacerdotali S. Spiritus veste amicti estis,* &c. Hæc merè Panegyrica sunt, non historica, ex quibus nil firmiter concludi potest. Alias Sacerdotes *cælesti gloriæ corona*, in terra militantes adhuc, decorabantur, quod ne S. Paulus quidem sibi arrogare ausus est 2.Tim. IV 8. Neque unctio ab Episcopo administrata ἔνθεον χρῖσμα *Divina unctio* vocari potest; cùm nec Deus eam instituerit, & merus homo administret. Sed Spiritus S. interior unctio, communis fidelibus universis, & propter opinionem vulgarem sanctitatis eximiæ Episcopis eximia, intelligitur longè concinniùs, & verbis convenientiùs. Oppositio enim satis aperta est inter externam Sacerdotum V. T. & internam Spiritus S. unctionem. Ad illam ergo miserè tu verba isthæc detorques, ut causæ tuæ jacenti inservias. 2. De Metaphraste nil dicere attinet. Græculus vanissimus & recentissimus, & vestris etiam suspectus, idoneus de Chrysostomo testis, à Surio menda-

mendaciorum architecto, citatus, haberi neutiquam potest. 3. Gregorius M. Seculi sexti scriptor est. Neque proin Apostolicæ traditionis testis omni exceptione major. Forte tamen (nolo enim hac de re contendere tecum morosiùs) ante ejus tempus ungi Sacerdotes consueverunt. Nil enim dissimulo, etiam Basilium M. à Gregorio Nazianzeno seniore in Episcopum Cæsareensem, unctione adhibita, ordinatum esse, à Nazianzeno filio *Orat.20.de laudibus Basilii*, traditum esse; quin & ipsum Nazianzenum filium à Parente Gregorio unctum, ab eodem filio *Orat 5.ad Pat. &* Basilium narrari. Antiquiores unctionis testes nulli sunt. Neque Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, quorum ordinatio describitur, uncti leguntur. Anacleti verò Epistola 2. quæ *dist.75.C.ordinationes*, refertur, inter suppositítias est. Unum addo tamen, Græcos, rituum antiquiorum tenacissimos, nulla in ordinatione unctionis ceremonia uti. quod ex Euchologiis eorum, ab Arcudio *de Sacr.Ord.lib.VI. cap.2.* hanc in rem repræsentatis, colligere est Quo nomine etiam à Papa Innocentio III. *cap.cùm venisset, de S unctione* reprehenduntur. Non ergo apud Græcos etiam veteres unctionis ritus vel universalis fuit, vel necessarius judicatus est. 4. Unctionem Sacerdotalem ex præscripto Ecclesiæ vestræ *necessariam* facitis omnes. Neque enim ea Episcopi vestri liberè utuntur. Imò non uncti Sacerdotes veri Sacerdotes vobis censentur nulli. Et *Sacramentalem* disertè Bellarminus *de Sacram Ord. lib.I.cap.12.* facit. *Unctio*, inquit, *est ceremonia verè Sacramentalis, quanquam accidentaria: siquidem in ipsa ordinatione ungitur caput Episcopis, & manus Presbyteris.* Utet fidem meretur, Cardinalis an Abbas?

OBIECT. III. *Sacerdotes ab Ecclesiæ initio coronatos & tonsos fuisse, testantur Isidorus lib.II. de Divinis Officiis, ubi consuetudinem hanc à S. Paulo, qui ad Judæos Nazaræos alliciendos capillos suos Templo dedicabat, arcessit: Germanus Episcopus Constantinopolitanus, in Theoria Ecclesiastica, ubi ritum cum derivat à Petro, utpote cui gentiles in ignominiæ signum caput totonderint ac raserint: Beda lib.V.22.de gestis Anglorum, ubi à Petro coronam gestatam docet, ut spineam Magistri sui coronam sibi in memoriam revocaret. Olim etiam, si quid à Sacerdote peteretur; in honoris signum per coronam ejus adjurabatur, uti ex 147.Epistola Augustini liquet.* Resp. 1. Ecclesiasticos pro decori ratione tonsos olim fuisse, & hodiéque tonderi debere, non negamus. Naturam enim ipsam docere, quòd viro comatum esse sit dedecori, Paulus ipse 1.Cor.XI.14. monet. Indecens igitur fuisset & hodiéque esset, si Dei servi id, quod omnes modesti viri facere tenentur, omisissent, vel adhuc omitterent. At tonsuram & rasuram circularem tanquam Sacrum & religiosum ordinationis ritum ab Apostolis vel veteri ecclesia manâsse, neutiquam testimonia illa probant. 2. Ut à Paulo rasura derivetur, quod Isidoro tribuunt, non placet Bellarmino *de Mon.lib.II.40.* ubi ait, Nazaræos non ante depositionem Naziræatus tonderi solitos esse. Quòd si firma esset ratio: *Paulus Naziræus capillos comburendos sibi radi fecit: Ergo Sacerdotes radi debent*; nihil obstaret, quò minùs etiam Sacerdotes circumcidi deberent, cùm etiam Paulus Timotheum circumciderit. 3. Ratio à Petri tonsura in derisionem facta, tam ridicula est, quàm Germani scripta, unde ea petitur, germana non sunt.

ſunt. Eadem enim ratione Sacerdotes pedibus ſurſum honoris cauſâ crucifigendi, flagellandi uſque ad vibices eſſent, quia idem Petro accidit. 4. Sed & Bedæ ratio magnam Petro facit injuriam. quaſi videlicet is aliter ſpineam Chriſti coronam in memoriam ſibi revocare, quàm capillorum tonſurâ non potuiſſet. Ita enim omnes Chriſtiani æquè ac Sacerdotes coronam gerere deberent. 5 Olim Sacerdotes *per coronas ſuas* adjurari dicebantur. Sed *corona* illa non tonſuram, ſed Sacerdotalem dignitatem figuratè notabat. *Hac eſt dignitas veſtra, hac corona principalis,* inquit Chryſoſtomus *Homil.73.in Matthæum.* Lorinus verò *in Act.XVIII.18.* titulum illum *Corona veſtra* ſolis Epiſcopis, non nudis Sacerdotibus datum fuiſſe contendit.

Excip. Reding: 1. *Iſidorus tonſuram clericalem apertè ab Apoſtolis inſtitutam eſſe ſcribit. Qua verò fronte Bellarmino imponis, ac ſi Apoſtolicam illam inſtitutionem impugnaſſet eo argumento, quòd Nazirai non ante depoſitionem Naziraatus tonderi ſoliti fuerint. Negas quidem Bellarminus, Monachos ex Nazaræorum imitatione tonſuram derivaſſe. Idem tamen ex Auguſtino Nazaræos inter & Monachos tale diſcrimen ponit, ut illos ceu V. T. Patres capillos longos meritò geſtaſſe; hi verò, poſtquam Chriſtus apparuit, tonſura conſecrari debeant; aſſeveret. 2. Neque par ratio eſt circumciſionis. Specialis enim circumcidendi Timothei ratio erat, qua jam ampliùs non obtinet. De tonſura autem Eccleſiæ mandatum extat 3. Germano ſuccurrat Beda, qui Hiſtor. Angl. lib V. 22. diſertè ſcribit, S. Petrum omnium primum geſtaſſe coronam capillorum, toto reliquo capite tonſo; & ad ejus imitationem omnes Clericos & Monachos idem ſuſcepiſſe. Numquid etiam à ratione alienum foret, ſi univerſis Sacerdotibus daretur, ut pro Chriſto æquè Martyrium ſubirent, ac Petrus ſubivit? Quanquam id à ſolo Deo dirigi, non ab Eccleſia præcipi poteſt. 4 Petrus ſic Dominicæ coronæ memoriale in capite habuit, ut aliis etiam rationibus eam ſibi in memoriam revocare potuerit. 5. Rationem cur non omnes Chriſtiani coronam geſtare debeant, Bellarminus prodidit; quia Sacerdotes ſpeciatim Chriſtum patientem imitari, ac proin ſpeciali etiam ſigno ornari debent. 6. Denique Sacerdotes coronam corporaliter etiam geſtarunt. Alias per coronas ſuas adjurari, & Sacerdotalis dignitas figurari non potuiſſet.* Ibid. pag. 202. 203.


Reſp. Originem tonſuræ rectiùs nos eruimus; neque tu contradicere potuiſti. Ex Auguſtino inprimis *de opere Monach. cap. 31.* (ut hoc addam) diſcimus, ejus ſæculo capillum non aluiſſe niſi delicatos, & qui nitorem elegantiámque non ſatis virilem affectabant: & *crinitos* etiam ejuſmodi *fratres* (ita S. Pater vocat) in clero fuiſſe. quos authoritate Apoſtoli 1. Cor. XI. 14. comam nutrire viros prohibentis, urget. Aliud autem eſt *alere*, hoc eſt, colere, curare ut creſcat; aliud *geſtare* capillum. Geſtabant omnes, alebant diſſoluti; ne Agathenſis Concilii Canonem 15. & pœnitentium exempla nobis ampliùs Bellarminus obducat. Juſſi adeò clerici ſunt caput tondere, hoc eſt, capillum non alere, ne quam effœminati cultus ſpeciem præ ſe ferrent. Factum ergo id primitus ob rationem moralem, non myſticam ullam; quia majorem, quàm alii, modeſtiam Eccleſiæ Miniſtri præ ſe ferre debent. Adeò autem id vulgare erat, ut Monachi quidam, quò magis ſuam ſanctimoniam notabili diſtinctóque ab aliis habitu venditarent, comam demitterent. Cùm verò poſtea res ad crines rediiſſet, & ad Chriſtianiſmum accederent gentes quædam, quæ ſemper comatæ fuerunt, veluti Galli, Germani, Angli; Clerici etiam caput

put radere cœperunt, ne comæ ornamentum ullum affectare viderentur. Demum corruptiore Seculo, cùm prisca instituta omnia vel inversa fuissent, vel in superstitionem degenerassent, quia in rasura clericali nihil cernebant causæ (neque enim quicquam retinuerunt præter stultam imitationem) ad mysteria, superiùs ex Thoma exposita, confinxerunt: quæ nunc superstitiosè nobis pro Sacramenti sui approbatione obtrudunt. Sed ad exceptiones tuas venio. 1. Ab Apostolis rasuram clericalem institutam esse, licet asserat Isidorus, probare tamen non potest. Neque ante ipsum quisquam hoc asseruit; & contrarium asseruerunt alii, uti supra ostendimus. Hieronymus certè *ad Sabinianum* tonsuram (non rasuram, neque hæc confundi debent) *morem* & *consuetudinem* vocat. Neque Bellarmino imposui. Is enim *de Monach. lib. II.* 40. apertè Isidorum, *de Offic. Div. lib. II.* 4. scribentem, Monachos tonderi ad imitationem Nazaræorum, Monachorum V. T. qui in die consecrationis suæ tondebantur, refellit his verbis: *Hæc ratio mihi non probatur, siquidem Nazaræi tunc solùm tondebantur, cùm desinebant esse Nazaræi, insignéque illorum erat longa cæsaries. Imò Epiphanius hæresi* 80. *probat, Monachos nostros debere esse tonsos, quia gerere comam longam est proprium Nazaræorum Testamenti veteris. Sicut etiam Augustinus libro de Opere Monachorum dicit, Patres V. T. meritò gestasse longos capillos, quia mysteria redemptionis nondum revelata erant. Idem enim significabant velamen positum in facie Mosis, & coma longa Sanctorum. At nunc, postquam Christus apparuit, convenit, ut qui Christo consecrati sunt, contrarium significent oblatione comarum. Et hæc potest esse ratio prima nostræ tonsuræ.* Judicet ergo lector ex Bellarmini & meis de ipso verbis, egóne Bellarmino imposuerim, an Redingius Lectori fumum venditaverit. S. Paulus tondebatur, non cùm Nazaræus esset, sed cùm Nazaræus esse desineret. Quomodo ergo vel ad ejus, vel ad aliorum Nazaræorum imitationem Monachi vel clerici tonderentur? Nam tonsi Nazaræi votum suum finiverunt, & Nazaræi esse desierunt. Ratio verò illa *prima* Bellarmini merè allegorica nihil probat; & eadem authoritate, qua dicitur, rejici potest. Nam ut potest esse, sic potest non esse. Et ignorant rationem hanc jus Canonicum & Thomas Aquinas, alias omnes tonsuræ rationes perhibens. 2. Timothei circumcidendi specialem rationem fuisse, fateor. Sed speciales etiam tonsuræ & rasuræ vestræ rationes Ecclesia vestra comminisci cùm potuerit; quidni etiam circumcisionis reducendæ comminisci possit æquè plausibiles, vel plausibiliores etiam? Eadem ratione qua comæ depositio temporalium curarum depositionem figurare potest: circumcisio etiam peccati & concupiscentiæ depositionem, Clero æquè necessariam, significare potest. Fœcundum esse humanum ingenium in congruentiis & mysticis significationibus inveniendis, tot mysteria à vobis inventa, & ceremoniæ juxta illa multiplicatæ, palam commonstrant. Eadem licentia si uti Ecclesia vestra voluerit, nulli aggeres cohibebunt, quò minùs universæ Judæorum, Gentilium, & novæ etiam ceremoniæ innumeræ Ecclesiam inundent obruántque. Et de circumcisione quidem jam fatentes habemus Scholæ vestræ doctores, imò Ecclesiæ Cardinales. Cusanus enim Cardinalis, à Lorino *in Act. XVI.* 3. citatus; *Si major*, inquit, *pars orbis consentiret, possemus assumere circumcisionem.* Et Card. Cajetanus 3. *p. q.* 37. *art.* 1. *Si*, inquit, *conformitas referatur ad Christum circumcisum, corporaliter tantùm ratione similitudinis in patiendo (quia scilicet vult sequi Christum in dolore circumcisionis) non malus, sed laudabilis redderetur actus circumcisionis. Bonum adjunctum actui non malo habet unde bonificet actum illum.* Macte viri, sic itur ad Apellas! Sic aliquando bono fine Judaismum, & quid non restituetis? 3. Germanus ille ὁ ἱεροσολυμίτης, qui de Petri tonsura illa & Græcis & Latinis Patribus omnibus incognita, id neus testis admitti queat? Amalarius sanè *de Of-*

fic.

Hist. Eccl. lib. III. authoritatem Germani tanti esse negat, ut nullo alio teste adducto fidem hic mereatur. Et duplicem coronam circumpositam capiti Sacerdotis idem Germanus *Theor. Eccl. p.* 149. εἰκονίζειν τὴν τοῦ Ἀποστόλου Πέτρου τιμίαν κάραν, *imaginem referre venerandi capitis Apostoli Petri.* Alia longè mysteria novis mystagogis placent. Neque Germano succollat Beda, loco à te citato. Ille enim violentam, à gentilibus pœnæ loco inflictam, (cui apud Bedam *Hist. Eccl. lib. IV.* 8. Ceolfridus astipulatur) hic voluntariam, *in memoriam Dominicæ passionis* (sic Beda loquitur) S. Petri tonsuram nobis depingit. quod incertitudinem rei gestæ auget. Neuter etiam authoritate aliqua dictum confirmat. Si, quod Germanus & Ceolfridus scribunt, Petro & Johanni etiam Evangelistæ (juxta Pseudo-Prochorum) à Domitiano ignominiæ causa demum capita rasa sunt, non ergo priùs Apostoli rasura usi sunt. Neque ratio ulla est, cur hoc stigmate Clerici vel Monachi uti voluerint, præteritis pluribus aliis stigmatibus; inprimis cùm interdictum Dei expressum illos haud quaquam fugerit. Si tamen ita est, uti sive Germanus, sive Beda narrat, Monachi causam obtinebant adversus Presbyteros, Petri τοῦ συμπρεσβυτέρου *toto capite detonso capillorum coronam gestantis,* uti Beda loquitur, exemplum negligentes. Equidem haud absonum foret, si Sacerdotes vestri universi, Deo vocante, martyrium subirent. At nec martyres cum Petro esse possunt, non præditi Petri fide: & pati pro Christo non assueverunt illi, Martyres facere, quàm martyria pati promptiores. Quanquam nihil ad rem exceptio tua facit; quia Clericos & Monachos non coactos, sed volentes lubentes Petrum imitatos esse, Beda ex Ceolfrido, & Jacobus de Voragine in Legenda aurea *de Cathedra Petri* commemorant. Pariter ergo non coacti ab hostibus, sed lubentes volentes se pedibus sursum honoris causa crucifigendos, flagellandos offerre deberent. 4. Neque satis Petrum purgas. Licet enim variis modis spineæ Christi coronæ memoriam recolere ille potuisset; haud tamen decorum illi fuisset, imitatione tali memoriam suffulcire, & eo quidem modo, qui à gentilibus olim tritus, & à Deo ipso prohibitus est. Rasura enim neque ad eos, qui sacris addicti sunt, neque omnino ad ullum virum gravem pertinet, utpote quæ servilis habetur, ridicula, morionum propria, mollitiei macula infamis, ignominiæ, calamitatis, noxæque index, indecora, calvitio depili affinis, imò voluntarium ultróque accersitum calvitium: denique scriptis Divinis repugnans, atque impietatis etiam ingratique erga Deum animi rea: uti eleganter Doctissimus Hadrianus Junius *de Coma cap.* 2. collegit comprobavítque; secundas ei Balthassare Bonifacio Rhodigino, Protonotario, Abbate & Archidiacono Tarvisino *Histor. Ludic. lib. XII.* 21. totidem verbis faciente. 5. Tametsi verò Sacerdotum inprimis est Christum patientem imitari; nulla tamen ratio, cur imitationis illius signum, corona ejusmodi, non æquè vel magis omnibus Christianis (siquidem exemplo Petrus & primi Christiani præivissent) communicari debeat. Signa enim infirmis maximè inserviunt. Plebeii autem quàm Sacerdotes infirmiores censentur. Et illi, æquè ac hi Christi spinarum recordari debent. 6. Cur verò *adjurari per coronas* Sacerdotes, sine corporali coronæ signo non potuissent? Nam figurari per coronam externam in capite Sacerdotalem dignitatem, nemo veterum dixit. Hieronymus *Epist. ad Aug.* 26. ita scribit: *Fratres tuos, Dominum meum Alipium, & dominum meum Evodium, ut meo nomine salutes, precor coronam tuam.* Et Augustinus *Epist.* 147. *Per coronam nostram nos adjurant vestri, per coronam vestram nos adjurant nostri.* Precatur *coronam* fratrum Hieronymus. Sic *coronam suam* Philippenses S. Paulus Phil. IV. 1. insignit. An externa Sacerdotali corona & illi iccirco redimiti fuerunt?

runt? Sed mera hæc dictionis fallacia est. Inoleverat jam eo tempore inconditus ille barbarismus, *Fraternitas tua, Sanctitas tua, Dignatio tua*, &c. pro eo, quod dicendum simpliciter fuerat, Tu. Sic *coronam tuam* scribebant Episcopis & Sacerdotibus μετωνυμικῶς, pro eo, quod est, *Regnum Sacerdotale tuum*, non, *Tonsura tua*: Sic Chrysostomus *l. cit. Hæc est dignitas vestra, hæc corona principalis*. Non ideo Auditores suos extus coronatos dicere voluit. Alibi idem est *corona tua*, atque *Tu*. ex recepto illo barbarismo. Hæc nihil ad probationem coronæ externæ, significantis. Quæ non tam Sacerdotis Christi symbolum est, quàm spiritualis Tyri, quæ Esaj. XXIII, 8. המעטירה *coronatrix*, hoc est, non tantùm *coronam gerens* (uti Papa & tonsam & trifidam gestat) sed etiam *coronarum diribitrix*. Nam & Imperatoribus, Regibus, Principibus coronas distribuit auferque pro lubitu: & Sacerdotes tonsis *coronis* beat, ut charactere frontibus capitibusque eorum impresso notitiam habeat eorum, qui negotiandi secum facultatem habent, Apoc. XIII. 16. Hoc, non aliud, coronis mysterium subest.



QUÆSTIO V.

An in Ecclesia Catholica Divina ordinatione sit constituta Hierarchia, constans ex Episcopis, Presbyteris & Ministris?

AFfirmat Caput IV. & Canon VI. Quos faciant Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum gradus, supra ex Gratiano vidimus. Tametsi observandum sit, hodie Archiepiscopos & Metropolitanos non esse distinctos, sicut olim fuerunt. Jam si per Hierarchiam intelligerent Ministerium Ecclesiasticum divinitus ordinatum, & in eo diversos Ministrorum gradus vel divino vel Ecclesiastico jure ad Ecclesiæ facilius regimen constitutos, non rem ipsam quidem rejiceremus, tantùm vocis, quæ *principatum* quendam ab Ecclesiæ Ministris alienissimum tinnit, insolentiam taxaremus. Nam etsi jure divino pares sunt omnes Ministri, non tamen ægrè ferremus προστασίαν aliquam & ὑπεροχὴν Ecclesiastico jure ad custodiendam εὐταξίαν generali mandato Ecclesiæ injunctam ac definitam. Sic pleræque Ecclesiæ Protestantium retinent Antistites, Inspectores, Superintendentes, Decanos, Seniores, Episcopos, quibus eminentior quædam non potestas equidem; sed dignitas & authoritas, quàm reliquis Pastoribus ecclesiastico jure competit. Eas etiam dignitates Episcoporum, Metropolitanorum, Patriarcharum, quæ in Concilio Nicæno ad servandum ordinem, humani non divini juris necessitate approbatæ

sunt,

ſunt, nulli impugnamus. Sed Hierarchia Papiſtis eſt mera dominatio in ſpiritualibus Ordinum quorundam, quorum alii aliis ſuperiores Divino jure ſtatuuntur. Supremum faciunt Hierarcham Papam, tantùm non omnipotentem Dominum. Cæteri ei ſubalternantur, qui jurisdictionem, uti vocant, ſpiritualem vel immediatè à Deo, vel à primo Hierarcha, quod poſterius hodie curia Romana tenet, & in Concilio à Lainezio animosè aſſertum eſt, participant. Talem Hierarchiam in Eccleſia Catholica eſſe negamus. Etenim.

ARG. I. Hierarchia Papalis nec quoad vocem, nec quoad rem voce ſignatam divino verbo eſt definita. De voce palam eſt, utpote quæ non ἄγραφος tantùm, ſed planè ἀντίγραφος, nec ante Pſeudo-Dionyſii ſeſquipedalia & ampullata ῥήματα in Eccleſiam invecta, audita eſt. De re, patet ex ſilentio. Quin 1. Cor. XII. 28. Epheſ. IV. 11. ubi ordines Eccleſiæ N.T. panduntur, de Hierarchia nullus apex eſt. Et in Apoſtolis talem Hierarchiam quis demonſtrabit? Ubi ergo Divina Hierarchiæ ordinatio?

RESP. REDING: 1. *Vocis Hierarchiæ Apoſtolica origo ex Dionyſii Areopagitæ, Apoſtolis coævi authoris libro, de Hierarchia Eccleſiæ ſcripto, Apoſtolica eſſe ſatis cognoſcitur. Rem ipſam S. Ignatius in Epiſt. ad Philipp. pandit his verbis:* Presbyteri ſubjecti eſtote Epiſcopis, Diaconi Presbyteris, populus Presbyteris & Diaconis, &c. *En Eccleſiaſtici regiminis ſubordinationem! 2. Annon S. Paulus 1. Cor. XII. 28. meminit gubernationum? Et Epheſ. IV. 10. 11. de Eccleſiæ perpetuo ſtatu loquens, gubernationes illas ſic diſtinguit, ut Apoſtolos, poteſtate utique excellentes, reliquis præponat? 3. Sed & Hierarchicum in Eccleſia ordinem S. Antiochus Heraclii tempore circa A. 614. homil. 122. pluribus & eleganter deſcripſit.* Tomo IV. Tract. X. ſſ. 2. pag. 204. 205. Reſp. 1. Bene eſt, quòd in prima phalange Scriptores non alios quàm ſubleſtæ fidei collocare potuiſti. Non hi cauſam veſtram ſuſtentant, ſed ruentem dejiciunt. Uterque & Dionyſius, & Ignatius ſuppoſititius eſt, quod & veſtri ac inter eos nuper Sirmundus, Jeſuita, Launojus Sorboniſta, (qui authorem librorum illorum non Dionyſium Athenienſem, ſed alium quempiam Calcedonenſi Concilio haud antiquiorem authorem fuiſſe probant) aliique plures, & fere omnes, quibus aliquid in læva ſalit, agnoſcunt, & noſtri, ac inter eos accuratiſſimè Celeberrimus Dallæus, ad nauſeam uſque adverſus tui ſimiles διϊσχυριζομένους demonſtrarunt. Ne ab inſtituto argumento diſcedamus Dionyſianæ νοθείας argumentum ſuppeditat vel ipſa illa ἱεραρχίας Hierarchiæ vox. Non modò Eccleſia omnis, ſed ipſi etiam Apoſtoli, eos qui Chriſti gregem paſcunt ἐπισκόπους *Epiſcopos* appellarunt. Dionyſius ne ſemel quidem eo nomine uſus, eos *ἱεράρχας, Hierarchas, & τοὺς τῆς ἱεραρχίας ἐπωνύμους ab Hierarchia cognominatos,* novè, conſtanter & ubique dixit, planè præter Apoſtolorum & Apoſtolicorum hominum morem. Si Apoſtolici ævi fuiſſet, poterat illi ſuo vocabulorum apud Eccleſiam inuſitatorum ſtudio ſatisfacere, ſi eos non *Hierarchas*, ſed *Ἀρχιερεῖς Archiereis* (quod idem ſonat) vocaret. Hoc enim apud Græcos multò quàm illud notius eſt; apud Apoſtolicos utrumque in hoc quidem ſenſu æquè ignotum. Cur ergo ille *Hierarchæ* nomen,

 quod

quod rarius est, ἀρχιερέως nomini, quod & communius & rectius est, prætulit? Scilicet vixit ille secutis post primum & secundum Seculum temporibus, quibus præter Apostolicum morem receptum est, ut *Episcopis* etiam ἀρχιερέων *Pontificum* nomen in Ecclesia tribueretur. Ἀρχιερέως autem nomen, suo Sæculo usitatum, Author ille pro suo ingenio & more fastidivit meritò, & cum ἱεράρχου *Hierarchæ* nomine usitato commutavit. Habes verissimam vocis originem, non Divinam, non Apostolicam, sed hierophanticam & recentioris ævi. Eadem porro fide, eodem successu rem Hierarchiæ ex Ignatio, quo vocem ex Dionysio Areopagita probas. De ejus epistolis sic Dionysius Petavius vester, Vir Doctissimus *Append. T. 3. de Hier. Eccl. lib. II. c. 8. §. 1. Tom. 4 Theol. Dogm. Par. 2. pag. 747.* scribit: *Equidem haud abnuerim, epistolas Ignatii variè interpolatas, & quibusdam additis mutatas, ac depravatas fuisse; tum aliquas esse supposititias.* Laudátque inprimis Epistolas septem ex Florentino Codice à Doctissimo Isaco Vossio Græcè, & antehac ab Usserio Armachano Latinè editas, *multum à vulgatis,* inquit, *hactenus discrepantes.* Quas inter illa ad Philippenses, ut & aliæ octo, eidem Ignatio tributæ, haud comparent. Sex priores à Vossio ex Florentino Codice Græcè, & ab Usserio ex Anglicano Latinè editas verè Ignatii authoris esse, iidem censent. Sed & illas & reliquas post Ignatii mortem confictas, omniáque adeò Ignatiana falsa spuriáque esse, viri ἐξοχώτατοι Salmasius, Blondellus & Dallæus demonstrarunt. Imò jam octo abhinc Seculis Nicephorus Constantinopolitanus Archiepiscopus in στιχομετρίᾳ Georgio Syncello in libro antiquissimo præfixa, & à Salmasio eruta, atque ab Anastasio etiam Bibliothecario *Histor. Eccl. p 3.* sub nomine *Chronographiæ,* cujus ultima pars est, laudata, omnia scripta Ignatio tributa inter ἀπόκρυφα, *apocrypha* & spuria numeravit. Quæ obiter hoc loco dicenda fuerunt, quia Ignatii potissimùm scuto Hierarchici se tuentur. Sed ipsa illa, quæ ex ejus ad Philippenses epistola objicis, verba νόθον ejus produnt. Sic enim loquitur: ὑποτάσσεσθε τῷ ἐπισκόπῳ, τοῖς πρεσβυτέροις, τοῖς διακόνοις. *Subjecti estote Episcopo, Presbyteris, Diaconis.* Quanquam enim his verbis Hierarchia Pontificia neutiquam stabilitur, quia nec principem Hierarchiæ Papam illa exprimunt, nec subjectio quævis Hierarchicam dominationem in spiritualibus & temporalibus (qualem sibi Papa & arrogat & usurpat) constituit tamen ne genuina quidem Ignatii esse possunt. Atqui Apostolici sermonis non modò non eadem, sed diversa & contraria lex est. Fatetur Bellarminus *de Cler. lib. I. 15.* ubi ex Chrysostomi & aliorum multorum commentario dicit, *Apostolorum tempore nomina illa Episcopus & Presbyter, communia fuisse omnibus Sacerdotibus, tam majoribus, quos nunc Episcopos dicimus, quàm minoribus, quos Presbyteros appellamus: licet res ipsa & potestas distinctæ essent.* Et paulò post: *Ad hæc omnia,* inquit, *uno verbo respondetur, nomina* (Episcopus & Presbyter) *eo tempore* (quo vivebant Apostoli) *fuisse communia, & propterea in his omnibus locis veros etiam Episcopos Presbyteros appellari.* Ignatius ergo neque Apostolorum tempore vixit, neque Apostolicus fuit, quia secus quàm Apostoli, Episcopi & Presbyteri nomina distinxit, quod Apostolos non fecisse, haud solus Bellarminus, sed olim etiam Hieronymus, Chrysostomus, aliíque Patres observarunt. Non jam dicam, in eadem ad Philippenses Epistola Ignatium severè satis sciscere, *Eum, qui diem Dominicum aut Sabbathum, uno excepto, jejunarit, Christi interfectorem esse:* nec non, Eum, *qui cum Judæis Pascha celebrat, aut symbola festivitatis eorum recipit, participem esse eorum, qui Christum & Apostolos occiderunt.* Atqui solenne vobis est, sabbatho jejunare: & Polycarpus, cui Epistola illa in-

scribitur,

scribitur, cum Judæis Pascha celebravit. Quid tibi, Redingi, videtur? 2. De loco 1. Cor. XII. 28. in objectionibus agimus. Neque in altero Ephes. IV. 10.11. ullum causæ suæ præsidium est. Nam Apostolorum, Evangelistarum, Prophetarum munera & extraordinaria fuerunt, & procul ab omni Hierarchica dominatione & insolentia remota. Figmentum enim tuum, quòd Apostolicus gradus, quatenus à communi Pastorum munere is distinguitur, cum perpetuo Ecclesiæ statu conjunctus sit, supra planè jugulavimus. Certè Papa vester Apostolus non est. Non enim vel à Christo in totum orbem missus est; nec in toto orbe Evangelium prædicat: sed Romæ dominans Evangelium persequitur, & crucem Christi pedibus (quorum sandaliis crucem insculptam gerit) conculcat. Pastorum porro & Doctorum munera ordinaria nil commercii cum Hierarchia vestra habent, quia nec distinctio Ordinum iis inest, nec dominatio Hierarchica competit. Pascere enim & docere non est dominari & grassari; sed ovibus Christi pabulum verbi Divini ex præscripto Christi suppeditare. quòd Hierarchæ vestri non faciunt, non facient unquam. Quid verò multis? Hierarchiæ gradus summus, Papatus, consortem meminem admittit. Atqui omnes ab Apostolo memorati consortes admittunt. Dedit enim Christus *Apostolos, Pastores*, non Apostolum, Pastorem. 3. Denique qua fronte Divinam Hierarchiæ institutionem probaturus, provocas ad septimi Seculi Scriptorem Monachum, Antiochum: cujus ætate, jam Hierarchiam genius Romuli peperit & exclusit? Neque in ejus testimonio præter sesquipedalia, à Pseudo-Dionysio Areopagita, nisi fallor, petita & recocta videas.

ARG. II. Pontificis Romani Oecumenicum Papatum, jurisdictionem Ecclesiasticam, & legum ferendarum potestatem αὐτοκρατορικὴν superius refutavimus. Episcopi quoque Divino jure Presbyteris sunt pares, uti in sequente quæstione probabimus. Cùm igitur Episcoporum supra Presbyteros elatio, Oecumenicus Papatus, & Ecclesiastica jurisdictio Hierarchiæ hujus sint fundamenta & cardines, ruentibus his ipsam quoque corruere necessum est.

RESP. REDING: *Et Oecumenicum Papatum à Christo institutum esse, supra probavimus: & Episcopi à Presbytero distinctionem probamus infra. Constant ergo Hierarchiæ fundamenta.* Ibid. pag. 208. Resp. Probasti apud rerum ignaros. Nos fundamenta isthæc concussimus.

ARG. III. Divino jure omnis dominatio Ministris Ecclesiæ est interdicta Luc. XXII. 25. 26. 1. Pet. V. 3. Hierarchia autem sibi arrogat ἀρχὴν dominatum, principatum, imperium in verbum Dei, Concilia & conscientias hominum, quas legibus propriè dictis in verbo Dei non extantibus obstringere sibi conatur. Et rectum est judicium quorundam Criticorum apud Historicum lib. VIII. pag. 670. *Si stylum dicendi & modum operandi Servatoris nostri, Apostolorum & antiquæ Ecclesiæ sequi voluissent Patres*, non Hierarchiam, *sed* Hierodiaconiam, *vel* Hieroduliam *statuissent.*

RESP. REDING: 1. *An nescis distinguere inter jurisdictionis & proprietatis dominia?*

Hoc ad propriam, illud ad publicam utilitatem & salutem ordinatur. Posteriorem tyrannorum dominatum Christus Pastoribus prohibuit, non priorem, in potestate & exercitio clavium, adeóque leges ferendi & judicandi consistentem. 2. *Criticorum illorum à Suave inductorum crisin de voce Hierarchiæ cum voce Hierodiaconiæ commutanda Pallavicinus lib. XXI. cap. 13. §. 14. &c. diluit.* Ibid. pag. 205. Resp. Cur à dominio proprietatis orsus, de finis in tyrannica? An enim quodvis proprietatis dominium tyrannicum esse putas? Næ insanis multùm. Sed præterea & dominium quodvis, etiam *jurisdictionis* cujusvis externæ, sive ad proprium, sive ad alienum commodum relatæ, Christus, quosvis Reges dominantes Ecclesiæ Ministris opponens, Apostolis prohibuit (nam etiam κατεξουσιάζειν, κατακυριεύειν S. Matthæo cap. XX. 25 usurpata verba, quodvis etiam legitimum dominium notant, uti tum interpres Lucas omni exceptione major, qui cap. XXII. 25. κυριεύειν simpliciter habet, & dominantes, ita εὐεργέτας *beneficos*, uti Principes quivis Hebræis נדיבים *munifici, liberales* vocantur; quales certè tyranni non sunt, appellat, docet: tum Græcus Interpres, vocem רדה legitimum dominium notantem per κατακυριεύειν creberrimè reddens, fidem facit) & Papæ dominium merè δεσποτικὸν in Imperatores, Principes quosvis, Clerum, populum, ad proprium ejusdem dominantis commodum, quo inexplebilem avaritiam & ambitionem ac παμβασιλείαν suam alit & profert, totum refertur. Quid magis tyrannicum est, quàm subjectos sibi serviliter habere? Papa autem serviliter habet omnes; Imperatores ipsos (o impietas!) dejicit ad oscula pedum, ad aquam manibus lavandis fundendam, ad stapham tenendam. Sed plura hanc in rem alibi fusissimè verissiméque dicta repetere non libet. Certè Babylonica Mulier, Hierarchiæ symbolum, sedens super aquis multis, & Regnum habens super Reges terræ Apoc. XVII. 1. 18. non πολιτικῶς, credo, sed δεσποτικωτάτως dominatur. 2. Nos quoque in loco Pallavicini illam ἐπίκρισιν examinabimus. Summa ejus huc redit, quòd voces illæ ἱεροδιακονία & ἱεραρχία vim nullam habeant ad exprimendam authoritatem & inæqualem dignitatem graduum: quódque nomen Diaconorum à Suavi universo Ecclesiasticorum ordini tributum, in N. T. singulariter attribuatur ordini postremo. Supponit ergo maximè dubiam authoritatem & inæqualitatem graduum, quam infra oppugnamus: (quanquam inter servos etiam graduum inæqualitatem dari, ipse Papa documentum præbet, cùm Episcoporum, quibus servis utitur, & Ordinum ministrantium diversos gradus statuit) & διακόνου *Diaconi seu Ministri* vocem universis Ecclesiasticis, ipsique etiam Christo & Apostolis in N. T. creberrimè tributum, ignoravit. Nisi forte Cardinalem Regibus adæquatum humilitatis Christi & Apostolorum puduit.

ARG. IV. Formam Hierarchia Papalis nullam habet. Quod satis constat Disputationibus Theologorum Pontificiorum, quorum alii formam ejus faciunt charitatem, alii fidem informem, alii unitatem, alii baptismum. Horum autem nihil esse de essentia Hierarchiæ patet, quia unitas est affectio generica in eo quod est unum; cætera autem cùm dubia semper sint, nec appareat certò in Hierarchis illa existere, Hierarchiam ipsam planè incertam redderent. De eo argumento configentes in Concilio Patres apud S. Polanum *lib. VII. pag. 537.* vide.

Resp. Reding: *Hierarchia Rom. XII. 4. (non 41.) dilucidè ab Apostolo exprimitur similitudine membrorum humani corporis, quæ multa licet & diversos actus habentia, unum*

num tamen corpus sunt. Sicut ergo corporis humani materialis unitas in accidentali membrorum organizatione, ceu quadam connaturali dispositione ad functiones humanas animæ viribus exercendas; formalis in relatione potentiarum vitalium ad animæ substantiam, nec non in præcisa corporis etiam organici formalitate, & corporis qua viventis, imò quâ rationis specifica quidditate; causalis in actuali activa & passivæ communicationis coordinatione inter ejusdem corporis membra consistit: ita Ordinis Hierarchiæ unitas in genere causæ materialis in charactere Baptismali, qui habiles reddit ad universas Ecclesiæ proprias, tum Sacramentorum, tum jurisdictionis Ecclesiasticæ actiones recipiendas; in genere causæ formalis tum in fide respectu Ecclesiæ sub præciso mystici corporis conceptu spectatæ, tum in gratia sanctificante respectu Ecclesiæ, qua vivi in Christo corporis consideratæ; in genere causæ efficientis tum in supernaturali religionis & charitatis aliarúmque virtutum infusarum habitibus, tum in potestate Ordinis, nec non jurisdictionis Ecclesiasticæ facultate consistit; ex quibus universis qua virtutibus, qua moralibus ad Christiani populi regimen facultatibus actualis fidelium ad suos pastores subordinatio Hierarchica, subiens formalem actualem Mysticæ unionis rationem, prodit. Ibid. pag. 205. 206. *Resp.* Putre fundamentum est, cui Hierarchicæ formæ domum tuam superstruis. Neque enim corpus illud unum, cujus multa membra, non eandem praxin habentia, Apostolus constituit, vel Hierarchia est; vel unitatem aliam habet, quàm in Christo. Non Hierarchia est, quam corporis illa in Christo unitas excludit potiùs, saltem nusquam includit. *Quemadmodum enim*, sic S. Paulus v. 4. 5. 6. loquitur, *in uno corpore membra multa habemus, membra autem non omnia eundem habent actum: sic multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alii aliorum membra; habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes; sive prophetiam, sive ministerium &c.* Sumus ergo *πολλοὶ multi unum corpus*, adeóque invicem debitores, uti unum membrum alteri & toti corpori opitulari tenetur: sumus *membra*, non omnes omnia dona & opus idem habentia: sumus membra multa *unum corpus in Christo*, qui habitat in omnibus membris, & in ea influens dona sua liberè distribuit. Hoccine Hierarchiæ, & soli quidem convenit? Soli ne *corpus* Christi sunt; soli *membra* Christi; soli *unum in Christo*? Imò hoc totum *τῇ ἐπάρσει elationi*, qualis in Hierarchia est, opponitur, quia tantùm *membra* sumus, non *caput* (quale Hierarchia, & ejus cumprimis Princeps Papa haberi vult) & sine Christo unico capite nihil possumus facere; & Christum, qui est in omni membro, & in eo agit, & unicuique mensuram fidei impertitur solus, nemo immediatè solus sibi vendicare, vel subjicere potest. Quod Papa Hierarcha supremus facit, sibi soli immediatum Spiritus Christi influxum, & membris nonnisi mediante se, vendicans, simúlque spiritus sui *δοκιμασίαν*, explorationem severissimè vetans, & ad humanum obsequium omnes adigens, quasi membra singula debeant esse unum, saltem immediatè in se, & non in Christo. Certè qui in Christo est, is jam in corpore est. Non igitur datur dictatura capitis alterius, sive oppositi, sive subalterni. An enim priùs possumus credere Papæ, quàm credamus in Christum? Sic profectò Papa notior erit Christo; proin ei credendum non propter Christum, & in nomine Christi, sed *ἐν ὀνόματι ἰδίῳ in nomine proprio*. qui Pseudochristi character Joh. V. 43. statuitur. Si autem priùs credendum est in Christum, quàm Papæ credimus, & per fidem sumus in Christo, Papa non erit caput, quia jam sumus in corpore sine fide Papæ; neque Papa nobis quicquam tradere potest, absque quo credito non simus in corpore. Si verò in Christum credimus, ut credamus Papæ, jam Christus non erit doctor, sed index doctoris; certè non solus

erit

erit doctor, authenticus puta & infallibilis. En exclusam à corpore Ecclesiæ Hierarchiam! Si non excluditur, certè non includitur. Ubi enim in membris corporis illius reperire est caput dominans *αὐτοκρατορικὸν*, Papam: ubi Episcopos à Presbyteris distinctos: ubi Sacerdotes sacrificantes: ubi ministros Sacerdoti sacrificanti auxiliares manus porrigentes? *Prophetas* juxta analogiam fidei prophetantes: *Ministros* tum *docentes*, tum *exhortantes*, tum impertientes, tum *προϊσταμένους pro fratribus stantes*, præsides. Presbyteros, Episcopos, ductores, tum *miserantes* reperire est: Pontificem, Sacrificulos sacrificantes, Cardinales, Primates, Archipresbyteros, Archidiaconos &c. nullos; & in eodem munere consortes, æqualísque adeò gradus; cujusmodi consortes summus gradus nullos patitur. Neque etiam corpus illud unitatem habet in alio quàm in Christo, capite unico; quam unitatem Hierarchia neutiquam habet. Non ergo Hierarchia est illud corpus Christi, constans diversis membris, diversos actus habentibus, & per *μέτρον πίστεως mensuram fidei* (v. 3.) ejusdem unum in Christo. Corpus omne subjectum capiti, eidem dominanti inservit, non ipsum inferiori cuipiam corpori unito dominatur. Vestra Hierarchia neque subest ulli capiti, sed ipsa caput spurium in se continet, veréque capitis Christi jugum excutit; & dominatur corpori inferiori; Papa clero; clerus populo. Quale hoc corpus est? Monstrosum planè & heteroclitum. Vana igitur tua ex Apostolo collectio est: vana Hierarchiæ cum humano corpore collatio. Non discutiam hic illam corporis humani à te expositam *materialem, formalem* &c. unitatem. Neque enim de unitate materiali, formali vel causali Hierarchiæ ratio nostra loquitur, sed de Hierarchiæ forma. Non puto enim, vel eam in materiali, formali & causali ejus unitate consistere: vel Theologos in Concilio de omnibus his unitatis speciebus disputasse. Disputarunt de forma, narrante Suavi, & non contradicente Pallavicino. Alii eam in *charitate* constituerunt. Quam tu rationem *causalem*, seu causæ *efficientis* Hierarchiæ facis. Sed opponebant Theologi in Concilio, hanc esse hæresin Wiclefi. Et quid, ajebant iidem, fiet Prælato, charitatem amittenti? An sic extra Hierarchiam erit, & authoritatem amittet? Quæro ego, quid futurum sit Prælatis, qui micam charitatis nunquam ullam habuerunt, vel habebunt. quorum non minima forte apud vos pars est? Sunt scilicet illi Hierarchæ Papæ, sunt Diotrephes; fideles Christi Ministri non sunt. Alii Hierarchiæ formam *Baptismum*, seu *characterem Baptismalem* ponebant; quem Tu corporis hujus ecclesiastici materialem causam designas, quia is *habiles reddit ad universas Ecclesiæ proprias, tum Sacramentorum, tum Ecclesiasticæ jurisdictionis actiones recipiendas.* Quæ materia sic generalis est, ut tantùm non prima dici possit. Neque video, qua ratione vel dispositio habilis reddens ad recipiendam formam, rei materia, nedum forma (de qua Conilii Patres controverterunt) statui: vel baptismus, qui per se Sacramentum est, ad alia recipienda ordinari queat. Præterea urgebant Theologi, populum Christianum sic incertum fore, cui obediat, quandoquidem ad Baptismi essentiam ex Concilii determinatione requiratur intentio Ministri, occulta & in pectoris Sacerdotalis penetrali abstrusa penitus; adeò ut vix possit de quoquam liquidò affirmari, eum baptizatum esse. Alii formam ejus *fidem informem* statuerant, quam tu quoque respectu Ecclesiæ sub præciso mystici corporis conceptu spectatæ *causam formalem* Hierarchiæ appellas. Sed opponebatur in Synodo, eadem difficultate urgeri, qui ita sentiunt, qua ii, qui charitatem formam dixerant, quia Prælatus in abdito animi infidelis, fidem extrinsecus simulare possit. Si ergo is ad Hierarchiam non pertineat, populum

lum Christianum ambiguum hæsurum, cui obediat, cùm de omnibus dubitari possit, nec interdum sine causa. Quid si, inquiebant illi ipse Papa incredulus esset. Annon sic universa Hierarchia periret? Denique alii ex Cardinalis Turrecrematæ sententia in *unitate* formam Hierarchiæ collocarunt. Sed meritò etiam his saniores opposuerunt, unitatem esse passionem genericam cujusvis entis; quin & effectum esse formæ eam producentis. Nihil ergo certi vobis de forma, hoc est, essentia Hierarchiæ, quæ Papatus quinta essentia est, constat. Interrogatus ego sententiam hunc in modum dicerem, cùm Hierarchia sit totum quoddam aggregatum ex Papa, mysterii & sanctitatis prætextu, sine fide & charitate tamen, dominante absolutè, & Clero reliquo, dominationis instrumentis, adeóque Papæ in subigendo Christiano populo imperata per cœcam obedientiam, sine fide & charitate, facientibus; formam Hierarchiæ modernæ in conspiratione sceerima Papæ populo Christiano dominantis, & Cleri imperata ejus facientis, consistere. Divinent alii rectius.

ARG. V. Hieronymus disertè scribit Comment. in Tit. I. antequam Diaboli instinctu in Religione schismata fierent, Ecclesiam gubernatam esse communi consilio Presbyterorum. Et luculenta narratio de Hierarchiæ initiis, & ejusdem per crescentem potentiam Papæ mutatione insigni, extat apud Suavem lib. II. pag. 195. Sed & M. Antonius de Dominis *de Rep. Eccl. lib. III.* 2. Ecclesiasticam Hierarchiam inter Episcopos, & Ecclesiam jure solo humano Ecclesiastico institutam esse, solidè probat. Nempe sicut ad vitanda schismata & confusionem tollendam singulorum Episcoporum potestas jure Ecclesiastico certis sedibus & Diœcesibus arctata fuit: ita eodem jure & eadem ratione, ut unitas & concordia inter ipsos Episcopos servaretur, Provinciæ etiam Ecclesiasticæ divisæ & multiplicatæ fuerunt, ut unius provinciæ Episcopi in rebus quibusdam Ecclesiasticis illi Episcopo subessent, qui in Metropoli civitate suam sedem haberet. Hinc Metropolitani. Rursus eandem ob rationem Metropolitani plures in certis casibus uni Primati in Regia civitate residente subditi sunt. Hinc Primates seu Archiepiscopi. Demum & Primatibus, & Metropolitanis, & Episcopis unus Patriarcha in tota regione aliqua, in certis similiter caussis præsidebat. Hinc igitur Patriarchæ. In hos quoque Romanus Pontifex maturè imperium ambivit, sed serò exambivit. Quæ omnia ex Antiquitatis visceribus tum laudati Authores, tum magnum in literis nomen Claudius Salmasius in eruditissimo de *Primatu Papæ* opere manifestissima fecerunt.

RESP. REDINO: 1. *Jam olim Nuntius Apostolicus Alexander in publicis Imperii Comitiis adversus Lutherum demonstravit, Papam supremum principatum suum ne potuisse quidem injuria occupare, cùm nec Alexandri phalanges, nec Cæsaris Legiones pro se instructas habuerit; nec homines natura imperii appetentes, & subjectionis inimici nisi aperta vi sub jugum mitti se patiantur: & neutiquam publicè expediret, Papam à possessione*

Principatus fastigio deturbare, quia sic quilibet Episcoporum supremum in Diœcesi sua imperii culmen teneret, & una tyrannis extincta innumeras pareret. Quin & sperare liceat, unum Pontificem probum, ministrorum auxilio & humana laudis cupidine probè, vel tolerabiliter saltem Christi gregem pascere posse: at plurimos Episcopos, non à Cardinalibus vel eorum Senatu, sed à popularibus Presbyteris electos, parvóque censu & exiguis finibus contentos, idem præstituros, sperare non licet. Unde non ab hominibus sed à Christo Papæ principatum institutum esse, colligere licet. 2. Illa Episcopalis, Archiepiscopalis & Patriarchalis in Ecclesia certis limitibus jurisdictionis circumscriptæ enumeratio, quam ex Antonio de Dominis repetis, unici duntaxat Hierarchici generis pars, eáque omissa primaria Papæ jurisdictione à Christo ipsi tributa, imperfecta est. A particulari autem ad universale non licet arguere. In Hierarchia ergo, qua jurisdictionem Ecclesiasticam importat, primum locum obtinet Pontificia potestas, à Christo immediatè collata Petro cum ordine ad perpetuum Ecclesiæ statum. Qua verò eadem Sacramentales Episcopatus ac Sacerdotii ordines continet, Divini juris immediatam constitutionem habet. 3. Fatemur interim, Episcopo cuivis à Christo definitos non esse suæ Diœceseos limites; atque hactenus locum esse Hieronymi sententiæ, quòd antequam ex indeterminato Ecclesiæ regimine orta fuerunt schismata, communi Presbyterorum seu Episcoporum regimine Ecclesia gubernata fuerit. Sed non hic sensus Hieronymi fuit, quasi unus esset Episcopatus, cujus singuli partem regant, peculiariter suæ curæ demandatam, non tamen ut propriam; sed sic, ut juncti omnes totam Ecclesiam regant. quod à Suavi excogitatum, à Salmasio defensum & Cypriani testimonio tectum, Pallavicinus latè refutat. Ibid. pag. 205—214. Resp. 1. Hieronymus ille Aleander, non vana spe purpuræ, quam à Leone X. auctoramentum haud leve, obsequiis suis promeruit, allectus, fictis rationibus suis nequicquam Papæ principatum sustinere annixus est. Etenim frigidum nimis erat pronuntiare, eum injuria occupari non potuisse, quòd Papa Alexandri phalangibus, & Cæsaris legionibus instructus non fuisset. Si homo ille (liceat eum pungere verbis Pallavicini, quibus Suavem ille pupugit) versatus fuisset apud Sinas, rerum Europæ minùs gnaros, fidem forte invenire potuisset. Etenim non deerant Papæ vel phalanges, vel Legiones, quas ipsis Alexandris, ipsis Cæsaribus, quorum jugum nefariè excusserat, instructissimas opponeret. Ita Henrico Imperatori Gregorius VII. & Paschalis II. phalanges Mathildis. Rodolphi Suevi, ipsius Henrici filii, religione filialis erga parentem obsequii à Papa solenniter exsoluti: Gregorius IX. Bonifacius VIII. Friderico II. Johannes XXII. Legiones Guelphorum πανστρατιᾷ opposuerunt: & Pontifices, ut Cæsareo - Papatum suum adipiscerentur tuerentúrque, Christianum orbem per multa Secula atrocissimis bellis oppresserunt. Quid fulmina, cœlestes excommunicationum ignes, humanis illis phalangibus & legionibus potentiores longè, quibus Henrici, Friderici, Philippus Galliæ Rex, Ludovicus Bavarus, omnes denique contra Papatum hiscere ausi, ambusti sunt: quid virgas illas, quibus Alexander III. Henricum Regem Angliæ, quòd necis Tomæ Bequeti Cantuariensis conscius esset, cœdi jussit, memorem? Sed præterea nullíne tyranni malis artibus imperia quæsiverunt? stabilita verò fundatáque semel tyrrannide, vetera illa initia, quantum potuere, obruerunt, & legem tantùmRegiam nudè, ac velut ἐν αἰνιγμοῖς obtendentes, deinceps in contemptores legibus Majestatis perduellionúmque vindicarunt? Simpliciter profectò & ingenuè magis quàm cautè Paulus III. cùm de summa ipsius potestate aliquando inter familiares mentio incideret, ridere illos solitus est, ut Scholasticos & rerum rudes, qui à Christo eam enixè repe-

repeterent, cujus se possessionem vel solam, optimum & firmissimum titulum, habere dicebat, quam viribus opibúsque summis, civitatibus munitissimis, & potentissimorum Principum sibi conjurantium auxilio tueri ac defendere posset. Non unus Nimrodus erat, potens venator coram Jehova, qui nominis *Jehovæ*, seu religionis, qua nihil in terris ad homines vel impellendos vel retinendos potentius invenitur nomine, & Majestate præcinctus imperia venabatur. Nimrodi erant Pontifices veri Babylonii, *mysterio* religionis, vel nequitiæ potiùs, quod nomen in fronte scriptum Babylon Magna habet, (Apoc. XVII. 5.) & quidem clanculum diu *ἐνεργουμένῳ operante* (2. Thess. II. 7.) & propinato *poculo* Circæo, velut validissima admota machina, mundum in ignorantia sepultum subjugantes, & omnes incolas terræ vino scortationis suæ inebriantes, Apoc. XVII. 2. 4. &c. Notæ jam in vulgus sunt artes, nota mysteria, quibus Papa primò *Episcopi universalis* titulum exambivit: inde *Imperatoris* jugo collum subduxit: mox *potestatibus seculi* gravis factus, supra eas non uno modo, Regna transferendo, coronas impertiendo & tollendo, Imperatores, ut Sacramentum fidelitatis sibi jurarent, adigendo, nomina sua nominibus Imperatorum præponendo, eosdem ad servilia ministeria cogendo, utrumque gladium sibi arrogando; se extulit: Populum dein, barbarorum gentium invasionibus & inundationibus rudem ignarúmque, in ignorantia fovendo, ejúsque sciendi desiderium omne, extincto Scripturæ lumine per fidem implicitam, aliásque rationes vel sufflaminando, vel penitus excutiendo, oppressit: *Doctores* in sua verba jurare compulit, eorúmque dicta omnia suo arbitrio subjecit: *Academias* Episcopis exemptas sibi soli obnoxias reddidit: *Pastorum & Sacerdotum* jura per casus sibi reservatos, & dispensationes ab ipso solo concedendas coarctavit, & impurum iisdem cœlibatum, ut sibi obnoxios magis haberet, obtrusit: *Episcoporum* jurisdictionem, Monachos & Academias iisdem subtrahendo, Ecclesiam commendatariis committendo, causas & judicia eorum per reservationes & appellationes ad se devolvendo, eosque in meros vasallos commutando, accidit: *Metropolitanos* pallii mercede auctoravit, iisque jus in Synodos Provinciales ereptum ad se traxit, & suffraganeos eorundem jurisdictioni exemit: omnes Ecclesiarum summas prærogativas in Ministros suos Datarios Cancellarios, aliósque minores, etiam canes tribunal ejus lambentes, transtulit, opésque universas in cameram suam, Oceanum velut inexhaustum derivavit: denique *Concilia* universa suæ libidini subjecit, ut innumera alia dominationis ejus flagitia (qualia etiam Guicciardinus, Papæ servus licet, in Historia Papatus seorsim edita prodidit) silentio prætercam. Tali Cæsareo-Papa non indiget Ecclesia, non indiget, Redingi; quicquid etiam Aleander tuus tibi persuaserit. Non indiget etiam Episcopis, quales Papatus hodie habet. Probat Ecclesiarum Protestantium florentissimarum usus, quæ Ecclesiæ suæ regimen, exclusa dominatione vel unius, vel plurium, & Pastorum æqualitate inducta, institutioni Christi conforme, constanter & fortiter tuetur, & perturbationem omnem, tyranidémque, sive in electione Pastorum, sive in eorundem ministerio feliciter facilimèque evitat. 2. Neque etiam de unâ parte, eâque imperfecta Hierarchiæ, sed de universa, qualis paulatim in Ecclesiam, Sathana machinante, penetravit, narratio Suavis & Antonii de Dominis agit. Suavis verba, quæ *Histor. Concil. Trid. lib. II. p. 195.* extant, totidem apponere haud pigebit. *D. Hieronymus*, sic ille, *testatur initio Christianismi Ecclesiarum gubernationem fuisse Aristocraticam, cùm communi consilio Presbyterii regerentur: post verò, ut divisionibus, quæ interveniebant, obviam iretur, Monarchicum regimen introductum, infle-*

ctionis eminentia ad Episcopum delata, cui omnes Ecclesiæ ordines parebant, nullius mentem cogitatione subeunte de se huic regimini subducendo. Episcopi quidem vicinis, quorum Ecclesiæ in eadem erant Provincia, cùm mutuum esset commercium, ipsi in commune Synodis regebantur. Atque quò facilior esset regiminis ratio, quòd in Provinciis singulis multum Metropoli tribueretur, illi Episcopo, qui ejus corporis esset veluti caput, plurimum deferebant. Dein propter ampliorem communionem, quæ inter omnes Provincias unius Præfecturæ intercesserat, illius Civitatis Episcopus, in qua Præfectus residebat, consuetudine supereminentiam quandam obtinuit. Ejusmodi præfecturæ erant, Romæ Civitatis Imperialis, cum Civitatibus suburbicariis: Alexandriæ Præfectura, quæ regebat Ægyptum, Lybiam & Pentapolin; & Antiochiæ, quæ complectebatur Syriam, aliásque Orientis Provincias. Idem quoque servatum in aliis minoribus Præfecturis, quas Eparchias Græcè vocant. Hoc regiminis genus à sola consuetudine introductum, approbatúmque, quia utile reperiebatur, à primo Concilio Nicæno, sub Constantino fuit stabilitum, atque ut continuaretur, Canone sancitum. Et verò ea tempestate tam longè aberat quisque huic sanctioni se subducendo, ut, cùm Episcopus Hierosolymitanus plerisque honorificis prærogativis gauderet, forte, quòd in eo loco Christus in carne versatus esset, religióque ortum inde habuisset, Concilium Nicænum decreverit, ut ea honoris prærogativæ obtinerent, ita tamen, ut de superiori jure Metropolitani, qui Episcopus erat Cæsareæ, nihil decederet. Hæc porro administrationis forma in Ecclesiis Orientalibus semper observata, quomodo paulatim post Concilium Nicænum in Ecclesia Latina mutationem passa sit, per exemptiones ab Episcopi imperio Abbatibus & Monasteriis primùm, mox etiam Capitulis & Congregationibus; ac demum privato Sacerdoti cuivis, concessas, eodem deinceps candore & integritate Suavis exequitur. Latiùs hæc Antonius de Dominis, & post ipsum maximum in literis nomen Claudius Salmasius libro *de Primatu Papæ* edito affecto, sed non perfecto, exposuerunt. Hæc Hierarchiæ origo γνήσιος, merè utique humana & Ecclesiastica. Nam nec jure Divino, sed merè Ecclesiastico Episcopum Presbyteris prælatum esse, infra firmamus: & Pontificia potestas à Patriarchali veteri communi distincta, nondum Concilii Nicæni ævo invaluit, nedum à Christo instituta est, uti supra demonstravimus: & Sacramentales Episcopatus ac Sacerdotii Ordines Divinitus institutos nullos esse, pariter jam evicimus. Quibus resectis Hierarchiæ, qualis initio, saltem ad Nicænum usque Concilium, obtinuit, appendicibus, Hierarchiæ veteris, ut ita loquar, decoratoriis, immotum perstat, non de partis, ejúsque imperfectæ Hierarchiæ veteris, sed de universæ illius origine & progressu intelligenda esse, quæ ex authoribus Pontificiis, Suave & Antonio de Dominis, ratio mea movit. 3. Neque verò, quod ineptè regeris, Hieronymus verbis à Suavi citatis, de Diœceseon particularium limitibus, sed de ipsius Episcopatus Presbyteratui simplici superioris origine merè humana & Ecclesiastica manifestè loquitur. Cypriani autem de uno Episcopatu testimonium à te obtorto collo huc raptum, ut compilandi Pallavicini tui, & implendarum chartarum tuarum occasionem haberes, hujus loci non est. De eo pluribus post alios Salmasius de Primatu Papæ *pag* 47. 48. &c. egit. quibus ad animum revocatis, facilè nebulæ à Pallavicino Cypriani sententiæ offusæ dissipabuntur.

ARG. VI. Hierarchiam, qualis hodie est, cum imperio illo conjunctam, non genium Christi, sed genium Romuli peperisse jam olim Petrus Messias Pontificius in *Sylva variæ lectionis* Venetiis edita scripsit. Translata nempe impe-

imperii ſede ex Occidente in Orientem,ut Imperator Conſtantinopoli,ſic Papam Romanum,omnium Eccleſiarum Monarcham, Romæ ſedem affectâſſe,& tandem Regnum ſibi ac ſuis conſtituiſſe. Conſulibus verò Romanis *Cardinales* non duos numero,ſed tot,quot Papæ,Hierarchiæ Principi viſum fuerit: Ducibus *Archiepiſcopos*: Comitibus *Epiſcopos*: Præſidibus Imperii & Exarchis *Epiſcoporum vicarios & chorepiſcopos*: Præfectis Imperii *Præpoſitos*: Tribunis militum *Archipresbyteros*: Tribunis plebis *Cancellarios*: Prætoribus *Archidiaconos*: Centurionibus *Decanos*: Duumviris *Subdiaconos* ſucceſſiſſe,& adæquatos eſſe,ſagaciſſimè prodit. Quales verò à multis jam ſeculis Hierarchæ hi fuerint,deſcripſit etiam Iſidorus *lib. II de offic. cap. 2.* ubi duo facit genera clericorum, unum *Eccleſiaſticorum* ſub Epiſcoporum regimine degentium,alterum *Acephalorum*,ſine capite vagantium,*quos neque inter laicos ſecularium officiorum ſtudia,neque inter clericos religio detentat Divina,ſed ſolutos atque oberrantes ſola turpis vita complectitur & vaga. Quique dum nullam metuentes explendæ cupiditatis licentiam conſectari, habentes ſignum religionis, non religionis officium: hippocentauris ſimiles,nec equi nec homines,mixtúmque genus,proléſque deformis: quorum quidem ſordida atque informi numeroſitate ſatis ſupérque noſtra pars occidua polluitur.* Hactenus Iſidorus,qui ſi colluviem clericorum noſtri ſeculi intueretur,non *Cleronomiam* Domini,ſed Antichriſti *Cleromaniam* meritò diceret.

RESP. REDING: 1. *Imperii Eccleſiaſtici non tam dominativi,quàm ad animarum ſalutem,Eccleſiæque ſpirituale bonum ordinativi ratione per Chriſtum ipſum,non Romulum,conſtituta,quid prohibet,quò minùs,ſicut in qualibet bene ordinata civitate,vel exercitu,ille,qui primas partes tenet,& cæteris præeſt,Dux ac Princeps,totius multitudinis caput appelletur, ſic in Eccleſia Dei,qui à Chriſto Apoſtoli,eorúmque ſucceſſores Epiſcopi,veluti digniores partes omni credentium multitudini præpoſiti ſunt,Principes Eccleſiæ,ac veri Exercituum Duces ſint. Inter quos qui primum in terra locum habet,veluti Petrus,& ejus Succeſſor Papa,Principum Princeps & viſibile totius Eccleſiæ caput cluet. Sed non agunt illi poteſtate propria, ſed alterius, ſicuti Proreges Regis Regum Jeſu Chriſti: neque per carnalem generationem ſuccedunt: neque ſoli & abſoluti domini ſunt, ut majorum acta pro lubitu reſcindere,vel Apoſtolorum ceu Patrum inſtituta mutare,vel minorum conſacerdotum Eccleſias,proventus,officia,titulos,dignitates,ſine eorum conſenſu attingere poſſint, ſed præſunt, ut proſint,ceu fideles & prudentes miniſtri Chriſti. Atque eatenus diſcrepant à Regibus & poteſtatibus hujus mundi; quibus tamen,qua miniſtri,& nulla poteſtate propria præditi,minores equidem ſunt; at digniores hactenus etiam,quòd miniſterio & clavibus ſuis eos ſubjectos habeant. 2. Cardinalium origo vetuſtiſſima eſt. Nam ipſe Petrus Linum,Cletum,Clementem Coadjutores,Collaterales,adeóque Cardinales habuit,eóſque ſibi poſt mortem ſucceſſores ſubſtituit. Qui alios dehinc in eodem munere ſibi ſuffecerunt,eóſque proximis Romanæ urbis oppidis Paſtores dederunt. Sylveſtri tempore tanta eorum dignitas fuit,ut nonniſi 72. teſtium numero Epiſcopus Cardinalis damnari potuerit. Aliæ prærogativæ tempore procedente iis accreverunt. 3. Iſidorus clericos ſub Epiſcoporum regimine collaudat; Acephalos*

autem vituperans, apertè, Hierarchicam subordinationem exigit. Cætera calumniam spirant. Ibid. pag. 214.-217. Resp. Parum vel nihil ad rhombum ambages illæ tuæ faciunt. Ego ex Petro Messia vestro, non Christi, sed Romuli genium Hierarchiam peperisse, probo, quia forma regiminis & Romulæi & Hierachici exactè quadrant. Nihil ad hoc respondes, & recoctam iterum ex Pallavicino tuo nescio quam crambem reponis. Etenim I. Imperium Ecclesiasticum à Christo institutum esse supponis, & vestrum illud Hierarchicum à dominativo, quale Regum hujus mundi est, distinguis temerè. Si quis Regum in mundo est, qui, *αὐτοκρατορικῶς* & absolutè, dominetur, is Papa est, Rex Regum & Dominus dominantium. Non tantùm in spiritualibus, sed in temporalibus etiam juxta Theologos *indirectè*, juxta Canonistas & reapse *directè* dominatur, summo jure, summo imperio utitur. Nam & gnathones directam ipsi potestatem admetientes æquo animo admittit, neque censuris ullis notat: & rem ipsam etiam, posthabitis umbraticorum doctorum ficulneis distinctionibus, definit, utrumque sibi gladium propalam vindicans: & actus verè civilis potestatis exercet, religionis obtentu Imperatores, Reges, Principes instituendo, coronando, destituendo, sui juris & beneficii imperia faciendo, transferendo; Electorum Cæsaris & administratorum vacantis Imperii ordinandorum potestatem sibi tribuendo, Imperatores, Reges, Principes &c, juramentis sibi commodisque suis devinciendo; [eodem his in] rebus jure utentes, quo Ethnici olim Imperatores usi sunt. & potestate Legislatoria ac judiciali civili suprema adversus eos etiam, quos in Ecclesiæ statu, uti appellatur, sibi obnoxios non habet, utitur: & Clerum omnem, magnam populi Christiani partem, etiam in temporalibus, legitimorum dominorum imperio subductos suo subjicit: & jurisdictionem denique externam multiplicem, qualis soli dominanti & eminenti civili potestati, non Ecclesiæ competit, exercet. Innocentins IV. Monarcha vester in Epistola ad Patriarcham Constantinopolitanum scripta disertis verbis profitetur. *Petro*, ac proin etiam Romano Pontifici, *non solùm universam Ecclesiam, sed totum etiam seculum gubernandum commissum esse.* Idque Scripturæ testimoniis approbare connixus, inter alia sic ratiocinatur: *Cùm aquæ multæ sint populi multi* (id verò ipsi ex Apoc. XVII. 15. ubi de Babylone sermo est, ipsi constiterat) *congregationésque aquarum sint maria, per hoc, quòd Petrus super aquas maris incessit, super universos populos se potestatem accepisse monstravit.* Licet autem ex quo orbis sapere cœpit, in potestatis hujus temporalis exercitio passim à cordatioribus Principibus Papa sufflaminetur, jus ipsum tamen potestatémque isthanc ipsi vindicare *κόλακες* ejus, veri *κόρακες*, non desinunt. quod ex Canonistarum, etiam Theologorum nonnullorum, Baronii, Bellarmini, Perronii, aliorum scitis alibi comprobavimus. De potestate in spiritualibus, quam *ministerialis* nomine tu fucas, suprema quid dicam? In Synodo Florentina decretum conditum est in hæc verba, quæ sunt in literis Unionis Eugenii Papæ Sessione ultima: (*Ὁρίζομεν*) *Definimus, sanctam Apostolicam sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem terræ primatum habere: & ipsum Pontificem R. successorem esse B. Petri, Principis Apostolorum, & verè* (*τοποτηρητὴν τοῦ χριστοῦ*) *Christi vicarium, totiúsque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem & doctorem existere: & ipsi in B. Petro pascendi & regendi & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo* (*πλήρη ἐξουσίαν*) *plenam potestatem traditam esse.* En in spiritualibus *πλήρη ἐξουσίαν plenam potestatem*! Et ne putemus, Ecclesiam *à Principibus & Ducibus* hisce (sic Redingius ex Pallavicino insignit) gubernari potestate, legibus, judiciis alienis, puta Dei, Christi; adeóque non absoluto, sed Divinorum institutorum limitibus circumscripto dominio, *ut fideles & prudentes Christi ministros* (sic tu *Principes* illos, *Duces, Dominos*

quos

nos appellas, adeóque merè κατ' ἀντίφρασιν) eos uti, & abstinere mutandis institutis Christi, Apostolorum, Patrum, Prædecessorum, nec non libertatibus Ecclesiæ & Consacerdotum, atque hactenus à Regibus & Principibus hujus mundi differre (qua denuo verborum fraude Monarchæ sui in spiritualibus tyrannidem apud simplices & ignaros rerum Papatus interiorum Pallavicino-Redingius incrustare satagit) res ipsa loquitur & clamat, Papam, Hierarchiæ caput, Divino imperio uti, & in gubernanda Ecclesia Divinatem affectare. Nam & *Dei* nomen sibi tribui æquo animo fert; & ea fecit ac passus est quæ augustissimi illius nominis mensuram implent, adcóque ἀποδεικνύντα ἑαυτὸν, ὅτι Θεός ἐστι, *demonstrat, quòd Deus sit*, seu Deum se facit, 2. Thess. II. 4. Quod ex Divinis attributis pluribus, quæ sibi vindicat nefariè; nec non cultu Divino & religioso, quo se affici patitur, alibi clarissimè probatum, & ad liquidum perductum, heic ad compendium ponimus. Si juxta illa Chrysostomi *in Matth. 26.* confusionem in Cœlo reperiet, qui in terra primatum desideraverit; quid putamus in Cœlo reperturum Papam, qui se Deum ipsum facit? Id scilicet quod *Lucifer* ille *filius aurora* reperisse Esaj. XIV. 12. dicitur. De Cardinalibus dissertatio illa, quam ex Pallavicino iterum repræsentas, nil nisi fucum habet; sive eorum originem, sive alia ab eodem relata spectes. Scilicet S. Petrus, qui Romæ fuerit, & Episcopatum ibi gesserit, nec ne, tam incertum est, quàm quod maximè, suos habuit Cardinales, Linum, Cletum, Clementem, hodiernorum Cardinalium Patriarchas! Aliter profectò sues, aliter catuli olent. Si Linus, Cletus. Clemens S. Petri σύνεργοι fuerunt (fuisse autem, nunquam idonea authoritate quisquam probabit) non ideo ejus Cardinales fuerunt, sive nomen, sive rem Cardinalium spectes. Nomen enim Cardinalium tardè satis ostentatum est. Nulli in subscriptionibus Conciliorum veterum Cardinalium nomine insignes. Carthaginensi Concilio, quod sub Arcadio & Honorio celebratum est, Philippus & Asellus, Romani Presbyteri cùm subscriberent, Cardinalium vocabulum nullum addidere. Et vix antiquior eorum mentio occurrit, quàm circa A. DLX. cùm Johannes Papa III. *Dilectis filiis Cardinalibus* scribens, significat, se Ecclesiam illam *titulum Cardinalem* constituere; apud Baronium ad *A. 559. §. 3.* Ne quidem in Constantini donatione *Cardinales* vocantur, sed tantùm *Viri Reverendissimi Clerici.* Rem porro si spectes, duplex Cardinalium notio seu status, primævus & ascititius jam olim à Natione Gallica in *Epistolis datis quibusdam Cardinalibus appellantibus ab ejusdem conclusione*, quas Catalogus testium veritatis exhibet distinguitur. *Domini Cardinales*, sic Galli loquuntur, *duplicem habent statum, primævum cujus retinent titulum & principales dignitates in Collegiatis Ecclesiis in curia Romana obtinent; vel sunt curati parochialium Ecclesiarum ejusdem; & illo respectu dicuntur Cardinales, id est, Principales: quod non competit eis specialiter; Sed multæ sunt ecclesiæ, sicut Ravennatensis, quæ obtinentes dignitates in ea nominat Cardinales: & ita est in pluribus aliis ecclesiis, in diversis Regnis & Provinciis: & ex ista præsente institutione eorundem primum officium fuit & est, & esse debet, confessiones audire, prædicare, & etiam baptizare, & c. quoad Presbyteros. Episcopi verò Cardinales hæc habent facere & exercere in suis diœcesibus: & isti de suis titulis, & eorum emolumentis isto respectu debent & tenentur contentari, sicut alii de clero in singulis dioecesibus. Et si non valent, quantum valuerunt, limitent expensas, vel petant sibi provideri debere per modum canonicum.* Et ille status fuit *in charitate fundatus, & valde humilis & benignus. Alium statum assumpserunt, quando Constantinus imperium Occidentale contulit Ecclesiæ Romanæ.* Secundum utrum ergo statum Cardinalatus Divinæ institutionis est? *Primævum* illum? Atqui ille communis est cum

omnium

omnium Ecclesiarum Christianarum Ministris, Pastoribus, non Ecclesiæ Romanæ proprius: uti quidem hodie Cardinalatus non alii quàm Romanæ Ecclesiæ particulari cohæret: atque insuper Episcopi & Presbyteri distinctionem supponit; quæ non Divini, sed Ecclesiastici juris est. Secundum posteriorem illum *assumptum*, seu ascititium? Atqui ille planè diversus à priore est, & præter nomen (serò licet impositum) & titulos ecclesiarum nihil cum illo commune habet: atque præterea remotiorem longè originem, humanam planè, Pontificiæ tyrannidi inservientem habet. Nam fabula de Constantini donatione, quæ nunc etiam ut meretrix anus à prioribus suis amatoribus exploditur, non vetat, quò minùs sit verissimum, accessione Principatus temporalis factum esse, ut alium statum Cardinales adsumerent, vel potiùs novum quoddam Magistratuum genus nasceretur, quod ab Ecclesia nomen, à Seculo typhum atque potentiam haberet. Secundum quem statum, diu post ætatem Caroli M. introductum, Cardinalis sub appellatione Ecclesiastica est secularis Princeps à Papa constitutus, & hunc solum superiorem bona fide agnoscens. Hos Cardinales, veterum Cardinalium schema mentitos, & prærogativis pluribus dignitatibúsque, quas Celeb. Freinshemius *de Præced. Elector. & Card. Diatr.* 4. fusè persequitur, mactatos non Christus, non Apostoli instituerunt, sed abortivit Antichristus, hoc est, Papa (utar verbis Nicolai Clemangis *de corrupto Ecclesiæ statu cap.* 13. 14.) *tanquam sui pompatus socios, ex sortis infimæ clericatu in elationem erexit, ut Reges ipsos æquiparare contendant; & per dispensationes suas locupletavit ipsos, ut officia beneficiáque non quidem duo, vel tria, decem, vel viginti, sed centena, & ducentena, & interdum usque ad quadringenta vel quingenta, aut ampliùs eáque non parva vel tenuia, sed omnium pinguissima & optima possideant.* Adeò autem illi deflexerunt à vera ratione & forma veterum etiam Cardinalium, ut jam nullo modo ampliùs veri sint Cardinales. Titulos in speciem assumunt, sed in titulis nullum prorsus exercent officium, quod sit proprium ministrorum Christi: & plurimi tituli sunt privatarum Ecclesiarum, sive oratoriorum, etiam Monachorum & Regularium, in quibus publica nulla vigent in plebe fideli regenda, & Ecclesiasticis ac spiritualibus officiis nutrienda, exercitia; quæ Ecclesiæ propterea nulla ratione possunt esse nisi æquivocè Cardinales. Et quæ Cardinales, hoc est, fixæ, statæ, incardinatæ propriè sunt, illæ proprios habent ordinarios Parochos substitutos; satis viles & abjectos illos, qui pondus diei & æstum ferant, titulum verò vitulúmque aliis relinquant, qui nil minùs quàm Ecclesiastica munia curant. Neque enim duntaxat οἰκεῖα munera illi deserunt, sed turpissima omnium metamorphosi, in typhum secularem, à Christo, & Patribus etiam Carthaginensibus maximopere damnatum, toti migrant, non ministri Christi, sed Reguli Papæ, galerum rubrum aureo diademati æquiparare ausi. quod vel Bellarmini adversus Serenissimi Angliæ Regis Præfationem Apologia manifestum facit. ut de experientia & rerum aperta luce nihil dicam. Tales scilicet fuere Cardinales S. Petri, Linus, Cletus, Clemens; perinde uti Papa Petrus. Et talibus gemmis Hierarchia vestra præprimis nitet, indignis profectò, quorum vel nomen in Ecclesia Christi nominetur. 3. Neque denique Isidorus Acephalos vituperans, Hierarchiam vestram, Acephalis talibus refertam, probare, vel laudare potuit; si modò aliquam probavit laudavitque. Acephalorum princeps Papa est, qui se ipsum Ecclesiæ caput venditat. Acephali Cardinales, Episcopi plerique sunt, *quos*, utar Isidori verbis, *neque inter laicos secularium officiorum studia, neque inter clericos religio detentat Divina, sed solutos atque oberrantes, sola turpis vita complectitur & vaga: qui habent signum religionis, non officium.* Hic si purgare Hierarchiam potes, magnus mihi fullo eris. Expressiorem Hierarchicorum imaginem si desideras, S.

Paulus

Paulus illam depinxit 2.Cor.XI.20. his verbis : *Toleratis, si quis vos καταδουλοῖ in servitutem redigit* (legibus, statutis, canonibus, placitis suis vos subjiciens, tanquam מחוקק *legislator*, ἄρχων Princeps & Dux, vos, ceu עבדים *servos*, imperio δεσποτικῷ & jurisdictioni suæ subjiciens. cùm alias in Ecclesia non debeat esse *liber*, dominus & *servus*, *sed omnes unum in Jesu Christo*, Gal.III.28) *si quis devorat* (bona Ecclesiæ & oblationes matronarum in sua potestate habet, ut aliis esurientibus & sitientibus, ipse ex rapto ditetur, luxuriet. qui dominationis Hierarchicæ finis est) *si quis accipit* (etiam non oblatum; unicè in id incumbens, ut Ecclesia quàm plurimum in voraginem illam conferat, ne luxui & fastui aliquid deesse queat) *si quis se effert* (etiam supra ἐξουσίας ὑπερεχούσας *potestatem supereminentem*, Rom.XIII 1. adeóque præ se contemnat omnes, nullius judicio se subjiciat, non ferat redarguentem) *si quis vos in faciem cædit* (conviciis, probris, injuriis, ἐπιτιμήσει ὑβριστικῇ, *increpatione contumeliosa* afficiat) Annon sic Papa, Hierarchiæ caput, Hierarchis reliquis strenuè auxiliantibus, in servitutem redigit, accipit, devorat homines & excoriat, Reges subjugat, imperiis thronísque suis exuit, aqua & igni eis interdicit, omnium judicium contemnit, à nemine judicari vult, Harpyæ instar ad se omnia rapit? Sic mores Hierarchiæ vivis coloribus Apostolus depinxit. Status porro Ecclesiæ in qua ejusmodi Hierarchia, seu ἀρχὴ *dominatio* sacrorum prætextu quæsita, & à Deo non instituta grassatur, idem S.Paulus 2.Cor.XII 20. diatyposin exhibet.

ARG. VII. Denique de Hierarchia, pertineátne ad ordinem, an ad Jurisdictionem, irreconciliabilis est pugna Doctorum, quæ in ipso etiam Concilio fervebat. Vel igitur Hierarchia pertinet ad ordinem, vel ad Jurisdictionem. Non ad *Ordinem*, uti magna Doctorum pars in Concilio Forierum secuta agnovit, quia ita non constaret ratio, quomodo includerentur Archiepiscopi, Patriarchæ, & quod caput est, ipse Papa, cùm omnes consentiant, hósce gradus non esse ordines Episcopatu superiores. Atque eandem ob causam illi pertendebant, tractationem de Hierarchia minimè pertinere ad hanc de Sacramento Ordinis tractationem. Non ad *Jurisdictionem*, uti altera Theologorum pars etiam agnovit, quia ita omnes Ordines sacri, quippe Jurisdictione per se destituti ab Hierarchia excluderentur. Præterea cùm Patres Concilii definire haud sustinuerint, unde ἀμέσως in Episcopos Jurisdictio derivetur, à Pontificéne an à Christo: & Papa Concilio, an Concilium Papæ subsit, liquet sanè, de Hierarchia ejúsque proprio subjecto parùm admodum constare. Imò & Cardinalium & Abbatum ac Generalium à Jurisdictione Episcopi exemptorum in Ecclesiam, Dei hominúmque ingratiis, & solius Pontificis, ne fulcra & hyperaspistæ ipsi deessent, fastu & astu, eum in gradum provecta dignitas & potestas non mediocriter ipsam Hierarchiam conturbat.

RESP. REDING: *Palpabilibus nequitiis argumentum isthoc tuum abundat. Etenim 1 Theologi Pontificii in Concilio certarunt equidem de Episcopatus ratione jurisdictionis institutione me-*

diata, an immediata à Christo; non de Hierarchia, ad Ordinem ne, an jurisdictionem illa pertineat? 2. Confundis nequissimè duplex genus Hierarchicum, quorum alterum Ordinum Sacramentalium Divinitus constitutam subordinationem complectitur; in quo genere verum est, Episcopatum, Archiepiscopatum & Papatum æqualis esse potestatis, neque constituere Hierarchiam, nisi qua comparantur cum Sacerdotii & Ministrantium Ordinibus: alterum Jurisdictionis Ecclesiasticæ subordinationem importans, quod diversos sortitur gradus in Papatu, Archiepiscopatu & Episcopatu quoad jurisdictionem, formaliter, vel saltem subjectivè, id est, ratione Diœceseon certis limitibus circumscriptarum, ex Pontificia authoritate pendentibus. 3. Licet Concilium non definiverit, unde immediatè jurisdictio in Episcopos derivetur, à Christo, an à Papa; satis tamen est, quòd Hierarchicum jurisdictionis genus ex parte Papæ; & alterum Ordinis Sacramentalis Hierarchicum genus tam quoad Episcopos, quàm quoad Sacerdotes jure Divino constitutum sit. 4. Cúmque nostri omnes in eo consentiant, quòd Papæ jurisdictio Episcoporum jurisdictionem superet, nil impedit omissa definitio de Papæ supra Concilium superioritate, quò minùs Hierarchica jurisdictionum subordinatio locum habeat, maximè cùm Concilium Oecumenicum nisi nomine Christi, adeóque vicaria ejus authoritate communitum, subsistere non possit. 5. Cardinalium, Abbatum exemptorum & Generalium jurisdictio respectu eorum, qui pleno jure ipsis subjecti sunt, Episcopali æquipollet. Eatenus ergo in Hierarchico gradu sunt, saltem supremæ Divinitus constitutæ Papæ authoritati subordinati. Ibid. pag. 217. 218. Resp. 1. Si qua nequitia argumentationi meæ inest, universa illa in Tridentinos Doctores, in tres circa quæstionem isthanc, ad Ordinem ne an jurisdictionem, an utramque Hierarchia pertineat; partes scissos omnes, redundat. Non enim meis, sed Doctorum illorum verbis & rationibus argumentum meum contexui. Historiam conflictus illius Suavis *lib. VII pag. 536.* edisserit, quam cùm ne ipse quidem Pallavicinus in dubium vocaverit, quo jure tu ausus sis, vide i. ipse. Ausus es jure æris triplicis, quod circa pectus habes. 2. Cùm Theologi in Concilio constantes ipsimet Ordinem inter & jurisdictionem distinxerint, atque alii Hierarchiam ad Ordinem, alii ad jurisdictionem, alii ad utrumque retulerint, qui illorum nequitiæ se alligaverint, explicare: atque simul partium illarum argumenta convellere debueras. Sed hîc profectò merum Endymionis somnum dormis; imò tantùm non Hierarchicam subordinationem evertis. Fateris enim, *ratione Ordinis Episcopatum, Archiepiscatum & Papatum æqualis potestatis esse, neque sic constituere Hierarchiam, nisi qua cum Sacerdotii & Ministrantium Ordinibus comparantur.* Non dicam, ratione Ordinis te hic Episcopatum & Presbyteratum distinguere; parum mendaciorum tuorum memorem. Supra enim *Quæst. II. ad Object. IV.* disertis verbis distinctionem ratione Ordinis negasti, & discrimen omne in jurisdictione Episcopis competente, Presbyteris non item, collocasti. Qua etiam ratione Hierarchia nullo modo ad Ordinem referri poterit, quia juxta te jurisdictio, qualis in omni Hierarchia (seu sacro principatu, qui sine jurisdictione nullus est) requiritur, sola, non Ordo differentiam facit; adeóque ratione Presbyteratus, Episcopatus, Archiepiscopatus, Papatus, æquales hactenus erunt omnes. Ministrantes verò Ordines eo ipso quòd *ministrant*, non *ἄρχουσι imperant*, & quidem ministrant non in jurisdictionis, sed in Ordinis exercitio, ne quidem Hierarchici citra contradictionem appellari possunt. Neque ulla ergo subordinatio Hierarchica est ratione Ordinis. Neque etiam est ratione *jurisdictionis*, quia Sacerdotes & inferiores Ordines, sine quibus Hierarchicam subordinationem constare posse, negatis strenuè, jurisdictione nulla pollent (quod argumentum

Foric-

Forierus vester in Concilio urgebat) & jurisdictio peculiaris Papæ, Archiepiscopis, Episcopis jure Divino ,] quo Dignitates hæ ne distinguuntur quidem, nulla prorsus competit. Cùm ergo neque ad ordinem neque ad jurisdictionem Hierarchica gradatio referri possit, haud etiam probari poterit opinio tertia, in quam tandem à Tridentinis utrinque constrictis itum est, quæ Hierarchiam in utriusque commixtione constituit. Nam quæ nihil ad Hierarchicam subordinationem conferunt, illa in eadem misceri nequeunt. Nunquam nummi ærei duo commixti aureum efficient. 3. Neque proin ad eandem Hierarchicam jurisdictionem satis est, *quòd Hierarchicum jurisdictionis genus ex parte Papæ, & alterum Ordinis Sacramentalis genus tam quoad Episcopos, quàm quoad Sacerdotes jure Divino constitutum sit.* Nam *Ordinis* Sacramentalis genus tum Hierarchicum non esse, tum subordinationem in Hierarchis nullam pati, notorium est, illud ex re ipsa, hoc ex confessione vestra. Restabit ergo Hierarchicum *jurisdictionis* genus ex parte Papæ. Si solum illud jure Divino immediatè constitutum est, & Episcopi reliqui Papæ meri mandatarii, vel potiùs vasalli sunt, quomodo, dic Redingi, juxta Tridentinos *Divina ordinatione in Ecclesia Catholica Hierarchia, Episcopis, Presbyteris & Ministris constans, constituta est?* Unus enim à Christo immediatè constitutus Hierarcha suæ ἱεραρχίας consortes plures *Divina ordinatione* æquè constitutos non admittit. 4. Par etiam ratio est irreconciliabilis vestræ de superioritate vel Papæ vel Concilii pugnæ. Si enim Papa supra Concilium est, adeóque hujus definitiones ratæ esse nisi eo, non dicam, consentiente, sed per modum dictatorii & bullaris, qualia posterioribus temporibus invaluerunt, edicti corroborante, nequeunt jam iterum ille solus Hierarcha erit. Refert ergo ad Hierarchiæ rationem plurimùm, capitalem illam controversiam decidi, absque quo est constare nequit, Hierarchica subordinatio Divino jure constituta sit nec ne. Neque enim illa ὑπεροχὴ Papæ supra Episcopos, quam Constantiense & Basileense Concilia, Papam Concilio subjicientia, agnovisse innuis, jurisdictionis in Episcopos & principatus est; sed meri ordinis & dignitatis, adeóque neutiquam tanti momenti, ut diversam & principaliorem in Papa, quàm in Episcopis jurisdictionem fundet. Etenim qui in Concilio quoad jurisdictionem pares sunt, illi ratione principatus differentiam nullam recipiunt. Atque sic subordinatio Hierarchica in Curia Episcoporum parium nulla obtinere poterit. 5. Denique Cardinales, Abbates exempti, Generales Ordinum non illi Christi instituentis creaturæ, sed Papæ abortientis squamæ sunt. Quacunque ergo jurisdictione illi potiuntur, eam non Christo *ordinanti*, sed Papæ sibi soli eos *mancipanti* acceptum referant oportet. En responsionum tuarum, quibus argumentum meum ex vestrorum rationibus contextum infringere conatus es, frigus. Et tamen nil nisi *nequitias palpabiles*, Spiritum *nequam*, desperatus ille calamus tuus objicit. Possem ego, sed præstat motos componere fluctus.

Objectiones Tridentinorum.

OBJECT. I. *In V.T. fuit Ecclesiastica Hierarchia, constans Pontificis, Sacerdotum Aharonicorum & Levitarum ordinata serie. Ergo talis Hierarchia in N. T. etiam constituatur oportet.* Resp. 1. Regimen ecclesiasticum V. T. seu Seniorum Israelis erat variè restrictum, limitatum, ex Dei verbo constitutum, & ad os seu mandatum Dei expressum alligatum. At Hierarchia Pontificia nec Divi-

nitus instituta est,& in temporalem dominationem conversa,mandati & verbi Divini limites variè egreditur. Papa enim absolutam sibi potestatem arrogat,talem videlicet,qualem Christus habet. Unde in hac ipsa Sessione Pontificis mancipia non satis esse putârunt,ut diceretur,Papam eandem habere potestatem,quam Petrus habuit,pertenderúntque, æqualem cum Christo potestatem ipsum habere. 2. In V. T. erant in Ecclesia מושלים *dominantes,ἀρχαὶ καὶ ἐξουσίαι*,principatus ac potestates eorum,qui sedebant in Cathedra Mosis,& gladio armati erant in populum Dei,cui lex Mosis imposita erat. At in N. T. abolito hoc principatu ministerium duntaxat & servitium ecclesiæ Pastoribus à Christo indictum & demandatum est,quia videlicet illi non spectant ampliùs populum aliquem subjugatum,sed eos duntaxat,qui ecclesiæ se volunt associare per nomen Christiani,sive confessionem fidei in Christum,ut ii in fide integri sint,& in vita irreprehensibiles, & uno humero omnes Deum colant & glorificent. Turpis igitur est paralogismus,ab iis,quæ imparia sunt,& toto Cœlo distant. 3. Denique Sacerdotium & Hierarchia V.T. totum typicum erat,cujúsque veritas non in ecclesiæ Ministris, sed Magistro unico Christo Jesu extat. uti docet Paulus Epistola ad Hebræos.

EXCIP. REDING : 1: *Divina Hierarchiæ, quoad Episcopatus & Sacerdotii ordines, Papæque jurisdictionem,institutio superiùs validè probata est. 2. Nos parem Christi & Papæ potestatem statuere, falsissimum est. 3. Christus in Cœlum ascendens visibile caput esse desiit,adeóque visibiles Apostolos, Ecclesiæ præsides,cum potestate solvendi & ligandi,quæ sine Principatu spirituali subsistere nequit,instituit. Neque enim perfectior N. T. status hac prærogativa destitui debuit. 4. Potestas illa principatus non destinatur ad populum per gladium temporalem servituti subjiciendum, sed Spiritu lenitatis in viam salutis dirigendum; atque eatenus obligat,ut, teste Apostolo,etiam propter conscientiam oporteat Christi fideles per sacram obedientiam Præpositis suis subjici.* Ibid. pag 218.219. Resp. 1. Validè conatus es probare, uti præfracti, & in erroribus obfirmat, solent; sed validè nihil te probasse, validiùs nos ostendimus. 2. Negare non potes, Jesuitarum Generalem, Lainezium, in oratione in Concilio de Papæ potestate & Episcoporum institutione habita, qua non aliam *durante Concilio plus laudis aut reprehensionis, pro diversis audientium affectibus,habuisse*, Historicus *lib. XII. p. 550.* testis est,crudissimè locutum, sustinuisse palam,*Christi & Papæ tribunal idem esse.* Quam Jesuitæ sententiam à Cardinalibus Legatis haud improbatam,cùm refutare ceu *novam, inauditam ac scandalosam* aggressi essent Hugonius ac Verdunus,Theologi Galli,impetum retardavit Lotharingus,quia meliùs silendo quàm contradicendo impediri posset, ne illa in Synodo definiretur. Sed oborta in Concilio de Conciliorum Constantiensis & Basileensis authoritate, pertendentibus quibusdam, Papam non omnem potestatem Christi,sed Petri duntaxat habere, alii Pontificiis partibus addictiores se opposuerunt, ipsius Christi absolutam & minimè circumscriptam potestatem defensitantes,& limitationem illam moderatiorum paulò rejicientes. Quæ sic à Suavi relata Pallavicinus in suspi-

suspicionem vocare ausus non est. Sed rem ipsam authorem alibi dedimus, quòd Papa absolutam Christi potestatem usurpet, & Vicarii ejus prætextum impium etiam per se mentitus, se Christum & Deum ipsum faciat 3. Neque etiam Christus relicta terra in throno cœlesti sedens minùs visibilis est, quàm Papa in suo Capitolio. Neque ullum unquam Papam omnes sui Papicolæ viderunt. Sed Christum aliquando comitia solenniter celebraturum & de veritate ac falsitate, fide & infidelitate, obedientia & inobedientia justissimè judicaturum Christiani hominésque videbunt omnes, ii etiam, qui ipsum transfoderunt. Interea Spiritu verbóque suo & hominum ministerio in verbo ejus instituto, (non ullo principatu, qualem non Christus dedit, sed Antichristus rapuit) Ecclesiam ad finem usque mundi, inter medios etiam inimicos suos regnans, moderari non desinet. Neque sic imperfectior Novi quàm Veteris Testamenti status est; tum quia nec in V.T. Principatus Ecclesiasticus talis, qualis in Papatu est, obtinuit: tum quia ad gloriam Christi pertinet, ut ipse ἀπεκδυσάμενος τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας δειγματίζῃ *exutos* (à se depositos) *principatus & potestates traduceret publicè* (Col. II. 15.) Quando enim Christus factus est κεφαλὴ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας *caput omnis principatus & potestatis* (Ibid. v. 10.) tum qui hactenus Christo quasi circumpositi fuerunt *principes* & *potestatem habentes*, tales esse desierunt: & qui ex iis non immorigeri fuerunt, tantùm nomen membrorum tenuerunt. quod felicius longè est, quàm principatum & potestatem gerere in populo carnali. Omnia enim membra Christi sunt *Reges & Sacerdotes Deo.* Cum majori dignitate, quam cum cœteris membris Christi acceperunt, commutarunt minorem; quæ erat quasi duplex portio in servitute; quia principes licet & domini, respectu populi, cui præerant, ipsi tamen & servi erant, & fratres suos, plurimos etiam hæreditatis non participes, ad servitutem elementorum mundi obeundam adigere cogebantur. In Cœlo etiam, supremæ perfectionis loco, gloriosum erit uni solíque Deo & Christo sic immediatè subesse; ut homines beati futuri nulli sint, qui in alios consortes principatum dominatúmque exerceant. 4. Mirum denique, tibi præsente inprimis rerum luce in mentem venisse, ut diceres, Papæ principatum non destinari ad populum per gladium temporalem servituti subjiciendum, sed spiritu lenitatis in viam salutis dirigendum. Testis est temporum omnium experientia, Papam verborum Christi, *Compelle intrare*; & Petre *surge & macta*, prætextu impio, execrorum Principum & conjuratorum gladio temporali succinctum, tyrannidem suam prorogasse, & Christiani populi servitutem, nulla animarum salutis, sola ambitionis & avaritiæ suæ ratione habita, strenuè propagasse, atque etiam num prorogare, & propagare atrocissimo modo. uti Meretricem illam Magnam, Bestiæ insidentem, eámque ad atrocissima quæque designanda subagitantem decuit.

OBJECT. II. *Christus in N.T. Principem Ecclesiæ seu Oecumenicum Pontificem constituit Petrum. Porro Petro Romano Episcopo successerunt sequentes Romani Episcopi. Subjiciuntur his Patriarchæ, Primates, Metropolitani, Episcopi. Ab his omnibus Divino jure distinguuntur Presbyteri & Ministri.* Resp. 1. Nec Christum Petro principatum detulisse, nec Petro Romanos Pontifices successisse, abundè supra probavimus &c. Operam igitur heic non ludimus. 2 Patriarchæ, Primates, Metropolitani, Episcopi nec Divinitus instituti sunt, sed ecclesiastico jure ad tuendum ordinem introducti: neque ex ecclesiæ instituto inferioribus cum Jurisdictione præfuerunt, sed in caussis quibusdam peculiaria dunta-

xat munia & προεδρείαν seu præsidentiam obtinuerunt. Originem eorum tum in Orientali, tum in Occidentali ecclesia paucis & nervosè, etiam præter Authores superiùs indigetatos Theophilus Banosius *de Politia Civitatis Dei & Hierarchia Romana Cap.* 13. complectitur. 3. De Episcoporum à Presbyteris distinctione infra.

Excip. Reding: *Hæc omnia in antecedentibus refutata sunt. Quibus addi potest solidissima dissertatio Alberti Pighii, in alia quidem materia notati, in hac verò integerrimi; quam is initio statim modernæ hæreseos, Hierarchiam Ecclesiasticam invertere conantis, Controv. 16. de Pot. Eccl. contexuit: cujus soliditatem nunquam evertere potuerunt Neoterici.* Ibid. pag. 219--244. Resp. Refutasti invita veritate, adversus molimina tua fortiter asserta. Bene autem est, quòd Albertum Pighium *alicubi notatum* ipsemet fateris. Nam Indicis Hispanici Expurgatoria spongia libros ejus decem *de libero arbitrio*, nec non Controversiam *de Peccato Originali* delevit, & legi, ceu hæreticos, prohibuit. In hac verò, de Hierarchia, quam nobis ad librorum tuorum molem augendam repræsentas, dissertatione, quámque ceu *integerrimam* laudas, nescio an omnia Expurgatorum palato sapere possint. veluti, ubi (*pag.* 293.) concedit, *contra Evangelium esse, Leges condere, aut exigere, ut per observationem earum mereamur remissionem peccatorum*; & meritum omne à liberali Dei misericordia, non à dignitate operis arcessens; & (*pag.* 241.) temporis sui Ecclesiam & Episcopos vivis coloribus depingit, ajens, *miserandam, planè deplorandam, confusam esse Ecclesiæ Christianæ faciem, ut à planta pedis ad verticem usque capitis non sit in ea sanitas: &* (NB) *vix ullum ejus membrum in omni ordine & gradu, seu sacro, seu seculari, suo ordinis gradui & officio satisfaciat, perturbatáque omnia & neglecta, contempta, conculcata, & paulò minùs obliterata universa disciplina publica. Episcopos* (NB) *toto orbe, ordinis dignitati, vita & moribus parùm respondere: suo officio parùm satisfacere; minimè verò omnium in Germania, quæ in multis nobilissimis atque opulentissimis Ecclesiis ac diœcesibus tam paucos habet dignos Episcopali honore & nomine. Sacerdotes sub eis & Ecclesiarum Pastores tales meritò sunt, quales Episcopi.* Talia tuo, vel exscriptoris Monachi tui calamo repetita, & lectorum omnium oculis palam subjecta, si Philippus Melanchton, cui dissertationem suam Pighius opposuit, vel alius mussitasset, hæreticus tibi, vel calumniator insignis audiret. De cœtero legi Pighii illam dissertationem, phaleratam & fucatam, neque in ea reperi quidquam, quod à Bellarmino aliísque recoctum, & à Theologis nostratibus, quos *Neotericos* appellas, pluribus, Francisco Junio, & Chamiero inprimis, quin & castrorum vestrorum athleta, M. Antonio de Dominis, denique à me etiam supra κατὰ πόδα refutatum solidéque discussum non sit. Eandem fabulam Hierarchicæ turris vindices in hoc argumento agunt omnes, S. Petri apocryphum illum in Ecclesia principatum ad tertiùm usque Cœlum extollentes, ut cum eodem successor fictitius Papa mundo imperitare jure putetur. Hæc dissertationis Pighianæ summa est.

OBIECT. III. *Paulus testatur* 1. *Cor. XII.* 28. *Deum inter alios etiam in Ecclesia constituisse κυβερνήσεις gubernationes. Habet ergo ecclesia formam visibilis gubernationis, quæ sine Hierarchia esse non potest.* Resp. Gubernationes positas, videlicet in censuris morũ, & ecclesiasticæ disciplinæ exercitio, omnino in ecclesia Deus esse voluit; sed tales videlicet, quæ non imperium, principatum & Jurisdictionem,

sed

ſed merum miniſterium,& miniſtrantium, quantum ad officium gubernandæ eccleſiæ, æqualitatem complecterentur. Nihil ergo illæ ad Hierarchiam Pontificiam attinent.

EXCIP. REDING: *Ex quo Dei verbo eruis voluntatem ejus, ut in Eccleſia ſint gubernationes in cenſuris morum & exercitio diſciplinæ eccleſiaſticæ poſitæ? Utique ex textibus, quibus poteſtas clavium & ligandi ac ſolvendi S. Petro data eſt. Atqui hæc poteſtas cenſurarum ab Eccleſia excludentium, nec non diſciplinæ ſine jurisdictione ſpirituali ſubſiſtere nequit. quæ ſic miniſterium dici poteſt, ut veræ tamen ſuperioritatis prærogativam importet.* Ibid. pag. 244. Reſp. S. Paulus *loc. cit.* Deum in Eccleſia conſtituiſſe dicit *primò quidem Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò doctores, poſtea virtutes* (ſigna & potentias, quibus comitata Evangelii prædicatio incedere debuit) *deinde dona ſanationum, opitulationes* (quales ſunt τῶν μεταδιδόντων *diſtribuentium*) *gubernationes* (videlicet ποιμένων *Paſtorum*, & ſeniorum, quos idem S. Paulus Rom. XII. 8. προϊσταμένους *præſides* appellat; quique aliquando Patrum inſtar poſſunt eſſe παιδαγωγοὶ ἐν Χριστῷ *pædagogi in Chriſto*, 1. Cor. IV. 15. conſtituti propter eos, qui ſe regere non poſſunt; citra tamen dominationem & jurisdictionem propriè dictam ullam, uti in loco demonſtravimus) *genera linguarum.* Nulla hic Hierarchia, Principis ſupremi, & ſervientium ſubordinatio: nulli ἄρχοντες, nulli νομοθέται *legislatores:* nulli loquentes verba inaudita & ἀναπόδεικτα: nulli per ſolam authoritatem determinantes controverſias fidei: nulli conficientes corpus Domini, atque illud pro peccatis vivorum & mortuorum offerentes: nulli peccata remittentes ex plenitudine poteſtatis: nullum caput ſecundarium; nihil denique eorum, quæ in Regno Papali obtinent. Cur non dixit S. Paulus, Chriſtum in Eccleſia conſtituiſſe S. Petrum caput ejus viſibile; Romanos Pontifices ei ſucceſſuros cum ſuprema poteſtate; Epiſcopos Papæ vaſallos, & Presbyteris majores; Sacerdotes corpus ſuum immolaturos, iiſque inſervientes Diaconos, Subdiaconos, Lectores, Acolythos, Exorciſtas, Oſtiarios? Profectò ejus rei ne umbra quidem in Ordinibus Eccleſiaſticis à S. Paulo recenſitis apparet. Gubernat Paſtor alienarum ovium; gubernat pædagogus; gubernat œconomus, ſine dominatione & jurisdictione propriè dicta ulla, nedum prædatoria illa & oligarchica, qualem ſibi Papa invito Chriſto rapuit; qualemque non importare poteſtatem clavium, ſolvendi & ligandi, *ad Seſſ. XIII. de Juriſd. Eccl. Object. I. IV. &c.* demonſtravimus.

OBIECT. IV. *Dionyſius Areopagita paſſim in ſcriptis ſuis meminit Hierarchiæ & Hierarcharum. Imò & libro ſuo, quo omnes functiones Epiſcopalis Miniſterii, formas & conſecrationes deſcribit,* Ἱεραρχείας Ἐκκλησιαστικῆς *Eccleſiaſticæ Hierarchiæ titulum præſcripſit.* Reſp. 1. Argumentatio à nomine & quidem ἀνεχεγγύῳ quantum roboris habeat, ipſi viderint. 2. Neque verò Dionyſius uſpiam Pontificiam hierarchiam commendat, utpote cui abſoluta Papæ poteſtas, cui inferiores illæ dignitates ſubjici ſolent, prorſus incognita fuit. 3. Neque Chriſtus, neque Apoſtoli uſpiam Epiſcopos vocant Hierarchas. Primo & ſecundo, ſequentibúſque Seculis Epiſcopi ἀρχιερεῖς apud Græcos vocari ſueverunt, nuſpiam ἱεράρχαι. Hoc igitur vocabulum hyperbolicus ille faſtidio vocis receptæ & uſitatæ delegit, ut aliquid eſſe videretur, & novi-

tati

tati ſuæ neſcio cujus antiquitatis fucum illineret. 3. Etenim, quod caput rei eſt, non fuit Dionyſius ille Apoſtolis, uti videri voluit, coævus, ſed quinto Seculo recentior. Quippe ante tempus illud ſcriptorum ejus nulla mentio eſt nec apud eos, qui Dionyſium laudant, veluti Ariſtidem & Dionyſium Corinthium: nec apud eos, qui in Act. XVII. 34. ſcribunt: nec apud eos, qui Scriptorum Eccleſiaſticorum Catalogos concinnârunt, veluti Hieronymum & Gennadium. Primus Hypatius An. 532. objecta ſibi à Severianis hæreticis quædam Dionyſianorum loca rejecit, & libros eos Areopagitæ eſſe negavit. Ita igitur ſcripta ea Seculo demum ſexto ab hæreticis prolata & aſſerta, à Catholicis verò exploſa & refutata ſunt. Quinimò Pſeudo-Dionyſius ille Epiſtolam Ignatii ad Romanos, poſt annum Trajani ſextum vel ſeptimum datam, citat, proinde Apoſtolis coævus eſſe minimè potuit. Sed νοθείαν authoris hujus poſt Photium, Cajetanum, Eraſmum, Theodorum Gazam, Vallam, B. Rhenanum, Roffenſem, Cœlium Rhodiginum, Caſſandrum, Caſaubonum, Albaſpineum, Sirmondum, Petavium, alióſque Cl. Dalleus XLII. argumentis, Holloixio oppoſitis, clariſſimè convicit.

EXCIP. REDING: *1. Concilium Conſtantinopolitanum III. libros illos ſub nomine Sanctiſſimi Dionyſii Areopagitæ ſæpiſſime inducit. quod vel ſolum ad probandam eorum ſinceritatem ſufficere poteſt. 2. Libri porro iidem ob nimiam obſcuritatem & difficultatem diu incogniti manſerunt, vel nondum translati, vel ab hæreticis celati. Hanc cauſam eſſe, cur à veteribus allegati non fuerint, Dionyſius Carthuſianus in Præambul. ad Areopag. docet. 3. Neque probabis unquam, loca illa, quæ à Severianis hæreticis ſub nomine Dionyſii objecta ſunt, ex veri Dionyſii noſtri libris deprompta eſſe. Contrarium Theodorus Abacura Biblioth. Patr. Tomo XI. p. 373. probavit. Meritò ergo Hypatius Severianorum argumenta Dionyſio ſuppoſita, à Divini hujus viri voluminibus removit: negans Areopagitæ libros eſſe, quos hæretici obtruſerunt. 4. Proba, Dionyſium hunc Ignatii ad Romanos poſt Annum VI. vel VII. Trajani datam epiſtolam citare. Atqui ille Petri & Jacobi fratris Domini à ſe viſorum diſertè meminit. 5. Idem ille de Hier. Eccl. cap. 8. diſertè Petrum vocat Apoſtolorum principem, & principatus illius vi eum electione Matthiæ præſediſſe ait. Eodem capite ſcribit:* Et omnes, qui adſunt, ſacrorum ordinum homines, & Pontifex ipſe, qui conſecratus eſt, ſalutant. *Pontificis conſecrantis ſupra reliquos ordines prærogativam diſertè ſic aſſerit. Et in Epiſtola ad Demophilum Monachum ſcribit, ad ſancta ſanctorum proximè accedere Pontificum ordinem, deinde Sacerdotum, tum ſecundum hos miniſtrorum. Quid apertius ad Hierarchiam Pontificiam probandam?* Ibid. pag. 244. 245. Reſp. Laudat venales qui vult extrudere merces. Qui mercaturam etiam tenuem exercent, non multum illi proficiunt, niſi mentiantur admodum. Idem Romanis inſtitoribus, idem Redingio noſtro, Authorem librorum de Hierarchia laudantibus, ut ejus nomine Hierarchiæ ſuæ monſtrum tegerent, & ceu improbas merces, extruderent; uſu venit. Etenim vix ullum librum reperias magis aſperum, obſcurum, vocibus, compoſitionibus, figuris, ampullis tragicis & dithyrambicis, cœteriſque affectati generis ornamentis ad pompam effictis ſcatentem, quàm qui Dionyſii nomine circumfertur

fertur; etiam ipsis Hierarchicis judicibus. *Quisquis fuit* (sic Dionysius Carthusianus à te laudatus *Comment. in Dionys. Areop.* scribit) *asperior est, vix intelligibilis, nonnullis Theologis negotium facessit.* Et *satis magna obscuritate opuscula Dionysii tegi*, Abbas Trithemius *de Scrip. Eccl.* fatetur. Morinus *de Ordinat. P.2. c.2. §.6.* sic de illo judicat: *Ille* (Dionysius) *oratione semper utitur plusquam Asiatica, hoc est, super omnem modum inflata, redundante, alta, exaggerata, & ubique circumfluente verborum compositionibus ordinariis, novis, plerunque tumidis, atque insolentibus. Nihil unquam illi nimium est. Verba semper sunt magnifica, oratio grandiloqua, amplificatio tragica, in re humili, hoc est, ad doctrinam spectante, sæpe cothurnos & dithyrambos longè supergrediens. Ei rarissimè rectus sermo est, & secundum naturam enuntiatus; ita ut stylo Attico & (NB) Areopagitico nihil omnino fingi possit dissimilius.* Et jam olim Maximus: Διὰ πολυπληθίας λέξεων σκοτεῖ τὸν λόγον. *Congestis verbis multis obscurat sermonem.* Quod vel solum argumentum illustre satis est, libros hos tempore Dionysii Apostolorum contemporanei scriptos non fuisse; siquidem illa tempora non sic obscuros & asperos scriptores, quales Scholastici nostri, & inter eos Redingius, *clarus ob obscuram linguam* (uti olim Heraclitum Lucretius *Lib.1.* notavit) sunt; dederunt, sed pios, modestos, claros, qui animorum suorum sensa perspicuè & dilucidè scriptis exprimere poterant. Sed scilicet similes habent labra lactucas; & placet Hierarchicis, quicquid supercilio Hierarchico lenocinari videtur. Missis his ad responsiones tuas veniamus. 1. Concilii Constantinopolitani III. vergente septimo Seculo celebrati, acta lege, relege. Nullum Dionysii Areopagitæ, librorum ejus mentionem nullam reperies; nisi forte in Epistola Agathonis ad Imperatorem A. DCLXXX. scripta, in qua librum de Divinis nominibus Dionysii Athenensis nomine laudat, & locum ex eo recitat. Laudavit ergo Agatho Papa, non laudavit Concilium. Laudavit ille, quia Hierarchiæ jam tum invalescenti patrocinari visus est. Neque constat, ipsene librum legerit, an verba ab aliis, Leontio, Anastasio, Maximo, &c. conficto authore mundo imponentibus, accepta, adeóque ex fama retulerit. Nutabit ergo vehementer authoritas librorum illorum, si non alio firmiore tibicine nititur. Ita paulò ante Sophronius Hierosolymitanus Episcopus, Epistola ad Sergium Constantinopolitanum Episcopum, quæ in Synodo quinta habetur, Scriptoris hujus testimonium de operatione θεανδρικῆ sub τοῦ ἐξ Ἀρείου πάγου Παύλῳ τῷ θείῳ θείως ζωγρηθέντος θηγόρου Διονυσίου *Dionysii Deiloqui, Divinitus à Divino Paulo ex Areopago capti* nomine recitat. In qua ad Sergium Synodica clarissimè perspicitur ille Sophronianæ dictionis, juveniliter luxuriantis, character, à Photio Patriarcha Constantinopolitano *Cod. 231.* notatus his verbis: Ἐπεντερίζει πανταχοῦ τοῖς ῥήμασι, καθάπερ τις πῶλος ἐπιγαυρούμενος τοῖς σκιρτήμασι. *Juveniliter ubique dictionibus lascivit, instar asini saltibus ferocientis.* Idem Photius jam nono, quo scribebat, Seculo Theodorum quendam objectiones adversus γνησιότητα librorum horum moveri jam tum cœptas diluere conatum, sic inducit, ut satis appareat, eò inclinasse ejus animum, ut crederet, non esse libros illos Areopagitæ. Nam objectiones refert, sine responsionibus Theodori ad easdem: neque objectionum infirmitatem ullo apice notat, quod aliorum objectiones referens facere suevit. Imò addit ille, Theodorum objectiones illas διαλῦσαι, ἐπαγωνισάμενον *dissolvere magnopere contendisse*, & τόγε ἐπ' αὐτῷ *quantum quidem in ipso situm erat*, hoc est, conatum esse, sed nihil effecisse. Unde Possevinus ipse *Appar. S. verbo Photius*, sic de eo judicat: *Opera Dionysii, ut pseudepigrapha, videntur à Photio notari.* Liquet hinc, licet

Seculo ſeptimo, adeóque Conciliorum Conſtantinopolitani II. & III. temporibus, non defuerint, qui ſcripta iſthæc Authori Areopagitæ vendicarent; non defuiſſe tamen mox alios, qui in dubium id, allatis rationibus graviſſimis, quales ſunt illæ à Photio memoratæ, revocarent. 2. Ipſam illam librorum obſcuritatem νοθείας eorundem argumentum ſuppeditare, jam oſtendimus. Neque etiam primorum Seculorum doctores obtuſiora geſtarunt pectora, quàm ſexti & ſequiorum, ut illi obſcura & ſublimia non æquè atque hi comprehendere poſſent. Et juxta illa Poëtæ ſagaciſſimi, Omnes *Transvolamus in medio poſita, fugientia captamus.* Sed & disjunctiones illæ tuæ; *Vel ob difficultatem lecti non ſunt, vel non translati, vel celati,* abundè produnt, lubrico te ſtare talo, & conjectare, non divinare. Si translati in Latinum idioma non ſunt, at Græci, & Latini Græcè docti, velut Hieronymus, aliíque legere & intelligere poterant. Cur ergo illorum nemo librorum illorum ante ſextum ſeculum meminit? *Si nullus ex antiquis recordatus eſt ea* (ſic arguebat Hypatius) *unde nunc poteſtis oſtendere, quia illius ſint, neſcio.* Et pauló ante: *Si Dionyſii erant, B. Cyrillum & Athanaſium non poterant latere.* Quomodo authoris tanti ſcripta ten.bris pia antiquitas damnaſſet? Non ea tum fuit Chriſtianiſmi barbaries; non ea ſocordia; non is in Eccleſiæ Antiſtites, Deique teſtes contemptus ſupinus. Et quomodo hæretici celarunt libros illos, qui primi eoſdem produxerunt? Etenim hæreticos Severianos primos in ſcenam libros hos protuliſſe, dubitare non ſinit commentarius Innocentii Epiſcopi Maroniæ civitatis, in quo collationem quandam Juſtiniani Imperatoris juſſu à Catholicis, Præſide Hypatio, Metropolita Epheſino, ſexti ſeculi homine, cum Severianis hæreticis Conſtantinopoli habitam deſcribit; cui ipſe quoque ab Epiſcopo evocatus interfuit. Epiſtolam illam Baronius à Nicolao Fabro Pariſiis ad ſe miſſam, primus *A. D.* 532. *ſſ.* 30. 31. publicavit. Neque antiquior aliquis Pſeud-Areopagiticorum illorum meminit. In illius collationis deſcriptis ab Innocentio actis, cùm Severiani noſtris quædam objeciſſent, velut à Cyrillo, Athanaſio, Felice, Julio, Gregorio Thaumaturgo, ac denique Dionyſio Areopagita tradita, Hypatius actionis præſes de Areopagitæ locis ſic hæreticos illos convenit: *Illa teſtimonia, quæ vos Dionyſii Areopagitæ dicitis, unde poteſtis oſtendere vera eſſe, ſicut ſuſpicamini? Si enim ejus erant, non potuiſſent latere B. Cyrillum. Quid autem de B Cyrillo dico? quando S. Athanaſius, ſi pro certo ſciſſet, ejus fuiſſe, ante omnia in Nicæno Concilio de conſubſtantiali Trinitate eadem teſtimonia protuliſſet adverſus Arii diverſæ ſubſtantiæ blaſphemias. Si autem nullus ex antiquis recordatus eſt ea, unde nunc poteſtis oſtendere, quia illius ſint, neſcio.* Hæc Hypatius; Dionyſiana eodem illa, quo hactenus uſi ſumus, argumento, à Cyrilli, Athanaſii, aliorúmque veterum ſilentio petito, oppugnans. Utris, Redingi, de vetuſtiſſimorum Theologorum libris credere nos par eſt, hodiernis, ac nudius tertius natis diſputatoribus, Baronio, Perronio, Halloixio, Redingio, ſuæ cauſæ ſtudio ardentibus, an illis ante undecim ſecula denatis, & procul ab hodiernarum controverſiarum æſtu verſantibus, Hypatio, Metropolitæ Epheſino, ſexti ſeculi Viro, Athanaſio, Cyrillo, Dionyſio Alexandrino, quos negat Hypatius ignorare potuiſſe Dionyſiana, ſi authore Dionyſio Areopagita ſcripta eſſent? Fruſtra autem probari poſtulas, ut a Severianis objecta ex Dionyſio in ipſo Dionyſio oſtendam. Priùs enim tu, quæ teſtimonia illi ex Dionyſio objecerint, nos edoce. Nam ea certè Hypatius non expreſſit. Neque etiam ille ſic Dionyſio ſuppoſita eſſe à Severianis teſtimonia quædam cauſſatur, ut alia eidem non ſuppoſita, adeóque germana agnoſcat. Quin-

imò

nimò argumentatur Hypatius, haud dubiè *Athanasium, si pro certo scivisset,* testimonia illa *Dionysii esse, ante omnia in Nicæno Concilio de consubstantiali Trinitate eadem testimonia prolaturum fuisse adversus Arii blasphemias.* Atqui in libris Dionysio authore venditatis *consubstantialis Trinitas* disertè asseritur, quam ipsam quoque Baronius *A.*109. *§.* 51. *&c.* ita asseruisse authorem in libris hodie extantibus ait, ut Eusebium *lucubrationes Dionysii dolo malo ac penitus suppressisse* non aliam ob causam, *quàm quòd esset Arianorum patronus,* & *sectæ illius vexillarius*, dicat. Opera enim Dionysii solo aspectu Arianorum dogmata potuisse infringere. Quanquam non hæc suppressorum ab Eusebio Dionysianorum germana causa esse potuit, quia idem aliorum scripta non pauca, æquè Arianorum partibus infesta, diligenter enumerare non omisit. 4. Acutam verò Redingii nostri ratiocinationem! *Author ille testatur, se vidisse Petrum & Jacobum fratrem Domini. Ergo non citavit Ignatii ad Romanos epistolam post Annum sextum vel septimum Trajani scriptam.* Imò utrumque scripsit: & quia utrumque scripsit, inde tibi, si mens non fuisset læva, concludendum fuerat, authorem illum non celebrem illum Dionysium Areopagitam, sed impostorem, illius nomen mentitum, fuisse. Laudat enim ille & describit *de Divin. Num. cap.* 4. *§.* 12. suavissimam quandam Ignatii sententiam, ex epistola, ut ipse quidem profitetur, paulò ante quàm martyrium faceret, ad Romanos scripta, his verbis: Γράφει δὲ καὶ ὁ θεῖος Ἰγνάτιος, ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται. *Scribit Divinus Ignatius: Amor meus crucifixus est.* Hæc verba in omnibus Dionysii libris constantissimè lecta, (ne à sciolo intrusa esse cum Halloixio vestro nugeris) ipsissima etiam in iis, quæ hodie Ignatii nomine circumferuntur, epistolis leguntur; eáque ab Ignatio vel scribente, vel certè loquente verè usurpata esse, Origenes *Prol. in Cantic.* docet. Ignatium autem cùm anno Trajani sexto (ita Usserius censet) vel septimo passum esse constet; vel cœcus videt, Areopagiticorum scriptorem, qui Ignatii Epistolas laudat, post sextum vel septimum annum Trajani scripsisse, adeóque verum Dionysium, pridem ante tempus illud sub Domitiano mortuum esse non posse. 4. Denique nihil minùs quàm Hierarchiam vestram, ejúsque supremum apicem, Papæ principatum αὐτοκρατορικὸν Pseudo Dionysius ille astruit. *Principem Apostolorum* ais Petrum ab eo insigniri. Nihil hoc ad Papam: nihil ad principatum Petri. Nam qui Petrum Apostolorum principem vocarunt veteres, eodem elogio etiam S. Paulum insigniunt Sic Prudentius περὶ στεφάν. *hymn.* 2. Petrum & Paulum *duos Apostolorum principes* appellat. minimè sic somnians, duos oportere esse Christi vicarios. Sed nomine *Principis* vel deciperis, vel alios sanè decipis. Hodie enim vox illa ad supremam quandam regiminis potestatem declarandam usurpatur; ac vix aliter. Patres verò non pro Monarcha dominatore, sed pro primo, præcipuo vel magis excellente usurparunt. quomodo Hieronymus *adv. Pelag. lib.*1. Petrum cum Platone conferens; *Ut Plato*, inquit, *fuit princeps Philosophorum: ita Petrus fuit Apostolorum.* Hoc solum inde effici potest, Petrum inter Apostolos gratia, donísque gratiæ excelluisse, ut eminuit inter Philosophos Plato ingenio ingeniíque viribus. Quod ut de Petro concedamus, ad Papam, quem iisdem omnibus gratiæ donis excellere, quibus Petrus excelluit, audacissimus etiam sycophanta affirmare dubitaverit, transferri nulla ratione potest. Excelluit autem Petrus gratiæ donis non universos Apostolos in universis, sed in uno aliquo aut altero, Apostolorum singulos. Johannem enim discipulum illum, *quem dilexit Dominus*, *qui Divinissimè scripsit Evangelium, In principio erat verbum*, *cui per Apocalypsin futura innotuerunt,*

tuerunt, quique ea per Spiritum Prophetiæ exararit; Petrum multis donis gratiæ excelluisse, Hieronymus *adv. Jovin. lib.* 1. scribit. Paulus verò ampliùs, eum præcipuis donis excellebat; adeò ut Augustinus, qui *de Baptis. contra Donat. lib. II. cap.* 1. Petro *excellentem gratiam* attribuit, *excellentissimam* Paulo alibi *in Psal.* 130. & *contra duas Epist. Pelag. lib. III.* 3. gratiam ascribat, dicens, *eum majorem gratiam accepisse, & plus quàm omnes Apostolos laborasse*; ideóque *Apostolum* vocari *per excellentiam*. Petrus contra Paulum excellebat *primatu*, quòd primus fuerit electus; & Johannem ætate, quòd fuerit *ætate senior*. quo nomine, Hieronymo, *contra Jovin. lib.* 1. judice, ei fuit prælatus, ut *princeps* esset *Apostolorum*. Hoc, non aliud, veteribus *Principatus Petri* est, non ulla potestatis vel dominationis excellentia. Quid verò multis? Ipse, ne latiùs evagemur, Pseudo-Dionysius ille. qui Petrum *Apostolorum principem*, imò *de Hier. Eccl.* 3. etiam *coryphæum & antiquissimum Apostolorum verticem* prædicat, infra *cap.* 7. Pontificis suprematum radicitus evellit. *Quoniam*, sic ibi loquitur, *Scripturæ Petrum alloquuntur, Quodcunque ligaveris in terra, ligatum erit in Cœlo; & quodcunque solveris in terris, solutum erit in Cœlo, (ὡς ἐκείνῳ καὶ παντὸς κατ᾽ αὐτὸν ἱεράρχου) iccirco illum, & secundùm illum quemque Episcopum* (nam Episcopos quosvis non alio quàm ἱεραρχῶν nomine insignire solet) *pios recipere, exhæredare impios sententiam declarando & administrando verbum Dei, decet.* Vos suprematum Papæ ex illo *ligandi solvendique* negotio, Petro commisso, stabilitis; quasi ad Pontificem secundum Deum propriè pertineret. Contra verò Pseudo-Dionysius illud omnibus Episcopis commune facit. Sic ergo Petrum *principem, coryphæum Apostolorum*, appellat, ut Episcopos tamen omnes pares faciat; neque Romæ privilegium majus quàm Antiochiæ aut Hierosolymæ largiatur. Idem, ais, *author, ordinum omnium, & Pontificis consecrantis nomine Ecclesiam salutat; adeòque Pontificis consecrantis super reliquos ordines prærogativam agnoscit.* Sed quam prærogativam, Papalem, dominantem, an qualicunque ratione eminentem; & quo jure, Divino, an Ecclesiastico agnoscit? In hoc cardo rei vertitur. Nam ea ætate, quà author ille libros suos consignavit, Episcoporum supra presbyteros prærogativam invaluisse, non negamus: at invaluisse & Papalem illam ac dominantem, & Divino jure, id verò nec Pseudo-Dionysius ille affirmat, nec aliunde probare potes. De *Pontificum*, (sic Episcopos insignit) *Sacerdotum, Ministrorum Ordinibus* ex sententia ejusdem authoris abundè supra egimus.

QUÆSTIO VI.

An Episcopi sint jure Divino Presbyteris superiores?

CAnon VII. nudè asserit, Episcopos Presbyteris esse superiores. Cæterùm in Concilio gravissima, longo etiam tempore ventilata fuit disputatio, quo immediato jure Episcopi sint superiores Presbyteris; Divino an Pontificio? Divinò jure superiores esse statuerunt Epi-

Episcopi Hispani, Galli, Germani plerique. At Itali, Papæ metuentes, superioritatem in Pontificio jure fundârunt. Metus enim erat, ne cæteri Episcopi, si à Christo forent immediatè instituti, jam æquales fierent Romano Episcopo, nec ei competeret ulla in eos potestas & Jurisdictio. Posthabitis igitur maximæ partis Episcoporum pro jure divino suffragiis, eò res deducta est, ut generali formula definiretur; *Episcopos esse Presbyteris superiores*, quò sub ejus umbra utraque pars dissentiens latitare posset. Cæterùm quando fere communis hodie sententia est, jure Divino Episcopos esse Presbyteris superiores, ita omnino controversiæ status formari debuit. Superioritatem illam seu eminentiam non intelligunt de imaginaria superioritate, quæ in præeminentia quadam, aut actionis perfectione consistat, sed de superioritate regiminis, potestate leges condendi, & promulgandi, causas judicandi in foro externo & ipsius conscientiæ, ordinandi, vocandi, puniendi, visitandi, confirmandi, beneficia conferendi, investiendi, Templa, Monasteria, xenodochia erigendi, bona ecclesiastica administrandi, aliâque ejusmodi, in quibus cumulandis vix sibi Canonistæ satisfacere possunt. Nos equidem eminentiam aliquam Episcopi supra Presbyteros docentes jure Ecclesiastico introductam non prorsus damnamus. Quanquam optandum fuerat, ne ab institutione Apostolica ulla ratione declinatum & ἄνισα τοῖς ἴσοις unquam tributa essent, quando experientia posteriorum temporum docuit, stultitiam Dei sapientiorem esse hominibus, & vile illud in speciem Evangelij Ministerium, Pastores gradu, vocatione & authoritate æquales sapientiùs potentiúsque, quàm pomposam, speciosam & fastuosam ab hominibus introductam Hierarchiam obivisse ac rexisse, & Deum illi ordini, cujus in verbo suo author non est, nequaquam benedixisse, Diotrophes illos ambitiosos in Ecclesia Dei plerunque sese non vites, non oleas vel ficus fructiferas præstitisse, quippe quæ renuerunt pinguedinem, dulcedinem & fructus suos deserere, sed cynosbatos potiùs, rubos & infrugiferas spinas, quæ prælatura sua non pacem & unitatem Ecclesiæ, sed potiùs mala multa ac dissidia generârunt, & tandem per Hierarchicam illam scalam Antichristum in solio suo collocârunt. Sed de hoc quicquid sit, nos Episcopum jure Divino supra Presbyterum eo, quo diximus, modo eminere, disertè negamus. Etenim

ARG. I. Paulus disertè quos vocat Presbyteros, omnes eosdem etiam Episcopos nominat, citra ullius discriminis indicium, Act. XX. 17. 28. Tit. I. 5. 6. 7. Ergo divinum jus Episcopos à Presbyteris non distinguit.

RESP. REDING: *Hæc aliæque argutiæ tuæ, ex iis, quæ adversus Neotericos solidissimis*

nis argumentis firmavit Baronius ad A. 58. ſſ. 3. evaneſcunt. Docet inter alia, ſicut Apoſtoli dicti etiam reperiuntur Epiſcopi; & qui Eccleſiis præfecti ſunt Epiſcopi, etiam Apoſtoli, velut Epaphroditus, Andronicus, Junias: ſic ſecundum eandem analogiam Presbyteros Eccleſiarum curæ præfectos etiam Epiſcoporum nomine veniſſe. Quò pertinent loca à me objecta. Tomo IV. Tract. X. ſſ. 2. pag. 246--250. Reſp. Raplodum hic, non diſputatorem agis. Ut libri tui molem alienis plumis amplifices, Baroniana omnia, jam etiam in Anatome ipſa protrita, huc ſevocanda putaſti. Hac methodo uſus vel centum volumina libello meo opponere, Tibi in proclivi fuiſſet. Quid verò attinebat etiam Baronium nobis opponere, non tam contra nos, quàm contra Hieronymum, adverſarium delectum, quémque etiam modò ceu ſibi ipſi diſcordem exagitat: modò liberat & conciliat, diſputantem, imò non pauca in diſputatione ea effundentem, quæ non omnium certè Hierarchicorum plauſum habebunt? De cætero verum eſt, nomina *Epiſcopi* & *Presbyteri* Apoſtolorum tempore fuiſſe communia, adeóque, quod Baronius ait, *Presbyteros Eccleſiarum curæ præfectos etiam Epiſcoporum nomine veniſſe.* quod loca à me objecta clarè teſtantur. Sed non ſequitur, ſola nomina, non etiam officia, quod Hierarchici pertendunt, communia fuiſſe. Unde enim diſtincta officia ex Divina inſtitutione vel mandata, vel obita eſſe ab iis, qui iiſdem nominibus cenſebantur, probabunt? Certè Bellarminus ne unum quidem Scripturæ locum, officia diſtinguentem, afferre potuit. Nos verò contra ſic argumentamur, cùm nomina eo tempore communia fuerint, nominúmque communio, cùm verè dicitur, communionem rerum, quæ nomine communi deſignatæ ſunt, importet, neceſſaria inde conſequentia deduci, ut nomina, ſic etiam res nominibus deſignatas communes eſſe; adeóque etiam Epiſcopos & Presbyteros id eſſe communiter, quod communiter eſſe dicuntur. Eorum autem, quæ ſunt idem, qua idem ſunt, eadem operatio eſt. Et ſanè ſi res & poteſtates eum temporis ita diſtinctæ fuiſſent, ſicut hodie ſunt, æquè ridiculum fuiſſet nomina ipſa promiſcuè uſurpare, ac ſi jam quis presbyteros quoſvis Epiſcopos inſigniret, vel Papam promiſcuè Epiſcopum & Presbyterum diceret, & poteſtates nihilominus, diſtingueret. In loco ſanè Tit. I. 5.6.7.8.&c. res ipſa, poteſtas & proprietates Epiſcopi æquè in commune tribuuntur Presbytero, ac nomen. Proin κρησφύγετον veſtrum ibi locum habere nequit. Quòd ſi ſola ibi nomina communicantur, dicant Hierarchici, cui ordini propriè conveniant res ipſæ, quæ v. 6.7.8.9. habentur? Denique inter Epheſinos illos, qui Act. XX. 17. &c. Miletum à S. Paulo acceſſiti, & (v. 17.) *Presbyteri*, & (v. 28.) *Epiſcopi* nuncupatur, Epiſcopus Epheſiorum ille major, cui eminentiorem poteſtatem & diſtincta officia competiiſſe aſſerunt, vel comparuit, vel non comparuit. Si comparuit, cur ſeorſim à S. Paulo compellatus, & de diſtinctis officiis ſuis admonitus non eſt? Neque enim Epiſcopum illum majorem, & reliquos gregarios ac λεγομένους titulares, hoc eſt, uti hodie ad ſe invicem referuntur, *dominum* & *ſervos*, iiſdem nominibus, affectata æquivocatione, compellaturus, & ad eadem officia excitaturus, ac non ſingulis diſtincta & propria præcepta diſpenſaturus fuerat. Si non comparuit, vel à S. Paulo invitatus non eſt, vel morem S. Paulo non geſſit (ſimilis hodiernis Epiſcopis, Divina & Apoſtolica præcepta nil penſi habentibus) vel nullus fuit. Quid verò multis? Ille, rei ipſius finitore S. Paulo, Epiſcopus veri nominis eſt, *qui attendit ſibi & toti gregi*, adeóque gregem ſibi Divinitus creditum paſcit. Act. XX. 28. Eſt autem προσέχειν *attendere* gregi, cúmque ποιμαίνειν *paſcere* & ἐπισκοπεῖν *inſpicere, viſitare, curare* gregem id omne, quod vero Epiſcopo incumbit. puta gregi prædicare verbum, adminiſtrare Sacramenta, invigilare ei,

ei, prospicere, curare ea, quæ ad Ecclesiæ conservationem & gubernationem pertinent, quod sine regimine & gubernatione ejus fieri nequit. Aliam meliorem definitionem Hierarchici suppeditabunt nullam. Atqui Presbyteri cujuscunque est, *attendere sibi & toti gregi*, ib. v. 17. 28. & ποιμαίνειν τὸ ποίμνιον ἐπισκοποῦντα *pascere gregem suum superintendendo, seu Episcopatu defungendo*, 1. Pet. V. 1. 2. Ergo quivis Presbyter est veri nominis Episcopus.

ARG. II. Idem Apostolus omnes Ecclesiæ Ministros appellatione Episcoporum & Diaconorum complectitur Phil. I. 1. Si Episcopi distincti à Presbyteris, cur Presbyterorum mentionem nullam fecit? Imo si Episcopus jure Divino talis est, qualem obtrudunt Papistæ, cur plurium Episcoporum in una eademque civitate meminit? Manifestum est, per Episcopos intelligi oportere quosvis docentes Presbyteros.

RESP. REDING: *Ludendo in voce, illudis lectori. S. Paulus enim, interprete Chrysostom. Theophylacto, Oecumenio, Episcoporum nomine Presbyteros, & Diaconorum nomine inferiores ministros intelligit. Episcopum non salutat, quia is erat Epaphroditus harum lator. Nempe Episcopi & Presbyteri pares sunt in Sacerdotio, in potestate ordinandi & jurisdictione impares. Unde Sacerdotii respectu Presbyteri Episcoporum nomine venerunt, tum quia in ordine summo Sacerdotii conveniunt: tum quia olim ante schisma illud 1 Cor. I. 12. non tam authoritate & jurisdictione, distincta, quàm communi Presbyterorum consilio, labore & Spiritu Ecclesiæ regebantur. Unde Presbyteri dicebantur, & erant Episcopi, id est, inspectores & correctores morum populi cum Episcopo propriè dicto; & in Conciliis etiam considebant una cum Episcopis, sententiámque rogati dicebant, uti ex Act. XV. 6. liquet. Crescente Ecclesia, & Presbyteris prima illa Episcoporum communicatione abutentibus, Episcopi suam authoritatem & præeminentiam tueri cœperunt; omnibúsque prælati sunt. quod factum est tempore Apostolorum, cùm hic diceret;* Ego sum Cephæ; *hic,* Ego sum Pauli; *ille;* Ego sum Apollo. *Sic ad h. l. Cornelius à Lapide.* Ibid. pag. 250. 251. Resp. Vos certè ludendo in nominibus, & Deo & hominibus illudere, palam est. Nam modò Episcopus & Presbyter vobis idem est, quia veritatis Scripturarum vi compulsi aliter evadere non potestis. Atque hic Sacerdotii fictitii convenientiam allegatis. Modò vobis Episcopus à Presbytero & nomine & re, adeóque toto diametro distinguitur, sic ut illa vox dominum, hæc servum significet; illa supra Sacerdotium utrique commune potestatem regiminis ac jurisdictionis denotet, hæc potestate illa destituatur penitus. Et quanquam nullum Scripturæ locum producere possitis, quo Episcopi vox eminentiam illam à Presbyteriali ordine distinctam significet; tamen à jure Divino illam distinctionem arcessere non dubitatis quia Episcopalem dominationem sine hoc fuco & commento proferre vobis integrum neutiquam fuisset. Utque fraudem vestram tegatis ampliùs, tempora etiam distinguenda putastis, schisma illud, de quo S. Paulus 1. Cor. I. 12. loquitur, præcedentia & consequentia. Nam ante illud schisma Episcopos & Presbyteros eodem nomine & potestate eadem præditos, una cum Episcopo propriè dicto Ecclesiam rexisse; post illud Episcopos suam authoritatem & præeminentiam tueri certos, Presbyteros communicatione hac abutentes ad inferiora subsellia relegasse, ex Cornelio à Lapide Tuo fingis. Quò verò uterque præsidio fretus? Nullo

Nullo planè. Imò ordo Epistolarum Paulinarum commentum distinctionis illius prorsus elidit. Nam prior ad Corinthios, cujus cap. I. 12. schisma Corinthiorum, memoratur (cujus occasione juxta vos Ecclesiæ regimen mutatum, & Episcopi, Apostolis instituentibus, à Presbyteris auctoritate & potestate distingui cœperunt,) Epistolam ad Philippenses, cujus initio Episcopi iidem juxta te cum Presbyteris sunt, ordine scriptionis præcedit, uti alibi *Enchirid. Bibl. lib. II. 9: 5. & cap. 13: 4.* comprobavimus. Quòd si ante schisma illud, ut ex A Lapide tuo pertendis, communi Presbyterorum consilio, labore & Spiritu Ecclesiæ regebantur, atque hæc causa est nominis *Episcopi* Presbyteris communicati, dubiúmque insuper non est, primam illam regiminis formam Divinam fuisse; aut ostendendum est vel mandatum Divinum de prima illa regiminis forma mutanda; vel factum mutati regiminis Apostolicum (quod alterutrum vel utrumque in æternum ostendi nequit) aut mutatio Divina non est, sed merè humana & Ecclesiastica, quod Hieronymus infra vindicandus, liquidò asseruit. Sed & illud vix cohæret, quòd & Presbyteros Episcoporum nomine Ecclesiam Philippensem rexisse, concedis, & eidem Episcopum sublimioris ordinis, Epaphroditum scilicet, Epistolæ Paulinæ latorem, præfuisse, contendis. De Epaphrodito equidem parum constat. Philippensium Ἀπόστολον *Apostolum* S. Paulus Phil. II. 25. appellat; non quòd eorum Episcopus Ordinarius, & quidem Hierarchicus, quales vestri sunt, fuerit: sed quia à Philippensibus *legatus*, Apostolo Paulo adjunctus fuit συνέκδημος *peregrinationis comes* (2. Cor. VIII. 19.) ut per ipsum resciscerent opera Dei, & communicarent cum fidelibus in omni loco, misso teste fidei suæ. Neque Hierarcha Episcopus sic se à grege suo legari passus esset. Proditque commentum vestrum incerta veterum de Episcopatu Epaphroditi traditio. Tarracini fuisse Episcopum, ibique mortuum esse, Metaphrastes & Martyrol. *ad 22. Mart.* tradunt. Ecclesiæ Hadriæ seu Hadrianæ in Syria Episcopum facit Dorotheus: Philippensis alii. Unde Baronius *ad A. 60: 2.* nulla alia ratione adductus, tres nobis Epaphroditos cudit. Si tamen Epaphroditus ille Episcopus Philippensium propriè dictus fuisset, ratio non constat, cur Apostolus reliquos Ecclesiæ Philippensis rectores *Episcopos* potiùs quàm Presbyteros insignire voluisset. Saltem, ne de Epaphroditi illius, Episcopi, ut vobis placet, propriè dicti honore aliquid delibaret. Ille insuper Epaphroditus officio suo propriè Episcopali probè defunctus est, vel non. Si probè defunctus est, non indiguit ille in regenda Ecclesia Presbyteris Episcoporum nomine insignibus. Quomodo nec vestri Episcopi Presbyteros ad regimen Ecclesiæ, quod sibi illi, ceu eximium vendicant, Presbyteros admittunt. Si probè defunctus non est, quomodo impensè adeò S. Paulus eum Phil. II. 29. 30. laudat, ἐντίμους ἔχειν *in honore habere* jubens, *quia propter opus Christi proximè mortem accessit, non satis consulens animæ, ut defectum ministerii suppleret* &c. quales Episcopi apud vos quidem Phœnice ipso rariores sunt. Denique quicquid cum A Lapide tuo hic ogganas, deviastis certè à sermonibus Spiritus S. qui omnes Presbyteros hic alibíque Episcopos vocavit; & eadem ratione per abusum vocabuli illius, uni cuipiam eminenti Hierarchæ tributi, & Presbyteris erepti, in Ecclesiam novam insolitámque potestatem introduxistis. Si enim sunt in Ecclesia majores Presbyteris Ecclesiam curantibus, est etiam potestas major tum in Presbyteros, tum in Ecclesiam. quæ non potest esse nisi potestas eminens Magistratus. Huic potestati necesse erit annecti Legislationem & judicium. Sic paulatim sensimque, non observantibus hominibus; judicium ab Ecclesia tollitur, & humanum nomen, humana authoritas in eam introducitur, atque Regnum spirituale Dei in

Regnum

Regnum mundanum degenerat. Non vult autem Deus se coli sub umbra arborum, hoc est, hominum, qui authoritatem habeant, ut per eos stet, quantum lucis cœlitus ad nos permanet.

ARG. III. Paulus ordines Ecclesiasticos N. T. commemorans 1. Cor. XII. 28. Ephes. IV. 11. Episcoporum, qui majores sint Pastoribus, vel ab iis distincti, non meminit. Claro indicio, non esse Episcopos à Presbyteris seu communibus Pastoribus distinctos. Quin & Petrus, quo utique majores Episcopi non sunt, se vocat συμπρεσβύτερον 1. Ep. Cap. V. 1. Sympresbyteri igitur Divino jure omnes sunt.

Resp. Reding: 1. *S. Paulus loc. cit. distinguit inter Apostolos & Pastores. Erant autem etiam Apostoli Pastores. Duo ergo genera Pastorum facit, majorum, quales erant Apostoli, & successores eorum Episcopi; & minorum seu subordinatorum, quales gregarii Pastores sunt. 2. S. Petrus se Compresbyterum vocat ratione ordinis Sacerdotalis & Episcopalis, qui æqualis omnium erat; nec non finis ejusdem omnium Ecclesiæ præpositorum, qui est ædificatio Ecclesiæ: non ratione jurisdictionis ad universas Christi oves se extendentis.* Ibid. pag. 351. Resp. 1. Fuerunt utique Apostoli Pastores, sed universalis Ecclesiæ; Paulus præputii, Petrus circumcisionis, Gal. I. 7. 9. Ad eam sic quisque suo ordine & definito prædicationis canone (2. Cor. X. 13. 14. 15.) missus est, ut tamen S. Paulus, atque juxta eum alii etiam Apostoli μέριμναν πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν *curam & solicitudinem omnium Ecclesiarum* gesserint. In hoc munere Pastorali Apostolico & extraordinario nullos successores ordinarios Apostoli habuerunt. Proin frustra Pastores majores ab inferioribus & subordinatis post eorum ἄφιξιν *decessum* distinguuntur. In iis enim, quæ ordinarii Ministerii sunt, omnes Presbyteri æquè successores Apostolorum sunt, utpote quibus legitimè ordinatis & vocatis æqualiter potestas clavium, prædicationis Evangelii, & Sacramentorum dispensationis competit. Ad hæc enim nulla unius præ aliis ὑπεροχὴ requiritur. Etenim in iis solis succeditur Apostolis, quibus positis ponitur Ecclesia, & sublatis tollitur. Hæc autem non aliud sunt, quàm pura Evangelii prædicatio & Sacramentorum dispensatio Matth XXVIII. 19. 20. In iis ergo solis succeditur. Licet autem successio Ecclesiastica ab Antiquitate describi cœpit per seriem Episcoporum; certum tamen est, ordinem hunc demum post Apostolorum tempora cœptum esse. Cùm enim inprimis Episcopis post Apostolos assignandis, etiam quoad Ecclesias propriè dictas Apostolicas (quales Tertullianus *de Præscript.* eas censet, quarum *primus Episcopus aliquem ex Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, autorem & antecessorem habuerit. Hoc enim modo,* inquit ille, *Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt, sicut Smyrnæorum Ecclesia Polycarpum à Johanne conlocatum refert; sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum; idem proinde utique & cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos Apostolici seminis traduces habeant*) nil certi Antiquitas habuerit, uti exemplo Ecclesiæ Romanæ, de cujus primo Episcopo vehementer traditionis fides discordant, dum alii Clementem, alii Linum, alii Cletum, alii Anacletum faciunt; proclive inde collectu est, statim post Apostolos illam unius ὑπεροχὴν non obtinuisse in Ecclesiis, sed eorum regimen penes Presbyteros seu Presbyterium stetisse. Sed de genealogiis illis Episcoporum veterum quicquid fiat; sicut non minùs Democraticum erat regimen Atheniensium, quòd fastos suos per nomina Ἀρχόν-

τος cujusque anni digerebant: neque minùs Monarchicum sub Cæsaribus imperium fuit, quòd fasti per Consules digererentur, uti stante Republica obtinuerat: ita nibil facit ad probandum regimen cujusvis Ecclesiæ particularis initio de jure Divino fuisse Monarchicum, unius προεστῶτος Episcopi, quòd successiones suos per Episcoporum singulorum seriem illi digererent; cùm difficile non fuerit, etiam ante natam Episcopatus Hierarchici φαντασίαν, titulum hunc ei affingere, qui inter Presbyteros ordine primus sive ob ætatem, sive ob eruditionem, sive ob ordinationem habebatur. 2. S. Petrus apud Seniores se disertè *συμπρεσβύτερον consenioren* profitetur. ratione *ordinis*, inquis, *Sacerdotalis & Episcopalis*; non *regiminis & jurisdictionis*. Sed quo sensu *Seniores* erant illi, ad quos scribebat, eodem se *conseniorem* Petrus profitetur. Illi verò Seniores erant, quatenus munus illorum erat *ποιμαίνειν τὸ ποίμνιον τοῦ Θεοῦ καὶ ἐπισκοποῦν pascere gregem Dei & curare v.2.* quod Ecclesiæ regimen, omnibus Presbyteris commune, significat. Eadem ergo ratione consenior S. Petrus erat, nihil sibi in regenda Ecclesia supra presbyteros arrogans, nihil sumens supra ipsos, aut in ipsos quoad potestatem. Nullum ergo sive in ordine, sive in regimine Ecclesiæ gradum aut potestatem in Ecclesia supra Presbyteros S. Petrus agnoscit; & quemadmodum *ἐπισκοποῦντας Episcopos* Presbyteros, sic Presbyteros. Episcopos agnoscit, æquè Senioribus ἐπισκοπὴν, adeóque omnia ad Episcopatum pertinentia, atque Episcopis nomen seniorum impertiens. Quin eligens nomen, quod nemini, qui in πρεσβυτερίῳ est, denegari potest, haud obscurè prodidit, se nihil in regimine Ecclesiæ velle supra omnes, qui presbyteri vocantur. Si nomen *Presbyteri* hic capiamus pro eo, qui Presbyteris major sit, hoc est, Episcopus Hierarcha, quàm bellè hoc sonabit? Dabit ergo S. Petrus mandata Episcopis, non Presbyteris, etiamsi Presbyteros compellet. Si *Coepiscopum* se dicat, hoc est, gradu majore & potestate majore, quàm cæteri seniores habent, præditum, quomodo admonitionem, quæ omnibus, partem in πρεσβυτερίῳ habentibus, convenit, proponens, se nominat verbo Collegam eorum, cùm eorum collega ob eminentiorem potestatem haberi nolit? Quare se non nominavit Principem Apostolorum? Non vicarium Christi? Non se & successores suos Petram, in qua Ecclesia ædificatur? An forte tum non pertinebat ad fidem id, in qua hodie Hierarchicæ fidei cardo ponitur?

ARG. IV. Essentiale munus Episcopi, ex hypothesi adversariorum, est facultas ordinandi. Atqui facultas ordinandi 1 Tim. IV. 14. etiam *πρεσβυτερίῳ Presbyterio datur.* Perperam enim Hierarchæ ibi πρεσβυτέριον interpretantur de officio Presbyteratus, uni alicui competente, cùm ex stylo Scripturæ Luc. XXII. 66. Act. XXII. 5. vox ea plures Presbyteros significet. Sed & Hieronymus testatur, Alexandrinos Presbyteros solitos esse spatio 185. annorum sibi ex suo numero Episcopum deligere. Novatus quoque Cypriani Presbyter, Felicissimum Diaconum constituit, nec tamen vel Cypriani gratia ipse propterea excidit, vel ordinatio rescissa est. Ex Eclogis quoque Philostorgianis lib. II. 5. liquet, penes Presbyteros Ecclesiarum Gothicarum rectores ordinationum potestatem remansisse, usque ad Ulphilum primum apud eos Præsulem. Eandem apud Scotos, Gallos aliósque veteres rationem obtinuisse, Polyhistor noster Blondellus *Apolog. de Episc. & Presbyt. Sect. III p. 309--329.* fusè demonstrat. Proinde nec divino nec humano perpetuo jure Episcopis ordinatis tributa est.

Resp.

Resp. Redinc : 1. *Veteres, Theodoretus, Chrysostomus, Theophylactus in loco* 1.*Tim.IV.*14. *Presbyterii nomine intelligunt cætum Presbyterorum, id est, Episcoporum, Timotheo Episcopo novo manus imponentium. Est ergo ordinandi facultas penes Presbyteros, hoc est, Episcopos, non Sacerdotes simplices.* 2.*Hieronymus de Episcopi electione, non ordinatione loquitur. Illa penes Presbyteros, hæc penes Episcopos fuit.* 3. *Cyprianus Epist.*3.*ad Cornelium Papam scribens, Felicissimum sua & plurimorum Episcoporum sententia condemnatum & rejectum esse, scribit.*4 *Ex Johanne Magno Upsalensi Archiepiscopo Histor. Goth. lib. XV. liquet, Valentem Imp. Gothis dedisse Episcopos Arianæ hæreseos. è quibus Ulphilus Gothorum Episcopus sub pelle ovinæ indubitatus Antichristus prodierit. Cúmque, eodem lib.*9. *testes Gothi religionis Christianæ ceremoniarum, & Pontificum R. dignitatem enixè defenderint, dubitari nequit, eosdem in ordinationibus Sacerdotum Ecclesiæ Romanæ morem secutos esse.* 5. *De Gallis, Scotis, aliisque palmare mendacium tuum est.* Ibid. pag. 251-253. Resp. 1. Græci illi Patres interpretationem illam suam temporum suorum, uti fit, rationi accommodarunt, non perversitati; illi, quæ jam Regnum in Pontificiis obtinet. Chrysostomus quidem jura Episcoporum potestatémque eximiam ὑπερεχῇ, cùm tamen apud Apostolos omnia acta sint Spiritu, charitate, judicio, consensu. Sanè Hieronymus hoc loco fretus Episcopos & Presbyteros eosdem esse, affirmat; cùm Presbyterium manus Timotheo imposuerit. quam ceremoniam adhuc in ordinatione Presbyteri jus Canonicum *dist* 23.*c. Presbyter* observari præcipit. 2. Idem Hieronymus *ad Evagrium* scribens, disertus testis est, *Alexandriæ à Marco Evangelista usque ad Heracleam & Dionysium Episcopum* (id est ab Anno Christi 61. ad A. 246. usque) *Presbyteros semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominasse, quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut diaconi eligant de se, quem industrium noverint & archidiaconum vocent.* Liquet inde, quo primum tempore Episcopatus à Presbyterio distingui cœpit, Episcopatum merum πρωτοκαθεδρείας jus fuisse: collatum propriè à Presbyteris Præposito suo illud jus fuisse: Presbyteros de se elegisse, in excelsiore gradu collocavisse, Episcopum pro arbitrio nominavisse, quem πρωτοκαθεδρείας jure donaverant: eosdem ut *electores*, sic *ordinatores* (ne electionem inter & ordinationem distinguere possis) sui Præpositi fuisse, quia Episcopum, *quomodo exercitus Imperatorem, & Collegium diaconorum archidiaconum*, fecisse dicuntur. Sicut enim ei, quem olim in Romana Republica exercitus elegerat, levaverat, Principem salutaverat, nihil ad summam Imperii potestatem Majestatémque deesse credebatur: ita ille, in quem Presbyterium latis suffragiis consenserat, quem *in excelsiori gradu collocaverat*, & *Episcopum nominaverat*, hoc ipso pleno Episcopatus jure gavisus est; imò quamprimum communi Presbyterii totius decreto *in excelsiori gradu collocatus fuerat, Episcopus* revera fuit, & dici meritò potuit. Qui autem Episcopus est & dicitur, & jam in excelsiori gradu collocatur, is non tantùm non *electus*, sed etiam non *ordinatus* censeri nequit. Nisi forte Hierarchici Episcopum nondum ordinatum Episcopum appellant, & in celsiori gradu collocant. Eo ipso tempore, quo primùm inclarescere Hieronymi nomen cœpit, nondum ordinandi potestate universa Ægyptii Presbyteri exciderant; quandoquidem Hilario diacono *in Ephes.* 4. referente, *apud Ægyptum Presbyteri consignaverunt, si præsens non fuit Episcopus*: & coætaneo *quæst.* 101. *in V. & N.T.* attestante, *in Alexandria & per totum Ægyptum, ubi defuit Episcopus, consecravit Presbyter.* 3. Quid mihi Novati, qui Cypriani Presbyter erat, Felicissimum Diaconum ordinantis exemplum urgenti, condemnationem Felicissimi Cypriani aliorúmque Episcoporum

 authe-

authoritate susceptam objicis? Novatus certè non Episcopus, sed Presbyter, Ecclesiæ Carthaginensis, Felicissimo Diacono constituto, Sanctissimi Episcopi sui Cypriani gratia non excidit; neque etiam ordinatio ejus rescissa legitur. Tantùm Cyprianus *Epist.* 49. queritur, ordinationem illam *se nec sciente, nec permittente factam esse.* Sed rescidisset haud dubiè ordinationem, si Divino jure Presbyterum ordinatione prohiberi putasset. Neque etiam vel Novatus Presbyter ordinans, vel Felicissimus Diaconus à Presbytero ordinatus, eo nomine pœnas dederunt. Cyprianus enim Epistola 6. ad Clerum A. 252. è latebris data, de Novato honorificè & sensit & locutus est; *Ad id,* inquiens, *quod scripserunt mihi compresbyteri nostri Donatus & Fortunatus, Novatus & Gordius, solus rescribere nihil potui.* Quin & *Epist.* 49. eorum, quæ ante persecutionem & fugam Novatus admiserat, catalogum texens, non tantùm nullam usurpatæ in Felicissimi ordinatione potestatis mentionem facit; sed etiam, antequam *communicatione* in Africa ob memorata scelera prohiberi posset, *judicium Sacerdotum voluntaria discussione* prævenisse docet: hanc denique *Epist.* 38. & 40. unam ob causam Felicissimum abstinendum censens, quòd intercederet, *ne quis ex iis, quos ad Ecclesiasticæ administrationis officia promoverat, posset expungi, iisque, qui primi accesserant, quòd secum in monte non communicarent, comminari auderet, ducem se factionis & seditionis principem temerario furore, contestaretur.* Cùm igitur non ob illegitimè susceptum, sed ob illegitimè administratum diaconatum reus peractus sit, rata ejus ordinatio fuit, quæ tamen à Presbytero solo, *factione & ambitione, nec sciente, nec permittente Episcopo,* facta vitio non carebat, quandoquidem quæ Presbyterii totius propriè erat, non à singulari ullo Presbyterii membro, privato consilio, suscipi debuit; nec Episcopi vel Presbyteri ullius propria dici potuit, sed Cleri totius communis; communi omnium decreto consilióque exercenda. 4. De Gothicis Ecclesiis frustra mihi Johannem Magnum, recentiorem longè testem obducis, & ex eo conjectas potiùs, quàm divinas; cùm Philostorgii, qui Theodosii ævo claruit, testimonio ratio mea nitatur. Hic enim, uti ex Eclogis à Photio editis, *lib. II.* 5. constat, retulit, quòd Clerici à Barbaris, regnante Valeriano & Gallieno, in Europam incursantibus capti, Gothicas Ecclesias fundaverint, easdémque per annos fere septuaginta, nimirum ab Anno circiter 260. ad 327. hoc est, inde à tempore incursionis Gothorum usque ad Ulphilum (Philostorgius *Urphilum* appellat) primum ab Eusebio Nicomediensi Episcopo creatum Gothorum Episcopum, pleno jure administraverint. Unde consequitur, eo toto temporis tractu penes Presbyteros Ecclesiarum illarum rectores universam ordinationem & jurisdictionis potestatem mansisse. Si verò ex Concilii Nicæni subscriptionibus Theophilum Gothicæ metropoleos Episcopum Ulphilo priorem sedisse statuamus, magis etiam argumentum nostrum stringet. Quibus enim superiorem sibimet (quales Theophilus fuit) Episcopum præficere licuit, iis Presbyterorum, id est, æqualium ordinandorum jus quis denegare ausit? Quibus animadversis tua ex Johannis Magni relatione ariolatio prorsus evanescit. 5. Quæ de Gallis, Scotis, aliisque asserui, verissima sunt. De Scotis audi testes. Johannes Fordonus *Scotichron. lib. III.* 8. scribit, *ante Palladii adventum habuisse Scotos fidei doctores ac Sacramentorum ministratores Presbyteros solummodo vel Monachos, ritum sequentes Ecclesiæ primitivæ.* Johannes Major *de gestis Scot. lib. II.* 2. *Per Sacerdotes,* inquit, *& Monachos sine Episcopis in fide eruditi.* Hector Boethius *Scot. hist. lib. VI fab.* 92. scribit, *cæpisse Scotos sub Findoco* (A. 263.) *Christi dogma accuratissimè amplexari; Monachorum quorundam*

rundam ductu & adhortatione, qui ab incolis Cultores Dei appellati sint. Invaluit, inquit, *id nomen apud vulgus in tantum, ut Sacerdotes omnes ad nostra pene tempora vulgò Culdei, id est, cultores Dei sine discrimine vocitarentur. Pontificem inter se communi suffragio deligebant, penes quem Divinarum rerum esset potestas. Is multos deinceps annos Scotorum Episcopus appellatus est.* Infra *lib VII. fol.* 128. Palladium primum omnium, *qui sacrum inter Scotos egere Magistratum, à Summo Pontifice* (A.430.) *Pontificem creatum, cùm antea populi suffragiis ex Monachis & Culdeis Pontifices assumerentur*; refert. A *Culdeis* igitur, sive *Colideis* sine Episcopis, inde à Donaldi Regis & Victoris Papæ (hoc est, A.197.) temporibus, ad A. 430. usque, quo primùm à Cœlestino Pontifice Palladius ordinatus, gubernata Scotorum Ecclesia, primitivæ imitatrix credita est; Culdei verò non modò demortui ordinis sui homines successores dederunt, sed ipsum etiam Collegii caput, participato cum plebe consilio, elegerunt & ordinarunt, quorum etiam authoritas non ante A. 1108. concidit, tempore videlicet Malcolmi & Margarithæ Regum, quo, attestante Chronico Dunelmensi, *totum jus Keledeorum per totum Regnum Scotiæ transiit in Episcopatum Sancti Andreæ*. Plenam ejus abrogationem in A. 1297. quo Andreopolitanam sedem Guilhelmus Lambertanus conscendit, Fordonus *Scotichr. lib. VI.* rejicit. Hæc de Scotis. Gallos quod attinet, ad fundandas Lugdunensis primæ & Viennensis Provinciarum Ecclesias, à Polycarpo medio secundo Seculo Presbyter, & Diaconi missi sunt; ex quibus Augustoduni Æduorum Andochius Presbyter & Thyrsus Diaconus; Divione Lingonum Benignus Presbyter; in Vivariensi territorio Androlus Subdiaconus sub Marco vel Severo passi sunt, uti Martyrologium Sept. 24. Nov. 1. & Maji 1. narrat. Quis autem Polycarpum Apostolicum doctorem, & Smyrnensem Ecclesiam adeò incuriosos fraternæ salutis fuisse crediderit, ut quos ad excolendum Domini agrum ex officii conscientia delegandos putaverunt, idonea ad munia Ecclesiastica omnia obeunda potestate destituerent? Potuerunt ergo Andochius, Benignus, aliique Presbyteri ipsi quoque ordinare alios, ut opus non fuerit eos vel Romam, vel in Asiam *χειροτονίας* gratia ablegare. Judicet jam lector, majori ne jure mihi Redingius *palmare mendacium* impingere, an ego supinam ejus ignorantiam perstringere possim.

ARG. V. Episcoporum Presbyteris superiorum, sub illo formali, nulla legitur facta ordinatio in Scripturis. Quotquot ordinati sunt ab Apostolis ad verbi Ministerium, Sacramentorum administrationem & regimen Ecclesiæ, fuerunt Presbyteri & Pastores, præterea nihil, iique in una Ecclesia plures.

Resp. Reding: 1. *Contrarium ex 1. Tim. V. 19. liquet. 2. In Episcopatu est potestas jurisdictionis, quæ radicaliter juris Divini est, secundum actualem verò ad certos subditos habitudinem ecclesiastici; tum ordinis, quæ abstractè spectata non est Presbyteratu major in concreto autem, quatenus characterem Sacerdotii in sua essentia una cum potestate conferendi ordines complectitur jure Divino Presbyteratu major est.* Ibid. pag. 252. Resp. 1. De loco 1. Tim. V. 19. infra. 2 Cœtera nudè asseris, non probas. Nec jurisdictionem, nec ullam aliam eminentiam Episcopo supra Presbyterum verbum Dei confert. Illud si non confert, nullam jure Divino potestatem eminentem habet. Prætoria dicta vestra, & distinctionum in verbo Dei non fundatarum *μορμολυκεῖα* nullum apud nos pondus habent.

ARG. VI. Sententiam noſtram ex profeſſo defendit olim Hieronymus, cui proinde ut & aliis Græcis Latiníſque Patribus, nominatim Ambroſio, Auguſtino, Sedulio, Primaſio, Chryſoſtomo, Theodoreto, Oecumenio, Theophylacto idem ſentientibus, & Epiſcopi ac Presbyteri ταυτότητα & ἰσοτιμίαν agnoſcentibus, Michaël Medina in Concilio, nec non *de Sacr. hom. orig. lib.* 1. *cap.* 5. audacter dicam hæreſeos ſcripſit. Hieronymi ſententiam ex antiquitate propugnat irrefragabiliter Blondellus, primò allegatis in eam rem ex prima, media & ultima antiquitate teſtimoniis quadraginta quatuor: Secundò ex uſu veterum in formulis, Synodorum decretis factis: Tertiò ex veteris Eccleſiæ in Synodis Pontificiiſque decretis elucente uſu.

RESP. REDING: 1. *Hieronymus nil ſententiæ veſtræ patrocinatur, uti ſupra oſtendimus* 2. *Licet Presbyteri nomen æquivocum à veteribus etiam Epiſcopis adaptatum fuerit, atque inde Patres Græci & Latini Presbyterum Epiſcopo æqualem, imò ipſum Epiſcopum ſæpius affirmarint; non ideo ſenſus eorum eſt, quòd Epiſcopus propriè dictus Presbytero major non ſit; quòd per commentum Michaeli Medinæ tribuis. Aliud teſtantur Patres Græci & Latini; Ignatius, Clemens R. Irenæus, Origines, Euſebius &c. Ipſe Hieronymus lib. de Vir. Ill. Jacobum fratrem Domini Hieroſolymorum Epiſcopum ordinatum ſcribit. Et Epiſt. ad Evagr.* 85. Quid, *ait*, facit excepta ordinatione Epiſcopus, quod Presbyter non faciat? *Et Auguſtinus in Pſal.* 44. *Apoſtolis Patribus filios natos ait, cùm conſtituti ſunt Epiſcopi,* &c. Ibid. pag. 253. 254. Reſp. 1. Hieronymi verba diſertiora ſunt, quàm ut in Hierarchicorum ſenſum ſe inflecti patiantur. Is enim (digna enim ejus verba ſunt, quæ repræſententur,) *in Epiſt. ad Tit.* ex verbis S. Pauli ad Titum cap. I. 5. 7. comparatis, eadem ratione, qua nos, concluſit: *Idem ergo eſt Presbyter, qui & Epiſcopus. Et antequam Diaboli inſtinctu ſtudia in religione fierent, & diceretur, in populis: Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam verò unuſquiſque eos, quos baptizaverat, ſuos putabat, eſſe non Chriſti; in toto orbe decretum eſt, ut unus de Presbyteris electus ſuperponeretur cæteris; ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, & ſchiſmatum ſemina tollerentur. Putet aliquis, non Scripturarum, ſed noſtram eſſe ſententiam, Presbyterum & Epiſcopum unum eſſe; & aliud ætatis, aliud officii nomen eſſe, relegat Apoſtoli ad Philippenſes verba dicentis:* Paulus & Timotheus ſervi Jeſu Chriſti, omnibus Sanctis in Chriſto Jeſu, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis & Diaconis: Gratia vobis, &c. *Philippi una eſt urbs Macedoniæ, & certè in una civitate plures, ut nuncupantur, Epiſcopi eſſe non poterant. Sed quia eoſdem Epiſcopos illo tempore, quos & Presbyteros appellabant; propterea indifferenter de Epiſcopis quaſi de Presbyteris eſt locutus. Adhuc hoc alicui videatur ambiguum, niſi altero teſtimonio comprobetur. In actibus Apoſtolorum ſcriptum eſt, quòd cùm veniſſet Apoſtolus Miletum, miſerit Epheſum, & vocaverit Presbyteros Eccleſiæ ejuſdem, quibus poſtea inter cætera ſit locutus:* Attendite vobis & omni gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos, paſcere Eccleſiam Domini, quam acquiſivit per ſanguinem ſuum. *Et hoc diligentiùs obſervate, quomodo unius civitatis Epheſi Presbyteros vocans, poſtea eoſdem Epiſcopos dixerit. Si quis vult recipere eam epiſtolam, quæ ſub nomine Pauli ad Hebræos ſcripta eſt, & ibi æqualiter inter plures*

plures Ecclesiæ cura dividitur, siquidem ad plebem scribit: Parete Principibus vestris, & subjecti estote. Ipsi enim sunt, qui vigilant pro animabus vestris, quasi rationem reddentes, ne suspirantes hoc faciant. *Et Petrus, qui ex fidei firmitate nomen accepit, in epistola sua loquitur, dicens:* Presbyteros ego in vobis obsecro compresbyter & testis Christi passionum, qui & ejus gloriæ, quæ in futuro revelanda est, socius sum: Pascite eum qui in vobis est, gregem Domini, non quasi cum necessitate, sed voluntariè. *Hæc propterea, ut ostenderemus apud veteres eosdem fuisse Presbyteros, quos & Episcopos; paulatim* verò (ut *dissensionum plantaria evellerentur,*) *ad unum omnem solicitudinem esse delatam. Sicut ergo Presbyteri sciunt, se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, subjectos esse; ita Episcopi noverint, se magis consuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris esse majores, & in commune debere Ecclesiam regere, imitantes Mosen, qui cùm haberet solus præesse populo Israël, septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret.* Quid quæso verbis hisce & sententiæ nostræ, & rationum, quibus eandem suffulcimus, ponderibus similius esse potest? Ex Hieronymi, imò si hunc audimus, ex Scripturarum & veterum mente *idem est Presbyter, qui & Episcopus; Episcopus & Presbyter unum sunt; iidem presbyteri & Episcopi dicuntur.* Hinc planè invictè refelluntur, qui cum Thoma Aquinate, eique heic suffragante Redingio, communia duntaxat Presbyterorum & Episcoporum vocabula in diversis ab initio rebus fuisse pertendunt. *At certè,* sic Bellarminus *de Cleric lib. I. 15.* Thomam excipit, *verba illa citata:* Communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur; *& illa;* Magis consuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris esse superiores; &c. *aliud significant, quàm communitatem vocabulorum.* Neque pium est, affectatam ejusmodi, qua fidelibus perpetuò illudatur, æquivocationem Apostolicæ Ecclesiæ imputare. Longè homonyma seu *æquivoca,* à synonymis differunt; neque verè eadem sunt, de quibus non verè eadem, sed diversimodè dicuntur. Neque etiam Hieronymus consuetudinem illam inde ab eo tempore, quò primùm inter Corinthios auditum fuit: *Ego sum Pauli* &c. arcessit, quod Franciscus à S. Clara, *Apol. Episcop. cap. 5.* & Redingius noster persuadere laborant, ut principium distinctionis illius saltem Apostolicum fuisse evincant. Neque enim hoc Hieronymo vel in animo fuit scribere, simul ac Corinthi dictum fuit, *Ego sum Pauli &c. toto orbe decretum esse, ut unus de Presbyteris electus cæteris superponeretur;* sed *postquam* (sic verba habent) *id dictum fuit in populis;* id est, postquam alii passim Corinthiorum more dementati in partes discerpti sunt. quod ante A. 140. evenisse, probari nequit. Imò quarto adhuc à Corinthiacis turbis Seculo idem Hieronymus *Præfat. in lib. de Spir. S.* de sui temporis hominibus sic loquitur: *Quando non id ipsum omnes loquimur, & alius dicit:* Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ; *dividimus Spiritus unitatem, & eam in partes ac membra discerpimus.* Nemo A. 386. his verbis utebatur. Quia tamen non deerant homines factiosi, qui corporis Dominici compagem, qua seditiosis clamoribus, qua flagitiosis molitionibus solverent, Paulina in eos de Corinthiis verba torquere Hieronymus non dubitavit. Ipse S. Paulus malum Ecclesiæ Corinthiacæ perstringens, de Episcopo superponendo nullum in ea epistola, nullum in secunda verbum facit. Peccat igitur confusis temporibus argumentatio. Ita verò evidens est ille Hieronymi locus, ut Michael Medina *loc. cit.* (agnoscente etiam & narrante Bellarmino, *de Cleric lib. I. 15.* quem una cum ipsis Medinæ verbis clarissimis Redingio præfractè omnia neganti oppono) affirmet, *S. Hieronymum idem cum Aerianis sensisse, neque solum Hieronymum in ea opinione fuisse, sed etiam Ambrosium, Augustinum, Sedulium, Primasium, Chrysostomum,* Theo-

Theodoretum, Oecumenium & Theophylactum. Atque ita, inquit Medina, *isti viri alioqui sanctissimi, & S. Scripturarum consultissimi, quorum tamen sententiam priùs in Aerio, dein in VValdensibus, postremò in Johanne VViklefo damnavit Ecclesia.* Et infra: *Ergo in Hieronymo & Græcis illis Patribus olim propter eorum honorem & reverentiam hæc sententia aut tolerabatur, aut dissimulabatur: contra in hæreticis, quòd in aliis quoque multis ab Ecclesia declinarent, tanquam hæretica semper damnata est.* Hæc Medina, cujus sententiam Bellarminus, *levissimè dicendo, valde inconsideratam esse*, ait, quia injuriam faciat tum tot clarissimis Patribus, tum ipsi Ecclesiæ, quam acceptionis personarum nota inurat; tum denique communi causæ Doctorum Catholicorum. *Qua enim*, inquit, *fronte Sanctos Patres adversus hæreticos adferemus, si eam sententiam ab Ecclesia damnatam esse dixerimus, quam omnes ferè Patres tum Græci, tum Latini docuerunt?* Sed de hoc quicquid sit (neque enim injuria in alios, quàm in Hierarchicam Ecclesiam & Doctores redundat) Medina scapham appellavit scapham, & ligonem ligonem. Quod vel ipse prodidit Bellarminus, qui ictum Hieronymianum non aliter, quàm Hieronymum inconstantiæ insimulando, exire se posse putavit. Et tamen sibi ubique similimus Hieronymus est. Ille enim (alterum ejus locum repræsentare juvabit) *Epist.* 8. *ad Evagrium* sic scribit: *Legimus in Esaja, Fatuus fatua loquetur. Audio quendam in tantam erupisse vecordiam, ut diaconos Presbyteris, id est, Episcopis anteferret. Nam cùm Apostolus perspicuè doceat, eosdem esse Presbyteros, quos & Episcopos, quis patiatur, mensarum & viduarum minister ut supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur? Quæris authoritatem? Audi testimonium &c.* Inductis dein iisdem, quæ in *Tit. I.* attulit, testimoniis, subjicit: *Quod autem postea unus electus est, qui cæteris præponeretur, in remedium schismatis factum est, ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet. Nam & Alexandriæ à Marco Evangelista usque Heraclam & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant; quomodo si exercitus Imperatorem faciat aut Diaconi eligant de se, quem industrium noverint, quem Archidiaconum vocent. Quid enim facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat? Nec altera Romanæ urbis Ecclesia, altera totius orbis, existimanda est. Et Galliæ, & Britanniæ, & Africa, & Persis & Oriens, & India & omnes barbaræ nationes unum Christum adorant, unam observant regulam unitatis. Si auctoritas quæritur, orbis major est urbe. Ubicunque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriæ, sive Tunis, ejusdem meriti: ejusdem & Sacerdotii. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorem vel inferiorem Episcopum non facit. Cæterùm omnes Apostolorum successores sunt.* Paulò post: *Presbyter & Episcopus aliud ætatis, aliud dignitatis nomen est. Unde & ad Titum, & ad Timotheum de ordinatione Episcopi & Diaconi dicitur, de Presbyteris omnino reticetur; quia in Episcopo & Presbyter continetur. Qui provehitur, de minori ad majus provehitur. Aut igitur ex Presbytero ordinetur Diaconus, ut Presbyter minor diacono comprobetur, in quem crescat ex parvo; aut si ex Diacono ordinatur Presbyter, noverit se lucris minorem Sacerdotio esse majorem. Et ut sciamus, Apostolicas traditiones sumptas de veteri Testamento; quod Aaron & filii ejus atque Levitæ in Templo fuerunt; hoc sibi Episcopi, & Presbyteri & Diaconi vindicent in Ecclesia.* Ex his verbis sequentia argumenta colligimus. *Primò* Hieronymus contra Urbicum nescio quem, pronuntiantem, quòd Diaconi Presbyteris præferendi sint, prælatos ab eo Episcopis

Diaconos hinc colligit, quòd *Presbyteris anteponendos* putaverit. Nemo prudens titulis pares, qui revera muneribus dispares erant, cum censuisse dixerit. inprimis cùm id nec dictionis hujus, *Presbyteris, id est, Episcopis antefert*, quæ *eosdem fuisse Presbyteros & Episcopos* exigit, emphasis patiatur: nec argumento locus ullus reliquus fiat, si quomodo Episcopis, imò Apostolis Diaconiam Scriptura tribuit, eisdem presbyterium convenisse, Hieronymus credidit. nec denique, quisquis cum Hieronymo Diaconis Presbyteros antetulerit, minùs væcors futurus sit eo, qui cum Falcidio Presbyteris Diaconos antetulit, si ex nuda diversorum nominum κοινωνίᾳ argumentum ducatur. Ut enim Hieronymo Presbyteros dictos, qui revera Episcopi essent, caussari, Falcidiique congerronem hoc incommodo premere licuit, *Diaconis Presbyteros, id est, Episcopos antefert*: ita in Hieronymi præjudicium qui Apostolos Diaconorum titulo non semel insignitos noverat, regerere promptum fuisset, *Presbyteros Diaconis, id est, Apostolis antefert*. Unde planè liquet, Hieronymo Episcopi & Presbyteri nomina esse ἀντιστρέφοντα, seu terminos convertibiles, ut quisquis Presbyter agnoscitur, eo ipso etiam Episcopus agnosci debeat. *Secundò* ait Hieronymus, *postea* (hoc est, post tempus Apostolorum, S. Pauli & Johannis, ex quorum epistolis ἰσοτιμίας Presbyterorum & Presbyterorum priùs probaverat) *unum electum esse, qui cæteris præponeretur*, atque id *in schismatis remedium factum* refert, *ne unusquisque ad se trahens Christi nomen Ecclesiam rumperet*. Non ergo id primitus à quoquam Apostolo vel Apostolico institutum est, sed *postea* in schismatis remedium factum est. *Tertiò* inde *à Marco*, Alexandrinæ Ecclesiæ fundatore, adeóque A. D. 62. quo is coronatus est, *ad Heracleam & Dionysium* usque (hoc est, ab A. C. 62. ad A. 246. totóque adeò tempore Aniani, Atilii, Cerdonis, Primi, Justi, Eumenis, Marci, Celadionis, Aggrippæ, Juliani & Demetrii, cui Heracles successit, sicut huic Dionysius) *Presbyteri* Alexandrini *unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum dixerunt*. Episcopatus ergo ille, post Apostolica tempora introductus non aliud quàm jus πρωτοκαθεδρίας *primæ cathedræ* fuit, Presbyteri puta inter Collegas, fratrem spontanea hac dignatione honorantes, sedentis. *Quartò* nihil *fecit Episcopus*, Hieronymi ævo, *excepta ordinatione, quod non faceret Presbyter*. En prærogativam Episcopi, non *Dominica dispositione*, sed *invalescente paulatim consuetudine* talis, Hieronymi adhuc ætate, non aliam, quàm *ordinationem*: humano jure, quando Presbyteri sibi unum superposuerunt, paulatim ipsi attributam! Hodierni Episcopi vix sibi Episcopuli crederentur, si hac sola prærogativa gauderent. Omnia alia rapturiverunt. *Quintò* concludit Hieronymus, *quod Aharon & filii ejus atque Levitæ in Templo fecerunt, hoc sibi Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos vindicare in Ecclesia*. Quæ verba cum grano salis intelligenda sunt, ut prima Hieronymi postremis congruant. Utitur nempe ille comparatione communi, non singulari; hoc est, non hunc huic, & illum illi, sed hos omnes simul cum illis comparat, communiter, docétque adeò ut illi Judæorum Ecclesiæ, sic hos Christianæ omneis inservire oportere. Neque tamen si comparatione singulari defungeretur, inde disparitas aliqua ex Divino jure sequeretur, quia loquitur de ratione Ecclesiæ sui temporis, non autem de ratione illius primigenia. Sed *Episcopos*, inquias, *Apostolis succedere* docet. Ita est. Episcopos nempe, qui primas tenent in Presbyterio. Id ipsum tamen de aliis Presbyteris in doctrina & sermone laborantibus non negat. In communi enim munere successerunt Apostolis Ecclesiæ Pastores omnes: in propriè Apostolico nemo. Unus superest Hieronymi

ronymi locus libro *de Scriptoribus Eccl.* quem Hierarchici jactant, ut Hieronymum reum inconstantiæ peragant. Sed falsa distinctione corruptus locus, errori ansam dedit. Sic autem lectio γνήσιος sonat: *Jacobus, qui appellatur frater Domini, cognomento, Justus, filius, ut nonnulli existimant, Joseph ex alia uxore: ut autem mihi videtur, Mariæ sororis matris Domini, cujus Johannes in libro suo meminit post passionem Domini statim,* (id est, continenter & immediatè, ut loquuntur, Joh. XIX. 25.) *ab Episcopis Hierosolymorum Episcopus ordinatus*, &c. Post vocem *statim* commation ponendum, quod etiam Sophronius, interpres Græcus habet. Quin & ipse Hieronymus dicit paulò post verbis Egesippi: *lib.5. Comment.* διεδέξατο τὴν ἐκκλησίαν ἱεροσολύμων μετὰ τοὺς ἀποστόλους, ἀδελφὸς τοῦ κυρίου Ἰάκωβος ὁ ἐπικληθεὶς δίκαιος. hoc est, interprete Hieronymo: *Suscepit Ecclesiam Hierosolymæ post Apostolos frater Domini Jacobus cognomento Justus.* Quid sibi vult *Post Apostolos*? Nam illis decedentibus non supererat Jacobus. Sensus ergo est, postquam Apostoli Hierosolymis cesserunt, in orbem terrarum profectum ad prædicationem Evangelii, quo tempore Jacobum jusserunt illic subsistere ad commoditatem Ecclesiarum Dei, ut Patres uno consensu tradiderunt. Neque enim Apostoli ordinarunt Jacobum Episcopum absolutè (erat quippe Apostolus, omnis autem Apostolus Christi est Ecclesiæ Episcopus) sed Episcopum instituerunt Hierosolymorum; quasi addictum Ecclesiæ illi, dum collegæ alii per gentes erant abituri. Sic Hieronymi sententiam, lethale Hierarchicis vulnus infligentis, & sibi ubique similis, exactè reddidimus. 2. Accedit, quòd pro ea Hieronymi sententia jam pridem apologiam irrefragabilem Blondellus texuit ea argumentorum phalange, cujus summa capita ratio nostra distinxit. Cui forte, nec visæ nec lectæ non aliud Redingius cœcus Andabata opponere habuit, quàm *quòd Patres nomen æquivocum Presbyteri Episcopis etiam adaptaverint.* Cujus assertionis falsitatem (ne de injuria Patribus affectatam ejusmodi æquivocationem sine ulla ratione impingentis conquerar) sœpe jam perstrinximus. Ad testimonia porro à te objecta sigillatim idem Blondellus, nec non Salmasius pridem doctissimè responderunt, & rem totam ad liquidum perduxerunt. Unum dicere haud supersedeo, objectos authores vel hypobolimæos esse, qualis inprimis Ignatius est; vel de Episcopis & Presbyteris loqui juxta morem ætate sua receptum, ex quo Divini juris necessitas nulla ratione evincitur: vel denique eos ipsos esse, qui electi ab Ecclesia Episcopi suam authoritatem amplificare è re sua duxerunt. Ita Concilium Antiochenum *cap.* 5. sic definivit: *Si quis, Presbyter vel Diaconus contempto suo Episcopo, se ipsum ab Ecclesia segregaverit, & privatim apud se collectis populis Altare erigere nixus fuerit, deponatur.* Quid quæso id omne ad controversiam nostram? Politiæ sui temporis accommodatus canon est.

ARG. VII. Eminentia Episcoporum supra Presbyteros ortum ducit ex defectu primæ charitatis, uti Paulus Servita ex Hieronymo Hist. lib. IV. pag. 297. agnoscit & latè demonstrat.

Resp. Reding: *Perfidi Pauli tui duplex malignitas est. Prior, quòd abutitur æquivoca voce Presbyteri, qua sic quandoque Episcopi insigniti sunt, ut non ideo tamen nullam Episcopum inter & Sacerdotem differentiam Ecclesia agnoverit. Posterior, quòd, dum Hieronymus jurisdictionis communi Presbyterorum consilio priùs administratæ divisionem ex charitatis quodam defectu derivat, perfidè concludit, hinc cœpisse Episcopatus ordinem distingui à simplici-*

plici Sacerdotio, cùm tamen jurisdictionis illa indivisa communio cum Sacerdotii simplicis & Episcopatus distinctione jam ante in jure Divino constituta, non pugnet. Ibid. pag. 254. Resp. Solent frequenter Mortales sua crimina aliis impingere. Ita hic Redingius Suavi perfidiam tribuit, perfidus ipse, si quisquam alius. Nam cum dissertationem Suavis de Episcopalis jurisdictionis origine & incremento ne legere quidem dignatum esse, ex ejus responsione clarè cognoscitur. Et tamen nil nisi *perfidias, malitias, fraudes* ei impingit. Summam dissertationis Suavianæ *ad Sess. XIII. Quæst. de jurid. Eccl. arg. 9.* repræsentavimus; adeò gravem & apertam, ut parum vel nihil ibi Redingius opponere potuerit. Hic verò non lectis Suavianis nil nisi *perfidias* crepat; affectatam vocum æquivocationem Ecclesiæ Apostolicæ tribuere, & Hieronymi, Episcopi & Presbyteri & quoad nomina & quoad functiones ἰσοτιμίας tot Scripturæ testimoniis statuminantis, distinctionémque demum à carnalibus affectionibus, & charitatis defectu arcessentis, non juri Divino priùs constituto, quod perfidè ei affingit, inædificantis, verba nefariè detorquere nil reveritus.

ARG. VIII. In ipso Concilio diximus jam eos, qui Papæ addictiores erant, negasse superioritatem hanc Divino jure niti. Lainezius Jesuita disserebat, si statuatur, jure Divino superiores esse Episcopos, jam actum iri de Hierarchia, & introduci oligarchiam vel anarchiam, neque ultra Papam futurum caput Ecclesiæ & vicarium Christi. Hoc est, quod Episcopus Segoviensis asseverabat, unam voculam *juris Divini* Papæ fore causam ruinæ.

RESP. REDING: *In Concilio non de superioritate Episcopi abstractè sumpta; sed jurisdictionis duntaxat certabatur; num Episcopis jure Divino non radicaliter duntaxat, sed actu Episcopalis jurisdictionis superioritas competeret? Potest autem jurisdictio ea simul ex jure Divino procedere, simul ex suprema Oecumenici Pastoris, saltem quoad ejus usum & exercitium jurisdictione pendere.* Ibid. pag. 254. 255. Resp. Fingis quidvis pro lubitu. Quæstio magnis partium studiis agitata simplex erat: *An Episcopi* (qua scilicet illi Presbyteris majores sunt) *immediatè à Christo instituti sint, nec ne?* Hispani inprimis Theologi definiri eam pertenderant; Legati contra Pontificii omnem lapidem moverant, ne contentionis ille funis in Concilio duceretur. Si immediatè à Christo instituti essent Episcopi, hæc scilicet consectaria deducebantur, *claves non esse datas soli Petro; Concilium esse supra Papam; Episcopos fore æquales Papæ, cui nihil sic relinquatur, quàm prærogativa quædam præ aliis; nullam sic futuram Cardinalium dignitatem Episcopis superiorem, sed futuros illos meros Presbyteros & Diaconos; obligatum iri omnes ad residentiam; actum fore de curia; Præservationibus & reservationibus valedictum iri, denique beneficiorum collationem ad Episcopos tractum iri.* Cùm sic ferverent partium studia, visum Cardinalibus Legatis est, Generali Jesuitarum Lainezio negotium dare excutiendi isthoc argumentum. Excussit ille audacter; & distinctionem fabricatus est inter *jus Divinum* & *ordinationem Divinam*; illa ex *jure Divino* esse dictitans, quæ non solùm in genere, verùm etiam in specie à Deo sunt. Quæ verò in genere tantùm à Deo sunt, in specie autem ab hominibus constituta, illa *ordinationis Divinæ* esse volebat. Atque sic ordinationis Divinæ, non juris Divini esse Episcoporum, qua tales sunt, institutionem, pertendit. Quod distinctionis commentum rem omnem tum composuit, licet revera per eam res eodem redeat, & ex ea æquè cogi possit, Episcopos qua Pastores esse à Deo, & qua majores Pastores ab hominibus & Papa.

ARG. IX. Si Epiſcopatus Divino jure ſuperior eſt Presbyteratu, diverſum igitur ab eodem, adeóque etiam proprium Ordinem conſtituet. Nam quòd aliqui gradum duntaxat in ordinatione Epiſcopali extendi ajunt, id verò Bellarminus ipſe probare non potuit, niſi de reali augmento id intelligatur. Quo pacto novum characterem imprimi debere, adeóque novum Ordinem conſtitui arguit. Atqui plerique Scholaſtici, nominatim Thomas Aquenſis, Albertus, Bonaventura, Sotus, alii negant, Epiſcopatum diverſum eſſe à Presbyteratu ordinem, eò quòd in myſteriis eſſentialibus perfectè conveniant.

RESP. REDING: *Ordinem Epiſcopalem eſſe verum à Chriſto Domino inſtitutum Sacramentum, conſentiunt omnes. In concreto enim Epiſcopatus in ſua eſſentia importat Presbyteratum: in abſtracto ſacerdotio complementum ſuperaddit. Ubi quæritur, An in illo etiam inſtanti, quo perficitur illud complementum, conferatur gratia ex opere operato? Thomiſtæ, aliique negantes, conſecrationem Epiſcopalem eſſe Sacramentum, ſed excellentiſſimum quoddam Sacramenti complementum, fatentur tamen, in conſecratione Epiſcopali conferri gratiam. Hoc admiſſo, de ſolo nomine concertatio erit; dum alii conſecrationem Epiſcopalem Sacramentum, alii Sacramenti complementum eſſe dicunt, qui poſteriores rectiùs loqui videntur, quia ordo Sacerdotii non eſt totum homogeneum, cujus ſingulæ partes nomen & eſſentiam totius retinent: ſed heterogeneum, cujus eſſentia eſt virtus gratia ſanctificativa cum ordine ad Sacrificium Euchariſticum. Ejuſdem verò partes quaſi organicæ ſunt poteſtas tum conſecrandi verum corpus Chriſti, tum abſolvendi à peccatis corpus Chriſti myſticum, tum membris hujus conferendi Sacramenta Confirmationis & Ordinis. Ex quibus partibus nulla Sacramenti nomen ſortitur, niſi in qua ſimpliciter Sacerdotii poteſtas ſolvatur, quæ eſt poteſtas conſecrandi corpus Domini.* Ibid. pag. 255-257. Reſp. Ratione Sacerdotii conſentitis, fateor: ratione illius, quo Epiſcopatus Sacerdotium excedit, diſſentitis quàm maximè, uti ratio noſtra, & quæ ſupra *Quæſt. II. Arg.* 8. diximus, manifeſtè probant. Quomodo verò illud, quod *excellentiſſimum Sacramenti complementum* eſt, à Sacramento ſic divellere poſſis, ipſe videris. Sacerdotium ab Epiſcopatu diſtinctum vel completum Sacramentum eſt, vel non eſt. Si eſt, quid ad Sacramentum Ordinis Epiſcopatus facit? Si non eſt, ne quidem Sacramentum veri nominis eſſe poteſt, quia omne Sacramentum, qua tale, complementum à Divina inſtitutione habet; & ſine eo Sacramentum eſſe nequit. In Epiſcopatu, ceu toto heterogeneo, diverſam poteſtatem, conſecrandi, abſolvendi & ordinandi diſtinguis. Primum ſolum ad Ordinis Sacramentum refers. Quò ergo duæ reliquæ pertinent? Scilicet Oſtiariatus, ſeu poteſtas aperiendi oſtium juxta te Ordo Sacramentalis eſt: at poteſtas ordinandi Sacerdotes Chriſtum ſacrificantes Ordo non eſt. Sed de eo ſuperiùs dicta repetere nihil attinet; & nudè omnia aſſerendo, falſáſque hypotheſes miſcendo, non aliud quàm aera verberas.

ARG. X. Denique ſi maximè Divino jure Epiſcopi Presbyteros ſuperarent, non tamen id ipſum de Pontificiis Epiſcopis dici poſſet, utpote qui ejus cenſus Epiſcopi, quales in primitiva Eccleſia fuerunt, neutiquam ſunt. Idque ex ipſo Concilii de Epiſcopis his Decreto non obſcurè cognoſcitur, utpote quod nullam prorſus mentionem facit miniſterii verbi & Sacramen-

mentorum, sed nominata chrismatione & ordinatione, generali clausula addit: *Eos alia pleraque peragere posse*, hoc est, equos & canes, si non etiam pejora alere, Regiam dominationem exercere, bella gerere, aliáque ejusmodi Episcopalia officia. Ambrosius Catharinus, qui & ipse Concilio interfuit, in opere An. 1548. post Concilium Bononiam translatum, impresso *de Consid. & Jud. tempus &c. lit.* 4. inter alia tradit, malorum in Ecclesiam irrumpentium hanc maximam causam esse, *quòd Episcopi penè omnes facti sint vel mercenarii vel lupi*: additque, Episcopatum non ampliùs esse *superintendentiam & curam gregis; perditam esse cum re ipsa vocis significationem. Nunc enim voce Episcopatus non venire nisi honorem & temporalium bonorum proventum, & qui Episcopatum desiderat, non aliud jam illum desiderare. Cúmque de eo eligendo agitur, id potissimùm spectari, quantum habeat de apportatis, ut ex reditibus paucis vel multis censeatur Episcopatus bonus vel malus.* Concludit, *Episcopatum igitur nihil aliud esse, quàm prædia rustica & urbana, vel decimas ac census: gregis verò curandi rationem nullam haberi.* Tales videlicet Episcoporum nomine turgentes veris Presbyteris nec pares sunt, nec superiores.

Resp. Redino: 1. *Nequitiam & calumniam spiras, Episcoporum pravos abusus cum Episcopali munere confundens. Esto tales fuisse Episcopos, quales per calumniam fingis, quid hoc ad Episcopalem ordinem? Christus cathedræ Mosis jussit deferri honorem, licet mali fuerint, qui super ea sederunt. 2. Falsissimum est quòd Episcopi munera Concilium non definiverit. Aliud ex Sess. XXIII. 4. nec non Sess. V de Ref. cap. 2. ubi sancitur, teneri Episcopos ad prædicationis officium, constat. 3. Ex decreto Concilii ejusdem satis constat, illa præter chrismationem & ordinationem alia pleraque ejus conditionis esse, quæ spectent ad Ecclesiæ regimen, & quarum functionum potestatem reliqui ordines inferiores non habent.* Ibid. pag. 258. Resp. 1. Non ego Episcoporum vitia cum eorundem munere antiquo confundo; sed Episcopi vestri vitiis illis scatentes confundunt, adeóque notam mihi à te nequicquam inustam merentur. Illi merentur, qui veterum verorum & piorum Episcoporum munia præcipua, doctrinæ puritatem conservandi, verbum Dei ἀδόλως prædicandi, nil ad se pertinere putantes, strenuè negligunt, & alia omnia peragunt. uti ex querela Catharini de Episcopis *pæne omnibus factis mercenariis & lupis*; nec non ea Episcoporum, quam supra ex Pighio ipsemet tu repetiisti magnificè, prosopographia jubare meridiano clariùs elucescit. ut talia à me *per calumniam fingi*, nonnisi per crassam & apertissimam calumniam (qualium te nunquam pudet) scribere potueris. Quid verò si in cathedra Mosis sedissent ejusmodi *lupi* & *mercenarii*, qui legem & verbum Dei non prædicassent, sed obducta lege peregrina & tyrannica oppressissent; & aliena munera omnia involassent; an vel sic etiam sedentes illos non in cathedra Mosis, sed במושב הלצים in *cathedra derisorum*, vel *pestilentiæ* (uti Vulgatus reddit) Christus honorari præcepisset? An jussisset ille observare, quod illi dixerint; cùm nihil fere dicant ad honorem Dei & salutem proximi; satis habentes, si dixerint mundum, adeóque ex mundo locuti fuerint: & egerint talia, quæ nuspiam Deus præcepit, vel à manibus eorum requisivit? 2. Id verò ex ipsius Tridentini Concilii decreto quod *Sess. XXIII. 4.* extat, patescit

 magis

Episcopos & Presbyteros, quod etiam prædictum est Esaj. LX. 17. שמתי פקדתך *δώσω τοὺς ἐπισκόπους, Dabo Episcopos.* Resp. 1. Mutato Sacerdotio ipsam Sacerdotij legem mutari docet Apostolus Hebr. VII.7.21. Quod igitur olim fuit Pontifex, id nunc nobis est Christus. 2. נשיאים seu *Principes* illi familiarum Gersonis, Cahathi & Merari non alii fuerunt quàm Levitæ. At his illi non Episcopos sed Diaconos respondere contendunt. 3. In loco Esajæ פקדה notat *ἐπισκοπὴν, curationem, officium.* Esse autem quosvis Ecclesiæ Ministros tales, ex usu sermonis N.T. abundè liquet.

EXCIP. REDING. *Per confusum chaos tuum devitas vim argumenti nostri. Licet enim Principes familiarum illarum Levitæ fuerint, non tamen ideo Pontificalis & Sacerdotalis ordo nullus fuit. Et Christum, abolita licet Levitici Sacerdotii lege, in Cælum abiturum visibile Ecclesiæ regimen instituisse, supra probavimus. Argumentum hoc pluribus Pighius Controv. 2. urget.* Ibid. pag. 258-261 Resp. Neque quicquam confundo more tuo, quo cuncta, tua pauca & peregrina plura, homogenea & heterogenea, res & calumnias, vetera & nova, verba rebus vacua aliáque, cudendi magni operis gratia, ubique commisces, adeóque non tam *confusum chaos*, quàm vomitum tuum propinare soles; neque argumenti vestri vim, quæ nulla est vitare potui. Provoco ad responsiones meas, quæ presso pede argumentum vestrum sequuntur, quas tu contra jejunè admodum excipis. Quis enim Pontificalis & Sacerdotalis ordinis differentiam: quis regiminis Ecclesiæ N. T. ministerialis institutionem Divinam in dubium vocavit? Aliud longè responsiones meæ, quarum vim studiosè declinas, continent. Tu ergo, ni confusus & verè Babylonicus doctor audire vis, distinctè & ex verbi Divini tabulis proba, Pontifici veteri summo Papam: Principibus familiarum (qui Levitæ tamen fuerunt) & Sacerdotibus Episcopos & Sacerdotes novos; Levitis ministrantes ordines successisse. Alia tempora alios mores postulant. Neque nunc lege Sacerdotii propriè dicti abolita, quando scilicet Christus uno & infiniti pretii sacrificio consummavit omnia, judaizare nobis sponte licet. Sed in regimine Ecclesiæ ductus Christi sequendus unicè est. Et, quod nonnihil ad rem facit, an Sacerdotes V.T. alii majores, alii minores jurisdictione etiam distincti fuerunt; sic ut majoribus illis Episcopi, minoribus Presbyteri quivis congruere possint? Atqui fuit inter Sacerdotes omnes par consortium honoris & potestatis; quanquam ordine impari, qua familiarum, qua temporis, respectu. Posteri enim Eleazari priores erant Ithamaritis: & emeriti annum quinquagesimum nondum ingressis.

OBIECT. II. *Christus instituit Apostolos & LXX. discipulos. Porro Apostolis Episcopos, LXX. Discipulis Presbyteros succedere, docent constanter Patres, Concilium Neo-Cæsariense Can. 13. Damasus Epist. 3. Anacletus Epist. 2. Hieronymus ad Marcellam, Augustinus, Isidorus &c.* Resp. 1. Cùm Jure Divino Presbyteri etiam Episcopi dicantur, falsum utique est, illos Discipulis, hos verò Apostolis successisse. Neque licet ex arbitraria & incerta comparatione Jus Divinum cudere. Quid obstet, quò minùs Presbyteri & Pastores quilibet, & Apostolis, & 70. Discipulis in communi & ordinario munere succedere dicantur? In extra-

extraordinario verò eorundem munere, officio peculiari & gradu temporario eorum ſucceſſio prorſus locum non habet. 2. Quamvis ordinis Apoſtolici gradus eminens fuit, tamen in miſſione prima illis & 70. diſcipulis paria Jura data ſunt: neque Juriſdictionem & prætoriam poteſtatem illi in hos unquam ſibi arrogârunt, 3. Patres nonnulli eam comparationem inſtituunt poſt factam jam mutationem in eccleſia. Neque aliud innuunt, quàm quòd inæqualitas illa humana conſuetudine introducta ſimilitudinem quandam cum illa veteri diſtinctione habeat. 4. Damaſi, Leonis & Anacleti Epiſtolæ ſunt ſuppoſititiæ. Neocæſarienſis Canon Chorepiſcopos dicit inſtitutos eſſe ad exemplum LXX. Seniorum, nimirum à Moſe ex conſilio Jethronis aſſumptorum. Hieronymus ad Marcellam ſcribit, *Apoſtolorum locum tenere Epiſcopos.* De Presbyteris nihil. Nec quo jure teneant, dicit.

EXCIP. REDING: 1. *Æquivoca voce Epiſcopi ludis, ut ſæpe alias. Vocem enim Presbyteri, qua Epiſcopis in S. Literis accommodatam, nefariè ad ſtatum ſimplicium Sacerdotum transfers. 2. Concilium Neocæſarienſe diſertè decrevit, Chorepiſcopos, ſeu vicarios Epiſcoporum ad exemplum LXX. Seniorum conſtitutos eſſe, & tanquam conſacerdotes propter ſolicitudinem & ſtudium, quod in pauperes agunt, offerre, honorabilesque haberi. Cùm igitur juxta Hieronymum Epiſcopi locum Apoſtolorum teneant, hos in gradu ſuperiore fuiſſe ſequitur. Sicut ſuperioris gradus fuerunt Apoſtoli, quàm LXX. diſcipuli. 3. Damaſus Epiſt. 3. Chorepiſcopos LXX. diſcipulis ſubſtitutos diſertè negat Epiſcopos eſſe: & Presbyteros typum gerere LXX. Diſcipulorum, Anacletus Epiſt. 2. ait. Neque Epiſtolas illas ſuppoſititias eſſe, jam olim Turrianus, aliique docuere.* Ibid. pag. 261-263. Reſp. 1. Æquivocationis fictitiæ fallaciam ſupra, planè deteximus. Proba, mi homo, ſi potes, ex jure Divino omni, altiorem Epiſcoporum ordinem inſtitutum eſſe, quem hodie ſupra Presbyterorum ordinem ſimplicem extollitis. Fruſtra id hactenus à vobis exegimus. Quoties Epiſcopi in ſacris mentio eſt, nuſpiam Epiſcopus, quem proprie vos talem, juriſdictione Papali turgidum; Presbyter ſimpliciter talis ubique denotatur. Neque nefarium eſt, Presbyteri vocem Epiſcopis applicatam ad ſimplicium Presbyterorum ſtatum transferre, quia tranſtulit S. Paulus, non *nefariè*, credo, ſed ſanctè; cùm vos elationis veſtræ gratia diſparetis *nefariè*, velut Divino jure patrocinante, quod vobis adverſatur quàm maximè. 2. Neocæſarienſis canon XIII. ſic habet: *Ἐπιχώριοι πρεσβύτεροι ἐν τῷ κυριακῷ τῆς πόλεως προσφέρειν οὐ δύνανται, παρόντος ἐπισκόπου ἢ πρεσβυτέρων πόλεως. οὔτε μὴν ἄρτον διδόναι ἐν εὐχῇ, οὐδὲ ποτήριον, ἐὰν δὲ ἄπωσι, καὶ εἰς εὐχὴν κληθῇ μόνος, δίδωσιν. Οἱ δὲ χωρεπίσκοποι εἰσὶ μὲν εἰς τύπον τῶν ἑβδομήκοντα, ὡς δὲ συλλειτουργοὶ διὰ τὴν σπουδὴν εἰς τοὺς πτωχοὺς προσφέρουσι τιμώμενοι. Regionarii Presbyteri in urbis Dominico offerre non poſſunt, Epiſcopo præſente vel presbyteris urbis: nec panem oratione dare, nec poculum. Si verò abſint, ſolúſque ad orationem vocetur, det. Chorepiſcopi ſunt ad exemplum ſeptuaginta, ſed ut comminiſtri (propter ſtudium in pauperes honorati) offerunt.* Diſtinguit Canon *πρεσβυτέρους ἐπιχωρίους Presbyteros Regionarios* à *χωρεπισκόποις Chorepiſcopis*. Clemens Romanus *Epiſt. ad Eccl. Corinth.* ſcribit, Apoſtolos primitiis ſuis, hoc eſt, primis ad fidem vocatis Eccleſiaſtica munera detuliſſe; binos tantùm Cleri gradus, *Epiſcoporum* nimirum

nimirum & *Diaconorum* ab Apostolorum discipulis agnitos esse. Constituti ab iis κτ̀ χώ-ρας *secundum regiones* Episcopi paulatim ἐπιχώριοι ἐπίσκοποι, ἢ χωρεπίσκοποι *Episcopi regionarii*, vel *Chorepiscopi* insigniti sunt. Cùm secutis illis temporibus, fervente ubique charitatis spiritu, Seculi dignitate impares urbibus vicos, liberis servos, divitibus pauperes gratia cœlestis æquaret, ut unum omnes essent in Christo, Pastores omnes & singuli indesinente cura, parique ardore ornandæ spartæ intenti, nullo vel agrestium sordium despectu, vel urbani fastus lenocinio ac admiratione se permoveri sinebant, quò minùs commissis sibi Domini gregibus se totos impenderent. Ubicunque ministrarent Episcopi, censebantur ex æquo: quique obscuriore loco positi perpetuis (carnalium judicio) tenebris damnati credebantur, ignobilem per se stationem Divinam sinceræ pietatis luce nobilitabant, ne in ipso mundanæ gloriæ fastigio constitutis videretur Christus viles Sardorum mastrucas, Nomadúmque mapalia regnantis Romæ *florenti purpuræ*, & deauratis laquearibus posthabere. Augescente cum fidelium multitudine rectorum numero, ætate primis tacito reliquorum consensu *primæ cathedræ* jus deferri consuevit. Ubi verò Diaboli instinctu studia in religione fieri, & plebis studia distrahi cœperunt, in schismatis remedium uni, cœterorum suffragiis electo, πρωτοκαθεδρία, & præcipua regiminis potestas sic reservata est, ut paroeciæ cujusque tituli ab eo penderent, & in ejus gratiam rectores alii omnes Episcopali titulo cederent. Sub finem Seculi tertii nova paroeciarum & diœceseon distributione facta, ut urbis cujusque simul sumpti tituli omnes *Ecclesiam principalem ac matricem*; vicorum adjacentium clerus populúsque minùs principalia ejusdem membra constituerent, visum est. Sicut ergo tum Presbyteri urbani omnes Presbytero suo primo (Episcopo κατ' ἐξοχὴν ex consuetudine dicto) colla subjecerunt; ita iidem ἐπιχωρίοις *regionariis* quibuscunque etiam prælati sunt; qui deinceps non presbyteri absolutè, sed affectata quadam μεσόγει, ἐπιχώριοι, *οἱ ἐν χώραις regionarii*, nec non *conregionales, forastici, ruris, agrorum Presbyteri* dicti sunt. Rursus cum cleri urbani Episcopo suo adunati principale synedrium intra & extra urbem latè præsideret, inter ἐπιχωρίους, ceu partes ab Ecclesia matrice longiùs distantes, eóque ignobiliores appendices, paulatim urbani regiminis quædam μίμησις introducta est; ut supra regionarios ejusdem tractus Sacerdotes, minorum gentium presbyteros, vel ætate provectior, vel dotibus ornatior, vel frequentiori vico præpositus reliquis emineret, cujus ἐπισκοπῇ *inspectioni* universi cum tota χώρᾳ collegæ immediatè subjacerent, ipse verò Episcopo & consessui urbano subesset, neque tamen simpliciter *Episcopus*, sed cum despectu nonnullo χωρεπίσκοπος *Chorepiscopus* diceretur, hoc est, Episcopus *villanus, vicanus, ruralis, rusticæ plebis*. Procedente tempore etiam *Episcoporum vicarii* dicti sunt. Licet enim vox *Chorepiscopus* non potestate ab Episcopo delegata utentem, aut Episcopi vice præsidentem propriè significet; quia tamen quotquot quarto quintóve seculo ἐπιχωρίοις Presbyteris extra urbes præfuerunt, ab urbanorum Præsulum nutu adeò pendebant, ut quicquid potestatis in clerum vicanum haberent, ab iisdem mutuarentur, & eorum quodammodo nomine officio fungerentur, essétque tota eorum ἐπισκοπὴ urbanæ simulachrum, & ex eadem expressum ad vivum ἐκτύπωμα; iccirco à veteribus Latinis etiam *Vicariorum* nomine venerunt. In Capitulari Ludovici Pii *titulo* 5. inter *ministerii Episcopalis adjutores* recensentur. His sic prælibatis causæ Hierarchicorum infirmitas ultro se prodit. Etenim *primò* inde liquet, Chorepiscoporum institutionem esse merè humanam & Ecclesiasticam. Ante tempus Synodi Ancyranæ

ranæ A. 314. adeóque ſeculo quarto, ne de nomine quidem noti fuerunt. *Secundò*, eoſdem proin non potuiſſe ſuccedere Septuaginta diſcipulis Chriſti pleriſque omnibus intra primum Seculum fato ſuo defunctis. Cùm ergo Neocæſarienſes dicunt, illos eſſe *εἰς τύπον τῶν ἑβδομήκοντα ad exemplum* vel *typum Septuaginta*, non eos his ſucceſſiſſe, ſed, quocunque demum tempore cœperint, inſtitutos eſſe exemplo Septuaginta, puta Seniorum Moſis, Num. I. 24. Quò reſpexit etiam Hieronymus, cùm *Comment. in Epiſt. ad Tit. cap. I.* monuit, *in commune debere Epiſcopos Eccleſiam regere, imitantes Moſen, qui cùm haberet in poteſtate ſolus præeſſe populo Iſraël, ſeptuaginta elegit, cum quibus populum judicaret.* Primus certè Beda *Comm. in Luc. lib. III. 42.* nec de Chorepiſcopis forte, nec de Neocæſarienſi Canone cogitans, Presbyteros indiſtinctè *diſcipulorum*, ſive 70. ſive 72. *typum geſtaſſe*, tradidit. *Tertiò* Canonem non de Presbyteris, quatenus illi ab Epiſcopis diſtinguuntur, ſed de *Chorepiſcopis* loqui. Opponit enim Chorepiſcopos & *ἐπιχωρίοις πρεσβυτέροις Regionariis presbyteris*; & Presbyteris urbanis. Fuiſſe autem Chorepiſcopos primitus ex Eccleſiæ conſuetudine non ſimpliciter Presbyteros, ſed Epiſcopos veros regionarios, Presbyteris regionariis præfectos, manifeſtum eſt, tum quia Epiſcopalem ordinationem eos habuiſſe, ex Synodi Antiochenæ *Can.* 10. colligitur, ubi *ἐπισκόπων χειροθεσίαν Epiſcopi manuum impoſitionem* nacti, hoc eſt, uti Dionyſius Exiguus explicat, *ut Epiſcopi conſecrati*, adeóque etiam ſubjectas ſibi Eccleſias curæ ſuæ commiſſas habuiſſe (quod niſi Epiſcopalem ordinationem accipientibus attribui nequit) dicuntur: tum quia eodem canone cautum eſt, *καθιστᾶναι δὲ ἀναγνώστας, καὶ ὑποδιακόνους, καὶ ἐξορκιστὰς ut Lectores, hypodiaconos & exorciſtas conſtituant*: tum quia canone eodem vetantur *Presbyteros & Diaconos ordinare*, unde palam conſequitur, eos ante illud tempus id feciſſe, vel ſaltem tentaſſe facere, nunquam id auſuros, niſi reipſa Epiſcopi fuiſſent: tum quia vetantur Presbyteros & Diaconos ordinare non ſimpliciter, ſed *δίχα τοῦ ἐν τῇ πόλει ἐπισκόπου ſine permiſſione Epiſcopi civitatis.* Quo permittente proin ordinare potuerunt, adeóque veri Epiſcopi eccleſiaſticæ notionis fuerunt, arctata licet nonnihil per canones Epiſcopali poteſtate: tum quia in Canone Neocæſarienſi Chorepiſcopi *συλλειτουργοὶ* non *conſacerdotes* (uti ineptè Redingius) ſed *comminiſtri* Epiſcoporum appellantur: tum quia Synodi Antiochenæ capite octavo, quo Presbyteris Canonicas Epiſtolas dare prohibetur, Chorepiſcopis tamen æquè ac Epiſcopis *pacificas* concedere permittitur: tum quia iidem veteribus Conciliis ſubſcripſerunt non ut aliorum Epiſcoporum locum tenentes, ſed pro ſemetipſis. Hæc de Chorepiſcopis juxta veteres canones dicta ſufficiant. Hieronymum adhuc objicit Redingius, ſtatuentem, quòd Epiſcopi Apoſtolis ſucceſſerint. Et quis, Redingi, hoc negat? Epiſcopi tamen, qua jure humano à Presbyteris diſtincti, non ſoli Apoſtolis ſucceſſerunt. Neque hoc dicit Hieronymus. *Apud nos*, ſic ſcribit ad Marcellam, *Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent, apud eos* (Montaniſtas) *Epiſcopus tertius eſt. Habent enim primos de Pepuza Phrygiæ Patriarchas; ſecundos quos appellant Canones; atque ita in tertium, id eſt, pæne ultimum locum Epiſcopi devolvuntur; quaſi & inde ambitioſior religio fiat, ſi quod apud nos primum eſt, apud illos noviſſimum ſit.* Quæ verba res duas prædicant, quas nunquam Pontificii daturi ſunt. Unum eſt, primum apud nos eſſe Epiſcopum. Et quid ſic Papæ Cardinalibus, Patriarchis &c. facient? Alterum, pœne ultimum locum eſſe Epiſcopi apud Montanum, ſervato ad cœtera ordine, qui tum in Eccleſia fuit. Ex eo enim ſequitur, tam multos tum ordines in Eccleſia non fuiſſe, quàm multis nunc

Vati-

Vaticanus personat. 3. Damasus & Anacletus canunt hic, quod ajunt, magnis tibiis. quorum fallam esse authoritatem adversus Turrianum aliósque Blondellus demonstravit, agnoscúntque hodie cordatiores omnes.

OBIECT. III. *Antiocheni λειτουργοῦντες Viri Apostolici ex Spiritus S. expresso mandato Barnabam & Saulum, Paulus Thimotheum & Titum per preces & manuum impositionem Episcopos constituerunt Act. XIII. 2. XIV. 23. 1. Tim. V. 22. Tit. I. 15. Ergo Presbyteri sic constituti ordine & gradu inferiores sunt Episcopis eos constituentibus & ordinantibus.* Resp. 1. χειροθεσία Pauli & Barnabæ per reliquos Antiochenæ ecclesiæ Doctores facta propriè ad eorum ordinationem non pertinet. Paulus enim non per homines, nec ab hominibus vocatus est, Gal. I. 1. 2. Fuit igitur symbolum non deputationis ad ministerium, sed simpliciter εὐκτικὸν seu *votivum*. 2. Numquid igitur Antiocheni illi Doctores eminentiorem gradum, quàm Paulus & Barnabas habuerunt? 3. Paulus Titum & Timotheum non Episcopos, gradu & Jurisdictione Presbyteris superiores, sed Evangelistas creavit. Neque obstat, quòd veteres Timotheum Ephesinæ, Titum Cretensis Ecclesiæ Episcopos faciant. Faciunt enim id pro more suo, quo quoslibet præcones primos, etiam Apostolos Episcopos dicunt ejus loci, in quo diutiùs, quàm alibi locorum commorati sunt. 3. Si Barnabæ & Paulo ex Antiochenorum; Timotheo & Tito ex Pauli χειροθεσίᾳ competiit jus ordinandi, eadem igitur ratione iis Presbyteris, quos isti *oppidatim* ordinârunt, ejusdem χειροθεσίας vi ordinationum Jus competiit. Cur enim magis Timotheo per Paulum χειροτιθέντι, quàm aliis Presbyteris, quos Paulus & Barnabas per singulas ecclesias ordinâsse Act. XIV. 13. dicuntur, jus ordinandi competiit?

EXCIP. REDING: 1. *Quos Deus ad opus suum assumit, illos Ecclesiæ legibus & ordinationi etiam subjicit. Ita licet Paulus à Deo vocatus fuerit Apostolus, idem tamen ope Ananiæ aggregatus fuit Ecclesiæ. & ab eodem baptizatus est. Neque usquam Saul & Barnabas ordinati, præterquam hoc loco Act. XIII. 2. leguntur. 2. Hinc adeò mox Act. XIV. &c. Episcopalia munia obiverunt, ordinando per civitates Presbyteros. Et S. Paulus 1. Tim. IV. 14. V. 22. & 2. Tim. I. 6. Episcopos & Presbyteros ordinavit impositis manibus. 3. Neque iis, qui Sacerdotes simplices erant, non Episcopi, jus ordinandi Presbyteros usquam concessum legitur.* Ibid. pag. 263. Resp. 1. Quibus ergo Ecclesiæ legibus Deus Prophetas, à se immediatè vocatos, subjecit? Quibus subjecit Apostolos à Christo itidem immediatè vocatos? Quæ Ecclesia illos unxit, & manuum impositione, vel aliis ritibus consuetis sacravit? Certè Apostolus Gal. I. 1. 2. disertè se *ab hominibus* vel *per homines* vocatum ad Apostolatum negat. Si ab Antiochiensibus illis ordinatus fuisset eo modo, quo hodie Episcopi ordinantur, annon *per homines* vocatus esset? Hoc tibi objectum diluere non potuisti. Quid quòd Antiocheni illi Act. XIII. 1. dicuntur προφῆται καὶ διδάσκαλοι *Prophetæ & Doctores*, non vel Apostoli, vel Episcopi, quibus solis jus χειροθεσίας Hierarchici vindicant? Hi λειτουργοῦντες καὶ νηστεύοντες, *publicis precibus* &

jejunio defungentes, Saulo & Barnabæ Spiritus S. jussu, separatis (ut extraordinarium hoc opus fuisse, satis appareat) *manus imposuerunt*. ritu hoc non tam ordinantes, quàm pia vota pro ministerio eorum nuncupantes. Absurdum nimis est dicere, Paulum & Barnabam Apostolos vel Episcopos quidem sine titulo, nullo assignato grege; ordinatos fuisse ab iis, qui tales ipsi non erant. 2. Ordinarunt sanè Paulus & Barnabas Presbyteros, sed tales, qui & ipsi, cùm & nomina illa & munia communia fuisse Apostolorum tempore probaverimus, veri Episcopi fuerunt; & similes ipsi quoque ordinare potuerunt. Si enim, ut denuo argumentum tuum in crura tua retorqueam, Barnabæ & Paulo, juxta hypothesin tuam, ex χειροθεσία Pauli competiit jus ordinandi alios, quidni pariter ad eos Presbyteros, quos isti oppidatim ordinarunt, jus quoque ordinationum per suam χειροθεσίαν pertinuisse censeri possit? Aut quo indicio constabit, potiùs Timotheo per Paulum χειροτεθέντι, quàm aliis Presbyteris, quos itidem Paulus & Barnabas per singulas Ecclesias ordinarunt, Act. XIV. 23. jus ordinandi alios eximium fuisse? Ad argumentum isthoc pisce magis mutus es. Ut verò jus ordinandi concederetur seorsim Presbyteris, opus non erat, quia tempore Apostolorum nemo Presbyter non Episcopus fuit. Intende omnes ingenii tui nervos, & proba, si potes, vel umbra aliqua probabilis argumenti, Verbo Dei potestatem ordinandi Episcopo cuipiam κατ' ἐξοχὴν tali, à Presbyteris quomodocunque distincto concessam esse, & ceu ei eximium concessum esse. Non probabis in æternum.

OBIECT. IV. *Christus Salvator Apocal. Cap. II. & III.. Johannis ministerio septem Epistolas Ecclesiis Asiaticis destinatas inscripsit septem eorundem Angelis, hoc est, Episcopis. Nam Presbyteri intelligi non possunt, cùm sicut in Ecclesia Ephesina Act. XX. 17. ita etiam in reliquis haud dubiè Asiaticis Ecclesiis non unus aliquis, sed plures Presbyteri fuerint.* Resp. 1. Epistolæ singulæ ad singulos Angelos diriguntur, non quòd unus potestate ordinandi & claves exercendi instructus supra alios emineret, sed ut ad unum scribendo servaretur uniformitas illa omnibus ecclesiis communis, quia ut ecclesiæ singulæ minimùm unum Pastorem habeant, earum recta constitutio requirit, ut autem plures habeant, non necessariò postulatur, adeóque ecclesiæ accidentale, non essentiale est: proinde illud omnibus commune, hoc verò quibusdam peculiare est. Christus igitur eam scribendi rationem sequi voluit, quæ omnibus communis esset. 2. Si Episcopi fuerunt Angeli illi eminente in subjectos Presbyteros potestate præditi, fuerint igitur ecclesiæ, quibus illi præerant, non simplices παροικίαι Paroeciæ, sed διοικήσεις Diœceses seu Præfecturæ Ecclesiasticæ certarum provinciarum limitibus comprehensæ. At ei rei unde fidem facient? Probabile potiùs est, Johannis tempore plerasque ecclesias fuisse congregationes Parœciales & speciales greges, qui in locum unum & eundem ad verbum Dei audiendum & Sacramenta participanda convenire consueverint. Omnes enim ecclesiæ quarum in Sacris mentio est, speciales fuerunt, à suis oppidis aut civitatibus

tatibus nominatæ, quod florentiſſimarum eccleſiarum inductione probari poteſt. Quòd ſi ampliores Paroeciæ quædam fuerint, nihil obſtat, quò minùs uni gregi plures Presbyteri præfecti fuerint, eâdem poteſtate prædti, & εὐταξίας ſolius & ordinis gratiâ ita diſtincti, ut unus reliquis præſideret, quod in Epheſina eccleſia factum videtur. 3. Denique nihil obſtat, quò minùs *Angelus* etiam collectivè in iis cœtibus, quibus plures Miniſtri præerant, *Angelos* ſeu plures Presbyteros ſignificare poſſit. Sanè Chriſtus Apoc. I. v. ultimo, viſionem illam Johanni declarans, non limitat Angelorum numerum, ſicut ſtellarum Angelos illos ſignificantium. Non enim dicit, ſeptem ſtellas eſſe ſeptem Angelos, ſed tantùm eſſe Angelos illarum ſeptem eccleſiarum, quia licèt eccleſiæ unicuique ſua ſtella reſpondeat, ſtellæ tamen unicuique nihil impedit, quò minùs plures Angeli reſpondeant.

EXCIP. REDING: 1. *Eccleſiæ ſingulæ, ad quas Johannes ſcribebat, ſub ſe habuerunt plures parœcias. Nam ex libro Notitiæ Imperii conſtat, ſub Epheſo undecim Provincias fuiſſe recenſitas. Hinc Paulus Act. XX. 17. Epheſum mittens, non unum duntaxat, ſed plures Presbyteros convocavit. 2. Angelus ergo ille Epheſinus, cui inter reliquos Aſiaticus Epiſcopus Johannes ſcripſit, non ſimplici parœciæ, ſed diœceſi certarum Provinciarum limitibus comprehenſæ præfuit. 3. Sed & Apocalypſeos litera definitè ſignificat unum cujuſque illarum Eccleſiarum Angelum fuiſſe. Illa verò literæ proprietas non patitur, ut dicatur is Angelus ſeu Epiſcopus non fuiſſe unus numero, ſed quædam Angelorum, ſeu Presbyterorum collectio.* Ibid. pag. 264. Reſp. 1. Plures fuiſſe in quaque illarum Eccleſiarum Paſtores, non nego, quanquam affirmare etiam non poſſim de re parum comperta. Nam diœceſano uni parœcias plures ſubjectas fuiſſe jam S. Johannis tempore, ridiculè probare contendis ex notitia Imperii, quæ politiam Eccleſiæ humano jure invectam deſcribit. Certè primæ illæ Eccleſiarum origines obſcuriores ſunt, quàm ut talia de iis affirmari poſſint. Neque ſatis conſtat, an Presbyteri illi Miletum Epheſo accerſiti Epheſini, an totius Aſiæ minoris Presbyteri fuerint. quod poſterius non obſcurè Lucas v. 18. inſinuat. Sed fuerint etiam plures Eccleſiarum illarum rectores. At dignitate & poteſtate diſtinctos illos fuiſſe, unde tibi conſtat? Nam inter ordine diſtinctos primus compellari poteſt. Et quos Epheſo Miletum S. Paulus accerſivit, ii promiſcuè & Presbyteri & Epiſcopi appellantur. qua appellatione Spiritus S. manifeſtè ἰσοδυναμίαν omnium, utpote quibus etiam ſimilia officia tribuit, & inter quos neminem ſeorſim, ceu Epiſcopum κατ᾽ ἐξοχὴν dictum compellat; inculcat, præſcius quaſi Hierarchicorum moliminum. Denique cur ad rationem de ſervata ad unum ſcribendo uniformitate omnibus Eccleſiis communi, à me allatam, non reſpondes? Scilicet ſolidior illa eſt, quàm ut vel mutire ad illam potueris. 2. Proba ergo, Angelum illum Epheſinum fuiſſe Epiſcopum Diœceſanum, quales hodie ſunt. Nimiùm hic tibi aqua hærebit. 3. Litera Apocalypſeos unum Angelum nominat; ſed reliquos non excludit. Quid enim Ἄγγελος notat? Utique *nuntium*, præconem verbi & voluntatis Divinæ. quales omnes Eccleſiarum Paſtores & Presbyteri ſunt. Quomodo in V. T. non ſolus Pon-

tifex, ſed omnes Sacerdotes ac Prophetæ מלאכי Ἄγγελοι *Angeli* dicti ſunt Jud. II. 1. Eſaj. XXXIII. 7. Hagg. I. 13. Malach. II. 7. III. 1. Ita apud Hebræos veteres Miniſter Synagogæ, qui publicam legis & Prophetarum lectionem & interpretationem procurabat שליח צבור *Angelus*, ſeu *præco cœtus* appellari conſuevit. Quomodo & hi Angeli Epiſtolas publicè in cœtu prælegebant.

OBIECT. V. *Soli Epiſcopi ordinare, & eo modo generare Eccleſiæ Patres: Presbyteri verò tantùm baptizare, & eo modo filios eccleſiæ generare poſſunt. Idque probatur tum ex facto veteris eccleſiæ, in qua inauditum, ut Presbyter Presbyteros alios vel Diaconos, nedum Epiſcopos ordinaret: tum ex Jure Divino, quia olim irritum habebatur, ſi quid in ea re feciſſent, qui veri Epiſcopi non erant.* Reſp. 1. Superiùs jam oſtendimus, etiam Presbyteris jus ordinandi competere. 2. Quicquid igitur de facto ex Patribus probatur, illud omne non aliud arguit, quàm quæ politia fuerit paulò ante tempus Concilii Niceni, non quæ politia fuerit ab ipſis eccleſiæ Chriſtianæ naſcentis incunabulis. Quod vel inde liquet, quia Epiphanius *hæreſ.* 75. Aerio objicienti Scripturæ locos, ordinationem etiam Presbyteris vendicantes, non aliter quàm temporum diſtinctione reſpondere potuit, ajens, ab initio ita fuiſſe, ſed προβαίνοντος τοῦ χρόνου τὰ πρὸς πλείωσιν τῶν χρειῶν *procedente tempore, quæ requirebantur ad utilitatis perfectionem, concinnata eſſe.* Quin Blondellus *De Epiſcopis & Presbyteris pag.* 309--379. luculenter oſtendit, pluribus in locis terrarum orbis Presbyteros ordinationes peregiſſe. 3. Neque ſi irritæ fuerunt Presbyterorum ordinationes, ſequitur irritos fuiſſe Jure Divino ita exigente, vel idcirco Epiſcopos Presbyteris majores eſſe. Ita Chorepiſcoporum ordinationes volebat Damaſus irritas eſſe, quæ tamen hodie apud Papiſtas in uſu ſunt. Potuerunt igitur irritæ fieri eodem jure, quo prima inſtitutio mutata erat, nempe conſuetudine. Interim in Alexandrina, Gothica, Gallicana, Scotica aliiſque veteribus eccleſiis ordinationem Epiſcopi à Presbyteris factam ratam, validámque fuiſſe, ſuperiùs quoque oſtendimus.

EXCIP. REDING: 1 *Iterum nominis Presbyteri æquivocatione illudis. Poterunt ergo ordinare Presbyteri, at Epiſcopi, ſeu Epiſcopali charactere inſigniti.* 2 *In loco Epiphanii apertum falſarium te exhibes, uti loci ipſius inſpectio docet.* 3. *Allegationes tuas de Presbyteris ordinantibus ſupra excuſſimus.* 4. *Chorepiſcopi noſtri veri Epiſcopi ſunt, quoad functiones Pontificales principalium Epiſcoporum coadjutores. Veteres verò illi à Damaſo improbati ſe medios Epiſcopos inter & Presbyteros jactarunt. Ideo ordinationes illorum ratæ eſſe non potuerunt.* Ibid. pag. 265. 166. Reſp. 1. Cùm nullam hîc vocum æquivocationem agnoſcam, nec tu veteres, Apoſtolos inprimis, æquivocaſſe, adeóque ſimplicioribus illuſiſſe, probare potueris hactenus, fruſtra tuo me pede metiri conaris. Verbo, Presbyteri in Scriptura nominati, iidem & nomine & re Epiſcopi fuerunt. Et tales etiam Patribus fuerunt, donec unus presbyter ſupra reliquos, humana inſtitutione, collocatus pote-

potestatem quandam eminentiorem paulatim adeptus est. 2. Epiphanium Aerio respondisse distinctione temporum, negare non potes. Inter alia scribit ille, *ubi non inventus est quis dignus Episcopatu, permansisse locum sine Episcopo.* An etiam sine Presbytero, qui alios ordinare possit? Quàm sic bene Ecclesiis Apostoli providissent? Concludit ergo, *singulas res ab initio omnia non habuisse* (adeóque alibi Episcopos; Presbyteros alibi ubi Episcopatu dignus nemo repertus est) sed *προβαίνοντος τοῦ χρόνου τὸ πρὸς τελείωσιν τῶν χρειῶν precedente tempore, quæ requirebantur ad utilitatum perfectionem, concinnata esse.* Non ergo Epiphanium falsavi, sed tu ejus mentem, fallus testis, obscurare & opprimere conaris. Quanquam non ideo ab Epiphanio in loco citato dicta cuncta probo. Falso enim principio nixus ille scripsit, *τὴν πρεσβυτέρων τάξιν πατέρας μὴ δυναμένην γεννᾷν τῇ ἐκκλησίᾳ, διὰ τῆς τοῦ λουτροῦ παλιγγενεσίας τέκνα γεννᾷν τῇ ἐκκλησίᾳ, οὐ μὴν πατέρας ἢ διδασκάλους· presbyterorum ordinem patres Ecclesiæ generare non valentem, per regenerationis lavacrum Ecclesiæ filios, non patres aut doctores genuisse.* Cùm enim, Hieronymo teste, per annos ferè ducentos Alexandrini Presbyteri non qualemcunque, sed *Patrum* omnium in Ægyptiaca diœcesi *patrem* genuerint, non minùs de eorum *τάξει*, quàm de Episcopali, verum fuit, *πατέρων γεννητικὴν εἶναι, Patrum generativam esse.* 3. Allegationum nostrarum de Presbyteris ordinantibus veritatem supra asseruimus, & ignorantiam tuam apricati sumus. 4. Denique Chorepiscopos veteres veros Episcopos fuisse, & jus ordinandi habuisse, licet non consentiente Episcopo urbano illud, quoad Presbyteros scilicet & Diaconos, exercere non possent, demonstravimus. Hodierni verò Chorepiscopi, seu Episcoporum vicarii & adjutores nothum quoddam Episcoporum genus sunt, aliena Episcoporum suorum, dum hi mundo toti vacant & litant, munera supplentes.

OBIECT. VI. *Episcoporum supra Presbyteros Prælaturam probat continuata inde ab ipsis Apostolis disciplinæ successio. Hinc Patres, Irenæus, Tertullianus, Epiphanius, alii, ad conterendas Episcoporum & Schismaticorum irruptiones constanter Episcoporum successionem opposuerunt. Aerius quoque, quòd Episcopos Presbyteris æquásset, hæreseos notatus. Ἐπίσκοπον εἰς πρεσβυτέρου βαθμὸν κατάγειν ἱεροσυλία, Episcopum ad Presbyteri subsellium deprimere, sacrilegium censuit Concilium Chalcedonense Act. 4. Denique origo prælaturæ hujus ostendi non potest, manifesto indicio, ab Apostolis eam manâsse.*

Resp. 1. Quantacunque vetustate Episcoporum prælatura se commendet, ab Apostolis tamen non manâsse, certis argumentis jam convicimus. 2. Successionem Episcoporum ad comprobandum utcunque veritatis traducem opposuerunt Patres hæreticis, quia maturè unus cœpit super alium se extollere. Interim quòd in nominandis Apostolorum Successoribus adeò iidem cæspitârunt & dissenserunt, non alia causa est, quàm quia propter illam Presbyterorum in Ecclesiis Apostolicis ἰσοβαθμίαν definiri non potuit, cui ex pluribus Collegis æqualibus πρωτοκλισίας jura deputari debeant. 3. Aerius non ob assertam æqualitatem Ministrorum, sed ob Arianismum hæreseos notatus est, teste Augustino *ad Quodvult Deum cap.* 53. Neque etiam culpa caruit, quòd ordinem jam receptum gravi cum scandalo

ſcandalo turbare conatus eſt. Aliâs ſi Aerius, cur non etiam Hieronymus ἰσοτιμίαν defenſitans hæreſeos crimine arceſſitus fuit ? 4. Verba allegata Concilii pertinent ad querelam Legatorum ſedis Romanæ, Euſtathii facinus deteſtantium; huc autem minimè pertinent, quia poſita canonica diſtinctione Epiſcopi & Presbyteri, Epiſcopus jam in ſuo gradu agnitus ad inferiorem gradum abſque canonum eccleſiaſticorum ſacrilega violatione detrudi haud poterit.

RESP. REDINO: 1. *Ab ipſo Chriſto Epiſcoporum ordinationem manaſſe, inde liquet: quia ipſe Apoſtolos miſit, ſicut à Patre miſſus ipſe erat; adeòque vicarios ſuos fecit, cum ordine ad perpetuum Eccleſiæ ſtatum. Quam verò Chriſtus Apoſtolis contulit authoritatem Apoſtolicam, illa quoad poteſtatem ordinis tota ad Epiſcopos tranſiit.* 2. *Quomodo vero potuerunt Patres ad comprobandum veritatis traducem hæreticis Epiſcoporum ſucceſſionem opponere, ſi hi Presbyteris jure Divino ſuperiores non fuerunt.* 3. *Auguſtinus hæreſin Aerii non ex eo duntaxat capite, quòd in Arianiſmum lapſus ſit, ſed ex altero etiam, quòd Epiſcoporum & Presbyterorum differentiam ſuſtulit, notavit.* Ibid. pag. 266. 267. Reſp. 1. Apoſtolicam authoritatem vel totam ad Epiſcopos tranſiviſſe; vel tranſiviſſe ad illos à Presbyteris jurisdictione diſtinctos, proba. Μεγάλα λίαν λήμματα hæc ſunt. Nulla Scriptura ejus rei teſtis eſt. Si Apoſtolica authoritas tota tranſiit, ſuntne ergo omnes Epiſcopi Apoſtoli cum plenitudine authoritatis Apoſtolicæ? Si tranſiit ad Epiſcopos à Presbyteris diſtinctos, cur igitur Apoſtoli ipſi Epiſcopos & Presbyteros pro iiſdem habuerunt? Non enim ſic illi æquivocationes in deliciis habuerunt, ut Lojolitæ veſtri habent. 2. Quomodo Patres ad ſucceſſionem Epiſcoporum provocare potuerint, licet illos jure Divino à Presbyteris diſparatos eſſe non exiſtimaverint, ſupra *ad Arg.* 3. jam ſatis tedocui. 3. Aerius ob Arianiſmum catalogo hæreticorum à veteribus meritò inſertus eſt. Neque culpa caruit, quòd politiam Eccleſiaſtiam ſuo tempore receptam ſine ſontica neceſſitate ita perturbare molitus eſt. Proin hæc ejus protervia meritò à veteribus notata eſt. Neque tamen dogma illud de Epiſcopis & Presbyteris Divino jure iiſdem ab ullo Concilio hæreſeos ſive in Aerio, ſive in alio quoquam damnatum eſt. Imò Philaſtrius Brixienſis *de hæreſ. cap.* 25. agens de Aerianorum hæreſi, ne quidem hujus dogmatis meminit. Epiphanius quidem *hæreſ.* 75. poſtquam dixiſſet, Aerii ſententiam fuiſſe, *Presbyterum ab Epiſcopo ordine & gradu non differre* &c. eum ſuſiùs impugnat, neque tamen ut ſimpliciter hæreticum traducit. Neque ſanè cum Aerio diſputabatur: *An Epiſcopus Presbytero jure Divino major ſit, nec ne?* Nam ſic majorem non eſſe, extra controverſiam fuiſſe Hieronymo, ſupra oſtendimus. Quin fatetur id ipſum Alphonſus de Caſtro *lib. VI. adv. hær. in voce Epiſcopus.* Ibi enim cùm negare non poſſet, *quòd nihil aliud conetur Hieronymus, quàm ut oſtendat, ex Divina inſtitutione non eſſe differentiam inter Epiſcopum & Presbyterum; ſed tale diſcrimen eſſe poſtea inventum ad ſchiſmata tollenda*; non aliud novit effugium, quàm ut diceret: *Ego certè doctrinam B. Hieronymi ſummè extollo, ejus ſanctitatem maximè veneror, ſic tamen ut putem, eum hominem fuiſſe, qui cùm hic ageret falli potuit. Nec mirari quiſquam debet, quòd B. Hieronymus, Vir alioqui doctiſſimus, ſic deceptus fuerit; quoniam quandoque bonus dormitat Homerus.* Non impegit Hieronymo hæreſeos dicam. Aliud enim hæreticus eſt, aliud bonus dormitans Homerus. Et ſi Hieronymus eo nomine hæreticus non fuit, cur eo nomine Aerius cenſebitur?

Quia

Quin cum Hieronymo plures alios S. Patres, atque inter eos etiam S. Augustinum, à te mihi objectum, sensisse idem, supra Medinam confitentem induximus. Augustinus certè cùm Hieronymianam de S. Petri damnatione sententiam refutasset, modestè facti invidiam deprecatus, hæc *Epist.* 19. addidit: *Quanquam secundum honorum vocabula, quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit, Episcopatus presbyterio major sit, tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est.* Sic recta petens & recidens penitus hodiernæ controversiæ jugulum, clarissimè docet, tum quicquid inde à 1400. annis ὑπεροχῆς Episcopo præ cæteris Presbyteris competit, lege Divina nulla subnixum, à solo *Ecclesiarum usu* pendere: tum *usum* illum non ab initio introductum, sed post Apostolorum omnium ætatem paulatim invaluisse, jamque exactis aliquot seculis *obtinuisse*, quorum labente decursu continua, sed arbitraria tituli *Episcopalis* reservatio, jurisque Presbyterorum communis coarctatio facta est; tum denique synonyma ab initio honorum vocabula (significationem detorquente pedetentim *usu*) novos dignitatum gradus designare cœpisse, sed quæ priscam identitatem abolere nequeant. An ergo, cogita jam Redingi, quod ipse Augustinus sensit, in Aerio hæreticum pronuntiare potuit? Justior ille sanctiórque judex fuit, quàm ut injustum adeò judicium ferret. Et sanè si quis reliquorum etiam Patrum à Medina citatorum, puta Ambrosii, Sedulii, Chrysostomi, Primasii, Theodoreti, Oecumenii, Theophylacti & aliorum, testimonia à Sixto Senensi *Biblioth. lib. VI. Annot.* 319. collecta æqua lance expenderit, facilè animadvertet, Hierarchicorum distinctiones meras illusiones esse; ac revera ea in sententia eos fuisse, quòd jure Divino Episcopus & Presbyter idem sint; licet se postea ordini recepto accommodarint, ne Ecclesiæ unionem, ob rem articulis fidei non repugnantem, turbarent. Neque ea sententia cum Patribus expiravit. Manserunt ejus vestigia apud doctores recentioris Scholæ. Quærit enim Josephus Angles *in* 4. *quæst. de Sacr. Ord. art.* 2. *An Sacerdotium & Episcopatus sint Ordines Jure Divino distincti?* Respondet, *Scotum opinari, negantem esse probabilem. Durandum verò magis communem & securiorem affirmare.* Concludit, *ordinationem Sacramenti non esse perfectè Sacramentum, aut ordinem à Sacerdotio distinctum.* Richardus Armachanus *lib. XI. ad quæst. Armen. cap.* 5. *Non invenitur*, inquit, *in Scripturis Evangelicis aut Apostolicis aliqua differentia inter Episcopos & Sacerdotes simplices, qui Presbyteri appellantur; unde consequitur, quòd in omnibus est una potestas & æqualitas ex ordine.* Quod collatis pluribus Scripturæ locis probat, tandemque *cap.* 7. sic concludit: *Ex his apparet, quid sit dicendum juxta Scripturam in illa quæstione Armenorum, numquid quilibet Sacerdos possit consecrare Ecclesias & altaria &c Et Sacerdotes, sicut Episcopus, cùm Episcopus in hujusmodi ex ordine nihil habet ampliùs, quàm quicunque simplex Sacerdos, licet Ecclesia statuerit, illa debere per eos solos, quos vocamus Episcopos, exerceri, ut eis in regimine major reverentia, & amplior obedientia exhibeatur:* atque, *sibi videri, talem restrictionem potestatis Sacerdotalis, non fuisse in primitiva Ecclesia juxta Scripturam Sanctam.*

QUÆSTIO VII.

An electio & vocatio ad Ministerium Ecclesiasticum à solo Episcopo facta sine consensu Ecclesiæ, sit valida?

ASSerit Caput IV. & Canon VII. Nos negamus, & electionis jus statuimus potissimum Ecclesiæ competere. Porro in Ecclesia tres sunt ordines, Magistratus, populus & Pastores. Tres hi ordines facultatem habent eligendi canonicè vel per se vel per Presbyteros suo nomine delegatos. Ipsa autem forma electionis variat quoad speciem, ita tamen, ut ὡς ἐν πλάτει dici possit, Presbyterio competere ordinationem, examen, & probationem, Magistratui Christiano nominationem, præsentationem, confirmationem, populo denique consensum, suffragium, approbationem. Pertinere igitur ad jus Ecclesiæ electionem, probamus.

ARG. I. Cui data est potestas clavium Regni Cœlorum, is habet potestatem eligendi ministros Ecclesiæ. Nam jus vocandi est pars potestatis clavium. At potestas clavium in Persona Petri data est non Episcopis solis vel Pastoribus Ecclesiæ, sed toti Ecclesiæ. Etenim potestas excommunicandi, quæ pars est clavium, jam ante à Christo data est Ecclesiæ Matth. XVIII 18. Sublatis Pastoribus manet & Ecclesia & potestas clavium. Denique non soli Pastores, sed potissimùm Ecclesia est uxor Christi, sponsa, mater familiâs, cui proinde Christus claves tradidit. Ministris verò dat Ecclesia, ut œconomis.

RESP. REDING: 1. *Christus Matth. XVI. 19. claves Regni Cœlorum definitè promisit Petro, cum ordine ad perpetuum Ecclesiæ statum. 2. Ecclesia Matth. XVIII. 17. intelligitur Ecclesia ex Apostolis, & eorum successoribus Episcopis in Christi nomine, ejusque vicaria authoritate aggregata. 3. Sublato primario Ecclesiæ Pastore, licet per fidem, ceu formam quasi substantialem, subsistat Ecclesia quoad essentiam; plenitudo tamen authoritatis clavium solius Ecclesiæ capitis propria, tunc non actu, sed quasi in habitu, seu radice manet intra jus eligendi Oecumenicum Ecclesiæ Pastorem; & quoad participationem in singulis Episcopis reliquis. 4. Licet denique tota Ecclesia sit sponsa & uxor Christi, illa tamen capite constare debet; membris ita subordinatis, ut alia gubernent, alia gubernentur.* Tomo IV. Tract. X. ss. 2. pag. 267. 268. Resp. 1. De subjecto potestatem clavium recipiente, non solo S. Petro, sed universa Ecclesia, jam supra *ad Bull. Indict. q. 5. Arg. 5. & Obj. 1.* fusiùs dicta non repeto. Libet tamen heic S. Augustini *tract. 124. in Joh.* verbis

verbis rem explicatam dare. *Petrus Apostolus*, sic ille, *propter Apostolatus sui primatum Ecclesiæ gerebat figurata generalitate personam. Quod enim ad ipsum propriè pertinet, natura unus homo erat, gratia Christianus, abundantiore gratia unus idemque primus Apostolus. Sed quando ei dictum est: Tibi dabo claves Regni Cælorum, & quodcunque ligaveris in terra, erit ligatum in Cælo, & quodcunque solveris in terra, erit solutum in Cælis,* UNIVERSAM *significabat Ecclesiam, quæ in hoc seculo diversis tentationibus, velut imbribus, fluminibus, tempestatibúsque quatitur, & non cadit, quoniam fundata est super petram, unde & Petrus nominationem accepit &c. Ecclesia, quæ fundatur in Christo, claves ab eo Regni Cælorum accepit in Petro, id est, potestatem ligandi solvendique peccata. Quod enim est per proprietatem in Christo Ecclesia, hoc est per significationem Petrus in petra, qua significatione intelligitur Christus petra, Petrus Ecclesia.* En in persona Petri *universæ* Ecclesiæ, quæ *in hoc seculo diversis tentationibus quatitur; Ecclesiæ, quæ in Christo est,* Christus *per proprietatem* claves Regni Cœlorum cedit! Quod argumenta mea etiam confirmant. 2. Frustra enim tibi Ecclesia illa, quam adire & audire Christus Matth. XVIII. 16. jussit, Apostolorum duntaxat & Episcoporum ac Prælatorum in Concilio congregata, non alia est. Nam illa Ecclesia intelligitur, quam adire & audire quivis offensus frater, & quovis tempore potest. At congregationem Prælatorum quivis & quovis tempore non potest. Neque etiam particularis Episcopus dioeceseos, vel parochus particularis cœtus intelligitur, quia juxta ipsius Bellarmini *de Eccl. lib. III* 27. verba *una persona non potest dici Ecclesia, cùm Ecclesia sit populus & Regnum Dei.* Quin & illa Ecclesia intelligitur, quæ præfractum peccatorem pro Ethnico & publicano habere debet. An ad solos hoc Prælatos seorsim vel conjunctim pertinet? Denique sicut civitas non constat ex Medico & Medico, sed ex Medico, agricola, aliísque membris: sic Ecclesia non constat ex Episcopo & Episcopo, sed ex Episcopo & auditoribus. 3. Sublato potestatis clavium subjecto principali, quod vobis Latialis ille claviger Papa est, non tantùm non actu, sed ne quidem habitu vel radice plenitudo illa potestatis clavium Papæ, uti pertendis, propria remanere potest; quia subjecto suo sive quoad habitum & radicem, sive quoad actum necessariò inhærere debet, neque per se & seorsim magis quàm accidens sine subjecto, existere potest. Neque electores Papæ, Occumenici scilicet Pastoris, subjecti illius vicem supplere possunt, tum quia nuspiam illis plenitudo illa potestatis clavium promissa est: tum quia ad plenitudinem illam jus eligendi Papam, quod Papa, clavium subjectum, uti pertenditis, proprium, non habet, ne quidem pertinet. Quis enim, mortuo Papa, ligare & solvere, remittere & retinere, leges ferre & judicare, aliásque ad plenitudinem illam spectantia expedire potest? Cardinales, Episcopi? Atqui illi quomodo *participabunt*, nemine conferente, & subjecto potestatis proprio remoto? Nisi ergo in Ecclesia fixa est potestatis illius radix, de ea conclamatum erit, quoties interibit ille, cui propriè & primariò potestatem inesse asseritis. Ecclesia verò ipsa cùm nunquam intereat vel moriatur, sola illa potestatis hujus ministerialis idoneum subjectum esse potest. 4. Sponsa & uxor caput habere debet, virum 1. Cor. XI. 3. Sic Ecclesia caput habet Christum, Col. I. 18, Quæ sponsa, uxor uno capite, viro, contenta non est, & caput aliud superinducit, non casta sponsa, uxor, sed adultera, זרה *peregrina* uxor est. Sic Ecclesia Christo unico capite non contenta, aliúdque ei, sub meretricio vicarii prætentu superinducens, non Ecclesia Christi, sed Babylonica meretrix est. Et quis vertiginis ille spiritus

est, eundem facere & caput, & membrum corporis à capite distincti gubernans? Denique nec pars Ecclesiæ gubernans Ecclesia est, sed pars Ecclesiæ: & gubernat in quibusdam potestate ab Ecclesia, clavium à Christo traditarum custode, delegata.

ARG. II. Cui incumbit discernere Doctores à Seductoribus, probare sanam doctrinam, vocem Christi ἀρχιποιμένος à voce Pseudapostolorum distinguere, & alienum non sequi, denique anathematizare eos, qui aliud Evangelium prædicant, is habet jus electionis Pastorum. Hoc autem incumbit universæ Ecclesiæ, quæ hæcce mandata à Christo accepit. Accedit quòd Paulus 1.Tim. III.7. requirit, ut Episcopus habeat bonum testimonium ab extraneis. Quantò magis ab Ecclesia? Quódque vocatio ministrorum per totius Ecclesiæ suffragia & consensum, alit concordiam inter auditores, & dissidia ex ordinis hujus neglectu metuenda tollit.

RESP. REDING: 1. *Mandata illa directa sunt ad Apostolos & eorum successores.* 2. *An quia Episcopus ab iis etiam, qui foris sunt, bonum testimonium habere debet, ideo extranei jus vocandi habent? Quomodo ergo ex simili testimonio jus vocandi Ecclesia laicorum adipiscetur?* 3. *An verò Ministrorum per totius Ecclesiæ consensum vocatio concordiæ magis quàm discordiæ fovendæ inserviat, historiæ docent.* Ibid. pag 268. Resp. 1. Falsissimè hoc asseri à te, vel ipse Bellarminus te convincet. Is enim *de Cleric. lib. I. cap. 7.* ingenuè fatetur, loca illa Matth. VII. 15. *Cavete à Pseudoprophetis*; Joh. X. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt, alienum verò non sequuntur* Gal. I. 8. *Si quis vobis evangelizaverit præter id, quod accepistis, anathema sit*; 1. Joh. IV. 1. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, an ex Deo sint*, &c. à Christo & Apostolis ad populum dicta esse. Neque ipsa pertinacia inficias id iverit. Nam Pseudoprophetæ à quovis cavendi sunt: & alienum Pastorem nullæ oves Christi sequi debent: & quivis evangelizantem præter id, quod à Christo acceptum est, anathema habere debet: & Johannes jubens Spiritus probare, non ad Apostolos utique, eorúmque successores, sed ad quosvis fideles scripsit. Misso ergo Redingii inficeta & indocta responsione, Bellarmini κρυπτόμενον expendamus. *Respondeo*, sic ille, *populum debere quidem discernere verum à falso Propheta, sed non alia regula, quàm diligenter attendendo, an is, qui prædicat, dicat contraria ab iis, quæ à prædecessoribus dicebantur; vel iis, quæ dicuntur ab aliis ordinariis Pastoribus, & præsertim ab Apostolica sede. Nam imperatum est populo, ut audiat Pastores suos, &c. Non igitur populus debet judicare suum pastorem, nisi nova audiat, & à doctrina aliorum Pastorum aliena. Populus enim, qui rudis est, non potest aliter judicare de doctrina Pastoris. Alias non egeret prædicatoribus. Ex quo deducitur, debuisse hominibus hujus temporis suspectam esse doctrinam Lutheri, Calvini & similium, qui per se veniebant, & prædicabant nova ac repugnantia cum doctrina omnium Pastorum Ecclesiæ. Nam cùm Pastor ordinarius, & aliquis alius, qui prædicat non vocatus, contraria docet, debet omnino populus Pastorem suum sequi, quàm illum alterum, etiamsi fortè contingeret, ut Pastor erraret. Observandum præterea; populum posse quidem ea regula, quam posuimus, internoscere verum Prophetam à falso; sed non posse propterea falsum Pastorem, si sit Episcopus, deponere, &c.* Sicut Redingiana illa responsio ineptissima fuit: ita Bellarminiana hæc tota clusio est, ut vocant, declinatoria. Non enim hic agitur de judicio, in causa Pastoris

ris jam vocati & electi, sed in causa eligendi; non de doctrina sola, sed etiam de vita, & aptitudine personæ ad singularem Ecclesiæ hujus vel illius ædificationem. Quæ profectò in re, suæ sunt Ecclesiæ & gregis in Ecclesia partes. Quæ porro de regula judicii ille scscit, Papalia tota sunt. Ut enim Papam, ejúsque Pythagorica dicta unicam & infallibilem judicii de veris & falsis pastoribus regulam constitueret, adeóque Papale Regnum undequaque tutum efficeret; necesse habuit ab hoc judicio Scripturam, ejúsque dicta αὐτόπιστα removere. Neque enim aliter populum ad conditionem brutam redigere, & falsam potestatem Papæ extollere licuit. Quid verò si ipse Papa hæreticus, imò Antichristus evaserit? An sic etiam tuta manebit judicii de veris Pastoribus regula? Credant cœcæ ejus creaturæ. Non credunt, non credent unquam Christiani oculati. Judicando de veris Pastoribus ex Scriptura, non *per se* judicat universus populus, sed aliqui ex populo ex demenso donationis Christi: & Ecclesiæ ipsius delegatione: (sicut enim gustus, ita etiam judicium duplex est, commune omnium, & singulare peritorum, Hebr. V. 13. 14.) neque *de suo* judicat, sed judicium Dei scrutatur, & ex Scriptura Sacra, velut indubitato judicii Divini instrumento. Neque etiam ad deligendum Pastorem, & veros à falsis Prophetis discernendos Deus sic prædicatores dedit, quasi non alii sint ministerii fines, Ephes. IV, 10. 11. expressi: vel solo eorum dicto & edicto Prophetæ veri & falsi discerni, & Pastores Ecclesiæ constitui possint ac debeant. Quid enim si Prædicatores & Pastores ipsi constituti vel jam fuerint lupi rapaces, vel in tales degeneraverint? Si ruditas populi non obstat, quò minùs possint doctrinam Pastorum cum doctrina prædecessorum vel Pastorum ordinariorum, fluxæ labilíque memoriæ impressa, conferre; multò certè minùs illa obstabit, quò minùs doctrinam eorundem cum doctrina Christi, Prophetarum & Apostolorum scripturæ, quæ fidelis memoriæ custos esse solet, mandata contendere possit. Christus enim, Prophetæ & Apostoli θεόπνευστοι magis utique perspicuè & infallibiliter scripto docuerunt, quàm ordinarii Pastores unquam docere potuerint, vel docuerint etiam. Quin Christus, Prophetæ & Apostoli, quandiu docendi in terra munere defungebantur, non eruditis duntaxat, sed rudi etiam populo prædicarunt, atque eo quidem modo, ut prædicatio à rudi etiam populo intelligi potuerit. Quomodo ergo scripta eorundem sic intricata & perplexa sint, ut ex illis rudis populus de doctrina judicium ferre nullum possit? Non alia certè illi, sed eadem & viva voce, & scripto prædicarunt. Effatum porro Bellarminianum, quo is jubet audiri potiùs *Pastorem errantem*, quàm *non vocatum contraria docentem*, verè Antichristianum est. Sequendus est Pastor, qui sedet ac dicit in cathedra Christi. Quod si errans & cœcus cœcum ducit, ambo in foveam ruituri sunt. Et oves non obediant Christo jubenti? Omitte illos, duces viæ sunt cœci cœcis, Matth. XV. 14. Hem insaniam! Sed ita Bonifacio & choro Pontificum *dist. 40. c. Si Papa* visum est. Quin potiùs illa propositio Christi est necessaria Matth. VII. 16. *A fructibus eorum cognoscetis eos*, fructibus inquam vitæ, doctrinæ, administrationis eorum, sive ordinarii fuerint, sive ordini recepto & corrupto supervenerint. Potest enim populus communi judicio, ut gustu, ad eorum fructus attendere; potest cognoscere auctore Christo, nec desunt in populo, qui gustu singulari valeant. Denique observatio postrema Bellarmini nihil ad rem facit, quia de eligendo Pastore, non de electo & vocato abdicando agimus. 2. Extranei, ut ad tuas jam ineptias revertar, jus vocandi veros Pastores nec habent, nec optant. Nec illi vocando attestamur eum in finem, ut idoneus vocationi habeatur. Alia ratio est Eccle-

siæ, sine cujus testimonio, adeóque etiam consensu eum in finem perhibito, ut idoneus eligatur, atque sic saluti ejus rectè consulatur, eligi Pastor nequit. Hæc pensi non habent Papales Episcopi, qui non sine aperta in Ecclesiam tyrannide testimonium & consensum Ecclesiæ negligunt, soláque adeò libidine sua rem tanti momenti, ex qua Ecclesiæ salus pendet, agunt. 3. Sicubi Pastorum per Ecclesiam vocatio, verbo Dei conformis, discordibus studiis processit, id omne aliena vi, affectuum intemperie contigit; non ordinis præscripti defectu. Quas verò turbas Ecclesiæ dederint vestræ electiones, vel sola historia electionis summi Pastoris vestri per juratos electores Cardinales, locuples testis est. Nihil illis iniquius, fœdius nihil excogitari potest. Res meridiano Sole clarior est.

ARG. III. Pastores ministri sunt non Prælati seu Episcopi, sed universæ ecclesiæ 1. Cor. XII. 21. 1. Pet. V. 3. Cujus autem sunt ministri, ab eodem vocari & eligi debent.

RESP. REDINGI: *Pastor Ecclesiæ minister est, quia non tam suæ, quàm ejus saluti inservit. Non tamen propterea ei subjicitur. Sicut autem ministerium hoc non ab Ecclesia, sed à Christo in primum Oecumenicum Pastorem, & ab hoc in successores collatum fuit: ita neque hodie ab Ecclesia seu laicis conferendum est.* Resp. Quia ergo Ecclesiæ saluti inservire debet, ecclesiæ ejusdem interest, qualis eligatur; neque illa patietur, sibi obtrudi hominem, quem vel non novit verum Pastorem esse, vel novit lupum esse; sed eliget ipsa recto ordine eum, quem idoneum & parem curandæ saluti suæ judicaverit. Vetas autem Pastorem ecclesiæ subjici, non eo scilicet ingenio, zelo, modestia prædítus, qua S. Paulus erat scribens 1. Cor. IX. 19. *Liber* cùm sim ex omnibus, *πᾶσιν ἐμαυτὸν ἐδούλωσα, omnibus memet ipsum in servitutem tradidi, ut plures lucrifaciam.* Non enim vobis cordi est servire, sed dominari: non lucrari animas, sed eas negotiari: Nam *curia Romana non quærit ovem sine lana.* Christus porro in terra agens Apostolos omnes vocavit, ceu dominus. Idem in Cœlum profectus dat Pastores & doctores, mediante non uno quopiam (nemini enim uni privilegium ejusmodi promisit) sed mediante Ecclesia, cui claves Regni Cœlorum promisit.

ARG. IV. Apostoli Ministros Ecclesiæ elegerunt per suffragia ipsius Ecclesiæ, Act. I. 23. VI. 6. XIV. 23. Ergo hodiéque ita eligi debent.

RESP. REDINGI: *Ecclesia quidem unà cum Apostolis* Act. I. 23. *Matthiam & Barsabam elegit. Sed ex concessione Petri, non ex necessitate. agnoscente Chrysostomo in h. l. ubi ait ille, licuisse Petro eligere, sed noluisse eum, ne cui velle gratificari videretur. 2. Multitudo quidem credentium Stephanum elegisse Act. VI. 6. dicitur, sed concedentibus Apostolis. Neque Stephanus Pastor fuit. 3. Act. XIV. 23. non populus, sed Paulus & Barnabas Presbyteros constituerunt.* Ibid. pag. 268. Resp. 1. Si Petrus id concessit, cur non etiam concedit Papa? Sed falsum est, ex Petri speciali concessione id factum. Contrarium S. Petri concionantis & scopus & consequens docet. Scopus erat, alium in locum Judæ proditoris ex discipulorum numero eligendum esse. quam rem ad cœtum universum refert, ut communibus suffragiis tales personæ sistantur, quæ cum Christo in terris agente & docente individuam societatem habuerint. Consequens est, quòd tales communibus

Ecclesiæ suffragiis electos coram Deo statuunt, & precibus præviis sortes eorum projiciunt, postea sorte ductum Apostolorum collegio annumerant. Nulla hic peculiaris concessionis Petri, vel Papalis indulgentiæ mentio est. Neque concessionis talis Chrysostomus meminit; sed hoc unum *homil.3. in Act.* monet, Petrum pari cum Collegis *potestate elegendi* auctum, ea præ aliis uti noluisse, ne arrepta ex occasione primi suffragii prærogativa, communi fraternitatis libertati in gratiam cujusquam præscriberet. Qua ergo fronte nunc Petri hæreditatem jactare audent, qui ab eo cùm *fidei traduce, & doctrinæ seminibus*, Apostolicorum morum consanguinitatem mutuari dedignantur? Pudeat eos sic transferre terminos patrum, aut alterius Ecclesiæ quàm Apostolicæ consuetudinem servandam esse existimare. Quærit in præcedentibus Chrysostomus: *Cur non solus à Christo postulavit, ut ipsi daret aliquem substituendum in locum Judæ?* Non ergo jam habuit tale jus. *Deinde cur non*, inquit, *potiùs per se ipsos perficiunt* (non de solo Petro, sed de Apostolis loquitur; nedum de concessione Petri) *electionem? Jam Petrus factus erat se ipso melior.* id est, non ampliùs, ut ante, τὰ πρωτεῖα spirabat. Et paulò post: Ὅρα τὸν αὐτὸν (πέτρον) μετὰ κοινῆς πάντα ποιοῦντα γνώμης, οὐδὲν αὐθεντικῶς, οὐδὲ ἀρχικῶς. *Considera eum omnia agentem ex communi sententia, nihil authoritate sua & cum imperio* Addit, S. Petrum negotium illud cum aliis communicare, ἵνα μὴ περιμάχητον τοῦτο πρᾶγμα γίνηται· *ne res hæc in pugnam vel contentionem verteretur.* Concludit denique: *Multitudini permittit judicium, simul eos, qui eligebantur, reddens reverendos; & se ipsum liberans ab invidia atque simultate, quæ poterat à cæteris oboriri. Nam hæc semper ingentia gignit mala.* Hæc ne, Redingi, ad animum suum revocavit S. Petrus, Apostolus tantus, authoritate tanta præditus, & non revocabunt vestri illi hierarchæ, qui digni non sunt, ut corigiam calceamenti ei solvant, & quorum Episcopatus (sic illi volunt) & tota authoritas nominis à Petro emersit? Deus meliora!

2. Sed & Diaconorum electio Act VI. descripta, idem Ecclesiæ jus confirmat. Ejus enim negotium, Petrus & Apostoli ad universam Ecclesiam referunt; Ecclesia consilium Apostolorum probat, una cum Apostolis & una cum iisdem Seniores. Ecclesiæ nomine electis manus imponunt, quod ex analogia loci 1. Tim. IV. 14. colligimus. Neque peculiari *Apostolorum concessione* elegisse Ecclesiam Lucas memorat. Si ex concessione eorum elegisset, petitio veniæ hujus præcedere debuisset, quæ nulla narratur. Conjungimus cum hoc exemplo Apostolicam regulam 1. Tim. III. 7. *Oportet Episcopum habere bonum testimonium ab illis, qui foris sunt.* Sic Diaconi illi testimonium ab Ecclesia habere debuerunt. Non ergo ex concessione, sed ex necessitate consensus & judicium Ecclesiæ postulatum fuit, nimirum ut constaret de testimonio ejus circa personas ad Diaconatus eligendas. Præterea si concessio hæc juri Divino, uti ambiget nemo, congruens fuit, tutò hodiéque illam sequimur, atque id facimus, quod fecerunt Apostoli, & iisdem jubentibus Ecclesia. Unde etiam Patres ex Lucæ testificatione, & Apostolorum facto jus Christianæ fraternitatis in electionibus perpetuum confirmant. Neque evaseris etiam, in sola Apostolorum concessione hærens. Quod enim plebi Christi concedendum putarunt Apostoli, qua potestate vos, Apostolicam successionem jactantes, freti eidem & denegatis, & denegandum pertinaciter pronuntiatis? Neque obstat, quòd electio illa non fuit Pastorum, sed Diaconorum, quia causæ rationis communes sunt, adeóque ad electionem utrorumque pertinent; & comparatio minoris fortiùs stringit. Si enim ne in Diaconis quidem eligendis publicum fraternitatis judicium Apostoli neglexerunt quomodo

quomodo neglecturi & suffragiorum jure spoliaturi Ecclesiam fuerant in deligendis Pastoribus, quorum causa gravior est. Neque adeò extra oleas vagati sunt Patres, qui (sic Chrysostomus *homil.14 in Acta*) ex hoc loco de deligendis quibuscunque sive Pastoribus, sive Diaconis, *multitudini judicium permittendum; promovendos, qui omnibus placeant; sic nunc fieri oportere*, collegerunt. 3. Imò confirmatur id inde, quòd Act. XIV. 23. in Presbyteris eligendis factitatum idem est. Nam Paulus & Barnabas *χειροτονήσαντες per singulas Ecclesias constituisse* dicuntur. Neque verò χειροτονία illa solius Pauli & Barnabæ, adeóque electio per proprium suffragium fuit. uti ex Bellarmino tuo pervertere locum conaris. Nam τὸ χειροτονεῖν est actus communis & particularis simul, quo unusquisque pro se eligit suffragio suo particulariter, & cum aliis communiter. Qui ergo χειροτονεῖ, is & proprio suo, & alienis suffragiis eligit. Si ergo quapiam in Ecclesia S. Paulus v. 9. rogationem fecit, certè post rogationem & ecclesiam eligentem vidit significatione manus, & ipse significatione sua astipulatus est: proin & rogatione & signo ἐχειροτόνησε. De aliis idem judicium est. Hæc vocis χειροτονίας vis est. Duplex autem usus in χειροτονίας fuit. Nam aut rogabantur suffragia simpliciter, aut adhibebatur suasio. Rogatione simplice præcones: oratione suasoria vel dissuasoria oratores utebantur, Qui suasione, non porrigebant manum; qui rogatione, porrigere & suffragari solebant. Præco dicens; Ὅτῳ δοκεῖ τὸ δὶ, τὴν χεῖρα αἰρέτω· *cui sic videtur, manum tollat*; & ipse porrigebat manum, nisi quid impediret, & alios porrigere jussit. Sic ergo hoc loco Apostoli dicuntur χειροτονήσαντες, sicut apud Domosthenem νομοθέται, seu iis, qui suffragiis præsidebant, τὸ χειροτονῆσαι, *rogare suffragia populi*, tribuebatur. Procedente tempore cùm plebs suffragari desiisset, vox illa χειροτονίας per abusum pro Episcopali Presbyterorum creatione, ipsáque χειροθεσία usurpata est.

ARG. V. Jus eligendi Pastores Ecclesiæ sacrum faciunt decreta veterum Conciliorum, ac nominatim Niceni in epistola Synodica apud Theodoretum, Carthaginensis III. Can. 27. & IV. Can. 12. Nannetensis, Toletani XII. Can. 6.. denique Sardicensis, cujus sanctionem Gratianus Dist. 65. c. *si forte*, inseruit. Quò pertinent Rescripta Pontificum, quæ idem Gratianus Distinctionibus suis diligenter inseruit.

RESP. REDING: 1. *Si quid tale factum, illud omne non ex jure Divino, sed ex conniventia vel concessione Ecclesiæ contigit. Quanquam ex Concilio Niceno liquet, oportuisse Episcopum à populo electum ab Episcopo Alexandrino confirmari. Et in plerisque testimoniis non tam fit mentio electionis, quàm postulationis vel testimonii.* Ibid. pag. 269. Resp. Imò ex jure Divino factum, jam ostendimus. Proin quæ sic Concilia, & veteres Pontifices statuerunt, illa ex jure Divino statuerunt. Si aliud jus Divinum fuit, an potuit Ecclesia concedere aliquid juri Divino repugnans; vel ad illud connivere? Si olim potuit, cur hodie non potest? Cur ejus rei gratia Hildebrandini Papæ Cœlum terræ, & ferro ac flamma omnia miscuerunt? Concilio Niceno frustra fraudem facere conaris. Disertè enim Epistola ejus Synodica, quam Theodoretus *Histor. Eccl. lib. I. 9.* recitat, sic illud definivit: *Si quis forte Ecclesiæ Præsul obdormierit, jus esto paulò ante receptis succedere in locum demortui*, εἰ ἄξιοι φαίνοιντο, καὶ ὁ λαὸς αἱροῖτο, συνεπιψηφίζοντος αὐτοῖς, καὶ ἐπισφραγίζοντος τοῦ τῆς καθολικῆς Ἀλεξανδρείας ἐπισκόπου, *si modò digni inveniantur, & elegerit*

gerit populus, insuper una cum ipsis decernente & obsignante Episcopo Catholicæ Ecclesiæ, quæ est Alexandriæ; id est eligente simul populo & clero, & Episcopo ordinante. Nihil ergo fuit Alexandrino Episcopo juris supra alios in actu electionis, sed tantùm ratihabitio & obsignatio suffragiorum communium cum suo accedentium. Neque profectò, quod Bellarminus causatur, consuetudo duntaxat recens cœpta populum ad electionem admittendi, narratur; sed decretum proponitur, ne nisi eligente populo in locum defuncti Episcopi alius succedat; atque illud conforme perpetuæ Apostolicæ & primitivæ Ecclesiæ praxi. uti ex ante dictis constat. Nicæni Concilii decreto consona sunt decreta Conciliorum, Alexandrini, Antiocheni *can.* 16. Sardicensis *can.* 2. *&* 6. Constantinopolitani *Epist. ad Occid.* Carthaginensis II. *can.* 12. & III. *can.* 22. & IV. *cap. I.* 22. Arelatensis II. *can.* 5. Aurelianensis II. *can.* 5. Avernensis *can.* 2. Aurelianensis III. *can.* 3. & V. *can.* 11. Parisiensis III. *cap.* 8. Barcinonensis *can.* 3. Rhemensis *can.* 25, Toletani IV. *can* 19 Cabilonensis *can.* 10. quorum, ut & aliorum, irrefragabilia testimonia Blondellus *Apol. pro Hieron. pag.* 408--414. retulit. Pontificum Romanorum rescripta eandem in rem luculentissima sunt; veluti Nicolai & Leonis in Decretis *C. in nomine Dist.* 13. Gregorii *lib. II. Epist.* 30. & *IV. Epist.* 15. Gelasii *Dist.* 63. *c. Plebs Diocl.* Stephani *Dist. ead. c. Nosse.* Pelagii *Dist. ead. cap. Literas*; Leonis IV. *Dist. ead. c. Reatina*; aliorum plurium, qui eadem Distinctione citantur, atque inprimis à Blondello *loc. cit. pag.* 391--408. initio facto à Clemente Romano usque ad Honorium II. qui A. 1127. vixit, clarissimè repræsentantur. Et ne de novitia consuetudine loqui rescripta illa, tricceris, en verba Leonis *Epist.* 89. sic scribentis: *Expectarentur certè vota civium, testimonia populorum, quæreretur honoratorum arbitrium, electio Clericorum, quæ in Sacerdotum solent ordinationibus ab his, qui nôrunt Patrum regulas, custodiri: ut Sacerdos Ecclesiæ præfuturus non solùm attestatione fidelium, sed etiam eorum, qui foris sunt, testimonio muniatur, neque ullius scandali occasio relinquatur.* Nonne hoc jus Divinum est, quod Apostolus 1. Tim. III. 7. præscripserat. Aliis in locis, quibus id Pontifices reliqui non dixere, supponitur. Neque postulationis duntaxat vel testimonii ab Ecclesia perhibendi mentionem Concilia & Pontifices faciunt. quod ex Nicæni jam allatis verbis, ubi *populus eligere* jubetur, liquet: nec non ex Epistola Concilii II. cujus verba sunt, πάσης ἐπιψηφιζομένης πόλεως, *tota Civitate de eo decernente*, seu suffragante. Leo nominatim, uti vidimus, ponit *vota civium.* Et Gregorius electionem Constantii cujusdam Mediolanensis Episcopi satis legitimam non fore putat, nisi etiam suffragium eorum civium accesserit, qui propter incursiones barbarorum Mediolano Genuam sese receperant: uti *dist.* 63. *c. quanto* repetitur. Sed verò quid postulatio est, mi homo, nisi electio imperfecta, & ab iis perficienda, ad quos suffragia reliqua pertinent? Denique in regno Papæ populo & electio, & postulatio & testimonium denegatur. Aliis ergo in Papatu moribus hodie vivitur: aliis in veteri Ecclesia vivebatur. Nihil hodie prisci moris.

ARG. VI. Idem jus Ecclesiæ vindicant antiqui Patres, Tertullianus, Cyprianus, Origenes, Ambrosius, Chrysostomus, Isidorus.

Resp. Reding: 1. *Aliud est electio cum jure institutionis: aliud per modum duntaxat nominationis seu præsentationis. Hoc posterius, non ex jure tamen Divino, sed permissione Ecclesiæ laicis etiam permissum est.* 2. *Quanquam hujusmodi electio ex parte laicorum facta est duntaxat vi testimonii aut postulationis. Ita Tertullianus Apol. c.* 39. *ait, præesse pro-*

jejunio defungentes, Saulo & Barnabæ Spiritus S. jussu, separatis (ut extraordinarium hoc opus fuisse, satis appareat) *manus imposuerunt*. ritu hoc non tam ordinantes, quàm pia vota pro ministerio eorum nuncupantes. Absurdum nimis est dicere, Paulum & Barnabam Apostolos vel Episcopos quidem sine titulo, nullo assignato grege; ordinatos fuisse ab iis, qui tales ipsi non erant. 2. Ordinarunt sanè Paulus & Barnabas Presbyteros, sed tales, qui & ipsi, cùm & nomina illa & munia communia fuisse Apostolorum tempore probaverimus, veri Episcopi fuerunt; & similes ipsi quoque ordinare potuerunt. Si enim, ut denuo argumentum tuum in crura tua retorqueam, Barnabæ & Paulo, juxta hypothesin tuam, ex χειροθεσία Pauli competiit jus ordinandi alios, quidni pariter ad eos Presbyteros, quos isti oppidatim ordinarunt, jus quoque ordinationum per suam χειροθεσίαν pertinuisse censeri possit? Aut quo indicio constabit, potiùs Timotheo per Paulum χειροτεθέντι, quàm aliis Presbyteris, quos itidem Paulus & Barnabas per singulas Ecclesias ordinarunt, Act. XIV. 23. jus ordinandi alios eximium fuisse? Ad argumentum isthoc pisce magis mutus es. Ut verò jus ordinandi concederetur seorsim Presbyteris, opus non erat, quia tempore Apostolorum nemo Presbyter non Episcopus fuit. Intende omnes ingenii tui nervos, & proba, si potes, vel umbra aliqua probabilis argumenti, Verbo Dei potestatem ordinandi Episcopo cuipiam κατ' ἐξοχὴν tali, à Presbyteris quomodocunque distincto concessam esse, & ceu ei eximium concessum esse. Non probabis in æternum.

OBIECT. IV. *Christus Salvator Apocal. Cap. II. & III. Johannis ministerio septem Epistolas Ecclesiis Asiaticis destinatas inscripsit septem eorundem Angelis, ho est, Episcopis. Nam Presbyteri intelligi non possunt, cùm sicut in Ecclesia Ephesina Act. XX. 17. ita etiam in reliquis haud dubiè Asiaticis Ecclesiis non unus aliquis, sed plures Presbyteri fuerint.* Resp. 1. Epistolæ singulæ ad singulos Angelos diriguntur, non quòd unus potestate ordinandi & claves exercendi instructus supra alios emineret, sed ut ad unum scribendo servaretur uniformitas illa omnibus ecclesiis communis, quia ut ecclesiæ singulæ minimùm unum Pastorem habeant, earum recta constitutio requirit, ut autem plures habeant, non necessariò postulatur, adeóque ecclesiæ accidentale, non essentiale est: proinde illud omnibus commune, hoc verò quibusdam peculiare est. Christus igitur eam scribendi rationem sequi voluit, quæ omnibus communis esset. 2. Si Episcopi fuerunt Angeli illi eminente in subjectos Presbyteros potestate præditi, fuerint igitur ecclesiæ, quibus illi præerant, non simplices παροικίαι Paroeciæ, sed διοικήσεις Diœceses seu Præfecturæ Ecclesiasticæ certarum provinciarum limitibus comprehensæ. At ei rei unde fidem facient? Probabile potiùs est, Johannis tempore plerasque ecclesias fuisse congregationes Parœciales & speciales greges, qui in locum unum & eundem ad verbum Dei audiendum & Sacramenta participanda convenire consueverint. Omnes enim ecclesiæ quarum in Sacris mentio est, speciales fuerunt, à suis oppidis aut civitatibus

tatibus nominatæ, quod florentiſſimarum eccleſiarum inductione probari poteſt. Quòd ſi ampliores Paroeciæ quædam fuerint, nihil obſtat, quò minùs uni gregi plures Presbyteri præfecti fuerint, eâdem poteſtate prædíti, & εὐταξίας ſolius & ordinis gratiâ ita diſtincti, ut unus reliquis præſideret, quod in Epheſina eccleſia factum videtur. 3. Denique nihil obſtat, quò minùs *Angelus* etiam collectivè in iis cœtibus, quibus plures Miniſtri præerant, *Angelos* ſeu plures Presbyteros ſignificare poſſit. Sanè Chriſtus Apoc. I. v. ultimo, viſionem illam Johanni declarans, non limitat Angelorum numerum, ſicut ſtellarum Angelos illos ſignificantium. Non enim dicit, ſeptem ſtellas eſſe ſeptem Angelos, ſed tantùm eſſe Angelos illarum ſeptem eccleſiarum, quia licèt eccleſiæ unicuique ſua ſtella reſpondeat, ſtellæ tamen unicuique nihil impedit, quò minùs plures Angeli reſpondeant.

EXCIP. REDING: I. *Eccleſiæ ſingulæ, ad quas Johannes ſcribebat, ſub ſe habuerunt plures paræcias. Nam ex libro Notitiæ Imperii conſtat, ſub Epheſo undecim Provincias fuiſſe recenſitas. Hinc Paulus Act. XX. 17. Epheſum mittens, non unum duntaxat, ſed plures Presbyteros convocavit. 2. Angelus ergo ille Epheſinus, cui inter reliquos Aſiaticus Epiſcopus Johannes ſcripſit, non ſimplici paræciæ, ſed diœceſi certarum Provinciarum limitibus comprehenſæ præfuit. 3. Sed & Apocalypſeos litera definitè ſignificat unum cujuſque illarum Eccleſiarum Angelum fuiſſe. Illa verò literæ proprietas non patitur, ut dicatur is Angelus ſeu Epiſcopus non fuiſſe unus numero, ſed quædam Angelorum, ſeu Presbyterorum collectio.* Ibid. pag. 264. Reſp. 1. Plures fuiſſe in quaque illarum Eccleſiarum Paſtores, non nego, quanquam affirmare etiam non poſſim de re parum comperta. Nam diœceſano uni paroecias plures ſubjectas fuiſſe jam S. Johannis tempore, ridiculè probare contendis ex notitia Imperii, quæ politiam Eccleſiæ humano jure invectam deſcribit. Certè primæ illæ Eccleſiarum origines obſcuriores ſunt, quàm ut talia de iis affirmari poſſint. Neque ſatis conſtat, an Presbyteri illi Miletum Epheſo acceſſiti Epheſini, an totius Aſiæ minoris Presbyteri fuerint. quod poſterius non obſcurè Lucas v. 18. inſinuat. Sed fuerint etiam plures Eccleſiarum illarum rectores. At dignitate & poteſtate diſtinctos illos fuiſſe, unde tibi conſtat? Nam inter ordine diſtinctos primus compellari poteſt. Et quos Epheſo Miletum S. Paulus acceſſivit, ii promiſcuè & Presbyteri & Epiſcopi appellantur. qua appellatione Spiritus S. manifeſtè ἰσοβαθμίαν omnium, utpote quibus etiam ſimilia officia tribuit, & inter quos neminem ſeorſim, ceu Epiſcopum κατ' ἐξοχὴν dictum compellat; inculcat, præſcius quaſi Hierarchicorum moliminum. Denique cur ad rationem de ſervata ad unum ſcribendo uniformitate omnibus Eccleſiis communi, à me allatam, non reſpondes? Scilicet ſolidior illa eſt, quàm ut vel mutire ad illam potueris. 2. Proba ergo, Angelum illum Epheſinum fuiſſe Epiſcopum Diœceſanum, quales hodie ſunt. Nimiùm hic tibi aqua hærebit. 3. Litera Apocalypſeos unum Angelum nominat; ſed reliquos non excludit. Quid enim Ἄγγελος notat? Utique *nuntium*, præconem verbi & voluntatis Divinæ. quales omnes Eccleſiarum Paſtores & Presbyteri ſunt. Quomodo in V. T. non ſolus Pontifex

tifex, ſed omnes Sacerdotes ac Prophetæ מלאכי Ἄγγελοι *Angeli* dicti ſunt Jud. II. 1. Eſaj. XXXIII. 7. Hagg. I. 13. Malach. II. 7. III. 1. Ita apud Hebræos veteres Miniſter Synagogæ, qui publicam legis & Prophetarum lectionem & interpretationem procurabat שליח צבור *Angelus*, ſeu *præco cœtus* appellari conſuevit. Quomodo & hi Angeli Epiſtolas publicè in cœtu prælegebant.

OBIECT. V. *Soli Epiſcopi ordinare, & eo modo generare Eccleſiæ Patres: Presbyteri verò tantùm baptizare, & eo modo filios eccleſiæ generare poſſunt. Idque probatur tum ex facto veteris eccleſiæ, in qua inauditum, ut Presbyter Presbyteros alios vel Diaconos, nedum Epiſcopos ordinaret: tum ex Jure Divino, quia olim irritum habebatur, ſi quid in ea re feciſſent, qui veri Epiſcopi non erant.* Reſp. 1. Superiùs jam oſtendimus, etiam Presbyteris jus ordinandi competere. 2. Quicquid igitur de facto ex Patribus probatur, illud omne non aliud arguit, quàm quæ politia fuerit paulò ante tempus Concilii Niceni, non quæ politia fuerit ab ipſis eccleſiæ Chriſtianæ naſcentis incunabulis. Quod vel inde liquet, quia Epiphanius *hæreſ.* 75. Aerio objicienti Scripturæ locos, ordinationem etiam Presbyteris vendicantes, non aliter quàm temporum diſtinctione reſpondere potuit, ajens, ab initio ita fuiſſe, ſed προβαίνοντος τοῦ χρόνου τὰ πρὸς πλείωσιν τῶν χρειῶν *procedente tempore, quæ requirebantur ad utilitatis perfectionem, concinnata eſſe.* Quin Blondellus *De Epiſcopis & Presbyteris pag.* 309--379. luculenter oſtendit, pluribus in locis terrarum orbis Presbyteros ordinationes peregiſſe. 3. Neque ſi irritæ fuerunt Presbyterorum ordinationes, ſequitur irritos fuiſſe Jure Divino ita exigente, vel idcirco Epiſcopos Presbyteris majores eſſe. Ita Chorepiſcoporum ordinationes volebat Damaſus irritas eſſe, quæ tamen hodie apud Papiſtas in uſu ſunt. Potuerunt igitur irritæ fieri eodem jure, quo prima inſtitutio mutata erat, nempe conſuetudine. Interim in Alexandrina, Gothica, Gallicana, Scotica aliiſque veteribus eccleſiis ordinationem Epiſcopi à Presbyteris factam ratam, validámque fuiſſe, ſuperiùs quoque oſtendimus.

EXCIP. REDING: 1 *Iterum nominis Presbyteri æquivocatione illudis. Poterunt ergo ordinare Presbyteri, at Epiſcopi, ſeu Epiſcopali charactere inſigniti.* 2 *In loco Epiphanii apertum falſarium te exhibes, uti loci ipſius inſpectio docet.* 3. *Allegationes tuas de Presbyteris ordinantibus ſupra excuſſimus.* 4. *Chorepiſcopi noſtri veri Epiſcopi ſunt, quoad functiones Pontificales principalium Epiſcoporum coadjutores. Veteres verò illi à Damaſo improbati ſe medios Epiſcopos inter & Presbyteros jactarunt. Ideo ordinationes illorum ratæ eſſe non potuerunt.* Ibid. pag. 265. 166. Reſp. 1. Cùm nullam hic vocum æquivocationem agnoſcam, nec tu veteres, Apoſtolos inprimis, æquivocaſſe, adeóque ſimplicioribus illuſiſſe, probare potueris hactenus, fruſtra tuo me pede metiri conaris. Verbo, Presbyteri in Scriptura nominati, iidem & nomine & re Epiſcopi fuerunt. Et tales etiam Patribus fuerunt, donec unus presbyter ſupra reliquos, humana inſtitutione, collocatus

pote-

potestatem quandam eminentiorem paulatim adeptus est. 2. Epiphanium Aerio respondisse distinctione temporum, negare non potes. Inter alia scribit ille, *ubi non inventus est quis dignus Episcopatu, permansisse locum sine Episcopo.* An etiam sine Presbytero, qui alios ordinare possit? Quàm sic bene Ecclesiis Apostoli providissent? Concludit ergo, *singulas res ab initio omnia non habuisse* (adeóque alibi Episcopos; Presbyteros alibi ubi Episcopatu dignus nemo repertus est) sed προβαίνοντος τοῦ χρόνου τὰ πρὸς τελείωσιν τῶν χρειῶν *procedente tempore, quæ requirebantur ad utilitatum perfectionem, concinnata esse.* Non ergo Epiphanium falsavi, sed tu ejus mentem, falsus testis, obscurare & opprimere conaris. Quanquam non ideo ab Epiphanio in loco citato dicta cuncta probo. Falso enim principio nixus ille scripsit, τὴν πρεσβυτέρων τάξιν πατέρας μὴ δυναμένην γεννᾷν τῇ ἐκκλησίᾳ, διὰ τῆς τοῦ λουτροῦ παλιγγενεσίας τέκνα γεννᾷν τῇ ἐκκλησίᾳ, οὐ μὴν πατέρας ἢ διδασκάλους· *presbyterorum ordinem patres Ecclesiæ generare non valentem, per regenerationis lavacrum Ecclesiæ filios, non patres aut doctores genuisse.* Cùm enim, Hieronymo teste, per annos ferè ducentos Alexandrini Presbyteri non qualemcunque, sed *Patrum* omnium in Ægyptiaca diœcesi *patrem* genuerint, non minùs de eorum τάξει, quàm de Episcopali, verum fuit, πατέρων γεννητικὴν εἶναι, *Patrum generativam esse.* 3. Allegationum nostrarum de Presbyteris ordinantibus veritatem supra asseruimus, & ignorantiam tuam apricati sumus. 4. Denique Chorepiscopos veteres veros Episcopos fuisse, & jus ordinandi habuisse, licet non consentiente Episcopo urbano illud, quoad Presbyteros scilicet & Diaconos, exercere non possent, demonstravimus. Hodierni verò Chorepiscopi, seu Episcoporum vicarii & adjutores nothum quoddam Episcoporum genus sunt, aliena Episcoporum suorum, dum hi mundo toti vacant & litant, munera supplentes.

OBIECT. VI. *Episcoporum supra Presbyteros Prælaturam probat continuata inde ab ipsis Apostolis disciplinæ successio. Hinc Patres, Irenæus, Tertullianus, Epiphanius, alii, ad conterendas Episcoporum & Schismaticorum irruptiones constanter Episcoporum successionem opposuerunt. Aerius quoque, quòd Episcopos Presbyteris æquásset, hæreseos notatus. Et* ἐπίσκοπον εἰς πρεσβυτέρου βαθμὸν καταγεῖν ἱεροσυλία, *Episcopum ad Presbyteri subsellium deprimere, sacrilegium censuit Concilium Chalcedonense Act. 4. Denique origo prælaturæ hujus ostendi non potest, manifesto indicio, ab Apostolis eam manásse.*

Resp. 1. Quantacunque vetustate Episcoporum prælatura se commendet, ab Apostolis tamen non manâsse, certis argumentis jam convicimus. 2. Successionem Episcoporum ad comprobandum utcunque veritatis traducem opposuerunt Patres hæreticis, quia maturè unus cœpit super alium se extollere. Interim quòd in nominandis Apostolorum Successoribus adeò iidem cæspitârunt & dissenserunt, non alia causa est, quàm quia propter illam Presbyterorum in Ecclesiis Apostolicis ἰσοβαθμίαν definiri non potuit, cui ex pluribus Collegis æqualibus πρωτοκλισίας jura deputari debeant. 3. Aerius non ob assertam æqualitatem Ministrorum, sed ob Arianismum hæreseos notatus est, teste Augustino *ad Quodvult Deum cap.* 53. Neque etiam culpa caruit, quòd ordinem jam receptum gravi cum

scandalo

ſcandalo turbare conatus eſt. Aliâs ſi Aerius, cur non etiam Hieronymus *Iconulan* defenſitans hæreſeos crimine arceſſitus fuit? 4. Verba allegata Concilii pertinent ad querelam Legatorum ſedis Romanæ, Euſtathii facinus deteſtantium; huc autem minimè pertinent, quia poſita canonica diſtinctione Epiſcopi & Presbyteri, Epiſcopus jam in ſuo gradu agnitus ad inferiorem gradum abſque canonum eccleſiaſticorum ſacrilega violatione detrudi haud poterit.

Resp. Redino: 1. *Ab ipſo Chriſto Epiſcoporum ordinationem manaſſe, inde liquet: quia ipſe Apoſtolos miſit, ſicut à Patre miſſus ipſe erat; adeòque vicarios ſuos fecit, cum ordine ad perpetuum Eccleſiæ ſtatum. Quam verò Chriſtus Apoſtolis contulit authoritatem Apoſtolicam, illa quoad poteſtatem ordinis tota ad Epiſcopos tranſiit. 2. Quomodo verò potuerunt Patres ad comprobandum veritatis traducem hæreticis Epiſcoporum ſucceſſionem opponere, ſi hi Presbyteris jure Divino ſuperiores non fuerunt. 3. Auguſtinus hæreſin Aerii non ex eo duntaxat capite, quòd in Arianiſmum lapſus ſit, ſed ex altero etiam, quòd Epiſcoporum & Presbyterorum differentiam ſuſtulit, notavit.* Ibid. pag. 266. 267. Reſp. 1. Apoſtolicam authoritatem vel totam ad Epiſcopos tranſiviſſe; vel tranſiviſſe ad illos à Presbyteris jurisdictione diſtinctos, proba. *Μεγάλα λίαν λήμματα* hæc ſunt. Nulla Scriptura ejus rei teſtis eſt. Si Apoſtolica authoritas tota tranſiit, ſuntne ergo omnes Epiſcopi Apoſtoli cum plenitudine authoritatis Apoſtolicæ? Si tranſiit ad Epiſcopos à Presbyteris diſtinctos, cur igitur Apoſtoli ipſi Epiſcopos & Presbyteros pro iiſdem habuerunt? Non enim ſic illi æquivocationes in deliciis habuerunt, ut Lojolitæ veſtri habent. 2. Quomodo Patres ad ſucceſſionem Epiſcoporum provocare potuerint, licet illos jure Divino à Presbyteris diſparatos eſſe non exiſtimaverint, ſupra *ad Arg. 3.* jam ſatis tetdocui. 3. Aerius ob Arianiſmum catalogo hæreticorum à veteribus meritò inſertus eſt. Neque culpa caruit, quòd politiam Eccleſiaſtiam ſuo tempore receptam ſine ſontica neceſſitate ita perturbare molitus eſt. Proin hæc ejus protervia meritò à veteribus notata eſt. Neque tamen dogma illud de Epiſcopis & Presbyteris Divino jure iiſdem ab ullo Concilio hæreſeos ſive in Aerio, ſive in alio quoquam damnatum eſt. Imò Philaſtrius Brixienſis *de hæreſ. cap. 25.* agens de Aerianorum hæreſi, ne quidem hujus dogmatis meminit. Epiphanius quidem *hæreſ. 75.* poſtquam dixiſſet, Aerii ſententiam fuiſſe, *Presbyterum ab Epiſcopo ordine & gradu non differre* &c. eum fuſiùs impugnat, neque tamen ut ſimpliciter hæreticum traducit. Neque ſanè cum Aerio diſputabatur: *An Epiſcopus Presbytero jure Divino major ſit, nec ne?* Nam ſic majorem non eſſe, extra controverſiam fuiſſe Hieronymo, ſupra oſtendimus. Quin fatetur id ipſum Alphonſus de Caſtro *lib. VI. adv. hær. in voce Epiſcopus.* Ibi enim cùm negare non poſſet, *quòd nihil aliud conetur Hieronymus, quàm ut oſtendat, ex Divina inſtitutione non eſſe differentiam inter Epiſcopum & Presbyterum; ſed tale diſcrimen eſſe poſtea inventum ad ſchiſmata tollenda*; non aliud novit effugium, quàm ut diceret: *Ego certè doctrinam B. Hieronymi ſummè extollo, ejus ſanctitatem maximè veneror, ſic tamen ut putem, eum hominem fuiſſe, qui cùm hic ageret falli potuit. Nec mirari quiſquam debet, quòd B. Hieronymus, Vir alioqui doctiſſimus, ſic deceptus fuerit; quoniam quandoque bonus dormitat Homerus.* Non impegit Hieronymo hæreſeos dicam. Aliud enim hæreticus eſt, aliud bonus dormitans Homerus. Et ſi Hieronymus eo nomine hæreticus non fuit, cur eo nomine Aerius cenſebitur?

Quia

Quin cum Hieronymo plures alios S. Patres, atque inter eos etiam S. Augustinum, à te mihi objectum, sensisse idem, supra Medinam confitentem induximus. Augustinus certè cùm Hieronymianam de S. Petri damnatione sententiam refutasset, modestè factæ invidiam deprecatus, hæc *Epist.* 19. addidit: *Quanquam secundum honorum vocabula, quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit, Episcopatus presbyterio major sit, tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est.* Sic rectà petens & recidens penitus hodiernæ controversiæ jugulum, clarissimè docet, tum quicquid inde à 1400. annis ὑπεροχῆς Episcopo præ cæteris Presbyteris competit, lege Divina nulla subnixum, à solo *Ecclesiarum usu* pondere: tum *usum* illum non ab initio introductum, sed post Apostolorum omnium ætatem paulatim invaluisse, jamque exactis aliquot seculis *obtinuisse*, quorum labente decursu continua, sed arbitraria tituli *Episcopalis* reservatio, jurisque Presbyterorum communis coarctatio facta est; tum denique synonyma ab initio honorum vocabula (significationem detorquente pedetentim *usu*) novos dignitatum gradus designare cœpisse, sed quæ priscam identitatem abolere nequeant. An ergo, cogita jam Redingi, quod ipse Augustinus sensit, in Aerio hæreticum pronuntiare potuit? Justior ille sanctiórque judex fuit, quàm ut injustum adeò judicium ferret. Et sanè si quis reliquorum etiam Patrum à Medina citatorum, puta Ambrosii, Sedulii, Chrysostomi, Primasii, Theodoreti, Oecumenii, Theophylacti & aliorum, testimonia à Sixto Senensi *Biblioth. lib. VI. Annot.* 319. collecta æqua lance expenderit, facilè animadvertet, Hierarchicorum distinctiones meras illusiones esse; ac revera ea in sententia eos fuisse, quòd jure Divino Episcopus & Presbyter idem sint; licet se postea ordini recepto accommodarint, ne Ecclesiæ unionem, ob rem articulis fidei non repugnantem, turbarent. Neque ea sententia cum Patribus expiravit. Manserunt ejus vestigia apud doctores recentioris Scholæ. Quærit enim Josephus Angles *in* 4. *quæst. de Sacr. Ord. art.* 2. *An Sacerdotium & Episcopatus sint Ordines Jure Divino distincti?* Respondet, *Scotum opinari, negantem esse probabilem. Durandum verò magis communem & securiorem affirmare.* Concludit, *ordinationem Sacramenti non esse perfectè Sacramentum, aut ordinem à Sacerdotio distinctum.* Richardus Armachanus *lib. XI. ad quæst. Armen. cap.* 5. *Non invenitur*, inquit, *in Scripturis Evangelicis aut Apostolicis aliqua differentia inter Episcopos & Sacerdotes simplices, qui Presbyteri appellantur; unde consequitur, quòd in omnibus est una potestas & æqualitas ex ordine.* Quod collatis pluribus Scripturæ locis probat, tandemque *cap.* 7. sic concludit: *Ex his apparet, quid sit dicendum juxta Scripturam in illa quæstione Armenorum, numquid quilibet Sacerdos possit consecrare Ecclesias & altaria &c Et Sacerdotes, sicut Episcopus, cùm Episcopus in hujusmodi ex ordine nihil habet ampliùs, quàm quicunque simplex Sacerdos, licet Ecclesia statuerit, illa debere per eos solos, quos vocamus Episcopos, exerceri, ut eis in regimine major reverentia, & amplior obedientia exhibeatur: atque, sibi videri, talem restrictionem potestatis Sacerdotalis, non fuisse in primitiva Ecclesia juxta Scripturam Sanctam.*

verbis rem explicatam dare. *Petrus Apostolus*, sic ille, *propter Apostolatus sui primatum Ecclesiæ gerebat figurata generalitate personam. Quod enim ad ipsum propriè pertinet, natura unus homo erat, gratia Christianus, abundantiore gratia unus idemque primus Apostolus. Sed quando ei dictum est: Tibi dabo claves Regni Cælorum, & quodcunque ligaveris in terra, erit ligatum in Cælo, & quodcunque solveris in terra, erit solutum in Cælis,* UNIVERSAM *significabat Ecclesiam, quæ in hoc seculo diversis tentationibus, velut imbribus, fluminibus, tempestatibúsque quatitur, & non cadit, quoniam fundata est super petram, unde & Petrus nominationem accepit &c. Ecclesia, quæ fundatur in Christo, claves ab eo Regni Cælorum accepit in Petro, id est, potestatem ligandi solvendíque peccata. Quod enim est per proprietatem in Christo Ecclesia, hoc est per significationem Petrus in petra, qua significatione intelligitur Christus petra, Petrus Ecclesia.* En in persona Petri *universæ* Ecclesiæ, quæ *in hoc seculo diversis tentationibus quatitur; Ecclesiæ, quæ in Christo est,* Christus *per proprietatem* claves Regni Cœlorum cedit! Quod argumenta mea etiam confirmant. 2. Frustra enim tibi Ecclesia illa, quam adire & audire Christus Matth. XVIII. 16. jussit, Apostolorum duntaxat & Episcoporum ac Prælatorum in Concilio congregata, non alia est. Nam illa Ecclesia intelligitur, quam adire & audire quivis offensus frater, & quovis tempore potest, At congregationem Prælatorum quivis & quovis tempore non potest. Neque etiam particularis Episcopus diœceseos, vel parochus particularis cœtus intelligitur, quia juxta ipsius Bellarmini *de Eccl. lib. III* 27. verba *una persona non potest dici Ecclesia, cùm Ecclesia sit populus & Regnum Dei.* Quin & illa Ecclesia intelligitur, quæ præfractum peccatorem pro Ethnico & publicano habere debet. An ad solos hoc Prælatos seorsim vel conjunctim pertinet? Denique sicut civitas non constat ex Medico & Medico, sed ex Medico, agricola, aliísque membris: sic Ecclesia non constat ex Episcopo & Episcopo, sed ex Episcopo & auditoribus. 3. Sublato potestatis clavium subjecto principali, quod vobis Latialis ille claviger Papa est, non tantùm non actu, sed ne quidem habitu vel radice plenitudo illa potestatis clavium Papæ, uti pertendis, propria remanere potest, quia subjecto suo sive quoad habitum & radicem, sive quoad actum necessariò inhærere debet, neque per se & seorsim magis quàm accidens sine subjecto, existere potest. Neque electores Papæ, Oecumenici scilicet Pastoris, subjecti illius vicem supplere possunt, tum quia nusquam illis plenitudo illa potestatis clavium promissa est: tum quia ad plenitudinem illam jus eligendi Papam, quod Papa, clavium subjectum, uti pertenditis, proprium, non habet, ne quidem pertinet. Quis enim, mortuo Papa, ligare & solvere, remittere & retinere, leges ferre & judicare, aliáque ad plenitudinem illam spectantia expedire potest? Cardinales, Episcopi? Atqui illi quomodo *participabunt*, nemine conferente, & subjecto potestatis proprio remoto? Nisi ergo in Ecclesia fixa est potestatis illius radix, de ea conclamatum erit, quoties interibit ille, cui propriè & primariò potestatem inesse asseritis. Ecclesia verò ipsa cùm nunquam intereat vel moriatur, sola illa potestatis hujus ministerialis idoneum subjectum esse potest. 4. Sponsa & uxor caput habere debet, virum 1. Cor. XI. 3. Sic Ecclesia caput habet Christum, Col. I. 18, Quæ sponsa, uxor uno capite, viro, contenta non est, & caput aliud superinducit, non casta sponsa, uxor, sed adultera, זרה *peregrina* uxor est. Sic Ecclesia Christo unico capite non contenta, aliúdque ei, sub meretricio vicarii prætentu superinducens, non Ecclesia Christi, sed Babylonica meretrix est. Et quis vertiginis ille spiritus

est, eundem facere & caput, & membrum corporis à capite distincti gubernans? Denique nec pars Ecclesiæ gubernans Ecclesia est, sed pars Ecclesiæ: & gubernat in quibusdam potestate ab Ecclesia, clavium à Christo traditarum custode, delegata.

ARG. II. Cui incumbit discernere Doctores à Seductoribus, probare sanam doctrinam, vocem Christi ἀρχιποιμένος à voce Pseudapostolorum distinguere, & alienum non sequi, denique anathematizare eos, qui aliud Evangelium prædicant, is habet jus electionis Pastorum. Hoc autem incumbit universæ Ecclesiæ, quæ hæcce mandata à Christo accepit. Accedit quòd Paulus 1. Tim. III. 7. requirit, ut Episcopus habeat bonum testimonium ab extraneis. Quantò magis ab Ecclesia? Quódque vocatio ministrorum per totius Ecclesiæ suffragia & consensum, alit concordiam inter auditores, & dissidia ex ordinis hujus neglectu metuenda tollit.

RESP. REDING: 1. *Mandata illa directa sunt ad Apostolos & eorum successores. 2. An quia Episcopus ab iis etiam, qui foris sunt, bonum testimonium habere debet, ideo extranei jus vocandi habent? Quomodo ergo ex simili testimonio jus vocandi Ecclesia laicorum adipiscetur? 3. An verò Ministrorum per totius Ecclesiæ consensum vocatio concordiæ magis quàm discordiæ fovendæ inserviat, historiæ docent.* Ibid. pag. 268. Resp. 1. Falsissimè hoc asseri à te, vel ipse Bellarminus te convincet. Is enim *de Cleric. lib. I. cap. 7.* ingenuè fatetur, loca illa Matth. VII. 15 *Cavete à Pseudoprophetis*; Joh. X. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt, alienum verò non sequuntur* Gal. I. 8. *Si quis vobis evangelizaverit præter id, quod accepistis, anathema sit*; 1. Joh. IV. 1. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, an ex Deo sint*, &c. à Christo & Apostolis ad populum dicta esse. Neque ipsa pertinacia inficias id iverit. Nam Pseudoprophetæ à quovis cavendi sunt: & alienum Pastorem nullæ oves Christi sequi debent: & quivis evangelizantem præter id, quod à Christo acceptum est, anathema habere debet: & Johannes jubens Spiritus probare, non ad Apostolos utique, eorúmque successores, sed ad quosvis fideles scripsit. Misso ergo Redingii inficeta & indocta responsione, Bellarmini χειροφύγητον expendamus. *Respondeo*, sic ille, *populum debere quidem discernere verum à falso Propheta, sed non alia regula, quàm diligenter attendendo, an is, qui prædicat, dicat contraria ab iis, quæ à prædecessoribus dicebantur; vel iis, quæ dicuntur ab aliis ordinariis Pastoribus, & præsertim ab Apostolica sede. Nam imperatum est populo, ut audiat Pastores suos, &c. Non igitur populus debet judicare suum pastorem; nisi nova audiat, & à doctrina aliorum Pastorum aliena. Populus enim, qui rudis est, non potest aliter judicare de doctrina Pastoris. Alias non egeret prædicatoribus. Ex quo deducitur, debuisse hominibus hujus temporis suspectam esse doctrinam Lutheri, Calvini & similium, qui per se veniebant, & prædicabant nova ac repugnantia cum doctrina omnium Pastorum Ecclesiæ. Nam cùm Pastor ordinarius, & aliquis alius, qui prædicat non vocatus, contraria docet, debet omnino populus Pastorem suum sequi, quàm illum alterum, etiamsi fortè contingeret, ut Pastor erraret. Observandum præterea, populum posse quidem ea regula, quam posuimus, internoscere verum Prophetam à falso; sed non posse propterea falsum Pastorem, si sit Episcopus, deponere, &c.* Sicut Redingiana illa responsio ineptissima fuit: ita Bellarminiana hæc tota clusio est, ut vocant, declinatoria. Non enim hic agitur de judicio, in causa Pasto-

ris

ris jam vocati & electi, sed in causa eligendi; non de doctrina sola, sed etiam de vita, & aptitudine personæ ad singularem Ecclesiæ hujus vel illius ædificationem. Quæ profectò in re, suæ sunt Ecclesiæ & gregis in Ecclesia partes. Quæ porro de regula judicii ille sciscit, Papalia tota sunt. Ut enim Papam, ejusque Pythagorica dicta unicam & infallibilem judicii de veris & falsis pastoribus regulam constitueret, adeóque Papale Regnum undequaque tutum efficeret; necesse habuit ab hoc judicio Scripturam, ejúsque dicta αὐτόπιστα removere. Neque enim aliter populum ad conditionem brutam redigere, & falsam potestatem Papæ extollere licuit. Quid verò si ipse Papa hæreticus, imò Antichristus evaserit? An sic etiam tuta manebit judicii de veris Pastoribus regula? Credant cœcæ ejus creaturæ. Non credunt, non credent unquam Christiani oculati. Judicando de veris Pastoribus ex Scriptura, non *per se* judicat universus populus, sed aliqui ex populo ex demenso donationis Christi: & Ecclesiæ ipsius delegatione: (sicut enim gustus, ita etiam judicium duplex est, commune omnium, & singulare peritorum, Hebr. V. 13. 14.) neque *de suo* judicat, sed judicium Dei scrutatur, & ex Scriptura Sacra, velut indubitato judicii Divini instrumento. Neque etiam ad deligendum Pastorem, & veros à falsis Prophetis discernendos Deus sic prædicatores dedit, quasi non alii sint ministerii fines, Ephes. IV, 10. 11. expressi: vel solo eorum dicto & edicto Prophetæ veri & falsi discerni, & Pastores Ecclesiæ constitui possint ac debeant. Quid enim si Prædicatores & Pastores ipsi constituti vel jam fuerint lupi rapaces, vel in tales degeneraverint? Si ruditas populi non obstat, quò minùs possint doctrinam Pastorum cum doctrina prædecessorum vel Pastorum ordinariorum, fluxæ labilíque memoriæ impressa, conferre; multò certè minùs illa obstabit, quò minùs doctrinam eorundem cum doctrina Christi, Prophetarum & Apostolorum scripturæ, quæ fidelis memoriæ custos esse solet, mandata contendere possit. Christus enim, Prophetæ & Apostoli θεόπνευστοι magis utique perspicuè & infallibiliter scripto docuerunt, quàm ordinarii Pastores unquam docere potuerint, vel docuerint etiam. Quin Christus, Prophetæ & Apostoli, quandiu docendi in terra munere defungebantur, non eruditis duntaxat, sed rudi etiam populo prædicarunt, atque eo quidem modo, ut prædicatio à rudi etiam populo intelligi potuerit. Quomodo ergo scripta eorundem sic intricata & perplexa sint, ut ex illis rudis populus de doctrina judicium ferre nullum possit? Non alia certè illi, sed eadem & viva voce, & scripto prædicarunt. Effatum porro Bellarminianum, quo is jubet audiri potiùs *Pastorem errantem*, quàm *non vocatum contraria docentem*, verè Antichristianum est. Sequendus est Pastor, qui sedet ac dicit in cathedra Christi. Quod si errans & cœcus cœcum ducit, ambo in foveam ruituri sunt. Et oves non obediant Christo jubenti? Omitte illos, duces viæ sunt cœci cœcis, Matth. XV. 14. Hem insaniam! Sed ita Bonifacio & choro Pontificum *dist. 40. c. Si Papa* visum est. Quin potiùs illa propositio Christi est necessaria Matth. VII. 16. *A fructibus eorum cognoscetis eos*, fructibus inquam vitæ, doctrinæ, administrationis eorum, sive ordinarii fuerint, sive ordini recepto & corrupto supervenerint. Potest enim populus communi judicio, ut gustu, ad eorum fructus attendere; potest cognoscere auctore Christo, nec desunt in populo, qui gustu singulari valeant. Denique observatio postrema Bellarmini nihil ad rem facit, quia de eligendo Pastore, non de electo & vocato abdicando agimus. 2. Extranei, ut ad tuas jam ineptias revertar, jus vocandi veros Pastores nec habent, nec optant. Nec illi vocando attestantur eum in finem, ut idoneus vocationi habeatur. Alia ratio est Eccle-

siæ, sine cujus testimonio, adeóque etiam consensu eum in finem perhibito, ut idoneus eligatur, atque sic saluti ejus rectè consulatur, eligi Pastor nequit. Hæc pensi non habent Papales Episcopi, qui non sine aperta in Ecclesiam tyrannide testimonium & consensum Ecclesiæ negligunt, soláque adeò libidine sua rem tanti momenti, ex qua Ecclesiæ salus pendet, agunt. 3. Sicubi Pastorum per Ecclesiam vocatio, verbo Dei conformis, discordibus studiis processit, id omne aliena vi, affectuum intemperie contigit; non ordinis præscripti defectu. Quas verò turbas Ecclesiæ dederint vestræ electiones, vel sola historia electionis summi Pastoris vestri per juratos electores Cardinales, locuples testis est. Nihil illis iniquius, fœdius nihil excogitari potest. Res meridiano Sole clarior est.

ARG. III. Pastores ministri sunt non Prælati seu Episcopi, sed universæ ecclesiæ 1. Cor. XII. 21. 1. Pet. V. 3. Cujus autem sunt ministri, ab eodem vocari & eligi debent.

RESP. REDINO: *Pastor Ecclesiæ minister est, quia non tam suæ, quàm ejus saluti inservit. Non tamen propterea ei subjicitur. Sicut autem ministerium hoc non ab Ecclesia, sed à Christo in primum Oecumenicum Pastorem, & ab hoc in successores collatum fuit: ita neque hodie ab Ecclesia seu laicis conferendum est.* Resp. Quia ergo Ecclesiæ saluti inservire debet, ecclesiæ ejusdem interest, qualis eligatur; neque illa patietur, sibi obtrudi hominem, quem vel non novit verum Pastorem esse, vel novit lupum esse; sed eliget ipsa recto ordine eum, quem idoneum & parem curandæ saluti suæ judicaverit. Vetas autem Pastorem ecclesiæ subjici, non eo scilicet ingenio, zelo, modestia prædictus, qua S. Paulus erat scribens 1. Cor. IX. 19. *Liber* cùm sim ex omnibus *πᾶσιν ἐμαυτὸν ἐδούλωσα, omnibus memet ipsum in servitutem tradidi, ut plures lucrifaciam.* Non enim vobis cordi est servire, sed dominari: non lucrari animas, sed eas negotiari: Nam *curia Romana non quærit ovem sine lana.* Christus porro in terra agens Apostolos omnes vocavit, ceu dominus. Idem in Cœlum profectus dat Pastores & doctores, mediante non uno quopiam (nemini enim uni privilegium ejusmodi promisit) sed mediante Ecclesia, cui claves Regni Cœlorum promisit.

ARG. IV. Apostoli Ministros Ecclesiæ elegerunt per suffragia ipsius Ecclesiæ, Act. I. 23. VI. 6. XIV. 23. Ergo hodiéque ita eligi debent.

RESP. REDING: *Ecclesia quidem unà cum Apostolis* Act. I. 23. *Matthiam & Barsabam elegit. Sed ex concessione Petri, non ex necessitate. agnoscente Chrysostomo in h. l. ubi ait ille, licuisse Petro eligere, sed noluisse eum, ne cui velle gratificari videretur. 2. Multitudo quidem credentium Stephanum elegisse Act. VI. 6. dicitur, sed concedentibus Apostolis. Neque Stephanus Pastor fuit. 3. Act. XIV. 23. non populus, sed Paulus & Barnabas Presbyteros constituerunt.* Ibid. pag. 268. Resp. 1. Si Petrus id concessit, cur non etiam concedit Papa? Sed falsum est, ex Petri speciali concessione id factum. Contrarium S. Petri concionantis & scopus & consequens docet. Scopus erat, alium in locum Judæ proditoris ex discipulorum numero eligendum esse. quam rem ad cœtum universum refert, ut communibus suffragiis tales personæ sistantur, quæ cum Christo in terris agente & docente individuam societatem habuerint. Consequens est, quòd tales communibus

Ecclesiæ

Ecclesiæ suffragiis electos coram Deo statuunt, & precibus præviis sortes eorum projiciunt, postea sorte ductum Apostolorum collegio annumerant. Nulla hic peculiaris concessionis Petri, vel Papalis indulgentiæ mentio est. Neque concessionis talis Chrysostomus meminit; sed hoc unum *homil.3. in Act.* monet, Petrum pari cum Collegis *potestate elegendi* auctum, ea præ aliis uti noluisse, ne arrepta ex occasione primi suffragii prærogativa, communi fraternitatis libertati in gratiam cujusquam præscriberet. Qua ergo fronte nunc Petri hæreditatem jactare audent, qui ab eo cùm *fidei traduce, & doctrinæ seminibus*, Apostolicorum morum consanguinitatem mutuari dedignantur? Pudeat eos sic transferre terminos patrum, aut alterius Ecclesiæ quàm Apostolicæ consuetudinem servandam esse existimare. Quærit in præcedentibus Chrysostomus: *Cur non solus à Christo postulavit., ut ipsi daret aliquem substituendum in locum Judæ?* Non ergo jam habuit tale jus. *Deinde cur non*, inquit, *potiùs per se ipsos perficiunt* (non de solo Petro, sed de Apostolis loquitur; nedum de concessione Petri) *electionem? Jam Petrus factus erat se ipso melior.* id est, non ampliùs, ut ante, *τὰ πρωτεῖα* spirabat. Et paulò post: *Ὅρα τὸν αὐτὸν (πέτρον) μετὰ κοινῆς πάντα ποιοῦντα γνώμης, οὐδὲν αὐθεντικῶς, οὐδ' ἀρχικῶς. Considera eum omnia agentem ex communi sententia, nihil authoritate sua & cum imperio* Addit, S. Petrum negotium illud cum aliis communicare, *ἵνα μὴ περιμάχητον τοῦτο πρᾶγμα γένηται· ne res hæc in pugnam vel contentionem verteretur.* Concludit denique: *Multitudini permittit judicium, simul eos, qui eligebantur, reddens reverendos; & se ipsum liberans ab invidia atque simultate, quæ poterat à cæteris oboriri. Nam hæc semper ingentia gignit mala.* Hæc ne, Redingi, ad animum suum revocavit S. Petrus, Apostolus tantus, authoritate tanta præditus, & non revocabunt vestri illi hierarchæ, qui digni non sunt, ut corigiam calceamenti ei solvant, & quorum Episcopatus (sic illi volunt) & tota authoritas nominis à Petro emersit? Deus meliora!

2. Sed & Diaconorum electio Act VI. descripta, idem Ecclesiæ jus confirmat. Ejus enim negotium, Petrus & Apostoli ad universam Ecclesiam referunt; Ecclesia consilium Apostolorum probat, una cum Apostolis & una cum iisdem Seniores. Ecclesiæ nomine electis manus imponunt, quod ex analogia loci 1. Tim. IV. 14. colligimus. Neque peculiari *Apostolorum concessione* elegisse Ecclesiam Lucas memorat. Si ex concessione eorum elegisset, petitio veniæ hujus præcedere debuisset, quæ nulla narratur. Conjungimus cum hoc exemplo Apostolicam regulam 1. Tim. III. 7. *Oportet Episcopum habere bonum testimonium ab illis, qui foris sunt.* Sic Diaconi illi testimonium ab Ecclesia habere debuerunt. Non ergo ex concessione, sed ex necessitate consensus & judicium Ecclesiæ postulatum fuit, nimirum ut constaret de testimonio ejus circa personas ad Diaconatus eligendas. Præterea si concessio hæc juri Divino, uti ambiget nemo, congruens fuit, tutò hodiéque illam sequimur, atque id facimus, quod fecerunt Apostoli, & iisdem jubentibus Ecclesia. Unde etiam Patres ex Lucæ testificatione, & Apostolorum facto jus Christianæ fraternitatis in electionibus perpetuum confirmant. Neque evaseris etiam, in sola Apostolorum concessione hærens. Quod enim plebi Christi concedendum putarunt Apostoli, qua potestate vos, Apostolicam successionem jactantes, freti eidem & denegatis, & denegandum pertinaciter pronuntiatis? Neque obstat, quòd electio illa non fuit Pastorum, sed Diaconorum, quia causæ rationis communes sunt, adeóque ad electionem utrorumque pertinent; & comparatio minoris fortiùs stringit. Si enim in Diaconis quidem eligendis publicum fraternitatis judicium Apostoli neglexerunt quomodo,

quomodo neglecturi & suffragiorum jure spoliaturi Ecclesiam fuerant in deligendis Pastoribus, quorum causa gravior est. Neque adeò extra oleas vagati sunt Patres, qui (sic Chrysostomus *homil.14 in Acta*) ex hoc loco de deligendis quibuscunque sive Pastoribus, sive Diaconis, *multitudini judicium permittendum, promovendos, qui omnibus placeant; sic nunc fieri oportere*, collegerunt. 3. Imò confirmatur id inde, quòd Act. XIV. 23. in Presbyteris eligendis factitatum idem est. Nam Paulus & Barnabas *χειροτονήσαντες per singulas Ecclesias constituisse* dicuntur. Neque verò *χειροτονία* illa solius Pauli & Barnabæ, adeóque electio per proprium suffragium fuit, uti ex Bellarmino tuo pervertere locum conaris. Nam *τὸ χειροτονεῖν* est actus communis & particularis simul, quo unusquisque pro se eligit suffragio suo particulariter, & cum aliis communiter. Qui ergo *χειροτονεῖ*, is & proprio suo, & alienis suffragiis eligit. Si ergo quapiam in Ecclesia S. Paulus v. 9. rogationem fecit, certè post rogationem & ecclesiam eligentem vidit significatione manus, & ipse significatione sua astipulatus est: proin & rogatione & signo *ἐχειροτόνησε*. De aliis idem judicium est. Hæc vocis *χειροτονίας* vis est. Duplex autem usus in *χειροτονίας* fuit. Nam aut rogabantur suffragia simpliciter, aut adhibebatur suasio. Rogatione simplice præcones: oratione suasoria vel dissuasoria oratores utebantur. Qui suasione, non porrigebant manum; qui rogatione, porrigere & suffragari solebant. Præco dicens; *Ὅτῳ δοκεῖ τὸ δὲ, τὴν χεῖρα αἰρέτω· cui sic videtur, manum tollat*; & ipse porrigebat manum, nisi quid impediret, & alios porrigere jussit. Sic ergo hoc loco Apostoli dicuntur *χειροτονήσαντες*, sicut apud Domosthenem *νομοθέται*, seu iis, qui suffragiis præsidebant, *τὸ χειροτονῆσαι, rogare suffragia populi*, tribuebatur. Procedente tempore cùm plebs suffragari desiisset, vox illa *χειροτονίας* per abusum pro Episcopali Presbyterorum creatione, ipsáque *χειροθεσία* usurpata est.

ARG. V. Jus eligendi Pastores Ecclesiæ sacrum faciunt decreta veterum Conciliorum, ac nominatim Niceni in epistola Synodica apud Theodoretum, Carthaginensis III. Can. 27. & IV. Can. 12. Nannetensis, Toletani XII. Can. 6. denique Sardicensis, cujus sanctionem Gratianus Dist. 65. c. *si forte*, inseruit. Quò pertinent Rescripta Pontificum, quæ idem Gratianus Distinctionibus suis diligenter inseruit.

RESP. REDING: 1. *Si quid tale factum, illud omne non ex jure Divino, sed ex conniventia vel concessione Ecclesiæ contigit. Quanquam ex Concilio Niceno liquet, oportuisse Episcopum à populo electum ab Episcopo Alexandrino confirmari. Et in plerisque testimoniis non tam fit mentio electionis, quàm postulationis vel testimonii.* Ibid. pag. 269. Resp. Imò ex jure Divino factum, jam ostendimus. Proin quæ sic Concilia, & veteres Pontifices statuerunt, illa ex jure Divino statuerunt. Si aliud jus Divinum fuit, an potuit Ecclesia concedere aliquid juri Divino repugnans; vel ad illud connivere? Si olim potuit, cur hodie non potest? Cur ejus rei gratia Hildebrandini Papæ Cœlum terræ, & ferro ac flamma omnia miscuerunt? Concilio Niceno frustra fraudem facere conaris. Disertè enim Epistola ejus Synodica, quam Theodoretus *Histor. Eccl. lib. 1. 9.* recitat, sic illud definivit: *Si quis forte Ecclesiæ Præsul obdormierit, jus esto paulò ante receptis succedere in locum demortui*, εἰ ἄξιοι φαίνοιντο, καὶ ὁ λαὸς αἱροῖτο, συνεπιψηφίζοντος αὐτοῖς, καὶ ἐπισφραγίζοντος τοῦ τῆς καθολικῆς Ἀλεξανδρείας ἐπισκόπου, *si modò digni inveniantur, & elegerit*

geris populus, insuper una cum ipsis decernente & obsignante Episcopo Catholicæ Ecclesiæ, quæ est Alexandriæ; id est eligente simul populo & clero, & Episcopo ordinante. Nihil ergo fuit Alexandrino Episcopo juris supra alios in actu electionis, sed tantùm ratihabitio & obsignatio suffragiorum communium cum suo accedentium. Neque profectò, quod Bellarminus causatur, consuetudo duntaxat recens cœpta populum ad electionem admittendi, narratur; sed decretum proponitur, ne nisi eligente populo in locum defuncti Episcopi alius succedat; atque illud conforme perpetuæ Apostolicæ & primitivæ Ecclesiæ praxi. uti ex ante dictis constat. Nicæni Concilii decreto consona sunt decreta Conciliorum, Alexandrini, Antiocheni *can.* 16. Sardicensis *can.* 2. *&* 6. Constantinopolitani *Epist. ad Occid.* Carthaginensis II. *can.* 12. & III. *can.* 22. & IV. *cap. I.* 22. Arelatensis II. *can.* 5. Aurelianensis II. *can.* 5. Avernensis *can.* 2. Aurelianensis III. *can.* 3. & V. *can.* 11. Parisiensis III. *cap.* 8. Barcinonensis *can.* 3. Rhemensis *can.* 25. Toletani IV. *can.* 19 Cabilonensis *can.* 10. quorum, ut & aliorum, irrefragabilia testimonia Blondellus *Apol. pro Hieron. pag.* 408--414. retulit. Pontificum Romanorum rescripta eandem in rem luculentissima sunt; veluti Nicolai & Leonis in Decretis *C. in nomine Dist.* 13. Gregorii *lib. II. Epist.* 30. & *IV. Epist.* 15. Gelasii *Dist.* 63. *c. Plebs Diocl.* Stephani *Dist. ead. c. Nosse.* Pelagii *Dist. ead. cap. Literas*; Leonis IV. *Dist. ead. c. Reatina*; aliorum plurium, qui eadem Distinctione citantur, atque inprimis à Blondello *loc. cit. pag.* 391--408. initio facto à Clemente Romano usque ad Honorium II. qui A. 1127. vixit, clarissimè repræsentantur. Et ne de novitia consuetudine loqui rescripta illa, triceris, en verba Leonis *Epist.* 89. sic scribentis: *Expectarentur certè vota civium, testimonia populorum, quæreretur honoratorum arbitrium, electio Clericorum, quæ in Sacerdotum solent ordinationibus ab his, qui nôrunt Patrum regulas, custodiri: ut Sacerdos Ecclesiæ præfuturus non solùm attestatione fidelium, sed etiam eorum, qui foris sunt, testimonio muniatur, neque ullius scandali occasio relinquatur.* Nonne hoc jus Divinum est, quod Apostolus 1. Tim. III. 7. præscripserat. Aliis in locis, quibus id Pontifices reliqui non dixere, supponitur. Neque postulationis duntaxat vel testimonii ab Ecclesia perhibendi mentionem Concilia & Pontifices faciunt. quod ex Nicæni jam allatis verbis, ubi *populus eligere* jubetur, liquet: nec non ex Epistola Concilii II. cujus verba sunt, πάσης ἐπιψηφιζομένης πόλεως, *tota Civitate de eo decernente*, seu suffragante. Leo nominatim, uti vidimus, ponit *vota civium*. Et Gregorius electionem Constantii cujusdam Mediolanensis Episcopi satis legitimam non fore putat, nisi etiam suffragium eorum civium accesserit, qui propter incursiones barbarorum Mediolano Genuam sese receperant: uti *dist.* 63. *c. quanto* repetitur. Sed verò quid postulatio est, mi homo, nisi electio imperfecta, & ab iis perficienda, ad quos suffragia reliqua pertinent? Denique in regno Papæ populo & electio, & postulatio & testimonium denegatur. Aliis ergo in Papatu moribus hodie vivitur: aliis in veteri Ecclesia vivebatur. Nihil hodie prisci moris.

ARG. VI. Idem jus Ecclesiæ vindicant antiqui Patres, Tertullianus, Cyprianus, Origenes, Ambrosius, Chrysostomus, Isidorus.

RESP. REDING: I. *Aliud est electio cum jure institutionis: aliud per modum duntaxat nominationis seu præsentationis. Hoc posterius, non ex jure tamen Divino, sed permissione Ecclesiæ laicis etiam permissum est.* 2. *Quanquam hujusmodi electio ex parte laicorum facta est duntaxat vi testimonii aut postulationis. Ita Tertullianus Apol. c. 39. ait, præesse probatos*

batos quosque seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adeptos. Et Leo Epist. 87. *expectari vota civium, testimonia populorum, arbitrium honoratorum &c. Cyprianus etiam lib.* 1. *epist.* 4. *ita tribuit populo potestatem eligendi dignos, vel recusandi indignos Sacerdotes, quatenus oporteat plebe præsente sub omnium oculis deligi Sacerdotem, & dignum ac idoneum publico judicio & testimonio comprobari.* Ibid. pag. 269. Resp. 1. Nihil veteres de jure nominationis aut præsentationis. Non locuti sunt vestra lingua; neque illam forte intellexissent in eo sensu, quem Hierarchici heri vel nudius tertius invexerunt. Concilia, Pontifices veteres *ἁπλῶς electionem* simpliciter populo tribuunt, neque tribuunt concedente Papa, qui Ecclesia vestra est; sed concedente Christo, Apostolis & eorum praxi. quorum etiam exemplis jus isthoc suffulciunt. Quid Patres à me citati fecerint, statim viderimus. Cœterùm si veteres Pontifices & vetus Ecclesia populo jus *nominationis* & *præsentationis* concesserunt, cur novi Pontifices jure hoc populum spoliarunt, aperto etiam quandoque Marte, neque concesserunt nisi illis, qui bello vel aperta vi superiores sibi eripi passi non sunt, & hodiéque, ringentibus illis, non tam concedente Papa, quàm vi & jure virorum fortium (quanquam Divinum favebat) retinent? Non ergo populus id habuit ex concessione Pontificum; sed Pontifices tandem vel populi dissimulatione & concessione; vel fraudulenta & violenta usurpatione ad se pertraxerunt totum. Sed eamus in rem præsentem. 2. Tertullianus *Apolog. cap.* 39. Ecclesiis sui temporis *probatos quosque seniores honorem istum non pretio, sed testimonio adeptos, præsedisse* scribit. Testimonio videlicet Ecclesiæ ad electionem concurrentis, eidemque consentientis. Sic Origenes, in hæc Mosis Levit. VIII. 4. verba, *Convocavit Moses synagogam* &c. sequentia scribens: *Licet Dominus de constituendo Pontifice præcepisset, & Dominus elegisset, tamen convocatur & Synagoga. Requiritur enim in Ordinando Sacerdote & præsentia populi, ut sciant omnes & certi sint, quia qui præstantior ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium, & hoc adstante populo, ne qua postmodum retractatio cuiquam, ne quis scrupulus resideret. Hoc est autem, quod & Apostolus præcepit in ordinatione Sacerdotis, dicens: Oportet autem illum & testimonium bonum habere ab iis, qui foris sunt.* Restituite hanc Ecclesiæ libertatem, & res, cœteris paribus, salva erit. Cypriani inprimis luculenta verba sunt, quæ *Epist.*60. extant. *Plebs*, sic ille, *obsequens præceptis Dominicis, & Deum metuens à peccatore præposito separare se debet, nec se ad sacrilegi Sacerdotis sacrificia miscere; quando ipsa maximè habeat potestatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi. Quod & ipsum videmus de Divina auctoritate descendere, ut Sacerdos plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur; sicut in Numeris Dominus Moysi præcipit, dicens: Apprehende Aharon fratrem tuum, & Eleazarum filium ejus. & impones eos in montem coram omni Synagoga, & exue stolam ejus, & indua Eleazarum filium ejus, & Aaron appositus moriatur illic. Coram omni Synagoga jubet Deus statui Sacerdotem; id est, instruit & ostendit ordinationes Sacerdotales nonnisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sit ordinatio justa & legitima, quæ omnium suffragio fuerit examinata. Quod postea secundum Divina magisteria observatur in Actis Apostolorum, quando de ordinando in locum Judæ Episcopo Petrus ad plebem loquitur: Surrexit, inquit, Petrus in medio discentium, fuit autem turba in uno. Nec hoc in Episcoporum duntaxat & Sacerdotum, sed & Diaconorum ordinationibus observasse Apostolos animadvertimus,*

madvertimus, de quo & ipso in Actis eorum scriptum est: Et convocaverunt (inquit) illi duodecim totam plebem discipulorum, & dixerunt eis. Quod utique icirco tam diligenter & caute convocata tota plebe gerebatur, ne quis ad altius ministerium, vel ad Sacerdotalem locum indignus obreperet. Ordinari enim nonnunquam indignos non secundum Dei voluntatem, sed secundum humanam præsumptionem; & hoc Deo displicere, quæ non veniant ex legitima & justa ordinatione, Deus ipse manifestat per Osee Prophetam, dicens: Sibimet ipsis constituerunt Regem, & non per me. Propter quod diligenter de traditione Divina & Apostolica observatione observandum est & tenendum, quod apud nos quoque, & fere per Provincias universas tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provinciæ proximi quique conveniant, & Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit. Quod & apud vos factum videmus in Sabini collegæ nostri ordinatione, ut de universæ fraternitatis suffragio, & de Episcoporum, qui in præsentia ejus convenerunt, quique de ea ad vos literas fecerant, judicio Episcopatus ei deferretur, & manus ei in locum Basilidis imponeretur. Cape hæc, Redingi. Si Cypriani sententia statur, *plebs* habet *potestatem eligendi Sacerdotes, vel indignos recusandi;* observandúmque, ut quisquis deligitur, *publico judicio ac testimonio comprobetur, universæ fraternitatis (NB) suffragio Episcopatus deferatur.* Et hoc ipsum ait *descendere de Divina authoritate.* Sed *solis exemplis Scripturarum*, ita Bellarminus occurrit, *id probat. At exempla Scripturarum non faciunt rem esse de jure Divino.* Atqui quod *de Divina authoritate descendit*, quomodo Divini juris non est? Tum Cyprianus exemplum ex Num. XX. depromptum *Divinam authoritatem*, Divinúmque *magisterium* vocat. Quid verò jus facere, idque Divinum potest, si *Divina magisteria* non faciunt? Licet denique exempla vel Divina, vel humana à præceptis differant, ea tamen omnia vim præcepti includunt, quæ ad imitandum proposita sunt, nec nudam legem, sed praxi quodammodo vestitam repræsentant. Unde Chrysostomus *homil.* 14. *in Acta* revocata facti Apostolici, ceu Sacro-sancti exemplaris memoria, continuò exclamat: οὕτω καὶ νῦν γίνεσθαι ἔδει· *Sic & nunc fieri oportebat;* & Cyprianus *diligenter de traditione Divina & Apostolica observatione observandum esse* dixit. Obfirmas adhuc animum, & dicis, Cyprianum nihil tribuere populo circa electiones Sacerdotum, nisi *ut plebe præsente dignus ac idoneus publico testimonio comprobetur.* Idque etiamnum in Ecclesia Catholica fieri Bellarminus jactat; bona verba, vel magis sine mente sonum fundens, uti ex Espencæi, Romanæ praxeos callentissimi verbis *in 1. Tim.3.* liquet. Ibi enim etiam *in pristini ritus qualicunque vestigio, quo in Sacrorum ordinum collatione quæri solet*, sitne præsentium aliquis, qui velit ordinandis contradicere; *populo* (qui nec convocatur, nec ad testimonium ferendum, si sponte coeat, admittitur) *jus ullum suffragii reliquum esse* negat. Sed quomodo insuper ex mente Cypriani populus non aliud habet jus quàm *præsentiæ* & *testimonii* (quod ipsum tamen Roma nunc calcat, cùm disertis ille verbis ei *eligendi & recusandi; publico judicio comprobandi suffragio & judicio examinandi, suffragio Episcopatum deferendi* jus ac potestatem maximam διαῤῥήδην tribuat? Non ergo eos electioni adesse voluit ut arborum truncos, vel bruta animalia & κωφὰ πρόσωπα; testésque meros, quibus fas sit aperire os ad testandum de vita eligendi; non electores vel judices etiam. Neque tam putidum in gravi adeò authore commentum ferendum, *populum habere potestatem eligendi & suffragium ferendi, quia potest dicere, si*

quid noverit boni vel mali de ordinando, & sic testimonio suo efficere, ut non eligatur; quasi verò is *eligendi & suffragium ferendi* potestatem habeat, eaque usus dici possit, qui id tantùm præstat, quod omni *electionis & suffragii jure* destitutus præstare, quandocunque libet, potest. Sic enim etiam illi qui foris sunt, adeóque infideles, qui de ordinando testimonium aliquod perhibere possunt, quorúmque adeò testimonium attendi præcepit Apostolus, eo ipso æquum cum fidelibus jus eligendi habere dici poterunt. quod non immeritò supra Redingius ipse negavit & exagitavit. Quin & infidelium nequissimis, qui mali aliquid de ordinando, testari, adeóque testimonio suo, ne eligatur, efficere poterunt, idem eligendi & suffragandi jus eo ipso competere, dicendum fuerit. In Leonis testimonio supra recitato illudere conatur Redingius, cùm *vota civium* interpretari videtur desideria & postulationes populi. Nam vota in electionibus ea sunt, quæ vulgò voces suffragiorum, sive suffragia appellantur συνεκδοχικῶς, eò quòd illis, quem optamus seu vovemus, suffragamur. Quin & Clero illa, non soli populo tribuuntur; ut *Dist.63. cùm longè*, alibíque passim.

ARG. VII. Exempla Ministrorum ab Ecclesia electorum plurima suppeditat ecclesiastica historia, quæ hic enumerare longum nimis foret. Episcoporum electiones ad Clerum & populum, in quo etiam Magistratus censebatur, semper pertinuisse, fusè ex Constitutionibus Apostolicis, Aniceto, Ignatio, Cypriano, Origene, Athanasio, Concilio Niceno, Patribus & rebus gestis Nicenum Concilium secutis, Conciliorum Canonibus, Pontificibus, eorúmque decretis probat M. Anthonius de Dominis *de Rep. Eccl. lib. III. cap.3.* Sed & David Blondellus polyhistor *de Episcopis & Presbyteris Sect. III. pag.379--545*, luculenter probat, non ante XII. Seculum principes investiturarum per baculum & annulum potestate cedere coactos esse. Posthac Romani Pontifices à commendationibus & precibus ad apertam vim eruperunt, & excluso populo ad se electiones traxerunt, factis sibi expressis reservationibus primùm particularibus, dum aliqua vacaret Ecclesia, deinde generalibus, non quidem publica constitutione, sed per regulas, quas excogitârunt, Cancellariæ, quarum inventio Sixto IV. debetur. Quibus tamen reservationibus obstitit Concilium Basileense, ex quo Ecclesia Gallicana suam sibi formavit Sanctionem pragmaticam, quâ cautum erat, ut electiones Episcoporum in Gallia fierent à Clero & populo. At Leo X. cùm electiones Episcoporum & Abbatum in Gallia ad se trahere non posset, excluso Clero, soli Regi electiones illas concessit. Quòd Episcopi Hispaniæ, Scotiæ, Angliæ, Hungariæ &c. per Reges quondam introire soliti sint, & quòd inthronisationes seu investituræ Episcoporum jure pertineant ad Reges & Principes, sub quorum dominio Episcopatus sunt, ex historiis olim prolixè asseruit Waltramus Naumburgensis Episcopus. De electione verò per suffra-

suffragia plebis luculenter agit Jacobus Pammelius Pontificius in annot. ad Epist. 68. Cypriani. Sed & Michael Rousselius *Histor. Jurisdict. Pontific. lib. II. cap. 5. 6. &c.* ex historiarum monumentis jus nominandi supremis Principibus, Imperatoribus, Regibus Galliarum, Hispaniæ, Angliæ, Scotiæ, Daniæ, Bohemiæ, Hungariæ, Poloniæ, Siciliæ, aliisque competiisse, fusè demonstrat. In ipso Concilio Thomas Passius Valentinus Canonicus fassus est, olim in Episcoporum electione, Presbyterorum ac Diaconorum deputatione præsentes fuisse è populo summos & infimos, & suffragium tulisse, lib. VII. pag. 535. Nihil dicam de Pontificali veteri, quod in hanc rem ita manifestum est, ut Passius suaserit Concilio, ut corrigeret illud & expungi loca, quæ ejusce rei mentionem faciant, sineret. In eo nempe Episcopus ordinator ajt; *Non frustra à Patribus institutum, ut de electione eorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur & populus, quia necesse est, ut faciliùs ei quis obedientiam exhibeat ordinato, cui assensum præbuerit ordinando.*

Resp. Reding: 1. *Ministrorum Ecclesiæ electionem Apostolicis temporibus absque plebis suffragiis, uno alteróque casu per specialem concessionem Apostolorum excepto, factam esse, vel inde constat, quia Episcopi à se creatos ad infideles & remotos populos miserunt. Postea in Ecclesia irrepsit mos, ut populus ad electionem Pastorum adhiberetur pro suffragio testimonii de vita & moribus eligendorum. Sed maturè præcautum est, etiam Conciliorum decretis morem illum abrogantibus, veluti Laodiceni Can. 13. Nicæni II. can. 3. & Concilii IV. Constantinopolitani can. 28. Falsum ergo, non ante Seculum XII. Principes investiturarum per baculum & annulum potestate cedere coactos esse. Etiam Honorius III. in Cap. Messana de electione edicto perpetuo prohibet, ne per laicos cum Canonicis Pontificis electio præsumatur. 2. Neque obstant vel Concilium Basileense, quod legitimum non fuit: vel Pragmaticæ sanctiones. quibus Pontifices ex altiori quadam ratione ob temporum injurias per conniventiam cedendum quandoque duxerunt, non tamen sic, ut Principes investire, sed tantùm ut nominare, præsentare, & in temporalibus inthronizare possent. 3. Hodiéque, juxta Pontificale vetus, ordinantur Episcopi & Presbyteri coram populo, Episcopúsque ordines collaturus alloquitur populum per Diaconum, petens, ut si quis est, qui aliquid habeat contra ordinandos, accedat & dicat.* Ibid. pag. 269. 270. Resp. 1. Putida hæc esse mendacia, ex iis, quæ hactenus diximus, penitus constat. Ratio ab iis, quos miserunt Apostoli, petita non minùs ficulnea est, quia Ecclesiam plantandam cum plantata imperitè confundit. Miserunt illi ad Ecclesiam plantandam, in qua nondum erat populus fidelis, sed præconio Evangelico demum fieri debuit. Quomodo ibi suffragarentur pii plebeii, qui nondum erant? Alia ratio plantatæ est, in qua ad vocationem Pastorum concurrisse Ecclesiam, & in ea fidelem populum, jam satis convicimus. De Conciliorum à te objectorum sententia infra *ad Obj. V.* jam respondimus, & responsiones nostras ibidem vindicavimus. Caput *Messana* non Honorii III. est (uti à cœco duce Bellarmino te cœcum duci passus es) sed Gregorii IX. Nam Honorii III. capitula præcesserunt quatuor. Sed *C. cùm Magistratum* & sequentia sunt Gregorii IX. uti nominatim inscriptio ostendit. quam in decretalibus extantem anagnostes Bellarmini, canis

 festinans,

festinans, prætercurrit. Gregorius autem ille Seculi XIII. Papa (Honorii prædecessor) *Decret. Greg. lib. I. tit. 6. cap. 56. Messana* sic loquitur : *Edicto perpetuo prohibemus, ne per laicos cum Canonicis Pontificia electio præsumatur. Quæ si forte præsumpta fuerit, nullam obtineat firmitatem. non obstante contraria consuetudine, quæ dici potiùs debet corruptela.* En novellam Papæ Seculi XIII. constitutionem, & confessionem apertam contrariæ consuetudinis hactenus receptæ! 2. Quàm legitimum fuerit Basileense Concilium, non attendimus. Nam nec nos tanti facimus. Fuit tamen authoritate Papæ Eugenii indictum, & præside Juliano Cardinali continuatum eo usque, donec Papa ipse ad reddendam villicationis suæ rationem vocatus est. Tum enim præside Cardinale Arelatensi à magno Episcoporum numero decreta Pontificiam ambitionem & avaritiam convellentia cusa sunt, quæ Papæ exitium machinabantur. Hæc improbationis causa. Concilii ergo hujus Sessione 31. *Reservationes particulares quæcunque in posterum annullantur.* Pragmaticis sanctionibus Papa ἀκοντι ἑκοντίγε θυμῷ cessit equidem, quia ad succutiendas eas Papalia fulmina nil valebant; neque tamen quievit, donec illæ abrogarentur, & cum *concordatis*, Rege & Papa in fraudem populi conspirantibus, commutarentur. Quanquam etiam Leo X. Concordatorum faber pati debuit, ut Reservationes omnes generales, tribus exceptis, juxta Basileensis Concilii decretum & Pragmaticæ sanctionis tenorem, per eadem concordata abolerentur. Unde regulæ Cancellariæ quoad Reservationes illas in Gallià non obtinent; & Rex sibi Episcoporum electiones sub *nominationum & præsentationum*, quæ ipsæ tamen veræ electiones sunt, prætextu sartas tectas retinet. Si electio cleri ad solum Papam Divino jure spectat, nunquam ille suo juri ex quacunque *altiori ratione*, uti Redingius loquitur, cedere debuisset; & si vis ei adhibita fuisset, factum tolerandum, at jus ipsum integrum mordicus retinendum fuerat. Cur verò, quod Galliarum Regibus concessit, non æquè reliquis Principibus, quos sibi Roma obnoxios & veluti captivos habet, indulsit? Una enim eadémque Ecclesiarum omnium ratio esse debuit. Scilicet illi vel juris sui ignari, vel segniores, vel potentiam Papæ reformidantes non resistunt, neque jus suum adversus injustos prædones & occupatores tuentur, vel tueri possunt. Non ergo jure, sed violentia hic agitur. Unde Duarenus *de Sacr. min. Eccl. & Ben. lib. V.* 10. fatetur, *Papam jure occupationis beneficia largiri.* 3. Non sine ratione Pontificale Romanum, mutato jam usu, & populo ab electione exclusо corrigi in Concilio Tridentino Theologus non nemo vestras petiit. Nam Deo & hominibus illuditis, cùm populo ab electione remoto, eadem verba, olim usu recepta, eundémque ritum retinetis. Episcopo ordines collaturo per Diaconum populum alloquentes, *ut, si quis est, qui aliquid habeat adversus ordinandos, accedat & dicat.* Hæc scilicet declamantur, cùm jam certa & deliberata omnia sunt, non, ut audiantur præsentes querimoniæ, (nam populus nec convocatur, nec ad testimonium dicendum, si forte cojerit, admittitur) sed ut futuræ, si forte oboriri possent, obstruantur. de quo Espencæi querelam, supra recitavimus. Declamante isthæc Diacono, stat in angulo tenebrio, qui eidem statim acclamat : *Dignus est, doctus est.* Quis ludibrium hoc agnoscere velit pro populi Christiani testimonio? Similem illusionem alicubi Erasmus recenset. Ordinandi omnes examinantur ab Episcopo, vel conducto Examinatore alio, Examine finito progreditur Examinator ad altare, & conceptis ibi verbis jurat, se reperisse omnes illos initiandos Sacerdotio dignos, ætate, moribus & scientia idoneos, cùm plerique sint indoctissimi, moribus corruptissimi, & sæpe etiam ætate immatura, eodem teste.

O a-

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Quomodo electus est Aharon, ita & Ministri ecclesiæ N. T. eligi debent, Hebr. V. 4. At Aharon à Mose electus est sine ullo vel consilio vel consensu populi. Ergo.* Resp. 1. Scopus Apostoli est, neminem nisi vocatum publico aliquo in ecclesia munere defungi debere. Id exemplo Aharonis probat. At eundem esse debere vocationis & electionis utrorumque modum, non asserit. Nempe Aharon immediatè à Deo vocatus est. Moses enim non vocavit eum, sed vocationis Divinæ interpres & internuntius duntaxat fuit. At ecclesiæ N. T. Ministri mediatè vocantur. 2. Ne quidem Aharonis successores eo modo, quo Aharon, vocati sunt, utpote qui carnali successione propagabantur. Cur igitur Ministri ecclesiæ N. T. eo modo, quo Aharon, vocari deberent? 3. Agit ibi Paulus de Sacerdotio Christi, ad quod divinitus vocatum eum ait, sicut & Aharon ad Leviticum divinitus vocatus est. At ne Christus quidem eo modo, quo Aharon, vocatus fuit, quia sine interprete & internuntio. Particula igitur καθάπερ *sicut* non omnimodam æqualitatem, sed similitudinem quandam notat. 4. Præterea si valet comparatio, Pontifex igitur non Aharonis, sed etiam Mosis successor fuerit. 5. Denique Moses non summus Sacerdos, sed Princeps populi fuit. Proinde eodem argumento ad Magistratum potiùs politicum vocatio restringi deberet.

EXCIP. REDING: 1. *Moses non Princeps duntaxat populi Israelitici, sed etiam Sacerdos ac Pontifex fuit. Consecravit enim Sacerdotes, & ipsum Pontificem Aharonem ac filios ejus 2. Ut mediata successio consistat, oportet eam mediante saltem successione traduci ad illum, qui eam immediatè à Christo obtinuit, qui Petrus est. Quomodo etiam Aharonis, & posterorum successio traducta est ad Mosen, qui à Deo jussus Aharonem consecravit sine consilio populi.* Ibid. pag. 270. Resp. Frigidè nimis respondes, præcipuis omissis. 1. Ergóne duo fuerunt Pontifices, summi Sacerdotes, Moses & Aharon? Quis duos summos dixit? Quæ Scriptura testis? Fuitne porro Mosis ille Pontificatus idem cum Pontificatu Aharonis, an ab eo diversus? Si idem, eadem ergo munera obivit, quæ Aharon. quod falsissimum. Solus enim Aharon in Sanctum Sanctorum intravit. Si diversus ab eo, ubi ergo diversa Pontificatus Mosaici munera distinguuntur? Profectò nil nisi nugivendulus es. Consecravit Moses Aharonem extra ordinem, non sponte, sed jussu Dei, non ut Pontifex, sed ut servus Dei in domo ejus, quævis Dei imperata obsequenter faciens. 2. Deus Pater misit Christum; sicut olim Aharonem Deus immediatè elegit & vocavit. Christus in terra vocavit Apostolos & discipulos reliquos: in Cœlum sublatus dedit Pastores & doctores, atque hodiéque dat, mediante non solo Petro, nòn solis Apostolis, sed Ecclesia, cujus pars populus est; uti supra probavimus; cùm Aharoni successerint posteri lege generationis carnalis. Qui ergo mediante Ecclesia Pastores eliguntur, eorum successio ad Christum ipsum immediatè à Deo missum traducitur. Aharonem Deus elegit, inquis, *sine consilio populi.* Sed elegit etiam sine consilio Mosis. Elegit solus, mediante

nullo.

nullo. Sic neque clerus potestate eligendi pollebit. Et *licet*, sic Origenem *in Levit. homil. 6.* scribentem supra etiam induximus, *Dominus de constituendo Pontifice præcepisset, & Dominus elegisset, tamen convocatur etiam Synagoga. Requiritur enim in ordinando Sacerdote etiam præsentia populi, ut sciant omnes, & certi sint, quia qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium; & adstante populo, ne qua postmodum retractatio cuiquam, ne quis scrupulus resideret. Hoc est autem, quod & Apostolus præcepit in ordinatione Sacerdotis dicens: Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt.* Si ubi, Deo ipso principem constituente, eligente, nulla quorumcunque hominum electio intervenit, æquo cum Mose jure Israeliticam multitudinem consistere necesse fuit, ut cum eo (quod unum reliquum erat) de electo testimonium ferret; quantò magis, ubi electionis potestas hominibus permissa est; necessarium in perpetuum fuerit, ut æquo plebs Christiana cum Clero jure consistat, unáque & *consultet*, & *testimonium ferat*, & *eligat*, & pro modulo suo ordinandum *constituat*? Atqui, juxta Origenem, ex Domini ipsius instituto verum prius. Ergo & posterius.

OBIECT. II. *Christus Joh. XX. 21. Apostolos misit, sicut & ipse à Patre missus erat, adeóque voluit, ut eadem, qua ipse, ratione & potestate Ecclesiam gubernarent. Atqui Christus Apostolos & Discipulos sine ullo consensu vel suffragio multitudinis misit. Ergo.* Resp. 1. Christus immediatè à Deo Patre, Apostoli immediatè à Christo missi sunt. Si igitur idem missionis modus præceptus esset, Apostoli immediatam suorum in docendi officio Successorum vocationem, & hodiéque talem nos quoque expectare deberemus. 2. Proinde particula *καθὼς Sicut* non illimitatè accipienda, nec extendenda est ad omnimodam potestatis paritatem, sed ad Divinam muneris authoritatem, promissionem de successu in ministerio & defensione in periculis, aliáque, de quibus vide pag. 332.

EXCIP. REDING: *Saltem inde constat, Divinam muneris authoritatem Apostolis per verba ea collatam ejus esse efficaciæ, ut se ipsam pro perpetuo Ecclesiæ statu propagare possit. Illa porro propagatio non ab aliis Divino jure fieri potest, quàm vel ab Apostolis immediatè tunc vocatis, vel ab iis, qui horum successores per mediatam vel immediatam vocationem constituti, parem vocandi alios potestatem sortiti sunt. Cùm ergo Christus miserit sine multitudinis consensu vel suffragio, par potestas fuit etiam Apostolorum & successorum eorum.* Ibid. pag. 271. Resp. Missi à Christo Apostoli potestatem acceperunt vocandi alios; sed non eodem ordine, eodem potestatis gradu, quo Christus Apostolos misit. Rectè Nicetas Choniates *scholiis in Orat. 42. Nazianz.* verba Christi sic explicat: *Alio loco ait Scriptura: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, Atqui non est eadem missionis ratio. Ille enim ut lumen à Sole; sic à Patre missus est, unam atque eandem cum eo habens substantiam. At discipuli ut servi à Domino missi sunt.* Ex quibus verbis Maldonatus Jesuita celebris *ad h.l.* interpretationem suam hausit, his verbis: *In Christi verbis dictio. Sicut non æqualitatem, sed proportionem significat. Christus enim à patre tanquam par à pari; Apostoli à Christo tanquam homines à Deo missi sunt. Vicarios ille constituit suos. In hac denique ipsa similitudine potestatis ea dissimilitudo est, quæ inter principem & legatum,*

Dominum & servum, proprium magistratum & vicarium esse solet. Cùm ergo Christus in electione Apostolorum absolutam suam, ut supremus Ecclesiæ dominus, potestatem exeruerit, & Apostolos ab omni dominatu, multóque magis à Divinæ, quo ad Sacrum opus admoti sunt, potestatis usurpatione arcuerit, *Magistri imitatores* (uti Prosper *Sent. III. ex* Augustino *in Psal.* 90. loquitur) non in faciendis, quæ nemo exigit, *miraculis*, aut summi in fideles imperii affectatione, *sed in custodienda humilitate atque patientia, ad quæ nos omnes Dominus suo exemplo invitavit, esse debuerunt.* Non ergo Ecclesiæ & vocationis statum propagaturi, eodem modo vel illi, vel eorum successores eligere Ministros Ecclesiæ potuerunt, quo Christus; sed modo servos decente. Neque ipsa Apostolorum, quos nihil momenti alicujus sine fraternitate unquam aggressos legimus, praxis adeò nos destituit, ut nobis, qua Ecclesiam potestate ac ratione à Magistro gubernandum susceperint, qua eos intentione ad Apostolatum idem vocaverit, ignorare liceat. Sicut quoad à Domino acceperunt, nobis tradiderunt: ita quod opere præstiterunt, id ex Magistri ipsius præscripto & præiverunt, & ex officio præstandum esse putarunt. Atqui id opere præstiterunt, ut nec Coapostolos Act. I. 23. nec Diaconos, ib. cap. VI. 2. nec Presbyteros ib. cap. XIV. 23. coram Domino designandos & eligendos, nisi vocata in consilii partem fraternitate, statuerent. Sed præterea tua collectio ab exemplo Christi Apostolos sine suffragio multitudinis mittentis, ad Apostolorum eorúmque successorum jus eligendi sine suffragio multitudinis, planè inconsequens est, tum ob disparem, tum ob extraordinariam rationem. *Dispar* est, quia Christo Apostolos mittente nulla multitudo in unum corpus collecta fuit, quæ ad electionem servorum Dei certò adhiberi posset. Nunc verò ubique est multitudo credentium. *Extraordinaria* fuit, quia Christo Apostolos mittente principia Ecclesiæ Dei ponebantur. Alia autem sunt tempora Ecclesiæ nascentis in generatione ipsius, quod est extraordinarium; nec nisi per reductionem, uti vocant, in ordine censeri potest: alia natæ & in statu suo ordinario constitutæ.

OBJECT. III. *Episcopi & Ecclesiæ Ministri Divino Jure sunt Pastores, populus verò oves, Joh. XXI. 15. Act. XX. 28. Atqui ovibus non convenit, ut eligant Pastores. Alias oves pastores essent, quia electio Pastorum ad ipsam gubernationem & pasturam pertinet.* Resp. 1. Adversarii fatentur, & Apostolos & Pontifices nonnullos populo gratiam fecisse eligendi pastores. An igitur contra Divinum jus quidquam indulserunt, vel oves in Pastores transmutârunt? 2. Populus Christianus comparatur ovibus in hoc videlicet tertio, quòd vocem Ἀρχιποιμένος audire, mercenarios fugere, pastorem ad fœcunda pascua sequi debeat. Neque propriè sunt oves hominum, sed solius Christi, ut ipsemet Joh. XXI. 15. 16. innuit. 3. Alia igitur etiam ratio est ovium brutarum & propriè talium, alia rationalium, & metaphoricè talium. Illis non convenit electio pastorum, quia discretionis judicium non habent, at his convenit, quia jubentur Joh. X. 3. 4. &c. discernere veros Pastores à falsis, & illos sequi, hos fugere. 4. Etiam in civili politia subditi oves dicuntur. Nihil tamen obstat, quò minùs populus sibi subinde Reges, Magistratus eligat.

 IX.

EXCIP. REDINO: 1. *Christus Joh.X.3. pronuntiat, oves veri Pastoris audire vocem & alienum fugere. Et v.12. bonum Pastorem à mercenario distinguit, quòd lupo irruente hic, non ille fugiat. Ovis ergo est periculum perversionis alienum Pastorem fugiendo declinare: Pastoris autem vi & authoritate eundem pellere. Non ergo penes oves, sed penes Pastores est authoritas, quæ propria est clavium Regni Cœlorum. Et oves alienum Pastorem fugiendo, ad Ecclesiam se conferre, ejúsque authoritatem implorare debent.* 2. *Licet ergo fideles Christi oves sint, Pastores tamen à Christo instituti, quibus potestas clavium tradita est, easdem pascere debent: & potestas illa pascendi ab iis derivatur, qui claves habent.* 3. *Neque cum jure Divino pugnat, ut Oecumenicus Pastor aliis facultatem nominandi & præsentandi indulgeat; sed, ut eo non indulgente, alii authoritatem eam sibi arrogent.* Ibid. pag. 271. Resp. Ludis & illudis, non respondes ad mea. Etenim 1. hic non de Pastore vocato, quem vel sequendum vel fugiendum more vestro doces, sed vocando agimus, contendimúsque, à tota Ecclesia, cui datæ sunt claves Regni Cœlorum, juxta Apostolicam praxin & veteris Ecclesiæ usum vocandum esse. Eadem ratio sana, quæ docet, brutis ovibus nullo modo competere, ut pascant & gubernent, suadet, rationalibus id aliquo modo competere, tum quia communis est Pastorum ministrantium & ovium sub summo Pastore Christo conditio, cùm ejusdem speciei, eorundem beneficiorum sint participes, ejusdem hæreditatis consortes; & qui ob ministerium curámque fratrum *Pastores* dicuntur, revera oves selectæ, instrumenta & membra veri ac unici Pastoris, eximia, adeóque non Pastores absolutè sint: tum quia fideles in partem communem authoritatis hujus, veluti corporis communis membra, secundum conditionem ipsorum, advocantur: tum quia oves rationales pastorem à mercenario dignoscere & sequi, hunc aversari, se nonnunquam per semet ipsos regere; imò etiam de rectoribus & pascentibus sub Christo conservis judicium ferre, nec simpliciter ab Ecclesia pendere tenentur. Ita olim relegato Meletio, ὁ ποιμὴν (sic Chrysostomus *de S. Meletio* scribit.) ἀπηλαύνετο, καὶ τὰ πρόβατα οὐκ ἐσκορπίζοντο, ὁ κυβερνήτης ἐξεβάλλετο, καὶ τὸ σκάφος οὐκ ἐβαπτίζετο, *Pastor* (Antiochia) *abigebatur, nec dispergebantur oves: gubernator expellebatur, nec mergebatur scapha.* Et in Thraciam concedere jusso Eusebio, Λύκον (sic Theodoretus Histor Eccl. lib. IV. 13.) αὐτοῖς ἀντ' ἐκείνου προβάλλοντα, περιφανῆ λύκον καὶ τῶν προβάτων ἐπίβουλον, ἀλλὰ καὶ ποιμένος ἔρημα ὄντα τὰ πρόβατα τὰ ποιμνίων ἠργάζοντο. *Lucium ejus loco promoverunt Ariani, lupum manifestarium, oviúmque insidiatorem. Ipsæ tamen Pastore destitutæ oves, quæ Pastorum erant, peragebant.* Et Constantinopolitanam plebem his adversus Nestorii deliria hortationibus Cœlestinus Papa *Epist.* 5. armavit: *Vobis diligentiùs vigilandum est, ut inimici prædicationibus resistatis. Major enim vobis solicitudo est, cùm intra Ecclesiam vobis Ecclesiæ adversa dicuntur.* 2. Quis verò fideles à Pastoribus pascendos negat? Sed ut pascere legitimè possint, vocandi priùs sunt; & vocandi ab iis, qui potestatem clavium habent, hoc est, Ecclesia, secundum conditionem partium ejus. 3. Qui contra jus Divinum aliquid indulget, is in causa Dei prævaricator, non Oecumenicus Pastor est; æquè ac is, qui sibi aliquid juri Divino contrarium arrogat. Qui verò non indulgente Papa id agit, quod juri Divino consentaneum est, is ordine facit, neque reprehensionem ullam meretur.

OBIECT. IV. *Apostoli Episcopos miserunt ad populos infideles & absentes. Non potuerunt igitur eos consilio & suffragiis illorum eligere.* Resp. 1. Alia ratio est ecclesiæ plantandæ, alia plantatæ. Non idem in illa, quod in hac obtineri potest.

potest. 2. Evangelistarum quoque munus extraordinarium & temporale fuit, at Pastorum ordinarium est. Tempore Apostolorum Sacerdotes gentilium idololatræ, Magistratus impius fuit, & populus in tenebris ambulavit, qui proinde veros sibi Pastores, verbi Divini Pharo destituti, deligere haud potuerunt. 3. In ecclesia verò constituta & plantata Apostoli suffragia populi minimè omiserunt. 4. Quin & infideles, ad quos Apostoli & Evangelistæ venerunt, ad audiendos illos coacti haud sunt, ac proinde voluntario consensu eos vel receperunt, vel repulerunt, non instantibus illis ulteriùs, Matth. X. 10.23.

EXCIP. REDINO: 1. *Pastorum Ecclesiæ constitutio, te fatente, pendet ab authoritate clavium. Cùm ergo Apostoli Episcopos miserint ad populos infideles absque illorum suffragio, clavium authoritas ab eo utique non pendebat. Et quæ in prima origine à suffragio tali non pendebat authoritas, ab eodem etiam progressu temporis suspendi non potuit. 2. Turpi æquivocatione consensum & dissensum authoritativum, qualis in electione requiritur, cum voluntario consensu & repulsa infidelium, quæ iniquissimæ obstinationis erat, confundis.* Ibid. pag. 271.272. Resp. 1. Quid ratiocinatione tua insulsius? Quî enim ad suffragia admitti poterant Ecclesiæ adhuc hostes, quibus Christus vel scandalum, vel stultitia fuit; quæque adcò nullam clavium Ecclesiæ traditarum potestatem habuerunt? An quia tales Sacramentorum participes esse non poterant, fideles ex populo, & ipsi illi conversi ad Christum, æquè participes esse non poterant? Sic infideles adhuc Pastores sibi eligere nec voluerunt nec potuerunt: at conversi & fideles quique suas in potestate clavium partes obtinentes, & possunt suo ordine & volunt, & debent. Non igitur ab horum suffragio independens est Pastorum ordinariorum potestas. Præterea neque exemplum, neque præceptum ullum est, ex quo cognosci possit, Apostolos misisse ad infideles populos Evangelistas sine cognitione, consilio & suffragio Presbyterii & Ecclesiæ ejus, in qua ipsi ordinati erant; quò sic tum mittentibus, tum iis, ad quos mittebatur, certò constaret, eum hominem bono testimonio à domesticis ornatum esse, quem bonum testimonium habere etiam ab exteris oportebat; atque ita apud omnes probatum esse, ut ubique ἀνέγκλητος sive inculpatus haberetur. Hoc jus charitatis, hoc communio Sanctorum, quæ pro aliis etiam Ecclesiis, & conversione infidelium solicitudinem injungit; quæque mutuæ ædificationi intenta, exemplo Christi non sua duntaxat, sed etiam τὰ ἑτέρων *ea quæ aliorum sunt*, spectat, Phil. II.4. exigit. Neque de hac Apostolorum ἐπιεικείᾳ dubitare vel tantillum licet. Cùm enim nullum uspiam usurpatæ ab illis absolutæ in Ecclesiæ regimine potestatis vestigium extet: nunquam, quod sciamus, participatorum cum fraternitate consiliorum eos puduerit: Matthiam, comparem pòst futurum, coram Domino sine fraternitate sistere noluerint: Diaconos septem à cœtu primùm electos ordinaverint: Timotheum fratrum Lystrensium & Iconiensium testimonio priùs commendatum in consortium Paulus Act. XVI. 2.3. admiserit: Episcopum testimonio etiam extraneorum destitutum, Diaconúmque ullum non exploratum priùs constitui, idem 1. Tim. III. 7. 10. vetuerit quoscunque ipse cœterísque Apostoli ad sacrum munus vocaverunt, universæ Ecclesiæ exquisito priùs consensu, Clemente *Epist. c. 7.* teste, cooptaverint; hanc sanctam συγκατάβασιν in sola missione Ministrorum ad infi-

deles à selectis illis Divini Spiritus organis omissam vel violatam putabimus? Saltem qui ita putat, idonea ratione id comprobare tenetur. Atque ubi comprobaverit, ita factum ordinaria, & non Apostolica atque extraordinaria, non imitanda auctoritate, fidem alterius faciat oportet. 2. Æquivocationem fingis, quæ in argumento meo nulla est. Neque enim consensum vel dissensum cum authoritate & potestate eligendi conjunctum intellexi vel intelligere potui; sed simpliciter voluntarium. Ex quo id saltem colligi potest, populo nolenti & dissentienti Pastorem obtrudi nec posse, nec debere; & nonnisi volenti & consentienti dari posse. Quanquam in Ecclesia consensum & dissensum illum cum authoritate eligendi conjunctum esse, aliis argumentis constat.

OBIECT. V. *Extant Conciliorum veterum Decreta, quæ populo & turbæ interdicunt electione Pastorum, veluti Laodicensis Can. 13. Martini Papæ apud Bracarensem Cap. 2. Niceni II. Can. 3. Constantinopolitani IV. Can. 28.* Resp. 1. Conciliorum decreta Scripturæ non consentanea authoritatem nullam habent. 2. Ut clavum clavo trudamus, objectis Conciliorum decretis opponimus Concilia superiùs memorata, ac imprimis ea, quæ Blondellus loco superiùs citato fusè adducit. 3. Canones illi consensum populi ab electione Pastorum simpliciter non excludunt, sed hoc tantùm cavent, ne vel populus jure suo abutatur; vel sibi soli excluso Presbyterio potestatem eligendi rapiat; vel modum agendi Presbyterio insolenter præscribat; vel turbulenter & confusè in Sancto hoc negotio procedat. Quem in finem sancitum etiam Canonibus est, ut primores Ecclesiæ viri honesti & prudentes reliquorum nomine negotium hoc maturè expediant.

EXCIP. REDINGI: 1. *Decretis illis Conciliorum non aliud opponere potes quàm ementitam cum verbo Dei aliisque Conciliis pugnam. 2. Quomodo penes populum jure Divino erit electio Ministrorum; si canonibus sancitum est, ut primores Ecclesiæ reliquorum, facultati sibi Divinitus, uti pertendis, collatæ non renuntiantium nomine id negotium expediant?* Ibid. pag. 272. Resp. 1. Conciliis illis me verbum Dei & Concilia alia, vel eorundem cum his pugnam ementitam opposuisse, strenuè mentiris ipse. Priores enim duæ responsiones meæ accommodatæ sunt vestræ de Conciliis iis sententiæ; quam falsissimam esse, tertia responsione docui, qua verum Conciliorum objectorum sensum nostræ hypothesi haud quaquam repugnantem, verissimè atque ita solidè exposui, ut nihil reponere potueris; vel ausus fueris. Sic soles cavillatione eludere, quæ recto Marte oppugnare non audes. Sed age, convincam te Conciliorum ipsorum verbis, ut malam causam tuam conspectiorem reddam omnibus. Laodiceni ergo Concilii Canon XIII. sic sonat: περὶ τοῦ μὴ τοῖς ὄχλοις τὰς ἐκλογὰς ποιεῖσθαι τῶν μελλόντων καθίστασθαι εἰς ἱερατεῖον. *De eo, quòd turbis non permittatur, ut electiones in sacrario constituendorum faciant.* Mitto varias Canonis versiones. Sensus simplex est, plebi non licere eligere Pastores absque clero; quia ei non licet per se soli, sine Clero & Præsulum Provincialium Synodo, collata Divinitus suffragiorum potestate uti, vel turbulentis motibus si non Synodum pervertere, at judicio ejus pervicaci contumacia obsistere. quod passim eo tempore obtigisse, ex historia liquet. Non ergo absolutè, sed secundum quid vetuit populares electiones. Tum enim τοῖς ὄχλοις ἐπιτρέπεται τὰς ἐκλογὰς ποιεῖσθαι *permissum est turbis electiones* facere, cùm

ejus

ejus poteſtati & arbitrio abſolutè electiones permittuntur, ut quomodocunque voluerit, agat. Id verò non licere, jure Synodus Laodicena decrevit. Hine Gregorii Theologi pater Gregorius Nazianzenus ſenior, anno poſt conditum Laodicenum canonem ſexto, in eundem intento è vicina diœceſi digito, Cæſarienſes Euſebio rectore orbatos officii ſui *inter Epiſt. Nazianz.* 22. admonuit, ne κατὰ φρατρίας καὶ συγγενείας τὰ τοιαῦτα κρίνοιτο, ἢ ὀχλώδης χεὶρ παρασύροι τὸ ἀκριβὲς, *per ſodalitia & cognationes talia expendantur, turbulentáque rurſus* (ut in Euſebii Catechumeni electione) *manus quod accuratum eſt, transverſum trahat.* Idem Nazianzeno eſt ὀχλώδης χεὶρ *turbulenta manus*, quod Laodicenis τοῖς ὄχλοις ἐπιτετραμμένη ἐκλογὴ *turbis permiſſa electio*. Neq; qui turbulentam manum deteſtatus eſt, ſuffragii cum Clero ferendi jus ſublatum voluit, aut velle potuit. Quid quòd eadem Synodus Canone 5. περὶ τοῦ μὴ δεῖν τὰς χειροτονίας ἐπὶ παρουσίᾳ τῶν ἀκροωμένων γίνεσθαι, *de eo quòd ordinationes non decet fieri in præſentia audientium* (puta catechumenorum vel pœnitentium) populares electiones, ſecluſis ἀκροωμένοις, haud obſcurè comprobat. Nam exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis. Martini Papæ capitulum (ſi modò fides haberi Martino Bracarenſi, authori non adeò fido & certo, poteſt) ex Laodicenis decimo tertio & duodecimo canonibus compactum eſt. De XIII. jam vidimus. Duodecimi hic contextus eſt: περὶ τοῦ τοὺς ἐπισκόπους κρίσει τῶν μητροπολιτῶν, καὶ τῶν περὶ ξ τῶν ἐπισκόπων καθίστασθαι εἰς τὴν ἐκκλησιαστικὴν ἀρχὴν, ὄντας ἐκ πολλοῦ δεδοκιμασμένους ἔν τε τῷ λόγῳ τῆς πίστεως, καὶ τῇ τοῦ εὐθέος λόγου πολιτείᾳ. *De hoc, quòd Epiſcopi, qui à longo tempore tam in fidei verbo, quàm in rectæ rationis converſatione examinati ſunt, Metropolitanorum, eorúmque, qui circumcirca ſunt, Epiſcoporum judicio conſtituantur.* Hunc canonem ſic Latinè Martinus ille contractum reddidit: *In judicio Epiſcoporum ſit, ut ipſi eum, qui ordinandus eſt, probent, ſi in ſermone & fide & vita ſpirituali probè edoctus ſit.* De δοκιμασίᾳ ergo, ſeu exploratione eligendorum, non electione ipſa loquitur. Nam juxta S. Paulum 1. Tim. III. 10. illa præcedit, hæc ſequitur. Illa Epiſcoporum haud dubiè eſt: hæc & Epiſcoporum & populi. Si verum & germanum eſt Martini illud decretum, dubitari non poteſt, quin propterea ab ipſo & Occidentalibus Epiſcopis conditum ſit, quòd Heraclius Conſtans Imp. gratia populi & ſua auctoritate fretus auderet Epiſcopos deſtituere & inſtituere ex animi ſui ſententia. Hujusmodi autem occaſiones Romani Pontifices venati ſunt diligentiſſimè, ut ſuum in Eccleſiam imperium ſpecioſè confirmarent. Sed Martinum obnitentem tandem Imperator opera Theodori Exarchi comprehenſum exilio mulctavit. Inde autem ab eo tempore, æſtuante factionibus Eccleſia, decreta ultro citróque facta ſunt, Imperatoribus & populo Eccleſiam prementibus, Eccleſiáque viciſſim reluctante, uſque ad Concilium Nicænum II. cujus Canone III. ejusmodi decretum extat: πᾶσαν ψῆφον γινομένην παρὰ τῶν ἀρχόντων, ἐπισκόπου, ἢ πρεσβυτέρου, ἢ διακόνου, ἄκυρον μένειν. *Omnem electionem Epiſcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, quæ fit à Magiſtratibus, irritam manere.* Imbelle autem eſt, uti omnes vident, argumentum: *Intruſorum à Principibus adverſus Canones irrita eſt ordinatio: Ergo à Clero, Rege, honoratis & plebe ſecundum canones perpetuúmque Eccleſiæ morem electorum irrita eſſe debet.* Sed de hoc quicquid ſit, ambarum partium πραξικοπίαν ſublaturi mox Carolus M. & Ludovicus filius ad primitivam electionum formam in capitularibus ſuis omnia revocarunt, ut habetur *Diſt. 63. c. Sacr. Can.* Ajunt enim: *Sacrorum Canonum non ignari, ut Dei nomine Sancta Eccleſia ſuo liberiùs potiatur honore, aſſenſum ordini eccleſiaſtico præbemus, ut ſcilicet Epiſcopi per electionem cleri*

& populi secundum statuta canonum de propria diœcesi (remota personarum & munerum acceptione) ob vitæ meritum & sapientiæ donum eligantur, ut exemplo & verbo sibi subjectis usque quaque prodesse valeant. Hæc Caroli reformatio utrosque, & Clerum & populum, atque in eo Magistratum ad æquabilem & justam priscorum canonum reformationem revocavit. Huic institutioni piæ successit Adriani II. constitutio universalis Concilii octavi, seu Constantinopolitani quarti, specie venditata. Sic autem Concilium illud Canone 28. vulgò legitur: *Sancta & universalis Synodus definit, neminem laicorum Principum vel potentum semet inferre electioni, vel promotioni Patriarchæ vel Metropolitani, aut cujuslibet Episcopi, præsertim cùm nullam in talibus potestatem quemlibet potentium vel cæterorum laicorum habere conveniat, sed potiùs silere atque attendere sibi, usque quó regulariter à Collegio Ecclesiæ suscipiat finem electio Pontificis. Si verò quis laicorum ad concertandum & cooperandum ab Ecclesia invitatur, licet hujusmodi cum reverentia (si forte voluerit) obtemperare se adsciscentibus; taliter enim sibi dignum pastorem regulariter ad Ecclesiæ suæ salutem promoverat. Quisquis autem Secularium principum vel potentum, vel alterius dignitatis laicus adversus communem ac consonantem atque Canonicam electionem Ecclesiastici ordinis agere tentaverit, anathema sit, donec obediat & consentiat, quòd Ecclesia de electione ac ordinatione proprii se velle monstraverit.* Cæterùm neque octava Synodus dici meruit, quæ pro octava venditatur: & qui perperam canon vicesimus octavus dicitur, à Græcis non admittitur, nec in eorum Codicibus comparet; & cujuscunque ille sit, si adversus plebis potestatem aliquid molitus sit, nullibi ratus fuit: denique revera nihil adversus priscum Ecclesiarum usum, & plebis Christianæ potestatem statuit; sed tum ex priorum Conciliorum præscripto *Episcopalis Collegii electione ac decreto promotiones fieri* decernit, juxta Concilii Nicæni Canonem quartum, Laodiceni duodecimum, & Antiocheni decimumnonum, quibus in gratiam Episcoporum cautum est, ut Episcoporum Provincialium Synodus ante omnia cogatur, cujus videlicet ductu viduatæ Ecclesiæ clerus & plebs in suffragia eat: tum *laicos potentes* extra & præter communem eligentium conventum (quem *Ecclesiæ Collegium* Synodus Photii damnatrix vocat) hoc est, aggregatum Episcopis aliunde accitis, Cleri & populi Ecclesiam viduam constituentis cœtum, promotionem sibi arrogare (prout Bardas Cæsar fecerat) vetat; quod sanè nemo nostrum improbat, quandoquidem Christi plebi jus suum constare potest, etsi nulli vel potentissimo extra communem Ecclesiæ conventum, quem placidè adire potest, quicquam moliri liceat: tum *laicis* extra Ecclesiæ Collegium *silere, sibi attendere* & jubet, & quotiescunque *ad concertandum & cooperandum ab Ecclesia invitantur,* æquo cum invitantibus jure *Ecclesiæ Pastorem promovere licere,* promulgat: tum denique quotquot *adversus communem ac consonantem atque canonicam electionem ecclesiastici ordinis* (Bardæ, qui communibus Ecclesiæ Constantinopolitanæ suffragiis electum Ignatium expulerat immerentem, & Photium laicum sine Synodo & legitimo Cleri plebisque conventu surrogaverat, exemplo) *agere tentaverint,* anathemate percutiendos declarat. Unde liquet, canonis illius authores de tollenda plebi suffragiorum potestate ne cogitasse quidem, cùm *electio*, qualem exigunt, *communis ac consonans atque Canonica Ecclesiastici ordinis* sine plebe nunquam fuisse, vel esse potuisse, credita sit. Viden', Redingi, Concilia à vobis objecta populi in eligendis Pastoribus libertati nequicquam officere. 2. Neque electioni populi liberæ obstabat, quòd *primores Ecclesiæ viros honestos & prudentes reliquorum nomine negotium hoc maturè expedire debuisse,* scripsi. Nam eadem Synodus Nicena I. quæ canone IV. id primores viros, Episcopos,

ſcopos Provinciales heic *ἐγχειρίζοντας* eſſe uſſit, in Epiſtola Synodica, uti ſupra oſtendimus, populo liberam *αἵρεσιν electionem* vindicat.

OBJECT. VI. *Olim quidem fideli populo conceſſum fuit, ut unà cum Clero ſibi Paſtorem deligeret, quia videlicet erat moderatus, gravis & publicæ utilitatis ſtudioſiſſimus. At nunc plebs eſt Beſtia multorum capitum, ſeditionibus ſemper intenta. Non igitur idem illi hodiéque indulgeri poteſt.* Reſp. 1. Cùm conceſſio illa non humana, ſed Divina, adeóque reſpectu hominum non precaria, ſed juſta ac debita fuerit, perperam temporum aliquod diſcrimen fingitur. 2. Neque nos cum fanaticis poteſtatem eligendi imperitæ plebi, excluſo Magiſtratu ac Miniſterio vindicamus, ſed omnia *κατὰ τάξιν καὶ εὐσχημόνως* agenda eſſe dicimus, cuique Eccleſiæ ordini ſuas partes aſſignamus, & ad extremum ſatis habemus, ſi populo etiam rudi jus conſentiendi vel diſſentiendi, juſtis rationibus allatis relinquatur. 3. Plebs Chriſtiana, cœtus fidelium & ovium Chriſti petulanti convitio inſignitur *Beſtia multorum capitum.* Quin ſi hodiéque fideli populo præſint Paſtores & Epiſcopi ejusmodi, quales olim eccleſiam rexerunt, plebem moderatam, gravem & publicæ utilitatis ſtudioſam evadere, experientia docet. Quòd ſi in Papatu plebs degeneravit, éſtque beſtia multorum capitum, cauſa non alia eſt, quàm quia Epiſcopi quoque & Paſtores veteribus illis ſunt diſſimillimi. Atque ita *duces gregis capros armenta ſequuntur.*

EXCIP. REDING: 1. *Conceſſio poteſtatis illius pendet ex authoritate Eccleſiæ gubernandæ Divinitus collata ei, cui collata eſt poteſtas clavium, hoc eſt, Petro & ſucceſſori. 2. Apud vos potiùs enormes toti orbi conſpicuæ ſeditiones & turbæ Paſtoribus veſtris imputantur. Nos verò cavimus, ne populus ſibi nimiùm arroget in eligendo Paſtore. Sanè Chryſoſtomus de Sacerd. lib. III. experientia comprobatum teſtatur, peſſimos electos, & optimos neglectos eſſe, ſi quando Epiſcoporum electiones fuerunt in manu populi, qui nonniſi de temporalibus judicare noverat. Sed & Auguſtinus Epiſt. 110. & 225. hiſtoriam turbulentiſſimæ commotionis popularis in electione Piniani; aliique etiam ſimilia referunt.* Ibid. pag. 272. 273. Reſp 1. Non ſolum Petrum *κλειδοῦχον clavigerum* eſſe; ſed poteſtatem clavium toti Eccleſiæ collatam eſſe, adeóque ad eandem, & in eadem ad populum jure Divino eligendi hanc poteſtatem pertinere, evicimus. 2. Solent homines incendiarii crimen incendii perfidiæque ſuæ in alios intorquere culpa vacuos. Sic planè tu veſtra crimina noſtris imputas. Etenim *Turbas* & *ſeditiones enormes toti orbi conſpicuas* unquam apud nos motas eſſe ob electionem Paſtorum ab Eccleſia, & ſalvo in eadem populi jure ſuſceptas, ne ipſe quidem livor & rupta momorum ilia aſſerere auſint. Dei enim gratia eo apud nos ordine negotium iſthoc procedit, ut ſeditiones vel turbæ, quales ſcandalis pleniſſimas in electionibus ipſorummet Pontificum veſtrorum, (nam vel horrenda illa duo ſchiſmata ob electionem Papalem, quæ poſt A. 1370. Roma paſſa eſt, Occidentem totum per multos annos concutientia, alterum ſub Urbano VI. ſub Eugenio IV. alterum, quis ſine horrore vel cogitare poteſt?) aliorúmque Epiſcoporum non ſatis hiſtoriæ veſtræ deplorare, & Conclavia Cardinalium in vulgus prodita clamare poſſunt, ne fando quidem auditæ ſint. Ubi ergo culpa nulla eſt, ibi culpa in Paſtores rejici nequit. Neque ita

Paſtores

Paſtores noſtri jugum excutiunt Magiſtratus Divinitus conſtituti, uti vos Monachi & ſacrificuli, in perpetua ſeditione adverſus Magiſtratum legitimum viventes, & illegitimæ ac tyrannicæ poteſtati Papali colla veſtra ſubjicientes, atque ſic turbis & ſeditionibus cunctæ implentes, jam pridem conſuevistis. Neque caviſtis, *ne populus ſibi nimiùm in eligendo Paſtore arroget*; ſed ne aliquid, juri Divino conveniens, ſibi ſumere poſſet, tyrannide veſtra, qua pridem religionis prætextu in populum ſævire religio nulla vobis fuit, effeciſtis. Laici vobis non aliud quàm ſordida purgamenta, ſi non pecora ſunt. Chryſoſtomus *loc. cit.* non queritur de popularibus electionibus, ſed de electionibus Epiſcoporum ſimpliciter, & Epiſcopos ipſos atque *πρεσβύτας* magis quàm populum, electionis ſuæ, quæ legitimè facta fuerat, argumento inſimulat. Nam *ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τίκτεσθαι ταραχὰς, οὐδὲ ἀλλόθεν ποθὲν ἢ ἐκ τοῦ τὰς πρεσβυτῶν αἱρέσεις καὶ ἐκλογὰς ἁπλῶς καὶ ὡς ἔτυχε γίνεσθαι, non aliunde in Eccleſia turbas naſci, quàm ex temerè & caſu factis præpoſitorum electionibus*, poſtquam *cap.* 10. queſtus eſt, multáque alia non populum, ſed Presbyterium ſpectantia præmiſit, *cap.* 14. infert: *Quid mirum, victui intentos homines, & gloriæ, quæ à multis promanat, amantes, univerſáque pecuniarum cauſa agentes talia peccata admittere, ubi qui ſe ab his omnibus alienos ſimulant, illis nihil meliùs affecti ſunt, ſed ſuper cœleſtibus certamen habentes, non ſecus ac ſi de terræ jugeribus, aut tali quacunque alia re conſilium capiant, gregarios, quos aſſumpſerunt, homines, talibus rebus temerè præficiunt &c. nec ſolùm indignos adlegunt, ſed idoneos rejiciunt?* Quibus verbis Chryſoſtomus indigniſſima Cleri degeneris facinora cum corruptiſſimis peſſimorum laicorum moribus comparans, omnimodam turbatarum electionum culpam in Clerum, non in populum conjicit, neque uſpiam, quòd ſuo tempore Epiſcoporum electiones in manibus populi eſſent, queritur. Si ergo populus propter excitatas ſubinde turbas electionis jure excidit, quantò magis Clericos, quos laicorum exemplar eſſe decuerat, ſuo in æternum ſpoliari æquum erat? An præterea, Redingi, quisquis cum pia antiquitate Cleri & plebis in eligendis Paſtoribus jura una nobiſcum tuetur, *electiones in populi manu eſſe, optimos negligi, peſſimos eligi*, aſſerit? Næ alieniſſima & indigniſſima nobis affingis, & ſpectra mera, quæ faciliùs debelles, pingis. Auguſtinus *In Pſal.* 133, à clero malè affecto abripi ſolitam plebem, corruptáque electionum conſilia non obſcurè ſignificat. *Mortua in ſe fide, doctos trahere poſt ſe turbas indoctas, diviſis ducibus diviſas plebes, ut cæcus cæcum ſequatur*, aſſerit. Idem laudata à te *Epiſtola* 110. *poſt obitus Epiſcoporum per ambitioſos aut contentioſos ſolere Eccleſias perturbari, expertum ſe & doluiſſe*, Piniani electionis hiſtoriam commemorans, *Epiſt.* 225. refert. Hæc verò non minùs Clerum, ex quo ambitus rei & contentionum flabella ferè ſemper prodierunt, quàm populum ambitioſorum libidini ſervire ſuetum feriunt. Et quantacunque fuerit *turbulentior & popularis commotio* illa, in Pinianum tamen, quem flagrantiſſimo affectu deſiderabant omnes, nihil *à quoquam dictum vel molitum* teſtatur idem, ſimul ac *præſentiam ſuam per Dei ſervum* Hipponenſibus Pinianus promiſit; potentibúſque, *ut ſi quando illi ad ſuſcipiendum clericatum conſentire placuiſſet, nonniſi in ipſa Hipponenſi Eccleſia conſentiret, ſine dubitatione annuit, lætati ſunt, iis omnia placuerunt*; eodémque ore proprio confirmanti Piniano reſponſum eſt, *Deo gratias*. Cùm igitur ſumma animorum conſenſione, optimo zelo Pinianum adorti eſſent, nulla factionum ſciſſura diſtracti Hipponenſes; eorum ut *turbulentiſſima commotio* longè ſanctior & moderatior haud dubiè fuit ea, quæ A. M D C V. 16. Maij in electione Pauli V. Gallos Cardinales ipſos, Conclavis arcana poſt prodentes, attonitos reddidit, totúmque Cardinalium in ſe invicem commiſſorum

Collegium,

Collegium, cujus pars Bellarminus & Baronius fuere, horrendo clamorũm fremitu per octo horas complevit, quam tragœdiam, seu potiùs procellam *Histor. Pap.* §. 219. perstrinximus. Denique vix ullam reperias in electionibus veterum contentionem, cujus non authores incentorésque fuerint Clerici, populum in alterutram partem trahentes. Vel ergo inde ipsius etiam Cleri in eligendis Pastoribus jus vacillabit: vel populo similia & forte minora patranti, salvum nihilominus & illibatum jus suum perstare debuit.

QUÆSTIO VIII.

An Episcopi Titulares, authoritate Romani Pontificis assumpti, sint veri & legitimi Episcopi?

AFfirmat Canon VIII. ubi per Episcopos rectè intelligi debent etiam titulares. Sunt autem titulares Episcopi, qui ordinantur à Papa ad Episcopatum cum titulo, nec tamen proprium Episcopatum habent, quem actu moderentur. Titulum vocant, ipsum reditum, qui Episcopo post ordinationem assignatur. Porro ne videantur omni munere vacui, traditur eis Ecclesia remota, quam nôrunt adiri non posse, vel cæterorum Episcoporum munia Ecclesiastica obeunt, dum ipsi in temporalibus occupantur. Nos ejusmodi titulares, negamus veros & legitimos Episcopos esse. Rationes.

ARG. I. Episcopus est nomen actualis officii, inspectionis & moderationis. Sicut & omnes Ministri Ecclesiæ sunt operarii, Oeconomi, Pastores, duces, vigiles. At qui ordinantur ad Episcopatum cum titulo, actuale & proprium officium non habent, actu non moderantur, non ducunt, non vigilant.

Resp. Reding: *Pudeat Theologum ex Grammaticali vocis Episcopi notione jus Divinum suspendere. An quia Ministri Ecclesiastici nomen sonat operarium, œconomum, vigilem, pastorem; ideo officium Ministri is Divino jure non obtinet, quando actu non operatur, vigilat, pascit? An Episcopi à Spiritu S. constituti, priusquam actu munere eo defungerentur, Episcopi non fuerunt? Sic in Spiritum S. tuæ blasphemiæ redundant. Distinguendum ergo inter actuale regimen & jus regendi. In hoc, non in illo Episcopatus ratio consistit; quod integrum Episcopi titulares habent. Nec obstat, quòd subditos non habent, in quos, ceu materiam & subjectum jurisdictionem exerceant. Sicut enim ignis potentiam calefactivam non amittit, subtracta materia: sic Episcopus non desinit esse Episcopus, quia subditis destituitur.* Tomo IV. Tract. X. §. 2. pag. 273. 274. Resp. Parciùs isthæc mihi, Redingi. Sicut ex vocum usu in rerum ipsarum perceptionem provehimur, neque sine eo provehimur: ita in

quid noverit boni vel mali de ordinando, & sic testimonio suo efficere, ut non eligatur; quasi verò is *eligendi & suffragium ferendi* potestatem habeat, eaque usus dici possit, qui id tantùm præstat, quod omni *electionis & suffragii jure* destitutus præstare, quandocunque libet, potest. Sic enim etiam illi qui foris sunt, adeóque infideles, qui de ordinando testimonium aliquod perhibere possunt, quorúmque adeò testimonium attendi præcepit Apostolus, eo ipso æquum cum fidelibus jus eligendi habere dici poterunt. quod non immeritò supra Redingius ipse negavit & exagitavit. Quin & infidelium nequissimis, qui mali aliquid de ordinando testari, adeóque testimonio suo, ne eligatur, efficere poterunt, idem eligendi & suffragandi jus eo ipso competere, dicendum fuerit. In Leonis testimonio supra recitato illudere conatur Redingius, cùm *vota civium* interpretari videtur desideria & postulationes populi. Nam vota in electionibus ea sunt, quæ vulgò voces suffragiorum, sive suffragia appellantur συγκαθοχικῶς, eò quòd illis, quem optamus seu vovemus, suffragamur. Quin & Clero illa, non soli populo tribuuntur; ut *Dist.63. cùm longè*, alibíque passim.

ARG. VII. Exempla Ministrorum ab Ecclesia electorum plurima suppeditat ecclesiastica historia, quæ hic enumerare longum nimis foret. Episcoporum electiones ad Clerum & populum, in quo etiam Magistratus censebatur, semper pertinuisse, fusè ex Constitutionibus Apostolicis, Aniceto, Ignatio, Cypriano, Origene, Athanasio, Concilio Niceno, Patribus & rebus gestis Nicenum Concilium secutis, Conciliorum Canonibus, Pontificibus, eorúmque decretis probat M. Anthonius de Dominis *de Rep. Eccl. lib. III. cap.3.* Sed & David Blondellus polyhistor *de Episcopis & Presbyteris Sect. III. pag.379--545*, luculenter probat, non ante XII. Seculum principes investiturarum per baculum & annulum potestate cedere coactos esse. Posthac Romani Pontifices à commendationibus & precibus ad apertam vim eruperunt, & excluso populo ad se electiones traxerunt, factis sibi expressis reservationibus primùm particularibus, dum aliqua vacaret Ecclesia, deinde generalibus, non quidem publica constitutione, sed per regulas, quas excogitârunt, Cancellariæ, quarum inventio Sixto IV. debetur. Quibus tamen reservationibus obstitit Concilium Basileense, ex quo Ecclesia Gallicana suam sibi formavit Sanctionem pragmaticam, quâ cautum erat, ut electiones Episcoporum in Gallia fierent à Clero & populo. At Leo X. cùm electiones Episcoporum & Abbatum in Gallia ad se trahere non posset, excluso Clero, soli Regi electiones illas concessit. Quòd Episcopi Hispaniæ, Scotiæ, Angliæ, Hungariæ &c. per Reges quondam introire soliti sint, & quòd inthronisationes seu investituræ Episcoporum jure pertineant ad Reges & Principes, sub quorum dominio Episcopatus sunt, ex historiis olim prolixè asseruit Waltramus Naumburgensis Episcopus. De electione verò per suffra-

suffragia plebis luculenter agit Jacobus Pammelius Pontificius in annot. ad Epist. 68. Cypriani. Sed & Michael Roussellius *Histor. Jurisdict. Pontific. lib. 11. cap. 5. 6. &c.* ex historiarum monumentis jus nominandi supremis Principibus, Imperatoribus, Regibus Galliarum, Hispaniæ, Angliæ, Scotiæ, Daniæ, Bohemiæ, Hungariæ, Poloniæ, Siciliæ, aliisque competiisse, fusè demonstrat. In ipso Concilio Thomas Passius Valentinus Canonicus fassus est, olim in Episcoporum electione, Presbyterorum ac Diaconorum deputatione præsentes fuisse è populo summos & infimos, & suffragium tulisse, lib. VII pag. 535. Nihil dicam de Pontificali veteri, quod in hanc rem ita manifestum est, ut Passius suaserit Concilio, ut corrigeret illud & expungi loca, quæ ejúsce rei mentionem faciant, sineret. In eo nempe Episcopus ordinator ajt; *Non frustra à Patribus institutum, ut de electione eorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur & populus, quia necesse est, ut faciliùs ei quis obedientiam exhibeat ordinato, cui assensum præbuerit ordinando.*

Resp. Reding: 1. *Ministrorum Ecclesiæ electionem Apostolicis temporibus absque plebis suffragiis, uno alteróque casu per specialem concessionem Apostolorum excepto, factam esse, vel inde constat, quia Episcopi à se creatos ad infideles & remotos populos miserunt. Postea in Ecclesia irrepsit mos, ut populus ad electionem Pastorum adhiberetur pro suffragio testimonii de vita & moribus eligendorum. Sed maturè præcautum est, etiam Conciliorum decretis morem illum abrogantibus, veluti Laodiceni Can. 13. Nicani II. can. 3. & Concilii IV. Constantinopolitani can. 28. Falsum ergo, non ante Seculum XII. Principes investiturarum per baculum & annulum potestate cedere coactos esse. Etiam Honorius III. in Cap. Messana de electione edicto perpetuo prohibet, ne per laicos cum Canonicis Pontificis electio præsumatur.* 2. *Neque obstant vel Concilium Basileense, quod legitimum non fuit: vel Pragmatica sanctiones, quibus Pontifices ex altiori quadem ratione ob temporum injurias per conniventiam cedendum quandoque duxerunt, non tamen sic, ut Principes investire, sed tantùm ut nominare, præsentare, & in temporalibus inthronizare possent.* 3. *Hodiéque, juxta Pontificale vetus, ordinantur Episcopi & Presbyteri coram populo, Episcopúsque ordines collaturus alloquitur populum per Diaconum, petens, ut si quis est, qui aliquid habeat contra ordinandos, accedat & dicat.* Ibid. pag. 269. 270. Resp. 1. Putida hæc esse mendacia, ex iis, quæ hactenus diximus, penitus constat. Ratio ab iis, quos miserunt Apostoli, petita non minùs ficulnea est, quia Ecclesiam plantandam cum plantata imperitè confundit. Miserunt illi ad Ecclesiam plantandam, in qua nondum erat populus fidelis, sed præconio Evangelico demum fieri debuit. Quomodo ibi suffragarentur pii plebeii, qui nondum erant? Alia ratio plantatæ est, in qua ad vocationem Pastorum concurrisse Ecclesiam, & in ea fidelem populum, jam satis convicimus. De Conciliorum à te objectorum sententia infra *ad Obj. V.* jam respondimus, & responsiones nostras ibidem vindicavimus. Caput *Messana* non Honorii III. est (uti à cœco duce Bellarmino te cœcum duci passus es) sed Gregorii IX. Nam Honorii III. capitula præcesserunt quatuor. Sed *C. cùm Magistratum* & sequentia sunt Gregorii IX. uti nominatim inscriptio ostendit, quam in decretalibus extantem anagnostes Bellarmini, canis festinans,

festinans, prætercurrit. Gregorius autem ille Seculi XIII. Papa (Honorii prædecessor) *Decret. Greg. lib. I. tit. 6. cap. 56. Messana* sic loquitur: *Edicto perpetuo prohibemus, ne per laicos cum Canonicis Pontificia electio præsumatur. Quæ si forte præsumpta fuerit, nullam obtineat firmitatem. non obstante contraria consuetudine, quæ dici potiùs debet corruptela.* En novellam Papæ Seculi XIII. constitutionem, & confessionem apertam contrariæ consuetudinis hactenus receptæ! 2. Quàm legitimum fuerit Basileense Concilium, non attendimus. Nam nec nos tanti facimus. Fuit tamen authoritate Papæ Eugenii indictum, & præside Juliano Cardinali continuatum eo usque, donec Papa ipse ad reddendam villicationis suæ rationem vocatus est. Tum enim præside Cardinale Arelatensi à magno Episcoporum numero decreta Pontificiam ambitionem & avaritiam convellentia cusa sunt, quæ Papæ exitium machinabantur. Hæc improbationis causa. Concilii ergo hujus Sessione 31. *Reservationes particulares quæcunque in posterum annullantur.* Pragmaticis sanctionibus Papa ἀκοντι ἑκοντίγε θυμῷ cessit equidem, quia ad succutiendas eas Papalia fulmina nil valebant; neque tamen quievit, donec illæ abrogarentur, & cum *concordatis*, Rege & Papa in fraudem populi conspirantibus, commutarentur. Quanquam etiam Leo X. Concordatorum faber pati debuit, ut Reservationes omnes generales, tribus exceptis, juxta Basileensis Concilii decretum & Pragmaticæ sanctionis tenorem, per eadem concordata abolerentur. Unde regulæ Cancellariæ quoad Reservationes illas in Gallia non obtinent; & Rex sibi Episcoporum electiones sub *nominationum* & *præsentationum*, quæ ipsæ tamen veræ electiones sunt, prætextu sartas tectas retinet. Si electio cleri ad solum Papam Divino jure spectat, nunquam ille suo juri ex quacunque *altiori ratione*, uti Redingius loquitur, cedere debuisset; & si vis ei adhibita fuisset, factum tolerandum, at jus ipsum integrum mordicus retinendum fuerat. Cur verò, quod Galliarum Regibus concessit, non æquè reliquis Principibus, quos sibi Roma obnoxios & veluti captivos habet, indulsit? Una enim eadémque Ecclesiarum omnium ratio esse debuit. Scilicet illi vel juris sui ignari, vel segniores, vel potentiam Papæ reformidantes non resistunt, neque jus suum adversus injustos prædones & occupatores tuentur, vel tueri possunt. Non ergo jure, sed violentia hic agitur. Unde Duarenus *de Sacr. min. Eccl. & Ben. lib. V.* 10. fatetur, *Papam jure occupationis beneficia largiri.* 3. Non sine ratione Pontificale Romanum, mutato jam usu, & populo ab electione excluso corrigi in Concilio Tridentino Theologus non nemo vestras petiit. Nam Deo & hominibus illuditis, cùm populo ab electione remoto, eadem verba, olim usu recepta, eundémque ritum retinetis. Episcopo ordines collaturo per Diaconum populum alloquentes, *ut, si quis est, qui aliquid habeat adversus ordinandos, accedat & dicat.* Hæc scilicet declamantur, cùm jam certa & deliberata omnia sunt, non, ut audiantur præsentes querimoniæ, (nam populus nec convocatur, nec ad testimonium dicendum, si forte cojerit, admittitur) sed ut futuræ, si forte oboriri possent, obstruantur. de quo Espencæi querelam supra recitavimus. Declamante isthæc Diacono, stat in angulo tenebrio, qui eidem statim acclamat: *Dignus est, doctus est.* Quis ludibrium hoc agnoscere velit pro populi Christiani testimonio? Similem illusionem alicubi Erasmus recenset. Ordinandi omnes examinantur ab Episcopo, vel conducto Examinatore alio. Examine finito progreditur Examinator ad altare, & conceptis ibi verbis jurat, se reperisse omnes illos initiandos Sacerdotio dignos, ætate, moribus & scientia idoneos, cùm plerique sint indoctissimi, moribus corruptissimi, & sæpe etiam ætate immatura, eodem teste.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Quomodo electus est Aharon, ita & Ministri ecclesiæ N. T. eligi debent, Hebr. V. 4. At Aharon à Mose electus est sine ullo vel consilio vel consensu populi. Ergo.* Resp. 1. Scopus Apostoli est, neminem nisi vocatum publico aliquo in ecclesia munere defungi debere. Id exemplo Aharonis probat. At eundem esse debere vocationis & electionis utrorumque modum, non asserit. Nempe Aharon immediatè à Deo vocatus est. Moses enim non vocavit eum, sed vocationis Divinæ interpres & internuntius duntaxat fuit. At ecclesiæ N. T. Ministri mediatè vocantur. 2. Ne quidem Aharonis successores eo modo, quo Aharon, vocati sunt, utpote qui carnali successione propagabantur. Cur igitur Ministri ecclesiæ N. T. eo modo, quo Aharon, vocari deberent? 3. Agit ibi Paulus de Sacerdotio Christi, ad quod divinitus vocatum eum ait, sicut & Aharon ad Leviticum divinitus vocatus est. At ne Christus quidem eo modo, quo Aharon, vocatus fuit, quia sine interprete & internuntio. Particula igitur καθάπερ *sicut* non omnimodam æqualitatem, sed similitudinem quandam notat. 4. Præterea si valet comparatio, Pontifex igitur non Aharonis, sed etiam Mosis successor fuerit. 5. Denique Moses non summus Sacerdos, sed Princeps populi fuit. Proinde eodem argumento ad Magistratum potiùs politicum vocatio restringi deberet.

EXCIP. REDING: 1. *Moses non Princeps duntaxat populi Israelitici, sed etiam Sacerdos ac Pontifex fuit. Consecravit enim Sacerdotes, & ipsum Pontificem Aharonem ac filios ejus 2. Ut mediata successio consistat, oportet eam mediante saltem successione traduci ad illum, qui eam immediatè à Christo obtinuit, qui Petrus est. Quomodo etiam Aharonis, & posterorum successio traducta est ad Mosen, qui à Deo jussus Aharonem consecravit sine consilio populi.* Ibid. pag. 270. Resp. Frigidè nimis respondes, præcipuis omissis. 1. Ergóne duo fuerunt Pontifices, summi Sacerdotes, Moses & Aharon? Quis duos summos dixit? Quæ Scriptura testis? Fuitne porro Mosis ille Pontificatus idem cum Pontificatu Aharonis, an ab eo diversus? Si idem, eadem ergo munera obivit, quæ Aharon. quod falsissimum. Solus enim Aharon in Sanctum Sanctorum intravit. Si diversus ab eo, ubi ergo diversa Pontificatus Mosaici munera distinguuntur? Profectò nil nisi nugivendulus es. Consecravit Moses Aharonem extra ordinem, non sponte, sed jussu Dei, non ut Pontifex, sed ut servus Dei in domo ejus, quævis Dei imperata obsequenter faciens. 2. Deus Pater misit Christum; sicut olim Aharonem Deus immediatè elegit & vocavit. Christus in terra vocavit Apostolos & discipulos reliquos: in Cœlum sublatus dedit Pastores & doctores, atque hodiéque dat, mediante non solo Petro, nòn solis Apostolis, sed Ecclesia, cujus pars populus est; uti supra probavimus; cùm Aharoni successerint posteri lege generationis carnalis. Qui ergo mediante Ecclesia Pastores eliguntur, eorum successio ad Christum ipsum immediatè à Deo missum traducitur. Aharonem Deus elegit, inquis, *sine consilio populi.* Sed elegit etiam sine consilio Mosis. Elegit solus, mediante nullo.

nullo. Sic neque clerus potestate eligendi pollebit. Et *licet*, sic Origenem *in Levit. homil. 6.* scribentem supra etiam induximus, *Dominus de constituendo Pontifice præcepisset, & Dominus elegisset, tamen convocatur etiam Synagoga. Requiritur enim in ordinando Sacerdote etiam præsentia populi, ut sciant omnes, & certi sint, quia qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium; & adstante populo, ne qua postmodum retractatio cuiquam, ne quis scrupulus resideret. Hoc est autem, quod & Apostolus præcepit in ordinatione Sacerdotis dicens: Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt.* Si ubi, Deo ipso principem constituente, eligente, nulla quorumcunque hominum electio intervenit, æquo cum Mose jure Israeliticam multitudinem consistere necesse fuit, ut cum eo (quod unum reliquum erat) de electo testimonium ferret; quantò magis, ubi electionis potestas hominibus permissa est; necessarium in perpetuum fuerit, ut æquo plebs Christiana cum Clero jure consistat, unáque & *consultet*, & *testimonium ferat*, & *eligat*, & pro modulo suo ordinandum *constituat?* Atqui, juxta Origenem, ex Domini ipsius instituto verum prius. Ergo & posterius.

OBIECT. II. *Christus Joh. XX. 21. Apostolos misit, sicut & ipse à Patre missus erat, adeóque voluit, ut eadem, qua ipse, ratione & potestate Ecclesiam gubernarent. Atqui Christus Apostolos & Discipulos sine ullo consensu vel suffragio multitudinis misit. Ergo.* Resp. 1. Christus immediatè à Deo Patre, Apostoli immediatè à Christo missi sunt. Si igitur idem missionis modus præceptus esset, Apostoli immediatam suorum in docendi officio Successorum vocationem, & hodiéque talem nos quoque expectare deberemus. 2. Proinde particula *καθὼς Sicut* non illimitatè accipienda, nec extendenda est ad omnimodam potestatis paritatem, sed ad Divinam muneris authoritatem, promissionem de successu in ministerio & defensione in periculis, aliáque, de quibus vide pag. 332.

Excip. Reding: *Saltem inde constat, Divinam muneris authoritatem Apostolis per verba ea collatam ejus esse efficaciæ, ut se ipsam pro perpetuo Ecclesiæ statu propagare possit. Illa porro propagatio non ab aliis Divino jure fieri potest, quàm vel ab Apostolis immediatè tunc vocatis, vel ab iis, qui horum successores per mediatam vel immediatam vocationem constituti, parem vocandi alios potestatem sortiti sunt. Cùm ergo Christus miserit sine multitudinis consensu vel suffragio, par potestas fuit etiam Apostolorum & successorum eorum.* Ibid. pag. 271. Resp. Missi à Christo Apostoli potestatem acceperunt vocandi alios; sed non eodem ordine, eodem potestatis gradu, quo Christus Apostolos misit. Rectè Nicetas Choniates *scholiis in Orat. 42. Nazianz.* verba Christi sic explicat: *Alio loco ait Scriptura: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Atqui non est eadem missionis ratio. Ille enim ut lumen à Sole; sic à Patre missus est, unam atque eandem cum eo habens substantiam. At discipuli ut servi à Domino missi sunt.* Ex quibus verbis Maldonatus Jesuita celebris *ad h.l.* interpretationem suam hausit, his verbis: *In Christi verbis dictio, Sicut non æqualitatem, sed proportionem significat. Christus enim à patre tanquam par à pari; Apostoli à Christo tanquam homines à Deo missi sunt. Vicarios ille constituit suos. In hac denique ipsa similitudine potestatis ea dissimilitudo est, quæ inter principem & legatum,*

Dominum

Dominum & servum, proprium magistratum & vicarium esse solet. Cùm ergo Christus in electione Apostolorum absolutam suam, ut supremus Ecclesiæ dominus, potestatem exeruerit, & Apostolos ab omni dominatu, multóque magis à Divinæ, quo ad Sacrum opus admoti sunt, potestatis usurpatione arcuerit, *Magistri imitatores* (uti Prosper *Sent. III. ex* Augustino *in Psal.* 90. loquitur) non in faciendis, quæ nemo exigit, *miraculis*, aut summi in fideles imperii affectatione, *sed in custodienda humilitate atque patientia, ad quæ nos omnes Dominus suo exemplo invitavit, esse debuerunt.* Non ergo Ecclesiæ & vocationis statum propagaturi, eodem modo vel illi, vel eorum successores eligere Ministros Ecclesiæ potuerunt, quo Christus; sed modo servos decente. Neque ipsa Apostolorum, quos nihil momenti alicujus sine fraternitate unquam aggressos legimus, praxis adeò nos destituit, ut nobis, qua Ecclesiam potestate ac ratione à Magistro gubernandum susceperint, qua eos intentione ad Apostolatum idem vocaverit, ignorare liceat. Sicut quoad à Domino acceperunt, nobis tradiderunt: ita quod opere præstiterunt, id ex Magistri ipsius præscripto & præiverunt, & ex officio præstandum esse putarunt. Atqui id opere præstiterunt, ut nec Coapostolos Act.I. 23. nec Diaconos, ib. cap. VI. 2. nec Presbyteros ib. cap. XIV. 23. coram Domino designandos & eligendos, nisi vocata in consilii partem fraternitate, statuerent. Sed præterea tua collectio ab exemplo Christi Apostolos sine suffragio multitudinis mittentis, ad Apostolorum eorúmque successorum jus eligendi sine suffragio multitudinis. planè inconsequens est, tum ob disparem, tum ob extraordinariam rationem. *Dispar* est, quia Christo Apostolos mittente nulla multitudo in unum corpus collecta fuit, quæ ad electionem servorum Dei certò adhiberi posset. Nunc verò ubique est multitudo credentium. *Extraordinaria* fuit, quia Christo Apostolos mittente principia Ecclesiæ Dei ponebantur. Alia autem sunt tempora Ecclesiæ nascentis in generatione ipsius, quod est extraordinarium; nec nisi per reductionem, uti vocant, in ordine censeri potest: alia natæ & in statu suo ordinario constitutæ.

OBJECT. III. *Episcopi & Ecclesiæ Ministri Divino Jure sunt Pastores, populus verò oves, Joh. XXI. 15. Act. XX. 28. Atqui ovibus non convenit, ut eligant Pastores. Alias oves pastores essent, quia electio Pastorum ad ipsam gubernationem & pasturam pertinet.* Resp. 1. Adversarii fatentur, & Apostolos & Pontifices nonnullos populo gratiam fecisse eligendi pastores. An igitur contra Divinum jus quidquam indulserunt, vel oves in Pastores transmutârunt? 2. Populus Christianus comparatur ovibus in hoc videlicet tertio, quòd vocem Ἀρχιποιμένος audire, mercenarios fugere, pastorem ad fœcunda pascua sequi debeat. Neque propriè sunt oves hominum, sed solius Christi, ut ipsemet Joh. XXI. 15. 16. innuit. 3. Alia igitur etiam ratio est ovium brutarum & propriè talium, alia rationalium, & metaphoricè talium. Illis non convenit electio pastorum, quia discretionis judicium non habent, at his convenit, quia jubentur Joh. X. 3. 4. &c. discernere veros Pastores à falsis, & illos sequi, hos fugere. 4. Etiam in civili politia subditi oves dicuntur. Nihil tamen obstat, quò minùs populus sibi subinde Reges, Magistratus eligat.

EXCIP. REDINO: 1. *Christus Joh.X.3. pronuntiat, oves veri Pastoris audire vocem & alienum fugere. Et v.12. bonum Pastorem à mercenario distinguit, quòd lupo irruente hic, non ille fugiat. Ovis ergo est periculum perversionis alienum Pastorem fugiendo declinare: Pastoris autem vi & authoritate eundem pellere. Non ergo penes oves, sed penes Pastores est authoritas, quæ propria est clavium Regni Cælorum. Et oves alienum Pastorem fugiendo, ad Ecclesiam se conferre, ejúsque authoritatem implorare debent. 2. Licet ergo fideles Christi oves sint, Pastores tamen à Christo instituti, quibus potestas clavium tradita est, easdem pascere debent: & potestas illa pascendi ab iis derivatur, qui claves habent. 3. Neque cum jure Divino pugnat, ut Oecumenicus Pastor aliis facultatem nominandi & præsentandi indulgeat; sed, ut eo non indulgente, alii authoritatem eam sibi arrogent.* Ibid. pag. 271. Resp. Ludis & illudis, non respondes ad mea. Etenim 1. hic non de Pastore vocato, quem vel sequendum vel fugiendum more vestro doces, sed vocando agimus, contendimúsque, à tota Ecclesia, cui datæ sunt claves Regni Cœlorum, juxta Apostolicam praxin & veteris Ecclesiæ usum vocandum esse. Eadem ratio sana, quæ docet, brutis ovibus nullo modo competere, ut pascant & gubernent, suadet, rationalibus id aliquo modo competere, tum quia communis est Pastorum ministrantium & ovium sub summo Pastore Christo conditio, cùm ejusdem speciei, eorundem beneficiorum sint participes, ejusdem hæreditatis consortes; & qui ob ministerium curámque fratrum *Pastores* dicuntur, revera oves selectæ, instrumenta & membra veri ac unici Pastoris, eximia, adeóque non Pastores absolutè sint: tum quia fideles in partem communem authoritatis hujus, veluti corporis communis membra, secundum conditionem ipsorum, advocantur: tum quia oves rationales pastorem à mercenario dignoscere & sequi, hunc aversari, se nonnunquam per semet ipsos regere; imò etiam de rectoribus & pascentibus sub Christo conservis judicium ferre, nec simpliciter ab Ecclesia pendere tenentur. Ita olim relegato Meletio, ὁ ποιμὴν (sic Chrysostomus *de S. Meletio* scribit,) ἀπηλαύνετο, καὶ τὰ πρόβατα οὐκ ἐσκορπίζοντο, ὁ κυβερνήτης ἐξεβάλλετο, καὶ τὸ σκάφος οὐκ ἐβαπτίζετο, *Pastor* (Antiochia) *abigebatur, nec dispergebantur oves: gubernator expellebatur, nec mergebatur scapha.* Et in Thraciam concedere jusso Eusebio, Λούκιον (sic Theodoretus Histor Eccl. lib. IV. 13.) αὐτοῖς ἀντ' ἐκείνου προβάλλοντα, περιφανῆ λύκον καὶ τῶν προβάτων ἐπίβουλον, ἀλλὰ καὶ ποιμένος ἔρημα ὄντα τὰ πρόβατα τὰ ποιμένων ἠογάζοντο. *Lucium ejus loco promoverunt Ariani, lupum manifestarium, oviúmque insidiatorem. Ipsæ tamen Pastore destitutæ oves, quæ Pastorum erant, peragebant.* Et Constantinopolitanam plebem his adversus Nestorii deliria hortationibus Cœlestinus Papa *Epist.* 5. armavit: *Vobis diligentiùs vigilandum est, ut inimici prædicationibus resistatis. Major enim vobis solicitudo est, cùm intra Ecclesiam vobis Ecclesiæ adversa dicuntur.* 2. Quis verò fideles à Pastoribus pascendos negat? Sed ut pascere legitimè possint, vocandi priùs sunt; & vocandi ab iis, qui potestatem clavium habent, hoc est, Ecclesia, secundum conditionem partium ejus. 3. Qui contra jus Divinum aliquid indulget, is in causa Dei prævaricator, non Oecumenicus Pastor est; æquè ac is, qui sibi aliquid juri Divino contrarium arrogat. Qui verò non indulgente Papa id agit, quod juri Divino consentaneum est, is ordine facit, neque reprehensionem ullam meretur.

OBIECT. IV. *Apostoli Episcopos miserunt ad populos infideles & absentes. Non potuerunt igitur eos consilio & suffragiis illorum eligere.* Resp. 1. Alia ratio est ecclesiæ plantandæ, alia plantatæ. Non idem in illa, quod in hac obtineri potest.

poteſt. 2. Evangeliſtarum quoque munus extraordinarium & temporale fuit, at Paſtorum ordinarium eſt. Tempore Apoſtolorum Sacerdotes gentilium idololatræ, Magiſtratus impius fuit, & populus in tenebris ambulavit, qui proinde veros ſibi Paſtores, verbi Divini Pharo deſtituti, deligere haud potuerunt. 3. In eccleſia verò conſtituta & plantata Apoſtoli ſuffragia populi minimè omiſerunt. 4. Quin & infideles, ad quos Apoſtoli & Evangeliſtæ venerunt, ad audiendos illos coacti haud ſunt, ac proinde voluntario conſenſu eos vel receperunt, vel repulerunt, non inſtantibus illis ulteriùs, Matth. X. 10.23.

EXCIP. REDING: 1. *Paſtorum Eccleſiæ conſtitutio, te fatente, pendet ab authoritate clavium. Cùm ergo Apoſtoli Epiſcopos miſerint ad populos infideles abſque illorum ſuffragio, clavium authoritas ab eo utique non pendebat. Et quæ in prima origine à ſuffragio tali non pendebat authoritas, ab eodem etiam progreſſu temporis ſuſpendi non potuit. 2. Turpi æquivocatione conſenſum & diſſenſum authoritativum, qualis in electione requiritur, cum voluntario conſenſu & repulſa infidelium, quæ iniquiſſimæ obſtinationis erat, confundis.* Ibid. pag. 271.272. Reſp. 1. Quid ratiocinatione tua inſulſius? Quî enim ad ſuffragia admitti poterant Eccleſiæ adhuc hoſtes, quibus Chriſtus vel ſcandalum, vel ſtultitia fuit; quæque adeò nullam clavium Eccleſiæ traditarum poteſtatem habuerunt? An quia tales Sacramentorum participes eſſe non poterant, fideles ex populo, & ipſi illi converſi ad Chriſtum, æquè participes eſſe non poterant? Sic infideles adhuc Paſtores ſibi eligere nec voluerunt nec potuerunt: at converſi & fideles quique ſuas in poteſtate clavium partes obtinentes, & poſſunt ſuo ordine & volunt, & debent. Non igitur ab horum ſuffragio independens eſt Paſtorum ordinariorum poteſtas. Præterea neque exemplum, neque præceptum ullum eſt, ex quo cognoſci poſſit, Apoſtolos miſiſſe ad infideles populos Evangeliſtas ſine cognitione, conſilio & ſuffragio Presbyterii & Eccleſiæ ejus, in qua ipſi ordinati erant; quò ſic tum mittentibus, tum iis, ad quos mittebatur, certò conſtaret, eum hominem bono teſtimonio à domeſticis ornatum eſſe, quem bonum teſtimonium habere etiam ab exteris oportebat; atque ita apud omnes probatum eſſe, ut ubique ἀνέγκλητος ſive inculpatus haberetur. Hoc jus charitatis, hoc communio Sanctorum, quæ pro aliis etiam Eccleſiis, & converſione infidelium ſolicitudinem injungit; quæque mutuæ ædificationi intenta, exemplo Chriſti non ſua duntaxat, ſed etiam *τὰ ἑτέρων ea quæ aliorum ſunt*, ſpectat, Phil. II. 4. exigit. Neque de hac Apoſtolorum ἐπιεικείᾳ dubitare vel tantillum licet. Cùm enim nullum uſpiam uſurpatæ ab illis abſolutæ in Eccleſiæ regimine poteſtatis veſtigium extet: nunquam, quod ſciamus, participatorum cum fraternitate conſiliorum eos puduerit: Matthiam, comparem pòſt futurum, coram Domino ſine fraternitate ſiſtere noluerint: Diaconos ſeptem à cœtu primùm electos ordinaverint: Timotheum fratrum Lyſtrenſium & Iconienſium teſtimonio priùs commendatum in conſortium Paulus Act. XVI. 2.3. admiſerit: Epiſcopum teſtimonio etiam extraneorum deſtitutum, Diaconúmque ullum non exploratum priùs conſtitui, idem 1. Tim. III. 7.10. vetuerit quoſcunque ipſe cœteríque Apoſtoli ad ſacrum munus vocaverunt, univerſæ Eccleſiæ exquiſito priùs conſenſu, Clemente *Epiſt.* 57. teſte, cooptaverint; hanc ſanctam συγκατάβασιν in ſola miſſione Miniſtrorum ad infi-

deles à selectis illis Divini Spiritus organis omissam vel violatam putabimus? Saltem qui ita putat, idonea ratione id comprobare tenetur. Atque ubi comprobaverit, ita factum ordinaria, & non Apostolica atque extraordinaria, non imitanda auctoritate, fidem alterius faciat oportet. 2. Æquivocationem fingis, quæ in argumento meo nulla est. Neque enim consensum vel dissensum cum authoritate & potestate eligendi conjunctum intellexi vel intelligere potui; sed simpliciter voluntarium. Ex quo id saltem colligi potest, populo nolenti & dissentienti Pastorem obtrudi nec posse, nec debere; & nonnisi volenti & consentienti dari posse. Quanquam in Ecclesia consensum & dissensum illum cum authoritate eligendi conjunctum esse, aliis argumentis constat.

OBIECT. V. *Extant Conciliorum veterum Decreta, quæ populo & turbæ interdicunt electione Pastorum, veluti Laodicensis Can. 13. Martini Papæ apud Bracarensem Cap. 2. Niceni II. Can. 3. Constantinopolitani IV. Can. 28.* Resp. 1. Conciliorum decreta Scripturæ non consentanea authoritatem nullam habent. 2. Ut clavum clavo trudamus, objectis Conciliorum decretis opponimus Concilia superiùs memorata, ac imprimis ea, quæ Blondellus loco superiùs citato fusè adducit. 3. Canones illi consensum populi ab electione Pastorum simpliciter non excludunt, sed hoc tantùm cavent, ne vel populus jure suo abutatur; vel sibi soli excluso Presbyterio potestatem eligendi rapiat; vel modum agendi Presbyterio insolenter præscribat; vel turbulenter & confusè in Sancto hoc negotio procedat. Quem in finem sancitum etiam Canonibus est, ut primores Ecclesiæ viri honesti & prudentes reliquorum nomine negotium hoc maturè expediant.

EXCIP. REDINUS: 1. *Decretis illis Conciliorum non aliud opponere potes quàm ementitam cum verbo Dei aliisque Conciliis pugnam. 2. Quomodo penes populum jure Divino erit electio Ministrorum; si canonibus sancitum est, ut primores Ecclesiæ reliquorum, facultati sibi Divinitus, uti pertendis, collatæ non renuntiantium nomine id negotium expediant?* Ibid. pag. 272. Resp. 1. Conciliis illis me verbum Dei & Concilia alia, vel eorundem cum his pugnam ementitam opposuisse, strenuè mentiris ipse. Priores enim duæ responsiones meæ accommodatæ sunt vestræ de Conciliis iis sententiæ; quam falsissimam esse, tertia responsione docui, qua verum Conciliorum objectorum sensum nostræ hypothesi haud quaquam repugnantem, verissimè atque ita solidè exposui, ut nihil reponere potueris; vel ausus fueris. Sic soles cavillatione eludere, quæ recto Marte oppugnare non audes. Sed age, convincam te Conciliorum ipsorum verbis, ut malam causam tuam conspectiorem reddam omnibus. Laodiceni ergo Concilii Canon XIII. sic sonat: *περὶ τοῦ μὴ τοῖς ὄχλοις τὰς ἐκλογὰς ποιεῖσθαι τῶν μελλόντων καθίστασθαι εἰς ἱερατεῖον. De eo, quòd turbis non permittatur, ut electiones in sacrario constituendorum faciant.* Mitto varias Canonis versiones. Sensus simplex est, plebi non licere eligere Pastores absque clero; quia ei non licet per se soli, sine Clero & Præsulum Provincialium Synodo, collata Divinitus suffragiorum potestate uti, vel turbulentis motibus si non Synodum pervertere, at judicio ejus pervicaci contumacia obsistere. quod passim eo tempore obtigisse, ex historia liquet. Non ergo absolutè, sed secundum quid vetuit populares electiones. Tum enim τοῖς ὄχλοις ἐπιτρέπεται τὰς ἐκλογὰς ποιεῖσθαι *permissum est turbis electiones* facere, cùm

ejus

ejus potestati & arbitrio absolutè electiones permittuntur, ut quomodocunque voluerit, agat. Id verò non licere, jure Synodus Laodicena decrevit. Hinc Gregorii Theologi pater Gregorius Nazianzenus senior, anno post conditum Laodicenum canonem sexto, in eundem intento è vicina diœcesi digito, Cæsarienses Eusebio rectore orbatos officii sui *inter Epist. Nazianz.* 22. admonuit, ne κατὰ φρατρίας καὶ συγγενείας τὰ τοιαῦτα κρίνοιτο, ἢ ὀχλώδους χεὶρ παρασύροι τὸ ἀκριβὲς, *per sodalitia & cognationes talia expendantur, turbulentáque rursus* (ut in Eusebii Catechumeni electione) *manus quod accuratum est, transversum trahat.* Idem Nazianzeno est ὀχλώδης χεὶρ *turbulenta manus*, quod Laodicenis τοῖς ὄχλοις ἐπιτετραμμένη ἐκλογὴ *turbis permissa electio*. Neq; qui turbulentam manum detestatus est, suffragii cum Clero ferendi jus sublatum voluit, aut velle potuit. Quid quòd eadem Synodus Canone 5. περὶ τοῦ μὴ δεῖν τὰς χειροτονίας ἐπὶ παρουσίᾳ τῶν ἀκροωμένων γίνεσθαι, *de eo quòd ordinationes non decet fieri in præsentia audientium* (puta catechumenorum vel pœnitentium) populares electiones, seclusis ἀκροωμένοις, haud obscurè comprobat. Nam exceptio firmat regulam in casibus non exceptis. Martini Papæ capitulum (si modò fides haberi Martino Bracarensi, authori non adeò fido & certo, potest) ex Laodicenis decimo tertio & duodecimo canonibus compactum est. De XIII. jam vidimus. Duodecimi hic contextus est: περὶ τοῦ τοὺς ἐπισκόπους κρίσει τῶν μητροπολιτῶν, καὶ τῶν περὶξ τῶν ἐπισκόπων καθίστασθαι εἰς τὴν ἐκκλησιαστικὴν ἀρχὴν, ὄντας ἐκ πολλοῦ δεδοκιμασμένους ἔν τε τῷ λόγῳ τῆς πίστεως, καὶ τῇ τοῦ εὐθέος λόγου πολιτείᾳ. *De hoc, quòd Episcopi, qui à longo tempore tam in fidei verbo, quàm in rectæ rationis conversatione examinati sunt, Metropolitanorum, eorúmque, qui circumcirca sunt, Episcoporum judicio constituantur.* Hunc canonem sic Latinè Martinus ille contractum reddidit: *In judicio Episcoporum sit, ut ipsi eum, qui ordinandus est, probent, si in sermone & fide & vita spirituali probè edoctus sit.* De δοκιμασίᾳ ergo, seu exploratione eligendorum, non electione ipsa loquitur. Nam juxta S. Paulum 1. Tim. III. 10. illa præcedit, hæc sequitur. Illa Episcoporum haud dubiè est: hæc & Episcoporum & populi. Si verum & germanum est Martini illud decretum, dubitari non potest, quin propterea ab ipso & Occidentalibus Episcopis conditum sit, quòd Heraclius Constans Imp. gratia populi & sua auctoritate fretus auderet Episcopos destituere & instituere ex animi sui sententia. Hujusmodi autem occasiones Romani Pontifices venati sunt diligentissimè, ut suum in Ecclesiam imperium speciosè confirmarent. Sed Martinum obnitentem tandem Imperator opera Theodori Exarchi comprehensum exilio mulctavit. Inde autem ab eo tempore, æstuante factionibus Ecclesia, decreta ultro citróque facta sunt, Imperatoribus & populo Ecclesiam prementibus, Ecclesiáque vicissim reluctante, usque ad Concilium Nicænum II. cujus Canone III. ejusmodi decretum extat: πᾶσαν ψῆφον γινομένην παρὰ τῶν ἀρχόντων, ἐπισκόπου, ἢ πρεσβυτέρου, ἢ διακόνου, ἄκυρον μένειν. *Omnem electionem Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, quæ fit à Magistratibus, irritam manere.* Imbelle autem est, uti omnes vident, argumentum: *Intrusorum à Principibus adversus Canones irrita est ordinatio: Ergo à Clero, Rege, honoratis & plebe secundum canones perpetuúmque Ecclesiæ morem electorum irrita esse debet.* Sed de hoc quicquid sit, ambarum partium πραξικοπίαν sublaturi mox Carolus M. & Ludovicus filius ad primitivam electionum formam in capitularibus suis omnia revocarunt, ut habetur *Dist.* 63. *c. Sacr. Can.* Ajunt enim: *Sacrorum Canonum non ignari, ut Dei nomine Sancta Ecclesia suo liberiùs potiatur honore, assensum ordini ecclesiastico præbemus, ut scilicet Episcopi per electionem cleri*

ſcopos Provinciales heic *ἐγγυδιάκτας* eſſe uſſit, in Epiſtola Synodica, uti ſupra oſtendimus, populo liberam *αἵρεσιν electionem* vindicat.

OBJECT. VI. *Olim quidem fideli populo conceſſum fuit, ut unà cum Clero ſibi Paſtorem deligeret, quia videlicet erat moderatus, gravis & publicæ utilitatis ſtudioſiſſimus. At nunc plebs eſt Beſtia multorum capitum, ſeditionibus ſemper intenta. Non igitur idem illi hodiéque indulgeri poteſt.* Reſp. 1. Cùm conceſſio illa non humana, ſed Divina, adeóque reſpectu hominum non precaria, ſed juſta ac debita fuerit, perperam temporum aliquod diſcrimen fingitur. 2. Neque nos cum fanaticis poteſtatem eligendi imperitæ plebi, excluſo Magiſtratu ac Miniſterio vindicamus, ſed omnia *κατὰ τάξιν καὶ εὐσχημόνως* agenda eſſe dicimus, cuique Eccleſiæ ordini ſuas partes aſſignamus, & ad extremum ſatis habemus, ſi populo etiam rudi jus conſentiendi vel diſſentiendi, juſtis rationibus allatis relinquatur. 3. Plebs Chriſtiana, cœtus fidelium & ovium Chriſti petulanti convitio inſignitur *Beſtia multorum capitum.* Quin ſi hodiéque fideli populo præſint Paſtores & Epiſcopi ejusmodi, quales olim eccleſiam rexerunt, plebem moderatam, gravem & publicæ utilitatis ſtudioſam evadere, experientia docet. Quòd ſi in Papatu plebs degeneravit, éſtque beſtia multorum capitum, cauſa non alia eſt, quàm quia Epiſcopi quoque & Paſtores veteribus illis ſunt diſſimillimi. Atque ita *duces gregis capros armenta ſequuntur.*

EXCIP. REDING: 1. *Conceſſio poteſtatis illius pendet ex authoritate Eccleſiæ gubernandæ Divinitus collata ei, cui collata eſt poteſtas clavium, hoc eſt, Petro & ſucceſſori. 2. Apud vos potiùs enormes toti orbi conſpicuæ ſeditiones & turbæ Paſtoribus veſtris imputantur. Nos verò cavimus, né populus ſibi nimiùm arroget in eligendo Paſtore. Sanè Chryſoſtomus de Sacerd. lib. III. experientia comprobatum teſtatur, peſſimos electos, & optimos neglectos eſſe, ſi quando Epiſcopórum electiones fuerunt in manu populi, qui nonniſi de temporalibus judicare noverat. Sed & Auguſtinus Epiſt. 110. & 225. hiſtoriam turbulentiſſimæ commotionis popularis in electione Piniani; aliíque etiam ſimilia referunt.* Ibid. pag. 272. 273. Reſp. 1. Non ſolum Petrum *κλειδοῦχον clavigerum* eſſe; ſed poteſtatem clavium toti Eccleſiæ collatam eſſe, adeóque ad eandem, & in eadem ad populum jure Divino eligendi hanc poteſtatem pertinere, evicimus. 2. Solent homines incendiarii crimen incendii perfidiæque ſuæ in alios intorquere culpa vacuos. Sic planè tu veſtra crimina noſtris imputas. Etenim *Turbas & ſeditiones enormes toti orbi conſpicuas* unquam apud nos motas eſſe ob electionem Paſtorum ab Eccleſia, & ſalvo in eadem populi jure ſuſceptas, ne ipſe quidem livor & rupta momorum ilia aſſerere auſint. Dei enim gratia eo apud nos ordine negotium iſthoc procedit, ut ſeditiones vel turbæ, quales ſcandalis pleniſſimas in electionibus ipſorummet Pontificum veſtrorum, (nam vel horrenda illa duo ſchiſmata ob electionem Papalem, quæ poſt A. 1370. Roma paſſa eſt, Occidentem totum per multos annos concutientia, alterum ſub Urbano VI. ſub Eugenio IV. alterum, quis ſine horrore vel cogitare poteſt?) aliorúmque Epiſcoporum non ſatis hiſtoriæ veſtræ deplorare, & Conclavia Cardinalium in vulgus prodita clamare poſſunt, ne fandò quidem auditæ ſint. Ubi ergo culpa nulla eſt, ibi culpa in Paſtores rejici nequit. Neque ita

Paſtores

Pastores nostri jugum excutiunt Magistratus Divinitus constituti, uti vos Monachi & sacrificuli, in perpetua seditione adversus Magistratum legitimum viventes, & illegitimæ ac tyrannicæ potestati Papali colla vestra subjicientes, atque sic turbis & seditionibus cunctæ implentes, jam pridem consuevistis. Neque cavistis, *ne populus sibi nimiùm in eligendo Pastore arroget*; sed ne aliquid, juri Divino conveniens, sibi sumere posset, tyrannide vestra, qua pridem religionis prætextu in populum sævire religio nulla vobis fuit, effecistis. Laici vobis non aliud quàm sordida purgamenta, si non pecora sunt. Chrysomus *loc. cit.* non queritur de popularibus electionibus, sed de electionibus Episcoporum simpliciter, & Episcopos ipsos atque *πρεςῶτας* magis quàm populum, electionis suæ, quæ legitimè facta fuerat, argumento insimulat. Nam *ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τίκτεσθαι ταραχὰς, οὐδὲ ἀλλόθεν ποθὲν ἢ ἐκ τῶν τὰς πρεςῶται αἱρέσεις καὶ ἐκλογὰς ἁπλῶς καὶ ὡς ἔτυχε γίνεσθαι*, *non aliunde in Ecclesia turbas nasci, quàm ex temerè & casu factis præpositorum electionibus*, postquam *cap.* 10. questus est, multáque alia non populum, sed Presbyterium spectantia præmisit, *cap.* 14. infert: *Quid mirum, victui intentos homines, & gloriæ, quæ à multis promanat, amantes, universáque pecuniarum causa agentes talia peccata admittere, ubi qui se ab his omnibus alienos simulant, illis nihil meliùs affecti sunt, sed super cælestibus certamen habentes, non secus ac si de terræ jugeribus, aut tali quacunque alia re consilium capiant, gregarios, quos assumpserunt, homines, talibus rebus temerè præficiunt &c. nec solùm indignos adlegunt, sed idoneos rejiciunt?* Quibus verbis Chrysostomus indignissima Cleri degeneris facinora cum corruptissimis pessimorum laicorum moribus comparans, omnimodam turbatarum electionum culpam in Clerum, non in populum conjicit, neque uspiam, quòd suo tempore Episcoporum electiones in manibus populi essent, queritur. Si ergo populus propter excitatas subinde turbas electionis jure excidit, quantò magis Clericos, quos laicorum exemplar esse decuerat, suo in æternum spoliari æquum erat? An præterea, Redingi, quisquis cum pia antiquitate Cleri & plebis in eligendis Pastoribus jura una nobiscum tuetur, *electiones in populi manu esse, optimos negligi, pessimos eligi*, asserit? Næ alienissima & indignissima nobis affingis, & spectra mera, quæ faciliùs debelles, pingis. Augustinus *In Psal.* 133, à clero malè affecto abripi solitam plebem, corruptáque electionum consilia non obscurè significat. *Mortua in se fide, doctos trahere post se turbas indoctas, divisis ducibus divisas plebes, ut cæcus cæcum sequatur*, asserit. Idem laudata à te *Epistola* 110. *post obitus Episcoporum per ambitiosos aut contentiosos solere Ecclesias perturbari, expertum se & doluisse*, Piniani electionis historiam commemorans, *Epist.* 225. refert. Hæc verò non minùs Clerum, ex quo ambitus rei & contentionum flabella ferè semper prodierunt, quàm populum ambitiosorum libidini servire suetum feriunt. Et quantacunque fuerit *turbulentior & popularis commotiò* illa, in Pinianum tamen, quem flagrantissimo affectu desiderabant omnes, nihil *à quoquam dictum vel molitum* testatur idem, simul ac *præsentiam suam per Dei servum* Hipponensibus Pinianus promisit; potentibúsque, *ut si quando illi ad suscipiendum clericatum consentire placuisset, nonnisi in ipsa Hipponensi Ecclesia consentiret, sine dubitatione annuit, lætati sunt, iis omnia placuerunt*; eodémque ore proprio confirmanti Piniano responsum est, *Deo gratias*. Cùm igitur summa animorum consensione, optimo zelo Pinianum adorti essent, nulla factionum scissura distracti Hipponenses; eorum ut *turbulentissima commotio* longè sanctior & moderatior haud dubiè fuit ea, quæ A. M D C V. 16. Maij in electione Pauli V. Gallos Cardinales ipsos, Conclavis arcana post prodentes, attonitos reddidit, totúmque Cardinalium in se invicem commissorum Collegium,

Collegium, cujus pars Bellarminus & Baronius fuere, horrendo clamorûm fremitu per octo horas complevit, quam tragœdiam, seu potiùs procellam *Histor. Pap. §§. 219.* perstrinximus. Denique vix ullam reperias in electionibus veterum contentionem, cujus non authores incentorésque fuerint Clerici, populum in alterutram partem trahentes. Vel ergo inde ipsius etiam Cleri in eligendis Pastoribus jus vacillabit: vel populo similia & forte minora patranti, salvum nihilominus & illibatum jus suum perstare debuit.

QUÆSTIO VIII.

An Episcopi Titulares, authoritate Romani Pontificis assumpti, sint veri & legitimi Episcopi?

AFfirmat Canon VIII. ubi per Episcopos rectè intelligi debent etiam titulares. Sunt autem titulares Episcopi, qui ordinantur à Papa ad Episcopatum cum titulo, nec tamen proprium Episcopatum habent, quem actu moderentur. Titulum vocant, ipsum reditum, qui Episcopo post ordinationem assignatur. Porro ne videantur omni munere vacui, traditur eis Ecclesia remota, quam nôrunt adiri non posse, vel cæterorum Episcoporum munia Ecclesiastica obeunt, dum ipsi in temporalibus occupantur. Nos ejusmodi titulares; negamus veros & legitimos Episcopos esse. Rationes.

ARG. I. Episcopus est nomen actualis officii, inspectionis & moderationis. Sicut & omnes Ministri Ecclesiæ sunt operarii, Oeconomi, Pastores, duces, vigiles. At qui ordinantur ad Episcopatum cum titulo, actuale & proprium officium non habent, actu non moderantur, non ducunt, non vigilant.

RESP. REDING: *Pudeat Theologum ex Grammaticali vocis Episcopi notione jus Divinum suspendere. An quia Ministri Ecclesiastici nomen sonat operarium, œconomum, vigilem, pastorem; ideo officium Ministri is Divino jure non obtinet, quando actu non operatur, vigilat, pascit? An Episcopi a Spiritu S. constituti, priusquam actu munere eo defungerentur, Episcopi non fuerunt? Sic in Spiritum S. tuæ blasphemiæ redundant. Distinguendum ergo inter actuale regimen & jus regendi. In hoc, non in illo Episcopatus ratio consistit; quod integrum Episcopi titulares habent. Nec obstat, quòd subditos non habent, in quos, ceu materiam & subjectum jurisdictionem exerceant. Sicut enim ignis potentiam calefactivam non amittit subtracta materia: sic Episcopus non desinit esse Episcopus, quia subditis destituitur.* Tomo IV. Tract. X. §. 2. pag. 273. 274. Resp. Parciùs isthæc mihi, Redingi. Sicut ex vocum usu in rerum ipsarum perceptionem provehimur, neque sine eo provehimur: ita in

Juris etiam Divini cognitionem *Grammaticalis vocum notio* perducit. Te ergo pudeat sic oggannire,& insanire,ut otiosos ventres vestros exornes, & Episcopus verus sit,qui nunquam gregi attendit, adeóque nominis mensuram nec implet, nec implere cogitat. Sed ampliùs ego. Non solùm *ἐπισκόπε Episcopi* nomen actuale inspectionis officium significat,sed etiam à S. Paulo 1.Tim.III.2.*ἔργον opus*,non potentia duntaxat, vel facultas operandi insignitur, ut Episcopus ille sit,qui opus illud,quod ab Episcopo requiritur,actu exequitur. Qui ergo, qua talis, nunquam opus Episcopi exequitur ; imò ordinatur non eo fine,ut quandiu talis est,necesse habeat exequi,ac ne exequi quidem,deficiente subjecto possit, quin satis habeat Ecclesiæ facultates devorare,& in pingui otio ac per voluptates tempus suum comburere ; hunc ego veri nominis Episcopum,& non potiùs larvam Episcopi, dignam domino suo Papa creaturam, agnoscam? Quis vigilem, Pastorem, œconomum,servum dixerit illum,qui nunquam,imò qui non crebrò actu pascit,vigilat,domum administrat,pascit? Tametsi ergo nomina ejusmodi ad continuum actum relationem non dicunt ; at dicunt tamen ad crebrum, indefessum ; & subjectum insuper materiámque supponunt,absque quo est,ne quidem operari possunt ; adeóque non actu duntaxat,sed etiam potentia destituuntur. Non enim *pastor* est, qui oves non habet ; non *vigil*,qui re,cui invigilet,destituitur : non *œconomus*,cui domus, cui administrandæ præsit, nulla committitur : non *servus*,qui dominum,cui subsit,nullum habet. Sed Redingius scilicet *Grammaticalem vocum notionem* spernit,& monstrosas voces,quibus res nulla subest, excogitat,ut jam Episcopus sit qui grege omni destituitur, adeóque neque potentiam habet attendendi gregi,neque actu attendit : ignis sit,qui pabulum non habet,adeóque, utpote sine pabulo ne existens quidem in rerum natura, neque potentiam habet urendi, (quomodo enim urere potest,quod non existit,& sine pabulo existere nequit?) neque urit actu. Alii longè Episcopi sunt,quos Spiritus S. constituit,ut *attenderent gregi,pascerent Ecclesiam Dei* ; qui proin & gregem habent,cui attendant,& Ecclesiam, quam pascant ; & quàmprimum à Spiritu S. constituuntur,jam & possunt pascere gregem,Ecclesiam Dei ; & actu pascunt statim,*ἐπισύστασιν καθ' ἡμέραν,καὶ μέριμναν ἐκκλησίας, commotionem quotidianam & solicitudinem pro Ecclesia* ilico animo concipientes, & opere præstantes, 1.Cor.XI.28. Nos ergo hæc pertendentes seriò blasphemamus Spiritum S. an potiùs Episcoporum titularium vestrorum *κωφὰ πρόσωπα* Spiritui S. imponunt,similes illis *Pseudapostolis, operariis dolosis, sumentibus personam, Apostolorum Christi*,2.Cor. XI.13? Quod mirum videri debere ibidem v.14.Apostolus negat, *quia ipse Sathanas se transfigurat in Angelum lucis. Non magnum est igitur,si & ministri illius personam in se transferant,quasi sint ministri justitiæ,quorum finis erit juxta opera ipsorum.*

ARG. II. Non Scripturæ tantùm vox est,panem lucrandum esse μετ' ἡσυχίας operando, 2.Thess.III.12.sed Canonistarum etiam regula : *Beneficium omne dari propter officium.* Titulares autem Episcopi beneficio oblectantur sine officio. Ne dicam,id justitiæ commutativæ,quæ meritum & mercedem ad æqualitatem reducit,planè adversari.

RESP. REDING : 1. *Nugaris. Num enim beneficium ejus,ad cujus titulum sunt ordinati, titulares Episcopi obtinent? Si verò ad alias Ecclesiarum functiones adhibeantur,num operarius mercede dignus non est? 2. Episcopi hi priùs Episcopi creantur,quàm ad beneficia admittantur. Sunt ergo veri Episcopi etiam sine respectu ad beneficia,quæ merè accidentarius*

vius est. Ibid. pag. 274. Resp. I. Non obtinent, mi nugigerule, ab iis locis, quorum se Episcopos mentiuntur, & titulos superbè præ se ferunt. Neque ut obtineant, digni sunt, quia nullam ibi locorum animam viderunt, nedum curarunt, sed cuticulam potiùs suam, quàm animas sibi commissas curant. Obtinent tamen ex patrimonio Ecclesiæ; obtinent ex sudore & sanguine pauperum, quibus per totam vitam nihil profuerunt, vel prosunt. Neque etiam vel jure aliorum Episcoporum, temporalibus interea curis districtorum, vicaria opera defungi possunt, quia illorum greges iis in ordinatione commissi non sunt; adeóque ibi meri *ἀλλοτριοεπίσκοποι*, non veri Episcopi sunt: vel mercedem omnem mercenarii illi accipiunt ab Episcopis, quorum vicibus defunguntur, quia non ordinantur *sine titulo*, hoc est, vitulo seu reditu, qui iis ex patrimonio Ecclesiæ, non reditibus ad Episcopos, quorum vicariam subinde operam subeunt, pertinentibus decernuntur. An enim ignorare nos putas decretum Alexandri III. in Lateranensi Concilio, *ne quis ordinaretur sine titulo, ex quo tantum posset capere quantum ad vitam alendam necessarium esset?* 2. Non ergo Episcopi creantur sine necessario, non accidentario, ad beneficium respectu; imò *titulus*, cum quo illi ordinantur, revera non aliud ipsis est quàm beneficium. Præcipua ordinationis intentio est beneficium; absque quo esset, ne quidem ordinari se paterentur, veri adeò non pastores, sed *μισθωτοὶ mercenarii*, qui propter mercedem, non salutem animarum, utpote quæ nullæ iis committuntur seriò, Episcopatum desiderant.

ARG. III. Ordinatio ad munus est actualis missio ad exercitium potestatis acceptæ. Proinde qui ordinantur, simul actu mittuntur, uti patet exemplo filiorum Aaronis, Pauli, aliorum. Hinc ordinatio, vocatio, missio in Scripturis pro iisdem capiuntur. Accedit, quòd qui degradantur, amittunt usum potestatis. Proinde, qui ordinantur, usum potestatis accipiunt. At titulares ita ordinantur, ut non mittantur tamen. Quippe tum mittuntur Episcopi, cùm eis assignantur Diœcesani, quibus præsint. Quos igitur Diœcesanos habet Episcopus Dardaniæ? Si ad eos missus, cur non suscipit curam assignati populi?

RESP. REDING: 1. *Qui ordinatur, simul actu mittitur quoad potestatem ordinis, seu characterem missionis, non quoad actuale exercitium, quod consequens est ad characterem, sub quo perfecta Episcopatus missio seu ordinatio stat. Qui character ita immobiliter ordinato inhæret, ut ne per degradationem quidem tolli possit, sed per hanc duntaxat ecclesiasticum ponatur impedimentum, ne ejus characteris exercitium licitè fiat. 2. Non ergo tum mittuntur Episcopi, cùm iis assignantur Diœcesani. Nam primitus in Ecclesia ne quidem Diœcesani erant. Et tamen veros tum Episcopos fuisse, negare non ausis.* Ibid. pag. 274. 275. Resp. 1. Fallis amphibologia. Aliud enim est ordinatio sine titulo: aliud cum titulo. Initio nascentis Ecclesiæ Episcopi ordinabantur sine certa Ecclesia, & Ecclesiæ universali in communi deputabantur. Post divisa in certos particulares cœtus vel diœceses Ecclesia, vetitum est ordinari quenquam sine titulo, hoc est, sine deputatione ordinati ad ministerium certæ diœceseos vel cœtus, in quo Episcopus resideret, & ministerium exerceret. Ordinatio ergo non solam potestatem ordinis, seu characterem confert; sed missionem actualem ad hanc vel illam diœcesin necessariò includit, quia ipsa potestas in ordinatione confertur eo fine, ut Ecclesia, grex Domini pascatur actu. quod sine actuali missione fieri nequit,

quit. Hinc adeò Episcopis etiam titularibus Ecclesiæ seu Dioeceseos particularis pascendæ munus injungi debuit, ne sine deputatione Ecclesiæ, adeóque missionis ad eandem ordinatio facta illegitima videri possit. Sed dicis profectò, & fuci faciendi gratia. Ecclesiæ enim, quarum procuratio iis committitur, olim fuerunt, & jam non sunt. Ubi fideles non sunt, ibi Ecclesia non est. Aut si sunt, pauci sunt, Aut si multi sunt, Episcopum tamen habere, alere vel retinere non possunt. Et is qui eis ordinatur Episcopus, ita ordinatur, ut nunquam tamen vel putetur eos aditurus, adeóque adire etiam nolit. Fit ergo Episcopus nomine tenus, revera Uthopicus, *Nullatenensis*, uti vulgus in Papatu eos appellat. Nam Ecclesiam particularem nullam habet, & sic sponsus non est, quia sponsam non habet, cum qua matrimonium spirituale ineat. Neque dicas, illos matrimonium contrahere cum Ecclesia universali; quia in tota Ecclesia universali, cujus particulares dioeceses jam occupatæ sunt, locum nullum habeant; & si quæ vacarent, ad illas tamen ordinati non sunt. Pastor itaque nullum habens vel habiturus gregem, pastor non est; sicut nauta sine navi nauta non est; maritus sine uxore maritus non est. Valeant ideæ; mera enim teretismata sunt. Hos Episcopos ne ordinem quidem Episcopalem ullum accipere pronuntio, quia ordo Episcopalis intrinsecè dicit officium, opus, ministerium. Hi verò nullum officium, nullum opus, nullum ministerium accipiunt; imò ea conditione titulum accipiunt, ut tamen ministerium, opus nullum, vi ordinationis exercere teneantur. Quæ conditio tollit totam ordinationis Episcopalis essentiam, quæ missionem veram ad gregem seu ecclesiam includit. quod Aharonis, Sacerdotum, Pauli, aliorum exemplis, quæ non attingis, docui. Ideo enim etiam Sacerdos olim dictus est מלאך *Angelus*, hoc est, *missus* Malach. II. 7. uti notionem illam ex vestigiis radicis Arabicæ & Æthiopicæ Lud. de Dieu *ad l. cit.* demonstrat; & Angelum ibi voce משמש *ministri ministrantis*, Chaldæus exprimit. Hoc ipsum definitio Ordinis apud vos recepta docet. Lombardus enim *lib V. Dist.* 24. aliique ordinem definiunt *signaculum quoddam sacrum, quo spiritualis potestas traditur ordinato & officium.* Non tantùm ergo ordo confert potestatem, sed etiam officium, ad cujus executionem obligat. Saltem id confert ordinatio, quod aufert degradatio. At hæc præter potestatem ipsam (quam amitti posse supra, ubi de charactere indelebili disputatum, probavimus) aufert ministerii usum, seu actuale ministerium. Ergo ordinatio non solam potestatem, sed insuper etiam ministerii usum, seu actuale ministerium confert. Alias ordinatus in Ecclesia ministrando, aut aliquid, absque missione scilicet, agendo, fieri posset usurpator: neque Ecclesiastica ordinatio ministerium & potestatem Ecclesiasticam conferet magis, quàm promotio Scholastica ad gradum Magisterii aut Licentiæ personam disponens; vel expectativa sive Principis, sive Curiæ Romanæ, beneficium atque officium confert: & nutabit non parùm successio adeò jactata ab adversariis, quia nulla erit doctrinæ & ministerii de manu in manum traditio.

2. Mitti Episcopos, *cùm eis assignantur Dioecesani*, dixi, supposita Ecclesiæ in dioeceses distinctione. Priusquam autem in dioeceses distincta est, ordinatio nihilominus cum missione ad Ecclesiam in communi & *sine titulo*, conjunctissima fuit. Hinc adeò Albertus Pighius *de Hierarch. lib. III. 8.* ex Ambrosio notat, *omnibus de clero inter initia concessum fuisse baptizare, & Scripturas in Ecclesia exponere; omnes docuisse, omnes baptizasse quibuscunque diebus & locis*, &c. Non ergo eo etiam tempore potestas prædicandi à missione actuali disjuncta fuit. Vel ergo titulares, cùm ordinantur, mittuntur, vel non. Si non, ne quidem legitimè ordinantur, & insuper currunt. Si mittuntur, perjuri sunt, quia populi sibi assignati curam non suscipiunt.

ARG. IV.

ARG. IV. Divini juris est, ut Episcopus ea in Ecclesia resideat, cui Episcopus datus est. Etenim munus Episcopi est ministerium & opus, adeóque personalem actionem requirit, quam absens præstare non potest. Tum Christus boni Pastoris qualitates describens dicit, eum ponere vitam pro grege, ovium nomina cognita habere, & gregi suo præire; quæ non residens præstare non potest. At titulares Episcopos non residere, manifestum est. Argumentum hoc etiam Guadicensis in Concilio Episcopus *lib. VIII. pag.* 683. ursit, ajens, dignitati Episcopali tanquam rem essentialem annexam esse, *habere locum & Diœcesin.* Episcopum igitur & Diœcesin non minùs relativa esse, quàm maritum & uxorem. Adeóque naturam contradictionis non pati, ut ulla causa creandi Episcopos Titulares legitima dicatur.

RESP. REDING.: *1. Residendi jus Divinum supponit Episcopatum jam in sua essentia constitutum; neque obligat, quando residentia impeditur, vel possibilis non est. Neque potest Pastor pro ovibus animam ponere, quando ei oves citra culpam suam subducuntur. 2. Sicut conjugale vinculum mutuæ cohabitationis defectu non tollitur: sic nec relatio & spirituale vinculum Episcopum inter & Diœcesin cessat, quando residentiæ impossibilitas vel physica vel moralis objicitur. Neque Rex desinit esse Rex, cùm vi Regno suo pellitur.* Ibid. pag. 275. Resp. 1. Titulares, Episcopos tuos pingis equidem, ut potes, non coloribus nativis, sed cerussa, fuco mero utens. Etenim 1. Residendi jus Episcopatum jam in sua essentia constitutum non supponit sine necessario ejusdem respectu & obligatione ad residentiam. Episcopus enim ordinatur, qui attendat gregi & pascat Ecclesiam. Qui apud gregem & Ecclesiam non residet, eidem attendere, eandem pascere nequit. Ubi verò residentia impossibilis est, eáque impossibilitas etiam ante ordinationem conspicua omnibus est, ibi ordinare Episcopum nunquam gregem & Ecclesiam visurum, aditurum, vel fraus manifesta, ordinationem ejusmodi ad alium finem referentium, vel inane ludibrium est. Neque Pastorem quisquam dixerit eum, qui gregem nunquam vidit, nunquam visurus est. Cui proin oves nullæ vel sua vel aliena culpa subduci possunt. Relata se mutuò ponunt & tollunt. 2. Cohabitationis impossibilitas ipsum matrimonium præcedens matrimonium dirimit; vel potiùs matrimonium jure nullum fuisse arguit, quia error contrahentium fuit in rei substantia; qui matrimonium ratum & legitimum conglutinare non potuit. Et tamen in tali matrimonio cohabitatio quidem procedit, & latens demum error detegitur. Quantò magis irritum erit Episcopum inter & Diœcesim vinculum, adeóque nec Episcopus nec Diœcesis ei subjecta, & inter utrumque relatio constitui potest, quando ante ordinationem residentiæ & cohabitationis ad pascendum & curandum gregem impossibilitas omnibus manifesta est, & cohabitatio neque successit, neque succedere potest? Tale negotium titularium Episcoporum est. Non desinit esse Rex, legitimus quoad imperii jus & potestatem, qui sine culpa sua, sola vi, Regno pellitur. Sed qui sic pellitur, priùs cum Regno conjunctus fuit, atque in illud imperii sui vim exercuit. At titulares illæ statuæ cum diœcesi sua nunquam conjunctæ fuerunt. Tametsi aliud etiam est proprietas rei, cujus jus vis nulla tollere potest: aliud ministerium, œconomia, servitus, quæ sine operatione in rem commissam omni ministe-

rium, œconomia, servitus esse desinit. Tale Episcopatus genuinus est: qui actu ministrando non proprio gregi, sed alieno, ad Christum dominum pertinenti, attendit.

ARG. V. Concilii Chalcedonensis Canon 6. vetat quenquam ordinari *absolutè*, hoc est, interprete Urbano II. in Concilio Placentino, *sine titulo*, ubi per titulum munus & officium intelligitur, non reditus, quomodo sequioribus temporibus, & nominatim in Lateranensi Concilio pravè vocem *titulus* interpretati sunt. Quasi videlicet sancitum esset, ne quis egenus, non negotiosus esset.

RESP. REDING: *Utriusque & Placentini & Lateranensis Concilii sententia, quæ Chalcedonensis Canonis sensum reddunt, probè consistere potest. Illud enim in Episcopatus titulo spectat ejus essentiam, collationem muneris: hoc ejusdem consequens accidens, collationem beneficii. Licet autem posterior hæc Tituli ratio in titularibus Episcopis non tam de jure, quàm de facto extincta sit, manet tamen in habitu integra primarii tituli substantia, licet per accidens impediatur, ne in actum exire valeat.* Ibid. pag. 275. Resp. Distinctiones illæ tuæ ficulneæ *substantiæ, accidentis* in titulo; tituli *primarii, secundarii; habitus, actus; juris, facti* &c. veteribus, præcisionibus tuis non assuetis, in mentem nunquam venerunt. Age igitur, missis nugis hisce rem ipsam intueamur. Concilii Chalcedonensis canon VI. sic habet: Μηδένα ἀπολελυμένως χειροτονεῖσθαι, μήτε πρεσβύτερον, μήτε διάκονον, μήτε ὅλως τινὰ τῶν ἐν τῷ ἐκκλησιαστικῷ τάγματι, εἰ μὴ ἰδικῶς, ἐν ἐκκλησίᾳ πόλεως ἢ κώμης, ἢ μαρτυρίῳ, ἢ μοναστηρίῳ ὁ χειροτονούμενος ἐπικηρύττοιτο. *Nullum absolutè ordinari, (oportere) nec Presbyterum, nec Diaconum, nec omnino aliquem eorum, qui sunt in ordine ecclesiastico: nisi specialiter in Ecclesia civitatis vel pagi, vel martyrio, vel monasterio, is qui ordinatur, designetur.* Qui ergo sint ἀπολελυμένως *absolutè* ordinati, ex ipso canone constat. Ii enim esse dicuntur, qui, cùm ordinantur, certum non habent locum, quo munus sibi mandatum, & à se susceptum obeant. Sic præter Balsamonem & Zonaram etiam Moses Ægyptius Canonis hanc partem explicans, *Nemo*, inquit, *ordinationem accipiat, nisi declaretur ei locus & sedes, in qua resideat: non Presbyter, non Diaconus, nec alius ab iis, nec qui istis inferior est; sed locus ei declaretur & in eo constans maneat.* Hoc posterioribus est *sine titulo* neminem ordinari; hoc est, sine ministerio, munere, in certo & designato loco obeundo, quomodo Urbanus II. in Concilio Placentino id ipsum exposuit. Hi ergo veri Episcopi titulares sunt, quibus ordinatis locus vel diœcesis, quam ilico adire, & in qua munus suum exercere possint; non quam adiri, & in qua officium obiri non posse, omnibus constet, assignatur. Vestri autem, titulo non re *titulares*, vel potiùs *vitulares* sunt, quia vero titulo destituti, vix alius rei gratia, quàm *vitulorum*, hoc est, redituum percipiendorum gratia ordinantur. Unde posteriora Concilia *titulum* in *reditum* converterunt, & sine titulo, hoc est, reditu neminem ordinari posse, definiverunt. Concilium enim Lateranense *cap.* 5. sic statuit: *Episcopus, qui aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitæ percipiat, in Diaconum vel Presbyterum ordinaverit, tamdiu necessaria ei administret, donec in aliqua ei Ecclesia convenientia stipendia militiæ Clericalis assignet.* Quod ergo prioribus tituli substantia erat, ordinatio videlicet ad munus in certo loco actu obeundum: id posterioribus accidens est, ordinatio non ad munus in certo loco actu administrandum, sed ad reditum percipiendum.

dum. *Manere tamen in posteriori hac tituli ratione in Titularibus Episcopis de facto extincta*, (cùm tamen Lateranenses cum aliunde supplendum definiverint) *integram primarii tituli substantiam in habitu, licet per accidens impediatur, ne in actum exire possit*, regeris. Frigidè profectò. Num quæ Ecclesia iis assignatur, Ecclesia non est ? & si Ecclesia esset, omnes illam adiri non posse, priusquam Titularis ordinaretur, nôrunt. Nulla ergo hic primarii tituli, imò apud veteres tituli unici, substantia in habitu remanet. Quin hoc ipsum est, quod Chalcedones Patres vocarunt & vetuerunt *ἀπολελυμένως χειροτονεῖν ordinare absolutè*, hoc est, sine certo loco, Ecclesia, diœcesi, quæ adiri & actu pasci possit.

ARG. VI. Titulares Episcopi Ecclesiæ primitivæ fuerunt incogniti, donec corruptelis Ecclesiæ invalescentibus Seculo VIII. considerata personæ qualitate, vel dignitate ordinari cœperunt ij, qui officium non habuerunt. Quæ origo fuit magnorum malorum, Episcopis curam gregis abjicientibus, & alios jam ordinatos substituentibus. Hinc enim *περιεργίαι* Ministrorum Ecclesiæ cœperunt, quæ tandem, uti docet Historicus lib. VI. pag. 445. metamorphosin Ministrorum fœdam peperére.

RESP. REDING: 1. *Contradicis tibi ipse. Nam infra ad Obj. III. agnoscis Episcopos vacantes tempore jam Antiocheni Concilii Seculo VIII. longè anterioris.* 2. *Nulla ratio fuit, ut Episcopi curam gregis abjicerent, cùm in subsidium illorum à Papa titulares vocati sunt. Manserunt enim illis oves propriæ.* Ibid. pag. 276. Resp. 1. De vacantibus Episcopis infra loquor, & eosdem à titularibus disjungo manifesto charactere, quia vacantes Ecclesias proprias jam habuerunt, illis præfuerunt, adeóque ad munus illud legitimè ordinari potuerunt : Titulares contra nullas unquam habuerunt, nullis præfuerunt, nec præfuturi, cùm ordinarentur, credi potuerunt, quorum proin vitiosa ordinatio est. 2. Abjecerunt tamen. Neque aliter fieri potuit, peregrinis & *παρεισάκτοις* Episcopis obrepentibus. Nam *sublimiores illæ functiones*, ad quas *veros* (ita titulares à veris ipsemet distinguis) *Episcopos* à Papa deputatos esse ais, offecerunt utique, ut gregem negligentius vel planè non curarent, & secularibus interea negotiis Papæ implicarentur. Quid vero multis? Titulares illæ larvæ Episcoporum ordinariorum munus etiam invadere paulatim non erubuerunt. Id Tridentini ipsi *Sess. VI. Decr. Ref. cap.* 6. his verbis perstrinxerunt : *Nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii prætextu Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de ordinarii loci expressa licentia & in personas eidem ordinario subjectas tantùm.* Decreto huic fraudem facturi titulares ad loca exempta, nullius Diœcesi subjecta se receperunt, & ad sacros ibi ordines admiserunt eos, qui à suo Episcopo rejecti essent tanquam inhabiles, vigore privilegii sibi de promovendis quibuscunque ad se venientibus concessi. Hoc etiam ulcus Tridentini *Sess. XIV. de Ref. cap.* 2. tangunt his verbis : *Quoniam nonnulli Episcopi Ecclesiarum, quæ in partibus infidelium consistunt, clero carentes & populo Christiano, cùm ferè vagabundi sint, & permanentem sedem non habeant, non quæ Jesu Christi, sed alienas oves, inscio proprio pastore quærentes, dum per hanc S. Synodum se Pontificalia officia in alterius diœcesi, nisi de loci ordinarii expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subjectas tantùm, exercere prohibitos vident, in legis fraudem & contemptum, quasi Episcopalem Cathedram in loco nullius diœce-*

sis

sis sua temeritate eligunt, & quoscunque ad se venientes, etiamsi suorum Episcoporum seu Prælatorum literas commendatitias non habeant, clericali charactere insignire, & ad sacros etiam Presbyteratus Ordines promovere præsumunt: quo plerunque fit, ut minùs idonei & rudes ac ignari, & qui à suo Episcopo tanquam inhabiles rejecti fuerint, ordinati, nec Divina officia peragere, nec Ecclesiastica Sacramenta rectè valeant administrare &c. Hanc Hydram universam, cujus uno capite resecto aliud ita subnascebatur, non reformare, sed penitus profligare Tridentini debuerant.

ARG. VII. Hinc adeò etiam Galli capite III. Reformationis in Concilio propositæ petierunt, ne quisquam Presbyter ordinetur, cui non continuò secundum Concilium Chalcedonense detur ministerium. Et Quinqueecclesiensis Episcopus graviter in Concilio monuit, maximum inde offendiculum nasci, quòd multi ordinentur sine officio, qui proinde Sacerdotium capessant, non ut Deo & Ecclesiæ serviant, sed ut otio luxúque diffluentes amplis facultatibus gaudeant. Post eum Episcopus Guadicensis fusè in Titularium ordinationem invectus, eam *inventum humanum*, quo Christi & Apostolorum institutio immutetur, vocavit. Et jam olim Gerson *de stat. Prælat. Consid.* 8. ita de titularibus judicavit: *Status Episcopalis licet esse possit in aliquo sine plebe, & sine usu vel exercitio hoc fieri non convenit, quia vanum & monstrosum in Ecclesia videretur, quoniam frustra est potestas, cui non subest operatio.*

RESP. REDING: 1. *Quæ Galli & Quinqueecclesiensis urgebant inter reliqua reformationis capita, ne absque ministerio quisquam ordinetur, hodiéque in Ecclesia obtinent. 2. Guadicensem qua ratione toti Concilio præfers? 3. Etiam titulares Episcopi, juxta Gersonem, ad operationem aliquam Ecclesiasticam applicantur.* Ibid. pag. 276. Resp. 1. Id petierunt Galli, quod nec ante, nec post Concilium obtinuit. haud petituri adeò flagranter, si jam obtinuisset. Neque Concilium voto eorum annuit. Si ordinantur Titulares ad ministerium Ecclesiæ certæ, cur ministerium illud non exequuntur? Annon sic perjuri fiunt, cùm, quod sanctè promittunt, non præstant? Neque impedimenta obstant, quippe provisa, adeóque non contingentia. Vel igitur ordinatio omittenda, vel obstacula perrumpenda erant. 2. Cum ratione loquens Guadicensis solus non est, sed Concilium omnium cum ratione loquentium conjunctum habet. cum quo comparatum Tridentinum sine ratione definiens nullam omnino fidem meretur. 2. Denique ad operationem propriam Titulares nullam omnino applicantur; & sicubi operantur, ἀλλοτελοιπισκοποῦσι. Gerson autem operationem propriam in plebem propriam requirit, & & sine ea Episcopalem statum vanum & monstrosum esse pronuntiat.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Concilium Chalcedonense Canone 6. vetat quenquam ἀπολελυμένως χειροτονεῖσθαι, ordinari absolutè, hoc est, sine titulis, irritámque declarat cujuscunque absolutè & sine certo titulo factam ordinationem. Nemo igitur sine titulo ordinari debet.* Resp. 1. Imò canon ille Conciliaris validè repugnat praxi Pontificiæ, juxta

xta quam videas plures ordinari *absolutè*, sine ministerij assignatione, qui finguntur habere Ordinem, at non Jurisdictionem; honorem & reditus, non onus & officium. 2. Absurda verò est *παρερμηνεία* recentiorum, quibus absoluta ordinatio idem est, quod ordinatio sine titulo, hoc est, beneficio & reditu. Veteribus quippe *titulus* non reditum vel beneficium, sed curam ecclesiæ notat.

Excip. Reding: *Tituli illi, ad quos Titulares ordinantur, jus Episcopatuum à Paganis violenter oppressorum conservant, & varias Ecclesiæ, cui illæ applicantur, utilitates conferunt, adeóque efficiunt, ut ordinationes ejusmodi non fiant absolutè.* Ibid. pag. 276. Resp. Quicquid utilitatis Ecclesiæ conferre tituli putentur, manet tamen eorum *χειροτονία ἀπολελυμένη ordinatio absoluta*, quia ordinantur sine Ecclesia, quæ adiri possit; & cum Ecclesia, quam adiri non posse omnes ante ordinationem exactè nôrunt. Perinde ergo est, ac si nulla iis Ecclesia desponderetur. Neque utilitates illæ, quas prætexis, defectum supplent, quia qualecunque Ecclesiæ emolumentum titulus præstat, semper tamen ab Ecclesia propria, quæ pascitur, sejunctus manet. Tum utilitates illæ fictitiæ sunt. Nam juris Ecclesiarum extinctarum conservatio prætenditur ad jus absolutum Papæ in universas Orbis Ecclesias, quæ & fuerunt & sunt, asserendum. quod nullum unquam habuit. Ita phreneticus ille omnes naves in mari visas suas esse jactavit, nullo licet jure vel unius navis dominus. Si quod tamen jus Papa habuit, subjecto pereunte, adeóque Ecclesia ibi nulla existente, ipsum quoque jus periisse censendum est. sicut extincto populo jus & potestas in populum omnis extinguitur. Utilitates porro Titulares Ecclesiæ nullas, saltem ab ordinatione dependentes præstare poterunt, si ordinarii munere suo defungantur, uti defungi vi ordinationis tenentur. Reliquæ verò utilitates nihil ad ordinationem cum titulo; sed totæ libidini Papæ, domini Titularium unici, inserviunt.


OBIECT. II. *In veteri ecclesia multi initiabantur Sacris absque ulla certa procuratione animarum. Exemplum est in S. Paulino Nolano, qui Presbyter ordinatus fuit, ut ipse scribit epistola 6. ad Severum, in Sacerdotium Domini, sed nulli certa ecclesia alligatus* Resp. 1. Ita factum humanum ad extremum, non Jus Divinum probaretur. 2. Mos ille initiandi aliquem Clero absque certa procuratione animarum nec communis seu vulgaris fuit, cùm Bellarminus non aliud, quàm Paulini exemplum allegare potuerit: & non semel in antiquis Canonibus disertè vetitus est.

Excip. Reding: *Cur ordinatio sine titulo in antiquis canonibus vetita sit, ratio ex cap. Episc. Cùm secundum Apost. de præb. hæc redditur, quia Episcopo absque titulo beneficii ordinanti incumbit ordinato providere de necessaria sustentatione. Si ergo aliunde provideatur, nihil hic vetustis canonibus repugnabis.* Ibid. pag. 277. Resp. Hæc quidem ratio in posterioribus Conciliis, Lateranensi, Londonensi &c. redditur: in prioribus & sanioribus illis, Chalcedonensi inprimis, non item. uti supra vidimus. Illa enim ordinari non alios permiserunt, quàm qui in Ecclesia residerent, eámque pascere actu

possent. Qualis ordinatio à sustentationis necessariæ, ab Ecclesia tali conferendæ debito separari non potuit. Nam collatio muneris simul erat collatio beneficii. Posterioribus autem temporibus alia omnia successisse, supra vidimus, quia Papæ visum est utile, talibus mancipiis, honore etiam & dignitate auctis, ad Regni sui negotia curanda non destitui. Quod in ipso Tridentino Concilio præprimis apparuit, in quo ut vinceret suffragiis Pontificia factio, plures eum in finem titulares Papa creavit, Tridentum ablegavit, ubi satis erat pecora numerari, non ponderari.

OBIECT. III. *Episcopos vacantes ac titulares semper fuisse in Ecclesia, constat ex Concilio Antiocheno; in quo ponitur Canon 16. dist. 92. Cap. si quis: Ne hujusmodi vacantes Episcopi in vacantes ecclesias prosilire valeant.* Resp. Vacantes illi Episcopi erant non titulares meri, sed qui persecutione gentilium proprias ecclesias amiserant; sive amplius ad illas aditum non habuerunt, sive ecclesiæ ipsæ extinctæ fuerunt.

EXCIP. REDING: *Manum jam das. Quid enim aliud sunt Titulares, quàm Episcopi ea de causa vacantes, quòd Ecclesiæ illorum non de jure, sed de facto à Paganis extinctæ sunt.* Ibid. p. 277. Resp. Planè scilicet do, sed veritati, non tibi, non errori. Toto cœlo Titulares à veteribus distinguuntur. Hi veri Episcopi erant, ordinati & deputati ad certam Ecclesiam, quam sine mora adiverunt, paverunt actu, donec tempestas eos expelleret: & non raro etiam expulsi postliminio ad Ecclesias suas redierunt, easque pascere perrexerunt. Illi ordinantur assignata Ecclesia, quam extinctam esse, adeóque adiri non posse, nôrunt omnes: ordinantur proin per ludibrium, non ut pascant Ecclesiam certam sibi deputatam, sed ut Ecclesiæ patrimonium arrodant, & titulorum typho elati, Papali Regno inserviant.



SESSIO XXIV.

Quæ est Octava Sub Pio IV.

Celebrata die 11. Novembris 1563.

DOCTRINA DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Matrimonii perpetuum indissolubilémque nexum, primus humani generis parens divini spiritus instinctu pronuntiavit, cùm dixit, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una.

Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari & conjungi Christus Dominus apertius

tius docuit, cùm postrema illa verba, tanquam à Deo prolata referens, dixit: Itaque jam non sunt duo, sed una caro: statimque ejusdem nexûs firmitatem, ab Adamo tantùm ante pronuntiatam, his verbis confirmavit: Quod ergò Deus conjunxit, homo non separet.

Gratiam verò, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem unitatem confirmaret, conjugésque sanctificaret, ipse Christus venerabilium sacramentorum institutor atque perfector, sua nobis passione promeruit. Quod Paulus Apostolus innuit dicens: Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea: mox subjungens, Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia.

Cùm igitur matrimonium in lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratiam præstet, meritò inter nova legis Sacramenta annumerandum sancti Patres nostri, Concilia & universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt. Adversus quam impii homines hujus seculi insanientes, non solùm perperam de hoc venerabili Sacramento senserunt, sed de more suo, prætextu Evangelii, libertatem carnis introducentes, multa ab Ecclesiæ Catholicæ sensu, & ab Apostolicis temporibus probata consuetudine aliena, scripto & verbo asseruerunt, non sine magna Christi fidelium jactura. Quorum temeritati sancta & universalis Synodus cupiens occurrere, insigniores præfatorum schismaticorum hæreses & errores, ne plures ad se trahat perniciosa eorum contagio, exterminandos duxit, hos in ipsos hæreticos, eorúmque errores decernens Anathematismos.

Canones de Sacramento Matrimonii.

1. *Si quis dixerit, Matrimonium non esse verè & propriè unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis, à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesiam invectum, neque gratiam conferre, Anathema sit.*

2. *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum, Anathema sit.*

3. *Si quis dixerit, eos tantùm consanguinitatis & affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant & dirimant, Anathema sit.*

4. *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errâsse, Anathema sit.*

5. *Si quis dixerit, propter hæresin aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum, Anathema sit.*

6. *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, Anathema sit.*

7. *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cùm docuit & docet (juxta Evangelicam & Apo-*

Apostolicam doctrinam) propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi,& utrumque,vel etiam innocentem,qui causam adulterio non dedit,non posse altero conjuge vivente aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit,& eam,quæ dimisso adultero alii nupserit, Anathema sit.

8. Si quis dixerit,Ecclesiam errare, cùm ob multas causas separationem inter conjuges,quo ad thorum,seu quo ad cohabitationem,ad certum incertúmve tempus fieri posse decernit,Anathema sit.

9. Si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos,posse matrimonium contrahere,contractúmque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica,vel voto, & oppositum nihil aliud esse,quàm damnare matrimonium,posséque omnes contrahere matrimonium,qui non sentiunt se castitatis (etiamsi eam voverint) habere donum,Anathema sit: cùm Deus id rectè petentibus non deneget,nec patiatur nos supra id,quod possumus,tentari.

10. Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel cœlibatus, & non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cœlibatu, quàm jungi matrimonio, Anathema sit.

11. Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab ethnicorum superstitione profectam, aut benedictiones & alias ceremonias,quibus Ecclesia in illis utitur,damnaverit, Anathema sit.

12. Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices Ecclesiasticos, Anathema sit.

Decretum de Reformatione Matrimonii.

Cap. I.

Dubitandum non est,clandestina matrimonia libero consensu facta,rata & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit: & proinde jure sunt damnandi,& Anathemate eos damnat sancta Synodus, qui ea vera esse negant, quíque affirmant matrimonia filiorum sine consensu parentum facta,irrita esse,& parentes ea rata vel irrita facere posse. Illa tamen matrimonia semper sancta Ecclesia detestata est & prohibuit: animadverténsque nunc sancta Synodus gravia peccata, quæ ex eisdem ortum habent, quibus succurri non potest, nisi efficacius remedium adhibeatur, præcipit,ut antequam matrimonium contrahatur, publicè in Ecclesia tribus continuis festivis diebus à Parocho denuntietur, & tunc nullo impedimento remorante,ad matrimonium in facie Ecclesiæ procedatur. Quòd si meritò timeatur malitiosè impediri posse, si toties denuntietur, fiat una tunc denuntiatio, vel saltem Parocho & duobus vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur,

&

& ante consummationem denuntiationes fiant, nisi Ordinario supersedendum videatur. Qui aliter quàm præsente Parocho, vel alio sacerdote, de ipsius seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit præsenti decreto. Insuper sacerdotes & testes, & eos qui contrahent, si secus fecerint, puniendos ab Ordinario decernit. Conjuges hortatur ne in eadem domo cohabitent ante sacerdotis in Ecclesia benedictionem, quam solus Parochus, aut qui ab eo vel ab Ordinario licentiam habent, dare poterit ei. Qui secus fecerit, & alienæ Parochiæ sponsos conjungere vel benedicere ausus fuerit, pœna suspensionis additur, non obstantibus privilegiis &c.

Hortatur etiam sancta Synodus conjuges, ut antequam contrahant, vel triduo, ante consummationem, ad confessionem & communionem accedant: & laudabiles consuetudines & cæremonias Provinciarum in nuptiarum Sacramento omnino retineri optat. Et hoc decretum omnes Ordinarii quàm primum populo publicari & explicari faciant in omnibus Parochiis: idque sæpissime primo anno: deinde quoties expedire judicaverint.

Decernit insuper, ut hujusmodi decretum, in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, à die primæ publicationis, in eadem Parochia factæ, numerandos.

Cap. 2.

Unus tantùm (sive vir, sive mulier) vel ad summum unus & una baptizatum de baptismo suscipiant: inter quos & baptizatum ipsum, & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantùm spiritualis cognatio contrahatur. Parochus eum, vel eos, quos electos ad hoc cognoverit, tantùm ad suscipiendum baptizatum admittat: & in libro nomina eorum scribens, doceat quam cognationem contraxerint. Si qui alii baptizatum tetigerint, nulla inde esto cognatio spiritualis, non obstantibus constitutionibus contra decernentibus. Ea quoque cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiúsque patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur.

Cap. 3.

Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit: ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedat.

Cap. 4.

Impedimentum affinitatis ex fornicatione contractum, quod matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantùm, qui in primo & secundo gradu conjunguntur, restringit: in ulterioribus gradibus talis affinitas non dirimet matrimonium postea contractum.

Cap. 5.

Si quis sciens intra gradus prohibitos matrimonium contrahere præsumpserit, separetur,

& spe dispensationis consequendæ careat: idque magis in eo servetur, qui consummare matrimonium ausus fuerit. Si ignoranter id fecerit, & solemnitates requisitas neglexit, eisdem subjiciatur pœnis. Si verò solemnitatibus adhibitis, postea impedimentum cognoscatur, cujus habuit ille probabilem ignorantiam, tunc faciliùs cum eo & gratis dispensari poterit. In contrahendis matrimoniis, aut nulla omnino, aut raro detur dispensatio, idque ex causa, & gratis concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam.

Cap. 6.

Quamdiu rapta mulier in potestate raptoris fuerit, nullum posse fieri matrimonium decernit sancta Synodus. Si autem in libertate constituta, eum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat: Jure tamen ipso sint excommunicati, perpetuò infames, & omnium dignitatum incapaces, tam raptor, quàm omnes consilium, auxilium & favorem illi præbentes. Si clerici sint, de gradu suo cadant: dotare autem raptam arbitrio judicis raptor teneatur, sive illam duxerit, sive non duxerit.

Cap. 7.

Paternè monet sancta Synodus eos, ad quos spectat, ne genus hominum vagantium, & incertas sedes habentium ad matrimonium facilè recipiant. Magistratus hortatur, ut eos severè coërceat. Parochis præcipit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi diligenti facta inquisitione, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.

Cap. 8.

Statuit sancta Synodus concubinarios, tam solutos quàm conjugatos, cujuscumque sint status, si ter admoniti ab Ordinario concubinas non ejecerint, séque ab earum consuetudine non sejunxerint, excommunicatione feriendos esse: à qua, donec re ipsa paruerint, non absolvantur. Quòd si censuris neglectis per annum in concubinatu permanserint, contra eos ab Ordinario severè procedatur. Mulieres, quæ cum adulteris seu concubinariis publicè vivunt, si ter admonitæ non paruerint, ab Ordinariis locorum graviter puniantur, invocato si opus sit, auxilio seculari.

Cap. 9.

Præcipit sancta Synodus omnibus cujuscumque gradus, conditionis & dignitatis existant, sub Anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directè, vel indirectè, subditos suos, vel quoscumque alios cogant, quò minùs liberè matrimonium contrahant.

Cap. 10.

Ab adventu Domini usque ad diem Epiphaniæ, & à feria 4. cinerum usque in octavam Paschatis inclusivè, antiquæ nuptiarum prohibitiones observentur: In aliis temporibus solenni-

solenniter celebrari permittantur: ut autem ea modestia & honestate, qua decet, fiant; Episcopi curabunt. Sancta enim res est matrimonium & sanctè tractandum.

Decretum de reformatione generali in eadem 8. Sessione.

Cap. I.

Cum primùm Ecclesia vacaverit, supplicationes ac preces publicè privatimque fiant, quibus Clerus & populus bonum à Deo pastorem valeant impetrare. Hortatúrque sancta Synodus omnes, qui jus habent ad promotionem præficiendorum, aut aliquam operam præstant, ut meminerint nihil se ad Dei gloriam & populorum salutem utilius posse facere, quàm si bonos pastores promoveri studeant: eósque mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesiæ utiliores judicaverint, præfici diligenter curaverint: & quos ex legitimo matrimonio natos, vita, ætate, doctrina, aliisque dotibus præditos sciant, quæ juxta sacros Canones & hujus Synodi decreta requiruntur. Additur hic de forma instructionis & testimonii in Synodis Metropolitanis facienda, & à summo Pontifice approbanda ad promotionem Episcoporum. Et Summus Pontifex admonetur officii sui in eligendis præstantissimis quibusque viris ad Cardinalitiam dignitatem.

Cap. 2.

Provincialia Concilia sicubi intermissa sunt, revocentur. Metropolitani, ipsi intra annum à fine præsentis Concilii, & deinde quolibet triennio post octavam Paschæ Resurrectionis Dominicæ, seu alio commodiori tempore, non prætermittant Synodum in provincia sua cogere, quo Episcopi & alii qui interesse debent, convenire teneantur. Neque Episcopi Comprovinciales ad Metropolitanam Ecclesiam deinceps accedere inviti compellantur. Episcopi nulli Archiepiscopo subjecti, vicinum aliquem Metropolitanum semel eligant, cujus Synodo Provinciali intersint, & ibi ordinata observent, cæteris in rebus eorum integra maneant privilegia. Synodi diœcesanæ quotannis celebrentur, ad quas omnes accedere teneantur, etiam exempti illi, qui nisi exempti essent, interesse deberent. Qui Ecclesiarum curam gerunt, etiam annexarum, quicumque illi sint, Synodo intersint.

Cap. 3.

Patriarchæ, Primates, Metropolitani & Episcopi propriam diœcesim per se ipsos, aut si legitimè impediti sint, per suum generalem vicarium aut visitatorem visitent. Si quotannis totam visitare non poterint, saltem majorem ejus partem, ita ut biennio tota compleatur. Metropolitani, diœceses suorum Comprovincialium ne visitent, nisi causa cognita & probata in Concilio Provinciali. Archidiaconi, Decani & alii inferiores, quas Ecclesias legitimè consueverunt, visitent assumpto Notario, de consensu Episcopi & per seipsos tantùm. Episcopus & ejus Visitator possit visitare illas Ecclesias, quas visitator Capituli (qui non nisi approbatus ab Epi-

Episcopo id faciet) jam visitavit. Archidiaconi & alii inferiores cuncta visitationis suæ acta exhibebunt intra mensem Episcopo, non obstante quacumque consuetudine, &c. Visitationum scopus primus sit orthodoxam fidem extirpatis hæresibus, inducere: bonos mores tueri, pravos corrigere, populum exhortari ad religionem, pacem, innocentiam, &c. Quæ ut succedant feliciùs, ii omnes qui hoc munere funguntur, studeant charitate omnes amplecti, & modesto comitatu contenti celeriter visitationem absolvant: nulli graves inutilibus sumptibus sint, nec quicquam accipiant, exceptis victualibus, quæ sibi ac suis nihil nisi necessarium exigentibus sufficiant. Eligant ii qui visitantur, malintne consuetam pecuniam numerare, an victualia prædicta ministrare. Jus tamen conventionum cum Ecclesiis non pariochialibus illæsum servetur. Ubi nihil à visitatoribus accipiebatur, gratis etiam nunc visitent: eis qui plus cœperint, pœna statuitur Patroni: neque in iis, quæ Sacramentorum administrationem spectant, se ingerant, neque visitationi bonorum Ecclesiæ, nisi quatenus eis id ex institutione competat. Episcoporum id munus esto, qui & fabricæ proventus in Ecclesiæ usum expendi curabunt.

Cap. 4.

Canones sub Paulo tertio de Prædicatione verbi Dei, præsentis temporis necessitati sancta Synodus aptiùs accommodans, mandat, ut Episcopi ipsi (quorum hoc præcipuum munus est) in Ecclesia sua, aut eis impeditis, illi quos ad hoc assument, in aliis autem Ecclesiis Parochi, aut eorum impensis ii, quos constituet Episcopus, prædicent, saltem Dominicis diebus & solennibus festis: tempore autem jejuniorum, Quadragesimæ & Adventus quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, & si quando aliâs id opportunum judicârint. Moneatur populus audire verbum Dei, ubi id commodè possit, in sua Parochia. Nullus, neque ipsi Regulares etiam in Ecclesiis suorum ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumat. Episcopi pueros in singulis Parochiis diligenter doceri faciant fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum & parentes, saltem Dominicis & festivis diebus. Et si necesse sit, per censuras ad id compellant eos, ad quos hoc munus spectat: non obstantibus privilegiis, &c.

Cap. 5.

Causæ criminales graviores contra Episcopos, etiam hæresis, quæ depositione aut privatione dignæ sint, à Romano tantùm Pontifice cognoscantur & terminentur. Si causa necessariò extra Romanam curiam sit committenda, nemini nisi Metropolitanis aut Episcopis à summo Pontifice eligendis committatur, idque manu ipsius summi Pontificis signetur, ne his plus tribuatur, quàm ut processum causæ conficiant, & ad Roman. Pontificem transmittant, cui semper sententia diffinitiva reservabitur. Cætera sub Julio tertio superiùs decreta, & constitutio sub Innocentio tertio, in Concilio generali, quæ incipit, Qualiter & quando: ab omnibus observentur. Minores causæ Episcoporum in Concilio tantùm Provinciali, aut à deputandis per ipsum cognoscantur & terminentur.

Cap. 6.

Cap. 6.

Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, & in quibuscumque casibus occultis, etiam sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita Pœnitentia salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantùm, non eorum vicariis sit permissum.

Cap. 7.

Cùm Sacramenta administrabuntur, illorum vis & usus pro suscipientium captu explicetur, juxta formam à sancta Synodo præscribendam in Catechesi, quam in vulgarem linguam fideliter versam populo Parochi exponent. Eadémque lingua, sacra eloquia & salutis monita singulis diebus festis explanent, & in lege Domini erudiant, rejectis inutilibus quæstionibus.

Cap. 8.

Crimen publicè & cum multorum scandalo perpetranti, publica pœnitentia injungatur: hanc tamen Episcopus commutabit in privatam, cùm id magis utile judicaverit. In Cathedralibus Ecclesiis, ubi id commodè possit, Pœnitentiarius cum unione Prabendæ proximè vacaturæ instituatur Doctor aut Licentiatus in Theologia vel jure Canonico & Quadragenarius, aut alius, qui pro ratione loci aptior reperiatur. Censeatur hic præsens in choro, quamdiu Confessiones in Ecclesia audiet.

Cap. 9.

Quæ in hoc Concilio toto de visitatione beneficiorum exemptorum constituta sunt, eadem serventur in iis Ecclesiis secularibus, quæ in nullius diœcesi esse dicuntur, ut ab Episcopo proximo, aut ab electo ab eo semel in Concilio Provinciali, visitentur: non obstantibus &c.

Cap. 10.

Episcopi jus & potestatem habeant ea ordinandi, puniendi & exequendi juxta Canonum sanctiones, quæ necessaria videbuntur visitationi & morum correctioni suorum subditorum. Neque executionem impediat exemptio, inhibitio, appellatio, &c,

Cap. 11.

Decernit sancta Synodus, ut si quando exigentibus causis gravissimis, aliqui decorabuntur titulis honorariis, Protonotariatus, Acolytatus, Comitis Palatini, Capellani Regii, aut simi-

libus: & si qui alii eximentur sub nomine servientium militiis seu monasteriis, hospitalibus aut Collegiis, aut quovis alio titulo, nihil ex his privilegiis detractum iri Ordinariis intelligatur, quò minus existant ii subjecti plenè Ordinariis, & quo ad Capellanos Regios, juxta constitutionem Innocentii tertii, quæ incipit, Cùm Capellæ, Exceptis iis, qui exemptis locis militiisque actu serviunt, intra eorum septa, & in eorum obedientia viventes: & iis qui legitimè secundum regulam earundem militiarum professionem fecerint, de qua constet Ordinario: Quæ verò privilegia residentibus in curia Romana, aut familiaribus Cardinalium, ex Eugenii constitutione competent, ea in iis qui beneficia obtinent, ratione Beneficiorum non intelligantur, sed ordinariis subjecti permaneant, non obstantibus privilegiis, &c.

Cap. 12.

Nemo deinceps ad unam dignitatem, cui animarum cura subest, promoveatur, nisi qui 25. annum ætatis attigerit, & in Clericali ordine versatus, doctrina ad id muneris necessaria, & morum integritate commendetur. Archidiaconi, ubicumque fieri poterit, sint magistri seu Doctores aut Licentiati in Theologia aut Jure Canonico: ad cæteras dignitates, quibus ea cura non est annexa animarum, Clerici assumantur idonei, non minores 22. annis. Patroni beneficiorum curam animarum habentium, intra duos à possessione adepta menses, in manibus, aut Episcopi coram generali ejus Vicario publicam faciant Orthodoxæ suæ fidei professionem, & in Sancta Romanæ Ecclesiæ perpetuam obedientiam jurent. Assumpti ad Canonicatus & dignitates in Cathedrali Ecclesia, id ipsum non solùm coram Episcopo, sed etiam in Capitulo: alioqui neque fructus faciant, neque eis possessio suffragetur. Multa præterea statuuntur de ætate Ordinibus, titulis, residentia, cultu, exercitiis & moribus eorum, qui ad Canonicatus & portiones assumentur.

Cap. 13.

Concilio provinciali committitur, ut diligenter inquirat, qua ratione quibúsve modis tenues aliqui Episcopatus augeantur, ut & dignitati Episcopali respondeant, & Ecclesiarum necessitati satisfiat, & confecta super hoc instrumenta ad Summum Pontificem mittat, qui prout expedire judicaverit, tales Ecclesias, aut uniendo, aut fructuum accessione, augebit. Idem etiam in Parochialibus Ecclesiis pauperibus providendum Episcopo permittitur. Ecclesiæ Parochiales nullo modo uniantur monasteriis, Abbatiis, Præbendis, vel aliis quibuscumque beneficiis, vel Hospitalibus, vel militiis: & in eis omnibus, quæ sunt jam unitæ, decretum hujus Synodi sub Paulo tertio observetur. Episcopatus, qui summam ducatorum mille, & Parochiæ, quæ summam centum annuis proventibus secundùm verum valorem non excedunt, nullis pensionibus aut reservationibus fructuum graventur. Ubi Pariochiales Ecclesiæ non sunt distinctæ, sed rectores earum promiscuè petentibus ministrant Sacramenta, Episcopus populo distincto, certas Parochias faciat, & suum perpetuum populum ac peculiarem Parocho assignet. Et ubi nullæ sunt Parochiales, quàm primum fieri curet: non obstantibus privilegiis, &c.

Cap. 14.

Cap. 14.

Mandat Sancta Synodus Episcopis, ut eas solutiones seu promissiones seu turnorum litera, quæ prava consuetudine alicubi exiguntur in electione, præsentatione, vel alia provisione seu admissione ad possessionem, penitus aboleant & extirpent: illis duntaxat exceptis, quas pias & laudabiles invenerint: ii verò, qui contra comprehensa in hoc decreto committent, pœnis in Simoniacos latis mulctentur: non obstantibus, &c.

Cap. 15.

Liceat Episcopis tum consensu Capituli, aliquot beneficia simplicia unire Canonicatibus Ecclesiæ Cathedralis & Collegiatæ, ubi tam tenues sunt ut gradui Canonicorum pro loco & personis non sufficiant: aut aliquas supprimant præbendas cum Patronorum consensu, ut earum proventus in distributionibus quotidianis aliarum applicentur: ita tamen ut tot supersint, quæ divino cultui ac dignitati Ecclesiæ respondeant.

Cap. 16.

Jubetur Capitulum, cui sede vacante munus incumbit fructuum percipiendorum, œconomum decernere, qui rerum Ecclesiasticarum & proventuum curam gerat: item vicarium constituet idoneum infra octo dies, vel existentem confirmabit. Cessante Capitulo Metropolitani cura hæc sit. Episcopus vero ad talem Ecclesiam promotus, ab his Officialibus & ab ipso Capitulo rationem exigat officiorum & administrationis, possitque eos punire qui deliquerint. Et de scripturis ad Ecclesiam pertinentibus, Capitulum Episcopo reddat rationem, si quæ scripturæ ad illud pervenerunt.

Cap. 17.

Sancta Synodus statuit, ut in posterum unum tantùm beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur: quòd si ad vitam honestè sustentandam ejus cui confertur, non sufficiat, licebit aliud simplex sufficiens eidem conferri: modò utrumque personalem residentiam non requirat. Et hæc ad omnes Cathedrales Ecclesias, & ad omnia beneficia secularia & regularia vel commendata pertineant. Illi verò, qui in præsenti plures Parochiales Ecclesias, aut unam Cathedralem & aliam Parochialem obtinent, cogantur omnino una tantùm retenta, alias infra sex menses dimittere: alioqui beneficia omnia, quæ obtinent, vacare censeantur, & ut vacantia aliis conferantur: nec illi tuta conscientia fructus post dictum tempus retineant. Optat tamen sancta Synodus Summum Pontificem aliqua ratione necessitatibus resignantium providere.

Cap. 18.

Cùm Ecclesia Parochialis, quæcumque ea sit, per obitum vel resignationem vacaverit, Episcopus statim idoneum in ea vicarium, si opus sit, cum congrua sustentatione fructuum con-

constituet, donec ei de rectore provideatur. Porro Episcopus & Patroni, intra breve tempus quod ipse Episcopus praescribet, idoneos clericos coram deputandis examinatoribus nominent, & deferant qui volent aliorum nomina, ut de omnibus diligens fiat, inquisitio: Et si Episcopo & Synodo Provinciali videatur, per edictum publicum vocentur qui volent examinari. Examinentur ab Episcopo omnes, aut ab ejus generali vicario, cum aliis saltem tribus examinatoribus: horum votis, si pares aut singulares fuerint, accedere possit Episcopus, vel vicarius, quibus magis videbitur. Examinatorum eligendorum latè percipitur modus, qualitates, &c. & quid fiet quando Jus Patronatus vel ad Ecclesiasticum pertinebit vel ad Laicos. Nec aliter facta provisio ullius sit valoris vel momenti, non obstantibus indultis, privilegiis, &c.

Cap. 19.

Mandata de providendo, & gratiae quae dicuntur Expectativae, nec concedantur deinceps, nec concessis uti liceat, nec reservationes mentales, nec alia quaecumque gratia ad vacatura alicui etiam Cardinali dentur, & concessa antea abrogata esse censeantur.

Cap. 20.

Causae omnes ad forum Ecclesiasticum pertinentes, in prima instantia coram ordinariis locorum duntaxat cognoscantur & infra biennium saltem à die motae litis terminentur: alioqui litigantes superiores Judices competentes adeant, qui causam terminent. Hic latè determinitur, quae apud quos judices causae sint peragendae: & ne Nuntii seu Legati procedant contra Clericos & alios Ecclesiasticos, nisi Episcopo requisito & negligente. Et ut Notarius actorum copiam appellanti congrua mercede intra mensem exhibeat: Si fraudem fecerit aut ipse Notarius aut Judex, ad dupli poenam, quanti ea lis fuerit teneatur: non obstantibus privilegiis, &c.

HISTORIA SESSIONIS XXIV.

ANte omnia Legati ad Concilii finem festinantes reliqua *de Indulgentiis, Invocatione Sanctorum & Purgatorio &c.* Capita decem Theologis discutienda & confutanda offerunt, simúlque immutata tractationis forma statuunt, ut sententiae illorum postea in generali Congregatione proponantur, super iis eodem tempore, quo de matrimonio agendum sit, Canones formentur, & omissis Theologorum disputationibus res ad celerem Concilii exitum deducantur. Mentionem etiam Reformationis Principum iidem injiciunt. Contra Hispanus Orator proponit, longiorem moram ad conficienda, quae supersunt, negotia requiri, ut Protestantes ad Concilium veniant, & ad amplectenda Concilii decreta invitentur, reliquae etiam controversiae, inprimis illa de Indulgentiis, non perfunctoriè, sed seriò venti-

ventilentur. Quæ Oratoris Comitis Lunensis sententia Romam perscripta adeò Pontifici displicuit, ut prolixam de ea non tantùm apud Hispanos Oratores Romæ commorantes, Ludovicum Avila & Vargam, sed ipsum etiam Regem per Nuntium suum querelam moverit. Die 22. Julii anathemata in Congregatione proposita sunt, deliberatúmque inprimis de Canone V. quo damnabantur divortia in Codice Justiniani concessa, nec non de eo Canone, quo de divortio per causam adulterii actum, quem sub anathemate sanciendum alii affirmabant, alii, ne Ambrosius multíque Ecclesiæ Græcæ Patres eodem anathemate involverentur, negabant. Die 24. Julii Orator Ducis Florentiæ in Congregatione admissus est. Disceptatum in eodem est de Cœlibatu Sacerdotum, & clandestinis matrimoniis. Quoad prius, magno consensu omnes, Pragensi Archiepiscopo, & Quinqueecclesiensi Episcopo exceptis, conjugatos à Sacris Ordinibus removent. Quoad posterius, pro nullis habenda ejusmodi matrimonia decernitur, oborta tamen inter Patres, quin & ipsos Legatos disputatione, quæ in illis reddendis irritis ecclesiæ potestas competat. Actum quoque de variis matrimonii abusibus, veluti de cognatione Spirituali, & affinitate per fornicationem contracta, an sit matrimonii contrahendi legitimum impedimentum: de impedimento consanguinitatis & affinitatis, an ultra tertium gradum extendi debeat, quod à quibusdam negatum: de facultate dispensandi in gradibus prohibitis, Episcopisne singulis, an Romanæ Curiæ ea permitti debeat: de potestate Regum ac Principum in cogendis subditis ad matrimonia, quam iis asserebat Episcopus Barcinonensis, usus ad id exemplo Pauli IV. Pontificis, qui An. 1556. Johannæ Arragoniæ uxori Ascanii Columnæ denuntiaverat, ne quam è filiabus suis sine licentia sua nuptum daret; at negabant alii, eò quòd in matrimonium tanquam rem sacram nihil juris Seculares habeant: de superiorum domesticorum, Patris, matris & avi ad cogenda filiorum matrimonia potestate. Post hæc Legati 38. Reformationis Capita Oratoribus exhibent eum in finem, ut de iis, quid sibi videretur, proponerent, antequam Patribus executienda traderentur. Ea Capita à deputatis per singulas Nationes eligendis examinari Lunensis Comes petiit, sed Lotharingo aliísque refragantibus. Cúmque temporem illum in Lotharingo antehac singulare Reformationis studium præ se ferente Warmiensis aliique admirabundi notarent, is ingenuè fassus est animi sui in deterius mutationem, allegata causa, *quòd experientia doctus non solùm in Concilio peragi non posse quicquam aut perfectum, aut mediocre, sed etiam quicquid in eo genere tentabitur, in deterius versurum.* Articulis de Reformatione à Legatis exhibitis alios octo addiderant Oratores Cæsaris, unà cum quinque in Legatorum articulos annotationibus; Galli quoque super iisdem articulis varias ob-

 serva-

ſervationes obtulerunt. Sed & Hiſpanus Orator Comes Lunenſis die 7. Auguſti ſuper eiſdem Capitibus poſtulata ſua exhibuit, eò pertinentia, ut Epiſcoporum poteſtas reſtringeretur potiùs, quàm amplificaretur. Sed & ſcripto exhibito petiit, ut Patres aliquot Nationatim deputarentur, qui capita Reformationis cuilibet regioni neceſſaria colligerent. Reſpondit Moronus omnium nomine, *non poſſe alium modum procedendi inſtitui, quàm qui hactenus uſurpatus fuit.* Orator regeſſit inter alia, *Concilium ſervum eſſe; praecedentibus diebus privatas Congregationes Italorum habitas eſſe ad captanda ſuffragia.* Poſtridie conſultatio habita eſt inter Legatos & duos Cardinales de Oratorum animadverſionibus. Lotharingus acceptis è Gallia literis, cum mandato, ut ipſe & Præſules Galli rebus Papæ faverent, totus in id intentus fuit, quemadmodum Legatis ſatisfaceret, authorque Legatis fuit, ne de tot ſimul capitibus Patres in ſuffragia mitterentur, ſed iis in certas partes diſtributis, una poſt alteram finitam proponeretur. Die 11. Auguſt. cœperunt Congregationes pro conſtituendis Decretis & anathematibus de Matrimonio. Denuo igitur diſputatum de matrimoniis clandeſtinis, quæ irrita declaranda eſſe Cardinalis Lotharingus cenſuit, contrariam opinionem ſuſtinente Archiepiſcopo Hydruntino, qui opponebat, *id eſſe authoritatem dare laicis ſuper Sacramenta, & facere, ut credant, authoritatem irrita faciendi matrimonia pendere à patria, & non ab eccleſiaſtica poteſtate.* In fine Congregationis Oratores Veneti in anathemate de divortiis rationem haberi poſtulant Græcorum Reipublicæ ſuæ ſubditorum, quibus mos ſit uxorem adulteram repudiare, aliámque ducere. Dicebant multi, *æquum haud eſſe, ut Græci nec auditi nec citati damnentur.* Unde diſceptatum, quo ſenſu Græci dici poſſint ad Concilium vocati? Tandem ne in Proteſtantibus ipſe Ambroſius & Orientales eccleſiæ damnentur, inventum eſt ſubtile temperamentum, ut videlicet ii duntaxat anathemate feriantur, qui dicunt eccleſiam errare, cùm docet, propter adulterium matrimonii vinculum diſſolvi non poſſe. Diſputatum deinceps, *an eccleſia matrimonia clandeſtina irrita reddere poſſit?* Ea de re cùm diu anxiè Patres litigâſſent, & vix formula reperiri poſſet, quæ omnibus ſatisfaceret, tandem Metenſis Epiſcopus eam decreto, quod in 1. Reformationis Capite extat, formam, quæ hodie conſpicitur, indidit, Patribus tamen numero 56 apertè refragantibus. Eodem tempore Sforza Brivius Tridentum venit, ſolicitaturus apud Patres, ut intercedant Regi Hiſpaniæ, authoritate Pontificia Mediolani Inquiſitionis tribunal introducere molienti. Querebatur ille Mediolanenſium nomine, *patriam ſuam intolerandis angariis prope ad incitas redactam, huic, quæ alias omnes ſuperaret, ſuccubituram eſſe. Conſtare, quòd tribunal in Hiſpania, quod in oculis ipſius Regis eſt, non ſemper ad medicandam conſcientiam, ſed perſæpe etiam ad loculos exhauriendos, alióſque fines Seculares reſpiciat. Quid igitur*

igitur futurum Mediolani, in loco adeò ab oculis Regis remoto? Audito hoc nuntio non minùs ipsi Episcopi metu perculsi sunt. Unde Episcopi Insubres non tantùm constituunt ad Pontificem dare literas, eúmque de periculo ipsi Sedi Apostolicæ ab hoc tribunali imminente admonere: Sed etiam in ipsa Synodo Patres obsecrant, ut Concilii decretis inseratur verbulum aliquod, in favorem Episcoporum, quod eos aut Jurisdictione ea eximat, aut idoneè illis caveat. Sed Ducis Suessani Insubrum Præfecti operâ apud Philippum navatâ factum est, ut consilium illud statim omitteretur. Deinceps omnia ad maturandum Concilii exitum comparata sunt. Nam & Pontifex per Nuntios suos & Oratores apud se residentes, quibus dicebat, *se plus debiturum iis, qui ad finiendum Concilium operam conferrent, quàm si armorum auxilia in gravi aliqua necessitate contulissent*; Principum ad id assensum aucupabatur: & Legati idem unicè commendabant: & Galli Lotharingo auctore aliíque Præsules Legatorum rogatu privatas in ædibus suis Congregationes rebus maturandis instituebant. Die 7. Septembris prolata sunt Capita XXI Reformationis, in quibus ita concinnandis, ut neminem offenderent, præcipuam Cardinalis Simoneta operam navaverat. Eadem die in Congregatione acceptus est Orator Magistri & Ordinis Equitum Johannitarum, qui Oratione habita inter alia oravit, *ut possessiones & commendæ per vim & injuriam ereptæ iis restituerentur, utque Concilium decerneret, ne in posterum aliis ab eo Ordine alienis conferret.* Responsum à Promotore inter alia, *Synodum de conservandis Commendis & privilegiis illius Ordinis fidelem operam promittere.* Neque tamen, quamvis sæpius instarent, quidquam vel à Synodo vel à Pontifice impetrârunt. In eadem ut & sequentibus Congregationibus suffragia super XX. Capitibus Reformationis rogata sunt. Die 11. Septembris Oratores Galli à Rege suo literas acceperunt, quibus graviter ille questus est de Concilii reformationem Principum meditantis instituto. Inter alia ob attentatam Regum reformationem Patribus insinuari petiit, *in Concilio Regibus ungues præcidi & Ecclesiasticis crescere. Patres vulnus occultare, quod præsentibus malis causam præbet, & Regibus gravius infligere. Ecclesiasticorum reformatione eos leviter defunctos, in eo esse, ut Regibus prærogativas & Jura auferant, Constitutiones Regias & consuetudines immemoriali præscriptione nixas rescindant, Reges & Principes anathemate feriant, & subditos adversus Principes inflamment, &c.* Acres Regis literæ Concilii Patres à proposito adeò non deterrent, ut obstinatiores etiam reddiderint, eóque factio processerit, ut centum Præsules pactione chirographo sancita & inita Legatos convenerint, eósque ad prosequendam Principum reformationem, etiam protestationis forma interposita, solicitaverint. Die 15. Septembris Sessio in diem 11. Novembris prorogata est. Cúmque spes certa finiendi Concilii haud appareret, Ponti-

fex

sex Legatis facultatem misit ejus vel suspendendi vel transferendi. Eodem tempore Lotharingus totus jam Pontificiarum partium, ut familiæ suæ dignitatem tueretur, factus, Romam ad Pontificem concessit, ibique perquam honorificè habitus, cum Pontifice de finiendo propediem Concilio arcana consilia inivit. Tridenti interim Reformationis Principum Articuli tredecim arrogantissimi vulgantur, quorum Epilogus erat, *ut Principes ea, quæ Juris Ecclesiastici sunt, haberent in veneratione tanquam Deo peculiaria, utque sub anathematis pœna nec directè nec indirectè sub quocumque prætextu aliquid contra personas, bona ecclesiastica, eorúmque libertatem, non obstantibus quibuscunque privilegiis, statuant aut executioni mandent.* Die igitur 22. Septembris, postquam unus è Patribus fusè disseruisset, causam omnis deformitatis procedere à Principibus, adeóque illis reformatione opus esse, & capita jam de eo formata in medium proponi debere; Orator Gallus Ferrerius ad Patres à Reformatione ea dehortandos aculeatam admodum Orationem habuit, protestationem etiam minatus, si institutum illi prosequerentur. Cui Anonymus quidam Synodi nomine respondit, causam deformationis Ecclesiasticæ in Regem Galliæ rejiciens & inter alia ejusdem Oratoris dictum, *quòd Principes à Deo dati sint,* arguens tanquam hæreticum, & damnatum ab Extravagante Bonifacii VIII *Unam Sanctam,* nisi ita distinguatur, ut dicatur, esse à Deo, sed mediante suo vicario. Ferrerius edita apologia causam suam strenuè agit, & non tam Anonymo quàm ipsis Concilii Patribus vicem animosè rependit. In extrema apologia narrat, quosdam ex Episcopis, qui aderant, cùm non intelligerent, quid verbo *intercedendi* significaretur, à proximè sedentibus quæsivisse, pro quo oraret Rex Christianismus. Ad quæ Ferrerius respondit, *exauctorandos eos fuisse, sicut ab Honorio III factum, qui Episcopum Calviniensem dignitate privavit eo tantùm nomine, quòd fateretur, Grammaticam se non didicisse.* Dum hæ dissensiones Concilium exercent, etiam Comes Lunensis occasionem arripuit denuo instanter flagitandi abrogationem decreti, quo proponendi facultas solis legatis concessa est. Legati se liberum facere Concilio ajunt, ut declarationem, quando commodum videbitur, edat. Interim strenuè cum Prælatis conjunctioribus machinantur, quemadmodum in longum res extrahi, adeóque Comes deludi possit. Sed Comes detectis machinationibus protestationem adornat, quam tamen recitare omisit, interposita fide Legatis, fore ut proxima Sessione id declaretur. Pontifex lecta Ferrerii protestatione mirificè commotus est, nec minùs Lotharingus, qui adhuc cum Pontifice erat, & ei operam in medicando hoc malo pollicitus fuerat. quod etiam præstitit, datis ex condicto ad Oratores Gallos & Regem ipsum literis, quibus Pontificem miris præconiis extulit, & ut violentis deinceps consiliis parceretur, rogavit. Sed & Pontifex

fex Legatis scripsit, & quid facto opus sit, significavit, nimirum: *Si Gallis animus esset abeundi, ne discessum eorum impediant. Solicite dent operam, ut Sessio constituto die celebretur; & Concilium alia Sessione unica, intra duas aut tres septimanas habita claudatur: atque praescriptum hoc clam habeant, nec cuiquam nisi Lotharingo propediem reversuro ostendant.* Die 7. Octobris habita est Congregatio, ut constitueretur, quid de caeteris Reformationis Capitibus praeter illa unum & viginti agendum esset, praesertim de illo, quod ad Principes pertinet. Post multam disceptationem conclusum est, ut Sessio celebretur de matrimonio, & Capp. XXI. Reformationis, illud verò de Principum reformatione differatur. Postridie Oratores Galli Regis mandatum secuti Tridento Venetias concesserunt. Dum verò tempus Sessionis expectatur, Legati materiam proximè excutiendam de Indulgentiis, Purgatorio, &c. proponunt, & tractationis modum Theologis, ut & Patribus praescribunt, nempe illis *ut sententiam suam exhibeant scripto, nec sermonem ad alia capita extendant*; his verò, *ut super iisdem sententiam breviter dicant*, addita protestatione, *fore aliàs ut interpellentur.* A Theologis igitur scripta longissima exhibita sunt, eáque adeò variantia, ut Patribus quid constituendum esset, vix appareret. Praesules etiam Hispani de nonnullis Capitibus, quae jam à Praesulibus definita mutabantur, querelas movent. Sed & Comes Lunensis contra Caput V. & VI excipit, ac inprimis declarationem abrogandi Decreti *de solis Legatis proponentibus* urget. Cui quidem difficultati adeo vexatae Cardinalis Lotharingus Tridentum reversus finem imposuit, proposita & approbata ea declaratione, quae extat Capite XXI. Reformationis. Tandem Pontifex Legatos per literas admonuit, ut susque deque habita quorumcunque offensione extremam Concilio manum imponant; simul etiam formulam finiendi Concilii transmisit, cujus haec summa, *ut confirmentur omnia sub Paulo & Julio decreta: declaretur, omnia unius & ejusdem esse Concilii, idque salva in omnibus authoritate Sedis Apostolicae: confirmatio Decretorum à Pontifice postuletur: subscriberent omnes Patres & Oratores quoque, ut intelligant Principes, se obligari ad observationem decretorum & haereticos armis prosequendos.* Successit denique die 11. Novemb. ipsa Sessio XXIV. cui Cardinalis Warmiensis interesse recusavit ob articulum de Matrimonio clandestino, in quod ecclesiae ullam authoritatem constare negabat. Sed & Decretum illud sibi haud placere Patres numero LVI. professi sunt. Lotharingus quoque protestatus est, se Reformationem accipere, sed ut imperfectam, idque ut omnium Gallorum Episcoporum nomine inter acta Concilii referretur, postulavit.

NOTÆ
Ad Historiam & Decretum Sessionis XXIV.

PRimò Patres ad Concilii finem non gradu, sed saltu properant ac præcipitant, Pontifice ipso omnem lapidem movente & cum Lotharingo Cardinale ac Legatis omnia ita instruente, ut quantocyus fieri posset, Concilio finis imponeretur. Atque eundem in finem Legatis placuit tractationis formam ita mutare, ut Theologorum disputationes omittantur, & sententiæ scripto mandatæ exhibeantur, ac denique præcidatur & inhibeatur id omne, quod celerem Concilii exitum retardare posset. Quòd si finis Concilio commodè imponi nequeat, in mandatis datum, ut suspendi illud vel transferri Legati curent. Cúmque acceleratio illa Comiti Lunensi Hispano Oratori improbaretur, eò quòd multa supersint, ac Protestantes ipsi nondum intervenerint; eidemque valde displiceret, quòd Theologi publicè non amplius verba facerent, posceretque adeò, ut de præcipuis, quæ supererant capitibus, non perfunctoriè, sed seriò ageretur; factum est, ut gravem in offensam Pontificis, etiam apud ipsum Hispaniæ Regem ea de re per Nuntium suum quiritantis, incurreret. Vera causa festinationis hujus in promptu est, metus nimirum Pontificis ob Reformationem Cleri & ipsius Pontificis tandiu expetitam, seriò meditatam & intentatam. Huic ut præverteret, filum Concilii ocyùs abrumpendum statuit. Neque multum renuerunt Patres, etiam ii, qui negotium Reformationis fervere optârunt, eò quòd successum votorum suorum desperatum esse facilè cernerent. Et Cardinalis Lotharingus Romæ ad obvios quosque dixit: *Oportet Concilium obserare, & pecuniam parare. Post fiat, quod Deo visum.* Denique & Pontifex Legatis Romam misit præscriptam finiendi Concilii formulam, cujus superius tenorem recitavimus. Colligitur hinc, quàm deplorata Concilii libertas, quámque vanum promissæ reformationis studium fuerit. *Secundò* Pontifex Lunensis Comitis postulatum, ut Protestantes ad subscribendum decretis Concilii invitentur, apud Ludovicum Avilam & Vargam, Hispanos Oratores Romæ elusit hoc argumento, *quòd induratio eorum sit voluntaria, meditata & obstinata; extincta omni spe necessarium esse ad bonos conservandos divisionem confirmare, & partes inter se irreconciliabiles reddere.* An Protestantibus induratio objici possit, dicere hic nihil attinet. Id certum est, illos legitimè auditos non esse, nec Papam ab illis accusatum aliam quàm judicis personam unquam gerere voluisse. Proinde spem reconciliationis obstinatione sua extinxit Papa, atque idem, author finis

Fuit, *divisionem confirmandi & partes irreconciliabiles reddendi*, uti ipsissima ejus verba sonant. Ex quo manifestè sequitur, authorem schismatis fuisse Papam, utpote qui accusatus, adeóque reus, nec legitimo judicio se submisit, & divisionem confirmavit, ac partes irreconciliabiles reddidit. *Tertio* methodi hactenus consuetæ mutatio, juxta quam Theologi de controversis capitibus verba ampliùs facere prohibiti sunt, meritò suspecta fuit non Comiti tantùm Lunensi, sed permultis etiam aliis, qui mirabantur, controversa illa de Indulgentiis, Purgatorio &c. Capita, hactenus non ita, ut reliqua, quæ huc usque ventilata erant, à Conciliis vel Pontificibus decisa, adeóque non in clara luce, sed in obscuro posita, adeò desultoriè tractari, verebantúrque, *ne dicatur Concilium rebus necessariis defuisse.* Sed genuinam hujus rei causam nullo negotio indagârunt alii, dicentes videlicet, *si in rebus jam decisis tot difficultates & contentiones inciderint, magis metuendum esse, ne in his capitibus obscuritatis plenis, ubi Doctores ad veritatem eruendam facem alluxerint nullam, eatur in infinitum; præsertim cùm in hoc argumento campus pateat latissimus, ob multos abusus ad quæstum ex istis faciendum importatos, tum & difficultates, quæ in Bullarum interpretatione nascuntur, & in modo, quo indulgentiæ mortuis applicari possunt.* Liquet igitur, quàm minimè matura fuerint postrema illa, quæ sequenti Sessione promulgata sunt, fidei Capita. *Quartò* notari debet Cardinalis Lotharingi cum Pontificiis arcta necessitudo & conspiratio. Cùm is Tridentum veniret, Papa eum non minùs quàm hostem reformidavit. Vulnera etiam Papatui gravissima minatus est. Cùm Cæsare & Hispanis diu intimam familiaritatem coluit. At ad extremum, & in puncto rerum rectè gerendarum eos turpiter deseruit, & variis illecebris captus, inprimis, quòd post Fratrum suorum mortem non alia ratione familiæ suæ collapsæ dignitati consuli, quàm Pontificis subsidio posse arbitraretur, Romam petiit, suam cum Pontifice conjunctionem testatus est. & cum eodem arcana de finienda Synodo consilia inivit. Animi in deterius mutati causam Cardinali Warmiensi sciscitanti hanc perhibuit, *quòd experientia edoctus sit, non solùm in Concilio peragi non posse quicquam perfectum aut mediocre, sed etiam quicquid in eo genere tentabitur, in deterius versurum.* Ita versutus ille & ἀλλοπρόσαλλος scenæ inserviens effecit, ut Episcoporum plerorumque Papæ in ordinem redigendi grandia molimina in nihilum reciderent. *Quintò* variæ Lunensis Comitis cum Legatis velitationes observatu dignæ sunt. Ut reformatio ritè procederet, Patres aliquot nationatim deputari petiit, qui capita colligerent, & necessariam cujusque regionis reformationem susciperent. Displicuit Legatis consilium. Unde ille in æstu disputationis questus est, *Concilium servum esse, & ad captanda suffragia privatas Congregationes haberi, ad quas soli ferè Itali, & paucissimi Hispani ac Galli vocentur.* Ad hoc lepidè Legati respondent,

Præsules justa proportione ad eas Congregationes vocatos esse, quia in Concilio sint Itali 150. *at ex reliquis omnibus Nationibus haud plures quàm* 60. Unde Comes eleganti ironia conclusit, *licet Legati exorsi sermonem sint, ut ostenderent nullam nationis rationem habendam esse, cum tamen ita conclusisse, ut declaraverint, summam se nationis rationem semper tenuisse.* Ex ingenua igitur Legatorum confessione patet, Italos tres partes Concilii, reliquos verò in unum conjunctos vix quartam implevisse. Taceo nunc ejusdem cum Legatis concertationem de abrogando decreto, quo solis ipsis proponendi facultas vindicata est, quóque Legati declarationem illam liberam se facere Synodo ajebant, ac interea cum conjunctioribus Prælatis machinabantur, ut moræ ac temporis beneficio evadere possent. Quo pacto clarum est, eos nomine libertatis in Concilio usos esse pro mantelo ei tegendo, quod ab aliis proficiscebatur. *Sextò* oborta est in Concilio occasione anathematis de divortiis contentio, anne Græci ad Concilium vocati essent necne? Eos enim non citatos & inauditos eo anathemate damnari Patres nonnulli querebantur. Cardinalis Warmiensis & Pragensis Archiepiscopus ita respondent, ut speciali citatione illos vocatos esse liquido profiteri ausi non fuerint, solísque conjecturis pugnaverint. Quomodo igitur Legati reliquíque Patres hactenus Synodum pro Oecumenica venditare sustinuerunt? *Septimò* gravem animadversionem meretur attentata in Concilio Reformatio Principum. Ejus Reformationis tredecim Capita jam formata per ora hominum volârunt, quorum summa huc redit: *ne judices fori Secularis de personis Ecclesiasticis quacunque de causa, vel quocunque prætextu judicare, & ne quidem in causis Assassinii sive Sicariatus, nisi notoriè id constet, & Ordinarii declaratio præcesserit, procedere possint: ne in causis spiritualibus, matrimonialibus, hæreseos, decimarum, juris patronatus &c. quocunque modo ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, vel etiam Jurisdictione ecclesiarum temporali se &c. judices temporales immisceant, nec in petitorio, nec in possessorio, sublata appellatione sive ob prætextum derogatæ justitiæ, sive tanquam ab abusu, sive quia impetratis renuntiatum sit: ne Seculares judices in Ecclesiasticis constituere possint: ne Imperator, Rex aut quivis Princeps edicta sancire possit ad personas aut causas ecclesiasticas quovis modo pertinentia: ne temporalis Jurisdictio Ecclesiasticorum ulla ratione turbetur: ne manum immittant in fructus beneficiorum vacantium, prætextu custodiæ, Juris patronatus aut protectionis: ne Ecclesiasticos adstringant ad solvenda vectigalia, census, decimas, portoria, subsidia &c. in bona Ecclesiastica, mobilia aut soli &c. ut literæ, sententiæ, citationes Judicum Ecclesiasticorum præcipuè Curiæ Romanæ, simul atque exhibitæ fuerint, sine exceptione intimentur, publicentur & executioni mandentur*, aliáque, quæ *Sess. XXV. cap.* 20. *Reformat.* occurrunt. Ita igitur Principum Reformatio à Patribus bonis ædilitatem sine suffragiis petentibus meditata non in eo consistebat, qua ratione ipsi se gerere, rempublicam piè ac legitime administrare, ac Dei cultum & honorem promovere deberent,

quod

quod utique ex Dei verbo illis cum omni reverentia & subjectione ad animum revocare poterant: sed in eo duntaxat, ut ecclesiastica jura cum maximo supereminentis potestatis præjudicio iniquè hactenus rapta & usurpata, nec non dominationem tyrannicam cleri non approbare duntaxat, sed tueri debeant, nec debeant tantùm, sed ad id etiam sub ecclesiasticis pœnis cogantur. Meritò igitur Rex Galliæ de eo ad Oratores suos die 28. Augusti literas dederat, & in iis questus fuerat, *in Concilio Regibus ungues præcidi, & Ecclesiasticis rejicere, Præsules vulnus occultare, quod præsentibus malis causam præbuit, & cum præjudicio Regum gravius infligere: Tendere talia ad subditorum adversus Principes suos contumaciam ac rebellionem concitandam. Potestatem Patrum & Concilii nonnisi ad reformationem Ordinis Clericalis pertinere, nec pertingere ad statum, potestatem & Jurisdictionem Secularem. Molitionibus ejusmodi semper Reges obstitisse, ac inde seditiones & bella exorta esse. Proinde si conatus illi Patrum procedant, Oratores iis se viriliter opponant, & ubi nil profuerint, Concilium ilico deserant &c.* Sed & Ferrerius Gallus Orator die 22. Decembris, oblata occasione, prolixa oratione in ipso Concilio habita, in illud Patrum institutum gravissimè invectus est. Inter alia iis objecit, *reformationem ecclesiasticam inde ab annis* 150. *à Regibus Galliarum cùm passim, tum Tridenti etiam serio flagitatam esse. Et tamen adhuc jejunandum & plangendum esse non* 70. *annis, sicut à Judæis factum, sed* 200. *continuis, & Faxit Deus, ne* 300. *aut pluribus. In reformatione hactenus tentata in Concilio nihil antiquæ disciplinæ congruere, imò multa adversari. Non esse illud cataplasma Esajæ ad sanandum, sed operimentum Ezechielis, quo vulnera quantumvis sanata recrudescunt. Additamenta illa de anathematizandis Principibus esse sine exemplo veteris ecclesiæ, latámque portam aperire rebellioni, totúmque illud caput de Reformatione Principum non aliò respicere, quàm ad libertatem Ecclesiæ Gallicanæ tollendam, & imminuendam Majestatem Regum Christianorum. Carolum M. & Ludovicum IX. Ecclesiasticas leges tulisse, quibus Episcopi Gallicanam ecclesiam administraverint non solùm post tempora Pragmaticæ aut Concordati, sed quadringentis & amplius annis ante librum Decretalium. Patres congregatos tantùm, ut disciplinam ecclesiasticam restituant, hoc neglecto ad eos reformandos se convertere, quibus etiam dyscolis obediendum sit. Michaelem Archangelum non ausum esse maledicere Diabolo, nec Micheam & Danielem Regibus impiissimis. Hos tamen Patres omnes maledictiones in Reges & Principes effundere. Attendendum esse Patribus non ad proximos prædecessores tametsi doctissimos; sed ascendendum iis esse ad Ambrosium, Augustinum, Chrysostomum, qui hæreticos debellàrunt, non armandis ad bella Principibus, interea ipsi purgandis sibi unguibus intenti, sed oratione, vitæ probitate & pura prædicatione. Si igitur ipsi priùs se in Ambrosios, Augustinos, & Chrysostomos formaverint, & ecclesiam purgaverint, effecturos, ut Principes etiam evadant Theodosii, Honorii, Arcadii, Valentiniani & Gratiani.* Hactenus Ferrerius, cordatè non minùs quàm verè & graviter, cujus proinde verbis improbam illam Patrum ma-

chinationem, quàm meis perstringere malui. *Octavò* Decreta fidei quod attinet, inferiùs in quæstionibus Theologicis illa ventilabimus. Nunc ἐπιτόμως etiam Reformationis Decreta expendenda veniunt. Sunt autem illa duûm generum. Alia enim numero decem, Sacramentum matrimonii; alia verò viginti & unum numero Episcoporum ordinem ac Jurisdictionem concernunt. Quoad decretum de Reformatione matrimonii, *primo* Capite agitur de matrimoniis clandestinis, de quibus inferiùs tractabimus fusiùs. Eodem Capite trina denuntiatio eorum, qui matrimonium contraxére, tanquam remedium clandestinis matrimoniis opponendum juxta Concilii Lateranensis præscriptum sancitur. Additur tamen, *si probabilis fuerit suspicio matrimonium malitiosè impediri posse, si tot denuntiationes præcesserint, tum vel unam duntaxat denuntiationem faciendam, vel saltem Parocho & duobus vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebrandum esse, hac lege, ut ante consummationem, si ordinaria videbitur, denuntiationes tamen in Ecclesia fiant.* Qua exceptione latissima via ad clandestina matrimonia panditur. Nullum enim unquam matrimonium tam clandestinum fuit, quin ei celebrando unus aliquis Presbyter & duo vel tres minimùm testes interfuerint. Nec sequentes denuntiationes huncce abusum sarcire possunt, quia sive post illas matrimonium jam solenniter celebratum fas est dissolvere, perinde erit, ante an post consummationem præconia illa & denuntiationes fiant: sive id non liceat, posteriora illa præconia frustra erunt. Hinc est videlicet, quòd Episcopo ab iis solvendi potestas conceditur, quasi error errore corrigi debeat. Eodem Capite, *ne quis nisi præsente Parocho, vel alio Sacerdote, & duobus tribusve aliis testibus matrimonium validè contrahere possit*, statuitur. Ut testes adsint matrimoniali contractui, meritò exigitur. Ast verò ut Sacerdos aliquis præsens sit, neque aliter matrimonium ratum validúmque esse possit, id verò nullo nec Divino, nec naturali, nec civili jure exigitur, neque alium in finem constitutum est, quàm ad amplificandam Ordinis ecclesiastici dignitatem, dum actio tanti in Politica & Oeconomica administratione momenti usque ad id tempus in eorum tantùm, quorum intererat, potestate posita, nunc tota Clero permittitur: nulla deinceps via aut ratione ineundi matrimonii remanente, si duo Sacerdotes, nempe Parochus & Episcopus, licet privatis forte utilitatibus intenti, assensum præstare recusaverint. Denique totum illud Caput à Francisco Belcaro Metensi Episcopo ex variantibus sententiis ita in formam redactum est, ut ob verborum ambiguitatem variis interpretationibus obnoxium sit, uti etiam Cardinalium variæ Declarationes secutæ id comprobant. *Secundo* Capite determinantur personæ, inter quas solas cognatio spiritualis contrahitur. De quo inferiùs quæstione II. agimus. Capite *tertio* publicæ hone-

honestatis impedimentum certis limitibus coarctatur. De quo etiam inferius,ut & de affinitate ex fornicatione,quam dirimere matrimonium in primo & secundo gradu Capite *quarto* definitur. Capite *quinto* sancitur, ne quis intra gradus prohibitos nubat,nubentiúmque pœnæ decernuntur. Additur,*in contrahendis matrimoniis vel nullam omnino dandam dispensationem,vel rarò, idque ex causa & gratis: in secundo verò gradu nunquam dispensandum nisi inter magnos Principes,& ob publicam causam.* Quoad gradus Divino Jure prohibitos,ad quos omnino referendus est secundus juxta Canonicam supputationem,nullam omnino in iis dispensationem admittendam esse,infra probabimus.In humanas prohibitiones cadens dispensatio non ecclesiæ,sed supremæ civili potestati convenit.Capite *Sexto* in raptorem pœna excommunicationis & raptæ dotatio edicitur,simúlque matrimonium raptorem inter & raptam tanquam ratum approbatur,*si rapta à raptore separata,& in loco tuto ac libero constituta,illum in virum habere consenserit.* Addunt alii,fieri id posse,etiamsi parentes reclamaverint. At vetusti Canones matrimonium raptorem inter & raptam prorsus improbant,nominatim etiam Aquisgranense Concilium,cujus Canon extat *C. ult.* 36.*q.*2. Et quis non videt,aditum hoc patefacere audacioribus ad perpetrandos raptus? Postquam enim raptor vi matrimonium cum virgine aut muliere rapta contraxit,thorúmque secuta est copula, facile inducetur rapta, ut consentiat matrimonio raptoris,& hac ratione honori ac pudicitiæ consulat. Deinde multò rectiùs æquiúsque leges civiles raptori pœnam capitis decernunt,uti ex Justiniani sententia *l. Raptores. C. de rapt. Virg.* liquet. Sed & Galli decretum illud Patrum de dotanda rapta reprehendebant,ajebántque,rationem ita callidè excogitatam esse ad adimendam potestati seculari delicti illius cognitionem. Capite *octavo* concubinarii,cujuscunque sint conditionis, si ter moniti non abstineant, excommunicatione feriuntur: Concubinas verò, si ter monitæ non abstineant, extra Diœcesin trudendas esse constituitur. Ita igitur concubinatum prohibendo videtur Concilium canones illos Juris Pontificii,quibus ille permittitur, improbare & abrogare, adeoque occurrere Sacro illi morbo hactenus in Papatu grassanti,de quo lubet audire Cornelium Agrippam de Vanit. Scient cap.64. *Jam lenones,*inquit, *sunt Episcopi & officiales,qui censum à concubinatu pro Sacerdotibus quotannis extorquent, idque tam palam,ut apud plebem ipsam in proverbium abierit illa corum concubinaria exactio, quâ dicunt. Habeat si velit.* Confer querelam similem Claudii Espensæi *lib.II.de Contin.Cap.*7 & ingenuam confessionem Campegii in Comitiis Augustani apud Sleidanum lib. 4. Sed objici potest Patribus Concilii illud Christi Matth. XXIII.3. *Dicunt, at non faciunt.* Experientia nempe testatur, etiam post severam illam prohibitionem concubinas frequentissimas esse non

non tantùm apud Sacrificulos in minoribus ordinibus constitutos, sed etiam ipsos Præsules, Canonicos, Abbates, Episcopos & Cardinales. In hos igitur Tridentina fulmina vibranda fuerunt. In eo capite etiam illud notatum est, quòd statuitur, ut contra concubinarios censuras negligentes ab Ordinario severè pro qualitate criminis procedatur, & concubinæ extra oppidum vel diœcesin, si Ordinariis videbitur, invocato, si opus fuerit, Seculari brachio, ejiciantur. Atqui ecclesiasticarum pœnarum ultima, extrema & maxima est excommunicatio. Illam igitur cùm hîc transgrediantur, manifestè Secularem potestatem invadunt; imò eam ludum faciunt illâ clausulâ, *invocato, si opus fuerit, brachio Seculari.* quod perinde est, ac si affirmetur, Ecclesiasticos via ordinaria istud exterminium exequi posse. Capite *nono* Domini & Magistratus directè vel indirectè, minis & pœnis subditos suos matrimonia cogentes excommunicantur. Sed oportebat ipsum etiam Pontificem nominatim sub hoc edicto comprehendere. Constat enim, & in ipsa Synodo Guilelmus Cassodorus Episcopus Barcinonensis monuit, Paulum IV. Johannam Arragoniam, ne sine licentia sua filios elocaret, coegisse. Dicendum igitur fuerat hoc capite, non temporales dominos tantùm, sed ipsum etiam Pontificem *terrenos affectus & cupiditates excæcasse.* Capite *decimo* tempora designantur, quibus nuptiarum solennitates celebrari conveniat, prohibetúrque, *ne ab adventu Domini usque in diem Epiphaniæ & à feria quarta Cinerum usque in octavam paschatis inclusivè* celebrentur. Non improbamus simpliciter, ut certis temporibus prohibeantur nuptiæ, dummodo prohibitio à legitima potestate proficiscatur, nec sub opinione necessitatis & cultus ecclesiæ obtrudatur. Olim ejusmodi prohibitiones intercesserunt, ne paulò ante festa celebrentur nuptiæ, quò fideles ad communionem se præparare rectiùs valeant. Hanc finalem causam in Papatu negligi palam est, quando constat, semel tantùm in anno, videlicet in festo Paschatis communionem frequentem esse, etiam ex Concilij hujus decreto, debere. Unde Bellarminus aliam prohibitionis causam comminiscitur, nimirum *celebritatem principalium festorum, ad quæ ecclesia per jejunia & orationes filios suos præparare satagat.* Id si verum est, cur igitur Tridentini in festo Pentecostes nuptias fieri permisere? Præterea nulla omninò ratio est, cur tanti temporis intervallo nuptias celebrare nefas sit. Hactenus de Capitibus matrimonij reformationem concernentibus. Succedunt Capita XXI. reliqua, quæ Episcopi Jurisdictionem, aliáque ecclesiastica spectant. Igitur Capite 1. de Episcoporum & Cardinalium electione agitur, ac inter alia statuitur, *ut boni Pastores & ecclesiæ gubernandæ idonei promoveantur.* Additúrque, eligentes *alienis peccatis communicantes mortaliter peccaturos, nisi, quos digniores & ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non precibus vel humano affectu, aut ambientium*

sugge-

suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint. Callidè ita concinnata sunt verba, ne Pontifici aliisque, quibus nominandi in Papatu jus est, manus alligarentur, si ad optimum & dignissimum illis respiciendum foret. Possunt nempe verba illa Concilii commodè ita explicari, ut eligendi dicantur *digniores* & *magis utiles*, respectu aliorum multorum, qui minùs digni & utiles sunt. Intra quem ambitum promoventis arbitrium satis latum campum habere potest. Unde paulò inferiùs etiam comparativo sublato jubetur Pontifex *bonos & idoneos Pastores* ecclesiæ præficere. Eandem curam *in creatione Sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium, etiam si Diaconi sint, exigendam*, Synodus monet. Sed rectiùs factura eadem fuisset, si Cardinales eligendos docuisset, quales veteres fuerunt, iisdem dotibus & eodem munere præditos. Hodie enim Cardinales sunt *sub appellatione ecclesiastica Principes Seculares, à Papa constituti, & hunc solum bona fide agnoscentes.* uti eos rectissimè Cl. Freinshemius *de S.R.I. Elect. & Eccl. Cardinalium præcedentia, diatriba* 1. *Sect.* 33. definit. Et veros Cardinales eos non esse, nec omnino tales, quales olim fuerunt, fusè demonstratum est à M. Anthonio de Dominis *de Rep. Eccl. lib. IV.* 6.32. Convenientiùs igitur officio suo Patres facturi fuerant, si Politicos illos Principes ecclesiasticum ordinem mentitos, & nuspiam à Deo institutos, in ordinem redegissent. Denique cùm in eodem Capite ajunt Patres, *se commemorare, nihil magis ecclesiæ Dei esse necessarium, quàm ut Beatiss. R. Pontifex, quam solicitudinem universæ ecclesiæ ex muneris sui officio debet, eam hic potissimùm impendat, ut lectissimos tantùm sibi Cardinales asciscat,* cordati & prudentes in byssinis illis verbis vel singularem δειλίαν & neglectum officii, vel arrogantiam notabant. Sive enim Synodus authoritatem habuit Pontifici leges præscribendi, uti factum constat in Concilio Basileensi, nominatim Sessione XXIII. utique timidè & supinè nimis factum, quòd eum officii admonuit in forma narrationis & obliquis verbis: sive authoritatem eam non habuit, excusari non potest, quòd quamvis obliquè, acriter tamen cùm hujus, tum aliorum etiam Pontificum præteritas actiones perstrinxerit. Capite IV. prædicationis munus tanquam præcipuum injungitur Episcopis, atque ita quidem, *ut in Ecclesia sua vel ipsi per se, aut si legitimè impediti fuerint, per eos, quos ad prædicationis munus assumit, saltem omnibus Dominicis & solemnibus diebus festis, tempore autem jejuniorum quadragesimæ quotidie, Sacras Scripturas & Divinam legem annuntient.* Bene est, quòd Episcoporum præcipuum facit *prædicandi* munus. Cùm igitur nihil negligentiùs Episcopi Pontificii plerique obeant, quid de iis judicandum sit, facilè cognoscitur. Atque negligentiæ etiam illi januam aperuit, cùm iis concessit, *ut, si legitimè impediti fuerint, per alios munus illud exequantur.* Declarandum fuerat, quæ illa legitima impedimenta sint. Nunc ubi id non factum, facile est Epi-

ſcopis quodvis impedimentum, tanquam *legitimum*, cauſari. Experientia teſtatur, illos in gerendis bellis, venationibus, conteſtandis litibus, exercendo foro, aliiſque temporalibus longè quàm in prædicando occupatiores eſſe. Et tamen cùm prædicandi munus Epiſcopi præcipuum eſſe fateatur Synodus, nullum *legitimum* impedimentum cenſeri, niſi Divina vis debuerat. Capite V. cauſæ criminales graviores contra Epiſcopos ſolius Pontificis, non Concilii Provincialis cognitioni ſubjiciuntur. Hæc quoque nova techna erat ad curiæ commoda magis magiſque augenda: cùm omnia antiquitatis exempla, & Canones Conciliorum temporis illius oſtendant, cauſas Epiſcoporum omnes in ſua cujuſque regione tractatas eſſe. Capite VIII. publicè peccantibus publica pœnitentia injungenda ſtatuitur, *niſi Epiſcopi arbitrio aliter viſum fuerit.* Huic nempe relinquitur, ut publicæ pœnitentiæ genus in ſecretum commutare poſſit. Quæ exceptio ipſum publicæ pœnitentiæ, cujus nullus fere in Papatu uſus eſt, canonem irritum reddit. Talia videlicet ſunt Tridentina illa Reformationis decreta. Si quid ſalutare alicubi ſtatuitur, ſtatim fraudulentis exceptionibus enervatur, ac ita toti orbi illuditur. Capite XIII. unio beneficiorum & penſionum erogatio certis limitibus circumſcribitur. Sed Romæ decreta hæc ludibrio habentur, & unica exili particula, *Non obſtantibus*, corruunt & abolentur. Reſonant enim ibi & libentiſſimè audiuntur gnathonum potiùs illæ voces, *quòd Papa dominus beneficiorum omnium aſſignare poſſit penſiones quaſcumque placuerit, etiam ſine cauſa*, uti verba habent Gygantis *de penſ. q. 1. n. 4.* Capite XIV. vetatur, *ne in ulla proviſione ſeu admiſſione ad poſſeſſionem cujuſcumque beneficii ante diſtributionem fiant ullæ fructuum deductiones, quæ in u[illegible] non pios convertantur.* Hoc igitur capite Annatas, Simoniacum illud curiæ Romanæ inventum, de quo fusè agentem videſis de Dominis *de Rep. Eccl. l. IX. cap. 9.* damnari Galli, aliique confidebant, atque id ipſum verba præ ſe ferunt. Sed eventus oſtendit, longè aliter illud Romæ intellectum eſſe, annatis adhuc integris pedibus conſiſtentibus, neque quoquam de iis vel tollendis vel moderandis cogitante. Capite XV. ſancitur, *ut in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis tenues præbendæ unitione aliorum beneficiorum creſcant, aut patronorum conſenſu præbendæ quædam ſupprimantur.* Rectiùs facturi erant haud dubiè Patres, ſi Collegia illa ſuſtuliſſent, & ubique locorum eum miniſtrantium numerum induci paſſi eſſent, qui celebrando Divino cultui ſufficere poſſet. quod olim factum eſſe Conſtantinopoli, ex *Novell. 3 cap.* 1. liquere poteſt. Quorſum enim tot ſupervacua Templa, tot conductitii precatores, niſi ad alendos ignaviæ ſectatores? Præſtaret utique exceptis iis, quorum opera ad prædicandum Dei verbum & Sacramenta adminiſtranda eccleſia carere poteſt, reliquos ad laborandum ſimul & orandum, æquè ac populum compellere, ne publico, cujus

jus ſumptibus ignavia eorum ſuſtentari debet, moleſti nimis exiſtant. Efficaciores enim eſſe preces occupatorum, & ex Dei inſtituto manu ſua panem comparantium, quàm exiguam temporis partem in precibus, potiſſimam vero in pinguiſſimo otio conterentium, nemo pius dubitare poteſt. Præterea Patres hi Cleri ſui divitiis & regalibus opibus affluentis ubique maximam rationem, nullam verò, vel exiguam certè pauperum, quos Chriſtus eccleſiæ commendavit, habent. Capite XVII. ſtatuitur, *ut ſingula ſingulis perſonis beneficia eccleſiaſtica: obtinenti verò inſufficiens, aliud ſimplex conferatur.* In ipſa Synodo requirebant multi hanc additionem, ut duo illa beneficia non ampliùs quàm unius diei itinere diſtarent, quò is, cui proviſum erat, in utroque eorum reſidere poſſet. Sed cùm id obtineri non poſſet, ingenuè prædixerunt, fore nimirum, ut Decretum illud nuſquam niſi contra tenuiores & miſellos nonnullos executionem habiturum ſit. Capite XVIII. ſtatuitur, *ut eccleſia parochiali vacante, deputetur ab Epiſcopo vicarius, donec illi provideatur de parocho; ſimúlque nominati ad parochiales qua forma & à quibus examinari debeant.* Sed Romæ mox ſiniſtra interpretatione Decreto illi fucus factus eſt. Ibi enim declaratum eſt, *non eſſe obſervandam competitionem in caſu reſignationis, ſed examinandum tantùm reſignatarium.* Quæ declaratio Decretum ipſum magna ſui parte irritum reddidit, cùm reſignatione meliores excludantur, & is præferatur, qui reſignanti plus placuerit. Capite XIX. *mandata de providendo & Expectativa gratia*, nec non *reſervationes mentales* tolluntur. Quas in eccleſiam turbas *expectativæ*, cùm videlicet munera nondum vacantia Pontifex, Patroni aliíque aſſignârunt expectanda, quibus placuit, etiam infantibus & pueris in arundine longa equitantibus; nec non *reſervationes mentales*, cùm Papa reſervabat beneficium vel in ſpecie, vel in genere per Bullam, vel per Breve, ut perſonæ gratæ, non nominatæ, ſed in mente retentæ, provideret; invexerint, oſtendit de Dominis *de Rep. Eccl. lib. IX.* 8 24. &c. In ipſo Concilio Conimbricenſis Epiſcopus mentales reſervationes dixit eſſe *fraudes, mera latrocinia, & indigna Papa artificia*, cùm vis dabatur cogitationi, quam nulla collatio, nulla publica ſignificatio ſecuta; quæque ſuſpicioni locum relinqueret, nihil tale in animo fuiſſe, ſed poſt rem factam adinventum eſſe. Hæ igitur Expectativæ nominetenus tantùm in Concilio ſublatæ ſunt. Succeſſerunt enim iis Coadjutoriæ ſine cauſa cum futura ſucceſſione, quæ ſunt ipiſſimæ Expectativarum gratiæ. Capite XX. cognitio cauſarum ad forum Eccleſiaſticum pertinentium in prima inſtantia Epiſcopis vindicatur. Sed cum appoſita exceptione decretum ipſum tollente, *exceptis iis, quas Papa committere, aut avocare voluerit.* Nunquam enim cauſæ à legitimis tribunalibus abſtractæ fue-

runt, nisi per commissiones & avocationes Pontificias. Denique Capite XXI. declaratur, Synodum verbis illis, *Proponentibus Legatis*, quæ libertatis Concilii vitalia feriebant, non hoc intendisse, *ut solita ratio tractandi negotia in generalibus Conciliis ulla ex parte immutaretur &c.* Sed declaratio illa facto contraria est. Non enim sicut in Tridentino, ita in veteribus etiam Conciliis prohibitum fuit, ne aliis quàm Pontificiis Legatis quidquam proponere fas esset. Meritò igitur declaratio illa irrisa fuit à multis, dicentibus, *perinde hoc esse, ac si quis maritum illum, cujus uxor cum alio consuêsset, solari cupiens, diceret, id in ipsius injuriam minimè factum esse.* Præterea declaratio illa nunc demum, cùm amplius prodesse non potuit, publicata similis est pharmaco, quod mortuo jam applicatur.

QUÆSTIONES THEOLOGICÆ

Ad Decreta Fidei Sessionis XXIV.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

QUÆSTIO I.

An Matrimonium sit verè & propriè dictum N. T. Sacramentum, à Christo Domino institutum?

ASSerit Canon 1. Non vetamus quidem, quò minùs latè Sacramentum dicatur matrimonium, quatenus est à Deo institutum rei Sacræ signum, & augustius ac sanctius quid est in Ecclesia quàm apud Gentiles, aliósque profanos. Propriè autem & strictè esse Sacramentum eò modo, quo Baptismus & Cæna Sacramenta vocantur, negamus. Etenim:

ARG. I. Sacramenta N. T. à Christo sunt instituta eo tempore, quo in carne versabatur, ut sint Sacramenta: At matrimonium à Christo nuspiam legitur institutum, ut sit Sacramentum.

RESP. REDING: 1. *Institutionem Sacramenti hujus S. Paulus Ephes. V.32. docet. Et S. Patres passim Sacramentum appellant.* Tomo IV. Tract. XI. ss. 2: pag. 365. Resp. Nullum in eo textu, vel testimoniis Patrum præsidium vobis esse infra, ubi Objectiones vestras diluimus, ostendimus. Fatetur Bellarminus, *matrimonium esse à Deo institutum ut signum rei sacræ, nonnullos laboriosè probare nisi ex obscuris quibusdam Scripturæ locis, &c. Sed non est opus*, inquit, *hac in re laborare. Nam si probemus, matrimonium esse signum rei sacræ, cui sit annexa certa promissio gratiæ, sequetur inde necessariò à Deo esse institutum.* Sed an ut Sacramentum? Falleris. Nam matrimonium fuit signum Sacræ rei, & eidem fuit addita gratiæ promissio, cum nondum institutum esset Sacramentum novæ legis, si modò institutum est.

ARG. II. Sacramentum propriè dictum habet externum aliquod, materiale, seu corporale signum. At matrimonium ejusmodi signum non habet. Nam personæ quidem contrahentes eorúmque corpora Sacramentale signum esse non possunt, cùm ipsæ sint subjectum recipiens Sacramenti. Neque etiam copula carnalis signum esse hujus Sacramenti potest, tum quia eam necessariam esse, plures adversarii negant: tum quia Lombardus 4. *Sent. dist. 26. ait*, inter Mariam & Josephum tantò fuisse sanctius conjugium, quantò à carnali copula immunius.

RESP. REDING: *Contractus matrimonialis super conjugum corpora verbis seu nutibus externis ac sensibilibus initus corporale seu materiale quidpiam est. Huic autem Christus Sacramenti mysticam significationem superinduxit.* Ibid. pag. 365. Resp. Contractus ipse nihil corporale est. Fit enim consensu, qui sensibilis per se non est, sed spiritualis. Verba, quibus contractus initur, sensibilia equidem sunt, at permanentia non sunt, neque adeò elementum aliquod sensibile, qualé veri nominis Sacramenta postulant. Prætèrea verba & nutus nihil conferunt ad rationem illius significationis, qua gratia repræsentatur. Signa oportet, sint de essentia Sacramenti, utpote materia. At nec verba, nec nutus sunt de essentia matrimonii, quia verba possunt abesse à conjugio muto; nutus à loquaci, ne quid dicam de conjugiis, quæ inter absentes per Procuratores contrahi solent. Sed & tum verba, tum nutus jam occupatas habent operas. Nam consensus verbis vel nutibus expressus nihil aliud est, quàm significatio consensus per verborum & nutuum signa. Novo ergo anfractu in hoc Sacramento instituta essent signa signorum, quod nemini sano in mentem venire potest. Denique cùm materia externa cum interna similitudinem habere debeat, verba & nutus quam anologiam cum gratia justificante habent? Supersunt personæ contrahentes, quæ corporales, fateor, substantiæ sunt; sed Sacramenti, quod statuitis, subjectum recipiens, non Sacramentale signum sunt.

ARG. III. Omne Sacramentum efficaciter significat & applicat gratiam justificantem. At matrimonium hoc non facit. Fatentur multi, nominatim Gaufridus, Hostiensis, Bernardinus, Durandus; Eckius dicit, matrimonium dare gratiam *avariter minimam & exiguam.*

RESP. REDINI: 1. *Cùm fateare, Sacramenta gratiam justificantem efficaciter significare & applicare, in castra nostra concedens, consentis jam nobiscum, Sacramentis inesse vim gratiæ infallibiliter effectricem.* 2. *An gratia minima & exigua non est gratia?* 3. *Durandus aliique sic senserunt, veritate nondum à Conciliis definita.* Ibid. pag. 366. Resp. Aliud est gratiam efficaciter significare, & obsignando applicare: aliud inhærente vi efficere. Hæc δὶς διὰ πασῶν differre, nosse poteras, nisi cœco ubique impetu ferri te patereris. 2. Certè gratia *exigua* & *minima* gratia est, sed non Sacramentalis, non justificans, quæ in Sacramentis sola efficaciter significatur & obsignatur. Dantur non gradus duntaxat, sed species etiam gratiæ. Sic senserunt Durandus & Lombardus, veritate hac à Christo, Apostolis, veteribus accepta adhuc salva & illibata, nondum Tridentinorum definitione adulterata.

ARG. IV. Sacramenta N.T. sunt bona Ecclesiæ N.T. At matrimonium etiam in V.T. fuit æquè Sacrum, & postquam Christus sponsus Ecclesiæ dici voluit, æquè typus unionis cum Christo, nec quidquam ei in novo fœdere superadditum, quo majorem ejus excellentiam argueret. Quin & fatetur Synodus, *Dominum firmitatem perpetuam indissolubilis nexus matrimonii, ab Adamo instinctu Divini Spiritus olim pronunciatam confirmâsse his verbis: Quod ergo Deus conjunxit, homo ne separet, Matth.XIX.6.* Agnoscit igitur, non novum aliquod institui Sacramentum, sed ad antiquam matrimonij, atque adeò primigeniam institutionem homines à Christo revocari: neque aliam nunc matrimonij vim esse, quàm quæ ei in originali institutione indita est. Imò extra ipsam Ecclesiam matrimonium verum obtinet.

RESP. REDINI: *Matrimonium ex primæva institutione indissolubile fuit, juxta verba:* Erunt duo in unam carnem. *Hinc nisi indulgente Deo dissolvi quoad vinculum non poterat. Illam verò indissolubilitatem Christus in N.T sic restituit, ut in matrimonio consummato absolutam quoad vinculum indissolubilitatem sanxerit his verbis:* Quæ Deus conjunxit, homo ne separet. *Hujus indissolubilitatis mystica ratio Ephes. V 32. statuitur in Sacramento magno, unionis Christum & Ecclesiam inter repræsentativo. Unde S. Paulus necessitatem dilectionis conjugum arcessit.* Ibid. pag. 366. 367. Resp. Indissolubilitatis Matrimonii quoad vinculum, re adhuc integra (nam eo per adulterium violato vinculum actu rumpitur semper, nec nisi novo consensu restituitur) causa eadem in V. & N. T. fuit, Divina scilicet institutio, ut duo sint una caro. Neque aliam rationem indissolubilitatis etiam in N.T. ipse Christus Matth. XIX. 4. 5. 6. adduxit, ubi ex verbis Adami, *Erunt duo in unam carnem,* v. 6. consectarium isthoc elicit; *Quod igitur, Deus conjunxit, homo ne separet.* Objicientibus permissionem Mosis v. 8. respondet: *Ab initio non erat sic.* Cuncta igitur Christus ad primam originem suam revocat, neque uspiam quicquam circa matrimonium novi instituit, nedum illud Sacramentum in N.T. esse declarat. Et sanè cùm in utroque Fœdere eadem matrimonii essentia, eadémque accidentia fuerint, non potest in N T. Sacramentum esse, quod idem quoad omnia in V. T fuit. Unde Leo Papa *Epist. 92. ad Rustic. Narb.* sic scribit: *Societas nuptiarum ab initio* (paulò

lò ante dixerat: *multò priùs quàm initium Romani juris extiterat.* adeóque ante Christum) *ita constituta fuit, ut præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum*, hoc est, *mysterium*. Quin & Alphonsus à Castro *contra hæres. lib. XI. verbo Nuptiæ hær. 3.* Petrus à Soto *lect. de matrim.* aliíque in eam abire sententiam compulsi sunt, quod matrimonium non in Novo demum Testamento Sacramentum esse cœperit, sed jam inde à primæva institutione tale fuerit. quibus frivolas ratiunculas quasdam non ex Scripturæ, sed Concilii Florentini & Tridentini authoritate petitas Bellarminus opponit. Et sanè qualecunque matrimonium mysterium in Christum & Ecclesiam continet, illud statim à lapsu continuit, quia ilico se Christus cum Ecclesia desponsavit, & desponsationis illius typus matrimonium extitit.

ARG. V. Sacramentum verum non est ἀσύστατον cum alio Sacramento. At Matrimonium est ἀσύστατον cum Ordine. Si matrimonium applicat remedium contra concupiscentiam, & hanc gratiam sibi eximiam habet, nihil causæ est, cur incompatibile faciant cum Ordine. Nam ordinati æquè ac cæteri eâ gratiâ indigent.

Resp. Reding: 1. *Neque baptizati ilico Eucharistiam participare: neque Eucharistiam participantes eodem tempore rebaptizari possunt. Hactenus ergo & illa Sacramenta sunt ἀσύστατα. Cur non eadem ratione matrimonium & ordo? Inprimis cùm lex Ecclesiastica ordinatos ad matrimonium justissimis rationibus inhabiles reddat.* 2. *Neque matrimonio duntaxat annexa est gratia concupiscentiæ resistendi, sed etiam Ordinis Sacramento.* Ibid. pag. 367. Resp. 1. Et baptizatos Eucharistiam participare; & hos baptizatos esse, nihil vetat, suo ordine & tempore, juxta institutionem Christi. At semel ordinati à matrimonio arcentur: idque non Divina, sed Ecclesiastica lege, ne violentiam Papæ ignoremus. Is enim sicut à Sacramento calicis Eucharistiæ Divinitus instituto populum: ita à Sacramento Matrimonii Divinitus instituto (tale enim venditat) sacerdotes arcet, adeóque se Sacramentorum dominum & arbitrum ipso Christo majorem (nam ejus instituta mutandi potestatem nefariè usurpat) facit. 2. Ubi verò gratiam resistendi concupiscentiæ etiam extra matrimonium ordinatio promittit? Cedo tabulas. Etenim S. Paulus 1. Cor. VII. 2. scribit: *Propter fornicationem unusque habeat uxorem suam, & unaquæque virum suum* Hoc ille remedium præscribit: ordinationem ceu simile remedium nuspiam præscribit. Et quàm nullum ordinatio remedium sit, ordinatorum matrimonio abstinentium experientia testatur.

ARG. VI. Matrimonium adversarij passim denigrant. Siricius Papa, laudante Innocentio III. apud Gratianum dist. 28. C. *Proposuisti*, negat exaudiri, qui in matrimonio sunt, iisdem applicans illud Pauli, *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.* Matrimonio præferunt concubinatum & scortationem. Votum matrimonii rati solvunt per votum phantasticæ religionis. Dispensant in Divinis de matrimonio legibus. Et faciunt Sacramentum, quod tam pulchris flosculis coronant? Quin ipse Bellarminus in matrimonio notat ac defendit turpitudinem ratione concupiscentiæ.

RESP. REDING: 1. *Impostorem agis falsis interpretationibus. An enim Christus Matth. XIII. 8. de verbi Divini semine pronuntians, aliud proferre fructum centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum, hoc postremum, quod minoris efficaciæ fuit, denigravit? Licet ergo cœlibatum matrimonio perfectiorem statuamus, non ideo hoc denigramus. 2. Siricius ea, quæ allegas, protulit contra Sacerdotes à conjugii vinculo arcendos, carnalibus concupiscentiis se maculantes. 3. A nobis concubinatum & scortationem præferri matrimonio, apertum mendacium est. Sacerdotis matrimonio, quod nullum est, præferimus. 4. Quid impedit, quò minus matrimonium ita Sacramentalis efficaciæ gradum habeat, ut tamen materialem saltem ex concupiscentia subeat maculam, qua mentis ad Divina intentio aliquo modo, juxta Apostolum 1. Cor. VII. 34. præpeditur.* Ibid. pag 367. Resp. 1. Quæ falsa allegatio mea est? Ostende, vel vomitum tuum resorbe. Nam de cœlibatu conjugio à vobis prælato ne verbum quidem ratio mea habet. Lege, relege. Quò ergo facit tua de dispari verbi efficacia argutatio? Vigilans an somnians hoc scripseris, nescio. 2. Utique Siricius, dæmoniacæ doctrinæ author, cum Sacerdotibus conjugatis agit. Sed illos refellere conatur quinque argumentis; primò, *quia Sacerdotes debent esse continentes*; Secundò, *quia, qui serviunt oblationibus, puri & ab omni labe purgati esse debent*; Tertiò, *quia Sacerdotes debent esse Sancti, sicut scriptum est: Sancti estote*; Quartò, *quia si contaminatus fuerit Sacerdos carnali concupiscentia, quo merito se exaudiri posse credit, cùm dictum sit; Omnia munda mundis, &c.* Quinto, *quia Apostolus dicit: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.* Ex his mediis terminis syllogismus legitimus conflari non poterit, nisi de conjugio id negetur, quod de Sacerdotibus affirmatur; & vicissim de Sacerdotibus negetur, quod de conjugio affirmatur. Nisi ergo de conjugio Siricius affirmavit, illud carnalem statum esse; hoc est, conjuges in carne vivere; de Sacerdotibus negare non potuit, quòd in conjugio vivere possint. Imò eos in conjugio vivere non posse, eo argumento probat, *quia Apostolus dicit: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.* Quid hoc ad rem, si in carne esse non idem Siricio fuit ac in conjugio vivere? Rectiùs autem hæc verba scortatoribus, quàm conjugibus opponuntur. Nam illi in carne sunt. Hi, qua tales, in carne non sunt. 3. Sacerdotis matrimonium nullum est jure non Divino & Christiano, quod conjugium, quale juxta Divinas leges contrahi potest apud omnes, honestum pronuntiat, sed Pontificio & Antichristiano, cuius mysterio iniquitatis Sacerdotum cœlibatus inservit. Costerus vetus Jesuita *Enchirid. cap. 19.* alta voce sic pronuntiat: *Sacerdos si fornicetur, aut concubinam domi foveat, tametsi gravi sacrilegio se obstringat, gravius tamen peccat, si matrimonium contrahat.* Scilicet graviùs peccat, qui legem Papæ, quam qui Divinam violat. Neque expectabam à Redingio, ut Jesuiticum huncce ructum exciperet, nedum ut laudares vel defenderet. Castior adhuc Gratianus *Dist. 28. cap. 9.* sic ex Concilio Neocæsariensi scribit: *Presbyter si uxorem duxerit, ab ordine illum debere deponi. Quod si fornicatus fuerit, extra Ecclesiam abjici, & inter laicos ad pænitentiam redigi oportet.* AB ORDINE, ait hic glossa, *id est, ab officio, & non beneficio. Et secundum hoc magis punitur Sacerdos, qui fornicatur, quàm qui legitimè contrahit: & hoc ideo, quia facit contra sacrum ordinem, & etiam contra legem. & ideo minùs peccat ducendo uxorem, quia credit hoc sibi licere.* Ubi verò Apostolus dixit, matrimonium præpedire mentis ad Divina intentionem, *quia materialem saltem ex concupiscentia maculam subeat?* Non sic Apostolus blasphemat, qui alibi γάμον ἐν πᾶσι τίμιον, καὶ κοίτην ἀμίαντον *matrimonium apud omnes honestum*, & *thorum immaculatum* pronuntiavit. Unde Paphnutius in Concilio Nicæno rectè confessit

sit

fit, *conſuetudinem cum propria uxore in conjugio eſſe caſtitatem.* Nos verò non Redingio & complicibus matrimonium primò criminantibus, at mox ad Sacramentalem etiam dignitatem provehentibus aſtipulamur, ſed Bernhardo, ſic *Serm.66. ſuper Cant.* pronuntianti: *Tolle de Eccleſia honorabile conjugium, & thorum immaculatum, nonne replebis eam concubinariis, inceſtuoſis, ſeminifluis, mollibus, maſculorum concubitoribus, & omni denique genere immundorum.* Suſtulerunt Pontifices, & illorum *ἀθέσμων concupiſcentiæ maculam* non in conjugio, ſed in cœlibatu ſuo impuro repererunt reperiúntque adhuc.

ARG. VII. Sacramentum eſſe novæ Legis matrimonium diſertè negat prægnantibus adductis rationibus Durandus, ac eum ſecuti Hoſtienſis, Goffredus, Alph. à Caſtro, Petrus Soto, alij. Imò ſtrictè dictum Sacramentum eſſe negant omnes Canoniſtæ. Ne jam dicam de atroci diſſenſu adverſariorum circa inſtitutionem, materiam, formam, Miniſtrum, effectum hujus Sacramenti. Matrimonium etiam in lege veteri *inſtitutum* eſſe Sacramentum, aſſerunt Lombardus, Alphonſus à Caſtro, Petrus à Soto: negant Alenſis, Thomas, Scotus, Concilia Florentinum & Tridentinum. Copulam carnalem Sacramento matrimonij eſſe eſſentialem ajunt Gratianus, Gandulphus, alii: negant Lombardus, Bonaventura, Thomas, Canus, hoc argumento fretus, *quòd Spiritus S. & Sacramenti gratia per coitum non detur,* Loc. Theol. lib. 8.cap. 5. Verba conſenſum teſtantia eſſe *formam*, & actus ſenſui ſubjectos illius qui Sacramento utitur *materiam* eſſe hujus Sacramenti, ait Thomas. At conſenſum ad matrimonium requiri negat Major, ajens, Sacramenti matrimonii, quod accidens ſit, formam & materiam quærendam non eſſe. Eugenius verò Papa conſenſum eſſe ait matrimonii cauſam efficientem. Benedictionem Sacerdotalem eſſe de eſſentia Sacramenti hujus affirmat Guilielmus Pariſienſis, Canus & Canoniſtæ plerique: at negant Major, Bellarminus, Scholaſtici plerique, docentes, Miniſtros hujus Sacramenti eſſe marem & fœminam, non Sacerdotem benedicentem. Lombardus & Canoniſtæ ſtatuunt, Sacramentum hoc gratiam adjutricem non conferre. At conferre pertendit Bonaventura & Thomas, quibus Tridentini aſtipulantur. Qui Cadmeorum fratrum pugnam penitius cognoſcere avet, doctiſſimum Forbeſium *Hiſtorico-Theolog. lib. IX. cap.* 81. conſulere poterit. Argumenta porro, quibus Durandus negat, matrimonium eſſe Sacramentum, ſunt, quòd id, quod in matrimonio exteriùs agitur, naturalem cauſam habeat, cùm ſecus res habeat in Sacramentis: quòd Sacramenta cætera conſiſtant in re ſacra, quæ extrinſecus à Miniſtro ſuſcipienti applicatur, cùm in matrimonio nihil tale appareat: quòd ſi matrimonium Sacramentum eſſet gratiam conferens, majoris foret gratiæ quàm continentia: quòd matrimonii non baptizatus haud capax ſit, &c.

RESP. REDING: *Execrabile mendaciorum chaos hic profers. Etenim 1. Durando, Soto, aliisque imponis, quòd negaverint, matrimonium esse Sacramentum strictè dictum. Durandus enim, Florentino Concilio antiquior licet, in 4. dist. 26. q 3. n. 5. vel invitus fassus est, Matrimonium esse Sacramentum, tum propter authoritatem Lucii, tum propter locum Ephes. V. Propter quæ argumenta, Capreolo teste, in 4. posterioris editionis coactus est revocare; negans hoc solum, Sacramentum illud esse univocè tale & conferre gratiam. Neque ejus rationes, quas ante revocatam sententiam adduxit, alicujus ponderis sunt. Paris falsitatis reus es, cùm omnibus Canonistis sententiam tribuis, quæ paucorum est. 2. Petrus de Soto & Alphonsus de Castro hoc solum affirmant, matrimonium etiam in V. T. Sacramentum fuisse. Et Doctores illi ad Ecclesiæ obedientiam prompti sententiam mutassent, si Concilii Florentini definitionem vidissent. 3. Neque quicquam contra Sacramenti hujus substantiam facit, quod Theologi nonnulli matrimonium considerantes in facto esse quoad omnimodæ indissolubilitatis vinculum, requirunt essentialiter copulam; alii verò pensantes illud in fieri, in quo statu formalem Sacramenti propriè dicti rationem subit, negant per coitum ex opere operato dari Spiritum S. 4. Major in 4. dist. 28. q. 1. internum conjugum consensum disertè matrimonii formam statuit. 5. Matrimonii Minister perficiens seu contrahens est uterque conjunx; assistens seu testificans Sacerdos. 6. Denique controversia, an Sacramentum hoc gratiam adjutricem conferat, per definitionem Oecumenicorum Conciliorum jam sublata est.* Ibid. pag. 368. 369. Resp. Non libet ἀντιλοιδορεῖν, quamvis justè graviterque & sine convitio te accusare possem. Hoc unum dico, planè vel frontem te perfricuisse, vel vertiginis spiritu agi, cùm *execrabile commentorum chaos* mihi objicis, & pleraque a me dicta confirmas. Etenim 1. dixi, *Durandum, Hostiensem, Goffredum, à Castro, Soto, alios negare, quòd matrimonium sit Sacramentum novæ Legis.* An contradicere potuisti? Imò de Durando plura concedis, non tantum negasse illum, matrimonium esse Sacramentum novæ Legis, sed etiam, Sacramentum esse, cujus etiam rationes allatas perstringis. Capreolum tamen testem inducis, quòd dictum mutaverit, negans hoc solum, *quòd sit Sacramentum univocè dictum*, & *quòd conferat gratiam*. Magnificè profectò, & pulmonibus tuis dignum! An hoc revocare est, ac non potiùs sententiam sic confirmare, ut etiam nos ei subscribere possimus. Esto enim per nos Sacramentum non univocè tale, quod gratiam non confert, quàm omnia Sacramenta propriè dicta conferre, Tridentini statuunt. Non ergo Durandus inconstans fuit, sed tu vix compos mentis, cùm hæc scriberes. Inspice Durandum ipsum *in 4. Sent. dist. 26. q. 3.* Ad quæstionem, *an Matrimonium perfectum habeat univocationem cum aliis Sacramentis*, ait aut negat, pro variis definitionibus. Ait *si definiatur sacræ rei signum.* Negat, *si definiatur, signum aliquod corporale vel sensibile extrinsecus homini appositum ad effectum significationis spiritualis.* Nihil hic desideramus planè. Canonistas idem sentire, Matrimonium videlicet Sacramentum esse latiore non strictiore & propria notione; Paludanus & Almain testes sunt. Id si falsum est, falsitatis rei testes hi sunto. Nostra enim parum refert. 2. Alphonso à Castro & Soto non aliud tribuit ratio mea, quam quod matrimonium etiam in vetere lege Sacramentum institutum fuerit. Id tu ipse fateris. Ubi ergo *execrabile commentum* meum? Illi verò Florentino Concilio posteriores licet non mutarunt, quod temerè fingis, sententiam. 3. Copulam carnalem Sacramento matrimonii esse essentialem, Gratianum, Gandulphum alios, asserere: negare id ipsum Lombardum, Bonaventuram, Thomam, Canum &c. dixi. Negare non potuisti. Ubi ergo *execrabile commentum* meum? Neque dissensum illum per *factum esse* & *fieri* concilias. Nam Gratianus

tianus C.27. q. 2. can. *Institut.* §. *Juxta hanc* simpliciter negat, in eo matrimonio Sacramentum esse, *quod non est sexuum commixtione perfectum*. idque verbis Augustini & Leonis Papæ confirmat. Contra Thomas, Bonaventura Lombardus &c. copulam carnalem pertendunt *esse de integritate Sacramenti matrimonii, quantum ad esse plenitudinis, at non quantum ad esse necessitatis*. En alii necessariam, non necessariam alii simpliciter statuunt. Neque veteres illi inter *factum esse* & *fieri* distinxerunt; sed novitia hæc Bellarmini distinctio est; subtilior quàm verior. *Nullum enim Sacramentum Evangelicum*, sic de Rubione, *consistit in facto esse, sed præcisè in fieri; excepto Eucharistiæ Sacramento*. 4. Verba consensum testificantia esse *formam*, & actus sensui subjectos illius, qui Sacramento utitur, *materiam* hujus Sacramenti esse, Thomam asserere: contra consensum ad matrimonium requiri, Majorem negare, dixi. Johannes Major *in 4. Sent. dist. 26. q. 1.* disertè scribit, *matrimonium esse sensibile signum. Alioquin non fore Sacramentum*. Atque inde infert, *consensum etiamsi ad matrimonium requiratur, non tamen esse Sacramentum, cùm non sit signum sensibile*. Addit, *non esse hic quærendam formam nec materiam propriè dictam hujus Sacramenti, cum accidens nullam talem habeat. Posse autem dici, quòd consensus ob spiritualem rationem formæ participet; & signum sensibile*, de quo locutus est, *sit materia metaphoricè dicta*. En Redingi, consensum negat esse Sacramentum, negat esse formam propriè dictam, de qua sola quæritur; & (non, *esse formam matrimonii*, uti ei impudenter affingis; sed) *formæ participare, ob spiritualem rationem*. Ubi iterum *execrabile commentum* meum? Addo ad confundendum te magis, Eugenium in Concilio Florentino dicere, *consensum mutuum per verba de præsenti expressum, esse regulariter causam efficientem matrimonii*. Et Canum *Loc. Theol. lib. VIII. 5.* sic scribere: *In materia & forma hujus sacramenti* (matrimonii) *statuenda adeò sunt inconstantes & varii Theologi, adeo incerti & ambigui, ut ineptus futurus sit, qui in tanta varietate ac discrepantia rem aliquam certam, constantem, exploratam conetur efficere. Concilium certè Florentinum de materia, forma, ministro Sacramenti matrimonii præstitit nihil, id quod sine dubio faceret, si de eis rebus videret quippiam esse à Theologis in Schola definitum*. Habes Babylonicæ vestræ in hoc argumento confusionis testem è sinu. 5. Benedictionem Sacerdotalem esse de essentia hujus Sacramenti, affirmantem Guilielmum Parisiensem, Canonistas, &c negantes Majorem. Bellarminum, Scholasticos docentes, quòd Minister hujus Sacramenti sit mas & fœmina, non Sacerdos benedicens, dixi. Guilh. Parisiensis & consentientium Canonistarum, Patrum & Conciliorum suffragia Canus *loc. cit.* recitat. Contra Johannes Major *in 4. Sent. Dist. 26. q. 1.* disertis verbis *benedictionem Sacerdotalem esse ex sola hominum institutione* affirmat. Explicátque sententiam Franciscus de Sylvestris *Comment. in Thom. contra Sent. lib. IV. 78.* his verbis: *Advertendum est quod matrimonium dicitur per Ministros Ecclesiæ dispensari, non quidem quantum ad aliquid, quod sit de essentia Sacramenti, sed tantùm ad aliquid accidentale, quod est complementum & perfectivum ejus, ut est nubentium benedictio. Nullus enim actus Ministri est de ejus essentia*. Bellarminus *de Matrim. cap. 6.* sic habet: *Cùm ad Ministrum propriè pertineat, verba formæ pronuntiare, & per ea Sacramentum conficere: & in hoc Sacramento verba formæ à conjugibus proferantur, necesse est conjuges ipsos esse (NB) proprios hujus Sacramenti Ministros*. Ubi ergo de *proprio* hujus Sacramenti Ministro quæritur, non hi cum distinguunt, sed Sacerdotem esse, rotundè negant, & conjuges esse, affirmant. Egregium Sacramentum, à nullo proprio Ecclesiæ ministro dispensandum!

Sed ubi, dic Redingi, *execrabile* heic *commentum* meum? 6. Lombardum & Canonistas statuere, Sacramentum hoc gratiam adjutricem non conferre: at conferre eandem, Bonaventuram, Thomam, Tridentinos pertendere, ratio mea docet. Neque id in dubium revocare Redingius audet, quia res nimis aperta est; hoc unum regerens *controversiam eam jam per Concilia sublatam esse.* An ideo veteres illi in partes distracti non fuerunt, & ipsa Concilia diversam à Theologis sanioribus sententiam definiverunt? Ubi iterum *execrabile commentum* meum? Jam ergo te, Redingi, pudeat, si pudoris mica in præcordiis tuis residua est. Nam vel ex uno hoc specimine & argumentorum meorum integritas, & tuum blasphemandi cacoethes liquere potest.

ARG. VIII. Veteribus fuisse incognitum hoc Sacramentum, probat Erasmus, quia Dionysius, enumerans singula Sacramenta, matrimonii non meminit; deinde quia nec Latini nec Græci Patres iis locis, quibus de matrimonio tractant, Sacramentum nominant; denique quia Jovinianus sic impensè favens matrimonio, ut hæreticus propterea judicaretur, hoc argumento, quod palmarium & plausibile fuisset, usus non legitur. Videntur igitur matrimonium Sacramentum fecisse, ut hoc prætextu causas matrimoniales ad forum Ecclesiasticum traherent.

RESP. REDING: 1. *Veterem Ecclesiam matrimonium Sacramentis annumerasse, constat tum ex ceremoniis, quibus conjuges in Ecclesia, à Sacerdote, adhibito Missæ sacrificio & Eucharistiæ usu, velati consecrari solebant, certo indicio, semper persuasam fuisse Ecclesiam, quòd matrimonium sit res sacra à Christo instituta ad conjuges sanctificandos: tum ex testimoniis veterum à Bellarmino adductis.* 2. *Insigne verò argumentum ex Joviniano hæretico petitum, quòd veteres matrimonium Sacramentum non agnoverint, quia ille matrimonii ceu Sacramenti rationem nullam habuit.* Ibid. pag. 369 370. Resp. 1. De ceremoniis & testimoniis veterum infra *Object. IV.* agimus. Ceremoniæ quædam, illa inprimis de sacrificio Missæ, fictitiæ sunt. Reliquæ humanæ omnes, consuetudine Ecclesiastica receptæ; quæ Divinæ institutionis Sacramenti indicium nullum præbere possunt. Neque enim quævis Ecclesiastica actio vel benedictio per Sacerdotes Sacramentum importat. Alias naves, campanæ, vexilla bellica, bombardæ, ne dicam, Monachi, Moniales, aqua, sal, chrisma, Ecclesia, cruces, novæ fruges, & quid non denique rerum, quæ per Sacerdotes benedicuntur, Sacramenta essent. Quia porro matrimonium singularem curam, instructionem & benedictionem postulat, iccirco in sacro cœtu à ministro (quamvis Sacerdotem proprium Sacramenti matrimonii Ministrum esse, ipse Bellarminus negat) celebrari solet. Si tamen solennia hæc absint, matrimonii natura non mutatur, neque vel Sacramentum, vel res intrinsecè sacra fit, sed per extrinsecam duntaxat ordinationem Dei. 2. Argumentum à Joviniano petitum fœdè detorques. Non enim matrimonium Sacramentum esse negavi, quia Jovinianus ejus ceu Sacramenti rationem nullam habuit, sed quia Ecclesiam, si Sacramentum esse illa statuisset, eo argumento ceu palmario & plausibili præ cœteris premere poterat, ut continentiæ illud anteferret. Quod tamen fecisse eum, nuspiam veteres prodiderunt.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Matrimonium esse Sacramentum propriè dictum, innuit Paulus Ephes. V. 32. ubi conjunctionem viri & uxoris Sacramentum nuncupat, hoc est Sacrum & visibile signum unionis Christi cum Ecclesia tanquam rei signatæ.* Resp. 1. Verbis illis Apostoli describi Sacramentum propriè dictum N.T. disertè negant Scotus 4. *sent. dist.* 26 *q.* 1. *n.* 12. Durandus ibidem *quæst.* 3. Cajetanus *Comment. ad h.l.* aliique. 2. Matrimonium esse signum rei sacræ, conjunctionis Christi cum ecclesia, fatemur. At Sacramentale signum non est, uti rationes supra allatæ evincunt. 3. Paulus non *Sacramentum* vocat, sed μυςήριον, *mysterium*, rem arcanam, seu secretam. *Verè autem*, inquit Cajetanus, *mysterium horum verborum magnum est. Continent enim indivisibilitatem conjugii, jus naturæ, officium debitum &c.* 4. Imò Paulus ne quidem conjugium, sed arcanam conjunctionem Christi cum ecclesia *mysterium* nuncupat. Sequitur enim disertè: *Ego autem dico* εἰς χριςὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν, *in Christum & ecclesiam.* Hujus conjunctionis conjugium est signum similitudine quadam illud repræsentans, sed non in illum finem sanctificatum ac institutum, nec efficax ejusdem sigillum. Non enim per se conjunctio viri cum muliere id significat: sed, quia Christus sponsus ecclesiæ dictus est, iccirco verba illa ad mysterium hoc transferre convenit.

EXCIP. REDING: 1. *Falsitatem committis, Scoto id imputans; qui objicienti, quòd S. Pauli ad Ephes. V. 32. verba intelligenda sint de Sacramento extensè accepto pro signo rei sacræ, respondet, quia communiter tenet Ecclesia, Sacramentum matrimonii esse septimum inter novæ legis Sacramenta, oportere dicere, quòd institutum fuit à Christo. Ubi autem, inquit, non invenitur pleniùs quàm Matth. 19. &c. Sed quicquid sit, illi sententiam suam Conciliorum definitionibus subjecerunt. 2. Ex ipso verò textu illo satis evincitur, matrimonium Sacramentum esse. Jubet enim S. Paulus viros diligere uxores, sicut Christus dilexit Ecclesiam, quod sine gratia ex meritis Christi fluente illi facere nequeunt. Cùm igitur addatur, Sacramentum hoc magnum esse in Christo & Ecclesia, efficaciam illam gratiæ à Sacramento illo proficisci innuitur. 3. Verba illa, magnum Sacramentum, non cadunt immediatè supra conjunctionem Christi & Ecclesiæ, quia cohærent cum verbis illis: Propter hoc relinquet homo Patrem, &c. Et Pronomen illud* Hoc *demonstrat, id, quod præcessit, non quod sequitur* Ibid. pag. 370. 371. Resp. 1. Falsitatis iterum reum me pronuntias, citantem eam Scoti sententiam, quam tu, verba Scoti allegans, confirmas. Adeò oculatus disputator & justus accusator es! Annon enim Scotus in verbis à te allegatis disertè fatetur, se non propter locum illum Apostoli, sed propter reverentiam Ecclesiæ Matrimonium agnoscere Sacramentum novæ legis; & *tunc*, inquit, *oportet dicere, quòd institutum fuit à Christo; ubi autem, non invenitur planiùs, quàm Matth.* 19. neglecto planè loco Ephes. V? De Durando & Cajetano taces. nisi quòd mussas, illos sententiam suam Conciliis (Tridentino scilicet. de quo nil fando audiverunt, &, cui an fasces suos submissuri fuerint, tu & ego juxta ignoramus) subjicere paratos fuisse. Ita scilicet omnes Tridentino Con-

cilio antiquiores ſenſerunt, non quod animo ſuo quacunque ratione conceperunt, ſed quod futuri illi Areopagitæ divinaturi erant. 2. Jubet v. 29. viros Paulus diligere uxores, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam. Et adnectit v. 30. quòd cum Chriſto unum corpus ſimus. Unde conſequens eſt, virum & uxorem tantò majus amoris incentivum habere, quia etiam unum in Chriſto corpus ſunt; & Chriſtus corpus illud ſuum teneriſſimè dilexit. Inde concludit v. 31. *Propterea derelinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori* &c. Ergo unitas ac mutua dilectio Chriſti & Eccleſiæ ſignum eſt unitatis & dilectionis mutuæ viri & mulieris, non contra. Hæc enim ab illa ſignificatur, id eſt, concluditur; ſicut ab eſu & potu panis & vini concluditur incorporatio noſtri cum Chriſto; non contra, ab incorporatione noſtri cum Chriſto ſignificatur aut concluditur eſus potuſve panis & vini. Sed & ratio magna id ipſum ſuadet. Nihil enim demonſtrandum per obſcurius. Signa autem oportet eſſe clariora rebus ſignificatis: & hæc maximè, de quibus agimus, quandoquidem ſenſibilia ſunt. Porro non erat Paulo propoſitum demonſtrare unitatem Chriſti & Eccleſiæ, per unionem viri & uxoris; ſed unitatem viri & uxoris per unitatem Chriſti & Eccleſiæ. Sed ſine gratia, inquis, ex meritis Chriſti fluente vir uxorem diligere non poteſt; proin illa gratiæ efficacia à Sacramento eſt. Quid ineptius? Gratia enim quævis non à Sacramento, ſed à Deo eſt. Et gratia Sacramentalis viſibili ſigno obſignatur. Hic autem nullum ſignum viſibile. Unitas enim Chriſti & Eccleſiæ ſpiritualis ſignum ſpirituale eſt unitatis viri & mulieris, quæ animorum, non corporum duntaxat eſt. Proin matrimonium ut ſignum viſibile à S. Paulo non conſideratur. Et charitas fidelis conjugum eſt equidem à gratia Dei; ſed non gratia per Sacramentum, tanquam inſtrumentum proprium collata. 3. Quid verò multis? In verbis Apoſtoli v. 32. Τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστιν. Ἐγὼ δὲ λέγω εἰς Χριστόν, καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν. *Myſterium* (quot verò *myſteria* Sacramenta non ſunt?) *hoc magnum eſt. Ego verò dico in Chriſtum & Eccleſiam*; manifeſta eſt correctio Rhetorica, quæ omnem ambiguitatem tollit. Revera enim ſi nihil dictum eſſet, quàm, *Myſterium hoc magnum eſt*, cogitari poſſet, ipſam illam unitatem viri & uxoris eſſe *myſterium* illud *magnum*. Quanquam hæreret cogitatio, quòd non *myſterium* duntaxat, ſed μέγα *magnum myſterium dicitur*. quomodo manifeſtatio Dei in carne *magnum* myſterium 1. Tim. III. 6. dicitur; cum quo an matrimonium comparari poſſit, dubitaret cogitatio multùm. Cœterùm quia duas unitates propoſuit Apoſtolus, unam viri & uxoris, alteram Chriſti & Eccleſiæ; ne anceps relatio, imò ne Papiſtarum ab hac ambiguitate fallacia cuiquam imponeret, declaravit iis verbis Paulus, quid haberet in animo; magnum ſe ergo myſterium dicere, unitatem illam alteram, Chriſti & Eccleſiæ. Et eodem reſpexit verſu ſequente 33. *Tamen*, inquiens *& vos ſinguli quiſque ſuam uxorem ſic diligito, ut ſemet ipſum.* quaſi diceret: Tametſi ego myſterium illud magnum Chriſtum & Eccleſiam, non virum & uxorem dico; vos tamen inde quoque diſcere poteſtis, quòd unuſquiſque conjugem ſuam amare debeat, ut ſemet ipſum. Sic planè S. Auguſtinus *de Nupt. & Concup. lib. I. 21.* explicat; *Et ne quis*, inquiens, *iſtam magnitudinem Sacramenti in ſingulis quibuſque hominibus uxores habentibus intelligeret*; *Ego autem, inquit, dico in Chriſto & in Eccleſia, quod eſt hoc Sacramentum magnum, erunt duo in unam carnem.* Sive ergo Pronomen τοῦτο *Hoc* ad verba antecedentia, ſive ad conſequentia referatur, res eodem redit. Si ad antecedentia, uti tu contendis, præceſſit mentio dilectionis Chriſti & Eccleſiæ, nec non nobile illud ἀπόφθεγμα: *Erunt duo in*

unam

unam carnem; quod dici potest mysterium, sed ita demum, si intelligatur de Christo & Ecclesia. Sic Augustinus supra. Sic Chrysostomus ad h. l. Ὅτι καὶ αὐτὸς τὸν πατέρα ἀφεὶς κατῆλθε, καὶ ἦλθε πρὸς τὴν νύμφην; καὶ ἐγένοντο εἰς πνεῦμα ἕν. *Quoniam & ipse relicto Patre descendit, & venit ad Sponsam, & facti sunt in unum spiritum.* Si ad consequentia (quod equidem Paulus ipse asserit) res confecta est. Cœterùm etiam humanum conjugium Christi & Ecclesiæ conjugium, quod illud *magnum mysterium* est, repræsentare fatemur. Sed non quicquid magnum aliquod mysterium repræsentat, ipsum quoque magnum mysterium est.

OBIECT. II. *Matrimonium habet promissionem gratiæ justificantis. Est enim sacrum signum conjunctionis Christi cum ecclesia spiritualis. Non potest autem spiritualem conjunctionem significare, nisi virum inter & uxorem spiritualis sit conjunctio animorum, quæ sine gratia salvifica haberi nequit. Tum Paulus docet 1. Tim. II. 15. salvari uxorem per filiorum generationem, si permanserit in fide, dilectione, sanctificatione, tanquam videlicet in ipsò matrimonio acceptis.* Resp. 1. Falsò supponitur, matrimonium esse signum sacrum à Deo in Novo demum Testamento institutum; ac præterea nihil posse spirituale quidpiam significare, nisi id ipsum sit spirituale & in animo situm. Quot in V. T. signa erant futuri Christi, quæ neque ipsa spiritualia, neque in animo sita erant? 2. Quòd si Deus gratiam largitur, ut spiritualiter uniantur animi conjugum, & Divinam benedictionem experiantur, non tamen iccirco spiritualis illa unio est Sacramentum. Deus enim suis etiam largitur gratiam ad virginitatis, servitutis, & similes conditiones ornandas, quæ non propterea Sacramenta sunt. 3. Salvatur mulier per τεκνογονίαν, non virtute ipsius liberorum generationis, quæ communis esse potest etiam infidelibus; sed fidei, orationis & sanctificationis, quæ non per conjugium, sed solam Dei gratiam donantur, & in veris Sacramentis obsignantur. Aliàs etiam per afflictiones salvamur. Neque tamen illa Sacramentis annumerantur.

EXCIP. REDING. 1. *Matrimonium à S. Paulo sic statuitur signum conjunctionis Christi cum Ecclesia spiritualis, ut per eam obligetur vir ad diligendam uxorem, sicut Christus dilexit Ecclesiam. quæ significatio sine gratia salvifica stare nequit. 2. Cùm idem Apostolus 1 Tim. II. 15. singulares uxoris virtutes, fidem adulterio; dilectionem rixis & odio; sanctificationem immunditiæ; & sobrietatem intemperantiæ oppositam exigat, oportet virtute matrimonii vires pro iis conservandis in matrimonii celebratione acceptas esse, unde in iis permanendum esse Apostolus docet. Illæ porro vires sunt gratiæ in forma sanctificante radicatæ.* Ibid. pag. 371. Resp. 1. Frivolè planè responsiones meas excipis, præcipuis omissis, & crambe recocta. Conjunctionem equidem Christi & Ecclesiæ in matrimonio per spiritualem animorum conjunctionem significari, & propter eandem significationem virum obligari ad dilectionem majorem uxoris, neque sine gratia dilectionem ejusmodi exerceri, verum est. Sed conferri eam gratiam per matrimonium, ceu Sacra-

mentum

mentum & instrumentum proprium, & conferri omnibus matrimonio, ceu Sacramento utentibus, hoc verò probandum fuerat. Sed conferatur etiam illa gratia omnibus matrimonio sic utentibus. Quis verò insuper absurditatem non videt? Confertur scilicet gratia ad diligendum fortiùs. Dilectio hæc fortior est signum unionis Christi cum Ecclesia. Ergo. gratia illa dilectionis confertur, ad significandam unionem Christi & Ecclesiæ. Annon te vanitatis hujus pudet? Atqui si conferatur ad significandam unionem Christi & Ecclesiæ, quæ ratio est mysterii: ergo confertur, ut fiat mysterium, hoc est, uti vos pertenditis, Sacramentum. Non confertur ergo ab ipso mysterio, quatenus mysterium est. quod demonstrari necesse erat. Sic instituta est S. Cœna ad significandum, nos spiritualiter pasci corpore Christi. At non potest Cœna id significare, nisi vim nutriendi corpora nostra habeat. Hoc autem non potest sine proprietate naturali. Ergo sine dubio Deus Cœnæ vim naturalem largitur, sine qua vim nutriendi non habet. Hæc sigillatim verissima sunt. Sed an inde sequitur, vim illam naturalem esse gratiam. quam Cœnæ Sacramentum confert, & cujus cœna Sacramentum facta est? 2. Loci alterius 1. Tim. II. 15. fœda detorsio tua est. Primò enim ibi *fidem, dilectionem, sanctificationem, sobrietatem* adulterio, rixis, immunditiæ, intemperantiæ opponi quis te docuit? Doceat te rectiora Justinianus vester, sic locum explicans: *Indicat quatuor potissimùm* capita, *fidem, dilectionem, sanctificationem, seu, ut Ambrosius, sanctimoniam; sobrietatem, vel, ut idem Ambrosius, pudicitiam. His enim omnis ferme Christiana disciplina continetur. Ad fidem namque revocatur omnis Divinorum mysteriorum necessaria cognitio: ad charitatem pertinet Dei proximique amor: sanctificatio seu sanctimonia cultum & religiosas ceremonias complectitur: sobrietatis nomine id omne comprehenditur, quod ad frangendas penitúsque edomandas pravas cupiditates pertinet.* Sic Espencæus, sic vestrates alii. Tu quisquilias perpetuò præfers. Atqui res ipsa te ab iis avertere heic poterat. Nam in *fide* connubii, adulterio *dilectione*, rixis, *sanctificatione* immunditiei, *sobrietate* intemperantiæ opposita etiam paganæ quædam uxores permanserunt. An iccirco salvatæ sunt? Illas igitur virtutes, quibus, Justiniani verba repetam, *omnis ferme Christiana disciplina continetur*, per matrimonium dari, adeóque ante vel post illud non dari: & habere matrimonium ullas additas promissiones de iis conferendis, an asserere tu ausis? Nam ejus rei nec S. Paulum judicem, nec verborum vim testem, nec ratiunculam ullam confirmantem, habes.

OBIECT. III. *Etiam Patres, Leo, Chrysostomus, Ambrosius, Siricius, Innocentius, Augustinus, alii matrimonium Sacramentum nuncupant.* Resp. 1. Si qui hoc nomine matrimonium exornant, illi Sacramenti nomen latiori & impropria notione usurpant. Ante Lombardum enim, fatente Cassandro, non temerè reperiri potest, qui definitum Sacramentorum numerum statuerit. 2. Exemplo sit Augustinus. Is *lib. de bono conjugali cap.* 24. Sacramentum matrimonii ponit in ipsis nuptiis Adami & Evæ, quorum tamen conjugium Sacramentis haud quaquam οἱ ἐξ ἐναντίας accensent. Sed & Sacramenti nomine apud ipsum veniunt signum crucis, ritus in baptismo adhiberi soliti, unctio &c. *lib.* 19. *contra Faustum, cap.* 14. Ubi verò de Sacramentis propriè dictis agit, baptismum tantùm & Eucharistiam numerat, veluti *Epist.* 118.

118. *ad Jan.* Videsis Patrum de eo sententiam fusiùs exponentem Forbesium *Instruct. Hist. Theol. lib. IX. cap.* 8.

EXCIP. REDING: 1. *Licet Sacramentorum numerus septenarius signatus Lombardo antiquior non esset, res ipsa tamen numero comprehensa in primitiva Ecclesia semper extitit.* 2. *S. Patres de Sacramentis propriè dictis loqui, ipsorum testimonia comprobant. nominatim Cyrilli, Tertulliani, Ambrosii, Siricii, Hieronymi, Chrysostomi, Augustini maximè; qui passim Sacramentum hoc commendat, & propriè dictum se intelligere innuit, ubi expressè distinguit rationem Sacramenti à ratione vinculi, quod cum gentilibus commune est; asserens etiam, Sacramentum hoc Ecclesiæ commendatum esse, utique à Christo. In V. T. quidem Sacramentum etiam fuisse, idem largitur; sed largiori, non speciali modo.* Ibid. p. 372-374. Resp. 1. De numero Sacramentorum abunde supra. Mirum certè, adeò segnes veteres fuisse, ut Sacramenta numerare desuper adeò habuerint; cùm in signato illo numero recentiores illi nescio quod mysterium collocent, cúmque sub anathemate definiendum putaverint. Sed actum non agimus. 2. S. Patres Sacramenti voce uti heic in propria & speciali, non laxiori notione nudè asseris. Ubi verò testimonia illorum exprimis, nil tale ex iis probare potuisti. Cyrillus repetit verba Apostoli, & matrimonium esse μυστήριον εἰς Χριστὸν καὶ ἐκκλησίαν *mysterium in Christum & Ecclesiam* esse dicit. *Mysterium* simpliciter appellat, quæ vox, apud Græcos veteres vastissima notione usurpatur. Chrysostomus *in Ephes. V.* matrimonium *magnum mysterium* appellat, fateor, sed mysterium non aliud intelligens quàm ἀλληγορίαν. Sic enim loquitur: Καὶ καλῶς εἶπε, μέγα μυστήριόν ἐστιν. ὡς ἂν εἰ ἔλεγε· πλὴν ἀλλ' οὐχ ἡ ἀλληγορία ἀνατρέπει τὴν ἀγάπην. Gentianus sic reddidit: *Et bene dixit, magnum est mysterium. Perinde ac si diceret; est allegoria. Cæterum allegoria non evertit dilectionem.* Haud equidem κατὰ πόδα; rectè tamen, quia oppositio eum sensum exigit. Nempe nuptiæ illæ singulares primitus institutæ; sicut etiam nuptiæ illæ plurales Abrahami cum Sara & Hagar, monente eodem Apostolo Gal. IV. 24. allegoricè magna mysteria spiritualia figurabant. Pro eo, quod dixit Chrysostomus, *allegoriam non evertere dilectionem*; Oecumenius eodem sensu *in Ephes. V.* scribit, *anagogen & spiritualem expositionem non evertere* τὸ ἴδιον, id est, *proprium sensum*, quo dilectionis officium inter conjuges præcipitur. Quis verò ex allegoria, ænigmate vel anagoge Sacramentum propriè dictum concluserit? Tertullianus *de Prescript. cap.* 44. Diabolum ipsas res Divinorum Sacramentorum in idolorum mysteriis æmulari præfatus, subjicit, eum *Summum Pontificem in unius nuptiis statuere.* Ergo, concludit Redingius, nuptias pro Sacramento agnoscit. Bellè scilicet. Nam de Pontificis V. T. monogamia Tertullianus disertè loquitur, quam Sacramentum fuisse propriè dictum, nunquam concesserit idem. Præterea mala fide omittuntur verba illa ejusdem: *imaginem resurrectionis inducit, & sub gladio redimit coronam. Habet & virgines; habet & continentes.* Scilicet subodorati sunt Sophistæ, verbis hisce illa de Pontificis nuptiis antecedentibus & consequentibus nulla Sacramenta propriè dicta N. T. explicari; ac proinde nec intermediis illis verbis Sacramentum aliquod intelligi posse. Ambrosius *in Ephes. V* ponit equidem *mysterii sacramentum grande* in ipsa unitate viri & fœminæ, sed non illa tantùm unitate, quæ sit inter Christianos, verùm in illa ab Adamo olim pronuntiata, & quæ omnibus conjugibus communis est. Neque mysterium, vel mysterii Sacramentum accipit pro Sacramento propriè dicto, sed pro occulto quodam naturæ ve-

 lati

luti miraculo, seu quotidiano ac admirabili Dei opere, quo efficit, ut conjuges relictis suis parentibus sibi invicem adhæreant. Hieronymus *Comment. in Ephes. V.* magnum hoc Sacramentum disertè ad Christum & Ecclesiam, non ad humanas nuptias refert. Præfiguratum verò idem ait in iis, quæ de Adamo & Eva in Genesi scripta sunt illis verbis; *Propter hoc relinquet homo*, &c. quem locum Gregorius Nazianzenus, ibidem referente Hieronymo, *plenum esse ineffabilibus Sacramentis* dicebat. Ne minimam tamen alteruter mentionem facit novæ institutionis Sacramenti alicujus propriè dicti novæ legis: sed Sacramentum seu mysterium sumunt pro ipsa re sacra; neque unum tantùm hujusmodi Sacramentum, sed *plura ineffabilia Sacramenta* talia in Christo & in Ecclesia dicunt significari mysticè illis verbis Adami, *Propterea relinquet homo* &c. *Primus enim homo*, inquit Hieronymus, *& primus vates Adam hoc de Christo & Ecclesia prophetavit: quod reliqueris Dominus noster atque Salvator patrem suum Deum, & matrem suam Cælestem Hierosolymam, & venerit ad terras propter suum corpus Ecclesiam.* &c. Quæ ex Augustino citas diversa, ex diversis ejusdem libris, loca, eundem sensum omnia habent. Sacramenti voce ubique latiore sensu, quo Sacramentum *rei sacræ signum* definivit, usurpat. Fateris ipse, in loco *de Bono Conjug. cap.* 24. ubi Sacramentum matrimonii in ipsis nuptiis Adami & Evæ ponit, laxiore notione Sacramenti vocem adhibitam. In reliquis ergo locis strictiore & propria notione adhibuisse, certis argumentis probandum vobis est.

OBJECT. IV. *Etiam ratio ostendit matrimonium Sacramentum esse, tum quia matrimonium non aliam ob causam est indissolubile, quàm quia ex Divina institutione significat indissolubilem Christi cum ecclesia conjunctionem: tum quia conjugii finis proprius est liberorum educatio, & scortationis vitatio, quarum neutra sine gratia Dei obtinetur: tum denique quia ab exordio ecclesiæ matrimonium inter Sacrorum solennia Sacerdotum ministerio celebrari solitum est.* Resp. 1. Conjugium παρεκτὸς λόγου πορνείας etiam in V. T. ex Dei institutione fuit indissolubile Matth. XIX. 3. Imò apud ipsas etiam gentes naturæ ipsius Jure Divinitus impresso indissolubile fuisse arguit ratio Thomæ 4. *sent. dist.* 33. *q.* 2. *art.* 1. Neque tamen vel in V. T. vel apud gentiles Sacramentale fuisse conjugium concedunt. 2. Eadem est ratio finis conjugii, qui utique etiam in V. T. obtinuit, & ad quem æquè gentiles obstringuntur. Non potest ille obtineri sine gratia Dei: potest tamen sine gratia Sacramentali, hoc est, gratia Evangelio propria de remissione peccatorum, externo ritui annexa. 3. Neque etiam sufficit ad Sacramentum, ut res aliqua Sacra sit. Plura requiri notorium est. 4. Quin communis est Scholasticorum sententia, à Bellarmino etiam defensa, quòd benedictio Sacerdotalis non sit de essentia hujus Sacramenti.

EXCIP. REDING: I. *Cùm ex primæva institutione matrimonium fuisse indissolubile asseras, cur ergo Theodori reformati Calvinistæ conjugia dissolvit? 2. In V. T. indissolubilitas illa fuit restricta, indulgente Deo, ut liceret dare libellum repudii. In N. T. autem illa,*

illa, Christo ad primævam institutionem omnia revocante, absoluta est, ac ne quidem ex causa adulterii mutabilis. Sic scilicet fieri oportebat, ut Christi & Ecclesiæ indissolubilis conjunctio repræsentari posset. 3. Proin nunc requiritur dilectio conjugum non naturalis, sed supernaturalis, dilectioni illi, qua Christus Ecclesiam dilexit, suppar; quæ sine gratiæ salvificæ viribus non exercetur. Ibid. pag. 375. Resp. 1 Conjugia integra, adulterio, quo ejusdem essentia perimitur, & fœdus conjugale abrumpitur, perfidia non violata, juxta primævam institutionem à Christo ipso confirmatam, Reformatio nostra, quæ Pseudo-Catholicismo vestro stragem intulit, indissolubilia statuit, & Papalem licentiam contra indissolubilitatem illam quæstus gratia dispensantem ex eadem primæva institutione damnat. 2. Restrictam fuisse in V. T. conjugii indissolubilitatem, sic ut Deo volente & lege permittente legitima conjugia legitimè dissolvi potuerint, falsò asseris, & Christo ipsi contradicis. Is enim Matth. XIX. 8. & *σκληροκαρδίαν duritiem cordis* Judæorum, temerè matrimonia abrumpentium accusat, & *ἀπ' ἀρχῆς ab initio* sic fuisse negat. Non ergo Deus, non ulla lex matrimonia integra dissolvendi licentiam dedit; sed cor induratum contra omne fas rapuit. Neque Moses *ἐπιτρέπων ἀπολῦσαι τὰς γυναῖκας permittens dimittere uxores*, lege data permisit uxorum dimissionem, ceu licitam jam in foro conscientiæ, sed connivens ad *ἥττημα* & factum per se malum, & Divinæ legi contrarium, illud in foro externo impunitum dimisit; ac supposito malo facto, à lege primæva & naturali damnato, justè præcepit dimittenti, nocentique adeò parti, velut in pœnam ejus, ut dimissæ libellum repudii daret, in quo & causas temerarii facti sæpe levissimas non sine infamia sua detegere, & dimissam postliminio reducendi, si forte pœnitudo facti animum subiret, facultatem ejurare tenebatur. Quod præceptum tantum abest ut divortiorum licentiam stabiliverit, ut illam potiùs non parùm cohibuerit. Et de hoc quicquid sit, Christus omnia ad primævam institutionem revocavit. Si ergo matrimonium in primæva institutione sua Sacramentum non fuit; neque in confirmata à Christo, in quo nullius rei novæ institutio ostendi potest, esse potuit. 3. Eadem dilectio, eadémque dilectionis gratia in conjugio fidelium omnium ante Christum requisita est, quæ post Christum. Non enim aliam diligendi proximi, in conjugali proin etiam societate, legem Christus tulit, quàm Moses. Nisi quòd statim post lapsum cœpit esse typus unionis Christi Sponsi cum Ecclesia sponsa; adeóque per illud lex illa dilectionis adstricta est. Dilectionis illius exercendæ necessitas parem utrobique gratiam Dei postulabat. Sed Sacramentalem nec hic, nec illic. Ratio in promptu est, quia gratia Sacramenti ad ejusdem effectum pertinet. Unde inter alios Sacramenti matrimonii effectus etiam amoris conjugalis gratiam numerare soletis. Atqui gratia amoris conjugalis non est matrimonii effectus, nec ab eo ceu Sacramento significari potest, quia ad ipsam conjugii naturam, id est, materiæ constitutionem, non autem ad rationem Sacramenti pertinet. Sic in Baptismo aqua corpus abluit: in Eucharistia panis & vinum nutriunt. Sed ea lotio & nutritio non sunt gratia vel effectum Sacramenti, sed proprietates materiæ, sunt, quibus analogia Sacramentalis fundatur. Neque enim Sacramenta efficiunt materiæ suæ proprietates, sed præsupponunt. Et si amor ille conjugalis Sacramentalis gratia, adeóque Sacramenti effectum esset, vel ab initio non fuisset in matrimonio, quod absurdissimum est; vel matrimonium ab initio etiam Sacramentum fuisset. Effecta enim Sacramentorum ipsis Sacramentis priora esse non possunt.

QUÆSTIO II.

An præter eos gradus affinitatis & consanguinitatis, qui in Levitico exprimuntur, etiam aliæ causæ & gradus, à Romano Pontifice prohibiti, possint impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum?

AFfirmat Canon III. IV. & V. Cùm Divina prohibitio se extendat usque ad gradum secundum in linea inæquali, jam olim Pontifices, sicut videre est apud Gratianum causa 35. q. 3. & 4. prohibitionem extenderunt ad gradum usque septimum. Quia tamen nimis latè vagabatur prohibitio, Innocentius III. in Lateranensi Concilio A. 1215. prohibitionem carnalis copulæ usque ad gradum quartum inclusivè restrinxit, tum in consanguinitate, tum in affinitate. Præterea causas matrimonium impedientes faciunt spiritualem cognationem contractam in Sacramento Baptismi & confirmationis, ac ex definitione quidem novissima Tridentini Concilii, *de Reformat. Matrim. cap.* 2. inter duos susceptores ac baptizatum ipsum & illius Patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique Patrem ac matrem. Impedientem causam faciunt etiam votum religionis, uti liquet ex Canone IX. Si votum simplex, ajunt impediri contrahendum; si solenne, dirimi contractum. Sed & cap. 10. *de Reformatione matrimonii* fit mentio justitiæ honestatis naturalis matrimonium impedientis, ubi præcipitur, ne prohibitio illa ob justitiam naturalis honestatis in sponsalibus puta validis primum gradum excedat, quoniam in ulterioribus gradibus ejusmodi prohibitio absque dispendio observari non possit. Sequenti etiam capite inter impedimenta ejusmodi numeratur affinitas ex fornicatione, quod impedimentum ad eos, qui in primo & secundo gradu conjunguntur, restringitur. Denique disparitatem religionis inter impedimenta numerant, ita quidem, ut matrimonia fidelium cum infidelibus nondum baptizatis non solùm illicita sint, sed etiam irrita, cum hæreticis autem baptizatis illicita sint, non tamen irrita. Hæc sunt potissimæ prohibitiones Pontificiæ. Nos prohibitiones gradibus divinis additas, si fiant honesto vel pio consilio, ut sint sepimentum legis, pro-

ximis

ximis in gradibus, post divinas prohibitiones, ab illis ad quos ista cura pertinet, pro ratione circumstantiarum loci, personarum factas, non improbamus. Agnoscimus etiam causas matrimonium impedientes, quarum intuitu Ecclesia declarat, non esse legitimam seu divinam conjunctionem; ut, si sit impedimentum graduum sive consanguinitatis, sive affinitatis, quos Deus prohibuit; si consensus non sit liber; si accedat error personæ; si natura non sit idonea ad matrimonium, & quæ sunt similia. Prohibitiones verò Pontificias, de quibus dixi, improbamus, sequentia ob argumenta.

ARG. I. Non sunt ab authoritate legitima. Promulgatæ enim sunt à Pontificibus secluso Magistratu Politico, ad quem judicium de rebus matrimonialibus, ac cum primis potestas legum circa eas ferendarum, æquè pertinet, quod infra ex professo probabitur.

RESP. REDING: *Cùm Politici Magistratus potestas limitibus jure naturali constitutis circumscripta sit, ad mysteria naturam excedentia, quale matrimonium Sacramentum est, se non extendit. Illa igitur potestas, quam sancire posset ulteriores matrimonii prohibitiones, quàm quæ Divino jure expressæ sunt, ipsemet fateris, non alia potest esse, quàm Ecclesiastica, à Petro ad Romanos Pontifices derivata.* Tomo IV. Tract. XI. §.2. pag. 376. Resp. Supponis matrimonium esse Sacramentum propriè dictum, hypothesin a nobis debellatam. Ex quo Christus se cum Ecclesia desponsavit, unionis Christi & Ecclesiæ sacrum signum esse cœpit. Sed illud totum matrimonio accessorium est; neque impedimentorum matrimonii sanctio ab illo accidente pendet. Nam & impedimenta quædam Deus ipse in V. T. constituit. Neque tamen ibi matrimonio mysterium conjunctum fuisse, vobis placet. Sed præterea Politica potestas utriusque tabulæ custos est, & sola jurisdictione ea, ad quam jus sanciendi pertinet, pollet: & prohibitiones legitimæ Divinis superadditæ non aliò, quàm ad civilis societatis, cui potestas civilis præest, commoda spectant. Nihil ergo illæ ad Ecclesiam; nedum Papam.

ARG. II. Prohibitiones Pontificiæ graduum nimis latè extenduntur, ad quartum videlicet gradum. Jus Divinum sistit in secundi gradus linea inæquali. Potest igitur ad legis custodiam secundus in linea æquali, ac ad extremum etiam tertius prohiberi. Sed quartus ut addatur, omni ratione destituitur. Nec vetera Concilia, nec mores gentium ultra gradum tertium procedunt. Neque in ipso Concilio, teste Historico *lib. VIII. pag.* 675. defuerunt, qui pertenderent, prohibitionem ad gradum tertium restringendam esse, cùm constet, quatuor illos sine multis incommodis observari non posse.

RESP. REDING: *Ad quodnam jus Divinum provocas? Si ad Levit. XVIII. expressum, noveris, illud eum positivi esse, & morte Christi expirâsse. Quæcunque ergo prohibitiones ibi expressæ hodiéque obtinent, illæ jure duntaxat humano introductæ sunt. Et eodem jure etiam plures gradus prohiberi potuerunt.* Ibid. pag. 376. Resp. Perpetui & na-

turalis juris esse prohibitiones graduum inter secundum lineæ inæqualis gradum Levit. XVIII. definitas, infra solidis argumentis firmamus. Posse tamen legitimam potestatem, vel legis Divinæ sepiendæ gratia, vel alias ob civiles causas ulteriores quosdam gradus prohibere, ultro concessimus. Sed potestatem illegitimam arcemus, & modum ponendum putamus, ne latè nimis vagentur interdicta, & libertatem Christianam sine ulla necessitate nimiùm coarctent. Unum pervelim scire, qua ratione Pontifices vestros hoc in argumento contraria adeò definientes purgare valeas. Nam Alexander II. apud Gratianum *C. 35. q. 5. copia.* prohibitionem extendit ad septimum inclusivè gradum, definiens apertè *universali Ecclesiæ tenendum esse, ut nullam de propria consanguinitate vel affinitate infra septimam generationem al quis sibi audeat conjugio copulare.* Ibidem Julius Papa: *Nullum*, inquit, *in utroque sexu permittimus ex propinquitate sui sanguinis* vel uxoris, usque ad septimum generis gradum, uxorem ducere, vel incesti macula copulari. Cum *universalis* seu *catholica* Ecclesia, definiente Vincentio Lirinensi, sit etiam *omnium temporum*, adeoque non unius ætatis fidelium, sed omnium Seculorum numerus; & quæ nuptiæ semel incestæ sunt, semper incestæ haberi debeant: quomodo Lateranense Concilium, Innocentio III. annitente, vetus illud *universalis Ecclesiæ* decretum antiquare, prohibitionem intra quartum gradum coercere, & ex nuptiis incestis non incestas facere potuerit, equidem haud capio. Redingius viderit. Etenim nórunt omnes, rationem esse animam legis. Unde necesse est, tandiu vigere legem, quandiu ratio viget. Cur ergo, cùm vigeant nunc eædem rationes, quibus septem gradus olim interdicebantur (vigent autem; quia si non vigerent, ne quatuor gradus quidem interdicerentur) non etiam hodie septem gradus interdicuntur?

ARG. III. Cognatio spiritualis nulla ratione ponitur inter causas matrimonium impedientes. Etenim spiritualiter cognati sumus omnes fideles, qui habemus unum Patrem in Cœlis, & unam matrem in Terris. Neque tamen cognatio illa maximè spiritualis matrimonium impedit. Deinde par ratio est baptismi, quæ fuit circumcisionis olim. Circumcisio autem spiritualem cognationem matrimonium impedientem non induxit. Tum arctiorem consanguinitatem facit Eucharistia, quippe *unus panis, unum corpus sumus multi.* Nec tamen illa unio matrimonio obstat. Præterea compaternitas est ex humana institutione, non ex Divino jure. Non potest igitur matrimonio Divino jure licito vinculum objicere. Denique ipse Pontificiorum varius de hac re sensus prodit vanitatem hujus impedimenti. In Concilio planè tolli impedimentum illud petierunt plures Episcopi, allegatâ ratione, quòd ea causa, ób quam olim impedimentum illud inductum est, haud ampliùs vigeat. Olim enim susceptores fuisse eorundem fidejussores apud Ecclesiam de eorum futura fide, qui proinde soliti sint familiariter cum persona baptizata, ejus Parentibus & reliquis sponsoribus conversari. Inde natam esse cognationem, meritò habendam in reverentia. At sequentibus temporibus abolito hoc usu,

cum

cum vix ſuſceptor baptizatum unquam cerneret, ceſſante reverentiæ cauſa, cognationi huic nihil omnino relictum eſſe.

Resp. Reding: *Fatemur ultro, compaternitatem eſſe ex humana inſtitutione. Quæ autem humana poteſtas eam inſtituere potuit, eadem etiam facere illam impedimentum conjungi potuit.* Ibid. pag. 377. Reſp. Diſpar ratio eſt. Ritus enim compaternitatis indifferens, adhiberi potuit & poteſt utiliter, ſine detrimento Chriſtianæ libertatis. In confeſſo autem eſt, poſſe Eccleſiam ritus indifferentes inſtituere, ſalva libertate conſcientiæ. Alia ratio eſt impedimentorum matrimonii, quæ nec ab arbitrio Eccleſiæ pendent: nec fingi poſſunt, ſine cauſa ſontica, in præjudicium libertatis Eccleſiæ Chriſtianæ & conſcientiæ onus. Tale eſt impedimentum conſanguinitatis ſpiritualis, quæ & ficta eſt, & ſine ſontica cauſa impedimentum ſtatuitur, & Chriſtianæ libertati gravis eſt, & ex non peccato peccatum faciens conſcientiam onerat. Cæteras rationes meas ne attingis quidem.

ARG. IV. Impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis, quod Becanus definit *propinquitatem quandam ortam ex ſponſalibus de futuro validis*, jus Canonicum extendebat uſque ad illos gradus, ad quos perfecta affinitas pertingit, hoc eſt, uſque ad gradum quartum. At Tridentini in primo ſiſtunt. Neque improbamus, ſi de matrimonio contrahendo ſermo ſit. Alia ratio eſt jam contracti & conſummati, quod impedimento hoc dirimendum haud putamus, tum quia nuſpiam in Dei verbo matrimonium cum conſanguineis ſponſi vel ſponſæ initum diſſolvi jubetur: tum quia ex legis Divinæ Levit. XVIII. 8. ſententia affinitas, non inchoata, ſed conſummata per גלות ערוה *revelationem nuditatis*, matrimonium impedire ſtatuitur: tum denique quia ſponſus & ſponſa per conjugalem copulam nondum una caro facti ſunt.

Resp. Reding: *Ubi impedimentum publicæ honeſtatis, ſi agatur de matrimonio contrahendo, in verbo Dei continetur? Si humana authoritate invaluit, cur non eadem etiam contractum jam matrimonium dirimi poteſt?* Ibid. pag. 377. Reſp. Cur matrimonium contractum ob impedimentum honeſtatis publicæ dirimi non poſſit, rationes plures attuli, quas iterum alatus prætervolas. Contrahendi alia ratio eſt. Quia enim jure Divino Sponſa *uxor* eſt, Geneſ. XXIX. 21. Deut. XXII. 23. Matth. I. 20. propter fidem conjugalem Sponſæ datam, Sponſus proximis Sponſæ, conſanguineis, puta matri, ſorori, filiæ reverentiam quandam debet, propter quam ab eorum nuptiis ſibi meritò temperat, & multis ſaltem temperare poteſt. Nam juxta Modeſtini *l. Non ſemper ff. de rit. nupt.* regulam *ſemper in conjunctionibus non ſolùm quod licet, ſed &, quod honeſtum eſt, ſpectandum.* Atque ita etiam jure Civili, & Hebræo ſancitum eſt: & apud Orientales, etiam Eccleſias obtinet. ut Cypræus *de Sponſal. cap.* 12. *§.* 10. pluribus exponit. Quanquam etiam in contrahendo matrimonio legitimam poteſtatem certo caſu, & ſonticas ob cauſas diſpenſare poſſe, ultrò fatemur.

ARG. V. Sed & affinitas honeſtum videlicet & laudabile humanæ ſocietatis

tatis vinculum, ex fornicatione propriè contrahi non potest. Interim quia etiam ille, *qui adhæret scorto, unum cum illo corpus est* 1. Cor. VI. 16. illicitam esse conjunctionem cum scorti consanguineis in iis gradibus omnibus, qui Divino jure prohibentur, nulli dubitamus. Huc verò secundus gradus in linea æquali, utpote verbo Dei non prohibitus, haud pertinet.

RESP. REDING: 1. *Si ex fornicatione consanguinitas, cur non etiam affinitas contrahi potest? 2. Cùm supra fassus sis, potestate humana ultra gradus Divinitus prohibitos ulteriores prohiberi posse, poterit prohiberi in hac affinitate etiam secundus.* Ibid. pag. 377. Resp. 1. De vocibus morosè non contendimus. Saniùs nihilominus sentire Juris civilis consultos putamus, qui affinitatem & cognationem, quæ juris & honestatis est, ex solis legitimis nuptiis oriri asserunt. Neque profectò honestus vir sororis suæ stupratorem affinem agnoscet vel salutabit unquam. 2. De re ipsa vero dissensus nullus est, nisi quòd Papa & illegitima potestas est, & perperam in hoc casu prohibet conjugium ultra gradus jure Divino, adeóque etiam naturali prohibitos, quasi scortationis idem jus sit, quod honesti conjugii.

ARG. VI. Nec votum continentiæ simplex est impedimentum idoneum matrimonii contrahendi. Nam continentia cùm non sit in potestate hominum, injustè vovetur. Deinde vota cœlibatus pertinent ad humanam constitutionem. Humana autem constitutio præcepto Divino, quod extat 1. Cor. VII. 2. 9. 35. non derogat. Quin olim Ancyranum, Neocæsariense & Aurelianense Concilia non prohibuerunt absolutè matrimonium iis, qui continentiam professi sunt. Denique per dispensationem Papæ votariis licet contrahere matrimonium, uti liquet ex historiis, ac proinde vota illa absolutè non obligant.

RESP. REDING: 1. *Par ratio est voti & juramenti. Sicut autem justè juratur id, quod non est in homine per naturæ, sed per gratiæ vires; veluti cùm jurant Christiani, se in religione vera constanter mansuros: sic justè vovetur, quod non est in nostra potestate per naturæ, sed per gratiæ vires. Tale votum continentiæ est. 2. In eo autem vovetur status ad ea, quæ Dei sunt, magis quàm matrimonium, proficuus. Cur ergo non provideat Ecclesia, ne qui sic vovit, violet votum? Cùm Papæ authoritas Divinitus constituta sit, is utique vota ejusmodi jus Divinum super spontaneæ promissionis actu humano fundatum inducentia, per dispensationem relaxare potest.* Ibid pag. 377. 378. Resp. 1. Distingue gratiam. Nam ejus vires valent vel ad ea, quæ cuivis ad salutem necessaria sunt: vel quæ ad salutem utcunque conducunt, neque tamen omnibus, sed singulari donatione & charismate paucis, juxta peculiare & ignotum Dei arbitrium, conferuntur. Quæ posterioris conditionis sunt, uti continentia est, justè & sanctè voveri non possunt, quia nec per naturæ, nec gratiæ communis, quæ in fide petentibus datur, vires in nostra potestate sunt; adeóque non dantur cuivis etiam oranti & petenti, sed ex singulari arbitrio vel dantur vel negantur, citra salutis periculum. Huc pertinet continentia. Qui igitur eam

vovet

vovet absolutè & simpliciter, (nam de voto conditionato non loquimur) temerè & & stulte vovet, & à voto tali seria pœnitentia quantocyùs se exsolvere tenetur. *Tolerabilius enim est*, sic Concilium Toletanum VIII. c.2 loquitur, *stultæ promissionis vota rejicere, quàm per inutilium promissorum custodiam exhorrendam criminum mensuram implere.* Est enim continentia virginalis *ἴδιον χάρισμα singulare donum* simpliciter ad salutem non necessarium, nec proin cuivis etiam seriò petenti datur. de quo inferiùs plura. 2. Licet ergo continentia eorum, qui ex singulari gratia eam illibatam obtinent, quandiu eam obtinent, ad salutem conducat magis *ἀπερισπάστως indivulsè* (1. Cor. VII. 35.) quàm conjugium, quod curis distrahentibus implicatur: non tamen vel simpliciter, nedum magis conducit iis, qui dono illo singulari destituuntur; vel voveri simpliciter potest. 3. Papæ authoritas tota falsa est. Si tamen Divina foret, hoc est, ex Deo, sicut Magistratus civilis potestas Divina est, ministerialis tamen tota foret, adeóque se ad ea, quæ Deo ipsi legitimè promissa, & apud eundem rata sunt, per dispensationem relaxanda se non extenderet. Minister enim non est dominus, nedum supra dominum. Voti autem religio tota à Deo domino est. qui proin solus eam sancire, vel circa eam dispensare potest. Sed esto, possit Papa dispensare. uti & sui commodi & Regni amplificandi gratia haud rarò dispensat; & jure id ipsum facere, gnathones ejus palam tuentur. Quantò igitur magis ob ipsius Dei constitutionem, per Apostolum iis, qui ustiones sentiunt, & fornicationis periculum timent, conjugii remedium præscribentis, matrimonium contrahere iis, qui temerario voto irretiti licet, continere nequeunt, fas plurimque erit? Si Papæ indulgentiæ ob solum temporale, & subinde injustum commodum a nuptiis votarii incestum tollit, definiente sic Navarro *Man. cap.* 12. n. 75. cur incestum putabimus eos, qui longe graviori, salutis puta æternæ causa, concedente verbo Dei, & juxta illud legitima potestate dispensante, seposito temerario voto, nubunt?

ARG. VII. Multò minùs votum solenne irrita facit matrimonia jam contracta. Nam quos Deus conjunxit, homo separare non potest. Deus autem conjunxit eos, qui votum emiserunt etiam, sed quia temerè emissum retractârunt. Neque votum cœlibatus cuiquam potest esse laqueus, quo irretitus gravissimis tentationibus Sathanæ obnoxius fiat. Et cùm votum simplex a solenni non distinguatur realiter, saltem non coram Deo, cur potiùs solenne reddat irritum matrimonium contractum, quàm simplex? Non dicam ipsos adversarios vehementer diffidere, quo jure, Ecclesiastico, an Divino votum illud solenne matrimonium contractum dirimat? Dissensum illum ipse Bellarminus *de Monachis cap.* 34. turpiter prodit. Et voti solennis non majorem hîc vim esse, quàm simplicis, fusè M. Anth. de Dominis *de Rep. Eccl. lib. II. cap.* 12. *num.* 34. 35. *&c.* comprobat.

RESP. REDING: *Deus non conjunxit eos, qui contra jura Divina vel humana conjunguntur. Tales sunt, qui post vota continentiæ solennia conjunguntur. 2. Votum simplex & solenne multum differunt. Illud enim simplici promissioni: hoc promissioni traditione reali vestitæ innititur. 3. Neque quicquam ad rem facit, an voti solennis efficacia tanta sit, ut ex se ipso impedimentum matrimonii inducat; an ad eum effectum Ecclesiæ consti-*

 tutio

stitio requiratur Ibid. pag. 378 Resp. 1. Nec jura Divina liquida, nec humana legitima obicem conjunctioni huic figunt. Recta igitur & legitima est conjunctio; injusta & tyrannica disjunctio. Votum generaliter, & ex vi voti loquendo, *simplex* est id, quod est internum; *solenne* vero, quod præterea externè manifestatur, externísque actibus & ceremoniis stabilitur. Hæc verò externa voto, qua votum est, & sine ulla ejus differentia coram Deo obligativum, merè accessoria & accidentalia sunt; adeóque reale, quod dixi, discrimen haud inducunt. In personali tamen & permanente voto agressio & vitæ susceptio, per quam ex simplici solenne fit, huic voto essentiale est, quia per illam hoc votum votum est, & sine eo merum propositum. Hoc verò votum sic solenne, id est, votum completum vobis non solenne, sed simplex cluet. Quid ergo? Solenne votum, sic tu cum Neotericis tuis definis, est, in quo non sola promissio, sed datio seu traditio sui fit, & simul ab Ecclesia acceptatio. Solenne igitur juxta vos fit, cùm in manibus Ecclesiæ, hoc est, ministri Ecclesiastici, vovetur id, quod simplici voto promiseras; quódque tui traditione & consignatione, actualique applicatione ad talem vitam sic exequaris, ut traditio illa nomine Ecclesiæ solenniter recipiatur. Sed traditio illa merum commentum vestrum est, nihilque efficit, tum quia in professione non fit ulla traditio, seu datio; sed promissio duntaxat: (Profitens enim solenniter semper dicit: *Promitto conversionem: promitto stabilitatem loci: promitto obedientiam secundum regulam.* Tota denique professio promissionibus absolvitur; atque ita nihil differt à voto, quod isti simplex appellant, differúntque ut internum & externum, conceptum & prolatum, cogitatum & explicatum &c.) tum quia promissiones istæ, adeóque etiam traditiones cum solennitatibus, juxta Juonem *Epist.* 41. nihil aliud sunt, *quàm quædam religionis vincula, humanæ instabilitati provisa. quoniam omnis traditio religionis novitate & raritate viget & floret; antiquitate verò & numerositate, nisi districtè ligetur & servetur, frigescit & vilescit*; ac proin *non ad faciendum Monachum introductæ sunt*; *absque quibus etiam primi Monachi moderniis longè perfectiores in Monachatu vixerunt*: *tum quia in receptione Monachalium professionum Ecclesia nihil negotii habet*, & Monachatus privata tantùm privatorum, puta Abbatum, qui non Ecclesiæ ministri, sed Monachorum patres, ab ipsis Monachis facti, ficti, & sibi præfecti sunt: tum quia extra votum religionum solenne, possent homines etiam conjugati, & proprietatem bonorum ac divitias retinentes, tradere se cum externis solennitatibus Deo, ad serviendum perpetuò pauperibus, ægrotis; quas professiones non posset non recipere Ecclesia; quæ vota solennia erunt cum datione & receptione plena, & tamen matrimonia non diriment (cur igitur vota ejusmodi solennia religionum dirimunt?) tum quia ipse Bonifacius VIII. *c. unico de voto in 6.* fatetur, solennitatem votorum in professione religiosa ex sola constitutione Ecclesiæ esse *inventam*, non regulatam aut modificatam, uti Soto interpretatur. Si ergo solennitas illa non est nisi humana inventio & constitutio, quomodo illa voto simplici, quod in utroque æqualiter Deo nuncupatur, addita Divinum conjugii ordinem, & conjunctionem, Deo decernente, inseparabilem non leviter turbare, sed perturbare & evertere potis erit? 3. Neque parum refert, *an post solenne votum matrimonium nullum sit jure Divino & naturali, an solùm jure Ecclesiastico*; quorum prius Albertus, Thomas, Bonaventura, Richardus, Durandus, Soto; posterius Scotus, Cajetanus, Paludanus, *& omnis* (sic ex Panormitano Bellarminus) *Schola Jurisconsultorum*, hoc est, Canonistarum, sciscunt. Quam quæstionem Bellarminus definire non potuit, incertus scilicet,

scilicet, qua in re essentia solennis voti consisteret. quod ipsum etiam definire, diligentissimus alias scriptor, supersedit. Neque profecto levis illa quæstio est. Si enim Deus in verbo suo matrimonia post solenne votum contracta irrita judicat, nullo Ecclesiæ decreto eorum stabilitas firmari potest, juxta *cap. Sunt quidam 25. q. 1.* ubi hæc verba extant : *Si Pontifex id, quod docuerunt Prophetæ & Apostoli destruere, quod absit, niteretur, non sententiam dare, sed magis errare convinceretur.* Cur ergo Papa dispensando matrimonia ejusmodi confirmat ? Jus enim Divinum & naturale perpetuum ac immutabile est. Sin matrimonia ejusmodi irrita sunt jure non Divino, sed Ecclesiastico; quomodo quod jure Divino, juxta sententiam Christi, *Quod Deus conjunxit, homo ne separet,* ratum est, Ecclesia irritum reddere potest ? Debebas ergo hic non cum Bellarmino tuo παμφορίζειν, sed alteri sententiæ subscribere, ut constaret, utrum latus tuum impetendum esset. Inprimis cùm Bonifacius VIII. *loc. cit.* disertè declaraverit, *voti solennitatem ex sola Ecclesiæ constitutione inventam esse.*

ARG. VIII. Non est etiam disparitas cultus idonea causa contractum matrimonium dirimens, teste Paulo 1.Cor.VII.12. Si disparitas cultus foret causa dirimens, Apostolus non permitteret Christianos in tali conjunctione manere. Nec leguntur talia matrimonia vel in Veteri vel in N.T dissoluta. Unde etiam Nicolaus Papa hac de re consultus, negavit ullius religionis obtentu debere à conjuge dimitti conjugem. Et Canonistis his se opponit ipse Bellarminus *de Matr.c.23.* asserens, *conjugium inter fidelem & infidelem nec Divino, nec naturali, nec Ecclesiastico jure irritum esse.*

RESP. REDING : *Argumenta tua de matrimonio contracto, non contrahendo loquuntur. Fatemur autem, matrimonia inter religione dispares contracta Divino & naturali, quin & Ecclesiastico jure irrita non esse, sed consuetudine, usu & traditione, quæ ab Apostolis accepta creditur, potiùs quàm jure impedimentum esse conjugii dirimens. Tertullianus enim Apostolis proximus lib. 2. ad ux. ejus rei meminit, causas irritandi referens varias, puta periculum seductionis, difficultatem educationis, discordiarum occasionem. &c.* Ibid. pag 378-383. Resp. Loquuntur de contracto, fateor. An id ideo aera verterant? Imò & tu conjugia ejusmodi irrita esse Ecclesiastica consuetudine, ab Apostolis derivata, proclamas. Quasi ad Apostolos consuetudo ejusmodi referri possit, quam improbasse ipsum S. Paulum 1.Cor.VII.12 13. ratio mea docet. Aliud scilicet Apostoli, ceu licitum, probarunt, præcipientibus etiam verbis, μὴ ἀφιέτω αὐτὸν, *ne dimittat eam :* aliud contraria consuetudine introduxerunt. Vertumni nunquam fuerunt, crede mihi. Ridicula insuper tua ratio est, ab Apostolis derivandam esse consuetudinem, quia Tertullianus, Apostolis proximus, ejusdem meminerit. Sic multa nihil minùs quam Apostolica, à Tertulliano. Montanistis favente & μισογάμῳ probata, Apostolica erunt. Cautiùs adhuc mercatus est Bellarminus, qui matrimonium fidelem inter & infidelem non baptizatum irritum esse *ex more populi Christiani, vim Legis obtinente,* pronuntians, sic sententiam suam probatum ivit, quod *ab annis minimùm sexcentis sine ulla controversia creditum sit in Ecclesia, ista matrimonia esse nulla Cùm ergo,* inquit, *tot Seculis illud Ecclesia crediderit & servaverit, & tamen certa aliqua lex non inveniatur, necessum est, ut id paulatim sit introductum, & consuetudo vim Legis obtinuerit.* Ad Apostolos tamen con-

suetudinis authores ascendere ausus non est. Sed profectò parum insuper sibi Bellarminus, parùm ex eodem sapiens Redingius constat. Fatetur uterque, *matrimonium fidelem & infidelem inter jure Divino, naturali, positivo, vel certa aliqua Lege Ecclesiæ irritum non esse.* Pertendit tamen uterque, *irritum esse ex more*, seu *consuetudine populi Christiani.* Scilicet quod *jure Divino, naturali, Ecclesiastico* ratum est; idem *more*, seu *consuetudine* populi, nulli juri innixa irritum est. quasi scilicet consuetudo mandati Divini fundamento destituta, imò juri Divino repugnans, impedimentum esse possit matrimonii legitime contracti dirimens. Non Christianus ille, sed Antichristianus populus est, qui consuetudines suas juri Divino, naturali & Ecclesiastico præfert.

ARG. IX. Prohibitiones Pontificiæ pleræque non spectant nisi confirmationem Papalis primatus in Ecclesia, & sunt pecuniarum aucupia, uti liquet ex historia dispensationum, quæ intercedente Regina pecunia fiunt. Statuitur equidem *cap. V. Reformat.* ne in contrahendis matrimoniis vel ulla detur dispensatio, vel rarò; eaque ex causa & gratis concedatur; in secundo autem gradu nunquam dispensetur nisi inter magnos Principes & ob publicam causam. Sed praxis ostendit, plumbum Papalis dispensationis auro facilè impetrari.

RESP. REDING: *Quòd ex adductis prohibitionibus Pontificiis fateris firmari Papæ principatum, accipimus libentes. Quæ verò de pecuniariis dispensationibus deblaterat, calumniam spirant, à Pallavicino abundè refutatam.* Ibid. pag. 380. 381. Resp. Egregium scilicet firmandi Papalis Regni argumentum: prohibitiones Papales tyrannicas pleraque, saltem tyrannico illi principio, *sic volo, sic jubeo*, innixas! Talia regna sunt, quales sunt artes quærendi regni; quales sunt nervi jam quæsiti. Pallavicini dissertationem sine summa impudentia lectori tuo repræsentare non potuisti. Nihil ea [illegible] magis: nihil ad probandum Babylonicam Simoniam efficacius. Refert ille, *dubitasse [illegible] Papam Alexandrum* VII. (Simonistarum illud alpha) *quonam pacto contra Tridentinum Concilium Pecuniariæ dispensationes, eaque frequentes Romæ obtineant: consuluisse peritos Datariæ: respondisse illos pecunias non Papæ & Cameræ ejus, sed montibus pietatis, à quibus nisi mandante Pontifice & in usus pios convertente, abstrahi nequeant, cedere: Pium V. statim post Concilium ab ejus definitione hac recessisse, ejusque exemplo successores haud rarò dispensasse pro pecunia; idque propter experimentum facti, quia inter tot obstacula matrimonii non dispensando maxima incommoda provenirent: Eos denique quibus dispensationis gratia obtigit, male relaxationem sibi concedi, nulla expressa causa, & largiori eleemosyna persolut[illegible] animi quietem & securitatem sibi compararent.* Quid videtur, lector curiose? De justitia dispensationum pecuniariarum à Concilio Tridentino damnatarum dubitavit Alexander, jam Papa, infallibilis scilicet & [illegible] Ecclesiæ Papalis dictator & doctor, ac de cætero [illegible] Canonicus, qui religioni non duxit Nepotes suos ex bonis Ecclesiæ locupletare immensùm. Et non dubitemus nos, minorem scilicet gentium homunciones, ad quos nullum ex dispensationum illarum aucupio lucrum redundat. Consulendos duxit Alexander, qui omne jus Divinum & humanum in scrinio pectoris sui gestare creditus est, non Theologos, non Casuistas, nedum alios extra lucri quæstúsque spem positos; sed *Datarios*, Bullistas vetulos, hoc

est,

est, Publicanos, Harpyas Romanas, plumbi & lini exiguam portionem pro auri maxima vi vendere solitos. Hos anxietati conscientiæ suæ tranquillandæ doctores & magistros adhibuit. Quid illi? Pecunias ex dispensationibus redactas negant ilico ad Cameram devolvi, asseruntque aliò seponi ad tempus, donec mandante Pontifice inde abstrahantur, & in usus pios convertantur. An res in universum ita habeat, noverint Datarii. Nobis constat ex Theodorici à Nyem. *Tract. VI. 36.* Cameram Apostolicam esse *mare, in quod omnia flumina intrant, & non exundat.* Constat, prædarum omnium commune receptaculum esse. Voluerunt tamen illi à Papa amoliri querelam veterem Bernhardi, quærentis ex Papa: *Quomodo quos Ecclesia conjunxit, Camera disjunxit?* Non potuerunt tamen amoliri querelam ejusdem cui jam olim ad Eugenium scribenti dispensationes ejusmodi nomine *crudelium dissipationum Divini & humani juris* jure meritoque venerunt. Sed pias causas Datarii prætexunt, planè sicut Deaster ille Crispinus totum diripiens, calceos inde confectos in eleemosynas convertit. Sed piæ causæ dictæ quam impiæ aliquando sint, novit orbis. Pium enim judicat Papa Nepotes suos proventu tali ditare, Cleri insatiabilem voraginem utcunque obstruere; piissimum verò pompam ac magnificentiam externi cultus, qualem Apostolica simplicitas abhorret penitus, instruere. De quæstu Papæ ex montibus pietatis alibi dicta huc non sevoco. Pium V & successores ejus post decretum Tridentinum dispensationibus pecuniariis oppositum, ilico à definitione Concilii ejusdem recessisse, Pallavicinus ingenuè fatetur. Tanta illis Concilii Oecumenici illius & Sacrosancti scilicet, à Papa confirmati religio fuit, & hodieque est; imponentibus aliis onera importabilia, quæ illi ne digito quidem levant. Quid est Deo & hominibus illudere, sic hoc non est? Sed urgebat *experimentum facti.* Quasi scilicet ejusdem experimenti ratione non ante Concilium ad similes dispensationes se impulsos Pontifices præ se tulerint. Cur ergo impedimenta illa à Papis constituta non penitus in Concilio sublata sunt? In promptu causa est. Demetrii hi dicere poterant: *Viri, nostis, quòd inde quæstus nobis est,* Act. XIX, 25 Quis ergo non miretur, Simoniacas illas sordes Pallavicinum prodere, & Redingium venditare propalam non erubuisse?

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Ecclesiæ à Christo commissa est administratio & dispensatio Sacramentorum, adeoque etiam matrimonii. Proinde de ejus causis & rationibus disponere potest.* Resp. 1. Matrimonium non esse Sacramentum, jam modò demonstravimus. 2. Ecclesiæ competit administratio & dispensatio Sacramentorum, nempe particularis & circa exempla singularia, non addendo vel detrahendo institutioni Divinæ, sed eam applicando: non universalis circa ipsam Sacramentorum naturam. Esto igitur matrimonium Sacramentum; non potest tamen ecclesia matrimonium inhibere cuiquam sua solà authoritate; non etiam permittere, ut non sit verè matrimonium, si contractum legitimè, quantumvis contradicente ecclesia: non sit adulterinum, si contractum illegitimè, quantumvis ecclesia permittente & dispensante. 3. In ipso Concilio Johannes Verdunus, teste Historico *lib.*

VII. pag. 611. 612. fusè ostendit, avaritiam & adulationem persuasisse hominibus, quòd dispensare idem sit, quod gratiam facere, sicut facit Dominus servis, aut qui suum aliis donat.

EXCIP. REDING: 1. *Sacramenti materia, quatenus illa humanæ dispositioni subesse potest, sive particulariter, sive universaliter spectata ejusdem naturæ est. Si ergo particulariter sumpta Ecclesia dispensationi subest, cur non etiam universaliter sumpta? Inprimis cùm fassus ipsemet sis, potestatem legum circa res matrimoniales esse penes Magistratum Politicum. Quia verò matrimonium Sacramentum est, penes Ecclesiam ejus dispensatio necessariò stat. 2. Neque sic institutioni Divinæ detrahitur, vel additur, sed tantum institutio sic applicatur, ut dum in Ecclesiastica potestate situm est impedire, ne conjugum consensus ad jus illud ritè transferendum prævalere possit, impedimento ejusmodi interveniente, Sacramento authoritate legitima subtrahatur materia quoad formalitatem illam, quam Divina institutio statuit. 3. Si vera essent, quæ Verduno tribuis, quid ad rem? Nam per dispensationem fit gratia, sicut illa proportionaliter à domino servi fit, non quòd fideles erga Papam servitutis despoticæ, sed suavis, ad salutem eorum directæ conditionem subeant.* Ibid. pag. 381. 382. Resp. 1. Eadem semper est Sacramentorum materia, & ejusdem naturæ, quocunque illa modo spectentur. Sed dispensatio ejus, de qua argumentum vestrum loquitur, variare potest. Particularis enim est circa exempla singularia: universalis circa ipsam Sacramentorum naturam. Prior est penes Ecclesiam, quæ judicare potest, utrum v. g. Titius ad communionem Eucharistiæ vel baptismum admittendus, an repellendus: Eucharistia matutino an vespertino tempore administranda sit. Eodem modo Ecclesia dijudicare potest, utrum legitimum sit futurum matrimonium inter hunc & illum, an verò illicitum, prout cognatio, ætas, vel aliud ejusmodi obstabit vel non obstabit. Alia ratio est dispensationis universalis circa ipsam Sacramentorum naturam, quæ non tam dispensatio quàm institutio est. Solus autem Deus, creatura nulla instituere potest. Ita in Baptismo & Eucharistia nihil substantiale Ecclesia mutare, imò ne quidem dispensationem negare ei, cui debetur, potest, Act. X. 47. Similiter Ecclesia legitimè matrimonium, si Sacramentum est, inhibere cuiquam sua sola authoritate; vel novis legibus illud constringere non poterit. Alia verò ratio est Magistratus civilis, qui matrimonium pro Sacramento non habet, sed pro civili contracto, quem juxta leges naturæ Divino jure confirmatas & arbitrium suum pro bono societatis externæ regit. 2. Frustra ergo Ecclesiæ arrogas potestatem matrimonio legitimè, juxta leges naturæ & civiles contracto, impedimenta objicendi, & materiam subtrahendi quod ne in Sacramento quidem, ubi subjectum idoneum est, licere, ex Act. X. 47. ubi S. Petrus de Cornelio: *An aqua prohibere potest, ne baptizetur?* liquet. 3. Johannis Verduni Sorbonistæ dissertatio de dispensationibus Papæ in Concilio adversus Adrianum Dominicanum habita demorsos planè ungues sapuit. Distinxit ille ante omnia humanas inter & Divinas leges. In humanis, quarum authores non omnes casus prospicere possint, dispensationem quandoque necessariam esse: in Divinis non item. *Cùm petitur dispensatio,* sic arguebat ille, *aut in eo casu sumus, qui si prævisus esset, cùm facta est lex, fuisset exceptus; & hic, etsi nolis, dispensandi obligatio est: aut sumus in casu, qui si prævisus, lege fuisset comprehensus, & huc dispensatoria potestas non pertingit.* Subjunxit, *adulationem, ambitionem & avaritiam persuasisse hominibus, dispensare esse gratiam facere,*

quem-

quemadmodum dominus faceret servis, qui quod suum est, donat. Non esse Papam dominum, & Ecclesiam servam, sed illum ejus servum, qui sponsus est Ecclesiæ, & ab ipso præpositum familiæ Christianæ, ut det, sicut loquitur Evangelium, unicuique propriam mensuram, hoc est, quod ipsi debetur. Neque Verduno satisfaceret tua despoticam inter & suavem ad salutem directam servitutem distinctio. Facilè enim regereret, dispensare nunquam esse gratiam facere, sed justitiam legum ἐπιεικείᾳ convenientem administrare: servitutem suavem servitutem tamen esse: Papæ dispensantis dominium merè despoticum esse: denique in dispensatione, hoc est, relaxatione à legibus Papam ad commodum & quæstum suum, non ad salutem subditorum, quæ in obedientia potiùs legum honestatum, quàm relaxatione ab iis vertitur, respicere.

OBIECT. II. *Deus in lege Mosaica de hujusmodi gradibus decrevit. Abrogata nunc per Evangelium lege, Christus mancam reliquisset ecclesiam suam, nisi facultatem ei dedisset ejusmodi gradus secundum naturalem decentiam definiendi & taxandi.* Resp. Lex Mosis abrogata est quoad umbras futurorum, & præcepta politica politiam Israelis concernentia; non quoad præcepta vel politica, communi æquitati innixa, vel moralia. At præcepta Mosis gradus matrimonii liciti definientia posterioris sunt generis. Proinde in vigore suo manent, ut Pontificia nova Legislatione minimè sit opus.

EXCIP. REDING: *Veteris legis præcepta judicialia erant politica, communi æquitati innixa. Et tamen una cum lege Mosis abrogata sunt.* Ibid. pag.382 Resp. Politica erant, non tamen communi æquitati innixa omnia, sed singulari Dei beneplacito quædam. His abrogatis, illa manent, & vigorem suum Divina & naturali inspiratione constanter retinent. Tyronum erat, hæc non ignorare. Si tamen abrogata universa essent, cùm Deus Leges matrimoniales tulerit, quâ dominus Israeliticæ politiæ; Legislativa igitur circa easdem potestas in N. T. non ad Ecclesiam, sed ad civilem potestatem rediisset.

OBIECT. III. *Cognati ad quartum usque gradum sibi mutuò reverentiam debent. Ergo eo usque non debent invicem matrimonium contrahere. Peculiari enim reverentiæ nuptiæ contrariantur.* Resp. 1. Si ad quartum usque gradum cognatis reverentia debetur, cur igitur Alexander Papa non quatuor, sed integros septem gradus prohibuit? 2. Neque etiam omnis reverentia conjugio contrariatur. Ita enim etiam famulæ heris suis reverentiam debent. Neque tamen idcirco ancillæ cum hero conjunctionem incestam esse, Abrahami cum Hagare, Jacobi cum Zelpha & Bala conjunctio ostendit. 3. Ita omnes planè gradus prohibendi forent. Omnibus quippe cognatis debetur & reverentia & peculiaris reverentia, singulis nimirum pro dignitate [illegible]. 4. Quis credat, voluisse Deum abolitam omnem reverentiam ul[illegible] secundum gradum in linea inæquali? Et tamen non ultra Divina prohibitio processit.

EXCIP. REDING: *Duo principia supponi debent. Prius reverentiam [illegible] esse*

causam

causam justam prohibitionis de matrimonio intra certos gradus contrahendo. Posterius istam sanguinis reverentiam de jure Divino præsertim naturali ultra gradum secundum lineæ inæqualis extendi. His suppositis manifestum est, causam legitimam matrimonii posse ad quartum gradum, & si rationes & circumstantiæ postulent, ad ulteriores etiam extendi, Ibid. pag. 383. Resp. Supponis prius, non probas; si de qualibet sanguinis reverentia tibi sermo sit. Reverentia sanguinis proximi, hoc est, reliquiarum carnis, non cujusvis, matrimonii prohibendi legitima causa est, sic legislatore ipso Levit. XVIII. 6. definiente. Posterius verum est, sed tibi contrariatur aperté. Si enim non obstante reverentia ulteriorum graduum Deus matrimonium permisit in gradu secundo & sequentibus, sive consanguinitatis, sive affinitatis; possunt ergo, si alia non obstant, in iisdem gradibus à Potestate civili matrimonia permitti; neque prohibitio tam latè vagari debet. Hoc tibi expediendum, simulque rationum & circumstantiarum, quibus moti alii Pontifices vestri prohibitiones ad quartum, alii ad septimum gradum extenderunt, diversitas determinanda fuerat.

OBIECT. IV. *Nemo conjugem ducere eam debet, qua cum licet familiariter versari. Alioquin facilè pravis suspicionibus locus daretur. At cognatis ad quartum usque gradum familiariter conversari licet. Ergo.* Resp. 1. Fas esset legitimæ potestati hac forte aliisque rationibus concurrentibus secundum, & ad extremum etiam tertium gradum prohibere. 2. Neque tamen hæc sola ratio evincit justam prohibitionem usque ad quartum gradum, tum quia etiam ancillæ cum heris, & discipuli cum magistris omne genus artium familiariter conversari possunt, quos quasve inter tamen conjunctio minimè incesta est: tum quia Deus ultra secundum gradum in linea inæquali omnes esse voluit liberos, qui tamen, quod jus familiaritatis esse debeat, haud ignoravit. 3. Vera ratio suspicionum tollendarum hæc erit, si tollentur ipsa interdicta.

EXCIP. REDING: *Jus illud familiaritatis non solitarium, sed cum sanguinis reverentia junctum, una cum honestatis tutamento magis stabiliendo, causa adæquata est matrimonii ultra gradus à Deo definitos prohibendi* Ibid pag. 383. Resp. De sanguinis remotioris reverentia jam diximus. Cùm singulis hisce causis momentum nullum, ratio nulla insit, nec junctis inesse potest. Ita pauperes & inopes plures juncti marsupium non implent.

OBIECT. V. *Per matrimonia homines conjunguntur vinculo necessitudinis. At si inter propinquos contrahantur, perit hic fructus propagandæ necessitudinis, quia ad unam personam multa vincula inutiliter restringuntur, quæ in multos utilissimè spargi potuissent.* Resp. 1. Amicitiæ sparsæ pertinent non ad esse generis humani, sed ad bene esse. At quæ ad bene esse pertinent, non coguntur necessitate legis, sed liberæ voluntati permittuntur. 2. In populo Israelitico amicitiæ & necessitudinis defectus nunquam observatus est, quamvis liberum iis fuerit nubere in secundo gradu æqualis lineæ & sequentibus. 3. Neque etiam tantum

nàm in eos ſpargenda neceſſitudo, qui ſunt alieni à cognatione: Sed etiam renovanda eſt inter eos, in quibus cognationis vinculum paulatim extinguitur.

Excip. Reding: *Argumenti hujus noſtri ratio non convincens, ſed junctâ aliis cauſis, decentiæ congruitatem habet.* Ibid. pag 383 Reſp. Etiam *decentiæ* illius *congruentiam* reſponſiones meæ evertunt. Cur illa ad incudem revocare non ſuſtines? Evidentes nimis ſunt. Bellarmino tamen argumentum iſthoc *convincens* haud dubiè viſum eſt, qui illud pomposè jactat.

OBIECT. VI. *Neceſſitudo ſpiritualis major eſt conjunctione corporum. Ergo illa magis quàm propinquitas corporum matrimonium impedit.* Reſp. Inter omnes Chriſtianos eſt ſpiritualis conjunctio, cùm omnes ſint unum in Chriſto & membra ejusdem corporis; adeóque in Chriſto fratres. Neque tamen hæc tam arcta neceſſitudo eorum matrimonium impedit.

Excip. Reding: *Sicut in cognatione carnali potior eſt linea aſcendentium ac deſcendentium, quàm collateraliter conjunctorum: ſic in ſpirituali conjunctione potior habenda ratio eſt paternitatis & filiationis, quàm fraternitatis, per quam in Chriſto unum ſumus corpus, & alter alterius membrum. Hinc Eccleſia, arbitrio ſuo uſa, rationabilem cautam promſit prohibens; nuptias non quorumvis ſpiritualiter cognatorum, ſed eorum duntaxat, qui parentum & filiorum rationem habent.* Ibid. pag. 383. Reſp. Trullenſis canon 53. ex quo ratio adverſariorum petita eſt, de qualibet οἰκειότητι κατὰ τὸ πνεῦμα *cognatione ſpirituali* loquitur: & ab hoc genere ad ſpeciem ſolam ſuſceptorum in Baptiſmo deſcendit. Quàm rectè, viderint alii. Etenim ſi à ſpirituali cognatione argumentum ducitur, ſicut igitur in cognatione carnali æquè fratrum & ſororum, atque parentum & liberorum matrimonia inceſta ſunt: ita in ſpirituali par ratio obtinebit. Neque hic *Eccleſiæ arbitrium* obſtabit, quia inceſtus conſtitutio a jure naturæ eſt, non ab arbitrio quorumcunque hominum. Alias, ſicut olim illi, ſi lagena non defeciſſet, calumniis in Imperatorem finem non erant facturi: ſic ſi Romana Eccleſia ſuo velit quandoque indulgere genio, ſuóque arbitrio uti, nihil propiùs fiet, quàm ut de medio Chriſtianitatis omnis conjugiorum uſus pereat, & ad Turcas, apud quos nullum ſpirituale vinculum eſt, relegentur. Denique nec ſuſcipientes ſuſceptorum patres, nec ſuſcepti ſuſcipientium filii propriè ſunt. Carnaliter enim generant ſoli parentes carnales: ſpiritualiter verò generat, vel potiùs regenerat ſolus Deus, inſervientibus Eccleſiæ Paſtoribus, qui fideles γεννᾷν *generare in Jeſu Chriſto per Evangelium* 1. Cor. IV. 15. & ὠδίνειν *parturire* Gal. IV. 19. dicuntur.

OBIECT. VII. *Suſceptus à ſuſcipiente recipit eſſe ſpirituale, ac proinde ei peculiarem reverentiam, quæ matrimonio obſtat, debet.* Reſp. 1. Quid hoc ad ſuſcipientes, nec non hos & ſuſcepti parentes? 2. Etiam catechumena catechiſtæ peculiarem reverentiam debet. Neque tamen inter illos hactenus conjugium prohibitum eſt. Quid quòd etiam Cardinalis de Turrecremata agnoſcit, eum, qui baptizavit filium in caſu neceſſitatis, poſſe ejus matri nu-

bere; necnon eum, qui imprudenter ſuſcepit. 4. Eſſe ſpirituale eſt Dei gratia. At hanc non dat ſuſcipiens, ſed ſolus Deus.

EXCIP. REDING: *Deus hominum miniſterio utens ad gratiam mediante Sacramento conferendam, facit, ut homo inſtrumentalis ſaltem moralis gratiæ cauſa exiſtat. Licet etiam patrinus aſſiſtens baptiſmati per ſe immediatè, ne quidem in vi inſtrumenti, influat in gratiam, repræſentat tamen patrem ſpiritualem, quatenus baptizandum ad regenerationis lavacrum affert, & baptizandum in ſuam tutelam ſuſcipit, atque pro eo Eccleſiæ ſpondet.* Ibid. pag. 344. Reſp. Denuo quæro, quid hæc omnia ad ſuſcipientes & ſuſcepti parentes? Cur hic piſce magis mutus es? Utitur ſanè Deus in regeneratione, & ſalute hominum promovenda ſuis inſtrumentis. Neque tamen illis vel regeneratio vel ſalus noſtra accepta refertur, nedum ut ſpirituales parentes propriè dici poſſint illi, qui nec gratiam, nec Sacramentum gratiæ tradunt. Et ſi Sacramentum maximè traderent, non tamen Sacramentum traderent, juxta illa Johannis Baptiſtæ: *Ego baptizo vos aqua in pœnitentiam. Qui autem poſt me venturus eſt, iſte vos baptizabit Spiritu S. & igne,* Matth. III. 11. Idque non diffiteris ipſe, ſuſceptoribus nec inſtrumentalem nec moralem efficientiam gratiæ, ſed ſolam ejus repræſentationem concedens. Ita jam qui quocunque modo generationem ſpiritualem repræſentat; ſpiritualis pater erit, & eſſe ſpirituale conferet: & qui baptizandum Deo offert, ac pro eo ſpondet, repræſentabit ſpiritualem patrem, cui baptizandus offertur, & cui pro baptizando ſpondetur. Quid nugis veſtris nugacius?

OBIECT. VIII. *Eccleſia non ſine ratione conſtituit, ut votum ſolenne matrimonium jam contractum dirimat, tum quia votum ſolenne emittentes vitæ ſtatum mutant, & ad perfectius vitæ genus tranſeunt; quibus proinde fas non eſt ad imperfectum redire: tum quia vota ſolennia regulariter, publicè & toto populo teſte fiunt, ac proinde ſine ſcandalo mutari nequeunt: tum quia votum illud nuncupantes ſe Deo & eccleſiæ, à qua proinde cogi poſſunt, ſubjiciunt.* Reſp. 1. Nulla juſta ratio eſt ſolvendi conjugium juxta leges Divinas ſancitum. Aliâs eccleſiæ poteſtas ſupra ipſius Dei verbum ſe efferret. 2. Votum ſolenne Deo gratum & ſtrictè ſervandum, nec non perfectionis ſtatus eſſe, perperam ſupponitur. 3. Melius eſt κρῖμα *judicium* hominum; quàm κατάκριμα *condemnatio* in judicio Dei, inquit Epiph. *hær.* 61. Si igitur maximè cum ſcandalo conjunctum videatur poſt ſolenne votum matrimonium inire, tamen coram Dei judicio longè gravius malum eſt uſtionibus, pollutionibus, ſcortationibus ſi non externis, ſaltem internis ſubjectum eſſe. 4. Ipſi Tridentini matrimonia clandeſtina *ſcandalis plena* eſſe aſſerunt; neque tamen eadem irrita pronuntiant.

EXCIP. REDING: 1. *Itáne nulla eſt ratio ſolvendi conjugium legitimè contractum & conſummatum? Qua ergo præſumptione Pſeudo-Reformatio veſtra ex tot & arbitrariis cauſis matrimonia diſſolvit? 2. Qua etiam fronte S. Paulo contradicis, negando cœlibatum perfectiorem eſſe ſtatum quàm conjugii? 3. Cùm Eccleſia facultatem habeat prohibitionem conjugii contrahendi extendere ultra gradus Divinitus prohibitos, vel maximè eam exercendi*

poteſt.

potest, ubi votum intercessit, quod jure Divino ratum est Ibid. pag 384. Resp. Et cavillaris & calumniaris pro more tuo. Matrimonia enim legitimè contracta integra, adeóque interveniente adulterio vel desertione malitiosa, quam utramque dissolvendi ejus legitimam causam Christus & Paulus sanxere, non violata, nullis aliis, nedum arbitrariis causis Reformatio nostra, quæ tibi Babylonio flamini meritò sudes in oculis est, & ringendi materies, dissolvit. Papa verò vester innumera, quæstus sui gratia, dissolvit, atque dissolutos, ac nubere prohibitos, interdicto suo verè dissolutos, hoc est, scortatores reddit. 2. De cœlibatus perfectione infra. 3. Et de voti cœlibatus religione pariter infra.

OBIECT. IX. *Deus in V. T. conjugia Israelitarum cum Cananæis prohibuit, Deut. VII. 3. Eámque prohibitionem Esdras ita exposuit, Esdr. IX. 10. ut statuat, matrimonia etiam inita jam cum infidelibus rescindenda esse.* Resp. Ipse Bellarminus Canonistis hic respondet, *præceptum illud, quatenus irritum pronuntiavit ejusmodi matrimonium fuisse judiciale, ad Judæos, non Christianos N. T. pertinens.* Idque liquet tum ex eo, quia cum Cananæis, Ammonitis & Moabitis, non autem cum cæteris gentibus talia matrimonia sunt prohibita: tum quia captiva mulier ex alia gente infideli duci in matrimonium potuit, Deut. XXI. 11. tum denique & quia Christus ipse & Paulus aliter, uti ex Matth. XIX. 7. &c. 1. Cor. VII. 12. colligitur, disposuerunt.

EXCIP. REDING: 1. *Esto, disparitas religionis non ex jure Divino matrimonii impedimentum inducat, inducit tamen ex periculo seductionis. 2. Neque vel Christus Matth. XIX. 7. &c. vel Apostolus 1. Cor. VII. 12. &c. de matrimonio contrahendo, sed contracto loquuntur.* Ibid pag. 385. Resp. 1. Quid sic ergo attinebat leges Israelitis latas prætexere? Neque tam de contrahendo, quàm de contracto matrimonio disputamus. 2. De contracto utique Christus & Apostolus loquuntur. Et de eodem præcipuus controversiæ status est. Canonistæ enim vestri dirimi posse ajunt; & pertendit idem Bellarminus, pertendebas tu quoque supra; non quidem ex jure Divino, naturali vel Ecclesiastico, sed ex consuetudine vim legis obtinente.

QUÆSTIO. III.

An prohibitiones graduum in Levitico sint à naturali æquitate, an verò à jure positivo per Pontificem Romanum dispensabili?

AFfirmat posterius Canon III. qui Ecclesiæ jus *in nonnullis eorum dispensandi* vindicat. Bellarminus hanc Concilii sententiam expositurus *de matrim. c. 27.* format hanc propositionem: *Non obligant jure Divino Christianos omnia præcepta, quæ de gradibus habentur in Levitico.* Ex-

 cipiunt,

cipiunt verò Adversarii paucos gradus, quos jure naturali interdictos adeóque indispensabiles statuunt. Tale faciunt conjugium filii cum matre, patris cum filia, fratris cum sorore vel germana, vel ex altero tantùm parente, privigni cum noverca, & vitrici cum privigna. In reliquis dispensare solet Papa; ut ex historiis manifestum. Nos affirmamus prius, & contendimus, præcepta in Levitico expressa circa gradus cognationis naturalem justitiæ normam continere, & per hoc etiam apud Christianos vim habere, ut mutari & dispensari non possint. Etenim

ARG. I. Leges illæ ipsos etiam Gentiles obligârunt, qui quòd eas violâssent, à Deo solenniter exitio sunt devoti Levit. XVIII. 24. 25. 26. &c. Ergo continent naturalem justitiæ normam. Quæ enim omnes homines obligant, etiam eos, qui jus scriptum non habent, haud dubiè à naturali æquitate manavit.

RESP. REDING: *Juris naturalis est pronuntiatum Levit. XVIII 6.* Ad proximam sanguinis sui nemo accedat. *Id verò si extendatur ad lineam transversam, Jacobus duas sorores ducens, aliique viri sancti incestuosi fuerint.* Tomo IV. Tract. XI. q. 2 pag 3 5; 86. Resp. Non satisfacis argumento. Omnia enim interdicta, quæ Levit. XVIII 6. seq. extant, naturalis, non municipalis Judæorum juris esse inde collegi, quia cunctis illis etiam gentiles, qui nisi naturalem legem nullam habuerunt, obstricti fuerunt: & violantes illa puniti à Deo sunt. Nam post enumeratos omnes gradus ibi hæc v 26. 27. subjiciuntur. *Vos igitur custodietis statuta mea & judicia mea, & ex omnibus istis abominandis rebus nullam designabitis, sive indigena aliquis fuerit, sive incola, qui inter vos habitat. Quoniam omnes abominationes istas fecerant homines terræ illius, qui fuerunt ante vos, ut polluta sit terra.* Omnia ergo, quæ Israelitis Deus ibi prohibuit, fecerunt gentiles, non quædam: & propter *omnes* illas *abominationes* à gentilibus patratas, terra polluta est. Proin omnes illi gradus etiam gentilibus prohibiti fuerunt; quia nulla sine prohibitione vel obligatio, vel pœna obtinet. Quo vero alio, quàm naturali jure, gentilibus gradus illi prohibiti sunt? Et sanè *proxima sanguinis*, seu potiùs (שְׁאֵר בְּשָׂר) *reliquia carnis*, ad quas accedere v. 6 Moses vetuit, quod juris naturalis fuisse agnoscis, in linea etiam transversa sunt, adeóque gradum secundum lineæ inæqualis in consanguinitate & affinitate includunt. Quod vel inde manifestè probatur, quia omnes illi gradus proximi sanguinis reliquiæ sunt. quod alibi fusiùs explicatum dedimus. Ridicule Bellarminus inter consanguinitatis gradus nudè & cum circumstantiis consideratos distinguit; atque nudè consideratos juris naturalis esse concedit, cum circumstantiis negat: quasi ulla lex sit, quæ non imponatur actionibus; vel ulla actio nudè, solitariè & absque circumstantiis considerari possit. Adeò perplexi hic adversarii sunt, ut quid dicant, nesciant. De exemplis Patriarcharum infra.

ARG. II. Transgressoribus illarum legum injunctæ sunt à Deo pœnæ capitales. Ergo pertinent ad legem moralem. Quamvis enim subinde ceremonialibus statutis capitales pœnæ addantur, hoc tamen fit non tam

propter

propter materiam illorum præceptorum,quàm propter Majeſtatem præcipientis. In his autem legibus de gradibus manifeſtum eſt,pœnas capitales addi ob præceptorum ipſorum materiam.

RESP. REDING : *Hoc ipſum in quæſtione eſt , an graduum prohibitio adjunctam habeat comminationem pœnæ ob materiam illorum , an ob Majeſtatem præcipientis. Unde enim prius illud probas? Obſtant matrimonia Patriarcharum.* Ibid.pag.386. Reſp. Prius illud tum ex reliquis argumentis noſtris: tum inde etiam colligitur,quia leges ceremoniales,pœnarum capitalium comminatione ſancitæ, in N. T. diſertè abrogantur, leges verò de inceſtu Matth.XIV.4. 1.Cor.V.1. (parium & conjunctorum pari & conjuncta ratione habita) confirmantur.

ARG. III. Interdictorum illorum rationes de legum ipſarum perpetuitate teſtantur. Nituntur enim partim reverentia ſanguinis , partim dilectionis inter homines propagatione. Quorum utrumque officium reducitur ad præceptum illud magnum de dilectione proximi.

RESP. REDING : *Hæc ratio tua evincit , plures etiam gradus legitimè ab Eccleſia prohibitos eſſe ; adeòque reverentiam ſanguinis & dilectionis propagationem non eſſe indices ... perpetuitatis legum.* Ibid. pag.386. Reſp. De ulterioribus illis gradibus ſupra tibi ſatisfeci. Aliud eſt reverentia ſanguinis proximi,de quo Levit.XVIII.6. ſermo eſt: aliud ... De illa,non hac,nec non de neceſſitate ſpargendæ dilectionis extra proximum ſanguinem argumentum loquitur.

ARG. IV. Nomina quoque inceſtui in illis gradibus à Spiritu S. tributa moralem turpitudinem arguunt. Vocantur enim זמה *ſcelus* Levit.XVIII. 17. התועבה *abominatio* v.26 27. תבל *confuſio* Cap.XX.12. חסד ὄνειδος *probrum* v 17. נדה *ſcelus fugiendum* verſ.21. Ipſæ igitur etiam leges morales ſunt.

RESP. REDING : *Conjugia in gradibus illis prohibita non ſimpliciter his nominibus veniunt,ſed quatenus illa abſque ullo rationis per authoritatem Divinitus conſtitutam dignoſcenda delectu promiſcuè contrahuntur.* Ibid. pag. 386. Reſp. Explicabo mentem tuam clarius. Conjugia in gradibus illis contracta *ſcelus , abominatio , probrum,confuſio* ſunt,ſi Papa veſter illa non permiſerit, & diſpenſatione ſua in contrarium non verterit. At *ſcelus,abominatio,probrum,confuſio* eſſe deſinunt,Papa,quæſtus ſui gratia,permittente & diſpenſante. Credemus tum , cùm probatum nobis ſolidè dederis , Papam ex *ſcelere, abominatione , probro , confuſione* , non *ſcelus , abominationem,probrum,confuſionem* facere poſſe ,& in cujuſquam hominis,vel cœtus hominum arbitrio eſſe jus Divinum figere & refigere. Hoc ſcilicet ille facit,qui ἀποδεικνύντα ἑαυτὸν, ὅτι ἐστὶ Θεός, *demonſtrat ſe ipſum, quòd Deus ſit*,2.Theſſ.II 4.

ARG. V. Leges illæ de gradibus ita ſunt comparatæ,ut qui eas impleverit , vivat, Levit.XVIII.5. At per ſtatuta ceremonalia vel judicialia obſervata nunquam vivere dicimur,imò diſertè negatur,per ea Iſraelitas vivere Ezech.XX.25.Et manifeſta eſt in Legibus moralibus formula: *Fac hoc*

& vives. Prophetæ ita has leges explicant, ut non obſcurè arguant, petitas eſſe illas ex fontibus legis moralis Ezech. XX. 10. 11. Amos. II. 7. ubi qui contra fecerunt, abominatio dicuntur.

RESP. REDING: *Atqui Deut. V. 31. &c. Deus Judæis promittit, fore, ut ſervantes omnia mandata, ceremonias & judicia ſua, vivant. Et Ezech. XX. 11. de præceptis itidem cerimonialibus loquens, hominem in iis vivere declarat. Præcepta verò illa non bona per quæ homo non vivit, quorum v. 25. mentio eſt, non Divina, ſed ſuperſtitioſa & idololatrica intelliguntur.* Ibid. pag. 388. Reſp. Fœde hallucinaris & Scripturæ ſtylum ignoras. Aliud enim eſt, præcepta facientem vivere, aliud eſt, in præceptis, ſeu per præcepta, hoc eſt, præceptorum obedientiam ceu cauſam vivere. Prius illud de quibuslibet Divinis præceptis, adeóque etiam iis, quæ ſunt *ἐν δόγμασι in placitis*: poſterius de ſolis moralibus, etiam in lege operum præſcriptis, quorum obedientia per ſe cauſa vitæ eſt, dicitur, uti ipſe Apoſtolus Rom. X. 5. & Gal. III. 12. oſtendit. Illud Deut. V. 33 hoc Levit. XVIII. 5. occurrit. Tum חקים *definitiones* (quæ vox Deut. V. 31. habetur) non ſemper ceremonias, ſeu, ut Scripturæ ſtylo utamur, *δόγματα placita*; ſed in genere quævis *ſtatuta*, quaſvis *definitiones* ſignificant. Quid enim? Annon præcepta iſta, quæ vulgò *moralia* vocamu, etiam ſunt חקים *θεσμοὶ definitiones*, quibus nihil addendum, nihil detrahendum? Alia ratio eſt loci Ezech. XX. 25. ubi memorantur חקים לא טובים ומשפטים לא יחיו בהם *Præcepta* ſeu *definitiones non bonæ, & judicia, in quibus non viverent.* Neque enim ibi præcepta ad ſanctitatem & imaginem Dei pertinentia, utpote *bona* adeóque perpetua; ſed *δόγματα, placita*, hoc eſt, ceremoniæ per ſe non bonæ, nec cauſa vitæ ſignificantur. Inepte verò præcepta illa *ſuperſtitioſa & idololatrica* eſſe ſtatuis. Nam de iis ſic Deus ipſe loquitur: אני נתתי להם *Ego dedi iis præcepta non bona* &c. An Deus Iſraelitis dedit præcepta *ſuperſtitioſa, idololatrica*? Apageſis blaſphemiam! Imò dedit Iſraelitis in deſerto ceremonias ſeu dogmata per ſe *non bona*, & *per quæ homo non viveret*; oppoſitè ad *præcepta* ſeu *ſtatuta* & *judicia illa, in quibus homo, ſi ea fecerit, vivet*, v. 11. hoc eſt, præcepta & ſtatuta bona, quæ facienti, & perfectè obedienti cauſa vitæ eſſe poſſint.

ARG. VI. Ex legibus illis etiam in N. T. peccata arguuntur, Matth. XIV. 4. 1. Cor V. 1. At quæ juris poſitivi in V. T. fuerunt, in novo non ampliùs conſcientiam obligare, confeſſum eſt.

RESP. REDING: *1. S. Johannes reprehendit Herodem, copulantem ſibi uxorem fratris Philippi. Quis hoc jure naturæ vetitum negat? 2 S. Paulus loquitur de conjugio privigni cum noverca. At Synodus Tridentina definiens, poſſe Eccleſiam in nonnullis conſanguinitatis & affinitatis gradibus in Levitico expreſſis diſpenſare, illum affinitatis gradum primum non complectitur.* Ibid. pag. 387. Reſp. 1. Verba Johannis Baptiſtæ Herodis *ἐπιπληκτικὰ* oſtendunt, adulterium duntaxat, an etiam inceſtum Herodis reprehenderit. Dicit enim v. 4 *Οὐκ ἔξεστί σοι ἔχειν αὐτήν. Non licet tibi eam habere* in uxorem, hoc eſt; per Divinam Legem levit. XVIII. 16. expreſſam nefas tibi eſt ducere fratriam, ſeu uxorem, quæ fratris tui uxor fuerat. Licet ergo alia in eodem matrimonio ſcelera conjuncta fuerint, non tamen non etiam inceſtum fuit; imò propter inceſtum potiſſimùm illud à Baptiſta reprehenſum eſt. Unde Bellarminus ipſe *inceſtuo-*

ma.

matrimonium vocat; & veteres passim. 2. Bene est, quòd conjugium novercam inter & privignum jure naturæ vetitum agnoscis. Atqui cohæret illa Lex Levit. XVIII. cum aliis gradus propinquiores prohibentibus. quorum omnium par ratio est. Omnes enim illi gradus in ratione generalis interdicti Levit. XVIII. 6. expressa, ne videlicet quis approximet ad שְׁאֵר בְּשָׂר *reliquias carnis* conveniunt. Præterea Tridentina Synodus decernens, posse Ecclesiam *in nonnullis consanguinitatis & affinitatis gradibus Levit. XVIII. expressis dispensare*, cur non distinxit, & quibus in gradibus dispensare queat, quibus nequeat, non definivit? Scilicet hoc in arbitrio Papæ reliquit, cui dispensaturo in quocunque Divinitus prohibito gradu, quis dicet: cur ita facis? Revera enim nutu ejus cuncta hic stant, quia abrogata lege judiciali Ecclesiæ, hoc est, Papæ esse ajunt, novas de incundis matrimoniis Leges condere. Qui autem legem condit, eandem abrogare, vel in eadem dispensare potest.

ARG. VII. Gentes moratiores in plerisque illis legibus Levit. XVIII. sancitis conveniunt. Apud illas prohibita fuere conjugia Parentum & liberorum, fratrum & sororum, Patruorum & avunculorum in secundo lineæ collateralis gradu.

RESP. REDING: *In gradibus à te hic expressis formalissimè subsistit jus naturalis honestatis, ut proin mirum non sit, moratiores in iis matrimonia non contraxisse. Non tamen inde sequitur, non posse ex causa rationabili per legitimam authoritatem decidenda in aliquibus transversæ lineæ gradibus Levit. 18. expressis dispensari.* Ibid. pag. 387. 388. Resp. Quæ verò rationabilis causa adversus jus naturalis honestatis, gentilibus ipsis natura notum, valere potest? Abhorruerunt gentiles à matrimoniis fratrum & sororum. Dispensasse tamen Martinum V. *cum quodam, qui acceperat germanam suam in uxorem*, Angelus de Clavasio *Summ. fol.* 307. testis est. Neque inter gnathones Papæ convenit, juri Divino, naturali an positivo fratrum & sororum nuptiæ contrarientur; Thoma Aquinate, Bonaventura, Scoto, Alensi, Durando, Cajetano, aliis soli positivo contrariari asserentibus. Sic ergo in nuptiis his Papæ dispensare fas erit. Ita Gregorius III. permisit cuidam, ut avunculi defuncti uxorem duceret; & Johannis VIII. permissione Ethelbaldus Rex Angliæ novercam duxit. Annon contra Pontifices illos, *irrationabilibus* suis causis ita dispensantes, honestiores ex gentilibus, imò etiam deteriores, nondum eò licentiæ progressi, in die judicii surgent? Næ surgent, & accusabunt graviter.

ARG. VIII. Innocentius III. in C. *Literas* Extr. de *Restit. Spoliat.* negat, dispensari posse in gradibus consanguinitatis lege Divina prohibitis. Cornelius à Lapide in Levit. XVIII. refert, tempore Henrici VIII. multos Theologos & Jurisconsultos statuisse, quòd gradus illi jure naturæ absolutè sint prohibiti. In ipso Concilio Johannes Verdunus efficacibus argumentis negavit, Divinam legem exceptioni vel dispensationi ullo modo obnoxiam esse, fuséque invectus est in perversam opinionem, quòd dispensatio ecclesiæ ministris concessa talis sit, qualis est dominorum, qui servis gratiam, quam volunt, faciunt, & quod suum est donant, quam opinionem adulationi, ambitioni & avaritiæ tribuit. Vide eam in

rem

rem plura apud Historicum *lib. VIII. pag.* 611. & 612. Præterea gravis in Concilio pugna oborta est, Episcopisne an Pontifici ea dispensandi facultas concedi debeat, apud eundem S. Polanum *lib. VIII. pag,* 675. Urgebant Episcopi, *Romanam Curiam Dispensationes dare etiam ignotis, sæpe etiam per fraudem eas impetrantibus, merita personarum & causarum de facto certò non cognoscere.* Quin & Galli Reformationis suæ Concilio exhibitæ *Capite* 28. petierunt, ut dispensationibus iis modus imponeretur.

RESP. REDING: 1. *Innocentius III. loc. cit. non agit de dispensatione, sed de restitutione spoliatorum.* 2. *Neque Cornelius à Lapide absolutè, sed cum restrictione asseverat, tempore Henrici VIII quosdam affirmasse, sic esse gradus illos prohibitos juris naturalis, ut Papa dispensare nequeat.* 3. *Nunquam sibi Ecclesia vendicavit jus dispensandi in legibus Divinis, quæ naturalis juris sunt. In aliis cùm dispensat, nonnisi ex causa gratis concedendam dispensationem Synodus Sess. XXIV. de Reformat. cap.* 8 *sanxit.* Ibid pag 388. Resp. 1. Verba Innocentii III. *loc. cit.* diserta hæc sunt; *In gradibus consanguinitatis Divina Lege prohibitis dispensari* nequit. 2. Neque ulla hæc assertionis Theologorum Anglorum restrictio, cùm simpliciter asserentes, gradus in Levitico prohibitos juris naturalis esse, concluserunt inde, Papam in iisdem dispensare non posse. 3. Ignorare nos putas, Innocentium III. *Cap. Prop. de concess. præb.* definivisse, quod Papa *secundum plenitudinem potestatis de jure supra jus dispensare possit.* Nil dicam de effatis aliis parasitorum Papæ, alibi productis. Sed negas, Papam dispensare in iis, quæ sunt juris Divini naturalis. Falsissimum equidem. Sed fucum facitis, ne id committere Papa videatur, ea quæ juris Divini naturalis liquidissimi sunt, ad jus Divinum positivum mutabile referentes. Sic quadrata rotundis mutare mos vester habet, ut Papalis potestatis fimbrias modò amplificetis. In eo etiam Synodus mundo imposuit, quòd Sess. XXIV. *de Reformat. matr. cap.* (non 8. sed) 5. definivit, *dispensationem gratis concedendam esse* Non ignoramus artes vestras, jam pridem ab Alvaro Pelagio *de Planct. Eccl. lib. II. art.* 20. in alio licet argumento, sic detectas: *Sed dicunt isti ficti Prælati: Sacramenta non vendimus. Sed dicendum est: Etsi ipsa Sacramenta invendibilia non vendunt, contra facientes tamen vendunt vocem, sigillum & calamum. Et canoni fraudem faciunt, de pecunia ad personam, quia accipit Notarius pro literis ordinatorum, totum, vel quasi totum sibi Episcopus.* Et *art.* 5. iis applicat dictum Prophetæ: *Principes sunt socii furum*; id est, inquit ille, *Notariorum suorum & tenentium sua sigilla, cum quibus participant lucra Simoniaca.*

ARG. IX. Denique totum illud dogma non aliò revera pertinet, quàm ad stabiliendam Romani Pontificis potentiam & quæstum. Unde in ipso Concilio Episcopi, qui potestatem dispensandi Papæ concedendam esse negârunt, hoc inter alia urserunt, *dispensationes apud omnes male audire, ob opinionem hominum mentibus impressam, quòd nonnisi pecuniosis dentur*, apud S. Pol. pag. 675. Idem *lib. I. pag.* 61. ostendit, Pontifices olim dispensationibus & repudiorum sententiis, tam concessis quàm negatis, magnam rebus suis accessionem fecisse, nomine Vicarii Christi obtegentes eos Principes, qui vel incestum connubium contrahere, vel uxorem jam ductam repudiare avebant,

avebant, qui proinde eam ob causam authoritatem Pontificum defendere coacti fuerint. In Taxa pœnitentiaria inter alia habetur: *Nota diligenter, quòd hujusmodi gratiæ & dispensationes non conceduntur pauperibus.*

Resp. Reding: 1. *Pontifex potestate hac utitur non ad quæstum, sed ob reverentiam sanguinis naturæ jure constitutam, quam sic temperat, ut cohibeat ejus reverentiæ absque rationabili causa violationem; permittat, si rationabilis causa subsit. 2. Quid Pio V. Concilii definitionem de relaxationibus cohibendis executuro contigerit, supra vidimus. 3. Reges & Principes ob reverentiam per religionis virtutem erga Pontificiam sedem excitatam, non ullam aliam causam, Papæ hisce in rebus sanctionibus se subjecerunt.* Ibid. 389. Resp. 1. Experientia clamat. Si *ob reverentiam sanguinis naturæ jure constitutam*, quo jure per dispensationes mutat Papa, quod natura sanxit; & reverentiam *naturæ jure* debitam relaxat? Eo videlicet, quo ex peccatis non peccata facere solet. quod jus in rebus naturali sanctioni innixis ne ipse quidem Deus sibi arrogat. 2. De Pio V. & Datariis ejus fœneratoribus supra nos quoque diximus. 3. Non ulla religionis virtus, sed vel superstitio, vel aliena sive fraus, sive violentia, sive utraque Reges & Principes iniquis Paparum sanctionibus audientes obsequentésque reddidit. Religionis enim virtus neminem ad falsæ potestatis religiosum obsequium in rebus Divino & naturali juri repugnantibus adigit.

Obiectiones Tridentinorum.

OBIECT. I. *Si præcepta illa omnia essent naturalia ac proinde indispensabilia, etiam ante legem latam obligâssent. Atqui ante legem non obligâsse, docent exempla primorum fratrum, qui sorores; Abrahami, qui sororem Saram; Jacobi, qui duas sorores; Amrami, qui Jochebedam amitam duxerunt. Quòd si conjugia illa incesta fuissent, sequeretur, Sanctos illos semper mansisse in peccato.* Resp. 1. In Civitate Dei non exemplis, sed legibus standum. Ex legibus de exemplis, non ex his de illis judicandum. 2. De conjugio primorum fratrum & Abrahami, Dissertatione peculiari *th.* 21. 22. nec non *Hist. Patr. Tom. I. Exerc. V.* 41. 42. fusè egimus. Res eo redit, ut dicamus, fratrum & sororum matrimonia non absolutè, sed in certo rerum statu naturæ adversari. In quo statu cùm non fuerint primi homines, nihil ad eos interdictum attinebat. 3. Etiam amicos Dei in peccato, maximè per ignorantiam commisso, subinde manere, probant exempla Asæ, qui rectum fecit in conspectu Domini, sicut David, neque tamen excelsa abstulit, 1. Reg. XV. Josaphati, ibid. cap. XXII. Patriarcharum Polygamorum &c.

Excip. Reding: *1. Si conjugia fratrum in certo rerum statu, non absolutè juri naturæ adversantur, multo minùs absolutè illicita erunt conjugia ultra primum gradum consanguinitatis. 2. Abrahamum & Jacobum sub eo etiam statu, in quo Deo comprobati sunt amici, arguere de incestis nuptiis, & polygamia juri naturali repugnante, nefanda in Sanctos viros injuria & nequitia est. 3. Neque prætexi potest ignorantia invin-*

cibilis in iis, quæ juri naturali, omnibus cognito, repugnant. 4. Nihil ad rem faciunt exempla Asæ & Josaphati, qui excelsa, hoc est, Templa in montibus vero Deo dicata, vetita licet, prudenter tamen permiserunt, ne populi consuetudo immolandi in excelsis ad idololatriam eum abriperet. Ibid. pag. 389. 390. Resp. 1. Dispar ratio est, quia diversus ille rerum status non æquè in omnibus gradibus intra consanguinitatis, & affinitatis secundum obtinet. Præterea in eo rerum statu, quo fratrum & sororum conjugia illicita sunt, simpliciter & absolutè illicita sunt; neque ulla dispensatio valet. Par ratio reliquorum graduum jure Divino prohibitorum est. 2. Neque injuria in viros sanctos, neque nequitia est, dicere quod res est; illicitos jure naturæ fuisse gradus, in quibus illi matrimonia contraxerunt. Sed quod sic illicitum erat, illi nec scientes, nec opinantes; & non tam ex luxuria carnis, quàm aliis causis admiserunt. Quo non obstante, manserunt amici Dei, non propter nævos illos, quos Deus τροποφορήσας *tolerans* istos Sanctorum *mores* (Act. XIII. 18.) indulsit propter Christum advocatum apud se: sed propter fidem & obedientiam in reliquis. Abrahamus enim ἀνενέγκας Ἰσαὰκ τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον φίλος Θεοῦ ἐκλήθη *offerens filium suum supra altare, amicus Dei vocatus est,* Jac. II. 21. 23. non propter matrimonium. 3. Jus naturæ, non accedente revelationis Divinæ lumine, haud omnibus, & in omnibus perinde notum est. Aliud enim sunt ejus principia omnibus æquè nota, vel saltem noscibilia: aliud conclusiones, quæ non advertentes, non ratiocinantes, lumine verbi Dei non adjutos, sed communi consuetudine abreptos quandoque latere possunt. Ita S. Paulus de concupiscentia, juri naturæ haud dubiè adversante, dicit Rom. VI. 7. *Concupiscentiam non nossem* (esse peccatum) *nisi lex dixisset:* Non concupisces. 4. Quomodo Asa & Josaphatus *prudenter* permiserunt, quod lex Divina vetuit, & Deus ipse iis vitio dedit? Carnalis etenim, non spiritualis ejusmodi prudentia est.

OBIECT. II. *Quæ prohibentur jure naturæ, æqualiter puniuntur. At conjugia horum graduum non æqualiter puniuntur. Alia enim puniuntur pœna mortis, alia privatione liberorum, uti ex Levit. XX. liquet.* Resp. 1. Diversitas pœnarum arguit diversitatem gradus peccatorum, non diversam juris speciem. Ita aliter punitur blasphemia, aliter mendacium, aliter adulterium, aliter fornicatio, aliter parricidium, aliter furtum. Et tamen hæc omnia naturali jure prohibentur. 2. Levitici XX. agitur de pœnis politicis à Magistratu infligendis; non de propriis peccati pœnis, quæ ad Divinum judicium pertinent. 3. Pœnas incestus omnes capitales esse, superius allegata dissertatione probavimus.


EXCIP. REDINGO: *Argumentum isthoc non caret fuco, nec pro nostrate agnoscitur. Frustranea proin est exceptio.* Ibid. pag. 390. Resp. Fucum ergo fecerit Bellarminus, oraculum tuum, qui *de Matrim. cap.* 27. in prima acie argumentum isthoc collocavit. Tam imbelle scilicet illud est, ut te ejus puduerit. Sed ita in pice Cardinalem tuum relinquis, & nobis palmam cedis.

OBIECT. III. *Sub ipsa lege conjugium iniri potuit & debuit cum uxore fratris defuncti Deut. XXV. 5. idque juris Leviratus nomine venit. Id tamen Levit. XVIII. 18. disertè*

discretè prohibetur. Proinde prohibitio illa aliaq́; sunt juris non naturalis, sed positivi.
Resp. 1. Non si Deo fas integrumque fuit dispensare circa legem à se latam, id ipsum quoque licet hominibus legi Divinæ subjectis. 2. Varias juris Leviratus interpretationes enodavimus eadem Dissertat. th. 25. ubi ostendimus, legem de non ducenda fratria esse quidem juris naturalis, sed secundarii & in certo rerum statu: & jus Leviratus addere Jus gratiæ ad jus naturale, secundum modum ecclesiæ illorum temporum. Quanquam & hic valet illud Chrysostomi secundo contra Judæos: Θεοῦ προστάττοντος οὐ δεῖ περιεργάζεσθαι τὴν φύσιν τῶν γινομένων, ἀλλὰ πείθεσθαι μόνον. *Deo jubente non licet curiosè inquirere in naturam eorum quæ fiunt, sed duntaxat obtemperare.*

Excip. Reding: *Fatemur jus illud de ducenda fratria restrictum esse ad certum rerum statum, quem jus naturæ non complectitur. Hic verò status consistit in peristasi moralis rationis, cujus dijudicationem Deus permisit judicio Virorum Sanctorum, velut Abrahami, Jacobi, &c. Cúmque illa moralis rationis arbitratio fluat ex lumine naturali etiam in N. T. vigente, sequitur eandem in N. T. habere locum penes authoritatem legitimam à Christo institutam.* Ibid. pag. 390. 391. Resp. Non in peristasi rationis naturalis, nedum illius, quam dijudicandam Deus reliquerit Patriarchis polygamis, vel ulli potestati humanæ sive legitimæ, qualis civilis & œconomica; sive falsæ, qualis Papalis est; sed voluntatis solius Divinæ, clara revelatione testificatæ, status ille à naturali jure exceptus consistit. Neque Divina illa exceptio legem ipsam de non ducenda fratria liberos habente, non esse naturalem, evincit. Nam vel violenta, vel fraudulenta usurpatio rei alienæ; cædes item filii prohibetur jure naturæ. Et tamen jussit Deus Abrahamum occidere filium, Israelitas auferre Ægyptiorum bona. Naturæ jus fuit polygamiam interdicere. Et tamen eadem permissa fuit patribus. Non igitur Divina ejusmodi exceptio, legem esse juris naturalis negat. Sed quod Deo licet, non perinde hominibus, & legitimæ etiam potestati humanæ licet. Si enim in gradibus controversis dispensare posset humana authoritas, ergo vel abrogando, vel excipiendo. Atqui neutro modo licet. Non *abrogando*, quia sic irritæ fierent leges Divinæ, & authoritas humana Divinæ æquaretur. Est enim abrogatio, cùm lex ita antiquatur, ut inposterum vim legis nullam habeat. Quod in nulla unquam Republica cuiquam licuit, cui non esset par authoritas, aut major ea authoritate, qua lex sancita fuit. Non *excipiendo*, quia sic vel generaliter, vel particulariter dispensare posset. Atqui non potest *generaliter*, puta exceptionem proponendo in formam legis, quia hæc esset abrogatio legis, saltem partialis. Neque etiam *particulariter*, tum quia manifesta est προσωποληψία, cùm paucis permittitur, quod omnibus prohibetur, cum tamen seriò S. Paulus 1. Tim. v. 21. sic præceperit: *Obtestor in conspectu Dei & Domini nostri Jesu Christi, & electorum Angelorum*, ut hoc serves χωρὶς προκρίματος, μηδὲν ποιῶν κατὰ πρόσκλισιν, *absque eo ut unum alteri præferas, nihil faciens in alteram partem inclinando:* tum quia ejusmodi dispensationis genus utramque & universalem negantem, & particularem affirmantem, adeóque duas contradictorias ponit veras: tum quia hæc manifesta illusio est ecclesiasticæ indulgentiæ. Etiamsi enim frequentissimum sit Ecclesiæ condonare peccata; alienum tamen est ei condonare, qui perseverat in eo peccato, quod condonatur. Eaque est prædicationis

tionis Evangelicæ natura, ut remissionem peccatorum denunciet non omnibus, sed duntaxat pœnitentibus. At monstrosa hæc dispensatio remittit peccatum non recedentibus à peccato; imò remittit peccatum, ut remaneant in peccato.



QUÆSTIO IV.

An matrimonii contracti & consummati vinculum adeò sit indissolubile, ut ne quidem propter adulterium alterius conjugis dissolvi, & alia duci posit?

AFfirmat Canon. VII. qui anathemate ferit eum, qui dixerit, *ecclesiam errare, cùm docuit & docet, propter adulterium alterius conjugum juxta Evangelicam doctrinam conjugii vinculum non posse dissolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, aliud matrimonium contrahere non posse.* Cur ita formatus sit hic Canon, inferiùs dicam. Nos negamus & contendimus, in divortio propriè dicto, facto vel propter adulterium, vel propter malitiosam desertionem alterius conjugum, ipsum etiam vinculum dissolvi. Rationes.

ARG. I. Christus negat, uxorem dimitti posse, & aliam duci, παρεκτὸς λόγου πορνείας, excepto casu adulterii, Matth. V. 32. XIX. 9. Ubi igitur est casus adulterii, ibi & uxor dimitti potest, & alia duci, sine periculo μοιχείας, adeóque vinculum dissolvi. Sicut igitur peccat, qui extra casum adulterii uxorem dimittit & aliam ducit, ita qui posito eo casu uxorem dimittit, & aliam ducit, non tantùm non ita graviter peccat, & mœchatur, uti Bellarminus nugatur, sed prorsus non peccat. Pharisæi enim v. 3. interrogârunt, non, an grave, vel minùs grave peccatum sit dimissio, sed εἰ ἔξεστι, *an liceat* jure, adeóque citra peccatum & dimittere, &, quod illi soliciti erant, aliam uxorem ducere. Tum contrariorum immediatorum ea natura est, ut, quod de uno affirmatur, sit negandum de altero, & vice versa.

RESP. REDING: *In verbis Christi Matth. V. 32. quæ ita sonant:* Quisquis dimiserit uxorem, præter causam adulterii, facit eam mœchari; & quicunque dimissam duxerit, committit adulterium; *nec non Matth. XIX. 9.* Qui dimiserit uxorem nisi ob fornicationem, & alteram duxerit, mœchatur &c. *exceptio illa παρεκτὸς λόγου πορνείας præter causam adulterii ad priorem propositionis partem, non posteriorem referenda est; quia si ea*

melior

melior esset conditio uxoris propter fornicationem dimissæ, utpote à vinculo liberæ, quàm uxoris innocentis à viro per injuriam ejectæ, quæ marito alligata citra adulterii crimen alteri nubere nequit. Duplex nempe erat quæstio; una: An liceat dare libellum repudii, uxorémque dimittere? altera: An dimissa uxore liceat aliam ducere? Ad priorem quæstionem respondet Christus cum ea exceptione, ut quisquis excepta fornicationis causa uxorem dimitteret, eam faceret mœchari. Ad posteriorem simpliciter & universaliter sine exceptione negando. Tomo IV. Tract. XI. ff. 2. pag. 391. 392. Resp. Quid, Redingi, est ludere in torquendis Scripturis, si hoc non est? Vix forte tam facilem te præberes in Aristotelis textu violando. In sacris omnia audes. atque hoc loco plano à communi vocabulorum Scripturæ usu recedis, in qua exceptio ad utrumque, antecedens & consequens referri solet, nisi gravissima in textu ipso obstet ratio, qualem nullam tu prodis. Nam quæ de potiori ratione adulteræ, quàm castæ matronæ, si vinculum fornicando dissolvi possit, affers, infra *ad Obj. VI.* solidè diluimus. Figmentum porro de duplici quæstione, & ad eandem directa in verbis Christi allegatis duplici responsione, ipsi textui manifestissimè reclamat, in quo uni eidémque quæstioni v. 7. his verbis: *Cur igitur Moses præcepit dare libellum repudii, & dimittere eam,* motæ, simpliciter Christus v. 8. & 9. respondet, *ab initio non sic fuisse;* &, *quisquis dimiserit uxorem, nisi ob scortationem, & duxerit aliam* &c. Ubi, edissere, in verbis discipulorum duplex quæstio: ubi duplex Christi responsio? Cerebri tui hæc commenta sunt, non Spiritus S. effata. Inde scilicet diffisi responsioni tuæ Sophistæ vestri, Salmero, Turrianus, Bellarminus, aliique, aliò se vertunt, & Christum de separatione tori, non solutione vinculi loqui pertendunt, eidem scilicet novitium & sophisticum distinctionis suæ inventum nulli Scripturæ testimonio innixum, nulla veterum Theologorum vel Jurisconsultorum authoritate fretum, affricantes. De illa utique separatione respondet Christus, de qua Judæi interrogârunt. Atqui de separatione quoad torum, sine solutione vinculi non interrogârunt illi, sed potissimùm de solutione vinculi, post quam alii uxori nubere liceat, quod ipsum Bellarminus *Resp. ad Obj.* septem argumentis comprobat. Neque de alio divortio lex Mosaica Deut. XXIV. 1. loquitur. Rectè Erasmus *Annot. in Matth. cap.* XIX. eam in rem: *Ambrosius,* inquiens, *exponens epistolam ad Corinthios priorem, tribuit marito jus repudiandi, neque secus sentit Origenes. Unde coacti sumus aliud quoddam divortii genus fingere, quod ita dirimat consuetudinem domesticam, ut nihilo seciùs maneat conjugii vinculum. Quod quidem divortii genus nomen duntaxat divortii habet, cùm à nobis sit repertum. De hoc non percontatos Judæos per se liquet, quibus prorsus erat incognitum.*

ARG. II. Apostolus 1. Cor. VII. 13. 14. 15. sciscit, si uxor à viro discedit, non justam videlicet ob causam, manere debere innuptam; & si infidelis discedit à fideli, servituti non esse subjectum fratrem & sororem in hujusmodi. Si eo tantùm casu uxor manere debet innupta, cùm ob aliam causam quàm adulterium discedit, ergo, cùm discedit ob adulterium alterius, non tenetur innupta manere, adeóque vinculum dissolvitur. Deinde verba sua οὐ δεδούλωται Paulus Rom. VII. 1. 2. &c. 1. Cor. VII. 39. interpretatur per ἐλευθερίαν γαμηθῆναι, & κατάργησιν ἀπὸ νόμου ἀνδρός. Proinde nulla lege

pars innocens nocenti manet devincta, & jus liberum habet nubendi alteri.

RESP. REDING: 1. *S. Paulus loc. cit. indefinitè asseverat, ubi uxor à viro discesserit, debere innuptam manere; & quidem, uti Rom. VII. 1. declarat, quandiu vir vivit. Per fidè ergo sacros illos contextus coarctare niteris.* Ibid. pag. 392. Resp. Digna animadversione est tua in citandis textibus oscitantia, quæ arguit, te ne quidem Paulinos textus inspexisse. Quæ 1. Cor. VII. extant, tu ex X & XI citas. Quæ Rom. VII. 2. leguntur, tu ex 1. Cor. VII. 39. allegas. Præstitisset tacere, quam ita delusorie agere. Moneo ergo, Apostolum ipsum legas, discásque ex 1 Cor VII. 10 11 simpliciter fas non esse, γυναῖκα ἀπὸ ἀνδρὸς χωρισθῆναι, *ut mulier à viro separetur* (neque quoad torum, inquam, neque quoad vinculum, quia indefinitè omnis separatio vetatur.) *Si verò separetur* (sine sontica causa, sola animi refractarii libidine) *manere debere innuptam, vel viro reconciliari.* Hæc in genere, re adhuc integra, puta matrimonio per adulterium non violato. Nam ad τὸ κυρίου *Domini*, Christi verba, quæ Matth. V. 32. & XIX. 6. 9. in quibus λόγος πορνείας *fornicationis ratio* vel casus disertè excipitur, provocat. Re ergo adhuc integra, verba S Pauli indefinitè intelligenda, matrimonio per adulterium violato coarctanda; quia Christus ipse coarctavit, vel potiùs regulam, exceptione posita, in casibus non exceptis firmavit, citra crimen perfidiæ, quod in te recidere potest, in Christum non potest. Deinceps v. 11--16. casum tractat de conjugio fidelem inter & infidelem inito, suámque, non Christi expressam sententiam, promit. Distinguit autem inter infidelem συνευδοκοῦντα, cohabitationi cum fideli *consentientem*; & χωριζόμενον *se separantem.* Cum illo fideli cohabitandum asserit; cum hoc non item, quia οὐ δεδούλωται ὁ ἀδελφὸς, ἢ ἡ ἀδελφὴ ἐν τοῖς τοιούτοις, *servituti obnoxius non est frater vel soror in talibus.* Quomodo οὐ δεδούλωται *servituti obnoxia non est*, quæ temere sic separato marito quoad vinculum ita obstringitur, ut ad vota alia transire non ausit; adóque lege matrimonii adhuc ceu ὕπανδρος *viro subjecta* ligata manet? Hoc profectò tibi expediendum fuerat. Sanè etiam glossa Ordinaria *ad h. l.* sic annotat: *Non est peccatum dimissio propter Deum, si alii copulatur.* Et Lyranus: *Discedat, q. d. liberatus est fidelis à conjunctione ejus, & potest cum altera contrahere.* Quin & Cornelius à Lap. de *ad 1. Cor VII. 15.* id ipsum adversus Dominicum Soto contendit, frustra tamen fideles inter & infideles distinguens, quasi Christus *in gratiam fidei* concesserit uxori fideli, ut separante se infideli absque alia causa, nubere possit; at nubere nequeat, si se separans sit fidelis. Neque enim *fidelis se separans*, adeoque Legem Dei & naturæ violans ac proscindens, hactenus infideli, ob solam fidei causam se separanti, potior censeri potest.

ARG. III. Conjugii essentia in eo est, ut duo fiant una caro. At adulterium tollit essentiam hanc conjugii, quia ibi mulier adultera non manet amplius una caro cum marito, sed cum adultero. Si conjugii essentia per adulterium tollitur, utique & vinculum per illud dissolvitur, quia lex vinciens pertinet ad essentiam conjugii.

RESP. REDING: *Non actualis, sed potentialis, in vinculo ac lege vinciente sita unitas de essentia conjugii est.* Ibid. pag. 392. 393. Resp. Atqui legislator ipse conjugii formam sic expressit: *Duo erunt in unam carnem.* actualem unitatem innuens. Quia & vinculum

lum ipsum non ad aliud vincit, quàm ut conjuges mutuam corporis potestatem habeant, 1. Cor. VII. 4. Quomodo cum vincit, qui nullam in corpus separatæ potestatem habet, imo potestatem illam, fracto per adulterium matrimonio, amisit? Sed *sic*, inquis, *innocente licet repugnante, poterit adulter matrimonii solutionem prætendere, utpote sublata ejus essentia.* Imò adulter juxta legem Divinam capite plectendus, nihil prætendere poterit. Connivente verò judice sola pars innocens vel prætendere, vel crimen remittere, atque sic violatum matrimonium in integrum restituere potest.

ARG. IV. Tum vinculum solvitur, cùm quæ conjugatæ antehac personæ fuerunt, ita distrahuntur, ut nulla ampliùs vel tentari vel sperari reconciliatio possit. Vinculum enim in eo est, ut conjugati sibi invicem adhæreant, se ament mutuò, conveniant, sibi sint עֵזֶר *adjutorium*, cui distractio opponitur. Atqui distractio illa, adeóque etiam vinculi solutio, locum habet in divortio tori & cohabitationis, quod ipsi Adversarii probare solent.

Resp. Reding: *Sic ex alterius conjugis nequitia penderet tollere matrimonii legem, non adhærendo conjugi, non amando, deserendo.* Ibid. pag. 393. Resp. Quid non nequitia, perniciem sibi accelerans, potest? Neque tamen sic matrimonii legem dissolvere potest, ut non ampliùs subsit legi & juri partis innocentis, quæ sola nocentem repudiare, vel in gratiam recipere potis est. Ita qui fœdus (quale conjugium est) frangit, fœderato innocenti subest, vel plectendus per sententiam judicis, vel in gratiam postliminio restituendus. Juxta Theologos vestros plerosque conjux infidelis pertinaciter resistendo sic dirimere matrimonium ejúsque vinculum potest, ut fideli fas sit ad nova vota transire. Cur ergo idem non possit adulter? Sed potest suo malo, sicut peccator quivis peccare, perfidus perfidè agere potest.

ARG. V. Sic pars innocens præter meritum & culpam privatur suo jure, & tenditur ei laqueus conscientiæ, qui conjicit hominem in periculum ustionis & fornicationis.

Resp. Reding: 1. *Ex tua sententia pars innocens defraudatur, quia nocens jus matrimoniale extinguere potest.* 2. *Periculum ustionis & fornicationis pars innocens vel precibus gratiam continentiæ implorando, vel nocentem postliminio revocando, avertere potest.* Ibid. pag. 393. Resp. 1. Non sic extinguere posse, ut legi innocentis non sit obnoxius, jam ostendimus. 2. Cùm lex Divina libertatem indulgeat nubendi alii, prætextus precum tentatio Dei aperta est, qua periculum non minuitur, sed, ustionibus continuis & durabilibus nova vota flagitantibus, augetur. Frustra vero est remedium partis nocentis in sinum recipiendæ, quo pars innocens sua libertate violenter defraudatur, & à perfidia nocentis partis pendere cogitur. Aliud est, si parti nocenti gratiam facere injuriæ illatæ liberè dignatur. Jure enim suo uti vel cedere potest.

ARG. VI. Concilium Neocæsariense Can. 7. Arelatense Can 10. Elibertinum apud Gratianum C. *Quædam* 32. q. 7. Triburiense apud Gratianum

num C. *Si quis* 32. q. 7. parti innocenti potestatem faciunt ad alia vota transeundi.

RESP. REDING: 1. *Idem Gratianus alios, Augustinum inprimis & Hieronymum nobis consentientes allegat. Cur hos præteris?* 2. *Concilia ex adverso adducta apocrypha & spuria sunt. Omniáque decreta contraria loquuntur de nuptiis per divortium separatorum post obitum alterius partis.* Ibid. pag. 393. 394. Resp. 1. Non hic locus erat testes à vobis inductos examinandi, sed infra esse debuit. ubi etiam paucis multa diximus. Augustinum hac in re paulò scrupulosiorem fuisse, fatemur. Alicubi tamen satis dubitanter loquitur, velut *de bono conjug. cap.* 7. ubi sic ille: *Miror autem, si quemadmodum licet dimittere uxorem adulteram, ita ea dimissa alteram liceat ducere.* Quamvis enim in negativam propendeat, perperam intellecto. 1. Cor. VII. 11. textu, id facit tamen hæsitanter satis, scribens: *Puto, videtur, miror* &c. Pollentium quoque, quem hac in re à se dissentientem habuit, & adversus quem libris illis disputavit, pro *fratre* habet, neque uspiam hæreseos insimulat. Alibi etiam satis suam hac in re perplexitatem indicat. Nam *Retract. lib. II.* 57. sic loquitur: *Scripsi duos libros de conjugiis adulterorum, quantum potui, secundum scripturas cupiens solvere difficillimam quæstionem: quod utrum enodatissimè fecerim, nescio, imò verò non me pervenisse ad hujus rei perfectionem, sentio.* Alibi *de fide oper. cap.* 19 *Quisquis*, inquit, *uxorem in adulterio deprehensam dimiserit, & aliam duxerit, non videtur æquandus iis, qui excepta causa adulterii dimittunt & ducunt. Et in ipsis Divinis sententiis ita obscurum est, utrum & iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit, ut, quantum existimo, venialiter ibi quisque fallatur.* Parum ergo vobis in Augustini, hac in re fluctuantis, authoritate præsidii suppetit. 2. Conciliorum allegatorum decreta tibi spuria sunt, quia nobis favent. Non aliam rationem habes. Neocæsariense *can.* 7. contrahentibus secundas nuptias post divortium pœnitentiam aliquam injungit, sed contractum matrimonium non dirimit. De nuptiis post mortem alterius partis loqui canonem, nullus apex testis est. Imò apertum est, de illis non loqui, quia pœnitentiam sic nubentibus nunquam orthodoxa Ecclesia imposuit. Arelatensis Concilii canon 10. sic habet: *De his, qui conjuges suas in adulterio deprehendunt, & iidem sunt adolescentes fideles, & prohibentur nubere, placuit, in quantum potest, consilium iis detur, ne viventibus uxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant.* En tibi *consilium*, non legem, non præceptum, non anathema, quali ubique Tridentini turgent. In Decretis Burchardi *lib. VI.* recitatur Canon Concilii Wormatiensis, qui sic habet: *Si quæ mulier cum aliis viris in mortem mariti conciliata est, & ipse aliquem illorum se defendendo occiderit, potest, ut nobis videtur, ipsam uxorem dimittere, &, si voluerit, aliam uxorem accipere. Ipsa autem insidiatrix pœnitentiæ subjecta absque spe conjugii maneat.* Sic etiam decretum Reginon. legit. Sed Gratianus inseruit verba, *post mortem uxoris* manifesta fraude. Cui enim bono canon conderetur de ducenda alia uxore, post mortem prioris; re adeò certa, ut nemo sanus in dubium unquam vocaverit? Et arguit fraudem adversativa, *Ipsa autem insidiatrix* &c. Quæ enim hæc connexio est: *Maritus, cujus vitæ ab uxore insidiæ structæ sunt, post mortem uxoris aliam accipere potest. Sed ipsa insidiatrix pœnitentia subjecta absque spe conjugii maneat.* Imò verò ideo maritus aliam ducere potest, quia est pars læsa: uxor non potest, quia pars lædens. Idem Gratianus ex Concilio Triburiensi hunc canonem citat: *Si quis cum noverca sua dormiverit, neuter ad conjugium*

conjugium potest pervenire, sed vir ejus potest, si vult, aliam accipere, si se continere non potest. Ingenue proin Sixtus Senensis *Biblioth. S. Annot.* 81. fatetur, *Patres illorum Conciliorum separationem quoad vinculum probasse.*

ARG. VII. Plerorumque Patrum eadem est sententia. De Episcopis quibusdam tempore Origenis, Tertulliano, Ambrosio, Zacharia Papa, Thoma Cajetano, Ambrosio Catharino largitur nobis Sixtus Senensis Biblioth. lib. VI. Annot. 81. His addimus Hieronymum, Pollentium, Leonem, Lactantium, Chrysostomum, Euthymium. Theodoretum, In ipso Concilio Oratores Veneti ob Græcos in Regnis Cypri, Cretæ, Corcyræ, Zacynthi, Cephaloniæ Venetis subjectos, quibus ab antiquo tempore in more positum fuerit, uxorem adulteram repudiare & aliam ducere, decreto huic intercesserunt. Unde oborta querela, Græcos & inauditos & non citatos ita damnari, & sententiam Ambrosij anathemate feriri. Diúque de eo certatum, donec temperamentum inventum est, ut videlicet diceretur, non eos damnari, qui dicunt, adulterio matrimonium solvi, & aliud contrahi posse, quod Ambrosius, Græci & Orientales semper tenuerint: sed eos, qui dicunt, ecclesiam id statuentem errare. Vide Historicum *lib.* 8. *pag.* 681. Meritò tamen multos angebat scrupulus, quomodo damnari possit, qui dicit ecclesiam errare, cùm articulum aliquem docet, cujus tamen contrarium non damnetur. Denique etiam Covarruvias plurimos enumerat sententiam nostram amplexos.

RESP. REDING: 1. *Imò ex omnibus Seculis Patrum pro nobis testimonia Bellarminus collegit.* 2. *Episcoporum illorum divortia majoris mali metu permittentium factum Origenes non laudavit, sed reprehendit.* 3 *Ambrosii scripta esse corrupta, idem Senensis ex Magistro Sententiarum probat.* 4. *Zacharias Papa uxori adulteræ permisit nubere post mortem viri, non eo vivente, si erat tantùm sponsa de futuro, uti glossa exponit.* 5. *Cajetanum idem Senensis ait proposuisse illam de vinculi per adulterium solutione propositionem, non ut firmam determinationem, sed ut opinionem doctorum disputationibus excutiendam.* 6. *Neque Suavis illa de Venetis narratio fidem meretur, quia in talibus sæpius mentitus est.* Ibid. pag. 594-596. Resp. 1. Bellarminianam collectionem infra *ad Obj. IV.* discutimus. 2. In Origenis de Episcoporum illorum solutionem vinculi permittentium facto sententia, quæ *tract.* 7. *in Matth cap.* 18 extat, id unum observamus, quòd permissionem illam comparavit cum permissione Apostolica, 1 Cor. VII 8. qua viduis non continentibus nuptias permisit. non ita comparaturus, si separatorum nuptias tanti criminis reas existimasset. 3. Ambrosii *in* 1. *Cor. VII.* verba sic sonant: *Non permittitur mulieri, ut nubat, si virum suum causa fornicationis dimiserit, &c. Et vir uxorem non dimittat; subaudiatur autem exceptio fornicationis causa. Et ideo non subjecit, dicens, sicut de muliere, quòd si discesserit manere sic, quia viro licet ducere uxorem, si dimiserit uxorem peccantem, quia non ita lege constringitur vir, sicut mulier.* Lombardi vero nudam assertionem, quòd Ambrosiana hæc corrupta sint, nil moramur.

quia ratione nulla nititur. Stylus certè horum verborum cum reliqua orationis compage adamussim congruit. Et si à falsario addita dicitur, textui Apostolico commentarii vice nihil ascriptum fuisse, consequetur. 4. Zachariæ Papæ decretum Gratianus c. *Concubuisti* 32. q. 7. in hæc verba refert: *Concubuisti cum sorore uxoris tuæ? Si fecisti, neutram habeas, & si illa, quæ uxor tua fuerit, conscia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat in Domino, cui velit. Tu autem & adultera sine spe conjugii permaneatis, & quandiu vixeritis, juxta præceptum Sacerdotis pœnitentiam agite.* Glossæ expositio de *uxore*, hoc est, *Sponsa de futuro.* non mentem Zachariæ, sed glossatoris repræsentat. Quanquam etiam sponsa jam vinculo obstricta est marito. Illud si solvi potest, datur ergo divortium etiam quoad solutionem vinculi, superstite uxore. Hinc adeò Sixtus Senensis *loc. cit.* victas manus dat, Zachariam accensens iis, qui tale *repudium quoad vinculum permiserunt, & interdum jusserunt, promulgatis super hac sanctionibus & decretis, non quidem generalibus & perpetuis, sed ad tempus, & certis nationibus, &c.* 5 Cajetani verba *Comm. in Matth.* 19 sic sonant: *Intelligo ex hac Domini Jesu Christi lege, licitum esse Christiano dimittere uxorem ob fornicationem carnalem ipsius uxoris, & posse ducere aliam uxorem, salva semper Ecclesiæ definitione, quæ hactenus non apparet, &c. Neo ego sum primus, qui sic intellexi Evangelii textum, quoniam ante annos mille B. Ambrosius sic intelligens idem docuit.* Salvam voluit Ecclesiæ definitionem; sed illam & veram & veræ verbis Christi consonam, non adversam. 6 Denique nec Suavis de Venetis narrationem futili mendaciorum aliorum prætextu in dubium ritè revocare potes, cùm nec ipse quidem Pallavicinus, Suaviana cuncta inimico judicio expendens, eam, quatenus à me relata est, in dubium revocare ausus fuerit: imò eam magis etiam *Hist. C. T. lib. XXII. S:* 27.&c. confirmaverit: & simili justiorique prætextu tum tuis, tum Pallavicini tui dictis omnibus fides detrahi possit.

ARG. VIII. Petrus Soto in Concilio acerrimè quidem propugnans indissolubilitatem quoad vinculum, coactus tamen est fateri, nonnisi per traditionem hunc articulum constare, nec verba Evangelii tam clara esse, ut ad Lutheranos convincendos sufficiant. Vide Historicum *lib. VII. pag.* 607.

RESP. REDING: *Fictitium est, quòd Petrus Soto tam crudè id effatus sit.* Ibid. pag. 395, 396. Resp. Mitiga ergo, si potes, dictum.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Christus Marc. X.* 12. *Luc. XVI.* 18. *disertè docet, adulterium committere eum, qui uxorem suam dimiserit, & aliam duxerit.* Resp. 1. Augustinus libro *de Consensu Evangel.* sæpius hanc regulam inculcat, *quòd vera interpretatio & sententia Evangelistarum quærenda sit ex collatione descriptionum, quæ apud reliquos Evangelistas extant. Ita enim,* inquit, *mutuas operas tradiderunt, ut quod unus breviùs & obscuriùs posuit, illud alter suppleat, & clariùs explicet.* Conferenda igitur ad mentem Christi pernoscendam est etiam descriptio Matthæi, in qua exceptio adulterii duobus locis supra allatis disertè reperitur. 2. Atque

que hinc etiam est, quòd in Concilio Petrus Soto ingenuè fassus est, *si quis verba Evangelii respiciat, non esse ea adeò clara, ut ad Lutheranos convincendos sufficiant*, ac proinde ad traditionem Apostolicam confugiendum censuit, apud S. Pol. *lib.* VII. *p.* 607.

Excip. Reding: *Exceptionem adulterii priorem duntaxat, non posteriorem propositionis Christi partem afficere, supra ostendimus. Manet ergo posterius, illud absque omni exceptione pronuntiatum, mœchari scilicet, qui dimissam duxerit, adeóque vinculum nunquam dissolvi. 2. Cùm Lutherani per suam pertinaciam potiùs, quàm ex sacro textu firment, illam adulterii exceptionem ad utramque verborum Christi partem pertinere, atque sic reliquorum Evangelistarum textus torqueant, impossibile profectò est, ipsos jam convinci ex Evangelio. Meritò ergo Petrus Soto ad traditionem hic provocavit.* Ibid. pag. 396. 397. Resp. 1. Tuum de exceptionis illius, *extra fornicationem*, restrictione commentum supra elisimus. Frustra ergo commenta commentis superstruis. 2. Lutherani non sumus, sed à Christo, unico Ecclesiæ nostræ capite, Christiani. Exceptionem autem ad utrumque propositionis membrum referendam esse, non pertinaciter asserimus, sed ipsa verborum Christi luce, quam ferre vos non potestis, firmavimus. Utroque ergo pollice probo, assertionem tuam Petro Soto suffragantem, *impossibile esse, ut ex Evangelio convincamur.* Ita profectò est. Extra Evangelium verò omnis probatio spuria est, neque sanum quenquam convincere, sed tantùm errantes in errore suo obfirmare idonea.

OBIECT. II. *Paulus Rom. VII. 2. 3. docet, nunquam vinculum conjugale solvi, nisi per mortem, qua demum uxor hactenus ὕπανδρος, & viventi marito lege devincta, liberatur ab ea lege.* Resp. 1. Paulus ait, mulierem manere ὕπανδρον, *marito subjectam*, vel, uti Syrus reddit דאסירה הי בבעלה *vinctam, alligatam marito suo*, usque ad mortem ejus. At ipsi Adversarii concedunt ejusmodi divortium, quo mulier ante mortem mariti non ampliùs sit ὕπανδρος, marito alligata & subjecta, sed ἄπανδρος & ἀπολελυμένη, ab eo *soluta*, adeóque dicatur non ampliùs *esse*, sed antehàc *fuisse* viri conjux. Reddenda igitur æquè illis ac nobis est ratio, quomodo ipsorum etiam doctrina cum verbis Apostoli consistere valeat. 2. Dicimus nos proinde, Apostolum loqui de matrimonio *integro*, non *violato* per adulterium vel desertionem: de eo in se accepto, quale est ex primæva institutione, non quale est ob vitium superveniens. Id nobiscum etiam agnoscit Cajetanus, dicens, *verba Christi accipienda esse regulariter, non in casu.* Aliâs Apostolus & Christi exceptionem in casu adulterii sustulisset, & sibi ipse 1. Cor. VII. 12. contradiceret.

Excip. Reding: *1. Subjectio, seu alligatio illa, qua separata uxor marito nihilominus subjicitur, manet saltem in jure radicali vinculi, licet quoad effectum actualis cohabitationis solvatur. 2. Proin blasphema impostura tua est, qua nobis imponis, quòd juxta nos S. Paulus exceptionem Christi sustulerit, quàm tamen ipse Christus ad solum hunc effectum restrinxit, quòd ex causa fornicationis liceat uxorem dimittere, manente vinculo essentiali & radicali ad mortem usque mariti.* Ibid. pag. 397. Resp. 1. Ad quidnam ergo, Redingi,

dingi, *νόμος ἀνδρὸς lex* illa *mariti*, quæ uxorem *ὕπανδρον* reddit, hoc eſt, vinculum conjugale vincit? Annon præcipuè ad mutuam cohabitationem, auxilium, adhærentiam, juxta ipſius Legislatoris verba: *Non eſt commodum, ut homo ſolus ſit: faciam illi adjutorium, quod coram eo ſit*, Geneſ. II. 18. *Propterea deſeret vir patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, erúntque in unam carnem.* ibid. v. 24. Atqui vinculum iſthoc ſeu *jus eſſentiale & radicale* illud *vinculi*, uti tu appellas, divortium veſtrum quoad torum & cohabitationem, publica Eccleſiæ veſtræ authoritate inſtitutum manifeſtè ſolvit. Quomodo ergo vobis cum verbis Apoſtoli convenit? Nam legem mariti, ſuperſtite adhuc eodem, relaxatis, ſolvitis. Hic te, ſi potes, extrica, & ſententiam veſtram cum ſententia S. Pauli, non addita exceptione fornicationis, qua lex mariti adulteri extinguitur & velut occiditur, concilia. Noſtra verò conciliatio plana S. Paulum cum Chriſto nullo negotio conciliat. Nuſpiam ego vobis impoſui doctrinam, quòd S. Paulus Chriſti exceptionem ſuſtulerit. Hoc enim docere non audetis, licet nihil non audeatis. Sed ex hypotheſi veſtra id ſequi ajo iterum iterúmque. Si enim uxor legi mariti, quandiu hic ſuperſtes eſt, ſimpliciter obnoxia eſt; ergo obnoxia eſt, ſive maritus fornicatur, ſive non. Atqui hoc verbis Chriſti è diametro adverſatur.

OBIECT. III. *Idem Apoſtolus 1. Cor. VII. 10. mandat conjugibus, ut uxor à viro non diſcedat, quòd ſi diſceſſerit, maneat innupta, aut viro reconcilietur. Apoſtolum autem loqui non de qualibet diſceſſione uxoris, ſed de ea, quæ fit ob juſtam cauſam, qualis eſt adulterium, manifeſtum eſt, quia Paulus aliàs non diceret de tali fœmina: maneat innupta, aut reconcilietur; Sed, maneat innupta, donec reconcilietur, omnino ad virum ſuum redeat. Non enim injuſtum divortium Paulus permiſiſſet, utpote qui ne quidem permittere voluit, ut conjuges à carnali commercio ob orationem, & ad tempus, ſine mutuo conſenſu abſtineant.*

Reſp. 1. Ex verbis Apoſtoli contrarium ſequitur. Jubet enim diſcedentem manere ἄγαμον. Atqui ἄγαμος neque thoro neque vinculo cum marito conjuncta eſt. Vult enim ἀγάμους manere, ſicut ipſe ἄγαμος erat, v. 8. Ipſe autem nec thoro nec vinculo conjugatus erat. Et ἀγάμους v. 9. jubet γαμεῖν. At qui vel thoro vel vinculo conjugati ſunt, γαμεῖν non poſſunt. 2. Apoſtolus v. 10. monet, ſe repetere præceptum Domini. Ejus autem duæ partes erant, altera, propter quas cauſas non licitum ſit divortium: altera, propter quam cauſam licitum ſit. Hujus autem præcepti pars prior duntaxat, non poſterior repetitur. Proinde agit hic Apoſtolus de iis, quæ diſceſſerunt ob cauſam non juſtam, nec legitimam. 3. Neque inde inferri poteſt, Paulum injuſtum divortium approbâſſe. Quòd enim disjunctivè loquitur, *aut maneat innupta, aut reconcilietur*, intelligendum non de jure, ſed de facto, nec abſolutè, ſed comparatè, hoc videlicet ſenſu, ſi conjux diſcedat à marito, aliam quàm juſtam ob cauſam, puta ob contumaciam, ſævitiam mariti, vel aliam ejuſmodi, & nolit, vel non poſſit reconciliari, à novo conjugio abſtineat. Proinde verba *maneat innupta*, non vel approbationem vel permiſſionem, ſed monitionem cum abſterritione conjun-

ctam

ctam significant. Jubet cogitare de reconciliatione, & interea ad novas nuptias non transire. Rectè igitur etiam doctissimus Tarnovius lib. III. de matrim. cap. 9. & 28. ex Suida, aliisque Græcis Authoribus probat, particulam ἢ non semper esse διαζευκτικὴν, *disjunctivam*, sed quandoque etiam διασαφητικὴν, præsertim in comparationibus.

EXCIP. REDING: 1. *Contradicis tibi ipsi. Contendis enim ex 1. Cor. VII. 10. inferri, quòd mulier à viro discedens, innupta manere jussa, eo ipso debeat neque thoro, neque vinculo cum marito ampliùs conjuncta esse. Postea enixeris Apostolum jubentem ibi mulierem manere innuptam, loqui de discedente ob causam non justam; cujusmodi adeò mulier, utpote conjugali vinculo cum marito suo constricta, omnino debeat à novo conjugio abstinere. 2. Si mulier à marito discedens priori marito nullo ampliùs vinculo obstricta est, quid prohibet, quò minùs alii nubere possit? Atqui Apostolus id vetat. 3. Tuam nequitiam prodis, dum ex v. 8. ubi Paulus de non nuptis & viduis loquitur, arguis, etiam v. 10. sermonem esse de muliere matrimonio soluta, cùm tamen ibi expressè sermo sit de conjugata. 4. Christus Matth. XIX. 9. disertè vetat dimittere uxorem nisi ob causam fornicationis. Apostolus verò non de ejecta ob adulterium loquitur, quia in arbitrio mulieris discedentis ponit, ut vel reconcilietur, vel innupta maneat.* Ibid. pag. 398. Resp. 1. Contradictionem à te fictam mihi impingis. Ἄγαμον innuptam ajo neque thoro neque vinculo cum marito conjunctam esse; non, *esse debere*, quod malignè fingis. Aliud enim est factum, aliud jus. Si contradictionem oratio mea involvit, ex ea igitur demonstres oportet, innuptam & thoro & vinculo cum marito conjunctam esse. Ubi hoc in verbis meis apparet? Cerebri tui proles est. Nam quòd infra pertendi, Apostolum agere de innupta, quæ ob causam non justam discessit; qua ratione inde contradictionem cudis? Etenim quæ ob causam non justam discessit, adeóque malitiosè virum deseruit, separatione illa & desertione tum à thoro se separat, tum vinculum disrumpit, adeò quidem, ut innocenti parti, judice ipso Apostolo v. 15. à servitute vinculi solutæ ad alia vota concedere haud nefas sit. Alia ratio partis nocentis est, quam manere innuptam Apostolus jubet, quia aliàs matrimonii nulla religio, stabilitas nulla foret, si sine causa discedenti promiscuè fas esset ad alia vota convolare. 2. Non igitur mulierem discedentem priori marito quoad jus vinculi non obstrictam esse, asserui: sed discedens, hoc est, malitiosè deserens, nullo jure, sed iniquo duntaxat facto sicut à thoro se separavit, ita, quantum in se est, vinculum abrupit. Neque ideo parti sic nocenti fas est nubere, quia potiùs in pœnam nequitiæ innupta manere debet, saltem tandiu, donec pars innocens nubendo jus suum parti nocenti remiserit. An deinceps permitti aliquid parti nocenti possit, heic non disputo. Vim vocis ἄγαμος simpliciter expendi, & eam significari, quæ nec thoro nec vinculo conjuncta est, collatis versibus 8. & 11. asserui. Aliter accipi v. 8. aliter v. 11. tuum erat probare. Sed pro more tuo bacchari mavis. Ibi ἄγαμος notat solutam vinculo de jure: hic de facto, vinculo solutam utrobique. 4. Apostolum non de ejecta ob adulterium loqui, fateor. Ne quidem de ejecta loquitur, sed de ea, quæ se ob causam non legitimam separat; adeóque de sententia Christi priori, qua is Matth. XIX. 9. prohibuit divortium ob causam illegitimam. Hoc disertis verbis responsio mea continet. Quid ergo obstrepis? Omitto frustrationem tuam quoad verba, *aut maneat innupta, aut reconcilietur*, à me exposita, & à te, quia nihil reponere habuisti, neglecta.

OBIECT. IV. *Constans hoc fuisse ecclesiæ dogma, perpetua traditione propagatum, constat ex Clemente Rom. Can.48. Justino & Athenagora in apologia, Clemente Alex. Tertulliano, Conciliis permultis ad Tridentinum usque.* Resp. 1. Unica doctrinæ cœlestis regula est Dei verbum. Ritè Hieronymus in Gal. I. *Spiritus S. doctrina est, quæ Canonicis literis est prodita. Contra quam si quid statuant Concilia, nefas duco.* 2. Multos ex Patribus, & Concilia quoque integra nobis suffragari, superiùs Sixtum Senensem confitentem audivimus. Imo in ipso Concilio multi Patres non obscurè agnoverunt, Ambrosium & Græcos omnes alia omnia sentire. Idem largiuntur Alciatus, Cajetanus, Erasmus, Covarruvias, Catharinus, qui & ipse Concilii pars fuit. Imò Græcis id ipsum Bellarminus, Becanus & Possevinus vitio vertunt. 3. Patres ex adverso citati plerique omnes vel dubitanter, vel de causa divortii non justa & illegitima loquuntur, vel dubiæ fidei sunt.

EXCIP. REDING: *Patres indubitanter de quavis etiam causa adulterii justa & legitima loquentes supra objeci. Cætera in objectione tua dilui.* Ibid. pag 398. 399. Resp. Corrasisti quidvis ex Bellarmino sine judicio. Recensuit ille Patres per Secula ad usque Concilium Tridentinum, majore pompa quàm usu. Non est necessum omnes percurrere. Post Seculum sextum quicunque sunt, iis pro arbitrio fruatur Bellarminus. Non invidebimus. Intra sex priora Secula quidam ambiguè locuti sunt, & hæsitarunt potiùs, quàm pronuntiàrunt, in quorum numero S. Augustinus est, de cujus sententia supra. Alii, nominatim Canon Apostolicus 48. Athenagoras, Origenes, Concilium Milevitanum can. 17. Innocentius I. ab eodem producti disertè loquuntur de repudio illegitimo, quod in usu erat apud Judæos & gentes, ex quibuscunque causis. Inde autem nullum præjudicium fieri potest, ab ipso Christo, non à nobis exceptæ fornicationi. Alii, præsertim Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Ambrosius, Chrysostomus nostri sunt. Tertullianus *contra Marc. lib. IV.* 34. sic illi Christum Mosi opponenti respondet: *Dico, illum* (Christum) *conditionaliter nunc fecisse divortii prohibitionem, si ideo quis dimittat uxorem, ut aliam ducat. Qui dimiserit, inquit, uxorem & aliam duxerit, adulterium commisit: & qui à marito dimissam duxerit, æquè adulter est, ex eadem utique causa, qua non licet dimitti, ut alia ducatur. Illicitè enim dimissam pro indimissa ducens, adulter est. Manet enim matrimonium, quod non ritè diremptum est: manente matrimonio nubere, adulterium est.* En, *illicitè dimissam pro indimissa ducens, adulter est.* Non ergo adulter est, qui *licitè* dimissam ducit. Tum prohibitum divortium ait, *conditionaliter*, nempe si ideo, ut alia ducatur uxor, adeóque causa divortii sit amor alterius uxoris. Quis hoc negat? Denique, *manet*, inquit, *matrimonium, quod non ritè diremptum est.* Quod ergo ritè diremptum est, non manet; ejusque adeò vinculum solutum est. Hinc adeò Pammelius ad locum illum sic annotavit: *Quidam putant, errorem esse in Tertulliano, quòd hic dicat Christum conditionaliter fecisse divortii prohibitionem: Sed, salvo meliori judicio, non tam in illo videtur errare, quàm in eo, quod infra sequitur, ubi videtur velle divortium ex causa adulterii ita licere, ut possit vir alteram uxorem ducere.* Tertulliani mentem probe ille perspexit, sed Papisticè improbavit. Clemens Alexandrinus *Strom. lib. II.* *Γαμεῖν*, inquit, *ἡ γραφὴ συμβουλεύει, οὐδὲ ἀφίστασθαι ποτὲ τῆς*

τῆς

τῆς συζυγίας ἐπιτρέπει, ἄντικρυς νομοθετεῖ, οὐκ ἀπολύσεις γυναῖκα πλὴν εἰ μὴ ἐπὶ λόγῳ πορνείας. Μοιχείαν δὲ ἡγεῖται τὸ ἐπιγῆμαι ζῶντος θατέρου τῶν κεχωρισμένων. Conjugium inire Scriptura consulit, neque unquam à conjugio discedere permittit. Contra legem tulit: Non dimittes uxorem nisi causa fornicationis. Scortationem autem censet, superinducere matrimonium vivo altero separatorum. Censet ille, non licere uxorem dimittere nisi propter fornicationem; & qui aliter separati sunt, iis non permitti novas nuptias; nimirum subauditis ex praecedenti sententia, *εἰ μὴ ἐπὶ λόγῳ πορνείας*. De Ambrosio supra vidimus. Chrysostomus *homil.* 17, *in Matth.* voluit sanè, rectéque voluit, uxorem illegitimè separatam manere uxorem. Primò dehortatur à divortio, dein exceptionem addit his verbis: *οὐ ταύτῃ δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἑτέρῳ τρόπῳ, κοῦφον ἐποίησε τὸν νόμον· καὶ γὰρ καὶ τούτῳ καταλιμπάνει τρόπον ἵνα ἀφίστηται, εἰπὼν παρεκτὸς λόγου πορνείας: Neque hoc duntaxat, sed alio etiam modo levem facit hanc legem, siquidem reliquit viro unum expulsionis modum, dicendo, excepta causa fornicationis.* Mens ejus est, non debere dimitti uxorem sine crimine adulterii: quae autem fuerit dimissa, manere conjugem. Sed post legitimum divortium manere conjugium, nusquam dixit. Imò sic oppositio hiaret.


OBIECT. V. *Matrimonium signum est conjunctionis Christi cum ecclesia. Sicut igitur Christi cum ecclesia conjunctio prorsus indissolubilis est: ita mariti cum uxore conjugium.* Resp. 1. Si similitudo illa ad quodvis tertium extendi debet, excludet igitur quodvis divortium, non quoad vinculum duntaxat, sed etiam quoad thorum: Imò etiam post mortem alterutrius conjugis. Christi enim cum ecclesia unio ne ipsa quidem fidelium morte finitur. 2. Christi cum ecclesia conjunctio eo significatur, quo vir & uxor sunt unum in una carne. At Bellarminus agnoscit, unum esse in una carne per carnalem copulam, quae pertinet ad thorum. Proinde omnino etiam nullam thori solutionem esse oporteret.

EXCIP. REBINE: *1. Similitudo illa in hoc consistit, ut unio ejusmodi utrinque consistat, quandiu manent ejus unionis extrema. Ecclesia autem nunquam dissolvitur, licet militare aliquando cesset. Tum enim triumphare incipit. Par ratio matrimonii. 2. Haec conjunctio in suo effectu spectata non importat copulam carnalem, sed vinculum permanens, in mutuo corporum jure consistens, ex quo solo sunt unum quid radicaliter & permanenter; non obstante aliquando solutione thori.* Ibid. pag. 399. Resp. 1. Frustra similitudinem unionis urges. Unio enim Christi & Ecclesiae ne quidem morte finitur: matrimonium verò morte finitur, &, pertendentibus vobis, etiam ante mortem quoad thorum, &, ubi pars altera infidelis est, etiam quoad vinculum, superstite conjuge infideli, finiri potest. 2. Christi & Ecclesiae conjunctio eo significatur, quo vir & uxor sunt unum in carne una. Atqui unum sunt in carne una non per aliud, quàm per carnalem copulam, quae pertinet ad thorum. Non ergo per aliud Christi & Ecclesiae unio figuratur, quicquid de permanente vinculo garrias. Hanc porro unionem verè radicalem separatio quoad thorum solvit, secus atque fit in unione Christi & Ecclesiae. Dissimilitudo ergo ingens intercedit.

OBIECT. VI. *Si ob fornicationem matrimonii vinculum dissolvitur, melior igitur conditio*

conditio efficietur fornicariæ, quàm innocentis & castæ. Illa enim scelere suo libertatem sortiretur, quam hæc non habet. Præterea ita aditus aperitur infinitis repudiis, etiam injustis, imò & adulteriis. Resp. 1. Si melior inde evadit conditio adulteræ quàm castæ, illud non ex lege Christi vel Mosis, quæ adulteram capitis supplicio plecti jubet, sed ex Magistratus indulgentia oritur. 2. Etiam virgo solenni voto adstricta juxta Adversarios nubere non potest. An propterea deteriorem ejus conditionem, quàm illius, quæ non obstante voto nubere potest, judicant? 3. An verò melior est conditio adulteræ, quæ nubere potest, ac de cætero justa ignominia notatur, & conscientiæ grave vulnus inflixit, quàm mulieris castæ, Deo & hominibus adamatæ? 4. Neque etiam adultera nubere potest ex regula stricti juris, sed ex sola ἐπιεικείᾳ, habita ratione conscientiæ & periculorum. 5. Leges Dei pro libidine hominum utentium vel abutentium mutari non debent. Novit Dominus & tueri eos, qui justè vivunt, & de illis pœnas exposcere, qui lege sancta abutuntur in occasionem peccati, & fomentum carnis.

EXCIP. REDING: *1. Saltem quoad jus fortunatioris vel desideratioris conjugii melior erit conditio adulteræ, quàm castæ conjugis. 2. Cùm per adulterium tolli vinculum doceas, quid obstat, quò minùs adultera libertatem habeat nubendi & quidem ex stricto jure, non ἐπιεικείᾳ. 3. Mittimus cætera, merissimas nugas tuas, ad rem hanc nihil facientes.* Ibid. pag. 399. 400. Resp. 1. Matronæ castæ fortunatum censetur conjugium, quod Divinitus ei provisum est, non obstantibus incommodis, quæ, Deo sic volente, patienter fert. Fortunatius quæ desiderat, non casta matrona illa est, sed animo jam fornicari incipit, & contra legem Divinam concupiscit. Manet ergo, non esse deteriorem uxoris castæ quàm adulteræ conditionem, inprimis cùm jure stricto adultera non fortunatius conjugium, sed pœnam adulterio dignam expectare debeat. Profectò iniquissimè fortunam hominum pensitas, dum adulteram Deo hominibúsque invisam castæ matronæ præfers non aliam ob causam, quàm quia adulterando *fortunatius & desideratius* conjugium, indulgente, qui punire debebat, judice, consecuta est. Valeat tua infelix fortuna, & vincat casta matrona! 2. Non si adultera, quantum in se est, vinculum tollit, vel parti innocenti jus suum, & νόμῳ ἀνδρὸς *lex mariti*: vel judici pro arbitrio in adulteram statuendi jus perit. 3. Reliqua mea pro *merissimis nugis*, hoc est, Redingianis, reputas, quia quod regereres solidissimæ responsioni, tibi non succurrit.



QUÆ-

QUÆSTIO V.

An Ecclesia multas ob causas divortium, ad certum incertúmve tempus, permittere possit?

AFfirmat Canon VIII. Et in Canonico jure plures causæ allegantur divortium producentes, hæresis, votum solenne continentiæ, deportatio conjugis, impotentia, frigiditas, sterilitas, diutina conjugis absentia, sententia judicis divortium pronuntiantis. Nos excepto adulterio & desertione malitiosa, quorum illud *faciendi*, hæc parti desertæ, post omnia tentata media justa divortii *patiendi* unicáque causa est, nullam aliam justam propriè dicti divortii causam agnoscimus. Cui tamen illud addimus, quod vulgò dici solet, aliud esse jus fori, aliud jus poli; aliud esse forum politicum, aliud forum conscientiæ. Ita olim Christiani Imperatores sub vigilantissimis Episcopis addiderunt Constitutiones, in quibus plures concedunt causas separationis, sævitiam, veneficia, insidias vitæ structas. &c. Quando enim duo imminent mala, eligitur levius, & propter σκληροκαρδίαν separatio quoad thorum instituitur, donec pia sequatur reconciliatio. In foro tamen conscientiæ partes separatæ non absolvuntur, nec omnino ante reconciliationem pacari possunt. Cæterùm licentiam divortiorum & quidem propriè, uti volunt, dictorum in Ecclesia Pontificia impugnamus his argumentis.

ARG. I. Deus conjuges conjunxit. Quos autem Deus conjunxit, homo separare non potest; Matth. XIX.6. In adulterio & malitiosa desertione non homo separat, sed Deus ipse.

RESP. REDING 1. *Cùm Christus solum adulterium exceperit, quo jure vos malitiosam desertionem excipitis? Etenim S. Paulus 1. Cor. VII. 15. de solo infideli malitiosè deserente loquitur. 2. Christus Matth. XIX. 29. amplam retributionem promittit ei, qui propter se reliquerit uxorem. Et Tit. III. 10. S. Paulus hæreticum hominem vitari jussit. Religionis proin inæqualitas divortii causa à Spiritu S. ipso statuitur. 3. Ubi? ergo Christus Matth. XIX. 11. solam fornicationem excipit? Loquitur non de dimissione uxoris temporanea duntaxat, sed toto vitæ tempore durabili, qualis non est, quæ vel ex mutuo utriusque conjugis consensu, vel ex causa duntaxat temporaria instituitur.* Tomo IV. Tract. XI. ss. 2. pag. 401. 402. Resp. 1. Non nos arbitrio nostro, sed S. Paulus Divino Spiritu 1. Cor. VII. 15. malitiosam desertionem excipit. Qua id ratione cum sententia Christi cohæreat, *ad Obj II.* exponimus. Quamvis autem de conjugio fidelium & infidelium duntaxat S. Paulus agat, licet tamen hypothesin ejus ad hanc thesin referre, ut constituatur, non

constringi quenquam servitute vinculi tum, cùm se conjux pertinaciter separat, adeóque malitiosè conjugem deserit. Cur enim libertas isthæc ad conjugem fidelem redundet tum, cùm infidelis se separat, & non, cùm fidelis se separat? An majus licentiæ privilegium fideles, quàm infideles habent? An religio politiam vel œconomiam mutat, vel evertit? Libertatem innocenti parti non infidelitas adversus religionem, sed infidelitas adversus matrimonii fœdus vindicat. 2. Non cuilibet uxorem relinquenti, sed propter Christum relinquenti tum, cùm vel Christus, vel uxor deseri debent, retributio Matth. XIX. 29. promittitur. Tum ergo relinqui uxor debet, cùm vel illa marito infideli cohabitare renuit, (qui ipsissimus malitiosæ desertionis casus est) vel cohabitatio, cùm ea sequelam Christi impedit, quæ separatio merè temporaria est, nec omnino vinculum conjugii tollit. Ita hæreticum hominem vitare S. Paulus Tit. III. 10. jubet, salvis vinculis, quibus ille in externa societate Potestati supremæ, uxori, parentibus, liberis obstringitur. Repeto enim, politiam & œconomiam naturali jure constitutam religione non everti. Distinctio proin inter divortium veri nominis perpetuum & temporarium ad placitum vestrum ficta, non in Scripturis fundata est. Neque enim ullum veri nominis divortium temporarium, aliis, quàm adulterii causis innixum demonstrari potest. Quod verò mutuo consensu instituitur, mutua potiùs perfidia, jure nullo nixa, quàm legitimum divortium est.

ARG. II. Regula est, quam dixi: *Quos Deus conjunxit, homo ne separet.* Christus tamen excepit casum λόγυ πορνείας, Apostolus desertionis. Jam vulgatum est axioma, quod exceptio firmet regulam in casibus non exceptis. Cùm igitur illi casus, quos Canonistæ fingunt, á Christo non sint excepti, firma manet regula, & casus Pontificiorum non sunt causæ divortii.

RESP. REDING: *Si exceptiones à Christo & Apostolo latæ regulam Divinitus constitutam non violant: cur violant exceptiones in jure naturæ fundatæ, vel aliis S. Literarum textibus comprehensæ?* Ibid. pag. 401. Resp. Exceptiones alias in jure naturæ, vel aliis Scripturæ testimoniis fundatas supponis, non probas.

ARG. III. In specie nec solenne votum, nec disparitatem cultus conjugum dirimendi matrimonij causam esse posse, supra probavimus. In crimine seu impietate conjugis consulendum sanè innocenti parti, sed mediis licitis. Si non aliter consuli potest, quàm separatione, ea tamen perpetua esse non debet. In casu sterilitatis, impotentiæ supervenientis, morbis incurabilibus &c. utraque pars vocatur ad continentiam, neque Deus patietur eos supra vires tentari.

RESP. REDING: 1. *Solenne votum alterius partis consentiente altera, justam divortii causam esse, ex Matth. XIX. 29. supra probavimus.* 2. *In crimine, seu impietate conjugis si consuli potest parti innocenti separatione temporaria, cur igitur temporaria divortia ejusmodi oppugnas? Cur sterilitatem, morbos incurabiles insuper causam divortii esse fateris, simúlque propugnas, non aliam divortii causam esse, quàm adulterium & malitiosam desertionem? Quis hic contradictionis Spiritus?* Ibid. pag. 401. Resp. 1. De loco Matth. XIX. 29. supra respondimus. Citiùs ex pumice aquam, quàm solennae votum relinquendi uxorem

rem inde extuderis. An enim Apostoli Christum secuti solenni voto ad deserendam domum, fratres, sorores, patrem, matrem, uxorem & quidem, (ita enim jubetis,) consentientem, liberos, agros, se obstrinxerunt; sive sequelam Christi illa impedirent, sive non impedirent? Certè ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός *propter nomen*, hoc est, gloriam Christi relinquenda hæc sunt. An verò gloria Christi postulat, ut vel semper hæc relinquantur, vel relinquantur solenni voto, nulla necessitate glorificandi Christi ita postulante? Neque vestri propter nomen Christi uxores relinquunt, adeóque juramentum Dei; quod ratum esse debebat, irritum reddunt; sed vel malæ tœdio, vel lautioris & pacatioris vitæ spe, adeóque carnalibus consiliis relictionem ejusmodi dictantibus. 2. Nec quævis temporaria separatio veri nominis divortium (de quo solo quæritur) est: nec impotentiam supervenientem divortii causam esse, fateor. Vocatio sanè ad continentiam temporaria divortium non est; nisi divortium nominanda est separatio ad tempus ob preces & jejunium, 1. Cor. VII. 5. Contradictiones ergo fingis, ut tuus vertiginis Spiritus delirandi campum habeat.

ARG. IV. Separatio perpetua sine vinculi dissolutione objicit periculo ustionis, & vetat Divinum consilium in hoc casu amplecti. Non potest igitur salva conscientia vel separantis, vel separandorum institui.

Resp. Reding: *Cùm Deus non patiatur supra vires tentari fideles; ergo nec patitur sic in perpetuum separatos.* Ibid. pag. 401. Resp. Separatio illegitima, Verbo Dei contraria promissionem gratiæ, pericula avertentis, & in adversis sustinentis, nullam habet. Manet ergo periculum. Atque experientia impuri cœlibatus vestri illud manifestè arguit.

ARG. V. Solum adulterium cum essentia matrimonii directè pugnat, unitatem carnis, conjugalem fidem, denique matrimonii τὸ πᾶν καὶ ὅλον tollit. Per conjugium quippe duo *una caro* fiunt Genes. II. 24. Illam unitatem carnis adulterium rumpit, quia is, qui relicta conjuge scorto adhæret, non jam ampliùs cum conjuge, sed cum scorto una caro fit, teste Apostolo 1. Cor. VI. 16. Tale quippiam in reliquis casibus & causis monstrari nequit.

Resp. Reding: *Illa quidem adversus actualem carnis unitatem oppositio liquidiorem dissolutionis causam præbet. Jus tamen naturæ & S. literæ alias quoque divortii rationes ostendunt.* Ibid. pag. 401. 402. Resp. Eo ipso, quòd rationes illæ liquidam adversus carnis unitatem oppositionem non continent, non à jure naturæ, vel S. literis, sed ab humano ingenio arcessendæ sunt. Nondum vos inter ipsos constat, matrimonium, quod post votum continentiæ solenne contrahitur, irritum sit jure *Ecclesiastico* tantùm, an etiam *naturali & Divino*. Discordes vestrorum calculos ipse Bellarminus *lib. de Monach. cap. 34.* ἐπαμφοτερίζων, hoc est, utramque opinionem probabilem esse statuens, prodidit. Si probabile est, jure Ecclesiastico irritum esse, (& verò voti solennitatem ex sola Ecclesiæ constitutione inventum esse, ipse Bonifacius VIII. ad Biterensem Episcopum *c. unic. devot. voti red. in. 6.* definivit) non igitur jus naturale & Divinum necessariò postulat,

ut post solenne votum matrimonium irritum reddatur adeóque votum solenne divortii causa legitima constituatur.]

ARG. VI. Denique & veteris ecclesiæ Doctores solum adulterium divortii faciendi, & desertionem malitiosam patiendi justam causam agnoscunt, apud quos reliquæ illæ, quæ obtenduntur, ne quidem usquam memorantur.

RESP. REDING: *Aliud ex veteribus constat.* Ibid. pag. 402. Resp. Qui verò illi sunt? Produc testes. Canonistas, Papales legulejos alia omnia definientes si produxeris, noveris, illos nobis ἐν οὐδενὶ ἀριθμῷ εἶναι.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Christus Matth. V. 32. non simpliciter dicit, mœchari eum, qui dimiserit uxorem, excepta fornicatione, sed* παρεκτὸς λόγου πορνείας, *excepta causa fornicationis.* Λόγος *autem in genere significat proportionem. Innuit igitur hac ratione, non adulterium duntaxat, sed quicquid cum adulterio proportionem aliquam vel similitudinem habet, ita ut vel æquale, vel gravius eo sit, divortii causam esse posse.* Resp. 1. At Matth. XIX. 9. simpliciter & absolutè dicitur, εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, *excepta fornicatione.* 2. Etsi alicubi λόγος proportionem significat, hoc tamen loco nihil aliud quàm *rem* sive *probationem rei*, usitato Hebræis juxta atque Græcis pleonasmo, denotat. Convenit enim cum ערות דבר Deut. XXIV. 1. ubi Græci habent, ἄσχημον πρᾶγμα. Hoc loco igitur πορνείας λόγος idem est quod πορνείας πρᾶγμα, *res fornicationis*, seu *ipsa fornicatio*. Plura ejusmodi exempla ex Sacris collegit doctissimus Johannes Vorstius *Phil. S. lib. I. cap. 14. pag.* 373. 374. & ex Græcis ac exoticis Cl. Rittershusius *ad lib. I. Halieut. Opiani ad v.* 105. qui consuli possunt. 3. Christo proposita quæstio est, an liceat uxorem dimittere κατὰ πᾶσαν αἰτίαν *ob quamvis causam?* Christus respondens, non dicit ex quavis causa licere, nec ex nulla licere, sed fornicationis solius causam excipit, adeóque reliquas omnes conjugium dissolvere negat. Si πορνείας nomine aliæ intelligerentur, utique nec ritè responsum esset à Christo, nec particula exclusiva rectè addita, nec scopum suum omnino Christus assecutus esset. Quilibet enim fingere posset hanc vel illam causam adulterio æqualem. 4. Coram Deo etiam aspectus alienæ mulieris, & fornicatio post alios Deos æquatur adulterio Matth. V. 27. Deut. XXXI. 16. Si igitur à proprietate literæ heic discedatur, etiam illa & graviora coram Deo delicta divortii idonea causa erunt. 5. Sunt quidem plura delicta adulterio æqualia, imò & graviora, nempe respectu *legis Divinæ*, cum cujus regula & norma pugnant, non respectu *conjugii*, cujus nexum & vinculum non statim infringunt.

EXCIP.

EXCIP. REDINO : *1. Si textus ex literis Divinis ad rem præsentem specificè facientibus, nec non ex sua proprietate ponderetur, facilè apparebit, non adulterium duntaxat, sed quicquid cum adulterio similitudinem habet, verbis λόγυ πορνέιας denotari. 2. Ea porro similitudinis proportio in ordine ad divortium non est accipienda ex respectu legis Divinæ, sed ex respectu conjugii,* vel *cohabitationis ex parte sive corporis, sive animæ. cujusmodi est impietas scandalosa, alterius conjugis pariter implicatoria. 3. Christi responsio restringitur ad causam, quæ altero conjuge etiam invito innocenti jus divortii præbet; non quæ ex mutuo consensu præbet.* Ibid. pag. 402. 403. Resp. 1. Pondera ex literis Divinis, ad rem præsentem facientibus: pondera ex proprietate literæ. Nunquam efficies, ut vox λόγυ propriè & primariò similitudinem & proportionem notet; nedum ut hoc loco notet. uti argumenta à me objecta, & à te neutiquam dissoluta evincunt. Ita enim soles inanes logos fundere, ubi te ad incitas redactum sentis. 2. Cùm notionem similitudinis haud probaveris, frustra similes adulterio causas conjugii ipsius respectu venaris, atque sic quæstionem ipsam turpiter mendicas. 3. Manifestè etiam Christo ipsi ad quæstionem sibi propositam respondenti illudis. Quærunt ex eo Pharisæi Matth. XIX. 3. *Anne licet homini dimittere uxorem suam κατὰ πᾶσαν αἰτίαν propter omnem causam?* De dimissionis cujusvis, sive quæ mutuo consensu fit, sive quæ invito altero conjuge fit, causa Pharisæi quærunt. Christus verò, si Redingio fides est, de posteriori, non priori dimissione respondit; ejúsque causam sub vocibus λόγυ πορνέιας sic expandit, ut unica licet adulterii causa nominata, plurimas tamen, & tot fere numero, quot Canonistæ finxerunt, intellexerit. Imò verò dimissionem per mutuum consensum Christus ipse disertis verbis illis: *Quos Deus conjunxit, homo ne separet,* exclusit. Quos Deus conjunxit, nec ipsi conjuges, homines utique, mutuo consensu separare possunt. Conjux est *socia & uxor fœderis*, inter quam & maritum Deus ipse testificatur. Malach. II. 14. Non igitur absque violatione fœderis Deo teste icti mutuo consensu, seu dissensu potiùs, matrimonia solvi possunt. Ne civiles quidem contractus perpetim mutuo dissensu rescindi possunt. Quantò minùs matrimonium, quod Divina & indissolubilis unius maris & unius fœminæ in unam carnem conjunctio est.

OBIECT. II. *Apostolus 1. Cor. VII. 15. exceptioni Christi addidit aliam, nimirum malitiosam desertionem. Christi igitur exceptio strictè alias non excludit: ac proinde multò minùs exceptio Apostoli Christi verbis addita.* Resp. 1. Non eadem ratio est ecclesiæ ad clausum & obsignatum Scripturæ Canonem alligatæ, quæ fuit Pauli, qui eodem Capite V. 40. de se dicere potuit: Δοκῶ δὲ κἀγὼ πνεῦμα Θεῦ ἔχειν, *Existimo & me Spiritum Dei,* adeóque infallibilitatis in præcipiendo ac scribendo, *habere.* 2. Aliter divortium Christus, aliter Apostolus considerat. Christus agit de divortio à parte innocente justa ex causa *faciendo*: Paulus de divortio à parte nocente temerariè & injustè facto, ac ab innocente *patiendo.* Christus causam divortii *activam*: Paulus *passivam* explicat. Non de una eadémque quæstione, nec de uno eodémque casu agunt. Pharisæi quærebant: *An ob quamlibet causam liceat uxorem repudiare?* Negat Christus, & solum adulterium excipit. Corinthii quærebant: *An ob infidelitatem divortium faciendum sit?* Negat Apostolus, atque ita Christi senten-

tiam confirmat. Sed occupatione utitur, & respondet ad casum, qui objici poterat: *Quid ergo si infidelis fidelem* deserat? Respondet, partem injustè desertam servituti non esse obnoxiam. Non ergo de eadem quæstione, causis nimirum divortii agit Apostolus, sed præsupposito illegitimo infidelis divortio, personæ innocentis & fidelis conscientiæ consulit.

EXCIP. REDING: *Unus idémque Spiritus in S. Paulo fuit, & in Ecclesia est, dispari mensura licet. Ecclesia igitur alias etiam causas, in ipsa S. Scriptura comprehensas, eruere potuit. 2. Malitiosa desertio non patiendi duntaxat, sed etiam faciendi divortii causa est, & majori quidem cum efficacia, quàm adulterium; quia hoc vinculum non solvit: isthæc, si deserens infidelis fuerit, vinculum solvit.* Ibid. pag. 403. 404. Resp. 1. Sed & in fidelibus singulis idem spiritus est, qui in S. Paulo fuit, dispari mensura licet. An ideo singulis fidelibus licet, quod S. Paulo licuit? In S. Scriptura comprehensas divortii causas cuivis sanè eruere licet. Sed comprehensas in iis esse, quas Canonistæ perhibent, temerè profectò asseris. Contrarium ex iisdem nos eruimus. 2. Non faciendi, sed patiendi divortii causa malitiosa desertio est, quia per eam non volens se separat conjux (uti quidem volens ab adultero se separat) sed separationem iniquam & malignam patitur. Separatur pars innocens; non se separat; alioqui non innocens, sed nocens futura. Disparem porro esse quoad solutionem vinculi separationem in adulterio & desertione malitiosa, fingis, non probas. Contrarium supra demonstravimus.

OBIECT. III. *Veteris ecclesiæ Episcopi non opposuerunt se Imperatoriis illis legibus, in quibus à Christianis Imperatoribus propter causas alias, quàm fornicationem, concessa erant divortia. Ergo nec hodie ecclesia id facere debet.* Resp. 1. Scilicet Romani Pontifices Imperatorum sanctiones pro norma habent. 2. Non omnia veteris Ecclesiæ, Episcoporum & Doctorum dicta & facta fideles in tabulas relata sunt. 3. Ambrosio non erat obscurum, quas divortii causas fixerint Imperatores Valentinianus, Gratianus, Honorius, Theodosius. Illas tamen in conscientiæ foro satisfacere, negat *lib. 8. in cap. 16. Lucæ*, ubi ab hominum obsequio ad Dei legem revocat.

EXCIP. REDING: *In quantum Imperatoriæ leges, quibus præter fornicationem aliæ divortii causæ statuuntur, sacrorum canonum sanctiones juvant, dummodo non tam Ecclesiasticæ jurisdictionis usurpationem sibi arrogent, quàm brachii secularis manum adjutricem porrigant, ex iis ab Ecclesia approbatis, imò canonizatis validum argumentum desumitur. Neque ad illos terminos redactas Leges Imperatorias Ambrosius improbavit.* Ibid. pag. 404. Resp. Legum matrimonialium legitima sanctio, & circa easdem jurisdictio civilis, non Ecclesiastici fori tota est. Papalis factio eandem, ut & infinita ejusmodi alia, nequicquam rapit & usurpat, terminósque adeò Ecclesiæ veræ fixos transgreditur. Civilis porro potestatis est, sanctiones suas Divinis conformare. Neque aliter ab Ecclesia approbari debent; vel à veteri etiam approbatæ sunt. Non enim illi termini vestri ultra Divina jura excedentes innotuerunt. Quin potiùs ab humanis legibus ad Divinas illa provocavit, quod vel ex solius Ambrosii verbis discere est. Ille enim *loc. cit.* humanas de divortiis leges ventilans, sic inter alia scribit: *Dimittis uxorem quasi jure: sine crimine,*

crimine, & putas id tibi licere, quod lex humana non prohibet, sed Divina prohibet. Qui hominibus obsequeris, Deum verere. Audi legem Domini, cui obsequuntur etiam, qui leges ferunt: Quæ Deus conjunxit, homo ne separet.

QUÆSTIO VI.

An clandestina matrimonia, inprimis contra Parentum consensum contracta, sint rata & vera matrimonia, quamdiu ecclesia ea irrita non fecerit?

AFfirmat Caput 1. Decreti de Reformatione, quo anathemate feriuntur, qui ejusmodi matrimonia vera ac rata esse negant: additurque, vera etiam matrimonia esse, quæ præsente Sacerdote ac duobus vel tribus testibus, etiam non præcedentibus tribus in ecclesia proclamationibus celebrantur. Ut ita clandestina matrimonia à Synodo hac & sancita & definita esse, nemo ambigere possit. Nos verò ejusmodi matrimonia ut qui maximè improbamus, ac inprimis ad matrimonii validitatem parentum consensum necessariò requiri, ita tamen, ut de dissensus injustitia eminenti potestati salvum judicium maneat, pertendimus.

ARG. I. Etenim non tantùm in genere liberi parentibus jubentur in omnibus obedire Coloss. III. 20. Exod. XX. 12. Deut. V. 16. sed etiam in specie mandatur, ut parentes liberis suis nubant Deut. VIII. 3. Jerem. XXIX. 6. 1. Cor. VII. 38. Quin Num. XXX. 4. 5. Parenti fit potestas rescindendi votum à filia nuncupatum, proinde etiam promissionem conjugalem.

Resp. Reding: 1. *Alia ratio illiciti, alia invalidi matrimonii absque Parentum consensu contracti est. Illicitum esse, loca à se producta docent. Invalida esse, non docent, quia nullus in substantia ejusmodi contractus ex solo Parentum dissensu defectus, qui solus ex jure naturæ matrimonium invalidum reddit, intercedit. Quando corpora ad conjugium habilia sunt, sufficit contrahentium consensus cum sufficiente rationis judicio præstitus. 2. Num. XXX. 4. 5. agitur de voto filiæ in puellari adhuc ætate constitutæ, adeòque impuberis.* Tomo IV. Tract. XI. §. 2. pag. 404-405. Resp. 1. Tam exiguo flexu tantum ex jure Divino petitum ictum non vitas. De *valido*, non *licito* duntaxat matrimonio quæstio est. Quomodo verò valebit, quod contra Divinam institutionem contrahitur? An quod Dei respectu non *licet*, apud homines *valebit*? Ut sic homo ipse sibi Deus sit. Nimiùm verò substantiam hujus contractus coarctas. Sic enim validum erit matrimonium in gradibus Divinitus prohibitis, vel nondum soluto prioris matrimonii vinculo, contractum.

Nam

Nam & ibi corpora ſunt ad conjugium habilia, contrahentium conſenſus, & rationis judicium. Plura Divino jure requiri ad matrimonii validitatem, res ipſa loquitur; nec vos negare debuiſtis, matrimonium in numerum Sacramentorum, quæ non ex jure naturæ, ſed Divino definiuntur, referentes. Quòd ſi filiorum contrahentium conſenſus jure Divino ſufficeret, maximè conſentaneum fuerat, ut præceptum Divinum de matrimonio filiorum, filiis potiùs, quàm parentibus daretur. Atqui datum eſt parentibus potiùs quàm filiis. Ita Abrahamus mandata dedit ſervo de quærenda filio uxore: Rebecca poſtulata eſt à Bethuele patre, ab eodémque deſponſata: Jacobo à parentibus de uxoris quærendæ locus deſignatus: eidem à Labane nuptum datæ ſunt filiæ: Parentibus optio data eſt vel confirmandi vel reſcindendi matrimonium filiæ corruptæ: Exod. XXII 16. denique de parentibus dictum. 1. Cor. VII. 38. *Qui matrimonio jungit virginem ſuam bene facit.* 2. Num. XXX. 4.5. filia equidem non quævis, ſed quæ in domo paterna habitet, intelligitur: & quæ ad annos diſcretionis pervenit, (vovere enim poterat) neque tamen maritata erat, adeóque ſimpliciter ſub cura patris conſtituta *quales*, ſic Lyranus, *non poſſunt aliquid vovere, quod ſit ſtabile, ſeu obligatorium abſque conſenſu Patris expreſſo, vel tacito.* Talis erat Rebecca, quæ Geneſ. XXIV. 16. נערה appellatur, planè ſicut Moſes Num. XXX. 4. agit de voto mulieris, quæ eſt in domo patris בנעריה in *pueritia* ſua, ſeu puellari ætate. Notat autem נערה quamvis ætatem inde ab infantia uſque ad exitum vel *excuſſionem* è domo paterna. Unde Græci Interpretes reddunt *νεότητα juventutem*, quæ etiam annos pubertatis totámque adoleſcentiam complectitur. cui *γῆρας* opponitur. Thucydides *lib. VI. Νομίσατε νεότητα μὲν καὶ γῆρας ἄνευ ἀλλήλων μηδὲν δύνασθαι· Exiſtimate, juventutem & ſenectutem nihil abſque ſe invicem valere.* Et 1 Tim. IV. 12. Timotheo jam Epiſcopo *νεότης juventus* tribuitur. Denique Deus Num XXX. vota ſexus fœminei diſtribuens in votum mulieris, *quæ eſt in domo patris ſui* בנעריה *in pueritia ſua*, v. 4. mulieris היו תהיה לאיש *quæ nupta eſt viro*, v. 7. & mulieris אלמנה וגרושה *viduæ & repudiatæ* v. 19. muliebrem ætatem univerſam complectitur. Quælibet ergo mulier ad unam è tribus his claſſibus refertur. Cùm ergo virgo pubertatis annos egreſſa nec ad ſecundam, nec ad tertiam referri poſſit, relinquitur, ut ſub prima comprehendatur, & quod de voti reſcindendi poteſtate ibi ſancitur, ad eam quoque pertineat.

ARG. II. Jure naturæ filii ſunt ſub poteſtate paterna, adeóque alieni juris. Qui alieni juris eſt, in re tanti momenti nihil poteſt diſponere ſine voluntate ejus, cui ſubeſt. Arguit etiam naturalem æquitatem quod pleræque gentes conſenſum hunc Parentum faciant neceſſarium, ut videre eſt apud Cujacium Obſervat. III. 5. In quo enim gentes conſentiunt, illud haud dubiè per naturam innotuit.

RESP. REDING: *Patria poteſtas jure naturæ conſtituta efficere nequit, ne filius ad rationis judicium ſufficiens pertingens actum reatui vel obligationi cuipiam obnoxium producere poſſit. Cur ergo non æquè validè matrimonium citra parentum conſenſum contrahere poſſit?* Ibid. pag. 405. Reſp. Filius familias tum Deo, tum parentibus ſubeſt, utrorumque imperiis ſuo ordine obnoxius. Et parere ergo Deo liberè tenetur, & non parens reatum contrahit, non obſtante conſenſu, vel diſſenſu parentum. Antiquior enim ſanctiórque eſt obligatio erga Deum, quàm erga homines. In iis verò, quæ & Di-

vino

vino & naturali jure à consensu parentum pendent, eo non intercedente invalida erga homines alios obligatio omnis est, quia ita obligatio erga Deum ipsum, juris naturalis autherem, postulat.

ARG. III. Qui invitis Parentibus nubit, is de familia paterna disponit pro suo arbitrio. Mas enim transfert conjugem in familiam Patris: fœmina seipsa transfert in familiam alienam. Hoc autem injustum, ac proinde irritum foret. Sic distrahendæ pecuniæ, agrorum vendendorum &c. nulla est liberis facultas.

Resp. Reding: *1. Etiam Jacobus & Tobias insciis parentibus matrimonia contraxerunt. Illine etiam juris paterni violati rei fuerunt? 2. Distinguendum ergo inter substantiam & accidentales eventus. Translatio autem mulieris in familiam paternam merum matrimonii accidens est: substantia verò in translatione mutua juris erga conjugum corpora consistit, quæ, uti personalis est, conjugum personas non egreditur. Licet ergo accidentario mulieris in familiam paternam intromittendæ juri filius non consultis parentibus nubens aliquo modo obnitatur, adeóque contra parentes injustitiæ reus fiat; id tamen substantiæ contractus matrimonialis non derogat.* Ibid. pag. 405. 406. Resp. 1. Nihil ad rem præsentem Jacobi & Tobiæ exempla facere, infra *Resp. ad Obj.* 1. ostendimus. 2. Mulieris in familiam paternam translatio matrimonii equidem accidens, at non contingens illud, sed necessarium est. Particeps enim illa fit patrimonii, & ejusdem hæredes progignit. Transferri autem sic mulierem in familiam paternam maris, vel subducere fœminam paternæ suæ familiæ non consentientibus parentibus, Te ipso fatente, injustum est: & quia injustum, invalidum; neque uspiam validum est, nisi ubi mores corrupti sunt. Ita nubere intra gradus jure Divino & naturali prohibitos, matrimonii accidens est. Quis tamen sanus absque illo matrimonium legitimum constare dixerit?

ARG. IV. Divinis legibus & naturali juri consona sunt exempla sanctorum, qui liberis suis nupserunt, vel Parentis consensum requisiverunt, ut Abrahami, Bethuelis, Isaci, Labanis, Calebi, Samsonis. Ipsi Ismaëli, homini utut fero & agresti, nupsit tamen Hagar.

Resp. Reding: *Ni tenebras amares, Divina & naturalia jura non confunderes. Aliud jus naturale est penes parentes providendi filiis de congruente conjugio: aliud jus naturale penes eosdem, ut ex debita erga ipsos reverentia teneantur filii nuptias contracturi requirere illorum consilium, licet hoc de substantia conjugii non sit, nec filios contra voluntatem suam obligare valeat. Hoc ergo ita observarunt viri sancti, ut tamen paternorum jurium fines haud egrederentur, sed filiorum jura illibata servarent.* Ibid. pag. 406. Resp. Ubi ego confundo, gnarus utique, multa Divini juris esse, quæ non sunt naturalis, & utrumque quandoque jus, uti hoc etiam loco, convenire; denique quicquid naturalis juris est, Divini etiam esse, quia Deus ipse naturæ jura inspirat. Exempla porro allata & Divino, & naturali juri congruere, ex iis, quæ dicta sunt, liquet. Tu verò juris Divini & naturalis quas hic differentias ostendis? Nullas. An sic Divino illi juri obsecuti sunt viri sancti, ut per jus naturale aliud iis licuerit? An, quod per utrumque jus nefas erat, factum ratum esse potest? Ais tu, *quia parentes tenentur filiorum jura illibata servare.* Quæ verò fi-

liorum jura? Ut liceat illis parentum, Dei, naturæ jura pro lubitu violare, & rata nihilominus sint, quæ sic violantes faciunt? Quid hoc aliud est, quàm liberos omnium Legum Divinarum & naturalium nexu exsolvere, eosdémque ἀνυπευθύνους, suorúmque actuum plenos dominos reddere? Si enim rata sunt, quæ contra jus & fas omne faciunt, non alia ratione, quàm proprii plenissimique dominii & juris αὐτοκρατορικοῦ, rata esse queunt.

ARG. V. Leges civiles necessitatem consensus paterni clarè asserunt, uti in confesso est. Urgent autem tum patriam potestatem, propter quam liberi sui juris non sunt, tum hæreditatis successionem, ne patri invito hæres agnoscatur. Canonistæ quidem plerique omnes consensum paternum requirunt, ut *honestum*, non ut *necessarium*. Insignes tamen habentur canones, qui requirunt ut necessarium. Vide decretum Evaristi C. *Aliter* 30. q. 5. Canonem Concilij Carthag. IV. C. *Spons.* 30 q. 5. Concilij Toletani III. cap. 10. C. *Hoc sanctum* 32. q. 2. Epistolam Nicolai Papæ ad consulta Bulgarorum C. *Nostrates* 30. q. 5. ubi clandestinæ nuptiæ declarantur irritæ.

RESP. REDING: 1. *Leges civiles connubia filiorum absque parentum consensu contracta rescindentes corrigendæ sunt ex confessione Imperatoris in Auth. ut Clerici apud Episcopos §. penult. quòd videlicet leges haud dedignentur imitari sacros canones, uti etiam Lucius Papa III. statuit. Cùm ergo sacri canones, & Tridentina Synodus definiverint, matrimonium invitis Parentibus contractum, dummodo substantiales ab eo Concilio constitutæ solennitates observentur, ratum esse, civiles leges oppositum sancientes abrogatæ censentur. 2. Canonistæ consensum parentum non tantùm honestum, sed eorum consilium, quoad licitam saltem status ejusmodi electionem, non quoad substantialem contractus valorem, etiam necessarium judicant. Hoc sibi volunt canones. Evaristi canon plures matrimonii celebrandi constitutiones, ac inter eas etiam parentum desponsationem complectitur. quas tamen omnes v. g. triduanam continentiam, paranymphi custodiam, &c. simpliciter necessarias esse, ipsimet non concesseritis. Concilium Carthaginense cavet, ut neogamì à parentibus Ecclesiæ benedicendi offerantur: Toletanum III. ut nulla virgo extra voluntatem parentum cogatur nubere: Nicolaus Papa, ut ineatur cum consensu parentum. Sed id ad essentiam conjugii pertinere, nemo horum statuit.* Ibid. pag. 406. 407. Resp. 1. Quia leges civiles de necessitate consensus paterni notiores sunt, quàm ut ignorari, clariores quàm ut obscurari, sanctiores quàm ut aboleri possint; non aliud iis quàm Ecclesiæ, hoc est, Papæ vestri, & S. Paulo & Papiniano heic reclamantis, scutum opponere potuisti. Aliter placet Papæ, Divina, naturalia & humana jura calcanti. Cedat nunc ratio omnis, cedat Imperator, cedat Christus ipse. Quantò rectiùs Hervetus dixit, *Leges & Canones esse fratres ac sorores propter mutuam concordiam?* Non ergo confligere, sed amicè conspirare, & verbo Dei ac sanæ rationi pariter congruere debent. Sed aliter, inquis, visum est Imperatori in authentica, *leges* videlicet *non dedignari canones imitari.* An hoc est, leges & quidem sanctas, verbo Dei innixas, canonibus aboleri? Sed detorques nefariè Imperatoris mentem. Is enim loquitur de Ecclesiasticis delictis clericorum per Ecclesiasticam mulctam corrigendis, de quibus nihil vult Provinciarum Præsidibus communicari, secundum sa-

cras

cras & Divinas regulas, *quas etiam* Imperatoriæ *leges non dedignentur sequi*. Quæ posteriora verba ad regulas de Ecclesiastica disciplina respicientia sic generaliter Papæ mancipia accipiunt, quasi per ea in sublime authenticæ authoritatis fastigium evehatur, quicquid ex Papalis pectoris scrinio quoquo modo prodierit. 2. Meritò autem Ecclesiæ Papalis Tridentinæ, adeóque recentioris canonibus vetustos melioréſque opponimus. Quoad Evaristum, non nobis ille, (personatum enim esse non dubitamus) sed vobis curæ esse debet, qui hoc vobis decretalium Epistolarum pistrinum delegistis. Ille *aliter* (hoc est, sine conditionibus ab eo præscriptis, quas inter etiam *petitio fœminæ ab iis, qui super ipsam dominationem habere videntur*, & *parentum desponsatio* est) *præsumpta non conjugia, sed aut adulteria, aut contubernia, aut stupra, vel fornicationes potiùs quàm legitima conjugia esse*, definivit. Abesse tamen quædam requisita posse, ceu minùs necessaria, & salva matrimonii essentia, ex Bellarmino tuo regeris. Atqui Evaristus simpliciter *aliter præsumpta* nullo conditionum habito delectu, distinctione nulla, *adulteria* esse pertendit. Tu ergo hic honori cathedræ Papalis Evaristi consulueris. Si tamen excipi conditiones quædam possunt, non illæ excipi debent, quæ jure Divino, sed quæ humano & merè Ecclesiastico nituntur. Parentum autem consensus jure Divino: reliqua ab Evaristo relata, *ut paranymphi custodiant, ut propinqui comitentur, ut dotetur, ut sacerdotaliter benedicatur*, humano & Ecclesiastico nituntur. Solus ergo parentum dissensus conjugium adulterinum, si Pseud-Evaristo, & vestræ ejusdem explicationi fides est, efficiet. Tua denique de *necessariis ad essentiam* conjugii, & *accidentalibus* distinctio, & consensus paterni ad posteriora relegatio Patribus Conciliorum Carthaginensis & & Toletani in mentem non venit. Saltem ex Canonum illorum Conciliarium verbis probare non poteris, consensum parentum necessarium non esse sic, ut absque eo matrimonium ratum haberi possit. Aliud canon ab ipso Gratiano *C. 37. q. 1 cap. 3* recensitus testatur. Verba sic habent: *Si quæ rapitur, patrem habere constiterit, & puellæ raptori consenserit, potestati patris excusata reddatur*. Et *quæst.* 2. Gratianus ex Gregorio: *Cùm illa* (rapta) *patriæ potestati restituta fuerit, & raptor suæ rapinæ pœnitentiam egerit, cùm voluntas parentum utriusque in unum convenerit, non prohibentur ad invicem copulari*. Admittitur autem raptus, eodem Gratiano *C. 36. q. 1. c. 2.* nec non Lombardo *lib. 4. dist. 41.* definiente, *cùm puella violenter à domo patris abducitur, ut corrupta in uxorem habeatur, sive puellæ solummodo, sive parentibus tantùm, sive utrisque vis illata constiterit*. Et *cap. 3.* Gratianus: *Ex hac authoritate liquet, quòd aliquando vis infertur parentibus, & non puellæ*. Raptus igitur etiam tum admittitur, cùm consentiens puella parentibus inſciis vel invitis subducitur. Nunquam autem raptus ratum conjugium facit, neque aliter, juxta canones, convalescere potest, quàm si rapta *patriæ potestati restituatur*, & *raptore suæ rapinæ pœnitentiam agente, voluntas parentum utriusque in unum convenerit*.

ARG. VI. Ipsum Concilium Trid. C. 1 *de Reformat. Matrim.* clandestina matrimonia vocat detestanda. An detestanda matrimonia non sunt irrita? An manent etiam sacramenta? De clandestinis nuptiis graviter olim conquesti B. Rhenanus ad Tertull. lib. 1. ad uxor. Cassander, scribens, *Mundum & Cœlum & totam machinam literatorum contra nuptias clandestinas clamare*. Gratianus Can. *Non omnis* 3. q. 2. paternum consensum adeò desiderari ait,

ut ſine eo legitimæ nuptiæ haud habeantur. Addo, leges Hiſpaniæ non tantùm pro irritis habere ejuſmodi matrimonia, ſed etiam graviſſimas pœnas contrahentibus imponere; & Gallos Tridentinæ Synodi decretum rejicere conſtanter: Pariſienſem quoque & Tholoſanam Curiam graviſſimam pœnam ſine parentum conſenſu nubentibus definiviſſe, uti ex Coraſio Arniſæus *de jure connub. cap.* 3. *ſect.* 10. *num.* 44. docet. Canus quoque *adulterina contubernia* vocare non veretur. Sed & Claudius Eſpenſæus conſilio ad Michaëlem Hoſpitalium Franciæ Cancellarium edito, ejuſmodi matrimonia nulla, invalida & irrita, & jure Divino ac humano prohibita multis rationibus & teſtimoniis evicit.

Resp. Reding: *Confundis duplicem matrimonii clandeſtinitatem, unam Parochi ac teſtium præſentia deſtitutam, eámque ſubſtantiali ſolennitati oppoſitam; alteram ex defectu denuntiationum & paterni conſenſus, pugnantem cum accidentali duntaxat matrimonii ſolennitate. De priori loquitur Concilium. Etiam poſterior deteſtabilem erga parentes impietatem arguit; neque tamen matrimonium ipſum irritum reddit. Ita communio Euchariſtiæ indigna ex parte ſuſcipientis deteſtanda eſt; neque tamen in ratione Sacramenti irrita.* 2. *Quæ de Hiſpanorum & Gallorum moliminibus refers, alibi excutimus.* 3. *Clandeſtina matrimonia prioris ordinis, à Concilio Tridentino irrita declarantur; adeóque ſic contracta adulterina ſunt. Ante promulgationem hujus decreti licet valida fuerint, adulteriis tamen obnoxia fuerunt.* Ibid. pag. 407. Reſp. 1. Duplex illud *clandeſtinitatis* (liceat tecum *βαρβαρίζειν*) reſpectu matrimonii genus fingis, non probas. Prius enim illud genus non matrimonium, adeóque nec publicum & ſolenne, nec clandeſtinum efficit; ſed merus concubinatus eſt. Neque quiſquam matrimonium ratum & conſummatum dixit, quod à nullo Parocho vel puplica poteſtate copulatum nunquam eſt. Concilium Tridentinum *Decr. de Reform matr. cap.* 1. clandeſtina ea duntaxat vocat, *quæ libero conſenſu fiunt, ſine parentum conſenſu, & denuntiationibus ſolennibus.* eadémque & *rata*, & *deteſtanda* facit. Sic ergo Tridentini *deteſtanda* ſimul *rata* definiunt. Et tu matrimonium ſine parentum conſenſu contractum ſimul *deteſtabilem impietatem*, ſimul *ratum* facis, ut jam deteſtabilis impietas tibi rata ſit. Et, quod plus eſt, ejusmodi matrimonia *deteſtanda* non tantùm *rata*, ſed etiam *Sacramenta* vobis ſunt. Proh ſcelus! Proh pudor! Purga tu crimen, ſi potes. Nimis enim dilutum eſt, quod de indigna communione Sacramenti ingeris. Qui comedit & bibit indignè, is non Sacramentum, ſed *judicium* comedit & bibit, non diſcernens corpus Domini, 1. Cor. XI. 29. Indigna ergo manducatio non Sacramenti vitæ, ſed auctoramenti mortis & judicii participatio eſt. Præterea quàm hoc abſurdum dictu eſt, ſine ſolennitate parochi benedicentis (benedicit autem ille quandoque matrimoniis juxta vos *deteſtandis, ſacrilegis*, contra Legem Dei, nominatim præceptum Decalogi quintum contractis, & ſic benedicendo matrimonium ratum facit) ac teſtium præſentium, quæ juris merè humani eſt, matrimonium ratum non eſſe: at ratum eſſe ſine conſenſu parentum, qui jure Divino & naturali neceſſarius eſt. 2. Hiſpanorum, & Gallorum contraria praxis ita nota eſt, ut quicquid contradixeris, ſponte ſua in fumum abeat. 3. Siccine verò Patres Tridentini decreto ſuo *adulterina* & *irrita* reddiderunt, quæ ante decreti illius promulgationem *rata, valida*, adeóque non adulterina fuerunt. Idem ergo actus adulteri-

nus

nus esse potest: & ex non adulterio, peccato, adulterium, peccatum Tridentini reddere potuerunt. Pudet Antichristiana hæcce τερατολογήματα referre.

ARG VII. In Concilio gravibus rationibus in nostram itum sententiam à Cardinalibus Lotharingo & Madrucio, Episcopis Segoviensi, Mutinensi, aliisque. Imò non aliam ob causam decretum illud inter Capita Reformationis relatum est, quàm quia plures clandestinis matrimoniis refragabantur. Et primò quidem plerique omnes, propositis efficacissimis pro patrio jure & consensus necessitate, argumentis eam in sententiam manibus pedibúsque iverunt, adeò ut jam eam in rem decretum formatum fuerit. Postea duas in partes scissa sunt suffragia. Alii enim irrita pronuntiari voluerunt, si ecclesiæ ita videretur. Alii verò nulla habita ratione sententiæ ecclesiæ irrita pronuntiari petierunt. Priores ita vicerunt, ut tamen LVI. Præsules constanter & ad extremum usque reclamârint. Varia de eo certamina Historicus, in primis *lib. VII. p. 604. 605. 606. lib. VIII. p. 673. 674. 680. 682. 705. 706. &c.* refert.

Resp. Reding: *Neque Lotharingus, neque quisquam alius se definitioni jam factæ opposuit.* Ibid. pag. 407. 408. Resp. Reclamasse dico iterum iterúmque. Testatur historia, quam falsi convincere non potes. Quid ultra suffragiorum numero victi facerent apud eos, quorum mos erat pecora sua numerare, non ponderare? Cùm porro Suavi fidem omnem iniquè deroges, esto ergo fides penes Pallavicinum, cujus te rapsodum geris. Is *Histor. Concil. Trid. lib. XXIII. 9: 5.* sic scribit: *Collectis suffragiis princeps Legatorum clara voce pronuntiavit: Decretum de clandestinis* (nuptiis) *placuit majori parti Patrum; displicuit plus quàm quinquaginta Patribus, inter quos Illustrissimus Cardinalis Simoneta, Apostolicæ Sedis Legatus decretum non approbat, se tamen remittens Sanctissimo Domino nostro. Ego etiam Sedis Apostolicæ Legatus decretum approbo, si à Sanctissimo Domino nostro comprobabitur.* Quantum Redingi, *plus quàm quinquaginta Patres* dissentientes à Pallavicino ipsius Legati verbis memorati, à *quinquaginta sex*, quos Suavis numeravit, distant? Illi nondum ita frontem perfricuerant, ut matrimonia *detestanda* agnoscerent *rata*, adeóque legitima, & Divinæ ordinationi conformia. Nam ratum conjugium est, quod Divinæ constitutioni congruit. In eorum tamen numero Pallavicinus comprehendi ait etiam eos, qui *simpliciter se Pontifici remiserunt.* Vel probarunt illi decretum, vel improbarunt. Atqui non probarunt, haud remissuri alias ad Papam. Ergo improbarunt, vel saltem de veritate decreti dubitarunt.

Obiectiones Tridentinorum.

OBIECT. I. *Plura in Sacris occurrunt exempla sine paterno consensu nubentium; veluti Esavi Genes. XXVI. Jacobi, qui tres uxores duxit insciis & minimè suadentibus parentibus, Genes. XXIX. XXX. Tobiæ, qui in peregrina regione, insciis parentibus nupsit. Neque tamen horum parentes, vel alii matrimonia irrita reddiderunt.* Resp. 1. Esavi & Tobiæ exempla nihil efficiunt. Ille enim fuit βέβηλος *profanus, nequam,*

Hebr. XII. 16. Neque inſciis vel invitis parentibus illum nupſiſſe, Scriptura habet, ſed tantùm immorigeras fuiſſe ejus uxores poſt nuptias. Agnoſcit Pererius, *offenſioni fuiſſe illas Iſaco & Rebeccæ ob impietatem, quòd more illius gentis deditæ eſſent idololatriæ.* Quòd ſi invito parente nupſit, indulgentiæ ejus tribuendum, quòd irritum matrimonium non reddidit. Tobiæ exemplum eſt ex libro apocrypho & fabuloſo. 2. Jacobo parentes poteſtatem dederunt eligendi ſibi uxorem quam vellet, ſed ex Meſopotamia, Geneſ. XXVIII. 1. 2. Non verò determinatus eſt uxorum numerus. Certus igitur fuit Jacobus de voluntate Patris, etſi peculiariter actualem conſenſionem non habuerit ſuper hac vel illa uxore. 3. Argumentum hoc merè negativum eſt, nempe ab ἀγράφῳ. quale ne in dogmaticis quidem Adverſarii admittunt.

EXCIP. REDING: 1. *Tobiæ librum Canonicum eſſe, ſupra probavimus. Stringit ergo argumentum.* 2. *Eſavi profani licet matrimonium ſine conſenſu parentum contractum ratum fuiſſe, inde liquet, quia Scriptura conjuges ejus initio ſtatim contractus initi uxores vocat. Etiam Iſacus nullibi matrimonio Eſavi cum tertia conjuge Iſmaelitide conſenſiſſe legitur.* 3. *Quoad Jacobum, ex Geneſ XXVIII. 2. liquet, Parentum ejus conſenſum ad unam ac filiabus Laban uxorem, non ad quaslibet Meſopotamiæ filias, nedum ad ancillas ducendas determinatum fuiſſe.* Ibid. pag. 405. Reſp. 1 Repeto, exemplum Tobiæ petitum eſſe ex libro apocrypho, id eſt, à fabula, cujus authoritas ad probandos fidei articulos idonea non eſt. Sed fac idoneam eſſe. Conſtat ex cap. VI 11. Tobiam ſecutum eſſe conſilium Angeli, Divinam ei conſtitutionem Num. XXVII. 8. & XXXVI. 8. proponentis. Planè igitur ſpeciale hoc exemplum eſt, in quo, ſi vera narratio eſt, Angelicum conſilium & Divinum mandatum Parentum conſenſum facilè ſupplevit. Et cap. VII. 15. Sara à Patre Raguele Tobiæ deſponſata dicitur. Præterea pater Tobiæ nuptiarum illarum certior redditus contradixiſſe nullibi memoratur. *Si autem,* ſic *l. ſicut proponis Cap. de nupt.* rectè ſancitur, *pater poſtea reſciſcens non contradixerit, valent nuptiæ.* Quid verò multis? Cap. IV. 13. Tobias pater filium, juxta Græcum textum, ſic alloquitur: *Uxorem accipe de ſemine patrum tuorum, & ne accipias uxorem extraneam, quæ non eſt de tribu patris tui, quoniam filii Prophetarum ſumus, Noæ, Abrahami, Iſaci & Jacobi &c. Omnes iſti acceperunt uxores de fratribus ſuis.* Atque hoc ipſum Angelus cap. VI. 17. Tobiæ ſic ad animum revocat: *Non es memor ſermonum, quos præcepit tibi pater tuus ſuper accipienda tibi uxore de genere.* En conſenſum ſi non individualem (qualem circa abſentes ignotas edere non potuit) ſaltem ſpecialem! 2. De Eſavo denuo ex te quæro teſtimonium, ex quo probari poſſit, illum parentibus inſciis & invitis nupſiſſe: vel ſaltem parentes matrimonium contractum ratum haud habuiſſe. In hoc ſanè rei cardo conſiſtit. Saltem connivendo matrimonium tolerare potuerunt. Neque enim ſi de facto Iſacus matrimonium irritum haud pronuntiavit, de jure non potuit. Contraxerit ergo ille parentibus planè anxiis & invitis. Non ideo matrimonium legitimum ſuiſſet, licet Scriptura נשים *uxores* appellet. *Scriptura* enim, uti ſcitè S. Auguſtinus *de Mirab. Script. lib. II. 9.* loquitur, *verarum rerum nomina aliquando tribuit rerum ſimilitudinibus.* Sunt ergo uxores veræ: ſunt λεγόμεναι, nimirum καθ' ὑπόληψιν ἀνθρώπων, quia pro talibus habentur ab iis, quos inter habitant. Ita inceſtæ nuptiæ dicuntur nuptiæ, licet nihil minùs

ſint

sint quàm legitimæ nuptiæ: & Scriptura incestuosam novercam γυναῖκα uxorem patris 1. Cor. V. 1. appellat, cùm nil minùs quàm legitima uxor sit. Quantopere ergo, Redingi, deliras. 3. Jacobum habuisse à parentibus consensum non generalem duntaxat, sed etiam specialem, ex Genes. XXVIII. 1. clarissimè liquet. Cùm ergo à fide matrimonii Racheli data recedere nollet, nec Leam, cui à Patre Labane sibi obtrusæ per ignorantiam cohabitaverat, honestè dimittere posset, præter omnem opinionem suam duarum sororum nuptiis implicitus fuit. Hactenus ergo exemplum isthoc planè singulare est, neque ullo modo ad imitationem trahendum. Ancillæ porro, quas impellentibus Rachele & Lea jam caput propriæ familiæ factus, & à Patria potestate exemptus, sibi sociaverat, secundariæ uxores fuerunt, non tam *uxores* propriè, quàm פלגשות *concubinæ*, uti Genes. XXX. 22. vocantur, quarum proin conjunctio ipsa vitio non caruit.

OBIECT. II. *Conjugia ejusmodi in Jure Canonico probantur. Ibi enim Clemens III. de puella nubili ait, quia liberum arbitrium sit in electione propositi, parentum voluntatem eam sequi non cogi. Et Ambrosius lib. 1. de Virginibus ait:* Cui licet maritum eligere, non licet Deum præferre? *Innuit, integram virginibus mariti electionem esse debere?* Resp. 1. Juris Cononici anthoritate nos premi haud patimur. Divina tantùm authoritate conscientia tenetur. 2. Clemens III. negat cogi puellam debere, ut parentum voluntatem sequatur. Id ipsum & nos agnoscimus. Interim nec liberorum est, voluntatem parentum cogere, & paternum jus violare. 3. Ambrosius quoque electionem mariti filiæ integram relinquens, id intelligit de libertate cum limitibus in Dei verbo præscriptis congruente.

EXCIP. REDING: *1. S. Paulus Rom. XIII. 7. pronuntiat, humanæ potestati subesse oportere non tantùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ergo etiam humana authoritate conscientia tenetur. 2. Libertas liberorum quoad matrimonium, & in eo contrahendo consensum parentum, non aliis limitibus in verbo Dei constringitur, quàm ne liceat insciis parentibus nubere: non, ne ratum sit matrimonium absque illo consensu. Alias liberi cogerentur ad eligendos conjuges, quos parentes vellent. Quæ isthæc electio, quæ libertas?* Ibid. pag. 408. 409. Resp. 1. Potestati supereminenti, ceu vicariæ Dei subsumus etiam propter conscientiam, vi non humanæ, sed Divinæ authoritatis, quæ eidem nos subjecit. Quid hoc ad Canonistas Legulejos, non Dei in terris vicarios, sed Papæ vasallos, & iniquæ dominationis ejusdem instrumenta? 2. Et ne licitum, & ne ratum sit clandestinum ejusmodi conjugium, verbo Dei sancitum esse ostendimus. Neque sic liberi coguntur ad eligendos, quos parentes velint optentque iis conjuges, sed tantùm libertas eorum quoad statum vitæ paterna authoritate dirigitur. Est igitur electio, est libertas, sed jure Divino & naturali, ne in profanam licentiam degeneret & paterno juri summam per injuriam deroget, limitata. Ita nec parentum erga liberos potestas sic absoluta est, ut eos ad hoc vel illud matrimonium cogere possint. Utrique ergo libertas competit, sed legibus & rationi parens. Neque sic liberos donare libertate oportet, ut parentes in servitutem redigantur.

OBIECT. III. *In matrimoniis ejusmodi nihil deest eorum, quæ ad essentiam matrimonii*

ti m.onij requiruntur. Adest enim consensus contrahentium; intentio ministri; materia seu persona ad matrimonium idonea; forma, puta verba seu signa mutui consensus. Parentum verò consensus haud requiritur, quia filius in his, quæ ad vitæ hujus statum pertinent, æquè ac pater sui juris est, adeóque de re propriè, ita disponere potest. Resp. 1. Nec consensus talis legitimus est, nec materia idonea, utpote quæ non habet consensum eorum, in quorum est potestate. 2. Filium in disponendo vitæ suæ statu esse αὐτεξούσιον & sui juris, falsum est. Alioquin quomodo pater potuisset vendere filium, Exod. XXI. Quomodo pater filiæ, maritus uxoris votum irritum facere potuisset, Num. XXX? Ne quidem bona parentum alienare filius potest, nedum seipsum. Et in Senatusconsulto Macedoniano salubriter constitutum est, ut si quis filio familiâs mutuam pecuniam dederit, ejus restitutionem in judicio repetere nequeat. Quanto minùs rata erit filii promissio de statu vitæ ac personæ suæ alteri facta?

EXCIP. REDING: 1. *Si in eligendo vitæ statu liberi sui juris non sunt, sed à nutu parentum pendent, ne quidem legitimè poterunt absque parentum consensu à falsa ad veram religionem transire, baptismum recipere &c. 2. Lex Exod. XXI. 7. de jure vendendi filium in N. T. abrogata est. 3. Legem Num. XXX. de voto puellæ impuberis loqui, supra probavimus. 4. Bona parentum filius alienare non potest, quia eorum dominus non est. At statum vitæ eligendi jus habet. 5. Senatusconsultum Macedonianum juri positivo civili, non naturali innititur.* Ibid. pag. 409. 410. Resp. 1. Distingue statum vitæ spiritualis, à Deo immediatè pendentem, à statu vitæ temporalis, jure Divino & naturali à dispositione paterna suspenso. Ibi electio à directione, non tamen potestate paterna pendet, quia religio Deo ἀμέσως subjicitur, & ne quidem propriè electioni humanæ subest, si electio intelligatur plurium. Non enim vel hanc, vel illam religionem eligere licet, sed ea amplectenda est, quam Deus præcipit. Hic verò electionem & à directione, & à potestate paterna pendere probavimus. 2. Lex Exod. XXI. 7. loquitur de casu extremæ necessitatis, quæ quatenus abrogata sit, heic non disputamus. Saltem inde colligitur, jure naturæ filium familias non esse sui juris, quia Divino jure, quod naturali nunquam repugnat, à parentibus etiam vendi potuit. 3. De Lege Num. XXX. supra. 4. Sicut bona parentum liberi alienare non possunt, ita nec se ipsos, inSciis illis vel invitis. Æquè enim ac bona potestati patriæ subjiciuntur. salva libertate eligendi conjuges, ad paternum consensum, æquè ac leges alias Divinas & naturales adstricta. 5. Imò & naturali æquitati SCtum Macedonianum quàm maximè convenit. Cur enim pecunias filiofamilias insciis parentibus mutuatus easdem in judicio repetere nequit, nisi quia bonorum paternorum dominus non est, adeóque nec sui, sed alieni, patrii videlicet juris? Unius tamen rei plures causæ esse possunt. nec contemnenda Senatusconsulti illius ratio est, quam Justinianus affert.

OBIECT. IV. *Conjugium servorum invitis dominis initum est ratum firmúmque. Ergo multò magis conjugium tale filiorum familiâs. Major enim est subjectio servorum erga Dominum, quàm filiorum erga parentes.* Resp. 1. Servi, si mancipia sint, nec Divinis nec civilibus legibus sine voluntate Domini nubere possunt.

Ita

Ita Exodi XXI.4. Levit. XXV. 44. Domino datur poteſtas ſervo uxorem dandi. 2. Servorum verò ſimpliciter talium & liberorum diſpar ratio eſt, quia inter herum & ſervum ejuſmodi obligatio eſt merè civilis: at inter parentes & liberos naturalis. Nec quæ pro neceſſitate paterni conſenſus attulimus, pro neceſſitate conſenſus herilis in ſervorum nuptiis pugnant.

Excip. Reding: 1. *Leges Divinæ Exod. XXI. & Levit. XXV. de ſervorum conjugiis latæ non ampliùs vigent. 2. Etiam conjugum obligatio mutua juris non naturalis, ſed arbitrarii eſt. quo non obſtante maritus conjugis votum irritum reddere poteſt. Pari ergo ratione poſſet dominus ſervi ſimpliciter talis matrimonium irritum reddere, niſi ea in eligendo conjugii ſtatu libertas ex naturali jure in ſervitutis ſubeundæ conventione excepta intelligeretur. Quanto ergo minùs paternum jus eò uſque prævalet, ut matrimonium non conſentientibus parentibus initum reddere irritum poſſit?* Ibid. pag. 410. Reſp. 1. Ubi mancipiorum ſervitus obtinet, quidni Lex Divina de iiſdem obliget? Neque enim Evangelium ſervitutem illam ſimpliciter ſuſtulit, teſte S. Paulo 1. Cor. VII. 21. *Servus vocatus es?* (uti ſanè ſervi ſeu mancipia Romanorum vocari ad Chriſtianam fidem, eandémque amplecti poterant,) *ne tibi ſit curæ.* Atque id etiam legibus civilibus congruit, quibus dominus nuptias ſervorum, ſuo conſenſu non initas, pro arbitrio diſturbare potuit. Unde Lombardus 4. *Sent. diſt.* 36. Concilii Cabilonenſis adducto canone ſola illorum ſervorum, quorum *legalis conjunctio fuit, & per voluntatem dominorum*, matrimonia irrita reddi non poſſe, arguit, innuens, conjugia ſervorum, mancipiorum videlicet, non niſi *per voluntatem dominorum* rata eſſe. 2. In viri arbitrio eſt, hanc vel illam conjugem, ſalva ſuperiorum authoritate, eligere. Ubi verò electa eſt, obligatio amoris & officiorum mutuorum in perpetuum jam non arbitraria, ſed ex Divino & naturali jure neceſſaria eſt. Diſpar planè ratio eſt ſervorum non mancipiorum, ſed ſimpliciter talium, quorum obligatio qualiſcunque eſt, neque à natura tamen, ſed à mutuo conſenſu illa provenit, & perpetua non eſt, neque adeò libertatem nubendi, etiam invito domino, tollere poteſt. Quis liberorum erga parentes ſimilem, & non longè majorem, ab ipſa natura conſtitutam obligationem, imò & naturæ unionem ac conjunctionem dixerit?

QUÆSTIO VII.

An cœlibatus ſuâ naturâ & intrinſeca ratione, non tantùm reſpectu finis, commodi & utilitatis, ſit excellentior & melior conjugio?

Canon X. ſimpliciter negat, conjugium eſſe melius cœlibatu. Hoc autem noſtrûm nemo unquam ſimpliciter aſſeveravit. Quin meliorem docemus eſſe cœlibatum conjugio in iis, quibus datum eſt ſe continere, ratione συμφέροντος, commodi multiplicis & utilitatis. Cæterùm

in hac quæſtione Pontificii ita præferunt cœlibatum conjugio, ut eum faciant opus ſuâ naturâ melius & ſanctius conjugio, ſatisfactorium pro peccatis, meritorium remiſſionis peccatorum tum propriorum tum alienorum, uti liquet ex forma abſolutionis Monaſticæ, Roſario Bernhardini, nec non ſcriptis Theologorum. Per cœlibatum docent ſupererogari. Ipſa opera in cœlibatu facta minima, qualia ſunt ſedere, ſtare &c. præferunt maximis in conjugio factis ex præſcripto primæ, vel ſecundæ tabulæ, uti affirmat idem illud Roſarium. Hoc igitur ſenſu negamus quæſtionem. Etenim

ARG. I. Cœlibatus eſt ex eo rerum genere, quibus bene vel malè utuntur homines, pro ratione intentionis & affectus diverſi. Et pretium ejus æſtimatur non ex intrinſeca natura, ſed ex adjuncta conditione obſervationis ſabbathorum, beneplaciti & fœderis Dei Eſaj. LVI. 4. Ergo ſuâ naturâ non eſt moraliter bonus, adeóque nec melior conjugio.

RESP. REDING: *Atqui eodem capite Eſajas Eunuchis promittit ſe daturum iis melius nomen, & locum in domo ſua. Si cœlibatus ſua natura indifferens eſſet, non promitteretur iis melius nomen præ aliis non Eunuchis, æquè ad obſervantiam ſabbathi & fœderis obſtrictis. quales ſunt filii & filiæ, actus conjugalis fructus.* Tomo IV. Tract. XI. ſſ. 2. pag. 410. 411. Reſp. Poſſem equidem in defendenda trium ſequentium quæſtionum orthodoxa ſententia parcere labori, cùm ante annos plus decem eam adverſus ſacrificulum vicinum, Jeſuitæ cujuſdam vitula arantem ita aſſeruerim, ut ne hiſcere quidem ampliùs parum glorioſus ille miles, vel potiùs famoſus plagiarius auſus fuerit; neque tu quicquam argumentis meis opponas, quod non ſcripto eo luculenter diſſolverim. Quia tamen ſcriptum illud vernaculo idiomate conſignatum eſt, ne non ſatis plenum ſit, quod heic repræſentamus, Tridentini Papatus ſyſtema, hanc etiamnum repetendarum ſolutionum moleſtiam devorabo patiens. Ad argumentum ergo primum nil ſolidi reſpondes. Si cœlibatus per ſe res indifferens non eſt, cur ei Eſaj. LVI. 5. juxta te cum conjugio comparato non ſimpliciter, ſine conditione adjuncta obſervatorum Sabbathorum & fœderis, melius nomen promittitur? Nomen melius promittitur ſimpliciter (v. 5.) *præ filiis & præ filiabus*, nulla hic conditione addita. Quis dubitat Eunuchos obſervantes ſabbatha & fœdus Dei meliori ſorte mactandos, quàm ſimpliciter fœcundos, liberorum parentes? Si tamen ſua natura cœlibatus conjugio præſtaret, ſimpliciter, ſine conditione alterutri adjecta comparari debuiſſent. Sed, verbo dicam, quod res eſt, לסרים *Eunucho* (non cœlibatum voto profitenti, ſed propriè dicto Eunucho, cui in V. T. cœtum ingredi nefas erat, in Novo ſublato hominum diſcrimine fas eſt,) promittitur melius nomen, non quâ Eunucho, caſtrato, cœlibi, ad matrimonium inepto (quid enim ille naturæ defectus apud Deum mereatur?) ſed quæ religioſè tenaci ſabbathorum & fœderis Divini; idque מבנים ומבנות *præ filiis & filiabus*, hoc eſt, nomen melius, quàm ſi filios & filias haberet. Non ergo cœlibatus ibi cum conjugio, quod tu temerè, nulla ratione fretus, ut cauſæ tuæ modò inſervias, aſſeris, ſed nomen melius in Eccleſia, cum eo nomine, quod prole beati in mundo haberent, comparatur. Rectè igitur LXX. Interpretes שׁם טוב מבנים ומבנות reddunt ὄνομα κρεῖττον υἱῶν καὶ θυγατέρων, *nomen melius filiis & filiabus*, hoc eſt, Cyrillo (ut habeas, quos Auguſtino abs te in *Corollario* im-

potenter

potenter jactato opponas ipse) interprete, *melius fœcunditate*; vel Procopio: Ἀντὶ τῆς πολυτεκνίας δώσειν αὐτοῖς ἐπαγγέλλεται ἐν τῷ οἴκῳ καὶ ἐν τοῖς τείχεσι αὐτοῦ τόπον ὀνομαστόν. *Pollicetur se illis pro liberorum multitudine in sua domo suisque mœnibus locum celebrem esse daturum.* Id sanè phrasis Hebraica postulat, quæ eo modo comparativorum, apud Græcos & Latinos, vim exprimit, nempe cùm præfertur res rei. Propheta ergo Eunuchis promittit, aliquid iis melius datum iri, quàm si iis darentur liberi carnales, quale quid est, ingredi in congregationem Jehovæ, quod in V.T. Deut. XXIII. 1. prohibitum erat; per semen spirituale, verbum Dei, generare filios promissionis Dei, eorúmque parentes, æquè ac Abrahamus, nominari, celebrari. Id verò omne non tantùm continentibus, sed etiam conjugatis ἀτέκνοις dici potuit. Neque etiam negat Propheta, illud ipsum *melius* datum iri conjugatis etiam patribus, quibuscum comparationem nullam instituit.

ARG. II. Apostolus 1. Cor. VII. hanc tractans quæstionem, cœlibatum non facit suâ naturâ meliorem & sanctiorem conjugio, nec aliter eum commendat, quàm quia συμφέρει conducit, tum ob instantem necessitatem carnis, quæ est in molestiis conjugii, tum denique ob exercitia pietatis, quibus cœlibes tutiùs vacant.

RESP. REDING: *S. Paulus loc. cit. v. 34. apertè docet, virginitatem esse sanctitatem corporis & spiritus, & per eam nos placere Deo. Si virginitas est sanctitas, utique veri cultus Divini pars est. Sed & v. 35. S. Paulus virginitatem commendat tum ratione honestatis, tum ratione commoditatis. Atqui ratio honestatis formaliter virtutem & bonitatem moralem importat. Est enim virginitas cœlibatus per se pars temperantiæ, actúsque ejus heroicus, à summa castitate, fortitudine & lucta elicitus; refrænatio concupiscentiæ, & sæpe à charitate, religione, voto imperatur. Sicut ergo concupiscentia, libido in se mala est: sic cœlibatus bonus. Unde virginitatem Fulgentius virtutem; Hieronymus hostiam Christi vocat. Neque aliter S. Patres, inprimis Aldhelmus, qui lib. de laudibus virg. cap. 6. ratione meritorum hunc constituit ordinem, ut virginitas sit aurum, cœlibatus argentum, conjugium æramentum, &c.* Ibid. pag. 411. 412. Resp. Negare non potuisti, S. Paulum virginitatem commendare ratione commodorum. Res ipsa aperta nimis est. Oppositiones verò tuæ de *sanctitate* & *honestate* virginitatis cassa nuce dignæ non sunt Dicit enim S. Paulus 1. Cor. VII. v. 34. *Mulier innupta & virgo cogitat, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo, ut sit sancta corpore & spiritu.* Hoccine est virginitatem appellare *sanctitatem corporis & spiritus*? Atqui S. Paulus disertè discrevit virginem & modum sic placendi Deo, ut virgo sit sancta corpore & spiritu. Sicut aliud est maritum esse, aliud placere uxori; unde oportet eum, qui maritus est, cogitare, quomodo placeat uxori: sic aliud est, virginem esse, aliud placere Deo; & iccirco debet, quæ virgo est, cogitare, quomodo placeat Deo, ut sit sancta corpore & spiritu. An verò quævis virgo id cogitat, ut idem sit per se virginitas, quod sanctitas corporis & spiritus, studiúmque placendi Deo? Falli te, innumeri cœlibes & virgines ordinum vestrorum clarissimè demonstrant. Loquitur Apostolus de facultate, non de actu; innuens etiam, posito eodem animo, fide, charitate, virginem ab omni alia cura vacuam hoc solum curare posse, ut placeat Deo, & sancta sit corpore ac spiritu; mulierem autem non planè sic liberam esse, quin aliquatenus in studio illo impediatur, dum sic Domino placere studet, ut simul curare debeat, quò marito pla-

ceat. Inter nuptam ergo & innuptam, uti etiam Lombardus observat, hoc quidem capite, differentia est *secundum plus & minus*; ac proin non secundum cœlibatum. *Nam*, inquit, *hoc quidem discrimen esset potiùs totius generis.* Vana autem est virginitatis jactantia, neque ulla ejus sanctitas per se est, si non operam det virgo, ut sit sancta corpore & spiritu: vanúmque virginitatis conservandæ studium, ubi non est integrum & solitarium studium sanctitatis. Sed Apostolus, inquis, cœlibatum etiam commendat ratione *honestatis.* Quod de virginitate dixerat, ait v. 35. se locutum πρὸς τὸ εὔσχημον καὶ εὐπρόσεδρον τῷ κυρίῳ ἀπερισπάστως, *ut Dominò vacent decenter & aptè, sine distractione.* Decentem, decorum in casu scilicet aliquo, cœlibatum esse ait: per se honestum, sanctum esse, non ait. Τὸ εὔσχημον autem illud in eo consistit, quòd homo non fit ridiculus, abominabilis, & se indecenter non cogitur gerere. Possunt scilicet incidere tempora, ubi familiam habere occasionem mendicitati vel turpi quæstui præbet; & cœlebs faciliùs corpori suo laborando, quàm familiæ prospicere, adeóque alios non onerare potest. Id quidem Monachi vestri exactè observant, ne plus laborent quàm alii, imò ut minùs: an verò & hoc observent, ne graves sint iis, qui familias alunt; & ut sint εὐσχήμονες καὶ προσεδρεύοντες τῷ κυρίῳ, totus mundus novit. Adeò non cœlibatus per se εὔσχημος est, nedum intrinseca honestate & sanctitate pollet. Certè quicquid τίμιον *honorabile* est, idem quoque εὔσχημον *decens*, decorum puto. Atqui τίμιος ὁ γάμος, *honorabile est conjugium*, inquit S. Paulus Hebr. XIII 4. Ergóne etiam matrimonium intrinseca sanctitate & honestate pollet? Vobis certè ita non videtur. Denique non virginitas, cœlibatus, hoc est, status matrimonii expers, per se actus temperantiæ, vel virtus heroica est; sed castitas, continentia à libidinibus & illicitis cupiditatibus, quam cœlebs servat, talis est. Atque similis temperantia etiam in conjugio locum habet. quod tamen temperantiæ actum per se esse, ipsimet non dixeritis. Turpissimè ergo statum virginitatis, cœlibatus, cum statu conjugii comparatum, cum virtute, quæ ei inesse potest, vel inest, confundis. Neque ita ullus Patrum à te allegatorum sentit. Aldhelmi enim illa comparatio crudè accepta prorsus ἄγραφος est.

ARG. III. Quæ intrinsecè bona, sancta & meritoria gratiæ sunt, ea conducunt omnibus regeneratis. At cœlibatus non omnibus conducit, sed tantùm iis, qui speciale donum habent 1. Cor. VII. 2.7. 9.20. 36. Proinde suâ naturâ non est conjugio sanctior.

RESP. REDING: *Supernaturales fidei, spei & charitatis actus non ideo non intrinsecè boni & sancti sunt, quia non omnibus, sed iis duntaxat, qui speciale donum habent, competunt. Neque etiam dona illa omnibus regeneratis insunt æquali mensura. Abundantior ergo mensura, quia non omnibus regeneratis inest, iccirco intrinsecè bona non est.* pag. 412. Resp. Pudet lusus tuos repetere. *Speciale donum* vel respectu omnium hominum, vel respectu solorum fidelium dicitur. Respectu hominum omnium *specialia dona* sunt, quæ non omnibus hominibus, sed solis fidelibus & omnibus competunt. Respectu solorum fidelium illa, quæ quoad speciem non omnibus fidelibus, sed quibusdam Deus largitur. De posterioribus, non prioribus ratio mea loquitur. Cœlibatus donum non commune omnium fidelium, speciale quorundam est, ἴδιον χάρισμα *singulare*, speciale *donum*, 1. Cor. VII. 7. Si cœlibatus intrinsecè bonus esset, Deus regeneratis omnibus eum donaret, quia omnium quoad speciem æqualis sanctitas esse debet. Quid ergo mihi actus super-

naturales

naturales fidei, ſpei & charitatis memoras, communia, non ſpecialia regenitorum omnium dona? Quid abundantiorem illorum menſuram, cùm gradus ſpeciem non mutet, & idem ſpiritus ſit omnium licet diſpare menſura? Vel igitur ludis dedita opera: vel argumentum meum non percipis.

ARG. IV. Si ſuâ naturâ cœlibatus ſanctior eſſet conjugio, Apoſtolus non juberet virginem ſuam dare nuptui eum, qui exiſtimat ſuper ea ſe *ἀσχημονεῖν turpem videri*, videlicet judicio ſequiori hominum, 1. Cor. VII. 36. Quæ enim intrinſecè bona ſanctáque ſunt, ob iniqua judicia hominum impediri non debent.

Resp. Reding: 1. *Apoſtolus non jubet, ſed permittit virginem elocare, ſi non elocans malè audiat. Nam meliùs facere eum, qui non elocat, aſſerit. Quòd verò ſpiritus S. conſulit, non poteſt non eſſe moraliter bonum.* 2. *Quod intrinſecè bonum eſt, ob ſequiora hominum judicia omittere licet, ſi tantùm conſulatur, non ſi etiam jubeatur.* Ibid. pag. 412. Reſp. 1. Præcepti & conſilii differentiam nullam ex Apoſtolo oſtendere potes. Simpliciter is dicit v 36. *Si ita fieri debet. Quod vult faciat. γαμείτωσαν nubant.* Hæc non ſunt conſulentis. inprimis cùm dicantur de eo caſu, in quo *ita fieri debet*, hoc eſt, in quo parens filiam *ὑπέρακμον* elocare debet, quia ita ejus conditio & Divina ad conjugium vocatio exigere videtur. Quæ ſic fieri oportet, illa non conſilio, ſed præcepto ſubſunt. Neque, quod tu fingis, in eodem caſu ait Apoſtolus v. 38. meliùs facere, qui non elocat, non dat nuptum filiam. Nam ubi *οὕτως ὀφείλει γίνεσθαι ſic oportet fieri*, ibi non meliùs facit pater non elocans, hoc eſt, non faciens, quod ſic oportet fieri. Meliùs ergo facit in alio caſu, in quo *ἀνάγκη neceſſitas* & *ἀσχημοσύνη* elocationem non poſtulat. qui caſus v. 37. non 36. exprimitur. Meliùs autem facit, quia extra neceſſitatis caſum minus oneris filiæ ſuæ imponit; dat ei occaſionem, ut eo faciliùs curare poſſit, quæ ſunt Domini, ut ſancta ſit corpore & ſpiritu. 2. Conſilia univerſa cum authoritate conjuncta, Divina inprimis, præceptis æquipollent, uti ex Apoc. III. 18. colligitur. Sunt enim præcepta ſi non communia, ſaltem perſonalia. Quanquam verba Apoſtoli non conſulentis, ſed præcipientis eſſe, jam oſtendimus. Quomodo verò Apoſtolus ei, quod per ſe & intrinſecè bonum, ſanctum eſt, ob ſequiora hominum judicia, & quia *putat, ſe de virgine ſua non ex decoro conſulere*, contrarium ſuadere, nedum præcipere potuit? Conſilium, præceptum ſanctitati intrinſecæ contrarium non Divinum, Apoſtolicum, ſed Antichriſtianum eſt. Annon potiùs ſuaſiſſet, juſſiſſet nulla ratione habita judicii humani, virginem cuſtodire, non elocare. ſicut 1. Cor. IV. 3. dicit: *Mihi pro minimo eſt, ut à vobis judicer, aut ab humano judicio.*

ARG. V. Conjugium æquè eſſe poteſt inſtrumentum virtutum, ac cœlibatus. Cùm enim ſit ſchola crucis, plures occaſiones præbet exercendæ fidei, ſpei, invocationis, dilectionis. In educatione liberorum conjuges eam præſtant charitatem, quam non cœlibes. Conjuges per Dei benedictionem generant Eccleſiæ cives. Quin caſtitas tutior eſt in conjugio, quàm in cœlibatu. Denique nihil eſt, quo fideles conjuges ſuum ſtatum commutare debeant cum ſuperbo, Phariſaico & impuro cœlibatu aliorum.

RESP. REDING: *Atqui supra ingenuè fassus es, cælibatum ratione commoditatis & utilitatis multiplicis conjugio meliorem esse. Nunc conjugium ei anteponis; contra Apostolum 1. Cor. VII. 34.40. & S. Patres.* Ibid. pag 412.413. Resp. Detorques argumentum. Nam illud *æquè* ad rem, non ad gradum rei refero; neque adeò nego, cœlibatum in iis, qui donum continentiæ habent, commodius virtutum instrumentum esse, quàm conjugium, sed tantùm, absolutè conjugium cœlibatui præferendum esse. In quibusdam enim etiam conjugium prævalere cœlibatui demonstro. nec tu contrarium asserere audes, vel probare potes. Saltem ratio mea stringit adversus luxuriantia cœlibatus encomia, quibus eum immodicis laudibus pessimo licet fine, & præter ac contra Scripturam ferre soletis. In quibusdam etiam conjugium non cœlibatui in universum, sed hypocritico, qualis ferè vester merè aridum lignum, ac de cœtero ad delicias carnis relatus est, opposui. Cœterùm cum argumento hoc meo propiùs pedem contulit Adversarius alter sacrificulus, sed ita turpiter pugnavit, ut putem, Redingium assertionum ejus puduisse. Fatetur ille, conjugium esse Scholam crucis: sed *coactam* ait, quam nemo subiturus sit, si tam grave esset liberos concipere, quàm molestum est, eos parere & educare. Annon tibi, Redingi visa est assertio isthæc hircum olere? Revera olere *Parthenog. pag. 262. &c.* ostendimus.

ARG. VI. Veteribus, qui cœlibatum nimis ἀφειδῶς laudârunt, occasionem dedisse videntur Ethnicorum impuritas, persecutionum atrocitas, conjugiorum multorum impuritas, denique impudentia adversariorum cœlibatum deprimentium, quales fuêre Jovinianus, Gnostici, Nicolaitæ, &c.

RESP. REDING: 1. *Cur hæreticis illis non accenses Lutherum, Zwinglium claustra virginum temerantes, & virginitatem impudentiùs impugnantes, conjugiorúmque notoria impuritate suam Pseudo-Reformationem contaminantes. 2. Patres etiam ab intrinseca sanctitate cælibatum commendarunt, nominatim Ignatius, Theophilus Alex. Clemens Alex. Cyprianus, Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus & Nyssenus, Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, Gaudentius, Augustinus.* Ibid. pag. 413-415. Resp. 1. Nil sanctis illis viris, Antichristi stabulum purgantibus cum veteribus illis hæreticis commercii fuit. Cœlibatum illi & conjugium suo quemque pretio, juxta siclos sanctuarii, æstimarunt, ac de cœtero libertate Christiana, à Deo ipso concessa, gavisi maluerunt conjugia in Domino contrahere, quàm esse clerici concubinarii, fornicatores, adulteri, Sodomitæ, adeò in clero Pontificio frequentes, ut Pius V. necesse habuerit bullam edere *contra clericos Sodomitas.* quam ipsam tamen enervaturus Escobarius vester Lojolita in foro conscientiæ obligare negavit. Maluerunt illi esse fideles conjuges, quàm *fideles fornicarii, adulteri, molles, masculorum concubitores* &c. cujusmodi creaturas *fidelium* novas Babylonicas Tridentini tui *Sess. VI. cap. 15.* in medium Ecclesiæ theatrum evomuerunt. 2. Patres à te ex Bellarmino & Coccio sine judicio compilati, parùm causam tuam adjuvant. Nonnulla enim nonnullorum verba sententiæ nostræ consentanea utroque pollice probamus, & ex iisdem, ceu cynosura quadam ambigua eorundem & aliorum dicta explicamus. Ita Hieronymus alias cœlibatui nimium lenocinari visus, *adv. Jovin. lib. 1. cap. 6.* sic orthodoxam sententiam explicat: *Ut circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei: sic nihil prodest absque operibus cælibatus & nuptiæ, cùm etiam fides, quæ propriè Christianorum est, si opera non habuerit, mortua esse dicatur: & hac*

lege virgines quoque Vestæ & Junonis univiræ in Sanctorum queant ordine numerari. Gregorius Nazianzenus *Orat. in funere Sororis* astruit, *nec nuptias propter* (NB) *naturam propriam esse fugiendas, nec virginitatem propter* (NB) *naturam propriam esse extollendam, sed mentem esse, quæ nuptiis & virginitate* (NB) *bene vel malè utitur.* Augustinus *de Civit. D. lib. VI. 36. Constituamus*, inquit, *ambos* (conjugatum & continentem) *profectò melior est conjugatus fidelissimus & obedientissimus, quàm continens minoris fidei, minorisque obedientiæ.* En statum utriusque rationem non ex intrinseca bonitate, sed accessoria utriusque fide & obedientia æstimat. planè ex mente nostra, & magis etiam Spiritus S. Hoc filum Ariadneum si aliis Patrum dictis ambiguis & hyperbolicis applicetur, nullo negotio illa vel explicari, vel corrigi poterunt. Scripta modò removeantur ψευδεπίγραφα, veluti *Epistola ad Demetriadem* sub nomine Ambrosii & Hieronymi; liber *de disciplina & bono pudicitiæ* sub nomine Cypriani; & *de Virginitate* sub nomine Athanasii. De cætero fatemur ultro, quosdam incautè, & parùm verbo Dei convenientia locutos, ita jecisse errorum semina, ut tamen alibi vera principia ponant, quibus errores isti refutari possunt. Vos contra veris illis principiis neglectis eosdem illos errores retinetis, excolitis, augetis. Contra Jovinianum nonnulla se in hoc argumento scripsisse γυμναστικῶς, non δογματικῶς, Hieronymus *Apolog. cap.* 4. fatetur. Singula hæc *Parthenog. cap.* 15. &c. fusiùs, allegatis & expensis Patrum testimoniis, accuratè discussimus. neque ea heic repetenda ducimus. Tuum fuisset responsiones meas ibi perhibitas ad incudem, si potuisses, revocare, non nuda Patrum testimonia *per extensum* duntaxat, uti loqui amas, *reproducere.*

ARG. VII. Si Adversariis credimus, matrimonium est Sacramentum propriè dictum N. T. gratiam æquè ac cætera sacramenta conferens ex opere operato. Quomodo igitur nunc illi ipsi infra cœlibatum illud detrudunt? Argumento hoc motus Durandus, matrimonium sacramentum esse negavit.

RESP. REDING: *In Sacramentis alia ratio est intrinseca entitatis, alia entitatis, qua ad esse Sacramenti elevari potest. Sic in Baptismo aqua quoad intrinsecam entitatem multis aliis rebus cedit; & tamen ad Sacramenti dignitatem elevari potuit. Pari ratione matrimonium ad esse Sacramenti elevatum habet virtutem ex opere operato conferendi gratiam; licet à cœlibatu quoad intrinsecam honestatem superetur.* Ibid. pag. 415. Resp. Matrimonium ergo ad esse Sacramenti elevatum cœlibatu præstat. Atqui in N. T. ad esse Sacramenti elevatum esse pertenditis. Neque puto vos matrimonium aliud quàm Christianum, & Christianorum, adeóque opinione vestra Sacramentale cum cœlibatu itidem Christiano contendere. Absque hoc est, non disputatis, sed luditis.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Paulus 1 Cor. VII. 1. dicens, bonum esse homini, ut mulierem non attingat, neq; aliter habendam esse uxorē, quàm propter fornicationes; satis innuit, cœlibatum suâ naturâ bonum esse; conjugium nonnisi accidens, ad vitandam fornicationem.* Resp. 1. Paulus καλὸν *bonum* vocat id, quod est commodum & expediens, propter aliud. Ita abstinere à vino bonum est. Neque tamen abstinentia illa moderata

derata vini usui præferenda est. Quòd autem *καλὸν bonum* hic non moralem bonitatem significet, ipsa matrimonii iustitutio, quæ benedictionem conjunctam habuit, significat. 2. Etiam hominem solum, adeóque cœlibem esse, לא טוב *non bonum* esse pronuntiat ipse Creator Gen. II.18. Vel ergo verè *ἀσύςατα* hæc erunt, vel *bonum* erit id, quod per se indifferens, propter aliud efficitur vel bonum vel malũ. Quo sensu & matrimoniũ & cœlibatus diverso respectu & propter aliud bonum & non bonum dici potest. 3. Ipse Paulus innuit, bonum esse cœlibatum non per se & moraliter, sed *συμφέρον commodum & conducibile* v. 35. & *διὰ τὴν ἐνεςῶσαν ἀνάγκην propter instantem necessitatem*, v. 26. qua videlicet ingruente dici poterit: *Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt, & ubera quæ non lactârunt*, Luc. XXIII. 29.

EXCIP. REDING: 1. *Supra probavimus, duplicem cœlibatui bonitatem Apostolum tribuere, unam utilitatis, honestatis alteram. 2. Nil obstat, quò minùs boni moralis oppositum etiam sit bonum. Ita piscibus vesci propter Divinam benedictionem bonum est. Neque iccirco non vesci in jejunio malum est. 3. Alia ratio est matrimonii in primævæ institutionis statu: alia in statu Christianæ perfectionis. In priori non erat bonum, Adamum esse solum, quia sic species humana in eo periisset. At propagato genere humano mundóque jam incolis referto homini bonum esse cœpit non tangere mulierem. Unde Cyprianus lib. de habitu virginum:* Prima Dei sententia crescere & generare præcepit: secunda continentiam suasit. &c. 4. *S. Scriptura non tangere uxorem absolutè bonum vocat. Cur tu vocas indifferens? Nam etiamnum matrimonium inserviens propagationi Divinitus inventæ moraliter bonum est, non indifferens.* Ibid. pag. 415-417. Resp. 1. Nihil te probasse, nos supra ostendimus 2. Boni moralis oppositum dicere bonum morale, est oppositum dicere idem. Neque insulsam sententiam nisi insulsa ratione probas. Quis enim unquam piscibus vesci moraliter bonum dixit? Revera si tale est, non vesci in jejunio malum erit. Pharisæorum, non Christianorum est, ex actibus mediis per se bonos, & moraliter bonos cudere. quod vos strenuè facitis. Disce ergo, bonum dupliciter dici, alias oppositum vitio, veluti Matth. V. 16. *ut videant vestra καλὰ ἔργα bona opera*; Rom. VII. 18. *τὸ κατεργάζεσθαι τὸ καλὸν, οὐχ εὑρίσκω, perficere bonum non invenio*, &c. alias oppositum incommodo, veluti Matth. XVIII. 4. *κύριε, καλόν ἐςιν ἡμᾶς ὧδε εἶναι Domine, bonum est, nos hic esse.* Marc. IX. 50. *καλὸν τὸ ἅλας· Bonum est sal.* Bonum priori notione vel absolutè tale est, vel *κατά τι*; illud in elicitis virtutum actibus, puta amore Dei, proximi &c. qui semper boni sunt, adeóque iis oppositi semper mali; quæ sunt extra hominem, quorum usus aliquando bonus est, prout est actus imperatus alicujus virtutis; veluti, dare panem famelico, ex vera charitate, abstinere cibis, propter pietatem, &c, aliquando malus, quatenus est ab aliquo vitio, veluti, dare eleemosynam, ostentationis gratia; abstinere cibis, propter hæresin. Bonum posteriori notione nullum dicitur absolutè, sed tantùm *κατά τι*, quia non omnia in eundem finem, aut eodem modo commoda sunt. Priori notione bona *absolutè* talia moraliter bona sunt; quorum adeò oppositum nunquam non malum est, & in foro conscientiæ illicitum. *Κατά τι secundum quid* talia bona moraliter sunt, secundum id, quo à virtute imperantur, non simpliciter. Posteriori notione bona moraliter bona non sunt, quia propriè ea religio non præcipit; sed tantùm per accidens,

cidens, quatenus pietati & charitati serviunt. Ita piscibus vesci bonum esse potest, quia valetudini conducere potest. Non tamen moraliter bonum, quia id religio non præcipit. Hoc planè sensu Apostolus *καλὸν bonum* esse dixit, non tangere mulierem, quia commodum est iis, qui donum continentiæ habent, abstinere conjugio, teste experientia, quæ conjugatorum statum multis incommodis, quibus cœlibum status caret, expositum esse, docet. Paulus ipse omni exceptione major interpres, sic explicat v. 26. *Νομίζω δὲ τοῦτο καλὸν ὑπάρχειν διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην, ὅτι καλὸν ἀνθρώπῳ τὸ οὕτως εἶναι. Puto autem hoc esse bonum, propter instantem necessitatem, bonum hoc, inquam, esse homini ita esse.* Confer v. 28. 29. Rectè igitur Bened. Justinianus in Commentario: *Hieronymus,* inquit, *sic interpretatur, perinde quasi in eorum bonorum genere collocetur, quæ nonnisi vitio opponuntur. Atqui id cùm acerbiùs dicitur, tum non omnino verè. nisi forte interpretetur bonum quidem commodum atque utile, malum autem incommodum.* 3. Christianæ perfectionis status nullus est nisi in Cœlo, ubi matrimonio locus nullus. Perperam ergo statum integritatis & Christianæ perfectionis distinguis. Si qua in mundo perfectio obtinuit, illa in statu integritatis potiùs, quàm procedente tempore ullo obtinuit. Christus porro ipse conjugium ad primævum statum Matth. XIX. 4. 5. 8. revocavit. Quod igitur homini creato & integro bonum erat, id homini quoque per Christum renato & restaurato bonum est, ut videlicet non sit solus, sed habeat adjutorium coram se. Sed & bonum, imò melius est, non tangere uxorem; non simpliciter, sed in particulari quodam statu hominum dono continentiæ præditorum, & ad Cœlibatum peculiari ratione, quæ ex circumstantiis variis colligitur, vocatorum. Exceptio à regula eandem non tollit, sed potiùs in casibus non exceptis confirmat. Neq; etiam multiplicatio humani generis bonum continuandæ propagationis ad finem usque mundi, & adjutorii tollit. Natura enim hominum formatur illo verbo Dei, *Crescite & multiplicamini*, ut sit fœcunda non tantùm initio creationis, sed tantisper, dum hæc corporum natura existet; sicut eodem verbo hodiéque terra fœcundatur, & herbam virentem germinat. Propter hanc ordinationem non tantùm initiò cœpit terra producere gramina, sed quotannis vestiuntur agri, donec natura rerum existet. Quod ergo verba Dei, quibus tum benedixit homini, tum declaravit, non esse bonum, ut homo solus sit, restringere ad tempus illud, quo genus humanum multiplicatum nondum est, conaris, perinde est ac si diceres, olim nascentes homines secum attulisse sexum, nunc non afferre. Verba proin Cypriani cum grano salis intelligenda sunt. 4. *Absolutè* bonum esse, non tangere uxorem, ubi Apostolus dixit? Sic quicquid scriptura bonum dicit, absolutè, adeóque etiam moraliter bonum erit. Absolutè bona erit *arbor bona:* absolutè boni *fructus* ejus *boni:* absolutè *bonum sal.* & quid non? Valeat interpretatio ipsius S. Pauli, qui v. 26. *bonum* esse homini *sic esse* (ut ipse erat) ait non absolutè, simpliciter, sed *propter necessitatem;* & quia id (v. 38.) *συμφέρει* conducit, habentibus scilicet continentiæ donum, ad curandum ea, quæ sunt Domini. Mirum verò, tibi jam etiam matrimonium, quod sua natura status & contractus civilis est, *moraliter* & *absolutè* bonum censeri, ut opposita simul moraliter bona sint. Frigidissima somnia hæc sunt, quidvis sine ratione effutientis.

OBIECT. II. *Idem Apostolus 1. Cor. VII. 31. 32. &c. docet, cœlibem curare ea, quæ sunt Domini: conjugatum verò ea, quæ sunt mundi. Ergo cœlibatus conjugio præstat.*

Resp. 1. Certum est, nec omnes matrimonio junctos ea tantùm curare,

quæ mundi ſunt, uti liquet exemplo Abrahami, Iſaci, Jacobi, Zachariæ, Apoſtolorum plerorumque, aliorúmque plurimorum: nec omnes cœlibes ea tantùm curare, quæ ſunt Domini, uti manifeſtum faciunt exempla Pontificum, Cardinalium, Epiſcoporum, Sacrificulorum, qui plerique alia omnia, quàm quæ Domini ſunt, curant. niſi forte ad ea, *quæ Domini ſunt*, pertinent bona, cenſûs, reditus eccleſiæ propriam in rem verſi, dominatio temporalis, πραγματείαι τȣ̃ βίȣ, &c 2. Non igitur cœlibatus quilibet & per ſe id præſtat, ut magis curentur, quæ ſunt Domini, quam alia omnia: ſed in certo ſubjecto, eo nimirum, quod & dono continentiæ & Spiritu Dei præditum eſt, adeóque ſe propter regnum cœleſte eunuchizat. Neque etiam matrimonium quodlibet & per ſe id præſtat, ut vel non curentur, quæ ſunt Domini, vel magis curentur; ſed matrimonium mundanorum, & forte etiam fidelium infirmorum, qui cum Martha τυρβάζονται περὶ πολλά, Luc. X. 41. Totus autem ſermo Apoſtoli accipiendus eſt non abſolutè, ſed comparativè; ſecundum facultatem, non ſecundum actum, non κατ' ἐνέργειαν. Comparentur inter ſe fidelis liber & uxoratus, uterque eadem fide & charitate præditus. Uterque curare poterit ea, quæ ſunt Domini; ſed ille magis, hic minùs.

EXCIP. REDINGI: 1. *Attenta ea puritate, quæ mentis & corporis à carnalibus deſideriis abſtractionem importat, in virginitate utique ſpecialis mentis & corporis ſanctitas, moralíſque virtutis, nempe caſtitatis honeſtas abundantior, quàm in matrimonio reperitur. Idque ipſe tu nolens volens fateris, aſſeverans, cœlibatum præſtare in ſubjecto dono continentiæ & ſpiritus Dei prædito majorem ſolicitudinem curandi ea, quæ ſunt Domini. 2. Cúmque illud continentiæ donum tam à vobis remotum ſit, ut pauci in cœlibatu apud vos vivant, qui fieri poteſt, ut non ſitis alieni à ſpiritu Dei? Veteres certè illud in Eccleſia non rarum, ſed frequens eſſe, paſſim docent.* Ibid. pag. 417.418. Reſp. 1. Imò verò attenta puritate, caſtitate & ſanctitate corporis & ſpiritus, in utroque ſtatu par illa eſſe poterit. Neque enim virginalis caſtitas & ſanctitas major per ſe caſtitas & ſanctitas eſt, quàm conjugalis, niſi conjugio per ſe impuritatis aliquid ineſſe, cum veteribus hæreticis aſſeras. Puritas enim & caſtitas non conjugio, ſed impuris libidinibus, in virginitate & matrimonio æqualiter opponitur. Neque quidquam aliud faſſus ſum. Aliud enim eſt cœlibatus, ejúſque ſtatus ſimpliciter: aliud cœlebs dono continentiæ & ſpiritu Dei præditus. Ille nullam præ matrimonio eminentem ſanctitatem vel caſtitatem habet. Hic cœlibatus commoditate uſus, cœteris paribus, & mundi curis non diſtrictus, præ uxorato, quæ Domini ſunt, curare poteſt. Nihil hic cœlibatus ἐξαίρετον habet: nil ſanctitatis, nedum meriti eximii. Poſito, repetam ſuperiùs dicta, eodem animo, fide, charitate virgo libera eſt ab omni alia cura, ut hoc ſolum agere poſſit; mulier autem non eſt libera ab omni alia cura, ſed tenetur ea curare, quæ ſunt mundi, ut placeat viro, hoc eſt, ei obediat in omnibus licitis, Epheſ IV. 22. 24. Ita (ſimilitudine ab Apoſtolo eodem capite v. 22. adhibita utiſicem) homo eſt ſervus Chriſti: ſervus autem tenetur etiam ea facere, quæ ipſi herus in carne imperat. Quemadmodum autem libertas non propterea per ſe ſancta, meritoria, vel magis

gis sancta, meritoria est quàm servitus: ita nec virginitas vel per se sancta & meritoria, vel magis sancta & meritoria est, quàm matrimonium. 2. A nostris in universum remotum esse continentiæ donum, qua veri specie asseris? Si enim loquaris de continentia ab illicitis voluptatibus & libidinibus, noli dubitare, quin conjuges nostri innumeri illo polleant magis, quàm plerique λεγόμενοι religiosi cœlibes vestri, qui si non fornicantur, saltem uruntur. Præstat autem status matrimonii statu ustionis. Si de continentia à matrimonio, nec illa ad salutem necessaria est; nec desunt, qui ejus dono præditi religiosiùs longè Deum colant, & castitatem servent, quàm vestri. Neque obstat, quòd non eo numero inveniantur hodie, quo temporibus primis inventi sunt; quia & singularia ejusmodi dona paulatim in Ecclesia expirarunt; & eædem frequentioris cœlibatus causæ non æquè semper obtinent. Accedit quòd qui habentes uxores tales se gerunt, ac si non haberent, juxta Apostoli 1. Cor. VII. 29. non minorem, quàm cœlibes laudem merentur. Tales autem apud nos innumeros esse, persecutionum & præteritarum, & præsentium immanissimarum, nec non martyriorum, iisdem durantibus subitorum historia luculenter testatur. Sine numero sunt, qui propter Christum uxores reliquerunt, & jactura uxorum omniúmque charitatum facta pro Christo dirissimam mortem sustinuerunt. Cum quibus cœlibes vestri etiam optimi nullo modo comparari possunt. Neque postrema, crede Redingi, causa est impuri cœlibatus vestri funesta experientia, qua territi planiorem magísque expositam ad Cœlum viam, quàm præruptam & ancipitem sectari malumus. Præstat manere in humili exiguóque oppidulo Zoar, quàm cum Lotho conscenso monte ingentis periculi aleam subire. Nôsti forte vocem verè ἰχθυὸς, memorabilemq; adeò cujusplam vestrûm: *Multi potuissent salvari in conjugio, qui damnantur in cœlibatu.* Neque plura. Sapienti, & conscientiæ suæ sinus excutienti satis.

QUÆSTIO VIII.

An Christianis cœlibatum solenni voto profiteri liceat?

AFfirmat Canon IX. Nos negamus. Rationes.

ARG I. Cultus Dei est ex fide. Fides nititur verbo mandati & promissionis. Quæ igitur res nec mandati, nec promissionis verbum habet, non potest esse pars cultus Dei, sed ἐθελοθρησκεία est. Tale autem est votum cœlibatus.

RESP. REDING: *Ex Psal. XXV. 12. & Esaj. XIX. 21. liquet, licitum esse vovere res, quæ ad cultum Dei conducunt. Atqui cœlibatum conducere, & castitatem Deo gratam esse, vos ipsi negare non potestis.* Tomo IV. Tract. XI. ss. 2. pag. 419. 420. Resp. Non Psal. XXV. 12. (ita bis citas, & infra etiam Psal. XV 12. allegas) Sed LXXVI. 12. vota nuncupata Deo persolvi Hieropsaltes jubet. Neque hoc cuiquam dubium. Sed & castitatem vovere licet. At vel cœlibatum, vel castitatem virginalem in perpetuum, & sine

ulla exceptione custodiendam vovere, id verò nuspiam Deus in verbo suo vel suasit vel jussit. Textus à te rei huic probandæ allegatos in objectionibus diluimus.

ARG. II. Cœlibatus est donum & charisma Dei, gratis datum, non gratum faciens, pendens unicè à gratia Dei Matth. XIX. 11. 1. Cor. VII.7. 17. Ergo ab hominibus non potest voveri. Votum enim earum est rerum, quæ nostræ sunt optionis & arbitrii. Perinde igitur facit vovens cœlibatum, ac qui vovet, se locuturum linguis, vaticinaturum, miracula editurum.

RESP. REDING: *1. Cœlibatus utique in potestate nostra est, accedente gratia Dei. Neque enim vota persolvere nisi gratia Dei adjuti possumus. Et tamen vota persolvere jubemur. Par voti & juramenti ratio est. At nec juramentum exsolvere arbitrio nostro, non accedente gratia Dei, possumus. 2. S. Paulus 1. Cor. VII. 7. continentiam ita esse singulare Dei donum dixit, ut tamen v. 37. subjungat, amplecti donum illud ejus esse, qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, habens autem potestatem suæ voluntatis. Continentia ergo libero hominis arbitrio subest.* Ibid. pag. 420. 421. Resp. 1. Ratum esto, nullum votum sine gratiæ Divinæ auxilio persolvi posse. Sed quæ voventur, cùm sint dona Dei, distinguenda sunt. Alia nempe necessaria sunt, quorum privatio opponitur gratiæ in Christo, ut infidelitas omniáque peccatorum genera; quæ gratia Dei eum in finem à Deo data paulatim destruere debet. Alia sunt ἀδιάφορα, quæ etsi sunt effecta gratiæ, tamen in neutram partem oppositionis gratiæ officiunt. qualia sunt prophetiæ, linguæ, miracula. Nam & qui miracula patrat, gratiam habet; & qui non patrat, gratia Dei non destituitur, sed tantùm hoc dono gratiæ. Scholæ vestræ doctores illa à gratia gratum faciente, hæc à gratia gratis data arcessunt. Illa omnibus fidelibus dantur: hæc non itidem. In posteriorum censu est continentia à conjugio. Non enim aut continentia, aut ei oppositum conjugium opponitur gratiæ, teste S. Paulo, qui utrumque pronuntiat bene facere, & qui nuptui dat virginem, & qui non dat, 1. Cor. VII 38. Imò quicunque conjugium in peccatis posuerunt, eos & Scriptura, & inde Ecclesia in hæreticis numerant. Ad hanc porro continentiam servandam gratiam dari vel hominibus omnibus, vel fidelibus, negamus, tum quia non omnes capiunt sermonem illum continentiæ, adeóque nec omnes ejus donum habent, Matth. XIX. 11. tum quia S. Paulus eos ipsos, quos vellet esse, sicut semet ipsum, pronuntiat habere donum, *alium ita, alium ita* (1. Cor. VII. 7.) hoc est, diversa, ut unus possit continere, alius non possit. Qui ergo non habet donum, ut possit continere, qua ille audacia voveat continentiam, & quidem perpetuam; cujus dono inpræsentiarum destituitur, vel quod perpetim se obtenturum, certus esse nequit? Quomodo persolvet gratia Dei votum ejus rei, quam per gratiam & donationem Dei non habet vel saltem perpetim se habiturum, incertus est? Ita qui jurat rem impossibilem, vel saltem ejusmodi, ut incertus sit, an à quacunque gratia obtenturus sit, nec ne, is profectò temerè jurat. 2. Pessimè Apostoli dicta pervertis, & subjectum sermonis ejus mutas. Is enim 1. Cor. VII. 7. dicens, *Quisque proprium charisma habet à Deo, alius ita & alius ita,* de continentibus vel non continentibus: at v. 37. dicens: *Qui stat firmus in corde suo, non habens necessitatem, potestatem autem habens propriæ voluntatis;* nec de continente, nec de non continente, sed de elocante loquitur. An verò si elocans non urgetur necessitate elocandi, adeóque in elocando vel non elocando potestatem propriæ voluntatis habet,

quilibet

quilibet vel homo vel fidelis potestatem voluntatis propriæ habet, ut vel continere, vel non continere possit? Non sic Apostolo v. 7. visum.

ARG. III. Votum cœlibatus pugnat cum christiana libertate, in qua perstare jubemur. Cùm enim auferat potestatem matrimonii in casu necessitatis contrahendi, apparet sanè laqueum conscientiis injici, contra voluntatem Pauli 1. Cor. VII. 35. Impedit etiam usum consilii Apostolici: *Si se non continent, nubant,* 1. Cor. VII. 9. &c.

Resp. Reding: *An Christiana libertas sapit ea, quæ carnis sunt? Quomodo sic providebitur iis, quos supra ob morbos incurabiles &c. ad continentiam vocari ajebas? Libertati porro Christianæ per vires gratiæ, teste S. Paulo 2. Cor. XII. 7. ita consulitur, ut spiritus luxuriæ ei haud prævaleat, neque matrimonii contrahendi libertatem in omni Christianæ religionis statu requirat.* Ibid. pag. 421. Resp. Intoleranda hæc sunt adversus Christianum matrimonium scommata. Non Christiani conjuges, Redingi, sed clerici scortatores, concubinarii, adulteri, Gomorrhæi sapiunt, quæ carnis sunt, & spiritu luxuriæ transversi abripiuntur. Denuo igitur pertendo, quosvis homines & per naturam, & per gratiam sic liberos esse, ut matrimonium in Domino contrahere possint, & quandoque, destituti continentiæ dono, teneantur ea libertate uti. Hanc verò libertatem temeraria vota sic constringunt & intervertunt, ut ejus, tempore imprimis necessitatis, usus nullus sit. Alia ratio illorum est, quos necessitas, in ipso etiam matrimonio ob alterius partis morbum, impotentiam &c. ad continentiam vocat. Cùm enim necessitatis illius author ipse Deus sit, certa spes est, non defore ejus gratiam, quia neminem supra vires tentari sinit. At necessitatis abstinendi à matrimonio, ejúsque usu author non Deus, sed homo; laqueo se ipsum contra Apostoli 1 Cor. VII. 35, monitum constringens, & temerarium maximè votum emittens, spem gratiæ continendi sanctè nullam habet. Neque enim gratia Dei humanam temeritatem & audaciam nutrit. Præterea licet forte ad tempus usu conjugii quodammodo priventur conjuges ob morbos, non tamen privantur libertate ipsius matrimonii, ejúsque quolibet usu. Varii enim matrimonii fines & usus sunt, quorum uno sublato cœteri non tolluntur. At votarii se ipsos & matrimonii, & cujusvis usus matrimonii libertate privant. Frustra exemplum S. Pauli 2. Cor. XII. 7. urges. Non enim vel ille votarius fuit; vel σκόλοψ σαρκὸς *stimulus carnis, Angelus Sathan eum colaphizans,* adversus quem Deus cum gratia sua munivit, venereus cœlibis ejus, qualis plerosque votarios vestros agitat, stimulus, vel carnalis ad scortationem tentatio, animíque & libidinis effervescentis æstus fuit. Authores quosdam recentiores sic explicantes Bened. Justinianus Jesuita ipse *temerè ita locutos esse*, idque *parùm cordatè scripsisse, quod vix ulli Theologo docto probare possent*, ait, meritóque. Non enim Deus venereum & carnalem tentationem dat, donat. At *stimulus* ille S. Paulo ἐδόθη *datus* est, à Deo scilicet, eum humiliante & exultare, ac revelationes suas insolenter jactare non sinente. Dat tamen ille stimulum carni, Angelum Sathanam colaphizantem, hoc est, eundem refrœnantem, castigantem adversis, uti Jobum idem castigaverat. Hos verò stimulos colaphósque Sathanæ, hoc est, frequentes & quotidianos adversitatum aculeos ipsemet S. Paulus 2. Cor. XI. 23--30. apertè satis describit, nullum inter eos locum veneris stimulis & ustionibus relinquens. His enim alibi 1. Cor. VII. 9. non gratiam tolerandi (nam ne

nec tolerari quidem decet.) sed conjugium opponit, ajens: *Præstat nubere, quàm uri.* Suomet ergo ille consilio usus matrimonium ustionibus, seu stimulis venereis opposuisset, non ustiones durabiles, peccaminosas passus esset.

ARG. IV. Periculum ingens voti manifestè arguit experientia. Quibus enim malis ac flagitiis occasionem dederint ejusmodi vota, cùm querelæ horrendæ adversariorum, Gersonis, Alvari Pelagii, Nicolai de Clemangis, Petri de Aliaco, aliorum, quorum querulas voces Wolphius in *Lectionibus Memorabilibus* collegit, patefaciunt, tum dies Domini pleniùs olim manifestabit.

EXCIP. REDING: 1. *Dies Domini Pseudo-Reformationis tuæ abominationes tandem revelabit.* 2. *Quæ de flagitiorum ex votis occasione deblateras, tam nihil voto continentiæ officiunt, quàm nihil Sacramento Eucharistiæ malorum & hæresium occasiones efficiunt. Ipsum etiam crucis mysterium Judæis scandali, gentilibus stultitiæ occasio fuit.* Ibid. pag. 421. Resp. 1. Nullam Reformatio, hoc est, Reformata doctrina abominationi ulli occasionem præbet. Præbet præbuítque impia & Antichristiana doctrina vestra, nominatim de votorum continentiæ absolutorum religione, quam Reformatio nostra feliciter, laus Deo, prostravit. Si quas igitur maleferiatorum abominationes dies Domini deteget, nihil hoc ad religionis nostræ puræ sanctæq; doctrinam. Non desunt etenim Christum labiis nominantes, Antichristianis moribus præditi. Vestra autem doctrina ejusmodi est, ut abominationibus infinitis decumanam portam aperuerit, aperiátq; adhuc. quod et dies anteactit, estibus è vestro sinu innumeris, à nobis alibi productis, probarunt, & supremus maximè probabit. 2. Temeraria & impia vota vestra cum Eucharistiæ Sacramento & crucis Christi mysterio pessimè comparas. Neque Eucharistiæ Sacramentum, neque crux Christi occasionem, hæresibus, scandalis, stultitiæ præbent. Impius est, qui ita loquitur, vel sentit. At vota continentiæ absoluta & lex Cœlibatus, humana tyrannidis Pontificiæ fulcra, impuritatibus verè occasionem præbent, quia dono continentiæ destitutis remedium impuritatis à natura, à Deo concessum sacrilegè eripiunt. Si pestilentiæ grassantis tempore adversus eandem panacea præsens & parabilis esset, annon qui eam surriperet, mortis causa esset? Ita qui grassanti libidinis & ustionis pestilentiæ panaceam, à natura & gratia ordinatam, subtrahit, interitus ejusdem causa est. Hoc, qui voto vel lege matrimonii usum tollunt, faciunt, adeóque S. Paulo disertè monenti 1. Cor. VII. 2. *Propter fornicationem* (id est, si quis non contineat, vel continere non possit, v. 9.) *quisque propriam uxorem, & quæque proprium virum habeat*; in os reclamant. Qui cœlibatum vel voto, vel lege suscipiunt, vel pii animo & mortificati: vel hypocritæ, profani sunt. Utrique certissimo periculo sese objiciunt. Priores, quia, utut in præsentiarum dono continentiæ præditi sint, certi tamen de eodem perseveraturo non sunt. Qui enim nunc per Dei gratiam continere potest, ille mox, Deo gratiam illam singularem utpote ad salutem non necessariam, nec cuiquam debitam subtrahente, in tentationes incidunt, & iisdem, voto nuncupato, vel lege suscepta Deum tentantes, succumbunt. Posteriores, quos nullum pietatis frœnum cohibet, lege & voto constrictos, quò minùs nubant potiùs, quàm urantur & fornicentur, in omne genus impuritatum vagarúmque libidinum suapte indole, & inevitabili illa peccati tyrannide, proclives præcipitésque ferri, & porcorum instar in cœno

suo

ſuo volutari neceſſum eſt. Fruſtra hic ad preces & afflictationem, ceu præſens remedium conclamatis. Etenim illæ vel matrimonio, vel ſcortationi opponuntur. Si matrimonio, jam illud malum erit, quia nullum niſi mali remedium eſt. Si fornicationi, optima, fateor illa remedia ſunt; ſed iiſdem jungimus ab Apoſtolo indigetatum 1. Cor. VII. 2.9. quibusvis periculum fornicationis reformidantibus oblatum remedium, ceu morbo ei maximè proprium & naturale. Quid quòd, præpoſtero planè ordine, priùs alto mari, præſentiſſimóque periculo abſque velis & remis vos committitis, ac poſt demum remedia circumſpicitis. Quid Deum tentare eſt, ſi hoc non eſt? Atqui priùs orare, jejunare, vires impetrare oportuit. Impetratis illis à conjugio abſtinere tantiſper, non tamen continentiam vovere fas erat, quia duraturarum ejuſmodi virium nulla Divina promiſſio extat.

ARG. V. In ſpecie multis modis vitioſa ſunt Papalia vota. Etenim patiuntur ea nuncupari ab impotenti ætate, quam judicii raró comitatur maturitas. Qua in re & Paulus iis refragatur 1. Tim. V 9. 11. 14. & vetera Concilia, Romanum, Cæſarauguſtanum, Agathenſe. Eſtque id cum manifeſta Dei tentatione conjunctum. Vovere ſolent illi, qui in Patria ſunt poteſtate, & votum illud vel invitis Parentibus ratum habetur, contra legem Dei Num. XXX. 4. vocem Pauli 1. Cor. VII. 37. & veteres Canones. Vovent prava perſuaſione meriti, ſatisfactionis, ipſis etiam ſanctis. Denique per votum cœlibatus in eo ſtatu ſe collocant, in quo eſt mers otium, abundantia, ſaturitas panis, ex quibus radicibus qui fructus oriantur, docet Ezechiel.

Resp. Reding: *1. Bonum eſt portare jugum in adoleſcentia. Ergo etiam vovere. Interim ſufficiens judicii ex gratiæ illuſtratione ſubſiſtens maturitas, Divina vocatio ſe offerens iis, qui religioſè petunt, &c. expenduntur. 2. Nil te juvare textus ex 1. Tim. V. 9. 11. 14. allegatos Cornelius à Lapide in Commentario fusè oſtendit. 3. Neque ulla Dei tentatio ſtatui ei, quem Chriſtus jubens capere eum qui poteſt, comprobavit, ſubeſſe poteſt. Et Conciliorum veterum hac in re ſenten iam Tridentinum renovavit. 4. De lege Num. XXX. 4. ſupra vidimus. In loco vero 1. Cor VII 37. poteſtas firmandæ virginitatis, ceu rei conjugio magis Deo gratæ, aſſeritur. 5. Meritum voti cœlibatus ex Matth. XIX. 11. conſtat, ubi iis, qui ſe propter Regnum Cælorum eunuchizant, præmium, utique Regnum Cælorum decernitur. Unde mercedem virginitatis Cyprianus de hab. virg. appellat. Et Auguſtinus lib. de virg. cap. 17. virginibus Angelicam portionem deputat; refellens ſimul ſententiam veſtram, quòd cælibatus propter ſolam neceſſitatem colatur: Ille verò col: etiam propter æternitatem aſtruit. 6. Convitium tuum de cælibatus otio, abundantia &c. in ipſius Chriſti benedictionem, qua ei, qui uxorem reliquerit, centupli compenſationem in hac vita Matth. XIX. 27 promiſit, redundat.* Ibid pag. 421- 427. Reſp. 1. Siccine votum jugum eſt? At vovere res libera, voluntaria: jugum ferre neceſſaria eſt. Illud ab arbitrio eligentis, hoc à judicio imponentis provenit. Neque quiſquam ſanus ſibi jugum imponit, & qui imponit, non laudem, ſed vituperium & pœnam meretur. Verbo, Propheta *jugi* nomine crucem & adverſa quæque θηλατα, quibus à teneris aſſueſcere multum eſt, indigetat. Ad votum porro nuncupandum maturo judicio opus eſt. Annon verò puellæ & adoleſcentes, priusquam judicare poſſunt, à vobis ut voveant, per fiſtulam dulce canentem perſuadentur, atque

atque interdum coguntur etiam, atque sic tantùm non Molocho immolantur? Frustra cautelas ingeris, gratiam Divinam judicium maturantem, vocationem &c. Hæc enim prætexuntur, non fiunt. Interest vestra, judicii maturitatem non expectari, ut Monasteria dotentur, & Papa Creaturis propriis ne destituatur; denique ut laicis, quorum sic familiis consulitur, obsequentioribus utamini. Sic ergo nefandis aliorum peccatis communicatis, dum votum cœlibatus in juvenili lubrica ætate conscientiis vel imponitis, vel voluntariè oblatum non tantùm recipitis, sed fieri consulitis, fuco omni adhibito suadetis, hortamini, & hoc laqueo innumera animarum millia in barathrum æternæ damnationis præcipitatis. 2. Apostolus certè 1. Tim. V, 9. in Collegium earum fœminarum, quas à curis œconomicis & conjugio liberos honorari jubet, non viduas juvenculas, (quarum tamen quasdam, ceu *χήρας ὄντως χήρας viduas revera viduas* v. 3-7. honorare jubet) sed sexagenarias cooptari jubet; non aliam haud dubiè ob causam, quàm quia sperari potest, illas extra conjugium innocenter vivere posse. Sed & v. 11. juvenes viduas disertè *παραιτοῦ recusari*, hoc est, in Collegium alumnarum non recipi, jubet. Imò v. 14. *βούλομαι volo*, inquit, *juniores* (viduas, *&* quidem sine discrimine) *nubere, liberos parere, domum administrare, nullam occasionem dare adversario convitii causa.* hoc est, ne si multæ sint innuptæ, & illæ in eo sibi placeant, laudentur, & nuptis præferantur, Adversarius (ita Antichristus insignitur) occasionem habeat matrimonio convitium faciendi. Et vos juvenculas, & similes iis adolescentes votis, matrimonium in perpetuum ejurantibus, constringi patimini, quin & constringitis ipsi, procul maximè Apostolico consilio & spiritu. Multa hic ex Cornelio à Lapide sine delectu & judicio consarcinasti, ut alienis plumis inauspicatam avim tuam exornes. Singula retexere nil attinet. Quæ ad rem faciunt, paucis perstringam. Primò nugatur ille, *S. Paulum v. 9. non de viduis privatis & quibuslibet, sed de collegio & quasi monasterio viduarum, quod institutum erat ad Ecclesiam adjuvandam, præsertim in cura, institutione & disciplina aliarum, sive virginum, sive mulierum, loqui. Has verò viduas junioribus præfectas, nisi sexagenarias admitti non debuisse, ut matrum loco censeri possent, & quia ea demum ætate explorata sit illarum charitas & hospitalitas, quam ab iis Apostolus requirat.* Mirum, calidum callidúmque illud *ὄνομα* Bellarmino, aliisque Papatus hyperaspistis in mentem non venisse! Sed forte apud illos assensum nullum impetravit, quia viderunt totum fictitium esse, non verbo Dei, sed propriæ hypothesi superstructum. Non enim quicquam tale vel ex Apostolo, ullóve authore canonico, vel ex antiquitate constat. Neque Baronius *ad A. C.* 34. *ss.* 288. de Diaconissarum munere agens ausus est ejusmodi viduarum monasterium, eique præfectas Seniores Diaconissas obtrudere, nullum scilicet in omni antiquitate præsidium inveniens. Falsam ergo & commentitiam rationem à Lapide reddidit, ut veram supprimeret. Quæ *ad v.* 11. ejusdem à Lapide glossemata ostentas, infra *ad Obj.* 4. discutimus. Quòd denique v. 14. Apostolus viduas juniores *vult nubere*, idem à Lapide de nuda indulgentia interpretatur. Quasi scilicet nuptiæ indulgentia indigerent, à Deo ipso institutæ, laudatæ, benedictæ. Plus sibi vult verbum *βούλομαι volo*, quàm *indulgeo*. Perinde est ac si dixisset: *Cupio, opto, suadeo.* si nempe aptam inveniant conditionem, ut in Domino nubere possint. Veniant sic in manum mariti. Rationem voti & consilii ipsemet perhibet, *ne ansam Adversario convitii causa præbeat.* Crede, Redingi, jugulum vestrum ratio isthæc petit. Si enim non nubant (exceptis forte nonnullis, quibus peculiares ob causas, peculiaria ob dona innuptis esse præstat) contingere poterit, ut matrimonium ob innuptarum numerum malè audiat, atque sic *Ἀντικείμενος Adversarius,*

An-

Antichristus ansam habet matrimonium sugillandi, ei honorem debitum detrahendi, denique illud quibusdam prohibendi. Id quomodo evenerit, in aprico est. 3. Quomodo verò tentatio subesse non potest, si juxta effatum Christi Matth. XIX. 12. non omnes sermonem illum continentiæ capere possint, hoc est, continentiæ donum non habeant omnes: & tamen promiscuè quivis putet se idoneum ad capiendum; neque rarò sibi credant homines, se ipsos nondum accuratè noscentes, & præsenti ac futuro modulo suo se metiri nescii. quales ut plurimum juvenes, adolescentes, & sæpe etiam provectiores sunt? Quis enim iis, quid imposterum vires valituræ sint, revelavit? De Conciliis à me allegatis sic habe. Romanum sub Sylvestro habitum virginem sacratam benedici ante annum ætatis 72. vetat, addita ratione, *quia post eam ætatem nullum est periculum, ne earum pudicitia violetur.* Frustra id Bellarminus ad virgines, *quæ antequam velarentur, viros petierunt, & propterea diuturniore probatione opus habuerunt,* restringit. Concilium enim non de illis, quæ viros petierunt, sed *quæ ad Christi nuptias per votum virginitatis aspirant,* loquitur. Concilia Cæsaraugustanum *can. ult.* & Agathense *can.* 13. virgines ante quadragesimum ætatis annum velari prohibuerunt. Ambrosius *Comment. in* 1. *Tim. V. Paulus,* inquit, *prohibet juniores in hac suscipi professione. Lubricæ enim ætati fides facilè adhiberi non debet.* Item: *Ostendit damnationem tales manere, ne facilè audeant, quod implere difficile est, aut si animus est huic devotioni deditus, apud se interim teneat, quia temerarium dicit esse profiteri, quod adhuc juvenili ætati credi non debet.* Præpositus *in c. cùm haberet de eo, qui duxit in matrim. quam per adult.* scribit, *non esse de facili inducendam pœnitentiam perpetuæ continentiæ, nisi ei, qui jam transierit dies suos,* in *quem non facilè cadet præsumptio fornicationis.* Unde Cassander *Consult. art.* 23. queritur: *Fatendum est, graviter à posteris esse peccatum, qui hanc utilem pro tempore constitutionem cœlibatus multis in laqueum verterunt, dum juvenes nondum sibi cognitos & exploratos temerè ad Ecclesiasticum ministerium admiserunt, & cùm illi castitatis onus sibi impar esse sentirent, impuros potiùs concubitus dissimularunt,* &c. Cum Conciliorum veterum decretis quomodo convenit decreto illi Tridentino, quo *Sess. XXV. cap.* 15. sancitur, *ne professio fiat ante annum decimum sextum expletum?* Qua fronte pronuntiare ausus es, veterum Conciliorum sententiam à Tridentino renovatam esse? 4. De lege Num. XXX. 4. nos quoque supra. Neque 1. Cor. VII. 37. simpliciter potestas firmandæ virginitatis parentibus asseritur, sed, si nulla obstet non elocaturo virginem necessitas, & voluntatis suæ potestatem non elocans habeat. At non elocaturo obstare potest necessitas: & statum virginitatis firmaturo ætatis teneræ conditio necessitatem injungit. 5. De merito voti cœlibatus supra, ubi de *Aureolis,* pluscula diximus. Sanè opinio meriti, ceu fomentum quoddam superbiæ, coinquinat & contaminat, quicquid alioqui in castissimo cœlibatu bonum & laudabile esse posset. Nam & in Christi, qui solus pro nobis meruit, & propter seipsum peccata delevit, honorem injuria est: & gratuitæ justificationi per Christum quàm maximè adversatur: & naturæ cœlibatus, qui speciale Dei donum est, & *gratia,* uti Scholastici loquuntur, *gratis data,* opponitur: & superbiæ nutricula est: & ἀνύπαρκτον. Qui enim cœlebs est, is curat ea, quæ sunt Domini, ut placeat Domino. At placere Domino, nisi in Christo, & fide meriti ejus, nemo potest. Sed mercedem cœlibatui promittit Cyprianus. Debitam, ex merito provenientem? Proba. An, quod ex Augustino urges, solis virginibus Angelica portio convenit? Non ergo omnes ἰσάγγελοι erimus? Neque propter solam necessitatem, sed alias etiam causas, à

nobis æquè ac à S. Augustino (quem frivolè nobis opponis) expressas, cœlibatum apud quosdam conducere profitemur. 6. Putásne denique benedictionem, & centuplam compensationem à Christo promissam ei, qui propter ipsum, seu animo glorificandi ipsum omnia reliquerint, vel vos Monachos, non propter Christum, sed propter mundum, & mandanum Papæ regnum Monasteria subeuntes concernere: vel in otio inerte, & saturitate panis ex alieno sudore & sanguine comparati, quali cœlibes vestri fruuntur, consistere? Næ aberras multùm. Benedictio, qua cœlibes fruimini, similior longè ei benedictioni est, qua in Evangelio notatus stultus ille insignis sibi ipse in corde suo benedixit, dicens: *Anima* mea, *habes multa bona reposita in annos multos: Requiesce, comede bibe, gaude*, Luc. XII. 19. Et ille quidem stultescebat paulò tolerabiliùs, quia frui voluit opibus suis. Vos autem luxuriatis ex agapis fidelium, sudore, sanguine, opibus alienis, superstitionis hamo captis, pascimini, atque sic pasti, saginati saburratíque affatim aureolas in Cœlo somniatis.

Obiectiones Tridentinorum.

OBIECT. I. *Etiam in V.T. votum cœlibatus in usu fuisse arguit exemplum Jephtæ, qui filiam suam perpetua virginitati devovit, Jud. XI. 39.* Resp. 1. Jephtam vovisse non cœlibatum filiæ, sed oblationem in holocaustum, post Interpretes Græcos, Syrum, Jonathanem, Uzielidem, Josephum, Thalmudicos, Patres plerosque Græcos & Latinos, plures etiam Pontificii Theologi censent. Unde Bellarminus, Becanus, Baronius argumentum hoc urgere supersederunt. 2. Si tamen, quod R. David Kimchi, Levi Gerson, Lyranus, alii probabilius censent, filiam suam à mundo abstractam Deo precibus & jejunio consecravit, non tamen inde cœlibatus votum stabiliri poterit, tum quia non exemplis sed legibus standum: tum quia alioquin etiam concludi posset, parentibns fas esse, liberos inscios & invitos perpetuæ virginitati consecrare: tum quia Scriptura exemplum hoc recitat, at non laudat: tum quia certum est, Jephtam incautè egisse, qui non cogitaverit id, quod Levit. XXVII. 3. 4. habetur, si quis suam vel alterius personam sub sua potestate constitutam Deo voverit, eam certa pecuniæ summa redimi posse: tum denique quia, ut de lege nihil dicam, aliud simile exemplum in tota lege Mosaica nuspiam occurrit.

Excip. Reding: *Neque nos argumentum illud, tanquam certo fundamento nixum, urgemus; sed tanquam probabile, nil obstantibus exceptionibus tuis. Jephte enim Divino exornatur testimonio, quòd sit operatus justitiam, Hebr. XI. 32. Eam verò laudem S. Patres etiam ad votum cœlibatus extendunt. Cùmque filia ejus votum probaverit, invita utique consecrata non est.* Ibid. pag. 427. Resp. Nec certum, nec probabile argumentum esse, responsio mea evicit. Si enim filia Jephtæ mactata est, quod post Hebræos & Christianos veteres plerosque Viri doctissimi, atque inter eos Pontificii etiam haud postremi commatis hodie sustinent, & argumentis plurimis Cl. Theolog. Lud. Capellus & Fridericus Spanhemius evincere nituntur, quid quæso factum illud voto cœlibatus vestro præsidii affert?

affert? Cur ad hoc non respondes? Sed esto, incluserit filiam pater, & incluserit non invitam. At votum cœlibatus ubi filiam nuncupasse historia testis est? Potuit enim filia voto Patris consentire sine voto, inprimis absoluto, qualia vos obtruditis. Neque etiam Apostolus Hebr. XI.32. laudans Jephtam ob patratam justitiam, singula ejus facta laudat; æquè ac non ibidem laudans Davidem, tanquam patrantem justitiam, cuncta ejus facinora laudat; certè non homicidium, non adulterium, non populi recensionem. Quinimò Heroum illorum facinora, justitiæ eorum attestantia, ibidem v.33 38. sigillatim enumerans, nullam voti hujus nuncupati mentionem facit. Sed sufficiat nobis confessio Redingii, quòd argumentum illud *certo fundamento* non nitatur. Incerto autem fundamento nullum fidei dogma superstruitur.

OBIECT. II *Christus Matth.XIX. 12. docet, Eunuchos esse qui se castrant propter Regnum Cœlorum. Eunuchos innuit non tales vel natura, vel communi lege, sed peculiari instituto, adeóque voto. Proinde in ea verba commentati Patres, nominatim Cyprianus, Chrysostomus, Augustinus mirifice efferunt virginitatis præmium in cœlis compensandum. In eundem sensum Augustinus illud Esaj. LVI.3. applicavit.* Ita post Bellarminum arguit A.Reding *Diss. XIII.pag.727.728.* Resp.1. Ex hoc loco contrarium infertur. Christus enim Apostolis quiritantibus, intutum esse nubere, si nupta repudiari non possit, respondet v.11. *non omnes sermonem eum capere, sed quibus datum est*, innuens, cœlibatum esse δοϑὲν *datum* quid, adeóq; charisma. 2. Eunuchos se ipsos propter regnum cœlorum castrantes Christus intelligit eos, qui ad conjugium apti, liberè tamen & sponte ab eo abstinent, ac deliberato animi proposito, non voto, quandiu donum continentiæ habent & sentiunt, à conjugio abstinent, non minùs quàm si corpore eunuchi essent. Ita illud εὐνέχισαν ἑαυτὲς interpretatur Apostolus 1. Cor. VII. 37. Firmum verò illud propositum non pugnat cum proposito nubendi, si casus inciderit, quo prius propositum rectè piéque servari non possit, aut si servatum pugnet cum fine cœlibatus, quem Paulus præscripsit. Non debet enim ejusmodi propositum homini esse laqueus, uti Apostolus 1. Cor. VII.39. monuit. Atq; ita sine ullo voto multi S. Martyres, virgines, ipse Paulus se eunuchizârunt. 3. De Clericis verò jure queritur Erasmus: *Multos Clericos hodie ecclesiastici census potiùs quàm pietas castrant.* Et Monachis propter regnum cœlorum se haud castrantibus, expediret esse eunuchis duobus primis modis à Christo citatis, siquidem tertium falsò simulantes, sub ejus prætextu mille scelera operiunt. 4. Patres vel voti omnino non meminerunt, vel per votum impropriè dictum intelligunt ipsum firmum animi in servando cœlibatu propositum, sine abjuratione conjugii in perpetuum, quicunque tandem casus, & quæcunque necessitas inciderit.

EXCIP. REDING: I. *Cœlibatus utique charisma est. Sed Christus ajens, quosdam se ca-*

strasse propter Regnum Cælorum, cælibatus statum ad totum vitæ tempus extendit, adeóque confirmat, quibusdam dari donum toto vitæ tempore durabile, ita ut status ille perpetuum voveri, & per datas sufficientes gratiæ vires servari possit. 2. Hinc adeò S. Patres voti, professionis, consecrationis meminerunt. Et Concilium Carthaginense IV. cap. 11. Sanctimonialem virginem ab Episcopo consecrandam memorat. Ibid. pag. 428. 429. Resp. 1. Est charisma *ἴδιον proprium* quibusdam; non *κοινὸν commune* fidelibus omnibus. Talia autem quæ sunt, voveri non posse, supra firmavimus. Si omnibus volentibus gratia concederetur, jam non proprium, sed commune charisma esset, quia illa communia sunt, quorum gratiam volentibus, & mediis certis utentibus omnibus Deus facit. Sed Christum innuere ais, eorum, qui se castrarunt propter Regnum Cœlorum, cœlibatum ad omne vitæ tempus se extendere. Ubi verò Christus extendit; & quidem ita, ut illa extensio à voti nuncupati religione pendeat? Alia enim castrationis naturalis, alia moralis & voluntariæ ratio est. Illa se ad universum vitæ tempus extendit: hæc ad illud usque, ad quod à voluntate determinatur. Potest autem se voluntas determinare ad tempus illud, quo per gratiam Dei continere potest; non ad illud, quo continere ampliùs non potest. Neque enim tam infirma pronitas est naturæ in affectus suos, ut uno conatu voluntatis *τὰ κύματα* sequentis universæ vitæ sedari possint. Nullus ergo hic absoluto voto; nullus extensioni ad quodvis vitæ tempus locus est. Nec Eunuchizatio illa, quæ nil aliud est, quàm virginitas, non virginitatis votum; includit abjurationem conjugii in perpetuum. Usitata enim apud veteres exceptio & formula, *in quantum humana fragilitas permittit*, conveniens monito Apostoli, ne quis jugulo suo laqueum injiciat, semper locum habere debet, ut si quis propositum habens abstinendi à conjugio, etiam vovere illud velit, possit & debeat hoc modo: *Constitui, seu voveo, me in cælibatu castè victurum, sed hac conditione, exceptione & limitatione, si humana fragilitas hoc non permittat, ut liberum mihi sit, remedio conjugii contra ustionem & fornicationem Divinitus illis, qui continere non possunt, ordinato uti.* Ejusmodi *votum* conditionale cœlibatus (de vocibus enim non litigamus, re salva) seu propositum, quod S. Paulus suis verbis describit 1. Cor. VII. 37. Ὃς ἕστηκεν ἑδραῖος ἐν τῇ καρδίᾳ. *Si quis firmus stat in corde*, non abnuimus. Quanquam ἀκριβῶς & propriè loquendo aliud est propositum cordis, quod quis apud se in corde suo statuit & decrevit: aliud verò votum, quod voluntatis intentionem, rationis deliberationem, cordis promissionem, oris expressionem, promissionis testificationem seu confirmationem Deo factam, interposita obtestatione nominis Divini, & addita explicitè vel implicitè execratione, si non servetur, requiri ajunt. Si quis alius, certè S. Paulus se eunuchizavit propter Regnum Cœlorum. Ille enim conscius sibi Divini doni propter expeditius Evangelii præconium, & ne oneraret Ecclesiam, conjugio abstinuit. An verò illo cœlibatum vovit? Atqui testatur ipse 1. Cor. IX. 2. se potestatem habere circumducendi sororem uxorem. Votum autem, juxta vos, potestatem eam tollit; seu, uti tu loqueris, cœlibatum ad omne vitæ tempus extendit. 2. Quid verò, ubi de verbis Christi, corúmque sensu quæritur, Patres nobis crepas, quorum tamen abs Te objectorum, si ab Epiphanio discesseris, ne unus quidem verborum illorum Christi meminit, nedum illa explicat? Et tamen ne Epiphanius quidem *hæres.* 58. voti ullius meminit; quin & Apostolos omnes se castravisse propter Regnum Cœlorum asserit. quos tamen omnes votum cœlibatus nuncupasse, faciliùs dicitur, quàm probatur. Quid quòd ibidem virgines ab illis, qui Monasticam vitam degunt, distinguit, significans, virgines fuisse, qui se Monasticæ vitæ per vota Monastica non addixerunt, de quibus nihilominus

dici

dici posiit, quòd propter Regnum Cœlorum per virginitatis propositum sese castraverint. Cœtera Patrum dicta, quibus voti, professionis, consecrationis mentio fit, nihil ad explicationem verborum Christi faciunt. Neque Patrum testimonia, quæ non tam numerare, quàm ponderare decuerat, utpote ab humana, non Divina authoritate profecta, pro regula fidei, ac ne morum quidem Ecclesia Christi unquam amplexa est. Semper enim id verissimum est, quod primum: id primum, quod ab initio: initium autem à Christo & Apostolis, non aliunde fuit. Sed de Patrum hoc de argumento sententia alibi fusiùs & dedita opera à nobis actum.

OBIECT. III. *Etiam B. Viriginem Mariam cœlibatum vovisse, liquet ex Luc. I. 35. ubi audiens ex Angelo, se concepturam ac parituram Filium, admirabunda respondet:* Quomodo istud, quia virum non cognosco? *Quibus verbis impedimentum aliquod matrimonii causatur, quod aliud esse, quàm votum cœlibatus non potuit. Verba enim illa,* virum non cognosco, *haud aliud innuere possunt, quàm obstante voto nubere sibi non licere. Obstabat enim illi aliqua lex. At non communis, uti in confesso est. Ergo particularis, adeóque votum.* Resp. 1. Opinioni de voto B. Virginis Mariæ validè repugnat desponsatio facta Josepho Luc. 1. 27. propter quam Josephus vocatur ἀνὴρ Μαρίας *vir Mariæ*, Matth. I. 16. & Maria γύναιξ Ἰωσὴφ *Mulier Josephi*, Matth. I. 20. Luc. II. 5. Quæ desponsari voluit, utique votum cœlibatus non emisit. Quòd enim tricari solent, *datam esse Mariam Josepho in custodiam, non autem in matrimonium desponsatam*, frigidum est. Repugnat enim proprietas verborum μνηστεύεσθαι *desponsari*, συνέρχεσθαι *convenire*, uti propositum erat, ἀνὴρ *vir*, γυνὴ *mulier*. quæ omnia non tutori ac pupillæ, sed sponso & sponsæ, marito & uxori conveniunt Imó diu post desponsationem, quando jam inventa est ἔχουσα ἐν γαστρὶ *impragnata*, Angelus conjugium in tutelam ac patronatum mutavit, copulans Mariam Josepho *non in fœdus solemne conjugij, sed in consortium communis habitaculi*, uti Chrysostomus loquitur. 2. Si B. Virgo votum solenne cœlibatus emisisset, apertè utique & sine circuitione respondisset Angelo, ob emissum votum non integrum sibi esse nubere viro, adeóq; filium gignere. Jmò si vel maximè in corde votum nuncupâsset, edocta per Angelū voluntatem Dei, qua erat erga Deum pietate & reverentia, minimè votum hoc prætendisset. 3. Non igitur B. Virgo verbis illis, *virum non cognosco*, significavit ullam impotentiam moralem, ob votum aliquod interveniens; sed negavit conjugalem cum viro copulam, quasi diceret: *Quomodo id fiet, cùm desponsata equidem sim, at cum viro nondum consuescere soleam. Insuetatum verò virginibus talia promittere, quæ acta consuescentibus promitti solent.* Proinde rei futuræ prorsus insolitæ, & ordinem communem transgredientis modum rationémque sciscitatur.

Excip. Reding: *1. Desponsatio & conjugium non repugnant voto, quando per mutuum consensum carnis integritas servatur. 2. B. Virginem, antequam Angelus Dominicam in-*

carnationem ei annunsiaret, Deo perpetuam virginitatem vovisse, omnino patet ex ejus verbis : Quomodo hoc fiat, quoniam virum non cognosco? *Hæc enim verba non esse dubitantis, sed credentis, liquet ex verbis Elisabethæ :* Beata es, quæ credidisti. *De modo ergo quærit, quo conceptura esset; non quæsitura, nisi impedimentum aliquod Deo notum adfuisset. quod aliud non fuit, quàm votum à Deo emissum. Absque eo quærendi causa nulla fuisset. Cùm enim jam actu desponsata fuerit : opus non fuit dicere :* Virum non cognosco. *Licet enim actu eum non cognoverit, at cognoscere potuit. Ita S Patres, Gregorius Nyssenus, Augustinus, alii.* Ibid. pag. 429. 430. Resp. 1. Quomodo mutuum illum consensum probas? Tantum abest, ut priusquam Angelus B. Virgini apparuit, & conceptionem ac futuram ex ea nativitatem Christi revelavit, consenserint in continentiam, ut potiùs animum habuerint *συνελθεῖν conveniendi.* Matth I. 18 & Josephus compertam in utero habere constituerit *ἀπολῦσαι repudiare,* v. 19. Hiccine mutuus ad continentiam consensus fuit? Finge cum Bellarmino, B. Virginem & vovisse ante desponsationem, & matrimonium inivisse cum Josepho, quia revelationem singularem Divinam habuerit, fore ut Josephus nunquam ab ea debitum conjugale poscat. At Josepho idem revelatum fuisse, eundémque sic in continentiam consensisse, nondum, nisi fallor, fingere ausitis. Nam ut dixi, & animum habuit conveniendi, & repudiare uxorem jam gravidam voluit. Si post mysterium incarnationis utrique revelatum, vovisse illos, atque sic in continentiam consensisse dixeris, nihil ad rem faciet, quia de dono continentiæ post illam mysterii revelationem certi fuerunt. Quò minùs ergo tum conscii sibi perpetui doni voverent, nihil forte obstitit. Attamen vovisse actu & propriè, probari non potest. Sufficere *ἰσχυρότης τῆς καρδίας* firmum & constans animi propositum potuit. Si tamen voverunt, ex peculiari & privata causa voverunt: quæ cùm in reliquis nullum locum habeat, argumentum vovendi nullum suppeditat. Vovit Christus, se passurum sub Pontio Pilato. An propterea cuilibet Christiano, vel quibusdam vovendum, se crucifixum iri? Atqui peculiaris Christo fuit causa, Mediatoris officium. Hoc si communicamus aliis, poterit votum communicari. aliàs minimè. 2. Non ante, sed post revelatum incarnationis mysterium B. Virgo dixit : Πῶς ἔσαι τῦτο; *Quomodo hoc erit, quia virum non cognosco?* Revelavit enim mysterium v. 28—33. Demum v. 34. quæstio illa sequitur. Quærit autem τὸ πῶς, non τὸ ὅτι, modum rei, non rem. Atqui modus rem supponit. Dubitantis an credentis verba sint, nihil refert. Credidit rem. Atque hoc verba Elisabethæ testantur. De modo inquisivit. Sed non quæsitura fuit, inquis, nisi aliquod impedimentum Deo notum adfuisset. Esto. Ergo, infers, impedimentum illud est votum priùs nuncupatum, quia alias quærendi causa nulla fuisset. Imò verò sine ullo voti impedimento, erat quærendi causa gravis, uti ex antecedentibus liquet Nam Angelus illi promiserat Cœlestem illam prolem, (v. 31--34.) *Filium Altissimi, regnaturum super domum Jacobi in æternum,* hoc est, Messiam, quem à Virgine prodituram noverat. Postulat ergo ab Angelo, qua ratione in se id futurum esset, quod non esset futurum opera viri; quasi diceret : Quandoquidem Messiam ex Virgine nasci oportet, atque adeò ego Virum ad id nec cognosco, nec cognoscam; quomodo ergo id fiet? Sic planè Ambrosius locum hunc explicat : *Cùm dixit,* inquiens, *Quomodo fiet istud, non de effectu dubitavit, sed qualitatem ipsius quæsivit effectus.* Post : *Denique* accipe, *inquit, signum tibi. Ecce virgo in utero accipiet & pariet filium. Legerat hoc Maria, ideo credidit futurum. Sed quomodo fieret, ante non legerat Non enim quemadmodum fieret, vel Prophetæ tanto fuerat revelatum, Tanti enim inauditum mysterii non hominis fuit, sed Angeli ore promendum*

dum. Hodie primùm auditur, Spiritus S. superveniet in te. Et auditur & creditur. Neque abludit Salmero vestras, cujus hæc verba sunt: *Alio modo fortasse non minùs probabili dici posset; Mariam virginem S. literarum non minùs peritam & scientem, intellexisse matrem Messiæ futuram virginem: ac propterea quæsisse ab Angelo modum, quo salva virginitate mater fieri posset.* Sic ergo, cùm verba isthæc pronuntiaret Deipara, virum non cognovit, ut ne quidem, ad pariendum scilicet Messiam, cognoscere potuerit. Patres à te obducti tantum fidei merentur, quantum ratione nituntur, vel certè ei non adversantur. Non enim ejusmodi res est, quam aut ipsi viderint, suáque adeò fide pronuntiare potuerint: aut testibus authenticis didicerint: Sed quam aut ipsi probabiliter inquiri putaverint, aut ab aliis, qui primi opinati sint, acceperint. Neque ante Gregorium Nyssenum quisquam de voto explicavit. Ac ne ipse quidem Nyssenus votum nominat, & testatur, explicationem suam apocryphis scripturis, seu *historia incerti authoris* niti. Ratio vero, qua nititur, ea ipsa est, quam supra expendimus. Augustinus *de S. Virg. cap.* 4. vovisse eam ait. Neque tamen votum externum & propriè dictum, cum conjugii abjuratione conjunctum; verùm internum continendi propositum intelligit. De quo quid sentiendum sit, ex supra dictis liquet.

OBIECT. IV. *Paulus I. Timoth. V. 11. docet, vitandas esse adolescentiores viduas, quia cùm luxuriatæ fuerint contra Christum, nubere velint, damnationem habentes, utpote quæ πρώτην πίστιν primam fidem irritam fecerint. Ubi* prima fides *notat eam, qua per nuptias violatur, adeóque continentiam. Non autem notat simplex propositum continentiæ, tum quia tale non habet relationem ad aliud, nec fides dici potest: tum quia propositum sæpe sine ulla culpa mutare licet. Ita locum illum intelligunt etiam S. Patres, Cyprianus, Basilius, Epiphanius, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus &c. Concilium Carthaginense IV. & Toletanum IV.* Aug. Reding. *pag.* 728. 729. Resp. 1. Paulum per *πρώτην πίστιν primam fidem* nequaquam intelligere continentiæ votum, abundè constat, tum quia voti illius altum ubique est in Scriptura silentium: tum quia vocabulum *πίστεως fidei* nuspiam pro voto propriè dicto sumitur: tum quia vota ejusmodi laqueum conscientiæ injiciunt, quod sua doctrina Paulus 1. Cor. VII. 35. effici noluit: tum quia hoc ipso loco à professione viduitatis rejicit juniores v. 14. ac minorem sexaginta annis recipi in collegium vetat v. 9. quod cum Adversariorum praxi pugnat: tum quia junioribus in Collegium illud fortè receptis, & cœlibatum facto professis non interdicit conjugio, neque alia continentiæ remedia præscribit, sed vult eas nubere v. 14. ne occasionem Diabolo præbeant: tum quia regula Apostolica 1. Cor. VII. 9. *Si non continent se nubant,* perpetua est: tum quia non *primam, sed secundam* fidem dixisset, cùm prima in ipso Baptismo Deo data & obstricta sit: tum denique quia viduabus illis minimè tribui potest, quòd sub opinione meriti ac supererogationis viduitatem elegerint, quia alebantur sumptibus ecclesiæ, reliquis labores manuū suarum manducantibus. At majoris meriti non est accipere quàm dare.

2. In-

2. Intelligit igitur Paulus per πρώτην πίστιν *primam fidem*, vel fidem Deo datam in susceptione Baptismi & Christianismi professione, quam tales viduæ per apostasiam à Christiana religione, & per peccata contra conscientiam irritam faciebant: vel fidem datam ecclesiæ de officio diaconissæ in perpetuum faciendo: vel, quod magis placet, eam fidem seu promissionem Christo & ecclesiæ datam, quod velint viduæ esse ad honorem Christi & ecclesiæ cum omni gravitate, honestate & modestia; quam violârunt, dum καταστρηνίων τοῦ Χριστοῦ, *luxuriatæ fuerunt in Christum*, hoc est, cum ignominia Christi leviter, stultè & inordinatè se gesserunt, adeóque damnationem habent. qualis varia esse potest, inprimis verò infamia, quæ ipsis obstat, quò minùs suo tempore, si ita res ferat, inter viduas honoratas sine scrupulo & pudore censeri possint. Quòd si ad ætatem maturam pervenientes denuo fidem dare volunt, inter viduas honorentur. & recipi eas in catalogum honestarum viduarum contingat interposita fide, hæc erit δευτέρα πίστις *secunda fides* relatè ad primam. 3. Quòd verò *nubere volentes judicium incurrere* dicuntur, non ita intelligendum, quasi nuptiæ sint causa judicii, cùm ipse Paulus v. 14. nuptias injungat; sed quia lascivia, quæ occasio est nuptiarum, judicii causa existit. In eo enim Apostolus incommodum ponit, quòd priùs quàm velint nubere, levitatem suam, stultitiam, morositatem & intractabilitatem cum Christi injuria ostendant, & ad solvendum vinculum honestatis & redargutionis Episcoporum ecclesiæ ad nuptias confugiant. 4. Nec Patres, nec Concilia ulla per *primam fidem* intelligunt solenne cœlibatus votum, cum conjugii abjuratione conjunctum. Patres Concilii Carthaginensis IV. *can.* 104. & Toletani IV. *can.* 55. non dirimunt nuptias earum, quæ virginitatem & viduitatem professæ erant, sed aliis pœnis levitatem ab illa promissione discedendi temerè coërcent. Cyprianus lib. 1. epist. 11. de Virginibus *Deo dicatis* ait, si perseverare nolint aut non possint, melius esse *ut nubant quàm ut in ignem suis deliciis cadant.* Epiphanius *hær.* 25. traditionem profert, *peccatum esse post decretam virginitatem ad nuptias reverti, ac proin multi temporis pœnitentiam nubentibus imponendam.* Hoc vocat κρῖμα. Sed addit, *melius esse habere* κρῖμα *quàm* κατάκριμα, *melius esse lapsum à cursu palàm sibi uxorem accipere, quàm occultis jaculis sauciari ab improbitate, quæ ipsi à Diabolo infertur.* Hoc ipsi est κατάκριμα, quando malunt occultè scortari, quàm apertè confundi. Cogitent Sacrificuli & Monachi, annon & ipsi huic κατακρίματι juxta S. Epiphanium se obnoxios reddant?

EXCIP. REDING: 1. *Quam fidem S. Paulus intellexerit, ostendit particula causalis, quia* Nubere volunt, *inquit Apostolus, habentes damnationem, quia primam fidem irritam reddiderunt.*


diderunt. Nequit autem intelligi fides Deo data reddi irrita, damnationisque inde reatus incurri per nuptias, nisi mediante continentiæ voto, per quod nuptiarum abstinentia per fidem Deo datam cohibita est. Fides ergo vel hic saltem notat votum propriè dictum. Unde votum non exsolvens fidei Deo datæ fractæ reus est. 2. *Rationes à te allatæ inanes & falsæ omnes sunt, uti ex supradictis liquet. Laqueúsne est, ad quod Christus, ad quod Apostoli invitarunt? An Apostolus in junioribus viduis improbat, quod probavit in senioribus? Imò junioribus cœlibatum professis eo ipso interdicit conjugio, quòd à professione ea resilientes damnationis reas proclamat. An Apostolus ipse castigans, contundens corpus suum, &c. non alia continentiæ remedia, quàm conjugium præscribit? An jussit, ut voto jam obstrictæ virgines vel viduæ nubant? Prima fides non est absolutè prima, in Baptismo data, uti fatuitas tua explicat, sed illa, quam ante nuptias viduæ illæ dederunt. Proin ipse agnoscis, illam primam fidem intelligi, quæ data sit Ecclesiæ de officio Diaconissæ in perpetuum subeundo, quod statum cœlibatus perpetuum supponit. Illius verò promissionis fides non ex solius gravitatis & honestatis violatione, utpote quæ damnationis reum non fecisset, sed potiùs ex violatione continentiæ irrita reddita fuisset.* 4. *Conciliorum & Patrum verba disertissima falsitatem tuam redarguunt.* Ibid. pag. 431.—435. Resp. 1. Particula causalis causam reddit judicii, non damnationis. *Habentes judicium*, inquit Apostolus, *quia primam fidem irritam reddiderunt*. Non igitur causa illa primam fidem definit, uti imperitè asseris, sed aliunde illa definienda est. Neque illa definiri potest per voluntatem non nubendi, ut causa judicii, seu primæ fidei violatio in voluntate nubendi constituatur. Non enim Apostolus dicit, eas nubere volendo judicium incurrisse, & fidem primam irritam reddidisse, sed ὅταν καταστρηνιάσωσι τ̃ Χριστ̃, *cùm luxuriatæ fuerint in Christo*, vel *in Christum*, nubere eas velle. Antiquior igitur & prior fides illa est, quæ luxuriationi in Christum opponitur. Atqui illa non in continentia à conjugio consistit. Non enim nubere, seu non continere à conjugio est καταστρηνιᾷν τ̃ Χριστ̃, *luxuriari in Christum*, seu in ignominiam Christi. Etenim & nubentes & non nubentes in Christum luxuriari possunt. Nam & magnæ illi Meretrici Babylonicæ, quæ innuptos & innuptas innumeras in sinu suo fovet, τὸ στρῆνος *luxuria*, Apoc. XVIII. 3. 7. 9. tribuitur. Quid quòd πρώτη πίστις *prima fides* appellatur ἀντονομαστικῶς. Id verò quomodo fieri potuit de voto continentiæ, ea videlicet promissione, quæ nunquam invenitur fides appellata, vel ipso Bellarmino confitente? Non rationes meæ, quarum partem ne attingis quidem, inanes & falsæ; sed responsiones tuæ meræ λήψεις ἐν ἀρχῇ sunt, jam à nobis discussæ. Ad continentiam à conjugio Christum, Apostolos invitasse sine discrimine omnes, proba. Reclamant ipsi, distinguentes inter eos qui capere, continere possunt, & qui non possunt. Neque etiam vel in senioribus vel in junioribus viduabus Apostolus votum probat; quamvis in his faciliùs probare potuerit, quàm in illis; sed juniores rejici, seniores sexagenarias cooptari jubet. Ubi Apostolus à professione votiva resilientes damnationis reas proclamat? Volentes nubere non voventibus cœlibatum, sed conjugium ad tempus contrahere nolentibus opponuntur. Quid isthoc ad absolutum votum? Castigare, contundere corpus suum, media sunt non servandi continentiam à conjugio, sed injunctum Divinitus agonem & ministerium sustinendi. Denique Apostolus nec vovere uspiam jussit virgines: nec voto temerario obstrictas à conjugio arcet. Persistant ergo inconcussæ rationes, quibus primam fidem & continentiæ votum δὶς διὰ πασῶν differre demonstravi; solidiores, quàm ut ullam ratione valida lacessere potueris. 3. Primam fidem illam esse, quæ in

ſtetricum inſpectionem virginitatem ſuam probari pertendebant. Hanc ergo inceſtam conjunctionem ut tollat, legitimam & conjugalem permittit. Veſterne ergo, an noſter Cyprianus eſt? De Epiphanio quicquid muſſes, illud tamen diluere non potes, quòd categoricè pronuntiat, *melius eſſe poſt votum nubere, quàm quotidie occultis jaculis ſauciari: melius eſſe habere* κρῖμα *quàm* κατάκριμα. Adeò ad hæc verba, jugulum tuum ferientia, horruiſti, ut non aliud quàm ſolennis tibi audaciæ telum opponere potueris. *Neque hic doctor*, inquis, *quam ex ipſo profers ſententiam ibi complectitur, ut & hinc convitii & falſitatis apertæ venias redarguendus.* En igitur diſerta Epiphanii ſub finem *hæreſ.* 61. verba: Ἔχει μὲν ἁμαρτίαν καὶ κρῖμα ὁ ἀθετήσας Θεοῦ τὴν παρθενίαν, καὶ καταισχύνας τὸν ἀγῶνα. Παραφθείρας γὰρ τὸν ἀγῶνα ὁ ἀθλητὴς, μαστιχθεὶς ἐκβάλλεται τοῦ ἀγῶνος. Καὶ παραφθείρας τις τὴν παρθενίαν ἐκβάλλεται τοῦ τοιούτου δρόμου, καὶ στεφάνου καὶ βραβείου. Ἀλλὰ κρεῖττόν ἐστι κρῖμα καὶ μὴ κατάκριμα. Οἱ γὰρ διὰ τὸ μὴ αἰσχυνθῆναι τοῖς ἀνθρώποις κρυφῇ πορνεύοντες ποιοῦσι πορνείας, ἢ μονότητος, ἢ ἐγκρατείας, οὐ πρὸς ἀνθρώπους ἔχουσι τὴν ὁμολογίαν, ἀλλὰ πρὸς τὸν Θεὸν εἰδότα τὰ κρύφια, καὶ ἐξελέγχοντα πᾶσαν σάρκα ἐν τῇ αὐτοῦ παρουσίᾳ, περὶ ὧν ἕκαστος ἥμαρτε. Κρεῖττον τοίνυν ἔχειν ἁμαρτίαν μίαν, καὶ μὴ πλειοτέρας. Κρεῖττον πεσόντα ἀπὸ δρόμου φανερῶς ἑαυτῷ λαβεῖν γυναῖκα κατὰ νόμον, καὶ ἀπὸ παρθενίας πολλῷ χρόνῳ μετανοήσαντα, εἰσαχθῆναι πάλιν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, ὡς κακῶς ἐργασάμενον, ὡς παραπεσόντα καὶ κλασθέντα, καὶ χρείαν ἔχοντα ἐπιδέσματος, καὶ μὴ καθ' ἑκάστην ἡμέραν βέλεσι κρυφίοις κατατιτρώσκεσθαι, καὶ πονηρίας ὑπὸ διαβόλου αὐτῷ ἐπιφερομένης. *Habet peccatum & judicium, quisquis Dei virginitatem irritam reddidit, & agonem confudit. Qui enim ex athletis certaminis leges violat, cum verberibus à certamine dejicitur. Ita qui virginitatem corruperit, ab eo ipſo curriculo, & corona, præmióque repellitur. Verùm melius utique judicium eſt quàm damnatio. Nam qui, ut ne apud homines in infamiam adducantur, clam ſtuprum perpetrant, ſolitudinis vel continentiæ pactum ineunt, non hominibus, ſed Deo pollicentur, qui novit occulta, & in adventu ſuo univerſam carnem redarguit, in quibus quiſque peccaverit. Quocirca ſatius eſt ſe uno, quàm pluribus peccatis obſtringere. Satius eſt, ubi à curriculo exciderit, palam ſibi uxorem legitimam nuptiis adjungere, ac poſt virginitatem longo intervallo ſuſcepta pænitentia iterum Eccleſiæ conciliari, utpote qui & peccatum admiſerit, & prolapſus fuerit & (*NB*) infractus, & obligatione vulneris opus habeat, ne occultis indies à Diaboli immiſſæ nequitiæ jaculis ſaucietur.* En, Redingi, conſignatiſſima Epiphanii verba, tantum à placitis veſtris diſtantia, quantum Cœlum à terra! Jam ergo & *falſitatem apertam* redargue, ut tua vel inſcitia, vel malignitas magis in propatulo ſit. Quòd ſi huic Epiphanii ſententiæ non aſſurgitis, neque nos aliis ejuſdem placitis ἀγράφοις, & ex incerta traditione arceſſitis, quæ pompoſè jactas, aſſurgimus. Baſilii, Hieronymi, Chryſoſtomi, Auguſtini de eodem argumento ſententiam in Parthenogamicis diſceptavimus.

OBIECT. V. *Quicquid gratum Deo eſt, voveri poteſt. At caſtitatem Deo gratam eſſe, docent tum S. literæ, 1. Cor. VII. 3 39. 40. tum S. Patres, qui caſtitatem vocant honorabilem, ſacrarium Dei fructuoſum, florem eccleſiaſtici germinis &c.* Aug. Reding *pag.* 726. 727. Reſp. 1. Non quicquid Deo gratum eſt, voveri poteſt, ſed quod ita Deo gratum eſt, ut ſimul ſit in poteſtate voventis. At cœlibatus eſt Dei ſingulare donum & χάρισμα, quod proinde voti materia idonea eſſe nequit. 2. Perperam caſtitas matrimonio opponitur, cùm & illi caſtitas

Deo grata, non minùs,quàm virginitati, inesse possit. 3. Patres cœlibatum acri tibia decantantes vel hyperbolicè locuti sunt,vel odio hæreticorum & gentilium eum devoventium ,solitâ etiam optimis quibúsque ἀμετρίᾳ τῆς ἀνθολκῆς,eum nimis laudârunt. Votum certè peremptorium & irrevocabile,cum abjuratione matrimonii conjunctum, nuspiam suaserunt.

EXCIP. REDING : 1. *Reclamas Apostolo, negans virginitati majus inesse bonum, quàm conjugali castitati. 2. Voti idonea materia est, quod non secundum naturæ duntaxat, sed etiam gratiæ vires in hominis potestate est. Tale est continentia.* Ibid. pag. 435. 436 Resp. 1. Si de bono utili quæstio sit, ubi hoc nego? Cedo verba. 2. Continentiam à cupiditatibus illicitis secundum gratiæ vires esse in potestate fidelium , consentio. Continentiam verò à conjugio similiter esse; vel Deum singulis fidelibus vires gratiæ conferre actu, vel conferre decrevisse, ut in cœlibatu continentes vivere possint, Christi & Apostolorum authoritate superiùs exposita fretus pernego. Valeat ergo & sordescat perpetuò fœtidum corollarium tuum, quo Calvino & Ecclesiis nostris vota vestra oppugnantibus *fœtentem spiritum, ea quæ carnis, non quæ spiritus sunt, redolentem* objicis. Non enim conjugium, sed Antichristianus cœlibatus est, cujus *fœtens spiritus*, non minùs quàm Sodomæ & Gomorrhæ, pridem sulphur & ignem ex alto Cœlo prococavit , & provocare non desinit.



QUÆSTIO IX.

An Clericis, in Sacris ordinibus constitutis Ecclesia legem cœlibatus figere possit?

AFfirmat Canon IX. & per Sacros ordines intelligit ordines majores, puta Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum. Nos de ministris Ecclesiæ negamus. Rationes.

ARG. I. Voto non licere profiteri cœlibatum, probavimus. Ergo nec Ecclesia lege cœlibatum imperare potest. Eadem utrobique ratio. Ut enim propterea votum illegitimum est, quia cœlibatum facit necessarium, sic iniqua ob eandem causam lex Ecclesiæ est.

RESP. REDING : *Falso supposito niteris. Præterea nec Ecclesia absolutè legem cœlibatus fert, sed ex hypothesi liberæ electionis, iis, qui ex Divinæ vocationis instinctu liberè experiunt in statum sacri ordinis cooptari, abstinentiam à conjugio præcipit. Sicut autem votum liberum est: ita etiam electio sacri ordinis.* Tomo IV. Tract. XI. ff. 2. pag. 436. 437. Resp. Veram esse ὑπόθεσιν, ex superioribus liquet. Qui porro cum authoritate sponte volentibus inservire Ecclesiæ ob comperta Spiritus S. charismata, prohibet, ne matrimonio jungantur, is profectò legem cœlibatus fert. Quòd si initiandis illam non fert, at initiatis fert absolutè, sine ulla conditione. Annon hoc legem ferre cœlibatus est? de quo pluribus infra.

ARG. II.

ARG. II. Matrimonium ſine diſcrimine omnibus, qui donum continentiæ non habent, adeóque cœlibatus capaces non ſunt, & permittitur & imperatur, & in iis laudatur Matth. XIX. 12. 1. Cor. VII. 2. Hebr. XIII. 4. Atque eadem permiſſione uſi Apoſtoli quidam conjuges habuerunt, & qui non habuerunt, ſibi facultatem competere demonſtrârunt ἀδελφὴν γυναῖκα *ſororem uxorem* circumducendi 1. Cor. IX. 5. Ubi genuinas conjuges, non mulieres iis inſervientes, uti Redingius pertendit p. 718. 719. intelligi, liquet ex eo, tum quòd honeſtas non ferebat ejuſmodi mulieres circumducere, quas etiam in contubernio habere Synodus Nicena vetuit: tum quia περιάγειν *circumducere* dicitur, nòn qui ſecum mulierem habet, ſed qui cum authoritate & poteſtate ducit: tum quia non Apoſtoli poteſtatem habebant circumducendi mulieres non uxores; ſed illa poteſtas tota fuit fœminarum, quæ cùm ſui juris eſſent ſponte illos ſequi vel non ſequi poterant: tum quia ejuſmodi mulieribus Apoſtoli Eccleſiam non onerâſſent: tum quia de genuinis uxoribus interpretantur Clemens Alexandrinus, Tertullianus, aliíque. Clementis Alexandrini locus exſtat *Strom. lib. III. pag.* 448. *edit. Pariſ.* quem ad verbum expreſſit Cl. Vedroſius *Man. pag.* 97. Ei tamen inſultat tanquam *perfido capiti*, & qui crimen falſi in citatione commiſerit, Redingius pag. 718. 719. Accuſat eum, quòd vocem *ſororem* omiſerit, & mulierem in τὸ *conjugem* tranſverterit. Sed verò, Redingi, inſignem hìc vel impudentiæ & audaciæ, vel cæcitatis notam mereris. Clementis verba ita habent: καὶ ὅ γε Παῦλος οὐκ ὀκνεῖ τινι ἐπιστολῇ τὴν αὐτοῦ προσαγορεύειν σύζυγον, ἣν οὐ περιεκόμιζεν διὰ τὸ τῆς ὑπηρεσίας εὐσταλές· λέγει οὖν ἔν τινι ἐπιστολῇ. Οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν &c. *Et Paulus quidem certè non veretur in quadam epiſtola ſuam appellare conjugem, quam non circumferebat, quod non magno ei opus eſſet miniſterio. Dicit itaque in quadam Epiſtola: Non habemus poteſtatem ſororem mulierem circumducendi? &c.* Planè igitur, ſicut Cl. Vedroſius bona fide citavit, συζύγου *conjugis* primò, ac deinde ἀδελφῆς γυναικὸς *ſororis uxoris* Clemens meminit, adeóque *ſororem uxorem* clarè interpretatur σύζυγον *conjugem*. Subjicítque tales circumductas à quibuſdam Apoſtolis, circumductas non ut γαμετὰς *uxores*, ſed ut ἀδελφὰς *ſorores, quæ unâ miniſtraturæ eſſent apud mulieres, quæ domos cuſtodiebant &c.* Senſus ejus perſpicuus eſt, Apoſtolos quoſdam veras conjuges circumduxiſſe, ſed perinde ac ſi eſſent non conjuges, ſed ſorores, quarum operâ etiam in gynæceum abſque mala ſuſpicione doctrinæ Domini ingredi poſſent. Sed & Tertullianus *Exhort. ad Caſtit. cap.* 8. ex hoc loco Apoſtoli concludit: *Licebat & Apoſtolis nubere, & uxores circumducere.* Quòd ſi alibi, nempe *lib. de Monogamia* aliter ſenſit, non id arguit, Cl. Vedroſium *falſi criminis* in allegando priori

loco reum fuisse, uti denuò malignè infert Redingius; sed Tertullianum sententiam mutâsse, & quidem in deterius, utpote qui à Catholicis ad Montanistas degeneravit. Sed nunc ex longiori digressione in viam redeamus.

RESP. REDING: 1. *Annon ii, qui se castrarunt propter Regnum Cælorum, per vires gratiæ sunt cælibatus capaces? 2. Annon etiam Christus circumduxit mulieres, non ut maritus uxores, sed ut doctor discipulas vel famulas. Luc. VIII. 3. Annon alias ineptè diceretur soror uxor, & vox* soror *abundaret? Neque etiam in Græco est articulus* τὴν, *certam mulierem designans. Denique Augustinus, Ambrosius, alii disertè matronam Christianam pro alimento inservientem intelligunt. 3. Omnino Pedrosius Clementis textum mutilavit, omittens, quòd Apostoli conjuges non uxores, sed ut sorores circumduxerint; & in antecedente quidem ponens genuina Cyrilli Alex. verba; sed prætermittens verba immediatè sequentia, ex quibus intelligitur, Apostolos non habuisse usum conjugum eos comitantium. Quomodo enim uterentur iis, quos habebant pro sororibus? Denique Pedrosius vocem mulierum in vocem conjugum transmutavit. 4. Tertullianus distinguit tempora Apostolatum antecedentia, quibus ait, licuisse iis nubere, à connexis cum eodem, quibus ait, circumduxisse conjuges ut famulas.* Ibid. pag. 437--439. Resp. 1. Non omnibus δοθῆν datum esse, collatis scilicet gratiæ viribus, ut capiant, adeóque se eunuchizent etiam propter Regnum Cœlorum, perspicuè Christus ipse contestatus est. Cur ergo toties ei in os contradicis, non crepans nisi eunuchos, & contextum sermonis Christi fœdè dilacerans? 2. Christi exemplum ἀπροσδιόνυσον est. Non enim ille unam mulierem ducebat, vel circumducebat, sed à multis, quas ille curaverat, veluti trophæis quibusdam virtutis ejus θαυματουργικῆς, colebatur. Multitudo autem obstare poterat suspicioni, quam solitudo excitat: & trophæa illa specialem in Christo, quæ in Apostolis non fuit, causam arguit. Cur verò ineptè diceretur *soror uxor?* & non potiùs *soror mulier?* Annon enim uxor esse potest, quæ nullo sensu, hoc est, nec naturali, nec spirituali sit soror? Et an mulieres ab Apostolis circumductæ ministerii, uti fingis, gratia, sine ταυτολογίᾳ *sorores*, hoc est, ejusdem fidei consortes, Christianæ, non gentiles mulieres dici non potuerunt? Tum demum inepta βαττολογία est, cùm consequens est in antecedente necessario. Soror nulla est nisi fœmina, & omnis frater vir est. Itaque absurdè soror mulier, frater vir. At non contra omnis soror eadem uxor: non omnis vir idem frater. Proin ordine & sine ulla ταυτολογίᾳ *soror uxor*, sicut vir frater dici potest: at sine ταυτολογίᾳ *soror mulier*, uti vos exponitis dici non potest. Frigida porro tua de deficiente articulo τὴν crisis est. Nisi forte γυναῖκα vacante articulo uxorem nusquam esse jusseris, ἰδιο͂ τῆς ἐλλάδο͂ νομοθέτης. Sed Paulus his novis legibus se subjici non patitur, multis aliis locis, veluti 1. Cor. V. 1. & VII. 1. 1. Tim. III. 11. uxorem sine articulo dicere solitus. Quin & doctissimis Græcorum, quod facilè probari potest, usitatissimum est, γυναῖκα sine articulo uxorem interdum certam, & frequentiùs etiam incertam designare. Quæ circumstantia in hoc S. Pauli loco manifesta est, quia in eo sermo non erat de conjuge certa, quam jam haberet constitutam, quomodo procliviùs dicere potuit τὴν γυναῖκα; sed quam posset sibi habere, ac proin adhuc incertam. Unde faciliùs sine articulo γυναῖκα dicere potuit. Patres à Te objecti, Tertulliano & Clemente Alexandrino, qui Apostolicis temporibus propinquiores, uxores interpretantur, posteriores nostris ex ipso contextu peti-

tis

tis argumentis non satisfaciunt. Cum bona ergo illorum venia dissentientes nos Redingius sustineat. maximè cùm illi suæ opinionis aut nullas, aut parùm probabiles rationes reddant. Qualis est illa Hieronymi libro primo adversus Jovinianum : *Ubi de comedendo ac bibendo, ac de administratione sumptuum præmittitur, & de mulieribus sororibus infertur, perspicuum est, non uxores debere intelligi, sed eas, ut diximus, quæ de sua substantia ministrabant.* Quæ verò lex, quæ Dialectica sic inferre docuit? Cur non potiùs variarum rerum differentium coacervatas species concipimus : licere & bibere, & comedere, & laborare, & uxores ducere? An quia præmisit Christus Matth. XIX. 29. *Quisquis reliquerit domos, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos* ; ac tum intulit, *& agros*, necesse est agros nullos intelligere, nisi qui nobis fratres, sorores, patres, matres exhibeant? Imò quia non indicavit Paulus, mulieres se intelligere, quæ de suo ministrarent, & contra demum v. 6. de potestate onerandi Ecclesias sui sustentatione agit; ne nos quidem aliter debemus accipere, quàm ut solent similia exempla congeri. 3. Quoad Clementis Alexandrini testimonium, non parum me tui, & oscitantiæ tuæ miseret. Semel Clementem, ter Cyrillum Alexandrinum nominas. Nec ipsum ergo Clementem Alexandrinum inspexisti : & ex tumultuante tantùm cerebro tuo, cuncta disceptas. Cl. Vedrosio maledicebas, quòd in citandis Clementis verbis & vocem *Sororem* omisisset, & vocem *Mulierem* in *conjugem* transvertisset. Ostendi ego verborum Græcorum fide, planè Cl. Vedrosium Clementis verba citasse, uti apud ipsum extant. Nam σύζυγος, ne ignores ampliùs, non mulierem quamvis, sed mulierem *uxorem* significat. At omisit, inquis, verba Tui illius Clementis--Cyrilli sequentia : *Sed hi quidem, ut erat consentaneum Ministerio, quod divelli non poterat, prædicationi scilicet attendentes, non ut uxores, sed ut sorores circumduxerant mulieres, quæ una ministratura essent apud mulieres, quæ domos custodiebant, per quas etiam in gynecæum absque ulla reprehensione & mala suspicione ingredi posset doctrina Domini.* Quid hæc, Redingi, ad causam tuam? Annon potiùs sententiam nostram, quòd Clementi Alexandrino Apostoli illa ἀδελφὴ γυνὴ est *soror uxor*, (quod solum in quæstione est) confirmant? Non enim negat Clemens, aut uxores fuisse Apostolis, aut illos uxoribus usos; sed hoc tantùm affirmat, eas conjunctas ipsis, & peregrinantes cum ipsis fuisse magis in administratione sancta Regni Cœlorum, quàm in privato usu officióque administras. Quæ res Ministros verbi Divini docet, non ut uxores ne ducant, sed ut pias & conservas futuras in Regno Dei ducant. 4. Verba Tertulliani : *Licebat & Apostolis nubere, & uxores circumducere : licebat & de Evangeliis vivere* &c. fœdè detorques, & ad tempora Apostolatum præcedentia restringis, *Apostolis* ait ille licuisse, non *nondum Apostolis*. Nam nondum Apostolis licuisse, cui dubium erat? Iisdem nubere licuit, quibus (NB) *uxores circumducere*, quibus de *Evangeliis vivere*. Atqui Apostolis, non nondum Apostolis licuit sorores mulieres, quas *uxores* Tertullianus vocat, circumducere, de Evangeliis vivere. Si igitur, quod etiam Fronto Ducæus, Jesuita vester asserit, Tertullianus in libro de Monogamia, planè & magis quàm ille *de castitate* hæretico & contra Ecclesiam scripto, sententiam mutavit, quid hoc ad nos? Certè capitum Tertulliani de castitate argumenta tolerari posse, Pammelius disertè notat, nisi quòd subinde secundas nuptias damnet : at totum de Monogamia argumentum improbavit idem seriò.

ARG. III. Ecclesia Christi non figit legem, quæ à Paulo dæmoniorum doctrinis accensetur. Talis autem omnino est lex de cœlibatu, 1. Tim. IV. 1. 2. 3.

1.2.3. Ubi Paulus notat & insignit spiritum *κωλύοντα γαμεῖν, probibentem nubere.* Et Daniel. XI.37. Spiritus S. Antichristo tribuit, quòd על חמדת נשים *ad concupiscentiam mulierum* non attendat, & hac etiam ratione se super omnia magnificet.

Resp. Reding: 1. *An igitur Spiritus Christi, quo suimet propter Regnum Cælorum castrationem spontaneam ex Divinæ gratiæ capacitate probavit, à Paulo dæmoniacus insignitur? An Spiritus Apostolicus comprobans statum cælibatus Antichristianus est? O blasphemiam Christianis auribus plus quàm horribilem! 2. S. Paulus dæmoniacis doctrinis accenset eam, quæ indefinitè & absolutè prohibet nubere, ob malitiam nuptiis insitam. Nihil hoc ad nos. Non enim absolutè prohibemus nuptias, ceu in se ipsis vitiosas & dæmoniacas; sed eas liberæ omnium optioni permittimus, atque id unum præcavemus, ne qui in corde suo firmus voto vel formali & expresso, vel virtuali & implicito statuit servare cælibatus puritatem, hujus fiat transgressor. 3. Daniel XI. 37. juxta vulgatam lectionem Antichristo tribuitur concupiscentia fæminarum. Cùm qua lectione non pugnant aliæ, quæ Antichristi superbiam eo usque extollunt, ut supra fæminarum concupiscentias emineat ambitionis spiritus; ita ut simulet quidem Antichristus, se fæminarum concupiscentiam abominari, hac tamen spurcissimè abutatur, &, juxta textum Arabicum, secundum voluntatem suam cum mulieribus faciat. Ab hoc spiritu Apostolicus spiritus alienissimus est.* Ibid. pag. 439. 440. Resp. 1. Certè Christi & Apostoli Spiritus vestro similis non est. Ille enim jussit capere, qui capere potest: omnibus donum dari vel offerri, vel volentibus quibusvis conferri negat: eos qui non continent, seu se continere extra matrimonium non posse sentiunt, nubere jubet: laqueum conscientiis injicere religioni ducit: doctrina sua ad castitatem omnes ducit: denique matrimonii puritatem tuetur. Vester omnia alia spirat; inducens ad cœlibatum quosvis, etiam illos, quos capere posse, vel quibus datam esse, ut capiant, certus esse nequit: dona singularia in communia transmutans, & singularia dona precibus subjiciens: eos qui non continent, voti nuncupati prætextu, à matrimonio arcens, & in iisdem scortationem, incestum, Sodomiam matrimonio præferens: junioribus aliisque doni durabilis minimè sibi consciis, suasionibus, consiliis, hortationibus, immodicis, & falsissimis cœlibatus encomiis vota persuadens, atque sic conscientiis eorum horribilem laqueum induens: doctrina isthac sua plusquam infernalem impuritatem in Ecclesiam invehens: denique matrimonium innumeris convitiis proscindens. Non ergo Christi, non S. Pauli Spiritus dæmoniacus, sed Divinus, sed sanctissimus fuit: Vester eidem è diametro oppositus. 2. Ostende nobis in S. Pauli verbis voces illas tuas *absolutè, indefinitè.* Tuæ illæ sunt, adeoque adulterinæ, peregrinæ: non germanæ Apostoli. Ille enim notat doctrinas dæmoniorum, grassaturas *ἐν ὑστέροις καιροῖς temporibus posterioribus* (qualia illa fuerunt, quibus Papatus in Ecclesiam inductus, & lex impura cœlibatus sancita est) eásque tribuit *τοῖς ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγοις in hypocrisi mendacium loquentibus* (annon vos cœlibatum supra modum extollentes, initiatis eum præcipientes, prætextu utimini tum sanctitatis intrinsecæ cœlibatus, tum potestatis Ecclesiæ vestræ, quam illa ad ferendam legem Christianæ libertati & verbo Dei adversantem nullam habet; adeóque in hypocrisi mendacium loquimini.) nec non *τοῖς κεκαυτηριασμένοις τὴν ἰδίαν συνείδησιν propriam conscientiam cauterio adustam habentibus* (nil dicam de impuritate passiva, quam lex cœlibatus post se trahens velut cauterio conscientias cœlibum plerorumque, & cœlibatum jubentium amburit:

burit: dicam de prætextibus, exceptionibus Legi Divinæ, & verbis Spiritus S. oppositis, quibus velut cauteriis conscientiam vestram obstupefaciris, qualis tua illa de verbis Apostoli est, uti jam videbimus) τοῖς κωλύουσι γαμεῖν illis *qui prohibent nubere*, nullo planè discrimine, sive absolutè, sive secundum quid: sive universis, sive quibusdam: sive initiandis, sive initiatis: sive voto obstrictis, sive non obstrictis: sive hanc, sive illam ob causam. Nam & qui absolutè, & qui secundum quid: & qui universis, & qui quibusdam: & qui initiandis, & qui initiatis: & qui voto obstrictis, & qui voto non obstrictis: & qui ob conjugii malitiam insitam, & qui ob aliam causam nubere prohibet, is certè nubere prohibet. A specie enim ad genus affirmativè semper argumentari licet. Neque lex justa in uno, & injusta in omnibus esse potest. Christus enim & Apostoli omnes habere eundem spiritum, eandem puritatem & sanctitatem volunt. Quin & S. Paulus infra v.12. Presbyteros vult esse τύπους τῶν πιστῶν ἐν ἁγνείᾳ *typos fidelium in spiritu, in castitate.* Qui igitur illorum spiritus, quæ eorum castitas, eadem fidelium omnium esse debet. Quod prohibetur paucis, id toleratur quidem, sed reprehenditur in omnibus, & esse res inhonesta ac indecora ostenditur. Præterea eadem ratio est prohibentium nubere, quæ est jubentium ἀπέχεσθαι τῶν βρωμάτων *abstinere cibis.* An verò sic notati illi sunt, & non alii sunt, quàm qui *absolutè, indefinitè,* adeóque simpliciter jubent abstinere cibis, ita ut nefas sit cibis vesci? Apage stupidissimam glossam! Nemo talis repertus est: nemo reperietur unquam, atque sic prædictio nullum eventum habens Divina esse desinet. Quid quòd Manichæos in Prophetia taxari pertenditis. An verò illi *absolutè, indefinitè* prohibebant nubere? Atqui illi matrimonium suis *Selectis* (quales vos *Clericos* vocatis) prohibuerunt: at tolerarunt in *Auditoribus*, Augustino teste. Sed illi, sic Bellarminus *de Cleric. lib. I. cap* 20. in Auditoribus suis nuptias tolerabant, ut rem malam: nos autem etiam laudamus, ut bonam. Scilicet tantò estis iniquiores, quòd rem judicio vestro laudandam, adeóque bonam quibusdam prohibetis. Et Manichæi Ecclesiasticis nuptias prohibuerunt: & Pontificii prohibent; sed illi, si fas est credere, graviùs, ut rem malam, damnabilem: hi non item. Res una est, sed gradus differens. Quanquam falsum est, matrimonium à vobis non damnari. Nam eos, qui sunt in carne, damnatis utique, nisi doctrinam Apostoli negare velitis. Conjugati autem sunt in carne, si credimus Siricio Papæ ad Himericum scribenti *cap.* 7. Ergo conjugatos damnatis. Eosdem ergo, uti decet ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων, *in hypocrisi mendaciloquos,* & laudatis & damnatis: ex eodem ore calidum & frigidum, dulce & amarum funditis. Tum legitimas nuptias, & amorem conjugis dicitis esse contrarias puritati Sacerdotis, & quod verè dæmoniacum est, magis contrarias quàm scortationem, incestum, Sodomiam. Aut, si non sunt contrariæ puritati Sacerdotis, quare prohibetis? Quod enim jus habetis prohibendi illud, quod malum & inhonestum non est? Sed de hoc quicquid sit, vel inde tamen cauteriata conscientia vestra cognoscitur, quòd ad verba Apostoli, *prohibentium nubere,* additis, *absolutè, indefinitè* (quomodo nemo unquam prohibuit, nemo prohibebit) & *ut rem malam* Mittite ascititias appendices vestras, & vestris vos nudos coloribus etiam simplicissimi quique dignoscent. Nil ergo te juvat dicere: *Nos nemini absolutè prohibemus nuptias, sed liberæ omnium optioni eas permittimus: tantùm cavemus, ne qui voto cælibatus obstrictus est, transgressor fiat.* Imò prohibetis, quia authores estis Legis prohibentis; sicut Deus prohibere dicitur, quando Lex ab ipso est: & prohibetis absolutè initiatis omnibus, quibus licentiam nubendi Ecclesia vestra simpliciter negat. An

hoc non eſt prohibere nuptias? An liberæ optioni omnium nuptias permittere? Credant Bœotica pecora, non ratione præditi homines. Nil obſtat voti prætextus, quia Sacerdotes initiandos vel initiatos cœlibatum vovere, falſiſſimum eſt. Et ſi vovent, tenentur vovere nolentes volentes, vel ſacerdotio abſtinere. Quale hoc votum? Periculum, ſi libet, facite, & initiatis optionem date nubendi, vel non nubendi. Res mox ad liquidum perducetur. Sed forte non prohibetis nubere, quia neminem ad ordines ſuſcipiendos cogitis; ſi quis tamen ſuſcipere ultro voluerit, hunc cœlibem vivere vultis, jubetis. Perinde illud eſt, ac ſi dicant latrones, neminem ſe vi ſpoliare, quia neminem cogant peregrinari; ſed eum demum, qui ſponte peregrinatur, invadunt. Imò verò cogitis eos in cœlibatu vivere, qui ordinari & Eccleſiæ inſervire volunt: quomodo latrones verè ſpoliant eos, qui ſponte ſe itineri committunt. Quanquam quid fit iis, qui inviti fiunt Presbyteri, & ſeducti illecebris ſubdolorum verborum, continentiam decepti, imprudentes, & non raro pœnitudine ducti (qui nil ab invitis diſtant) Eccleſiæ promiſerunt? Hoſcine ad continentiam coactos inficiabere? An etiam illos, quos Hildebrandus uxores poſt ordinationem retentas, abjicere in Germania, Anglia, Gallia juſſit? 3. Locum Danielis XI. 37. nequicquam pervertere ſtudes. Ibi de Antichriſto prædicitur: *Non habebit rationem Deorum Patrum ſuorum,* ועל חמדת הנשים לא יבין *& non habebit rationem deſiderii mulierum.* Sic ad literam verba ſonant. Perperam enim & contrario ſenſu Vulgatus, illa לא יבין ἀπὸ κοινοῦ non repetens, habet: *& erit in concupiſcentiis fœminarum.* Licet enim ab his Antichriſtiani non abhorreant: tamen de caſto conjugali amore ſpreto Daniel loquitur. Nam חמדת נשים *deſiderium mulierum* eſt legitimus fœminarum, hoc eſt, uxorum amor. Ita Deus Ezech. XXIV. 15. uxorem Ezechielis vocat מחמד עיניך *deſiderium oculorum ejus.* Et David 2. Sam. I. 26. ſuum erga Jonathanem amorem cum אהבת נשים *dilectione uxorum* comparat. Rectè igitur Græci Interpretes convertunt: Ἐπὶ τὴν ἐπιθυμίαν γυναικῶν &c. ὀ συνήσει. *Ad concupiſcentiam uxorum &c. non attendet.* Neque aliter is, quem ignarus crepas, Arabs: עלי שהו אלנסא ועלי כל אלה לא יקהם *Ad deſiderium fœminarum, & ullum Deum non attendet.* Syrus pariter: על רגת נשא ועל כל אלה לא יתחשב *Deſiderium mulierum, & omnem Deum nihili æſtimabit.* Veriſſimè tamen ſcribis, *ſimulare quidem Antichriſtum, ſe fœminarum concupiſcentiam abominari, hac tamen ſpurciſſimè abuti.* Quanquam id Daniel disertè non dicit; perbellè tamen iis quadrat, qui à matrimonio abhorrentes ſimulant ſe fœminarum nullo deſiderio teneri, at reapſe flagrantiſſimo tenentur, & non uxoribus legitimis, ſed fœdis proſtibulis, meretricibus, adulteris turpiſſimè abutuntur. Notiores ſunt hæc nota inſignes, quàm ut notari eos neceſſe ſit.

ARG. IV. Paulus validè commendans cœlibatum, non ſuſtinuit tamen cuiquam legem cœlibatus figere, ſed diſcretione facta inter eos, qui continent, & qui non continent, iis *ſuadet*, non *præcipit* cœlibatum, his verò diſertè mandat conjugium, 1. Cor. VII. 9. 25. 26. 38. Non eſt autem laxior poteſtas Eccleſiæ, quàm Apoſtoli θεοπνεύστου.

RESP. KEDING: *S. Paulus eum, qui in corde ſuo firmus ſtatuit virginem ſuam ſervare, collaudat, & viduitatis fidem Deo datam adeò inviolabilem aſſeverat, ut qui eam irritam reddit, damnationis reum conſtituat. Cum tali ſtatu Lex cœlibatus conjuncta eſt. Non aliud Eccleſia noſtra in more habet.* Ibid. pag. 440. Reſp. S. Paulus nec promiſit ut

quemvis

quemvis virginem suam servare adeóque non elocare constituentem laudat, sed eum demum, qui *necessitatem non habet, & voluntatis suæ potestatem habet:* nec fidem primam votum continentiæ intelligit, uti in loco probavimus. Fac tamen, utrobique votum insinuari. Sicut votum soli Deo nuncupatur, ita is solus voventem lege ad exsolvendum votum obstringere potest. Nihil ergo huc Ecclesiastica lex cœlibatus facit. Neque enim S. Paulus vel promiscuè votum commendavit, sed potiùs non continentibus conjugium præcepit: nec cuiquam Mortalium cœlibatum lege data mandavit. At vos & promiscuè vota commendatis; & conjugium traducitis: & cœlibatum quibusvis suadetis: & eandem initiatis, qui fatentibus ipsis Pontificiorum doctissimis, nullum unquam votum ore emiserunt, severissimè præcipitis. Non ergo idem Spiritus S. Paulum rexit, qui Ecclesiam vestram agitat.

ARG. V. Potestas conjugii omnibus facta est tum jure Divino Genes. I. 28. nominatim etiam Episcopis Tit. I. 6. tum jure naturæ, uti patet ex insito omnibus appetitu habendi adjutorium se dignum, videndi liberos, semen sanctum, & progenitoribus gratias referens. Iniqua autem est lex, quæ potestatem tam solenniter factam infringit: nec valet ulla obligatio contra jus naturæ,

RESP. REDING: *Jus naturæ respectu conjugii permissivum, non præceptivum est. Quod verò natura permittit, illud propter melius bonum consequendum omitti potest, uti ipse S. Paulus docuit.* Ibid. pag. 440-441. Resp. Cùm naturæ Lex ipsius Dei Lex sit; atque illa conjugium si non præcipit, at permittat omnibus & singulis hominibus, conficitur inde, Deum ipsum conjugium omnibus & singulis hominibus permittere. Qui igitur quibusdam illud non permittit, sed prohibet, ille supra naturam & Deum ipsum se effert. Cujus Antichristiani fastus Siricii, Hildebrandi, Tridentini vestri rei sunt. Aliud longè est id, quod natura permittit, propter majus bonum omittere (quod licet, imò, Apostolo docente, expedit omnibus dono & vocatione, cujus mensura conscientia est, instructis) aliud ex præcepto humano Divinæ & naturali permissioni adversante, nulla doni & vocationis ratione habita, omittere, & omissionem lege sancire. Illud Christianum, Apostolicum: hoc Antichristianum, apostaticum est.

ARG. VI. Lex Ecclesiastica prohibens conjugium causa est ingentium malorum, mundum impuritatibus, Ecclesiam scandalis replens. Testes habemus hujus rei gravissimos, ipsos Romanos Pontifices; Pium II. teste tum Platina in ejus vita, tum Sabellico, *Enneade* 10. *lib. VI. p.* 502. Paulum II. teste Stanislao Orichovio apud Balæum; Salvianum, Paphnutium, Huldericum Augustanum, Gratianum, Bernhardum, Polydorum Vergilium, Agrippam, Cassandrum, qui queritur, *vix centesimum inveniri Sacerdotem, qui omni abstineat commercio fœminarum*; Quinqueecclesiensem Episcopum, qui fassus est, *sacrificulos libidinibus & vitæ sordibus contaminatos in summa impietate consenescere.* Quin ipsos Episcopos & officiales sacerdotibus concubinas pretio conductas permittere, Campegius olim fassus est, & latè Espen-

 sæus,

ſæus quiritatur. Et durante Concilio Maximilianus II. Pio IV. inter varia argumenta cœlibatum diſſuadentia, objecit, *vix inter multos unum reperiri, qui caſtum cœlibatum præſtet.* Orator Bavaricus oratione in ipſo etiam Concilio Anno 1561. habita, dixit, *Clerum gula libidinibúſque indulgere, & in contemptum Dei hominúmque omni genere vitiorum ſe cooperire, ob libidinem liberam & notoriam infamem haberi.* Sigiſmundus etiam ſub Baſileenſis Concilii tempus faſſus eſt, ex Calixti decreto multa in Eccleſiam mala exundâſſe. Fruſtra verò heic quærit Redingius, *An ob plurium transgreſſionem lex abroganda ſit?* pag. 709. Quidnî enim lex tyrannica, quæ injungit id, quod in hominum poteſtate non eſt, & ex qua venenati fructus apud eos, qui chariſmate deſtituuntur, neceſſariò pullulant, abrogari debeat? Alia ratio legum Divinarum, politicarum, eccleſiaſticarum, quæ tyrannidem ejuſmodi conjunctam non habent.

RESP. REDING: *1. Pauli II. vox unius Orichovii pari cum Pſeudoreformatione Spiritu fœtentis teſtimonio probatur. Reliqui teſtes tui plerique in librorum prohibitorum indicem relati ſunt. Eſpenſæi quoque mendax atteſtatio eſt, cùm diſciplinæ Eccleſiaſticæ leges probent, adverſus tantam nequitiam omni tempore magno Zelo laboratum eſſe. Rationes prægnantes ſunt, à Pallavicino memoratæ, ob quas Papa & Concilium Principibus Cleri impuritatem prætendentibus, gratificari non potuerunt. Hæc enim impuritas vitæ Clerum ad hæreſes impulit, unde ſatius fuit antiquam diſciplinam reſtituere, accedentibus præſertim utilitatibus ex Cleri cœlibatu, & contrariis ex Sacerdotum matrimonio incommodis. Quòd verò hæc ad cœlibatum obligatio materiam præbet ad multoties peccandum, cunctis prohibitionibus Divinis & humanis commune eſt. 3. Illi ipſi Imperatores & Principes, quos pro abroganda cœlibatus lege contendiſſe ais, ſe Concilii judicio ſubmiſerunt, & definitioni ejus acquieverunt, in eo ſecuti exempla Imperatorum vetuſtiorum, Juſtini, Honorii, Theodoſii, qui Cœlibatum Sacerdotum approbarunt. 4. Tyrannicam Legem quomodo appellas, quæ id injungit, quod ſecundum vires gratiæ in poteſtate hominis eſt? Ita omnes de fide, ſpe, charitate, juſtificatione, pœnitentia Leges tyrannicæ, adeóque abrogandæ eſſent. Si Divinam opem implorare, quàm nequitiæ & ſocordiæ indulgere Sacerdotes maluiſſent, carnis licet ſtimulis agitati cum Paulo audire meruiſſent: Sufficit tibi gratia mea.* Ibid. pag. 441. 442. 443. Reſp. 1. Pii II. teſtimonium cur omittis? An Platinæ æquè ac Orichovii ſpiritus naribus tuis fœtet? Cœterùm Orichovius qui fuerit, ignoras. Ruthenus ille fuit, adeò Papæ addictus, ut de Majeſtate ſedis Apoſtolicæ librum ad Jacobum Uchonicium Cujaviæ Epiſcopum ſcripſerit. Cur ergo è ſinu veſtro ſurgens teſtis adeò tibi fœtet? In promptu cauſa eſt. Corruptum habes & nauſeantem adverſus omnem veritatem ſtomachum. Eadem reliquorum teſtium veſtrorum, adeóque domeſticorum, abs te faſtiditorum ratio eſt. Sic ſolent homines malarum cauſarum patroni. Certè teſtes illi univerſi (plures alios addere poſſem; & omnium inſtar foret Damiani Cardinalis veſtri Gomorrhæus, quo, teſte Baronio *ad A.* 1049. quadripartita carnis vitia, quibus Eccleſia tum obruebatur, deſcripſit; niſi Leonis IX. fraude periiſſet) & Pontificii fuerunt & longè te digniores fide. Nullius enim in teſtimoniis illis dicendis fraudis à quoquam convicti ſunt. Tu innumerorum vel à me convictus es. Sed omni tempore, adverſus impuritatem

illam

illam magno Zelo laboratum esse, ex Ecclesiasticis legibus probare, atque sic Espensæum vestrum falsi testimonii convincere conaris. Si leges ipsæ testes essent puritatis eorum, quibus illæ datæ sunt, idonea probatio foret. Sed nil probant leges, sine earum ἀγωγῇ & severa executione, similes campanis sine pistillo. Illi ipsi, quorum erat leges exercere, Pontifices, inter alios decem numero illi, continuo ferè ordine inde à Pio II. usque ad Pium IV. intra unius Seculi decursum sibi succedentes, (quorum infamiæ libidinum historiam alibi pertexuimus) Episcopi plerique, testibus vestris, quos & plurimos & irrefragabiles alibi produximus, impuritati carnis sese maciparunt. Teste Clemangi *de corr. Eccl. statu cap.* 15. Rectores Parochiarum plerisque in diœcesibus ex certo & conducto cum suis Prælatis pretio concubinas alebant. Quid ergo ab illis expectasset mundus? Sed audi severitatem legum vestrarum. Quorsum illud Glossatoris ad Canonem. *Qui admisit, C.* 15 *q.* 6. *Minùs punitur aliquis propter fornicationem, quàm propter aliud crimen, quia pauci sine illo crimine inveniuntur?* Hinc canonum relaxatio. Nam *D.* 81. *ad Can. Presbyter*, profiteri non pudet: *Fornicationis causa hodie nemo est deponendus.* Et *D.* 34. *Can. Fraternitatis tuæ*, ubi agitur de promovendo eo, qui nec castitatem servaret in priori conjugio, & uxore defuncta liberos ex ancilla susceperat: *Nam*, dicitur, *quamvis multa sint, quæ in hujusmodi casibus observari canonicæ jubeat solemnitatis authoritas: tamen, quia defectus nostri temporis, quibus non solùm merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt, districtionis illius non patitur manere censuram.* Escobarii de Bulla Papæ contra Clericos Sodomitas, satis laxa equidem, laxius adhuc judicium supra vidimus. Proh Dei & hominum fidem! Eò vos redactos videtis, ut necesse sit sanctam illam primævæ Ecclesiæ sententiam antiquare: & promiscuum cœlibatum esse jubetis. Et quod majus est, cœlibatus legem fatemini esse humanam, ecclesiasticam; at Sacerdotis puritatem lege Divina, quæ jubeat Sacerdotem esse ἀνέγκλητον, ἀνεπίληπτον, sancitam. Et mavultis tamen non ἀνεπίληπτον habere, quàm non cœlibem. Aperta hæc impietas est. Fornicatorem Lex deponi jussit. Vos pœnam relaxatis. Satin' sobriè? Nam si, ut cohibeantur crimina, pœnæ infliguntur, quis non videt, pœnis sublatis crimina tolerari. 2. Pallavicini pro retinendo cœlibatu rationes frustra hic jactas, ubi de cleri impuritate querela movetur. Neq; id leges Divinæ & humanæ cum Ecclesiastica cœlibatus lege commune habent, quod obligatio ad illas multoties peccandi materiam præbet. Nulla enim lex Divina, vel etiam humana justa sic materiam ad peccandum præbet, ut remedium non peccandi eripiat. At vestra id præstat, quæ cœlibes dono continendi durabili non præditos medio Divinitus ordinato, conjugio legitimo, defraudat. Unde impuritas in tali casu per se & necessariò ex lege illa consequitur, & laqueus hominibus injicitur, quo constricti æternùm illi pereunt, & suæ temeritatis ac lasciviæ, & legis ipsius culpa. Nil tale de ulla lege Divina, vel humana justa dici potest. Ineptissimè etiam Bellarminus *de Cler. lib.* 1. 22. non usum, sed abusum cœlibatus prodigiosas clericorum libidines parere caussatur. Abusus enim supponit sive includit usum abstractè loquendo, hoc est, rem, de qua agitur, applicari ad praxin sive opus aliquod. Si rectè applicatur, bonus & legitimus est usus: secus abusus. Quis autem dixerit, cœlibes cùm fornicantur, cœlibatum suum ad praxin & opus transferre? Cœlibatus quidem est status vitæ extra matrimonium, quæ degitur vel continenter & absque omni Venere; quomodo idem fuerit quod continentia statúsve continentiæ: vel incontinenter, & non sine Venere quamvis illicita; qualis cœlibatus impurus & profanus est, Christiano nomine indignus; nec tam cœlibatus propriè, quàm status fornicationis, peccati mortalis, aut concubinatus, appellari merentur. Sed hæc, sic ex Pallavicino

cino arguis, *vitæ impuritas clerum ad hæreses impulit. Præstabat igitur non cælibatum remittere, sed veterem disciplinam restituere.* Egregiè profectò. Illos, qui Ecclesiam reformarunt, nullius unquam impuritatis reos peragere potuistis, nisi conjugium illorum impuritatis nomine vobis venit, ut olim Manichæis conjugium Selectorum suorum venisset. Si libidinum quàm conscientiæ suæ rationem illi habere maluissent, non illis matrimonium affectandum fuisset. Nam per vos illis scortatoriis, concubinariis & simul clericis esse licuisset. Sed an contra desideria Principum cœlibatus legem adstringendo, veterem disciplinam restituendo, impuritatem Tridentini è medio sustulerunt? Contrarium experientia testatur, & dies Domini manifestum reddet. Cessante igitur cœlibatus fine, quem cleri munditiem obtenditis, imò in contrarium vertente, ipsa quoque lex cessare debuit, juxta verissimam illam Gratiani vestri regulam: *Quando statutum aliquod non ampliùs ædificat, sed destruit, non est rigidè & inclementer defendendum, sed pro ratione ædificationis Ecclesiæ mutandum.* Sed *utilitates ex cleri cælibatu redundantes* confirmari eam suaserunt. Ita Pallavicinus tuus, planè rem acu tangens. Nam Hierarchiæ & Regni Pontificii utilitas, non aliud, legem illam postulavit. *Si connubia permittantur Sacerdotibus* (sic Rodolpus Pius Carpensis Episcopus apud *S. Polanum Hist. C. T. lib V. p.* 417. in Tridentino Concilio arguebat) *id inde secuturum, ut familiam, uxorem ac liberos alentes, ad Principis quisque sui obedientiam respiciens, Pontificis obsequium detrectet: ut liberorum charitas ab officio ad omnem Ecclesiæ fraudem ac præjudicium abducat: ut denique intra breve tempus Sedes Apostolica urbis Romanæ cancellos non ascendat. Ante institutum cælibatum Sedem Romanam nullum ex aliis civitatibus ac regionibus fructum percepisse; per hunc adeptum dominatum omnium Sacerdotiorum, quæ matrimonium exiguo tempore illi eriperet.* Hoc cœlibatus vestri sacrum minimè sacrum arcanum est. Absque eo esset, brevi res Papæ, Cardinalium, Curialium, Principum S. R. I. ad famem Saguntinam spectarent. Sic igitur clerum universum matrimonio ei prohibito à charitate patriæ, Reip. Principum abstrahere, & sibi soli mancipare, quàm Ecclesiam suam impurissimis hominibus non replere Papa, & Papalis in Concilio Tridentino spiritus maluit. Patent fraudes, detecta est larva. 3. An verò Imperatores, Principes Concilii Tridentini definitioni parentes (& quomodo non parerent, quos à rerum sacrarum cura & notitia ceu profanos, imò truncos & stipites illi pridem removerant) suam de passiva illa cleri impuritate querelam retractarunt? Ostende, si potes. Hoc enim hic agitur. Nil huc veterum Imperatorum, Justiniani, (non *Justini*, uti ineptè vocas) Honorii, Theodosii sententiæ à te allegatæ faciunt: neque illæ Imperatoribus & Principibus nuperis, legem refigi postulantibus, adversari poterant, tum quia nondum illi æquè ac hi experiundo didicerant quantis impuritatibus & scandalis lex illa Ecclesiam fœdaverit & obruerit: tum quia ad mysterium legis cœlibatus operans illi non æquè ac hi animum advertерunt: tum quia illi nec legem cœlibatus sanxerunt, nec ab aliis sancitam confirmarunt. Justinianus certè, si Sacerdotibus uxores, quas ante sacros ordines habuerunt, eripuit, in eo statuta Ecclesiastica, quæ nulla tum extabant, secutus non est; imò consuetudinem contrariam vidit. Circa Episcopos quidem usitatis canonibus, traditionique veteris Ecclesiæ majorem addidit rigorem, quem nunquam Ecclesia secuta est; ut qui filios & nepotes etiam ex legitimo conjugio haberent, Episcopi non fierent. Ita circa Presbyteros & Diaconos quantum fieri posset, non usitatum rigorem addere, ut conjugibus non uterentur, laboravit: de consensu scilicet uxorum, si eum impetrare possent. Non enim quicquam præcepit, sed quales Clericos eligi cuperet, exposuit. Et forte eodem

exemplo

exemplo noviſſimi etiam Principes Ferdinandus inprimis & Maximilianus Imperatores Sacerdotes cœlibes optarunt, ſed caſtos illos & ſanctos. Sed optare poterant, ſperare præterita reputantes non poterant. Ideo curæ, ut lex illa abrogaretur, habuerunt. 4. Quod ſecundum vires gratiæ a Deo cuilibet volenti & petenti promiſſas in poteſtate hominis eſt, illud ſancire, tyrannicum non eſt, fateor. At ita promiſſam eſſe cuilibet extra matrimonium viventi continendi gratiam, nec probaſti hactenus, nec probare potes. Si talis Divina promiſſio extaret, Apoſtolus non dixiſſet: *Si non continent, nubant*; ſed orent, jejunent, ſe macerent, flagellent: atque ſic orantibus, jejunantibus, ſe macerantibus, flagellantibus gratia continendi extra matrimonium dabitur. Contra planè Apoſtolus, adæquatum iis, qui non continent, utuntur, tentantur, remedium, nuptias commendans, imò præcipiens. Divino autem præcepto humana derogantia vel præcepta vel vota temeraria, impia, adeòque penitus irrita, & voluntati Dei ſubjicienda ſunt. Alia fidei, ſpei, charitatis &c. ratio eſt; quarum dona ſalvandis omnibus & promiſſa ſunt, & conferuntur actu. De S. Pauli ſtimulo, nil omnino cum uſtionibus veſtris commune habente, ſupra.

ARG. VII. Etſi legem cœlibatus nunquam non ſuperſtitio Eccleſiæ propinavit, tamen diu in Eccleſia veteri non eſt recepta. Permiſere Clericis conjuges Apoſtolici Canones. Synodum Nicenam legem hanc ferre cogitantem graviter dehortatus eſt Paphnutius, Thebarum Epiſcopus, in cujus ſententiam itum à Patribus illius Concilii, & unanimiter improbatus cœlibatus, teſtibus Gelaſio Cyziceno in actis ejus Concilii, Socrate & Sozomeno, cujus Concilij tum canonem, tum hiſtoriam inferiùs vindicabimus. Paulò poſt Gangrenſe Concilium legem de cœlibatu, quam Euſtachius in Armenia, Paphlagonia, Ponto, aliiſque locis firmaverat, inſiſtens veſtigiis Nicenorum Patrum, abrogavit. Demum Siricius & Innocentius in Eccleſia Romana legem illam pertulerunt, quod ingenuè etiam fatetur Petrus de Marca, nuperus Pariſienſis Archiepiſcopus, *de Concord. Sacerd. & Imperij lib. I. cap.* 8. ubi ait, *quod in Concilio Niceno tentatum fuerit, ratione temporum ſuadente Siricium in neceſſitatem vertiſſe, conſuetudini vires leges addidiſſe, pœnis in contemptores inflictis, ſedis ſuæ authoritate.* Secuti Pontifices aliis Eccleſiis citiùs, aliis tardiùs, nec ſine magnorum Virorum contradictione, qualis Huldericus Auguſtanus, & alii, legem cœlibatus obtruſerunt. Græci nunquam ſe paſſi à Romanis eo jugo onerari. Germani demum poſt tempora Hildebrandi, & Pontificiis fulminibus, & temporali gladio Henrici V. parricidæ ſubacti, legem acceperunt. Magna nempe ſævitia & crudelitate ibi introductam eſſe legem, fusè teſtatur Sigonius de Regno Italiæ. Epiſcopi uxorati per convitium *Nicolaitarum* nomine venerunt. Obſervatu tamen digna eſt conſtitutio vetus, quâ *Presbyteris præpoſituræ Thuricenſis* (Tigurinæ) *ſanctorum Felicis & Regulæ uxores ducere fuit permiſſum, undequaque velint, modò eſſent legitimè natæ*, quam Othoni Conſtantienſi Epiſcopo, qui Hildebrandino interdicto graviter reſtitit, ſunt qui acce-

ptam

ptam ferant. In Anglia etiam, postquam diu Romanensibus artificiis hæc acta fabula est, demum sub tempora Dunstani Cantuariensis hæc lex obtinuit, gladio Regis Edgari introducta, teste Baleo in Centuriis. Quin & notorium est, in veteri ecclesia conjugatos fuisse Polycratem, Spiridionem, Carterum, Gregorium Gregorii Nazianzeni Patrem, Gregorium Nyssenum Fratrem Basilii, Synesium, alios, quorum exempla Chamierus *Panstratiæ Tom.* III. *lib.* XVI. *cap.* 13. Molinæus *de Nov. Pap. lib.* VII. *p.* 4. *cap.* 8. proferunt & vindicant.

RESP. REDING: 1. *Siccine fateris, cælibatus legem nunquam non ab Ecclesia latam? Tyrannica ne ergo est, quam semper Ecclesia tulit? 2. An Apostolicos canones contrariari putas doctrinæ vel S. Pauli Tit. I. 8. jubentis,* ut *Episcopus sit continens: vel S. Petri,* Matth. XIX. 27. *dicentis:* Nos reliquimus omnia; *promittente Domino vitam æternam ei, qui reliquerit uxorem? Hoc ergo solum sibi vult Canon Apostolicus quintus, ne Episcopi aut Presbyteri uxorum ante sacri ordinis susceptionem ductarum & post abdicatarum curam penitus abjiciant. Ita Leo IX. Papa Epist. 92. ejúsque Legatus Humbertus Cardinalis Resp. ad libellum Nicetæ dist. 31. cap. 11. interpretatur. 3. De Nicæno Canone infra. Ex Epiphanii hær. 59. discere potes, post Concilium Nicenum Sacerdotes conjugatos non fuisse. Ille enim docens, quòd Ecclesia non recipiat eos, qui se ab uxoribus non continent, ad canones Ecclesiasticos provocat; & eos Diaconos, qui liberos gignunt, contra canones agere queritur. 4. Concilium Gangrense eos damnat, qui Presbyteros ante ordines conjugatos, ab ordinibus rejiciunt. 5. Juxta Marcam, cujus liber prohibitus est, cælibatus consuetudo antiquitus viguit; eique Siricius legis pœnalis necessitatem addidit. 6. Huldrici Augustani epistolam confictam esse, Bellarminus probavit. Græcorum etiam alia, quàm vestra praxis est. Licet enim uxoribus ante sacram ordinationem ductis utantur; post eam tamen ducere nulli licet. 7. Legem illam per injurias temporum in desuetudinem abeuntem, at renovatam per Gregorium VII. Germani acceperunt non tyrannica vi, sed ex studio honestatis primævæ Ecclesiæ usu probato. 8. Exempla conjugatorum Presbyterorum vetera quæ alleganiur, id unum probant, ante susceptos ordines illis conjugii usum fuisse; & ab eo ordinatos abstinuisse. uti Hieronymus Apol. ad Pammach. cap. 8. testis est. Unde in Concilio Carthaginensi V. cap. 3 sancitum est, ut Presbyteri, Episcopi &c. juxta priora statuta etiam à prioribus uxoribus abstineant.* Ibid. pap. 443. 444. Resp. 1. Ego ne sic fateor, an tu mendax, sycophanta es? Legem hanc Ecclesiæ superstitionem propinasse, non Ecclesiam tulisse, dico. Neque enim quæ legem propinavit Ecclesiæ superstitio, Ecclesia est, sed ab Ecclesia deficiens vel homo, vel cœtus superstitioni deditus. Nisi forte non mens, sed calamus tuus Divinitus directus fassus est, eam Ecclesiam, quæ cœlibatus legem propinavit, imo quandoque obtrusit, superstitionis matrem esse. quod utroque pollice probamus. 2. De loco S. Pauli Tit. I. 8. infra. Petrum verò uxorem suam reliquisse, ex verbis ejus Matth. XIX. 27. neutiquam probas. Agitur enim ibi de relinquendis omnibus ad sequendum Christum, prout Christus ipse dicit, ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός μου *causa nominis mei.* Neque proin sequitur ex mente Petri: *Reliquimus omnia ad sequendum te. Ergo etiam uxorem.* Non enim relinquimus ea, quæ nobiscum sequuntur Christum, aut prosequuntur ad Christum, sed ea demum relinquimus, quæ nos abducunt à Christo, aut abductura essent. Hujusmodi autem fuisse Petri uxorem, negamus; sed contra *sororem*, hoc est, fidelem, Christianam, piam *uxorem* fuisse

fuisse, ex Matth. VIII. 14. 1 Cor. IX.5. colligimus. Alioquin impius foret Christianus ille, qui uxorem piam relinqueret, non alios pios. Sic Abram reliquit omnia Genes. XII. 1--4. quamvis uxorem & alia minimè reliquerit. Contingere tamen potest, ut etiam uxor relinquenda sit, si Christum sequi illa dedignetur. Unde sic relinquenti amplissima quæque Christus pollicetur. At Apostolos necesse habuisse sic relinquere, in æternum equidem non probabis. Sed de loco eo etiam supra diximus. Missis ergo ambagibus tuis, canon Apostolicus quintus (de cujus tamen γνησιότητι & authoritate heic non disputamus, cùm latis mihi sit vobis, Canones illos Apostolis vindicantibus eum opposuisse) sic sonat: Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα μὴ ἐκβαλλέτω προφάσει εὐλαβείας· ἐὰν δὲ ἐκβάλλῃ, ἀφοριζέσθω. *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus uxorem suam prætextu religionis ne abjicito. Si abjecerit, segregator à communione: si perseverat, deponitur.* Balsamon, & Zonaras canonem illum explicantes, disertè notant, ante Synodum, quæ fuit habita in Trullo palatii, licuisse Episcopis & Presbyteris habere uxores, καὶ μετὰ τὸ ἐπισκοπικὸν ἀξίωμα *etiam post Episcopalem dignitatem*, uti Balsamon loquitur. Quoniam igitur ante CXVII. Justiniani novellam licuerit, cuilibet qualibet ex causa suæ uxori mittere libellum repudii, ideirco præsentem Canonem licentiæ illi occurrisse, idem Balsamon notat. Valeat ergo, quam ex Leone IX. & Humberto de Sylva candida affers, glossa, quòd canon ille vetet uxorem ἐκβάλλειν *abjicere*, à *cura* scilicet & *provisione*, non à thoro & contubernio. Mera enim ac futilis hæc impostura est. Isto enim sensu nusquam à Græcis scriptoribus vox ἐκβάλλειν usurpatur: sed ubicunque apud eos de mulieribus sermo est, ἐκβάλλειν idem est quod ἀπολύειν *dimittere*, vel διαζύγιον πέμπειν τῇ γυναικὶ *libellum repudii uxori mittere*, uti iidem glossatores, Balsamon & Zonaras hic interpretantur. Hoc sensu Chrysostomus verbo ἐκβάλλειν utitur. velut *in Matth. V.31.* ubi inter alia dicit: νόμος ἦν παλαιὸς τὸν μισοῦντα τὴν γυναῖκα τὴν ἑαυτοῦ ἐξ οἵας δήποτε αἰτίας, μὴ κωλύεσθαι ἐκβάλλειν. *Lex antiqua erat, ne is, qui uxorem odisset quamcunque ob causam, eam abjicere prohiberetur.* Et mox: Ἀλλ' ἐξῆν ἐκβάλλειν τε αὐτὴν, καὶ ἑτέραν λαμβάνειν. *Sed licebat abjicere eam, & aliam accipere.* Alibi sæpissime eodem sensu hoc verbo utitur. passimque etiam sic Origenes. Hinc Josephus Ægyptius in Arabica canonum collectione hæc verba, τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα μὴ ἐκβαλλέτω, vertit: אל יכרך אכוראתה מנזלה *ne uxorem suam domo sua ejiciat.* Mulier enim dimissa sive repudiata simul domo ejecta censetur, juxta Deut. XXIX.1. ושלחה מביתו *& mittet eam è domo sua.* Ideirco etiam Rabbini repudiatam גרושה & מגרושה *ejectam, expulsam*; & repudium גירוש *ejectionem* appellant. Sed & hoc sensu vocem ἐκβάλλειν in canone hoc accipiendam esse, etiam sic Matthæus Monachus Blastar in Syntagmate Alphabetico *Lit.* Γ. *cap* 16. confirmat: Ὁ ε τῶν ἁγίων Ἀποστόλων κανὼν, ἐπίσκοπον ἢ πρεσβύτερον, ἢ διάκονον τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα προφάσει εὐλαβείας ἐκβάλλοντα, ἀφορίζει, μέχρις ἂν αὖθις προσλάβηται, ἐπιμένοντα δὲ καθαιρεῖ. Τοῦτο γὰρ ὁ κύριος ἐν τοῖς εὐαγγελίοις ἐθέσπιζε, μὴ ἐξεῖναί τινι τῷ παλαιῷ προσέχοντι νόμῳ, ὅτι βούλοιτο, τὴν ἰδίαν ἐκβάλλειν γυναῖκα, χωρὶς ἀπειρημένης αἰτίας· ἔοικε γὰρ τὸν γάμον διαβάλλειν, ὡς ἀκάθαρτον ὂν τὸ νομίμως μίγνυσθαι· Τίμιον δὲ ἡ γραφὴ τὸν γάμον ἀπεφήνατο· *Canon S. Apostolorum quintus Episcopum, vel Presbyterum, vel Diaconum, qui uxorem suam prætextu religionis ejicit, tantisper segregat, donec eam ad se receperit: perseverantem verò deponit. Hoc enim etiam Dominus in Evangeliis sancivit, non licere alicui priscæ legi obtemperanti, ut pro lubitu suo uxorem suam ejiciat, absque causa legis interdicto comprehensa. Quippe matrimonium criminari videtur, quasi coitus legitimus quædam*

dam sit impuritas. Honorabiles autem nuptias esse, Scriptura pronuntiat. Denique prohiberi separationem thori, vel inde clarissimè liquet, quia non simpliciter probibitum, ejici uxorem, sed ejici *προφάσει εὐλαβείας prætextu pietatis.* Atqui destituere omni auxilio & cura, quem habere prætextum pietatis potest? Sed distractionem thori manifestum est à multis hoc ipso prætextu inductam. De thoro ergo Canonis Verba intelligenda sunt. Neque obstat Trullana, quam Bellarminus obducit, Synodus: quæ canonem Apostolicum non explicavit, sed potiùs, nova sanctione inducta, sugillavit, imò delevit. quod ex verbis ejus liquidò constat. 3. Nicæni Concilii de Cœlibatu sententiam frustra ex Epiphanio explicare contendis. Nam nec interpres ille Concilii Nicæni fuit, nec ejus ullo apice meminit: nec uspiam, cœlibatui addictus licet, ausus est d cere, conjugatos presbyteros neutiquam tolerari posse. Scribit ille quidem *hæres. 59. adhuc viventem & liberos gignentem unius uxoris maritum non admittere Ecclesiam, ut sit Diaconus, Episcopus, Presbyter; sed eum, qui se ab una continuit, aut in viduitate vixit, μάλιστα ὅπου ἀκριβεῖς κανόνες οἱ ἐκκλησιαστικοὶ, maximè ubi accurati sunt Canones Ecclesiastici.* An sic de Concilii Nicæni Oecumenici omnes Ecclesias, non has vel illas obligantis, canonibus loqui potuit? Et an Nicæni canones, qui conjugia clericorum non improbant, accurati non sunt? Per *ἀκριβεῖς κανόνας* itaque *πολιτείαν* & disciplinam insigniter exquisitam sive curiosam, qualis in plerisque Ecclesiis vix inveniri queat, denotare videtur: & ex hac, ubi obtineat, cœlibes ad ministerium aptos solerter & anxiè conquiri vult, ut conjugatos adsumere vix unquam opus sit. Concedit autem, si necessarii atque idonei ministri desiderentur, & præsto non sint, qui sua sponte cœlibatum velint amplecti, conjugatos adhiberi posse. Legem autem ab Apostolis vel universali aliquo Concilio profectam nullam agnoscit: & cœlibatum non ut necessarium, sed ut *πρεπωδέστερον decentiorum* urget. Hæc autem decentia nulla, nisi donum continentiæ aliæque ad ministerium necessariæ dotes adsint, fuerit. Alias decentius erit presbyterum conjugatum esse, quàm uri, vel concubinam alere, vel pejora etiam committere: decentius etiam, maritum esse eruditum, ad docendum aptum, mansuetum, quàm cœlibem indoctum, ineptum, iracundum. Sed de Epiphanio satis. 4. Longè verò aptius sententiæ Concilii Nicæni testimonium reddit insecutum mox Concilium particulare Gangrense, quod Nicæno posterius Balsamon, Zonaras & Dionysius Exiguus disertè statuunt, & non ita pridem Doctissimus Beveregius *Annot. in Concil. Gangrensis Can. pag.* 183. solidè adversus Binium & Caranzam asseruit. Si enim Nicænum Concilium universale cœlibatus legem sanxit: quis induci possit, ut credat, paulò post Concilii Gangrensis Patres Sacerdotum matrimonia laudasse, & adversus Eustathium Sebastæ in Armenia Episcopum illa sugillantem vindicasse? Sic autem Concilii illius Canon quartus habet: *Εἴ τις διακρίνοιτο παρὰ πρεσβυτέρου γεγαμηκότος, ὡς μὴ χρῆναι, λειτουργήσαντος αὐτοῦ, προσφορᾶς μεταλαβεῖν, ἀνάθεμα ἔστω. Si quis de Presbytero conjugato contendat, non oportere eo sacra celebrante oblationi communicare, sit anathema.* Perperam Redingius, & ante eum alii, secuti Dionysii Exigui versionem ad Romanam temporum ejus consuetudinem accommodatam, *γεγαμηκότα* de eo, qui uxorem habuit, priusquam ordinaretur, non habet ampliùs, interpretatur. Notat enim, uti etiam collectores canonum Gratianus & Burchardus *lib. III cap. 75. dist.* 28. *can.* 25. nec non Isidorus Mercator reddunt, *conjugatum.* Sic etiam Fulgentius Ferrandus in breviatione canonum *tit.* 89. *Ut de oblatione Presbyteri conjugati nullus audeat non communicare.* Illos ergo Concilium anathemare ferit, qui sacra accipere nolunt à Sacerdotibus conjugatis, sive, uti Balsamon interpretatur, *ἱερέων ἐχόντων γυναῖκας Sacerdotibus, qui*

habent

habent uxores; vel, uti Aristenus, reddit, πρεσβυτέρων ὑπογυναίων *Presbyterorum, qui matrimonio juncti sunt*. Hanc porro genuinam canonis mentem esse, vel inde constat, quia Eustathius, contra quem editus est, disertè asseruit, non Presbyteri, qui habuit, sed qui habet uxorem, quam sibi laicus adhuc matrimonio copulavit, benedictionem & communionem vitandam esse. Ejus rei testis est Socrates *Hist. Eccles. lib. II.* 43. ubi sic ille: Ἐν οἴκοις τῶν γεγαμηκότων εὐχὰς ἐκώλυε γίνεσθαι· Καὶ πρεσβυτέρου γυναῖκα ἔχοντος, ἣν νόμῳ λαϊκὸς ὢν ἠγάγετο, τὴν εὐλογίαν καὶ τὴν κοινωνίαν, ὡς μύσος ἐκκλίνειν ἐκέλευε. quæ sic Henricus Valesius interpretatur: *In ædibus conjugatorum precationes fieri vetuit: & Presbyteri conjugem habentis, quam dum esset laicus, legitimo matrimonio sibi copulaverat, benedictionem & communionem instar piaculi declinandam docebat.* Non ergo Eustathius arcuit à communione Presbyterorum, qui conjuges habuerunt, sed γυναῖκας ἐχόντων *conjuges habentium*. Hoc ex Epistola Synodica ulteriùs evincitur, ubi Eustathius in ea opinione fuisse dicitur, quòd nemini τῶν ἐν γάμῳ ὄντων *eorum, qui in matrimonio sunt*, spes sit apud Deum, adeò ut multæ mulieres viros, & viri mulieres reliquerint. Non ergo ii, qui uxores habuerunt, sed qui habent, ab Eustathianis damnati sunt. Quod verò hi asseruerunt, id ipsum Synodus Gangræ habita damnavit. Licet autem γεγαμηκὼς, si vocis origo & nativa vis spectetur, cum significet, *qui uxorem duxit*, præscindendo utrum ductam adhuc habeat nec ne: usus tamen vocis fert, ut conjugatum sive in matrimonio viventem denotet, quomodo veteres Latini *nuptam* dixerunt. Vix aliter apud Scriptores Ecclesiasticos & exoticos invenietur. In Scriptura semel occurrit. 1 Cor. VII. 10. Τοῖς δὲ γεγαμηκόσι παραγγέλλω &c. *Nuptis*, sive *matrimonio junctis præcipio non ego, sed Dominus*, &c. ubi palam est eos notari, qui conjuges tunc temporis habebant. Unde Syrus rectè vertit: לאילין דין דאית להין נשא *Iis verò, quibus sunt uxores.* Neque enim vir ab uxore, vel uxor à viro, quem habuit solùm, & ampliùs non habet, separari potest. Denique etiam Synodus Canone X. τοὺς παρθενεύοντας, *eos qui virginitatem servant*, & γεγαμηκότας *nuptos* quosvis opponit. Quid hic dices, miser novator Redingi? Fuit equidem Gangrensis Synodus particularis, sed authoritatem Oecumenicæ, quandoquidem ab universa tum Orientali tum Occidentali Ecclesia unanimiter approbata, & canones ejus inter Ecclesiasticas regulas semper recepti sunt, adepta est. Quin & Baronius *ad A.* 361. §. 44. à verbis Symmachi Papæ *canones Gangrenses Apostolica authoritate conditos esse*, affirmat; inter cœtera hunc quoque in modum disserens: *Authoritate Romani Pontificis Gangris congregata Synodo, quot hæreses delirus Eustathius statuerat, tot adversus eas statutis canonibus Patres paribus suffragiis damnavere.* Hæresis igitur est, ut de delirio, quod forte condonari possit, taceam, conjugium Presbyterorum improbare, & λειτουργίαν solorum cœlibum admittere, conjugatorum verò repudiare. 5. Marcæ Parisiensis Archiepiscopi libri Romæ prohibiti sint nec ne, ciceum non interduim. Poterit modernus Parisiensis Archiepiscopus, si ita libuerit, æquè tuos *de jure Pontificis supra Reges* seditiosos centones condemnare, atque Pontificii Romæ Marcæ libros τῇ παμβασιλείᾳ Papæ non parum derogantes proscripserunt. De cœtero Marca tentasse in Concilio Nicæno quosdam legem cœlibatus rogare, innuit. At rogasse Synodum, negat. De consuetudine quicquid fiat, & particularis illa fuit, & vim legis non obtinuit, libertatémque adeò nubendi non sustulit. Primus, ne ignores, Siricius Legem illam tulit. cujus *urbici Papa superbam discretionem* Paulinus vester *Epist.* 1. & *simplicitatem* adeóque imperitiam rerum ecclesiasticarum, Hieronymus *Epist.* 16. palam traduxere. Quin Hieronymus idem

dem, qui Damaso Pontifice Romæ in dignitate & authoritate fuerat, mox sub Siricio malevolentiæ cedere, & Roma migrare coactus est, sic *Epist. 99.* ad Asellam & Romam & & Siricium pungit : *Hæc mea Domina Asella, cùm jam navim conscenderem, raptim flens dolénsque scripsi, & gratias ago Deo meo, quòd dignus sim, quem mundus oderit. Ora autem, ut de Babylone* (Roma) *Hierosolymam regrediar, ne mihi dominetur Nabuchodonosor.* Talis cùm esset Siricius, Epistola sub initium Papatus sui ad Himericum Tarraconensem, qui de nonnullis dubiis Damasum consuluerat, sub finem Seculi quarti scripta, & ambitionem suam dominandiq; cupiditatem non obscurè prodidit, & jugum cœlibatus imò abstinentiæ à propriis uxoribus præceptum, Hispanis, quin & cœteris Latinis Presbyteris, diaconisque imposuit; per crassam etiam ignorantiam testimonia scripturæ Levit. XX. 7. Ephes. V. 27. & Rom. VIII. 8. contra conjugii sanctitatem pro ejusdem turpitudine nefariè detorquens. Hic jure meritóque Siricium verbis Hieronymi aliud agentis licet, *Epist. 65.* compellare licet : *Cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod ante nescivimus? cur profers in medium, quod Petrus & Paulus edere noluerunt? Usque in hunc diem sine ista doctrina mundus Christianus fuit.* Imitari etiam liceat illa Paciani *Epist. 3. ad Sympronianum : Siricius,* inquies, *hoc docuit. At vel quando, frater, quibusve temporibus? sub principatu Theodosii, id est, post quadringentos prope annos Dominicæ nativitatis. Ergo a Christi adventu usque ad Theodosii principatum nullus intelligens?* Novitas legis manifesta est : nec obscura ejus, ut vidimus, iniquitas. Idem etiam, in eadem ad Himericum sanctione, ut hominis errabundi ingenium cognoscas, pœnitentes post impetratam absolutionem matrimonium contrahere vetuit, evidente errore, quem secuti Pontifices & Concilia emendarunt. Longè tamen tolerabiliorem fuisse Siricii constitutionem, quàm hodiernæ Papales sunt, nullus diffiteor; tum quia Subdiaconis saltem conjugii usum ille concessit : tum quia ad Diaconatum, cui cælibatum annexuit, nonnisi viros maturæ ætatis & prudentiæ, suarúmque sibi virium conscios admisit : tum quia juxta Synodi Nicænæ præscriptum omnes suspectas & παρεισάκτους mulieres domibus clericorum exegit : tum denique quia nuspiam, quod horribile paradoxum post Tridentinum Concilium invaluit, declaravit, quòd præstet esse clericum scortatorem, adulterum, Sodomitam, quàm conjugem. Siricio se opposuit Jovinianus, qui in alterum extremum delapsus virginitatem depressit. Cum quo congressus Hieronymus, plurimos Sacerdotes, non obstante Siricii edicto, maritos esse fatetur. *Quasi,* sic *lib. I cap. 13.* loquitur, *non hodie quoque* (quintus erat post Siricii edictum annus) *plurimi Sacerdotes habeant matrimonia.* Quin ibidem, Apostolos Ministris sacris conjugium permisisse agnoscit. Paulinus quoque Presbyter, nil obstante Siriciana lege, uxorem suam constanter retinuit; & cum eo plures alii, adeò ut sequente seculo Innocentius Papa Siricii decretum à pluribus rejectum innovare necesse habuerit. 6. Γνησιότητα Epistolæ Huldrici Augustani *Parthenog. cap. 18. ff. 15 &c.* adversus Bellarminum aliósque, testimonio Bertholdi seu Bernoldi qui circa A. MLX. Constantiæ Sacerdotem egit, discussis etiam nebulis, quas offundere οἱ ἐξ ἐναντίας conati sunt, sic vindicatam dedi, ut metuere non habeam, ne quisquam ampliùs cum ratione eam νοθείας postulare possit. Græcorum praxin à nostra discrepare, non nego. Sed & à vestra non parum discrepat, uti ex Canonibus Synodi Quini-sextæ Seculo septimo habitæ liquet. Iis enim Episcopis quidem nova in Græcia sanctione uxores abjudicantur : at hypodiaconis, diaconis & Presbyteris ante ordines ductæ permittuntur : & canone inprimis decimo contra Romanorum praxis graviter perstringitur & damnatur, hoc inter alia argumento, quòd uxores, ante ordines ductas eripere non aliud sit,

quàm

quàm τὸν ἐκ Θεοῦ νομοτεθηθέντα καὶ εὐλογηθέντα τῇ αὐτοῦ παρουσίᾳ γάμον καθυβρίζειν, *conjugium à Deo institutum, & ipsius præsentia benedictum contumelia afficere*; & adductis contra eandem praxin Matth. XIX. 6. Hebr. XIII. 4. 1. Cor. VII. 17. testimoniis. 7. Non credo equidem, Gregorium VII. Hildebrandum, parum vel honestum vel sanctum, hæreseos de omnipotentia Papæ & Regnis Imperiisque jugo ejus subjiciendis authorem, & Mathildæ amasium, communi tum Ecclesiæ, tum Imperii malo natum, *honestatis & sanctitatis studio*, legem cœlibatus nec sanctam, nec honestam, Germanis, Anglis, aliis obtrusisse; atque sic Eustathianam hæresin in Concilio Gangrensi damnatam innovasse; decreto inter alia statuto planè simili, *ne ullus Christianus audiret Missam conjugati presbyteri*. Consentiens historicorum vox est, illum orbis incendiarium reluctantes dignitate privasse, anathemate sæviisse, ima summis miscuisse, restitantes quosdam morte mulctasse. Annon ergo tyrannica vi potiùs, quàm ulla ratione, imò contra rationem & verbum Dei, addo etiam, nullius Concilii universalis authoritate, legem illam obtrusit? Neque enim clericos ille convocavit, ut rem ipsam legitimè discuterent, rationum momenta pensarent; sed ut volentes nolentes imperata facerent. Quæ, in religione inprimis, vis tyrannica est, si hæc non est? 8. Denique ἀπειροκαλίαν tuam manifestè prodis, exempla Presbyterorum veterum conjugatorum de iis, qui ante ordines conjugati fuerunt, non post eos susceptos, intelligi debere pertendens. An tales fuerunt Presbyteri Germani, Angli, &c. quibus fax illa orbis Gregorius, eúmque secuti Pontifices uxores vi eripuerunt? Sed ut de his nihil dicam, Gregorius Nazianzenus suo tempore non fuisse Presbyteros ἀγάμους omnes, innuit *Orat.* 40. delicias eorum improbans, qui petendo baptismo delectum Presbyterorum haberi volebant: Μὴ εἴπῃς, inquit, Ἐπίσκοπος βαπτισάτω με, καὶ οὗτος μητροπολίτης καὶ Ἱεροσολυμίτης, ἢ πρεσβύτερος μὲν, ἀλλὰ καὶ οὗτος τῶν ἀγάμων. *Ne dicito, baptizet me Episcopus, atque is Metropolitanus, aut Hierosolymitanus, vel Presbyter, saltem qui cœlebs sit.* Poterat ergo, eo judice, baptizare, qui non cœlebs sit actu. Qui verò uxorem habuit, non habet adhuc, is cœlebs sanè est. Quid quòd ipse Gregorius Nazianzenus actu Sacerdos, fortè etiam Episcopus, filium Gregorium, cui post Theologo nomen fuit, genuit, teste filio ipso, qui sic patrem se compellantem *Carm. de vita sua* inducit: Οὔπω τοσοῦτον ἐκμεμέτρηκας βίον, ὅσος διῆλθε θυσιῶν ἐμοὶ χρόνος. *Nondum tot anni vitæ totius tuæ, quot in sacris mihi sunt peracti victimis.* Et tamen etiam Gregorius ille filius fratrem minorem natu Cæsarium habuit, quem proin etiam patre Sacerdote natum esse, certissimum est. Claram lucem fuligine quadam infuscare Baronius *ad A.* 371. *num.* 102. conatus est, hyperbolen in consignatione numerorum statuens; ubi æquè ei locus, ac cani in balneo. Quod enim hoc genus hyperbolæ est contra non tantùm veritatem rei, sed etiam cognitam? Potest quidem per hyperbolen excedi veritatis exacta mensura, sed tum demum, cùm ea rite explorata non est. Sic chiliades, infinitum pro numero incerto, immensa quantitate. Sed in re exploratissima & certissima, cujusmodi annorum numerus est patri liberorum, excedi sine mendacio non potest. Est enim disertum nimis: *Nondum es tantum vitæ emensus, quot mihi in sacrificiis anni transacti sunt.* Supputationem porro annorum instituens idem Baronius, decipere eo conatur, quòd inter Baptismum & ordinationem Gregorii longum plurium annorum intervallum statuit; cùm tamen filius Theologus in funebri patris testis sit, eum baptizatum *pauco interjecto temporis spatio* Sacerdotium suscepisse: atque insuper alia plura, à veritate historica abludentia, audacter asserit, qua in-

te ei larvam viri doctissimi, Chamierus *Panstrat. lib.XVI.13.* & Georgius Calixtus *de Conjug. Cleric. pag.218 &c.* detraxere. Gregorio Nazianzeno jungo Gregorium Nyssenum, illius filii æqualem, Basilii M. fratrem, qui de virginitate scribens, *cap.3.* se ejus exortem in conjugio vivere fatetur ipse: & de eodem Nicephorus *lib. XI.19.* & Nicetas *ad Orat. Nazianz. in laudem Basilii Schol.* 19. testantur. ne dicam de Gregorio Nazianzeno, qui *Epist.95.* Nyssenum consolatur super morte uxoris, quam disertè *ἱερέως σύζυγον Sacerdotis conjugem* appellat, ajens etiam, ipsum Nyssenum *τῇ τοιαύτῃ συζῆσαι cum ea vixisse*, scilicet ad ejus usque obitum. Ad compendium mitto exempla Spiridionis, Hieracis, Hilarii, Sidonii Apollinaris, Paulini, Apri &c. quorum conjugia etiam post ordinationem constantia authores fide dignissimi confirmarunt, & supra laudati viri celeberrimi solidè vindicarunt. Neque contrarium planè testantur Hieronymi *ad Pamach. cap. 8.* verba à te citata: *Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post Sacerdotium in æternum pudici.* Non dicam, etiam in matrimonio pudicitiam locum habere. Satis esto, Hieronymum loqui non de omnibus, sed de Romana & paucis aliis Ecclesiis, quas libro contra Vigilantium disertiùs expressit: præcipuè de Romana, cujus & ipse Presbyter erat, & Pammachius membrum, constitutionibus sui Episcopi ad cœlibatum jam obnoxia. Denique neque Carthaginensis Concilii V. (juxta Baronium IV.) capitulum 3. causam tuam juvat. Ibi sic sancitum: *Præterea cùm de quorundam Clericorum, quamvis erga uxores proprias, incontinentia referretur, placuit Episcopos, Presbyteros & Diaconos secundum propria statuta* (tu falsò citas secundum *priora*. Idem enim canon in Canonibus sub titulo Concilii Africani collectis can.37. repetitus *propria*; & in Codice Græco can. 72. *κατὰ τοὺς ἰδίους ὅρους secundum propria statuta*, habet) *etiam ab uxoribus continere. Quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico officio removeantur.* Illa enim *propria statuta*, illos *ἰδίους ὅρους* Balsamon, *omne tempus suæ vicis, scilicet quando sacra tractant*, & Zonaras *τὸν καιρὸν τῆς ἱερουργίας tempus officii* interpretantur. De ejusmodi vicibus Synodus Aurelianensis II. *Clerici, qui officium suum implere despiciunt, aut vice sua ad Ecclesiam venire detrectant, loci sui dignitate priventur.* Quòd si omnino per *propria statuta* proprias sanctiones quis intelligere velit, in eum sensum accipiat, quòd, quantum attinet abstinentiam ab uxoribus propriis, singulæ Ecclesiæ proprias suas constitutiones observare possint & debeant. nempe ubi constitutum est, sicut in Romana, ut semper sacrorum Ministri abstineant, ibi ita fiat; ubi verò, ut nonnisi tempore vicis suæ, ibi id ipsum quoque observetur. Sed prior interpretatio accommodatior est.

ARG. VIII. Ante Concilium ferventibus votis conjugii libertatem restitui optârunt plurimi, iique præstantissimi Viri. Frizius in Apologia sua laudat in hanc rem Innocentium IV. Virvesium, Polydorum Vergilium, Salvianum, Aquinatem, Panormitanum, alios. Æneas Sylvius Papa factus, Platina in ejus vita teste, author est illius proverbii: *Sacerdotibus magna ratione ademptum conjugium, majori restituendum esse.* Idque Platina non quâ Æneæ Sylvio (uti Redingius *p.710.* temerè fingit) sed quâ Pio II. Papæ tribuit. Quanquam si Papa factus mutâsset dictum, mirari non deberemus, cùm Papatus linguæ bovem intrudere facilè potuerit. Sigismundus

mundus quoq; in Basileensi Concilio matrimonia permitti juxta ritum occidentalis ecclesiæ petiit. Cassander in Consultatione totus in eo est, ut lex cœlibatus abrogetur, quia sit occasio vagæ & effrenatæ libidinis: quia jam alia Cleri disciplina, quàm olim fuerit: quia sine concessione conjugii nulli sint futuri idonei Ecclesiæ Ministri, Viris bonis, cùm & infirmitatis suæ rationem habeant, & exemplis moveantur turpitudinum ac scelerum, hac lege sese adstringi nolentibus. Denique in ipso Concilio Quinqueecclesiensis Episcopus, nomine tum Imperatoris, tum Bavariæ Ducis, nec non Orator Ducis Bavariæ, Archiepiscopus Pragensis, Galli Oratores & Lotharingus, quibus injunctum erat, ut saltem dispensationem pro Cardinali Borbonio deposcerent, Patres pro relaxatione hujus legis interpellârunt. Quamvis autem Patribus plerisque eò jam animus inclinaverit, *dispensari saltem posse cum Presbytero, ut uxorem ducat*, teste Historico *p.* 615. tamen intercedente mandatis suis Papa nihil impetrari potuit, *quòd manifestum esset, permisso Presbyterorum conjugio futurum, ut omnes affectum & amorem suum in uxorem & liberos, adeóque familiam & Patriam convertant. Inde cessaturam arctam illam ordinis clericalis cum sede Apostolica conjunctionem, ut matrimonium concedere Episcopis non sit aliud, quàm Hierarchiam de Ecclesia tollere, & Pontificem redigere ad Romæ solius Episcopatum.* Ita in Concilio multos locutos esse, docet Historicus *lib.* VI. *p* 615. Et Cardinalis Carpensis apud eundem *lib. V. p.* 417. ita ratiocinabatur: permisso cœlibatu secuturum, *ut familiam, uxores ac liberos alentes, ad Principis quisque sui obedientiam respiciens, pontificis obsequium detrectet: ut intra breve tempus Apostolica sedes Vrbis Romanæ cancellos non egrediatur. Ante institutum cœlibatum Sedem Romanam nullum ex aliis civitatibus ac regionibus fructum percepisse. Per hunc ademptum omnium dominatum Sacerdotiorum, quæ matrimonium exiguo tempore illis eriperet.* Tam egregiè illi nobis dogmatis hujus arcana produnt. Tot verò Imperatorum, Regum, Principum, aliorum serias solicitationes, uti lex illa cœlibatus abrogetur, callidè eludere conatur Redingius *pag.* 710. quòd *perspectis incommodis Concilij & Pontificis voluntati acquieverint, nec Pseudo-Reformationi, sed puriori Spiritui in Clero reducendo, authoritatis suæ brachio intenti fuerint, secuti in eo exempla Justini, Honorii, Theodosii Imperatorum.* Sed noverit ille, non victos incommodis inde secuturis, sed nimiâ Curiæ Romanæ potentiâ, vel certè cæcâ obedientiâ ductos acquievisse; imò Reges Galliæ Concilio non acquievisse, & Ferdinandum Imperatorem post Concilium consilia agitâsse de reformando Papatu, decretis Concilii pensi non habitis.

Resp. Reding: 1. *Non eodem illi animo matrimonium restitui optarant. Alii, quos inter tamen Thomas Aquinas non fuit, ob injurias temporum, quibus Sacerdotes effrenatiores facti,*

facti, concesso matrimonio ad frugem reducendi, & ab hæresi revocandi putabantur. qui tamen se Ecclesiæ judicio subjecerunt. Alii animo hæreseos veneno infecto. 2. Quomodo Pius II jam Pontifex Sacerdotibus matrimonium restituendum censuisset, quod nunquam tamen, cùm qua Papa posset, restituit? 3 Cassandri rationes solidæ non sunt. Clerus enim deficiens reduci potiùs ad disciplinam debuit: & reductius hodie non tantùm idoneos, sed etiam insigniores Ministros exhibet. 4. Quomodo Curiæ Romanæ potentia Imperatorum ac Regum potentiæ prævaluisset, nisi sancta religio ipsos obedire Sedi Apostolicæ edocuisset? Cùm inde ab ipsis Apostolorum temporibus cælibatus Lex in Ecclesia viguerit, falsissima inde convincitur ratiocinatio, quàm Cardinali Carpensi imputas. Ibid. pag. 445. 446. Resp. 1. Qui prioribus, matrimonium restitui optantibus, animus fuit: idem posterioribus haud dubiè fuit. Reputarunt utrique, constitutione illa merè humana, Ecclesiastica, dominationi Papali unicè inserviente; Divinam de castitate libertate servanda, nimiùm nimiúmque hactenus infractam esse: Divinísque adeò quàm humanis legibus obedire, fas plúrimque magis esse. Nullum hic hæreseos venenum hac quidem in re cujusquam animum infecit: uti rationes nostræ hactenus vindicatæ testantur; sed odium adversus cleri impuritatem passivam, ac perspecta haud dubiè verbi Divini voluntas impulit: ac de cætero omnes illi vestri, non nostri fuerunt, in Romana communione nati, in eadem denati. Thomæ Aquinatis in Summa, quæ incipit *commiserationes, cap.* 165. hæc verba sunt: *Si Acoluthus in sacra confessione ad discretum Sacerdotem veniat, & se nullo modo posse continere dicat, non multum peccat Sacerdos dando ei consilium, ut cum aliqua occultè matrimonium contrahat, & occultè Episcopi sui oculos fallat. Si verò postea sacros à Prælatis cogatur accipere, credimus minus periculum esse uxore uti, quàm cum alia fornicari, si ex toto noluerit continere.* Thomas alter de Vio Cajetanus Cardinalis *tom. I Opusc tract.* 27. satis emphaticè: *Nec ratione, nec authoritate probatur, quòd absolutè loquendo Sacerdos peccet contrahendo matrimonium: nec ordo in quantum ordo sacer, est impeditivus matrimonii.* Et paulò post concludit, *Sacerdotium non dirimere contractum matrimonii, sive ante, sive post, seclusis omnibus legibus, stando tantùm in his, quæ à Christo & Apostolis habemus.* 2. Pium II. Papam jam creatum isthoc dicterium fudisse, & Platina in ejus vita, & Sabellicus *lib. VI. Ennead.* 10. *pag.* 502. disertè referunt. Potuerit jam quoque Papa matrimonium restituere, nec ne, nescis equidem. Cùm mala omnia Papæ possint, parum tamen boni possunt, fato efficacis erroris ad hoc damnati, quam primum cathedram illi conscenderunt. Novit jam orbis, moderno Papæ Innocentio XI. in votis esse, ut Jesuitarum parricidalem ordinem abolere posset. Et tentasse aliquid visus est. Sed impotentiam hic suam ob formidabilem latronum illorum potentiam, per quam vix ei Papalem dignitatem (eò res devenit) sustinere licet; ipsemet sentit. Sed de eo quicquid sit, frivolis ejusmodi ratiunculis testatissimas voces infringere non licet. Alias innumerarum historiarum fides nutabit. 3. Reduci Clerus ad disciplinam non Siricii, Hildebrandi, sed Christi, Apostolorum, primitivæ Ecclesiæ debuit. De idoneis & insignioribus inde à Concilio Tridentino Clericis vestris, vana jactantia tua est. Non castiùs illi, sed cautiùs fortè, ad hæreticorum, quos vocatis, oculos auresque ad talia attentos fallendos, mercari didicerunt. Neque tamen ita cautè, quin creberrimè, in Italia cumprimis, impuritatis illa nativa regione, suo se indicio sorices vestri prodant. Nec pauca, nec levia illa ad notitiam nostram pervenerunt. quæ necessitate postulante promere possumus. Experientia nimiùm nimiúmque comprobat, quod non solùm notorii cum pluribus concubinis scortatores, absque ulla difficultate ad Episcopatus & Sacerdotia promoti sint: sed etiam in officio

impiam

impiam istam vitam continuantes, ædésque suas spuriis replentes permaneant. Præiverunt illis Jesuitæ, cum Costero *Enchir. tract. de Cælib.* docentes, *quòd Sacerdos, si fornicetur, aut domi meretricem foveat, tametsi gravi sacrilegio se obstringat, graviùs tamen peccet, si contrahat matrimonium.* Cur adhuc, contra Niceni Concilii decretum, Clerici vestri domi suæ mulieres *παρεισάκτυς fucarias* alunt, cur alere Ecclesia vestra permittit? Cur Pius V. necesse habuit bullam scribere *contra Clericos Sodomitas?* qua præfatur, *horrendum illud scelus acerbissimum sibi dolorem inurere, graviterque animum commovere, ut ad illud* (NB) *comprimendum, quantum fieri potest, studia conferat?* Tametsi bullam verè bullam, quia eam laxam satis (nam eam Sodomitis pœnam dictat, quam veteres canones quibusvis fornicatoribus dictarunt) laxiorem Jesuitæ, Escobarius inprimis *Tract.* 1. *Exam.* 8. *n.* 102. reddiderunt, pertendentes, eam in foro conscientiæ non obligare. *Colligo*, sic Escobarius ille concludit, *Clericum exercentem Sodomiam, si sit contritus, etiam retento beneficio, officio & dignitate, omnino esse absolvendum.* Baunius itidem Jesuita *Tract.* X. *pag.* 457. egregiam scilicet quæstionem movet: *Si post habitam eo die copulam carnalem cum fœmina, aut pollutionem voluntariam Sacerdos sit confessus, ei ne liberum erit sine culpa veniali rei Divinæ incumbere?* Respondet: *Negat Villalobos* &c. *Dissentit Sancius, cujus mihi opinio & tuta & sequenda videtur in praxi.* Idem cum Baunio etiam Mascarenhas *Tract. IV. Disp.* 5. *n.* 284. docet; & ne quid sceleratam ejus indulgentiam fugeret, asserit, id locum habere non in fornicatione duntaxat, sed etiam *generatim in qualicunque pollutione mortaliter peccaminosa, seu habita secum, vel cum complice; & hoc, sive habeatur per fornicationem, sive per adulterium, sive per peccatum contra naturam, seu quocunque alio modo. Et quamvis*, inquit, *P. Vasquez credat, antiquitus fuisse aliquam legem vel universalem, vel provincialem, qua per aliquot saltem horas post pollutionem prohibeatur communio, hoc tamen hodie communi & universali totius orbis consuetudine est abrogatum.* Quid ergo de *idoneis illis & insignioribus* inde à Concilio Tridentino *Clericis* vestris, plerisque saltem, sana mente præditi cogitare debeant, cogitabis ipse. 4. Non religio, quicquid obstrepas, sed alia omnia Principes ad decretorum Tridentinorum cœcam obedientiam projecerunt. Annon coronarum omnium & imponendarum & deponendarum jus sibi Pontifices vindicant? Ignota ne tibi est bulla Pauli IV. in qua omnes hæreticos, schismaticos, corúmque fautores, (quos inter haud dubiè vobis forent, qui invito Papa cœlibatus legem tollere animum inducerent) cujuscunque status sint, *etiamsi Comitali, Baronali, Marchionali, Ducali, Regali & Imperiali authoritate seu excellentia præfulgeant*, ita excommunicationis pœnæ subjicit, ut simul declaret, *eos Regnis & Imperiis in totum & perpetuum privatos, & ad illa de cætero inhabiles & incapaces. Quinimò*, addit Væjupiter ille Capitolinus, *Seculares* (puta etiam Reges & Imperatores) *relinquantur arbitrio potestatis animadversione debita puniendi, nisi adparentibus in iis veræ pœnitentiæ condignæ fructibus ex ipsius Sedis benignitate & clementia in aliquo monasterio, aut alio regulari loco, ad peragendam perpetuam in pane doloris & aqua mœroris pœnitentiam retrudendi, omni humanitatis solio destituti, Regna, Ducatus, feuda, dominia, & bona hujusmodi publicentur, & publicata sint, efficiantúrque juris & proprietatis eorum, qui illa primò occupaverint, si in sinceritate fidei, & unitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac sub nostro & Pontificum Romanorum Successorum canonicè intrantium obedientia fuerint.* I jam, Redingi, & religio vera, an Papæ tyrannis Imperatoribus, Regibus &c. suadeat, ut quælibet ejus decreta *ἀβασανίστως* excipiant, dijudica. 5. Verissimam esse Cardinalis Car-

pensis ratiocinationem, vel inde constat, quia nec vel Christus vel Apostoli legem illam, fatentibus etiam doctissimis vestrûm, instituerunt: nec Pontifices, quorum plerique patrum & avorum, nostráque etiam memoria, incontinentissimè vixerunt, amore castitatis cœlibatum à Clero tantopere exigunt. Ergo exigunt, quia dominationi Papæ conducere videtur. Etenim Romanos Pontifices orbis Christiani, imò universi imperium affectare, nemini ampliùs ambiguum habetur. Dominari volunt δεσποτικῶς summóque jure Ecclesiæ: dominari volunt Regnis & Imperiis, atque à nutu suo cuncta suspendere. Et quidem summam spiritualem potestatem plerique sibi arrogant, ut sub eo prætextu summa in temporalibus potestate potiantur. Quis enim Alexandrum VI. & similes alios Deum esse, vel æternam vitam esse, in qua improbè factis pœnæ irrogentur, credidisse existimet? Jam viri Reipublicæ & Principum suorum amantes tantam ambitionem ægrè ferre, eíque se opponere solent: nec clerici cordati, quorum paulò erectior indoles, ingenitum erga patriam affectum exui non patitur, laicis eatenus cedunt. Id ergo gnaviter operam dant Pontifices, ut cùm laicorum ordinem non possint, saltem clerum totum à charitate patriæ, Reip. Principum abstrahant, & sibi solis nexu mancupióque devinciant. Nolunt itaque sacris initiatos matrimonia contrahere, & liberos gignere, ne sint, quorum gratia Reipublicæ astringantur arctiùs. Qui enim liberos gignit, Reipublicæ cives, Principi subditos futuros, non potest ille Rempublicam non amare, principem revereri, utrique felicitatem optare. Pontifices autem à se solis clerum pendere, & à Republica Principibúsque avelli cupiunt. Statuunt itaque, consilio in rem, uti apparet, minimè vano, sed calido callidóque matrimonium prohibendum esse, ne charitate suorum, legitimæ præsertim prolis, in quam affectus solet esse vehementissimus, à Principibus ad nutum Pontificum oppugnandis & Republica turbanda revocentur. Quo enim paucioribus & minoribus charitatibus tenetur, eò magis in potestate Pontificum fore, & in ipsorum gratiam alacriùs animosiúsque adversus patriam & Principes, ubi jussus fuerit, insurrecturum, haud temerè sibi persuadent. Hæc cœlibatus ab hominibus incontinentissimis pertinacissimè asserti intima causa est: hoc arcanum, quod in Concilio ipso Cardinalis Carpensis, aliíque emunctiorum narium, Cœli Pontificii Atlantes, liberaliter prodiderunt.

ARG. IX. Denique quo jure, Divinóne an ecclesiastico positivo cœlibatus nitatur, ipsi Adversarii graviter dissentiunt, nec Concilium dissensum illum sustulit. Divino jure niti pertendunt Joh. Major, Torrensis, Peresius, Medina, alii. Contra ecclesiæ decreto niti docent Thomas, Cajetanus, Dominicus & Petrus uterque Soto, Valentia, Costerus, Bellarminus, alii. Quin & posteriores hi abeunt in partes. Alii enim, puta Dom. Sotus, Bellarminus arcessunt legem eam ab ipsis Apostolis: alii, puta Clichtovæus, glossa juris Canonici à Siricio: alii ab alio principio.

Resp. Redino: 1. *Ex Apostolo Tit. I. 8. constabat, eum, qui unius etiam uxoris vir erat, sacris ordinibus initiatum, continentem esse debere. Non igitur ampliùs opus erat definire, quo jure, mediatè an immediatè Divino, lex illa niteretur. 2. Ipse Siricius Papa legem hanc tulit, non quasi à se profectam, sed quia jam S. Paulus continentes Episcopos requisivit, quod in Glossa Marginali ad Dist. 28. post cap. 13. videre licet. Quæ omnia exactiùs Baronius ad A. 58. n. 17. discussit.* Ibid. pag. 446—448. Resp. 1. Satis ergo fuit Concilio, le-

gem

gem cœlibatus denuo sancire, quemque illa authorem, sive Christum, sive Apostolos, sive Siricium habuerit. quasi eorum una, æqualis eademque authoritas & potestas, unum tribunal fuerit. Sed profectò ad *πληροφορίαν* Ecclesiæ multum referebat, quis illorum, Christus & Apostoli, an Siricius primus legem rogaverit. Idque Synodus facere negligens, dogmatis incertitudinem manifestè prodidit; minimùm pro more suo prævaricata est. Constabat, ais, ex Apostolo, Episcopum continentem esse debere. Sed continentiam illam tantùm extra conjugium, non etiam in conjugio locum habere, nec dixit Apostolus; imò alia omnia dixit v. 16. *Si quis ἐστι est*; (non fuit,) *irreprehensibilis, unius uxoris vir:* nec Synodus definire ausa est. Gratianus *C. 36. q. 2. Copula*, ait, *Sacerdotalis nec legali, nec Evangelica vel (NB) Apostolica authoritate prohibetur: Ecclesiastica tamen lege penitus interdicitur.* Et *C. 35. q. 1, Ecclesia post Apostolica instituta quædam consilia perfectionis addidit, utpote de continentia ministrorum.* Thomas Aquinas *2.2. q.88. art. 11. Non est essentialiter annexum debitum continentiæ ordini sacro, sed ex statuto Ecclesiæ.* Sed & Scholastici, qui in Magistrum & *Dist. 37. quarti* scripserunt, vetustiores omnes cœlibatum ad jus positivum Ecclesiasticum referunt. Cajetanum consentientem supra vidimus. Neque recentiores nonnulli, qui post mota certamina scripserunt, Alphonsus à Castro *tit. Sacerdotal.* Albertus Pighius, aliique dissentiunt. Primus, nisi fallor, Dominicus Soto, quanquam timidè & suspenso gradù, quasi per ignes suppositos cineri doloso incederet, generalem sive omnimodam cœlibatus prohibitionem ad Apostolos retulit. *Hoc est*, sic ille *lib. VII. de just. & jure q. 6. art. 2.* scribit, *quò nostra disputatio festinat, utrum ilico ab Ecclesiæ ortu mos inoleverit, ut qui ex conjugio ad Sacerdotium recipiebantur, non prius reciperentur, quàm annuentibus uxoribus perpetuam continentiam voverent. Et existit utrimque pugnans argumentorum acies, quæ me semper tenuere perplexum. Affirmaverim autem hic sub probabilitate, quæ mihi perquam maxima est, quòd circa Apostolorum tempora cunctis fuerit Sacerdotibus uxorius usus interdictus: licet mox postea fuerit corruptus.* Quod timidè sic Soto affirmavit, id temerè & intrepidè Bellarminus *de Cler. lib. 1. cap. 18.* asseveravit, nempe *decretum, quo votum est annexum ordinibus, non quidem propriè Divinum esse, sed tamen esse Apostolicum, & in tota Ecclesia temporibus Apostolorum longo tempore servatum.* Hanc opinionem, etsi novam, quia tàmen cœlibatui caduco fulcrum supponit, Jesuitæ fere hodie amplectuntur; addentes insuper, voti obligationem intervenire. qua in re neque cum Durando, Scoto, & Scoti asseclis, nec cum re ipsa conveniunt. Hodie enim in Ecclesia Pontificia Sacerdotes nullum votum, cùm ordinantur, emittunt; nullum certè conceptis verbis, aut aliquo gestu, quo se vovere testentur ac profiteantur. quod tamen omnino necessarium foret, siquidem vovisse censeri debeant. Sed de hoc quicquid sit, satis ex iis, quæ diximus, confusum Romanensium labium cognoscitur; atque illud inprimis, quòd sententia, quæ asserit, Apostolos interdixisse, ne Presbyteri uxoribus suis utantur, aut matrimonia contrahant, ne à Concilio quidem Tridentino; uti temerè Adversarius asseruit, definita, sed novo planè, & veteri Theologorum Scholæ prorsus incognita fuerit. Multum igitur abest, ut ei congruant notæ veræ & Catholicæ doctrinæ à Vincentio Lirinensi præclarè traditæ: *Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est.* 2. Frustra Siricium laudas ejus sententiæ, quòd Apostoli jam cœlibatum sanxerint, authorem. Ille quidem pro crassa sua ignorantia quædam Scripturæ testimonia obtorto veluti collo ad novellam suam legem staminandam & matrimonium denigrandum rapuit: at Apostolos Legis authores nu

 spiam.

ſpiam edere auſus eſt. Neque Gloſſa *ad Diſt.28. c.13.* à te citata tale quid vel verbo innuit; ſed alia omnia; notans videlicet ad Pelagii ad Cethegum patritium verba ibi recitata, hunc in modum: *Ecce hac authoritate electus in Epiſcopatum non prohibetur habere uxorem & filios.* Quæ denique ex Baronio compilaſti, non tam nobis, quàm Orientalibus oppoſita, ſigillatim ferè hinc inde jam diſcuſſimus, ut repræſentanda ejus longa oratione facilè ſuperſedere potueris.

Obiectiones Tridentinorum.

OBIECT. I. *Eccleſia poteſtatem habet ferendi leges ſtatui Clericorum congruas. Porro legem Cœlibatus Sacerdotum ſtatui illorum prorſus congruam eſſe, patet tum ex eo, quòd in V. T. quando res aliqua ſacra facienda vel tractanda erat, ab uxoribus abſtinere debuerunt Exod.* XIX 15. 1. *Sam.* XXI. 3. *tum ex eo, quòd V.T. Sacerdotes officium præſtituri à domo & uxoribus aberant* 1. *Paralipom.* XXIV. *Luc.* I. 8. *tum ex eo, quòd Paulus* 1. *Cor.* VII. 5. *de conjugatis dixit, ne ſe fraudent invicem, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, ut vacent orationi. unde Origenes, Epiphanius, Hieronymus inferunt, multò magis decere, ut Sacerdotes Divinis rebus ex officio ſuo addicti ſemper uxoribus abſtineant: tum ex eo, quòd Paulus* 1. *Tim.* II. 4. *ait, neminem militantem Deo ſe ſecularibus negotiis implicare: tum denique ex eo, quòd lex ejuſmodi de facto lata eſt in Eccleſia ab ipſis Apoſtolis Tit.* I. 7. 8. *ubi ab Epiſcopo requiritur, ut ſit ἐγκρατὴς continens, & σώφρων ſobrius, hoc eſt, temperans, cœlebs, ut Hieronymus exponit.* Aug. Reding. *Differt.* XIII. *pag.* 705. 706. Reſp. 1. Qualis ferendi leges poteſtas eccleſiæ competat, ſuperiùs vidimus. Ad eam verò poteſtatem minimè pertinere legem cœlibatûs liquet, tum quia Chriſtus & Apoſtoli eccleſiæ vigilantiſſimè providentes, legem hanc minimè tulerunt: tum quia Chriſtus Matth. XIX. 12. dicens: *Qui poteſt capere, capiat*, non obſcurè innuit, ejuſmodi legem figi haud debere, jubens, ut ſtatuere cuique permittatur, quid capere poſſit: tum quia Paulus 1. Cor. VII. 37. à conſilio virginitatis retinendæ vult abeſſe *ἀνάγκην neceſſitatem*, qualem lex Cœlibatus imponit: tum quia idem 1. Tim. IV. 3. legem illam non ducendi uxorem apertè annumerat doctrinæ dæmoniorum: tum quia lex hæc Spiritum cohibet & chariſmata coërcet, cùm propter eam uxorati chariſma ſuum eccleſiæ per miniſterium impendere non audeant: tum denique quia legem ejuſmodi, *Ne tangas*, videlicet mulierem, Paulus Col. II. 21. refert inter illa, quæ non admittenda ſunt, quæque feruntur ab iis, qui caput Chriſtum non retinent. Eodem ſpectant omnia argumenta ſuperiùs allata. 2. In V. T. quam immunditiem conjugalis conſuetudo attulit, ea tota legalis & Levitica fuit, quæ cum translato Sacerdotio expiravit non minùs, quàm impuritas ex contactu mortui. Tum ſi quid efficerent illa V. T. exempla, ſequeretur, legem abſtinendi ab uxoribus non extendendam eſſe niſi ad illud tempus, quo ſe

ad publicum cultum proximè parant, vel publico cultui vacant. Nam extra tempus illud toti populo & Sacerdotibus V. T. uxoratis esse utique licuit: tametsi æquè illis incumberet interdiu noctúq; legem meditari. Præterea ἐφημερίαι illæ seu vices Sacerdotum V. T. non institutæ sunt ideo, quòd consuetudo conjugalis Sacerdotes ad ministerium indignos redderet, cùm vices illæ quadringentis post Mosen annis institutæ fuerint, & ipse Pontifex, cujus erat singulis diebus manè ac vesperi Domino Sacrificium offerre Exod. XXIX. 38. conjugatus fuerit; neque lex ulla extiterit, quæ Sacerdotibus prohiberet consuetudinem conjugalem, vel juberet abesse domo propria tempore ἐφημερίας suæ, vel ex domibus venientes se purificandi necessitatem illis imponeret. 3. Paulus 1. Cor. VII. 5. neutiquam innuit, Ministros V. D. cultui publico & precibus vacare non posse, si in matrimonio vivant. Quomodo enim matrimonium *mundum, sanctum, honorabile in omnibus* hominibus 1. Cor. VII. 14. 1. Tim. II. v. ult. Tit. II. 4. Hebr. XIII. 4. obstare possit pietatis exercitiis & precibus? Sicut Ministri ecclesiæ verbo præire, & Sacramenta dispensare debent: ita vicissim fidelis populus Verbum Dei audire, Sacramenta percipere, precibus vacare debet. quibus officiis non obstantibus, si plebeji uxorati esse possunt, nihil impediet quò minùs & Ecclesiæ ministri tales esse possint. Quid stultius est, quàm dicere: Sacerdotes propter corpus Christi, quod manibus tractant, debere esse cœlibes: & tamen illud ipsum corpus uxoratorum ori inserere? Loquitur igitur Paulus non de quibusvis precibus, sed de *solennibus*, nimirum *oratione* ac *jejunio*, quæ vel ob insignem aliquam publicam, vel domesticam calamitatem, vel ob ministros ecclesiæ deligendos, vel ex alia necessitate suscipiebantur, in quibus cum Propheta Joële cap. II. 16. monendum & suadendum, *ut sponsus de thalamo suo, & Sponsa de cubili suo egrediatur*. Quæ orationes cùm ad dies aliquot producerentur, suasit Paulus, mutuo consensu ut abstineant invicem conjuges; non quòd conjugium per se preces impediat, sed ut posthabitis omnibus negotiis, etiam licitis voluptatibus, se totos dedere possint studio pietatis, ardori precum & interiorum affectuum culturæ. Proinde non edixit hoc Paulus ex imperio, sed ex concessione: non de abstinentia perpetua, sed de ea, quæ ad tempus: nec de precibus ordinariis, sed de extraordinariis: nec clericis duntaxat, sed etiam laicis; jubétque, ut iterum conveniant in unum, ne eos Sathanas tentet. 4. Paulus 2. Tim. II. 4. vetat ἐμπλέκεσθαι ταῖς τοῦ βίου πραγματείαις *implicari negotiis hujus Seculi*, nempe immodicis, nimiis, à pietate, sanctitate, obeundo munere avocantibus. qualia sunt negotia Episcoporum, forensibus litibus, Jurisdi-

ctioni temporali se implicantium, splendorem plusquam Persicum ostentantium, bella conflantium, equos, canes alentium &c. Quid ad hoc matrimonium *mundum, sanctum, honorabile?* Sanè etiam Paulus artem mechanicam σκηνοποιητικὴν exercens, curabat πραγματείαν ȣ βίȣ, modicam videlicet. neque tamen ad prædicandum Evangelium ineptus fuit. 5. Legem cœlibatus ab Apostolis latam esse non agnoscunt Claudius Espensæus, Clichtovæus, Polydorus Vergilius, Cusanus, alii, supra memorati, qui diu post Apostolorum tempora invectum cœlibatum fatentur. Cúmque ii plerique uxorati fuerint; & cœlibes facultatem nubendi sibi vindicaverint, an putabimus, eos Pharisæorum more onera aliis imposituros, quæ ipsi non attingerent? Neque epitheta illa Episcoporum σώφρων & ἐγκρατὴς 1. Tim. III. 2. Tit. I. 8. tale quid evincunt. Nam σώφρων vel opponitur μαινομένῳ *furenti*, & tum significat eum, qui mentis compos est, vel ἀκολάςῳ *dissoluto*, & tum *temperantem* nempe eum, qui modum servat: in cibo, potu, καὶ ἀφροδισίοις, significat. qualis in matrimonio æquè ac in cœlibatu esse potest. Ἐγκρατὴς verò est non is duntaxat, qui à Venere prorsus temperat, sed etiam is, qui ab illicitis voluptatibus, in quibus nemo pius legitimum conjugii usum numerare potest, abstinet. Et sanè si his verbis cœlibatum ecclesiæ Ministris Apostolus indixit, cur *unius uxoris maritum* & *filios habentem* ad Episcopatum ibidem admisit?

EXCIP. REDING: 1. *Per Apostolicam authoritatem, quæ in Ecclesia penes legitimum Petri successorem, tum penes Oecumenicum Concilium etiamnum in vigore est, lex cælibatus ita consistit, ut tamen non imponatur nisi iis, qui sponte ordines suscipiunt, & per Divinæ vocationis gratiam continere possunt. Cujusmodi Lex blasphemè dæmoniorum doctrinis accensetur. Quomodo etiam Paulus Col. II. 21. damnat non cælibatum nostrum, sed eorum, qui matrimonium, ceu rem malam, insectantur. Neque uxoratis à Presbyteratu exclusis charismata sic cohibentur, sed cuivis statui congruentia Divinorum charismatum munia præscribuntur. 2. Licet conjugium sit honestum & honorabile, adeóque mundum Hebr. XIII. 4. majorem tamen puritatem & munditiem ipse S. Paulus 1. Cor. VII. Cælibatui tribuit, utpote per quem virgo & corpore & spiritu sancta fit. Hæc proin major vitæ cælibis puritas non legalem duntaxat, sed moralem professioni Christianæ accommodam munditiem affert, adeóque vel maximè decet illum statum, qui Divinis officiis jugiter mancipatur. Qui cælibatum diu post Apostolorum tempora invectum pertendunt, in librorum prohibitorum Indice notati sunt. Sentiunt enim contra Paulum, qui continentem esse Episcopum jubet. 4 Idem S. Paulus jubens Tit. I. 6. constitui Presbyterum, qui sit unius uxoris vir, non aliud sibi vult, quàm ne constituantur digami, qui ante ordinationem in secundis nuptiis vixerunt: non, ut constituatur Presbyter, qui constitutus uxorem retineat, vel ducat. Ita S. Patres ferè unanimiter explicant.* Ibid. pag. 449—451. Resp. Fatiscere te, Redingi, sub pondere argumentorum meorum, tum omissa à te pleraque responsionis meæ argumenta, tum stramineæ ratiunculæ tuæ clamant. 1. Jam enim tibi Apostolica authoritas, quæ legem cœlibatus fixit, illa scilicet est, quæ in Papa vestro, & Concilio Occumenico, hoc est, Tridentino

dentino residet. Sed quibus Papa Pseudapostolus est, iisdem & authoritas & factio e-jus Tridentina non potest non Pseudapostolica censeri; hoc inprimis in argumento, in quo legem illam à Papa & factione ejus latam cum Christi & verorum Apostolorum doctrina hostiliter pugnare, probavi. Blasphema sit vox, quæ legem illam dæmoniorum doctrinis, vel characteribus doctrinarum dæmoniacarum accenset; nec ne, ex iis, quæ supra diximus, discere tibi licet. Turpiter etiam imponis S. Paulo, cùm ab eo Col. II. 21. non alios tangi, quàm qui vetant *tangere* uxorem ob matrimonii impuritatem creditam, nugaris. Quanquam si ita res haberet, Siricium vestrum Apostoli sententia propriè feriret. Is enim matrimonium *carnalem* statum dicere non erubuit. Ignotæ ne insuper tibi sunt voces ferales Theologorum vestrorum, matrimonium ceu impurum pipulo nefariè differentium? Puta Stanislai Hosii, qui sic *Confess. fid. c.* 56. scribit: *Copulatio conjugalis remotum ab arbitro cubile requirit. Certè non qui bene, sed qui malè agit, odit lucem; ait Christus. Omnia verò rectè facta in luce collocari volunt. Hæc igitur (NB) opera tenebrarum pugnant cum Sacerdotio maximè, cujus opera in luce collocari volunt;* Dominici Soto, cujus *de Justit. & jure lib. VII. q.* 16. *art.* 1. hæc verba sunt: *Nullus carnis usus spiritualium nitori sic adversatur, ac sordidus iste;* item: *Usus uxoris non modò corpus conspurcat, verùm & mentem deprimit & obnubilat;* denique Bellarmini, cujus *lib. I. de Cler. cap.* 19. hæc vox est: *In actu conjugii negari non potest, quin admixta sit quædam impuritas & pollutio.* An horridas illas & verè impuras voces Ecclesia vestra obelo notavit, expurgavit unquam? Cœterùm repeto, S. Paulus *loc. cit.* perstringens, δόγματα *decreta*, seu leges: Μὴ ἅψῃ, μηδὲ γεύσῃ, μηδὲ θίγῃς, *Ne tangas, neque gustes, neque contrectes*; apertissimè digitum ad tria illa vestra famosissima decreta cœlibatus, delectus ciborum & voluntariæ paupertatis intendit, neque directiùs oculum Papatus impetere potuisset. Prohibetis enim quibusdam *tangere* uxorem; omnibus *gustare* carnes in jejunio; Monachis voto obstrictis *contrectare* bona, ceu propria. Forte in τῷ δογματίζεσθαι κατὰ τὰ ἐντάλματα ἀνθρώπων *dogmatizare secundum præcepta hominum* cœcæ obedientiæ votum continetur. Atque hæc Apostolus perstringit non eo nomine, quòd cibi, matrimonium &c. res sua natura malæ censeantur; sed quia δογματίζουσι ταῦτα, *decreta*, leges circa ea ferant, sanciunt, ita ut hic locum habeant non leges, præcepta Dei, sed ἐντάλματα ἀνθρώπων, *mandata hominum* (v. 22.) quales erant Siricius, Innocentius, Tridentini. quod apud vos fieri notissimum est. Et hæc ipsa illa decreta vestra sunt, quæ S. Paulus statim v. 23. disertè describit, ceu λόγον ἔχοντα σοφίας ἐν ἐθελοθρησκείᾳ, καὶ ταπεινοφροσύνῃ, καὶ ἀφειδίᾳ σώματος, οὐκ ἐν τιμῇ τινι, πρὸς πλησμονὴν σαρκός, *rationem* (prætextum) *habentia sapientiæ in cultu voluntario, & humilitate, & corporis vexatione, non in honore quoquam, in expletionem carnis*. Annon enim illa mandata, decreta vestra, titulo ἐθελοθρησκείας, hoc est, exuberantioris, perfectioris, *voluntariæ religionis* (nam illa ceu perfectionis Evangelicæ consilia venditatis, & abstinere à matrimonio, non gustare certos cibos sive aliquo, sive omni tempore, bona sua abdicare, seu tradere in aliorum, puta Monasterii. manus, *voluntariam religionem* vocatis) jactatis habere rationem tum σοφίας *sapientiæ* singularis, quia in talibus sit ἄσκησις *exercitium*, pio homini valde utile & conveniens, quia eos spontaneus ille cultus religiosiores, devotiores, ad pietatis officia paratiores reddat: tum ταπεινοφροσύνης *humilitatis*, quia hæc suadeat obedire præpositis legem ferentibus, præcipientibus, meliora suadentibus: tum ἀφειδίας τοῦ σώματος *vexationis corporis*, cujusmodi sunt nimia jejunia, vigiliæ immodicæ, ξηροφαγίαι, χαμευνίαι, nuditas, frigus, vestis aspera, flagellationes; &

quidem

quidem οὐκ ἐν τιμῇ *sine honore*, etiam in vilitate & sordibus, quia hoc ad superbiam frangendam faciat. Hæc vestra dogmata, decreta: hi decretorum fuci, colores sunt; sed scopus eorum unicus est πλησμονὴ σαρκὸς *expletio carnis*. Nam ad stabilimentum potentiæ Hierarchicæ, ad τὸ ἐντρυφᾶν ἐν ταῖς ἀγάπαις τῶν πιστῶν, *luxuriandum in agapis fidelium*; hoc est, opibus aliorum securè pascendum ventrem, & consequenda carnalia desideria, cuncta hæc, & Monasteria, & Cœlibatus cleri, & leges de discrimine ciborum aurigantur. Sed quid hæc, inquias, ad Colossenses? Certum equidem est, incognita iis fuisse Papalia illa vota, decreta, consilia. Nihilominus potuit Paulus ad omnes Ecclesias de iis rebus scribere, quia jam tum erant Pseudapostoli, qui Christianos ex gentibus ad elementa mundi Judaicà vocabant, & de iis agens, poterat agere de similibus, quæ Spiritu Prophetico præditus introductum iri noverat, etiamsi tum dogmata illa nemo adhuc urgeret. Neque obstat, quòd dicit. δογματίζεσθε *dogmatizatis*, vel *dogmata suscipitis*. Spiritus S. enim de rebus futuris ut præsentibus loqui, & futuræ etiam ætatis homines, tanquam præsentes, alloqui solet. Scribi enim verba ad Ecclesias omnes futuri temporis curat. Et apud Hebræos etiam præsens pro paulò post futuro usurpatur. Sed & jam Pauli tempore *quidam aversi sunt post Sathanam*, 1. Tim. V. 15. & *mysterium iniquitatis operari* cœpit, 2. Thess. II. 7 Spiritusque Antichristi *in mundo erat*, 1. Joh. IV. 3. Ita Deus Deut. XXXI. volens tradere canticum per Mosen, dicit, se videre jam tum cor Israelis aversum à Deo. Sed *hæc*, sic à Lapide *Comm. ad h. l.* adversus nos insurgit, *non sunt superstitio, sed verus Dei cultus, quia tenent caput, & consentanea sunt Divinæ voluntati, qua Deus per Christum in Scriptura præcipit vel consulit sui abnegationem, mortificationem, contemptum, paupertatem, abstinentiam, eáque probat Ecclesia, quæ Scripturæ & voluntatis Dei est interpres, quasi instituta secundum Evangelium, valdéque apta ad fovendam & augendam animi humilitatem, religionem, charitatem & pietatem.* Sic planè Sathanas excœcavit homines, ut eadem facientes, quæ damnavit Apostolus, & iisdem rationibus, seu potiùs falsis prætextibus usi, tamen sibi dicta negare non dubitent. Atqui Apostolus in cultu Dei damnat præcepta ac mandata hominum sine exceptione. Quomodo igitur ullis hominibus, nomen Ecclesiæ assumentibus, authoritatem tribuere potest, ut nova præcepta & doctrinas condant, & eos, qui timent aliud admittere, quàm quod in certo Dei verbo extat, hæreticos proclament; eos contra, qui homines *voluntatis Divinæ interpretes*, hoc est, novos Prophetas vocant, *Ecclesiam* insigniant; eosque audiant sine certo & indubitabili Dei verbo, & ceu fideles, ac Apostolo *præcepta hominum* rejicienti obedientes commendent; quin & *tenere caput* asserant illos, qui illi vicarium, heterogeneum surrogant, vel potiùs opponunt? Ut ita ad pietatem facere videantur illa, quæ sunt εἰς φθορὰν *ad corruptionem &c.* (v. 22.) & στοιχεῖα τοῦ κόσμου *elementa mundi* (v. 8. 20.) cùm tamen pietas in agnitione & amore Dei consistat, & fides omnia Dei beneficia grato animo, utens iis & non abutens, amplectatur; ut ea videantur ad charitatem facere, in quibus est ἄσκησις *exercitium* immanitatis, seu ἀφειδία σώματος οὐκ ἐν τιμῇ τινι *vexatio corporis non in honore quoquam*: ut denique θρησκεία τοῦ θελήματος seu, ἐθελοθρησκεία concedatur esse superstitio, & nihilominus voluntaria electio rei non præceptæ, adeóque in præcepto amoris Dei & proximi non comprehensæ *verus Dei cultus secundum Evangelium* dicatur. Quæ si sanorum hominum, & non dementium, sibíque contradicentium scita sunt, quid tandem adeò stultum absurdúmque dici poterit, ut sapiens & probabile non videatur? Sed de loco illo S. Pauli, jugulum vestrum feriente, plus satis. De charismatum cohibitione sic habe. Cùm Spiritus S. quò vult, spiret;

&

& charismata cognitionem inprimis rerum Divinarum sua liberè impertiatur, cui vult: annon eorum usus cohibetur apud eos, qui infirmitatis & fragilitatis suæ conscientia cœlibatum suscipere reformidant, adeóque charismata illa ad publici in Ecclesia fœnoris usuram provehere non possunt? Neque enim vel Ecclesia charismata Spiritus S. huic vel illi statui congruentia præscribere potest, (quod tu stolidè ajebas) vel Spiritus S. se Ecclesiæ vel hominum vestrorum legibus, consiliis, votis accommodare tenetur. Obstat ergo Lex cœlibatus, ne uxoratus suum charisma Ecclesiæ per ministerium impendere possit. Neque illa prohibere potest, quò minùs uxorati plures sint digni curatione Ecclesiæ, & sapientiam habeant ad docendam Ecclesiam, non minùs quàm cœlibes. Hoc ergo denique illa efficit, ut Spiritus S. dona inculta jaceant: & talenta Divinitus credita nolentes volentes multi defodere, imò Spiritum S. extinguere cogantur. 2. Majorem cœlibatus quàm matrimonii sanctitatem vel munditiem nullam esse, supra ostendimus; docuimúsque etiam, verba Apostoli 1. Cor. VII. 34. *Cœlebs curat ea, quæ sunt Domini, ut sit sancta & corpore & spiritu*, intelligenda non esse *κατ' ἀντιθέτητα*, quasi *γυνὴ* non curet ea, quæ sunt Domini, ut sit sancta & corpore & spiritu; sed, quòd posito eodem animo, fide & charitate virgo libera sit ab omni alia cura, ut hoc solum curare possit, quò sit *sancta corpore & spiritu*; mulier autem non sit libera ab omni alia cura, sed præter curam illam, ut sit sancta corpore & spiritu, ad ea etiam, quæ mundi sunt, ut placeat marito, curanda obligetur. Nihil libertas illa majoris munditiei vel sanctitatis cœlibatui addit, nihil matrimonio detrahit: sed tantùm *τὸ συμφέρον utilitatem*, (uti v. 35. Apostolus loquitur, distinguit, ut cœteris paribus majus commodum cœlibatus ad eandem munditiem corporis & spiritus tuendam, quàm matrimonium præstet. Alias, quod rectè Espencæus vester *ad h. l.* monet, omnium fidelium corpora sunt membra Christi, ejusdem sanguine mundata; & templa Spiritus S. ab eodem purificata. Audi Lombardum: *Hæc* (virgo) *de damnatione non timens, & de salute secura, cogitat tantùm quæ sunt Domini, scilicet, ut sit sancta corpore, id est, actionibus, quæ geruntur ministerio corporis: & spiritu, id est, voluntate. Hoc etiam & nupta fidelis & casta facit, quæ non modò spiritu, sed etiam corpore sancta est. Non enim fieri potest, ut non sit sanctum corpus, quo sanctificatus utitur spiritus: sed ampliùs innupta hoc facit, quæ libera à necessitatibus mundanis, quibus constricta est nupta, intentiùs cœlestibus præceptis vacat.* 3. Quid verò tum, si Harpyæ vel Romanæ vel Madriticæ ungulis suis authores optimos lacerarunt? An eorum idcirco rationes minoris ponderis erunt? Lacerent Thomam Aquinatem, lacerent ergo etiam Gratianum vestrum, lacerent Cajetanum Cardinalem, Alphonsum à Castro; denique omnes illos, qui hac de re ante Dominicum Soto, qui primus timidè satis legem ad Apostolos retulit, scripserunt. Per nos etiam, si ita furere libet, discerpant. Anathemate contra digniores vos estis, ad Apostolos referentes id, quod eorundem doctrinæ è diametro adversatur. 4. Etenim S. Paulus non obscurè matrimonium Ministrorum Ecclesiæ probat ac confirmat tum 1. Tim. III. 2. ajens: Δεῖ ἐπίσκοπον ἀνεπίληπτον εἶναι, μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα, *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum*; & v. 11. 12. Diaconorum (quos Pontificii inter ordines referunt) *uxores similiter* (sint) *graves*, &c. *Diaconi sint unius uxoris viri*, &c. tum Tit. I. 6. ubi Presbyteri eligendi hanc legem præscribit: Εἴ τις ἐστὶν ἀνέγκλητος, μιᾶς γυναικὸς ἀνήρ. *Si quis inculpatus est, unius uxoris vir.* Describit ibi S. Paulus eum, qui in Ecclesiæ Ministrum eligendus sit: ideóque tum vitia, quibus eum cavere oporteat, tum virtutes, quibus præditum esse, notat.

In vitiis matrimonium nusquam numerat: quod tamen curiosissimè Papistæ faciunt, adeò quidem, ut reliqua omnia quàm hoc unum omittant. Ubi necesse est aut S Pauli fuisse insignem socordiam, absurdámque incogitantiam (quod locutus despuo) aut deinceps esse horum intolerabilem audaciam. Neque tantùm in vitiis non numerat; sed numerat in virtutibus: *Si quis sit inculpatus, unius uxoris vir* &c. Non hoc equidem Apostolus postulat, ut non sit cœlebs; neque etiam, ut sit uxoratus; utrumque enim liberum esse vult, juxta illa Christi Matth. XIX. 12. *Qui potest capere, capiat.* quasi ad Apostolos Christus dixisset: Vos de ea re nemini præceptum aut legem dicite; sed sinite quemvis se ipsum explorare, quid capere possit. Permittit igitur Apostolus Episcopo, ut sit maritus, non imperat: sed permittit esse unius uxoris virum, non polygamum, quia polygamia neminem fidelem, nedum Episcopum, gregis typum, decet, cùm sit ruptio fœderis Dei cum prima conjuge, Malach. II. 14. 15. Erat autem tempore Apostoli tum Judæis tum gentibus non inusitatum, ut vir duas uxores, vel uxorem & pellicem, vel uxorem, cum qua consuesceret, & repudiatam temerè, adeóque quoad vinculum jure Divino non solutam in connubio haberet. Quomodo ergo vobis cum Apostolo convenit? Ille dicit, eum, qui unius uxoris maritus est, quoad hoc esse *ἀνεπιλήπτον, ἀνέγκλητον, irreprehensibilem, inculpatum*, hoc est, non posse jure propterea reprehendi, culpari. Papa contra dicit, Eum, qui unius uxoris vir seu maritus est, non esse *ἀνεπίληπτον*, hoc est, posse eum jure reprehendi, in jus vocari. Et, quod omneis impudentiæ numeros implet, apud Papistas Papa, Cardinalis, Patriarcha, Episcopus, Presbyter habens concubinam, aut scortator (olim ante tempora Pii V. etiam Sodomita) erat *ἀνεπίληπτος*, hoc est, non irregularis. Scortatores ergo Sacerdotes vobis quoad regulam ordinis sunt irreprehensibiles, conjuges damnabiles. Horrendum Dei judicium, quo *velut sævi fluctus maris sua ipsi probra despumant*, Judæ v. 13. & *peccatum* suum *indicant, non celant*, Esai. III. 9. Sed præsto tibi est emplastrum. *Apostolus*, inquis, *hoc solum sibi vult, ne eligantur Episcopi digami, qui ante ordinationem in secundis nuptiis vixerunt: non qui electi uxores retineant vel ducant.* Episcopos esse *διγάμους*, hoc est, simul duas uxores in matrimonio habentes, æquè ac esse *πολυγάμους*, revera Apostolus vetat. At vetare, ne sint vel fuerint *δευτερόγαμοι*, hoc est, ne in secundis nuptiis vixerint vel vivant, vel omnino post ordinationem in matrimonio vivant, absurdissimum est. Cur enim sic dixisset: *Εἴ τις ἐστι* &c. *μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ, Si quis est unius uxoris vir*; & non potiùs *γεγονὼς μιᾶς γυναικὸς ἀνήρ, qui fuit unius uxoris vir*; sicut 1. Tim. V. 9. de vidua dixit: *Eligatur vidua γεγονυῖα ἑνὸς ἀνδρὸς γυνὴ* quæ *unius viri uxor fuit*, non, *ἐστὶ est*? Quantò rectiùs Syrus Interpres, in loco 1. Tim III. 2. והוא בעלא דחדא דאנתא *qui habet únam uxorem.* Et similiter in Tit. I. 6. Cui enim fiat verisimile, in tanto articulorum, qui in textu sunt, numero, hunc unum de præterito intelligendum? Aut quis non videt, *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ à communi* per omnes repetendum *τὸ εἶναι* illud; *Oportet irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, vigilantem, sobrium*, &c. Quis enim sanus sic hæc explicet, ut secundo loco suppleat *fuisse*, reliquis omnibus repetat *esse*. Quis tantam anomaliam ferat? Tum si *fuisse* virum voluit, non *esse*, cur v. 11. subjicit: *Γυναῖκας ὡσαύτως σεμνάς* &c. *Conjuges similiter modestas, non calumniosas &c.* Quid enim nocere possunt, quæ olim fuerunt, nec sunt ampliùs uxores? An legitima adversus eligendum exceptio est, fuisse olim illi uxorem non bene moratam? In tanta superstitionis austeritate quis simile quid apud vos observavit? Denique *δίγαμος*, seu potiùs *δευτερόγαμος*, hoc est, qui post prioris conjugis obitum secundas nuptias contraxit, sive ante Episcopatum id fecerit, sive

in

in Episcopatu id fecerit, nullum propterea ἔγκλημα, accusationem, damnationem nullam meretur, neque culpæ ullius reus est, ut propterea vel ad Episcopatum admitti nequeat, vel in Episcopatu cum uxore etiam secunda, tertia &c. vivere nequeat. Mortua enim conjuge vir solutus est à lege uxoris; quemadmodum & mulier à lege mariti libera est, quando is mortuus est. dummodo honestæ sint nuptiæ, & in Domino, Rom. VII. 1. 2. &c. 1. Cor. VII. Ita etiam Apostolus 1. Tim. V. 9. jubens eligi viduam, ἑνὸς ἀνδρὸς γυναῖκα γεγονυῖαν *quæ unius viri uxor fuit,* non digamam, seu δευτερόγαμον intelligit, (quomodo enim repudiare poterat viduam, quæ junior in Domino nupserit 1. Cor. VII. 39. & fecerit, quod ipse suadet ibidem v. 14. & quidem propterea suadet, ne cui occasio detur vituperandi nuptias, nimirum & secundas?) sed quæ vel fuerit adultera, vel cum viro priori divortium fecerit, & alteri nupserit. de quo casu Christus loquitur Matth. XIX. 9. Luc. XVI. 18. Ὁ ἀπολελυμένην γαμήσας μοιχᾶται. *Qui repudiatam duxerit,* adulterium committit. Cum qua quis autem μοιχᾶται, ea ipsa quoque μοιχαλὶς *adultera* est. Secundas nuptias legitimè etiam contractas gentiles olim sugillarunt. Sed Christianorum non est illos imitari. Tametsi enim ex ἀτυχημάτων, minimè optandæ sunt, quia id cum amore & fide conjugali pugnaret. tamen, si cui ea calamitas evenerit, etiam damnandæ non sunt, dummodo & honestæ illæ sint, & in Domino contrahantur. Sed Patres crepas, imò ὅλην φυλάκην ostentas. Illi verò, siqui sunt, Latini potiùs, quàm Græci verba Apostolica potiùs accommodant ad statum Episcoporum, qui in Ecclesia tum ex Siriciana constitutione obtinebat, quàm interpretantur. Si tamen interpretantur, clarissimum Apostoli textum sibi adversantem habent, uti supra demonstravimus. Ex Justino, Scriptorum Ecclesiasticorum antiquissimo, & Apostolicis temporibus proximo, quis non μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ *unius uxoris vir,* sed digamus sit, & ea ætate habitus fuerit, rectissimè discemus. Is enim *Apolog.* 2. in argumentum innocentiæ Christianæ adductis verbis Salvatoris: *Quisquis aspicit mulierem, ut eam concupiscat, jam adulteravit eam in corde suo* &c. subjicit: ὥσπερ καὶ οἱ νόμῳ ἀνθρωπίνῳ διγαμίας ποιούμενοι, ἁμαρτωλοὶ παρὰ τῷ ἡμετέρῳ διδασκάλῳ εἰσὶ, καὶ οἱ προσβλέποντες γυναικὶ πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς· *Sicut qui permissu legis humanæ duplex matrimonium contrahunt, apud magistrum nostrum peccatores sunt: ita etiam, qui adspexerint mulierem ad concupiscendam eam.* Secundum Justinum ergo qui ex præscripto legum humanarum, id est, Romanarum civilium, repudio uxori renuntiato aliam ducit, διγαμίαν ποιεῖ, *digamus est.* Ejusmodi porro digamos haud dubiè etiam Apostolus ab Episcopatu removit. Sed invaluit contra ante plura secula, ut qui una uxore mortua alteram duxissent, *digami* dicerentur, & qua tales ad sacros ordines non admitterentur. Videbatur enim digamia nescio quid incontinentiæ & carnalis propensionis redolere. Omnes verò vel minimas suspiciones ab Episcopis illi remotas voluerunt. Hujusmodi ergo sententiæ suppositæ verba Apostoli, ut fieri solet, accommodarunt. Interim non deerant tempore Theodoreti, qui detorsioni huic assensum non præberent, quibus ipse Theodoretus præbere maluit. Sic enim ille *ad 1. Tim. III 2.* (totum locum sententiam nostram nervosè complexum repræsentare è re fuerit) Τὸ δὲ μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα εὖ μοι δοκοῦσιν εἰρηκέναι τινές· πάλαι γὰρ εἰώθεισαν καὶ Ἕλληνες καὶ Ἰουδαῖοι, καὶ δυσὶ καὶ τρισὶ καὶ πλείοσι γυναιξὶ νόμῳ γάμου κατὰ ταυτὸν συνοικεῖν· Τινὲς δὲ καὶ νῦν, καίτοι τῶν βασιλικῶν νόμων οὐδὲ κατὰ ταυτὸν ἄγεσθαι κωλυόντων γυναῖκας, καὶ παλλακαῖσι μίγνυνται καὶ ἑταίραις· ἔφασαν τοίνυν τὸν θεῖον Ἀπόστολον εἰρηκέναι, τὸν μιᾷ μόνῃ γυναικὶ συνοικοῦντα σωφρόνως, τῆς ἐπισκοπῆς ἄξιον εἶναι χειροτονίας· Οὐ γὰρ τὸν δεύτερόν, φη-

σιν, ἐξέβαλε γάμον, ὅγε πολλάκις τοῦτο γίνεσθαι κελεύσας· Γυνὴ γὰρ, φησι, δέδεται νόμῳ ἐφ' ὅσον χρόνον ζῇ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς· Ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ ὁ ἀνὴρ, ἐλευθέρα ἐστὶν ᾧ θέλει γαμηθῆναι, μόνον ἐν κυρίῳ· Καὶ πάλιν λέγω δὲ τοῖς ἀγάμοις καὶ ταῖς χήραις· Καὶ συνάψας ἑκάτερον τάγμα, ἕνα τέθεικε νόμον· τῷ ὄντι γὰρ ὑπερκειμένης τῆς ἐγκρατείας οὐ τῆς γνώμης ἡ διγαμία· εἰ μὲν γὰρ αὐτὸς τὴν προτέραν ἐκβαλὼν ἑτέρᾳ συνεζύγη, μέμψεως ἄξιος καὶ κατηγορίας ὑπεύθυνος· Εἰ δὲ τὸ βίαιον τοῦ θανάτου διέζευξε τὴν προτέραν, ἡ δὲ φύσις ἐπικειμένη δευτέρᾳ ζευχθῆναι κατηνάγκασε γυναικὶ, οὐκ ἐκ γνώμης, ἀλλ' ἐκ περιστάσεως ὁ δεύτερος γεγένηται γάμος· Ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα σκοπούμενος, ἀποδέχομαι τῶν οὕτω νενοηκότων τὴν ἑρμηνείαν· *Illud autem,* Unius uxoris virum, *mihi videntur quidam rectè dixisse. Olim enim consueverant & Græci & Judæi cum duabus & tribus & pluribus etiam uxoribus simul jungi lege matrimonii. Quin nunc etiam nonnulli, tametsi leges Imperatoriæ prohibeant duas simul uxores ducere, rem habent cum concubinis & meretricibus. Dixerunt ergo, Divinum Apostolum dixisse, eum qui cum una sola uxore pudicè cohabitat, dignum esse, qui ordinetur Episcopus. Neque enim secundum, inquiunt, rejecit matrimonium, qui illud sæpissimè jussit fieri.* Mulier enim, *inquit,* alligata est lege, quandiu vivit vir ejus: si autem vir mortuus fuerit, libera est, ut cui vult nubat, tantùm in Domino. *Et rursus:* Dico autem innuptis & viduis; *& utroque ordine conjuncto, unam legem constituit. Revera enim incumbente continentia, non est in voluntatis potestate secundum matrimonium. Si enim ipse, priore expulsa uxore, alteri fuerit conjunctus, dignus est reprehensione, & accusationi obnoxius. Sin autem vis mortis priorem disjunxerit, urgénsque natura secundæ uxori conjungi coegerit, non ex voluntate, sed ex casu processit secundum matrimonium. Hæc & alia id genus considerans, admitto eorum interpretationem, qui sic intellexerunt.* Quid clariùs, quid veriùs, quid sententiæ nostræ convenientiùs dici poterat? Sed non soli Theodoreto ita visum. Visum etiam Chrysostomo est, sic *homil.* 2. *in Tit.* scribenti: Ἐπιστομίζει τοὺς αἱρετικοὺς τοὺς τὸν γάμον διαβάλλοντας, δεικνὺς ὅτι τὸ πρᾶγμα οὐκ ἔστιν ἐναγὲς, ἀλλ' οὕτω τίμιον. ὡς μετ' αὐτοῦ δύνασθαι καὶ ἐπὶ τὸν ἅγιον ἀναβαίνειν θρόνον. *Obstruere prorsus intendit hæreticorum ora, qui nuptias damnant: Ostendens eam rem culpa carere, imò ita esse pretiosam, ut cum ipsa etiam possit quispiam ad sanctum Episcopatus solium provehi. Castigat quoque hoc ipso* τοὺς ἀσελγεῖς *lascivos & impudicos, dum eos non permittit post secundas nuptias* (quas scilicet ille repudiata priori conjuge init) *ad Ecclesiæ regimen dignitatémque Pastoris adsumi. Nam qui nullam benevolentiam* (πρὸς τὴν ἀπελθοῦσαν) *erga* uxorem *discedentem* (seu *repudiatam.* perperam enim Ambrosius Camaldulensis reddidit *defunctam,* quod nec verbo ἀπελθούσης, nec rei, quam tractat, congruit) *servasse deprehenditur, quo pacto hic Ecclesiæ bonus magister esse poterit? imò quibus non criminibus indies subjicietur? Nostis enim profectò omnes, etsi per leges secundæ nuptiæ* (post repudiatam uxorem priorem. ita enim leges & Mosaicæ & Imperatoriæ variis de causis, uti videre est sub hoc titulo cùm in Digestis, tum in Codice, divortia permittunt) *permittantur, multis tamen eam rem accusationibus obnoxiam esse.* Neque aliter Oecumenius. Dissentire nihilominus veteres quosdam, Latinos inprimis, ac inter hos etiam Augustinum, Innocentium &c. quorum verba Gratianus *Dist.* 26. exscripsit, nullus dissimulo. Hi enim, quos recentiores Latini secuti sunt, digamum esse volunt, qui unam ante, & alteram post susceptum baptismum uxorem duxerit, ac proin Episcopatu arcendum. Tantis ergo Ecclesiarum doctoribus in contrarias sententias euntibus, album nos calculum adjicimus prioribus, quia Apostoli mentem, uti rationes superiùs allatæ evincunt, assecuti penitiùs, adeóque ἀκριβέστερον locuti sunt. Quanquam nec posterioribus ea mens fuit, quæ

Papistis

Papistis est, quòd digamia scilicet irregularem faciat; scortatio verò & vagæ libidines non item. Ubi notabilis est ad rescriptum Pelagii Papæ, *C. Fraternit. dist.* 34. concedentis fornicatorem, qui ex ancilla sua, post obitum uxoris, filios susceperat, ad diaconatum provehi, glossa: *Ecce casus, ubi plus juris habet luxuria, quàm castitas, quia castus repelleretur, si contraxisset cum secunda: sed fornicator non.*

OBIECT. II. *Apostoli postquam ministerio Christi se addixerunt, uxores suas reliquerunt Luc. XVIII. 29. Matth. XIX. 29. teste etiam Hieronymo contra Jovin. lib. I. Ergo universis etiam clericis, ut uxores relinquant incumbit.* Resp. 1. Si Apostoli uxores reliquerunt, pro tempore præferentes religionis negotium, non iccirco eas dimiserunt, vel repudiârunt. Separationem enim quoad tempus cum mutuo consensu Apostolus 1. Cor. VII. 5. non improbat. At dimissionem nisi ob fornicationem Matth. XIX. 9. prorsus vetat. 2. Apostolos, præsertim Petrum uxores circumduxisse, ex 1. Cor. IX. 5. constat 3. Neque aliter secundum Salvatorem relinquendæ sunt uxores, quàm parentes ac liberi, idque ab omnibus æquè ac ministris. 4. Hieronymo opponimus Clementem Alexandrinum, & Tertullianum confitentem, quòd ἀδελφὴ γυνὴ apud Apostolum uxorem denotet.

Excip. Reding: 1. *Cùm fatearis, Apostolos uxores reliquisse pro tempore, ob religionis negotium: istud verò negotium Apostolos & successores eorum Sacerdotes jugiter urgeat; qua fronte negas, Apostolos non pro omni tempore Apostolatus uxores reliquisse; inprimis cùm S. Petrus ad Christum dixerit:* Nos omnia reliquimus; *& Christus remunerationem promiserit absolutè uxores relinquentibus, non ad tempus duntaxat.* 2. *Alia ratio uxorum; alia parentum & liberorum est. Christus enim Apostolos uxores relinquentes suæ benedictionis arrha firmavit; & præmunivit, non omnes hoc capere. ut dispar sit ratio Ministrorum Ecclesiæ, & aliorum.* Ibid. pag. 451. 452. Resp. 1. Religionis negotium & Apostolos, & Ecclesiæ Ministros, & quosvis fideles alios jugiter ursit, urgétque. Devincit enim omnes fideles Deo jugiter & cognoscendo & amando. Si igitur ratio tua pondus habet, religio matrimonium, adeóque œconomiam in universum; non in clero duntaxat, sed populo etiam fideli abolet. Sin religionis negotium tibi ministerium publicum est, noveris, & Sacerdotes ac Prophetas, ministerio huic jugiter addictos, nubendi libertate abundasse: & populum clero publicè ministranti adesse, ac cum eodem religionem ejúsque sacra tractare: neque propterea libertate matrimonii excidere. Dixi ergo, Apostolos uxores reliquisse, *pro tempore præferentes religionis negotium,* hoc est, cùm illæ vel sequelam Christi impediverunt, vel oneri fuerunt Ecclesiæ, vel domesticis curis distractæ eosdem à Christo missos prosequi non potuerunt, quanquam liberum iis fuit sorores uxores conducere: neque hoc facere, ulla lege prohibiti sunt. Quid hoc ad Ministrorum Ecclesiæ communem sortem; qui nec ordinariè, sicut Apostoli, in mundum & dissita maximè loca mittuntur; nec familias alentes Ecclesiam magis quàm sacrificuli (imò minùs etiam) onerant? De verbis S. Petri, & responsione Christi Matth. XIX. 27. 29. fusè supra. 2. Uxorum & parentum ac liberorum causam perversè separas, quam Christus ipse conjunxit Matth. XIX. 29. his verbis; *Omnis qui reliquerit domos, aut fratres, aut so-*

rores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos &c. propter nomen meum, centuplum recipiet, &c. Ubi ergo tibi frons, ubi mens scribenti, *Christum Apostolos uxores relinquentes suæ benedictionis arrha firmasse.* Ubi enim uxorum vel solarum, vel præ cœteris meminit? Et verba sua; *Non omnes capiunt hunc sermonem,* ad quos direxit? Ad discipulos, interrogantes. Illis ergo dicta, non magis clero potentiam continendi, quàm populo promittunt: ac proin nec clerum præ populo obligant. Liquet planè, desperationem respondendi ad argumenta mea ad eas te angustias redigere, ut nil pensi habeas ineptissima & absurdissima proloqui, dum ne ἰχίμυθ@ videare.

OBIECT. III. *Cœlibatus Sacerdotum sancitus est veteribus Conciliis, puta Neocæsariensi Can. I. Niceno I. can. 3. Elibertino, Arelatensi II. Carthaginensi I. & V.* Aug. Reding *pag.* 770. Resp. 1. Nulli Concilio potestas competit ejusmodi legem tyrannicam, verbo Dei & naturali juri repugnantem figendi. 2. Quòd si cœlibatus Conciliorum decretis omnino sancitus esset, non alia tamen quàm ecclesiastica lege niteretur. Cujus proinde legis incommoda cùm nunc manifesta sint, non immeritò ipse Pius II. & in Concilio hoc Orator Bavariæ, Archiepiscopus Pragensis, Episcopus Quinqueecclesiensis, aliique plures judicârunt, *ab ecclesia Occidentali olim ademptum Sacerdotibus conjugium, nunc meliori jure restituendum esse.* Sed & teste Lindano Gerson judicavit, *multa olim severo rigore statuta esse, quæ nunc in pejora defluentibus moribus non modò inutilem, sed etiam impossibilem executionem habent.* 3. Adversarii non alia Concilia quàm Latina & Occidentalia, eáque non Oecumenica, sed provincialia duntaxat objiciunt. De Niceno enim statim dicemus. 3. Canon I. Neocæsariensis jubet τῆς τάξεως μετατίθεσθαι *ordine removeri* presbyterum, ἐὰν γαμήσῃ *si uxorem duxerit.* Prohibentur nuptiæ post initum ordinem contrahendæ, non ante contractarum usus. Imò Ancyranus canon ne illas quidem præcisè, sed tantùm si ordinandus promiserit se non contracturum. 4. Miror verò, Adversarium perfricuisse frontem, ut adhuc Nicæno Concilio inniti non dubitet. Quid enim manifestius est, quàm Concilii illius Canone III. non aliam ecclesiæ Ministris prohiberi mulierem, quàm συνείσακτον *subintroductam,* quam *Focariam* Synodus Vest-monasteriensis appellat, qualémque P. Samosathenum habuisse narrat Eusebius *Hist. Eccl. lib. VII. cap.* 24. Veram autem mulierem conjugem non prohiberi eo canone liquet, tum quia vera mulier conjux non est συνείσακτος *subintroducta*: tum quia talem mulierem prohibet ὅλως ἑνὶ τῶν ἐν κλήρῳ *omnibus qui in clero sunt,* cùm Pontificii minores Ordines à cœlibatus lege immunes esse dicant: tum quia etiam laicis interdicitur mulier συνείσακτος, uti probatur ex responsis Eliæ Metropolitani Cretæ, *lib. I. Responsorum,* quæ extant tomo primo Juris Græco-Romani. porro iis uxorem habere licet: tum quia Novellâ 123. uxor separatur à συνεισάκτῳ: tum quia hoc genus mulierum συνεισάκτων

κτων à solis iis habebatur, qui profitebantur non vel voto, vel lege, sed libera voluntate *ἀγαμίαν cœlibatum*, uti constare potest ex Concilii Carthag. I. can. 3. Balsamone in Basilii Epistolam, Novella 123. Photio in Nomocanone *titulo* 8 *cap.* 14. quæ etiam causa est, quòd Canon uxorem non excipit, sed tantùm matrem, sororem, reliquas. Quid vero multis? Gelasius Cytzicenus in actis Concilii Nicæni Parisiis impressis *Cap.* 3. *pag.* 170. testatur, Concilium illud *de quæstione hac tacuisse, & eorum arbitrio reliquisse, qui volunt ex mutuo consensu à propriis uxoribus abstinere; nec ut quidem Episcopi urgebant, hac de re legem ferre voluisse.* Idque factum esse tum ipse Gelasius, tum Socrates & Sozomenus narrant ea occasione, quòd Episcopis quibusdam ejusmodi legem molientibus, insurrexit Paphnutius, inclamavitque, *μὴ βαρὺν ζυγὸν ἐπιθεῖναι τοῖς ἱερωμένοις ἀνδράσι, τίμιον εἶναι τὴν κοίτην, καὶ αὐτὸν ἀμίαντον τὸν γάμον λέγων, grave jugum sacris viris caverent imponere, Honorabile esse etiam cubile, nuptiásque impollutas &c.* Sicut igitur in Tridentino Concilio: ita etiam in Nicæno non deerant legis hujus & machinatores & oppugnatores. Sed Nicæni Patres Paphnutio verbum Dei prædicanti paruerunt. At Tridentini Oratorem Bavariæ, Archiepiscopum Pragensem & Quinqueecclesiensem Episcopum, legem illam ex Dei verbo oppugantes, vix æquo animo audiverunt, nedum verbo Dei victas manus dederunt. Quid verò ad hanc Concilii & Paphnutii historiam à Cl. Vedrosio objectam Redingius? In cæteris satis audax, hîc tamen apertè negare historiæ veritatem non sustinet. Noverat fortè, Stapletonum, Gabrielem Vasquez, Medinam, Espencæum & nuperime Petrum de Marca *de Concord. Sacerdot. & Imper. lib.* I. *cap.* 8. aliósque historiam agnoscere & contra tribules suos defendere. Suspectam tamen reddere conatur *p.* 712. Paphnutii, quem *bonum senem* malus Sophista vocat, historiam, & Concilii sensum genuinum oppugnat primò ex Epiphanio *hæres.* 59. conquerente, quòd adhuc Episcopi generent, & quidem contra Canones ecclesiasticos. Atqui contra Canones esse, ut Episcopi generent, non dixit Epiphanius, sed *τὸν τεκνογονοῦντα οὐ δέχεσθαι, μάλιστα ὅπου ἀκριβεῖς κανόνες οἱ ἐκκλησιαστικοὶ liberos gignentem non recipi, maximè ubi canones ecclesiastici severi sunt.* Indicat igitur, non ubiq; terrarum clericis *ἀγαμίαν* impositam esse, innuitque Canones non universales, sed locis quibusdam particulares. Deinde inducit Basilium *Epist.* 17. allegato Concilii Nicæni Canone probantem, *non debere mulierculas cohabitare viris, cœlibatum nominetenus professis.* Sed primò infeliciter Basilii verba citantur. Non enim ad Paregorium suum scribit, *non debere mulieres cohabitare viris*, sed, non debere cohabitare viris *Deo dicatis.* quod Adversarius, si Basilium ipsum inspexisset, in rem suam proclivius vertere potuisset. Deinde vetat Basilius *cœlibatum*

no-

nominetenus professos mulierculas habere, nempe, juxta Concilii Canonem, qui statim citatur, συνεισάκτες. Ubi Balsamon annotavit: *Eas autem introductitias appellavit tertius dictæ Synodi Canon, quæ introducuntur in ædes sacratorum hominum, qui uxores non duxerunt, & cum iis cohabitant.* Ergo quosdam cœlibatum professos non voto, non lege, sed libera voluntate, vetat Basilius alere domi suspectas mulierculas & focarias. Quid quæso hoc ad Sacerdotum cœlibatum? Tam purgatis naribus viro, & desperatam causam tam superbè, támque confidenter agenti stramineæ ejusmodi & pueriles ratiunculæ ne in mentem quidem venire debuerant. Interim agnoscet deinceps, Nicæni Concilii Canonem & Historiam Sacerdotum conjugio favere, cujus vel soli umbræ reliqua particularia & Provincialia, quæ oggeruntur Concilia meritò concedunt. 5. Elibertinæ Synodi Canonem mala fide Adversarius ita recitat: *Placuit prohibere Episcopis, Presbyteris, &c. in Monasterio, abstinere se à conjugibus &c.* At in Tomis Conciliorum ita legas: *Placuit prohibere Episcopis & positis in ministerio*, id est, dum ministrant, dum funguntur officio. Pro *ministerio* insigni & crassa fraude non erubuit scribere *monasterio*. 6. Carthaginense II & V. jubent Episcopos abstinere κατὰ τὲς ἰδίες ὅρες *secundum propria* (non *priora*, uti iterum pessima fide allegat Redingius) *statuta*, hoc est, *in præstitutis unius cujusque vicis diebus*, uti Balsamon, imò non obscurè etiam ipsum Concilium Trullense Canone 13. interpretantur.

EXCIP. REDING: 1. *Neo-Cæsariensis Concilii Canon 1. Ordine Presbyterum, qui uxorem duxerit, disertè removet. Quomodo hinc infers, ante ordines ductam ab eodem permitti. 2. Sed & Ancyrani Concilii Canon 5. de Diaconis, non Presbyteris loquitur. Licet autem iis licuerit ita protestari, tamen tacita professio iis & multò magis Presbyteris continentiæ necessitatem imposuit. 3. Concilii Nicæni canon 3. quamlibet mulierem subintroductam, excepta matre, sorore, amita, aliisque à suspicione remotis, ubi particula* nisi *ostendit, interdicit. Cùm ergo etiam mater, soror &c. inter subintroductas numerentur, palam est, subintroductam non esse Focariam; sed quamcunque, ex qua suspicio est incontinentiæ, adeóque etiam uxorem, utpote quæ non æquè ac mater, soror &c. excipitur; cùm ad rogationem Paphnutii inprimis excipienda fuisset. uti rectè Glossa Parisiensis arguit. Est ergo vox Subintroductæ generalis, & quamcunque in domum propriam subintroductam à quovis significare potest. Et favet etiam nobis; non tibi Balsamon à te citatus in Epist. Basilii, ubi disertè subintroductas vocari ait, quæ introducuntur in ædes sacrorum hominum, qui uxores non duxerint. 4. Paphnutii historiam ex Epiphanii & Basilii testimoniis falsam esse, planè constat. Epiphanius enim disertè dicit, uxorem ducere, non esse juxta Canonem, sed hominum mentem, quæ per tempus elanguit, & propter multitudinem, cùm non inveniretur ministerium. Ergo Canonem universalem, adeóque Nicænum, non particularem intelligit. Basilio verò viri Deo dicati, qui alii sunt quàm ordinati, quos inter ipse erat Paregorius? Idem citato Canone Nicæno probat, ordinatos ab uxoribus abstinere debere*, quia, *inquit*, cœlibatus suam honestatem in eo habet, si quis à mulieris nexu secesserit; Si autem cœlibatum professus

fessus re ipsa faciat, quæ conjugati faciunt, licet is virginitatis honestatem nuncupatione illius præstet, ab inconveniente tamen voluptate eum non desistere. *Concludit ergo:* Ejice illam ex ædibus tuis, trade te in Monasterium. Sit illa inter virgines, & tu inter viros ministra. *Hinc liquida Canonis Nicæni intelligentia petitur. 5 Canon 33. Elibertinæ Synodi utramque lectionem, & in* Monasterio, *&* in ministerio. *habet. Sed lege in* Ministerio. *An igitur sensus erit, non licere conjuge uti, tum, cùm quis actu ministrat. Quàm hoc absurdum erit? Intelligitur ergo officium, in quo à conjugibus abstinere, vel ad communionem laicam redigi Ministri debebant. 6. In Canone* (non 3 sed) 4. *Concilii Carthaginensis V. Parisiensis & Coloniensis editio legunt secundum priora statuta. quæ lectio melior est, quia major est authoritas Latinæ editionis, quàm Græcæ translationis. Quæ autem sint illa priora statuta, ex Concilii Charthaginensis II. cap.2. liquet, ubi Episcoporum & Presbyterorum ab uxoribus abstinentia sancitur. Neque ex Concilii Trullani can. 13 aliud probari potest, quia Concilium Trullanum sub Agathone habitum canones nullos habet: posterioris autem canones nullius authoritatis sunt. Balsamon etiam à te citatus schismaticus fuit. Quanquam Concilii etiam illius Trullani canones 6. & 13. vobis adversantes habetis.* Ibid. pag. 453—455. Resp. Nil hic præter *pergulam pictorum,* in qua *veri nil, omnia falsa.* Ita tibi sudandum fuit, ne & tu falsus videreris tuis, & causa tua à me humi prostrata jacere putaretur. Sed age, omnem & tibi & causæ tuæ fucum sic abstergam, ut posthac ne mutire quidem tibi liceat. 1. Concilii Neocæsariensis A.313. celebrati Canon I. sic integer habet: πρεσβύτερος ἐὰν γάμῃ, τῆς τάξεως αὐτοῦ μετατιθέσθω. ἐὰν δὲ πορνεύσῃ ἢ μοιχεύσῃ, ἐξωθεῖσθω τέλεον, καὶ ἀγέσθω εἰς μετάνοιαν. Dionysius Exiguus sic vertit: *Presbyter si uxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si verò fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit, ampliùs pelli debet, & ad pænitentiam redigi.* Ἐξωθεῖσθαι αὐτὸν alia versio reddidit, *extra Ecclesiam abjiciatur.* Gentianus Hervetus, *penitus extrudatur.* Legerunt videlicet τελέως. Vertendum sine dubio fuerit, *mysteriis,* sive *sacra communione pellendum esse.* Clarum de cœtero est, Canone illo non caveri, ne Presbyteri uxores suas ante ordinationem ductas haberent, sed tantùm, ne post ordinationem ducant. Dicunt enim Patres illi: Πρεσβύτερος ἐὰν γάμῃ· *Presbyter si nupserit,* jam videlicet Presbyter ordinatus; non, si nondum Presbyter nupserit. Atque id ipsum etiam liquet ex Paphnutii in Concilio Nicæno sermone; ἀρκεῖσθαι τὸ τὸν φθάσαντα κλήρου τυχεῖν, μηκέτι ἐπὶ γάμον ἔρχεσθαι, κατὰ τὴν τῆς ἐκκλησίας ἀρχαίαν παράδοσιν· μήτε μὴν ἀποζεύγνυσθαι ταύτης, ἣν ἅπαξ ἤδη πρότερον λαϊκὸς ὢν ἠγάγετο. *Satis esse, ut qui in Clerum fuissent adscripti, juxta veterem Ecclesiæ traditionem, jam non ampliùs uxores ducerent; non tamen quenquam sejungendum esse ab ea, quam antehac, cùm esset laicus, legitimè duxisset;* Socrate *lib.1.cap.11.* Sozomeno *lib.1. cap.23.* & Gelasio Cyziceno *Act. Concil. Nic. lib. II. 23.* testibus. Quod igitur ibi Paphnutius veteri traditioni adscribit, in præsenti canone Neocæsariensi constituitur, & nihil ampliùs. Neque enim vel in hoc, vel in alio quoquam antiquo canone decretum invenimus, quo Presbyteris, aliisque Clericis legitimo uxorum suarum consortio interdicatur. Primus hoc Siricius ausus est. Jam ergo res plana est. Neocæsarienses vetantes jam Presbyterum, adeóque, uti disertè Balsamon, μετὰ τὴν χειροτονίαν *post ordinationem* nubere, uxores nondum ordinatorum iisdem jam ordinatis neutiquam interdicunt, sed permittunt: nubentes ordine suo movent, at irritum conjugium non declarant: nec alia eosdem pœna afficiunt: denique fornicantes, adulteros extrudunt, ad pœnitentiam damnant, adeóque etiam laica communione privant. Papistæ neminem ordinant, nisi

vel cœlibem, vel qui uxorem priùs ductam abdicaverit: nubentis Presbyteri conjugium irritum & ſcortatione ac adulterio ipſo deterius declarant: ſcortatores, adulteros nec ordine ſuo movent, nec ad communionem laicam, nedum ad pœnitentiam relegant. Quomodo ergo vobis, Redingi, cum Patribus Neocæſarienſibus, ad quos impudenter provocaveras, convenit? 2. Neque ab Ancyrano Concilio tutiores eſtis. Ejus eodem, quo Neocæſarienſe coaluit, anno Ancyræ, Galatiæ in Tectoſagibus Metropoli, habiti canon X. ſic habet: Διάκονοι ὅσοι καθιστάμενοι, παρ᾽ αὐτὴν τὴν κατάστασιν εἰ διεμαρτύροντο καὶ ἔφασαν χρῆναι γαμῆσαι, μὴ δυνάμενοι οὕτω μένειν· Οὗτοι μετὰ ταῦτα γαμήσαντες ἔστωσαν ἐν τῇ ὑπηρεσίᾳ, διὰ τὸ ἐπιτραπῆναι αὐτοὺς ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου· Τοῦτο δὲ εἴ τινες παρασιωπήσαντες, καὶ καταδεξάμενοι ἐν τῇ χειροτονίᾳ μένειν οὕτως, μετὰ ταῦτα ἦλθον ἐπὶ γάμον, πεπαῦσθαι αὐτοὺς τῆς διακονίας· Dionyſius Exiguus ante mille annos in hunc modum vertit Latinè: *Diaconi quicunque ordinantur, ſi in ipſa ordinatione proteſtati ſunt, & dixerunt, velle ſe conjugio copulari, quia ſic manere non poſſunt: hi ſi poſtmodum uxores duxerint, in matrimonio maneant, propterea quòd eis licentiam Epiſcopus dederit. Quicunque ſanè tacuerint, & ſuſceperint manus impoſitionem profeſſi continentiam, & poſtea nuptiis obligati ſunt, à miniſteriis ceſſare debebunt.* Senſus expeditus faciliſque. De Diaconis, fateor, non Presbyteris loquitur. Sed utriſque æquè vos matrimonium prohibetis: & iiſdem rationibus prohibetis. Contra Ancyrani conſentiunt, quòd conjugium etiam poſt ſuſceptos ſacros ordines contrahere, ſimpliciter illicitum vel nefas non ſit; neque adeò contraria aliqua Lex extet, vel extare debeat. Si enim illicitum fuiſſet, levis ante ordinationem proteſtatio illud licitum reddere non potuiſſet. Indigetarunt ergo, Clericorum conjugia in ſe quidem legitima eſſe; ſed nihilominus propter Eccleſiaſticam ejus loci & temporis oeconomiam non permitti, niſi quis ante ordinationem proteſtatus fuerit, conjugium ſe inire, vel nuptias contrahere velle. De iis, qui ſic proteſtati nupſerint, dicitur: ἔστωσαν ἐν τῇ ὑπηρεσίᾳ, *ſint in miniſteriis.* An cum diſciplina hac quidquam veſtra commune habet, qua nemini licet vel proteſtari, vel poſt proteſtationem nubere; imò nubentes ſcortatoribus & adulteris pejores habentur, & ab uxoribus ſeparantur? Qua ergo, non dicam, fronte, ſed conſcientia ad ejuſmodi canones provocas? *Tacita*, inquis, *profeſſio Diaconis, & multò magis Presbyteris continentiæ neceſſitatem impoſuit.* Tacita profeſſio, inquam ego, ſed eadem libera. Licebat enim profiteri, proteſtari, vel non. Hanc libertatem Eccleſiæ reſtituite. S. Apoſtolis ſancitam eſſe perpetui cœlibatus legem: ſi valida eſſe, quæ vos pro lege illa jactatis, argumenta iidem exiſtimaſſent: an profitendi, proteſtandi, vel non profitendi, proteſtandi libertatem ordinandis integram reliquiſſent? An Epiſcopi permiſſioni commiſiſſent, quod ab Apoſtolis vetitum, turpe, inhoneſtum, ſcortatione pejus judicaſſent ipſi? Quòd ergo non proteſtantibus vel continentiæ neceſſitatem, vel remotionem à Diaconatu injunxerunt (nulla tamen addita ulteriore pœna, vel declaratione matrimonii ſic contracti irriti, uti vos & additis & declaratis) non id factum opinione neceſſitatis ob jus Divinum, vel Apoſtolicum, vel inſitam turpitudinem; ſed alias planè ob cauſas, quas ſic politiæ Eccleſiæ congruere putarunt. de quibus infra. 3. Nunc ergo ad magnum illud Concilium Nicænum, cujus ſcuto quàm malè hactenus te texeris, manifeſtum faciam. Sic autem Concilii ejus πολυθρύλλητος canon III. ſonat: Ἀπηγόρευσεν ἡ μεγάλη σύνοδος καθόλου, μήτε ἐπισκόπῳ, μήτε πρεσβυτέρῳ, μήτε διακόνῳ, μήτε ὅλως τινὶ τῶν ἐν κλήρῳ, ἐξεῖναι συνείσακτον ἔχειν, πλὴν εἰ μὴ ἄρα μητέρα, ἢ ἀδελφὴν, ἢ θεῖαν, ἢ ἃ μόνα πρόσωπα πᾶσαν ὑποψίαν διαπέφευγεν. Quæ idem, qui ſupra, Dionyſius Exiguus ſic vertit: *Interdixit per omnia magna Synodus, non Epiſcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino, qui*

in

in clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantùm personas, quæ suspicionem effugiunt. Non hic variam lectionem solicito, dum alii, velut Johannes Antiochenus, Justinianus, Simeon Logotheta Alexius Aristenus *ἐπείσακτον*, hoc est, *ἀλλοτρίαν extraneam* legunt. Lectio enim *συνείσακτον* sicut plurium Græcorum tam Manuscriptorum, quam impressorum codicum consensu firmata est, ita *γνήσιος* haud dubiè est. Atque id vel inde etiam evincitur, quòd hujus Concilii temporibus, & ante etiam, nonnulli, hæretici inprimis, hujusmodi mulieres *συνεισάκτους* dictas secum habitantes retinere consueverunt. Ita Epiphanius de Origenianis loquens *hæres.* 63. *κατηγοροῦσι δῆθεν τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τὰς ἀγαπητὰς, λεγομένας συνεισάκτους, γυναῖκας κεκτημένων. Accusant interim* (clericos) *in Ecclesia, qui dilectas, quæ vocantur συνείσακτοι, asciscunt.* Paucis interjectis de quodam in Palæstina Episcopo, quem se novisse è Confessorum fuisse numero scribit, *ἐσχηκότας δὲ τοιαύτας γυναῖκας, ἐξυπηρετουμένας αὐτῷ, φημὶ δὲ συνεισάκτους; qui habuerint mulieres ejusmodi sibi ministrantes, hoc est συνεισάκτους.* Similimúmque etiam *hær.* 67. *&* 68. meminit. Synodus Antiochena in Epistola Synodica ad Paulum Samosathenum, quæ apud Eusebium *lib. VII.* 24. extat: Τὰς δὲ συνεισάκτους αὐτοῦ γυναῖκας ὡς Ἀντιοχεῖς ὀνομάζουσι, καὶ τῶν περὶ αὐτὸν πρεσβυτέρων, καὶ διακόνων, οἷς καὶ τοῦτο καὶ τὰ ἄλλα ἁμαρτήματα ἀνίατα ὄντα συγκρύπτει· *Quid scribendum de ascititiis vel subintroductis ejus mulierculis, quas συνεισάκτους Antiocheni appellant, & eorum, qui cum ipso sunt, Presbyterorum, & Diaconorum, quorum & hoc & alia insanabilia delicta sciens occultat,* &c. Unde liquet, nomen isthoc ab Antiochenis mulieribus ejusmodi impositum esse. Jam ergo quænam fuerit Nicænis Patribus *συνείσακτος*, Clericis interdicta, quæritur. Uxorem fuisse cum tuis asseris: ego nego. Neque simpliciter nego, sed quinque rationibus prægnantibus probo, quas omnes alto silentio præteris, quia nihil tibi suppetebat, quo casdem refelleres. Inprimis discrimen uxorem inter & *συνείσακτον* evidentissimum est ex Justiniani Novella CXXIII. cap. 29. Τοῖς δὲ πρεσβυτέροις, καὶ διακόνοις, καὶ ὑποδιακόνοις καὶ πᾶσι τοῖς ἄλλοις τοῖς ἐν κλήρῳ τεταγμένοις, μὴ ἔχουσι γαμετὰς, κατὰ τοὺς θείους κανόνας, ἀπαγορεύομεν καὶ ἡμεῖς, κατὰ τὴν τῶν ἁγίων κανόνων δύναμιν, γυναῖκα ἵνα ἐν τῷ ἰδίῳ οἴκῳ ἐπείσακτον ἔχειν δίχα μέντοιγε μητρὸς καὶ θυγατρὸς, καὶ ἀδελφῆς, καὶ τῶν ἄλλων προσώπων, ἅτινα πᾶσαν ὑποψίαν ἐκφεύγει. *Presbyteris verò, & Diaconis, & Subdiaconis, & omnibus aliis in clero conscriptis, non habentibus uxores, juxta Divinos Canones etiam nos interdicimus, secundum vim Sanctorum Canonum mulierem aliquam in domo sua extraneam habere, præter matrem, & filiam, & sororem & alias personas, quæ omnem suspicionem effugiunt.* En discrimen inter *γαμετὴν uxorem* & *γυναῖκα ἐπείσακτον mulierem subintroductam*, manifestissimum. Nec minùs evidenter discrimen statuit Photius *Nomocan. tit.* 8. *cap.* 14. Ἡ δὲ β. διάταξις τοῦ αὐτοῦ α. τίτλου τῶν νεαρῶν λέγει· Μηδεὶς κληρικὸς γυναῖκα μὴ ἔχων, ἐπείσακτον ἐχέτω ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ, πλὴν μητρὸς, καὶ ἀδελφῆς, καὶ θυγατρὸς καὶ τῶν ἄλλων ἀνυπόπτων. *Constitutio autem II. ejusdem tituli I. Novellarum dicit: Nullus Clericus, qui uxorem non habet, præter matrem, sororem, filiam, & in quas aliuqui suspicio non cadit, in domo sua ascititiam* mulierem *habeto.* Sed & Chrysostomus pridem rem explicatam dedit. Ejus enim duæ leguntur orationes, una πρὸς τοὺς ἔχοντας συνεισάκτους *ad eos, qui domi tenent subintroductitias:* altera *ad eas, quæ domi habent viros subintroductitios.* Sunt XVII. & XVIII. sexti tomi editionis Savilianæ. Priore sic scribit: *Majoribus nostris duæ tantùm cognitæ fuerunt causæ, propter quas mulieribus viri cohabitent.* Has causas explicans, unam conjugium, alteram stuprum esse dicit.

Post: *Atqui nostra hac ætate tertius quidam novus & insolitus mos prodiit, cujus causam non facilè investigaveris; συνεισάκτων* scilicet, ad quarum dominos oratio dirigitur; *Εἰσὶ γὰρ τινες, οἳ γάμου καὶ συνουσίας χωρὶς, κόρας ἀπειρογάμους ἀγόμενοι καθίζουσιν οἴκοι διαπαντὸς, καὶ εἰς ἔσχατον γῆρας ἐνταῦθα συγκατακλείουσιν, οὔτε ἐπὶ παιδοποιΐᾳ· οὐ γὰρ φασὶν αὐταῖς συγγίνεσθαι, οὔτε ἐξ ἀσελγείας· λέγουσι γὰρ αὐτὰς ἀκεραίους διατηρεῖν. Sunt enim quidam, qui puellas innuptas ducunt, eásque semper domi collocant, & in extremam usque senectutem inclusas tenent, sine nuptiis & coitu, neque liberorum procreandorum gratia. Negant enim, se cum illis rem habere: neque libidinis causa; dicunt enim, se illas integras, incorruptas habere.* Hos graviter deinceps perstringit; atque etiam eos ridet, qui dicunt, *etiamsi videant συνοικοῦντα παρθένοις, καὶ περιδεδεμένον, καὶ τρυφῶντα, καὶ ψυχὴν προϊέμενον μᾶλλον, ἢ τὴν σύνοικον, καὶ πάντα καὶ παθεῖν καὶ ποιῆσαι αἱρούμενον, ἢ χωρισθῆναι τῆς ποθουμένης, cohabitantem, & animam potiùs perdere volentem, quàm cohabitatricem, paratúmque omnia & pati & facere potiùs, quàm à dilecta separari,* se tamen *μὴ πιστεύειν πονηρόν τι, μηδὲ ἐπιθυμίας εἶναι νομίζειν τὸ πρᾶγμα, ἀλλ' εὐλαβείας, nihil mali suspicari, nec putare hoc concupiscentiæ, sed pietatis potiùs opus esse.* Verissimè ad hæc Chrysostomus: *Ἀλλ' οὐ περὶ τῶν σώματα ἐχόντων, ὦ θαυμάσιε, ἀλλὰ περὶ τῶν λίθοις συνοικούντων οὕτω διακεῖσθαι χρή. Admirande vir, is est affectus eorum, qui lapidibus cohabitant, non hominibus.* Addit, se hujus *συνοικήσεως* non aliam suspicari causam posse, *ἀλλ' ἢ πονηρὰν ἐπιθυμίαν, καὶ ἡδονὴν ἐπονείδιστον, quàm malam concupiscentiam & ignominiosam voluptatem.* Altera oratione scripta ad virgines, quæ habent viros *συνεισάκτους*, sic inter alia scribit: *Εἰ ἄνδρας ἐπιθυμεῖς ἔχειν συνοικοῦντας, οὐκ ἔδει παρθενίαν ἑλέσθαι, ἀλλ' ἐπὶ τὸν γάμον ἐλθεῖν· πολλῷ γὰρ βέλτιον γαμεῖν ἐκείνως, ἢ παρθενεύειν οὕτως· Τὸν μὲν γὰρ τοιοῦτον γάμον οὔτε ὁ Θεὸς κατακρίνει, οὔτε οἱ ἄνθρωποι διαβάλλουσι· Τίμιον γὰρ ἐστι τὸ πρᾶγμα, οὐδένα ἀδικοῦν, οὐδὲ πλήττον· ἡ δὲ παρθενία αὕτη, ἡ μετ' ἀνδρῶν, πορνείας χαλεπώτερον παρὰ πᾶσι διαβέβληται· Si viros tecum habitantes cupis, non oportebat virginitatem eligere, sed ad nuptias transire. Multò enim melius illo modo nubere, quàm hoc modo virginitatem profiteri. Tales enim nuptias neque Deus condemnat, neque homines reprehendunt. Honesta enim res est; neminem offendit, neminem lædit. Virginitas autem cum viris ab omnibus magis reprehenditur, quàm ipsum stuprum.* Hactenus Chrysostomus. Liber *de singularitate Clericorum*, qui Cypriano authori perperam tribuitur, circa tempora Concilii Nicæni scriptus, totus in eo occupatus est, ut Clericos à consortio *συνεισάκτων* absterreat. Divinitus se admonitum, & propter istiusmodi fœminarum cum clericis commorationem severè correptum, ad scribendum animum appulisse, ait. Episcopus proin fuisse videtur, cui aliorum cura incubuerit. Sed & ante Concilium Nicænum scripsisse eum, inde colligitur, quia in suam rem authoritatem Synodi id ipsum, quod ille oppugnaverat, vetantis nuspiam vertit. Eum verò non de conjugibus, sed citra conjugium introductis sive ascitis mulierculis agere, harúmque consortium prohibere, ipsissima ejus verba, quæ *num.* 6. extant, planum faciunt. *Quòd si*, inquit, *mulier de viro suo nata usque hodie ipsum, cui jungitur, tentat, quanto magis illa, quæ copulatur, nulla lege conjuncta? Et si illi, qui duo sunt in carne una concreti, tentationibus mutuis invicem pungunt, quid facient hi, qui in una carne nec nati, nec juncti sunt? Quid est nunc, quod in hac conjunctione delectet, in qua sunt sola pugna? aut quæ utilitas favet, ubi non sunt officia conjugalia, quando nec ipsa possunt esse secura? Ipsum quoque conjugium suas etiam difficultates & molestias habet: quas itaque non habeat conversatio cum fœmina citra conjugium?* &c. *Ut quid sibi adhibuit mulierem, qui ducere contempsit uxorem?* &c. *Is, qui despexerit vinculum nuptiarum, & aliter vinculis fœmineis obligatur,*

obligatur, quamvis nullo concubitu misceatur, desiderio tamen, visu, colloquio, conjunctione semper oblectatur. Nam si desiderium fœminæ non haberet, nunquam fœminam suis oblectamentis assumeret. Mitto, quæ sequuntur, eandem in sententiam conspirantia omnia, potentissimè convincentia, authorem non contra conjuges clericorum, sed contra extraneas, & citra conjugii legem adscitas suspectásq; mulierculas loqui. Putidissimum enim est, quod Bellarminus *lib.* 1. *de Cler. cap.* 19. ait, cum *de conjuge, quæ simul continentiam voverit,* loqui. Talem si intellexisset, expressisset utique. Talem verò cum marito in eadem domo familiariter versari, absurdum fuerit, & cum toto libro, ejúsque scopo pugnans. Addo rescriptum Imperatorum Honorii & Theodosii Junioris, quod ex Canone Nicæno derivatum in utroque Codice legitur sub titulo *de Episcopis & Clericis*; & in Theodosiano quidem legem XLIV. in Iustinianæo XIX. facit. *Eum,* sic illud habet, *qui probabilem Seculo disciplinam agit, decolorari consortio sororiæ appellationis* (fuisse hanc inter ἱερατικὰς, ex Lipsio *Lect. Antiq. lib. III.* cognoscere est) *non decet. Quicunque igitur cujuscunque gradus sacerdotio fulciuntur, vel clericatus honore censentur, extranearum sibi mulierum interdicta consortia cognoscant; hac tantùm facultate concessa, ut matres, filias atque germanas intra domorum suarum septa contineant: in his enim nihil fœvi criminis existimari fœdus naturale permittit. Illas etiam non relinqui castitatis hortatur affectio* (quia videlicet juxta Paphnutium congressus cum legitima uxore castitas est) *quæ ante Sacerdotium maritorum legitimum meruere conjugium. Neque enim clericis incompetenter adjunctæ sunt, quæ dignos Sacerdotio viros sua conversatione fecerunt.* Manifestè sic inter legitimas uxores & illegitimas sorores, sive *extraneas* mulieres distinguitur; illarum consortium, utpote castum, permittitur: hæ, uti merentur, penitus exploduntur. Stat ergo jam, stabítque semper fixa adamante sententia, *συνείσακτον* à Concilio Nicæno Clero prohibitam nil minùs esse quàm conjugem; sed esse mulierem *extraneam,* quam Clerici, non utique conjugati (de his enim canon neutiquam agit) sed cœlibes, seu in cœlibatu quàm in matrimonio libera voluntate vivere malentes, in contubernium asciscere vetantur, ne cœlibatum colentes suspicionem scortationis cum talibus quocunque prætextu assumptis incurrant, ministeriúmque adeò suum ἀδόκιμον reddant. Neque contra irrefragabilia illa argumenta & testimonia antiquitatis ficulneæ ratiunculæ tuæ quicquam proficiunt. *Focariam* mulierem (quomodo non ego appellavi, sed Westmonasteriensis Synodus, cujus Bzovius *Append. ad Spond. Epit. ad A.* 1200. meminit, insignit) intelligi negas, quia in numero συνεισάκτων etiam mater, soror, amita, quæ fornicariæ non fuerint, numerentur. Quasi scilicet Synodus illa *Focarias* appellaverit alias, quàm quæ Clero à Nicænis interdictæ sunt. Potuerunt ergo συνείσακτοι dici mulieres & prohibitæ Clero, & non prohibitæ. Illæ, non hæ *focariæ* fuerunt; saltem tales in quas suscipio scortationis cum Clericis cadere potuit, uti ex Chrysostomo ostendimus. Præterea particulam πλὴν εἰ μὴ *nisi forte,* non semper excipere, sed aliquando adversari, vel mediocriter docti nôrunt; ut necesse non sit matrem, sororem, amitam, aliásque ἀνυπόπτους in censu συνεισάκτων habere. Sed *uxor,* inquis, *non excipitur.* Cur verò exciperetur in eo canone, qui non Clericis conjugatis, sed cœlibibus, & in statu cœlibatus non ulla lege vel voto, sed liberà voluntate, quandiu liberet, assumpto, suspectas mulieres in contubernium asciscentibus, opponitur? Etenim cœlibi, quâ & quandiu tali, quis conjugem prohibuit unquam? Quid ridiculum magis? Tum excipiuntur necessariò ea tantùm, quæ verborum eodem ambitu comprehendi possunt: at non solent, quæ sunt extra eum ambitum.

ambitum. Conjuges enim in ambitu *συνεισάκτων* nemo ſanus unquam comprehenderit. Sunt enim vir & uxor una caro: non item mater, ſoror, amita, quæ ſicut deſeri, ita *συνεισάγεσθαι una introduci* in domum, ceu extraneæ domus, poſſunt. Conjux verò jam conjux nunquam extranea domus, vel *συνείσακτος* cenſetur, vel eſt. Ad rogationem porrò Paphnutii canonem hunc conditum eſſe, malè tibi Pariſienſis gloſſa perſuaſit. Rogante ipſo non cœlibibus præſcriptus modus eſt, quo extra ſuſpicionem viverent, ſed Omiſſa lex Cœlibatus, quæ ut ferretur, machinati nonnulli fuerant. Diſertè id Socrates *Hiſt. lib. I. cap.* 12. teſtatur. *Διὰ*, inquit, *καὶ τὴν περὶ τούτου ζήτησιν διεσίγησαν*. *Inde* (audita Paphnutii oratione) *ſilentio obruta quæſtio, permiſſumque cujuſque arbitrio abſtinere congreſſu uxoris.* Non ergo canon ullus rogante Paphnutio ſancitus eſt. Quomodo denique tibi, non mihi, Balſamon favet? Hoc etenim eo teſte probavi, *hoc genus mulierum συνεισάκτων à ſolis iis habitum eſſe, qui libera voluntate cœlibatum profitebantur.* Annon hoc ipſum ſibi volunt verba à te ipſo poſita? Ubi tibi oculi, ubi mens? Verba ejus Græca *Schol. ad Epiſt. Baſilii ad Paregor.* ſic ſonant: *συνεισάκτους δὲ λέγει ὁ κανὼν, ὃς τρίτος ἐστὶ τῆς ἐρημένης συνόδου, τὰς εἰς κατοικίας ἱερωμένων ἀζύγων συνεισαγομένας, καὶ κατοικούσας σὺν αὐτοῖς.* Canon tertius Synodi dicit *συνεισάκτους illas, quæ in domos ſacratorum cœlibum introducebantur, & cum illis habitabant.* Inde mihi natum argumentum grave, uxorem in canone non intelligi, quia ille non conjugatis, vel conjugium inire volentibus, ſed *ἀζύγοις cœlibibus*, qua & quandiu tales ſunt, opponitur. Quid huc *conjugis* excludendæ mentio faceret? An ita ſtupes, ut argumenti vim non percipias; vel potiùs improbè diſſimulas? 4. Paphnutii (quem Rufinus *hominem Dei, Epiſcopum ex Ægypti partibus, confeſſorem ex illis, quos Maximinus dextris oculis effoſſis, & ſiniſtro poplite ſucciſo ad metalla damnaverat*, deſcribit, alia quoque in ejus laudem cumulans) teſtatiſſimam hiſtoriam ariolationibus vaniſſimis freti in dubium nulli vocaretis, niſi impudentiæ callum pridem obduxiſſetis. In ea narranda Socrates, Sozomenus, Gelaſius Cyzizenus, Nicephorus, Caſſiodorus, Gratianus, Antoninus conſentiunt. Et vos frivolis in contrarium conjecturis, lubricíſque artibus veſtris nixi, fidem vos apud cordatum quenquam reperturos confiditis? Epiphanii locum ſupra excuſſimus. Non dixit ille, repeto, Presbyteros & Diaconos gignere liberos, eſſe contra Canones; ſed non admitti id, *μάλιστα ὅπου ἀκριβεῖς κανόνες οἱ ἐκκλησιαστικοὶ, maximè ubi accurati ſunt canones Eccleſiaſtici.* Non ergo, teſte eo, ubique id non admittitur. At Nicæni Concilii, utpote Univerſalis, Canones ubique obtinebant. Non ergo hos Epiphanius indigetavit. Cur ad hoc non reſpondes? Ita ſi dixeris, ubique Monachis interdici veſtem ſecularem: ſed ubi auſterior diſciplina, etiam ſuper ſarmentis cubari; non tamen ſignificaveris, juberi omnes Monachos ſic cubare. Sic Epiphanius indicavit, non eſſe ubique terrarum impoſitum clericis *ἀγαμίαν*, ſed quibuſdam locis duntaxat; & uno verbo, alias Eccleſias aliis rigidiores eſſe. Alias enim Hieronymus *Epiſt.* 83. conjugatis clericis orbem plenum eſſe, ſcripſit. Imò rejici conjugatos non dixit niſi in Oriente & Ægypto; Sozomenus *lib. III.* 21. in Theſſalia, Macedonia, Hellade & Theſſalonica. Non ergo Epiphanii illi Canones erant univerſales, ſed locis quibuſdam peculiares, ac maximè Orienti, in quo ipſe erat. Sed *idem* Epiphanius, ſic inſtas, *uxorem ducere, non eſſe juxta canonem, ſed hominum mentem, quæ per tempus elanguit, ſcribit. Ergo univerſalem, ergo Nicænum intellexit.* Ergo, inquam ego, Epiphanius ſibi ſtatim contradixit, orſa retexuit? Atqui illum ipſum *κανόνα* intelligit, de quo jamjam locutus fuerat. Et quàm, amabo, conſequentia illa à te contexta fœdè titubat? Quòd in quibuſdam locis Presbyteri, Diaconi & Hypodiaconi liberos gignunt, τῦ-

τὸ ὂ κατὰ τὸν κανόνα, ἀλλὰ παρὰ τὴν τῶν ἀνθρώπων κατὰ καιρὸν ῥαθυμήσασαν διάνοιαν, καὶ τοῦ πλήθους ἕνεκεν, μὴ εὑρισκομένης ὑπηρεσίας, *illud non est juxta canonem, sed juxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit, & propter multitudinem, non invento ministerio.* Ergo Canonem universalem, adeóque Nicænum intelligit. Imò, Redingi, contrarium inde sequitur. Si enim universalem canonem intellexisset, dixisset haud dubiè, illud esse κατὰ τοῦ κανόνος *contra canonem*; sicut vos dicitis, postquam Tridentinus Spiritus clerum vestrum ad universalem cœlibatum obligavit. Propterea enim ampliùs conjugatos nullos, quamcunque illi causam prætexant, fertis. At Epiphanius conjugatos ad sacros ordines suo tempore admitti clarissimè docuit, & duas ejus rei causas allegavit; unam, *quòd elanguerit mens hominum*, adeóque ad continentiam seu cœlibatum non admodum proclivis sit; (perinde ac si cum Apostolo dixisset: *Propter scortationem quisque uxorem habeat: Si non continent nubant*, 1.Cor.VII.2.9. vel cum ipso Christo: *Non omnes capiunt hunc sermonem, sed quibus datum est*, Matth.XIX.11 Et si jam tum sic mens hominum elanguit, an in fœce hac temporum languor ille desiit?) Alteram, quòd nihilominus ministros, quot satis sint, in Ecclesiis esse oporteat. Concedit ergo, licet canon seu πολιτεία accuratior intercedat, conjugatos adhiberi posse, si necessarii atque idonei ministri desiderentur, & præsto non sint, qui sua sponte cœlibatum amplecti velint; ac proin legem vel ab Apostolis, vel ab aliis profectam universalem nullam agnoscit. Superest Basilius, d. cujus ad Paregorium sententia multa dicere nihil attinet. Nam vel verba à te citata ostendunt, eum, quod dixi, adversus eorum Clericorum, qui in cœlibatu quàm conjugio vivere maluerunt, mulieres συνεισάκτους detonare; & detonare meritò, juxta Concilii etiam Nicæni decretum, quod cùm non uxorem, sed focariam, seu suspectam Clericorum cœlibum mulierem proscripserit; non aliam Basilius, ejus authoritatem disertè allegans, præscribere potuit. Legat, qui voluerit, totam illam ad Gregorium illum, seu, uti aliæ editiones legunt, Paregorium Presbyterum, qui septuagenarius jam συνείσακτον secum in contubernio habuit (quam ut ejiceret, ei Basilius persuadere laboravit) epistolam. Nullam γαμετῆς, συζύγου, ὑπάνδρου, *uxoris*, *conjugis* mentionem uspiam reperiet. Reperiet γυναικὸς, γυναῖκα, συνεισάκτου, *mulieris*, *muliercula*, *extraneæ*. 5. De Concilio Eliberino multa dicere supersedemus; postquam ejus, ceu *decem & novem Episcoporum conventum, in orbis angulo congregatum*, authoritatem Baronius ipse *ad A. 57. n. 11. 119.* non leviter sugillavit, sed apertè oppugnavit. Canonis ejus XXXIII. hic tenor est: *Placuit in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconibus ac Subdiaconibus, positis in ministerio* (falsa, & optimis Codicibus, ac rei ipsi contraria est lectio *in Monasterio*. An enim Clerici illi in Monasterio erant? Nisi te vel fides bona, vel judicium vel ἀκρίβεια destituisset, lectionem genuinam non neglexisses) *abstinere se à conjugibus, & non generare filios.* Possemus Baronii, ejusdem Concilii Canonem XXXVI. imaginibus oppositum perstringentis, verbis respondere, vel potiùs canonem eludere: *Anne potuit, vel debuit decem & novem Episcoporum conventus in orbis angulo congregatus aliud statuisse, quàm ubique locorum universalis profiteretur Ecclesia. Ecquam tandem fidem meretur tam paucorum Episcoporum canon, quem totius Catholicæ Ecclesiæ usus contrarius continuò aboleverit, imò antequam nasceretur, extinxit?* Sed eò ut veniamus, necessitas nulla postulat, quia commoda verborum interpretatio adhiberi potest. Voces enim, *positi in ministerio*, non de universo eorum officio, sed de *temporibus vicis suæ*, hoc est, instante solenni Sanctissimæ Eucharistiæ celebratione, (sicut S Paulus 1. Cor. VII. 5. quibuslibet Christianis, cùm precibus & jejuniis solennibus vacandum est, πρὸς καιρὸν *ad tempus* separatio-

nem

nem suadet) intelligi commodè possunt. præsertim cùm ex eodem Concilio Gratianus *de Consecrat. dist. 2. can. 21.* Canonem, quem tamen inter cœteros hodie non legimus, recitet hujusmodi: *Omnis homo ante sacram communionem à propria uxore abstinere debet tribus, aut quatuor, aut octo diebus.* 6. Denique Concilii Carthaginensis V. Canonem III. (cum quo planè Concilii Carthaginensis II. Canon II. à te citatus convenit, uti ex Canonum Africanorum in unum corpus redactorum vigesimo quinto editionis Græcæ, ubi locupletiùs ille repetitur, constat) supra *Except. ad Arg. VII* solidè discussimus. Frustra lectionem *priora statuta* ibidem à nobis authoritate Synodi Aurelianensis II. Concilii Trullani, Balsamonis confossam, obtrudere denuo conaris. Licet enim non ignorem, Canonem illum Latinè, non Græcè primitus editum esse, tamen versiones Græcæ, & Trullensis inprimis Canon originalem & genuinam lectionem *secundum propria statuta*, adversus novellam illam, margini adscriptam, & à Gratiano usurpatam *secundum priora statuta*, confirmant. Trullensis enim Canon XIII. disertè habet: Ἴσμεν δὲ ὥσπερ καὶ οἱ ἐν Καρθαγένῃ συνελθόντες, τῆς ἐν βίῳ σεμνότητος τῶν λειτουργῶν ποιούμενοι πρόνοιαν, ἔφασαν, ὥστε τοὺς ὑποδιακόνους, τοὺς τὰ ἱερὰ μυστήρια ψηλαφῶντας, καὶ τοὺς διακόνους, καὶ πρεσβυτέρους κατὰ τοὺς ἰδίους ὅρους, καὶ ἐκ τῶν συμβίων ἐγκρατεύεσθαι. *Scimus autem, sicut & qui Carthagine convenerunt, ministrorum gravitatis honestatisque curam gerentes, dixerunt, ut Subdiaconi, qui sacra mysteria contrectant, & Diaconi & Presbyteri propriis terminis (seu statutis) à consortibus abstineant.* Quicquid verò de Concilij illius authoritate fiat (quod se ipsum tamen, non minùs ac Tridentinum, ἁγίαν καὶ οἰκουμενικὴν σύνοδον *Sanctam & Oecumenicam Synodum* non semel insignit: & Papam per Legatos ejus præsentem habuit, quin & nomine Synodi Romanæ Basilium Gortynæ Metropolitanum subscribentem, & si non Sergium Papam, saltem procedente tempore Hadrianum I. in Epistola ad Tharasium in Nicæno II. lecta, approbantem habuit. quibus ut & aliis argumentis Concilii ejus authoritatem Balsamon, quem schismaticum, quia Romæ vasallus non fuit, criminaris, aliique firmarunt) Canon, tamen ille de genuina Carthaginensis canonis lectione dubitare neminem sanum sinit. Nam ex eo Canone liquet, Græcam hanc istorum Canonum versionem ante Trullanum Concilium elaboratam fuisse. Unde palam est, antiquissimam lectionem esse *secundum propria statuta.* Aliter enim interpres, quicunque ille fuit, non vertisset κατὰ τοὺς ἰδίους ὅρους. Præterea Concilio illi interfuerunt Episcopi Africani, ipséque Archiepiscopus Petrus Alexandrinus, qui huic æquè ac reliquis Concilii Canonibus subscripsit. Hos verò, quomodo canones ipsorum, juxta quos Ecclesias illi suas moderabantur, legantur, latere non potuit: neque proin, si lectio illa canonibus suis Africanis repugnaret, assensum illi suum præbuissent. Quinimò Petrus ille Alexandrinus cum Episcopis suis Africanis non huic tantùm lectioni, sed verborum etiam illorum expositioni à Synodo factæ subscripserunt, qua hæc verba, ipsúmque adeò etiam Canonem Carthaginensem ita interpretati sunt, ut eo Clerici *in propriis suis terminis*, sive redeuntibus ad se vicibus, ἐν τῷ καιρῷ τῆς τῶν ἁγίων μεταχειρήσεως *eo tempore, quo sacra tractanda erant*, uti ipsi Patres loquuntur, uxoribus suis abstinere jubeantur. Quis autem existimat, Episcopos Africanos suum ipsorum canonem ita exponere, vel expositioni Concilii subscribere voluisse, nisi hanc veram Canonis Carthaginensis mentem esse, exploratum illi habuissent. Restat tibi novissimus ictus, quòd Concilii ejusdem Trullani canon VI. & XIII. nobis adversetur. Sed quid tum, si Concilii illius, uti præfabaris, nulla authoritas fuit? Præterea in summa rei nobis favet, vobis verò quàm maximè contrariatur. Etenim Trullenses illi *primò* Romanæ Ecclesiæ Cano-

num

nem revocant. *Quoniam*, ſic Canon XIII. habet, *Romanæ Eccleſiæ pro Canone traditum eſſe cognovimus, ut Diaconi vel Presbyteri, qui ut ordinentur, digni exiſtimandi ſunt, profiteantur, ſe non ampliùs ſuis uxoribus conjungendos.* Ἡμεῖς τῷ ἀρχαίῳ ἐξακολουθοῦντες κανόνι τῆς Ἀποστολικῆς ἀκριβείας, *Nos antiquum Canonem Apoſtolicæ perfectionis ordiniſque ſervantes, hominum in ſacris ordinibus* κατὰ νόμους *συνοικέσια legitima conjugia deinceps ex hoc temporis momento firma & ſtabilia eſſe volumus, nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem diſſolventes, vel eos mutua tempore convenienti conſuetudine privantes.* En canonem Romanæ Eccleſiæ opponunt, & hujus canonem refigunt diſertè, haud levi cum Papatus Oecumenici præjudicio. *Secundò* confirmant conjugia ante ordinationem contracta, ut valeant poſt ordinationem æquè ac priùs. *Quamobrem*, inquiunt, *ſi quis dignus inventus fuerit, qui Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter, ordinetur,* οὗτος μηδαμῶς κωλυέσθω ἐπὶ τοιοῦτον βαθμὸν ἐμβιβάζεσθαι, γαμετῇ συνοικῶν νομίμῳ. *is ad talem gradum aſſumi nequaquam prohibeatur, ſi cum legitima uxore cohabitet. Sed neque ordinationis tempore ab eo poſtuletur, ut profiteatur ſe à legitima cum uxore conſuetudine abſtenturum.* Siricianus & Hildebrandinus Canon veſter omnia alia ſancit: uxores ante ordinationem ductas ordinatis prohibens; & vi etiam arcens. *Tertiò* hanc validitatem deſignant peculiariter quoad thorum, permittentes νόμιμον πρὸς τὴν οἰκείαν γαμετὴν ὁμιλίαν, *legitimam cum uxore conſuetudinem* ne nobis ſophiſtica veſtra thori & curæ diſtinctione illudatis. *Quartò* prohibent, ne in ordinatione votum continentiæ exigatur. *Non poſtuletur ab eo ordinationis tempore,* ὁμολογεῖν *ut profiteatur* (nedum ut voveat) *ſe à legitima cum uxore conſuetudine abſtenturum.* Vos hodie ingeminatis votum ſive expreſſum, ſive implicitum. *Quintò* ſi ejuſmodi profeſſio exigatur, declarant Trullenſes, contumelia affici nuptias. ἵνα μὴ, inquiunt, ἐντεῦθεν τὸν ἐκ Θεοῦ νομοθετηθέντα, καὶ εὐλογηθέντα τῇ αὐτοῦ παρουσίᾳ γάμον καθυβρίζειν ἐκβιασθῶμεν, *ne ex eo à Deo conſtitutas, & ſua præſentia benedictas nuptias contumelia afficere cogamur.* Vos lege perpetui cœlibatus lata nuptias contumelia affici negatis. *Sextò* eos qui Romano more conjuges poſt ordinationem ducunt, contradicere Scripturis, iidem Trullenſes affirmant: *Evangelica, inquientes, voce exclamante, Quæ Deus conjunxit, homo ne ſeparet; Apoſtolo docente, Honorabiles nuptias & thorum immaculatum: & ; Alligatus es uxori, ne quæras ſolutionem.* Quæ diſerta teſtimonia Cœlibatus legi veſtræ efficere pernegatis. *Septimò* denique Trullenſes excipiunt modò, idque propter σεμνότητα *honeſtatem* miniſterii τοὺς ἰδίους ὅρους, *proprios terminos*, ſeu tempora, quibus *ſacra myſteria contrectantur*, quibus abſtinendum conjugibus ſit. Vos nullum tempus excipitis, & in univerſum abſtinentiam ſeverè præcipitis. En & multiplex & capitale Concilii hujus πενθέκτης ſeu *Quiniſexti* & Romanorum Pontificum, Tridentini Conciliabuli divortium! Ut non immeritò Latini cùm aliis, tum hoc etiam Canone Trullenſi ſe καιρίως πεπληγμένους *lethaliter vulneratos*, uti Zonaras & Balſamon loquuntur, ſenſerint. Mirabitur tamen haud immeritò, cui ſanus intellectus eſt, qui factum fuerit, ut non viderint Trullenſes, hæc ipſa, quæ in Canone illo comprehenduntur, argumenta vim ſuam integram obtinere non ſolùm in Diaconis & Presbyteris, ſed etiam tum Epiſcopis (quibus uxores ante Epiſcopatum ductas canon XII. eripit) tum in conjugiis non ante ordinationem duntaxat, ſed etiam poſt eam contractis, quæ Canon VI. vetat. Videlicet mira vis eſt conſuetudinis, imò gliſcentis ſuperſtitionis, ut ne ſinat ſibi humanam ſubtilitatem conſtare. Effecit tum amor nimius cœlibatus, quem à laicis excultum frequentiùs clerum magis decere putarunt. Intelligebant autem mandari non poſſe, ne quis

uxorem haberet, vel conjugali commercio uteretur. Erat igitur ὁ δεύτερος πλοῦς, ut sancirent, nemini fas esse, post initiationem ad nuptias transire, sed ante eam, quicquid ejus rei foret, perfici oportere. Inde enim futurum, ut continentes in Clero essent, tum quotquot amissa post initiationem conjuge dignitatem retinere, quàm ad secunda vota transire mallent. Visum insuper illis est, amare, procari, ambire nuptias puellæ, festivitatem nuptialem & hymenæos agitare, minùs Sacerdotali dignitati conveniens esse. Hæ, non aliæ causæ ad ejusmodi decreta statuenda eos compulerunt. Cæterùm non tam nobis nocet nuptias ordinatorum novas prohiberi, quàm Papistis præcedentium usum concedi. Si enim prohibendi conjugii causa legitima est, hanc ab ipso usu uxoris peti necesse est. Si in hoc nulla est, sequitur omnino nullam esse. Quod vel ipsa disputatio illorum arguit, in qua & impuritatem non aliunde petitam objiciunt, & identidem persuadere conantur, non solvi matrimonium, sed duntaxat separari torum. Si igitur obtinemus, in ipso thoro nihil esse incommodi, quid obstabit, quò minùs concludamus, ne in novis quidem post ordinationem contrahendis nuptiis quicquam esse absurdi, quod rectæ rationi & Divinæ voluntati repugnet. Et nos ergo causa superiores sumus, & nihil Adversariis exceptio prodest. Hæc, brevitatis cancellos supergressi, uberiùs exponere libuit, tum ut vel luculento specimine isthoc Redingii ἀπειρίαν & antiquitatis Ecclesiasticæ imperitiam apricarer, tum ut jubare meridiano clarius evaderet, legem cœlibatus, qualem Romana Ecclesia inde à tempore Siricii obtrusit, nullo vel Oecumenico vel particulari veteri Concilio sancitam, approbatam vel confirmatam; solique adeò Papæ Regno suo metuentis tyrannidi acceptam ferendam esse.

OBIECT. IV. *Patres quoque testantur, convenire Sacerdotibus, ut in cœlibatu vivant. nominatim Clemens Rom. Can. 25. qui solis lectoribus & Cantoribus conjugium permittit, qui canon allegatur in* Concilio Trullano Can. 6. *Hieronymus lib. I. contra Jovin. cap. 7. Origenes Homil. 23. in lib. Num. Eusebius lib. I. Dom. Evangel. cap. 9. Basilius in Can. 6. ad Amphiloch. Cyrillus Catech. 4. Epiphanius contra hæres. Gregorius Nyssenus de Virg. Cap. ult. Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus lib. II. de Adult. Conjugio cap. 20.* Aug. Reding. *pag. 707. 708. &c.* Resp. 1. Si qui patrum in ea sententia fuerunt, ii Christo & Apostolis, qui libertatem nubendi omnibus concedunt, totíque adeò ecclesiæ præscribere neutiquam possunt. 2. Neque verò diffitemur, Patres quosdam severitatis suæ exemplo præivisse Papistis. ac inprimis Hieronymum, de quo Erasmus, cum fervido quodam affectu interdum ita raptum esse, *ut piis viris videatur lædere matrimonium.* Et Jesuita Acosta *lib. II. de Christo revelato cap. 20.* ait, eum in medio certamine positum, *ardore feriendi adversarios, premere interdum etiam socios, conjugio iniquiorem.* Id tamen certum est, postremos quosque fuisse durissimos, longissiméque à primis, Græcos maximè abijsse. 3. Clementis Romani locum mala fide Adversarius citat. Extat lex *lib. VI. cap. 17.* satis, fateor, mirifica, quámque ne Redingius quidem, si inspicere gravatus non esset, probaret, hunc videlicet in sensum, *ut* Episcopi, Presbyteri, Diaconi, *post ordinationem, si uxores non habent, ampliùs non ducant; si ve-*


rò antea duxerant conjugem, ea ordinati contenti sint. Ministri verò, cantores, lectores & janitores monogami sint; si verò ante conjugium ad clerum accesserint, uxores ducant, si eis cordi est, ne cùm deliquerint, pœnas pendant. Ne etiam quisquam ex clero in matrimonium accipiat ἢ ἑταίραν, ἢ οἰκέτιν, ἢ χήραν καὶ ἐκβεβλημένην *peregrinam, amicam, viduam vel repudiatam.* An hæc tuo, Redingi, palato sapiunt? Præterea Constitutiones Clementis esse opus spurium & adulterinum, nòn nostri duntaxat, imprimis Cl. Rivetus & Dalléus probârunt, sed etiam in Papatu agnoscunt Bellarminus, Baronius, Perronius, Petavius, ne dicam de veteribus, Humberto, Gelasio, aliis. Origenes l. c. allegorizat, & sacrificium intelligit spirituale precum purarum, quas negat rectè obiri, nisi ab iis, qui sunt indesinenter casti. Loquitur de omnibus promiscuè, & castitatem ejusmodi commendat, cui etiam in conjugio locus esse potest. Eusebius Demonstrat. Evang. lib. I. cap. 9. ait, τοὺς ἱερωμένους, καὶ περὶ τὴν τοῦ θεοῦ θεραπείαν ἀσχολουμένους ἀνέχειν λοιπὸν σφᾶς αὐτοὺς προσήκειν τῆς γαμικῆς ὁμιλίας, *eos qui sacrati sunt, atque in Dei ministerio, continere se deinceps debere à commercio uxoris.* Quibus verbis intelligit non clericos, sed quodcunque genus Christianorum, perfectionem pietatis peculiariter profitentium, uti ex præcedenti capite, ubi perfectiores Christianos describit, liquere potest. Cyrillus Hierosolymitanus ex Jesuitarum officina prodiit, qui ipsum pro lubitu loquentem introducunt. Epiphanii, Chrysostomi, Gregorii Nysseni, aliorum loca solidè discutientem M. Anthonium de Dominis Spalatensem Archiepiscopum *de Rep. Eccl. lib. II. cap. X. sect. 79. 80. &c.* vide. Id duntaxat moneo, paucorum quorundam, nominatim Chrysostomi, Ambrosii, Hieronymi, aliorúmque sequioris ævi tantum momentum haud esse, ut tantam tyrannidem fovere oporteat, maximè oppositis aliis multis, tum ex Dei verbo, tum ex purioris ecclesiæ consensu ac praxi, argumentis.

EXCIP. REDING: *1. S. Patres sacræ ordinationi annexam continentiæ professionem impleri exigentes, non aliud equidem docuerunt, quàm Christus & Apostoli. 2. Clemens R. Can. 25. solis in clero lectoribus & Cantoribus conjugium permittit. Neque adeò mirifica est ejusdem, quæ Constit. lib. VI. 17. extat, Lex, quæ solum bigamum ordinari vetat. Sic tamen illud vetat, ut tamen minoribus ordinibus conjugium non prohibeat, quod majoribus interdixit. Et esse Clementis Constitutiones, seu Canones Apostolicos genuinos, inde liquet, quia Tomo 1. Conciliorum pag. 38. notatur, Canones illos Apostolorum authoritate conditos, & à Clemente R. Petri discipulo Græcè conscriptos esse. 3. Origenes disertè dixit, illius solius esse offerre sacrificium, qui indesinenter & perpetuæ se devoverit castitati. An hoc omnes Christianos attingit? Omnes ergo castitatem perpetuam voveant oportet. 4. Eusebium etiam torques, quia juxta explicationem tuam universi Christiani à commercio uxorum abstinere deberent. 5. Cyrilli* (non Clementis, uti oscitanter scribis) *Hierosolymitani suffra-*

gio nil cavillatio tua derogat. 6. *Reliquos Patres attingere ausus non es: & quibusdam Chrysostomo, Ambrosio, Hieronymo convitium facere non dubitas.* Ibid. pag. 456—458. Resp. 1. Qualem S. Patres professionem ab ordinandis factam impleri exegerunt? Liberam? Nihil hoc ad legem cœlibatus. Nam qui liberè cœlibatum profitetur, ei cœlibatus lege nulla imponitur. Neque vel liberam ejusmodi professionem, quam implicitum votum vocatis, vel olim, vel hodiéque, qui in Ecclesia Romana ordinati sunt, vel adhuc dum ordinantur, nuncupare sueverunt. Hic meras orationis vestræ fucus, non res est. An necessariam, per legem impositam, coactam? Non ergo, quod libentes volentes ordinandi professi sunt, impleri illi exegerunt; sed legis illius ab Ecclesia Siriciana impositæ observantiam urserunt; si qui urserunt. At nec Christus nec Apostoli legem cœlibatus ordinandis imposuerunt, fatentibus doctissimis vestrûm. Sed eamus in rem præsentem. 2. Clementis R. locus à me citatus, *lib. VI* 17. sic Græcè sonat: Ἐπίσκοπον, καὶ πρεσβύτερον, καὶ διάκονον εἴπομεν μονογάμους καθίστασθαι, κἂν ζῶσιν αὐτῶν αἱ γαμεταὶ, κἂν τεθνᾶσι· *Episcopum, & Presbyterum, & Diaconum diximus singulas expertos nuptias ordinari debere, sive vivant eorum conjuges, sive decesserint.* μὴ ἐξεῖναι δὲ αὐτοῖς μετὰ χειροτονίαν ἀγάμοις οὖσιν ἔτι ἐπὶ γάμον ἔρχεσθαι, ἢ γεγαμηκόσιν ἑτέραις συμπλέκεσθαι· ἀλλ' ἀρκεῖσθαι ᾗ ἔχοντες ἦλθον ἐπὶ χειροτονίαν· *Non licere autem post ordinationem, si sint non conjugati, ad nuptias transire: vel si conjugati, aliis copulari mulieribus. Sed contenti ea, cum qua venerunt ad ordinationem.* Quæ verba manifestè concedunt usum legitimæ uxoris post ordinationem. Neque contrarium probat Canon Apostolicus XXVI. (non XXV. uti malè citas) qui sic habet: Τῶν εἰς κλῆρον προσελθόντων ἀγάμων, κελεύομεν βουλομένους γαμεῖν, ἀναγνώστας καὶ ψάλτας μόνους. *Ex iis, qui non ducta uxore ad Clerum promoti sunt, jubemus, si velint, uxorem ducere Lectores & Cantores solos.* Quem Canonem Concilium Trullanum *can. VI.* titulo Ἀποστολικοῦ κανόνος *Apostolici Canonis* citat, atque ex eo conficit, non omnino Presbyteros conjugatos esse non posse, sed duntaxat post ordinationem nubere non posse. Quam Canonum illorum sententiam vobis magis quàm nobis officere, abundè supra demonstravimus. De Clementis porro Constitutionum & Apostolicorum Canonum germanitate litem heic nostram non facimus. Jure enim à te contendo, ut priùs cum Bellarmino, qui *de Script. Eccl. in Clem. p.* 53. & Constitutiones & Recognitiones Clementi triburas ὀβελίζει, nec non cum Baronio paria sentiente, aliisque præcipui apud vos nominis, denique quoad Apostolicos Canones cum Gelasio Papa vestro, Isidoro Hisp. aliis, universos illos ad apocryphorum subsellia relegantibus transigas, quàm mihi litem intendas. Saltem ratione tua ab authoritate eorum, qui Concilia collegerunt, petita nihil frigidius excogitari potuit. Si de genuina Clementis circa hoc argumentum mente certi quid cognoscere libet, non aliunde magis illa depromi poterit, quàm ex genuina illa, doctorum omnium confessione, ejus Epistola, quam Eusebius *Hist. lib. III.* 12. μεγάλην τε καὶ θαυμασίαν *magnam & admirabilem* vocat, & cùm veterum, tum sua memoria pluribus in Ecclesiis publicè legi affirmat. Ex ea Clemens Alexandrinus libris suis quarto & sexto Stromatum, quædam inseruit. In quarto complusculа inveniuntur, è quibus ad rem nostram faciunt ista, hic legi præ aliis ejusdem hypobolimæi næniis digna: Τὰς γυναῖκας ἡμῶν *Uxores nostras ad bonum conformemus. Amabiles mores castitatis ostendunto.* &c. Τὰ τέκνα ἡμῶν, *liberi nostri disciplinam Christi capessunto,* &c. Clementi igitur uxorem & liberos fuisse, inde confici possit. Si non ipse Episcopus, tamen è Clero, cujus nomine epistolam scripsit, aliquos uxoratos fuisse, probabiliter colligitur. 3. Origenes *Homil.* 23. *in Num.* dicit: *Videtur mihi* (en opinionem suam, non

non universalem canonem vel legem allegat) *quòd illius solius est offerre sacrificium indesinens, qui indesinenti & perpetuæ se devoverit castitati.* His verbis, quæ miserè à reliquo textu revulsa describis, ut inani tinnitu tuorum aures demulceres, Clericos ne nominat quidem, & in genere ista præmittit: *Quisquis ille vult esse perfectus, & sanctus:, justus agere debet diem festum: Si sacrificium indesinens offeramus: ille qui indesinenter colit justitiam, & conservat se ipsum à peccato: oratio justi.* &c. Quis tam effrons est, ut de solis clericis illa intelligat? Et quis tandem *sacrificium indesinens*, &, uti ibidem dicit, *in matutinis, & vespertinis oblatum*; nec non verba ejusdem sequentia: *Qui peccat, & agit diem peccati, agere non potest diem festum: illis diebus, quibus peccat, offerre non potest indesinens sacrificium Deo*; de sacrificio externo ab externis sacerdotibus oblato intelligat? Agit ergo Origenes more suo ἀλληγορίζων de justitia vitæ cujuscunque fidelis. quomodo bona opera vocantur sacrificium, quod Deo, quicunque sanctè & piè vivunt, offerunt; neque de Sacerdote hic magis, quàm de quoquam ex plebe cogitavit. Sed sic omnes castitatem perpetuam vovebant, ais. Non hoc Origines dicit; sed se castitati perpetuæ devovere, qui sacrificium indesinens offerunt. Quidni verò se devoveant omnes castitati? Sed noveris, castitatem etiam in conjugio obtinere; atque id à Paphnutio assertum Nicænos olim Patres recepisse meritò. 4. Par ratio Eusebii. Is enim *Demonstrat. Evang. lib. I. 9.* de Clericis & Cœlibatus lege peculiariter nec gry nec my habet. Nam, ut dixi, illi ἱερωμένοι καὶ περὶ τὴν τοῦ Θεοῦ θεραπείαν ἀσχολούμενοι *sacrati & in Dei ministerio occupati,* quivis Christiani, pietatis perfectionem peculiariter professi, sive laici, sive Monachi sunt. quod ex præcedenti capite manifestum esse, innui. Ibi enim distinguuntur Christianorum ordines duo, quorum alii τῇ ἕξει διαβεβηκότες *habitu provecti*: alii ἔτι τὰς ψυχὰς ἐμπαθεῖς, καὶ θεραπείας δεόμενοι, *adhuc animas habent passionibus obnoxias & curationis indigentes.* His ordinibus ab Apostolis ait relictam esse κατάλληλον διδασκαλίαν *accommodatam utrique doctrinam: ut jam in ipsa etiam Christi Ecclesia duo sint vitæ genera instituta; alterum supra naturam atque ultra promiscuam humanámque conversationem, neque nuptias admittens, neque prolem, neque possessionem &c. Et hujusmodi quidem est perfectus ille in Christianitate vivendi modus. Ast alter est remissior, magis ad humanitatis rationem, temperatis nuptiis sese accommodare, & sobole familiæ curam gerere.* Manifestum est, Eusebium de ἀσκηταῖς & Monachis illorum temporum loqui, neque de clericis directè agere, nisi quatenus, qui in ἀσκήσει vivebant, in clerum legebantur. Si de Clericis æquè ac de Monachis ageret, non modò his, sed etiam illis qua ratione γάμους, καὶ παιδοποιίας *nuptias & prolis generationem*, eadem quoque κτῆσιν καὶ περιουσίας ὕπαρξιν *possessionem & opum facultates* adimeret. Quod an Clericis Pontificiis placeat, ipsi viderint. Saltem inde constat, cœlibatus legem nullam poni. Nam renunciare familiæ, aut omnium rerum possessioni, nulla lex quenquam cogit. Vides denique, Redingi, futilem esse tuam collectionem, quòd sic universi Christiani nuptias abdicare deberent. Non enim hæc de posteriori, sed priore hominum, ad perfectionem aspirantium genere Eusebius dixit: adeóque nec ipse de omnibus locutus est; neque ego eum de omnibus interpretatus sum, sed de *universo genere Christianorum, perfectionem pietatis peculiariter profitentium.* 5. Eadem fide Cyrillum Hierosolymitanum ad castra tua pertrahere invitum conaris. Verba ejus Catechesi XII. hæc sunt: Εἰ γὰρ ὁ τῷ υἱῷ καλῶς ἱερατεύων ἀπέχεται γυναικὸς, αὐτὸς ὁ υἱὸς πῶς ἔμελλεν ἐξ ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς ἔρχεσθαι *Si qui apud filium bene fungitur Sacerdotio, abstinet à muliere: ipse filius quomodo ex viro*

& muliere proditurus esset? Aut ille loquitur de iis, qui in tempore vicis suæ ex priscæ Ecclesiæ ritu (uti supra observavimus) sacris operabantur: aut de more sua ætate recepto, non de lege ulla. Utrumvis dicas, probatio tua nulla est. Quis ferat sic argumentantem: *Qui bene funguntur sacerdotio, abstinent à muliere: Ergo quicunque bene funguntur, aut etiam quicunque funguntur, abstinere tenentur.* Atqui notorium est, indefinitas propositiones universalibus non æquipollere: neque etiam quemvis actum lege præscriptum censeri. Denique reliquorum Patrum testimonia à M. Antonio de Dominis (cui equidem mortuo leoni vellere barbam potuisti, perfidiámque inurere; ne inspectis quidem, sat scio, ejus hac de re scriptis, quibus non parùm ille Babylonios parietes concussit, rumpantur ilia momis!) solidè loco à me citato discussa non opus erat ad limam revocari. Sed revocavi tamen in Parthenogamicis, ad quæ te amando. ne actum agere cogar. Si quorum etiam ibi nævos notavi, sola malivolentia, non ulla ratio convitium id interpretabitur. Homines fuerunt, pii equidem, in summa rei orthodoxi; attamen à mysterio iniquitatis clam operante non usque quaque tuti, trepidaturi haud dubiè, si quæ bono animo approbasse visi sunt, in horrendam adeò tyrannidem, & apertam Ecclesiæ corruptionem, arcana fatorum dispositione, degenerasse, hodie cernerent.



QUÆSTIO X.

An causæ matrimoniales pertineant ad solos judices Ecclesiasticos, excluso Magistratu Politico?

Affirmat Canon XII. quem Canonem ita interpretatur Bellarminus *de matrim. cap.* 32. ut distinguat inter causas matrimoniales *politicas,* quales sunt de dotibus, successionibus, hæreditatibus &c. *Spirituales,* ut de partibus Sacramenti, benedictione &c. & *mixtas,* partim spirituales, partim politicas, ut de gradibus cognationis, divortiis, impedimentis &c. *Primi* generis causas ad politicum, *secundi* ad ecclesiasticum, *tertii* simpliciter ad ecclesiasticum, & subordinatè etiam ad politicum Magistratum pertinere dicit. Nos, benedictione excepta, reliqua ad summi Magistratus politici tribunal pertinere asserimus, ita tamen, ut ob conscientiæ casus crebrò incidentes ad causarum consultationem etiam ecclesiastici delegari debeant. Igitur supremum causarum matrimonialium judicium ad politicum Magistratum pertinere probamus. Etenim

ARG. I. Magistratus politicus est utriusque tabulæ custos Deut. XVII. 18. Jos. I. 7. 2. Reg. XI. 12. Rom. XIII. 4. Ergo judex etiam rerum matrimonialium. Conjugium enim in lege Divina sancitur, confirmatur, & violatio ejus graviter prohibetur.

RESP. REDING : *Etsi causæ judicii in V. T. quoad factum ad forum politicum pertinuerunt, quoad jus tamen seu legem judicialem pertinuerunt ad forum Ecclesiasticum, uti ex Deut. XVII. 11.12. colligitur. Judicii enim circa rem quidem politicam versantis, sed ex lege Divina sanciti, veritas Divinum quid erat. Proinde non à judice laico, sed Ecclesiastico dijudicari debuit. Atque eadem etiam ratione causæ matrimonii, utpote ad esse Sacramenti erecti non ad judicium politicum, sed Ecclesiasticum referendæ sunt.* Tomo IV. Tract. XI. §. 2. pag. 458. Resp. Non respondes ad argumentum meum, sed nodum duntaxat nectis, ἰνδιάλυτον illum. Quo, dic Redingi, fine Deus ipse Regi Israelitico hanc legem Deut. XVII. 18. dixit, ut curet pro se describi exemplar legis, illud penes se habeat, cunctis diebus vitæ suæ in eo legat, ut discat timere Deum, & statuta ejus servare : atque id ipsum etiam Josuæ Duci cap. I. 7. injunxit: denique Magistratum forensem constituit ministrum suum εἰς τὸ ἀγαθὸν, *ad bonum* Rom. XIII. 4. si legis Divinæ, utriusque ejus tabulæ, ac in posteriori illa legis adulterio oppositæ, omniúmque ad matrimonium spectantium legum custos & vindex ; ac in rebus etiam civilibus & œconomicis, ad quas matrimonium refertur, judex, juri Divino inserviens, non est ? Neque nodus tuus, quem ex v. 11.12. nectis, Gordius est. Ibi enim, uti ex v. 9. & 12. liquet, כהן *Sacerdos* & שׁפט *Judex* distinguuntur, & cuique suæ partes assignantur ; Sacerdoti inprimis dijudicatio נגע *plagæ*, qualis in lepra est, adeóque quæstionum de ceremoniis & impuritatibus vendicatur. Nihil ad eam res civiles, quæ ibidem vocibus דם *sanguinis* & דין *causæ* civilis describuntur. Vel certè singula isthæc dijudicando injunguntur Synedrio, cui & Sacerdotes & civiles judices præerant. In V. T. scilicet erat certus locus, in quo Deus cathedram habuit, à qua judicium certum & præcepta repetenda erant in rebus dubiis. Hodie nec cathedra talis in mundo est ; & res, de quibus illi dubitabant, nempe quæstiones de ceremoniis & impuritatibus, sublatæ sunt ; neque ampliùs populus Dei subest Senioribus, ut Diis, facultatem quædam præcepta, directa ad legis custodiam, & ad παιδείαν injungendi habentibus. Sed hac de re in loco plura diximus. Vanissimus prætextus est, quòd judicii etiam circa res civiles veritas *Divinum* quid habuerit, adeóque à Sacerdotibus dijudicari illud oporteat. Quæro enim ex Te, an hodiéque judicii circa res civiles veritas *Divinum* quid habeat ; hoc est, an æquè civilia verbo *Divino* speciali in N. T. determinata sint, atque olim in V. T. determinata fuerunt ? Nemo sanus hoc dixerit. Si tamen verum esset, & ratio tua valeret, jam civilia cuncta Romani Archiflaminis judicio subessent. quod quidem illum reapse affectare, uti Antichristum & Babylonicam Meretricem decebat, haud ignoramus. Sed quomodo sic Bellarminiana distinctio subsistet, quæ non pauca circa matrimonium Ecclesiæ judicio subtracta forensi vindicat ? Meliùs Antichristiano ingenio quadrabit fortè decretum Tridentinum, quo anathema dicitur illi, *qui* (sine ulla distinctione vel exceptione) *causas matrimoniales ad judices Ecclesiasticos spectare* negaverit.

ARG. II. Conjugium etsi quoad repræsentationem est res sacra, suâ tamen naturâ est civilis contractus. At leges de rebus civilibus promulgandi, & de contractibus ejusmodi judicandi potestatem Magistratus utique habet.

RESP. REDING : *Quod materialiter spectatum ex sua natura est vel res merè naturalis, vel politica, illud quoad suam formalitatem, sub qua judicandum venit, ad rei sacræ & quodammodo Divinæ formalitatem elevatum, politici* Magistratus *potestatem excedit. Unde ipse*

ut

tu asseveras, causam etiam politicam circa contractus merè civiles, quatenus concernit conscientiam, Ecclesiasticis delegandam esse. Sic planè matrimonialis contractus, res sua natura civilis, elevatus ad esse Sacrum, quod tu repræsentativum vocas, jam non ampliùs politici, sed Ecclesiastici fori totus est: Ibid. pag. 459. Resp. Figmentum illud vestrum de contractu matrimoniali ad esse Sacramenti &c. voto, suo loco discussimus, atque infra etiam in Objectione II. diluimus. Si maximè matrimonium Sacramentum esset, alia tamen ratio esset dijudicandi contractum matrimonii, quatenus talis est: alia quatenus ille actu materia Sacramenti constitueretur. Sicut alia ratio est dijudicandi aquam, panem, vinum, qua talia sunt: alia, qua materia Sacramentorum actu sunt. Neque idem utriusque judex necessariò esse debet. Ita an aqua vera aqua, panis verus panis, vinum verum vinum sit, non Theologus, sed Physicus dijudicat: vel certè Theologus non quâ Theologus. Supposito autem, veram aquam, panem, vinum esse, jam Theologus ex verbo Dei inquirit, an illa Deus voluerit esse signa repræsentantia, nec ne; & quid ac qua ratione repræsentent. Par ratio matrimonialis contractus est. Si enim is *materialiter*, uti tu loqueris, spectetur, adeóque quæratur, an verus & juri consentaneus contractus sit, judicium totum est penes civilem potestatem, quia sic res civilis, non religiosa est. Atque hujus solius judicio standum. Sin *formaliter*, uti ad esse sacrum seu repræsentativum elevari potest, jam Theologi est dispicere, an contractum illum Deus ad esse Sacramenti elevaverit, nec ne? Et negabunt Theologi saniores omnes. Sicut veram aquam Sacramentum Baptismi supponit, & eatenus à ratione Sacramentali separari potest: ita contractum matrimonialem Sacramentum matrimonii, si sacramentum est. Nam sola contrahentium voluntas, seu consensus matrimonium facit, priusquam illud sacra res evadat. Repræsentatio enim contractui accidit, non eum constituit. Atque ita etiam doctissimi Theologi vestri judicant, quorum, uti mox videbimus, agmen adversus Bellarminum ipsemet Johañes Launojus, Parisiensis Theologus non ita pridem produxit. Dixi, ob conscientiæ casus crebrò incidentes ad causarum consultationem etiam Ecclesiasticos delegari debere. Nec dictum muto. Tu modò cavillari desine. Ad *consultationem* dixi, non ad judicium decisivum: & *delegari*, ab ipso scilicet civili judice: non authoritate propria provolare, nedum suam authoritatem civili præferre.

ARG. III. Christus & Apostoli nuspiam ejusmodi judicium sibi arrogârunt. Imò Christus non obscurè ejusmodi causas Joh. VIII. 3. 4. à se rejecit.

RESP. REDING: *Confundis causas Politicas & spirituales. Christus noluit esse judex pœnæ, quia judicium isthoc ad forensem potestatem pertinet. Sed si de hac ipsa lege quoad judicii veritatem incidisset quæstio, juxta Deut. XVII. 9. &c. ad Sacerdotes illa referri debuisset.* Ibid. pag. 459. Resp. Ejusdem est pœnam infligere, cujus est legem pœnalem sancire & de Legis suæ veritate judicare. Cùm ergo posterius ad forensem potestatem pertinere fatearis ipse, etiam prius ad eandem pertinere sequitur. Non ergo causas ego confudi, sed tu dividendo imponere, & non spirituales causas spirituales facere conaris, ut matrimonia Sacerdotibus subjicias. Cur enim Christus adulteram judicare renuit? Quia venit Salvator, non judex. Eadem ergo ratione legem illam de puniendis adulteris, quâ talis, judiciali authoritate nec tulit, nec interpretatus est; sed civili potestati illibatum id omne reliquit. Potuit, ut Propheta, Legem Divinam explicare: at pro judice nihil agere, neque se immiscere negotio voluit. Non enim ἀλλοτριοεπίσκοπος fuit, quales Pseudepiscopi vestri sunt,

ARG.

ARG. IV. Judicium causarum matrimonialium pertinet ad potestatem architectonicam leges ferendi, puniendi, cogendi. Hæc autem potestas propriè Magistratui politico competit.

Resp. Reding: *Sic domus Ecclesiæ ab Ecclesiastica authoritate quoad conscientiam duntaxat; non quoad exterioris disciplinæ formam constitui poterit. Etenim publicæ potestatis limites terminis luminis naturalis circumscribuntur. At præterea in Ecclesia requiritur sancta disciplina in actionibus etiam exterioribus consistens; quæ cùm politicæ potestatis forum supergrediatur, vel nulli architectonicæ potestati suberit, vel Ecclesiasticæ suberit.* Ibid. pag. 459. Resp. Ecclesia ordine externo & disciplina carere nequit. Eorum verò legislatio & sanctio legitima architectonicæ potestati tum generalis mandati Dei ordinem & decorum Ecclesiæ præcipientis: tum Magistratus non cujusvis, sed Christiani, Deo in externa Ecclesiæ gubernatione inservientis: non ulli Sacerdotali architectonicæ potestati (pugnant enim ἄρχειν *dominari*, & evangelizando ac Sacramenta dispensando Ecclesiæ ministrare) competit. Sed de jurisdictione Ecclesiastica abunde supra.

ARG. V. Πρῶτον ψεῦδος est, quòd matrimonium Sacramentis accensent. Hinc enim ejusdem causas ad Sacerdotes Sacramentorum dispensatores pertinere colligunt. Ruente igitur falsâ hypothesi, ipsum quod ei superstruitur, dogma evanescit.

Resp. Reding: *Ipse Apostolus Ephes. V. 32. Sacramentum vocat.* Ibid. pag. 459. Resp. Nec Sacramenti meminit Apostolus, sed μυστηρίου *mysterii*: & mysterium disertè protestatur se dicere non de matrimonio, sed εἰς Χριστὸν καὶ ἐκκλησίαν *in Christum & Ecclesiam*, hoc est, de conjunctione Christi & Ecclesiæ.

ARG. VI. Quondam multæ de matrimonio leges à Magistratu Politico sunt conditæ, & judicia de matrimonio à Magistratu seculari sunt exercita. Demonstrat id sola lectio Codicis Theodosiani & Novellarum. Consule de his Anthonium de Dominis de Rep. Eccles. lib. VI. 6. 30. Inter Cassidori formulas restant memoriæ verborum, quibus usi Reges Gothorum, cùm de gradibus prohibitis dispensarent. Et Concilium Milevitanum in quæstione de causa divortii lege imperiali opus esse sancivit. Paulatim verò ad ejusmodi causas judicandas, partim per commissionem, partim per negligentiam Principum & Magistratuum, Clerum sibi soli aditum fecisse, ex historiis abundè constat.

Resp. Reding: 1. *Leges de matrimonio ab Imperatoribus latæ vel attingebant ejus causas non tam substantiales ad rationem Sacramenti pertinentes; quàm accidentarias seu mixtas, seu politicas. Quatenus verò attingebant contractum conjugalem, subordinabantur approbationi Ecclesiæ. veluti cùm de conjugii impedimentis aliquid statuerunt. Hinc Gregorius Papa Rescripto ad Augustinum Anglorum Episcopum Honorii & Justiniani de nuptiis consobrinorum Legem improbavit. 2. Concilium Milevitanum non tam petiit lege Imperiali sanciri, ne divortio facto aliam uxorem ducere liceat, quàm ut hæc definitio ex jure*

Divino subsistens & à Concilio firmata cohibitio, etiam pœna externa per legem Imperialem muniretur. Ibid. pag.460. Resp. 1. Causa matrimonialis substantialis, ad rationem Sacramenti pertinens, juxta te est contractus matrimonii, à ratione Sacramenti, uti nobis dicebas, inseparabilis. Qui ergo circa contractum matrimonii ejúsque impedimenta, validitatem, invaliditatem legem fert, is circa causam matrimonialem substantialem legem fert. Atqui Imperatores id fecerunt. Theodosius enim Imperator, Augustino *de Civit. D. lib. XV.16.* & Ambrosio *lib. VIII Epist.66.* testibus, legem tulit consobrinorum conjugia impedientem. Neque paucæ hinc inde in Codice Theodosiano, Justinianeo, Novellis de nuptiis, impedimentis, solutionibus matrimonii & repudiis leges occurrunt. Impedimenta autem, solutiones matrimonii, repudia ad contractum matrimonii pertinent. Præterea distinctio tua inter causas matrimonii substantiales, & accidentales, easque vel mixtas vel merè politicas, nescio quo fundamento nitatur. Si enim substantiales causæ sunt, quæ ad rationem Sacramenti pertinent, atque eæ solæ Sacerdotali tribunali vestro subjiciendæ sunt; jam igitur non aliud Ecclesiasticum erit, quàm quod circa rationem Sacramenti, quatenus matrimonium aliquid repræsentat, versatur. Accidentales mixtæ, seu partim spirituales, partim politicæ, juxta Bellarminum, sunt gradus cognationis, divortia, impedimenta. *Quatenus enim*, sic idem Bellarminus loquitur, *contractus matrimonii naturalis est, materia est Politica: quatenus idem contractus est fundamentum Sacramenti, & res conscientiæ, spiritualis est.* Distinctionem illam non ita pridem excussit Theologus vestras Parisiensis, supra citatus, Johannes Launojus, tractatu *de Regia in matrimonium potestate* prima parte, *Art. 2. cap.8.* Ex eo nonnulla, quia, Seneca teste, fide dignior testis est, qui à reo surgit; (quanquam argumentis potiùs ejus quàm testimonio insistemus) excerpere liceat. Distinctionem igitur illam perperam Catholicis tribui affirmat, cùm sit nova, vix Bellarmino antiquior: & ipsa Synodus Tridentina indefinitè de hac re locuta sit. Tum legitimam eam esse negat, quia causæ matrimoniales, quas *mixtas* Bellarminus, & ex eodem Redingius appellat, nonnisi ex accidenti sint spirituales, puta quæ ad impedimenta jure humano sancita pertinent, cùm hæc aliquando non fuerint, atque Matrimonium fuerit verum & legitimum in ratione contractus Politici & Sacramenti. Cúmque mixtas illas causas partim esse spirituales, partim politicas idem Bellarminus dixerit, concludendum ipsi fuisse meritò Launojus notat, eas partim ad Magistratum politicum, partim ad Ecclesiasticum, pertinere; non, *uti parùm sincerè & fraudulenter* (sic ille) infert; *eas ad Magistratum Politicum posse pertinere, sed cum subordinatione ad Ecclesiasticum: simpliciter autem eas ad Ecclesiasticum Principem pertinere.* Hæc enim, inquit, assertio nulla est, *cum & propter peccata, quæ in dijudicandis causis merè politicis* (quales Bellarminus fecit causas de dotibus, hæreditatibus, successionibus, &c. *possint admitti, & propter finis ultimi subordinationem illæ non minùs quàm mixtæ cum tali subordinatione ad Magistratum Sacerdotalem pertineant.* Quod si per hanc subordinationem Bellarminus intelligat Ecclesiæ concessionem, vel, (uti Redingius disertè loquitur) *approbationem*; repugnaturum ille regerit Petrum à Soto, Ambrosium Catharinum, qui ambo Concilio Tridentino interfuerint, & apertè affirment, *Principes posse circa Matrimonium, tanquam circa suam, & non alienam materiam, suis legibus providere, quicquid non est contra legem Dei & naturæ.* Quòd *si*, sic idem arguit, Bellarminus *legisset Canonem Africanum, qui in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ est numero & ordine post centesimum secundus, sic ille propositionem adornasset: Si Princeps Secularis potest Episcopis Africanis judicibus de matrimonio jam contracto non dissolvendo legem ferre sim-*

simpliciter, multò magis poterit de matrimonio adhuc contrahendo legem simpliciter & sine ulla subordinatione ad Magistratum Ecclesiasticum ferre. Hactenus Launojus. Cœterùm nihil Gregorii M. factum causam vestram juvat. Aliud enim est legem politicam, quia verbo Dei repugnare videtur, *improbare:* aliud leges politicas ferendi, & juxta eas judicandi potestatem sibi rapere. Posterius Episcopi vestri faciunt. Prius fecit Gregorius, & ejus exemplo facere non tantùm Episcopi, sed Christiani omnes circa quasvis leges politicas possunt, imò quia ad nullam legem verbo Dei repugnantem obligantur, debent; citra jurisdictionem ullam. 2. De Concilio Milevitano quæ asseris, nec Concilio ipso, nec ejus historia, sed Bellarmini, oraculi tui solius, fide nituntur. Sufficit nobis, quòd Patres ejus Concilii legem matrimonialem à se latam ab Imperatore confirmandam, & pœnam transgressoribus ejus decernendam petunt. Inde enim manifestum est, veteres Ecclesias in matrimonialibus causis non sibi Magistratum politicum; sed se Magistratui Politico subordinasse. Hodie autem Harpyæ Romanæ, Episcopi & eorum officiales ad se cuncta rapuerunt. Qua in re consistit pars *ἐπάρσεως elationis*, quam Antichristo Prophetia tribuit.

Obiectiones Tridentinorum.

OBIECT. I. *Matrimonium est ecclesiæ Sacramentum. Nec apud Christianos contractus legitimus matrimonii à Sacramento matrimonii distingui debet. Ergo judicare, an contractus aliquis matrimonii sit legitimus, est judicare, an ille contractus sit Sacramentum. Cùm igitur judicium de Sacramentis ad ecclesiam pertineat, sequitur etiam de illo contractu judicium ad ecclesiam pertinere.* Resp. 1. Argumentum totum falsis hypothesibus superiùs profligatis innititur. 2. Si is demum contractus matrimonii legitimus est, qui Sacramentum est: non igitur legitimè contraxerint olim Patriarchæ, Sancti homines; quorum contractum Sacramentalem esse ipsi Adversarii plerique negant.

Excip. Reding.: 1. *Hypothesium nostrarum firmitatem supra demonstravimus.* 2. *In V. T. contractus matrimonialis nec dum ad rationem Sacramenti evectus fuit. Insulsas ergo ineptias & cavillationes spiras.* Ibid. pag. 460. Resp. 1. Nihil te demonstrasse, demonstravimus. 2. Nec in Novo, nec in V. T. contractus conjugalis Sacramentum fuit, vel est. Oportet tamen vel in Veteri etiam fuisse, siquidem dicto vestro, quòd *judicare, an contractus aliquis sit legitimus, judicare sit, an ille contractus sit Sacramentum*, ratio constat: vel insulsas esse argumenti vestri nugas. Et sunt omnino insulsissimæ tum ineptiæ, tum cavillationes. Quomodo ipsemet vester à Soto argumentum isthoc vestrum *cavillum* esse affirmat. Et Launojus itidem vestras propositionem illam, *Apud Christianos non separatur contractus matrimonii legitimus à Sacramento matrimonii*, inter Theologos vestros *dubiam*, & judicio omnium illorum, qui non contrahentes, sed Presbyterum Sacramenti hujus Ministrum faciunt, nec exiguo illi numero, nec pretio; nominatim Guilelmi Parisiensis, Jodoci Clichtovæi, Johannis Gropperi cum Patribus Synodi Coloniensis, Synodi Cameracensis, Melchioris Cani, Edmundi Augerii, Johannis Benedicti, Guilhelmi Estii, Francisci Sylvii, Johannis Scribonii, *falsam & commentitiam, à junioribus Theologis confictam* esse asseverat. Præterea aliud esse, judicare, an aliquis Matrimonii contractus

sit legitimus; aliud, an aliquis contractus jam legitimè factus sit Sacramentum, aut potiùs Sacramenti materia; neque adeò diversa illa in unam propositionem conflari debuisse, idem pertendit. de quo supra etiam diximus. Addo historiam conflictus, in ipso Concilio Tridentino, cùm de clandestinis nuptiis rescindendis ageretur, Camillo Campegio Dominicano cum Antonio Solisio intercedentis; à Suavi *Hist. lib. VIII. p.* 605. narratam, nec à Pallavicino in dubium revocatam. Pertenderat enim Campegius, non mutari Sacramentum, etiamsi quis efficiat, ut quod Sacramenti est materia, desinat esse Sacramenti materia. Qui autem contractum matrimonii civilem sustulerit, personas ad contrahendum inhabiles reddens, continuò eum effecturum, ut contractus matrimonii non possit ampliùs superesse materia Sacramenti; haud secus ac si qui efficeret, ut qui liquor vera est aqua, aqua esse desinat, non mutaturus sit Baptismi materiam, sed id duntaxat effecturus, ut quæ nunc aqua sufficit ad Baptismum, ad eundem postea non sufficiat. Itaque non esse dicendum, *Ecclesiam posse rescindere matrimonium clandestinum* (quod esset ipsi authoritatem dare supra Sacramenta) verùm, *Ecclesiam posse jubere, irritum esse contractum nuptialem clancularium; qui cum nullus sit, formam Sacramenti recipere nequeat.* Reclamavit ei Solisius hoc solo ferè argumento *quòd contractus ejusmodi nullos & irritos facere, sit ad Magistratus politicos pertineret.* Quo non obstante, in Campegii potiùs quàm Solisii sententiam itum.

OBIECT. II. *Matrimonii causæ ex legibus Divinis dijudicandæ sunt, & ad conscientiam potissimùm spectant. Ergo earum judicium ad Pastores animarum pertinet.* Resp. 1. Quot leges civiles Divinis legibus innituntur, ex iis judicandæ sunt, & ad conscientiam referuntur? An idcirco judicium de iis, ut & circa eas factum hominum decisivum ad ecclesiæ ministros pertinet? Ita totum tribunal politicum ecclesiastico subjici posset. 2. Neque aliud inde concludi potest, quàm responsa ad casus conscientiæ pendentia ex interpretatione Scripturæ, ab ecclesiæ ministris repetenda esse, supremo Magistratui cognitioni causæ, jure leges condendi, judicio ultimo & decisivo salvis manentibus.

Excip. Reding: *Si decisio casuum conscientiæ circa Matrimonium à Ministris Ecclesiæ repeti debet, adeóque Politici Magistratus authoritatem transcendit; utique ejus quæstionis, qua in dubium vocatur legis à jure civili sancitæ cum lege Divina convenientia, vel ab eadem discrepantia, judicium ab Ecclesiastica, non à civili potestate requirenda est.* Ibid. pag. 460. Resp. De hoc quicquid sit, manet, eandem rationem esse rerum omnium civilium, quæ est matrimonialium. Utræque ex legibus Divinis judicari, (saltem, an ei repugnent, nec ne) & ad conscientiam referri possunt. Et tamen res merè civiles Ecclesiastico foro subjici, nemo sanus dixerit. Cur ergo, non aliam saltem ob causam, res matrimoniales? Hæc enim adversariorum secunda ratio vel rationem ad Sacramentum, uti ex Bellarmino videre est, disertè removet. Ad hoc tibi respondendum fuerat. Sed hæsit tibi aqua. Tum alia est veritatis, alia potestatis decisio; aliud sunt responsa prudentum, aliud definitio rei. Illa in dubiis juris civilis, quoad ejus cum jure Divino convenientiam, vel ab eo discrepantiam, casibus Ecclesiæ Ministris: hæc, saltem quoad externum forum, civili potestati competunt. Denique argumentum isthoc, uti rectè idem

Lau-

Launojus Bellarmino objicit, à jure Poli ad jus fori migrat. Licet enim Sacerdotes vel Pastores animarum judicent de peccatis, quæ in civilibus quibusvis contractibus committuntur; illorum tamen non est v. g. cambiorum, censuum, aut aliorum contractuum leges instituere, neque de illorum natura cognoscere. Ipse Bellarminus, uti quæstionis initio vidimus, causas matrimoniales primi generis, quales sunt de dotibus, successionibus, hæreditatibus &c. ad Magistratum Secularem pertinere, simpliciter asserit, quamvis in iis fraudes & peccata latere possint, frequentérque lateant.

OBJECT. III. *Christus Matth. V. & XIX. nec non Paulus 1. Cor. VII. de causa conjugii judicârunt. Plena etiam sunt Concilia & Pontificum rescripta legibus & sententiis in causa matrimonii, uti ex Decretalibus constat.* Resp. 1. Christus Joh. VIII. 6. ipso facto ostendit, se causarum matrimonialium judicium sibi haud arrogare, adeóque venisse *non peccatorum damnatorem, sed medicum & Salvatorem*, ut Augustinus loquitur. Hinc v. 11. adulteram in foro conscientiæ instruit, at sententiam in foro soli juxta legem Mosaicam haud fert. Neque etiam vel ipse, vel Apostoli novas leges tulerunt, sed primævam conjugii institutionem urserunt, & hominum ex eo conscientias informârunt. Neque quicquid Christo Domino ecclesiæ licet, etiam Christi & ecclesiæ ministris, quibus ejusmodi dominatio interdicta est, fas esse putandum. 2. Concilia & Pastores veteris ecclesiæ, quo tempore Jurisdictio penes judices ac Dominos gentiles fuit, ex necessitate tales quandóque causas judicârunt, à litigantibus Christianis ad judicium, seu mavis arbitrium suum, juxta Apostoli præscriptum 1. Cor. VI. 4. delatas. Postea Christiani Imperatores, quia præfecti, Senatores, judices tum Romæ, tum in Provinciis, non obstante ipsorum Imperatorum erga fidem & ecclesiam Christanam favore, plerique in gentilismo persistebant, plura ejusmodi ad Episcopalem audientiam abs se constitutam relegârunt. Secundum quam fidelium lites se judicâsse testatur Augustinus *lib. de Op. Mon. cap. 29.* Ipsos verò Imperatores sibi ultimum, decisivum & coactivum judicium reservâsse, superiùs ostendimus. At sequioribus Seculis, cùm necessitas illa non ampliùs urgeret, consuetudini longæ ecclesiastici inhæserunt, crescente superstitione ecclesiæ & avaritia Sacerdotum, ex his causis lucrum captantium, donec tandem accedente figmento Sacramenti operi huic colophon impositus est.

EXCIP. REDING: *1. Fateris ergo longissimam in causis matrimonialibus dijudicandis Ecclesiæ possessionem inde à Pauli temporibus usurpatam, sub Imperatoribus fidelibus & infidelibus continuatam, & ipsius Augustini testimonio ac exemplo firmatam. 2. Neque verò Imperatores sibi ultimum & decisivum judicium reservasse, Augustini exemplo constat, qui lib. de Opere Monach. cap. 20. Episcopali suæ audientiæ causarum à Secularibus motarum judicium decisivum tribuit, idque non ex Imperatorum, sed Christi & Apostoli delegatione.*

3. *De Christi facto Joh.VIII. 6. supra vidimus. Ubi verò quæstio juris, velut de repudiis, matrimonii indissolubilitate &c. incidebat, ipsemet decisivam sententiam tulit. neque aliter S. Paulus.* Ibid. pag. 461. Resp. 1. Quid *νίκην κλέπτειν victoriam furari* est, si hoc non est? Ubi enim simpliciter ita fassus sum? In propatulo sunt verba mea, Concilia & Pastores veteris Ecclesiæ, quo tempore jurisdictio penes judices gentiles fuit, *ex necessitate* (quæ verò *necessitas* similis Christianum populum, Christianis rectoribus hodie subditum urget?) tales quandoque causas, à litigantibus Christianis ad judicium, seu maris, (NB) *arbitrium* eorum *ex Apostoli præscripto 1. Cor. VI. 4.* delatas judicasse; (an vestri sibi *arbitrium* simile, quod quorumvis bonorum & prudentum esse potest, neque ad pecuniarium aucupium dirigitur; causarum ad se ex consensu partium delatarum; annon potiùs judicium merè civile, coactivum, litigiosum, & quidem non ex consensu partium, sed juris Divini à se conficti necessitate, arrogant?) postea Christianos Imperatores, Præfectis Senatoribus, judicibus Romæ & in Provinciis pluribus in gentilismo persistentibus, *plura* ejusmodi (non omnia, neque prætextu Sacramenti) *ad Episcopalem audientiam abs se constitutam* (an etiam audientia Episcoporum vestrorum ab Imperatoribus constituitur?) *relegasse* (hoc est, Episcopis extra ordinem, ex temporum necessitate & injuria quadam delegasse.) Quid hæc quæso ad Officiales, Promotores, Procuratores, totam denique illam Harpyarum, vel potiùs porcorum tribunalia publica invadentium colluviem, quæ Ecclesiam Dei jam pridem devastat? Quid ad illa non Ecclesiæ tantummodo Christianæ, verùm etiam universi mundi dedecora? Quorum intolerabilis & Satanica vox, *matrimonia jam non jure fori, sed jure poli*, (hoc est, sic enim illi commutant, Sacerdotali, eóque non minùs litigioso, quàm jus fori est) nil aliud, quàm amotis, quos Deus ipse posuit, terminis, confusionem horrendam in domum Dei introduxit, quam Episcoporum ambitio & dominandi nefanda cupido extorsit, avaritia eorum & *αἰσχροκερδία* sic confirmavit, ut eandem aboleri nulla ratione sinat. Olim etiam privatos quosdam in Ecclesia, sine ullo judicio publico vel ecclesiastico vel civili, causas suas definivisse constat. Ita Christianas quasdam mulieres infidelibus maritis suis nuntium remisisse, ex historia honestæ matronæ, quam Apologetici prioris initio refert Justinus, & ex eodem refert Eusebius *Hist. Eccl. lib. IV.* 17. liquet. Nec Fabiolæ factum, quæ flagitiosissimum maritum absque judicio Ecclesiæ dimisisse videtur, aliter quàm veræ pœnitentiæ testimonio Hieronymus in ejus Epitaphio excusat. An etiam inde fas est concludere, privatim hodiéque causas matrimoniales definiri posse? Erit autem, si quævis facta, temporum necessitate & injuria extorta, ad imitationem rapere licet. Denique tuas, Redingi, segetes vastas. Fateris enim cum Bellarmino, (liceat nunc confessionem veram fictitiæ opponere) causas matrimoniales primi generis; veluti de dotibus, successionibus, hæreditatibus &c. simpliciter ad Magistratum Ecclesiasticum pertinere; neque, uti etiam Bellarminus rectè pertendit, *eandem potestatem ad tribunalia duo diversa æquè immediatè & propriè spectare.* Atqui Conciliorum, Pontificum Responsa & Rescripta plena sunt legibus & sententiis etiam circa primi generis, matrimoniales causas. Inde jure colligo, Concilia, Pontifices, Episcopos de causis matrimonialibus primi generis judicasse vel per liberam partium subjectionem & compromissum, vel per Principum sive apertam sive tacitam delegationem vel cessionem, vel per usurpatam in eas causas jurisdictionem. Non per postremum illud, fatentibus vobis. Ergo per priora. Atque eadem collectio in causis tertii generis, quas mixtas Bellarminus appellavit, obtinet. 2. Augustinus *de Opere Mon. cap.* (non 10. sed) 29. non de matrimonialibus causis in specie, & quidem tanquam Ecclesiæ, vel sibi *οἰκείοις* (de

quibus

quibus tota quæstio nostra est) sed de *tumultuosissimis perplexitatibus causarum alienarum* & *negotiis Secularibus* in universum loquitur. Sic enim verba sonant: *Dominum Jesum, in cujus nomine securus hæc dico, testem invoco super animam meam, quoniam quantum attinet ad meum commodum, mallem multò per singulos dies certis horis, quantum in bene moderatis Monasteriis constitutum est, aliquid manibus operari, & cæteras horas habere ad legendum & orandum, aut aliquid de Divinis literis agendum liberas: quàm tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati de negotiis Secularibus, vel judicando dirimendis, vel interveniendo præcidendis. Quibus nos molestiis idem affixit Apostolus &c. qui non dixit: Secularia igitur judicia si habueritis, ad nos deferte, aut nos constituite ad judicandum: sed eos, qui contemptibiles sunt in Ecclesia, hos, inquam, collocate,* &c. *Unde nunquam de illo scriptum est, quòd aliquando talibus vacaverit, à quibus nos excusare non possumus, etiamsi contemptibiles simus, quia & hos collocari voluit, si sapientes defuissent potiùs, quàm ut negotia Christianorum deferantur in forum.* An, Redingi, Officiales vestri cum Augustino sic loqui, sic Deum testem invocare possunt, quòd *mallent multò singulis diebus certis horis aliquid manibus operari* &c. *quàm tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati de negotiis Secularibus vel judicando dirimendis, vel interveniendo præcidendis* &c? An causas, quas pro tribunali suo agitant, pro *alienis* habent? An *secularia negotia* esse fatentur? An denique illa a se, ceu *contemptibilibus in Ecclesia, cùm sapientes alii desint,* tractari concedunt, & concedunt eum in finem, *ne negotia Christianorum in forum* (non Christianum, sed gentile) *deferantur*? Imò si quis alius, Augustinus certè hic, contra vos locupletissimus testis est quòd Episcopi veteres causas seculares, atque in his etiam matrimoniales, non ut proprias, sed ut *alienas*, neque ut judices propriè, erecto litigioso tribunali & foro, sed ut arbitri, & postulante temporum, quibus judices Christiani non fuerunt, necessitate agitaverint. Et tu pro innata audacia tua non vereris Augustinum ad partes vestras pertrahere. 3 Nos quoque facti Christi Joh. VIII. 6. tuam detorsionem supra depulimus. Sed idem, inquis, & S. Paulus quæstiones juris Divini dubias definiverunt. Utique. At qui Officiales vestri sunt ut se cum Christo & Apostolis contendere ausint? Et an idcirco Christus & Apostoli Leges Divinas de repudiis, matrimonii indissolubilitate, jure talionis &c. Divino & infallibili spiritu interpretantes, forum erexerunt, judicium sibi seculare arrogarunt, vel ipsi vel per Officiales causas sive matrimoniales sive civiles alias litigiosas, temporalibus etiam pœnis, mulctis pecuniariis aliisque inflictis, decidere curæ unquam habuerunt, hoc est, πραγματείαις τοῦ βίου ἐμπλέκεσθαι, *negotiis secularibus se implicari* unquam passi sunt?



SES-

SESSIO XXV.

Quæ eſt nona ſub Pio IV.P.M.

Cœpta die 3. abſoluta die 4. Decembris 1563.

DECRETUM DE PURGATORIO.

PRæcipit ſancta Synodus Epiſcopis, ut doctrinam de Purgatorio ubique prædicari ſtudeant, & difficiliores atque incertas quæſtiones evulgari non permittant.

Decretum de veneratione reliquiarum, invocatione Sanctorum & imaginibus.

Iiſdem mandat, ut doceant Sanctorum invocationem, reliquiarum honorem, & imaginum uſum, & eos qui aliter docent, impiè ſentire prædicent. Id quod Conciliorum, præſertim verò ſecundæ Nicenæ Synodi decretis contra imaginum oppugnatores, eſt ſancitum. Si quis autem his decretis contraria docuerit aut ſenſerit, Anathema ſit. In has autem ſanctas & ſalutares obſervationes, ſi qui abuſus irrepſerint, eos prorſus aboleri ſancta Synodus cupit. Et ut hæc fidelius obſerventur, ſtatuit nemini licere ullo in loco, vel Eccleſia, etiam quomodolibet exempta, ullam inſolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, niſi ab Epiſcopo approbata fuerit.

Nulla etiam admittenda eſſe nova miracula, vel novas reliquias recipiendas, niſi eodem recognoſcente, vel approbante Epiſcopo.

De Regularibus.

Caput 1.

Omnes regulares, tam viri quàm mulieres, ad regulæ, quam profeſſi ſunt, præſcriptum vitam inſtituant, & componant.

Caput 2.

Iis non licet bona immobilia vel mobilia tanquam propria poſſidere. Quod ſi quis aliter

quicqua

quicquam tenere deprehensus aut convictus fuerit, is biennio activa & passiva voce privatus sit, atque etiam juxta suæ regulæ & ordinis constitutiones puniatur.

Caput 3.

Concedit sancta Synodus omnibus monasteriis, exceptis S. Francisci fratribus Capucinis, & Minoribus de observantia, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat. Nec de cætero similia loca erigantur, sine Episcopi, in cujus diœcesi erigenda sunt, licentia priùs obtenta.

Caput 4.

Ne quis regularis sine sui superioris licentia, quovis prætextu se alicui subjiciat. Illi autem, qui studiorum causâ ad universitates mittuntur, in conventibus tantùm habitent, alioquin ab ordinariis contra eos procedatur.

Caput 5.

Universi Episcopi clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & conservari procurent, etiam cum invocatione secularis brachii, si opus fuerit. Nemini sanctimonialium liceat sine approbatione Episcopi à monasterio discedere. Neminique liceat sine Episcopi licentia intra septa monasterii ingredi.

Caput 6.

In electione quorumcumque superiorum fiat electio per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina non publicentur.

Caput 7.

Omnis præposita eligatur non minor annis quadraginta, quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. Nulla duobus monasteriis præficiatur: si qua plura obtinet, cogatur intra sex menses, uno excepto, cætera resignare.

Caput 8.

Monasteria, quæ immediatè ad sedis Apostolicæ protectionem diriguntur, infra annum sese in congregationes redigere, & certas regulares personas deputare teneantur. Quod nisi fecerint, Metropolitanus ea convocet, in cujus defectum Episcopi subdantur.

Caput 9.

Monasteria sanctimonialium sanctæ sedis Apostolicæ immediatè subjecta, ab Episcopis tanquam dictæ sedis delegatis, gubernentur: Quæ verò à deputatis in capitulis generalibus, vel ab aliis regularibus reguntur, sub eorum cura & custodia relinquantur.

Caput 10.

Attendant diligenter Episcopi, & cæteri superiores monasteriorum sanctimonialium, ut in constitutionibus earum admoneantur Sanctimoniales, ut saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant, & sacrosanctam Eucharistiam suscipiant, ut eo se salutari præsidio muniant, ad omnes oppugnationes dæmonis fortiter superandas.

Caput 11.

In monasteriis seu domibus virorum seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum secularium, personæ tam regulares quàm seculares hujusmodi curam exercentes, subsint immediatè jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cujus diœcesi sunt, excepto monasterio Cluniacensi cum suis limitibus. Et exceptis etiam his monasterijs, seu locis, in quibus Abbates generales, aut capita ordinum sedem ordinariam principalem habent, atque alijs monasterijs seu domibus, in quibus Abbates aut alij regularium superiores jurisdictionem Episcopalem & temporalem in parochos & parochianos exercent.

Caput 12.

Censuræ, quæ à sede Apostolica vel ab Episcopo mandantur, à regularibus in illorum Ecclesiis publicentur & serventur.

Caput 13.

Controversias omnes de præcedentia tam inter regulares, quàm seculares, Episcopus amota appellatione, componat.

Caput 14.

Regularis non subditus Episcopo, qui vel extra, vel intra claustra cum scandalo degit, severè puniatur intra tempus ab Episcopo præfigendum. Sin minùs, ab Episcopo puniatur.

Caput 15.

In omni regione professio non fiat ante decimum sextum annum expletum. Professio autem ante facta nulla sit.

Caput 16.

Nulla quoque renunciatio aut obligatio antea facta, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus vicarii fiat, intra duos menses proximos ante professionem, ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione. Finito tempore noviciatus, superiores novicios, quos habiles invenerint ad profitendum, admittant, aut eo monasterio eos ejiciant.

Cap. 17.

Caput 17.

Si puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit, major duodecim annis sit, non ante eum suscipiat, quàm Episcopus, aut ejus vicarius de ejus voluntate diligenter cognoverit.

Caput 18.

Qui virginem, vel viduam monasterium ingredi, aut habitum suscipere, quomodocumque impediverit, Anathema sit.

Caput 19.

Quicumque regularis prætenderit, se per vim & metum ingressum esse religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, velitque habitum dimittere, aut etiam cum habitu discedere sine licentia superioris, non audiatur: nisi intra quinquennium tantum à die professionis, & tunc non aliter nisi causas quas prætenderit, deduxerit coram superiore suo & ordinario. Nemo etiam regularis cujuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem religionem: nec detur licentia cuiquam regulari, occulte ferendi habitum suæ religionis.

Caput 20.

Abbates, qui sunt ordinum capita, Episcopis non subjecti, quibus est in alia inferiora monasteria prioratusve legitima jurisdictio, eadem illa sibi subdita monasteria & prioratus suo cuique loco & ordine, ex officio visitent.

Caput 21.

Illi, qui in præsenti monasteria, quæ capita sunt ordinum, sive Abbatiæ, sive Prioratus, filiæ eorum nuncupatæ, in commendam obtinent, nisi sit eis de regulari successore provisum, infra sex menses, religionem solemniter profiteri, aut iis cedere, teneantur.

Caput 22.

Omnia monasteria, hæc quæ hactenus sancita sunt, observare teneantur. Et si quid executioni mandatum non sit Episcoporum negligentia, Concilia provincialia suppleant. Regularium vero capitula provincialia & generalia, in defectum aliorum provideant. Quibus ut auxilium & authoritatem interponant, Reges & principes, hortatur sancta Synodus.

Decreta reformationis generalis in eadem Sessione publicata.

Cap. 1.

Episcopi, cæterique Ecclesiastici ex reditibus Ecclesiæ, consanguineos familiaresve augere non studeant.

Caput 2.

Omnes Ecclesiæ Primates in prima Synodo provinciali, quæ hic definita sunt, palàm recipiant, & omnes hæreses publicè detestentur. Idem faciant, qui in Synodo diœcesana convenire debent.

Caput 3.

Excommunicationes nemini prorsus præterquam ab Episcopo decernantur. Nefas autem sit seculari magistratui prohibere Ecclesiastico judici, ne quem excommunicet.

Caput 4.

Liceat Episcopis, & Abbatibus generalium ordinum pro sua conscientia Missarum magnum numerum, quibus celebrandis singulis diebus in una Ecclesia suffici non potest, quicquid magis ad honorem Dei viderint expedire, decernere & statuere.

Caput 5.

Qualitatibus, quæ in beneficiorum electione requiruntur, ut oneribus illis injunctis non derogetur.

Caput 6.

Decretum Pauli 3. quod incipit, Capitula Cathedralium, observetur.

Caput 7.

Nemini imposterum accessus aut regressus ad beneficium Ecclesiasticum concedatur. Quod in coadjutoriis posthac observetur.

Caput 8.

Omnes Ecclesiastici hospitalitatis officium pro beneficiorum proventu & fundationis præcepto, administrent. Administratio autem hospitalium uni & eidem personæ ultra triennium deinceps non committatur, nisi aliter in fundatione cautum recipiatur.

Caput 9.

Titulus juris patronatus ex authentico documento, & secundum juris dispositionem ostendatur. Item liceat Episcopo præsentatos à patronis, si idonei non sint, repellere.

Caput 10.

In his locis, in quibus propter longinquitatem personarum notitia haberi non potest, personæ Ecclesiasticæ committantur, quæ de eisdem cognoscant.

Caput 11.

Omnes beneficiorum locationes in successorum præjudicium validæ non intelligantur, neque liceat jurisdictiones Ecclesiasticas locare.

Caput 12.

Decimæ imposterum sub excommunicationis pœna integrè persolvantur.

Caput 13.

Quarta, quæ funeralium dicitur, cathedrali parochiali Ecclesiæ solita persolvi, in toto jure persolvatur, etiamsi fuerit aliis Ecclesiis concessa.

Caput 14.

Clerici ne concubinas, aut alias mulieres imposterum habeant, alioquin puniantur.

Caput 15.

Non liceat filiis Clericorum in Ecclesiis, ubi eorum patres beneficium Ecclesiasticum habent, beneficium obtinere.

Caput 16.

Beneficia secularia, quæ curam animarum habent, in simplex beneficium non convertantur.

Caput 17.

Episcopi, tam in Ecclesia, quàm in foris suum ordinem & gradum retineant, & principes paterno honore prosequantur.

Caput 18.

Canones exactè observentur, de quibus non nisi justa ratione dispensetur.

Caput 19.

Quicunque duellum concesserit, excommunicetur.

Caput 20.

Omnia Concilia, & sacri Canones diligenter observentur.

Caput 21.

Postremò sancta Synodus omnia & singula, sub quibuscunque clausulis, quæ de morum

reformatione, atque Ecclesiastica disciplina, tam sub sanctissimis Paulo 3. & Julio 3. quàm beatissimo Pio 4. maximis Pontificibus, in hoc sacro Concilio statuta sunt, declarat ita decreta fuisse, ut in his salva semper authoritas sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur.

Decreta publicata in eadem Sessione die 4. Decembr.

Decretum primum.

INdulgentiarum usus in Ecclesia retineatur. Et si quis abusus irrepserit, cohibeatur.

Decretum 2.

Ciborum delectus & jejunia, & dierum festorum religiosa celebratio, retineatur.

Decret. 3.

Catechismi, Missalis, & Breviarii negotium ad Romanum Pontificem remittatur.

Decret. 4.

Declarat sancta Synodus, ex loco assignato oratoribus tam Ecclesiasticis, quàm secularibus, in sedendo, incedendo, aut quibuscunque aliis actibus, nullum cuiquam eorum factum fuisse præjudicium, sed omnium illorum, ut Imperatorum, Regum, Rerumpublicarum, ac Principum sua jura ac prærogativas illæsas esse & in eodem statu permanere, prout ante præsens Concilium reperiebantur.

Decret. 5.

Principes, quæ ab hac sancta Synodo decreta sunt, ab hæreticis depravari non sinant.

Decret. 6.

Decreta, quæ ad dogmata & morum reformationem statuta & definita sunt temporibus Pauli 3. & Julii 3. Max. Pont. lecta & approbata fuere à sancta Synodo.



HISTO-

HISTORIA SESSIONIS XXV.

DIe 15. Novembris Cardinalis Moronus Congregationem domi suæ habuit, advocatis Legatis, duobus Cardinalibus, Episcopis XXV. selectis, Nationis cujusque primariis. His proposuit, *quid videretur de finienda Synodo, ejúsque finiendæ modo*, quandoquidem Imperator, Rex Romanorum, Lotharingus, omnésq; Principes, ut finis ei imponatur, cupiant. Cardinalis Lotharingus respondit, *necessariò finiendam esse, ne diutius orbis suspensus teneatur, & ut formula Interim in Germania tandem tollatur. Quoad modum, absolvi omnia una Sessione posse, tractato Reformationis residuo, expedito Catechismo & librorum prohibitorum Indice, reliquis verò ad Papam remissis; articulis etiam fidei reliquis generalibus verbis comprehensis.* Secuti reliqui, excepto Granatensi, qui dixit, eam rem se Oratori Regis sui remittere. Disceptatum, an & quo modo hæretici anathematizandi? Archiepiscopus Hydruntinus eorum duces, tam mortuos, Zuinglium, Lutherum, quàm viventes nominatim anathematizandos esse pertendit. Refragatus huic est Lotharingus, sufficere ajens, ut cunctis hæreticis anathema dicatur. Consilium de finienda Synodo mox Moronus Oratoribus aperiendum curat, quod uno excepto Lunensi Comite diu repugnante, & ad extremum nonnisi certa conditione consentiente, omnes approbant. Congregationes mox habitæ de Capitibus Reformationis, in quibus summa cum brevitate & consensione omnia pronuntiata sunt. Die 20. Novemb. in Congregatione propositum, *anne petenda sit à Pontifice confirmatio decretorum sub Paulo, Julio & Pio conditorum?* Cúmque convenisset, omnino petendam esse, de modo etiam & tempore, quo petenda sit, anxiè quæsitum, ut eadem Sessione & confirmatio petatur, & Synodus dimittatur. Post constitutum Reformationis negotium Cardinali Warmiensi aliísque octo Prælatis negotium datum est formandi decretum de Purgatorio, invocatione Sanctorum &c. Quamvis autem omnes id agerent, ne quidquam in medium, quod difficultatem pareret, proponeretur: tamen evitari non potuit, quin in plerisque capitibus dissensus aliquis se proderet, de quo in quæstionibus ipsis locus dicendi se offeret. Actum etiam in peculiaribus Congregationibus est de Indice librorum, Catechismo, Missali & Agendis. Quæ omnia, ne Concilium detineri debeat, ad Pontificem remittenda Legati contendebant, dissuadente licet Episcopo Ilerdensi, qui longa oratione demonstrabat, *si quidquam proprium esset Concilii, catechismum id esse: ritualibus verò libris locum secundum deberi, in quorum proinde emendatione opus sit exquisita cognitione antiquitatis & consuetudinis omnium regionum, quæ in Romana curia haud facile, at in Concilio facilius*

ciliùs inveniatur. Sed effecit finiendi propositum, ut parùm æquis auribus talia exciperentur. Die 25. Novembris Comes Lunensis apud Legatos queritur de nimia in finienda Synodo festinatione, simúlque minas jactat, & ad Vargam, ut idem apud Pontificem ipsum agat, scribit. Sed Vargas id supervacaneum duxit, eò quòd paucos ante dies idem apud Pontificem solicitans iniquè acceptus esset. Cùm enim Vargas dixisset, expedire ut Concilium apertum maneat, eo quòd universus mundus id expetat: Pontifex percunctatus erat, *quisnam ille mundus esset?* Subjungente Varga: *Hispania id vult: Totus mundus id vult*; excepit Pontifex probrosis verbis: *Scribite in Hispaniam, ut Ptolomæum emant, eúmque perlegant. Invenient certe, Hispaniam non esse totum mundum.* Die 1. Decembris Tridentum Roma nuntium allatum est de gravi Pontificis morbo. Unde magis etiam Concilio finem imponere festinârunt Legati, ne durante Concilio novi Pontificis, quam Galli moliebantur, electio in ipso Concilio attentaretur. Igitur postridie mane Congregatio habita, & in ea lecta sunt decreta de Purgatorio & Sanctis, Reformatio fratrum, reliquáque Reformationis Capita. Propositúmque deinceps est de legendis in Sessione omnibus Decretis sub Paulo & Julio factis, quò videlicet approbarentur. Sed repugnabat Mutinensis Episcopus, asserens, *eo pacto authoritati Concilii illorum temporum derogatum iri, si quæ tum decreta erant, nova Patrum confirmatione indigere statuatur, ac præterea id arguere, Concilium hoc non esse idem cum illo, quandoquidem nemo res proprias confirmet.* Placuit igitur, ut Decreta solummodo prælegerentur, nec quicquam aliud diceretur. Ita apertè unitatem Concilii declarari, & difficultatem tolli, quam vox *confirmandi* adhibita adferre poterat. Postremò propositum est de anticipanda Sessione, eáque postridie celebranda; & si tum expediri omnia non possent, de eadem Sessione sequenti die continuanda, perinde ac si unica esset; déque dimittendis Patribus; ac, ut die Dominico omnes actis Concilii subscriberent. Reclamabant XIV. Episcopi Hispani & Comes Lunensis, qui tamen ad extremum multis ultro citróque habitis verbis assensus est, duabus conditionibus appositis; unâ, *ut decernatur, Papam iis, quæ restabant, provisurum*: alterâ, *ut in tractatione de indulgentiis non adjiceretur, gratis dandas, aut aliud, quod Bullæ Cruciatæ in Hispania officere posset.* Ita igitur die 3. Decembris anticipato successit Sessio XXV. sequenti die continuata postrema, in qua concionem habuit Hieronymus Ragazzonus Episcopus Nazianzenus, qua totum orbem habitabilem ad admirandum felicissimum diem, *quo templum Domini refectum, & navis in portu ex maximis turbinibus & fluctibus collocata sit*, inclamavit, simúlque omnia Concilii decreta summatim recensuit. Lecta deinceps decreta fidei & Reformationis, nec non de Indice librorum, Catechismo, Missali & Breviario, ut videlicet ea summo

ſmo Pontifici exhibeantur, & ejus judicio ac authoritate terminentur. Poſtea Principes monentur, operam navent, ut decreta illa ab omnibus recipiantur & obſerventur. Decreta etiam ſub Paulo & Julio eo Concilio recitantur. Poſtremò Secretarius cùm in medium proceſſiſſet, rogavit, *an placeret Patribus, ut Synodo illi finis imponatur, & ejus nomine per Legatos & Præſidentes omnium, quæ ſub Paulo III. Julio III. & Pio IV. decreta ſunt, confirmatio à R. Pontifice petatur.* Reſponſum eſt non ſigillatim, ſed ab omnibus una voce, *Placet.* Cardinalis Moronus omnibus, qui aderant, indulgentiam plenariam conceſſit, & benedicens Synodo, Patribus dixit, ut poſt gratias Deo actas irent in pace. Acclamationes à Cardinali Lotharingo compoſitas idem præcentor ex chartis præivit & intonuit, quibus inter alia fides Concilii Oecumenici Tridentini, tanquam fides S. Petri, Patrum & Orthodoxorum commendatur. Uno ſolo verbo anathema *omnibus hæreticis* dictum eſt. Poſtero etiam die habita quaſi congregatione, & appoſitis chirographis Patres CCLV. Concilio ſubſcripſerunt. Tametſi verò jam ante conſtitutum eſſet, ut poſt Patres etiam Oratores ſubſcriberent, placuit tamen deinceps, ne ad ſubſcriptionem invitentur, tum quia non aderat Gallus, tum quia Comes Lunenſis jam ante abſolutè ſe non ſubſcripturum ſignificaverat.

NOTÆ

Ad Hiſtoriam & Decretum Seſſionis XXV.

IN Hiſtoria Seſſionis hujus id potiſſimùm *primò* animadvertendum, quòd Legati & Lotharingus, ex præſcripto Pontificis, artificiosè omnia non tam ad finiendam, quàm præcipitandam Synodum componunt. Supererant præcipua capita, quorum διάσκεψις non exiguam moram, quod ipſi nonnulli Patres monebant, poſtulaverat. Hæc omnia ambiguis & generalibus verbis, qua fieri potuit, maxima brevitate Patres complectuntur, & pertæſi tum laboris tum periculorum, quibus non ſemel in Concilio Papatus laboravit, receptui canunt, indignante etiam Hiſpano Oratore Comite Lunenſi, qui in ſcripto Legatis exhibito graviter queſtus eſt, *quòd materia præcipua, ob quas Concilium congregatum erat, omitterentur: quòd in paucis illis, quas tractabant, præcipites ferrentur: quòd finis quæratur inſcio Rege.* Romæ etiam Vargas objiciens Pontifici *Hiſpaniam, totum mundum petere, ut Concilium apertum maneat,* deridiculo habitus, & probroſis verbis ad Ptolomæum amandatus eſt. *Secundò* indignũ & illud, imò ſupinitatis argumentum fuit, quòd emendandi Catechiſmi & Ritualium curam turpiter ab ſe neglectam, ad Pontificem Synodus remiſit, non aliam

ob rationem, quàm ut abrumpendi Concilii mora omnis præcideretur Quod ipsum pluribus argumentis prudenter Episcopus Ilerdensis dissuaserat, ajens, nullam Concilio digniorem curam esse, quàm conficiendi tum *Catechismi*, qui liber post Symbolum Apostolicum primum in Ecclesia locum tenere debeat: tum *Ritualis*, qui proximo post Catechismum loco censeatur. In horum emendatione opus esse exquisita cognitione antiquitatis & consuetudinum omnium regionum, quæ in Romana curia haud inveniantur. *Tertio* anathema pronunciatum est *cunctis hæreticis*, non sigillatim his vel illis. Id in ipso Concilio Archiepiscopus Hydruntinus monuit adversari veteri Conciliorum praxi & rationi, quia in eo Concilii opera consistat, ut nomine tenus qui hæretici sint, exprimantur. Proinde id si negligatur *frustra Concilium laborâsse*. Lotharingus excepit, *hæreticorum capita esse Reginam Angliæ, Reginam Navarræ, Principem Condaeum, Electorem Palatinum ad Rhenum, Electorem Saxoniæ &c. Hos nominandos, siquidem hæretici nominatim anathematizandi sint. Atque id turbis occasionem daturum*. Sed Paulus ἀπερισυμπλήπτως etiam Angelis aliud Evangelium prædicantibus anathema dicturus erat, Gal. I. 8. Agnoscimus igitur Dei providentiam, qua refrenati sunt homines illi, ne nominatim nobis anathema dicere sustinerent. Quanquam verendum non fuerat, ne maledictione sua Divinam nobis benedictionem interverterent illi, qui aliud quàm Paulus Evangelium prædicantes, ipsi anathemati subjacebant, & in quibus impleta est prophetia, אלה וכחש *Execrantur & abnegant*, Hos. IV. 2. Quibus proinde occini potuisset Canon Felicis Papæ *c. 24. q. 1. Excommnicatus alios excommunicare non valet*. Nostro verò solatio inservit id, quod Valeriano Episcopo & Martyri dixit Alexander II. *Excommunicatus te excommunicare non potuit, & non potest dejicere quenquam jam prostratus &c. Quartò* paucis Decreta Reformationis nonnulla excutiemus. Sunt autem ea duorum generum. Alia enim *Regulares & Moniales* concernunt, suntque numero XXII. alia denuo *Episcopos*, ejúsque generis alia, numero XXI. Prioris generis decreta, subtracto fundamento, statu Monachatus, quem inferiùs oppugnabimus, sua mole ruunt. Capite *primo* præcipitur, *ut omnes Regulares tam viri quàm mulieres ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instituant, ac inprimis, quæ professionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis & castitatis, nec non alia Ordinis peculiaria vota & præcepta, fideliter observent*. At mox Capite *tertio* omnibus monasteriis & domibus tam virorum quàm mulierum, *exceptis domibus Fratrum S. Francisci, Capucinorum, & eorum, qui Minorum de observantia vocantur*, conceditur, *ut deinceps bona immobilia iis possidere liceat*. Instabat primùm etiam Generalis Jesuitarum Lainezius, ut excipiatur etiam Societas Jesu, quoad domos professas, in quibus propriè Societas consistat, quæ nisi ex mendicato, & sine cujuscunque boni stabilis possessione vi-

vere

vere possit. Ei cùm assentirentur Patres, pœnitudine ductus postridie reversus petiit, ut exceptio illa tolleretur, dicens, *Societatem suam in domibus professis perpetuò in mendicitate se conservaturam, non tamen id pensi habere, ut hoc nomine mundi applausum consequatur,* teste Historico, *lib. VIII. pag.* 721. Monachorum igitur omnium paupertatis votum profitentium, Capucinis & Minoritis exceptis, domibus Synodus indulget, *ut bona immobilia possidere iis liceat.* Proinde paupertatis voto obstricta, & bonorum immobilium possessio, hoc est, verissimæ & certissimæ divitiæ, si Patribus his fidem habemus, probè cohærere possunt. At constat satis, in veteri ecclesia Monachis nec mendicare licuisse, nec immobilia bona concessa esse, sed quemque eorum labore manuum & sudore vultus sui vitam tolerare debuisse. Basilius *de Instit. Monach. Serm.* 1. mandatum & præceptum esse docet, ut Monachi ex manuum labore vivant. Alibique id ipsum graviter & seriò docet. Neque ipse solus, sed Augustinus etiam *de Opere Monach. cap.* 1.16. &c. fusè probat, quòd sicut reliqui Apostoli de Evangelio victitârunt, Paulus verò ex labore manuum suarum: ita Clerici quidem de bonis ecclesiæ meritò nutriantur, & Monachi contra Paulinum vivendi morem amplexi sint. Et *cap.* 25. ejusdem libri ait, Christi documentum illud, *vade & vende,* nec non Pauli & præceptum & factum *sufficere debuisse ad exemplum derelinquendi pristinas facultates & manibus operandi.* Meritò igitur Camusius Bellicensis Episcopus libro *de paupertate Evangelica,* nec non alio *de Expropriatione sive proprietatis abdicatione Claustrali,* docet, statum Monachalem qualemcunq; nihil minùs esse quàm statum paupertatis, cùm nemini vel securiùs vel opulentiùs prospectum sit, quàm Monachis, sive fundos & census annuos, ut Benedictini & Jesuitæ possideant, sive ex mendicitate vivant, sive fuerint mixti generis amphibii. Quantis divitiis opus sit alendæ millioni Monachorum mendicantium, qui in 34. Ordines distincti sunt, reputet qui voluerit cum Camusio, demonstrante, illam multitudinem quotannis insumere centum milliones coronatorum aureorum, præter sumptus, qui in ædificia, templa, aliáque ejusmodi insumuntur. Nihil hìc dicam de mendicitate Jesuitarum professorum, de qua adeò gloriosè locutus est Lainezius. Meritò sane Nobilis quidam Landspergius dixisse fertur: *Si mendicare vellem, cum Jesuitis mendicarem. Illi enim non obolum unum vel alterum, sed mille coronatos plerunque una vice à Principibus asportant.* Regales eorum divitiæ notiores sunt orbi, qui hactenus sibi illudi passus est, quàm ut commemorari debeat. *Decimo sexto* post sancitum de Novitiis, si inventi fuerint habiles, vel ad profitendum adigendis, vel è Monasterio ejiciendis, additur exceptio de Jesuitis hæc in verba: *Per hæc tamen sancta Synodus non intendit aliquid innovare aut prohibere, quin religio Clericorum Societatis Jesu, juxta pium eorum institutum à Sancta sede Apostolica*


approbatum, Domino & ejus ecclesiæ inservire possit. Quibus artibus exceptionem hanc, verbis pluralis Numeri, *Per hæc &c.* expressam, ut tum ad proximam, tum ad superiores etiam leges extendi posset, Lainezius Jesuitarum Generalis obtinuerit, narrat Historicus *lib.* VIII. *pag.* 722. Porro cùm novum Jesuitarum ordinem approbant Patres, manifestè delinquunt contra Lugdunensis Concilii, Pontifice Gregorio X. Anno 1273. habiti decretum, quo prohibetur, ne ulli deinceps novi religionis Ordines excogitentur & instituantur. Quo quidem Concilio suppressi fuerunt ii etiam Ordines, qui Romani Pontificis authoritate jam pridem invaluerant, exceptis Dominicanis & Franciscanis, qui in eo tanquam utiles Romanæ ecclesiæ asseclæ approbati sunt. De Jesuitarum porrò thrasonico titulo, typho, vafritie, institutis, stratagematibus, πολυπραγμοσύνῃ, periculosis in Theologia tum Pontificia tum Morali dogmatibus, artibus Mercurialibus, praxi scilicet mendaciorum, æquivocationum, mentalium reservationum, insidiis adversus Reges & Principes, formidabili etiam Regibus ipsis potentia, scripserunt multa in ipso Papatu Arnoldus celebris advocatus Parisiensis, ipsa Academia Parisiensis, Stephanus Paschasius, Lud. Montaltius, Thuanus, Grammondus, Canus, Arias Montanus, Alphonsus Vargas, Sciopius, alii. Súntque ejusmodi ea omnia, ut meritò mirandum nobis esset, sectam illam Concilii suffragio probatam esse, nisi etiam graviora ab eo admissa ac designata essent. Sequuntur reliqua XXI. Reformationis capita, ex quibus digniora notatu consignabimus. Capite I. Episcopis *modestia, frugalitas, continentia & Sancta humilitas* commendatur, præcipitúrque, *ne ex reditibus ecclesiæ* consanguineos, fratres, nepotes *augere studeant.* Cum demandata illa *sancta humilitate* parum convenit id, quod Capite XVII. subjicitur, ubi queruntur Patres, *Episcopos aliquos sui status oblitos, Pontificiam dignitatem non leviter dehonestare, qui cum Regum ministris, Regulis, & Baronibus in ecclesia, & extra indecente quadam demissione se gerunt, & veluti inferiores ministri altaris, nimis indignè non solùm loco cedunt, sed etiam personaliter illis inserviunt.* Quæ omnia ita detestatur Synodus, ut graviter præcipiat tum Episcopis, *ut tam in ecclesia, quàm foris suum gradum & ordinem præ oculis habeant, ubique se Patres & Pastores esse meminerint*; tum Principibus, reliquísque omnibus, *ut eos paterno honore ac reverentia prosequantur.* Egregia scilicet humilitas, quâ ministri ecclesiæ extolluntur supra dominantes hujus mundi, dixerit licèt ipse Christus: VOS AUTEM NON SIC. quod dictum validius est, quàm ut ulla vi subverti, apertius, quàm ut ulla fraude obscurari possit. Neque vel naturæ, vel gentium jura ejusmodi προεδρίαν Episcopis & Sacerdotibus permittunt. Neque moror sive rationes (si tamen λόγοι sunt, qui sunt ἄλογοι) quibus Cassanæus in *Catal. Glor. Mundi Parte IV. Considerat.* 2. contendit, quod *status ecclesiasticus*

ſiaſticus in omnibus ſtatui temporali ſit præferendus, ſive exorbitans illud dictum: *Aurum non tam pretioſius plumbo, quàm regia poteſtate ſit ordo Sacerdotalis altior*; Cap. duo ſunt 10. diſt. 96. Quæ comparatio ſi juſta eſt, nullus tam miſerabilis Sacerdos eſt, quin præcedere ipſum Imperatorem debeat. Sicut enim quælibet auri particula omni plumbo dignior eſt, ita ultimus quiſque paſtorculus præſtantiſſima ove ſuperior erit. Apageſis verè Phariſaicum hoc ſupercilium, quod Patres hujus Concilii planè inverecundè fovent. Non tali tumida gravitate veteres Epiſcopi ſe venerabiles reddiderunt, ſed ſincera munerum functione, & veræ pietatis exercitiis. Præterea quæ de immodica largitione bonorũ eccleſiæ vitanda Synodus ſciſcit, quàm parùm religiosè obſerventur, vel ſolum Pontificum, qui Epiſcopi Epiſcoporum haberi volunt, exemplum, ac libelli in *Nepotiſmum* illorum ab ipſis Pontificiis luſi & vulgati comprobant. Capite III. conſtituitur, tum *ne excommunicationis gladius temerè ſtringatur*: tum *ut ſolus Epiſcopus monitoria & excommunicationes decernat, pro rebus amiſſis aut ſubſtractis prodendis ac recuperandis*: tum denique, *ne Secularis quilibet Magiſtratus prohibeat Eccleſiaſtico judicio, ne quem excommunicet aut mandet, ut latam excommunicationem revocet.* Rectè equidem monetur, ut excommunicationis gladius *ſobriè & magna circumſpectione* exerceatur, eò quòd experientia doceat, *ſi temerè aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni* quàm formidari, & perniciem *potiùs quàm ſalutem parere.* Bene eſt, quòd agnoſcunt & tantùm non fatentur, excommunicationis gladium antehac à Pontifice & Epiſcopis temerè & parùm ſobriè ac circumſpectè diſtrictum eſſe, quo videlicet uſi ſunt tanquam ſubſidio ſtabiliendæ ſuæ tyrannidis ac potentiæ, non ſalutari ſcandalorum & impietatis remedio. Memorare poſſem fulmina illa Romuleja in ſacra etiam, uncta & coronata capita ſine cauſa jactata, & ab ijſdem validè ſpreta. Et Majores etiam noſtri fortiſſimi Seculo XIII. brutos anathematiſmos Pontificis excipere, quàm datam Friderico II. fidem frangere maluerunt. Omitto maſculam Tigurinorum apologiam, qua Alexandri anathema in Regem Galliarum, ejúſque amicos evibratum, An. 1496. feliciter, fortitérque retorſerunt. Illud verò omnes tyrannidis numeros implet, quòd toties Pontifices ob Principum ſive verum, ſive fictitium delictum, innocentem etiam eorundem populum ſacris interdixerunt. Quomodo Petrus Damianus queritur *lib. I. epiſt. 7.* omnes Anconitanos excommunicatos eſſe propter unius culpam, *cùm non debeat*, inquit, *ſævire gladius, niſi in paucos pro multitudine.* Quòd vero *ſolis Epiſcopis* Pontificiis monitoriorum & excommunicationum jus, à ſeculari Magiſtratu nullatenus inhibendum tribuitur, id ipſum quoque recipi non poteſt, tum quia Pontificiis Epiſcopis aliud quàm Pauli Evangelium prædicantibus, adeóque ipſo jure excommunicatis, alios excommunicandi poteſtas non eſt, juxta canonem

Felicis Papæ : *Excommunicatus alios excommunicare non valet* : tum quia excommunicandi jus toti ecclesiæ, non excluso etiam ipso supremo Magistratu, competit. Ita olim temerariis Pontificum censuris non solùm imperio & minis, sed aperta etiam vi restiterunt Henrici, Friderici, Ludovici, Philippi, Veneti, aliique, quibus adstipulatus est prudentissimus Gerson *de auferibilit. Papæ ab ecclesia Consid.*14. ubi inter alia ita habet: *Jubebit, exempli gratiâ, summus Pontifex, quòd vastetur regnum Franciæ igne & gladio. Dicimus, quòd Regis erit resistere, & jubere, quòd ei non obediatur, sed resistatur. Hoc enim fas est agere cuicumque, in quem vim illicitam vellet inferre etiam verus Papa.* In Gallia quoque, non obstante Tridentini Concilii sanctione, suprema Curia appellantem *ab abusu* suscipit, & adversario injungit, ut suis sumptibus absolutionem illi procuret: nî pareat, gravibus pœnis coërcetur. Capite XII. Synodus hortatur *omnes & singulos pro Christiana charitate, debitóque erga pastores suos munere, ut de bonis sibi à Deo collatis Episcopis & Parochis, qui tenuioribus præsunt ecclesiis, largè subvenire ad Dei laudem & pastorum suorum dignitatem non graventur.* Quantò verò æquius fuerat aurem vellicari Episcopis, quibus lautior fortuna affulget, ut illi ex abundantia sua tenuiorum inopiæ succurrant, quando jam satis emunctum esse populum abundè constitit. Adeò insatiabilis est clericalis avaritiæ vorago, ut tantùm non Salomonis *quatuor insaturabilibus* adjicienda videatur. Capite XVI. præcipitur, ne beneficia curata, quæ animarum curam annexam habent, in simplicia deinceps convertantur, útque vicario, in quem translata animarum cura fuerit, assignetur congrua portio. Cæterùm beneficia curata in simplicia, mera ignaviæ alimenta, jam conversa, Patres nec improbant, nec tollunt, sed relinquunt, ne videlicet Romani Pontificis offensam incurrant, & ipsi suam stultitiam Episcopi, qui mali hujus authores extiterunt, damnent. Capite XVIII. Episcopis aliisque Præsulibus potestas fit, *cum aliquibus decretis dispensandi, si urgens justáque ratio & major quandoque utilitas postulaverint, & cognita causa ac summa maturitate, atque gratis.* Ex hoc igitur canone contra quælibet, duriora inprimis Concilii hujus Decreta Pontificius clerus remedium petere, & tristi fastidio suo occurrere potest. Integra enim relinquitur iis, ad quos dispensatio pertinet, dispensandi potestas. Neque unquam justæ & rationabilis causæ, quam *viri boni arbitrio* Canonistæ, uti hîc Barbosæ *Remissio* docet, definiunt, artificiosa πρόφασις deerit. Capite XIX. ipsum Jmperatorem, Reges ac Principes duella permittentes, anathemate feriunt, imò & dominiis suis ac feudis privant, adeóque temporalem potestatem, nullibi sibi concessam, usurpant. Et tamen ipsimet tenent, in quibusdam casibus licere duellum, meretricium, aliáque ejusmodi delicta permittere, ut videlicet majora mala permittantur. Capite. XX, monentur Principes, *ut Canones ad immunitatem, favorem, libertates eccle-*

ecclesiasticas spectantes diligentissimè observari curent, úti que Barones aliósque vasallos, Canonum illorum violatores, severè coërceant: adeóque hac ratione veros se ecclesiæ & fidei Catholicæ patronos & defensores, suorúmque piorum majorum imitatores exhibeant, qui non modò ecclesiæ bona imminui passi non sint, sed & liberalitate ac munificentia sua eadem semper amplificaverint. Ita Principibus Christianis persuadere conantur, hac demum ratione Ecclesiæ Catholicæ protectores & Patronos illos existere, si Clericos in possessione bonorum, privilegiorum ac immunitatum suarum tueantur, easdémque etiam amplificare studeant. Adeò nihil de immunitatibus & privilegiis injustè acquisitis decidi patiuntur, ut ea etiam augeri & accumulari velint, ac tantùm non imperent. Cæterùm de ecclesiastica jurisdictione & κοσμικῆς illius ἐξουσίας typho suo loco fusiùs egimus. Denique Capite XXI. declarat Synodus, *omnia & singula sub quibuscunque clausulis & verbis, quæ de morum Reformatione atque ecclesiastica disciplina sub Paulo III. Julio III. & Pio IV. in hoc Sacro Concilio statuta sunt, ita decreta esse, ut in his* SALVA SEMPER AUTHORITAS SEDIS APOSTOLICÆ *& sit, & esse intelligatur.* De hoc decreto nulla in Congregatione verba facta esse, testatur Historicus *lib.* VIII. *p.* 731. Proinde clanculum intrusum fuerit, Patribus ob nimiam festinationem facilè acquiescentibus, inprimis quia eadem Sedis Apostolicæ exceptio etiam Sess. VII. in Prologo Reformationis admissa fuit. Interim exceptio illa, *Salva semper authoritate Sedis Apostolicæ,* id omne convellit & labefactat, quod in Decretis Reformationis salubriter constitutum, curiam Romanam, in qua omnium malorum radicem fixam esse, palam Episcopi in Concilio dictitabant, tangere videbatur. Valent nempe decreta non aliter, quàm *salva authoritate Sedis Apostolicæ,* quæ si per illa detrimentum patitur, ut *salva* esse non possit, actum & conclamatum est de decretis, refiguntur & abolentur penitus. Verbi gratiâ. Statutum erat in Concilio, *ne quis plures ecclesias Cathedrales recipere possit, & simul retinere. Qui autem plures habent, unâ, quam mallent, retentâ reliquas missas facerent,* Sess. VII. cap. 2. At vi exceptionis illius, *Salva authoritate Sedis Apostolicæ,* Paulus III. decretum illud ita interpretatus est, ut manifestè illud eluderet, nimirum, *ut qui relicturus esset ecclesias, fructus omnes sibi reservare posset, assignans tantùm aliquid resignatario pro sua dignitate utcumque tuenda: posset etiam regressum retinere, ut si accideret resignatarium cedere vel decedere, ad resignantem ecclesia regrederetur, alteri cessura, cui resignans consentiret.* Quam fraudulentam interpretationem secutus Cardinalis quidam quinque Episcopatus & Abbatias totidem possidens, fructus recipiens, assignavit resignatariis suis pro sua cuique scilicet dignitate vix ac ne vix quidem tuenda, teste Claudio Espensæo, Doctore Sorbonico *in Cap. I. ad Titum.* Sic igitur fraude facta Concilio beneficiorum sacrilega pluralitas, palam obtinet. Unde Clero in Gallia A. 1614. Concilii

receptionem urgenti inter alia responsum est: *Si adeò illis Concilii decreta cordi sint, ipsi primi illa observarent, ablegatis erroribus, qui non sine scandalo apparent, & potissimùm pluralitate beneficiorum.* Sed quotusquisque ea ablegavit? *ut sic constet, non bono ecclesiæ, sed suorum duntaxat commodorum causa de Concilii admissione illos anxios esse*, verba sunt Michaelis Rousselii, *Histor. Jurisd. Pontif. lib. II. cap. 13. pag. 295.*



QUÆSTIONES THEOLOGICÆ
AD
Decreta Fidei Sessionis XXV.
QUÆSTIO I.
An detur Purgatorium, seu locus, in quo fidelium animæ post mortem, antequam ad Regnum Cœlorum aditus pateat, detineantur, à reliquis sive peccatis ipsis, sive temporalibus peccatorum pœnis purgentur, & fidelium suffragiis, ac potissimùm altaris sacrificio, adjuventur?

AFfirmat Synodus tum Sess. VI. can. 30. tum Sess. XXII. can. 3. tum denique fusiùs hac Sessione XXV. Decreto *de Purgatorio*, ubi præcipitur Episcopis, *ut hanc* (nuspiam ab illis expressam) *de purgatorio doctrinam à Christi fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari diligenter studeant.* Et priores quidem Sessionum canones anathematismos conjunctos habent: at postremæ Sessionis decretum non item. De loco verò & foco seu igne Purgatorii, nec non de remissione culpæ, an pœnæ duntaxat, aliisque permultis aliquid definire Patres non sustinuerunt, *quòd res ea non careret difficultate, nec facilè verba inveniri possint, quæ omnibus satisfacerent*, uti S. Polanus testatur *lib. VIII. pag. 720.* Monuitque Archiepiscopus Lancianensis, cùm in Canonibus de Missa declaratum sit, *sacrificium illud pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis offerri*, nihil restare amplius, quàm ut Episcopis ejus doctrinæ prædicandæ, & sanæ de eo doctrinæ à falsa discernendæ necessita-

sita-

ſitas imponatur, in cujus ſententiam decretum formatum eſt. Adeò timidè & ſuſpenſo gradu Patres illi incedunt. Timebant enim, ne propalando ſanam & inſanam de Purgatorio doctrinam populo (qui per falſa, ſuperſtitioſa & vana de Purgatorio dogmata inductus eſt, ut omnes ferè opes ſuas in otioſum clerum erogaret,) ſubolere poſſet gravibus erroribus huc uſque Eccleſiæ in tanti momenti negotio illuſum eſſe, neque adeò eam infallibilem fuiſſe: neve ſic reliquam omnem de Purgatorio doctrinam ſuſpectam haberet. Nos verò ejuſmodi purgatorium, qualecunque in illo ſupplicium ſtatuatur, quòd à Pontificiis nondum definitum eſt, refutamus ſequentibus argumentis. Etenim

ARG. I. Purgatorium ejuſmodi revelatione & ſuffragio Scripturæ, quæ unicus eſt fidei ac morum canon, prorſus deſtituitur. Nec nomen, nec res nomine ſignificata uſpiam occurrit. De nomine palam eſt, quia Scripturæ non alium καθαρισμὸν *purgatorium* ſeu *purgationem* agnoſcunt, quàm Jeſu Chriſti pretioſum ſanguinem Hebr. I.3. & 1. Joh. I.7. De re ipſa fatentur Petrus à Soto, qui Concilio interfuit, *Lect. 1. de Purg.* Cæſar Bullengerus, Pereſius, Fiſcherus, Epiſcopus Roffenſis, qui diſertè art. 18. *contra Lutherum* ſcribit, *diligentiſſimos inquiſitores hactenus latuiſſe Scripturam aliquam* purgatorium probantem; quæ ejus verba Redingius vafrè diſſimulat pag. 575. affingens ei, quòd negaverit tantum in promptu eſſe locum, qui *protervientibus ingeniis* ſatisfacere poſſit. Unde Cotonus Jeſuita ex ipſo Diabolo percontari non erubuit, quis locus Scripturæ aptè purgatorium probet, locuplete teſte Thuano, ne *calumnioſum* id eſſe ſine ulla ratione Redingius amplius aſſerat. Tum purgatorium ἄγραφον eſſe, inde etiam liquet, quòd iis in locis, quibus purgatorii, ſi quod exiſteret, mentio propemodum neceſſaria videbatur, ne minimo quidem digito attingitur, veluti cùm deſcribuntur funera, mors ſanctorum, ſacrificiorum varia genera, ſtatus defunctorum. Denique ſi Purgatorium Scriptura comprehenderetur, utique claris & diſertis verbis, quæ ad credendum pios & cautos quoſque obligarent, res tanta revelari debuiſſet. Ubi verò clara illa revelatio continetur?

RESP. REDING: *1. Roffenſis Art. 87. diſertè ſtatuit, probationem Purgatorii ex Scripturis non deeſſe, quanquam fortaſſis non ſit in promptu adducere unam aliquam Scripturam, quæ protervientem adigat, uti rem, velit, nolit, confiteatur. Sed & Soto, Pereſius, alii in probando Purgatorio eatenus Apoſtolicis traditionibus nituntur, ut veritatem hanc ſaltem implicitè in Scripturis contineri, nulli diffiteantur. 2. Scripturæ à Roffenſi pro Purgatorio allatæ, dari locum, expiandis animabus deputatum, manifeſtè probant. 3. Si dogmata fidei clara Scripturæ teſtimonia requirunt ubi ergo claris verbis proceſſionem Spiritus S. à Filio, & Filii ὁμ[illegible]σίαν cum Patre, voce Homouſios expreſſam, ſic teſtatam legimus, ut protervientes*

Adversarios evincere inde pronum sit? Tomo V. Tract. XII. ss. 2. pag. 25--27. Resp. 1. Non multum adeò refert, quid Roffensis scripserit. Scripsit tamen ille disertè & categoricè *art. 18. ex Scripturis non posse probari purgatorium.* Neque hoc, quod solum Cl. Vedrosius objecerat, negare potes. Et eo ipso loco, quo fortassis *unam aliquam Scripturam, quæ protervientem* (sic ille oculatum judicem, demonstrationi ex Scriptura soli addictum appellat) *adigat, uti, velit nolit, confiteatur, in promptu non esse adducere* (quàm verò hoc ineptè?) scribit, ilico subjicit: *Potest nihilominus esse illic aliqua, tametsi diligentissimos inquisitores hactenus illa latuerit.* Non tantùm ergo eo judice, Scriptura nulla erat, quæ protervienti ingenio satisfaceret: sed etiam, *quæ potuit esse* (quàm hoc iterum dictu lubricum, imò futile!) illam *hactenus* (id est, ad Roffensis tempora usque) *diligentissimos inquisitores latuisse*, ingenuè fatetur. An sic fatenti, Redingi, subscribis? Et si subscribere detrectas, cur de contraria tibi Roffensis sententia controversiam moves? Si ad tempus Roffensis usque Scriptura illa latuit inquisitores diligentissimos, quis deinceps illam protulit? Cotoni ne, diligentissimi non apud superos, sed apud inferos, inquisitoris genius, an alius? Nam hujus adhuc ætate, adeóque præsente Seculo, Scripturam illam latere, idem Cotonus judicavit, non commoturus alias Acharonta. Idem Roffensis subjicit: *Contemplantes igitur aliquandiu Purgatorium incognitum fuisse, deinde quibusdam pedetentim partim ex revelationibus, partim ex Scriptura* (quomodo verò *ex Scriptura*, si ad tempus Roffensis usq; diligentissimos inquisitores Scriptura purgatorium probans latuit?) *creditum fuisse, & tam serò cognitum & receptum Ecclesiæ universæ.* &c. Interrogare libet: Anne dogma *aliquandiu in Ecclesia incognitum, & serò ab Ecclesia universa receptum* (quanquam ne id quidem verum est) pro dogmate Catholico, & in Scripturis revelato haberi possit? Sed insignis hæc in Ecclesiæ primitivæ doctores, non minùs *diligentes*, credo, Scripturarum *inquisitores*, & dogmatum fidei probatores, quàm Papæ discipuli sunt, injuria est. 2. Quàm parum igitur Roffensis suis ex Scriptura ariolationibus potiùs quàm demonstrationibus confisus fuerit, ejus confessio à me recitata probat. 3. *Clara* & *diserta* Scripturæ *verba* ea mihi sunt, quæ rem exprimunt clarè & disertè, quocunque nomine. Ita & processionem Spiritus S. à Filio, & vocem ὁμοούσιος clarè & disertè Ecclesia Catholica ex Scripturis probavit. Similis probatio Purgatorii ex Scripturis *adhuc latet*, uti Roffensis nullus dissimulaverat: & nos infra planum facimus.

ARG. II. Neque tantùm in scripturis revelatum non est, sed etiam iisdem vehementer repugnat, utpote quæ non agnoscunt medium statum, sed duos tantùm faciunt hominum ordines, alios credentes, qui salvantur, alios incredulos, qui damnantur, Joh. III. 16. 17. duo duntaxat loca, vel consolationis vel tormenti, quæ inter ingens chasma est Luc. XVI. 25. 26. Usitata quinetiam distinctio est inter mortem Sanctorum pretiosam & pessimam, benedictionem & maledictionem, vitam & mortem, neque quidquam inter hæc extrema occurrit, quod purgatorii statui convenire possit.

RESP. REDING: *1. Purgatorium ex ipsis Scripturis V. & N. T. probamus. 2. Duplex ille hominum ordo in rei veritate subsistit, licet purgationis vel activæ per pœnitentiam, vel passivæ per ignem pœnalem subeundam status intermedius, quousque ad finalem salutis ordinea-*

dinem perveniatur, locum habeat. 3. Quin & in medio illo purgationis statu vel loco qui sunt, benedictionis, vitæ, gloriæ certam spem habent. Ibid. pag. 27. Resp. 1. Præcipitanter nimis agis. Scripturæ enim loca, quæ ad focum illum, in quo animæ urantur, torques, in objectionibus diluimus. 2. Cùm credentes, quorum ordo unus est, in judicium pervenire, Christus ipse Joh. V. 24. neget, frustra illis intermedium judicii locum deputas. Morte ad metam perveniunt, purgantur penitus, *ad finalem salutis ordinem pertingunt*, non demum purgantur, puniuntur, judicantur. 3. Non directè respondes. Medius enim ille locus vel consolationis, quietis: vel tormenti locus est. An consolationis? Consolationem ergo ibi non sperant, sed actu percipiunt: sicut Lazarus post mortem statim in sinu Abrahami particeps consolationis redditus est, non eam duntaxat speravit. Tum Purgatorium benedictionis, an maledictionis locus est? Tertius enim non datur. Benedictionem ibi conferri, quis sanus dixerit? Est enim benedictio optabilis, constans, in supercœlestibus. Purgatorius autem ignis infernalis est, sola duratione ab igne damnatorum distinctus. *Est* enim, Bellarmino *de Purg. lib. II.* 6. finitore, *sinus quidam inferni, ac in eadem omnino voragine cum inferno.*

ARG. III. Post hanc vitam nullus superest locus resipiscendi, bene operandi & merendi Esaj. LV. 6. Eccles. IX. 5. 10. Matth. XXV. 10. Joh. IX. 4. Gal. VI. 8. 10. Ergo nec locus erit peccata purgandi, & pro iis satisfaciendi.

RESP. REDING: 1. *Ergo saltem in hac vita locus merendi est, te ipso fatente. 2. Si merendi in altera vita locus non est, erit saltem satispatiendi. 3. Imò in Cœlo etiam charitatis perpetua operatio stabit. Ergo ibi etiam locus erit bene operandi.* Ibid. pag. 28. 29. Resp. 1. Est in hac vita, non in altera. Inde enim Christus viator, non comprehensor meruit; saltem in hac vita, non in altera. Et hypocritæ justitiarii merentur in hac vita, damnationem scilicet, non vitam. 2. Erit omnino satispatiendi, in inferno, ubi damnati non merebuntur, sed demeritorum pœnam dabunt. Fideles contra ex morte transeunt ad vitam, illam scilicet, quæ credentibus promissa est, adeóque æternam. 3. Non excidet sanè in Cœlo charitas, nec charitatis operatio in universum: sed excidet ut causa vitæ, & meritoria. Ibi enim vita, remuneratio redditur, non bene operando acquiritur. Futiles ergo responsiones tuæ sunt.

ARG. IV. Justis & fidelibus peccata omnia remittuntur obedientiæ & mortis Christi merito Rom. III. 24. 25. 1. Joh. I. 7. II. 2. At quibus remissa sunt peccata, eos nullum ampliùs manet κατάκριμα *condemnatio*, nullum ἔγκλημα *accusatio* Rom. VIII. 1. 33. 34. eorum peccata ne quidem recordationem Dei subeunt Ezech. XVIII. 23 24. Quos autem nulla condemnatio manet, quorúmque peccati Deus ne quidem ampliùs recordatur, illi propter peccata oblivione sepulta pœnas, & grave illud κατάκριμα *judicium* purgatorii ampliùs sustinere non debent.

RESP. REDING: *Distingue peccatum lethiferum à veniali: pœnæ æternæ & temporalis reatum. Justus indies cadit septies. Pone ergo, eum cum venialis peccati labe è vivis excedere, non condemnabitur equidem, sed per pœnam temporalem justitiæ Dei pro peccato veniali satis-*

ſatisfaciet. Neque ſic Deus recordatur peccati, ſed juſtitiæ ſuæ, per quam pœnam æternam in temporalem commutat. Ibid. pag. 29. Reſp. Diſtinguam, ſi ex verbo Dei ita diſtinguendum docueris. Contra *peccati* (cujuslibet, nam textus non diſtinguit) *ſtipendium mors eſt*, Rom. VI.23. Et pœnæ æternæ ac temporalis reatum perperam diſtingui, ſupra oſtendimus. Qui porro cum peccati cujuſcunque labe decedit, ille remiſſionis omnium peccatorum per ſolius Chriſti meritum certus, peccatum una cum corpore peccati deponit, (moritur enim homo, in quo Chriſtus eſt, *δι' ἁμαρτίαν propter peccatum* deponendum, non puniendum, eo ipſo, quòd in eo Chriſtus eſt, cum imputatione omnis meriti & juſtitiæ ſuæ, Rom. VIII. 10.) non pro pœna ejus temporali in loco quodam infernali juſtitiæ Dei ſatisfacit. Deus enim reconciliatis per Chriſtum, qui *καθαρισμὸν τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, purgationem peccatorum noſtrorum* (nullo eorum diſcrimine) *δι' ἑαυτοῦ per ſemet ipſum fecit* (Hebr. I. 3.) ſic propitius eſt, ut כל פשעים *omnium iniquitatum ejus* non ampliùs *recordetur*, Ezech. XVIII. 22. *Omnium*, nota Redingi, non quorundam. Nullum ergo iniquitatum diſcrimen ſtatuit, ſed perinde omnium obliviſcitur: omnes poſt tergum ſuum abjicit; neque juſtitiam erga peccatores ullo modo exercet, utpote quam in Chriſto, quem placamentum præſtituit, exercuit & demonſtravit pleniſſimè, Rom. III. 25. Qui in fide, in Chriſto mortuus eſt, *δεδικαίωται juſtificatus eſt à peccato*, nullo ejus diſcrimine, Rom. VI. 7. Ubi peccatum nullum eſt, ibi nec juſtitiæ locus eſt. Denique quod ſimpliciter dicitur, illud malè per circumſtantiam temporis reſtringitur. Atqui ſimpliciter dicitur, non recordaturum Deum iniquitatum omnium: nullam condemnationem in iis eſſe, qui in Chriſto ſunt. At ſi certo tempore, certo loco Deus recordatur, punit, certè & recordatur & punit, quod Scriptura ſimpliciter negat.

ARG. V. Fideles ilico poſt mortem recipi in Cœlum, Paradiſum, Sinum Abrahæ, locum beatitudinis & quietis, domum non manufactam, æternam in Cœlis, cœleſtem Hieroſolymam, teſtatur Scriptura Pſal. XXXI. 6. CXVI. 7. Luc. II. 29. XVI. 22. XXIII. 43. Act. VII. 59. 2. Cor. V. 1, 2. 8. Phil. I. 33. Hebr. XII. 23. Apoc. XIV. 13. Non igitur purgatorii piaculares flammas ſubeunt. Perſpicuè inprimis Paulus Rom. VIII. 10. loquitur: *Si Chriſtus in nobis, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum: Spiritus autem eſt vita propter juſtitiam.* Corpori imminet *mors* ad abolitionem peccati, non ſpiritui, qui *vita* eſt etiam tum, quando corpus moritur; quod & ipſum reſuſcitatur v. 11. non autem ſpiritus ex pœnis infernalibus eripitur. Sanè Spiritus in pœnas infernales deſcendens non eſt *ζωὴ vita.*

RESP. REDING: *Singulos textus expendamus. 1. Pſal. XXX. 6. dicit David, veſperi diverrere fletum, ſub auroram redire lætitiam. Si aurora gloriam cæleſtem notat, veſpera totum expiandi peccati tempus uſque ad exitum ex Purgatorio notabit. 2. Requies illa Pſal. CXVI. 7. promiſſa poſt liberationem à morte, adeòque mora aliqua poſt mortem interpoſita, incipit, uti ex v. 8. liquet. 3. Quid ſi Simeon ille Luc. II. 27. petens ſe in pacem dimitti, ab omni peccati labe immunis fuit? 4. Par ratio eſt Lazari, Luc. XVI. 22. Is enim cum juſtitia hinc decedens in ſinum Abrahami ilico receptus eſt. 5. Nec non latronis illius Luc. XXIII. 43. qui ob cruciatuum patientem tolerantiam, & confeſſionem Chriſti, à Chriſto laudatus, adeòque à peccatis depuratus, in Paradiſo eodem die admiſſus eſt. 6. Quin &*

Stephani

Stephani Act. VII. 59. cujus Martyrium temporalis pœnæ reatum omnem abolevit. Sed & in Domino obdormire est in fletu gratiæ mori. Quod de iis etiam, qui in Purgatorium descendunt, dici potest. 7. *Neque S. Paulus 2. Cor. V.* 1.2. *post dissolutionem hujus tabernaculi domum Cœlestem æternam absolutè, & nulla interposita mora promittit. Nam v. 3. conditionem illam addit: Si tamen vestiti non nudi inveniamur. Quæ nuditas charitatis defectus est.* 8. *Idem S. Paulus Phil. I. 23. optavit dissolvi & cum Christo esse. Inde verò malè infertur, universos Christianos absque ulteriori per pœnam temporalem peccati venialis elutione post mortem sine mora cum Christo futuros.* 9. Apoc. *XIV.* 13. *vox A modo denotat hominis Sancti resurgentis instans. Sermo ibi est de ultimo judicio.* 10. *Denique locus Rom. VIII.* 10. *cum purgatorio non pugnat, quia pœna ejus cum justificationis habitu sanctificante consistere potest.* Ibid. pag. 29--31. Resp. Sic Scripturas petulanter detorquere non erubescis, quia si non aræ, at foci tui id postulant. Ibo in rem præsentem. 1. Psal. XXXI. 6. (non XXX. 6. uti malè typotheta) *In manum tuam*, inquit David, *committo Spiritum meum. Redemisti me, o Domine, Deus verax.* Hæc sicut Christi Luc. XXIII. 43. emortualia verba fuerunt, sic sunt & esse possunt fidelium omnium in Christo morientium. Sicut autem Christus spiritum suum commendans Patri, post mortem ilico receptus in Paradisum est: ita fideles omnes, Christi capitis membra, & justitiæ ejusdem per fidem participes, suum Deo Patri Spiritum vera fide committentes, post mortem in Paradisum recipiuntur. Neque qui in manu Patris est, sed qui in manu Diaboli, carnificis est, is infernali igni crematur. Pater enim irascens virgis cœdit: non ignibus sævit. Et discere hoc poteras ex Sap. III. 1. *Justorum animæ sunt in manu Dei, & non tangit illas tormentum.* Qui ergo in manu Dei est, is à tormento nullo tangitur. 2. Sed & מנוחה *quies* illa, ad quam *reverti* David *animam suam* jussit, & ejus exemplo fideles omnes jubent, Psal. CXVI. 7. inde oritur, quòd Deus גמל *benefecit* ei, & *animam ejus à morte redemit*, per Christum. Christus ergo Redemptor *quietem* confert. An in Purgatorio quies est, & talis quidem, quam Christus benefaciendo actu redimendo animam à morte præstat? Hoc ne ipse quidem Redingius asserere ausus est, qui, argumenti ictum declinaturus, quietem illam à liberatione ex Purgatorio auspicatur, idque quia v. 8. David dicit, *quia liberasti animam meam à morte.* Sic ergo anima in Purgatorio existens *in morte* est; quam post mortem *vivere*, imò veram vitam adire Scriptura testatur. Sed quomodo sic David vivens, non ex medio post mortem loco liberatus dixit: *Revertere ad quietem tuam anima mea*; & *, quia liberasti* (non liberabis) *animam meam à morte?* Nulla ne ergo est liberatio animæ à morte, nisi post exitum animæ ex Purgatorio? Contrarium Christus Joh. V. 25. testatur. Imò plenaria ex morte liberatio non in fictitio ex Purgatorio egressu, sed in mortuorum resurrectione continget, quando *ultimus hostis, mors, abolebitur*, 1. Cor. XV. 26. Sed quies spiritualis & cessatio pœnæ omnis à justificatione & regeneratione hominis initium sumit. 3. Quid verò, si non solus Simeon, sed fideles omnes ipsa morte veteris hominis exuvias, & cum iis peccati labem deponunt, Rom. VI. 7. VIII. 10. ut lustratione ulteriori opus non sit? Ita profectò sensit Cyprianus *de Mortal.* ubi prolato Simeonis exemplo: Probans, inquit, *atque contestans tunc esse servis Dei pacem, tunc tranquillam quietem, quando de istius mundi turbinibus extracti, sedis & securitatis æternæ portum petimus*, &c. 4. Et par omnino fidelium omnium, quæ Lazari ratio est. Illi enim moriuntur induti justitia Christi, & morte ipsa peccatum inhærens reliquum exuunt, adeóque eò promoventur, ubi Abrahamus est, sive in ejus sinu, sive inferiore quopiam gloriæ gradu re-

recumbant. Alias enim Lazarum omnis peccati, & ipsius etiam *inhabitantis* expertem hinc migrasse, non nudè asserere, sed probare Adversarius debuit. Quid enim assertionibus ejusmodi, quibus nulla Scriptura fidem facit, temerarium magis? Neque satis humanus vel benignus Redingius est, qui conditionem fidelium in Christo morientiũ quorumvis infra conditionem latronis in cruce morientis detrudit, idque, quia latro ille salvatus *patienter crucem toleravit, & Christum confessus est.* Patiente enim illa crucis tolerantia nihil meruit, qui, fatente ipsomet, digna factis suis recipiebat Fuit ergo crux ejus nec παιδεία, nec μαρτύριον (licet Jesuitæ in Colloquio Ratisbonensi *Sess. I p. 46.* latronem *Christi Martyrem* appellare non erubuerint) sed τιμωρία *pœna*, per quam temporali judici, non Deo Cœlesti, satisfecit. Passus est ὡς φονεὺς *ut latro*, non ὡς χριστιανὸς *ut Christianus*. 1. Pet. IV. 15. *Confessio* verò Christi, qua eum rogavit, ut in Paradiso sui recordaretur, similis est omnium fidelium confessioni, qua Christum Salvatorem confitentur, & ab ipso solo salutem expectant. Quòd si tam seria contritio, tam admirabilis patientia, tam illustris confessio latroni huic perfectæ satisfactionis loco esse potuit, utique, proportione facta, minor patientia, & confessio non tam illustris, perfectæ satisfactionis (siquidem necessaria talis esset) mensuram æquare posset in illis, qui sceleribus tantis se in vita sua non obstrinxerunt. 6. Non martyrium, sed Christi sanguis peccati reatum omnem expungit, & mors fidelium omnium reliquam maculam expurgat. Par igitur hic Protomartyris Stephani, & fidelium omnium ratio est. 7 Quàm verò lubrica, quàm fallacis spei nutricula fuisset S. Pauli oratio, si, dicens 2. Cor. V. 1. *Novimus, quòd ἐὰν quando terrestris domus hujus tabernaculi dissoluta fuerit, ædificium ex Deo habituri simus*; subintellexisset moram, eámq. magis vel minùs durabilem, imò aliquando usq; ad diem judicii (id enim ex visionibus quibusdam sanctorum Bellarminus astruit) extractam subintellexisset? An hoc est ædificium ex Deo in Cœlo habere, ἐὰν *quando*, adeóque statim atque, vel *si* (ita ut nulla alia conditio intermedia locum habere possit) terrestris domus soluta fuerit? An in Purgatorium ire, est velle non ἐκδύσασθαι, ἀλλ' ἐπενδύσασθαι *non exui, sed superindui*, & quidem, *ut absorbeatur corruptibile à vita*, ib. v. 4? Nam in Purgatorio, nisi fallor, *exuti* corpore non *superinduimur*, neque ibi est *absorptio corruptionis à vita.* Quin potiùs habet Purgatorium (si existit) aliquid absorbendum à à vita, dolorem puta, concupiscentiam, ad cujus destructionem faciet dolor: sed vitam ipsam non habet. Cur denique idem Apostolus v. 8. exitum ex corpore immediatè connectit cum ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν κύριον, *domestica mansione apud dominum*, si status intermedius adeò memorabilis & momentosus, in quo lucta longè gravior, quàm in tota vita obtinet, intercedit? Quasi fideles morientes similes essent illis Poetarum umbris, de quibus fabulata est antiquitas, *inops, inhumatáque turba* &c. *Æneid. 6.* Annon hoc esset lectorem fallere, & spem ostendere, ubi horrendus metus ostendi debuerat? Ineptum enim & planè inscitum est, quòd verbis illis v. 3. *An etiam induti, non nudi reperiemur*, conditionem, si discedentes hinc non sint nudi, id est, charitate privati, sed perfectè justi reperiantur, figi asserit. Non enim iis verbis conditio aliqua constituitur, sub qua in fide exeuntes ex corpore habitaculum, quod in Cœlo est, sine mora superinduant, sed causa gemitus, seu desiderii ἐπενδύσεως *superindumenti* indicatur, solicitudo nempe de communione cum cœlestibus habenda in hac vita. Gemitus enim nostri excitantur ea cogitatione, quæ nunquam nos deserit, an & vestiti, non nudi reperiemur? Nemo enim superinduet, qui non induit Christum, justitiam ejus Esaj. LXI 10. Matth. 11 XXI. Gal III. 26. & dum hoc cogitamus, suspiramus. Non ergo nuditas est culpæ venialis sed Christi & justitiæ ejus carentia. Nemo autem in fide hinc migrans sic *nudus* est, hoc est, Christo

&

& communione cum ipso caret, licet nec peccata, nec fomes peccati, morte exuenda, desint. 8. Sedet S. Pauli cupientis dissolvi & cum Christo esse, conditionem iniquè à conditione omnium fidelium dissocias. Non enim spes illa personale quorundam privilegium est, sed commune fidelium omnium, juxta promissiones Divinas Joh. V. 24 XIV. 3 XVII. 24. Apoc. XIV 13. Unde suam sortem cum fidelium omnium sorte conjungens, 2. Cor. V. 1. dixit: *Novimus* (non ego solus, vel pauci fideles, sed sine discrimine omnes) *quòd cùm terrestris domus hujus tabernaculi dissoluta fuerit, ædificium habebimus*, &c. Et coronam justitiæ non sibi soli repositam esse, *sed omnibus adventum Christi diligentibus*, 2. Tim IV. 8. promittit. 9. In loco illustri inprimis Apoc. XIV. 13. eludendo parum tibi constas. Supra enim *Tomo III. pag. 312.* pertendebas, opera, quæ beatum & in Domino morientem *ἀπάρτι à nunc* sequuntur, pœnalia esse Purgatorii opera. Hic verò *ἀπάρτι à nunc* tibi idem est, quod inde *à judicio ultimo*. post quod nullus operibus pœnalibus locus est. Sed posterior hæc explicatio tua æquè absurda est, atque prior illa fuit. Nam de judicio ultimo nec in antecedentibus sermo, nec forte etiam in consequentibus est. Clarè autem *ἀπάρτι* notat vel illud ipsum temporis instans, quo *in Domino moriuntur* illi, & *beati* prædicantur, vel certè temporis illius, quo ob instantes gravissimas persecutiones, quibus patientiam Sanctorum conspicuam fore v. 12. dixerat, satius erat mori quàm vivere; initium. Verba enim secundum subjectam materiam intelligenda sunt. Est igitur *ἀπάρτι à nunc* vel idem, quod *statim post mortem*; quomodo Luc. XVI. 22. Lazari anima post mortem ejus ab Angelis in sinum Abrahæ deportata dicitur, id est, statim post mortem ejus, & Apoc. VII 14. &c. venientes ex magna tribulatione, lavantes stolas suas sanguine Agni, *ideo* dicuntur *esse ante thronum Dei*, id est, statim, postquam ex tribulatione venerunt, & stolas suas Agni sanguine laverunt: vel idem, quod *à nunc* seu tempore illo, quo patientia Sanctorum per grassaturas persecutiones immanissimas, magis quàm unquam exerceri debuit. Interim qui inde ab eo tempore moriebantur, eos Spiritus Dei ipse dicit *ἀναπαύσεσθαι ἐκ τῶν κόπων αὐτῶν requiescere à laboribus suis.* Quomodo verò requiescebant à laboribus suis, qui Purgatorium subituri tantos cruciatus sustinere debuerunt, ut cruciatus & tormenta omnia, quæ in mundo à persecutoribus etiam immanissimis tolerare debuissent, cum iis comparata ludus & jocus meritò videri possent. Unde responsioni, quam Redingius heic elegit, diffisus Bellarminus, aliam quercum excutere voluit, ajens, *loqui S. Johannem de viris perfectis, præsertim de S. Martyribus, qui simpliciter moriuntur in Domino, neque aliquid purgandum secum ferunt.* Agnoscit ergo, locum hunc Purgatorium excludere. Sed *κρυπτόφυγετον* ejus alterum non plus roboris habet. Non enim Spiritus Dei de Martyribus loquitur, sed de iis, quibus ob persecutiones instantes vel præsentes præstabat mori quàm vivere, & vivendo certaminum illorum aleam ambiguam subire. Nondum ergo hi, qui in Domino morientes beati prædicantur, Martyres erant, (quanquam & hi beati esse, & in Domino mori poterant) sed vivendo, non moriendo inde ab eo tempore, exantlatis patienter cruciatibus à persecutoribus infligendis, fieri poterant. Sed sive Martyres, sive alios fideles, sive utrosque intelligit, de iis certè loquitur, qui *in Domino moriuntur*, hoc est, quos Christo. Domino salvandos Deus Pater dedit: qui in vita & morte omnem fiduciam suam in solo Christo collocant, eidemque animas suas vera fide commendant. quod fidelium omnium est, sive Martyres illi sint, sive non. Taceo Pelagianum illud de simpliciter perfectis commentum. 10. Denique nec locum Rom. VIII. 10. nobis Sophistice tua eripere potest. Quomodo enim in Purgatorio Spiritus est *ζωὴ vita*, in quo nil nisi pœna, vindicta, ira Dei, mors est,

saltem

ſaltem uſque ad tempus liberationis ex eo? An in Purgatorio vivit διὰ δικαιοσύνην *propter juſtitiam*, ita ut juſtitia, non *habitus ſanctificans inhærens*, uti falsò explicas; ſed juſtitia Chriſti per fidem donata (dicit enim Apoſtolus: *Si Chriſtus in vobis eſt*, adeóque juſtitiæ ejus participes eſtis) vitæ illius cauſa ſit? Imò juxta vos Spiritus in Purgatorio punitur, moritur, idque propter injuſtitiam, ſeu juſtitiæ defectum. Non enim ibi juſtè agendo Spiritus meretur vitam, nedum vita eſt, & vivit; ſed patiendo, ſatisfaciendo, ſi credere fas eſt, malè, injuſtè facta expiat.

ARG. VI. Purgatorium tum præcipuos fidei articulos ſubruit, nominatim articulos de miſericordia & juſtitia Dei, ſufficientia meriti Chriſti, Evangelio, quod eſt lætum de plenaria peccatorum remiſſione nuntium, aliiſque: tum falſis innititur hypotheſibus, quales ſunt, quòd remittatur culpa non remiſsâ pœnâ; quòd Chriſti ſatisfactio non proſit fidelibus ad perfectam remiſſionem, ſed tantùm uſque ad Baptiſmum, poſt eum autem pœnas æternas in temporales convertat; quòd afflictiones fidelium ſint veræ pœnæ & ſatisfactiones; quòd per merita, ſatiſfactiones, eleemoſynas, preces, ſacrificium miſſæ, aliaq; viventium ſuffragia pœnæ purgatorii leventur & finiantur, quæ ſuo loco ſolidè diſcuſſa ſunt: tum deniq; pugnat cum ipſis Pontificiorum hypotheſibus de indulgentiis, de remiſſione peccati per totalem ejuſdem ablationem, de juriſdictione illimitata Papæ in ipſum etiam Purgatorium, quam ſi Papa habet, tyrannum eſſe oportet, qui miſeras animas ex eo confeſtim non liberet.

RESP. REDING: 1. *Tantum abeſt, ut Purgatorium miſericordiam & juſtitiam Dei ſubruat, ut potiùs eas contemperet, dum pœnitentiæ remiſſiori Deus juſtificationem miſericorditer concedit, cum conditione defectum illum per pœnam temporalem eluendi.* 2. *Nec meriti Chriſti ſufficientia vel Evangelii valor infringitur, quando deficiente ex parte applicatione non omnes effectus ſuos producit, ſed culpa & pœnæ æternæ reatu remiſſo temporalem pœnam injungit.* 3. *Hypotheſes nobis imponis falſas, quia non abſolutè remitti culpam non remiſſa pœna, vel Chriſti ſatisfactionem non eſſe pleniſſimè ſufficientem, docemus: ſed culpam diſtinguimus, & ſatisfactionis perfectiſſimæ applicationem requirimus.* 4. *Imò Purgatorium indulgentiis aditum facit, beneficio clavium S. Petro & ſucceſſoribus conceſſarum.* 5. *Neque Papæ in Purgatorium juriſdictionem illimitatam agnoſcimus. Poteſt ille quidem ex theſauro meritorum Chriſti decernere applicationem pro pœnis Purgatorii, ſed per modum ſuffragii, non imperii. Unde non ipſi liberum eſt, quas velit liberare animas; verùm id à libera acceptatione Divina ſuffragii oblati pendet.* Ibid. pag. 31.32. Reſp. 1. Peccata remittere ſub conditione ſatisfactionis qualiſcunque propriè dictæ, gratiæ & miſericordiæ Dei planè repugnat. *Larga Dei pietas veniam non dimidiabit. Aut nihil aut totum, te lachrymante, dabit.* Ita ſervo debitori non ſolùm debitum remiſit Dominus, ſed etiam pœnam ſtatim omnem relaxavit, Matth. XVIII.27. Et pari ratione Deus cui peccatum remittit, eidem pœnam omnem perfectè remittit. Neque etiam juſtitia permittit, ut remiſſa culpa irrogetur pœna: vel ſatisfactio qualiscunque injungatur ei, pro quo aliunde ſatisfactum pleniſſimè eſt. Fruſtra ergo miſericordiæ & juſtitiæ craſin quandam ibi fingis, ubi utraque exulat.

**culat. 2. Neque etiam uspiam Scriptura docet, meritum Christi perfectissimum per satisfactiones humanas applicari. Applicatio enim per id fieri non potest, quod cum re applicanda ἀσύστατον est. Alia applicandi meriti Christi media Scriptura docet. Si meritum Christi applicatur per pœnas temporales, ad tollendas pœnas temporales, cur non etiam applicabitur per culpam, ad tollendam culpam? Neque pœna talis relationem habere potest instrumenti ad merita Christi, quia provenit sua natura non à gratia, sed à justitia Dei, & tendit in perditionem creaturæ. Nulla hic vel minima species vel umbra virtutis applicantis. Unum addo. Si Evangelium satisfactionem, vel potiùs satispassionem nostram in Purgatorio exigeret, &, ejus saltem respectu, commutationem duntaxat, non translationem pœnæ in Sponsorem factam esse doceret, non ampliùs gratiæ & misericordiæ, sed potiùs supplicii ex justitia infligendi, & pœnæ vel in hac vita, vel in purgatorio sustinendæ præconiatio foret. 3. Hypotheses illas sive absolutè, sive cum restrictionibus tuis acceptas falsas esse, in loco ostendimus. 4. Per indulgentias plenariam relaxationem à pœnis peccatorum, pro quibus Deo vel in hac vita, vel in Purgatorio satisfaciendum erat, contingere, hypothesis vestra vulgaris est. Inde Johannes XXI. decem mille dierum indulgentias Orationem, *Salve Sancta facies nostri Redemptoris* &c. devotè coram Veronicæ linteo recitantibus, concessisse in *Antidotario animæ* dicitur. In horis etiam B. Virginis Mariæ in usum Sarisbur. paulò minùs quàm annorum undecies mille millium indulgentia pro recitatione certarum precularum offertur. Apud Paduanos Augustiniani plenariam indulgentiam inde à Baptismo ad ultimam confessionem usque, & ultra illam ad annos usque 28000. promiserunt. Alexander VI. Indulgentiam annorum 3000. promulgavit, concedendam Ave Maria coram certo altari Deiparæ fundenti. Venetiis apud sepulchrum Christi oratio Augustini affixa est, promittens 80000. annorum indulgentiam. In Novena Antonii de Padua, eique annexis revelationibus Brigithæ, Romæ impressis & a Capucino Dionysio Werlensi defensis quinquaginta dies orantibus, & singulis illis diebus 7. Pater noster, totidémque Ave Maria recitantibus Christus præter innumera alia beneficia etiam immunitatem omnem à Purgatorio spondet. Si igitur per indulgentias liberantur vel liberari possunt homines à reatu pœnæ coram Deo, cur post acceptas & magno ære redemptas illas adhuc in Purgatorium relegantur? Non igitur purgatorium indulgentiis, sed fœneratorius quæstus & fraus publica utrisque aditum fecit. Cúmque indulgentia juxta Bellarminum *de Indulg. lib. II. 3.* possit indulgere relaxationem pœnæ, non culpam solvere: quomodo ei Purgatorium, in quo per satisfactionem culpa venialis solvitur, aditum fecisse dici potest? 5. Nulli ne ergo vestrum Papæ jurisdictionem in Purgatorium illimitatam asseruerunt? Si tu in rebus vestris adeò hospes es, non ego. Angelus de Clavasio in *Summa Ang.* sic scribit: *Animæ existentes in Purgatorio sunt de jurisdictione Papæ, & Papa, si vellet, posset totum Purgatorium evacuare.* Idem asserit Franciscus Middensis in Elucidatione Catholicæ veritatis. Quin Theodoricus Morontus, Canonicus Herbipolensis, in dubium id revocans A. 1489. hæreticus declaratus est, uti ex Appendice Fasciculi temporum liquet. Eodem inclinat animus etiam Jesuitis quibusdam; uti colligitur ex Disputatione A. 600. de *Indulgentiis* habita, quam Petrus Stevartius in Censura *elegantem, doctum & orthodoxæ veritati consentaneam* appellat. In ejus *Thesi* 52 sic disseritur; *Etsi probabilis est sententia asserentium, restrictam sublatámque esse potestatem Episcoporum ad concedendas defunctis indulgentias, æquè tamen probabilis, si non probabilior est eorum sententia, qui id negant. Credibile enim est, Pontifi-*

tem summa sua potestate utentem tot tantósque largiri indulgentias defunctis posse, ut evacuato Purgatorio omnes animæ ad Cælum evolent. Id ergo si verum est (nam ex eorum hypothesi argumentum instruxi, ignarus quid Redingius somniaturus esset) annon Papæ quadrant, quæ Ambrosius *lib. de Naboth,* de divite avaro, elocutus est verba: *Infelix, cujus in potestate est tot animas à morte defendere, & non est voluntas!* Sed quicquid fiat de potestate Papæ in animas jam in Purgatorio existentes, id tamen Papa, si veræ sunt receptæ de indulgentiis hypotheses, efficere debuerat, ne in Purgatorium omnino descenderent. Qui enim cum Deo remittente remittit, is remittendo peccare non potest, sed peccaret non remittendo fratribus, quibus Deus remitteret, si & ipse remittere vellet. Cùm igitur, secundum Romanenses in arbitrio Papæ sit remittere, viventibus & morientibus, quibus vult, omnia peccata, quantum ad debitum pœnæ illius residuæ, & valeat iis ea remissio etiam in foro Cœlesti; crudelis profectò Papa censebitur, si non omnibus plenissimas indulgentias dispensaverit. Id verò si facere voluerit, in ejus jam potestate positum erit, Purgatorii flammas extinguere. Et extinxisset ille pridem, nisi dulcis lucri odor illum retardasset.

ARG. VII. Primitivæ ecclesiæ incognitum fuisse purgatorium Pontificium, argumentis irrefragabilibus constat. Qualia sunt, quòd neque in symbolis, neque in Conciliis veterum dogmatis illius vestigium ullum extat: quòd à Græcis aliisque orientalibus nunquam agnitum fuit, uti de Græcis & Armenis nominatim Thomas in Opusculo, quod contra eos scripsit, Guido Carmelita, Concilium Florentinum, Sebastianus Medices, Alphonsus à Castro, apologia Græcorum Basileensi Concilio oblata, aliaque, de quibus inferiùs, fidem faciunt: quòd purgatorii nullam veteres iis locis mentionem faciunt, quibus commemorandum omnino fuerat, si creditum fuisset: quòd quæ purgatorii hypothesin necessariò vel comitantur vel sequuntur, ea nunquam apud veteres patres occurrunt: quòd ea Scripturæ loca, quibus purgatorium suum probare nituntur, veteres diversissimo sensu interpretati sunt: quòd fidei, spei, charitatis operibus aut meritis nullum post fidelium mortem locum esse statuunt: quòd pœnitentiæ vel remissioni peccatorum nullum hominibus post mortem relictum locum definiunt: quòd passim affirmant, homines ibi æternùm mansuros, quò morientes inciderint: quòd pios nulla manere post mortem tormenta vel supplicia crediderunt: quòd piorum animas post mortem purgari disertè negant, nominatim Gregorius Nazianzenus *Orat. XV. tom. I. pag.* 229. Chrysostomus *homil.* 8. *de pœnit. quæ est* 56. Augustinus *de Civ. D. lib XXI.* 13. quòd passim amicos in fide Domini mortuos quiescere & felicitate frui affirmant. Quæ omnia testimoniis disertis ipsorum Patrum solidè corroborata vide apud Forbesium *Instruct. Hist. Theolog. lib. XIII. cap.* 11. Dalléum *de Pœnis & Satisfact.* libro VI. aliósque. Non patitur enim in-

institutæ brevitatis ratio testimonia, quæ ibi allegata inveniri possunt, repetere.

Resp. Reding : 1. *Georgius Rhætus, tui Pseudo-Reformati Ministerii præco, ad orthodoxam fidem nostram conversus plures pro Purgatorio Patres adduxit: quin & Zvvinglium, Calvinum Bullingerum, Molinæum fatentes reos, quòd veteres pro mortuis oraverint. Orationes autem pro mortuis Purgatorium supponunt.* 2. *In primitiva Ecclesia non tam necessaria fuit fides Purgatorii, charitate usque adeò ardente, ut singuli parati fuerint pro Christo mortem oppetere; & criminibus insuper raris, magnáque Canonum severitate vindicatis. Nunc autem bona parte populi magis Christianismum exuente, quàm canonum rigor permitteret, non sine Spiritus S. dispensatione factum est, ut sacris de Purgatorio textibus accuratiùs ponderatis, ejus fides, remediorum, quibus leniretur, usus ab Orthodoxis generatim receptus sit, præeuntibus Concilio Niceno, & S. Patribus pluribus.* 3. *Græci quoque veteres, & inter recentiores non pauci consentiunt.* Ibid. pag. 32- 34. Resp. Pleraque argumenta mea sicco pede præteris. Cur Purgatorii nulla in Symbolis, Conciliis (nam Nicænum I. frustra à te opponi, infra docuimus jam) mentio, vestigium nullum? Cur Scripturæ dicta, quibus Purgatorium astruitis, de Purgatorio Patres non explicarunt; imò tractantes illa, Purgatorii mentionem nullam fecerunt? Cur post mortem pœnitentiæ, remissioni, satisfactioni, merito locum nullum relinquunt? Cur mansuros æternùm ibi, quò morientes inciderint, affirmant? Cur quiescere mortuos in pace ajunt? Et similia, quæ omnibus aliis tuis prætervolasti. Sed ad cavillationes tuas venio. 1. Quid imperitum & procacem apostatam nobis objicis? Ille nostros inducit fatentes reos scilicet, quòd veteres pro mortuis oraverint. Sed probare nec ille potuit, probare tu potes, orasse illos pro mortuis Purgatorianis? Ad has enim decurrendum lineas fuerat. Nos verò diversissimo fine pro mortuis orasse, supra *pag* 200,201. ostendimus. Verbo: Orarunt illi pro omnibus, etiam damnatis, humano affectu, ut pœna illorum mitigaretur. in quo eos errasse, ipsemet agnoscis. Orarunt pro defunctis fidelibus, tum Deum in illis & victoria eorum glorificantes, eorum elogia decantantes: tum ut quiete ac refrigerio fruerentur, cùm persæpe dubitarent, an ante supremi judicii diem Dei visione gauderent: tum ut Regni Christi in terris millenarii (nam & hoc plerique omnes errore tenebantur) participes redderentur: tum ut in die ultimo misericordiam consequerentur, ultimique incendii flammas (hoc ipsorum Purgatorium erat, sanctissimis etiam, Deiparæ, Apostolis, Martyribus destinatum) mitiores experirentur: tum denique vel solius affectus testificandi gratia. Hodiéque Græca Ecclesia pro defunctis orat, & purgatorium tamen ignorat. Veterum omnium instar esto Dionysius ille Areopagita, quem tanti facit Redingius, ut Apostolorum discipulum fuisse pertendat. Ille *de Hierarch. Eccl. lib. III.* 7. refert, *ante sepulturam Pontificem semel preces super mortuum facere, ut Divina bonitas cuncta dimittat peccata, quæ humana fragilitate defunctus admiserit.* Tum duos ordines decedentium ex hac vita ponit, *ἱερῶν ϗ ἀνιέρων, Sanctorum & profanorum.* Hos nulla spe nixos hinc migrare ait. Illos dicit *firma & certa spe in Divina lætitia & hilaritate tendere ad mortis terminum, tanquam ad finem certaminum cùm animæ ibi non possint ad deteriora converti, & corpora beatam resurrectionem expectent. Propter hæc,* inquit, *obdormitio Sanctorum est in lætitia & spe immobili, quia (NB) pervenerunt ad finem certaminum, agnoruntque se totos percepturos χριστιανὴν λῆξιν Christianam requiem, quando ad terminum*

hujus vitæ pervenerunt. Qui ergo ad terminum suorum certaminum pervenit, sacra impletur lætitia, magnáque cum jucunditate ac voluptate viam felicissimæ regenerationis ingreditur. Propinqui verò defuncti μακαρίζοντες *beatum illum prædicant sicut & est, ut qui* πρὸς τὸ νικηφόρον ἤδη τέλος ἀφικόμενοι τέλος *ad optatum victoriæ finem pervenerint, & auctori victoriæ persolvunt hymnos* χαριστηρίους. *se ipsos quoque orantes ad similem requiem admitti. Sumentes autem defunctum ad Pontificem ducunt quasi sacris donandum coronis. Is gratiarum actionem pro illa Dei pietate, qua destructum est injustum & tyrannicum illud contra nos imperium, quódque non tantùm, qui ad summum sanctitatis pervenerunt, sed & alii, qui summos illos gradus attingere non potuerunt, ad remunerationem admittuntur,* &c. Liquet ergo, credidisse authorem, defunctos sanctos ilico lœtitia, quiete perfrui, utpote qui morte ad finem certaminum suorum pervenerint: & preces illorum gratia fusas Eucharisticas potiùs, quàm propitiatorias fuisse. Idem porro Hierophantes *lib. VII. p.* 146. hanc dubitationem proponit: *Cur Antistes à Domino peccatorum remissionem pro mortuis petat &c?* Multa longissimè petita affert, quæ more suo inanibus grandium verborum ampullis diffundit. Purgatorii verò ne uno quidem apice meminit. Unde collectu proclive est, hujus scriptoris hypobolimæi sera licet ætate nihil adhuc de Purgatorio Ecclesiæ constitisse; ac multò minùs ex precibus pro defunctis quicquam carceri huic seri vel meti posse. Sed testimonia eandem in rem plurima & clarissima Cl. Dallæus *de Pœnis & Satisf. lib. V.* produxit & vindicavit. Nec ferenda videtur iniquitas Adversariorum, qui veterum pro mortuis preces, erroneis opinionibus, ab ipsismet Adversariis repudiatis, puta de animarum statu ad ultimum usque judicium, chiliasmo & lustratione per ignem incendii ultimi, (hos enim fontes præcipuos precum illarum fuisse, pridem nostri, inprimis laudatus Cl. Dallæus *lib. V. cap. 3. 4. &c:* irrefragabiliter probarunt) innixas ad Purgatorii, cujus ne levissima quidem, in precibus illis mentio est, assertionem impudentissimè detorquent. 2. Insignis porro trepidatio tua est, causam silentii veterum de Purgatorio falsam ex Roffensi tuo comminiscentis. Imò tacita hæc confessio est, quod figmentum isthoc calidum & callidum recens admodum sit, nec veteribus quicquam de Purgatorio constiterit. Silentii igitur eorundem genuinæ causæ non sunt, quas affers, sed quia Purgatorium *non Ens* est, & nullum Scripturæ testimonium habet: imò Verbo Dei planè repugnat. Neque tam benè actum de veteri Ecclesia fuit, ut non infirmi, Zelo, fide, charitate modica præditi plures ei se immiscerent; iis maximè temporibus, quibus inde à Constantino M. persecutionum æstus deferbuit. Sed, si Redingio credimus, quod fides & zelus piis veteribus non dictavit: illud fidei, charitatis, Zeli defectus recentioribus, qui quoad rerum Divinarum notitiam cum veteribus comparati vix talpæ sunt, dictare potuit. idque *non sine Spiritus S dispensatione.* Apagesis profanum & audax commentum! De Conciliis & Patribus à te objectis infra respondemus. Tuum verò hic erat respondere ad testimonia Patrum à nostris, à me indigetatis, producta. Quid enim (non possum enim, quin pauca delibem) sibi volunt illa Origenis *contra Celsum lib. VI.* scribentis, nos μετὰ τοὺς ἐνταῦθα πόνους καὶ ἀγῶνας *post exactos labores ac certamina hujus vitæ sperare in summum Cœlum nos evasuros*: illa Chrysostomi *in Matth. homil.* 33. λιμὴν εὔδιος ὁ θάνατος. *Portus tutissimus mors est*; nec non ejusdem *Homil. de Lazaro* illa; *Donec hic fuerimus, spes habemus præclaras: simul verò atque discesserimus illinc, non est postea in nobis situm pœnitere aut commissa diluere*: illa Epiphanii in Catharis: Οὔτι μὲν προκοπὴ εὐσεβείας, οὔτε μετανοίας μετὰ θάνατον. *Non est post mortem profectus pietatis vel pœnitentiæ. Impletum est tempus, certamen perfectum est, evacuatum est stadium, coronæ datæ sunt.* Et

qui

qui certarunt, quiescunt, &c. illa Justini, vel quisquis author est *ad Orthod.q.75.* Μετὰ τὴν ἐκ τοῦ σώματος ἔξοδον εὐθὺς γίνεται τῶν δικαίων τε καὶ ἀδίκων ἡ διαστολή. *Post exitum animarum ex corpore ilico justi ab injustis segregantur. Abducuntur enim ab Angelis ad condigna se loca; ac justorum quidem animæ in Paradisum, ubi consuetudine & aspectu fruuntur Angelorum ac Archangelorum:* illa Cypriani *de Mortal. Amplectamur diem, qui assignat (NB) singulos domicilio suo, qui nos isthinc ereptos, & laqueis secularibus exsolutos Paradiso restituit & Regno Cælesti:* illa Ambrosii de Theodosio: *Ille quidem abiit sibi, Regnúmque non deposuit, sed mutavit, in tabernacula Christi, jure pietatis ascitus in illam Hierusalem supernam, ubi nunc positus dicit: Sicut audivimus, ita & videmus in Civitate Dei nostri, quam Deus fundavit in æternum:* illa Hieronymi in Nepotiani Epitaphio: (NB) *Scimus, Nepotianum nostrum esse cum Christo, & Sanctorum mixtum choris; quod hic nobiscum eminus rimabatur in terris, & æstimatione quærebat, ibidem videntes cominus dicere: Sicut audivimus sic & vidimus:* illa Augustini *in Joh. tract.47. Moritur aliquis, dicimus, bonus homo, fidelis homo: in pace est cum Domino, Et continuò: Eamus ad exequias ipsius, & sepeliamus illum. Eum sepulturus es, quem jam dixeras in pace esse cum Deo.* Omitto innumera ejusmodi, quæ fortiùs quàm aquarum fluenta & torrentes omnes Purgatorii ignem extinguunt. 3. De Græcorum sententia infra fusiùs.

ARG.VIII. Juvabit etiam originem purgatorii, ejus nimirum semina, conceptionem & nativitatem paucis eruere. Olim ex Sacris gentilium & Philosophorum Scholis in senescentem jam & inclinatum Judaismum ejus *semina* invecta sunt. Unde non Bellarminus duntaxat *lib.1.de Purgat.cap.11.* sed Redingius etiam *pag.* 578. Philosophos Paganos Platonicos, Judæos, imò & Muhammedanos purgatorium agnoscentes imprudenter ad partes advocat, quasi videlicet dogmati ἀγράφῳ & ἀντιγράφῳ excæcatorum Judæorum, blasphemorum Muhammedanorum & idololatricorum gentilium, addi poterat, & Diabolorum, qui sæpius de purgatorio testificati sunt, consensus veritatis argumentum suppeditet. Pontificium & Platonicum purgatorium quàm bellè conveniant, fusè Forbesius *loc. cit. cap.* 2. demonstrat. Post Apostolorum decessum ex iisdem Paganismi & Judaismi reliquiis in ecclesia scripta apocrypha sub nomine Jacobi, Andreæ & Hermæ spargi cœperunt, in quibus purgatorium tantùm non *conceptum* est. Ex iis aliisque fabulosis traditionibus Patribus nonnullis dicta minùs considerata exciderunt, qualia sunt Clementis Alexandrini, *omnem locum, sive hic sive alibi pœnitentia agatur, misericordiæ vacare;* Orgenis varias post hanc vitam purgationes fingentis; Lactantii, Ambrosii, Hieronymi, *quòd Sancti juxta ac impii omnes, nullo, ne quidem, B. Virgine, Martyribus & Apostolis excepto, ejusmodi ignem transituri sint, quali olim omnes pii ardebunt;* Augustini dubitantis, non definientis, *an animabus de seculo exeuntibus supersit aliquod rerum, quas impensiùs in mundo dilexerant, desiderium, arcanúsque doloris velut ignis.* His obstetricantibus, accedente etiam usu precum pro mortuis, alio longè fine primitus instituti-

 tutis,

tutis, Purgatorii Romani dogma tempore Gregorii I. R.P. ortum, à Beda, aliisque fabularum avidioribus, incrementa habuit, diúque titubavit, donec accedentibus fictitiis revelationibus & apparitionibus purgatorianorum spectrorum, quibus aurea Legenda, quam Lombardicam appellant, Jacobi de Voragine, speculum exemplorum, Brigittæ revelationes, &c. scatent; in eam, qua hodie est, formam ac modum, recentiorum Paparum authoritate redactum est.

RESP. REDING: 1. *Non à gentilibus vel Muhammedanis Purgatorium duxis originem, sed à Scriptura, & viva informatione fidelium V.T. ex qua utraque cohabitantes cum Judæis, gentiles in Ægypto præsertim, & Muhammedani etiam illud hauserunt. Qua autem fronte dogma à gentilibus omnibus, fidelibus & infidelibus receptum vos repudiatis? 2. Origenes, Clemens Alexandrinus, Lactantius, Hieronymus, Augustinus à te allegati non ex apocryphis & fabulosis traditionibus, quæ tua calumnia & blasphemia est, sed ex S. literis suam de Purgatorio sententiam firmarunt. 3. Quin & nequissimè allegato Sixto Senensi, Ecclesiæ Romanæ eam impingis sententiam, quòd Sancti ante finem mundi defuncti igne conflagrationis mundi purgandi sint; Sixto Senensi contrarium ex ipso etiam Augustino docente. 4. Apparitiones animarum de Purgatorii pœnis testantium gravissimorum virorum Gregorii M. Turonici, P. Damiani, Bedæ, Bernhardi, Anshelmi relatione nituntur, uti Bellarminus lib. I. cap. 11. de Purg. ostendit.* Ibid. pag. 34--36. Resp. 1. Bene est, quòd agnoscere pergis, dogma de Purgatorio esse Judaicum, Ethnicum, Turcicum. Consensum hunc vobis non invidemus. Magis miramur, gentiles, Judæos & Turcas illud id Scripturis (è quibus gentiles etiam Judæis aliquando cohabitantes, sed alii ab aliorum sacris abhorrentes maximè, vix tantum, quantum canis è Nilo, gustarunt) reperisse, in quibus Roffensis vester etiam *perspicacissimos* ad suam usque ætatem reperire non potuisse, supra fassus est. Forte etiam campos Elysios, à Virgilio *Æneid. lib VI* decantatos, & *prato illi florentissimo, lucidissimo, odorato, amœno, in quo degunt animæ visioni Divinæ nondum idoneæ*, quod Bellarminus *de Purg lib. II.7.* suaviter depinxit, quàm simillimos in Scripturis gentiles repererunt, quod tamen in iis perspicacissimi hactenus non invenerunt. Neque dogma illud *à gentibus omnibus* fidelibus & infidelibus *receptum esse*, probare potes, quia Pagani, (neque tamen omnes. multi enim Philosophi de eo ne somniarunt quidem) Judæi, Turcæ & Papistæ omnes gentes fideles & infideles non complectuntur. Sunt enim *gentes fideles* nulli eorum, sed Christiani veri, sapientes, à quibus sapientia discitur; & verè sapientes in his rebus, quas Deus docuit, Matth. XI.27. Æquè & multò fortasse magis communis est omnibus gentibus hæresis Pelagiana, quam Pelagius ex S. literis non ideo didicit. Paulò verecundior, Bellarminus gentiles, Judæos & Muhammedanos Purgatorium haud equidem ex Scriptura, sed à naturali lumine omnibus hominibus communi, ex quo etiam inferni & Paradisi notitiam hauserint, derivasse statuit. rectiùs forte divinaturus, si non à lumine naturali, sed à tenebris naturalibus, in supernaturalibus futuri seculi rebus, quas percipere homines, nisi naturam suam transcendant, & à Deo ipso doceantur, nequeunt, errantibus, & in errore illo suo ludentibus, figmentum illud eos hausisse dixisset. Neque enim hic par Purgatorii ratio est, quæ Inferni & Paradisi. Hæc enim & natura & Scriptura docent: illud opinio ex tenebris involans in mentes hominum, aut sibi in peccato indulgentium, aut lucrum ex aliena superstitione colligentium. 2. Non-

dum

dum tibi fassus sum, Patres à me hic citatos Purgatorium vestrum agnovisse, licet hypotheses quasdam non certè ex Scriptura, sed aliunde petitas, adoptaverint, ex quibus detortis etiam sequiori ætate Purgatorium in flammam erupit. 3. Cur *nequissimè* à me hic citatum Sixtum Senensem clamas, cujus ne uno quidem apice memini? Vigilasti, an somniasti, cùm hæc scriberes? Citarunt tamen eum alii, & à me pariter sine ulla nequitia citari poterat. Is enim *Bibl. S. lib. V. Annot.* 171. Origenem, Ambrosium, Hilarium, Basilium, Hieronymum, Lactantium inducit consentientes, quòd *omnes, qui sunt, qui fuerunt, quique futuri sunt, homines, uno Christo excepto, examinandi, probandi, & aliquo modo urendi sint igne conflagrationis mundanæ in die judicii.* Hunc veterum (quos tamen ubique crepatis) errorem idem Senensis disparat ab opinione Scholasticorum de igne conflagrationis. Neque ego, quæ tua calumnia est, Ecclesiæ Romanæ errorem illum veterum uspiam impegi. Ad lectorem provoco. Tantùm erroneè sic dicta à veteribus obstetricata esse, unà cum multis aliis, Purgatorii Romani dogmati à Gregorio I. primùm invecto dixi. Neque dictum muto, nisi solidi quid mihi obduxeris. Ubi hic *calumnia*, ubi *blasphemia*, venales adeò tibi insanè irascenti, vel iracundè insanienti voces? 4. Virorum illorum *gravissimorum*, qui apparitiones istas animarum de Purgatorio testantium retulerunt, alii *graves* fuerunt somno: alii *graves* errore isto, qui jam tum invaluit: alii denique dæmonum illusionibus (qui huic scenæ libentissimè inserviunt) imprudentes licet *prægravati*. Meritò enim Melchior Canus Episcopus Canariensis, *lib. de locis Theolog. cap. 6.* Gregorium in Dialogis, & Bedam in historia Anglorum fatetur aliquando dormitasse, & quamvis viros alioqui *gravissimos*, in describendis tamen prodigiis & miraculis quibusdam curam in eligendo non eam, quam oportuit, adhibuisse. Et hoc quidem magnis quandoque viris contigisse, ut in suis revelationibus plus indulsisse videantur vulgo fidelium, sparsos rumores libenter excipienti, quàm proprio judicio tribuisse. Quòd si visiones illæ & apparitiones miraculosæ Divinæ fuerunt, quæ tandem proferuntur documenta veritatem miraculorum istorum testantia?

ARG. IX. Interim de Purgatorio, ejúsque accidentibus mirificè ipsi inter se Adversarii digladiantur. Illud ex Scripturis probari posse negant Roffensis, Petrus à Soto, Peresius: affirmat Synodus nostra decreto de Purgatorio, ubi *ex Sacris Literis* Ecclesiam purgatorium edoctam esse statuit. Veteri ecclesiæ incognitum fuisse purgatorium, ait idem Roffensis, negant alii. In purgatorio tam bonos quàm malos, ipsam B. Virginem, omnes denique, uno Christo excepto, purgari debere, ex Patribus probare conatur Franciscus Middensis *Elucid. verit. Cathol.* negant alii, inprimis Bellarminus *lib. 2. de Purg. cap.* 1. De ministro purgatorii variæ sunt opiniones. Alii nempe putant, sui duntaxat exilii vi & ignis vehementia affligi: alii ignem flatu omnipotentis excitari: alii animas purgatorii à dæmonibus torqueri: alii aliter statuunt, & Bellarminus *Lib. de Purg. cap.* 13. ita ἀποφαίνεται: *Manet & hoc inter secreta, quæ suo tempore nobis aperientur.* Materiam purgatorii alii ignem esse dicunt: alii, & ipsum etiam Florentinum Concilium, negant; alii aquam esse volunt, cujus flumine animæ purgentur. Qui ignem

esse

esse volunt, disceptant, quomodo ignis ille animas amburat, & an ac quomodo ab infernali differat? De statu animarum in purgatorio contendunt, an videlicet ibi mereantur nec ne, affirmantibus Thomistis, negante Bellarmino: an & quomodo certæ sint de sua salute, Bellarmino eodem iis tribuente certitudinem mediam inter eam, quæ est electorum in hac vita & Cœlitum: aliis, veluti Dionysio Carthusiano, Baijo, Gersone, omnem iis certitudinem derogantibus. Locum purgatorii alii faciunt loca ea, in quibus peccârunt: alii hunc mundum, in quo animæ manent in corpore tanquam in carcere: alii conscientiam accusantem & punientem peccata: alii vallem Josaphat: alii aëra caliginosum: alii intra terræ viscera vicinum inferno, quam opinionem communem vocat Bellarminus. In Legendis & Speculo exemplorum memoratur, alias animas relegatas esse in vepres, alias in montes, alias in convalles, alias in puteos, alias sub umbras arborum, alias in aëra, alias sub stillicidia, alias in glaciem &c. Tempus purgationis durantis Dominicus à Soto annis decem, Antoninus tot annis, quot peccata durârunt, alii multis annorum millibus definiunt. Mitto vexatissimas de gravitate pœnarum in purgatorio quæstiones & dissensiones. Non dissimulavit hoc contradictionum ulcus ipsa Synodus, quæ in Decreto Episcopos hortatur, *ut incerta, vel quæ specie falsi laborant, evulgari & tractari non permittant: ea verò, quæ ad curiositatem quandam aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala & fidelium offendicula prohibeant.* Interim quæ certa, quæve *incerta* illa sint, Synodus declarare non sustinuit.

RESP. REDING: 1. *A ratione alienum non est, dogmatis substantiam ita definire, ut supersint accidentariæ circumstantiæ, quæ per subtilitates Scholasticas, per rationes utrinque probabiles, absque ullo religionis præjudicio, in controversiam vocari possunt. 2. De Roffensis, Peresii &c. sententia circa probationem Purgatorii ex Scriptura vel Patribus: nec non animabus per ignem conflagrationis purgandis, supra. 3. Quid in hoc absurdi reperiat nequam spiritus, quòd Purgatorii Minister nobis non revelatus, usque ad tempus à Patre præfinitum maneat in secreto? 4 Licet Concilium Florentinum ignis mentionem nullam fecerit, non tamen in Purgatorio ignem non esse, declaravit. 5. Licet difficile sit intellectui nostro corporei ignis in animas physicam activitatem capere; ex principiis tamen Theologo-Philosophicis explicari aliquatenus potest, si dicatur ignis physicè torquere spiritus secundum potentiæ obedientialis elevationem, in qualitate aliqua instrumentaria ignis impressa consistentem. 6. Falsè impingis Thomistis, quòd animabus in Purgatorio existentibus facultatem merendi concedant: atque id Bellarminus neget. 7. Judicium illud particulare, quo per Christi sententiam status reprobationis vel salutis innotescit, ordinariè quidem post mortem non differri, Bellarminus probavit. Extraordinariè tamen ob peculiares casus quandoque differtur; unde salutis incertitudinem in animabus Purgatorii ex parte subjecti nonnemo asseveravit. 8. Quis manum Dei adversus peccati reliquias vindicem ligare præsumat, ut ad locum aliquem infra terram purgandis animabus destinatum eam adstringat, extra quem cruciatus*

pur-

purgatorios decernere non valeas? Et quis juſtitiam Dei, diuturniorem pœnæ moram etiam intenſione doloris coæquare valentis, dimetiri auſit, ut certorum annorum vel dierum durationem pro animarum purgatione præſcribere auſit? Ibid. pag. 36. 37. Reſp. 1. Non tali emplaſtro contradictionum & colliſionum veſtrarum morbus curatur. Quid enim Synodus Tridentina definivit? *Ut prædicetur doctrina de Purgatorio.* Ubi hic Purgatorii ſuſtantia, ubi accidentariæ circumſtantiæ, ubi utrarumque diſcretio talis, ut illa definiatur, hæ diſputatorum libidini permittantur? Nam ſubſtantia non in τῷ ὅτι & quæſtione *an ſit*, ſed in τῷ διότι & quæſtione explicata *quid ſit* conſiſtit. Synodi autem definitio non aliud attigit quàm prius; & quidem ſtolidè. Quid enim eſt definire, rem eſſe, ſeu *exiſtere*, adeóque prædicandam eſſe: & omittere definitionem *quid res ſit*, quatenus quidem ex Dei verbo definiri poteſt? Jubent Tridentini *ſanam de Purgatorio doctrinam prædicare*; & *difficiliores ac ſubtiliores quæſtiones à popularibus concionibus ſecludere.* Quæ verò *ſana illa doctrina ſit*, non explicant; & ſi verba decreti ſpectes, ne quidem id, quod veras pœnas Purgatorias animæ perſentiſcant, definiunt. Ad definiendum aliâs promptiſſimi hîc definire ſuperſederunt eam ob cauſam, quam ſupra perhibuimus: ne videlicet populo falſa doctrina de Purgatorio nimis hactenus emuncto, fraus & fallibilitas Eccleſiæ Romanæ ſuboleret. Non ergo Tridentini *ſubſtantiam* Purgatorii definiverunt; nec definire potuerunt, quia de ea certi & explorati, & unanimiter hactenus in Eccleſia traditi quid, iis non conſtiterat. Inde Andabatarum & Sophiſtarum in tenebris ſuis ſaltantium ille conflictus, quem retuli. 2. De Roffenſis, Pereſii &c. ſententia, nec non opinione veterum de animabus per ignem conflagrationis purgandis nos quoque ſupra. Neque diſſenſum illum Franciſcum Middenſem inter & Bellarminum de Purgatorii ignis objecto purgare potes. Middenſis enim ſic *loc. cit.* ſcribit: *Claret, quòd omnes poſt hujus ſeculi vitam tranſire habeant per illum ignem.* Addit tamen, *bonis nullam in eo injuriam illatum iri, cùm abſque læſione per illum tranſituri ſint.* Quò ſpectat Viſio B. Furſæi, quam Beda *Hiſtor. lib. III.* 19. recitat. Ille enim *vidit in via ad Cœlum maximos ignes, per quos neceſſariò tranſeundum erat; ſed vidit ſimul eos, qui nihil haberent combuſtibile, hoc eſt, nullum culpæ aut pœnæ reatum, illæſos tranſire, alios verò magis minuſve exuri, prout plus minuſve materiæ combuſtibilis offerebant.* Hanc ſententiam nec improbare, nec approbare Bellarminus auſus eſt. 3. De Miniſtro Purgatorii diſſenſum veſtrum egregiè ſcilicet purgas, ut vel inde, cujus ſpiritus filius tu potiùs ſis, pateat. Si enim Miniſter Purgatorii revelatus non eſt, cur de eo ſic Andabatæ veſtri decertant? Rubeus veſter Miniſtrum negat Angelum vel bonum, quia ille in hac vita animabus auxilium ferebat: vel malum, utpote de quo animæ piorum jam triumpharint; aſſeritque *ſolam juſtitiam Divinam ignem Purgatorium ſicut inſtrumentum applicare ad puniendum animas.* Quæ verè Monachalis determinatio eſt. Quaſi ſcilicet non æquè Deus animabus in hac vita auxiliatus ſit, atque Angeli boni. Salmeron *Tomo XIV. p. 231.* quoſdam aſſerere ait, *Dæmones aſſiſtere his, qui purgantur, partim ut pœnis illorum ſatientur, partim quia illis impellentibus quædam peccata admiſerunt, à quibus ibi expiantur, & ideo ut victores illis inſultent.* Torqueri illos non à dæmonibus, vel Angelis, ſed à ſolo Deo, Thomas *lib. 4. Sent. diſt. 20. art. 5.* ait. Sed à dæmonibus torqueri *docent*, ſic Bellarminus *de Purg. lib. II. 13.* ſcribit, *multæ revelationes, ut illa B. Furſæi apud Bedam lib. III. 19. & apud Dionyſium Carthuſianum lib. de quatuor noviſſimis*, & lib. I. vitæ *Bernh. cap. 10.* Eodem Thomas Morus inclinat. Sed *maneat hoc inter ſecreta*, inquit Bellarminus eſtaticus; & *Purgatorii Miniſter nobis non*

 eſt

est revelatus, Redingius. Vel igitur illorum est *nequam spiritus*, qui sine revelatione aliquid hic determinare ausi sunt, velut Rubei, Thomæ Aquinatis, Theologorum apud Salmeronem, Mori; addo etiam, B. Fursæi, aliorúmque apud Bedam & Dionysium Carthusianum per *revelationes* edoctorum, quòd dæmones in Purgatorio tortores sint: vel Bellarmini & Redingii, qui dictant, *Purgatorii Ministrum non esse revelatum, sed manere in secreto*: vel omnium eorum simul, qui de Pygmæorum patria, hoc est, re falsa & lucri gratia conficta sic falsò & otiosè disputant. 4. In Purgatorio ignem esse, Concilia Florentinum & Tridentinum si non negarunt, certè nec affirmarunt, vel definiverunt. Per ea igitur Papistis licet non credere, quòd in eo ignis sit. Et liberis opinionibus lasciviunt. *Sive id ignis sit* (sic Peltanus *cap. 6.*) *ut communiter creditur, sive aqua, sive aliud quodcunque elementum, aut ex elementis concretum.* Beda quoque fretus apparitionibus sibi compertis vallem ponit, in qua animæ purgentur, cujus *unum latus* videt it *flammis ferventibus nimis terribile*; *alterum furenti grandine ac frigore nimiùm omnia perflante ac verrente non minùs intolerabile*. 5. Si in Purgatorio ignem esse constaret, vanum esset, disputare de modo, quo animas ille urat. Et tamen disputant vestri. quos inter non desunt, qui amimas verubus affixas ad ignem assari, tortoribus adipem destillantem in eas refundentibus; vidisse se asseverenr. veluti Presbyter ille, cujus in speculo exemplorum *dist. 3. ex 3.* visio narratur; alii nugantur, vidisse se frixatas in sartaginibus; & in flammantem picem sulphúrque & liquefacta metalla immersas; immanium serpentum venenatis dentibus admorsas; in equos nigellos transformatas; colliquefactos nummulos in guttura manium effusos; eosdemque mox vi facta revomitos, ut in guttura denuò à dæmonibus infundantur, &c. 6. Thomas Aquinas 4. *Dist. 21. q. 1. art. 3. ad 4.* disertè asserit, *post hanc vitam non posse reperiri meritum respectu præmii essentialis, sed tantùm respectu accidentalis.* Alii, Bellarmino ipso citante, hoc confirmant tali argumento: *Animæ in Purgatorio omnia necessaria habent ad meritum. Nam habent gratiam, fidem, spem, charitatem, & liberum arbitrium. Cur igitur non mererentur? Deinde beati mereri possunt, uti patet de Christo, qui semper fuit beatus, & tamen merebatur. Ergo multò magis animæ Purgatorii mereri poterunt.* Antisiodorensis etiam in Summa *lib. IV.* refert quorundam sententiam, statuentium, *animas in Purgatorio mereri vel demereri posse* Id tamen Bellarminus *de Purg. lib. II.* 13. disertè negat, & negantes Scotum, Durandum, Bonaventuram, quin & ipsum Thomam (quem sententiam mutasse ait) inducit. Neque sine causa hi *meritum* à Purgatorio removent, quia non parùm indulgentiarum pretium minueret, homines Missarum pro mortuis emendarum negligentiores redderet, omnémque illam sumptuosam pro amicis & cognatis defunctis solicitudinem tolleret, si supponerentur Purgatoriani eo in statu esse, ut suis vivendi rationibus piísque institutis, ac diligenti rerum in altero mundo administratione, se ipsos à calamitatibus, sic merendo, expedire possint. 7. Neque conflictantes inter vos de certitudine salutis, quam Purgatoriani habeant, aptè concilias, adhibita distinctione, quum utraque pars, ajens & negans non agnoscit. Ipse enim Bellarminus *de Purg. lib. II.* 4. certitudinem eam simpliciter negantes Dionysium Carthusianum, suis visionibus turbatum, Michaelem Bajum, Gersonem inducit & refutat. Et Salmero *Tomo XIV. p.* 231. *Quidam*, inquit, *Catholici sentiunt, aliquos defunctos suæ salutis ignoratione puniri, & illo vehementissimo dolore, qui inde exurgit, afflictari.* Michael Bajus *lib. II. de merit. op. c.* 8. sic scribit: *Huic sententiæ consonum esse videtur, quòd pro defunctis, qui sine criminibus exiverunt, orat Ecclesia, Ne absorbeat eos Tartarus, ne cadant in obscurum: quia absurdum esse videtur apud justum judicem pro reo pœnam deprecari, quæ sciitur*

ftitur illi, justo Dei judicio, irrogari. Non ergo uni Carthusiano, alterive Bajo, sed universæ Ecclesiæ Papisticæ persuasum fuit, non esse certissimam spem salutis animabus in Purgatorio. 8. Deniq; de *loco* Purgatorii insana exclamatio tua dissensum circa eundem *συζητητῶν* vestrorum non purgat. Nam nos quidem manum Dei adversus peccatum damnatorum vindicem non ligamus: at ex Evangelio tamen novimus, soluta in Cœlo haberi omnium salvandorum peccata, ut nulla iis in quocunque demum *loco* damnatio incumbat. Vos autem & damnationem talem salvandorum asseritis, & manum Dei vindicem alii ad hunc, alii ad alium locum alligatis. Bellarminus *de Purg. lib II.6.* de quæstione illa, *ubi sit Purgatorium*, Ecclesiam nihil definivisse ait, Dein octo sententias veterum allegat, plerasque subdolè. Nam quæ Patres nonnulli de animarum damnatarum post mortem loco asserunt: ille de Purgatorii, quod illi ne quidem agnoverant, loco dicta refert. Ad rem tamen facit prima & octava opinio. *Prima*, inquit, *quorundam* opinio, *qui putant ibi animas purgari, ubi peccaverunt, hoc est, variis in locis. Equidem quòd variis in locis animæ purgentur, satis probabiliter colligitur ex Gregorio lib. 4. Dial cap. 40. & 55. qui refert, animam Paschasii & cujusdam alterius in balneis fuisse purgatam; nec non ex Epist. P. Damiani de miraculis sui temporis, ubi describit visionem de purgatione animæ S. Severini in quodam flumine. Octava est communis Scholasticorum, Purgatorium esse intra terræ viscera inferno ipsi vicinum. In Legendis & speculo exemplorum memoratur, quòd aliæ animæ relegatæ fuerint in vepres, aliæ in montes, aliæ in convalles, aliæ in puteos, aliæ sub umbras arborum, aliæ in aera, aliæ sub stillicidia, aliæ in glaciem, aliæ in flumina, aliæ in antrum Patricii* &c. Diversæ illius circumgyrationis rationem Bonaventura *lib. 4. Sent dist. 4. ∬. 34.* exponit. *Diversis*, inquit, *diversa loca sunt concessa vel propter eorum celerem liberationem, ut aliis possint suam indigentiam revelare, vel propter nostram instructionem, ut aliquando recogitemus, magnam post hanc vitam pœnam infligi peccatoribus; vel propter cujusdam Sancti impetrationem*, &c. Majolus in *diebus Canicul. Colloq. 2 p. 61. Thomas*, inquit, *cum Bonaventura dicit, quòd Purgatorii peculiaria loca Deus in superficie terræ ordinavit specialiter.* Fursæus ille apud Bedam Purgatorii *αὐτόπτης* (*si ut miranda canunt, sic & credenda Poetæ*) totos inferos expertus est in aere. quanquam huic opponi potest Patritii antrum famosissimum in Hibernia: & spiracula illa tum Æthnæ montis in Sicilia, tum Vesuvii etiam (de quo fabulosissimas narrationes Conradi Hildesheimensis Episcopi Arnoldus Abbas Lubecensis *Chron. Sclav. lib IV. cap. 29.* & Petri Damiani Cardinalis ejusdem ad Nicolaum II. epistola, quæ *lib I epist. 9.* habetur, conservarunt, à Celeb. Conringio *Discuss. &c. pag. 327.* repetitas) tum aliorum nonnullorum in Indiis Occidentalibus, quorum Hispanos testes habemus, nihil non dejerantes, veros esse Purgatorii caminos. Sed & de tempore, quo liberantur animæ ex incerto illo loco, *res est*, inquit Bellarminus, *incertissima, & nonnisi temerè definiri potest*, miro enthusiasmate, cujus vis omnem indulgentiarum materiam ex cerebro ejus excussit. Nam nisi aliquid certò definiatur, proculdubio omnes illæ indulgentiariæ annorum & dierum putationes joculares erunt. Hæ sunt de Purgatorio perpetuæ contradictiones. extra quarum argumentum nihil substantiæ Purgatorii, quam à Concilio definitam Redingius nugatur, relinqui potest: hæc mysteria illa Purgatorii magna, quæ nos omnia uno flatu extinguimus & disturbamus, negantes, in Theologia magis esse Purgatorium, quàm in orbe terrarum Pygmæorum patriam, aut Monophtalmorum, Sciopedum, Acephalorum, Cynocephalorumve; quæ monstra à Poetis excogitata, in cosmographias quidam suas transtulerunt.

ARG. X. Denique dogma illud adeò à Scriptura & ratione alienum, in Papatu quæstûs tantùm gratiâ foveri, arguit tum quòd ipsa Synodus non obscurè fatetur, antehac illo dogmate sacrificulos ad lucrũ usos esse, prohibens ea, quæ in eo *lucrum sapiunt*: tum quia Græci jam olim, uti refert Cardinalis Aureolus *in 4. d. 21. art. 1. pag. 151. d.* Latinos graviter accusârunt, *quòd purgatorium propter lucrum invenerint*: tum quia indulgentiarum & magnæ missæ partis nundinatio Purgatorio tanquam basi suæ superstructa est. *Suis prædicationibus decipiunt simplices, & aurum subtili vel fallaci potiùs ingenio ab iis extorquent, de Purgatorio mendaciter extrahendo animas, quæ sunt Dei judicio reservatæ*, uti de quæstoribus illis jam olim questus est author *oneris Ecclesiæ*, qui Salisburgensis & Chemensis Episcopi suffraganeus fuit.

RESP. REDING: 1. *Qua fronte scelerati quæstus confessionem Synodo imputas, statuenti, ut Episcopi tanquam scandala prohibeant, quæ turpe lucrum sapiunt. 2. Græcorum schismaticorum exprobrationem nihil moramur. 3. An ex legis Mosaicæ à Pharisæis violatæ exprobratione Cathedram ipsam Mosis contemnere licuit? Par hic ratio exprobrationis ex auctore Oneris Ecclesiæ.* Ibid. pag. 37. Resp. 1. Detorques mea. Nihil enim Synodo imputavi, sed ejus confessione usus sum ad demonstrandam horrendam Simoniam, cujus saltem ante Synodum rea Ecclesia vestra, de cujus magnificentia, sanctitate & infallibilitate adeò triumphare soletis, fuit. Negas? Atqui Tridentini Sess. XXV. inter alia Episcopis præcipiunt, ut quæ in materia hac de Purgatorio *ad curiositatem quandam aut superstitionem spectant, vel* (NB) *turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala & fidelium offendicula prohibeant.* Agnoscunt ergo, multa ante Concilium in Ecclesia obtinuisse, quæ *turpe lucrum* saperent. Cave verò credas, turpis lucri fibras omnes à Concilio recisas esse. Statim enim subjiciunt: *Curent Episcopi, ut fidelium vivorum suffragia, Missarum orationes, eleemosynæ* (hoc nomine iis lucrosæ collationes veniunt) *aliaque pietatis opera, quæ à fidelibus pro aliis defunctis fieri consueverunt, secundum Ecclesiæ instituta piè & devotè fiant; & quæ pro illis ex testatorum fundationibus, vel alia ratione debentur, non perfunctoriè, sed à Sacerdotibus & Ecclesiæ Ministris, & aliis, qui hoc præstare tenentur, diligenter & accuratè persolvantur.* En mercaturam genuinam, contractum videlicet ementes inter & vendentes, & *persolventes, qui debitum, seu obligationem* persolvendi ob datas scilicet *eleemosynas, fundationes, aliásque* ejusmodi *rationes* inducit. Si tamen rectè putaveris, malæ fidei contractus hic est, quia *ἄνθρακες ὁ θησαυρὸς πέφυκε carbones pro thesauro dantur.* Carbones autem? Imò NIHIL, quia nullæ in Purgatorio sunt animæ, adeóque nihil suffragia, Missarum sacrificia, orationes, quæ *pro fundationibus & eleemosynis persolvi* dicuntur, iis prosunt. Sic ærurscatores illi ne illam quidem Diomedis in permutando munere solertiam imitantur,

Χρύσεια donanti χάλκεια qui dederat;

sed hanc potiùs illudentium jocantiúmque paroemiam sequuntur: *Λαβὲ μηδὲν, καὶ κράτει καλῶς, Cape nihil, & serva bene.* Nisi forte aliquid videntur chartæ & plumbum, applicandarum indulgentiarum, instrumenta. quibus de igne Purgatorio magnopere metuendum est, ne & ipsa in NIHILUM redigantur, eò quòd Diaboli tam calentes habere manus dicuntur, ut & membranæ comburantur, & plumbum colliquescat inter eas. priùs

quàm

quàm legendo percurrerint. Sed præterea Purgatorii fides quæstui faciendo inprimis idoneâ est. Si enim fidelium animæ post mortem recta purgatorium subire, in eo cruciatus infernalibus æquipollentes sustinere, non unam horam, diem, mensem, annum, sed quandoque centum, mille, pluresque annos (saltem finem nemo superstitum novit) torqueri, & horribilem in modum ustulari debent: si tum viventes adhuc ipsi, tum defunctorum eorum superstites cognati, necessarii, amici tormenta illa orationibus, suffragiis, indulgentiis pretio addictis mitigare, contrahere possunt, quotusquisque est paulò salutis suæ & suorum studiosior, qui non promptissimè Monachis, Sacrificulis, Papæ facultates suas, saltem quibus carere potest, erogare, eósque unctissimos reddere velit? Quantum enim opum non libens profunderet vivicomburii, cujus cruciatus brevissimus est, damnatus, si profusione illa vivicomburium redimere posset? Hinc adeò Bernhardinus in Rosario, *valde utile esse, habere devotos hæredes*, non immeritò definivit. 2. Si Græci vobis schismatici sunt, majore jure vos illis schismaticorum, quin & hoc in argumento Simoniacorum maximi auditis. Tales enim revera estis. 3. Cathedram equidem Mosis legis ejusdem à Pharisæis violatio non tollit, fateor. Sed Papæ cathedram falsam, & dogmata ex eadem pronunciata falsa, & ad quæstum comparata tota, veritas & pietas ipsa succutit. Illi verò, de quibus author *Oneris Ecclesiæ* queritur, legem Papæ, jubentis prædicare doctrinam de Purgatorio (quam quæstui unicè inservire ostendimus) non violant, sed potiùs religiosè observant.

Obiectiones Tridentinorum.

OBIECT. I. *Animas fidelium juvari posse sacrificiis & precibus vivorum, constat ex 2. Machab. XII. 34. ubi Judas legitur duodecim millia drachmarum misisse Hierosolymam, ut offerretur pro peccato sacrificium. Ergo fidelium animæ post mortem non sunt in statu beatitudinis, utpote qui suffragiis ejusmodi non indigent, sed pœnali, qualis etiam est in purgatorio.* Aug. Reding *pag.* 569. Resp. Abundè huic argumento satisfecimus superiùs, pag. 788. 789. Unum addo, sacrificium illud Judæ, si maximè pro mortuis oblatum esset, neutiquam purgatorio favere, tum quia mortui illi obiverunt in peccato mortali, sacrilegio nimirum, utpote qui acceperant ἱερώματα idolis Jamniensium consecrata; at in purgatorio non alia quàm venialia purgari ipsi docent: tum quia Judas dicitur *considerâsse, his qui cum pietate obdormiunt,* κάλλιστον ἀποκείμενον χαριστήριον, *optimam repositam esse gratiam,* quale certè χαριστήριον neutiquam est in flammis purgatorii: tum quia milites illi temporali pœna à Deo affecti erant v. 42. ut alia pœna temporali opus non fuerit: tum denique, quia si maximè in V. T. locus ejusmodi medius fuisset, non tamen sequeretur, sine nova revelatione etiam in N. T. talem locum esse debere.

Excip. Reding: 1. *Paritas rationis ex fidei principiis petitæ in utroque Testamento æquè pugnat. Licet ergo ex V. T. ad novum argumentari. Cùm ergo sacer ille textus indefinitè pronuntiet, Sanctum esse pro iis defunctis orare, qui cum pietate dormitionem acceperant, id ipsum ad N. T. rectè trahitur. 2. Unde tibi certò constat, mortuos illos in peccato mortali*

obiisse? cùm culpa eorum potuerit esse inadvertentiæ & obreptionis, adeòque venialis, vel saltem pœnitentia, si mortalis fuisset, expiari, & eos cum pietate obdormivisse, quippe pro fide ac religione morientes, Judas testetur? Eos tamen mox omni, etiam temporalis pœnæ reatu exsolvis. 3. Cùm purgatorium neminem, nisi qui in gratia sanctificante hinc decesserit, & in hoc statu jam firmatus est, urat, etiam in Purgatorii flammis gratia illa optima reposita locum habere potuit. Ibid. pag. 38. 39. Resp. 1. Ubi par ratio ex fidei principiis petita? Nam locum semper dari medium, in quo animæ degant cruciandæ, & per viventium suffragia adjuvandæ, nec fidei principium est, nec ex fidei principio ullo concluditur. Non Deus verus Israëlis, sed Deus venter dogmatis hujus principium est. Pronuntiat equidem author libri v. 44. *Nisi eos, qui occubuerant, revicturos sperasset, vanum erat orare pro mortuis:* at nec *indefinitè* pronuntiat, vel semper fas esse pro mortuis orare: vel pro mortuis orari, ut liberentur ex pœnis loci tertii; sed tum ut absolverentur *à peccato,* non à pœna peccati (sunt enim juxta vos etiam carceres ad custodiam, ac non ad pœnam dati) tum ob *spem resurrectionis.* Forte enim scriptor hic cum Pharisæis fecit, qui judicium extremum sub terris futurum crediderunt, solis iis, qui per sententiam absoluti sunt, resurgentibus. quod Josephus docuit. Ita preces illæ ad judicii Divini rigorem temperandum facerent, quò citiùs resurrectio subsequi possit. Quid hoc ad Purgatorium? Sed quocunque sensu sic author libri pronuntiavit, falsò pronuntiavit, unquam licuisse orare vel sacrificare pro defunctis, quia religio talis pro defunctis nuspiam instituta legitur. Neque hoc fine Judas Hierosolymam pecunias miserat. Quam in rem plura superiùs *pag.* 196. 197. diximus. 2. Ariolationes tuas de sacrilegis illis cum venialis culpæ reatu decedentibus ibidem etiam discussimus. Nil certè illos inadvertentia, obreptio, ignorantia legalis & publici juris adjuvisset. Illi enim de anathematis suffurati erant, id est, de rebus, quæ sacratæ fuerunt idolis Jamniæ, contra disertam legem Deut. XIII 17. Nec pœnitentiam egisse probari potest eos, qui ne morientes quidem anathemata à se, uti ex v. 40 colligitur, abjecerunt. Et si pro *fide ac religione* mortui sunt, Martyres ergo fuerunt, quos Purgatorii ignis pabulum esse, ferè negant vestri. Denique cùm temporali pœna defuncti sint, violentam appetendo mortem, temporali alia in Purgatorio opus non erat. Sed non ideo morte illa peccatum eorum coram Deo expiatum, & pro eo planè satisfactum fuisse sequitur. 3. Cogitavit Judas, si verum libri author narrat, eos, *qui cum pietate obiissent,* adeóque ilico post obitum cum pietate (cur enim alias initium non à vita eorum repeteret?) habere *χαριστήριον gratiam optimam repositam.* Ubi verò? In Purgatorio? At qualiscunque ibi animarum status est (quanquam nec vobis planè constat, certos esse Purgatorianos de eorum, qui in gratia sanctificante hinc decesserunt, gratioso statu) pœnalis certè est, sine reposito ullo *χαριστηρίῳ.* In Cœlo? Quid ergo hoc ad Purgatorium. ? Et quid tandem est *μετ' εὐσεβείας κοιμωμένοις. cum pietate dormire?* An mori cum peccato qualicunque nondum punito in Christo? Hoc verò est non piè, sed impiè mori. Impius enim est, cujus non omnia peccata piata sunt.

OBIECT. II. *Deus Zachar. IX. 11. dicitur sanguine Testamenti sui eduxisse vinctos suos de lacu, in quo non est aqua. Ubi* בור *lacus sive cisterna illa commodè significare potest purgatorium, in quo non est aqua consolationis.* Resp. 1. Ipsi adversarii, ambigunt de limbo an purgatorio locus ille explicari debeat. 2. Purgatorium eo loco non indigitari liquet, quia nec de mortuis, nec de animabus, nec de peccatis

le-

levioribus & venialibus ſermo eſt: & ſanguine teſtamenti, adeóque merito Chriſti, non propria purgatione, expiatione & ſatisfactione ex ciſterna liberari dicuntur. Ne dicam illos, quos Deus liberâſſe dicitur מבור *ex ciſterna*, dici in eodem אסירים *vinctos*, cùm animas purgatorianas vagari & frequenter nos inviſere, ex Gregorii Dialogis illi nugentur. 3. Vel igitur ſenſus eſt, Chriſti morte, ſeu teſtamenti ſanguine nos in peccato mortuos ex merita ciſterna æternæ mortis liberatos eſſe: vel morte Chriſti fideles N. T. liberatos eſſe, ex timore mortis, cui fideles V. T. toto vitæ ſuæ decurſu obnoxii erant, accuſante lege, ſacrificiis peccatorum quotidie memoriam refricantibus, elementis mundi captivos tenentibus &c. à quibus liberatis haud poſtremo Novi Teſtamenti bono potiuntur.

Excip. Reding: 1. *Textus ille ſimul de Patribus limbo concluſis, ſimul de animabus Purgatoriæ flammæ addictis, per Chriſtum ad inferos deſcendentem eductis intelligi poteſt. 2. Liberatio illa ex ciſterna per ſanguinem Chriſti, nihil obeſt purgationi per ſatisfactionem vel ſatispaſſionem peragendæ. Satisfactio enim quoad vires gratiæ & condignitatem acceptilationémque à Patre: & ſatispaſſio peccatorum remiſſionem ſupponens, & menſuram ſuam ex ſanguine Teſtamenti obtinens, merito Chriſti innititur. 3. Neque Dei manus ligata eſt, quò minùs vinctos extra carcerem mittere quandoque poſſit, ſicut quandoque Diabolus extra infernum oberrat.* Ibid. pag. 39. Reſp 1. Si ad inferos localiter Chriſtus deſcendiſſet, Purgatorio nil inde vel ſeri vel meti poſſet. Quippe animas ex eo ipſimet negatis liberari niſi ſatispatiendo, vel ſatisfaciendo poſſe. At hic nec ſatispaſſio, nec ſatisfactio locum habuiſſet. Non *ſatispaſſio*. Alioquin quid opus erat Chriſtum illuc deſcendere ad liberandas animas, quibus ſatispaſſis licebat ultro, ſine liberatione tali, exire. Non *ſatisfactio*. Vel enim animæ ſic liberatæ ſatisfecerunt per propria opera, vel per Sanctorum ſuffragia, vel per Chriſti merita, At non ſatisfecerunt *per propria opera*, quia hæc ſatisfactoria nulla eſſe poſſunt poſitis in Purgatorio. Non *per Sanctorum ſuffragia*, quia nulli adhuc erant ejuſmodi Sancti, qui apud Deum, quem non videbant, ſuffragari poſſent. Non denique *per Chriſti merita*, quippe non applicata (uti vos applicanda cenſetis) vel per Baptiſmum, vel per Pœnitentiam, vel per Jubilæum. In hoc ergo deſcenſu locali ſi fuit ullus, nullum Purgatorio præſidium omnino eſt. Sed dum tu ſic ſomnia veſtra concilias, ego pronuntio rectiùs, & deſcenſum talem eſſe fabuloſum; &, ſi poneretur eſſe aliquis, nil tamen Purgatorio prodeſſe, niſi priùs Purgatorium eſſe conſtituatur, id eſt, petatur τὸ ἐν ἀρχῇ. Sed quàm lubrici quæſo ſunt Sophiſtæ? Bellarminus enim ex hoc textu limbum Patrum priùs probaverat. Mox verò ſeu pœnitudine ductus, ſeu parùm ſibi conſtans, *de Purg. lib. 1. 3.* ſic pronuntiat: *Etſi hunc locum adducunt paſſim* (& ipſe ſupra adduxerat) *pro liberatione Patrum ex limbo, tamen meliùs convenit liberationi animarum ex Purgatorio, quas Chriſtus eduxit, cùm eò deſcendit poſt mortem* Impudentior jam Redingius & ad limbum, & ad Purgatorium refert. Reperit enim cothurnum Herculis, quem utrique huic pedi aptaret. 2. Si ſatispaſſio & ſatisfactio illa in Purgatorio merito Chriſti innititur, ſatispaſſioni ergo & ſatisfactioni ejuſdem innitatur oportet. Hæc autem cùm perfecta & numeris omnibus conſummata fuerit, omnem aliam excludit. Quid enim perfecto addi poteſt? Et quomodo Chriſti meritum eo tempore, quo is ad inferos

loca-

localiter descendisse supponitur, ab animabus in Purgatorio existentibus applicari potuit? 3. Dei manum absit ut constringamus. *Posse tamen animas ex Purgatorio ad nos in terris adhuc viventes proficisci*, Bellarminus *de Purg. lib. II.8.* ex Gregorio asseverat. Id quomodo *vinctis* conveniat, videritis. Alia Diaboli ratio est, qui & vinctus est, & ex vinculis subinde, volente Deo, judicia ejusdem exequitur. Sed præterea quomodo Purgatorium בּוֹר *lacus* est, in quo *aqua* non est; cùm dictum illud Psal. LXVI. 12. *Transivimus per aquam & ignem*, Bellarminus aliique ad Purgatorium probandum applicent: & Purgatorium iidem negent esse sine *aqua*, id est, consolatione, seu certa spe liberationis & salutis? Certè locum hunc de Purgatorio ne unus quidem veterum interpretatus est. Hieronymus *in Zachar. fol. 117.* de iis, qui cum Christo resurrexerunt, quósque ex gehenna liberatos esse, Origenico errore captus, idem statuit (nam etiam epulonem divitem inter eos numerat) explicat. Cyrillus Alex. *in Zachar. T. III. p. 378.* vel *infernum* damnatorum, vel *ψευδωνύμων θεῶν ἀπάτην falsorum Deorum fallaciam* intelligi putat. Theodoretus *in Zachar. T. II. p. 911.* *Τοῦτον τὸν λάκκον εἴτε τὸν αἰώνιον θάνατον, εἴτε τῶν εἰδώλων πλάνην βούλεταί τις νοεῖν, τῆς ἀληθείας οὐχ ἁμαρτήσεται· Sive hunc lacum de morte æterna, sive de errore idolorum velit quis intelligere, à veritate non aberrabit.* Explicatio ergo illa de purgatorio toti Ecclesiæ veteri ignota, novissima est.

OBIECT. III. *Christus Matth. XII. 32. docet, peccatum in Spiritum S. nec in hoc nec in futuro Seculo remitti. Inde sequitur, in futuro etiam Seculo remissioni locum esse. At non in Cœlo, quia nemo, cui peccata remissa non sunt, illuc admittitur: non in inferno, quia damnatis peccata non remittuntur. Ergo in purgatorio. Id quoque ex eo loco colligit S. Augustinus lib. 21. de Civ. D. aliique Patres* Resp. 1. Esto, peccata quædam in futuro Seculo remittantur. Inde Purgatorium minimè conficeretur, tum quia in purgatorio peccata non *remitti*, sed *purgari*, & puniri dicuntur, quod remissioni oppositum est, uti liquet ex Exod. XX. 6. tum quia in extremo etiam judicio, adeóque futuro Seculo locus potest esse remissioni, hoc est publicæ & gloriosæ testificationi, ac solenni, quòd credentibus propter Christum peccata remissa sint. Scripturæ enim tum extremum diem nomine futuri Seculi indigetant Luc. XX. 35. tum docent etiam, misericordiæ, deletioni peccatorum tempore refrigerii locum esse post hanc vitam in die judicii, 2. Tim. I. 10. Act. III. 19. Sicut in Cœlo ratam habet sententiam, quæ hîc pronuntiatur in terra, Matth. XVIII. 18, ita olim declaraturus est, se illam ratam habere, Rom. II. 16. Neque quidquam obstat, quò minùs diverso modo & respectu remissio iterari dicatur. 2. Futilis etiam est consequentia: *Si peccatum in Spiritum S. nec in hoc nec in futuro Seculo remittitur: Ergo alterius peccati remissio fit vel in hoc, vel in futuro Seculo.* Quidni ita potiùs concludere liceat: *Ergo peccatum aliquod & in hac, & in altera vita remittitur.* Ea nempe est natura copulativarum negantium, ut geminam admittant contradictionem affirmativam, nempe conjunctivam seu copulativam unam, disjunctivam alteram; illam plenam, hanc dimidiatam. Nô-

runt

runt hoc Dialectici omnes, quorum proinde tribunal hîc declinans Bellarminus, provocat ad *regulam prudentiæ.* Sed prudentiam Jesuiticam nimis irregularem nos pensi non habemus. 3. Genuinum phraseos sensum nobis reddit Marcus cap. III. 29. *Qui blasphemat Spiritum S. non habet remissionem in æternum.* Spem igitur omnem tàm flagitiosæ nequitiæ præcidit. Proinde Matthæus usitato Hebraismo, quo עולם הזה והבא *Seculum præsens & futurum* æternitatem significat, docet, blasphemiam in Spiritum S. in æternum haud remissum iri. 4. Augustini quæ citantur ex *lib. de Civit. D. XXI. 24.* verba, suspicione *νοθείας* laborant, quia Lud. Vives in antiquis ea Codicibus haberi negat. Deinde per *futurum Seculum* alibi non purgatorium, sed extremum judicium intelligit.

EXCIP. REDING: 1. *Distingue reatum culpæ & pœnæ; agnoscésque sic, peccata etiam per pœnæ solutionem remitti. Ita Exod. XX. 5. iniquitas patris, quæ ratione culpæ ejus personam non egreditur, quoad pœnæ reatum transire posse ad quartam usque generationem dicitur. ut vel hinc constet, pœnæ reatum ab offensæ Divinæ culpa separari posse. Non ergo peccati ex justitia vindicati punitio remissioni opponitur: & quæ quoad pœnæ reatum in Purgatorio eluuntur, in eodem remitti, quoad culpæ reatum rectè dicitur. 2. Cùm remissio peccati non sit speculativa duntaxat peccati remissi declaratio, sed ejus extinctio, illa utique ante extremi judicii diem electis contingere debet. Hinc adeò remissa in terris peccata in Cælo quoque remitti, seu eorum remissio rata habere, Matth. XVIII. 18. dicitur, ut ulteriori declaratione opus non sit. 3. Quòd Marcus per compendium enuntiavit, id fusiùs Matthæus exposuit, peccatum simpliciter irremissibile contradistinguens alteri peccato, quod in hoc, & in altero seculo remissibile est. quam distinctionem licet non attigerit Marcus, non negavit tamen. 4. In loco Augustini apertam perfidiam prodis, asseverans, Ludovicum Vivem negare, ea verba in antiquis Codicibus extare.* Ibid. pag. 40. 41. Resp. 1. Distinctionem hanc reatus priùs proba. Nos enim illam pridem confutavimus eo argumento, quòd reatus sit meritum pœnæ ob peccatum, seu obligatio ad pœnam ob peccatum. Sequitur ergo peccatum seu culpam, & antecedit pœnam: adeóque distribui in reatum culpæ & pœnæ non potest. Nam totum sub se continet partes: reatus autem culpam & pœnam juxta, seu præter se, non sub se continet. Neque etiam probabis ullo argumento, reatum pœnæ ab offensæ Divinæ culpa separari posse. Hæc enim illius fundamentum, & causa, uti vocant, emanativa est. Punit Deus peccata parentum in liberis, juxta Exod. XX. 5. Sed an sine peccato parentum? An in liberis planè innocentibus, & peccati expertibus? Falleris. Punivit Deus nostra quoque peccata in Christo, cui ea imputavit: sed non punivit Christum sine peccati, imputati licet, non inhærentis respectu. Sed missis his, constat vis argumenti mei. Nam Purgatorium est punitio peccatorum. At remissio peccatorum non est punitio peccatorum, sed punitioni peccatorum opponitur. Quippe remittere peccata non est punire peccata, atque sic post pœnam dimittere jam punitum (quomodo puniti in Purgatorio inde dimittuntur) sed misericordiam facere peccatori, eum propter sponsorem non subjiciendo pœnæ. At misericordiam facere & punire, seu exigere solutionem pœnæ, Deus ipse opponit Exod. XX. 5. *Ego enim Jehova Deus tuus, Deus Zelotes, visitans iniquitatem Patrum super filios, & faciens misericordiam millibus*

libus diligentibus me. Et Christus quibus condonavit peccata, eosdem liberavit à morbis, id est, à pœnis peccati. Idem jussit concordare cum adversario, ne is tradat judici, & judex in carcerem mittat. Unde prompta conclusio; Si concordia fiat cum adversario, tum, neminem tradendum judici, aut detrudendum in carcerem. Cùm igitur Purgatorium, si adversariis fides est, sit carcer; certè si remittuntur, si condonantur peccata, Purgatorio locus non est. Denique ingenuè, Redingi, dic, quid in Purgatorio remittitur, quid condonatur? Peccatum, an ejus pœna; seu, uti tu ἀκυρολόγως loqueris, reatus culpæ, an pœnæ? Si peccatum, seu reatus culpæ, cur animæ ibidem puniuntur, ustulantur, solvunt pro culpa? Pœna enim omnis propter culpam infligitur; & duo illa sic ad se invicem referuntur, ut ubi peccatum non remissum est, ibidem pœna ex justitia vindicante infligatur, & vicissim. An pœna, seu reatus pœnæ? Cur ergo animæ in Purgatorio pœnam subeunt? Nam quæ pœna remittitur, condonatur, illam subiri, solvi tamen contradictorium, adeóq; inauditum est. Viden' Redingi, verbis illis Christi Purgatorium vestrum non accendi, sed extingui penitus! 2. Remissionem speculativam esse peccati remissi declarationem, non dicimus. Practica est tota, quia cui peccata esse remissa declaratur, eidem verè remissa sunt, non imputantur ad pœnam. Sed remissione peccatum ipsum sic extingui, non tantùm ut non imputetur, sed etiam ut non imputatum non sit, non existat, recentissimum Sophistarum commentum est. Peccatum certè originale, id est, illa ipsa corruptio, quæ nos abducit à justitia, manet tota in fidelibus, abolenda quidem magis magisque, sed nunquam penitus, donec in Cœlos delati cum Christo regnemus. At remissio peccati illius non differtur eo usque, sed in præsenti datur. Sed eam in rem fusius dicta Tomo priore *ad Sess. VI. Quæst. VIII. Arg. 7. pag. 360. 361.* repetere non libet. Interim in futuro etiam seculo peccata extingui, dictu absurdum haud est. Nam peccatum penitus morte extinguitur. Mortis autem momentum communis nobis terminus est seculi utriusque; hujus, à quo morientes abimus, & illius in quod transimus. Quæ autem per momentum illud dicitur fieri vel remissio, vel extinctio, non tam seculo huic pereunti, quàm illi permanenti, in quod morientes deveniunt, tribuitur. Extinguitur in morte, quod non fuerat extinctum in vita. Quod autem non extinguitur in vita, si in morte extinguitur, id rectè in seculo venturo potiùs, quàm in hoc extingui dicitur. Et par remissionis propriè dictæ, quæ tota imputativa est, in morte demum factæ ratio est, ne dicam de solenni illa, quæ in supremo judicio fiet. Quam veram remissionem, absolutionem non esse, argumento nullo probare poteris. Nam quæ in Cœlo, durante præsente vita, rata habetur remissio: illa in ultimo judicio ratificata solenniter promulgabitur. 3. Cur verò de consequentiæ vestræ futilitate à me dicta ne ullo quidem apice attingis? Hic profectò tibi, in Logicis fallaciis nectendis argutissimo licet, planè aqua hæsit. Et tamen non nihili res est, sed quæ vel sola argumenti vestri vim elidit. Quod porro per compendium Marcus enuntiavit, id fusiùs Matthæum exposuisse, non nego. Sed sic, ut qui sensus verborum Marci est, idem Matthæi etiam sit; nec in hoc, nec in futuro Seculo peccatum illud remitti, id est, in æternum non remitti. Inde sequitur, aliquod peccatum in æternum remitti, conjunctim scilicet, & in hoc seculo, & in futuro; non divisim, vel in hoc seculo, vel in altero; aliquando in hoc, aliquando in altero seculo tantùm. Simul ergo utrumque ponendum, simul utrumque negandum est. Quomodò si affirmes: *Deus verus & Cœlum & terram creavit*; alter dicit: *At falsi Dii neque Cœlum neque terram crearunt.* Ita Virgilius: *Nec tibi diva parens generis, nec Dardanus author.* utrumque tollere volens, quod utrumque tamen in suo stemmate Æneas posuit: *Et mihi Diva parens*

generis

generis, *& Dardanus author.* Similia passim occurrunt. Cùm igitur verborum Christi: *Peccatum in Spiritum S. non remittetur nec in hoc, nec in altero seculo*, contrapositio vel conjunctiva, hoc sensu: *peccatum aliquod remittetur in hoc & in futuro seculo*, vel disjunctiva hoc sensu; *Remittetur vel in hoc vel in futuro seculo*, esse possit, conjunctivam subjecta materia, doctrina videlicet de remissione peccatorum, flagitat. Scriptura enim docet, nobis ita condonari à Deo, quæ condonantur, peccata, ut in hoc seculo primùm condonentur, sed in æternum, hoc est, in utrumque seculum. Sic Christus dicit: *Quæ solvuntur in terra, soluta haberi in Cælis.* Sic Paulus: *Nulla condemnatio iis, qui sunt in Christo Jesu*, Rom. VIII. 1. Sic Petrus: *Ut deleantur peccata vestra, postquam venerint tempora refrigerationis à conspectu Domini*, Act. III. 19. Repeto autem, phrasin illam, *neque in hoc, neque in futuro seculo*, Hebraico idiotismo simpliciter æternitatem circumscribere. quod Paraphrases Chaldaicæ vetustissimæ, & perpetuus Hebræorum usus ostendit. Inolevit autem hæc phrasis occasione Sadducæorum, qui rationem alterius illius seculi totam expungebant. Expressa ergo hac distinctione & loquendi formula tetrum illorum errorem repercutere placuit. Atque eam Sacri Scriptores apud Judæos Marc. X. 30. Luc. XVIII. 30. & XX. 34. itemque apud gentiles, quorum non pauci etiam alterum Seculum negarunt, Ephes. I. 21. imitati sunt. 4. Lud. Vivem de Augustini loco citanti perfidiam non opponeres, nisi vel perfidus ipse esses, vel ne quidem eum inspexisses. Quæ Augustino verba tribuuntur, sic *lib. XXI. de Civ. D. cap. 24.* habent: *Neque hic veraciter de quibusdam diceretur, quòd non eis remittuntur, neque in hoc seculo, neque in futuro, nisi essent, quibus etsi non in isto, tamen remitterentur in futuro.* Ad eum locum, ejúsque tum antecedentia, tum consequentia sic Lud. Vives annotavit: *In antiquis libris Brugensi & Coloniensi, non leguntur isti decem, aut duodecim, qui sequuntur* (quos inter verba illa allegata sunt) *versus. &c. ac neque in exemplaribus Friburgi excusis.* Nullamne hæc νοθείας suspicionem movere potuerunt? Inprimis cùm neque in novissimis Augustini editionibus, Lovaniensi & Parisiensi, quæ emendatissimæ habentur, ea verba usquam compareant. Sed sunto sanè Augustini illa verba γνήσια. Nihil Purgatorio proderunt, quia disertissimè hoc quicquid est purgationis animarum, author ille in ultimum illum diem, & quidem conceptis verbis post resurrectionem, differt. Sic enim ille loquitur: *Sicut etiam facta resurrectione mortuorum non deerunt, quibus post pœnas, quas patiuntur spiritus mortuorum, impertiatur misericordia, ut in ignem non mittantur æternum. Neque enim de quibusdam veraciter diceretur, quòd non eis remittatur, neque in hoc seculo, neque in futuro, nisi essent, quibus, etsi non in isto, tamen remittetur in futuro.* Et alibi *contra Jul. lib. VI. 5.* clarissimè: *Et peccata quidem nulla remittuntur in regno: sed si nulla remitterentur in judicio illo novissimo, puto quòd Dominus non dixisset de quodam peccato: Non remittetur neque in hoc Seculo, neque in futuro.* Visne jam Redingi, credamus Augustino? Periit ergo Purgatorium, quod in resurrectione nullum esse vultis. Reliqui Patres, nostro sensu verba Christi explicant; Fulgentius inprimis, qui *lib. I. de remiss. pecc. cap. 24.* adversariorum stropham sic diluit: *Hoc verbo Dominus & Salvator noster non aliqua peccata insinuavit in futuro seculo dimittenda, quæ in hoc seculo dimissa non fuerint; sed bene intelligentibus ostendit non alia, sed illa tantùm in futuro seculo dimittenda, quæ in hoc seculo in una vera Ecclesia Catholica unicuique fuerint dimissa. Soli enim illi Dominus ligandi solvendique tribuit potestatem dicens:* Tibi dabo claves Regni Cœlorum, &c. *Quod ergo Sancta Ecclesia in hoc seculo non solverit, ita insolubile permanet, ut etiam in futuro seculo solvi nullatenus possit.*

OBIECT. IV. *Christus idem Matth. V. 22. distinguit genera peccatorum, quorum aliud convitium stultitiæ alicui factum pœna gehennæ: alia verò nempe iram & convitium ῥακὰ judicii & Synedrii pœna digna facit. Dantur ergo peccata quædam non mortalia sed venialia, adeóque cum statu gratiæ compatibilia, quæ temporali pœna expiari possunt. Quod si ille temporalis pœnæ reatus hac in vita non diluitur, necessariò dilui debet in altera vita, adeóque in statu aliquo medio, qualis est purgatorium.* Aug. Reding. 571. Resp. 1. Esto, dentur peccata venialia, temporali pœna digna, cur non æquè imò magis quàm mortalia Christi morte in solidum expiata dicamus? 2. Ipse Suarezius *tom.* 4. *in Thom. disp.* 45. *pag.* 557. scribit, hunc locum non pertinere ad controversiam de purgatorio, *cùm probabile sit omnia illa membra judicii, Concilii, gehennæ significare æternam damnationem & pœnam majorem vel minorem pro qualitate delictorum.* Ita est. Christus gradus ut peccatorum, ita etiam pœnarum, manente eadem specie, ex comparatione civilium pœnarum inter Judæos usitatarum, quales erant דין *judicium* quodvis, סנהדרין pœna à *Synedrio* seu supremo Senatu infligenda, & כרת *excidium*, quo devovebantur peccatores *gehennæ*, explicat, atque ita minimam charitatis eclipsin iram Dei & pœnam mortis mereri ostendit. Secus quàm Judæi, perversi legis glossatores, qui ne homicidas quidem omnes, sed eos duntaxat, qui in propria persona alios interficiebant, *Synedrio*, seu capitali supplicio in supremo Senatu infligendo dignos reputàrunt, quorum pravam hac in re praxin ex Thalmudicis ostendit doctissimus Ligtfootus *Hor. Thalmud. ad h. l.* 3. Quòd si judicium exercetur in purgatorio, ubi ergo Synedrium? Tertius ita pœnarum locus fingi debebit. 4. Neque etiam ira & convitia iræ signa peccatis venialibus accenseri debent, cùm Paulo judice Gal. V. 20. excludat θυμὸς regno Cœlorum. 5. Denique credentes in Christum οὐ κρίνονται *non judicantur* Joh. III. 18. εἰς κρίσιν οὐκ ἔρχονται *in judicium non veniunt*, Joh. V. 24. Si igitur maximè *judicium* hoc loco purgatorium notaret, nihil tamen ad verè fideles attineret.

EXCIP. REDING: 1. *Hic locus cum v. 45. conjungi debet.* 2. *Ubi Christus determinatè non pronuntiavit gehennæ reatum, sed Concilium & judicium, non equidem infertur statim, ibi ex genere suo non posse peccatum mortale subesse. Quia tamen Christus pro peccatis illis gehennæ reatum determinatè non indixit, intelligi potest, superesse statum ejusmodi culparum, sub quo vel per levitatem materiæ, vel per subreptionem rationis, & plenæ deliberationis defectum exceptioni locus sit: sicut in foro politico locus est exceptioni, quando homicidium patratur non directè & positivè voluntarium, sed sui defendendi gratia. 3. Sicut qui non credit, jam judicatus dicitur Joh. III. 18. atque inde judicium extremum rectè concluditur: ita qui credit, ita tamen, ut in certo peccati genere. cui culpa mortalis subesse potest, ipse quoque per subreptionem, vel deliberationis defectum, vel materiæ levitatem deficiat, is judicandus quoque alicubi est. Ubi verò nisi in Purgatorio?* Ibid. pag. 41.42. Resp. 1. Bellarminus

minus *de Purg. lib.1.8.* locum hunc seorsim urget. Neque combinatio cum v.25. efficaciorem reddit probationem, tum quia nec v. 25. ipso judice Sonnio vestro, Purgatorium probat: tum quia v.25. nihil est, quod versui 22. ad Purgatorii demonstrationem lucem majorem fœneretur. Merum ergo κρυπτόφυγτον tuum est, quia textui meritò diffidebas. 2. Ludis in voce *gehennæ*, qua sola *inferni* pœnam significari innui. Nam æquè Synedrium & Concilium infernum significant. *Gehenna* enim, *Synedrium* & *Concilium* supplicia capitalia in foro soli singula infligebant; & catenus figuræ totidem inferni à Christo non constituuntur; sed secundum diversos gradus sicut delictorum, ita etiam pœnarum. Quodcunque ergo peccatum Christus Synedrio & judicio dignum declaravit, illud morte etiam æterna dignum, figura ad rem significatam translata, declaravit. Nullus quoad rem significatam locus exceptioni à pœna æterna: soli exceptioni à gradu pœnæ æternæ locus est. Neque ad rem facit exceptio in foro soli; velut in homicidio casuali, vel sui defendendi causa patrato, quia hoc propriè peccatum vel homicidium non est, adeóque pœnam nullam meretur. Non tantùm autem vobis peccata venialia & propriè peccata sunt, & pœnam in Purgatorio merentur: sed inprimis Christus de veris peccatis, & peccatorum verorum pœna æterna, gradibus suis distincta loquitur. Et sicut ille gradum peccati non in subreptione, vel defectu deliberationis, sed in peccato ipso, eademque peccati, prout illud magis vel minùs in nervum erumpit, specie statuit: ita pariter pœnæ gradum non in diversa ejus specie, sed una eademque collocat; & nominatim in pœna æterna. Loquitur enim Christus de ipsa peccatorum culpa. Irasci quippe, & probrosis verbis fratrem lædere, peccati culpa est. At omnis peccati culpa non condonata æternam pœnam infert. uti suo loco probavimus. Tum Christus intendit, vim legis adversus peccata, longè supra traditionem Seniorum. Ideóque minimum gradum peccati eadem pœna dignum esse arguit, qua pœna dignum illi censebant maximum. *Audistis*, inquit, *dictum esse: Non occides. Quisquis autem occiderit, tenebitur judicio. Ego verò dico vobis, quicunque irascitur fratri suo temerè, tenebitur judicio.* Atqui, nullius hominis judicio, homicidium dignum est existimatum minima aut levicula pœna; sed mortali, in foro soli temporali, &, si in Christo condonatum non fuerit, etiam in foro poli æterna. Denique concludens Christus jubet quemque reconciliari fratri, ne tradatur judici, indéque mittatur in carcerem, unde non sit exiturus nisi persoluto ultimo quadrante, id est, nunquam. Ubi manifestum est alludi ad primum gradum ante expressum, quem judicio dignum dixit. 3. Idem judicium est, à quo Christus absolvit credentes, & quod decernit infidelibus: neque aliud comminisci licet. Atqui illud est judicium æternæ damnationis. Non aliud ergo judicium est ab eo distinctum. Quisquis ob peccatum non condonatum judicatur, is reus æternæ mortis pronuntiatur. Ergo qui æternæ mortis reus non pronuntiatur, is nec ob peccatum non condonatum judicatur: & si ob peccatum non condonatum non judicatur, in purgatorium non descendit, quia judicii locus vobis Purgatorium censetur: &, si quod existit, verè talis est. Et si, denuo repeto, talis judicii locus est in Purgatorio: ubi Synedrii locum ostendis?

OBIECT. V. *Eodem Capite Matth. V. 24 25. Christus suadet reconciliationem cum fratre, ne irreconciliabilem judex tradat ministris, & hi in carcerem conjiciant, unde non datur egressus usque ad solutum ἔσχατον κοδράντην ultimum quadrantem. Ubi φυλακὴ carcer notat purgatorium: extremus quadrans peccata venialia in eo luenda.* Re-

ding. *p.* 571. Resp. 1. Locum hunc perse nihil probare, agnoscit Sonnius, *quia non loquatur claro sermone de statu animarum post hanc vitam, & aliam apud Patres interpretationem recipiat.* Etiam Stapletonus illum accenset levioribus, quibus paulò alieniùs usi sint Patres. 2. Nihil cogit, ut à litera discedamus. Sensus igitur clarus est, eum, qui adversario suo ob debita pecuniaria obstrictus est, cum, illo maturè conciliari, & quemlibet proximo suo promptè satisfacere debere, ne in judicio experiri, & reus malè mulctari necessum habeat. quod & reo noxium erit, & debitum nimis exactè urgenti, utpote qui hac ratione fratris malè habiti adversus se suspiria excitabit. Ita Chrysostomus *ad h. l.* eúmque secuti Theophylactus, Euthymius, alii. 2. Sed allegoricè etiam, si lubet, explicemus. Sic autem Purgatorium notione φυλακῆς *carceris* indigetari heic, dilutum est, tum quia in purgatorio peccata venialia purgari asserunt, at in carcere illo irreconciliabilitas, quæ mortale peccatum est, expiari debuit: tum quia totius debiti exactionem Christus urget, non solius extremi quadrantis, cùm totum debitum in gehenna expungi debere statuant. Multò minùs ἔσχατος κοδράντης *extremus quadrans* peccata venialia notat, quia non cumulantur varia peccata, sed unicum, pertinacia nempe in negligenda reconciliatione fratrum perstringitur: neque peccatum illud unicum minutas in partes secatur, sed agitur de pœna, cujus ridigissima exactio, & plenaria solutio urgetur.

Excip. Reding: 1. *Stapletonus hoc unum pertendit, textum illum solum, non supposito fidei illo dogmate jam recepto, non evincere Purgatorium. at supposito eo, non perperam de eodem exponi. 2. In peccato irreconciliabilitatis diversi gradus obtinent: inter quos primo reconciliationem omnem respuenti æternæ pœnæ reatus respondet. Hoc verò per pœnitentiam extincto superesse potest scintilla levis, culpæ venialis reatum non supergrediens, cujus ultimus quadrans in carcere illo solvi debet.* Ibid. pag. 42. 43. Resp. 1. Disertè Stapletonus *Antidot. in Matth. cap.* 5. jubet Calvinum advertere, *paucissimos hodie esse, qui hunc locum eodem modo exponant.* Quin locis accenset levioribus, quibus Patres paulò alieniùs usi sint. *Et veteres,* inquit, *Patres hunc locum ad Purgatorium accommodarunt, non quòd in eo vel solo, vel potissimùm Purgatorium fabricarent aut fundarent: sed quòd ad dogma fidei receptissimum comprobandum hanc scripturam adferrent, tametsi vel obscurior esset, quàm vel sola certam fidem faceret, vel etiam alium sensum verum habere poterat, sicuti multas alias Scripturas in hoc ipso dogmate, aliisque certæ fidei dogmatibus, Patres adferre solent.* Habemus hinc, ut plurimùm laboris in hoc loco ad Purgatorium trahendo impendatis, tum verò nec dum manifestam vel certam demonstrationem futuram. Unde parum in eo loco vindicando idem sudavit: Maldonatus planè locum neglexit: Jansenius *Concord. Evang. cap.* 40. ex eo rectè urgeri Purgatorium, disertè negavit. 2. Cui in carcerem conjecto ultimi quadrantis, totiúsque adeò debiti solutio injungitur, illi simpliciter injungitur, quia *διαλλάσσεσθαι, εὐνοεῖν, reconciliari, benevolentiam præstare* detrectavit,

adeóq;

adeóque *irasci* perrexit. Iram autem Christus homicidio ipsi æquiparavit. Huic, non a-lii peccato pœna isthæc decernitur. Nil de gradu peccati : nil de scintilla levi, ultimo quadranti respondente. Malè enim debitum secas : malè pœnam. cùm non aliud phrasis Christi quàm rigidam, exactam, plenariam solutionem notet. cùm aliàs in magna pecunia quadrans pro nihilo habeatur, facileque adeò condonetur. Aliud enim est ultimus quadrans, minimum debiti, aliud peccatum minutulum, veniale. Etenim quadrans ille dicitur ἀποδίδοσ *reddi*. Quid verò est peccatum, qualecunque illud, reddi? Pœna, non peccatum redditur. Neque tamen juvabit etiam. Si peccata minuta intelligi dixeris, hoc sensu, ut pro peccatis variis, & gravioribus & minutioribus pœna reddenda in eodem carcere dicatur, &. juxta illa Zachariæ Chrysopolitani, *in novissimo quadrante nihil dimitti impunitum intelligatur*. Augustinus *de Cons. Evang. lib. I.* de pœna æterna, qualis non est Purgatoriana, manifestè explicat. *Donec solvas autem*, inquit, *quod dictum est, miror si non eam significat pœnam, quæ vocatur æterna. Unde enim solvitur illud debitum. ubi jam non datur* (NB) *pœnitendi & correctionis locus? Ita enim fortasse hic positum est, Donec solvas : quomodo in illo, ubi dictum est. Sede ad dextram meam, donec ponam omnes inimicos sub pedibus tuis.* Et paucis interpositis : *Quemadmodum ergo intelligitur, de quo dictum est, oportet eum regnare, donec ponat inimicos sub pedibus suis, semper regnaturum, quoniam semper illi erunt sub pedibus : ita hic accipi potest, de quo dictum est, Non exibis inde, donec solvas novissimum quadrantem, semper non exiturum esse, quia semper solvit novissimum quadrantem, dum sempiternas pœnas terrenorum peccatorum luit.* Non vidit Augustinus, quod pueri hodierni in faba. Eandem cum eo viam recentissimi Papistæ non pauci, Jansenius *Concord, cap.* 40. Maldonatus *in* 5. *Matth.* Toletus *in* 12 *Luc.* Stella *in* 12. *Luc.* Salmero *Tom. V. tract.* 57. inivérunt. Etiam Hieronymus *ad h. l.* si allegoricè explicandus locus sit, de gehenna accipit, & ea quidem, in qua *& anima & caro pariter recludenda sunt.* Quæ verò Bellarminus affert Tertulliani, Cypriani. Origenis, Eusebii Emisseni, & Ambrosii testimonia, totidem ejus imposturæ vel hallucinationes certè sunt. Neque enim eorum quisquam locum hunc de Romano Purgatorio interpretatus est. Tertullianus ad moram ejus resurrectionis, quam mille ante judicium novissimum annis factum iri cum cœteris Christianis somniavit : Origenes ad suum de gehennæ fine commentum : Ambrosius & Pseudo-Emissenus ad lustralem ultimi diei ignem detorserunt. Ad Purgatorium nemo omnium.

OBIECT. VI. *Christus Luc. XVI. 9. hortatur nos, ut faciamus nobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defecerimus, recipiant nos in æterna tabernacula. Quem locum S. Patres, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, alii exponunt de Sanctis cum Christo regnantibus, quatenus isti possint precibus juvare illos post mortem, qui in vita illis eleemosynas præstiterunt.* Aug. Reding *pag.* 570. 571. Resp. 1. In Parabolis argumentum non licet petere nisi ex scopo. Porro parabolæ hujus scopus est, ut ex injusto mammone largas eleemosynas decidamus, ut pauperes nos dispensatione nostra perfunctos in tabernacula æterna, hoc est, ut nos tum precibus suis in hac vita, tum suffragio & testimonio suo in die judicii ad æternam salutem nostram promoveant. 2. Purgatorium verò ex his verbis neutiquam accendi potest, tum quia parabola illa dicta est ad μαθητὰς *discipulos* Christi

v.1.proinde etiam ipsi Apostoli,quod adversarii credere vetant,in purgatorium detrusi essent: tum quia pauperes precibus suis in hac vita,& suffragio in extremo judicio in æterna tabernacula nos recipere possunt,si maximè in purgatorium non descendamus:tum quia Sancti,quando deficimus,seu morimur, statim in æterna tabernacula nos recipiunt: tum denique quia per *amicos*,non Sanctos cum Christo regnantes, sed pauperes in terra adhuc viventes,imò in illis Deum,Christum, qui propriè ad se benefactores recipit, intelligi, liquet ex ipsa parabola, quæ jubet amicos parare ex mammone iniquitatis. Nos verò erga Sanctos in Cœlo ex mammone iniquitatis benefici esse non possumus. 3.Neque etiam quisquam Patrum de purgatorio locum hunc explicat. Augustinus *de Civ. D. lib. XXI. cap. 27.* nec purgatorii meminit, nec liberationem, quæ amicorum intercessione conceditur, dicit esse liberationem ex pœna aliqua temporali, sed exemptionem ex æterna damnatione.

EXCIP. REDING: 1. *A scopo parabolæ explicatio de Purgatorio non abludit. Neque malè illud Suarez ex verbis Christi:* Cùm defeceritis, *colligit. Illud enim deficere est mori. Sensus ergo est, cùm defeceritis,* id est, *mortui fueritis, recipient vos, intercedendo pro liberatione vestra ex Purgatorio, in æterna tabernacula. 2. Augustinus de Civ. D. lib. XXI. 27. distinguit peccatum mortale & veniale, & pro hoc ait superesse remedium, ita ut pro eo etiam permanente, nec profectu vitæ melioris absumpto intercessio inquirenda & speranda sit.* Ibid. pag 43. 44. Resp. 1. Scopum Parabolæ rectiùs Didacus Stella *ad h. l.* sic eruit: *In literæ rigore si hæc verba perpendantur, nihil aliud Christus hic nobis innuere voluit, nisi ut bona nostra pauperibus impartiamur,* ut *cùm è vita excesserimus, in æternis tabernaculis recipiamur.* Si *nihil aliud,* quid ergo frustra subtilitatem suam Sophistæ experiuntur? Quid juvat Suarezii ratio? Cur illam nudè & crudè reponis, omissa responsione, quam textus meus jam perhibuit? Quis te ad incitas redactum non videt? Et sanè hic locus adeò & difficilis, Salmerone vestro judice, est, & in varias interpretationes à vestris etiam, quorum ut alibi, ita hic etiam turrim Babel ædificantium labia Dominus confudit, distractus, ut nemo sanus dogma aliunde non probatum ei superstruere possit. Purgatorium verò superstrui penitus nequit, quia ex eo suffragia pro mortuis, qui in Purgatorio sunt, extundi nequeunt. Suffragia enim illa sunt vel viventium, vel mortuorum. Non *viventium,* quia dicuntur amici excepturi in tabernacula æterna. Non potest autem quisquam quenquam *δέξασθαι* ad se *recipere,* ubi ipse non sit. At vivi morientes ad se non recipiunt, sed potiùs à se dimittunt. Non etiam *mortuorum.* Dicuntur enim excepturi morientes, cùm *defecerint,* à vita scilicet, uti ipse Tu ex Suarezio explicas, non à Purgatorio; id est, cùm post aliquot annorum myriadas ab abitu suo satisfecerint pœnis, quarum debitores fuerint. Rem acu tetigerunt Salmero & Jansenius, vestras uterque. Ille sic scribit: *Quanquam solius Dei sit distribuere regnum & cœlestes mansiones: tamen & illud distribuere posse dicuntur pauperes, quia cùm potissimùm eleemosynæ propter Christum conferantur sive Judæis, sive gentilibus, sive fidelibus, illi dicuntur facere, quod Christus maximè facit.* Hic eodem sensu: *Dicuntur illi recepturi suos benefactores, simpliciter quidem, quia propter illos Christus eorum benefactores recepturus est, qui imputat sibi factum, quod illis impenditur.* Sic amici

plu-

pluraliter dicuntur ſynecdochicè pro amico; Deo, Chriſto. Nam qui gratiam Dei conſecutus eſt, is eadem opera Angelos & Sanctos omnes amicos habet. Et quem Chriſtus, cui ſoli jus eſt ingreſſum largiri in ſuam familiam, ad ſe recipit, eum & ſancti recipere dicuntur, cùm in numerum ſuum eum admittunt. 2. Auguſtinum inconſideratè nimis ad partes tuas vocas. Is enim *de Civit. D. lib. XXI.* 27. Purgatorii mentionem nullam facit; & liberationem ab amicis faciendam non à temporali, ſed ab æterna pœna, manifeſtè intelligit. *Verùm iſta*, inquit, *liberatio, quæ fit ſive ſuis quibuſque orationibus, ſive intercedentibus ſanctis, id agit, ut in ignem quiſque non mittatur æternum: non ut cùm fuerit miſſus, poſt quantumcunque tempus inde eruatur.* Hanc ergo *venialem iniquitatem*, uti paulò ante appellaverat, intelligit, cui *ſive propria oratione, ſive amicorum interceſſione* venia paratur, non ne in Purgatorio, ſed ne in inferno expianda ſit. Venialis illi iniquitas eſt, non quæ natura ſua veniam mereatur (talem enim nullam ille agnoſcit) ſed quæ ita à Deo remittitur, ut nulla omnino pœna ſive temporali propriè dicta, ſive æterna afficiatur. Sic & Gregorius Nazianzenus *Orat.* 42. fructum beneficentiæ hoc loco promiſſum ait percipi in die judicii. *Amicos*, inquit, *nobis de Mammona iniquitatis comparemus, ut cùm defecerimus, (ἀντιλάβωμεν ἐν καιρῷ κρίσεως) in judicii tempore recipiamur.*

OBIECT. VII. *Paulus* 1. *Cor. III.* 12. *docet, eos, quorum opera malè inædificata comburuntur, & detrimentum patiuntur, ſalvos futuros, tamen,* ὡς διὰ πυρὸς *tanquam per ignem. Ubi ignem temporalem ſalvandorum, adeóque purgatorium intelligi, etiam Patres ſtatuunt.* Aug. Reding *pag.* 571. Reſp. Purgatorium ex hoc loco, qui eſt adverſariorum Ἀχιλλεὺς λεγόμενος, minimè ſtatuminari poſſe, argumento multa ſunt. Eſt enim 1. locus figuratus & metaphoricus. Ex talibus autem locis argumenta apodictica peti nequeunt, niſi ipſa Scriptura metaphoram alibi clarè explicet. 2. Omnis fidei articulus genuinam ſedem habet, in qua propriis, claris & perſpicuis verbis proponitur. Quippe omnibus notum eſt, principium ſciendi concluſione notius eſſe debere, nec fieri poſſe, ut fides certa, & ἀμετάπτωτος, quæ ab omnibus etiam ſimplicibus requiritur, principio aliquo δυσνοήτῳ nitatur. At hunc locum eſſe difficilimum, & multis obſcuritatibus ſeptum, fatentur Auguſtinus *lib. de fide & Operibus cap.* 15. ubi locum eum inter δυσνόητα Pauli numerat; Bellarminus, qui fatetur, *locum eum unum eſſe ex difficilimis*, de quo etiam diſcrepantes Patrum aliorúmque ſententias affert; Becanus *Manual. lib. I. cap.* 1. *n.* 18. alii. 3. Singula textus membra contra purgatorium clamant. Salvabuntur enim illo igne non quilibet fideles, ſed ἐποικοδομοῦντες *ſuperſtruentes*, v. 10. 12. hoc eſt, in ſpecie doctores eccleſiæ, uti ex v. 5. 6 9. 10. &c. liquet. Θεμέλιος, *fundamentum* v. 11. eſt Chriſtus, cui hi ſuperſtruunt. *Aurum, argentum, pretioſi lapides* notant ſinceram & ſolidam de fidei articulis doctrinam: *lignum, fœnum, ſtipulæ* opiniones humanas, incertas & falſas, præter fundamentum invectas. *Dies cujuſque opus manifeſtans* eſt tempus tribulationis, probationis

sive in hac vita, per lucem seu ignem cœlestis doctrinæ, qua per Spiritum Dei illustrati falsas opiniones convincunt: sive in extremo judicio. Denique πῦρ *ignis* non potest purgatorium notare, tum quia, an ignis sit in purgatorio, definitum illis non est: tum quia, teste Bellarmino, nec Patres, nec Pontificii consentiunt, sitne ignis ille proprius, an metaphoricus: tum quia vers. 13. πῦρ *ignem* spiritualem probationis notare statuit etiam Bellarminus; at vers. 15. metaphoricum ignem significari, ipsa verba, ὡς διὰ πυρὸς *tanquam per ignem*, apertè indicant: tum quia aliâs omnibus hominibus, etiam Sanctissimis purgatorium transeundum esset, cùm Apostolus in genere pronuntiet v. 13. *Unius cujusque opus manifestum erit*: tum quia purgatorii ignis statuitur urere *operantes*, at Apostolicus hic ignis ἔργα *opera*: tum denique, quia reliqua omnia, *architectus, fundamentum, aurum, argentum &c.* metaphorico hîc sensu capiuntur. 4. Patrum varias loci hujus interpretationes discussas vide apud Forbesium *Instruct. Histor. Theolog. lib. XIII. cap. 12. Sect. 22. 23. &c.* De vero & materiali igni, quo animæ ante extremum judicium purgentur, nemo unus Apostoli verba explicavit.

EXCIP. REDING.: 1. *Jam ergo fateris Scripturæ obscuritatem. Simul ergo fatearis oportet, necessarium Ecclesiæ esse interpretem ejus, qui non alius est quàm Ecclesia Dei in Concilio Oecumenico aggregata. Illa autem per Patres Purgatorii dogma ex hoc loco declaravit, uti fusè Bellarminus de Purg. lib. I. 5. explicat, solutis difficultatibus, quæ occurrunt, omnibus. Eo ergo demonstrante, 2. Architecti sunt doctores Ecclesiæ. 3. Fundamentum est Christus, ab Apostolis, primis præconibus, annuntiatus illis populis, qui de eo nihil hactenus audiverunt. 4. Aurum, argentum, lapides pretiosi sunt doctrinæ salutares aliorum prædicatorum, qui eos docent, qui jam ante fidem receperunt. Lignum, fœnum, stipulæ notant doctrinas non quidem hæreticas vel malas, sed curiosas, inutiles, supervacaneas eorum prædicatorum, qui ad Catholicum populum catholicè concionantur, sed non eo fructu, quo priores illi. 5. Dies Domini non notat tempus præsens, quia in Græco est articulus ἡ ἡμέρα, qui definitum aliquem diem, cùm tribulationis dies plures esse possint, significat; neque dies Domini, sed dies nostra præsens tempus notat; neque tempore præsentis vitæ declaratur opus unius cujusque, quale sit, quia tribulationes bonis & malis communes sunt. Veteres plerique diem ultimi judicii intelligunt. Ut sensus sit, salvum fore in die judicii si nempe prius transierit per ignem; velut ii, qui transiverunt per ignem. 6. Ignis ille, qui in die Domini opus cujusque probabit, non est ignis Purgatorii, sed severi & justi judicii Dei, qui non est ignis purgans, vel affligens, sed probans & examinans; & rectissimè vocatur ignis, quia purissimum, celerrimum & maximè penetrativum est. 7. Ignis verò ille, per quem salvandus is dicitur, cujus opus combustum est, neque tribulationes hujus vitæ notare potest, quia iis obnoxii ii etiam sunt, qui aurum & argentum superædificant: neque judicium Dei, quo vera doctrina probatur, falsa confutatur, tum quia judicium tale nec post mortem fieri juxta vos potest; neque etiam in morte, quia morte aliqui, habentes adhuc fœnum, stipulas, præoccupari possunt sine pœnitentiâ; qui sic non salvantur quasi per ignem istius judicii, & refutationis errorum suorum: tum quia ignis ille pœna afficiet verè & propriè; quod arguit vox ζημιωθήσεται mulctabi-*

tur

ulr, pœnas dabit. nec non, quòd verbis illis, Salvabitur quasi per ignem similitudo transeuntis per ignem pœnam ac dolorem significatur: tum quia Apostolus transitum hunc per ignem opponit mercedi, quæ aliquid præter ipsum bonum opus, & *lætitiam, quæ ex illo accipitur, amplius notat: tum quia illud judicium errores confutans non affert detrimentum, sed lucrum, utpote quod illustratio quædam mentis est, & veritatis cognitio: tum deniq; quia sic omnes, qui salvantur, per ignem salvari dici possent. Par enim ratio est peccatorum, quæ docendo committuntur, & reliquorum. Sicut Deus doctrinam: ita & reliquam vitam judicabit. Communis ergo Theologorum sententia à Patribus etiam, Cypriano, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Gregorio comprobata est, Purgatorium intelligi. 8. Neque absurdum est, ignis vocem diversimode in eodem textu accipi, quia textus ipse cogit; cùm idem ignis non possit probare opera, & operarios, eosque non omnes: & Paulus soleat alias etiam, velut 2. Cor. V. 21. Rom. VIII. 3. in eadem sententia variè uti eodem nomine. 9. Denique nec particula* Quasi *obstat, quia similitudinem significat non ignis, quasi ille verus non sit, sed transeuntis per ignem, ut sensus sit, ad salutem perventurum eum, qui ædificavit fœnum, sed eo modo, quo pervenit is, qui transit per ignem.* Ibid. pag. 44--51. Resp. 1. Frustra Tibi & causæ tuæ sic vindemiam te facere putas. Dogmata fidei claris, disertis Scripturæ verbis inniti oportere, & dixi, & probavi. Neque repugnare ausus es, Figuratum, metaphoricum Apostoli sermonem dixi. Nec hoc negare potuisti. Metaphoram clarioribus in locis explicari debere: & nisi sic explicetur, ei dogmata fidei superstrui posse, submonui. Ne hoc quidem in dubium vocas. Quis ergo clarior locus metaphoram explicat? Ostende, si potes. Imò locum hunc, quo tamen nullus alius majorem pro purgatorio speciem habet, *difficilimum*, & multis difficultatibus septum esse, asserentes Augustinum, Bellarminum, Becanum induxi. Neque hic fidem meam desiderare potuisti. Quid ergo? Cavillaris, me sic Scripturæ obscuritatem agnoscere. Quid ineptius, quid frigidius? Quid Augustino, Bellarmino, Becano visum sit, edisserui: non quid mihi. Et si mihi quoque locus ille *difficilimus* videretur: an ideo totam Scripturam ubique, ac in iis etiam, quæ ad salutem scitu necessaria sunt, adeò cuivis obscura est, ut ex Scriptura ipsa explicari nequeat, & à solo Oedipo illo Capitolino, ceu infallibili interprete, extricari debeat? Quin, liceat vos verbis Augustini *de Unit. Eccl. c.* 16. alloqui, *proferte aliquid, quod non egeat interprete, nec unde convincamini, quod de alia re dictum sit*, & *vos illud ad vestrum sensum detorquere conemini*. Concilia Oecumenica frustra hic crepas. In quo enim illorum textus hic authenticè expositus est: in quo tota Scriptura? Diffidis ipse, & Vertumnus insignis ilico à Coniliis Oecumenicis ad Patres deflectis. Ostende ergo communem Patrum omnium explicationem. absque qua est, stultè Patres Conciliis Oecumenicis adæquas. Certè Bellarminus ipse, cujus hic vitula piger arare, quàm mea discutere maluisti; discordes Patrum in explicando textu eo calculos dissimulavit nullus. Denique si Ecclesia sive in Concilio, sive per consensum Patrum locum hunc declaravit, cur olim Augustinus *planè ad intelligendum difficilem* vocavit? Cur de ejus obscuritate hodiéque Bellarminus, Becanus illuminatissimi doctores vestri queruntur? Cur in eo explicando tantus interpretum vestrorum dissensus est, quem vel sola Bellarmini dissertatio a te descripta arguit. Sed solenne vobis est (prodam arcanum) planis facillimísque abstinere; in obscurioribus difficilioribúsque ludere, ipsa sibi difficultate opportunis; ut latronibus vix placent aperta camporum, sed vel densa sylvarum, vel profunda vallium, vel prærupta rupium. 2. Apostolus *ἀρχιτέκτονα architectum* & *ἐποικοδομοῦντα superstruentem* distinguit. Se unum *architectum* vocat, quia ipse solus fundamentum

mentum Ecclesiæ Corinthiacæ posuit. *Superstruentes* vocat doctores alios. Sed ἀναλόγως etiam fideles quosvis intelligi posse, non abnuerim. Quanquam si soli propriè intelligantur doctores, quod etiam Bellarminus pertendit, ratio reddenda fuit, cur inde Purgatorium universale pro purgandis fidelibus etiam non doctoribus colligant. 3. Fundamentum haud dubiè Christus est, prout ille, ceu unicus Salvator credentium, & ab Apostolis, & ex verbo Apostolico ac Divino ab omnibus Ecclesiæ Doctoribus prædicatus semper est, & prædicabitur semper. 4. Aurum proin, argentum, lapides pretiosi, si intra literæ cancellos commorari libet, doctrinas salutares, pretiosas ab Apostolis pariter ac doctoribus aliis fundamento illi superstructas: fœnum, stipulæ, ligna doctrinas inutiles, erroneas, cum fundamento non pugnantes licet, significabit. Neq; repugnabimus, si ad doctrinam & vitam omnium fidelium referre placuerit. Sed *ligna, fœnum, stipulas* peccata venialia, qualia sola in Purgatorio purgari illi pertendunt, denotare, (quam explicationem ex Gregorio petitam ceu *bonam* Bellarminus laudat) id verò falsum haud dubiè est, tum quia peccatum sua natura veniale nullum est: tum quia id Apostolicæ orationis seriei contrariatur. S. Paulus enim servata ignis metaphora, extrema extremis comparat. Si ignis habeatur ratio, opponentur jam aurum, argentum, lapides pretiosi ligno, fœno, stipulis, non tanquam quid magis & minus, sed tanquam extrema opposita. In applicanda ergo similitudine, si ignis judicii Divini severitatem notat, actiones etiam humanæ similitudine oppositæ considerari debent. Illa autem oppositionis ratio non potest esse operum bonorum & peccatorum venialium, quia hæc non extrema, sed inter extrema sunt. Extrema autem sunt opera, seu actiones perfectè bonæ, & peccata mortalia. Si igitur, fœni, stipularum nomine peccata venialia intellexeris, ingens erit analogiæ defectus, & peccata mortalia inter opera bona & peccata venialia media erunt. Proin peccata non venialia, sed mortalia intelligi, Franciscus Turrianus *Pro Epist. lib. IV.* 13. & asserit, & citatis etiam Cyrilli & Basilii testimoniis, comprobat. 5. Non *diem Domini*, sed simpliciter τὴν ἡμέραν *diem* opus superædificatum revelaturum, Apostolus dixit. Sive diem præsentis vitæ, sive extremi judicii intelligas, parum refert. Uterque enim intelligi potest, tum *præsentis vitæ*, quia afflictiones hujus vitæ, & cordis sæpe angustiæ, & Zeli & omnes amaritudines animæ, quæ in hac vita ex nugis nostris sequi solent, & convictio errorum per demonstrationem spiritus præludia, vel etiam aversio illius ζημίας *damni*, quod experiri debent superstructores fœni & stipularum, sunt, (quomodo S. Petrus 1. Ep. I. 6. dixit, ὀλίγον ἄρτι λυπηθέντες *ad tempus breve nunc*, in hac vita, *tristitia affecti*; & cap. IV. 18. ὁ δίκαιος μόλις σώζεται *Justus difficulter salvatur*) tum *judicii extremi*, qui ut habet *ignem* omnia liquefacientem, ita etiam erit ut *ignis* מצרף χωνευτοῦ *fusoris* Malach. III. 2. adeóque opera illa manifestabit, non vindicando, sed condonando, quamvis non sine pudore. *Quod sine illiciente amore homo habuit, sine urente dolore non perdet*, inquit Augustinus *de Civ. D. lib. XXI. 26.* Neq; solida sunt argumenta Bellarmini contra tempus præsentis vitæ, tum quia ἡμέρα cum addito etiam articulo sæpe ἀορίστως accipitur, veluti Rom. VIII. 36. XIV. 6. Eph. V. 16. neque unquam certum & præstitutum diem significat, nisi præter articulum accedat peculiaris aliqua circumstantia, quæ circumscribendi vim habeat: tum quia Paulus non *diem Domini*, sed simpliciter ἡμέραν (ita Græci codices constantissimè) *diem* dixit; & *diem* illum, tum extremum judicium, tum particulare illud, quod fit de unoquoque in morte ipsius, tum præsentis vitæ, ipse Thomas Aquinas *in h. l.* interpretatus est (confer etiam Esaj. II. 12. Apoc. I. 10.) tum quia, si in præsente vita non declararetur unquam, cujusmodi opera cujusque sint, nullum sic foret bonos inter & malos discrimen: neque unquam doctrinæ (de qua

qua hic potissimùm agitur) vera ab erronea & hæretica discerni posset, atque sic perpetuò falsi doctores fallere & seducere possent. Licet autem tribulationes hujus vitæ bonis & malis communes esse possint, non eadem tamen effecta tribulationum sunt, uti ex 1. Pet. I.6.7. colligitur. Unum addo, Bellarmini de ultimo judicio expositionem à Redingio adoptatam Purgatorium planè evertere. Talis enim foret verborum Apostoli intellectus; Si alicujus opus approbatum fuerit extremo Dei judicio, quæ consentanea sunt, proemio donabuntur; si cujus opus & laborem rejecerit Divinum illud judicium, mulctabitur ille: homo ipse tamen servabitur per verum ignem purgatorium. Hic profectò sensus ridiculus & vanissimus est. Qui enim jam salvus factus est vi ignis Purgatorii, adeóque sic peccata sua plenè purgavit, illius, juxta adversarios etiam, opera in extremo judicio non poterunt ampliùs jure à Deo improbari, nec talis jure à Deo mulctari poterit. Quòd si mulctatur, non jam tum salvus factus fuerit per ignem Purgatorii. 6. Esto ignis ille, per quem dies manifestabit unius cujusque opus, judicii Dei extremi; adeóque non materialis, sed tropicus, eo, quo diximus, sensu. 7. Illam verò in verbis Apostolicis æquivocationem ferre non possum, ut v. 13. ubi dicitur, *uniuscujusque opus manifestum fiet. dies enim manifestabit, quia per ignem manifestabitur; & uniuscujusque opus quale sit, ignis manifestabit*, vox *ignis* bis metaphoricè de igne judicii extremi: at mox v. 15. in eadem verborum serie, ubi dicitur, *salvabitur, sed tanquam per Ignem*, eadem vox *ignis* materialem Purgatorii ignem significet. Novissima hæc explicatio est, quæ veterum nemini in mentem venit; non ex textu deprompta, vel demonstrata ullo argumento, sed ab architectis Purgatorii in eum violenter illata. Prodigiosè stupidus sit, qui non videt, de eodem perpetuò igne Paulum loqui. In his enim verbis, *Nam per ignem manifestabitur, & cujusque opus, quale sit, ignis probabit*, idem ignis bis nominatur. Sequitur v. 14. *Si cujus opus manebit, quod superædificaverit, mercedem accipiet.* Hoc membrum eò referendum utique est, ut explicetur, quomodo dies ille, ignis ille probaturus sit aurum, argentum, lapides pretiosos. Proin verba illa, *Si cujus opus manebit*, necessariò intelligenda sunt *in igne*: nimirum sicut aurum, argentum, lapides in igne manent. Alterum ergo membrum v. 15. *Si cujus opus exustum fuerit, jacturam patietur*, ab antecedentibus illis distrahemus, an eodem potiùs referemus? Dictum enim est: *Cujuscunque opus manifestum fiet, dies enim declarabit: nam per ignem retegitur.* Atque si hoc de opere ardente non eodem pertineret, non ergo utriusque, vel *cujuscunque*, sed alterius duntaxat, prioris, opus manifestum fieret, id est, per ignem retegeretur. Atqui ejusdem sententiæ particula hæc est: *ipse autem, sic tamen quasi per ignem*. Tam desultorium putamus fuisse Paulum, ut hic distracta sententia non eundem ignem ἀποκαλυπτικὸν intelligat, qui manifestat cujuscunque opus, tum illius, quod in igne manet, tum illius etiam, quod exuritur, & cujus jactura fit? Inter leges interpretandi haud postrema est, ut verba ejusdem textus non æquivocè, sed eodem sensu accipiantur, nisi manifesta absurditas, qualem commisisse illum, qui sive dixit, sive scripsit aliquid, nequaquam verisimile est, aliter accipienda esse arguat. Hic verò quæ absurditas est, si eodem sensu vox *ignis* accipiatur? Imò eodem sensu accipienda esse, Bellarminus ipse, mendax sui immemor, ostendit in paradigmate illo, quod disputationi suæ ex hoc textu præstruxit. quod ejus verbis repræsentare libet: *Utitur*, inquit, *Apostolus similitudine duorum architectorum, quorum unus super fundamentum lapideum & solidum erigit domum ex pretiosa materia, & quæ ignem non timet, qualia sunt aurum, argentum, lapides pretiosi* &c. *Ex auro enim & argento*

gento fiunt laminæ & columnæ, ut de Templo Solomonis legimus: ex lapide Pario & Porphyretico etiam integri parietes erigi possunt. Alter verò super simile fundamentum, id est, lapideum & solidum erigit domum mere pauperum & rusticorum ex asseribus & stipitibus, eámque tegit fœno & stipulis. Hac posita similitudine, fingamus utrique domui adhiberi ignem, videbimus, priorem nihil penitus lædi; & si architectus fortasse intus sit, similiter nihil pati. At posteriorem domum videbimus continuò ignem concipere, & brevi tempore totam consumi; & , si architectus intus sit, & velit salvus egredi, videbimus eum exire non posse, nisi per ignem. In quo transitu non quidem morietur, sed tamen barba & capilli non egredientur incolumes, nisi forte fiat miraculum trium puerorum, qui in fornace Babylonica non comburebantur. Hæc est similitudo, qua B. Paulus utitur, cùm ait: Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Non vacat ad vivum similitudinem resecare. In hoc tamen sua vineta apertè cœdit, quòd non duplici, sed uni eidémque igni utramque domum, adeóque etiam aurum, argentum, lapides pretiosos; nec non ligna, fœnum, stipulas subjicit. Eodem utique igne amburitur architectus: & salvus fit tanquam per eundem ignem. Neque quicquam in contrarium roboris habent *ἐνστάσεις* Bellarmini allatæ, ut probet, *ignem* illum, per quem salvandi quidem dicuntur, non posse intelligi ignem metaphoricum, puta vel judicii Spiritus Dei verbo suo doctrinas hominum erroneas improbantis, vel tribulationum; tum quia nihil obstat, quò minùs judicium tale & *in hac vita*, & *in morte* ipsa, veluti cùm quis in hora mortis convertitur, illustratur; & *post mortem* in extremo judicio eo, quo supra diximus, sensu peragi possit, & tribulationes inprimis in hac vita errorum scorias expurgent: tum quia subitò morientes, non dato sic resipiscendi spatio, ut singula peccata recordationem subeuntia, adeóque cognita præsenti actu revocari possint, non omnino nullam spem salutis habent, juxta illa Davidis Psal. XIX. 13. *Errores quis animadvertat? Ab occultis meis repurga me:* tum quia ignem illum pœna afficere verè & propriè, neutiquam vox Græca *ζημιωθήσεται detrimentum patietur*, arguit, cùm ignis ille non in operantem, sed in opus agat; & vox *ζημία* propriè pœnam, sive in persona, sive in re & opere; sed latiùs patens quodvis detrimentum significet, quando quis privatur iis, quæ habet, sive possidet, uti ex Act. XXVII. 10. 21. Phil. III. 7. 8. ubi *κέρδη lucro* opponitur; liquet. detrimentum autem facere rerum malarem & inutilium pœnam propriè dictam nemo sanus dixerit: tum quia ille *quasi ignis* non est pœnalis in personam, sed exploratorius in opus doctrinæ, uti paulò ante S. Paulus dixerat; ubi homo non punitur, sed dolet, non quòd ab igne torreatur, sed quòd suum opus igne illo exustum videat, & se operam suam in Ecclesia perdidisse, nullo sui ipsius aut Ecclesiæ commodo, sentit: tum quia nec S. Paulus transitum per ignem mercedi opponit; utriusque operibus per ignem transeuntibus, ædificatoribus quidem auri mercedem promittit, reliquis negat; nec si merces aliquid aliud est præter opus aureum, etiam detrimentum aliquid aliud erit præter jacturam operis lignei, sed *τὸ ἔλαττον* jactura tantùm ejus, quod erat, cum confusione ejus, qui sic ædificavit: tum quia judicium illud errores confutans & lucrum, & damnum est, lucrum quoad salutem ædificantis, damnum quoad jacturam operis, & respectu structorum aliorum, cùm melior ejus conditio sit, cui omnia sua manent integra, quàm cui aliquid amittendum est; licet jacturam faciens sibi comparatus melior evadat: tum denique, quia non omnes doctores, de quibus hîc propriè agitur, superædificant lignum, fœnum, stipulas, sed aliqui aurum, argentum; & si Apostoli sententia de lignis, fœno, stipulis ad vitam & peccata fidelium omnium applicemus, absurdum dictu non est, omnes fideles sic quasi per ignem salvari, quandoquidem

nemo vivit absq; peccato. Communem porro Theologorum, locum hunc ad Purgatorium trahentium sententiam Patrum testimoniis innixam, Bellarminus jactat potiùs, quàm probat. De Theologis Pontificiis non laboramus. Iverunt illi ad communem errorem. Patrum verò ante seculum VII. ne unus quidem de Purgatorio, quale Pontificii interpretantur, accepit. Chrysostomus *ad h. l.* de damnatis, post ultimum judicium in gehenna arsuris, intellexit. quos *Salvandos per ignem*, id est, permansuros, non annihilandos, explicavit. Cum eodem Theophylactus, apud Photium Jobius, Græci in Concilio Florentino, uti fusè Marcus Ephesius *lib. de Purg.* probat, Nilus Thessalonicensis, fecerunt. Theodoretus, *ad h. l.* ignem intelligit vel judicii Divini, vel eum, quo omnes illo die lustratum iri, plerique Patres censuere. E Latinis qui commentarios in Paulum Hieronymi nomine vulgatos scripsit, per *ignem* concedit, ut intelligamus *examinationem judicii, igni juxta scripturarum consuetudinem comparatam.* Alii plerique Augustino *Enchirid. ad Laur. c. 68.* alibique passim, duce aliter locum acceperunt. Nimirum voluntillum admotum diversi generis operibus *ignem* tribulationum esse, sive res hujus vitæ adversas, quibus ut igne metalla, sic hominum ingenia probantur; illum verò alterum *ignem*, per quem servatur, qui solido fundamento inania superstruxit, esse vel arcanum animi dolorem, quo amissis, quæ præter modum dilexerant, necessariò uruntur, vel ignem conflagrationis mundi, utpote per quem & qui aurum, argentum: & qui fœnum, stipulas superstruunt, adeóque utrosque transituros *loc. cit.* Augustinus dixit. Gregorius, tametsi Purgatorii architectus, eandem *Dial. lib IV. 39.* probat. Quæ Bellarminus vel ex ipso Augustino, vel ex Cypriano, Ambrosio, Hieronymo, Origene, Basilio, Theodoreto citat, ea vel falsa sunt & fictitia, ut quæ Theodoreto tribuit; vel planè aliò quàm ad Romanum Purgatorium pertinent, ut quæ ex aliis laudat, luculenter & invictis rationibus à nostris demonstratum est. 7. Frigidè Bellarminus æquivocationem, quam ille S. Paulo in voce *ignis* tribuit, eam ratione defendit, *quòd textus sic cogat, quia idem ignis non probare possit opera & operarios.* Neq; enim Paulus seorsim operarios examinandos dicit, seorsim opera: sed tum, cùm opera probabuntur, eo ipso operarios salvos futuros, quasi per ignem; id est, detrimento accepto. nimirum quia igne illo exusta fuerint opera, indéque futurum sit, ut detrimento operum illorum accepto operarii evadant. Nulla ergo necessitas illam homonymiæ carnificinam exigit. Dixit S. Paulus 2. Cor. V. 21. Christum *non noscentum peccatum pro nobis factum esse peccatum.* Non erat autem necesse, ut Christus eodem sensu fieret peccatum, quo non novit peccatum. At si non eundem ignem dicas, & qui manifestet, & qui probet, & per quem salventur, ineptam, uti supra ostendimus, orationem facies, & nil nisi scopas dissolutas Apostolo tribues. 8. Denique obstat omnino Purgatorio Romanensi particula *ὡς sicut, tanquam, quasi*; Salvabitur οὕτως ὡς διὰ πυρός, ita *tanquam, quasi per ignem.* Quomodo supra v. 10. dixerat: *Fundamentum posui ὡς σοφὸς ἀρχιτέκτων tanquam sapiens architectus.* Utrobique similiter metaphora seu similitudo particula eadem indigetatur; ac proin sicut in priori loco non verus, propriè dictus architectus intelligitur; ita nec in posteriori materialis, propriè dictus ignis, sed idem ille metaphoricus, qui v. 13. opus structoris ἀποκαλύπτειν, δοκιμάζειν *manifestare, probare* dicebatur. Neque is sensus esse potest, quem Bellarminus fingit, *ad salutem perventurum eum, qui fœnum, stipulas ædificavit, eo modo, quo pervenit is, qui transit per ignem*, materialem scilicet. Non enim dicit Apostolus, ἀλλ' ὡς ὁ διὰ πυρὸς διαβὰς, *sed tanquam per ignem transiens*; verùm simplicissimè, οὕτω δὲ ὡς διὰ πυρός, *sic autem tanquam per ignem.* Quæ verba ad membrum remotius pertinent, ζημιωθήσεται damnum vel *detrimentum patitur* operis sui, perinde

rinde ac si diceret; eodem igne, quo opus factum est manifestum, revelatum & probatum (uti supra dicebat Apostolus) etiam consumetur tanquam storea aut matta imperiti & inepti artificis, qui operis jacturam facit Illa verò verba, *αὐτὸς δὲ σωθήσεται ipse autem salvabitur*, per anticipationem interjecta sunt *παρενθέτως*, ne damnato & reprobato opere damnatus etiam reprobatúsque operarius esse videretur, aut ipse forte animum abjiceret; ac si objiceretur: Quid ergo fiet misero? Nonne pereunte opere etiam operarius peribit? De operario, inquit Paulus, hoc non dixerim. Imò, non obstante illa consumptione operis per ignem probantis Spiritus, ille salvabitur. Quam trajectionem eruditè notavit Theodoretus apud Oecumenium: *Οὕτως δὲ*, inquit, *ἀναγνόντες ἀκριβῶς εὑρήσομεν τὴν τῶν γραμμάτων διάνοιαν· Εἴ τινος τὸ ἔργον κατακαήσεται, ζημιωθήσεται, οὕτως δὲ ὡς διὰ πυρὸς, ἀντὶ τοῦ κατακαήσεται αὐτοῦ τὸ ἔργον ὑπὸ τοῦ πυρὸς, αὐτὸς δὲ σωθήσεται·* *Sic autem legentes accuratam verborum sententiam inveniemus: Si cujus opus comburetur, damnum faciet, sic autem tanquam per ignem, hoc est, comburetur ipsius opus per ignem; ipse verò salvabitur.* Quanquam etiam absque parenthesi tali obvius sensus erit: *Detrimentum patietur* opus, *ipse verò salvabitur; veruntamen* utrunque hoc *quasi per ignem*; id est, eodem illo judicio & cognitione Spiritus Dei in Ecclesia, quod similitudine quadam *ignis* appellatur.

OBJECT. VIII. *Purgatorium ex Scripturæ textibus hactenus citatis etiam Patres agnoscunt, nominatim Tertullianus de Anima cap. 35 ubi modicum quodque delictum mora resurrectionis expendi docet: Cyprianus lib. 4. Ep. 2. ubi peccata quadam emendari & purgari igne ait; Origenes homil. 14. Basilius ad Cap. 4. & 9. Isajæ, ubi peccati meminit, digni planè quod devoret purgatorius ignis; Gregorius Nyssenus lib. de Anima & Resurrect. Hilarius in Psal. 118. Hieronymus lib. 1. contra Pelagium, clarè inprimis Augustinus lib. 1. de Genesi contra Manich. cap. 20. de Civ. Dei lib. XXI. 13. 16. 24. Enchirid. ad Laur. cap. 110. Quæ omnia Patrum testimonia ita proferunt verum & Orthodoxum Scripturæ sensum, ut simul attestentur de viva circa dogma hoc fidelium fide.* Aug. Reding. *pag.* 572, 573. Resp. 1. Patrum quorundam opiniones præter & contra Divini testimonii tabulas, articulum fidei condere non possunt. 2. Dubiis & incertis quorundam dictis opponimus argumenta plurima ex totius ecclesiæ veteris sensu superiùs delibata. 3. Viva circa dogma aliquod fides principium suum in Christo, & Apostolis figere debet. Id verò quorundam opinio non facit. 4. Ex purioris ævi Patribus, Ignatio, Justino, Irenæo, Clemente Alexandrino, aliis ne umbram quidem testimonii afferunt. Primus Tertullianus allegatur, qui *loc. cit.* disertè fatetur, eam traditionem, *quòd modica delicta resurrectionis mora expendantur*, (quibus tamen verbis ne quidem Pontificium purgatorium describitur) se à Paracleto suo, Montano hæresiarcha, hausisse. Hosce sermones aliquo modo palliatos & fucatos paulatim alii receperunt, neque tamen eo sensu, ut Pontificio purgatorio patrocinentur. 5. Cyprianus *l. cit.* agit de lapsis, quos ait *ad veniam stare, ac velut in carcerem quendam missos pro peccatis*

longo

longo dolore cruciatuum emendari, ac diuturno quasi igne purgari, antequam pacem ecclesiæ consequantur. Canonicam satisfactionem in hac vita manifestè *purgatorii ignis* nomine insignit. 6. Reliqui ignem transitorium & ultimæ conflagrationis, per quem Sanctis quibusque grassandum putârunt, intelligunt. Exemplo sit S. Augustinus, in cujus consensu ambitiosè nimis triumphant. Ejus verba sunt *de Civ. D. lib. XXI. 13.* ab Adversario etiam citata: *Temporarias pœnas alii in hac vita tantùm, alii post mortem, alii & nunc & tunc, veruntamen ante judicium illud severissimum novissimúmque patiuntur. Non autem omnes veniunt in sempiternas pœnas, quæ post illud judicium his sunt futuræ, qui post mortem temporales sustinent. Nam quibusdam quod in isto non remittitur, remittitur in futuro Seculo, id est, ne futuri Seculi æterno supplicio puniantur.* Nihil hæc ad purgatorium Romanense, in quo eam tantùm culpam remitti vel pœnam pendi ajunt, cujus reatus æternum supplicium non erat allaturus. *Temporales* pœnas vocat, quas post mortem & ante diem judicii, & usque in diem judicii patiuntur animæ, habentes reatum peccati mortalis & supplicii æterni. His solis post mortem pœnas temporales attribuit, easdémqne futuras dicit post judicium pœnas sempiternas. Quamvis nonnullis remitti existimet in futuro Seculo, id est, in die novissimi judicii, reatum aliquem peccati mortalis & supplicii æterni nondum ante illud tempus remissi. Clariùs id liquet ejusdem Capitis verbis, cùm dicit, *purgatorias pœnas nullas futuras, nisi ante illud ultimum, tremendúmque judicium.* Sed ex reliquis locis quæ allegari solent, veluti *de Genes. contra Manich. lib II. 20.* & *in Psal. 37.* cuilibet attento lectori apparebit, ejusmodi purgatorium & fluvium igneum ab ipso intelligi, per quem omnes in die judicii ultimi transituros esse veteres multi existimârunt. Ne dicam, alibi, nominatim in Enchiridio, quod senex scripsit, *cap. 69.* dubitare de igne aliquo purgatorio post hanc vitam: & *de Civ. D. XXI. 2.* *ἀπορούμενον dicere: Non redarguo, quia forsitan verum est:* alibi verò talia effari, quæ cum Pontificio purgatorio directè pugnant. Loca multa collegit Forbesius *Instruct. lib. XI.I.6.*

EXCIP. REDING: 1. *Superbia est, qua in Patres, quia sententiæ tuæ adversantes habes, insurgis.* 2. *Tertullianus sententiam suam non à Montano, sed ex Matth. V. 26. didicit. Et meminit ille expiationis modici delicti in carcere infernali, è quo sit dimissio.* 3. *Cyprianus peccatorum ad gratiam reconciliationis redeuntium differentiam pandens, ponit etiam statum longi doloris & cruciatus per quem peccata purgentur igne in carcere, è quo nisi soluto ultimo quadrante exitus non fit.* 4. *Augustinus de Civ. D. lib. XXI. 16. pueros baptizatos à pœnis Purgatorii liberat: adeóque aliquos iisdem deputat. Et apertè pœnas quasdam in futuro seculo remittendas docet. Falsò verò ei imputas, quòd statuerit, temporales pœnas, quarum in futuro seculo fit remissio, eas afficere animas, quæ post mortem usque ad judicii diem peccati mortalis & supplicii æterni reatum habeant; & nonnullis in novissimo*

die remitti reatum peccati mortalis ante illud tempus nondum remissi. Sic enim aliquam ex inferno redemptionem statuerit. Et pœnam quandam in futuro seculo remissionis capacem ibidem agnoscit. Idem lib. II de Gen. cap. 20. diserte affirmat, eum, qui agrum animæ suæ non coluerit, habiturum post hanc vitam vel ignem purgationis, vel pœnam æternam. Non ergo communem sortem transiturorum per fluvium igneum in die judicii significat. Et Psal. 37. duplicem ponit purgationem, alteram in hac vita, alteram per ignem emundatorium in altera, pro iis, qui fœnum & stipulam inædificantes salvabuntur tamen. quod ipsissimum Purgatorium nostrum est, non ignis conflagrationis mundi, cùm ignis ille emundatorius ab eo per vitæ hujus purgationem statuatur redimibilis, nec omnes affecturus. Denique Enchirid. cap. 68. ejusmodi fidelium quorundam post hanc vitam statum agnoscit, qui à regno Dei non excluduntur, attamen salutis moram subeunt, & igne purgatorio urentur, quantò magis minúsve bona pereuntia dilexerunt. Tantum dubitavit, an fortasse rerum cum amore possessarum, postmodum amissarum dolor, una cum mora temporaria, à regno Dei excludente, subire possit vicem ignis purgatorii. Ibid. pag. 51-54. Resp. 1. In Patres insurrexi nullus; vacuus proin superbiæ, Papalis inprimis, qua illi omnem Patrum chorum uni Papæ dicto subjiciunt, crimine. Patres quosdam ab omnibus, ipsáque Ecclesia, eorum dicta incerta à certioribus distinxi, & vivæ circa dogma aliquod fidei principium genuinum ostendi. Non puto quenquam insanum ita delirare, ut improbare hoc possit. inprimis cùm ipsimet in hoc argumento magna eos libertate vel repudietis, vel approbetis, uti Bellarminiana Disputatio à Te allegata ostendit. 2. Tertullianum planè omittere poteras. Ille enim *loc. cit. c. 58.* Paracletum suum disertè ciet. *In summa,* inquit, *cùm carcerem illum, quem Evangeliũ demonstrat, inferos intelligamus, & novissimum quadrantem, modicum quodq; delictum resurrectionis mora illic luendum interpretemur; nemo dubitabit, animam aliquid pensare penes inferos salva resurrectionis plenitudine, per carnem quoque. Hoc etiam Paracletus frequentissimè commendavit, si quis sermones ejus ex agnitione promissorum charismatum admiserit.* En, interprete Paracleto suo Montano, verba Christi de novissimo quadrante solvendo haud equidem de Purgatorio igne, sed *de resurrectionis mora ob modicum quodque delictum luenda* explicat. An Purgatorium resurrectionis moram affert? An resurrectionis mora Purgatorium est? An si ita Paracletus statuit, iccirco is verus verborum Christi sensus est? Adeóne depuduistis, ut Paracletum Montani Scripturæ interpretem adsciscatis? Cypriani verba *Epist. lib. IV. 2.* seu *Epist. 52. ad Anton.* sic habent: *Aliud est ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire; aliud missum ad carcerem non exire inde, donec solvat novissimum quadrantem: aliud statim fidei & virtutis accipere mercedem; aliud pro peccatis longo cruciatuum dolore emundari, & purgari diu igne: aliud peccata omnia passione purgasse; aliud denique pendere in die judicii ad sententiam Domini; aliud statim à Domino coronari.* Ne apex quidem est, qui Purgatorio faveat. *Carceris* tantum & *ignis* nomina, quæ solenni deliratione ad somnium vestrum refertis, vobis imposuere. Seposito hoc causæ studio Cypriani sententia facilis est. Purgat ille & defendit apud Antonianum recens Ecclesiæ suæ decretum, quo constitutum erat, ut libellatici ad pœnitentiam admitterentur, sacrificatis in exitu subveniretur. Hanc enim Ecclesiæ lenitatem quidam asperioris ingenii criminabantur, ceu impedituram, quò minùs renuerent sacrificare multi, & martyria eligere. Ille negat *hinc aut virtutem, aut martyria deficere.* Idque probat tum simili exemplo; tum ratione à martyrum & pœnitentium disparitate ducta, quòd etsi sacrificio pollutis pœnitentia, & tandem pax in Ecclesia daretur, longè tamen potior, tutior & gloriosior sit conditio Martyrum, quàm hujusmodi pœnitentium. Utrosque ergo comparat, instituta per-

petua

posita antithesi ejusmodi, ut prior pars lapsorum pœnitentium; posterior martyrum statum ac conditionem significet. Quid quæso ad hoc ejus consilium facit eorum, qui in Purgatorio cruciari finguntur, miserias enarrare? Quin verba ipsa, quibus utitur, neutiquam sinunt, ut quæ de lapsis pœnitentibus dicit, ad eum statum referantur, in quo Purgatorii cives degere fabulantur. Ait enim, eos, de quibus loquitur, *pendere in die judicii* ad sententiam Domini. Atqui illos, quos Purgatorio concludunt, de sententia Domini in ipso Purgatorio certissimos esse, & ex ea liberatos Cœlo frui asserunt. Quin & de iis agitur, qui admittebantur ad pacem Ecclesiæ post lapsum; nec recipiebantur tamen, nisi jam satisfecissent. Sed antitheses ipsas videamus. Martyr *ad gloriam pervenit*: Pœnitens *ad veniam stat.* (Hoc verò quàm absurdè de iis, qui in Purgatorio essent, diceretur? Ibi enim nulli veniæ locus.) Martyr *statim virtutis, ac fidei mercedem accipit*: Pœnitens *missus in carcerem inde non exit, donec solverit novissimum quadrantem.* (ita statum pœnitentium in Ecclesia cum *carcere* comparat, ob varios antiquæ disciplinæ anfractus, & quia per varios pœnitentiæ gradus, veluti per totidem diversa custodiæ illius septa sigillatim traducti, non ante exibant, & in communionem Ecclesiæ admittebantur, quàm dignam scelere pœnitentiam accuratissimè peregissent.) Martyr *omnia peccata passione purgavit*; (hoc est, pro fide fortiter moriendo delictorum veniam simul ac semel à Domino accepit:) Pœnitens *pro peccatis longo dolore cruciatus emundatur, & purgatur diu igne* (planctus, fletus, jejunia, cœteráque aspera, quæ pœnitentes patiebantur, ut admissa crimina purgarent, sic indigetat; & intensissimum dolorem illum, qui verè pœnitentium pectus urit, *ignis* voce, insignit; uti etiam metaphora hac Hieronymus *Epitaph. Fab. ad Ocean.* Siricius Ep. *ad Himmer. art. 6.* ajens, *Monachos pœnitentes retrusos suis ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio pœnitudinis igne decoqui, ut eis vel ad mortem saltem solius misericordiæ intuitu per communionis gratiam possit indulgentia subvenire*; aliique utuntur) Martyr *statim à Domino coronatur*: *Pœnitens pendet in die judicii ad sententiam Domini.* quæ postrema Purgatorio neutiquam convenire, ostendimus. Hoc sibi velle videtur, pœnitentem præmium expectare ad sententiam usque Domini, quæ in die judicii feretur; adeóque non ante in Cœlum admitti. qui plerorumque Patrum error fuit. De Pœnitentium ergo statu in hac vita Cypriano omnis sermo est. quod etiam Rigaltius *ad h l.* annotavit, & Albaspinæus *Observat. lib. II. Obs.* 12. observavit. 4. Augustinum primum non diffiteor singulare heic aliquid, & à reliquorum omnium sensu alienum habuisse; è quo ducta videri possint prima Purgatorii rudimenta, quæ paulatim variis multorum artibus aucta, atque amplificata, in hanc denique molem, quæ hodie in Ecclesia Romana visitur, excreverunt. Illud inprimis constat, eum perinde ac plerosque veteres hoc errore imbutum fuisse, quòd homines ultimi judicii die flamma nescio qua lustrandi sint. Seorsim autem existimavit, incredibile non esse, aliquo doloris velut igne affici animas fidelium mortuorum ob amissas res impensiùs dilectas. Neque tamen vel ignem proprium elementarem, quo fidelium animæ torqueantur, agnovit: vel certi aliquid definivit. Expendam, quæ à me dicta objecisti. *Augustinus*, inquis, *de Civ. Dei lib. XXI. 16. pueros baptizatos à pœnis Purgatorii liberat. Ergo aliquos iisdem deputat.* Verba Augustini sunt: *Non solùm* (infans non baptizatus) *pœnis non præparatur æternis, sed ne illa quidem post mortem purgatoria tormenta patietur.* Sic planè pueros & infantes suscepto baptismo mortuos *purgatoriis tormentis* eximit, fateor. Sed iisdem *alios*, fideles puta, eum subjicere, nego.

go. *Tormenta purgatoria* ea intellexit, quæ non Catholici, sed Origenistæ & Platonici ponebant. Contra hos enim, non alios disputat: & ex eorum hypothesi loquitur. Sed esto, ex sua mente locutus sit. Intelligenda sic fuerint *tormenta purgatoria* de illa fidelium purgatione, quam ipse una cum aliis Patribus in novissimo judicio per ignem factum iri putavit. à qua ætatulam illam eximere poterat, quòd originali labe per baptismum purgata, neque ullis peccatorum actualium maculis inquinata esset. Neque absurdum foret *purgatoria tormenta* referri ad illum doloris ignem, cui cùm adultos forsitan obnoxios fore negare non audeat, ætatulam illam à metu ejus liberam esse, certò tamen definit, quia non sit eorum amorum capax, ex quibus arcanum illum doloris ignem exoriri sciebat, quémque etiam ultra mortem in adultorum animis perseverare, non omnino incredibile putavit. Locum alterum Augustini *de Civ. D. lib. XXI.* 13. textus noster repræsentat, simúlque diluit eo argumento, quòd *temporales* pœnas vocet illas, quas post mortem & ante diem judicii, & usque in diem judicii patiuntur animæ habentes reatum peccati mortalis & supplicii æterni; quódque quibusdam reatum aliquem peccati mortalis & supplicii æterni in die novissimi judicii remitti putet. quorum nihil Purgatorio favet. *Falsum* hoc esse pronuntias, quia sic Augustinus statueret, *dari redemptionem ex inferno*. Egregia ratio contra verba Augustini disputantis ex eo, quod ex verbis ejusdem sequi posset. Quanquam ne quidem id sequitur. Animas enim, quibus in novissimo die remitti, quod in isto non remittitur, non collocavit in inferno damnatorum: ne quidem in inferno; quomodo vobis Purgatorium inferni nomine venit. Neque simpliciter pœnam in futuro seculo remitti dixit; sed *quibusdam quoad* (peccatum) *in isto seculo non remittitur, remitti in futuro; id est, ne futuri seculi æterno supplicio puniantur.* Hoc verò quis sanus intellexerit de Purgatorio vestro, in quo nec peccatum, nec pœna remittitur, sed illud punitur, hæc redditur; ne dùm futuri seculi *æternum supplicium* remittitur: & quicquid remittitur, ante diem novissimum remittitur. Augustino autem *futurum seculum* esse diem novissimum, ex ejusdem verbis *cap.* 24. liquet. *Facta*, inquit ibi, *resurrectione mortuorum non deerunt, quibus post pœnas, quas patiuntur spiritus mortuorum, impertiatur misericordia, ut in ignem non mittantur æternum.* Hæc omnia hypothesibus vestris è diametro repugnant. Provocas dein ad verba ejusdem Augustini, quæ *lib. II. de Gen. contra Manich. c.* 20. sic habent: *Qui forte agrum coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ in omnibus operibus suis, & post hanc vitam habebit vel ignem purgationis, vel pœnam æternam.* Verùm *ignis* ille *purgationis*, si ex Augustini sententia commemoratus modò est, vel novissimi judicii, vel certè *doloris* ex amissione temporalium *ignem* significat. Cæterùm ex Augustini sententia hæc dici, vehementer ambiguum est. Difficile enim explicatu est, qui cœlestis gloriæ in futuro seculo compos futurus is sit, qui in hoc seculo *maledictionem terræ* (id est, naturæ) *suæ in omnibus operibus habuerit*, neque *agrum coluerit, spinisque eum opprimi permiserit*, cùm, S. Paulo Hebr. VI. 8. teste, ea terra, *quæ tribulos* & spinas profert, reproba & maledictioni proxima sit, ejusque *consummatio sit in combustionem.* Saltem id cum peccatis venialibus, quæ sola in Purgatorio puniri scisicunt, non congruit. Consultius ergo est, ut hæc ab Augustino adhuc laico, minúsq; in Theologicis exercitato dicta, ex aliena potiùs, Origenistarum puta, cum quibus æquè ac cum Catholicis Manichæi depugnabant, quàm sua hypothesi censeantur. Excipit locus, quem ex *Comm. in Ps.* 37. cum Purgatorii patronis objicis. *In hac vita*, sic ibi loquitur, *purga me, & talem me reddas, cui jam emendatorio* (non *Emundatorio*, uti Redingius textum fallavit) *igne opus non sit: propter illos qui salvi erunt,*

sso tamen quasi per ignem. Quare, *nisi quia hic ædificant supra fundamentum ligna, fœnum, stipulam?* &c. Atqui non intelligere his verbis Augustinum Purgatorium Romanum, in quod ingredi post mortem statim eos, qui ædificant super fundamentum fœnum *stipulas, statuunt;* vel inde liquet, quia *Enchir. ad Laur. c.68.* ignem Paulinum cum intelligendum contendit, *per* quem *ambo transeant, & qui ædificat super hoc fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos; & qui ædificat ligna, fœnum, stipulas.* Et *de Civ. D. lib.XXI.26.* de eodem igne dicit: *Illo quippe igne utrique probandi sunt.* Non alium ergo ignem quàm conflagrationis mundi seu extremi judicii, nullatenus verò *Purgatorii ipsissimi*, uti Redingius confidenter nimis, at sine ratione, pronuntiat; intelligit. de quo etiam *de Civ. D. lib.XX.25.* nec non *homil. 16.* inter quinquaginta, loquitur. Denique ad ea, quæ idem S. Pater *Enchirid. ad Laur. cap.68.69.* habet, non majore successu provocas. Disputat ibi Augustinus contra eos, qui Origenis quidem de Dæmonum, Paganorum & hæreticorum salute delirium repudiabant; sed tamen quoscunq; homines fidem Christi professos, etiamsi sine sanctitate & pœnitentia vitam omnem traduxissent, tandem aliquando, post datas in *igne gehennæ* diuturnas scelerum pœnas, servatum iri asserebant. Cúmque sententiam S. Pauli de quibusdam *quasi per ignem salvandis* ad erroris sui patrocinium traherent, Augustinus primò *cap. 67.* eorum dementiam refellens, Paulinum etiam locum iis eripit; tum *cap. 68.* ostendit, Scripturæ familiare esse, *ignis* nomine *tentationem tribulationis* significare; ac demum *cap. 69.* subjungit: *Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri incredibile non est: & utrum ita sit, quæri potest; aut inveniri, aut latere, nonnullos fideles per ignem quendam Purgatorium, quantò magis minúsve bona pereuntia dilexerunt, tantò tardiùs citiúsve salvari.* Hæc totidem verbis libro, quem ad Dulcitium scripsit, *quæst. 1.* repetit. Sed & libro *de fide & oper. cap. 16.* exponit initio locum Paulinum de igne quodam figurato, quo homines viventes torqueantur; tandem subjungens: *Sive ergo in hac vita tantùm homines ista patiantur, sive etiam post hanc vitam talia quædam judicia subsequantur, non abhorret, quantum arbitror, à ratione veritatis iste intellectus hujus sententiæ,* Paulinæ scilicet. Ex his ergo constat, Augustinum tum Paulinum *ignem*, quo fidelium opera probantur, de tribulatione, quo pii in hac vita exercentur, accepisse; tum *ignem*, per quem servantur *lignorum, fœni & stipulæ ædificatores*, dolorem intellexisse, quo isti uruntur, cùm res caras & suaves ob Christum amittere coguntur: tum, quod de tempore mortem sequente subjicit, id eum non ex instituto, sed ex occasione duntaxat adjecisse, ut iis, quibuscum disputabat, gratificaretur, largiens, quod isti pertendebant, ista Pauli verba etiam de mortuis posse intelligi: tum ignem illum purgatorium, per quem salvari dicit eos, qui pereuntia, dum viverent, dilexerunt, non alium eum intelligere, quàm dolorem eum, quo isti exuruntur ob amissas res illas seculares, quarum nonnullo amore tenebantur (dicit enim, *tale aliquid*, quale in hac vita accidere dixerat, *post hanc vitam fieri incredibile non est*); tum denique hoc ipsum, qualecunque est, Purgatorium non constituere ipsum, vel definire, neque ut rem certam, vel dogma fidei figere, sed tanquam quæstionem dubiam, obscuram, ambiguam proponere. *Non est incredibile*, inquit, *tale quid fieri: Quæri potest, utrum sit: Inveniri, aut latere potest: Sive hoc ita sit, sive secus.* Neque aliter hac de re alibi etiam, puta *de Civ. D. lib. XXI.26.* ubi contra eosdem adversarios disputat, inter alia; *Post istius sanè*, inquit, *corporis mortem, donec ad illum veniatur, qui post resurrectionem corporum futurus est damnationis & remunerationis ultimus dies, si hoc temporis intervallo spiritus defunctorum ejusmodi ignem dicuntur*

dicuntur perpeti, quem non sentiant illi, qui non habuerunt tales mores & amores in hujus corporis vita, ut eorum lignum, & fœnum, & stipula consumantur; alii verò sentiant, qui ejusmodi secum ædificia portaverunt, sive ibi tantum, sive & ibi & hic; sive ideo hic, ut non ibi, secularia quamvis à damnatione venialia concremantem ignem transitoriæ tribulationis inveniant, non redarguo, forsitan verum est. Potest quippe ad istam tribulationem pertinere etiam ipsa mors corporis &c. Possunt & persecutiones Ecclesiæ, quibus martyres coronati sunt, & quos patiuntur quicunque Christiani. &c. Erit etiam in fine seculi tribulatio tempore Antichristi, qualis nunquam antea fuit. Quàm multa tunc erunt ædificia, sive aurea, sive fœnea super optimum fundamentum, quod est Christus Jesus, ut ignis ille probet utraque, & de aliis gaudium, & de aliis inferat damnum: neutros tamen perdat, in quibus hæc inveniet propter stabile fundamentum. En, ut hic quoque hæreat, rémque incertam, dubiam, & sub judice relinquat. *Forsitan verum est*, inquit. Et tamen quæ addit, id potiùs evertunt, quàm firmant. Huc enim referri posse ait & *mortem temporalem, & persecutiones Ecclesiæ*, & *tribulationem Antichristi temporibus futuram.* Quæ omnia cùm in hac vita contingant, quòd hic ea Augustinus commemorat, id satis ostendit, nihil opus esse illum, per quem quidam servantur, ignem ad eos animi dolores referre, quibus nonnullos post mortem ob amissa hujus seculi dulcia exustum iri, aliquem *forsitan verè suspicari posse*, dixerat. Inprimis cùm sententia ejusmodi non aliud sit quàm fœnum & stipula, hoc est, opinio erronea, fundamento superstructa. Animæ enim fidelium post mortem nullo dolore ob amissa secularia exuri possunt. Hoc enim esset *tristari secundum mundum*, non *secundum Deum*; adeóque peccata non purgare, sed potiùs cumulare. Sed non de Purgatorii substantia dubitasse Augustinum, ait Redingius, verùm de eo duntaxat, *an fortasse rerum cum amore possessarum, postmodum amissarum dolor, una cum mora temporaria, à Regno Dei excludente, subire possit vicem ignis Purgatorii?* Sed ô bone! Substantiam Purgatorii vestri, hoc est, elementarem ignem, gehennæ supparem, Augustinus prorsus ignoravit. Verum igitur est, de eo ne dubitasse quidem. Sui verò post mortem Purgatorii ignis substantiam in dolore ob amissa temporalia collocavit: & an talis ignis Purgatorius post mortem sit, ambiguus hæsit. Liquidò ergo deliras, cùm de eo dubitare, *an dolor ille post mortem Purgatorius sit*, concedis; & tamen de Purgatorii substantia dubitare, negas.

OBIECT. IX. *Orandum & offerendum esse pro defunctis, & viventium suffragiis eosdem adjuvari, vetus ecclesia credidit, uti liquet ex Dionys. Areopag. de Hierarch. Eccl. cap. 7. Clemente Rom. Epist. 1. Concilio Niceno I. Can. 65. Carthaginensi III. cap. 29. Tertulliano, Cypriano, Eusebio, Cyrillo, Gregorio Nazianzeno, Chrysostomo, Augustino, aliis. Ergo agnovit statum medium Sanctorum, in quo illis viventium suffragia prodessent, qualis est in ipso purgatorio.* Aug. Reding. *pag. 529. 532. & 570.* Resp. 1. Suffragia pro mortuis sublevandis Scripturarum suffragio destituuntur, imò & damnantur, utpote in quibus tum solus Christus nobis proponitur paracletus & λυτρωτὴς τέλειος *redemptor perfectus*, tum animas defunctorum in fide cœlesti statim beatitudine frui, adeóque ejusmodi suffragiis haud indigere, asseritur. Quos Christus non juvat, quis tandem juvare poterit? 2. De oblationibus pro defunctis superiùs pag. 198. 199. &c. fusè

à

à nobis actum. Singula heic Patrum loca discutere nihil attinet. Fatemur oràsse satis maturè fideles pro mortuis, sed *pro omnibus*, non, ut Adversarii, *pro quibusdam*; & non, *ut mortuos ex purgatorio liberarent*, sed alio prorsus animo, ut scilicet iis vel *in inferis & in sinu Abrahæ solatium*, vel *in prima resurrectione sortem*, vel *ut adversus ultimi diei flammas præsidium*, vel *in terris ad honestam famam*, vel *ad beatissimam & ultimam resurrectionem jus*, vel denique *in judicio supremo misericordiam atque Clementiam Divinam* (quæ totidem Patrum verba sunt) quærerent, impetraréntque. De purgatorii civibus ne quidem cogitàrunt, qui ante Gregorii Romani, & Bedæ Anglí, posterorúmque deliria ac visiones orbi Christiano non magis innotuerunt, quàm vel ante Mori literas *Utopiæ*, vel ante Galilæi telescopia & Keppleri somnia *Levaniæ*, hoc est, *Lunæ incolæ*, æquè fabulosi omnes. Triplex autem fons fuit orationum pro defunctis. *Primus*, quòd animas ante ultimum judicium faciem Dei non videre; *Secundus*, quòd Martyres resurrecturos, & per mille annos cum Christo in terra regnaturos; *Tertius*, quòd animas ultimo die igne lustratum iri putàrunt. Quos tres errores à Sibillis Diaboli vatibus haustos esse, Blondelli indicio ex ipsis Sibyllarum carminibus ostendit Cl. Dalleus *de Pœnis & satisfact. lib. V. cap. 7.* quo toto etiam libro singula Patrum loca solidè ventilat. Consule sis etiam, quæ eandem in rem doctissimè scripsit Forbesius *Instruct. lib. XIII. cap. 9. 10.*

Excip. Reding: 1. *Suffragia pro defunctis Scripturæ testimoniis niti, supra ex 2. Macchab. XII. 43. Tob. IV. 14. Luc. XVI. 9. ostendimus. Et id ipsum locus 1. Cor. XV. 29. apertè testatur. Quomodo enim baptizari quis potest pro mortuis, qui cum spe gloriosæ resurrectionis defuncti sunt; nisi quatenus in illorum gratiam lachrymis, operibus pœnalibus & religiosa dolorum tolerantia veluti baptizantur. cujusmodi baptismi mentio Luc. XII. 15 extat. 2. Cúmque hæc fidelium suffragia tam quoad causam sui moraliter seu meritoriè effectricem, quàm quoad eorundem valorem & acceptationem ex ipsius Christi merito subsistant, nihil redemptionis ejus perfectioni decedere potest. Imò magis conspicua illa redditur, dum aliquam efficaciam merito suo subordinatam suffragiis ejusmodi impartitur. 3. Apostolicæ huic primævæ praxi Patres Orthodoxi Græci & Latini uniformaliter astipulantur.* Ibid. pag. 54-57.

Resp. 1. Et nos loca à Te objecta in loco diluimus. Neque ruentem causam sustentat locus S. Pauli 1. Cor. XV. 29. quem nunc demum urges. *Quid facient*, inquit, *οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, qui baptizantur pro mortuis?* Ubi *βαπτιζόμενοι*, novissima, & nulli veterum audita *παρερμηνεία* vestra, sunt illi, qui pro mortuis in Purgatorio laborantibus satisfaciunt orando, jejunando, sacrificando, corpus castigando, &c. Usque adeò certè interpretatio hæc caret veri specie, ut Bellarminum, quem hic Redingius sequitur, ipsa illa lumina societatis, Cornelius à Lapide in Commentario. *ad h. l.* & Maldonatus *ad Luc. XII. 49.* deseruerint; fatente etiam Salmerone: *locum hunc non adeò perspicuum esse, ad quem morem & ritum Apostolus alludat.* Certè aliter longè verba illa à veteribus accepta esse, ex Hieronymo, Theodoreto, Epiphanio, aliis discere est. Et ut *baptismi* vox per metaphoram significationem illam, quàm ei tribuitis, recipere possit (quanquam recipere posse,

posse, neutiquam locus allegatus Luc. XII.15. probat, quia aliud est *baptizari*, affligi ab alio quopiam, & quasi aliena violentia & per summam injuriam mergi ; quomodo Christus *baptizatus* afflictus est, & se violenter in profundum illud barathrum mergi passus est: aliud se ipsum affligere, sponte animam suam affligere, quod non est βαπτίζεσθαι *baptizari*, sed se ipsum *baptizare*. quo sensu nunquam Scriptura loquitur) at hoc loco hunc, & non alium sensum recipere, anile deliramentum est, quo & suffragia pro mortuis, & Purgatorii flammas non probatas aliunde utrasque supponitis. Quòd si suffragia pro mortuis, quæ perditis vestris *de satisfactione pro mortuorum animabus ex carcere Utopico Purgatorii, per baptismum metaphoricum lacrymarum & pœnitentiæ*, hæresibus cumulastis, ejus antiquitatis essent, ut dici posset, jam Apostolis viventibus pullulasse ; non ideo inde arripuisse Apostolum argumentum, sed contra homines imperitos & instabiles hunc Pauli locum ad opinionem suam detorsisse, censendum esset. Enimverò quomodo in isto sensu resurrectionem mortuorum probare potuit Apostolus ? Neque enim sequitur: *Christiani orant, jejunant, affligunt se in gratiam animarum in Purgatorio : Ergo erit resurrectio.* Potest enim anima beata esse diu ante resurrectionem. Neque ea officia, quibus anima post mortem juvatur, resurrectionem corporis probant. Falsissimum est, quod Bellarminus regerit, quæstiones de resurrectione corporum & immortalitate animarum ita fuisse inter se connexas tempore Apostolorum, ut pro una eademque semper haberentur. Soli enim apud Judæos Sadducæi & resurrectionem pariter corporis, & animarum immortalitatem negabant. Contra quos Christus Matth. XXII. 31. &c. resurrectionem mortuorum, de qua sola quæstio erat, probavit ex verbis Dei : *Ego sum Deus Abrahami, Isaci & Jacobi* ; hoc argumento : Quorum hominum Deus est Deus, illi, si ampliùs non sint in vivis, resurgent, quia Deus non est ἐνεργέτης mortuorum, hoc est, eorum hominum, qui nec actu, nec potentia vivunt. Non vivit autem potentia is, qui nunquam resurget. Essæos contra, immortalitatem animæ agnovisse, corporum verò resurrectionem negasse, ex iis, quæ Josephus *de Bello Jud. c. 7.* scribit, liquet. Sed S. Paulo res fuit cum Corinthiis, gentilibus antehac, quos immortalitatem animarum negasse, verisimile non est. Quidam tamen illorum resurrectionem non ampliùs expectandam opinati sunt. Constat præterea, multos illius ævi hæreticos carnis resurrectionem negasse : quorum nemo tamen negatæ animarum sempiternitatis arguitur. Quin & Apostolorum tempore omnibus ferè gentibus animarum immortalitas persuasa fuit : & tamen omnibus illis doctrina de resurrectione corporum visa ridicula est. 2. Suffragia vivorum pro mortuis ex merito Christi habere *vim meritoriè effectricem*, & sic à Deo acceptari, & Scripturæ refragatur, & Christo per speciem honoris contumeliam extremam infert ; quia ejus meritum redemptionem infiniti valoris, cui proin nihil addi potest, dividit, & honorem ejusdem, qui soli Christo θεανθρώπῳ competit, creaturis communicat ; salvandos, redimendos in Salvatores, redemptores convertit. Perinde sic honor Mediatoris crescit, ac si quis dixerit crescere honorem Dei, cùm Divinam virtutem creaturis homines idololatræ communicant ; vel honorem Regis, cùm Regiæ togæ veteramentum mendici insanus quispiam assuit. Solius Christi satisfactionem Deus acceptat, utpote in quo solo εὐδοκεῖ, humanas, utpote spurias, nullas acceptat. 3. Græcorum & Latinorum Patrum, preces pro defunctis asserentium, testimonia à te ex Bellarmino corradere quid juvabat ? Non enim, an pro mortuis orârint veteres ; sed an suffragati sint pro mortuis in Purgatorio igne æstuantibus, quæritur. Ego alio longè animo illos pro mortuis orasse, allegatis totidem Patrum ipsorum verbis ostendi, & erroneis opinionibus, quas vos ipsimet rejicitis,

rejicitis, ita orasse, probavi. Cur ad hoc verè κεχνόμβρον non respondes? Cur inter tot testimonia à te ad librorum molem cogendam compilata ne unus quidem de Purgatorio apex occurrit? Profectò convictus hic ne mutire quidem potuisti.

OBIECT. X. *Orientales, ac inprimis Græcas ecclesias purgatorium credere, constat ex responsionibus ad Cardinalem Gnisium de A.1560. ex confessione fidei Æthiopicæ edita à Zagazabo; ex Gabrielis Alexandrini Patriarchæ Epistola ad Clementem VIII. de A.1595.& fidei professione à Ruthenorum Legato edita A.1595. prout latè docet Wetvveis in Speculo vera ecclesia lib.* VIII. *cap.* 4. *Quin & Synodo Florentinæ, quæ purgatorium definivit, iidem Græci subscripserunt.* Aug. Reding. *pag.* 576. 578. Resp. 1. Veteres nec Occidentales, nec Orientales Purgatorium credidisse, supra manifestum fecimus. Quantum igitur proderit, si recentiores Græcos, inprimis *Latinizatos*, uti vocantur, ὁμοψήφους illi habent? 2. Quæ tamen recentiorum Græcorum de purgatorio mens fuerit, liquidò apparet ex Apologia Græcorum περὶ καθαρτηρίου πυρὸς *de purgatorio ignis* à Græcis, qui Florentino Concilio interfuerunt, profecta (uti ex historia Concilii Florentini à Sguropulo, qui ei interfuit, scripta, conjiciunt eruditi,) & Concilio etiam Basileensi per Marcum Ephesinum exhibita. Quam quidem apologiam suspectam reddere, quasi videlicet à Lutheranis composita esset, cùm conaretur Allatius, ita is nuper à Viro doctissimo Elia Vejelio *Defens. Exercit. p.* 164. 165. temeritatis convictus est, ut superstitem adhuc impudentiæ suæ pudere debuerit. Ita autem in apologia illa mentem suam exprimunt: Πῦρ καθαρτήριον καὶ κόλασιν διὰ πυρὸς πρόσκαιρον, καὶ τέλος ἕξουσαν ὅλως, ἡμεῖς ὑπὸ τῶν ἡμετέρων οὐ παρειλήφαμεν διδασκάλων, οὐδὲ τὴν τῆς ἀνατολῆς ἐκκλησίαν ἴσμεν φρονοῦσαν. *Ignem purgatorium & punitionem per ignem temporarium, finémque omnino habiturum, nos à nostris doctoribus traditum non accepimus, neque orientalem Ecclesiam ita sentire scimus.* Deinde variis argumentis purgatorium oppugnatur. 3. A Concilii Florentini initio nonnullos Græcorum pronos in concordiam cum Latinis, præ metu imminentis internecionis reipublicæ suæ, sensim se ad Latinorum dogmata componere cœpisse, non ignoramus. Unde in Excerptis ex actis octavæ Synodi Græci ajunt, *se purgatoriū non ignem, sed obscurum quendam locum ac laborum plenum esse censere, in quo animæ lumine divino priventur, donec adjuvante ecclesia expientur.* Sed communem hanc & ex ipsa patria allatam, ac postea domi probatam fuisse Græcorum sententiam, haud facilè ostenderis. Súntque *Excerpta* illa à Latino quodam scripta, & quidem eo, qui studium partium haud dissimulare potuit. Ex Laonico Chalcondyla *lib.* 6. constat, omnem illam cum Latinis Florentiæ conflatam unionem reliquis Græcis displicuisse; & statim rescissam esse. Quod ipsum etiam accidit unioni A. 1595. per Russiæ Polonicæ nonnullos tenta-

tæ, & ab Adversario laudatæ, quippe de quo Paulus Piasecius Episcopus Præmisliensis in Chronicis pag. 164. scribit, eam Russitis populis adeò exosam fuisse, *ut querelæ perennes pro Unione & contra Unionem Remp. Polonicam perturbaverint.* 4. Si Græci, aliique, à Wetvveisio, quem Allatius Græculus ἐν οὐδενὶ ἀριθμῷ ponit, citati preces pro defunctis admittunt, non iccirco purgatorii patronos facere licet, judice ipso Allatio *Differt. 2. de libb. Eccl. p. 333.* ubi Græcos increpat, quòd admittentes suffragia pro mortuis, ne cogerentur purgatorium fateri, in perniciosiorem sententiam versi sint, ut dicerent, *illas animas illis operibus non à pœnis purgatorii, sed inferni liberari.* Si prolixioribus esse liceret, ex Caleca, Gabriele Philadelphiensi, Coresio, Bryennio, Goare, nec non decretis ipsis sub Berrhoensi & Parthenio An. 1639. editis, in quibus dogmata Cyrilli Lucaris proscribuntur, aliisque clarè demonstrare possemus, Græcos etiam modernos juxta fidem πατροπαράδοτον Purgatorium nequaquam agnoscere, imò & averso ab eo animo esse.

EXCIP. REDING: 1. *Græcorum Responsio A. 1560. Cardinali Guisio perhibita ad q. 10. disertè habet, credi à Græcis, eorum animas, qui mortiferis in peccatis diem extremum non clauserunt, nec tamen omnino culpæ expertes fuerunt, ejusmodi delictorum ratione purgari; & his opitulari preces eorum nomine factas. Similia habet Zaga Zabo in Confessione Fidei Æthiopicæ, ubi ait, diebus Sabbathi & Dominicis animas piorum defunctorum in Purgatorio minimè cruciari. Reliquis ergo diebus juxta Æthiopes cruciantur. Addit, ad cruciatus tempus minuendum eleemosynas pro iis factas prodesse iisdem, eos credere. Idem profitetur Gabriel Alexandrinus literis ad Clementem VIII. A. 1595. datis. 2. Quo censu habenda sit Ephesii apologia Concilio Basileensi exhibita, vel inde liquet, quòd consentientem adducit Chrysostomum, quem tamen Purgatorium agnovisse, ex variis ejus homiliis colligitur. Eidem Josephus Episcopus Methonensis Græcus, & Gregorius Protosyncellus, scripta pro Purgatorio apologia, sese opposuerunt. 3. Neque unio Græcos inter & Latinos in Concilio Florentino pacta, metu imminentis interitus Græcis extorta, sed à Latinis Divina ratione & authoritate Græcis persuasa est. quod vel schedula quædam Ferrariæ, quam Latini Græcis exhibuerunt, demonstrat.* Ibid. pag. 57-61. Resp. 1. Ridiculus es, ex Græcis quibusdam novissimis, & forte, quod jam dicere occupaveram, *Latinizatis* sententiam Græcorum veterum & recentiorum eruere contendens. Negari enim nequit, inde à quatuor seculis de Purgatorio controversiam Græcos & Latinos distraxisse. Quadringenti & ampliùs anni sunt, cùm Thomas Aquinas Urbano Papæ misit opusculum, quod inter alia hodie primum est *de erroribus Græcorum.* Ibi sub finem disertis verbis impugnavit eos, *qui Purgatorium negant post mortem.* In ejusdem Opusculo secundo *contra errores Græcorum* ad Cantorem Antiochenum scripto *cap. 1.* sic habetur: *Circa statum verò animarum post mortem asseris, errare Græcos & Armenos dicentes, quòd animæ post mortem usque ad diem judicii nec puniuntur, nec præmiantur sed sunt quasi in sequestro, quia nec pœnam nec præmium debent habere sine corpore: & in sui erroris assertionem inducunt, quòd Dominus in Evangelio dicit: In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Capite 9. hanc sententiam multis Thomas refellit, & quidem ita, ut satis vel inde liqueat, Græcos ab omni omnino pœna Purgatoria animas à corpore separatas vacuas tum pro-

nuntiasse. Eodem tempore scriptus est Constantinopoli libellus *contra errores Græcorum*, qui *Biblioth. Patrum Tomo IV. parte edit. Paris.* 4. habetur, ubi inter errores Græcorum numeratur, quòd affirment, *defunctorum animas nec Paradisi gaudio perfrui, nec inferorum suppliciis vel igni Purgatorio citra diem judicii, aut ante latam sententiam extremam, posse subjacere.* Sequente seculo decimo quarto Guido Carmelita quintum Græcorum errorem numeravit, quòd dicant, *Purgatorium non esse, nec pœnas Purgatorii.* Seculo decimo quinto Constantinopoli Concilio ipsimet interfuit Antoninus Florentinus Archiepiscopus. Is tamen ubi recitasset formulam Unionis ab Eugenio Papa promulgatam, statim *parte III. Summ. Hist. tit* 22. *cap.* 11. subjungit: *Errabant Græci in tribus* COMMUNITER, *primò, quòd Spiritus S. procederet à Patre, & non à Filio: Secundò, quòd non erat Purgatorium: Tertiò quòd Ecclesia Constantinopolitana non esset sub Ecclesia Romana, nec Patriarcha Constantinopolitanus esset inferior Romano Pontifice. In aliis ritibus, qui non important hæresin, permissi fuerunt manere.* Manifestum inde est, saltem ante Unionem Florentiæ initam, nullas in universum Purgatorii pœnas à Græcis fuisse admissas. Sed & post Unionem illam fucatam, & post reditum Græcorum variè exagitatam, ac denique exoletam, perstitisse in pristina sententia Græcos, communiter quidem, non desunt inter Latinos qui confiteantur. Etenim ipse Papa Pius IV. Bulla in Græcos promulgata, quam *Bullarii M. Tomo II. p.* 184. legere est, queritur, *quòd Græci in quàm plurimis Regnis Siciliæ citra & ultra Pharum, & aliis Christiani nominis civitatibus & locis degentes, Ecclesiæ Græcæ mores & ritus observantes, inter alias blasphemias dicant, nullum esse purgatorium.* Alphonsus de Castro *lib. XII. de hæres. Unus*, inquit, *ex notissimis erroribus Græcorum & Armenorum est, quòd docent, nullum esse Purgatorium locum, quo animæ ab hac luce migrantes purgentur à sordibus, quas in corpore contraxerunt, antequam in æterna tabernacula recipi mereantur.* Roffensis *contra Luth. ad art.* 18. id ipsum fatetur, *De Purgatorio*, inquiens, *apud priscos illos nulla vel quàm rarissima fiebat mentio. Sed & Græcis ad hanc usque diem non est creditum Purgatorium.* Idem Jodocus Coccius, Guido de Perpiniano, Sebastianus Medices, Caleeas, Gabriel Philadelphiensis, Caucus, Coresius, Bryennius, Goar, Critopulus, Angelus, Cyrillus Berrhoensis, Parthenius (quorum plerorúmque testimonia Vir Celeb. D. D. Elias Vejelius in Doctissima *de Ecclesia Græcanica hodierna* Exercitatione, ejúsque adversus L. Allatium defensione; & post eum Cl. Dieemannus *Exercit. Historico-Theol. de Ecclesiarum Orientalium & Latinæ in dogmate de Purgatorio, dissensione, L. Allatio & Abrahamo Ecchellensi Maronitæ opposita*, qua omnia Allatii, mendacis Græculi, hoc in argumento tela felicissimè excutiuntur, produxerunt) nulli dissimulant. Et sanè Euchologia illorum publica Purgatoriæ cujusdam pœnæ ne verbulo quidem meminerunt, sed fructum precum pro defunctis in extremum judicium differunt. Jeremias Patriarcha preces illas *pro eluendis peccatorum maculis, dum adhuc judicium exercetur*, valere ait. Quin & Græci illi, quos allegare non erubuisti, apud Cardinalem Guisium disertè confitentur, *eorum animas, qui mortiferis in peccatis diem extremum non clauserunt, nec tamen omnino culpæ expertes fuerunt, purgari*, (sed) *non per purgatorium ignem, vel determinata certo quodam loco supplicia; sed nonnullas* (NB) *in ipso dirempiu à corpore per solum metum; nonnullas post diremptum à corpore, fortassis etiam apud orcum detentas, non quòd in igne supplicia eis sint, sed quòd velut in custodia & vinculis coerceantur.* En Purgatorium sine igne, sine supplicio, sine pœna, quæ de Purgatorii Romanensis essentia est! Et tamen non communem illi Græcorum sententiam expresserunt, sed eorum forte, qui post Unionem

concordiæ cum Romanis farciendæ studio, mediam illam sententiam amplexi videntur. Æthiopes seu Habessinos Purgatorium nullum admittere Author *Tradit. Cath. q. 16.* ex Alvaresio ipso probat. Et Thomas à Jesu, Monachus Carmelitanus, vestras: *Nullas*, inquit, *pro defunctis oblationes habent, nec sacra faciunt pro vivis, forte, vel quia existimant illis non prodesse, aut quia Purgatorium cum Græcis non agnoscunt.* Sed & relatio Petri Jarricii *Thes. rer. Ind. Tomo III. cap. 34.* narrantis, quid P. Paezio in ipsa Abyssinorum regia contigerit, id ipsum confirmat. *Tum*, ita scribit, *Monachus quidam è turba petiit, cur legem nos veterem, quam illi in plurimis sequuntur, minimè observemus. Secularium dein quispiam, rogat, cur duas in Christo naturas & Purgatorium asseramus. Hæc enim ipsi negant. Tribus hisce quæstionibus doctissimè Paezius satisfecit, & eorum errores S. Scripturæ testimoniis confutando, & Catholicæ fidei veritatem confirmando.* Sed Habessinorum de Purgatorio fidem confirmant excerptæ à Godigno *lib. II. cap. 18. p. 316.* Monachi cujusdam Habessini literæ, qui in Colloquio cum Gonzalo Roderico sic *pag. 325.* Habessinorum sententiam explicat: *Muhammedani & Ethnici post mortem detrudentur ad inferos, ut ibi perpetuò sint. Christianæ legis professores, qui flagitiosè vivunt, tandiu igne gehennæ torquebuntur, donec peccata purgent. Omnes enim, qui baptismatis charactere signati sunt, ad beatitudinem tandem rapientur. Atque illud apertè constat ex illis Christi verbis: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvabitur.* Hæc quomodo cum Confessione Zagæ Zabo, à Damiano à Goes, cui, ut & aliis *sinceris & minimè malis* hominem illum imposuisse in pluribus, ejusdem Godigni testimonio constat, prodita conveniant, ipse videris. 2. Imò authoritatem apologiæ Marci Ephesii, ejusdem in hac doctrina cum Chrysostomo consensus luculenter confirmat. Is enim Purgatorium omnino nullum agnovit; & ignem illum, per quem Apostolus salvandos quosdam statuit, constanter de igne æterno damnatorum interpretatur. Quod supra jam ostendimus. Neque enim aliter *σώζεσθαι servari* talem dici putat, nisi quòd in gehenna æternùm mansurus sit, non autem cum opere ipso in nihilum abiturus. Ponam ejus verba *homil. 9. in 1. Cor.* Οὐχὶ καὶ αὐτὸς (inquit) οὕτως ἀπόλλυται, ὡς τὰ ἔργα, εἰς τὸ μηδὲν χωρῶν, ἀλλὰ μένει ἐν τῷ πυρί. σωτηρίαν γοῦν τὸ πρᾶγμα καλεῖ. Διὰ γὰρ τοῦτο προσέθηκεν, ὡς διὰ πυρός. καὶ γὰρ καὶ ἡμῖν ἔθος λέγειν, ἐν τῷ πυρὶ σώζεται, περὶ τῶν μὴ καταναλισκομένων, καὶ τεφρωμένων εὐθέως ὑλῶν. μὴ γὰρ ἐπειδὴ πῦρ ἤκουσας, νομίσῃς εἰς ἀνυπαρξίαν χωρεῖν τοὺς καιομένους. *Non ipse quoque ita peribit ut opera, redactus ad nihilum; sed manebit in igne. Salutem itaque id vocat. Propterea adjecit,* quasi per ignem. *Nam nos quoq; solemus dicere,* Salvum est in igne, *de iis materiis, quæ non comburuntur, nec statim in cinerem rediguntur. Ne enim, quoniam ignem audivisti, existimes, eos, qui uruntur, eò redigi, ut non consistant.* Planè sic Marcus Ephesius, allegato etiam Chrysostomi suffragio. Qui etiam alibi, *homil. 5. in Gen.* disertis verbis ait, fideles illuc ire καθαροὺς τῶν ἁμαρτημάτων *puros à peccatis.* In locis ejusdem à te ostentatis Purgatorii nullam mentionem facit; precum duntaxat pro mortuis facit, quas Purgatorii basin neutiquam esse, abundè jam demonstravimus. 3 Si historiam *Unionis* Florentinæ exploratam haberes, judicares haud dubiè rectiùs, nisi vento, quod ajunt, occlamare malles. Etenim sicut provido Numine Tridentini Concilii historiam Paulus Servita: ita Florentini, & Unionis in eo cusæ historiam integerrimo studio Sylvester Sguropulus, Græcus & ipse, à Roberto Creyghtono Anglo ex tenebris vindicatus luci publicæ exposuit. Si non aliunde, vel ex eo certè authore jam constat, quo studio & instituto Græci pariter atque Latini Unionem illam & ἀργυρώνητον totam, & fraudulenter confectam, & paulò post domi omnium bonorum contentione maxima oppugnatam, neque unquam Orientalium consensu sancitam, machinati fuerint.

rint.

rint. Sed & de ea operæ pretium fuerit audire, quæ scribit Caramuel, Abbas doctus, ingenuus & moderatior longè, quàm sunt plurimi Pontificiæ partis, *Prodr. Pacis pag.* 53. ubi sic ille: *Nunquam in Ferrariensem Synodum venissent Graci, nisi Romana Ecclesia impensas omnes subministrasset: noluissent Ferraria transire Florentiam, nisi duplum Ferrariæ habuissent, quàm Florentiæ (subsidium mensium octo pro quatuor mensibus postularunt obtinuerúntque) imò nec convenissent cum Latinis, nisi summis favoribus obruti sine ingratitudinis nota aliter non possent facere.*

QUÆSTIO II.

An bonum & utile sit, Sanctos unâ cum Christo regnantes suppliciter invocare, & ob beneficia impetranda à Deo per Filium ejus Jesum Christum, ad eorum orationem, opem auxiliúmque confugere?

AFfirmat Decretum de Invocatione Sanctorum, & addit, impiè sentire illos, qui negant Sanctos invocandos esse. Rem sanè magnam paucis, generalibus & jejunis verbis perstringunt, præter solitam in reliquis capitibus diligentiam. Nihil de cultu Divorum, Angelorum in specie, de duliæ & hyperduliæ subtilitatibus, de eximiis Divæ Virginis Mariæ honoribus. Nimiâ festinatione hæc omnia sicco pede transeunt. Nos verò de propriè dicta invocatione, per quam religioso cordis affectu Sancti in auxilium, imò in cor hominis vocentur, quomodo invocationem describere amant Hieronymus & Augustinus, quæstionem simpliciter negamus. Etenim

ARG. I. Sanctorum cum Christo regnantium invocatio nec mandatum, nec promissionem, nec exempla justa & probata scripturarum habet, adeóque ad ἐντάλματα ἀνθρώπων, cultum Dei electitium, & ædificata excelsa Baalim pertinet. De mandato & promissione videtur largiri Bellarminus, docens, illa aliunde suppleri posse. Quin Bannes & Eccius *nec expressè nec involutè* id in scripturis haberi: A soto verò *non doceri, sed innui* invocationem hanc in S. literis, fatentur. Quin ipsa Synodus non præceptum Divinum causatur, sed nudè dicit, Sanctos piè & utiliter invocari. Exempla quidem Sanctorum invocantium proferunt, sed quæ minimè ad rhom-

bum faciunt. Præterquam quòd ad exercendum cultum Deo gratum claro & expresso mandato opus est.

RESP. REDING: *In cultu Dei distinguere debebas formale & materiale. Id quod formale est, & ut sic virtutis religionis specificativum, in fide Divina radicatum, importat rationem supremæ Dei Majestatis, ejúsque dominii supereminentis protestatricem. in quo Divini cultus splendor & gloria essentialiter consistit. Materiale verò est qualibet res & actio, quæ in Deum, ceu ultimum finem, & primum principium referri potest. Duplex ille cultus Divini respectus eatenus differt, quòd circa priorem extat mandatum Divinum obligans, ut omnem actionem moralem etiam electitiam ad honorem Dei referamus: circa posteriorem autem Divinitus definitæ sunt certæ actiones & res, quæ sub necessitate præcepti sub religionis specifica formalitate obligantis necessariò perfici debent; ita ut in hominis arbitrio sit, reliquas eo modo Divinitus non definitas, dummodo nulla superstitio, seu defectio à formali cultus Divini ratione interveniat, vel exercere, vel omittere. Licet ergo invocatio Sanctorum sub materiali isto respectu non subesset præcepto Divino; non ideo tamen superstitiosa foret, quia nihil, quod cum Divinæ Majestatis, veritatis, perfectionis & dominii supremi ratione pugnet, intervenit, quin potiùs illa formalem mandati Divini normam illæsam obtinet. Passim enim S. Scriptura eam, ceu Divini cultus splendori consentaneam, veluti Genes.48. 16. Exod.32. 13. Jerem.15: 1. Job.5: 1. comprobat. Potuerunt ergo Bannes & Eccius dicere, invocationem Sanctorum in Scripturis non contineri, quatenus nullum præceptum extat, quo cultus Divini ratio sub ista Sanctorum invocatione exercenda præcipiatur. Satis est, quòd cum religionis sinceræ, & veræ fidei puritate non pugnat. Imò quia verbo Dei consentanea est, secundum istam formalem religionis participationem dici potest contineri sub Divini cultus mandato, saltem quoad specificationem ut sic, obligatorio, ne absque violatione religionis veræ, imò ipsius fidei, contemni valeat.* Tomo V. Tract. XII. ∫∫. 2. pag. 62.-65. Resp. Malè distinguis, pejus applicas, pessimè concludis. Nos isthæc rectiùs digeremus, & digestis iis fraudem tuam propalabimus. Cùm religio, seu cultus Dei non aliud sit quàm observantia illa, qua ea animo & corpore præstamus, quæ directè ad honorem Deo deferendum faciunt, seu, uti Apostolus Rom.I. 21. definit, *glorificatio Dei agniti* (*cùm Deum nôrint*, inquit ille, *tamen ut Deum non glorificarunt, nec ei gratias egerunt*) & ratio illa, sub qua religio Deum respicit, sit Divina illa excellentia, quæ ex sufficientia & efficientia, adeóque Divina perfectione ex omnibus attributis ejus coalescente elucet; satis inde liquet, *formam* seu essentiam cultus Divini in glorificatione solius Dei & perfectionum ejus consistere; adeóque immediatè fluere ex fide illa, qua in Deum, ceu sufficientem & efficientem vitæ causam credimus. Oportet enim ut religio, seu cultus Dei bonum contineat, quo aliquo modo Deus afficiatur; quia aliter non esset observatio erga ipsum. Boni autem intrinseci nihil Deo adjici potest. Extrinsecum autem bonum est honor seu glorificatio, id est, testificatio virtutum & perfectionum ejus, ad gloriam vel æstimationem ejus promovendam, quod solum Deo creatura præstare potest. Sumus enim *genus electum, Regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ὅπως τὰς ἀρετὰς ἐξαγγείλητε τοῦ ἐκ σκότους ὑμᾶς καλέσαντος εἰς τὸ θαυμαστὸν αὐτοῦ φῶς, ut enuntiemus virtutes ejus, qui è tenebris nos vocavit ad lucem suam admirabilem.* 1. Pet. I. 9. Conveniens igitur vel digna æstimatio de Deo, & actus alii, quibus æstimatio ea manifestatur, materiam proximam religionis constituunt. Omnísque adeò actus humanus honestus, quatenus ad Dei honorem & gloriam referri potest, materia, vel materiale objectum religionis esse potest. Unus enim

idémque

idèmque actus, qui ratione subjectionis ad præceptum *ὑπακοὴ obedientia* dicitur, ratione honoris, quem Deo tribuit, *θρησκεία religio, cultus* vocari potest. Cultus porro ille duplex est, vel naturalis, vel voluntarius, seu institutus. *Naturalis*, qui ex ipsa natura Dei pendet, ita ut quamvis nullam legem Divinitus revelatam & præscriptam haberemus, ex contemplatione tamen idonea naturæ Dei rectè perspectæ cuncta percipere possemus, quæ hac in parte ad officium nostrum spectant. Nemo enim naturæ Dei paulò intelligentior non necessariò cognoscit, in Deum esse credendum & sperandum, eum esse amandum, invocandum, in omnibus audiendum. Quia tamen natura cœci, corrupti, in peccato mortui, naturam Dei rectè & salutariter non cognoscimus, neque adeò ei honorem, quem ejus natura exigit, deferre possumus, ideo Deus in verbo suo se ipsum nobis revelavit, & necessariam sui glorificationem instituit. *Voluntarius*, seu *institutus* cultus est medium ex Dei voluntate ordinatum, ad cultum naturalem exercendum & promovendum. Relationem enim habet ad cultum naturalem: aliter cultus Dei ne quidem esset, quia nulla alia ratione potest quis honorem Deo debitum, quoad essentiam actus, Deo tribuere, quàm fide, spe, charitate, quibus recipimus à Deo cum debita subjectione, quæ nobis recipienda proponit, & cum eadem subjectione ipsi, quæ ad honorem ejus offerri à nobis possunt, offerimus. Cúmque actus speciali modo exerceantur in iis, quæ Deus ad suum honorem instituit, iccirco in istis etiam secundarius quidam Dei cultus, & prioris quædam participatio continetur. Habet porro cultus ille institutus ad naturalem affectionem tum *effecti*, quod vi prioris existit; tum *medii*, vel *instrumenti*, qua fides, spes, & charitas, quibus ille cultus continetur, suos actus exerunt; tum *causæ adjuvantis*, qua promoventur; tum denique etiam *adjuncti*, cui subjiciuntur. Cultus tamen maximè proprius dicitur, quatenus est medium & adjuvans cultus primarii. Et media ejusmodi à Deo instituta alia quidem propriè & immediatè faciunt ad promovendam fidem, spem & charitatem; veluti *publica* & *solennis verbi Divini prædicatio, Baptismi & Cœnæ celebratio, precatio*: alia sunt media ad priora illa rite præstanda, velut *combinatio in certos cœtus, Ministrorum electio, ordinatio, ministratio, Ecclesiasticæ disciplinæ cura*. Facilè autem intelligitur, hujusmodi generis cultum voluntarium seu institutum à voluntate & institutione immediatè Divina, non humana pendere; adeóque legitimum esse neutiquam posse, nisi Deum authorem, institutorem, præceptorem habeat. *In omnibus, quæ edixero, continete vos*, Exod. XXIII. 13. *Ne addite ad verbum illud, quod ego præcipio vobis, neque detrahite de eo*, Deut. IV. 2. *Unamquamque rem, quam ego præcipio vobis, eam observantes facite: ne addito ei, neque detrahito ex eo*. ib. cap. XII. 32. Hinc Deus in præcepto Decalogi secundo: לא תעשה לך *Non facito tibi*. id est, ex tuo proprio cerebro, judicio. Licet enim particula isthæc לך *tibi* aliquando redundet, vel alium sensum habeat; hic tamen & redundantiam excludit accuratissimum præceptorum compendium, & vanitatem humanarum cogitationum excludi, ex aliis Scripturæ locis eodem spectantibus manifestum est. velut Amos. VI. 26. *Quæ fecistis vobis*. Num. XV. 39. *Ne sequamini animum vestrum, & oculos vestros, quæ sequentes scortamini*. Corripitur voluntarius ejusmodi cultus Jer. XV. 9. *Ædificarunt excelsa Baalim, quæ ego non præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum*; Esaj. XXIX. 13. Matth. XV. 9. *Frustra me colunt, docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum*; Col. II. 18. 23. *Μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω θέλων. Nemo vos subjiciat volens- ἐν ἐθελοθρησκείᾳ in voluntario cultu*, hoc est, religione à sola voluntate hominis profecta, qualis erat cultus Jeroboami, אשר ברא מלבו *quem commentus erat ex corde suo*, 1. Reg. XII. 33. Quin & fundamentum ἐθελοθρησκείας hujus Col. II. 18. 19. &c. ostenditur, quòd οἱ θέλοντες illi, qui *volentes*, voluntarium

tarium cultum instituentes, alios subjiciunt, *ea quæ non vident, invadant*; sint φυσιούμενοι ὑπὸ τοῦ νοὸς τῆς σαρκὸς *inflati temerè à mente carnis* suæ; & *non teneant caput* Christum, Legislatorem unicum; quódque cum Christo mortui ab elementis mundi, vivere in mundo non debeamus δογματιζόμενοι *dogmatis*, decretis voluntariis *subjecti*. Nemo enim, præter Deum ipsum, vel intelligere potest, quid gratum acceptúmque ille habeat: vel virtutem illam cultui alicui impartiri potest, qua efficax ille & utilis nobis fiat: neque potest quicquam Deo honorificum & gloriosum esse, quod ab ipsomet tanquam authore ejus non procedat. Neque denique potestatem illum cultum suo arbitratu instituendi cuiquam Mortalium Deus contulit. His ita non ex humana speculatione, sed Dei verbo digestis, Redingii commenta ultro ruunt. Etenim *primò*, si veræ religionis & cultus Divini *forma* in glorificatione solius Dei & virtutum ejus consistit, manifestum est, invocationem Sanctorum falsum cultum esse, quia religiosus ille Sanctorum cultus non in solum Deum fertur, sed in creaturas. Omnis enim cultus ille, qui vel ex natura & conditione sua, vel ex lege & consuetudine communi, vel ex mente & institutione deferentis religiosum honorem alii, præterquam soli vero Deo defert, is Deum novum, & falsum, eatenus saltem, sibi fingit. *Secundò* religio & cultus verus Deum solum respicit, ut principium & supremum Dominum, ultimúmque finem. Falsa ergo est Redingii distinctio, qua is religionis actus illos, qui Deum respiciunt, tanquam primum principium & ultimum finem, Deo soli præstandos esse fatetur, sed alios religiosos actus etiam creaturis communicari posse contendit. Nullus enim religionis actus, nedum objectum, esse potest, quin Deum spectet tanquam primum principium & ultimum finem. Alias lata idololatriæ porta aperta foret; & idololatræ quivis impietatem suam hac distinctione tegere possent. *Tertiò* cultus *materia*, seu *materiale* est actus, quo æstimatio digna de Deo manifestatur; adeóque in Dei honorem immediatè fertur. Contra cultus creaturarum, cujus species invocatio Sanctorum est, ejusmodi actus non est, quia non in Deum immediatè glorificandum, sed in creaturas fertur. Neque sufficit dicere, Sanctorum invocationem etiam facere, aut referri ad gloriam Dei. Necesse enim est, id, quod fit ad gloriam Dei, tale esse, ut in eo Deus glorificetur, hoc est, ut in eo potentia spiritus, veritas, justitia, sanctitas, charitas elucescat. Deus enim non est Deus, qui humano consilio, voluntate, instituto acquiescat. *Quartò* nullæ sunt actiones religionis, cultus Divini capaces, nisi Divino præcepto & institutione definitæ. uti demonstravimus. Sanctorum verò invocatio Divino præcepto instituta non est, quia, uti Dominicus Bannes *in* 2. *q.* 1. *art.* 10. loquitur, *neque expreßè, neque involutè Scripturæ docent, orationes ad Sanctos esse faciendas*. Etenim illa vel ad cultum Dei naturalem, vel ad institutum pertinet. Non ad cultum *naturalem*, quia natura & sanctitas Dei naturalis cultum Sanctorum, qui creaturæ Dei sunt, religiosam non præcipit. Sicut cultum Dei, ob naturam ejus, qui colitur, præcipit, & necessariò infert. Neque enim in Sanctos credimus, speramus, neque eos supra omnia diligimus. Si ad *institutum*, voluntarium, pendebit igitur ex institutione, voluntate præcepto non ullius creaturæ, sed solius Dei. At institutionem, voluntatem præcipientem Dei ipsimet adversarii negant. Sed in ea nullam superstitionem, seu *defectionem à formali cultus Divini ratione* intervenire, Redingius clamat. Nos verò contrarium & probavimus jam, & probamus deinceps. Quanquam nec illud ad cultum Dei institutum sufficit, quòd non deficere à formali cultus Divini ratione prætexitur. quasi in cultu Dei toleranda sint additamenta tantùm *corrumpentia*, non verò *conservantia*. uti loqui crebrò Adversarii solent. Scriptura enim Deut. IV. 2. XII. 31. additionem quam-

vis

vis æquè ac detractionem obſervationi ſeu conſervationi mandatorum Dei, tanquam *corruptionem, declinationem* opponit. Cultus quippe Dei via ad Cœlum eſt, à Deo demonſtrata; à qua perinde eſt ad dextram, an ad ſiniſtram deflectas. Utraque deflexio *declinatio* à recta via, *corruptio* eſt. Sicut minima Dei mandata ad jota & apices uſque (Matth. V. 18.19.) religiosè obſervanda ſunt: ita etiam additiones, quæ videntur minimæ, eadem ratione rejiciendæ ſunt. Etiamſi igitur in θρησκείᾳ ἀληθινῇ laudandum eſt θέλημα πρόθυμον καὶ ἱλαρὸν *voluntas propenſa & hilaris*; tamen laudem nullam meretur ἐθελοθρησκεία, *voluntarius, electitius* quivis *cultus*; quæ, ſi verbum illud in ſuo vigore accipiamus, non aliam rationem habet, quam δόγμα & θέλημα ἀνθρώπινον, *decretum & voluntas humana*. Denique ne cultum quemvis Sanctorum non eſſe ἐθελοθρησκείαν *cultum voluntarium, electitium*, ab Apoſtolo damnatum putemus, ipſe S. Paulus Col. II. 18. *voluntarii cultus* ſpecimen producit θρησκείαν τῶν Ἀγγέλων *cultum Angelorum*. Si quæ creaturæ religioſo cultu afficiendæ eſſent, Angeli eſſent, creaturæ omnium ſublimiſſimæ. Atqui Angelorum etiam cultum Apoſtolus titulo ἐθελοθρησκείας *voluntarii*, non inſtituti, præcepti Divinitus, *cultus* damnat. Notandum autem etiam atque etiam, S. Paulum ceu ἐθελοθρησκείαν damnare totum genus cultus religioſi Angelis exhibiti, ſive adoratio, ſive invocatio, ſive quicquid illud eſt: non in ſpecie duntaxat adorationem Angelorum malorum, quos adorarunt gentiles; aut cultum genii ſui, vel ſidera, quæ putantur ab intelligentiis regi. Non enim ſi hic cultus damnatur, cultus religioſus Angelorum non eſt θρησκεία τῶν Ἀγγέλων *cultus Angelorum*. Qui ſpeciem ponit, non ille removet genus. Sed verò Papiſtæ inſuper eodem modo colunt Angelos, quo gentiles genios; & ex illis idola faciunt, quia iis, quod Dei & Chriſti ſolius eſt, μεσιτείαν *mediationem*, ſcrutationem cordium, gratiam tribuunt. *Quintò* nihil in Sanctorum invocatione cum *Divinæ Majeſtatis, perfectionis, dominii ſupremi* ratione pugnare, imò potiùs illam ceu conſentaneam Divini cultus ſplendori paſſim in Scriptura commendari, Redingius ait. De locis Scripturæ ab eo allegatis infra. Sed plurimùm de honore virtutum Dei religioſum creaturarum cultum quemvis delibare, argumento eſt, quòd id, quod ſolius Dei eſt, in creaturam transfert, adeóque gloriam Dei tribuit לְאַחֵר *alii*, Eſaj. XLII. 8. *Sextò* denique quod in Dei verbo præceptum, inſtitutum non eſt, illud abſque violatione religionis veræ meritò contemnitur; imò non contemni, damnari non poteſt. tantum abeſt, ut vel *formalem religionis participationem* ullam habeat, vel *ſub Divini cultus mandato contineri* ullatenus poſſit. Hæc enim mera idololatriæ veſtræ pigmenta non verbi Divini effata ſunt.

ARG. II. Invocatio religioſa eſt honor ſoli Deo debitus, Deut. VI. 13. Matth. IV. 10. coll. cum 1. Sam. VII. 3. ubi לְבַדּוֹ *ſoli* exprimitur: necnon Pſal. L. 15. Eſaj. LV. 6. Unde idololatriæ poſtulantur, quotquot eum cultum aliò referunt; & aliò quàm ad Deum religioſum cultum referre vetantur omnes, Deut. XVII. 3. 2. Reg. XVII. 33. Rom. I. 25. Gal. IV. 8. Col. II. 18. Apoc. XXII. 19. 20. Et patet ex re ipſa, quia invocatio eſt ſpecies latriæ & ſacrificii, quam in ſolum Deum competere, in confeſſo eſt. Futilem verò diſtinctionem *latriæ* Deo, & *duliæ* ac *hyperduliæ* Sanctis, uti volunt, competentis, non moramur, tum quia Matth. IV. 10. non λατρείαν ſed προσκύνησιν quamcunque petenti Sathanæ, Chriſtus ſententiam illam legis oppoſuit:

tum quia apud profanos & ſacros ſcriptores promiſcua eſt λατρείας & δυλείας ſignificatio; fatente etiam Bellarmino, quòd Gal. IV. 8. δυλεία pro cultu ſolius Dei accipiatur: tum quia δυλεύειν plus eſt quàm, λατρεύειν, cùm illud non tremorem tantùm potentiæ, ſed etiam ſubjectionem ſignificet.

RESP. REDING: *1. Cùm religionis eſſentia in eo conſiſtat, ut hominem ordinet ad reverentiam & honorem latreuticum Deo tanquam primo rerum omnium principio reddendum; ultro concedimus, cultum religioſum formaliter talem in ſolum Deum referri. Sanctorum verò invocatio religioſa cultus illius religioſi erga illos rationem neutiquam ſubit; licet eos honorando ſub formalitate virtutis longè inferioris, religioni ſolum Deum formaliter reſpicienti ſubordinatæ, in honore illo Sanctis exhibito exiſtat ordo tranſcendentalis, ſub quo in Deum ipſum tanquam principium ſanctitatis omnis, imò & ſpecificæ honeſtatis hujus principium referri queat. Et ſub hac relatione Sanctorum invocatio formaliter religioſa eatenus conſtituitur, ut tamen ſub iſta formalitate in ſolum Deum reducatur; ad quam honeſtas moralis invocationis Sanctorum propria ſe habet tantùm materialiter, per modum medii, quod in religioſum ſoli Deo debitum cultum reduci poteſt. Hæc honoris religioſi ſoli Deo, & inferioris Sanctis debiti differentia fundamentum eſt diſtinctionis latriæ & duliæ. Quia enim Deus nos perfectionis ſuæ facit participes, & pleraque nomina Dei etiam attribuuntur creaturis, ſaltem ſub accidentaria analogica Divinarum perfectionum participatione, juxta Pſal. LXXXII. 6. Joh. X. 34. 2. Pet. I. 4. inde factum, ut quia voces Dei & Sanctorum cultum ſignificantes promiſcuè uſurpantur, vitandæ confuſionis gratiâ, cultus Dei latria, Sanctorum dulia nuncuparetur. eadem ratione, qua Filius Dei adverſus hæreſin Arianorum, nomine ab Eccleſia introducto, homouſius dictus eſt. Sicut nempe creaturis intellectualibus, Divinæ naturæ participatione potientibus, eſt quædam in nominibus Divinis analogica communio: ita quoad cultum Dei tanta eſt nominum communicatio, ut nullum in S. literis reperiatur nomen Divini cultus expreſſum, quin in S. Scriptura quandoque ad cultum creaturæ intellectuali exhiberi ſolitum applicetur. uti loca 1. Tim. I. 17. cum Rom. II.* (non 19. ſed) *7. nec non Deut. VI. 13. cum 1. Paralip. XXIX. 20. comparantibus liquet. 2. In promptu ratio eſt, cur vox duliæ, non autem latriæ ad cultum etiam creaturarum extendatur; quia licet dulia ſignificet non tantùm tremorem potentiæ, ſed etiam ſubjectionem; cui tamen potentiæ tremor ſubjectionem reſpiciens, creaturis intellectualibus communicabilis eſt; ſic illius duliæ proprium ſignificatum ſub participatione quadam analogica competere poteſt ſanctis, quorum in Dei conſpectu præcellentiæ ſublimitatem cum propriæ noſtræ infirmitatis tremore agnoſcentes, ad hanc ſupplendam, Divinæ gratiæ opem, mediantibus illis imploramus. Alia latriæ ratio eſt, cujus nomen Divinæ eſſentiæ nulli creaturæ communicabilem eminentiam importans, ad cultum Sanctorum applicari nequit. 3 Sathanas Matth. IV. 3. 10. adorationem latreuticam à Chriſto petiit. quippe Deitatis ſimilitudinem ſibi ambitioſè arrogans. De eadem ergo Chriſti reſponſio intelligi debet.* Ibid. pag. 65.-67. Reſp. Haſce tenebras Redingianas invitus equidem lectori repræſento. Repræſento tamen, ne me ſpeculationes ſuas negligere quiritari poſſit: & quæ ille operosè in tenebris ſuæ Sophiſtices contexuit, retexo paucis. 1. Quantum ergo ad fundamenta illa diſtinctionis latriam inter & duliam, ea infra *Reſp. ad Obj. VII.* fusè & ſolidè diſcuſſi. Ibi etiam diſpiciemus, an reſponſiones meas convellere potuerit. Expectaveram equidem, & loca a me citata ex Deut. VI. 13. Matth. IV. 10. Deut. XVII, 3. 2. Reg. XVII 33. Rom. I. 25. Gal.

IV. 8.

IV. 8. Col. II. 18. Apoc. XXII. 19. 20. sigillatim expenderet. In illis enim omnis & latria & dulia, cultus religiosus omnis, quocunque nomine vestitus, uni solique Deo vindicatur; neque quicquam religionis creaturæ ulli impertiendum relinquitur. Frustra ergo Redingius inter *essentiam religionis*, in solum Deum, ceu primum principium tendentis; & *virtutem inferiorem* religionis essentiæ subordinatam distinguit. *Virtus* enim illa *inferior* quonam refertur? Ad religionem, an ad justitiam: ad amorem Dei, an ad amorem proximi? Si ad *religionem*, ad *amorem* Dei, jam ergo non inferior virtus erit, sed ipsa religionis essentia in ea consistet, quam tamen in solum Deum referri, ipsemet Adversarius fatetur. Si ad *justitiam*, ad *amorem proximi*, non ergo virtus religiosa, sed moralis erga proximum erit. Hæ verò virtutes juxta præcepta secundæ Decalogi tabulæ, vel ad honorem, vel ad vitam, vel ad pudicitiam, vel ad bona, vel ad famam, vel ad *ἀυτάρκειαν* referri omnes debent. Ad quam harum *virtus* illa *inferior* religiosæ subordinata referri, Redingi, debet? Vel ad nullam, vel ad honorem proximi. Atqui ad *honorem proximi* nec adoratio, nec invocatio ejus pertinet. Alias etiam in hac vita proximus invocari deberet. Nam & qui militat in terra, & qui triumphat in Cœlo, homo, creatura, proximus est. Utriusque honor idem specie est, licet gradu differat: religiosus verò, non alii quàm Dei infinitæ excellentiæ debitus, neutrius, sed civilis, socialis meré. Hic ergo ingenuè, Redingi, pugna: & vel *virtuti* huic *inferiori* suam in Decalogi alterutra tabula sedem ostende; vel, si potes, novam nobis legem, novum Decalogum, in quo medius inter amorem & honorem Dei & proximi amor vel honor locum obtinere possit, demonstra. Frustra hic duliæ, latriæ nomina crepas. Voces enim illæ perinde ac *adoratio*, *προσκύνησις*, quæ voce השתחוה exprimitur, eodem loco 1. Paralip. p. XXIX. 20. à te citato & Deo & Regi; illi religiosè, huic civiliter adorando, tributa; mediæ sunt, & ad honorem Dei religiosum, & proximi socialem utræque pariter referuntur. Nam & Deus latria, dulia, *religiosa* utraque, colitur, adeò quidem ut *latria* in utroque Testamento tricies, *dulia* tricies novies Deo tribuatur: & in proximum latria, dulia *socialis* utraque ferri potest. Sicut Genes. XXVII. 29. Isacus ad Jacobum dixit: יעבדוך עמים *δουλευσάτωσάν σοι τὰ ἔθνη*: ita Deut. XXVIII. 48. Moses ad populum Israeliticum dixit: עבדת את איביך *λατρεύσεις τοῖς ἐχθροῖς σου*. Vides, Redingi, & *λατρείαν latriam*, & *δουλείαν duliam* usurpari de servitute, honore erga proximum; non erga Deum duntaxat. Cùm ergo voces mediæ sint, ex re ipsa decernendum est, qualis honor Deo, vel Sanctis competat. quomodo ex re ipsa Ecclesia decrevit, Filium Dei *ὁμοούσιον* dici posse, quia ejusdem cum Patre essentiæ eum esse, Scriptura docuit. Medium proin honorem, eúmque nec religiosum, soli Deo debitum, nec civilem vel socialem, nisi pariter ex Dei verbo solidè prius demonstraveris, vester in vocibus latriæ & duliæ lusus præstigiis, quàm ratiocinationi similior erit. Neque enim illa *δόξα*, *τιμὴ gloria*, *honor*, qui Rom. II. 7. (huc à te ineptè detorto loco) tribuitur, ille cultus, illa gloria est, quam homines Divis tribuunt; sed, explicante statim S. Paulo, *vita æterna* gloriosa, quam Deus fidelibus promittit. Quòd si medium quoddam objectum, mediam excellentiam, adeóque etiam medium cultum constituere libuit, profectò ille civilis potiùs, quàm religiosus constituendus fuerat, quia duas excellentias, increatam & creatam, quas inter distantia infinita intercedit, longè absurdius esset uno communi religioso, quàm duas excellentias, puta Angelorum Sanctorúmque hominum, & hominum purorum, militantium adhuc, utramque finitam, adeóque ad se invicem infinitè propiùs accedentem, uno communíque *civilis* cultus complexu jun-

gere. Sicut infinita & finita excellentia misceri nullo modo possunt: ita neque medius quidam cultus religiosus institui potest. Vel enim ille de extremis participaret: vel utrumque negaret. Non prius, quia Deus honorem suum vel universum, vel partem ejus nemini alii dat. Non posterius, quia sicut nihil est, quod non vel finitum, vel infinitum sit: ita medius cultus, neutra excellentia participans, excogitari nequit. Quinimò si media excellentia, mediúsque adeò cultus etiam daretur, is tum excellentiæ, tum cultus etiam civilis nomine longè & concinniùs & tutiùs veniret, quia Sancti glorificati & homines pii sunt *σύνδουλοι* & *συμπολῖται* ejusdem Hierosolymæ, quæ à Cœlo ad terram usque pertingit, Ephes. I. 10. Phil. III. 20. Col. I. 20. Hebr. XII. 22. 23. Et Cœlites ergo & pii in terra militantes una politia, una societate gaudent, ejusdem Civitatis cives sunt, hi peregrinantes extra patriam, illi in patria habitantes. Ast verò *συμπολῖται concives* sibi mutuò non religiosum, qualis soli Deo competit, sed civilem, socialem honorem cultúmque, qui mutuæ dilectionis est, debent. Atque id ipsum etiam bellula illa fundamenta, quæ distinctioni latriam intèr & duliam substravisti, confirmant. Nam *latriam* Deitatis essentia incommunicabili: *Duliam* analogica nominis & attributorum quorundam Dei, dominii inprimis, quod ad *δουλείαν* seu *subjectionem servilem* relationem habet, participatione niti, philosopharis. Atqui analogica illa nominis & attributorum quorundam Dei participatio non in terra minùs quàm in Cœlo locum habet. imò participatio *nominis & dominii* Dei in terra magis, quàm in Cœlo. *Dii* enim quidam in terra dicuntur ob officium à Deo commissum erga inferiores: & dominium pariter communicatur quibusdam, quia alii iis subjiciuntur. At qui in Cœlo sunt, Sancti, nuspiam respectu eorum, qui in terra sunt, vel *Dii*, vel *Domini* dicuntur: neque uspiam iis officium, potestas, dominium respectu eorum, qui in terris sunt, commissum dicitur. Quinimò ne *Angelorum* quidem, qui & in Cœlo, & in terra subinde nobiscum sunt, *δοῦλοι servi*, sed *σύνδουλοι conservi* sumus Apoc. XIX. 10. Si illorum servi non sumus: nec illi domini nostri sunt. Et cur magis nos Sanctorum servi; & Sancti domini nostri? Hæc ergo ratio si valet, potiùs illi, qui in terra sunt, quàm qui in Cœlo sunt; adeóque Imperatores, Reges, Principes, Dynastæ, patresfamilias, heri religiosè invocandi fuerint, quàm Sancti Cœlites. Hi enim, non illi, domini nostri & sunt & dicuntur. Viden' quàm straminea sint distinctionis tuæ fundamenta: & quàm potenter hagiolatriam vestram feriant testimonia Scripturæ à me citata, veluti Deut. VI. 13. *Jehovam Deum suum timebis,* ואתו תעבד *& illi servies.* (& quidem, uti Christus Matth. IV. 10. interpretatur, *μόνῳ soli.* ubi etiam עבד, quod *δουλεύειν* significat, per *λατρεύειν*, uti aliis quoque in locis Scriptura sæpiùs idem fecit; reddit, distinctionem vestram prævidens, & data velut opera jugulaturus) Rom. I. 26. *ἐσεβάσθησαν religiosè coluerunt* (an vos sanctos non *σεβάζεσθε?*) & *ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, & inservierunt creaturæ præter creatorem* (planè uti vos Deiparæ, Angelis, Sanctis, hostiæ præter, imò contra & supra creatorem inservitis) Gal. IV. 8. *ἐδουλεύσατε τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς inservivistis iis, qui natura Dii non sunt* (planè uti vos *inservitis* iis, quos vos non agnoscere *natura Deos* & fatemini & protestamini) Col. II. 18. 21. *Nemo vos subjiciat volens: ἐν τῇ θρησκείᾳ τῶν Ἀγγέλων in cultu Angelorum* (invocationem autem vestram Sanctorum, sive illa *dulia*, sive *latria* sit, saltem esse *θρησκείαν cultum*, & quidem opinione vestra non civilem, sed religiosum, ipsimet pertenditis.) *quæ rationem habent sapientiæ in voluntario cultu & humilitate* (sic enim & vestra illa erga Sanctos religio *λόγον σοφίας rationem sapientiæ* habet, sophistica distinctione fucata; in *cultu electitio*, utpote præcepto Divino juxta vos destituta, &

humilitate, erga Deum scilicet, quem ob Majestatem ejus summam rectà adiri non posse, prætenditis) Et sanè, quicquid distinctiunculis vestris moliamini, omnis servitus vestra in latriam resolvitur. Nam per eam aliquid Divinum Angelis & Sanctis datur. Servimus civiliter, quando opibus, aut manu, aut motu membrorum corporis alii aliis commodi sumus. Id verò in hoc cultu locum non habet. Vel, quando paremus iis, quos Deus nobis præfecit, agnoscentes eorum potestatem in bona nostra & in membra nostra, ad imperandum actus licitos: vel etiam ad urgendum actus externos à Deo ad cultum ejus imperatos. qualia sunt, quæ imperant & imponunt, qui *Dii* in verbo Dei vocantur, & in lege olim vocabantur. Neque hæc locum ullum hic habent. Sed quid est templa & altaria dedicare: invocare non visos, ut visos: vota nuncupare: suspiria cordis offerre: meritis niti: potestatem & voluntatem aliquid ad salutem conferendi, & intercessionem non sine meritis attribuere? Hæc Divina non sunt? Plusne Christo, plusne Deo tribuitis? Annon sic Sanctis tribuitis, quod *summo & primo principio*? Quanquam illi nec invocandi sunt ut *medium*, per quod Deus salvare velit; quia solus Deus is est, *ex quo & per quem* sunt *omnia*, ut ei soli sit *gloria*, Rom. XI. 36. Ideo & *ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας princeps salutis* non alius quàm Deus, Filius Dei, esse potuit, Hebr. II. 10. Hæc clara, diserta, evidentia opponimus tenebris tuis, veritati offusis, quas infra etiam prolixiùs discutimus. 2. Cùm & latria & dulia Deo & creaturis tribui soleat; & in Deo cultum religiosum, in creaturis civilem utraque notet, hoc tamen cum discrimine, quòd *latria* sive Deo, sive creaturis tributa, cum respiciat propriè, ad cujus tremimus potentiam, licet ejus dominio non subjiciamur; *dulia* verò, sive Deo etiam, sive creaturis tributa, alterius debitum obsequium & servitutem suggerat; frustra rationem reddere conaris, cur latria soli Deo, dulia creaturis etiam competat. Etenim si creaturis dulia, servitus debetur ob communicatum iis dominium & potentiam: iisdem etiam latria debebitur, quia quibus ob potentiam eorum & in nos dominium servimus, ad eorum multò magis potentiam tremimus, qui latriæ honor est. Plus enim est alicui ob potentiam servire, quàm ad alicujus potentiam, sine servitute tamen, tremere. Et si illud, quod majus est, inest: hoc etiam, quod minus est, inerit. Neque propterea non potest communicari *latria*, quia unus tantùm Deus est: at communicari potest *dulia*, quia plures sunt Domini, quia religiosus cultus non in alium ferri potest, quàm in eum, qui & Dominus & Deus, adeóque Dominus omnipotens, id est, propriè Deus est. Non magis enim dominium Dei univocè communicabile est, quàm Deitas. Utrumque verò communicatur *ἀναλόγως*. Creaturæ enim sicut Domini, ita etiam Dii nominantur. Sed *Sanctorum*, inquis, *in Dei conspectu præcellentiæ sublimitatem cum propriæ nostræ infirmitatis tremore agnoscentes, ad hanc supplendam, Divinæ gratiæ opem, mediantibus illis, imploramus.* Probandum verò tibi erat, *præcellentiæ Sanctorum sublimitatem* religiosi cultus eorundem causam esse; & propter infirmitatem nostram Sanctos apud Deum in vota vocandos esse. Hæc enim illa in cultu Sanctorum *ταπεινοφροσύνη humilitas* est, quam *sapientiæ*, at non veræ, verùm idololatricæ *rationem* habere, Apostolus Col. II. 23. pronuntiavit. 3. Sathanæ à Christo stipulationem his verbis expressit Matthæus cap. IV. 9. *Hæc omnia tibi dabo, ἐὰν πεσὼν προσκυνήσῃς μοι, si prostratus adoraveris me.* *προσκύνησιν* ergo, *adorationem* simpliciter, non *λατρείαν* petiit. Nec se pro summo Numine, principio & fine omnium à Christo agnosci petiit, quia disertè dicit Luc. IV. 6. *Tibi dabo potestatem hanc omnem, & gloriam earum. ὅτι ἐμοὶ παραδέδοται, quia mihi tradita est* (à Deo scilicet) omnis

omnis illa potestas; *& do eam, cui volo.* Deo itaque, ceu supremo Numini, relinqui t λατρέιαν, solum ob conferenda Christo regna ab eodem προσκυνήσεως homagium stipulatur. Hanc autem, juxta glossam Pontificiorum, utpote creaturæ suo modo communicabilem, Christus præstare poterat. Replicare ergo Sathanas, ex Pontificiorum hypothesi, poterat: Cur non das, quod possis, & quod agnoscis creaturæ competere posse? Sed ille gladio verborum Christi: *Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli* (תַעֲבֹד Deut. VI. 13.) λατρεύσεις *servies* (sic enim etiam Vulgatus reddit) percussus agnovit, (quod Hagiolatræ nostri nondum agnoscere volunt) tam προσκύνησιν *adorationem*, cujus species etiam invocatio est, quàm λατρέιαν *religiosam servitutem* soli Deo à Christo adjudicatam esse.

ARG. III. Qui invocat Sanctos pro intercessione apud Deum, & impetratione beneficiorum per eorum opera, hoc est, merita & auxilium, is Sanctos facit se inter & Deum mediatores, tum intercessionis, tum satisfactionis. De intercessione largiuntur. De satisfactione probatur, quia satisfaciendo mediator est, quisquis interpositis suis operibus præstat nobis tum temporalia commoda, tum spiritualia beneficia, quod de Sanctis innuit & Concilium & praxis publica. Quo posito, sequitur, grandem fieri injuriam Christo, qui Mediatoris & intercedentis & satisfacientis solus in Scripturis 1. Tim. II. 6. Eph. III. 12. Hebr. IV. 16. 1. Joh. II. 2. nomenclaturam habet, & dignitatem possidet.

RESP. REDING: 1. *Ergone Jacobus cap. V. 16. Christo Mediatori injuriam fecit, sic admonens fideles:* Orate pro vobis invicem, ut salvemini. 2. *Aliud ergo est Mediatoris hominem inter & Deum munere absolutè, & cum ea eminentia, ut pro sua Divinitatis, & hypostaticæ increatæ sanctitatis, oblatæ pro alio intercessioni infinitum valorem attribuentis reverentia, exaudiri mereatur; quomodo solus Christus Mediator est juxta loca à te citata: aliud cum subordinatione ad Christum secundum quid participare de officio Mediatoris sic ut ipsius pro alio intercessio obtineat valorem de congruo duntaxat impetratorium, nonnisi ex meritis Christi subsistentem & à Deo patre acceptabilem. Hæc Mediatoris ratio analogica & imperfecta Sanctis competit; uti ex Tob.* (non II. sed) XII. 12. *Apoc. VIII. 3. 4. liquet.* Ibid. pag. 67. 68. Resp. 1. Nulla, Redingi, Christo injuria fit, cùm alius pro alio orat, ἵνα ἰαθῇ *ut sanetur* à morbo; non, *ut salvetur*, uti ineptè Græcam vocem reddis. quanquam etiam salutem animæ invicem precamur. Sensus Jacobi est, Deum etiam ordinasse preces viventium pro viventibus ad sanandos morbos, & tollendas castigationes. quia vita præsens nec prodigenda est, nec contemnenda, utpote suppeditans tempus, quo præparemur, ut possimus stare coram tribunali Christi. Sed quid hoc ad rhombum? Nec mortuorum oratio intelligitur: nec sic orantes mediatore; vel coadjutores Christi constituuntur: nec merita sua meritis Christi conjungunt: nec intercessione sua (quæ communis, precaria, non mediatoria intelligitur) bona spiritualia, sed temporalia duntaxat, sanationem morborum, impetrare dicuntur. S. Paulus sanè cùm sæpe postulet preces viventium pro se, nullibi tamen viventes suos Mediatores nuncupavit. 2. Distinctionem porro tuam inter Mediatorem apud Deum *absolutè & simpliciter* talem, qui ob Divinitatem & hypostaticam, increatam sanctitatem, qua valorem infinitum intercessioni attribuit, semper exaudiri meretur; & Mediatori tali *subordinatum*

natum Mediatorem, unde quæso hausisti? Si è Scriptura, cedo locum, & cedimus. Nam quæ ex Tob. XII.12. & Apoc. VIII.3.4. affers, nihil probant, cùm liber Tobiæ apocryphus personato illi Raphaeli hoc quidem tribuat, *quòd orationem Tobiæ Domino obtulerit* (rectè an secus, non disputo) at Tobiam propterea Raphaelem, ceu Mediatorem suum, merita sua meritis Christi conjungentem, non invocaverit: & Apoc. VIII.3.4. non Angelus creatus, sed Christus intelligatur, de quo infra. Neque in tota Scriptura *μεσίτης Mediator*, propriè dictus (nam mediator merus internuntius, propriè dictus Mediator non est) præter Christum quisquam alius insignitur. Sin eam hausisti à Scholasticorum somniis, ὡς ἔοικας. S. Paulus 1. Tim. II.5. disertè: Εἷς μεσίτης *Unus Mediator*. itidem ut, εἷς Θεὸς, *unus Deus*. An verò unus natura Deus *absolutè*: plures uni illi *subordinati*? Imò Deus sic unus dicitur, ut excludantur omnes distinctionum quisquiliæ: cur non & Mediator? S. Augustinus *contra Epist. Parmen. lib. II.* 8. scitè: *Si esset Mediator Paulus, essent utique & cæteri Apostoli: ac sic multi Mediatores essent: nec ipsi Paulo constaret ratio, qua dixerat: Unus Deus, unus Mediator.* Et quis non videt, Paulum probare, orandum esse pro omnibus, quia omnes Deus salvari velit? Et rursus, Deum omnes velle salvari, quia unus sit Mediator? Mediatorem ergo intelligi, cujus beneficio perveniatur ad salutem. Itaque unicum esse Mediatorem, per quem salutem speremus. At Papistæ per Sanctos volunt sperari postularíque salutem, & quæcunque ad eam conducunt. Tales ergo Mediatores inducunt, qualis is ipse est, quem ἕνα *unum* esse, Apostolus pronuntiat; & non alium esse posse, quàm qui idem (v.6.) *se ipsum dat ἀντίλυτρον pretium redemptionis pro omnibus*; hoc est, *Redemptorem*, declarat. At Sanctos, quos invocatis, sic Redemptores esse, ut se ipsos dederint pro hominibus redemtionis pretium, equidem dici vetatis; licet reapse tales constituatis, quod potentissimum contra distinctionem vestram telum est. Nam æqualitatem illam Mediatorum Sanctorum & Christi arguit, partim quòd sic Sanctos invocatis, ut per merita eorum exaudiri putetis; (v.g. in Festo Ludovici Confessoris: *Deus qui beatum Ludovicum confessorem tuum, de terreno ac temporali Regno, ad Cœlestis & æterni gloriam transtulisti, ejus, quæsumus, meritis, & intercessione Regis Regum Jesu Christi Filii tui nos cohæredes efficias, & ejusdem Regni tribuas esse consortes*) partim quod quicquid in Psalmis vel Deo assignatur, vel Christo, id in Psalterio Mariæ Virgini tribuere, Bonaventura vestras, Sanctulus & ipse, non erubuit: partim quòd, uti ex pictura in Sylvæducensi Templo ab Episcopo Masio constituta apparet, dubitare vos profitemini, utrum ad ulcera Virginis Mariæ, an ad sanguinem Christi recurrendum sit: partim, quòd etiam Sanctos Christo & Patri interdum præfertis. veluti cùm in Cantico Ecclesiæ Romanæ dicitur: *O felix puerpera, Nostra pians scelera, jure Matris impera Redemptori*; item, cùm dicitis, *Deum sic distribuisse Regnum suum, ut Mariæ misericordiam tribuerit, sibi justitiam reservaverit*; uti quidem Gabriel Biel in *Can. Miss. Lect.* 80. Bernhardinus de Bustis in Mariali suo *Serm. III.* scribunt. Innumera ejusmodi, auditu & lectu horrida, alibi producta, ad compendium pono. Præterea intercessio & redemptio, quæ fit per Mediatorem *absolutè* talem, duo sunt actus ita uniti, ut neuter sine altero existere possit. Non enim sunt isti duo disparati modi mediationis, sed duæ partes unius & ejusdem modi: sicut solutio pretii, & ejusdem continuata repræsentatio, ut redemptis applicetur, propriè ad unum modum pertinent. Ergo Mediator redimendo intercedit, & intercedendo redimit. Unde dein tibi constat, tales *subordinatos* Mediatores *valorem* habere *impetratorium ex meritis Christi*, & ut sic à Deo Patre *acceptari*? Vix etenim Rex aliquis, nisi insipiens, probabit vel acceptabit libellorum supplicum

Ma-

Magistrum, quem pro suo libitu alius substituit, & non ipse designavit. Nec Christus meruit, ut alii essent Mediatores, vel coadjutores, & merita sua cum meritis Christi, ut partiales causæ salutis, conjungentes, munus suum Mediatorium unicum sic contumeliosè perturbarent. Denique omnis Mediator verus medius esse Deum inter & homines debet; ac propterea Christus, juxta illa Athanasii *Dial. 5. de Trin.* εἰ μόνον ἦν ἄνθρωπος, ἢ εἰ μόνον Θεὸς, οὐκ ἂν ἦν μέσος Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, *si tantùm esset homo, vel si tantùm Deus, non esset medius inter Deum & homines:* & quicunque est Mediator inter Deum & homines, eum oportet pro hominibus mori, quia Mediatoris in negotio salutis est, conciliare partes inter se diffidentes, non æquo jure, sed Deum hominibus propitiando, ut peccata iis remittat, quod sine sanguinis effusione fieri nequit. Ergo nemo Mediator verus est, nisi qui *absolutè* talis est, & officio & natura medius, solus Christus, utpote cui soli hæc competunt: *subordinati* verò qui superinducuntur, Mediatores non sunt, sed finguntur esse, maxima cum Mediatoris Christi unici contumelia. Vana proin & sophistica distinctio tua est, qua Christo Mediatori & nobis illudere conatus es.

ARG. IV. Sanctorum nulla sunt merita, nec si quæ essent, ea superstitibus in hac vita communicari, & prodesse ullo pacto valerent, cùm justus per propriam fidem justificari debeat.

RESP. REDING: 1. *Saltem unus Sanctorum potest pro peccatore in hac vita constituto interponere intercessionem, cujus valore haud condignè meritorio, sed de congruo impetratorio mediante Deus ad actum fidei contritione tandem formatæ excitandum, & hujus tanquam præviæ dispositionis intuitu reconciliationis gratiam formaliter justificatricem infundendam moveantur. 2. Hoc ipsum Georgius Rhætus, ex Calvinistica perfidia ad orthodoxam fidem novissimè conversus, Facis suæ Rat. 3. docum. 24. probavit.* Ibid. pag. 68. 69. Resp. 1. Non feris argumentum meum, inde petitum, quòd Sanctorum nulla sint merita, adeóque illi propter merita & vota sua nobis suffragari, & à nobis invocari non possint. Hoc tamen invocationis Sanctorum fundamentum statuitis. Merita quippe & vota, vobis interpretantibus, media quædam sunt ad beatitudinem: & horum authores sunt Sancti: eóque ipso nomine à vobis invocantur. Neque intercessio Sanctorum communis & precaria; sed ob merita efficax & potestativa vobis statuitur. Quanquam hujus assertionis te pudere videtur, cùm intercessionis Sanctorum *valorem haud condignè meritorium, sed de congruo impetratorium*, adeóque ne *meritorium* quidem agnoscere videri vis. Reliqua nil sunt nisi colluvies errorum & hæresium de justificatione, quas supra confodimus. 2. *Hoc ipsum*, quod Georgium Rhætum, ex castris Christi ad Antichristi castra transfugam, probasse ais, quidnam est? Illudne, quòd Sancti ob merita sua in vota nostra vocandi sint? Atqui *meritorum*, ob quæ Sancti invocandi, ne uno quidem apice Patres ab ipso nescio unde compilati meminerunt. Cur ergo transfugam vestrum huc advocas? Habeto tibi ejus σκύβαλα, malè olentia, quæ vobis nulli invidemus.

ARG. V. Qui invocantur religiosè pro impetratione beneficiorum, eos oportet tribus his facultatibus esse ornatos, scientia videlicet rerum nostrarum, item eas curandi voluntate, ac viribus & potentia naturæ, quibus eas curare valeant. Absque his qui sunt, nec exaudient, nec beneficia conferent, nec conferre poterunt. At in Sanctis defunctis singula hæc deficiunt.

tiunt. Quippe ignorant, quid ſigillatim vel patiantur vel petant Sancti in terris Eſaj. LXIII.16. 1.Reg.VIII.39.2.Reg.XXII.20.Et ſanè ſcientia actionum,eventuum vel poſtulatorũ noſtrorum non competit Sanctis, quia nec per naturam, nec per operationem ſunt præſentes, nec per revelationem quidquam earum rerum,quæ ad felicitatem eorum non pertinent, cognoſcunt. Multò minùs ſcientiæ iſtius fundamentum eſt ſpeculum S.S. Trinitatis, de quo tam multa impunè ἄτερ γραφῶν καὶ λόγυ fabulantur,còntradicentibus etiam in ipſo Papatu Lombardo, Altiſiodorenſi, Thoma, Bannes, Eſtio, aliis,eò quòd Sancti in Deo plura videre neceſſe non habeant, quàm quæ ad eorum beatitudinem pertinent. Voluntas etiam deeſt Sanctis nos juvandi. Quippe voluntas eorum eſt ex vocatione. Vocatio nonniſi ex mandato & promiſſione cognoſcitur. Ubi verò docetur, Sanctos res noſtras curare ex mandato Dei, & conſcientia promiſſionis? Denique nec eam poteſtatem Sanctorum habent animæ, ut ad tam varia, tam multa aliter, quàm ſucceſſivè poſſint attendere. Infinitæ virtutis eſt, uno intuitu tam diſſita, tam diſſidentia & capere & curare.

RESP. REDING: 1. *Angelos rerum noſtrarum ſcientiam habere, ex Pſal. XCI. 11.12. Zachar. I. 11. liquet. At Sancti defuncti ſunt ἰσάγγελοι Matth. XXII.30. Ergo eandem & illi ſcientiam habent.* 2. *Locum Eſaj. LXIII.16. non facere ad rem, fatetur Calvinus. Verba ergo illa:* Abrahamus neſcivit nos, *&c. comparatè intelligenda ſunt, quatenus Abrahamus & Iſrael cum Deo comparati, nihil Iſraelitis præſtitiſſe videri poſſunt; hoc eſt, eòs ex Ægypto non eduxerunt, uti Chaldæus Interpres habet; imò eo tempore, quo Eſajas locutus eſt, Iſraelitas odit. ut non in alio, quàm in Deo, ceu patre unico, ſpes iis ſupereſſet.* 3. *Solus quidem Deus cor hominum novit, 1. Reg. VIII.39. ex congenita puta & naturali ſcientia. Sancti verè nôrunt ex ſpeciali revelatione.* 4. *Falsò Thomæ, aliiſque tribuis, quòd ſpeculum S. Trinitatis negaverint. Nam ex S.Thomæ 2. 2 q.171. art. 2. contrarium colligitur. Agnoſcunt quidem Theologi illi, Sanctos in Deo plura videre neceſſum non habere, quàm quæ ad eorum batitudinem pertinent; nempe ſi beatitudo ſpectetur tantùm quoad quidditatis ſuæ ſtatum eſſentialem: non ſi ſpectetur quoad ſtatum etiam perfectionis integralis. Eatenus enim, ex mente etiam Thomæ, habent cognitionem etiam ultimi finis intelligibilis, ſeu viſionem eſſentiæ Divinæ fidei ſuccedentem, ſaltem quoad ſubſtantiam myſteriorum fidei, licet non quoad omnes circumſtantias; & quatenus appetitus naturalis tendit ad cognoſcenda omnia rerum genera, ſpecies, virtutes & totius univerſi ordinem; &c.* 5. *Fideles ſunt concives Sanctorum, Epheſ. II.19. Quomodo ergo Sancti cœlites voluntatem non habent juvandi ſuos concives? Et numquid non charitas, qua his obligantur, vocationem ſupplet? Quomodo fidelibus aditus eſt ad cœleſtem Hieroſolymam, ſi cœlites nulla cum iis charitate colligantur? Imò hæc illa in Symbolo Apoſtolico decantata Sanctorum communio eſt.* 6. *Quod naturæ vires, in tam diſſitis & diſſidentibus uno intuitu capiendis & curandis, ſuperat, id Divinæ virtutis gratia, naturæ limites tranſcendente, in Sanctis ad gloriæ & viſionis beatificæ ſtatum evectis, poſſibile eſt. Unde S. Auguſtinus de Civit, D. lib.XXII. 2. aſſeverat, cognitionem creaturæ in ſe ipſa declaratiorem eſſe, quàm cùm in ſapientia Dei cognoſcitur, velut in arte, per*

concordiæ cum Romanis farciendæ studio, mediam illam sententiam amplexi videntur. Æthiopes seu Habessinos Purgatorium nullum admittere Author *Tradit. Cath. q. 16.* ex Alvaresio ipso probat. Et Thomas à Jesu, Monachus Carmelitanus, vestras: *Nullas*, inquit, *pro defunctis oblationes habent, nec sacra faciunt pro viris, forte, vel quia existimant illis non prodesse, aut quia Purgatorium cum Græcis non agnoscunt.* Sed & relatio Petri Jarricii *Thes. rer. Ind. Tomo III. cap. 34.* narrantis, quid P. Paezio in ipsa Abyssinorum regia contigerit, id ipsum confirmat. *Tum*, ita scribit, *Monachus quidam è turba petiit, cur legem nos veterem, quam illi in plurimis sequuntur, minimè observemus. Secularium dein quispiam, rogat, cur duas in Christo naturas & Purgatorium asseramus. Hæc enim ipsi negant. Tribus hisce quæstionibus doctissimè Paezius satisfecit, & eorum errores S. Scripturæ testimoniis confutando, & Catholicæ fidei veritatem confirmando.* Sed Habessinorum de Purgatorio fidem confirmant excerptæ à Godigno *lib. II. cap. 18. p. 316.* Monachi cujusdam Habessini literæ, qui in Colloquio cum Gonzalo Roderico sic *pag. 325.* Habessinorum sententiam explicat: *Muhammedani & Ethnici post mortem detrudentur ad inferos, ut ibi perpetuò sint. Christianæ legis professores, qui flagitiosè vivunt, tandiu igne gehennæ torquebuntur, donec peccata purgent. Omnes enim, qui baptismatis charactere signati sunt, ad beatitudinem tandem rapientur. Atque illud apertè constat ex illis Christi verbis: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvabitur.* Hæc quomodo cum Confessione Zagæ Zabo, à Damiano à Goes, cui, ut & aliis *sinceris & minimè malis* hominem illum imposuisse in pluribus, ejusdem Godigni testimonio constat, prodita conveniant, ipse videris. 2. Imò authoritatem apologiæ Marci Ephesii, ejusdem in hac doctrina cum Chrysostomo consensus luculenter confirmat. Is enim Purgatorium omnino nullum agnovit; & ignem illum, per quem Apostolus salvandos quosdam statuit, constanter de igne æterno damnatorum interpretatur. Quod supra jam ostendimus. Neque enim aliter σώζεσθαι *servari* talem dici putat, nisi quòd in gehenna æternùm mansurus sit, non autem cum opere ipso in nihilum abiturus. Ponam ejus verba *homil. 9. in 1. Cor.* Οὐχὶ καὶ αὐτὸς (inquit) οὕτως ἀπόλλυται, ὡς τὰ ἔργα, εἰς τὸ μηδὲν χωρῶν, ἀλλὰ μένει ἐν τῷ πυρί. σωτηρίαν γοῦν τὸ πρᾶγμα καλεῖ. Διὰ γὰρ τοῦτο προσέθηκεν, ὡς διὰ πυρός. καὶ γὰρ καὶ ἡμῖν ἔθος λέγειν, ἐν τῷ πυρὶ σώζεται, περὶ τῶν μὴ κατακαιομένων, καὶ τεφρουμένων εὐθέως ὑλῶν. μὴ γὰρ ἐπειδὴ πῦρ ἤκουσας, νομίσῃς εἰς ἀνυπαρξίαν χωρεῖν τοὺς καιομένους. *Non ipse quoque ita peribit ut opera, redactus ad nihilum; sed manebit in igne. Salutem itaque id vocat. Propterea adjecit,* quasi per ignem. *Nam nos quoq; solemus dicere,* Salvum est in igne, *de iis materiis, quæ non comburuntur, nec statim in cinerem rediguntur. Ne enim, quoniam ignem audivisti, existimes, eos, qui uruntur, eò redigi, ut non consistant.* Planè sic Marcus Ephesius, allegato etiam Chrysostomi suffragio. Qui etiam alibi, *homil. 5. in Gen.* disertis verbis ait, fideles illuc ire καθαροὺς τῶν ἁμαρτημάτων *puros à peccatis.* In locis ejusdem à te ostentatis Purgatorii nullam mentionem facit; precum duntaxat pro mortuis facit. quas Purgatorii basin neutiquam esse, abundè jam demonstravimus. 3 Si historiam *Unionis* Florentinæ exploratam haberes, judicares haud dubiè rectiùs, nisi vento, quod ajunt, occlamare malles. Etenim sicut provido Numine Tridentini Concilii historiam Paulus Servita: ita Florentini, & Unionis in eo cusæ historiam integerrimo studio Sylvester Sguropulus, Græcus & ipse, à Roberto Creygthono Anglo ex tenebris vindicatus, luci publicæ exposuit. Si non aliunde, vel ex eo certè authore jam constat, quo studio & instituto Græci pariter atque Latini Unionem illam & ἀργυρώνητον totam, & fraudulenter confectam, & paulò post domi omnium bonorum contentione maxima oppugnatam, neque unquam Orientalium consensu sancitam, machinati fuerint

rint. Sed & de ea operæ pretium fuerit audire, quæ ſcribit Caramuel, Abbas doctus, ingenuus & moderatior longè, quàm ſunt plurimi Pontificiæ partis, *Prodr. Pacis pag.* 53. ubi ſic ille: *Nunquam in Ferrarienſem Synodum veniſſent Græci, niſi Romana Eccleſia impenſas omnes ſubminiſtraſſet: noluiſſent Ferraria tranſire Florentiam, niſi duplum Ferrariæ habuiſſent, quàm Florentiæ (ſubſidium menſium octo pro quatuor menſibus poſtularunt obtinuerúntque) imò nec conveniſſent cum Latinis, niſi ſummis favoribus obruti ſine ingratitudinis nota aliter non poſſent facere.*

QUÆSTIO II.

An bonum & utile ſit, Sanctos unâ cum Chriſto regnantes ſuppliciter invocare, & ob beneficia impetranda à Deo per Filium ejus Jeſum Chriſtum, ad eorum orationem, opem auxiliúmque confugere?

AFfirmat Decretum de Invocatione Sanctorum, & addit, impiè ſentire illos, qui negant Sanctos invocandos eſſe. Rem ſanè magnam paucis, generalibus & jejunis verbis perſtringunt, præter ſolitam in reliquis capitibus diligentiam. Nihil de cultu Divorum, Angelorum in ſpecie, de duliæ & hyperduliæ ſubtilitatibus, de eximiis Divæ Virginis Mariæ honoribus. Nimiâ feſtinatione hæc omnia ſicco pede tranſeunt. Nos verò de propriè dicta invocatione, per quam religioſo cordis affectu Sancti in auxilium, imò in cor hominis vocentur, quomodo invocationem deſcribere amant Hieronymus & Auguſtinus, quæſtionem ſimpliciter negamus. Etenim

ARG. I. Sanctorum cum Chriſto regnantium invocatio nec mandatum, nec promiſſionem, nec exempla juſta & probata ſcripturarum habet, adeóque ad ἐντάλματα ἀνθρώπων, cultum Dei electitium, & ædificata excelſa Baalim pertinet. De mandato & promiſſione videtur largiri Bellarminus, docens, illa aliunde ſuppleri poſſe. Quin Bannes & Eccius *nec expreſſè nec involutè* id in ſcripturis haberi: A ſoto verò *non doceri, ſed innui* invocationem hanc in S. literis, fatentur. Quin ipſa Synodus non præceptum Divinum cauſatur, ſed nudè dicit, Sanctos piè & utiliter invocari. Exempla quidem Sanctorum invocantium proferunt, ſed quæ minimè ad rhombum

bum faciunt. Præterquam quòd ad exercendum cultum Deo gratum claro & expresso mandato opus est.

RESP. REDING : *In cultu Dei distinguere debebas formale & materiale. Id quod formale est, & ut sic virtutis religionis specificativum, in fide Divina radicatum, importat rationem supremæ Dei Majestatis, ejúsque dominii supereminentis protestatricem. in quo Divini cultus splendor & gloria essentialiter consistit. Materiale verò est quælibet res & actio, quæ in Deum, ceu ultimum finem, & primum principium referri potest. Duplex ille cultus Divini respectus eatenus differt, quòd circa priorem extat mandatum Divinum obligans, ut omnem actionem moralem etiam electitiam ad honorem Dei referamus: circa posteriorem autem Divinitus definitæ sunt certæ actiones & res, quæ sub necessitate præcepti sub religionis specifica formalitate obligantis necessariò perfici debent; ita ut in hominis arbitrio sit, reliquas eo modo Divinitus non definitas, dummodo nulla superstitio, seu defectio à formali cultus Divini ratione interveniat, vel exercere, vel omittere. Licet ergo invocatio Sanctorum sub materiali isto respectu non subesset præcepto Divino; non ideo tamen superstitiosa foret, quia nihil, quod cum Divinæ Majestatis, veritatis, perfectionis & dominii supremi ratione pugnet, intervenit, quin potiùs illa formalem mandati Divini normam illæsam obtinet. Passim enim S. Scriptura eam, ceu Divini cultus splendori consentaneam, veluti Genes. 48. 16. Exod. 32. 13. Jerem. 15: 1. Job. 5: 1. comprobat. Potuerunt ergo Bannes & Eccius dicere, invocationem Sanctorum in Scripturis non contineri, quatenus nullum præceptum extat, quo cultus Divini ratio sub ista Sanctorum invocatione exercenda præcipiatur. Satis est, quòd cum religionis sinceræ, & veræ fidei puritate non pugnat. Imò quia verbo Dei consentanea est, secundum istam formalem religionis participationem dici potest contineri sub Divini cultus mandato, saltem quoad specificationem ut sic, obligatorio, ne absque violatione religionis veræ, imò ipsius fidei, contemni valeat.* Tomo V. Tract. XII. §. 2. pag. 62--65. Resp. Malè distinguis, pejus applicas, pessimè concludis. Nos isthæc rectiùs digeremus, & digestis iis fraudem tuam propalabimus. Cùm religio, seu cultus Dei non aliud sit quàm observantia illa, qua ea animo & corpore præstamus, quæ directè ad honorem Deo deferendum faciunt, seu, uti Apostolus Rom. I. 21. definit, *glorificatio Dei agniti (cùm Deum nôrint,* inquit ille, *tamen ut Deum non glorificarunt, nec ei gratias egerunt)* & ratio illa, sub qua religio Deum respicit, sit Divina illa excellentia, quæ ex sufficientia & efficientia, adeóque Divina perfectione ex omnibus attributis ejus coalescente elucet; satis inde liquet, *formam* seu essentiam cultus Divini in glorificatione solius Dei & perfectionum ejus consistere; adeóque immediatè fluere ex fide illa, qua in Deum, ceu sufficientem & efficientem vitæ causam credimus. Oportet enim ut religio, seu cultus Dei bonum contineat, quo aliquo modo Deus afficiatur; quia aliter non esset observatio erga ipsum. Boni autem intrinseci nihil Deo adjici potest. Extrinsecum autem bonum est honor seu glorificatio, id est, testificatio virtutum & perfectionum ejus, ad gloriam vel æstimationem ejus promovendam, quod solum Deo creatura præstare potest. Sumus enim *genus electum, Regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis,* ὅπως τὰς ἀρετὰς ἐξαγγείλητε τοῦ ἐκ σκότους ὑμᾶς καλέσαντος εἰς τὸ θαυμαστὸν αὐτοῦ φῶς, *ut enuntiemus virtutes ejus, qui è tenebris nos vocavit ad lucem suam admirabilem.* I. Pet. I. 9. Conveniens igitur vel digna æstimatio de Deo, & actus alii, quibus æstimatio ea manifestatur, materiam proximam religionis constituunt. Omnísque adeò actus humanus honestus, quatenus ad Dei honorem & gloriam referri potest, materia, vel materiale objectum religionis esse potest. Unus enim

idémque

idémque actus, qui ratione subjectionis ad præceptum *ὑπακοὴ obedientia* dicitur, ratione honoris, quem Deo tribuit, *θρησκεία religio, cultus* vocari potest. Cultus porro ille duplex est, vel naturalis, vel voluntarius, seu institutus. *Naturalis*, qui ex ipsa natura Dei pendet, ita ut quamvis nullam legem Divinitus revelatam & præscriptam haberemus, ex contemplatione tamen idonea naturæ Dei rectè perspectæ cuncta percipere possemus, quæ hac in parte ad officium nostrum spectant. Nemo enim naturæ Dei paulò intelligentior non necessariò cognoscit, in Deum esse credendum & sperandum, eum esse amandum, invocandum, in omnibus audiendum. Quia tamen natura cœci, corrupti, in peccato mortui, naturam Dei rectè & salutariter non cognoscimus, neque adeò ei honorem, quem ejus natura exigit, deferre possumus, ideo Deus in verbo suo se ipsum nobis revelavit, & necessariam sui glorificationem instituit. *Voluntarius*, seu *institutus* cultus est medium ex Dei voluntate ordinatum, ad cultum naturalem exercendum & promovendum. Relationem enim habet ad cultum naturalem: aliter cultus Dei ne quidem esset, quia nulla alia ratione potest quis honorem Deo debitum, quoad essentiam actus, Deo tribuere, quàm fide, spe, charitate, quibus recipimus à Deo cum debita subjectione, quæ nobis recipienda proponit, & cum eadem subjectione ipsi, quæ ad honorem ejus offerri à nobis possunt, offerimus. Cúmque actus speciali modo exerceantur in iis, quæ Deus ad suum honorem instituit, iccirco in istis etiam secundarius quidam Dei cultus, & prioris quædam participatio continetur. Habet porro cultus ille institutus ad naturalem affectionem tum *effecti*, quod vi prioris existit; tum *medii*, vel *instrumenti*, qua fides, spes, & charitas, quibus ille cultus continetur, suos actus exerunt; tum *causæ adjuvantis*, qua promoventur; tum denique etiam *adjuncti*, cui subjiciuntur. Cultus tamen maximè proprius dicitur, quatenus est medium & adjuvans cultus primarii. Et media ejusmodi à Deo instituta alia quidem propriè & immediatè faciunt ad promovendam fidem, spem & charitatem; veluti *publica* & *solennis verbi Divini prædicatio, Baptismi & Cœnæ celebratio, precatio:* alia sunt media ad priora illa rite præstanda, velut *combinatio in certos cœtus, Ministrorum electio, ordinatio, ministratio, Ecclesiasticæ disciplinæ cura*. Facilè autem intelligitur, hujusmodi generis cultum voluntarium seu institutum à voluntate & institutione immediatè Divina, non humana pendere; adeóque legitimum esse neutiquam posse, nisi Deum authorem, institutorem, præceptorem habeat. *In omnibus, quæ edixero, continete vos*, Exod. XXIII. 13. *Ne addite ad verbum illud, quod ego præcipio vobis, neque detrahite de eo*, Deut. IV. 2. *Unamquamque rem, quam ego præcipio vobis, eam observantes facite: ne addito ei, neque detrahito ex eo.* ib. cap. XII. 32. Hinc Deus in præcepto Decalogi secundo: לֹא תַעֲשֶׂה לְךָ *Non facito tibi.* id est, ex tuo proprio cerebro, judicio. Licet enim particula isthæc לְךָ *tibi* aliquando redundet, vel alium sensum habeat; hic tamen & redundantiam excludit accuratissimum præceptorum compendium, & vanitatem humanarum cogitationum excludi, ex aliis Scripturæ locis eodem spectantibus manifestum est. velut Amos. VI. 26. *Quæ fecistis vobis.* Num. XV. 39. *Ne sequamini animum vestrum, & oculos vestros, quæ sequentes scortamini.* Corripitur voluntarius ejusmodi cultus Jer. XV. 9. *Ædificarunt excelsa Baalim, quæ ego non præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum;* Esaj. XXIX. 13. Matth. XV. 9. *Frustra me colunt, docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum;* Col. II 18. 23. *Μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω θέλων. Nemo vos subjiciat volens- ἐν ἐθελοθρησκείᾳ in voluntario cultu*, hoc est, religione à sola voluntate hominis profecta, qualis erat cultus Jeroboami. אֲשֶׁר בָּרָא מִלִּבּוֹ *quem commentus erat ex corde suo*, 1. Reg. XII. 33. Quin & fundamentum ἐθελοθρησκείας hujus Col. II. 18. 19. &c. ostenditur, quòd οἱ θέλοντες illi, qui *volentes*, voluntarium

tarium cultum instituentes, alios subjiciunt, *ea quæ non vident, invadant*; sint *φυσιούμενοι ὑπὸ τοῦ νοὸς τῆς σαρκὸς inflati temerè à mente carnis suæ*; & *non teneant caput* Christum, Legislatorem unicum; quódque cum Christo mortui ab elementis mundi, vivere in mundo non debeamus *δογματιζόμενοι dogmatis*, decretis voluntariis *subjecti*. Nemo enim, præter Deum ipsum, vel intelligere potest, quid gratum acceptúmque ille habeat: vel virtutem illam cultui alicui impartiri potest, qua efficax ille & utilis nobis fiat: neque potest quicquam Deo honorificum & gloriosum esse, quod ab ipsomet tanquam authore ejus non procedat. Neque denique potestatem illum cultum suo arbitratu instituendi cuiquam Mortalium Deus contulit. His ita non ex humana speculatione, sed Dei verbo digestis, Redingii commenta ultro ruunt. Etenim *primò*, si veræ religionis & cultûs Divini *forma* in glorificatione solius Dei & virtutum ejus consistit, manifestum est, invocationem Sanctorum falsum cultum esse, quia religiosus ille Sanctorum cultus non in solum Deum fertur, sed in creaturas. Omnis enim cultus ille, qui vel ex natura & conditione sua, vel ex lege & consuetudine communi, vel ex mente & institutione deferentis religiosum honorem alii, præterquam soli vero Deo defert, is Deum novum, & falsum, eatenus saltem, sibi fingit. *Secundò* religio & cultus verus Deum solum respicit, ut principium & supremum Dominum, ultimúmque finem. Falsa ergo est Redingii distinctio, qua is religionis actus illos, qui Deum respiciunt, tanquam primum principium & ultimum finem, Deo soli præstandos esse fatetur, sed alios religiosos actus etiam creaturis communicari posse contendit. Nullus enim religionis actus, nedum objectum, esse potest, quin Deum spectet tanquam primum principium & ultimum finem. Alias lata idololatriæ porta aperta foret; & idololatræ quivis impietatem suam hac distinctione tegere possent. *Tertiò* cultus *materia*, seu *materiale* est actus, quo æstimatio digna de Deo manifestatur; adeóque in Dei honorem immediatè fertur. Contra cultus creaturarum, cujus species invocatio Sanctorum est, ejusmodi actus non est, quia non in Deum immediatè glorificandum, sed in creaturas fertur. Neque sufficit dicere, Sanctorum invocationem etiam facere, aut referri ad gloriam Dei. Necesse enim est, id, quod fit ad gloriam Dei, tale esse, ut in eo Deus glorificetur, hoc est, ut in eo potentia spiritus, veritas, justitia, sanctitas, charitas elucescat. Deus enim non est Deus, qui humano consilio, voluntate, instituto acquiescat. *Quartò* nullæ sunt actiones religionis, cultus Divini capaces, nisi Divino præcepto & institutione definitæ, uti demonstravimus. Sanctorum verò invocatio Divino præcepto instituta non est, quia, uti Dominicus Bannes *in 2. q. 1. art. 10.* loquitur, *neque expreßè, neque involutè Scripturæ docent, orationes ad Sanctos esse faciendas*. Etenim illa vel ad cultum Dei naturalem, vel ad institutum pertinet. Non ad cultum *naturalem*, quia natura & sanctitas Dei naturalis cultum Sanctorum, qui creaturæ Dei sunt, religiosam non præcipit. Sicut cultum Dei, ob naturam ejus, qui colitur, præcipit, & necessariò infert. Neque enim in Sanctos credimus, speramus, neque eos supra omnia diligimus. Si ad *institutum*, voluntarium, pendebit igitur ex institutione, voluntate præcepto non ullius creaturæ, sed solius Dei. At institutionem, voluntatem præcipientem Dei ipsimet adversarii negant. Sed in ea nullam superstitionem, seu *defectionem à formali cultus Divini ratione* intervenire, Redingius clamat. Nos verò contrarium & probavimus jam, & probamus deinceps. Quanquam nec illud ad cultum Dei institutum sufficit, quòd non deficere à formali cultus Divini ratione prætexitur. quasi in cultu Dei toleranda sint additamenta tantùm *corrumpentia*, non verò *conservantia*. uti loqui crebrò Adversarii solent. Scriptura enim Deut. IV. 2. XII. 31. additionem quam-

vis

vis æquè ac detractionem obſervationi ſeu conſervationi mandatorum Dei, tanquam *corruptionem*, *declinationem* opponit. Cultus quippe Dei via ad Cœlum eſt, à Deo demonſtrata; à qua perindeeſt ad dextram, an ad ſiniſtram deflectas. Utraque deflexio *declinatio* à recta via, *corruptio* eſt. Sicut minima Dei mandata ad jota & apices uſque (Matth. V. 18.19.) religioſè obſervanda ſunt: ita etiam additiones, quæ videntur minimæ, eadem ratione rejiciendæ ſunt. Etiamſi igitur in θρησκείᾳ ἀληθινῇ laudandum eſt θέλημα πρόθυμον καὶ ἱλαρὸν *voluntas propenſa & hilaris*; tamen laudem nullam meretur ἐθελοθρησκεία, *voluntarius*, *electitius* quivis *cultus*; quæ, ſi verbum illud in ſuo vigore accipiamus, non aliam rationem habet, quam δόγμα & θέλημα ἀνθρώπινον, *decretum & voluntas humana*. Denique ne cultum quemvis Sanctorum non eſſe ἐθελοθρησκείαν *cultum voluntarium*, *electitium*, ab Apoſtolo damnatum putemus, ipſe S. Paulus Col. II. 18. *voluntarii cultus* ſpecimen producit θρησκείαν τῶν Ἀγγέλων *cultum Angelorum*. Si quæ creaturæ religioſo cultu afficiendæ eſſent, Angeli eſſent, creaturæ omnium ſublimiſſimæ. Atqui Angelorum etiam cultum Apoſtolus titulo ἐθελοθρησκείας *voluntarii*, non inſtituti, præcepti Divinitus, *cultus* damnat. Notandum autem etiam atque etiam, S. Paulum ceu ἐθελοθρησκείαν damnare totum genus cultus religioſi Angelis exhibiti, ſive adoratio, ſive invocatio, ſive quicquid illud eſt: non in ſpecie duntaxat adorationem Angelorum malorum, quos adorarunt gentiles; aut cultum genii ſui, vel ſidera, quæ putantur ab intelligentiis regi. Non enim ſi hic cultus damnatur, cultus religioſus Angelorum non eſt θρησκεία τῶν Ἀγγέλων *cultus Angelorum*. Qui ſpeciem ponit, non ille removet genus. Sed verò Papiſtæ inſuper eodem modo colunt Angelos, quo gentiles genios; & ex illis idola faciunt, quia iis, quod Dei & Chriſti ſolius eſt, μεσιτείαν *mediationem*, ſcrutationem cordium, gratiam tribuunt. *Quintò* nihil in Sanctorum invocatione cum *Divinæ Majeſtatis*, *perfectionis*, *dominii ſupremi* ratione pugnare, imò potiùs illam ceu conſentaneam Divini cultus ſplendori paſſim in Scriptura commendari, Redingius ait. De locis Scripturæ ab eo allegatis infra. Sed plurimùm de honore virtutum Dei religioſum creaturarum cultum quemvis delibare, argumento eſt, quòd id, quod ſolius Dei eſt, in creaturam transfert, adeóque gloriam Dei tribuit לאחר *alii*, Eſaj. XLII. 8. *Sextò* denique quod in Dei verbo præceptum, inſtitutum non eſt, illud abſque violatione religionis veræ meritò contemnitur; imò non contemni, damnari non poteſt. tantum abeſt, ut vel *formalem religionis participationem* ullam habeat, vel *ſub Divini cultus mandato contineri* ullatenus poſſit. Hæc enim mera idololatriæ veſtræ pigmenta non verbi Divini effata ſunt.

ARG. II. Invocatio religioſa eſt honor ſoli Deo debitus, Deut. VI. 13. Matth. IV. 10. coll. cum 1. Sam. VII. 3. ubi לבדו *ſoli* exprimitur: necnon Pſal. L. 15. Eſaj. LV. 6. Unde idololatriæ poſtulantur, quotquot eum cultum aliò referunt; & aliò quàm ad Deum religioſum cultum referre vetantur omnes, Deut. XVII. 3. 2. Reg. XVII. 33. Rom. I. 25. Gal. IV. 8. Col. II. 18. Apoc. XXII. 19. 20. Et patet ex re ipſa, quia invocatio eſt ſpecies latriæ & ſacrificii, quam in ſolum Deum competere, in confeſſo eſt. Futilem verò diſtinctionem *latriæ* Deo, & *duliæ* ac *hyperduliæ* Sanctis, uti volunt, competentis, non moramur, tum quia Matth. IV. 10 non λατρείαν ſed προσκύνησιν quamcunque petenti Sathanæ, Chriſtus ſententiam illam legis oppoſuit:

tum quia apud profanos & sacros scriptores promiscua est λατρείας & δουλείας significatio; fatente etiam Bellarmino, quòd Gal. IV. 8. δουλεία pro cultu solius Dei accipiatur: tum quia δουλεύειν plus est quàm, λατρεύειν, cùm illud non tremorem tantùm potentiæ, sed etiam subjectionem significet.

RESP. REDING: *1. Cùm religionis essentia in eo consistat, ut hominem ordinet ad reverentiam & honorem latreuticum Deo tanquam primo rerum omnium principio reddendum; ultro concedimus, cultum religiosum formaliter talem in solum Deum referri. Sanctorum verò invocatio religiosa cultus illius religiosi erga illos rationem neutiquam subit; licet eos honorando sub formalitate virtutis longè inferioris, religioni solum Deum formaliter respicienti subordinatæ, in honore illo Sanctis exhibito existat ordo transcendentalis, sub quo in Deum ipsum tanquam principium sanctitatis omnis, imò & specificæ honestatis hujus principium referri queat. Et sub hac relatione Sanctorum invocatio formaliter religiosa eatenus constituitur, ut tamen sub ista formalitate in solum Deum reducatur; ad quam honestas moralis invocationis Sanctorum propria se habet tantùm materialiter, per modum medii, quod in religiosum soli Deo debitum cultum reduci potest. Hac honoris religiosi soli Deo, & inferioris Sanctis debiti differentia fundamentum est distinctionis latriæ & duliæ. Quia enim Deus nos perfectionis suæ facit participes, & pleraque nomina Dei etiam attribuuntur creaturis, saltem sub accidentaria analogica Divinarum perfectionum participatione, juxta Psal. LXXXII. 6. Joh. X. 34. 2. Pet. I. 4. inde factum, ut quia voces Dei & Sanctorum cultum significantes promiscuè usurpantur, vitandæ confusionis gratiâ, cultus Dei latria, Sanctorum dulia nuncupartur. eadem ratione, qua Filius Dei adversus hæresin Arrianorum, nomine ab Ecclesia introducto, homousius dictus est. Sicut nempe creaturis intellectualibus, Divinæ naturæ participatione potientibus, est quædam in nominibus Divinis analogica communio: ita quoad cultum Dei tanta est nominum communicatio, ut nullum in S. literis reperiatur nomen Divini cultus expressum, quin in S. Scriptura quandoque ad cultum creaturæ intellectuali exhiberi solitum applicetur. uti loca 1. Tim. I. 17. cum Rom. II.* (non 19. sed) *7. nec non Deut. VI. 13. cum 1. Paralip. XXIX. 20. comparantibus liquet. 2. In promptu ratio est, cur vox duliæ, non autem latriæ ad cultum etiam creaturarum extendatur; quia licet dulia significet non tantùm tremorem potentiæ, sed etiam subjectionem, uti tamen potentiæ tremor subjectionem respiciens, creaturis intellectualibus communicabilis est; sic illius duliæ proprium significatum sub participatione quadam analogica competere potest sanctis, quorum in Dei conspectu præcellentiæ sublimitatem cum propriæ nostræ infirmitatis tremore agnoscentes, ad hanc supplendam, Divinæ gratiæ opem, mediantibus illis imploramus. Alia latriæ ratio est, cujus nomen Divinæ essentiæ nulli creaturæ communicabilem eminentiam importans, ad cultum Sanctorum applicari nequit. 3 Sathanas Matth. IV. 3. 10. adorationem latreuticam à Christo petiit. quippe Deitatis similitudinem sibi ambitiosè arrogans. De eadem ergo Christi responsio intelligi debet.* Ibid. pag. 65.-67. Resp. Hasce tenebras Redingianas invitus equidem lectori repræsento. Repræsento tamen, ne some speculationes suas negligere quiritari possit: & quæ ille operosè in tenebris suæ Sophistices contexuit, retexo paucis. 1. Quantum ergo ad fundamenta illa distinctionis latriam inter & duliam, ea infra *Resp. ad Obj. VII.* fusè & solidè discussi. Ibi etiam dispiciemus, an responsiones meas convellere potuerit. Expectaveram equidem, & loca a me citata ex Deut. VI. 13. Matth. IV. 10. Deut. XVII, 3. 2. Reg. XVII. 33. Rom. I. 25. Gal. IV. 8.

IV. 8. Col. II. 18. Apoc. XXII. 19. 20. sigillatim expenderet. In illis enim omnis & latria & dulia, cultus religiosus omnis, quocunque nomine vestitus, uni solique Deo vindicatur; neque quicquam religionis creaturæ ulli impertiendum relinquitur. Frustra ergo Redingius inter *essentiam religionis*, in solum Deum, ceu primum principium tendentis; & *virtutem inferiorem* religionis essentiæ subordinatam distinguit. *Virtus* enim illa *inferior* quonam refertur? Ad religionem, an ad justitiam: ad amorem Dei, an ad amorem proximi? Si ad *religionem*, ad *amorem* Dei, jam ergo non inferior virtus erit, sed ipsa religionis essentia in ea consistet, quam tamen in solum Deum referri, ipsemet Adversarius fatetur. Si ad *justitiam*, ad *amorem proximi*, non ergo virtus religiosa, sed moralis erga proximum erit. Hæ verò virtutes juxta præcepta secundæ Decalogi tabulæ, vel ad honorem, vel ad vitam, vel ad pudicitiam, vel ad bona, vel ad famam, vel ad *ἀντιῤῥεῖν* referri omnes debent. Ad quam harum *virtus* illa *inferior* religiosæ subordinata referri, Redingi, debet? Vel ad nullam, vel ad honorem proximi. Atqui ad *honorem proximi* nec adoratio, nec invocatio ejus pertinet. Alias etiam in hac vita proximus invocari deberet. Nam & qui militat in terra, & qui triumphat in Cœlo, homo, creatura, proximus est. Utriusque honor idem specie est, licet gradu differat: religiosus verò, non alii quàm Dei infinitæ excellentiæ debitus, neutrius, sed civilis, socialis meré. Hic ergo ingenuè, Redingi, pugna: & vel *virtuti* huic *inferiori* suam in Decalogi alterutra tabula sedem ostende; vel, si potes, novam nobis legem, novum Decalogum, in quo medius inter amorem & honorem Dei & proximi amor vel honor locum obtinere possit, demonstra. Frustra hic duliæ, latriæ nomina crepas. Voces enim illæ perinde ac *adoratio, προσκύνησις*, quæ voce השתחוה exprimitur, eodem loco 1. Paralip. p. XXIX. 20. à te citato & Deo & Regi; illi religiosè, huic civiliter adorando, tributa; mediæ sunt, & ad honorem Dei religiosum, & proximi socialem utræque pariter referuntur. Nam & Deus latria, dulia, *religiosa* utraque, colitur, adeò quidem ut *latria* in utroque Testamento tricies, *dulia* tricies novies Deo tribuatur: & in proximum latria, dulia *socialis* utraque ferri potest. Sicut Genes. XXVII. 29. Isacus ad Jacobum dixit: יעבדוך עמים *δουλευσάτωσάν σοι τὰ ἔθνη*: ita Deut. XXVIII. 48. Moses ad populum Israeliticum dixit: עבדת את איביך *λατρεύσεις τοῖς ἐχθροῖς σου*. Vides, Redingi, & *λατρεύειν latriam*, & *δουλεύειν duliam* usurpari de servitute, honore erga proximum; non erga Deum duntaxat. Cùm ergo voces mediæ sint, ex re ipsa decernendum est, qualis honor Deo, vel Sanctis competat. quomodo ex re ipsa Ecclesia decrevit, Filium Dei *ὁμοούσιον* dici posse, quia ejusdem cum Patre essentiæ eum esse, Scriptura docuit. Medium proin honorem, eúmque nec religiosum, soli Deo debitum, nec civilem vel socialem, nisi pariter ex Dei verbo solidè priùs demonstraveris, vester in vocibus latriæ & duliæ lusus præstigiis, quàm ratiocinationi similior erit. Neque enim illa *δόξα, τιμὴ gloria, honor*, qui Rom. II. 7. (huc à te ineptè detorto loco) tribuitur, ille cultus, illa gloria est, quam homines Divis tribuunt; sed, explicante statim S. Paulo, *vita æterna* gloriosa, quam Deus fidelibus promittit. Quòd si medium quoddam objectum, mediam excellentiam, adeóque etiam medium cultum constituere libuit, profectò ille civilis potiùs, quàm religiosus constituendus fuerat, quia duas excellentias, increatam & creatam, quas inter distantia infinita intercedit, longè absurdius esset uno communi religioso, quàm duas excellentias, puta Angelorum Sanctorúmque hominum, & hominum purorum, militantium adhuc, utramque finitam, adeóque ad se invicem infinitè propiùs accedentem, uno communíque *civilis* cultus complexu jungere.

gere. Sicut infinita & finita excellentia misceri nullo modo possunt: ita neque medius quidam cultus religiosus institui potest. Vel enim ille de extremis participaret: vel utrumque negaret. Non prius, quia Deus honorem suum vel universum, vel partem ejus nemini alii dat. Non posterius, quia sicut nihil est, quod non vel finitum, vel infinitum sit: ita medius cultus, neutra excellentia participans, excogitari nequit. Quinimò si media excellentia, mediúsque adeò cultus etiam daretur, is tum excellentiæ, tum cultus etiam civilis nomine longè & concinniùs & tutiùs veniret, quia Sancti glorificati & homines pii sunt *σύνδουλοι* ϗ *συμπολῖται* ejusdem Hierosolymæ, quæ à Cœlo ad terram usque pertingit, Ephes. I. 10. Phil. III. 20. Col. I. 20. Hebr. XII. 22. 23. Et Cœlites ergo & pii in terra militantes una politia, una societate gaudent, ejusdem Civitatis cives sunt, hi peregrinantes extra patriam, illi in patria habitantes. Ast verò *συμπολῖται concives* sibi mutuò non religiosum, qualis soli Deo competit, sed civilem, socialem honorem cultúmque, qui mutuæ dilectionis est, debent. Atque id ipsum etiam bellula illa fundamenta, quæ distinctioni latriam intèr & duliam substravisti, confirmant. Nam *latriam* Deitatis essentia incommunicabili: *Duliam* analogica nominis & attributorum quorundam Dei, dominii inprimis, quod ad *δουλείαν* seu *subjectionem servilem* relationem habet, participatione niti, philosopharis. Atqui analogica illa nominis & attributorum quorundam Dei participatio non in terra minùs quàm in Cœlo locum habet. imò participatio *nominis* & *dominii* Dei in terra magis, quàm in Cœlo. *Dii* enim quidam in terra dicuntur ob officium à Deo commissum erga inferiores: & dominium pariter communicatur quibusdam, quia alii iis subjiciuntur. At qui in Cœlo sunt, Sancti, nuspiam respectu eorum, qui in terra sunt, vel *Dii*, vel *Domini* dicuntur: neque uspiam iis officium, potestas, dominium respectu eorum, qui in terris sunt, commissum dicitur. Quinimò ne *Angelorum* quidem, qui & in Cœlo, & in terra subinde nobiscum sunt, *δοῦλοι servi*, sed *σύνδουλοι conservi* sumus Apoc. XIX. 10. Si illorum servi non sumus: nec illi domini nostri sunt. Et cur magis nos Sanctorum servi; & Sancti domini nostri? Hæc ergo ratio si valet, potiùs illi, qui in terra sunt, quàm qui in Cœlo sunt; adeóque Imperatores, Reges, Principes, Dynastæ, patresfamilias, heri religiosè invocandi fuerint, quàm Sancti Cœlites. Hi enim, non illi, domini nostri & sunt & dicuntur. Viden' quàm straminea sint distinctionis tuæ fundamenta: & quàm potenter hagiolatriam vestram feriant testimonia Scripturæ à me citata, veluti Deut. VI. 13. *Jehovam Deum tuum timebis*, ואתו תעבד *& illi servies.* (& quidem, uti Christus Matth. IV. 10. interpretatur, *μόνῳ soli.* ubi etiam עבד, quod *δουλεύειν* significat, per *λατρεύειν*, uti aliis quoque in locis Scriptura octies idem fecit; reddit, distinctionem vestram prævidens, & data velut opera jugulaturus) Rom. I. 26. *ἐσεβάσθησαν religiosè coluerunt* (an vos sanctos non *σεβάζεσθε*?) ϗ *ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα*, *& inservierunt creaturæ præter creatorem* (planè uti vos Deiparæ, Angelis, Sanctis, hostiæ præter, imò contra & supra creatorem inservitis) Gal. IV. 8. *ἐδουλεύσατε τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς inservivistis iis, qui natura Dii non sunt* (planè uti vos *inservitis* iis, quos vos non agnoscere *natura Deos* & fatemini & protestamini) Col. II. 18. 21. *Nemo vos subjiciat volens: ἐν τῇ θρησκείᾳ τῶν Ἀγγέλων in cultu Angelorum* (invocationem autem vestram Sanctorum, sive illa *dulia*, sive *latria* sit, saltem esse *θρησκείαν cultum*, & quidem opinione vestra non civilem, sed religiosum, ipsimet pertenditis.) *quæ rationem habent sapientiæ in voluntario cultu & humilitate* (sic enim & vestra illa erga Sanctos religio *λόγον σοφίας rationem sapientiæ* habet, sophistica distinctione fucata; in *cultu electitio*, utpote præcepto Divino juxta vos destituta, &

hu-

humilitate, erga Deum scilicet, quem ob Majestatem ejus summam rectà adiri non posse, prætenditis) Et sanè, quicquid distinctiunculis vestris moliamini, omnis servitus vestra in latriam resolvitur. Nam per eam aliquid Divinum Angelis & Sanctis datur. Servimus civiliter, quando opibus, aut manu, aut motu membrorum corporis alii aliis commodi sumus. Id verò in hoc cultu locum non habet. Vel, quando paremus iis, quos Deus nobis præfecit, agnoscentes eorum potestatem in bona nostra & in membra nostra, ad imperandum actus licitos: vel etiam ad urgendum actus externos à Deo ad cultum ejus imperatos. qualia sunt, quæ imperant & imponunt, qui *Dii* in verbo Dei vocantur, & in lege olim vocabantur. Neque hæc locum ullum hic habent. Sed quid est templa & altaria dedicare: invocare non visos, ut visos: vota nuncupare: suspiria cordis offerre: meritis niti: potestatem & voluntatem aliquid ad salutem conferendi, & intercessionem non sine meritis attribuere? Hæc Divina non sunt? Plusne Christo, plusne Deo tribuitis? Annon sic Sanctis tribuitis, quod *summo & primo principio*? Quanquam illi nec invocandi sunt ut *medium*, per quod Deus salvare velit; quia solus Deus is est, *ex quo & per quem* sunt *omnia*, ut ei soli sit *gloria*, Rom. XI. 36. Ideo & *ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας princeps salutis* non alius quàm Deus, Filius Dei, esse potuit, Hebr. II. 10. Hæc clara, diserta, evidentia opponimus tenebris tuis, veritati offusis, quas infra etiam prolixiùs discutimus. 2. Cùm & latria & dulia Deo & creaturis tribui soleat; & in Deo cultum religiosum, in creaturis civilem utraque notet, hoc tamen cum discrimine, quòd *latria* sive Deo, sive creaturis tributa, cùm respiciat propriè, ad cujus tremimus potentiam, licet ejus dominio non subjiciamur; *dulia* verò, sive Deo etiam, sive creaturis tributa, alterius debitum obsequium & servitutem suggerat; frustra rationem reddere conaris, cur latria soli Deo, dulia creaturis etiam competat. Etenim si creaturis dulia, servitus debetur ob communicatum iis dominium & potentiam: iisdem etiam latria debebitur, quia quibus ob potentiam eorum & in nos dominium servimus, ad eorum multò magis potentiam tremimus, qui latriæ honor est. Plus enim est alicui ob potentiam servire, quàm ad alicujus potentiam, sine servitute tamen, tremere. Et si illud, quod majus est, inest: hoc etiam, quod minus est, inerit. Neque propterea non potest communicari *latria*, quia unus tantùm Deus est: at communicari potest *dulia*, quia plures sunt Domini, quia religiosus cultus non in alium ferri potest, quàm in eum, qui & Dominus & Deus, adeóque Dominus omnipotens, id est, propriè Deus est. Non magis enim dominium Dei univocè communicabile est, quàm Deitas. Utrumque verò communicatur *ἀναλόγως*. Creaturæ enim sicut Domini, ita etiam Dii nominantur. Sed *Sanctorum*, inquis, *in Dei conspectu præcellentiæ sublimitatem cum propriæ nostræ infirmitatis tremore agnoscentes, ad hanc supplendam, Divinæ gratiæ opem, mediantibus illis, imploramus*. Probandum verò tibi erat, *præcellentiæ Sanctorum sublimitatem* religiosi cultus eorundem causam esse; & propter infirmitatem nostram Sanctos apud Deum in vota vocandos esse. Hæc enim illa in cultu Sanctorum *ταπεινοφροσύνη humilitas* est, quam *sapientiæ*, at non veræ, verùm idololatricæ *rationem* habere, Apostolus Col. II. 23. pronuntiavit. 3. Sathanæ à Christo stipulationem his verbis expressit Matthæus cap. IV. 9. *Hæc omnia tibi dabo, ἐὰν πεσὼν προσκυνήσῃς μοι, si prostratus adoraveris me. προσκύνησιν* ergo, *adorationem* simpliciter, non *λατρείαν* petiit. Nec se pro summo Numine, principio & fine omnium à Christo agnosci petiit, quia disertè dicit Luc. IV. 6. *Tibi dabo potestatem hanc omnem, & gloriam earum. ὅτι ἐμοὶ παραδέδοται, quia mihi tradita* est (à Deo scilicet)

omnis illa potestas; *& do eam, cui volo.* Deo itaque, ceu supremo Numini, relinquit λατρείαν, solum ob conferenda Christo regna ab eodem προσκυνήσεως homagium stipulatur. Hanc autem, juxta glossam Pontificiorum, utpote creaturæ suo modo communicabilem, Christus præstare poterat. Replicare ergo Sathanas, ex Pontificiorum hypothesi, poterat: Cur non das, quod possis, & quod agnoscis creaturæ competere posse? Sed ille gladio verborum Christi: *Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli* (תַעֲבֹד Deut. VI. 13.) λατρεύσεις *servies* (sic enim etiam Vulgatus reddit) percussus agnovit, (quod Hagiolatræ nostri nondum agnoscere volunt) tam προσκυνήσεως *adorationem*, cujus species etiam invocatio est, quàm λατρείαν *religiosam servitutem* soli Deo à Christo adjudicatam esse.

ARG. III. Qui invocat Sanctos pro intercessione apud Deum, & impetratione beneficiorum per eorum opera, hoc est, merita & auxilium, is Sanctos facit se inter & Deum mediatores, tum intercessionis, tum satisfactionis. De intercessione largiuntur. De satisfactione probatur, quia satisfaciendo mediator est, quisquis interpositis suis operibus præstat nobis tum temporalia commoda, tum spiritualia beneficia, quod de Sanctis innuit & Concilium & praxis publica. Quo posito, sequitur, grandem fieri injuriam Christo, qui Mediatoris & intercedentis & satisfacientis solus in Scripturis 1. Tim. II. 6. Eph. III. 12. Hebr. IV. 16. 1. Joh. II. 2. nomenclaturam habet, & dignitatem possidet.

RESP. REDING: 1. *Ergone Jacobus cap. V. 16. Christo Mediatori injuriam fecit, sic admonens fideles:* Orate pro vobis invicem, ut salvemini. 2. *Aliud ergo est Mediatoris hominem inter & Deum munere absolutè, & cum ea eminentia, ut pro sua Divinitatis, & hypostaticæ increatæ sanctitatis, oblatæ pro alio intercessioni infinitum valorem attribuentis reverentia, exaudiri mereatur; quomodo solus Christus Mediator est juxta loca à te citata: aliud cum subordinatione ad Christum secundum quid participare de officio Mediatoris sic ut ipsius pro alio intercessio obtineat valorem de congruo duntaxat impetratorium, nonnisi ex meritis Christi subsistentem & à Deo patre acceptabilem. Hæc Mediatoris ratio analogica & imperfecta Sanctis competit; uti ex Tob.* (non II. sed) XII. 12. *Apoc. VIII. 3. 4. liquet.* Ibid. pag. 67. 68. Resp. 1. Nulla, Redingi, Christo injuria fit, cùm alius pro alio orat, ἵνα ἰαθῇ *ut sanetur* à morbo; non, *ut salvetur*, uti ineptè Græcam vocem reddis. quanquam etiam salutem animæ invicem precamur. Sensus Jacobi est, Deum etiam ordinasse preces viventium pro viventibus ad sanandos morbos, & tollendas castigationes. quia vita præsens nec prodigenda est, nec contemnenda, utpote suppeditans tempus, quo præparemur, ut possimus stare coram tribunali Christi. Sed quid hoc ad rhombum? Nec mortuorum oratio intelligitur: nec sic orantes mediatores; vel coadjutores Christi constituuntur: nec merita sua meritis Christi conjungunt: nec intercessione sua (quæ communis, precaria, non mediatoria intelligitur) bona spiritualia, sed temporalia duntaxat, sanationem morborum, impetrare dicuntur. S. Paulus sanè cùm sæpe postulet preces viventium pro se, nullibi tamen viventes suos Mediatores nuncupavit. 2. Distinctionem porro tuam inter Mediatorem apud Deum *absolutè & simpliciter* talem, qui ob Divinitatem & hypostaticam, increatam sanctitatem, qua valorem infinitum intercessioni attribuit, semper exaudiri mereatur; & Mediatori tali *subordi-*

natum

natum Mediatorem, unde quæso hausisti ? Si è Scriptura, cedo locum, & cedimus. Nam quæ ex Tob. XII. 12. & Apoc. VIII. 3. 4. affers, nihil probant, cùm liber Tobiæ apocryphus personato illi Raphaeli hoc quidem tribuat, *quòd orationem Tobiæ Domino obtulerit* (rectè an secus, non disputo) at Tobiam propterea Raphaelem, ceu Mediatorem suum, merita sua meritis Christi conjungentem, non invocaverit: & Apoc. VIII. 3. 4. non Angelus creatus, sed Christus intelligatur. de quo infra. Neque in tota Scriptura *μεσίτης Mediator*, propriè dictus (nam mediator merus internuntius, propriè dictus Mediator non est) præter Christum quisquam alius insignitur. Sin eam hausisti à Scholasticorum somniis, ὡς χόρχορος. S. Paulus 1. Tim. II. 5. disertè: Εἷς μεσίτης *Unus Mediator*. itidem ut, εἷς Θεὸς, *unus Deus*. An verò unus natura Deus *absolutè*: plures uni illi *subordinati*? Imò Deus sic unus dicitur, ut excludantur omnes distinctionum quisquiliæ: cur non & Mediator? S. Augustinus *contra Epist. Parmen. lib. II. 8.* scitè: *Si esset Mediator Paulus, essent utique & cæteri Apostoli: ac sic multi Mediatores essent: nec ipsi Paulo constaret ratio, qua dixerat: Unus Deus, unus Mediator.* Et quis non videt, Paulum probare, orandum esse pro omnibus, quia omnes Deus salvari velit? Et rursus, Deum omnes velle salvari, quia unus sit Mediator? Mediatorem ergo intelligi, cujus beneficio perveniatur ad salutem. Itaque unicum esse Mediatorem, per quem salutem speremus. At Papistæ per Sanctos volunt sperari postularíque salutem, & quæcunque ad eam conducunt. Tales ergo Mediatores inducunt, qualis is ipse est, quem ἕνα *unum* esse, Apostolus pronuntiat; & non alium esse posse, quàm qui idem (v. 6.) *se ipsum dat ἀντίλυτρον pretium redemptionis pro omnibus*; hoc est, *Redemptorem*, declarat. At Sanctos, quos invocatis, sic Redemptores esse, ut se ipsos dederint pro hominibus redemtionis pretium, equidem dici vetatis; licet reapse tales constituatis, quod potentissimum contra distinctionem vestram telum est. Nam æqualitatem illam Mediatorum Sanctorum & Christi arguit, partim quòd sic Sanctos invocatis, ut per merita eorum exaudiri putetis; (v. g. in Festo Ludovici Confessoris: *Deus qui beatum Ludovicum confessorem tuum, de terreno ac temporali Regno, ad Cælestis & æterni gloriam transtulisti, ejus, quæsumus, meritis, & intercessione Regis Regum Jesu Christi Filii tui nos cohæredes efficias, & ejusdem Regni tribuas esse consortes*) partim quod quicquid in Psalmis vel Deo assignatur, vel Christo, id in Psalterio Mariæ Virgini tribuere, Bonaventura vestras, Sanctulus & ipse, non erubuit: partim quòd, uti ex pictura in Sylvæducensi Templo ab Episcopo Masio constituta apparet, dubitare vos profitemini, utrum ad ubera Virginis Mariæ, an ad sanguinem Christi recurrendum sit: partim, quòd etiam Sanctos Christo & Patri interdum præfertis. veluti cùm in Cantico Ecclesiæ Romanæ dicitur: *O felix puerpera, Nostra pians scelera, jure Matris impera Redemptori*; item, cùm dicitis, *Deum sic distribuisse Regnum suum, ut Mariæ misericordiam tribuerit, sibi justitiam reservaverit*; uti quidem Gabriel Biel in *Can. Miss. Lect.* 80. Bernhardinus de Bustis in Mariali suo *Serm. III.* scribunt. Innumera ejusmodi, auditu & lectu horrida, alibi producta, ad compendium pono. Præterea intercessio & redemptio, quæ fit per Mediatorem *absolutè* talem, duo sunt actus ita uniti, ut neuter sine altero existere possit. Non enim sunt isti duo disparati modi mediationis, sed duæ partes unius & ejusdem modi: sicut solutio pretii, & ejusdem continuata repræsentatio, ut redemptis applicetur, propriè ad unum modum pertinent. Ergo Mediator redimendo intercedit, & intercedendo redimit. Unde dein tibi constat, tales *subordinatos* Mediatores *valorem* habere *impetratorium ex meritis Christi*, & ut sic à Deo Patre *acceptari*? Vix etenim Rex aliquis, nisi insipiens, probabit vel acceptabit libellorum supplicum

Ma-

Magistrum, quem pro suo libitu alius substituit,& non ipse designavit. Nec Christus meruit, ut alii essent Mediatores,vel coadjutores, & merita sua cum meritis Christi, ut partiales causæ salutis, conjungentes, munus suum Mediatorium unicum sic contumeliosè perturbarent. Denique omnis Mediator verus medius esse Deum inter & homines debet; ac propterea Christus, juxta illa Athanasii *Dial. 5. de Trin.* εἰ μόνος ἦν ἄνθρωπος, ἢ εἰ μόνος Θεὸς, οὐκ ἂν ἦν μέσος Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, *si tantùm esset homo, vel si tantùm Deus, non esset medius inter Deum & homines:* & quicunque est Mediator inter Deum & homines, cum oportet pro hominibus mori, quia Mediatoris in negotio salutis est, conciliare partes inter se dissidentes, non æquo jure, sed Deum hominibus propitiando, ut peccata iis remittat, quod sine sanguinis effusione fieri nequit. Ergo nemo Mediator verus est, nisi qui *absolutè* talis est, & officio & natura medius, solus Christus, utpote cui soli hæc competunt: *subordinati* verò qui superinducuntur, Mediatores non sunt, sed finguntur esse, maxima cum Mediatoris Christi unici contumelia. Vana proin & sophistica distinctio tua est, qua Christo Mediatori & nobis illudere conatus es.

ARG. IV. Sanctorum nulla sunt merita, nec si quæ essent, ea superstitibus in hac vita communicari,& prodesse ullo pacto valerent, cùm justus per propriam fidem justificari debeat.

RESP. REDING: 1. *Saltem unus Sanctorum potest pro peccatore in hac vita constituto interponere intercessionem, cujus valore haud condignè meritorio, sed de congruo impetratorio mediante Deus ad actum fidei contritione tandem formatæ excitandum, & hujus tanquam præviæ dispositionis intuitu reconciliationis gratiam formaliter justificatricem infundendam moveantur. 2. Hoc ipsum Georgius Rhætius, ex Calvinistica perfidia ad orthodoxam fidem novissimè conversus, Facis suæ Rat. 3. docum. 24. probavit.* Ibid. pag. 68. 69. Resp. 1. Non feris argumentum meum, inde petitum, quòd Sanctorum nulla sint merita, adeóque illi propter merita & vota sua nobis suffragari, & à nobis invocari non possint. Hoc tamen invocationis Sanctorum fundamentum statuitis. Merita quippe & vota, vobis interpretantibus, media quædam sunt ad beatitudinem: & horum authores sunt Sancti: eóque ipso nomine à vobis invocantur. Neque intercessio Sanctorum communis & precaria; sed ob merita efficax & potestativa vobis statuitur. Quanquam hujus assertionis te pudere videtur, cùm intercessionis Sanctorum *valorem haud condignè meritorium, sed de congruo impetratorium*, adeóque ne *meritorium* quidem agnoscere videri vis. Reliqua nil sunt nisi colluvies errorum & hæresium de justificatione, quas supra confodimus. 2. *Hoc ipsum*, quod Georgium Rhætum, ex castris Christi ad Antichristi castra transfugam, probasse ais, quidnam est? Illudne, quòd Sancti ob merita sua in vota nostra vocandi sint? Atqui *meritorum*, ob quæ Sancti invocandi, ne uno quidem apice Patres ab ipso nescio unde compilati meminerunt. Cur ergo transfugam vestrum huc advocas? Habeto tibi ejus σκύβαλα, malè olentia, quæ vobis nulli invidemus.

ARG. V. Qui invocantur religiosè pro impetratione beneficiorum, eos oportet tribus his facultatibus esse ornatos, scientia videlicet rerum nostrarum, item eas curandi voluntate, ac viribus & potentia naturæ, quibus eas curare valeant. Absque his qui sunt, nec exaudient, nec beneficia conferent, nec conferre poterunt. At in Sanctis defunctis singula hæc deficiunt.

tiunt. Quippe ignorant, quid ſigillatim vel patiantur vel petant Sancti in terris Eſaj. LXIII.16. 1.Reg.VIII.39.2.Reg.XXII.20.Et ſanè ſcientia actionum,eventuum vel poſtulatorũ noſtrorum non competit Sanctis, quia nec per naturam, nec per operationem ſunt præſentes, nec per revelationem quidquam earum rerum,quæ ad felicitatem eorum non pertinent, cognoſcunt. Multò minùs ſcientiæ iſtius fundamentum eſt ſpeculum S. S. Trinitatis, de quo tam multa impunè ἄπερ γραφῶν καὶ λόγȣ fabulantur,còntradicentibus etiam in ipſo Papatu Lombardo, Altiſiodorenſi, Thoma, Bannes, Eſtio, aliis,eò quòd Sancti in Deo plura videre neceſſe non habeant, quàm quæ ad eorum beatitudinem pertinent. Voluntas etiam deeſt Sanctis nos juvandi. Quippe voluntas eorum eſt ex vocatione. Vocatio nonniſi ex mandato & promiſſione cognoſcitur. Ubi verò docetur, Sanctos res noſtras curare ex mandato Dei, & conſcientia promiſſionis? Denique nec eam poteſtatem Sanctorum habent animæ, ut ad tam varia, tam multa aliter, quàm ſucceſſivè poſſint attendere. Infinitæ virtutis eſt,uno intuitu tam diſſita, tam diſſidentia & capere & curare.

RESP. REDING: 1. *Angelos rerum noſtrarum ſcientiam habere, ex Pſal. XCI. 11.12. Zachar. I. 11. liquet. At Sancti defuncti ſunt ἰσάγγελοι· Matth. XXII.30. Ergo eandem & illi ſcientiam habent. 2. Locum Eſaj. LXIII.16. non facere ad rem, fatetur Calvinus. Verba ergo illa:* Abrahamus neſcivit nos, *&c. comparatè intelligenda ſunt, quatenus Abrahamus & Iſrael cum Deo comparati, nihil Iſraelitis præſtitiſſe videri poſſunt; hoc eſt,eòs ex Ægypto non eduxerunt, uti Chaldæus Interpres habet; imò eo tempore,quo Eſajas locutus eſt, Iſraelitas odit. ut non in alio, quàm in Deo, ceu patre unico, ſpes iis ſupereſſet. 3. Solus quidem Deus cor hominum novit, 1. Reg. VIII.39. ex congenita puta & naturali ſcientia. Sancti verè nôrunt ex ſpeciali revelatione. 4. Falsò Thomæ, aliiſque tribuis, quòd ſpeculum S. Trinitatis negaverint. Nam ex S.Thomæ 2. 2 q.171. art. 2. contrarium colligitur. Agnoſcunt quidem Theologi illi, Sanctos in Deo plura videre neceſſum non habere, quàm quæ ad eorum batitudinem pertinent; nempe ſi beatitudo ſpectetur tantùm quoad quidditatis ſuæ ſtatum eſſentialem: non ſi ſpectetur quoad ſtatum etiam perfectionis integralis. Eatenus enim, ex mente etiam Thomæ, habent cognitionem etiam ultimi finis intelligibilis, ſeu viſionem eſſentiæ Divinæ fidei ſuccedentem, ſaltem quoad ſubſtantiam myſteriorum fidei, licet non quoad omnes circumſtantias; & quatenus appetitus naturalis tendit ad cognoſcenda omnia rerum genera, ſpecies, virtutes & totius univerſi ordinem; &c. 5. Fideles ſunt concives Sanctorum, Epheſ. II.19. Quomodo ergo Sancti cælites voluntatem non habent juvandi ſuos concives? Et numquid non charitas, qua his obligantur, vocationem ſupplet? Quomodo fidelibus aditus eſt ad cæleſtem Hieroſolymam, ſi cælites nulla cum iis charitate colligantur? Imò hæc illa in Symbolo Apoſtolico decantata Sanctorum communio eſt. 6. Quod naturæ vires, in tam diſſitis & diſſidentibus uno intuitu capiendis & curandis, ſuperat, id Divinæ virtutis gratia, naturæ limites tranſcendente, in Sanctis ad gloriæ & viſionis beatificæ ſtatum evectis, poſſibile eſt. Unde S. Auguſtinus de Civit, D. lib.XXII. 2. aſſeverat, cognitionem creaturæ in ſe ipſa declaratiorem eſſe, quàm cùm in ſapientia Dei cognoſcitur, velut in arte, per*

quam facta est. Potest ergo esse creaturæ proprium in Divina sapientia, seu verbo videri. Ibid. pag. 69--73. Resp. 1. Textus hic à te, stabiliendæ Angelorum & Sanctorum scientiæ, obductos infra *Resp. ad Obj.* 1. à me jam discussos esse, noveras. E re tamen tua putas eadem ubique repetere, & pistillum tuum circumvolvere. saltem ut augescat & terribilis evadat librorum tuorum moles. 2. Utinam propriis potiùs, quàm alienis oculis videre malles! Non ita ubique turpiter impingeres. Calvinus enim *ad Esaj. LXIII 16.* ex verbis illis *Tu es Pater noster. Abrahamus non novit nos, & Israel non agnoscit nos*; colligit: *Sanctos homines ita se offerre Deo ac precari, ut nullas aliorum intercessiones spectent. Sic enim, inquit, orare jubentur, ut paternæ Dei clementiæ confisi alias omnes fiducias valere jubeant. Quòd si Judæos animum ad Abrahamum & Jacob, quibus tot tantæque promissiones datæ erant, convertere non docuit Propheta, ut exaudirentur à Deo, certè nos ad Petrum, Paulum & alios multò minùs confugere debemus. Nec enim hæc unius vel alterius hominis privata est oratio, sed publica & universalis totius Ecclesiæ: ac si Propheta communem formam præscriberet. Atque sic debet esse fundata fiducia nostra in paterno favore & clementia Dei, ut oculos nostros ad omnia hominum aut viventium aut mortuorum patrocinia claudamus. In summa, profitentur fideles, se non circumspicere huc aut illuc, sed quiescere in solo Deo.* Præfabatur equidem, *ex hoc loco non elici, Sanctos defunctos nostri curam non habere.* Neque nos id elicimus. Possunt enim curam habere militantis Ecclesiæ, licet singulos non noverint. Chaldæi Interpretis παρερμηνείαν non moramur. Populus enim Dei negat notitiam Abrahami & Jacobi præsentem, non præteritam, cùm ex Ægypto educeretur. Neque sic comparat notitiam Dei cum notitia Abrahami & Jacobi, ut illi longè majorem, huic longè minorem tribuat; sed ut illi sui notitiam tribuat, huic verò notitiam sui neget. Non licet verba Scripturæ sic pro libitu fingere & refingere. Neque etiam hic לא ידע *non novit*, est, *non amat, odit, contemnit*; licet res nostras non ignoret. quæ Bellarmini & tua glossa est. Loquitur enim Ecclesia pœnitens, conversa, peccata sua seriò, uti etiam nomine populi Daniel cap. IX. 5. &c. deplorans, & ab hominibus omnibus ad unum solúmque Deum se convertens, quibuscum etiam Esajas fidelis se conjungit. An quæso populum ejusmodi sibi cognitum non amasset, sed odisset, contempsisset Abrahamus, qui superstes in mundo tam enixè pro impia Sodoma & Gomorrha intercessit? Et quæ peccatorum erga Sanctos fiducia esse potest, si se cognitos licet ab iis *non cognosci*, id est, odio haberi, non amari, adeóque non exaudiri etiam, nedum intercessione eorum adjuvari, noverunt? Consequens foret, posse gravissimos peccatores sine Mediatoribus rectà ad Deum accedere. sicut orantes hoc loco faciunt. Et si gravissimi peccatores, cur non etiam alii? Denique si Abrahamus & Israel noluerunt posterorum suorum Israelitarum curam gerere, eorúmque miseriis affici, id factum est propter conditionem aliquam vel in Sanctis ipsis, vel in Israelitis orantibus hærentem. Prior alia esse non potest, quàm ignorantia, quòd noluerint posterorum curam habere, quia, quid in particulari illis obtigerit, ignorarunt. Posterior alia esse non potest, quàm indignitas, quæ amore indignos reddere potest. Prius si dixeritis, vicit causa nostra, & Sanctorum invocatio desiit. Si posterius, etiam Deus ipse propter eandem indignitatem Israelitas orantes repulisset. Hoc ergo, non aliud, sibi vult Esajæ oratio, Ecclesiam non Abrahamum, Jacobum, sed solum Deum in Christo propitium Patrem compellare; neque confidere Abrahami meritis, sed gloriari in eo, qui major Abrahamo esset, eò quòd Abraham & Jacob eam non cognoscant, hoc est, corda & renes fidelium in ea non cognoscant, neque etiam eum apud Deum locum habeant, ut tanquam Sponsor & caput seminis eam curarent. Sic planè S. Augu-

stinus

stinus *de cura pro mort. cap. 13. Esajas*, inquit, *dicit : Tu es Pater noster. Abraham nos nescivit, & Israel nos non cognovit. Si tanti Patriarchæ, quid erga populum ex his procreatum ageretur, ignorarunt, quibus Deo credentibus populus ipse de illorum stirpe promissus est, quomodo mortui suorum rebus atque actibus cognoscendis adjuvandisque miscentur?* Concludit : *Ibi ergo sunt spiritus defunctorum, ubi non vident, quæcunque aguntur, aut eveniunt in ista vita hominibus.* 3. Haud dissimilis est detorsio textus 1. Reg. VIII. 39. *Tu nosti* לבב *solus cor omnium filiorum hominum.* Excipis : *Naturaliter, & congenita virtute: solus Deus novit: Sancti speciali revelatione norunt.* Sophisticè planè. Nam & qui speciali revelatione cor hominum omnium novit, ille certè novit. Si igitur & Sancti norunt, quocunque modo, non jam solus Deus novit, sed plures nórunt. Dicitur etiam Deus solus cognoscere cor hominum, in ordine ad preces exaudiendas, & retributionem ככל דרכים congruenter ad vias cujusque procurandam. Hoc autem Sanctis in ipsorum invocatione tribuitur. 4. Speculum Trinitatis, otiosæ speculationis vestræ fœtum, invocationis Sanctorum fundamentum esse, non agnovit Thomas vester, quicquid de eo garrias. Sic enim ille *p. 1. q. 12. art. 8.* loquitur : *Aliqua videntur in Deo, secundum quod in ipso sunt. Omnia autem alia sunt in Deo, sicut effectus virtute sunt in sua causa. Ille intellectus potest in causa cognoscere omnes causæ effectus, qui causam totaliter comprehendit. Nullus autem intellectus creatus totaliter Deum comprehendere potest. Videns speculum non est necessarium, quòd omnia in speculo videat, nisi speculum visu comprehendit.* Atqui Sancti defuncti Deum non comprehendunt. Ergo non vident in eo omnia, ut in speculo. Consentiunt Thomistæ, Divinam essentiam nec dici propriè speculum, nec ei per metaphoram commodè accommodari rationem speculi. Speculum autem si habeatur, *voluntarium* tantùm esse, uti Augustinum exponit Villosellus *Advert. in August. Tom. II.* non *necessarium*, quia plus vel minùs ostendit, non omnia, sed ea tantùm, quæ repræsentare placuerit. De ejusdem Augustini sententia sic Becanus *Theol. Schol. p. 1. cap. 9. q. 13.* scribit : *Augustinus lib. de cura pro mort. cap. 15. docet, tribus modis beatos cognoscere, quæ circa nos fiunt. Primò ex relatione hominum, qui ex hac vita ad illos veniunt. Secundò ex relatione Angelorum. Tertiò ex peculiari Dei revelatione. Et certè si putasset esse aliam, nempe videndi creaturas in Deo, tanquam in objecto cognito, non utique dissimulasset.* Sed Thomistas, alIósque Redingius ait agnoscere, quòd Sancti in speculo Trinitatis non plura cognoscant, quàm quæ ad eorum beatitudinem pertinent, *si beatitudo spectetur quoad quidditatis suæ statum essentialem :* non, *si spectetur quoad statum perfectionis integralis. Eatenus enim,* inquit, *ex mente Thomæ habent cognitionem etiam ultimi finis intelligibilis, seu visionem essentiæ Divinæ, saltem quoad substantiam mysteriorum fidei, licet non quoad circumstantias omnes; & quatenus appetitus naturalis tendit ad cognoscenda omnium rerum genera, species, virtutes, totius universi ordinem,* &c. Quid hic Thomæ visum fuerit, non admodum nobis curæ est. Rem ipsam expendimus. Sanctos videre essentiam Dei, & hoc pertinere *ad perfectionem integralem* beatitudinis, uti inverecundè & superbè asseris, nuspiam Scriptura testis est. Neque infinitum objectum finitæ facultati videndum objici potest. Videbimus Deum à facie ad faciem, id est, non in ænigmate, speculo, 1. Cor. XIII 12. (quomodo ergo essentia Dei *speculum* sanctis erit? cùm visio in speculo sit hujus vitæ; & quæ in speculo videntur, ex parte, exteriùs, superficialiter, obliquè, non totæ, interiùs, essentialiter, directè videantur?) quantum videri in gloria & Majestate sua poterit. Quòd si tamen Sancti vident essentiam Dei *quoad substantiam*

mysteriorum fidei, non *quoad circumstantias omnes*, quid isthoc facit ad notitiam necessitatum humanarum, quæ nec ad mysteria fidei, nec ad circumstantias eorum pertinent? Neque appetitus naturalis Sanctorum *ad cognoscendum totius universi ordinem* tendet; sed ad videndum Deum, faciem, gloriam ejus. *In justitia contemplabor faciem tuam. Satiabor specie tua* (non contemplatione ordinis universi) Psal. XVII. 15. Facilè enim inferiorum horum, & notitiæ eorum jacturam facient, quibus sublimiora longè, gloriosiora & Divina omnia contemplanda objicientur. An illis omissis mens Sanctorum ad crepundia *ordinis universi* (sub quo etiam necessitates mortalium censes) redibit? Sed præterea sive repræsentationem hujus speculi, sive visionem Sanctorum cogitamus, omnia difficultatum plena sunt, quæ nunquam sinunt hominem esse certum, quòd preces ejus à Sanctis audiantur. Si *repræsentationem*, quæ res repræsentantur? Omnes ne, an aliquæ? tantùm actu existentes, an etiam futuræ, necessariæ & contingentes? naturaliterne & necessariò, an liberè? Si omnes, an ut omnes cognoscantur, an ut non omnes cognoscantur? Si *illud*, beati etiam futura contingentia cognoscent; velut diem judicii. quod Christus Marc. XIII. 32. negat. *Si istud*, frustra erit repræsentatio. Si tantùm aliquæ, quomodo necessariò? Unde scis, res tuas repræsentari? Ubi promissio, revelatio? Præterea repræsentanturne res secundum esse eminens, quod in Deo habent, an secundum formale? Si illud, non ergo secundum esse, quod in se habent. Si hoc, omnes ergo imperfectiones, passiones, peccata in essentia Divina repræsentabuntur. Si *visionem* spectamus, non minores difficultates se pandunt. Aut omnia vident, aut quædam. Illud cum Marc. XIII. 32. 1. Cor. II. 11. pugnat. Hoc invocantes incertos reddit, efficitque, ne in fide invocare possint. Unde enim scis, quinam & quænam tua videant? Rursus aut vident omnia secundum esse eminens, aut secundum formale in se ipsis. Illud invocantem non juvat. Hoc alienum est, quia res secundum esse formale seu proprium non sunt in Deo. Si tamen & hoc vident, num visione beatifica, qua Deum vident, an alia? Si illa, unde habes? Quomodo augetur scientia beatorum, cùm visio beatifica non augeatur? Si alia, quis eam beatificæ annexuit? Has, similésque ob causas nasutiores Papistæ, misso Trinitatis speculo, labyrinthum finxerunt, per cujus tortuosos anfractus supplicantes ducunt & reducunt. Asserunt enim, Deum primò invocantes audire, deinde hoc Sanctis invocatis revelare, qui tandem sic informati impetrant à revelante, quod ab illis insciis antea erat petitum. Ventum ergo *ἀγυιλατέω* refert, de quo Eccles. I. 6. סבב סבב הולך רוח *Circumeundo circuit ventus, & ad circuitus suos revertitur spiritus*. 5. S. Paulus Ephes. II. 19. Ephesios gentiles hactenus peregrinos factos ait *συμπολίτας concives Sanctorum*, id est, Civitatis Sanctæ, Sanctorum in hoc mundo. Sunt tamen etiam *συμπολῖται cives* Sanctorum in Cœlo, quia Christus omnia, quæ in Cœlis & quæ in terra sunt, univit, Ephes. I. 10. Ergo & per charitatem viventes Sanctis cœlitibus, atque hi illis, conglutinari cohærent. Neque tamen charitas illa Sanctos vocat ad suffragandum illis, quia hunc esse actum charitatis illorum, vel id postulare charitatem eorum, non constat. Imò constat non postulare, quia rebus incognitis suffragari nemo vult vel potest. Neque etiam cognitis suffragari vult, quando id necessitas non postulat (hic autem necessitas nulla postulat, cùm Christus suffragator & advocatus abundè sufficiat, & alios excludat) & status ac muneris conditio id non patitur. Non patitur autem conditio Sanctorum, ut particularibus hujus mundi negotiis implicentur, & penso tali vacent. Sicut non tanguntur sensu malorum singulari, sed tantùm naturæ consensu communi: ita nec pro afflictione singulorum, sed tantùm communiter Deum orare, charitate erga viventes obligantur. 6. Denique nunquam Divina virtus sic defe-

ctus naturæ supplet, ut quod suum est, illi largiatur, adeóque Divinam infinitam virtutem & potentiam, quæ ad attendendum tam variis, tam dissitis, tam reconditis requiritur, creaturæ communicet. Hinc adeò omnipotentiam cum religiosa invocatione perpetuò Scriptura conjungit, uti ex Exod XV. 2. Psal. XVIII.2. 4.49. LXII.6.7.12. CXV.3.4. CXLVI.2. liquet. Neque aliud Augustini verba à te obducta sibi volunt, quàm quòd creaturæ se magis in Dei sapientia, ceu in arte, per quam factæ sunt, quàm in se ipsis cognoscant. Quid hoc ad rhombum?

ARG. VI. Invocationis Sanctorum fundamentum habetur canonizatio seu apotheosis Sanctorum, quâ Sancti ab ecclesia invocandi à R. Pontifice certis ceremoniis, per auream potissimùm scalam, in Cœlum illati declarantur tales, qui invocari debeant. Quod impium impiæ gentilitatis & Judaismi imitamentum nec in Scriptura, nec in pia antiquitate ullum fundamentum habet, & terrestrem homuncionem, qui de sua ipse salute dubitare tenetur, cœlestium bonorum debitorem facit. Agnoscitque Bellarminus *de Sanct. Beatitud. lib. I. cap.* 8. Sanctos Apostolos & Patres non per canonizationem Papalem, sed *sanctitate propria* in Cœlum conscendisse, & in Calendario locum invenisse: & Sanctos veteres cœpisse coli non lege aliqua, sed consuetudine, adeò ut, teste Sulpitio in vita Martini, consuetudo obtruserit damnatum quendam latronem, & ebrium, loco Sanctorum colendos. Primus Apollio per Nicolaum I. si fides est Troilo Malvesio, canonizatus est. Bellarminus verò primatum eum defert Suiberto per Leonem III. ἀποθεωτικῶς. Revera tamen primatum tenet Bernhardus, quem sequuntur Dominicus, Franciscus, alii partim scelerati, & perduelles, ut Thomas Beket Regis sui proditor &c. alii qui nunquam in rerum natura fuerunt. velut Georgii, Christophori, Longini &c. Si Deos faciendi potestatem haberent Pontifices, prius seipsos Deos facerent, quod olim homo nasutus non insipidè Thasiis, Agesilaum Deum facientibus, dicebat. De impio hoc ritu vide sîs quæ scripta sunt à Viris doctissimis; Hospiniano *de Orig. fest. cap.* 6. & Johanne Prideaux *Oratione* 13. aliísque passim.

Resp. Reding: 1. *Canonizatio Sanctorum est authenticum judicium de perseverantia in statu sanctitatis, solidis prudentiæ non humanæ, sed supernaturalis argumentis firmatum. At juxta vos quilibet fidelis tenetur credere, se esse in statu gratiæ. Quomodo ergo juxta vos non quilibet privatus sententiam canonizationis de qualibet suæ religioni addicto feret? Cur ergo succenses Papæ, quòd potestate clavium instructus, istud sibi judicium reservet? 2. Fundamentum canonizationis est, quòd hic vel ille fidelis ex hac vita in statu gratiæ & sanctitatis decesserit. Eo cognito, tutò pronuntiatur, eum esse in statu beatitudinis & sanctitatis. Hunc porro vel illum fidelem in statu gratiæ hinc discessisse, prudentialia supernaturalis rationis argumenta demonstrant. Ubi ad publicum cultum Sancto cuipiam deferendum necessarium est judicium sanctitatis ejus authenticum, manans ex publica Ecclesiæ authorita-*

te, quæ principaliter & infallibiliter in Papa, cui clavium potestas primò competit, residet. 3. Judicii porro Papalis in canonizatione maturitatem, & Divinæ rationis puritatem ipsæ canonizationum bullæ ostendunt. In tuum ergo caput nefanda de perduellione Thomæ Bequeti, & supposititiis Divis, Gregorio, Christophoro, Longino calumnia recidit. Ibid. pag. 73. 74. Resp. Canonizationis vestræ inventi & nomine & re novissimi, natales à me ostensos negare, vel in dubium revocare ausus non es. Repeto igitur, ejus fundamentum nec à Scriptura, nec ab Ecclesia veteri ullum vobis suppetere : sed à superstitione, ab auri sacra fame totum. Non alia ratio potentior Papam ad abominationem tantam impellit, quàm illa Demetrii *ἀργυροκόπου : Viri, scitis, ex hoc quæstu esse nostras copias ;* Act. XIX.25. Si frons de rebus vestris non periisset ; Si Deus hujus mundi corda quæstorum Babylonis in lapides & truncos non transsubstantiasset, pridem illos tam detestandi artificii puduisset. Et Redingius non veretur ejus se mangonem gerere, & quidem allatis ratiunculis futilissimis. Etenim 1. si fidelis quisque, nisi *ἀδόκιμος reprobus* esse velit, tenetur se ipsum experiri, *an sit in fide* ; cognoscere an *Jesum Christum in se* hospitantem habeat, 2. Cor. XIII. 5. Si Spiritus Dei spiritui fidelium attestatur, quòd sint filii Dei, Rom. VIII. 16. adeóque illis datur ceu arrhabo, obsignans eos, ut se Dei peculium & hæreditatem esse, ignorare nequeant, 2. Cor. I. 22. an ideo sequitur, fideles eandem notitiam, certitudinem habere etiam de aliis, qui extra illos sunt, & quorum corda, latentémque in iis fidem vivam scrutari non possunt ? An qui suæ fidei, Christi, Spiritus S. inhabitantis sensum quæsitissimum habet : ideo fidei, Christi, Spiritus S. etiam in aliis habitantis sensu non destituitur ? Fatebor, si homines sunt *καρδιογνῶσται*, hoc est, non ampliùs homines, sed *ἀποθεωθέντες Deificati.* cujusmodi Divos faciendi artificium Papa scilicet habet. Disce ergo, Redingi, neminem *nôsse, quid in homine sit, præter spiritum hominis, qui in ipso est,* 1. Cor. II. 11. & *hominem* quidem *spectare ad oculos* alterius, sed solum *Jehovam spectare ad cor,* 1. Sam. XVI. 7. denique solum *Deum nôsse, qui sui sint,* 1. Tim. II. 21. Si Papa, quod ipse profitetur, suæ fidei & salutis certitudinem fallere nesciam habet nullam, quomodo sine Divina revelatione habebit alienæ, & tantam quidem, ut ei religiosum aliorum cultum tutò superstruere possit ? Potestas verò clavium, quam Papæ, & soli quidem Papæ principaliter vindicas, eum *καρδιογνώστην*, omniscium non reddit, neque ei in Cœlum aditum facit, ut in hospites ejus ibi commorantes oculorum suorum obtutum figere possit. 2. Fundamentum canonizationis aliud verum, aliud fictitium est. De vero diximus. Fictitium sua sponte ruit, quia nec Papa, nec quisquam alius infallibiliter conscius est beatitudinis & sanctitatis hujus vel illius in particulari, si discesseris ab iis, quos verbum Dei eo nomine prædicat. Sed horum canonizationem non multum Papa moratur, quia non facit *πρὸς ἄλφιτα.* Hinc nec Abrahamum, nec Isacum, nec Jacobum, nec Mosen, nec Davidem, nec plures alios, quorum spectata Sanctitas in N. T. decantatur, ille *ἐκθειάζειν* contendit. Sed forte *prudentialia supernaturalis rationis argumenta* demonstrant Sanctitatem *τοῦ δεῖνα, καὶ τοῦ δεῖνα.* Si *prudentiam naturalem*, hoc est, carnalem, qua, ut olim gentiles, ita Papa ex Cœlo scenam facit, allegasses, plus tibi constaret fidei. Sed *supernaturalem rationem* , qua beatitudinem, & Sanctitatem aliorum investigare Papa possit, unde habet, & qualem habet ? An à spiritu infallibilitatis, quem sibi Papa arrogat, sed non manifestat ? Atqui ad canonizationem non quævis infallibilitas sufficit, sed requiritur infallibilitas facti, & talis quidem, ut ne à mala informatione quidem testium decipi possit. quam, si à novissimis Jesuitis, impio adversus Jansenitas odio incitante non ita pridem ei tribuere ausis, discesseris, pauci hactenus ei vendicare iusti-

stinuerunt. Certè Cajetanus in tractatu *de indulgentiis* apertè docet, Ecclesiam in canonizatione Sanctorum errare posse; atq; id ipsum ex Thoma etiam probat. Ille enim *quodlib.2.art.16.* errare hic posse Papam, & *impium in canonem Sanctorum referre*, nullus diffitetur. Idem *quodlib.16.9.* art. certissimis contra Papæ infallibilitatem argumentis non aliud opponere potuit, quàm *contrarium piè esse credendum*. Melchior autem Canus *lib. V. 5.* disertè pronuntiat, *Ecclesiæ judicia, quæ ab incertis hominum testimoniis proficiscuntur, infirma esse, ad certam & exploratam faciendam fidem, quale* (inquit) *illud est, quo Sanctum aliquem Divorum catalogo adscribendum censet.* Idem confitetur Dom. Bannes 2.2. *art.16 dub.4.* & præ aliis novissimè Fratres Walenburgii *de Unit. & Schism. Eccl. lib. XII. cap. 10. Controv. 2.num. 5.* docuerunt. Non ausus est Redingius *prudentialia illa supernaturalis rationis* Papæ *argumenta* promere. Ausus tamen est Bellarminus. *Non canonizantur*, inquit, *ordinariè, nisi claruerint magnis & certis miraculis.* talibus scilicet, qualibus Legendæ Pontificiorum redundant. Sed *maximè* etiam *authentica*, sic Cajetanus loquitur, *cùm humano testimonio innituntur, non omnino certa sunt, quia omnis homo est mendax.* Sed *Magna*, addit Bellarminus, *præparatio jejuniis, precibus & inquisitione adhibetur, antequam Sancti canonizentur.* Verùm ex præparatione verbo promissionis destituta, non certa directio, sed superstitio nascitur. Sed Papam potestate clavium munitum hic aberrare posse, Redingius negat. Sic fraude clavibus facta non satis habent Papam transformare in Deum, Divina potestate eidem tradita. Etiam Deo majorem scilicet facere contendunt. Nam *ædificare* (hac voce Magister sacrarum apotheoseos ceremoniarum *lib. II.* utitur) hoc est, *Deum facere* ne ipse quidem Deus sine abnegatione sui potest. Sed illi non satis habent ex crusta Christum conficere, in orbem habitabilem, & subterranea defunctorum receptacula imperium proferre, nisi Cœlum etiam impeterent sua stultitia, ejus mansiones, ad nutum unius Mortalis dispositurì, imò *Deos* facturi. Quod Deus ipse nunquam fecerit: quod factum nunquam est, quia ex parte rei fieri nequit, id pro authoritate & tumore suo aggreditur Papa, ut creatura fiat Deus, & colatur non ad Creatoris, sed ad ejus arbitrium; & hæc potiùs quàm illa; & hæc solenniùs hic, quàm alibi; & hoc potiùs tempore, quàm alio. Qui hæc agit & audet Pontifex, cur forma Ecclesiastica non procedit? Cur Legatum non mittit à latere ad triumphantem Ecclesiam, ut hic canonizatus ab ipso, rite illic installetur, & hic præsentatus ac institutus, illic pro more inducatur? 3. Canonizationum bullæ quàm quæso certitudinem præstant? Innumera enim bullata edicta à successoribus rescissa novimus, & quidem per nova edicta bullata. Novimus etiam Papaliter canonizatos, paulò post Papaliter etiam excanonizatos & degradatos. qualis inprimis fuit famosus ille Hermannus de Ferrara; quem viginti jam annos cultum Bonifacius VIII. hæreseos damnavit. Tales bullæ sunt, qualis Papa bullator est. Neque quisquam bonus vel in Cœlo vel in terra *bullatus* Papæ *Divus* haberi velit. Quoad Thomam Bequetum frustra mihi indignaris. Ille in Anglia cæsus, quòd ingratissima proditione Regi suo optimè de se merito se opposuisset, cúmque Papæ prodere instituisset, clero procurante, ab Alexandro III. relatus est in numerum Sanctorum; quamvis quæstione inter Sorbonistas Parisiis, *utrum damnatus, an salvatus esset*, ventilata non defuerint plures, qui damnatum esse assererent. De quo Cæsarium *Lib VIII. Dial. cap. 69.* videre est. Et parum abfuit, quin in Anglia Pater ille non patratus, sed atratus Garnetus, qui in gratiam Molochi sui Romani non tantùm filios & filias, sed Regem & Patriam per ignem sulphureum transmittere conatus est, straminea quadam impostura ad eandem supremam dignitatem, brabeuta Pontifice, eniteretur. De suppo-

sititiis

ſititiis & chimæricis Divis veſtris; cujuſmodi ſunt tres Reges fictitii, Urſula illa cum undecies mille virginibus ſuis, Catharina, Chriſtophorus, Georgius, Longinus, Lazarus, Martialis, Petronella, Veronica, Margaretha, Hippolytus, ſeptem dormientes, imò etiam illi Ethnicorum & perſecutorum nominibus ſuperbi, Thais, quatuor filii Aimini, Viarius, S. Beatus Suetonius &c. aliiſque ejuſdem deſerti Faunis & Satyris nihil dicam. Cùm nunquam illi in rerum natura fuerint, (quod poſt alios de Georgio, Chriſtophoro, Catharina doctiſſ. Raynoldus *de Rom. Eccl. idolol. lib. V.* 20. 21. *&c.* & de ſingulis illis Celeb. Gilbertus Voetius *Sel. Diſp. P. III. pag.* 471--539. diffuſiſſimè probavit, non diſſimulantibus etiam Pontificiis illis, qui non hiſtoricas ſed ſymbolicas deceptiones quorumdam illorum verecundiùs interpretantur) eorum tamen plerorúmque nomina adhuc in canone Sanctorum comparent, coluntúrque publicé. Non major certè religio, vel pietas eſt, ficta & picta ejuſmodi entia, quàm vera & hypoſtatica, qualia Sol, Luna, Jupiter, ne dicam, allia, cœpæ, feles, boves ſunt, religioſè colentium.

ARG. VII. Nec Apoſtolicæ Eccleſiæ, nec vicinæ Apoſtolicæ conſuetudo fuit, ut ſanctos defunctos religioſè invocaret. Patet ex teſtimonio tum vetuſtiſſimorum Patrum, Ignatii, Juſtini, Athenagoræ, Tatiani, Irenæi, qui negant invocari oportere niſi ſolum Deum in Chriſto: tum Smirnenſium Fratrum, qui nomine ſuæ Eccleſiæ ad Eccleſias Ponti ſcribunt, neminem ſe venerari poſſe præter ſolum illum, qui paſſus pro omnibus toto orbe ſalvandis, apud Euſeb. Hiſt. Eccl. IV. 14. Primus Origenes, malus dogmatiſtes, ſe à ſeniore quodam didiciſſe ajebat, ſanctos *συνεύχεσθαι unà nobiscum Deum precari.* Cyprianus Origenem ſecutus, ſuperſtites epiſtola 57. oravit, *ſi quis illorum prior Divinæ dignationis celeritate præceſſerit, ejus pro fratribus & ſororibus apud miſericordiam Patris ne ceſſet oratio.* Neuter tamen, nec quiſquam alius eo tempore vel invocavit ſanctos, vel invocandum eſſe tradidit. Et oſtendit hoc manifeſtè, quòd iis temporibus opinio invaluerit, ſanctos clara Dei viſione ante extremum judicium non perfruituros. Jam verò invocationis ſanctorum beatifica viſio Dei fundamentum eſt. Opinionem tamen Origenis & Cypriani adoptavêre Athanaſius, Hilarius. Cauſæ iis fingendi particularem interceſſionem videntur fuiſſe, tum Platonici dogmatis imitatio, tum ſomnium Judæ in Scriptura apocrypha narratum, tum miracula ad Martyrum memorias facta, tum denique falsò jactatæ animarum apparitiones, de particulari ſua interceſſione apud Deum fidem facientes. Neque tamen hactenus perſuaſio viguit, propter interceſſionem illam invocandos Sanctos eſſe. Demum circa annum Chriſti 370. ad invocationem Sanctorum præivêre; in Græca quidem Eccleſia Baſilius, Nyſſenus, Nazianzenus; in Latina verò Ambroſius Mediolanenſis. Cauſæ iis fuerunt tum eæ, quas jam narravi; tum zelus & imperitia miſcens cum cultu Chriſti Helleniſmi reliquias, Poëtarum Chriſtianorum licentia;

centia, Oratorum Ecclesiæ Rhetoricationes, hyperbolicæ laudationes & apostrophæ ad Sanctos, quas imperitum vulgus malè distinxit; imprudentia Episcoporum, qui Angelorum Sanctorúmque nomine obtento superstitionis gentilitiæ sanctificabant officia. Post ea tempora etsi publicè nota fuit Sanctorum invocatio, tamen non defuerunt, qui errorem masculè confutarent. Quippe damnatus est in Concilio Laodiceno capite 35. Carthagienensi III. canone 23. à privatis etiam Doctoribus, Vigilantio Barcinonensi Presbytero (qui quidem modum non custodiit) Epiphanio, qui fatuissimam sectam Collyridianorum Mariam invocantium, eique κολλυρίδα, panis genus, offerentium, hæresi 79. Scripturis & rationibus solidis perstrinxit; Augustino, qui etsi intercessionem Sanctorum agnosceret, fundamenta tamen irrumpentis erroris masculè evertit, unúmque Deum & invocandum & adorandum passim docuit, Sanctis verò non alium quàm societatis & dilectionis cultum tribuit. Honorandos esse propter imitationem, non adorandos propter religionem *lib. de vera relig. c.* 55. graviter monuit. Singula hæc fusè Vossius Polyhistor, in Thes. Theol. Disp. X. demonstrat. Addi possunt, quæ ex pia antiquitate trium primorum seculorum contra invocationem Sanctorum argumenta irrefragabilia colligit Cl. Dalleus *De Relig. cultus objecto lib.* III. toto, qualia sunt, *quòd in genuinis Patrum monumentis nulla mentio occurrat Templorum, altarium, simulachrorum, festorum, sodalitiorum, donorum, thuris, incensorum &c. Divis dicatorum: quòd B. Virginis cultus ante IV. Seculum nullum in ecclesia locum habuerit: quòd Paulus & vetustissimi Christiani, non æquè ac Tridentini, Episcopos jusserint populum diligenter docere de Divorum cultu: quòd in explicando primo præcepto & Oratione Dominica non æquè ac Latini precum ad Divos religiosarum meminerint, neque etiam iis locis, quibus de religiosa prece copiosè disputant: quòd Ave Maria & preces ad Divos nuspiam de suggestu fidelibus commendaverint: quòd in Eucharistia Divos non invocaverint: quòd in publico ecclesiæ cultu uni sólique Deo hymnos cecinerint: quòd litaniæ & hymni in ministrorum ordinationibus, altarium consecrationibus, reliquiarum depositionibus, pœnitentiæ actibus &c. insueti fuerint: quòd deploratis temporibus ad solum Deum, non etiam ad Divos confugerint: quòd in operibus suis Martyrum encomiasticis, aliísque solius Dei, non etiam Divorum invocandorum meminerint: quòd Divorum consecratio & canonizatio, res ad invocationem Sanctorum necessaria, apud veteres inaudita prorsus & incognita fuerit: quòd plerique piorum & Sanctorum animas extra Cœlum usq; ad resurrectionem carnis degere putàrint: quòd Origenes inter obscura & arcana Dei reliquerit, an sancti Spiritus aliquid pro nobis agant: quòd vetustissimi de tertio, & forte etiam secundo, sed extremo Seculo, Deum pro Sanctis, Martyribus, Apostolis, pro ipsa B. Virgine oraverint: quòd Paganis Deum summo, ministros secundo loco colentibus constanter ita responderint, ut præfractè negarent alium*

 nisi

nisi Deum unum summum se adorare, neque cultum Dei à cultu ministrorum uspiam distinguerent: quòd Pagani Divorum cultum antè quartum Seculum Christianis nuspiam objecerint: quòd Christi solius cultum ipsis objecerint: quòd ea Paganis Divos colentibus objecerint, quæ directè cum cultu Sanctorum militant, qualia sunt, quòd homines naturâ essent, & quidem mortui, quibus hunc à Deo honorem datum esse non constet, hominum decreto canonizati &c. quod Smyrnenses fideles testantur, se non alium, quàm Christum σέβειν colere, eúmque quidem προσκυνεῖν adorare, at Martyres ἀγαπᾷν diligere &c. Læta argumentorum seges adversus eos, qui ubique antiquitatem ad ravim usque crepant. Quibus etiam opponimus argumenta communia, quæ lib. I. ex tribus prioribus Seculis vir ille doctissimus deprompsit.

RESP. REDING: 1. *Apertæ falsitatis reum te peragunt testimonia antiquitatis quinque Seculorum, quæ Objectione IX. citantur.* 2. *Evidenti perfidia Justinum allegas.* 3. *Smirnensis epistola Martyres, ceu discipulos & imitatores Domini se amare ob incredibilem erga Regem & Dominum suum amorem, testatur. Ille verò Christi amor in S. Martyribus erga nos sterilis non est, ut eorundem orationes pro nobis excludat.* 4. *In Concilio Chalcedonensi extat Epistola Episcoporum Europæ ad Leonem Imp. scripta in hunc sensum:* Sanctissimum Proterium in choro, & ordine Sanctissimorum Martyrum ponimus, & ejus intercessione misericordem ac propitium Deum habere postulamus, &c. *Et in Concilii ipsius actis art. 11. dicunt Patres:* Flavianus post mortem vivit, Martyr pro nobis oret. *Et Synodus Generalis VI. cap. 7. sic monet:* Solo Deo adorato, invocet Christianus Sanctos, ut pro se intercedere apud Divinam Majestatem dignentur. 5. *Ante Origenem & Cyprianum, Dionysius Areopagita, Justinus Martyr docuerunt, Sanctos pro nobis intercedere, & Dei visione frui. Reliquorum à te citatorum Patrum testimonia Bellarminus diluit.* 6. *Eusebius, Histor. Eccl. lib. VI. 5. Martyram Potamienam Basilidi, uni ex satellitibus, aliorum petulantiam cohibenti promisit remunerationem tanti boni post obitum. Apparuit ergo ei, & testata est, se pro ipso Dominum deprecatam impetrasse, ut & ipse Christum professus Martyrio coronaretur. Hæc tantæ authoritatis pater. Quid clarius de cura Sanctorum pro vivis dici poterat?* 7. *Ex mera calumniandi libidine Basilio, Nazianzeno, Nysseno & Ambrosio Platonici dogmatis imputationem, Judæ somnium, Zelum & imperitiam Hellenismi reliquias cum Christi cultu miscentem, &c. impingis. Licet enim ceremoniæ invocationis Sanctorum potuerint esse materialiter similes, secundum intentionem tamen orthodoxæ fidei congruentem, quæ in gentilibus idololatrica erat, apud Christianos religiosa fieri potuit. Ita ceremonia Judaica, quâ Judæi à sanguine & suffocato abstinuerunt, juxta decretum Apostolorum Act. XV. 29. Christiana facta est.* 8. *Concilium Laodicenum can. 30. disertè probat accessum ad veros Christi Martyres. Quomodo, nisi per invocatos illos? Canone verò sequente 35. à veneratione non Sanctos, sed apostatas Angelos excludit. Eos enim canon redarguit, qui ad Angelos idololatriæ abominandæ congregationes fecissent. Apertæ ergo perfidiæ reus es. Neq; etiam in Concilio Carthaginensi quidquam contra invocationem Sanctorum legere est.* 9. *Quo verò spiritu ducaris, vel inde liquet, quòd Vigilantium hæreticum sanctis Patribus Sanctorum invocationem rium tutantibus opponere non dubitas.* 10. *Epiphanius impugnat hæresin Collyridianorum, qui Mariam cultu latreutico, superstitiosis eum in finem eidem oblatis sacrificiis, venerabantur. Alibi enim, veluti Serm. de Deipara, ipsam Cæli & terræ Mediatricem*

ap-

appellat. Et in vita Esajæ per ejusdem intercessiones fructus aquæ in consummationem usq; seculi impetrari, ait. 11. *Augustinus de vera relig. cap. 55. voce religionis utitur in proprio & stricto sensu, quatenus illa soli Deo omnipotenti religat. Ibidem tamen asserit, Sanctos propter imitationem, non quidem servitute, sed charitate, tanquam à meriti sui conservis honorandos esse. Talem ergo eorum cum viatoribus communionem astruit, ut cujus etiam meriti ipsorum conservi simus. Cujusmodi charitatis communionem in Sanctis Beatis suffragiorum participationem, in nobis autem viatoribus eorundem suffragiorum implorationem inferre, ex aliis ejusdem testimoniis colligi potest. Inprimis lib. de cura pro mortuis cap. 13--19. disceptat quæstionem illam, an Sancti rerum nostrarum curam habeant, ubi cap. 19. concludit, Martyres per Divinam potentiam vivorum rebus interesse.* Ibid. pag. 74--77. Resp. Cur verò, Redingi, argumenta φερόμενα, ex sententia trium priorum Seculorum invocationi Sanctorum opposita, & à me ex Cl. Dalleo contractiùs repetita, ne quidem lectori tuo repræsentare (cùm mea aliâs repræsentare eidem soleas) nedum aggredi convellenda, ausus es? Jo vicit veritas! Victas manus dedit mendacium! Humi prostratus, ejacet religiosus omnis Divorum cultus! Quando eum tribus seculis primis, simplicissimis, religionis Christianæ tenacissimis, non ignoratum tantùm, sed & à pientissimis Seculorum illorum doctoribus ingenti argumentorum phalange confixum esse ita manifestum est, ut Adversarius ne hiscere quidem ausus fuerit. Reliquas tuas λεπτολογίας nauci floccique pendendas esse, jam quoque manifestum ordine faciam. Etenim 1. nos etiam responsione *ad Obj. IX.* testimonia ex quinque seculis à te ex Bellarmino corrasa ad incudem ita revocavimus, ut nihil solidi reponere habueris. 2. Justinus Martyr *apologia altera* ad Imperatores Romanos de Christo verba faciens ita loquitur: *ὡς δὲ καὶ τὸν θεὸν μόνον δεῖ προσκυνεῖν, οὕτως ἔπεισεν εἰπών, μεγίστη ἐντολή ἐστι, κύριον τὸν θεόν σου προσκυνήσεις, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις. Deum porro solum adorandum esse, ita suasit, dicens: Maximum mandatum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Cúmque paulò post illa attulisset: *Reddite, quæ Cæsaris sunt, Cæsari, & quæ Dei, Deo,* subdit: *Ὅθεν θεὸν μὲν μόνον προσκυνοῦμεν, ὑμῖν δὲ πρὸς τὰ ἄλλα χαίροντες ὑπηρετοῦμεν. Proinde nos solum Deum adoramus, & vobis,* Imperatores, *in rebus aliis læti ministramus.* Eodem tempore Tatianus *Orat. contra gentes*, cùm dixisset de Deo: *Hunc (διὰ τῆς ποιήσεως αὐτοῦ) ex operatione ejus novimus, & potentiam ejus invisibilem ex operibus æstimamus;* addit: *τὸ δημιούργημα Opificium ab ipso nostri gratia conditum adorare nolo. Sol & luna facta sunt propter nos, & ego ministros meos adorarem?* Facit quidem ille disertè mentionem siderum duntaxat; sed simpliciter tamen negat, se *δημιούργημα opificium* Dei (quale etiam Sancti sunt) adorare velle. 3. Adversus ea, quæ Smyrnensis Ecclesia, Polycarpo magistro hactenus usa, de cultu solius Dei protestata est, quàm solenniter ineptis? Etenim cùm Pagani pariter & Judæi Smyrnensibus corpus Sanctissimi Martyris Polycarpi ex rogo diripere desiderantibus objecissent, velle illos relicto Christo Martyrem illum colere, sic illi se inter alia, Eusebio *Histor. Eccl. lib. IV.* 14. epistolam referente, purgarunt; *fieri non posse, ut Christum pro nostra salute passum derelinquant, οὔτε ἕτερόν τινα σέβειν, vel alium ullum colant. Illum enim,* inquiunt, *qui Dei Filius est, (προσκυνοῦμεν) adoramus: Martyres autem, ut discipulos & imitatores Domini (ἀξίως ἀγαπῶμεν) meritò diligimus, propter incredibilem eorum benevolentiam erga proprium Regem & Magistrum (ὧν γένοιτο καὶ ἡμᾶς συγκοινωνούς τε καὶ μαθητὰς γενέσθαι) quorum utinam & nos consortes & discipuli fiamus!* Quibus verbis omnis Martyribus adoratio denegata est, sola iis *ἀγάπῃ dilectione* concessa. quomodo & *societatis* ac *dilectionis* cultum iis Augu-

Eeeee 2 stinus

ſtinus tribuit. non *ſterilem*, fateor, ſed nec talem, in quo ſive *προσκύνησις adoratio*, ſive σεβασμὸς *cultus* (eſt autem haud dubiè invocatio Sanctorum *σεβασμὸς cultus*, & quidem *religioſus*) locum ullum invenire poſſit. Utrúmque enim & *προσκύνησιν adorationem*, & *σεβασμὸν cultum* Smyrnenſes diſertè removent. Rectè enim Rufinus *σέβειν colere* ſimpliciter vertit. pro quo *colere ut Deum* Chriſtophorſonus, interpres & hic & alibi paſſim infidus, maluit. Quid verò multis? *Ἀγάπη amor*, non ſterilis licet, etiam erga inferiores locum habet, erga quos nec cultus religioſus ullus, nec invocatio locum habere poteſt. Cujuſmodi verò honorem Martyri ſuo Smyrnenſes habuerint, ipſimet infra declarant: *Poſtea*, inquientes, *oſſa ejus potiora lapillis pretioſis, auróque puriora collecta à nobis iſtic loci repoſuimus, ubi conſentaneum erat. Ubi ſanè nobis aliquando in unum coactis, Dominus praſtabit, ut celebrem ejus Martyrii natalem cum exultatione & gaudio, quantum fieri poteſt, maximè recolamus*: (*εἰς τε τῶν προηθληκότων μνήμην, καὶ τῶν μελλόντων ἄσκησίν τε καὶ ἑτοιμασίαν*) *idque cùm ad athletarum iſtorum memoriam, tum ad eorum exercitationem & praparationem, qui poſtea certamen hujuſmodi ſunt ſubituri*. Unde liquet, honorem illum, quem Apoſtolorum diſcipuli, vel qui hos audiviſſent, præſtare Martyribus ſolebant, in eo ſitum fuiſſe, quòd corpora illorum cineréſve terra conderent, ac natali, hoc eſt, mortuali illorum die, ibidem loci (cœmiteria enim præcipua veterum Chriſtianorum Templa erant) certamina ipſorum panegyri celebrarent: nempe, quò præſentes hac ratione oſſibus ac cineribus ipſis ad eorum imitationem vehementiùs inflammarentur. 4. In ullo Conciliorum primorum Oecumenicorum Sanctorum invocationem ſic definitam vel comendatam eſſe, uti quidem in Tridentino definita & commendata eſt, probabis profectò nunquam: Altum in iis de re tanti momenti ſilentium eſt. Epiſtola Epiſcoporum Europæ ad Leonem Imp. non eſt Concilii Chalcedonenſis, ac ne Epiſcorum Europæ omnium, ſed quatuor duntaxat Epiſcoporum in Europæ illa parte, quæ Orientali Imperio ſuberat, degentium, qui ipſi Concilio non interfuerunt, ſed ſuum ad Imperatorem de Concilii Chalcedonenſis definitionibus perſcripſerunt. An illos totius Concilii mentem retuliſſe, quiſquam ſanus dixerit? Neque illorum Epiſtola Sanctorum invocationem ſtabilit, ſed interceſſionis duntaxat mentionem facit. Generalem Proterii pro Eccleſia interceſſionem optant, de qua etiam *Act. XI.* non Concilium, ſed Epiſcopi & Clerici Conſtantinopolitani clamantes: *Flavianus poſt mortem vivit: Martyr pro nobis oret*; loquuntur. Synodi verò ſextæ Canon VII. adulterinus totus eſt. Græca editio in centum & duobus hujuſmodi canonibus nil tale habet: nil gloſſatores, Balſamon, Zonaras, Ariſtenus. Reperitur verò duntaxat inter novem quoſdam Canones huic Synodo ex vetuſto Codice Monaſterii S. Bavonis Gandavenſis Flandriæ attributos. Unde Surius ipſe, partium iniquo ſtudio totus corruptus licet, *Concil. Tom. II. p.* 1034. ingenuè fatetur, *ſeptimum illum canonem cum octo ſequentibus falsò adſcribi ſextæ Synodo*. Et Bellarminus *de Rom. Pontif. lib. II.* 18. *disertè nullius* eos *roboris* eſſe, & *conventiculi cujusdam, quod ſe falsò ſextam Synodum vocavit, eſſe*, profitetur; & rationibus inſuper probat. Siliquis talibus tuos, Redingi, paſcere poteras. Noſtro enim palato non ſapiunt. 5. De Dionyſio Areop. & Juſtino infra. Nec te Achilles tuus Bellarminus juvat, cujus Patres obtorto collo ad hagiolatriæ patrocinium rapientis tela pridem noſtri, ac noviſſimè inprimis Cl. Dallæus obtuſiora reddiderunt, quàm ut vim ullam adverſus nos reliquam habeant. 6. Ex Euſebio, *ſanto patre* (an *ſantus* etiam Jeſuitis veſtris videtur, qui Arianæ hæreſeos crimine cum palam arceſſunt, & ubique fidem ejus minuunt?) quid quæſo præſidii habes? An Baſilides Potamienam, quæ ei Martyrii coronam precibus ſuis impetraſſe dicitur

tur, invocavit? Poterat defuncta Potamiena intercessione sua Deo commendare Basilidem, cujus benevolentiam experta inter obeundum martyrium fuerat. An icirco jam defuncti quasvis quorumvis superstitum necessitates particulares nôrunt, & ad suffragandum ac intercedendum exorari debent? Nec casus regulam faciunt: nec dissimilia cohærent. 7. Mirus verò stupor tuus est, cùm mihi asserenti, quosdam veteres particularem intercessionem Sanctorum ex Platonicorum imitatione hausisse, *calumniandi libidinem* impingis; & tamen ipse Christianorum & Gentilium ceremoniarum *materialem* identitatem probare conaris. Tuam verò de *calumniandi libidine* calumniam res ipsa retundit. Nam ex Platone *de Rep. lib. V.* constat, Platonicæ philosophiæ dogma fuisse, animas pias post excessum ex hac vita dæmones terrestres, optimos, mali averruncos, & generis humani custodes effici. Ab hoc fonte manasse Patrum quorundam de particulari defunctorum intercessione dogma, indicio est, quòd illud sequatur tum inter Judæos Philo Alexandrinus: tum inter Christianos Platonicis impensè addictus Origenes, qui Christianorum primus opinionem eam in Ecclesiam invexit: tum ille, quem jamjam laudabas *tantum Patrem*, Eusebius, qui seculo postmodum vixit, & *de Præparat. Ev. lib. XII.* 1. Platonicum esse dogma, sed *σύμφωνον ἡμετέροις δόγμασι consentiens nostris dogmatibus*, scribit: tum Theodoretus Cyrensis, modò germanus is scriptor Ἑλληνικῶν θεραπευτικῆς παθημάτων; cujus operis libro VIII. ex Platonis undecimo *de legibus* ostenditur, *οἷς ἐπιμελὲς τῶν ἀνθρωπίνων δύνανται πραγμάτων αἱ τῶν ὁσίων ψυχαί, καὶ τοῦ σώματος ἐκτὸς γενόμεναι· quòd Sanctorum animæ extra corpus existentes humanas res curare possint.* Tuum porro de ceremoniarum Christianarum & Gentilium materiali identitate coccysmum infra jam dilutum à me cùm videris, omittere equidem heic & poteras & debueras. 8. De Concilio Laodiceno & Carthaginensi res expedita est. Etenim Laodicensis Canon XXXV. sic habet: *Ὅτι οὐ δεῖ Χριστιανοὺς ἐγκαταλείπειν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, καὶ ἀπιέναι, καὶ Ἀγγέλους ὀνομάζειν, ἢ συνάξεις ποιεῖν, ἅπερ ἀπηγόρευται. Εἴ τις οὖν εὑρεθῇ ταύτῃ τῇ κεκρυμμένῃ εἰδωλολατρείᾳ σχολάζων, ἔστω ἀνάθεμα· ὅτι ἐγκατέλιπε τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, καὶ εἰδωλολατρείᾳ προσῆλθε· Quòd non oporteat Christianos relicta Dei Ecclesia, abire, & Angelos nominare, vel congregationes facere quæ sunt prohibita. Si quis ergo inventus fuerit huic occultæ idololatriæ vacare; anathema sit, quia reliquit Dominum nostrum Jesum Christum, Filium Dei, & accessit ad idololatriam.* Tu id de Angelis *apostatis* accipiendum pertendis. At canon simpliciter *Ἀγγέλους Angelos* nominat. Si de bonis Angelis sermo sit, an ergo licet *relicta Dei Ecclesia abire*, & bonos Angelos *nominare*? Siccine idololatria cessaret? Perspicuum est *nominationem Angelorum* religiosam quamvis, hoc est, invocationem Angelorum prohiberi, idque eo argumento, quia sic *nominans Angelos* (Mediatores puta apud Deum) *relinquit Dominum Jesum Christum* (ceu Mediatorem unicum) *& ad idololatriam accedit*: atque sic *Ecclesiam Dei relinquit*. Scholiastes Harmenopuli ad verba Canonis illius observat, quòd antiqua quorundam hæresis fuerit, dicentium *ὡς οὐ δεῖ τὸν Χριστὸν εἰς βοήθειαν ἐπικαλεῖσθαι, ἢ εἰς προσαγωγὴν πρὸς τὸν Θεὸν, ἀλλὰ τοὺς Ἀγγέλους· τοῦτο δὲ τάχα δι' εὐλάβειαν ἔλεγον πεπλασμένην· non Christum ad opem nobis ferendam implorandum esse, vel ut nos ad Deum adducat, sed Angelos. quod quidem illi fortasse tradebant ex religioso humilitatis prætextu.* Annon & vos, relicto Christo, ad Angelos & Sanctos, paranymphos gratiæ Dei & Christi, ita convertimini, ut Sanctorum cultus utramque apud vos paginam faciat? Sanè quemlibet religiosum Angelorum cultum canone illo interdictum esse, doctissimus pater, Theodoretus, qui statim post hanc

hanc Synodum Laodiceæ celebratam claruit, & Canonem eum, secundum ad Colossenses caput exponens, sic interpretatus est: Οἱ τῷ νόμῳ συνηγοροῦντες, καὶ τοὺς Ἀγγέλους σέβειν αὐτοῖς εἰσηγοῦντο, διὰ τούτων λέγοντες δεδόσθαι τὸν νόμον· Ἔμεινε δὲ τοῦτο τὸ πάθος ἐν τῇ Φρυγίᾳ καὶ Πισιδίᾳ μέχρι πολλοῦ. οὗ δὴ χάριν καὶ συνελθοῦσα σύνοδος ἐν Λαοδικείᾳ τῆς Φρυγίας νόμῳ κεκώλυκε καὶ τοῖς Ἀγγέλοις προσεύχεσθαι. καὶ μέχρι δὲ τοῦ νῦν εὐκτήρια τοῦ ἁγίου Μιχαὴλ παρ' ἐκείνοις, καὶ τοῖς ὁμόροις ἐκείνων ἐστὶν ἰδεῖν· *Qui legem defendebant, eos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes, legem per illos fuisse datam. Mansit autem perdiu hoc vitium in Phrygia & Pisidia. Proinde Synodus, quæ convenit apud Laodiceam Phrygiæ, lege vetuit,* (NB) *ne precarentur ad Angelos, & ad hodiernum usque diem oratoria S. Michaelis apud illos, illorúmque finitimos videre est.* Eo ergo interprete simpliciter Concilium vetuit τοῖς Ἀγγέλοις προσεύχεσθαι *ad Angelos precari.* quod fit in Romana Ecclesia, etiam quando sibi pulchrè sobria videtur, hisce inter alia verbis: *Angeli custodes defendite nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.* Denique adversari Angelico cultui vestro Canonem hunc agnoverunt ejusdem fœdi falsatores, Bartholomæus Caranza & Laur. Surius, qui argumentum evitaturi *Angeli* vocem in vocem *anguli* mutarunt. Quod illis licuit in versione Latina; in Græca editione non item. Nil te juvat canon Concilii præcedens XXXIV. prohibens ἐγκαταλείπειν μάρτυρας τοῦ Χριστοῦ, καὶ ἀπιέναι πρὸς τοὺς ψευδομάρτυρας *relinquere Martyrem Christi, & ad Pseudomartyres abire.* An enim *non relinquere Martyres Christi*, est Martyres Christi invocare? An potiùs, interpretibus Balasmone & Zonara, ἀπέρχεσθαι εἰς τὰ κοιμητήρια *proficisci ad cœmiteria* Martyrum Christi, & Pseudomartyrum cœmiteria deserere? Concilii verò Carthaginensis vulgò dicti tertii, (cui B. Augustinus interfuit: *Cùm ad altare assistitur, semper ad patrem dirigatur oratio. Et quascunque sibi preces aliquis describit, non eis utatur, nisi priùs eas cum instructioribus fratribus contulerit.* 9. Quòd à Vigilantio damnatum esse morem invocandi Sanctos dixi, non ullam inde spiritus meus, confido, labem contraxit. Addidi enim ingenuè, cum *modum non custodivisse.* Hæreticus ille fuit non Ecclesiæ primitivæ, cujus in hæreticorum catalogis nusquam nomen ejus apparet, judicio, sed hagiolatrarum, quos ille acriter satis pulsabat, opiniones. Bellarminus *de Eccl. Triumph. lib. I.* 11. ait, *antiquam hæresin Vigilantii apud Hieronymum fuisse, Sanctos non esse colendos.* Atqui hæc hæresis, si hæresis nominanda est, antiqua, fateor, est, quia *Dei* (Deut. VI 3.) qui *antiquus dierum* (Dan. VII. 22.) est; & *hæresis* eo sensu, quo Constantinus apud Eusebium *Histor. Eccl. lib. X.* 5. Christianam fidem αἵρεσιν καθολικὴν *hæresin Catholicam*, & ἁγιωτάτην αἵρεσιν *sanctissimam hæresin* appellat. Cujusmodi etiam hæresin Hieronymus, Vigilantii adversarius, non damnavit, sed vehementer probavit *Epist.* 53. *ad Ripar.* ubi sic ille: *Nos, non dico, Martyrum reliquias, sed ne Solem quidem & Lunam, non Angelos, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim, & omne nomen, quod nominatur & in præsenti seculo, & in futuro, colimus & adoramus: ne serviamus creaturæ potiùs quàm creatori, qui est benedictus in secula.* Ad ista porro verba Vigilantii: *Quid necesse est te tanto honore non solùm honorare, sed etiam adorare illud nescio quid, quod in modico vasculo transferendo colis?* sic Hieronymus *adv. Vigil. c.* 2. respondet: Quis, o insanum caput, *aliquando Martyres adoravit? Quis hominem putavit Deum?* Ita Hieronymus non hoc in Vigilantio carpit, quòd Sanctos coli & adorare negasset oportere; alioqui se ipsum carperet, atque adeò Apostolos, quos idem confirmantes citat: sed illud reprehendit, quòd innuisset esse, qui Sanctos adorarent, & reliquias eorum colerent; quos ipse nullos esse asserit. Divinum ergo cultum Martyribus delatum queritur Vigilantius: nec id

in

faciendum defendit Hieronymus, sed factum inficiatur. Proinde Hieronymus colendos Sanctos negat, quemadmodum colendos negabat Vigilantius. Eo nomine si Vigilantius hæreseos meruit notam, meruit etiam Hieronymus, neque cum utroque nos paria contra Papistas sentientes detrectabimus. De cœtero sicut Vigilantius, si ex Adversarii ejus scriptis judicium ferri debet, dum luxuriantem illum Sanctorum honorem intra modum coercere studet, infra modum ipse subsidens, non ubique satis honori Sanctorum consuluit: aliqua etiam, quæ licet caput fidei non erant, probabiliter tamen credi poterant, vehementi nimis studio impugnavit: ita Hieronymus etiam festinantissimè in chartam conjiciens, quicquid ei nocte una non semper Zelus secundum scientiam, sed etiam splendida bilis dictaverat, (*ferreis planè conviciis cum verberasse Vigilantium*, ipse Villavincentius *de rat. stud. Theol. lib. IV cap. 6. obs. 7.* queritur) nunc quidem negavit fieri, quæ quanquam non omnibus, vulgò tamen fieri constitit: nunc etiameò usque prolapsus est, ut ad reliquiarum cultum & Sanctorum intercessionem defendendam dicere sustinuerit, beatas animas tumulis suis adesse, & Angelorum in modum celerrimè per loca maximè dissita vagari, eventúsque ac postulata hominum ibidem cognoscere. quod ne Pontificii quidem tueri hodie sustinent. Redingium enim his Hieronymi verbis: *Si Agnus ubique, ergo & hi, qui cum Agno sunt, ubique esse credendi sunt*; vix subscripturum credo. Tam difficile est in æstu disputationis Regiam tenere viam. Sed eandem in rem infra plura. 10. Collyridianos *latreutico*, id est, non *duleutico* (juxta distinctionem vestram) cultu Deiparam Mariam coluisse, nuspiam certè Epiphanius docet. Insanissimam illorum hæresin, à mulierculis inventam, sic *Adv. hæres. 59. sive 79.* describit: *Mulieres quædam* (κυρικόν τινα, ἤτοι δίφρον τετράγωνον) *currum quendam sive sellam quadratam adornantes, ac linteo desuper extento, solenni tempore per aliquot dies panem proponunt, & in Mariæ nomen offerunt. Tum ad unum omnes illo vescuntur.* Hæresin hanc pluribus argumentis Epiphanius refellit; ex quibus de ejus circa cultum Sanctorum sententia nullo negotio dijudicari potest. Institutum eorum pertendit *cum idololatria conjunctum*, & *Diabolicum* esse, asseverat. Diabolum enim (προφάσει δικαίου) *sub specie justitiæ perpetuò hominum mentibus obrepsisse, ac mortalem naturam Divinis honoribus consecrantem, humanas effigies artificiorum varietate perpolitas hominum oculis objecisse. Quare*, inquit, *cùm illi ipsi, qui adorantur, mortui sint, eorum tamen simulachra, quæ vitæ nihil unquam habuerunt (neque enim mortua dici possunt illa, quæ nunquam vita prædita fuerint) adoranda proponunt: sic ut animus hominum ab uno solóque Deo nefario quodam adulterio desciscat: velut meretrix, quæ corpore suo quæstum faciens multiplicibus promiscuæ veneris stimulis agitur; & unius ac legitimi matrimonii castitatem repudiat.* Quæ notabilis idololatriæ descriptio est non ad gentilium duntaxat, sed eorum etiam, qui *prætextu pietatis* hominibus cultum religiosum deferunt, idololatriam accommodata. Cultum autem religiosum cum *unius legitimi matrimonii castitate* comparat. Quòd notandum contra eos est, qui tot Mariæ *sponsos* donant, quot ejus cultores sunt. Ubi etiam severè ἀνδρείκελα ἀγάλματα *humanas effigies mortuos repræsentantes*, quatenus ad cultum exponuntur, arguit. Unde apparet, Collyridianos etiam imaginibus Deiparæ, ad ejus, dum viveret, similitudinem efformatis eam, perinde ut hodie Papistæ, coluisse. Objicientibus mulierculis illis: *Nonne sanctum fuit Mariæ corpus: nonne virgo honoranda fuit?* respondet: Ναὶ μὴν ἅγιον ἦν τὸ σῶμα τῆς Μαρίας· οὐ μὴν Θεός· καὶ δὴ παρθένος ἦν ἡ παρθένος, καὶ τετιμημένη, ἀλλ' οὐκ εἰς προσκύνησιν ἡμῖν δοθεῖσα, ἀλλὰ προσκυνοῦσα τὸν ἐξ αὐτῆς σαρκὶ γεγεννημένον, ἀπὸ οὐρανῶν δὲ ἐκ κόλπων πατρῴων παραγενόμενον. *Sanctum erat Mariæ*

corpus,

corpus, fateor: non tamen Deus illa fuit (non quòd Collyridiani illam Deum esse crediderint, uti malè Baronius: sed quòd eam planè quidem, uti Pontificii, Divino honore colentes, *ἑπομένως consequenter*, Deam, quantum in se erat, fecerint. Eam, cui corpus tribuerunt, natura esse Deam, credere non potuerunt) *Eadem & Virgo extitit; & honorata, minimè tamen nobis ad adorandum proposita, sed eum adorans ipsum, qui è sua carne genitus è Cœlo ac paterno sinu descenderat.* Argumentum isthoc generale haud clementiùs Pontificiorum, quàm Collyridianorum Mariolatriam ferit. Addit, *S. Evangelium nos præmunire voluisse. in quo ita Christus loquitur: Quid mihi & tibi, Mulier? Nondum venit hora mea. Ubi iccirco Mulierem appellavit*, ἵνα μή τινες νομίσωσι περισσοτέραν εἶναι τὴν ἁγίαν παρθένον, *ne qui S. Virginem plus aliquid esse putarent.* Subjicit: *Quanam in parte Scripturæ continetur? Quis Prophetarum unquam vel hominem* (ὃ μὴν γυναῖκα) *nedum Mulierem adorari permisit? Quanquam enim selectum quoddam vas atque eximium sit, nihilominus mulier est*, (οὐδὲ τὴν φύσιν παρηλλαγμένη) *nil quoad naturam immutata, licet animo atque sensu amplissimis honoribus affecta sit; perinde ac reliquorum Sanctorum corpora, aut si quid ad gloriam & splendorem illustrius attulere.* Subjectis Eliæ, Johannis, Theclæ laudibus, infert: *Atqui nec Elias adorandus est, tametsi adhuc superstes sit; neque Johannes, licet precibus mortem suam admirabilem ac singularem effecerit. Sed nec Thecla, aut alius quisquam è Sanctis adoratur.* Quis ex Pontificiis ejusmodi comparationes cum Sanctis etiam V. T. pateretur? Quis ferret arguentem: Tales & tales honores non sunt habiti Eliæ, Johanni, Theclæ. Ergo nec Mariæ habendi sunt? Sic tamen Epiphanius argumentatur, & statim rationem reddit: οὐ κυριεύσει ἡμῖν ἡ ἀρχαία πλάνη, καταλιμπάνειν τὸν ζῶντα, καὶ προσκυνεῖν τὰ ὑπ' αὐτοῦ γεγονότα. Ἐλάτρευσαν γὰρ καὶ ἐσεβάσθησαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, καὶ ἐμωράνθησαν. Εἰ γὰρ Ἀγγέλους προσκυνεῖσθαι οὐ θέλει, πόσῳ μᾶλλον τὴν ἀπὸ Ἄννης γεγεννημένην &c. *Non enim vetus nobis superstitio dominabitur, ut vivo Deo derelicto, quæ ab eo fabricata sunt, adorare velimus. Servierunt, inquit, & venerati sunt creaturam potiùs quàm creatorem, & fatui redditi sunt. Nam si ne Angelos quidem adorari permittit, quantò minùs id Annæ filiæ tribui potest?* Quis iterum Papista patienter hæc audiet? Quid ais, Epiphani? Quàm insulsè argumentaris? An putas minùs honoris tribuendum esse Virgini, quàm Angelis, cùm illa sit Regina Cœli, domina Angelorum, exaltata super Cherubim & Seraphim? Concludit emphaticè: Ἐν τιμῇ ἔστω Μαρία, ὁ δὲ πατὴρ, καὶ υἱὸς, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα προσκυνείσθω, τὴν Μαρίαν μηδεὶς προσκυνείτω. *In honore esto Maria. Pater verò, Filius & Spiritus S. adorentur. Mariam nemo adoret.* Contrarium planè suis placitis hodie Pontificii inferunt: *In nomine Mariæ*, inquiunt, *flectatur omne genu.* Addit: *Non dico mulieri, sed ne viro, quidem, sed uni Deo* (προστέτακται τὸ μυστήριον) *mysterium illud* religiosi cultus *tribuitur. Neque Angeli* χωροῦσι δοξολογίαν ταύτην, *honoris talis capaces sunt.* Nota, non Vir, non Angelus capax est, nedum Maria. Si gravissimam illam Epiphanii disputationem, & in ea argumenta generalia cuivis Deiparæ religioso cultui opposita diligentiùs paulò Redingius expendisset, vel inde, quid discriminis sit veterem inter & hodiernam doctrinam suam, satis intellexisset. Sed idem, inquit ille, Epiphanius *Serm. de Deip.* Mariam *Cœli & terræ Mediatricem* appellat. Utinam ingenuè, Redingi, ageres! Non enim illa oratio veri Epiphanii est nisi forte ἐκ αὐτοῦ στόματος τὸ θερμὸν καὶ ψυχρὸν ἐξήγαγεν, *ex eodem ore calidum & frigidum* efflavit. Salva res est. Ipse Dionysius Petavius, Jesuita vestras, in editione sua Epiphanii orationem illam cum aliis quibusdam, quas in finem Tomi secundi rejecit, ingenuè agnoscit *cuivis potiùs, quàm Epiphanio*, tribuendam esse. *Orationes*, inquit,

quit ille, *quæ Epiphanii nomine fucum jam dudum faciunt, satis cùm stylo ipso, tum aliis quibusdam indiciis, alterius vel Epiphanii, vel authoris esse, declarant.* Ejusdem commatis est libellus ejusdem, qui *de vita Prophetarum, Esajæ*, &c. inscribitur. quem ex falso illo Dorotheo à nugatore quodam expressum esse, pridem Doctiss. Raynoldus *de libr. Apocr. Tomo II. Prælect.* 138. probatum dedit, nil dissimulante eodem Petavio, qui eundem libellum inter νοθεύματα rejecit. *quem*, inquit, *ψευδεπίγραφον esse, sexcenta mendaciorum nugæ persuadent, quibus ille refertus est.* Talibus fulcris ruentem causam suam Redingius, pudoris omnis expers, sustinere conatur. II. S. Augustini quænam hoc de argumento mens sit, ex ejusdem verbis optimè cognoscitur. Loco ergo à me citato *de vera relig. cap.* 55. sic ille loquitur: *Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum. Quia si piè vixerunt, non sic habentur, ut tales quærant honores, sed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur, meriti sui nos esse consortes. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem.* Hic voce *religionis* in stricto sensu, quatenus soli Deo competit, eum uti, ultro tibi concedo. Neque aliam *religionem*, alium cultum *religiosum*, quàm soli Deo debitum, adeóque strictè sumptum, ille novit. Iccirco enim *honorandos* ait *propter imitationem*: nullò verò modo, propter quamcunque causam, invocandos. Neque enim ibi de honore soli Deo competente, sed de honore Sanctis debito arbitratur. Si quocunque modo *religiosè adorandos, invocandos* putavit, *religionem, adorationem* in universum ab iis non removisset. Sed ibidem, inquis, asserit, *Sanctos propter imitationem non quidem servitute, sed charitate, tanquam à meriti sui conservis honorandos esse. Talem ergo eorum cum viatoribus communionem astruit, vi cujus etiam meriti ipsorum conservi simus. quod in illis suffragiorum participationem, in nobis eorundem implorationem importat.* Inanes hos esse logos ipsius Augustini verba arguunt. *Honoramus*, inquit, *eos* (bonos Angelos) *caritate, non servitute, nec eis templa construimus. Nolunt enim se sic honorari à nobis, quia nos ipsos cùm boni sumus, templa summi Dei esse noverunt. Rectè igitur dicitur, hominem ab Angelo prohibitum, ne se adoraret, sed unum Deum, sub quo ei esset & ille conservus.* Eo ergo judice honor ille *charitatis* non eò se extendit, quò honor religiosus, ad quem *adoratio, Templi constructio*, juxta eundem refert. Vos autem Angelis, Sanctis Templa construitis, & eosdem adoraris. Non ergo honor, quem Sanctis exhibetis, *charitatis* ille *honor* est, quem Augustinus intellexit. Charitas enim illa non erga Deum creatorem, sed erga Sanctos, qui creaturæ Creatoris sunt, fertur, ac proin *invocationem, adorationem, religionem* soli Deo Creatori debitam non infert. In voce *meriti* frivolè ludis. Dicit enim S. ille pater, nos esse *consortes* Sanctorum *meriti*, hoc est, ejus, quod jam in Cœlo consecuti sunt, boni. Nam & nos spe salvati sumus. Disertiùs adhuc mentem suam *de Civ. D. lib. XXII.* 12. exprimit: *Ad Sacrificium* (martyres) *sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur*, NON TAMEN *à Sacerdote, qui sacrificat*, INVOCANTUR. Quem locum supra vindicavimus. Apertè etiam irrepentem consuetudinem improbat *de morb. Cath. Eccl. cap.* 34. ubi ait: *Nolite consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsa vera religione superstitiosi sunt, vel ita libidinibus dediti, ut obliti sint, quid promiserint Deo. Novi multos esse sepulchrorum & picturarum adoratores.* Alibi *de Civit. D. lib. X.* 4. *Multa denique*, inquit, *de cultu Divino usurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis, sive humilitate nimia, sive adulatione pestifera, ita tamen, ut quibus ea deferuntur, homines haberentur, qui dicuntur colendi & venerandi: si autem eis multum additur, & ado-*

adorandi. quod postremum de adoratione civili accipiendum; quia aliàs secum Augustinus pugnaret. Nempe superstitio vulgi sensim veram religionem in suam veluti potestatem redegit, non ausis rectiora sentientibus justa severitate se torrenti illi opponere. Sanè memorabile est, quod eam in rem ad Januarium *Epist* 119. his verbis scripsit: *Sed hoc nimis doleo, quia multa, quæ in Divinis libris saluberrima præcepta sunt, minùs curantur, & tam multis præsumptionibus sic plena sunt omnia, ut graviùs corripiatur, qui per octavas suas terram nudo pede tetigerit, quàm qui mentem vinolentia sepeliverit.* Inprimis memorabile, quod paulò ante dixerat: *Quod instituitur præter consuetudinem, ut quasi observatio Sacramenti sit, approbare non possum. Etiamsi* MULTA *hujusmodi propter non nullarum vel Sanctarum, vel turbulentarum personarum scandala devitanda liberiùs improbare non audeo.* Si tantæ Vir authoritatis in negotio Dei liberè loqui ausus non est, quid mirum, si alii errore invalescente, tanquam torrente quodam se abripi passi sunt? Denique quæstio, quam S. Augustinus *lib. de cura pro mortuis cap.* 13. *f.* de cura mortuorum pro viventibus, nec non Martyrum præsentia inter viventes anxiè & perplexè disceptavit, huc neutiquam facit. Neque enim si quam sive generalem, sive specialem etiam rerum nostrarum notitiam & curam Sancti Cœlites habent, idcirco religiosè colendi, invocandi sunt; quia nec intercessores & Mediatores apud Deum nobis dati sunt, nec bonorum authores datorésque sunt, nec à Deo religiosi cultus objectum verbo sive mandati, sive promissionis constituti sunt. Et tamen Augustinus titubat, palámque conjecturis suis indulget. Etenim *cap.* 13. sic loquitur: *Ibi sunt spiritus defunctorum, ubi non vident, quæcunque aguntur, aut eveniunt in ista vita hominibus. Quomodo ergo vident tumulos suos, aut corpora sua, utrum abjecta jaceant an sepulta?* Dubitationem illam tollere *cap.* 15. conatur his verbis: *Fatendum* est, nescire quidem mortuos, quid *hic agatur, sed (NB) dum hic agitur. Postea verò audire ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt; non quidem omnia, sed quæ sinuntur indicare, qui sinuntur etiam ista meminisse, & quæ illos, quibus hæc indicant, oportet audire. Possunt & ab Angelis, qui rebus, quæ aguntur hic, præsto sunt, audire aliquid mortui, quod unumquemque illorum audire debere judicat, cui cuncta subjecta sunt.* Notitiam ergo Sanctorum non ad speculum aliquòd Trinitatis, sed ad relationem humanam, Angelicam & Divinam refert. Quàm verò id facit trepidè, parúmque confidentèr! Dicit, *posse eos ab Angelis audire; posse, Deo revelante, cognoscere.* Quòd audiant, cognoscant, nec hic asserit, nec probat. Possibilitatem, tanquam invocationis fundamentum, quæ mens afflicta, rerúmque suarum satagens tutò amplectatur? Sic enim illi ratiocinandum fuerit: *Fieri potest, ut meam necessitatem hinc discedentes aliquibus beatis renuntient, vel Deus revelet. Ergo S. Valentini, ergo S. Sebastiani, Petronellæ, Ottiliæ opem in his doloribus meis implorabo.* Sed quid, si non sinantur hinc discedentes præsentem necessitatem nominatis indicare? quid, si non sinantur meminisse? quid, si eos, quibus hæc indicari velles, non oportet ista audire? Augustinus enim dicit, *quæ sinuntur indicare; qui sinuntur ista meminisse, quæ illos, quibus hoc indicant, oportet audire.* Quid si nimis serò indicent? Quid si tu priùs expires, quàm ad illos nuntium necessitatis tuæ perferatur? Si autem tempestivè etiam perferatur, quis testis erit tui cordis, sitne rectum in fide, spe & charitate? An internuntii viderunt, ut referre possint? Dices: *Deus potest illis revelare.* At Augustinus dicit: *Possunt etiam spiritus mortuorum aliqua, quæ hic aguntur, quæ necessarium est eos nosse, & quæ necessarium non est, eos non nosse, non solùm præterita, vel præsentia, sed etiam futura, Spiritu Dei revelante, cognoscere: sicut non omnes homines, sed Prophetæ, dum hic viverent, cognoscebant, nec*

ipsi

ipsi omnia, sed quæ illis esse revelanda, Dei providentia cognoscebat. Num verò beatis spiritibus necessarium est, nôsse, quid cum unoquoque hic agatur, quodnam ejus votum, quæ mens? Non affirmat Augustinus. Quàm ergo lubricum invocationis Sanctorum fundamentum in sententia & verbis Augustini ponatur, abundè jam liquet.

ARG. VIII. Negari nequit, invocationem Sanctorum Papisticam idololatriæ Gentilium per esse similem. Fatetur Ludovicus Vives. Et notum est Mantuani carmen: *Vt Martem Latii, sic nos Te Dive Georgi.* Apotheosis Gentilium est canonizatio Papistica Sanctorum invocandorum. Cùm Ethnici olim præter sumum Deum coluerunt imos, medioxumos, Consentes; cùm diversis Provinciis, morbis, vitæ statibus, ventis, montibus diversos Deos præfecerunt, de quibus prolixè agit Lilius Gyraldus de *Diis Gentium*; cùm Divos suos invocârunt per battologias; cùm Templa iis, altaria, festa ordinârunt, peculiaria munera obtulerunt, non viam eos Papisticæ invocationi præivisse, quod & ipse Salmero fatetur, putabimus? Videtur id ingenuè agnoscere Aug. Reding. p. *776. 777.* ubi maculam hanc abstergere conatur distinctione ceremoniarum *materialiter* & *formaliter*, hoc est, cum intentione colendi veros vel falsos Deos, gentilitiis & Judaicis similium, quarum illas non has rectè à se admitti probare conatur exemplo Apostolorum, legem Judaicam de sanguine & suffocato etiam Christianis præcipientium. Eadem nempe ratione etiam ecclesiam ceremonias gentilitiis *materialiter* similes, *quatenus regulantur secundùm intentionem orthodoxæ fidei conformem* amplecti. Hac videlicet distinctione Israelitæ suum Jehovam in vitulo, more Ægyptiaco colentes, solidè se excusare potuissent, modò tam beati fuissent, ut illis in mentem incideret: imò & ecclesia universas abominationes Paganorum & Judæorum, mutatâ tantùm intentione, postliminio reducere posset. Quin Apostoli in Gentilium & Judæorum conversione occupati, magno cum fructu ceremonias illorum, mutato tantùm fine seu intentione, probare potuissent. At illi 2. Cor. VI. 28. negant Christo cum Beliale consortium aliquod, adeóque etiam in ceremoniis Dei colendi harmoniam intercedere. Lex de sanguine & suffocato συγκαταβάσεως ἕνεκα, ad cavendum scandalum & σύῤῥαξιν ad tempus ab Apostolis rogata est, in re videlicet suâ naturâ adiaphora, nec bona nec mala. At similem rationem esse ceremoniarum ejusmodi, inprimis cultus Sanctorum, quem nos suâ naturâ esse idololatricum scimus, probare ille, non nudè asserere debuisset.

RESP. REDINO: I. *S. Paulus Rom. I. 19. &c. Te docet, ipsos etiam gentiles ex lumine naturæ invisibilia Dei ex iis, quæ facta sunt, cognoscendo, huic supremum latreuticum cultum exhibendum agnovisse; accusans eos hoc duntaxat nomine, quòd Deum cognoscentes non glorificaverint, & gloriam incorruptibilis Dei in imaginem corruptibilis hominis, volucrium*

crium &c. *commutaverint. Quid ergo, si abjectis ejusmodi simulachris suis sacrificia sua nullam in se materialiter consideratis abominationem continentia, idolis hactenus exhibita, ad verum Deum colendum transtulissent? An ex materiali cum idololatricis ceremoniis similitudine idololatriæ rei fuissent? Sic verò etiam Abrahamus idololatriæ reus fuisset, cùm id ipsum materialiter loquendo, victimæ genus, quod Chaldaicis simulachris immolabatur, ad Deum verum colendum transtulit. 2. Israelitarum verò vitulum adorantium alia ratio est. Ibi enim ipsa idololatrici cultus formalis abominatio ritibus materialiter similibus iis, quos Ægyptii adhibebant, intervenit, quia vitulum habebant & colebant, ceu Deos illos, qui eos ex terra Ægypti eduxerunt. 3. Cùm Judæorum & Paganorum cultus non aliter abominabiles sint, quàm ratione formalis sui, hoc est, quatenus ad falsos Deos colendos referuntur. vel etiam moralis turpitudinis religioni oppositæ, non possent eorum ritus ad Deum verum colendum relati, & turpitudine nulla aspersi abominationem in Ecclesiam inferre, si maximè in ea reciperentur. 4. Nulla ergo Belialis cum Christo societas initur, cùm ceremoniæ peregrinæ materialiter similes usurpantur. Alias eodem crimine arcessi deberent Apostoli, legem Judaicam de sanguine & suffocato retinentes. Si enim ex ratione pietati & & charitati consentanea illis legem de observandis ritibus Judaicæ materialiter similem ferre licuit: cur ex pari pietatis & religiosi splendoris ratione non idem quoad ceremonias, Ecclesiæ à Christo relictas, liceat? Ita à Carolo M. & Ludovico Pio multa capitula statuta sunt, quibus sancitur observatio rituum, Judæis & Saracenis in Germania, Gallia, Hispania receptorum, ut tantò faciliùs ad Christianam religionem traducerentur. 5. In præceptis Judæorum ceremonialibus formalitas, sub qua materia præcepta capax erat obligationis, fuit præfigurativa Christi venturi, ejúsque mysteriorum significativa: in judicialibus verò primariò intendebatur status politici in bonum publicum ordinabilitas; præsignificatio verò Christi, secundariò ex parte subjecti, non materiæ præceptæ. Possunt ergo præcepta legis ceremonialia purè materialiter spectata institui authoritate Principis politici vel Ecclesiastici: judicialia verò etiam formaliter, & quoad substantiam spectata humana legislativa potestate vim legis obtinere possunt.* Ibid. pag. 77.-79. Resp. Bene est, quòd rem ipsam negare ausus non es, contentus excusare, emollire, & distinctionum tuarum præstigiis crimen tegere. Sed tibi cum oculatis res est, non cum cœcæ fidei & obedientiæ alumnis. Fassus jam olim Polydorus Vergilius *de Rer. invent. lib. IV.* est, *Sylvam quandam gentilium ceremoniarum agrum Dominicum occupasse.* Jacobus de Voragine *Serm. 82 de Sanctis*, *Festum*, inquit, *illud in honorem matris luminis transtulerant, ut in ejus honorem deferamus lumina, quæ nobis genuit verum lumen, ut jam non fiat in honorem Proserpinæ Sponsæ Dei infernalis, sed ad honorem Sponsæ Dei cœlestis.* Lud. Vives *Comm. in August. de Civit. D. lib. VIII. 27.* fatetur, multos Christianos in re bona plerunq; peccare, *quòd Divos Divásque non aliter venerantur quàm Deum; quódque nullum sit discrimen inter eorum opinionem de Sanctis, & id quod gentiles putabant de Diis Sanctis.* Sed missis his, & apertè, & tacitè à vobis concessis, exceptionum tuarum fucos & pigmenta lustremus. 1. Gentiles gloriam incorruptibilis Dei in imaginem rerum corruptibilium transmutasse, Apostolus Rom. I. 23. testis est. Quid verò, inquis, si abjectis simulachris, sacrificia ad verum Deum colendum transtulissent? Fuissentne idololatriæ rei? Imò si non idololatriæ crassæ, at superstitionis certè notoriæ rei fuissent, quia sic verum Deum coluissent non ex instituto & voluntate patefacta veri Dei; sed ex instituto Sathanæ, qui gentilibus sacrificiorum suorum cultum dictavit, materiam formámque præscripsit. Sacrificia autem Deo placentia *fide* offerri debuerunt. Hebr. XI. 4. Fides nititur

titur mandato & institutione Dei, non hominum vel Sathanæ ipsius. Si sacrificia illi quoad materialem ritum retinere potuerunt, etiam altaria sua retinere potuerunt. Atqui Deus ipse gravissimè id vetuit Deut. XII. 2. 3. *Vastabitis*, inquiens, *omnia loca, in quibus coluerunt gentes Deos suos, super montes excelsos, super colles, & sub omni arbore frondosa. Diruetis omnes aras, & statuas eorum confringetis*, &c. Disertè autem v. 4. לא תעשׂן כן ליהוה *Non* (NB) *sic facietis Domino Deo vestro*, quemadmodum scilicet illi Diis suis fecerunt. Quibus verbis apertè materialem etiam rituum similitudinem prohibet. Imò æneum etiam serpentem Divino jussu erectum, Deus confringi voluit, postquam idololatriæ instrumentum factus est: & confringentes 2. Chron. XXXIV. 2. 3. impensè laudat. Abrahamum verò sacrificia in Chaldæa falsis Numinibus oblata, eadem in terra Canaan vero Deo obtulisse, quo quæso authore, quo teste didicisti? Temeraria & impia hæc assertio est. Sicut *fide*, adeóque ex mandato Dei obtulit filium, Genes. XXII. 2. &c. Hebr. XI. 17. *vocatus* Divinitus, adeóque *fide* (ib. v. 9.) habitavit in terra aliena: ita *fide* vera, verbo institutionis & mandati Divini innixa, Deum coluit, imò mandante Deo obtulit *vitulam, capram, arietem triennem, turturem & pullum columbarum*, Genes. XV. 9. 10. &c. 2. Sed & Israelitas vitulum coluisse, ut Numen ipsum, adeóque falsum Deum, falsissimè equidem asseris. Disputavit eam in rem Bellarminus *de Eccl. Triumph. lib. II. 3.* ubi Judæos Aharoni dicentes: *Fac nobis Deos*, non corporeum Dei signum aliquod, sed corporeum Deum, quem adorarent, quæsivisse sic pertendit; ut tamen ad extremum non improbabilem censeat sententiam Abulensis, Cajetani, aliorum asserentium, Judæos vitulum illum pro veri Dei imagine habuisse. Verba ejus sunt: *Dicunt* (Abulensis, Cajetanus *in cap. 17. Jud.*) *duo genera idolorum fuisse apud Hebræos. Unum sine nomine certi Dei, quale fuit idolum Micha, Jud. cap 17. & forte vitulus aureus. quem fecit Aharon Exod. 32. & renovavit Jeroboam 3. Reg. 12. Non enim Scriptura vocat vitulum Deum Moloch, vel Baal, &c. sed semper ait: Hi sunt Dii tui Israel. Alterum genus fuit cum certo nomine, ut Baal, Moloch, Astaroth, Chamos &c. ut videre est 2. Reg. 11. & alibi. Igitur dicunt, nec improbabiliter, posse de primo genere admitti, quòd Judæi in idolo putaverint, se colere verum Deum In idolis autem secundi generis adeò certum est. Judæos nec coluisse, nec putasse se colere Deum Israel, ut id fateatur etiam P. Martyr Calvinista in cap. 17. Jud.* Ita Bellarminus ipse ex Cajetano, Abulensi, alisque docet, probabile esse, Judæos imagine vituli verum Deum repræsentasse & coluisse. Et quonam argumento? Hoc videlicet, quia Scriptura non dicit: *Hic est Deus Moloch, vel Baal*, vel quicquam tale; sed sine nomine certi Dei: *Hic est Deus tuus*. Atque non probabile duntaxat, sed verissimum id esse, *Dissert. Tomo III. Diss. VIII. §§. 30.-45.* accuratè demonstravimus. Cùm igitur Israelitæ in vitulo (quod symbolum ab Ægyptiis eos mutuatos esse, Adversarii non dubitant,) Deum verum colentes, idololatriæ crimen commiserint; manifestum inde est, ritus materialiter similes ritibus Judæorum abolitis, nec non gentilium, non ideo idololatricos esse desinere, quia ad verum Deum colendum referuntur: imò vel ideo etiam *formaliter* idololatricos esse, quia non ex Divina institutione & voluntate, sed ex humana & Sathanica imitatione ad cultum veri Dei traducuntur. Non enim eo modo amari, coli Deus amat, quo Sathanas. Quis enim novit mentem Domini, ejúsque εὐδοκίαν, nisi eam ex revelatione ejusdem compertam habeat? Neque quisquam ex revelatione Dei compertam habet, nisi qui ex verbo Dei scripto, extra quod nulla indubitata revelatio est, compertam habet. 3. Jam ergo ritus Judæorum abolitos, & gentilium, quibus illi vero Deo, hi falsis Nu-

Numinibus litarunt, & ratione materiæ, & ratione formæ abominabiles, adeóque turpes esse, cognoscere potes. Idque ampliùs etiam inde constat, quòd cultum exteriorem Judæorum fidelium veterem, & Christianorum novum longè diversum esse, Deus voluit. Ille enim sic spiritualis fuit, ut ex parte etiam carnalis fuerit. Neque enim spiritualia, quæ obtulerunt Judæi, sacrificia, verbi causa preces, eos immunes reddiderunt, quò minùs carnalia etiam offerrent; neque hæc ubique, sed in eo loco, quem Deus delegerat. Hic verò sic spiritualis est, ut nullo modo ampliùs carnalis esse possit. Ceremoniarum autem materia ad Christianum cultum relata, eundem carnalem iterum efficit, prohibétque quò minùs in Spiritu & veritate duntaxat Deus adoretur. Verùm illa Judæos inter fideles & Christianos discriminis ratio tibi forte intellectu difficilior est, quia cultus vester Judaico ita affinis, imò carnalis magis est, tum quod ad templum attinet, tum quod ad ceremonias, ut jure credas, eorum cultum si non magis, æquè certè in spiritu & veritate esse, atque quidem vester est. Demonstravit verò id comparatione ceremoniarum Judaicarum & vestrarum velut in compendio Cl. Rainoldus *Colloq. cum Harto pag.334. &c.* Verùm id heic non agimus. Non enim à Judæis, sed à gentibus hagiolatriam vestram mutuatos vos esse dixi. Et æquè non tantùm *materialiter*, sed etiam *formaliter* idololatricam illam esse & *abominabilem*, atque vestra est, comparatio utriusque ostendit, tum ratione *objecti*, tum ratione *modi*. Quoad *objectum* Gentiles viros celebres & bene meritos retulerunt in numerum Divorum: præter unum summum Deum plurimos coluerunt Mediatores, utpote per quos accessus ad Deum parari debeat, quíque *ab hominibus auferrent desiderata, & ad eos referrent impetrata*, uti S. Augustinus *de Civit. D. lib. VIII.21.* loquitur; vel, uti idem post *cap. 22.* loquitur; *qui tanquam internuntii & interpretes hinc ferrent petitiones nostras, inde referrent Deorum suppetias, quia meritis hominibus superiores essent*; quibus uti debeamus advocatis & patronis; quíque cùm Dei summi amici sint, *hominum causas apud supremum Numen adjuvent*, uti Celsus apud Origenem loquitur. Mediatores illos duplices constituerunt, tum *dæmones*, hoc est, spirituales essentias bonas; tum *heroas*, seu heroum animas à corporibus separatas, post mortem mortalium rerum curam in se suscipientes, Eusebio *de Præp. Evang. lib. XIII. 7.* narrante: diversas provincias diversis assignarunt patronis; diversos morbos diversis Divis commendarunt; diversis vitæ statibus auxiliatores diversos decreverunt; dicente apud Augustinum *de Civit. D. lib. IV. 22.* Varrone, *ita utilem esse cognitionem Deorum, si sciatur, quam quisque Deus vim aut potestatem habeat cujusque rei. Ex eo enim sciri posse, quem cujusque rei causa Deum advocare atque invocare debeamus, ne faciamus, ut mimi solent, & optemus à Libero* (vini Deo) *aquam, à Lymphis* (aquarum Deabus) *vinum*: denique suos Divos Divásque à diversis, in quibus colebantur, locis, & à diversis, quæ petebant, beneficiis, diversis appellationibus insigniverunt. Jovem v.g. dicentes modò *Agamemnonium*, modò *Apomyum*, modò *Calvum*, modò *Vejovem*, modò *Latialem* &c. Quoad *modum* iidem gentiles Deastros suos coluerunt per battologias, altaria, Templa, festa, vota nuncupata, dedicatas imagines, accensas lampades, præfectos flamines, suffitus, odoramenta, donaria diversa, &c. In utroque & *objecto* & *modo* hagiolatriam Pontificiorum & Gentilium tam similem esse, quàm ovum ovo est, viva praxis, tacente me, testis omni exceptione major est. ut non Divos, sed nomina Divorum gentilium sola Pontificios commutasse, & non Divinæ, sed gentilitiæ institutioni hagiolatriam illorum acceptam referendam totam esse, jure meritóq; dicatur. An jam *materialiter* duntaxat simile, non etiam *formaliter* idololatricum & turpe est, cùm non ex voluntatis Divinæ arbitrio, sed gentilium

in mundo atheorum, & objectum & modus cultus religiosi constituitur? 4. Verissima ergo hæc est Belialis cum Christo communio. Neque ejusdem crimine Apostolos arcessi posse, demonstravimus. Non enim hic de institutione quarumvis ceremoniarum, ordini, decoro, loco, tempori convenientium: sed de institutione cultus religiosi & determinatione tum objecti colendi, tum modi cultus ejusdem, sermo est. Apostoli nec tale quicquam instituerunt: nec institutionem gentilitiam idololatricam æmulati sunt; quin potiùs fugere idololatriam, cavere ab idolis jusserunt. Quoad ceremonias verò Judaicas, universas illas, qua tales, aboleverant, decernentes, *non esse onus imponendum discipulis*, *Act. XV. 29.* excepta sola, & ad tempus, abstinentia à sanguine, suffocato &c. quam non ut legem sanxerunt, sed ut δόξαν *arbitrium* suum (v. 28.) commendarunt, & tempori accomodarunt. Vobis autem, quando & tempus illud & causa abiit, religio non est, universas ferè ceremonias Judaicas severis legibus in Christianum cultum transferre, &, quod Apostoli ausi non sunt, onus fidelibus imponere; quin & ceremoniis Judaicis ethnicas, idololatriæ ethnicorum quondam servientes copulare; denique eas multiplicare magis, quàm arenas pelagi. Ut appareat, digitos vestros graviores esse, quàm fuerunt lumbi Mosis, vel Apostolorum corpus ipsum. Quid Carolus M. aliique Imperatores hic statuerint, non quæritur; sed quid Christus & Apostoli. Quòd si tamen illi tempori inservientes, *συγκαταβάσει* quadam retinuerunt ritus quosdam gentilium & Saracenorum, quid hoc ad ea tempora & loca facit, quibus nec paganorum, nec Saracenorum convertendorum spes, vel occasio ulla est? 5. Agnosco tecum, formam ceremoniarum Judaicarum, ex parte saltem, *ἐν δηλώσει πνευματικῇ*, *in spirituali revelatione* & significatione Christi venturi positam fuisse. Sed easdem instar materiæ primæ Aristotelicæ, successivè variarum formarum capaces fuisse: & iisdem post abolitam veterem Divinam novam formam, non ex Dei, sed Papæ ineptientis arbitrio imponi potuisse, id verò tibi probandum fuerat. Quanquam id hoc loco ad rhombum non facit, quia totam hagiolatriæ vestræ scenam non à Judæis, sed à gentilibus idololatris mutuati estis; ei materiæ, cui Sathanas pessimam formam indidit, haud meliorem ingenio haud dissimili substituentes; adeòque idololatriam non profligantes, sed novis fucis & cincinnis speciosiùs adornantes.

ARG. IX. Eruditi in Papatu viri errores suæ sectæ circa Sanctorum invocationem, quos sanè Tridentini Patres non damnârunt, notant. Inter eos Cassander sequentes numerat vulgatos in Ecclesia Papistica errores; quòd passim impii homines Sanctorum meritis confidentes preces ad Deum non adjungunt: quòd homines non mali, certos sibi Sanctos, tanquam tutores & patronos delegerunt, in quorum meritis & intercessione plus quàm in Christi merito fiduciam ponunt: quòd meritis Sanctorum nonnulli vim tribuunt sanctificandi & redimendi: quòd Divini honores Sanctis tribuuntur, ut cùm Templa, aræ, sacrificia, Sacerdotia, vota, festi dies non tantùm memoriæ, sed cultui etiam & honori Sanctorum consecrata putantur, &c. *Consultat. pag. 970. 971.* Sed & durante Concilio in Provinciali Synodo Moguntia auspiciis Sebastiani Electoris A. 1551. tertia à Paschate hebdomada celebrata, cap. 45. sancitum est, *Cælites esse quidem honorandos, sed civili & dilectionis cultu, non secus atque Viros Sanctos in hac vita colimus,*

nisi quòd Sanctis beatitudinem adeptis cultum magis religiosum tribuimus, utpote in statu magis tranquillo constitutis, teste S. Polano *lib.* III. *pag.*267. Hinc forte est, quòd etiam Walenburgii Fratres, quorum alter Moguntiæ degit, *Meth. Aug. cap.* 32. asserunt, *Pontificios non aliter invocare Sanctos demortuos, quàm Reformati Sanctos viventes.* Denique ipsum Concilium nudè asserens, *bene & utiliter invocari Sanctos*, invocationem Sanctorum ex articulorum fidei serie eliminare videtur.

RESP. REDING: I. *Calamus tuus totus, quantus est, falsificatorem agit. Concilium enim damnat eos, qui negant, Sanctos invocandos esse, aut qui asserunt, eos pro hominibus non orare; mandátque Episcopis, ut fideles de Sanctorum intercessione fideliter instruant, & c. Hoccine est, invocationem Sanctorum ex numero articulorum fidei eliminare? Par ratio est Concilii Moguntini, quod Sanctos colendos dicit cultu non civili, sed societatis & dilectionis. Quanquam etiam civilis appellari potest, eo sensu, quo Apostolus Ephes. II.19. nos Sanctorum cives insignit. Civilis enim societas non ea ibi intelligitur, qua in uno Politico statu homines colliguntur, sed qua in unitate fidei devinciuntur. 3. Nec Cassander probatus Ecclesiæ nostræ doctor est, nec errores ab eo notati in Ecclesia nostra locum obtinent. Falsissimum est, quòd vel Sanctorum meritis confidentes non adjungamus preces ad Deum, cùm omnis ad Sanctos oratio vel formalibus, vel æquivalentibus verbis ad Deum referatur: vel plus in Sanctorum quàm Christi patrocinio fiduciæ collocemus, cùm statuamus, nihil efficaciæ intercessioni & meritis Sanctorum, nisi ex merito Christi, inesse: vel Sanctorum meritis vim sanctificandi & redimendi tribuamus, nisi vis illa impetratoria intelligatur: vel Divinum honorem Sanctis tribuamus, cùm templa, altaria, sacrificia, festa &c. in eorum memoriam celebrata primariò ad cultum solius Dei; secundariò verò cum subordinatione ad Deum & Christum ad cultum Sanctorum referantur. Ita & Moses Mediator, Gal. III. 1.9. Ahod Salvator, Jud. III. 15. & Martyres à Patribus Mediatores appellantur; non principales*, sed *Ministeriales & secundarii, Christo subordinati.* Ibid. pag. 79-81. Resp. I. Scripsi, Concilium nudè statuere, *piè & utiliter Sanctos invocari.* An id verum non est? Atqui tu ipsemet verba ea ex Concilio lectori tuo repræsentas. Clarè jubentur Episcopi docere fideles, *bonum atque utile esse Sanctos suppliciter invocare, ad eorum orationes, opem, auxilium confugere.* Sed *necessarium* id esse, & sine damnationis periculo omitti non posse, definire ausa Synodus non est. Et tamen ad articulum fidei requiritur haud dubiè necessitas agendi id, quod præscribitur. Saltem pudor aliquis inhibuit calamum, ne fortiùs assereret rem extremæ impietatis. *Sed*, inquis, *Concilium damnat eos, qui negant, Sanctos invocandos esse.* Quis dubitavit? Sed aliud est damnare eos, qui negant, *bene & utiliter Sanctos invocari*: aliud damnare negantes, quòd *necessariò* invocandi sint. Illos, non hos conscripti illi Patres damnarunt. Sed quos, & quomodo damnaverint, parum equidem moramur. Timiditatem duntaxat assertionis, ob impietatem rei notoriam, notavimus. Alias neminem nostrûm fugit, Pontificios in religioso creaturarum cultu religionis suæ proram & puppim collocare: adeóque necessitatem invocationis Sanctorum facto ipso apertè nimis profiteri. quod viva eorum in officiis statis, litaniis, fraternitatibus, sodalitatibus, diebus festis & similibus praxis nimis evidenter probat. Quin & Pius IV. in jurata *fidei Catholicæ, extra quam nemo salvus esse possit, professione* inter alia hæc dici præscribit: *Ego N. firma fide credo & profiteor, Sanctos, una cum Christo regnantes, venerandos*

atque

atque invocandos esse, &c. Sic conjurant Papicolæ ad palmas extendendas ad Deum alium, recedendum à fœdere Dei, Psal. XLIV. 18. 21. de quibus dicere possumus, quod est Psal. XIV. 4. *Annon cognoverunt qui tractant vanitatem? Qui vorant populum meum, comedunt panem, Deum non invocant?* Quid enim? Nonne sic in falsam religionem & verba vana conjurant? Nonne persequuntur eos, quos constat velle loqui & agere, quod in Scripturis præscriptum est; hoc est, velle piè vivere, & esse populus Dei, qui solum Regem Deum agnoscit, ei soli se subjicit? Annon doctores vanitatum harum fruuntur hujus vitæ commodis, sive comedunt panem, quem Deus largitur Ecclesiæ, imò in charitatibus piorum luxuriant? At Deum non invocant. Alios enim invocant non Deos; absque quibus ad Deum in Christo accedere nefas ducunt. 2. Moguntini in Concilio illo suo disertè definiunt, *Sanctos meritò à nobis honorari, sed eo societatis & dilectionis cultu, quo in hac vita sancti homines rite coli possunt.* An verò Sancti homines in hac vita rite coluntur eo cultu, quo Cœlites hodie Pontificii colunt? An invocantur, Templis, altaribus, festis, sacrificiis coluntur? Quis sanus hoc dicere sustinuerit? Qualiscunque ergo Sanctis cœlitibus cultus convenit, eum disparatum esse à cultu Sanctorum superstitum, Moguntini negant. nisi quod asserunt, illos *devotiùs* (sed non alio cultus genere) colendos esse. Neque tuus in voce cultus *civilis* lusus ad rem facit. Sufficit, cultum qui sanctis viventibus exhibetur, religiosum non esse. quocunque jam tibi nomine veniat. Sic enim nec cultus cœlitibus debitus, Moguntinorum judicio religiosus erit. Esto ergo *civilis*, quatenus est civium ejusdem societatis spiritualis, fidei veræ & charitatis vinculo colligatorum. Atqui cives, seu socii ejusmodi qualicunque honore justo se afficiunt invicem, non tamen religiosè invicem invocant, colunt, adorant; sed solum societatis, civitatis hujus supremum Principem & Dominum religiosè colunt, invocant, adorant. nisi perduellionis crimine se alligari volunt. Vocabulis ergo quibuscunque hic utamini, perinde nobis est, dummodo cultus Sanctorum à religioso distinguatur. 3 Cassander, in communione vestra mortuus, quia non omnem planè hic pudorem decoxit, iccirco minùs Ecclesiæ vestræ, Babylonicæ matri, probatur. Probatus tamen fuit Imperatoribus Augustis, Ferdinando I. Maximiliano II. quorum jussu Consultationem scripsit; & in Epitaphio, quod Coloniæ in Templo S. Francisci extat, *Theologus in perscrutandis S. Bibliis, & expendendis S. Patrum monumentis atque sententiis diligentissimus, pietate, animi moderatione clarus* &c. audit. Mirum verò ausum te negare, errores populares ab eo (qui sui temporis Ecclesiæ faciem meliùs forte, quàm tu tui, cognovit) notatos in Ecclesia obtinuisse, vel obtinere adhuc; cùm tamen eosdem non Ecclesiæ universæ, sed populo ille imputaverit, corrigendósque tantùm pertenderit; quin & Tu eosdem amoliri ab Ecclesia vestra, quocunque fuco obducto, vix potueris. *Primus*, inquit Cassander, *error est, quòd impii homines & in peccatis perseverantes, ac nullam vitæ emendationem meditantes, Sanctorum intercessioni ac meritis temerè confidunt, nec ipsi pœnitentia ducti preces suas ad Deum adjungunt. Hac autem falsa & perniciosa*, inquit, *opinio, quantùm in vulgus invaluerit, nimis compertum est. Existimarunt enim homines improbi, & in sceleribus suis perdurantes, sola Sanctorum, quos sibi patronos delegerunt, & frigidis, ne dicam, profanis ceremoniis coluerunt, intercessione & patrocinio veniam sibi & gratiam apud Deum paratam esse. Quæ perniciosa opinio, quantum etiam fieri potuit, commentis miraculorum confirmabatur.* Excipis, *omnem ad Sanctos orationem vel formalibus, vel æquivalentibus verbis ad Deum referri.* Esto. Non ideo error non est, confidere patrocinio Sanctorum, & impiè vivere. quod solum Cassander hic reprehendit. Falsissimum verò est, omnem ad Sanctos orationem ad Deum

referri. An enim interpellatio Sancti, ut apud Deum pro peccatore intercedat, est oratio ad Deum? Sic planè Sanctorum invocatio ad latriam referenda fuerit, cùm omnis ad Deum oratio latriæ actus sit. Sanctos invocando orare vos profitemini, ut apud Deum pro vobis intercedant. An id ipsum oratis Deum, ut pro vobis apud Deum intercedat? Apage nugas! *Alter error*, pergit Cassander, *est, quòd homines etiam non mali certos sibi Sanctos, tanquam patronos & tutores, delegerunt, in eorum meritis, atque intercessione plus quàm in Christi merito fiduciæ posuerunt, atque adeò unico illo advocationis Christi officio obscurato Sanctos, atque inprimis Virginem Matrem, in ipsius locum substituerunt. Imò non defuerunt Viri celebres, qui asseruerunt, id quod Esther Assuerus promisit, se petenti dimidium regnum daturum, in Maria completum esse, in quam Deus Regni sui, quod judicio & misericordia constat, dimidium, hoc est, misericordiam, transtulerit, altera Regni sui parte sibi retenta. Hinc illi tituli passim Virgini tributi, Regina Cæli, Regina & mater misericordiæ, vita, spes nostra, lux Ecclesiæ, Advocata & Mediatrix. Quæ etsi commodam interpretationem admittant, ea tamen non semper omnibus, præsertim rudibus & imperitis occurrit. Quid quod totum Psalterium sublato ubique Domini nomine in nomen Dominæ commutatum legitur? Quin & eò ventum est, ut etiam Christus jam in Cælo regnans matri subjiciatur, quomodo in nonnullis Ecclesiis canitur: Ora matrem, jube Filio. Item: O felix puerpera, Jure matris impera Redemptori, &c.* Frivolum hic est Redingii κενοφώνημα, *nihil Pontificios intercessioni & meritis Sanctorum, nisi ex merito Christi tribuere.* An enim Christus meruit, ut vel confidamus Sanctis (cùm tamen fiducia omnis in solo Deo & merito ejus collocanda sit) vel plus illis, quàm sibi confidamus? Hunc enim errorem popularem, ab Ecclesia Papali non correctum, Cassander queritur. Vel illa, de quibus Cassander querelam instituit, & quæ hodiernum in diem usque publico Ecclesiæ Papalis judicio correcta non sunt, probas, vel improbas. Si probas, in profundum idololatriæ gurgitem te ipsum haud dubiè immergis. Si improbas, cur tricaris adversus ea, quæ Cassander dixit? *Tertiò*, pergit Cassander, *nonnunquam error accidit in meritis Sanctorum, quibus nonnulli sanctificandi & redimendi vim tribuere videntur. quod soli Christo Deo & homini proprium est, de cujus plenitudine omnes accepimus, & cujus vibice sanati sumus. Quòd si in veteribus hujusmodi aliquid legatur, id ad exempla & preces referendum est, & ad eam communicationem meritorum, quæ per se ipsa non sanctificant, sed sanctificationis beneficium ex unico Christi merito & fide in ipsum impetrant.* Huic etiam errori populari, nondum correcto, Redingius emplastrum invenit. Ait enim, *merita Sanctorum habere vim sanctificandi & redimendi impetratoriam.* An plus habuit meritum & redemptio ipsius Christi? Quæ id à Patre *impetravit*, ut peccata nobis remitteret, & in communionem sanctitatis & gloriæ suæ postliminio nos reciperet. Sed forte Sanctorum merita sanctificant & redimunt, quatenus à Christo id *impetrant*, ut merito suo sanctificet & redimat. Falsissimum etiam hoc est, quia non meritis Sanctorum, sed libera εὐδοκίᾳ, sponsione, & pacto cum Deo Patre inito negotium nos sanctificandi & redimendi suscepit. Præterea qui merito suo sanctificationem & redemptionem nostram impetrat, is propriè Sanctificator & Redemptor est. Quomodo etiam Christus propriè Sanctificator & Redemptor noster est, quia suo merito id efficit, ut sanctificaremur & redimeremur; nósque adeò non aliter quàm merito suo sanctificavit & redemit. *Est & hic error haud infrequens*, sic Cassander prosequitur *quòd veteribus & compertis Sanctis propemodum neglectis novos & incognitos vulgus hominum ardentiùs colat, de quorum sanctitate obscuriùs constat, & nonnulli per revelationes tantùm innotuerunt, atque adeò de quibusdam, an unquam in rerum*

natura

natura fuerint, meritò dubitatur. quorum cultum figmenta historiarum & imposturæ miraculorum mirificè auxerunt. Quæ figmenta etiam compertorum Sanctorum historias conspurcarunt, quas quisque pro suo affectu commentus est. An huic errori certissimo obviam Ecclesia vestra ivit? An Sanctorum larvas illas sustulit, & cum veris ac compertis Sanctis commutavit? An cessant apud vos miraculorum imposturæ, oraculorum ludibria, legendarum fabulæ, Bestiarum stabula; Christophori, Longini, Georgii, Catharinæ, Brandonis, & similium, à Monachorum deliriis genealogiam ducentes? Claudit Cassander his verbis: *Huc etiam referri potest, quòd vulgi imperitia Divinos honores Sanctis attribuit, ut cùm templa, aræ, sacrificia, sacerdotia, vota, festi dies, non tantùm memoriæ, ut veteres loquebantur, sed honori & cultui Sanctorum consecrata putantur. quem errorem subinde Augustinus refellit.* Sed honores hos *primariò* in Dei, & *secundariò* in Sanctorum honorem referri, Redingius regerit. Imò verò honores illi seu *primariò*, seu *secundariò* ad Sanctos relati, eosdem in Deos transsubstantiant, & verum unicúmque Deum de arce dominandi, quantum in honorantibus est, deturbant. Inania ergo hæc sunt σοφίσματα, quibus Babylonicæ meretricis nuditatem velare studes. Divini enim honores, cujusmodi sunt cultus religiosus per Templa, festa, aras, sacerdotia, vota, invocationem, adorationem, aliáque ejusmodi nemini *secundariò* tribui possunt magis, quàm ipsa Divinitas & Majestas Dei. Olim etiam gentiles inter cultum Dei Summi *primarium*, & Divorum medioxumorum, inferiorum, *secundarium, subordinatum* distinguentes: nec non Ariani, Christum invocantes, adorantes, non ut summum, sed ut creatum, inferiorem Deum, idololatriæ meritò accusati damnatique sunt. Frustra *Mediatoris, Salvatoris* nomina objicis. Non enim de nomine, sed de re, honore religioso, Divino, aliis quàm soli Deo communicando, quæstio est, Si Gal. III. 19. μεσίτου *Mediatoris* nomine venit Moses (quod alii affirmant, negant alii) non propriè, sed æquivocè ille Mediator fuerit, quatenus internuntius Deum inter & homines fuit. At Sancti in Cœlo non sunt internuntii, quia nec à Deo ad nos, significaturi nobis voluntatem & tenorem pactorum ejus: nec à nobis ad Deum mittuntur. Propriè dictus Mediator solus Christus est, quia solus Deus & homo, *perfectè salvat eos, qui per ipsum accedunt ad Deum, & semper vivens pro iis interpellat,* Hebr. VII. 25. Illi igitur soli & propitiatio, redemptio, satisfactio, intercessio & impetratio merito nixa tribuitur. Nam ex propitiatione fluit impetratio. Unde etiam Græca vox ἱλάσκεσθαι, qua Scriptura hic utitur, & *propitiationem & impetrationem* significat, quia Deus in eorum, propter quos placatus est, gratiam, etiam preces eorum, quibus reconciliatus est, exaudit. Vana ergo Mediatoris redemptionis & intercessionis distinctio est. Hæc enim propositio: *Nullus venit ad patrem nisi per me,* Joh. XIV. 6: item: *Per eum habemus aditum ad Patrem per unum spiritum,* Ephes. II. 18. *In eo habemus libertatem loquendi, & aditum cum fiducia, per fidem ipsius,* Ephes. III. 12. generalis est, De quo alio hæc pronuntiare possumus? Sicut *unus Deus, ita unus Mediator* est, 1. Tim. II. 5. Utrobique unicus, excluso alio omni. Pro illo nullus orat, & ipse pro omnibus. quo argumento Augustinus *contra Epist. Parm. lib. II. 8.* Mediatoris unitatem probat. Sed quid multis? Sanctos vestros propriè tales, adeóque etiam redemptionis *Mediatores* re ipsa facitis. Conjungitis enim hæc duo, *precibus & meritis* hujus vel illius Sancti vel Sanctæ. At merita unius alteri applicata ad redemptionem pertinent. Et qui merito suo Mediator, idem Sacerdos apud Deum est. Unde Bellarminus *de Indulg. lib. I. 4.* putat *non absurdum esse, si Sancti viri* REDEMPTORES NOSTRI

aliquo modo dicantur. Sed id mirandum non est, cùm laborent etiam Adversarii in libro Conformitatum Francisci, uter sit *Jesus typicus*, Franciscus an Christus: neque inter eos aliud discrimen agnoscant, præter illud, quod à colore & forma vestis petitur. Sic enim Jesuita Tursellinus apud Possevinum *Biblioth. Sel. lib. XVII.* eos inter se componit:

Exue Franciscum tunica, laceróque cucullo,
Qui Franciscus erat, jam tibi Christus erit.
Francisci exuviis (si qua licet) indue Christum,
Jam Franciscus erit, qui modò Christus erat.

En par bene compositum! Et hoc patitur adhuc judex vivorum & mortuorum! Quandiu Domine?

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Sanctis Cœlitibus Ecclesiæ militantis necessitates notas esse, & pro iisdem eosdem orare, adeóque consequenter, ut pro nobis orent, invocandos esse, liquet tum ex Psal. XCI. 11. ubi Angelis mandatum dicitur, ut custodiant electos in viis suis: tum quia S. Angeli perambulant terram Zach. I. 11. tum quia Angelus Raphael pro Tobia oravit cap. XII. 12. tum quia par ratio est Sanctorum omnium, quæ est Angelorum, cùm in altera vita sint ἰσάγγελοι similes Angelis Matth. XXII. 30. tum quia XXIV. Seniores coram Agno effuderunt phialas aureas plenas odoramenti, quæ sunt Orationes Sanctorum, Apoc. V. 8. tum denique, quia 2. Machab. ult. Onias mortuus visus est pro populo Judæorum orare.* Aug. Reding *pag. 765. 766 767.* Resp. 1. Res tanta, in qua agitur de adoratione alius quàm solius Dei, non talibus consequentiarum trochleis, sed claro & omnibus noscibili præcepto confici debuerat. Notitia necessitatum nostrarum necessarium quidem requisitum, at non fundamentum est religiosæ adorationis. Nam & viventes amici viventium quandoque necessitates nôrunt, neque tamen propterea religiosè adorari possunt. Neque etiam Divorum pro nobis intercessio eos invocandi necessitatem imponeret, tum quia præcepto & promissione destituimur: tum quia preces nostras non exaudiunt: tum quia nec vivi pro nobis orantes invocari debent: tum denique quia intercessio illa divos non convertit in Deum, qui solus adorandus est. 3. Confunduntur etiam S. Angeli cum beatis hominibus. Illis enim tanquam πνεύμασι λειτουργικοῖς *spiritibus ministrantibus emissis ad salutem electorum* Hebr. I. 14. necessitates quædam piorum, quando ad eos ex Dei mandato mittuntur, compertæ sunt: his, qui ministerio huic non adhibentur, adeóque in Cœlo beatitudine sua fruuntur, nihil eorum, quæ sub sole contingunt, sciunt, non item. Neque obstat, quòd Sancti homines in Cœlo sint *ἰσάγγελοι Angelis similes,* quia similitudo illa non in officiorum communione, sed in immortalitatis talis, quæ conjugium, generationem, aliáque ejusmodi conservandæ speciei subsidia non requirit, prærogativa con-

consistit. Apoc. V. 8. viginti quatuor Seniores dicuntur coram. Agno procidisse, habentes citharas & phialas aureas refertas suffitibus, *αἵ εἰσιν αἱ προσευχαὶ τῶν ἁγίων, quæ sunt orationes sanctorum*, non eorum, qui in terris degunt, sed ipsorum Sanctorum Cœlitum & Seniorum, non *αἰτητικαὶ* & *ἱλαστικαὶ propitiatoriæ* pro aliis, sed *eucharistica*, uti v. 9. innuit.

EXCIP. REDING. 1. *Sanctos Cœlites propriè adorandos esse, non dicimus. Quando enim adoratio, ut & invocatio, religio, strictè accipitur, significat cultum soli Deo, ceu Summo bono, Creatori & Domino debitum. Latiùs tamen acceptæ hæ voces, quatenus significant cultum à civili & profano distinctum, usurpari possunt ad denotandum cultum etiam Sanctis debitum. Ita Augustinus lib. contra Faust. cap. 21. dicit, populum Christianum memorias Martyrum religiosa observantia concelebrare. Et observantia parentibus debita religiosa dici solet. Duplicem hanc significationis latioris & strictioris notionem confundis. 2. Sufficit ad expressum invocationis Sanctorum mandatum, quòd Scriptura docet, Sanctos pro nobis intercedere. Cur verò pro nobis intercedentes, & faciem Divinam conspicientes, non liceat orare, ut pro nobis intercedant? 3. Quomodo necessitatum nostrarum notitiam invocationis Sanctorum fundamentum esse negas, & tamen eandem ejusdem requisitum esse asseris? 4. Sancti, licet non præsentes nobis, tamen æquè ac Angeli, in visione beatifica Divinitatis speculum, & in eodem res nostras, vident. Ergo hac etiam in re Angelis similes sunt. Unde à Christo ἰσάγγελοι Angelis similes indefinitè dicuntur. Ex unius enim illati restincta conclusione principium universale ipsum arctari non debet. 5. In loco Apoc. V. malè versum octavum cum nono confundis. In illo Cœlites aliorum Sanctorum in terra degentium: in hoc suas preces Eucharisticas Deo offerunt.* Ibid. pag. 81. 82. Resp. 1. Olim quidem Colonienses in censura sua *pag.* 228. sic protestati sunt: *Nunquam vel fando auditum est, Sanctos esse adorandos.* Passim etiam Papistæ se Sanctos non *adorare*, sed *invocare* profitentur. Redingius verò & *adorandos*, & *invocandos*, & *relegiosè colendos* asserit. gnarus fortè, quòd nulla hæc inter realis distinctio, sed in causis, objecto, & definitione ipsa convenientia summa obtineat. Tridentini quidem adorationis voce abstinuerunt. Rem ipsam nihilominus tradiderunt, mandantes Episcopis, ut doceant, *Sanctos una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum proin atque utile esse suppliciter eos invocare, & ob beneficia impetranda à Deo per Filium, ad eorum orationes, opem, auxiliúmque confugere* & *stultum non esse, in Cœlo regnantibus voce vel mente supplicare.* An aliter Christum adoramus, quàm *ob beneficia à Deo impetranda, ad ejus orationes, opem, auxilium confugiendo*; an aliter Deum, quàm ei *voce & mente supplicando?* Qui ergo similiter ad beneficia à Deo impetranda ad Sanctorum orationes, opem, auxiliúmque confugiunt, illísque *voce & mente supplicant*, illi utique Sanctos adorant. Quidni verò? Cùm adorare propriè sit oratione ad aliquem certo cum gestu corporis, vel solo animi motu interiori directa, voce & mente ei supplicando, eundem venerari, seu gloriam ei dando, seu bonum ab eo petendo. Atqui hoc ipsum illi, qui Sanctos invocant, faciunt. Sed & Catechismus Tridentinus, jussu Concilii editus *Christianos* dicit *Angelos adorare, sed veneratione non Divina*, cùm tamen omnis religiosa adoratio Divina veneratio sit. Extat etiam Jesuitæ Lessii dissertatio *de Sanctis adorandis*, Libro II. *de just. & jure cap.* 38. Et in Psalterio Mariæ à Sixto IV. & Innocentio VIII. confirmato, adoratio soli Deo à Davide tributa B Mariæ itidem tribuitur. Denique confitentem reum habemus Redingium. licet distinctione in-

invocationis, adorationis & religiosi cultus latè & strictè ac propriè dicti elabi conetur. Nos verò adorationem, invocationem, cultum *religiosum* (de hoc enim potissimum quæritur) sic dispesci posse, ut alius sit *latè*, alius *strictè* dictus, ille Creaturis, hic soli Creatori deferendus, constanter negamus, & religiosum non alium quàm strictè dictum, solique Deo debitum, pertendimus, atque initio etiam quæstionis invictis rationibus præstruximus. Religio enim soli Deo nos devincit. *Primum*, sic Lactantius *de Relig. lib. VI.* 10. loquitur, *officium justitiæ est conjungi cum Deo: secundum cum homine. Sed illud primum Religio dicitur; hoc secundum misericordia vel humanitas.* Eodem sensu S. Augustinus *de vera relig. cap.* 5. *Ad unum*, inquit, *Deum tendentes, & uni religantes animas nostras, unde religio dicta creditur, omni superstitione careamus.* Et paulò post: *Religet nos religio uni omnipotenti Deo: quia inter mentem nostram, qua illum intelligimus patrem & veritatem, id est, lucem interiorem & illum nulla interposita creatura est.* Idem *de Civit. D. lib. X.* 1. fatetur. *vocabulum Religio distinctiùs non quemlibet, sed Dei cultum significare. Unde*, inquit, *eo nomine nostri interpretati sunt eam, quæ Græcè θρησκεία dicitur; etsi Latinè loquendi consuetudine etiam de rebus humanis accipi soleat.* Nempe populari communi consuetudine vox *Religiosè*, prisco gentilium scriptorum abusu, & æquivoca notione, longè aliam significationem habet. Ita *religiosa* (id est, non vulgari) *observantia Martyrum memorias concelebrari* Augustinus dixit. Et *religiosè observandos* parentes dicimus, id est, exactè, præ cœteris. Nemo tamen ideo parentes *religiosè adorandos, invocandos* dixerit. Aliud enim est Theologicè, aliud populariter, & juxta communem usum vulgi loqui. Neque etiam quilibet actus effectúsque religiosi nostri affectus in Deum, circa res personásque indicati, statim cultus religiosus est; sed ille demum, quo Divina eminentia per signa quædam eidem declarandæ appropriata devotè cognoscitur. Quid verò multis? Non potuerunt Papistæ Sanctos suos *religiosè adorare, invocare, colere*, nisi Divinos honores iisdem impertirentur. Faciunt enim *Mediatores, Redemptores* (quodam sensu, inquit Bellarminus) in essentia Dei *conscios* rerum omnium; eósque templis, aris, sacrificiis, festis, votis, juramentis, fiducia, &c. colunt. Quæ Divina, & *propriè* ac *strictè religiosa* cuncta sunt. 2. Non sufficere ad expressum invocationis mandatum intercessionem, pluribus rationibus probavi. quas plerasque ne attingis quidem. Quis enim, repeto, ex intercessione viventis pro vivente mandatum expressum eundem religiosè invocandi, adorandi, Templis, aris, sacrificiis colendi, concluserit? Quis intercessionem sibi incognitam invocandi religiosè intercedentem sibi incognitum necessitatem imponere dixerit? Quæ de Sanctis faciem Divinam aspicientibus ingeris, temulenta cerebri vestri somnia, nec huc quadrant, & supra discussa sunt. 3. Quo verò pacto dixerim, *necessitatum notitiam invocationis fundamentum non esse, & tamen requisitum esse*, pueriliter ignoras. *Fundamentum* invocationis non est, quia non quivis necessitatum nostrarum conscii religiosè invocandi sunt. Nam & perditissimi quique, ac ipse etiam Diabolus quasdam hominum necessitates cognoscere possunt. quos ideo nemo invocandos dixerit. *Requisitum* verò est, quia nemo necessitatum nostrarum ignarus invocari potest. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Rom. X. 15. Quem rerum nostrarum ignarum, non omniscium, omnipotentem, misericordem reputarunt? 4. Speculum Trinitatis, & in eodem visionem humanarum rerum, speculationis Scholasticæ abortivum fœtum, supra sustulimus. Ne quidem Angeli in tali speculo res nostras intuentur. Ergo nec beati homines ἰσάγγελοι *Angelis similes*. Sunto ergo beati homines per omnia Angelis similes. Nihil hoc ad rem faceret, nisi proba-

prius, quòd in facie Dei, tanquam in speculo Angelis reluceant omnia, ut ex consequenti iis faciem Dei videntibus desideria nostra perspecta sint. Ita vestri in umbris & tenebris suis nugantur, at nil probarunt hactenus, nec probare poterunt. Sed beatos homines Angelis *per omnia, indefinitè similes esse*, crassa tua hypothesis, non Christi effatum est. Quæ similia sunt, in tertio conveniunt: At tertium illud Christus, homines in resurrectione *ἰσαγγέλους* prædicans, disertè notavit: *In resurrectione non nubent, non dabuntur nuptum, sed erunt sicut Angeli Dei*, Matth. XXII. 30. *Qui digni in altero seculo habebuntur resurrectione mortuorum, nec nubunt, nec nuptum dantur, nec mori amplius possunt. Similes enim sunt Angelis*, Luc. XX. 35. 36. Qui ad tertia alia, à Christo non expressa, extendere volent, illa aliunde probent oportet. At probare nequeunt. Non enim similitudinem esse *universalem, indefinitam, per omnia*, vel id solum argumento est, quòd Angelorum & beatorum hominum diversa sunt officia. Illi enim ministratorii spiritus sunt, qui in terram mittuntur ad salutem electorum, Hebr. I. 14. homines in terra viventes in viis suis custodiunt, Psal. XCI. 11. castra metantur circa timentem Deum, Psal. XXXIV. 8. defunctorum animas in sinum Abrahæ transferunt, Luc. XVI. 22. in fine mundi colligent ex Regno Christi scandala, Matth. XIII. 41. &c. Nihil horum Scripturæ de Sanctis cœlitibus testantur. Addo, Sanctos cœlites ordinatos esse ad recipienda & induenda corpora ex mortuis resuscitanda. Neque hoc de Angelis dici potest. Non igitur illi indefinitè *Angelis similes* sunt. Omne simile etiam dissimile est. Id ipsum Maldonatus vestras, te hic oculatior, vidit. *Dominus*, sic ad h. l. loquitur, *non comparat Beatos Angelis omnibus in rebus, sed in ea tantùm, qua de agebatur, quòd nuptias inituri non essent*, &c. 5. Forte pejus longè tu in loco Apoc. V. versum octavum à nono divellis. Satis enim apparet attentè legenti, illas *προσευχὰς τῶν ἁγίων preces Sanctorum*, quarum v. 8. mentio est, statim versu sequente nono explicari de cantico novo dicentium: *Dignus es accipere librum, & aperire sigilla ejus, quia mactatus es*, &c. quæ *preces* sunt non *ἱλαστικαὶ*, virtute meritorum pro aliis *propitiatoriæ*, sed *εὐχαριστικαὶ*, gratias Agno agentes, gloriámque eidem tribuentes. Ut manifestum omnino sit, non alienas preces intelligi, sed ipsorum viginti quatuor Seniorum, qui coram Agno ceciderunt, & *precati* canticum novum cecinerunt, hoc est, tales ei gratias egerunt, quales nunquam antehac, & tali cum lætitia, qualis nunquam antehac obtinuit, quia, scilicet tum primùm Agnus ad opus Regni sui eximium exercendum accingebatur. Hinc autem liquere poterat, ipsos quoque viginti quatuor Seniores Deo servire; sicut etiam postea (v. 11 12.) *Angelos*, & (v. 13) *omnem creaturam, quæ in Cælo est, & quæ supra terram, & sub terra, & in mari*, & (v. 14.) *quatuor animalia*, & iterum denique *ipsos* Deo servire ostenditur. Sanè veteres, Irenæus *lib. IV. 33*. Aretas in Scholiis Græcis, & Commentarius in Apocalypsin Ambrosio inscriptus preces ne quidem Sanctorum Cœlitum, sed eorum, qui in terra vivunt, interpretantur. Etiam Lyranus ad h. l. *Ecclesias per universum orbem diffusas*: Alcasar *viros Apostolicos & Doctores in Ecclesia militante*. Blasius Viegas *Orationes Sanctorum, qui in hac vita sunt, quæ*, inquit, *eo ferventiores sunt, quò illi magis laboribus premuntur, & in ignem tribulationis, tanquam aromata conjiciuntur, aut, si mavis, quò ipsi magis sese per carnis afflictionem premunt*, &c. intelligunt. Nihil tamen obstat, quò minùs Sanctorum in Cœlo & terra Agno se incurvantium, cúmque adorantium & glorificantium intelligantur preces, adeóque non alienæ, sed propriæ, quas ut incensa, Deo illi offerebant. Sunt enim manifesta testimonia, omnes Sanctos sua preces Deo offerre. quo non inde omnes, & qui in Cœlo, & qui in terra sunt, sicut *Reges*
ita

ita etiam *Sacerdotes* facti sunt. Nullum verò manifestum datur testimonium, preces Sanctorum in terra viventium in Cœlis Deo offerri ab ullo alio, quàm à Christo Jesu (Hebr. XIII. 15.) *Pontifice professionis nostræ* (ibid. cap. III. 1.) *Angelo fœderis* (Malach. III. 1.) *uno Mediatore Dei & hominum* (1Tim. II. 5.) *Angelo illo stante ante aram, habente thuribulum aureum, cui dati sunt suffitus multi* (Apoc. VIII. 3.) de quo loco jamjam agendum fuerit.

OBIECT. II. *Deus dicit Jerem. XV. 1. Si steterit Moses & Samuel coram me, non erit anima mea ad populum istum. Ergo Moses & Samuel, adeóque Sancti omnes possunt orare pro viventibus, licèt propter eorum malitiam non semper exaudiantur. Similia habentur Apoc. VIII. 3.4. ubi Angelo dati dicuntur suffitus multi, ut det precibus Sanctorum omnium, &c. Id ipsum etiam postulat communio Sanctorum, quæ non tantùm in ecclesia militante, sed inter militantem etiam & triumphantem obtinet, & hujus intercessionem, illius verò implorationem postulat.* Aug. Reding. *pag.* 767. 768. Resp. 1. Intercessionem Sanctorum sive generalem sive specialem pro fidelibus in terra militantibus, adorationis eorundem solidam basin non esse, superiùs ostendimus. 2. Jerem. XV. 1. agitur de Sanctis, quos in limbo Patrum desudantes beatifica visione destitutos fuisse ipsi afferunt: quos etiam intercedere pro populo κατηγορικῶς & rotundè non dicitur, sed exaudiendos, si vel maximè non mortui, sed vivi adhuc intercederent, negatur: quósque non intercessisse tum pro populo, ipsa conditionalis locutio, אם יעמד *si steterit &c.* validè arguit, intercessuros proculdubio, si ad munus Sanctorum & eorundem cum superstitibus communionem id pertineret. Non aliud inde concludi potest, quàm olim illos, superstites adhuc pro populo intercessisse, uti constat ex Exod. XXXII. 10. 11. Psal. CVI. 23. 1. Sam. XII. 13. at si nunc superstites adhuc essent, & eodem ardore intercederent, operam illos perdituros esse. 3. Apoc. VIII. 3.4. Angelo, fœderum nempe, Christo *data sunt thymiamata multa, ut daret orationibus Sanctorum omnium super altare*, hoc est, datur ipsi, ut per merita ejus valeant precationes Sanctorum omnium, *ut det in altare aureum, quod est coram throno*, hoc est, ut per dignitatem Divinitatis, quæ *aureum altare* est, merita ad exauditionem precum sint efficacia, Christum per Angelum illum intelligi, ex ipso textu probavi *Apologia* meæ *differt.* VII. *th.* 13. Sed Redingius ea attingere tutum non putavit, quia nimis clara sunt. Et ipse Primasius de Christo locum explicat. Quòd si tamen de Angelo creato explicaremus, non aliud hinc colligi posset, quàm orationes nostras ab Angelis offerri Deo, & ab iisdem exauditionis nuntium interdum afferri, uti Dan. IX. 22. X. 12. Act. X. 4. factum legimus. 4. Nec communio Sanctorum invocationem Cœlitum postulat, tum quia Patriarchæ, Prophetæ, Apo-

Apostoli communionis ejus tenacissimi nuspiam Sanctos invocâsse leguntur: tum quia Sancti viventes communionem arctè custodire possunt, etiamsi se mutuò non invocent: tum quia Apostoli Ecclesiæ triumphantis, & militantis communionem accuratè describentes, nuspiam invocationis hujus meminerunt.

Excip. Reding: 1. *Haud alienum foret statuere, Jeremiæ tempore quosdam Sanctos, velut Mosen, beatifica visione fruitos esse, saltem quoad substantiam; licet accidentaria status ejusmodi integritate nec dum perfectè fruerentur. Licet verò beatifica visione illa fruiti non essent, potuissent tamen populi Israelitici statum ex Divina vel Angelica revelatione cognoscere.* 2. *Hypothesis illa,* Si pro populo suo steterint &c. *supponit potentiam & facultatem se coram Deo sic sistendi, ut intercessio eorum pondus aliquod haberet. Et verba illa,* si steterint, *apertè designant statum, quo tunc Moses & Samuel potiebantur. uti clarè liquet ex Hebraico verbo futuri temporis.* 3. *Quia locum Apoc. VIII. 3. 4. Catholici Doctores probabiliter de Christo intelligunt, icciro eum adversus te urgere nolui. Opponi tamen tibi glorianti posset, quòd S. Johannes Apoc. V. & seq. Christum inducat non ut Angelum assistentem, sed ut Agnum sigilla reserantem, ita ut Angelus ille tam Agno, quàm sedenti in throno Orationum thymiama offerre intelligatur. Quis autem dubitaverit, quin sic offerentes Angeli suæ intercessionis pondus, incitante erga fideles charitatis fervore, addant? Unde etiam Calvinus Instit. lib. III. 20: 13. concedit, Angelos pro nobis orare & intercedere. Sed id de Sanctis defunctis negat.* 4. *Ex loco Hebr. XII. 23. conficitur, fideles in terra militantes accedere ad Ecclesiam Triumphantem; quod mutua communione tum fit, cùm Sancti pro nobis intercedunt, & nos eos invocamus.* 5. *Si propter communionem Sanctorum alii aliorum intercessionem in hac vita implorare debemus: cur non propter eandem Sanctos in Cælo, regnantes, ut pro nobis intercedant, invocabimus?* Ibid. pag. 83. 84. Resp. 1. Ego quidem haud alienum puto statuere, Sanctos V. T. omnes post mortem Cœlo receptos, Deum vidisse eo modo perfectissimo, quo ad gloriam suam videri poterat. Atque id firmissimè alibi ex testimoniis verbi Divini Act. XV. 11. Hebr. II. 10. XIII. 8. aliisque probamus. Sed qui id cum fictitio limbo vestro congruat, ipse videris. Et si alii extra ordinem ad beatificam visionem admissi sunt, alii ab eadem exclusi; unde fidelibus V. T. constabat, qui admissi, qui exclusi essent, ut illos, non hos invocare possent? Neque etiam Divinam, vel Angelicam revelationem, sine verbi Divini testimonio, fingere licet. Imò absurdissimum dictu, vel Deum vel Angelos Sanctis Patribus in limbô, Senatorio suo carcere squalentibus revelasse preces viventium, ut ab illis ad Deum, deferri possent. Nemo piorum unquam auditus est orare Deum, ut suas preces revelet Sancto Cœliti, nedum limbi incolæ, qui deinceps ipsi eas offerat, suisque meritis commendet. Angeli verò preces mentales non cognoscentes, easdem revelare nemini possunt. 2. Hypotheses ejusmodi non semper quid fieri possit, vel soleat, supponunt. Exempla passim obvia. Ita S. Paulus Gal. I. 8. *Si vel Angelus è Cælo evangelizet præter id, quod vobis evangelizatum est, anathema sit.* Quis inde concludet, posse, vel solere Angelos evangelizare præter id, quod evangelizatum est? *Est hæc hypothetica locutio,* inquit ibi Salmeron, *& oratio conditionalis ac vera, quoniam posito impossibili, quòd ipse videlicet Angelus aliter evangelizasset, absque dubio anathema fuisset. Est autem conditionalis enuntiatio vera, quamvis tam antecedens, quàm consequens sit impossibile, ut tradunt Dialectici.*

Sic idem Propheta Jeremias cap. XIII. 23. *Si Æthiops potest mutare pellem suam, aut pardus maculas, & vos poteritis benefacere.* Et cap. XXXIII. 20. *Si irritum facere potestis fœdus meum de die & de nocte, etiam fœdus meum cum Davide, servo meo, irritum erit.* Quis inde concluserit, vel Æthiopem pellem, vel pardum maculas mutare; vel Israelitas fœdus Dei de die & nocte irritum reddere potuisse, vel solitos esse. Nimis igitur absurdum est artificium tuum, sic è quolibet quidlibet efficiens. Cœterùm conceditur, Mosen & Samuelem alias pro populo intercedere consuevisse, nempe dum essent in vivis. Hoc enim Scriptura Exod. XXXII. 10. 11. 1. Sam. XII. 19. 23. testatur. Sed consuevisse etiam post mortem, nuspiam testatur. Neque id verba illa futuri temporis אם יעמד *Si steterit Samuel, Moses* &c. arguunt. Hypotheses enim ejusmodi Hebraicè nonnisi per futurum concipi possunt, sive res sit possibilis, sive non. Ita in locis à me citatis, היהפך *Numquid*, vel *si mutabit.* אם תפרו *Si irritum facietis.* Et verba S. Pauli Græca: Εὰν ἄγγελος εὐαγγελίζηται, Syrus per futurum נסברכון reddidit. 3. *Catholici* ergo Doctores locum Apoc. VIII. 3. de Christo *probabiliter* interpretantur. Noti sunt ex veteribus Augustinus, Ambrosius, Primasius, Beda, Glossa Interlinearis; ex Scholæ doctoribus Anshelmus Laudunensis, Cantuariensis, Richardus de S. Victore, Thomas, Hugo Cardinalis; ex recentioribus Blasius Viegas, Claudius Espencæus &c. Illi telum tibi eripuerunt; & multò magis argumenta mea, quæ ex ipso textu tibi *de Peregr. Relig. diss. VII.* opposui. Ille nempe *Angelus, stans ad aram, habens aureum thuribulum ad adolendum suffitum coram Deo*, describitur eo munere functurus, quod in lege Exod. XXX. 7. Levit. XVI. 12. Pontifex adumbravit. Noster verò Pontifex à veteri illo adumbratus non est in Angelorum creatorum numero, sed Angelus יהוה *Jehova* Exod. XIII. 21. à quo creati sunt Angeli, Col. I. 16. Christus; cui nomen Angeli sæpius in S. Scriptura tributum est, velut Genes. XLVIII. 16. Exod. XIV. 19. Esaj. LXIII 9. Malach. III. 1. quia verè Ἄγγελος *nuntius* est, à Deo Patre missus, ut voluntatem ejus servis ejus patefaceret, & salutem eorum per fœdus ejus procuraret. Et fieri potest, ut quemadmodum Deus de ipso locutus Exod. XXIII. 20. *Ecce ego mitto Angelum*, addit v. 21. *Nomen meum est in eo*, unde eum *Jehovam* esse constaret; ita Johannes, ut illum à creatis Angelis distingueret, appellet illum Ἄγγελον ἄλλον *Angelum alium*, quippe qui à reliquis non numero tantùm, sed etiam specie, natura, authoritate, dignitate differat. S. Johannes ergo & ut Agnum, & ut Angelum Christum inducit, quia & Agnus & Angelus est. Imò quæ idem scripsit de Angelo qui *sigillum habet Dei vivi*, Apoc. VII. 2. quo abjiciente ignem in terram *clamaverunt Angeli, plagásque Dei effuderunt*, cap. VIII. 5. qui *descendens de Cœlo, amictus nube, in cujus capite erat iris, & facies ejus erat ut Sol, & pedes ejus, ut columnæ igneæ, habebat in manu sua libellum apertum, & posuit pedem suum dextrum supra mare, sinistrum autem supra terram*, cap. X. 1. quæ nominatim scripta sunt de *alio Angelo alio forti Angelo*; in Christum maximè quadrant. Vides proin, Redingi, & *Agni*, & *Angeli alius* nomine Christum S. Johanni venire. Agno verò offerre *Angelum* illum *alium, habentem thuribulum* &c. nuspiam S. Johannes dixit; sed hoc duntaxat, quòd (Apoc. VIII. 3. 4.) *altare ejus sit coram throno* (Dei, qui per sacrificium Christi, ejúsque intercessione propitiandus fuit) quódque *ascenderit fumus suffituum ex orationibus Sanctorum ex manu Angeli coram Deo*; hoc est, precationes Sanctorum per Spiritum sanctificationis excitatæ fuerint validæ apud Deum, ut recordaretur meritorum Christi, & potestatis ipsi datæ, ut singulis temporibus promissa sua repræsentaret. Calvino porro qua fronte impingis assertionem illam, *quòd Angeli orent & intercedant pro hominibus; at non homines demortui, quia id cederet in*

Christi

Christi injuriam? Etenim is loco à te citato *Instit. lib III.* 20: 23 sic objectionem vestram ab Angelorum intercessione petitam diluit: *Angelorum, inquiunt, orationes leguntur sæpius, neque id modò, sed in Dei conspectum per eorum manus perferri dicuntur fidelium preces. Verùm si Angelis Sanctos præsenti vita defunctos conferre libet, probandum esset, esse administratorios spiritus, quibus delegatum sit ministerium curandæ nostræ salutis, quibus demandata sit provincia custodiendi nos in omnibus viis nostris, qui nos circumeant, qui moneant & consolentur, qui pro nobis excubias agant: quæ omnia illis deferantur, his autem minimè. Quàm præposterè Angelis Sanctos mortuos involvant, satis superque ex tot diversis muneribus patet, quibus alios ab aliis Scriptura distinguit. Caussidici partibus apud terrenum judicem fungi nemo audebit nisi admissus. Unde ergo vermibus tanta licentia, ut Deo patronos obtrudant, quibus munus injunctum non legitur? Voluit Deus Angelos curandæ nostræ saluti præficere: unde & sacros cœtus frequentant, & Ecclesia illis theatrum est, in quo mirentur variam & multiplicem Dei sapientiam. Quod illis peculiare est, ad alios qui transferunt, certè ordinem à Deo positum, qui inviolabilis esse debebat, confundunt ac pervertunt.* Hæc Calvini verba sunt, caussæ vestræ jugulum ferientia. Ubi verò ille *Angelos, non item demortuos in Cælo pro nobis orare, intercedere, preces nostras Deo offerre: quia horum, non illorum intercessio in Christi injuriam cedat*, ait? Distincta utrorúmque munera sapientissimè urget: at intercessionem, oblationem precum, qualem vos fingitis, Christo iniquissimam, sive Angelis illa, sive hominibus tribuatur, nec Angelis ille, nec hominibus concedit. En fidem Redingii in citandis Theologorum nostrorum, quos vel nunquam inspexit, vel studio fallat, dictis! 4. Accessus ille fidelium N. T. ad *Sion montem, urbem Dei vivi, Hierosolymam cælestem, Myriadas Angelorum, Panegyrin & Ecclesiam primogenitorum in Cælis descriptorum, Deum judicem omnium, Spiritus consummatorum, Novi Testamenti Mediatorem Jesum, & sanguinem aspersionis præstantiora loquentem, præ Abel*, à S. Paulo Hebr. XII. 22. 23. 24. descriptus, statum credentium ultimi temporis oppositè ad statum fidelium Hebræorum ante Christum depingit. Sion ille mons, urbs Dei vivi, Hierosolyma Cœlestis, Panegyris & Ecclesia primogenitorum, &c. non Ecclesiam triumphantem, sed militantem adhuc, Christo exhibito & consummato ad perfectiorem, & lætiorem quàm ante Christum fuit, statum redactam significat. Nihil ergo textus ille probat; nisi urgeas illum accessum fidelium ad πνεύματα τετελειωμένων *spiritus consummatorum* in Cœlo, cum quibus fideles per Christum consummati communionem habent. Res verò ipsa, communio Ecclesiæ militantis cum triumphante, extra dubitationem est. Sed mutua officia intercessionis & invocationis illam postulare, probandum tibi, non simpliciter edicendum fuerat. Accedunt fideles militantes non ad varios Mediatores, Intercessores, Paracletos, Patronos, Advocatos (ubi enim hoc Scriptura testatur?) sed tum *ad spiritus consummatorum*, cum quibus & ipsi in hac vita consummati, & communionem pacis, justitiæ, lætitiæ in Christo habentes ἀνακεφαλαιοῦνται *uniuntur* & *recapitulantur*: tum *ad N. T. Mediatorem* (unicum) *Jesum, & sanguinem aspersionis ejus, meliora loquentem, quàm Abel*, v. 24. Ad hunc, non alium Mediatorem ullum accessimus, quia per eum solum habemus justitiam in libertate, aditum ad hæreditatem gloriæ; neque præter eum quisquam alius, vel ad loquendum verba Dei, vel ad offerendum sacrificium pro peccatis, vel ad intercedendum pro nobis, sive postulandum nos, velut hæreditatem suam, nominatus est. Quis vel Angelus, vel dæmon ulli hominum de ejusmodi Mediatoribus, Intercessoribus in Cœlo aliis syllabam unquam renuntiavit? In Scriptu-

ra enim nihil extat. Si conscientia eorum omnium, qui communionem cum cœlitibus in illorum intercessione ostendunt, appelletur, reperiemus, non aliunde id evenire, nisi quia anxietate laborant, perinde ac si hic Christus deficeret, aut nimis severus esset. Qua perplexitate & Christum inhonorant, & solius Mediatoris titulo spoliant, & gloriam nativitatis ejus obscurant, crucem evacuant, quicquid denique aut fecit aut passus est, sua laude defraudant; siquidem huc tendunt omnia, ut solus sit & habeatur Mediator. 5. Mortuorum & viventium aliam rationem esse, infra *ad Obj. VIII.* ostendimus. Hi pro se invicem, necessitatum mutuarum non ignari, sed in carne utrique, intercedunt, mandato Divino & promissione freti, suas inter se necessitates veluti partientes, & mutuò suscipientes. Neque tamen alii alios religiosè invocant, ut Mediatores, quodammodo Redemptores adorant, aris, sacrificiis, Templis, festis, votis colunt. Quis enim tale quid faciens non statim ut professus idololatra damnaretur? At Sanctos Cœlites à nostro contubernio Dominus subduxit, nullum nobis cum iis commercium reliquit, ac ne illis quidem nobiscum, quantum quidem conjecturis assequi licet. Saltem nec præsentes nobis sunt, nec vel aures iis Deus dedit tam longas, ut ad voces nostras porrigi possint, vel oculos tam perspicaces, qui necessitatibus nostris advigilent. Non ergo communio cum iis intercedens efficere potest, ut vel illi pro singulis intercedere possint, vel particularis eorum intercessio à nobis flagitari, nedum religiosis precibus, & religioso cultu iis impenso, implorari debeat. Unum addo, ex hypothesi Adversariorum communionem viventium cum mortuis in Purgatorio laborantibus æquè intercedere. Neque tamen illos hos invocare posse concedunt: imò id Bellarminus *de Purg. lib. II.* 15. vetat. Non ergo communio Sanctorum invocationem religiosam infert.

OBIECT. III. *Christus docet Matth. XVIII. 10. Angelos perpetim videre faciem Patris sui in Cœlis, hoc est, per cognitionem, quam vocant matutinam, videndo Verbum cognoscere esse rerum, non tantùm quod illa habent in Verbo, sed etiam, quod habent in propria natura; adeóque quæ in Terris fiunt, omnia cognoscere, meritóque proin, ut necessitates nostras Deo commendent, invocari. Quæ autem Angelorum, eadem Cœlitum omnium ratio est.* Aug. Reding *pag. 768.* &c. Resp. Ratiocinio huic Sophistico tanta res, invocatio Sanctorum, superstrui minimè potest, tum quia nec notitia necessitatum alienarum intercessionem, nec intercessio invocationem intercedentium necessariò arguit: tum quia Angeli semper videntes faciem Dei, non tamen vident diem extremi judicii, adeóque non omnia, quæ in Deo sunt Marc. XIII. 32. tum quia qui Deum, ejúsque increatam Sapientiam vident, non per communicationem naturalem, velut in speculo, res vident, sed per communicationem voluntariam, tanquam in principio libero cuilibet gratiam admetiente, prout vult: tum quia ipse Bellarminus fatetur, Sanctos non alia in Deo videre, quàm quæ aliquo modo ad ipsos pertinent: tum quia aliâs erunt omniscij, omnipræsentes, & τὰ πάντα omnia: tum quia Thoma ipso fatente, Sancti Deum quidem vident, at non comprehendunt: tum denique quia Becano teste *Theol. Schol. p. I. cap. 9. q. 11.* Beati Deum videntes non tamen vident quæ-

libe

libet & libera ejus consilia & decreta, adeóque etiam non ea, quæ à libera Dei providentia dependent. Speculum hoc SS. Trinitatis, uti vocant, speculationis Scholasticæ abortivum fœtum, ipse Occamus repudiavit, & judice eodem Becano, S. Augustinus, temerè proin à Redingio ad partes vocatus, cùm in loco ab ipso laudato non aliud dicat, quàm Sanctos *legere in facie Dei sine syllabis temporum, quid ejus voluntas velit*, non quid in universum velit, sed quid velit pertinens ad eorum statum & officium. Ait enim Becanus, Augustinum *lib. de cura pro mortuis cap.* 15. docere, quòd tribus modis beati, quæ circa nos fiunt, cognoscant, nempe ex relatione hominum decedentium, relatione Angelorum, & peculiari revelatione Dei. *Si putâsset*, inquit Becanus, *esse alium, nempe videndi creaturas in Deo, tanquam in objecto cognito modum, non utique dissimulâsset.*

EXCIP. REDING: *1. Sententia nostra non est, Sanctos in facie Dei res creatas omnes videre, sed eas duntaxat, quæ ad cujuslibet Sancti statum pertinent. 2. Christus Matth. XVIII. 10. ex eo, quòd Angeli faciem Patris sui in Cælo videant, intulit, quòd res terrestres cognoscant. Ergo Sancti pariter faciem Dei videntes, non minùs cognoscunt, quæ in terra fiunt. Cognoscentes porro ex charitatis pondere intercedunt; & sic intercedentes rectè invocantur. 3. Concedimus, Sanctos Deum, ejusque increatam sapientiam videre per communicationem voluntariam. Deus autem videndas necessitates nostras communicare vult, quia id ad statum eorum pertinet. 4. Alia ratio est decretorum Dei liberorum; alia formalitatum Divinæ substantiæ, quæ ei per necessitatem intrinsecam & essentialem inexistunt. Hæ videntur eo ipso, quòd essentia Divina videtur, ut est in se. Illa verò quia non tantùm in ratione attingentiæ determinatæ libera sunt, sed nec in formalitate sua aliquam à creaturis dependentiam habent, visa essentia non videntur; ac proin nec creaturæ ex ipsis prodeuntes. 5. Occamus hoc unum quærit: An Beati in verbo videant creaturas non formaliter per ipsam beatificam visionem, sed causaliter per cognitionem ex hac promanantem atque distinctam? Posterius ille affirmat: prius probabiliùs alii. Sed ad præsens argumentum de intercessione & invocatione perinde est, quo modo videant, dummodo videant. 6. Augustinus de Civit. D. lib. XXII. 2. disertè affirmat creaturas in Sapientia Dei cognosci velut in arte, per quam facta sunt. Alibi Confess. lib. XIII. 15. disertè ait, Beatum videndo Dei verbum, in facie Dei legere sine syllabis temporum, quid velit voluntas Dei. Si videndo verbum Dei videns creaturas, & sine syllabis temporum voluntatis Divinæ opera, utique increatum Dei verbum subit rationem speculi creaturarum in semet expressivi. Neque repugnat locus ejusdem lib. de cur. pro mort. cap. 15. cùm is ipse modus, quem ex revelatione Dei S. Pater ponit, modum videndi creaturas in verbo non excludat. Id tantùm quærit Becanus, an Divina essentia Beatis sit ratio videndi creaturas non per modum objecti, seu speciei expressæ, sed per modum speciei impressæ ac intelligibilis; sive per modum principii efficientis, non formaliter concurrentis.* Ibid. pag. 84--87. Resp. Supra *Arg V.* & multa & ponderosa Speculationi vestræ de Speculo Trinitatis opposui, quæ heic repetere nihil attinet. Audaciam tantùm vestram noto intolerandam, qua, sine perspicuo Dei verbo, in abdita ejus judicia sic penetrare, perrumpere & Scripturam conculcare non erubescitis. Cùm tamen Scriptura tam apertè carnis nostræ prudentiam sapientiæ Dei inimicam esse pro-

nunciet, vanitatem sensus nostri in universum damnet, & prostrata omni ratione nostra solam voluntatem Dei à nobis spectari velit. Sed tenebras tuas luci veritatis offusas paucis discutiamus. 1. Sapis equidem in eo, quòd ab iis te sejungis, qui Beatis in facie Dei omnia repræsentari statuunt. Sic enim beati cognoscerent res omnes, etiam futuras & contingentes. Quomodo multum periclitabitur signum Deitatis, idque eo magis, si repræsentatio illa naturalis & necessaria sit. Deus enim hoc argumento se verum Deum esse demonstrat, quòd futura contingentia cognoscit. *Quædam* ergo repræsentari & videri ais, *ea* scilicet, *quæ ad cujuslibet Sancti statum pertinent*. Consentio facilè. Sed necessitates particulares viventium cognoscere, pertinere ad hujus vel illius Sancti statum, turpiter equidem supponis, non probas. Non agnovit id Thomas Aquinas, asserens, *beatos videre omnia, quæ pertinent ad perfectionem intellectus, cujusmodi sint omnes species & genera rerum, quæ aliquando actu sunt, quia ad hæc cognoscenda quilibet naturale desiderium habeat; sed cognoscere alia singularia, cogitata & facta eorum, non esse de perfectione intellectus creati, nec ad hoc naturale ejus desiderium tendere.* At quæ geruntur in his terris, cogitationes, preces, desideria viventium sunt singularia. Non ergo ea cognoscere ad perfectionem, adeóque etiam statum intellectus beatorum pertinet. Proba ergo, pertinere ad statum beatorum, cognoscere res viventium particulares; nominatim Rocho & Sebastiano ulcera peste laborantium, Apollonio dolores dentium, Claræ & Otiliæ morbos oculorum, Antonio species porcorum, Eulogio speciem & notitiam equorum, pro quorum sanitate invocatur, denique singulis Sanctis earum rerum species, quarum curam illis incumbere creditis. Proba, ad statum hujus vel illius Sancti pertinere notitiam tuarum cogitationum, desideriorum, actionum, passionum præ aliis. Et si quædam duntaxat Sancti in facie Dei vident, & videre ad statum eorum perinet, quis dixerit, quænam ex omnibus, sive beati omnes, sive hic, ille, iste, videant? Absque hoc est, nullum planè in visione isthac beatifica invocatio Sanctorum præsidium habere potest. 2. Angelos res terrestres particulares non paucas cognoscere, certum est. At vel omnes, vel illas saltem, quæ invocationis fundamentum esse debent, eos in facie Dei Patris videre, Christus Matth. XVIII. 10. non dixit. Vetat contemnere parvulos eo argumento, *quia Angeli eorum in Cœlis semper vident faciem patris sui cœlestis.* hoc est, quia ceu apparitores & Ministri Dei, parati ad nutum Dei & imperata exequenda, mandante Deo prompti parvulorum adversus eos, qui illos lacessiverint, vindices sunt. A Regum enim more sumpta est similitudo, qui prætorianos & satellites suos, præsentes adstantésque sibi, & oculorum nutum, mandatáque universa religiosè observantes, promptissiméque exequentes, habent. Quid hoc ad Sanctos cœlites, quos nullis ad homines viventes mandatis Deus onerat; quíque licet videant faciem Dei, tamen nec essentiam Dei vident, nec in essentia Dei res hominum in hac vita, quarum cognitio nihil ad beatitudinem eorum facit. 3. Proba, iterum iterumque jure expeto, velle Deum Sanctis communicare necessitates hominum, & id ad statum eorum pertinere. Hoc enim illud μέγα λίαν αἴτημα est. 4. Denuo supponis temerè, quòd Sancti videant essentiam Dei, ut est in se, adeóque *formalitates Divinæ substantiæ, quæ ei per necessitatem intrinsecam inexistunt.* Atqui essentia Dei infinita à finita facultate videri, comprehendi nequit. Est enim manebitque semper Deus פלא *admirabilis*, lucem habitans inaccessam, quem nemo hominum vidit, *οὐδὲ ἰδεῖν δύναται, nec videre potest*, 1. Tim. VI. 16. Decreta verò Dei libera in essentia ejusdem videri non posse, ipsemet fateris & probas. Quomodo ergo Sancti necessitates nostras, quæ non temere & forte, sed ex æterno Dei decreto libero proveniunt, intuendo es-

essentiam Dei vident? 5. Neque nullius momenti quæstio est, quæ in Scholæ vestræ umbris agitatur: *An Sancti in Deo videant creaturas & earum actiones formaliter per ipsam visionem beatificam, an causaliter per cognitionem ex hac promanantem & distinctam?* Priorem sententiam veteres Scholastici plerique amplectuntur. Eò enim tendit speculi nomen. Fr. Sonnius *Demonstr lib. III. tract. 2. cap 15.* dicit, *Divinitatem formam esse & exemplar omnium rerum qualitatum, operum & effectuum.* Sed Valentianus improbat merito, *quia Divina essentia à creaturis infinitè distat.* Posteriorem ergo sententiam amplectitur. Sed ita cessat ratio speculi. Nam etiam lumen gloriæ facit cognoscere, neque tamen per modum speculi, quia non in se ipso exhibet rerum imaginem. Atque ita probandum, quòd Sancti res humanas singulares in essentia Dei videant *causaliter*, per cognitionem ex hac promanantem. Neque enim essentia Dei visa causa esse potest cognitionis rerum nostrarum quarundam, & non omnium, nisi hæ ipsæ in essentia Dei resplendeant. Sed de hoc quicquid sit, Occamum tibi objeci. Ille secutus Lombardum verba illa Gregorii; *Qui creatoris sui claritatem vident, nihil in creatura agitur, quod videre non possint*, ad ea, quæ ad beatitudinem eorum spectant, restringit. Sic planè speculi ratio cessat; utpote quod necessariò species, quas recipit, omnes, non aliquas repræsentat. Et quis nos doceat, quænam omnes & singuli videant? Ex professo etiam Vasquez *Disput.* 50. *cap.* 4. 5 speculum isthoc oppugnat. Quin & Bellarminus *de Beat. S. lib. I.* 20. fatetur, modum hunc ad convincendos nos non esse idoneum. 6. Neque speculationi vestræ Augustinus favet. De verborum ejus *de Civit. D. lib. XXII* 2. sensu supra *ad Arg. V.* vidimus. Quòd verò idem *Confess. lib XIII.* 10. scribit, *Beatum videndo Dei verbum in facie Dei legere sine syllabis temporum, quid velit voluntas Dei*; id alibi *in Psal.* 116. sic explicat: *Ibi omnes justi & Sancti, qui fruuntur verbo Dei sine lectione, sine literis. Quod enim nobis per paginam scriptum est, per faciem Dei illi cernunt.* Agit de iis, quæ hac in vita in verbo Dei scripto legimus. An ad ea necessitates singulæ singulorum fidelium pertinent? Non ergo easdem in altera vita Sanctos in facie Dei legere, sequitur. Neque facies Dei, ceu speculum, lectionis illius principium est. Imò visionem in facie, visioni per speculum Apostolus 1. Cor. XIII. 12. non frustra opponit. Denique si vestrum illud speculare somnium Augustino in mentem venisset, illud haud dubiè *lib. de cura pro mortuis cap.* 15. *&c* ubi modos, quibus Sanctos res nostras curare posse, investigare conatur, inter alios memorasset. Atqui ne uno quidem apice, fatente etiam Becano, memoravit. Neque dici cum Redingio potest, Augustinum speculum sub modo Divinæ revelationis expresso intellexisse. Non enim idem est, in essentia Dei, velut speculo, aliquid videre: & revelante Deo aliquid cognoscere. Nam & in hac vita, ubi beatificæ visioni locus non est, multa Deus Sanctis in verbo suo revelat. De quæstione à Becano mota supra diximus.

OBIECT. IV. *Jacobus Patriarcha invocavit Angelum, qui ipsum eruit ab omnibus malis, ut benedicat pueris suis, Genes. XLVIII. 16. Intelligi autem Angelum creatum liquet, tum quia ille invocandi modus significat Physicam Angeli actionem, cujusmodi non erat per Christum quâ hominem: tum quia eodem capite v. 16. Jacobus etiam sui ipsius & Patrum suorum post mortem invocandorum meminit, his verbis: Et invocetur super eos nomen meum &c.* Aug. Reding. pag. 769. 770. Resp. 1. Stupidè & imprudenter ex V. Test. hæc aliáque ejusmodi verba Adversarii ob-

obtrudunt, cùm unanimiter tradant, Sanctos in V. Test. limbo ad Christi adventum usque inclusos fuisse. In limbo autem Divinæ faciei visione destituti quomodo cognovissent necessitates viventium? Regerit Reding. pag. 773. *illos in limbo per charitatem & gratiam sanctificantem Deo fuisse conjunctos, adeóque ad intercedendum aptos: ab Angelis etiam, vel Deo iis necessitates viventium revelatas esse.* Sed quò tandem delabemur, si quidvis comminisci & asserere tutum est? Et tamen fideles V.T. fatentur ipsi Esaj. LVIII. 16. *Abrahamum nescire illos, & Israëlem non agnoscere eos.* Proinde à sanctis ad Jehovam solum se convertunt, ut quamlibet & naturalem & revelatam iis negari notitiam, planè perspicuum sit. 2. Si de Angelo creato sermo est, S. Jacobus non Angelum invocavit, sed Deum, ut per Angelum ipsum è cunctis malis eripientem, eripiat etiam nepotes, & illis benedicat. Adeóque ita Deus esset invocationis objectum, Angelus benedictionis conferendæ minister. 3. Sed Angelum, de quo ibi sermo est, fuisse Angelum fœderis, prædicata, quæ ei tribuuntur, probant. Vocatur enim המלאך הגואל *Angelus ἀγχιστεύων, redemptor, vindex* nimirum Christus, & quidem מכל הרע *ab omni malo*, adeóque etiam à peccato, judicio Dei, potestate Diaboli, quæ liberatio non alij, quàm Christo tribui potest. Neque obiter & seorsim loquitur de Angelo, ut optet ab Angelo custodiri filios Josephi, nempe ut Ministro mittendo ad eorum salutem; sed de industria, cùm dixisset, *Deus ille, coram quo ambulârunt Patres mei: Deus qui pascit me,* antequam quidquam à Deo petat, adjungit: *Angelus qui asserit me*, non, *Deus, qui misit Angelum, mittat eum futurum custodem nepotum horum.* Similiter à Deo & Angelo benedictionem mittit. Cavillatio verò Redingii, quòd eadem ratione consecratio Sacelli sui, quæ *Angelica* vocatur, Christo tribui possit ex iis, quæ *Apolog. dissert. IV. th.* 10. à me dicta sunt, abundè refellitur. Sed & Athanasii ac Cyrilli, qui hoc loco Christum intelligi consentiunt, testimoniis frigidè respondet, Christum posse intelligi, *quatenus universa in V. T. benedictio Divina fluxerit ex Christi meritis à Deo Patre jam tum acceptatis.* Sed Patres à me citati ita benedictionem illam tribuunt Christo, ut negent Angelo creato tribui vel tribui posse. Neque prædicata patiuntur id omne alii, quàm Christo tribui. Ipse Moses Gerundensis, cæcus aliâs verpus, ad h. l. fateri coactus est, Deum intelligi. Sed *invocandi modus*, inquit Adversarius, *physicam Angeli actionem, cujusmodi non erat per Christum quâ hominem, in V. T. moraliter dumtaxat in vi meritorum anticipatè à Deo Patre acceptatorum operantem, arguit.* Sed Scriptura *physicæ & moralis* operationis tuæ discrimen nuspiam pandit. Scimus Christum *κατὰ σάρκα secundum carnem*, adeóque in natura humana hypostaticè unita in

V.T. operatum haud esse. Verùm si λόγον nondum unita ipsi carne in V.T. mediationis suæ apud fideles partes nullas obivisse sentis, næ Scripturarum rudis nimium es. Legas, rogo, loca clarissima Esaj. XLVIII. 16. LXIII. 9. Joh. VIII. 25. 1. Pet. III. 19. Hebr. I. 1. XIII. 8. &c. & rectiùs senties, teque inscitiæ damnabis, me verò ab hæreseos crimine, quod *pag.* 772. mihi impingis, ultro, si probus es, liberabis. 4. Quòd verò S. Jacobus *nomen suum super nepotes suos invocari* petit, non se ab illis invocari vult post obitum, uti Redingius, aliique Hebraismi, cujus vestigia Esaj. IV. 1. occurrunt, imperitiâ turpiter hallucinantes colligunt, sed id intendit, *ut vocentur de nomine Jacobi, & sint duo capita tribuum inter filios Jacobi*, uti etiam Tostatus, Ribera, Cajetanus, Cornelius à Lapide, Arias Montanus, Hector Pintus, alii agnoscunt. Qui S. Jacobum invocationem petiisse affirmant, & tamen præterito ipso invocant Franciscum, Dominicum, Borrhomeum &c. quàm rectè faciant, ipsi viderint.

Excip. Reding: 1. *Sancti in limbo existentes cum Angelis vinculo charitatis & gratiæ sanctificantis sociati, Divinæque amicitiæ fœderi innexi manserunt. Quomodo ergo Angelicæ conversationis exortes, & Divinæ revelationis beneficio destitutos fuisse asseris? Perverso scilicet ordine conversationis illius societatem tollis, ut Scripturæ testimonia torquere valeas. 2. Textus apertè loquitur de Angelo. Deum ergo primariò, Angelum secundariò, ceu ministrum, invocavit. 3. Christus nondum extitit ut homo. Ille verò, quem Jacobus invocavit, jam actu extitit. Si ut Deum invocavit, ergo Christus Mediationis munere in V.T. secundum naturam Divinam defunctus est. Atqui Calvinus Instit. lib II. cap. 14: 3. indefinitè asserit, ea, quæ ad officium Mediatoris spectant, neque de natura Divina, neque de humana simpliciter dici. Et ad officium Mediatoris non tantùm subjectio & exinanitio, sed etiam possibilitas requiritur. Unde sequitur, operationem officii Mediatorii propriè ad humanitatem pertinere. Alias naturarum quædam confusio oriretur, qualem Eutychiani olim statuerunt. 4. Actiones illæ redimendi, vindicandi ab omni malo &c. Deo ut causæ primariæ, Angelo ut secundariæ & Ministro rectè tribuuntur. 5. Physicæ & moralis operationis discrimen pandit Scriptura Num. XXI. 9. ubi aspiciens Serpentem æneum sanatum fuisse dicitur. Moralis illa, non physica actio fuit. Tales erant prodigiosæ illæ actiones per virgam Aharonis; mœniorum Hierichuntis destructio per circumgestationem arcæ, &c. Ita Christus Agnus ille Dei in æterno Dei decreto, & jam in V.T. occisus & mactatus vim habuit justitiæ Patriarchis conferendæ. Physicè ne, an moraliter vel meritoriè? 6. Jacobus Patriarcha nomen suum super nepotes invocandum ex Spiritu Prophetico expetiit. Non igitur in temporali tantùm prærogativa se continuit. Unde Daniel cap. III. 35. Spiritu æquè Prophetico Deum orat, ne auferat à se misericordiam propter Abraham, Isaac & Israel. Unde liquet, ad conciliandam Dei misericordiam pondus singulare habuisse Jacobum, Deo preces istas repræsentantem.* Ibid. pag 87 - 90 Resp. 1. Patres vel in limbo extitisse, vel in eo existentes Angelicæ conversationis, & Divinæ revelationis beneficio destitutos fuisse, non assero. Utrumque enim falsum est. Non entis nulla sunt accidentia. Vestrum commentum est, Patres V.T. in limbo pœnam damni luentes beatifica visione caruisse.

Beatificam verò Dei visionem invocationis Sanctorum fundamentum esse, ipse Tu jamjam propugnabas mordicus. Quomodo igitur in limbo existentes invocari potuerunt? Esto verò, Angelorum, Dei ipsius consortio limbani illi Patres fruiti sint. quod suave somnium vestrum est. At consortii illius eam vim fuisse, ut communicatis Mortalium necessitatibus ad intercessionem invitarent, unde fidem facies? Non satis enim est, insanire ubique sine ratione ulla. Quid attinebat ambagibus hisce uti? Si Deus intercessoribus uti voluit, annon sufficiebant Angeli? Si hi non sufficiebant, quis crediderit, ivisse Deum ad carceres, & in iis pœnam damni sustinentes excitasse, ut propter merita sua pro populo intercederent? Ipsis potiùs, si quibus, opus fuisset intercessoribus, qui pro contrahenda vel tollenda damni pœna se interponerent. Non igitur ordinem ullum verum, probatum tollo; multò minùs tollo, ut Scripturæ dicta torqueam; sed figmenta vestra figmentis vestris debello, & quàm malè mendacia cohæreant, demonstro. 2. Loquitur textus de Angelo. Quis negat? Sed de creato illum loqui, nego. Nec contrarium probasti. Non caret emphasi, quòd cum articulo seu ה *Hajediah*, *notificativo* vocatur המלאך *Ille Angelus*, non simpliciter מלאך *Angelus*. Sensus igitur est: *Ille* Angelorum omnium princeps ac dominus: *Ille* ipse Angelus, qui præcepit, ut à facie Labanis in regionem patrum meorum reverterer, Genes. XXXI. 11. (qui ibidem v.13. האל *Deus ille fortis*, & Genes. XLVIII. 16. יהוה *Jehova* vocatur, cui ceu *Deo* votum fecit, Genes. XXXI. 13. coll. cum XXVIII. 13. 16. 20. 21.) *Ille* ipse Angelus, qui mecum in forma viri luctatus est, Gen. XXXII. 24. quem Deum, Filium Dei fuisse, ex v. 28. 30. 31. manifestè liquet. Adeò quidem id verum est, ut contrariam assertionem Tertullianus *lib. de Trinit. cap.* 15. hæreticis, puta Simoniacis, Menandrianis tribuere non dubitaverit. Non ergo benedictionem à Deo, ut causa *principe*, Angelo ut *ministro*; sed ab utroque, nullo discrimine, adeóque uno eodémque petit, dicens: *Deus, in cujus conspectu ambularunt patres mei: Deus, qui pascit me: Angelus ille, qui vindicat me ab omni malo*, יברך *benedicat*; non יברכון *benedicant*, ille ut *principalis*, hic ut *ministerialis* causa. Ut Deum & Angelum illum unum eundémque esse, vel inde clarissimè constet. 3. Tricæ illæ tuæ de Christo Mediatore, quâ is homo, non quâ Deus est, ineptè huc à te sevocantur, ut extra oleas vagari, & videri multa dicere possis. Sufficit *Angelum illum* Deum, Christum, Filium Dei, גואל *Goelem* fuisse, sive fuerit ejus operatio propriè mediatoria sive non. Et tamen *mediatoriam* fuisse, ipsa vox גואל *Goel*, hoc est, assertor, vindex sanguinis percuntis, significat. Non potuit enim Christus talis esse, nisi operatione Mediatoris defungendo. Licet autem nondum is in V. T. carnem & sanguinem assumpserit, assumpturus tamen in plenitudine temporum erat; ac vi futuræ assumptionis & passionis, retroacto jam tum munere Sponsoris, Mediatoris Deum inter & homines quoad efficaciam futuri meriti defungebatur. quod loca à me citata, & à te silentio præterita probant. Ea nempe solutionis in tempore factæ efficacia fuit, ut valuerit εἰς πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων *ad remissionem peccatorum præteritorum*, Rom. III. 25. Fuit enim Christus ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας *princeps salutis*, priusquam per passiones consummaretur Hebr. II. 10. Distinguere ergo debebas Mediatorem, qui talis est Filius Dei vel vi futuræ passionis; vel jam per passiones consummatus. Illo modo in V. hoc in Novo Testamento Mediator est, licet in utroque, *heri & hodie* αὐτὸς *idem*, Hebr. XIII. 8. Controversiam illam, *quatenus* Christus Mediator sit, heic ingredi opus non est. Unum moneo, Te nobis statuentibus, quòd Mediator sit secundum utramque naturam, Eutychianismum ineptè impingere. Non enim *utramque naturam*, nedum utriusque naturæ actiones distinxerunt, sed confuderunt. Nos autem in Christo Media-

tore & naturas, & naturarum *ἐνεργείας* seu *operationes* distinguimus. Quæcunque ergo in Mediatoris fungendo officio Divina occurrunt, velut peccata remittere, & similia, Deitati, non humanitati; quæ contra humana sunt, velut pati, mori, humanitati, non Deitati *ἰδικῶς* assignamus. Sed hæc *πάρεργα ἐστιν*. Non libet enim tecum extra lineas currere. 4. Frustra ergo actiones illas *vindicandi, liberandi ab omni malo*, adeóque etiam peccato & pœna ejus, Angelo creato, ut *Ministro*, tribuis. Deus enim solus *ῥύεται ἀπὸ παντὸς κακοῦ*, *liberat ab omni malo* Sap. X. VI. 8. Matth. VI. 13. Et eodem modo ab *Angelo illo*, quo à Deo ברכה *benedictionem* Jacobus precatur. A solo enim Deo *benedictio* uti descendit, ita petenda est, Num. VI. 25. Urgeo inprimis emphasin vocis גואל qua Patriarcha utitur. Significat enim non quemvis liberatorem, vel sospitatorem, qualis etiam Angelus esse potest, verùm *Redemptorem* ejusmodi, qui carnis propinquitate illi, quem redimit, conjunctus, eodem propinquitatis jure, bona ejus vel vitam adeóque eundem in mortis potestate positum, tanquam suum vindicat Num. XXXV. 12. Ideo dicitur גואל הדם *vindex sanguinis*. Talis *Goel* nullus Angelus fuit; sed solus Christus, *ἐπιλήπτωρ apprehensor* seminis Abrahami pereuntis, Hebr. II. 16. quod ille in potestatem Sathanæ per peccatum redactum propinquitatis jure pretio sanguinis sui redimendum, sibíque, ceu suum, vindicandum suscepit. Hoc sensu de Christo Job. XIX. 26. Psal. LXXII. 14. Esaj. XLIII. 1. LXIII. 9. usurpatur. Unde Apostolus Hebr. II. 14. 15. ex natura גאלה *ἐπιλήψεως assertionis* tum incarnationem Filii Dei, tum etiam liberationem Israelis à servitute probat. 5. Non opus equidem erat, ut moralis operationis exempla ex verbo Dei panderes; rem nobis notissimam. Sed probandum fuerat, in hoc argumento *physicam* & *moralem* operationem ita distingui posse, ut Christus nondum incarnatus *moraliter*, at incarnatus homo *physicè* salvare, liberare dici possit. Id verò negavi meritò. Christus enim & nondum incarnatus efficacia futuri meriti: & incarnatus ac mortuus efficacia præsentis meriti; utrobique adeò *moraliter*, non *physicè* salvat. Nam qui per meritum operatur, is merè moraliter, non physicè operatur; hoc est, movet agentem ad talionem referendam, sive in bonis, sive in malis. quod moraliter, & non physicè fieri, vel tyrones nôrunt. Christi ergo Salvatoris sive per futuri, sive per præsentis meriti efficaciam eadem operatio est. quocunque illam nomine indigetare libet. Utque præsenti argumento id applicem, *Angelus ille* fœderis Jacobum moraliter, virtute futuri meriti, ab omni malo liberavit; verè tamen, quia Deus futuri meriti Christi ab eo, ceu Sponsore bonæ fidei, promissi respectu Jacobum Patriarcham æquè, ac præstiti jam meriti respectu Petrum, Paulum, &c. ab omni malo, peccato inprimis & maledictione legis liberavit. 6. Quàm porro frivola argumentatio tua est: *Jacobus spiritu prophetico nomen suum super nepotes invocandum expetiit: Ergo id non ad temporalem prærogativam, sed gratiam Dei invocato Jacobi nomine impetrandam referri debet.* Nullæ ne ergo prærogativæ temporales spiritu prophetico prædici potuerunt? Anon ipse Patriarcha Genes. XLIX. 10. &c. tribui Judæ Regni temporalis prærogativam, reliquísque quoque filiis temporalia multa portendit? Quanquam in verbis, יקרא בהם שמי *vocetur in iis nomen meum*, non tam prædictio, quàm præsens adoptio seu hæredum institutio continetur. Neque par est, ut ex verbis Jacobi plus exsculpatur, quàm illa præ se ferunt. Atqui mandatum religiosæ invocationis neutiquam præ se ferunt. Aliud enim est: *Nomen meum in iis vocetur*: aliud; *Nomen meum ab iis invocetur*. Prius Patriarcha dicit, non posterius. Neque uspiam Ephraim & Manasses Jacobum invocasse leguntur. invocaturi haud

 dubiè

dubiè, si mandatum hoc esse Patriarchæ novissimum & emortuale intellexissent. Agnosce tandem, Redingi, errorem vulgati Interpretis vestri, & si non nobis, saltem Doctoribus vestris, Hebraismum rectiùs Te intelligentibus, cede. Inter quos sic Fonseca *h. l. Est ea phrasis Hebræis peculiaris, ut dicant nomen alicujus vocari super aliquem, pro, vocare aliquem alicujus nomine. ut constat ex Esaj. 4. Dan. 9.* Ribera *in Amos. 9. n. 42. Nomen,* inquit, *Dei invocatum est super aliquem populum, quando populus Dei nomen habet, id est, populus Dei peculium appellatur. ut Esaj. 4. virorum nomen; & Genes. 48. Invocetur nomen, &c.* Similia habent Arias, Pagninus, Pintus, & ante illos Hugo Cardinalis, Lyranus, Cajetanus. Nil te juvat locus Dan. III. 35. tum quia ibi non Daniel loquitur, uti imperitè scribis; sed Azarias, cujus hymnus apocryphus est: tum quia is non invocavit Israelem, sed Deum διὰ Ἰσραὴλ *propter Israelem,* hoc est, promissionem Israeli factam. Quæ toto Cœlo distincta sunt.

OBIECT. V. *Moses etiam Exod. XXXII. 12. cùm se non existimaret sufficientem ad placandum Deum, adhibuit patrocinium Patriarcharum, Abrahami, Isaci & Jacobi, verbis illis:* Recordare Abraham, Isac & Israël, &c. *De iisdem Sanctorum patrociniis locum eum interpretantur etiam S. Theodoretus q. 76. in Exodum, & Augustinus q. 149. in Exodum. Porro non pactum duntaxat Dei cum antiquis Patribus initum, sed Sanctorum eorundem merita etiam pondus habuisse, ex Psal. CXXXI. 10. 2. Paralip. VI. 42. &c. cognosci potest.* Aug. Reding. *pag.* 773. Resp. 1. Moses S. Patriarchas illos non invocat, sed commemorat propterea, quia promissa iis facta erant posteros, adeóque populum ejus concernentia. Perinde ac si dixisset: *Recordare, ô Deus, & pacti cum iis initi memor Moscholatris posteris misericorditer ignosce.* Etenim Moses disertè ad *juramentum Dei,* quo Patriarchis fœdus gratiæ cum iis initum confirmaverat, provocat. Eundem planè sensum S. Theodoretus reddidit, qui ne verbo quidem patrocinii meminit. 2. Eodem modo Psal. CXXXII. 1. Synagoga precatur: *Memento Davidi* את כל ענותו *omnem molestiam ejus,* studium nimirum cum molestia conjunctum in restituendo Dei cultu. Pro quo beneficio orat, ut Deus ei sive vivo sive mortuo remunerationem fidelitatis dare dignetur. Ita quod v. 10. dicitur, בעבור דוד *propter Davidem servum tuum ne avertas faciem Christi tui,* explicatur statim v. 11. *Juravit Jehova ipsi David veritatem &c.* Orat ergo propter Davidem, hoc est, propter promissionem Davidi de Messia factam. 3. Denique etiam 2. Paralip. VI. 14. Solomon non ad merita Davidis, sed ad promissionem & pactum cum eo initum unicè provocat.

EXCIP. REDING: *1. In illo statu, in quo erant moscholatræ Exod. XXXIX. nullum extabat pactum Dei ignoscendi iis. Quomodo ergo Moses ad tale pactum provocare poterat? Neque fœdus cum Abrahamo, Isaco, Jacobo repræsentando Moses respexit ad materiam isto juramento firmatam (Deus enim illi jam promiserat v. 10. quòd ipsum in gentem magnam facere velit, etiam deleto populo) sed potiùs pondus ac meritum fidei sanctitatis Patriarcharum illorum, cujus intuitu Deus illis juraverat, ad animum ei revocavit; ut ejus recorda-*

tione

ſtione furorem contineat. 2. Pariter Pſal. 132. ſive 131. verſ. 11. motivum ad impetrandam petitionem non præcisè in juramento, ſed in Davidis perſona ſtatuitur. 3. Et 2. Paralip. VI. 16. Solomon duplex etiam motivum allegat, alterum ex pacto per Deum firmato, alterum ex ſanctitate ſervorum Dei coram ipſo ambulantium. Hujus ſanctitatis pondus cur Sanctis in Cælo Deo ob oculos ponere, & ſic bona nobis impetrare non liceat? Ibid. pag. 90. 91. Reſp. Si quem exceptiones tuæ colorem haberent, nihil cauſæ veſtræ proficerent, tum quia aliud eſt Deum orare propter fidem, ſanctitatem, merita Sanctorum; aliud eoſdem invocare: (nam & propria merita Pontificii allegant, ut per ea in orationibus adjuvent, qui tamen ſe ipſos non invocant) tum quia in locis hiſce nulla formæ, nullum exemplum eſt Sancti ullius invocati, ſed ſolius Dei. Fatetur ipſe Bellarminus *de Beat. S. lib. I. 19.* quia ante Chriſti adventum Sancti, qui moriebantur, non intraverint Cœlum, nec Deum viderint, nec ordinariè cognoſcere potuerint preces ſupplicantium, *ideo non fuiſſe conſuetum in V. T. ut diceretur: Sancte Abraham, ora pro me; ſed ſolùm oraſſe homines ejus temporis, & rogaſſe Deum, allegatis meritis Sanctorum, qui jam obierant, ut eorum oratione juvarentur.* Sed & *ἐνστάσεις* tuæ nihili ſunt, quia in locis citatis Patres ne quidem per merita Sanctorum orarunt, ſed ſolam promiſſionem gratuitam & fœdus gratiæ cum Patribus ictum commemorarunt. Etenim 1. Exod. XXXII. 10. dicit Moſes: *Memineris Abrahami, Iſaci & Iſraelis ſervorum tuorum, quibus per temet ipſum juraſti, & locutus es ad eos: Augebo ſemen veſtrum, quemadmodum ſtellas Cæli, & univerſam terram hanc, de qua dixi: Dabo ſemini veſtro terram hanc*, &c. Ubi, dic Redingi, vel apex unus de meritis patrum? Annon diſertis verbis ad unum ſolúmque *juramentum Dei* provocat, quo ſcilicet Patriarchis is confirmaverat fœdus gratiæ cum ipſis initum, & promiſſionem de Meſſia ex ipſorum poſteris naſcituro, quia promiſſio de multiplicatione ſeminis & hæreditate terræ Canaan eò unicè reſpiciebat? Unde Zacharias Luc. I. 72. ſimpliciter ſic exponit: *Memor fœderis ſui ſancti, & jurisjurandi, quod juravit Abrahamo. Sed in illo,* inquis, *ſtatu, in quo erant moſcholatræ, nullum extabat pactum Dei ignoſcendi iis, ad quod provocare poſſet.* Quæ hæc inanis ſpermologia? Annon diſertè Moſes provocat ad juramentum Patribus factum de multiplicando ſemine illorum, cum quo propoſitum perdendi populum pugnare videbatur? Eſto, potuerit promiſſio Dei in Moſe impleri. An propterea Moſes ad merita Patrum, *ad pondus fidei, ſanctitatis* eorum, & non ad ſolum juramentum & pactum Dei appellat? Annon hoc eſt verbis Dei addere, & mereri plagas addentibus Apoc. XXII. 19. intentatas? 2. Pſal. CXXXII. orat populus vivens Deum, ut *memineris is Davidi* viventi, & reducere arcam paranti את כל ענתו *omnem moleſtiam,* afflictionem ejus, hoc eſt, omne ſtudium impenſiſſimè ab eo reducendæ arcæ navatum. Pro tanto ſtudio non aliam Davidi mercedem rependere poterat, quàm vota, preces ad Deum, ut ipſe rependat, ipſe ei magna merces ſit. Nec defuncti Davidis, nec meritorum defuncti ejus, nec gratiæ Dei per defuncti merita impetrandæ, nedum Davidis intercedentis pro propulo, vel invocandi à Populo mentio leviſſima eſt. Quis proximo precanti Divinam pro beneficiis ab eo ſibi collatis *μισθαποδοσίαν*, Deum per ejuſdem merita precari, nedum proximum eum invocare dici poteſt? Agitur ergo de perſona, *moleſtia* Davidis: de Davide *ſervo Dei*, v. 10. at non de ejus perſonæ defunctæ merito, nedum Deo per merita defuncti interpellato: minimè omnium de Davide defuncto à viventibus invocato. Neque in verbis illis v. 10. *Propter Davidem, ſervum tuum; τὸ* בעבור *propter* notat meritum aliquod Davidis defuncti. An enim David vel ullus

 fidelium

fidelium potuit mereri, ut Christus descenderet de Cœlo, & justitiam afferret, de qua ibi agitur? Imò juramentum Davidi factum statim v. 11. allegatur; adeóque fœdus Dei, quod David fide apprehendit, & irrevocabile reddidit, spectatur. Falsissimum est, quod Bellarminus hypothesi suæ serviens, introduci ibi Solomonem de patre suo defuncto loquentem, ait. Imò introducuntur verba Davidis, *qui vivens juravit, vovit* reductionem arcæ לאביר יעקב *Heroi Jacobi* Deo, antequam Solomon natus esset. Neque ullam vel Solomonis loquentis filii, vel Davidis defuncti patris vestigium in textu apparet. 3. In loco 1. Paralip. VI. 16. loquitur Solomon, & de patre defuncto loquitur. Sed nihil minùs, quàm ad merita Davidis provocat. *Nunc igitur*, inquit, *Domine Deus Israelis, serva Davidi servo tuo patri meo, quæ pollicitus es ei hisce verbis: Non exscindetur tibi vir coram me, qui sedeat in solio Israelis, si modò filii tui observaverint viam meam, ut ambulent in lege mea, quemadmodum tu ambulasti coram me.* Meminit testimonii Divini de Davide, *quòd ambulaverit coram Deo.* Non tamen Deo ad animum revocat *ambulationem illam Davidis coram Deo*, nedum meritum aliquod Davidis, sed solam promissionem Davidi factam de successore dando, qui in eodem solio sedeat; & *ambulationem ejus coram Deo* solùm ut objectum complacentiæ Dei, in qua ex mera gratia Dei promissio illi facta est, commemorat.

OBIECT. VI. *Etiam Jobi cap. V. 1. Eliphazus Jobo suadet, ut ad aliquem Sanctorum se convertat. Et cap.* XIX. 21. *inclamat amicos, hoc est, interprete Augustino, Angelos. Denique & cap.* XXXIII. 23. *introducitur Angelus loquens pro Jobo, unus de millibus. Ergo jam Jobi tempore invocatio Sanctorum usitata fuit.* Aug. Reding. *pag.* 769, &c. Resp. 1. Si tempore Jobi jam usitata fuit Sanctorum invocatio, per certé mirum accidit, quòd in Jobi libro formulæ invocationis, *Sancte Abrahame* &c. *ora pro nobis* &c. quales Pontificiis euchologiis ubique inseruntur, nuspiam occurrunt. 2. Jobi cap. V. 1. Eliphazus non loquitur de invocatione defunctorum, sed advocat vivos suffragantes, è quibus negat Jobum ullum sanctum secum consentientem producere posse, qui affirmet, Deum innocentes & justos affligere. Ita Sancto viro insultat. Concinit id planè cum c. IV. 7. Quin & ipse Eliphazus statim v. 8. subjicit, se requisiturum Deum, & ad ipsum eloquium suum positurum. Sed Redingius indignabundus mihi objicit, anne putem, *meam interpretationem præponderare expositioni S. Augustini.* At verò id occinere debuit Marianæ, Estio, aliis communionis suæ sociis, qui de Angelis negant intelligi posse. Tum S. Augustinus quàm parum tribuat his in Jobum expositionibus, ex *Retract. lib. II. cap.* 13. ubi eas tanquam *mendosas* & *obscuras* rejicit, & à se nunquam editas optat, liquet. Præterea originalis textus ignarus LXX. Interpretes non potuit non sequi, qui ita habent: Εἴς τινα Ἀγγέλων ἁγίων ὄψει. Denique si cum S. Augustino ad Angelos referremus, nihil inde pro invocatione Angelorum concludi posset. Sensus enim esset juxta ipsum Augustinum, *adeò immundum eum esse corde, ut invocanti non Angeli respondere, aut se de-*

demonstrare dignati sint, nedum Deus, ob distantiam inter Jobum & Angelos, nedum Deum. 3. Jobi cap. XIX. 21, per רעי *socios*, quorum misericordiam implorat, non vel Angeli vel Sancti Cœlites intelliguntur, utpote qui ejus *socii* & familiares non fuerunt, sed eos, quos olim socios & amicos habuit, quos ad συμπάθειαν graphicè invitat. Unde v. sequente de iisdem amicis queritur, minimè questurus de Angelis. Denique Jobi cap. XXXIII. 23. ille מלאך מליץ אחד מני אלף *Angelus advocatus unus ex millibus* non alium notat, quàm Angelum fœderis, Christum, cùm ei tribuantur prædicata illa, misereri, orare liberationem, indicare homini rectitudinem, intercedere cum ostensione כפר *lytri*, & quidem עליו *apud eum*, hoc est, לפנים *coram, apud faciem Patris*. Perperam enim Redingius regerit, *potuisse etiam Angelum creatum pro Jobo intercedere cum ostensione lytri per Christum in cruce offerendi*. Quipe v. 24. Deus ita loquitur: *Redime illum, ne descendat in foveam* מצאתי כפר *Inveni lytrum*. Hæc verba ad Christum redemptorem dicta sunt, qui solus λύτρον invenit, jam ab æterno à Deo Patre acceptatum. Atque eodem modo Gregorius M. Com. lib. XXIV. 2. Glossa ordinaria & Hugo Cardinalis textum illum de Christo magni consilii Angelo interpretantur. Proinde si in ea expositione *aperta hæresis & blasphemia* continetur, uti Adversarius impudenter criminatur, hæreseos ejusdem & blasphemiæ etiam Gregorius M. Romanus Pontifex reus erit. Sed esto Angeli intelligantur. Sermo erit de ipsorum Ministerio, quo Deus in voluntate sua hominibus annuntianda, & conversione eorum promovenda utitur, ex quo, ut & generali Angelorum intercessione, religiosa eorum invocatio nullatenus concludi potest.

EXCIP. REDING: 1. *Cùm oratio ad Sanctos non impediat orationem ad Deum, ex Job. V. 8. ubi Eliphazus orationem ad Deum direxit, tibi colligere non licet, eundem vers. 1. ad Sanctos non etiam orationem direxisse. 2. Licet Augustinus suas in Jobum annotationes alibi ipse reprehenderit, nihil tamen quoad veritates dogmaticas in iis correxit. Neque doctores nostri, qui de Angelis loqui Eliphazum negant, contrariantur nobis. Dum enim Sanctos vivos per mediationem quandam accessum ad Deum facere statuunt, multò magis Sanctos defunctos facere consentiunt. 3. An tanta Dei ab homine distantia est, ut Jobo precanti respondere dedignaretur? Quæ hæc blasphemia? 4. An idem Jobus cap. XIX. 22. dicens:* Quare persequimini me, sicut Deus? *etiam contra Deum ipsum questus est? Hunc innocentiæ ejus nævum cùm impingere non possimus; nec præcedente versu de amicis illis questus dici potest. 5. Opinio illorum, qui ibid. cap. XXXIII. 23. per Angelum advocatum Christum intelligunt, non hoc sibi vult, quòd Angelus ille pro Jobo jam tum locutus, & apud Deum advocati munere functus fuerit. Hoc enim Christi, quâ hominis est, qualis nondum erat. Proin hæresis illa tua Gregorio tribui non potest.* Ibid. pag. 92. 93. Resp. 1. Multum oratio ad Sanctos orationem ad Deum impedit, quia Deo soli debitum honorem ad Sanctos transfert. Cùm ergo Jobus cap. V. 8. differit: *Meam orationem*

tionem ad Deum conferam; inde liquet, non Sanctos, sed Deum solum illum invocare solitum esse. Supponis ergo, non probas, v. 1. de invocatione Sanctorum sermonem esse. quod ipsum *κρινόμενον* est. Etenim dicit Eliphazus (cujus certè in aliis dicta regula veritatis non sunt) ad Jobum: קרא נא *clama quaeso, si est, qui tibi respondeat.* At clamare, vocare, non est invocare. Addit: ואל מי מקדשים תפנה *Et ad quem Sanctorum respicies?* Si de invocatione Sanctorum hæc intelligenda sunt, manifestum est, eam Jobo ab Eliphazo dissuaderi. Interrogatio enim illa negativæ æquipollet. An sic hominibus Sanctorum invocationem etiam vos dissuadere soletis? Sed nec de Sanctis religiosè respiciendis, vel invocandis Eliphazus loquitur; sed potiùs eorum viventium, ubicunque eos quærat & respiciat, consensum negat: vel certè, uti Hebræi, R. Nachman, Abenezra, Jarchius interpretantur, negat, Sanctorum quenquam reperiri posse, qui eò impatientiæ, quò Jobus, provectus fuerit. 2. Esto ergo, *Sanctorum* voce etiam Angelos Eliphazus expresserit. uti Augustinus censebat. At Angelorum invocationem sic suaderi, nec Augustinus dixit, nec Eliphazi verba cogunt. Neque etiam vestri, qui de Sanctis viventibus explicant, de iis ceu Mediatoribus Christo subordinatis verba ea intelligunt; repudiandi etiam, si intelligerent. 3. Distantiam Deum inter & Jobum non illam intelligo, quæ in fide precantes impediat: sed quæ impediat precantes impios, qui immundo corde sunt. quos Deus non exaudit, Joh. IX. 31. Peccata enim Deum & homines sic divellunt, ut precantes non exaudiat, juxta Es. LIX. 2. *iniquitates vestræ divellunt inter vos & inter Deum vestrũ; & peccata vestra abscondunt vultum à vobis, ne exaudiat.* Ubi hic, Redingi, blasphemia? Calumnia verò tua in propatulo est. 4. Certum equidem est, Jobum cap. XIX. 21. de iis loqui, qui ipsum accusaverant. quos sic v. 1. compellavit: *Quandiu cruciabitis animum meum, & sermonibus enecatis me?* Hos continuato sermone v. 21. vocat רעי *socios*, amicos. At v. 1. de iis manifestè conqueritur. Et quidni etiam v. 21. his verbis: חנני חנני *benigniùs mecum agite, socii.* quasi diceret: durissimi & inhumanissimi estis, quos nulla mei commiseratio tangit. Verba igitur sequentia: למה תרדפוני כמו אל *Quare me persequimini, sicut Deus*, querelam similem continet, adversus socios, non Deum. Non enim sociis licebat, quod Deo licuit. De Deo dixerat v. 21. יד אלוה נגעה בי *Manus Dei tetigit me.* Quibus non de Deo, ceu injusto quiritatur; sed ejus justam castigationem agnoscit. Adversus verò socios injustè eum prementes justè statim quiritatur. Non enim ita imitari Deum homo debet, ut quem is jure affligit, se etiam jure affligere posse putet. Voluntas Dei est, nos aliquando non velle, quod ipse vult. 5. Salva res est, si ille מלאך מליץ *Angelus advocatus* modò Christum notat. Argumentis certè meis nihil respondere potuisti, ne quidem conatus es. Ad hoc verò, ut Advocati & Mediatoris munere Christus in V. T. defungi posset, assumpta jam tum humanitate opus non fuisse, supra firmavimus. Vocatur hic Christus & מלאך *Angelus*, quia à Deo ad hominem mittitur: & מליץ *advocatus, interpres, intercessor*, & quidem עליו *apud ipsum*, nempe Deum, non hominem (insolenter enim mox repeteretur, לאדם) sicut Joh. I. 1. dicitur esse *πρὸς τὸν Θεὸν apud Deum*. Quæ phrasis notat & ineffabilem illam *ἕνωσιν* & amorem (unde & in sinu Patris esse dicitur Joh. I. 18.) & *ἐμφανισμὸν apparitionem* apud faciem Dei. Si Christum in V. T. nec ad homines missum esse, nec coram facie Patris tanquam מלאך פנים *Angelum facierum* (quo epitheto utrumque officium ejus in V. T. exprimitur) apparuisse, & pro suis vi futuri *λύτρου* intercessisse dixeris, erit sanè, quòd inscitiam tuam ipse damnes, vel damnent te peritiores; & non tam mihi hæresin impingas, quàm hæreseos, hoc est, senten-

tiæ contra aperta Scripturæ dicta officium, quòd in V. T. nondum ἔνσαρκος Christus gessit, abnegantis, dicam tibi jure meritóque conscribi audias.

OBIECT. VII. *Sancti non eodem, quo Deus, cultu, sed illi dulia, hic latria afficiuntur. Quæ λατρείας & δουλείας distinctio ab ecclesia, cui semper licuit conta hæreticos nova invenire vocabula, ad confusionem vitandam, quia voces cultum Dei & sanctorum significantes promiscuè usurpabantur, inducta est, & in eo fundatur, quòd Deus invocandus sit, quà primum universorum principium ac finis ultimus, absolutúsque Dominus: Sancti verò non aliter, quàm quatenus Divinæ excellentiæ & sanctitatis participationem quandam analogicam præ se ferunt. Latria igitur soli Deo tanquam Deo: Dulia verò & Deo & Sanctis diversis diversa ratione convenit, uti Augustinus quæst. 94. super Exodum docet. Sed & ecclesia posterioris temporis ob hæreticorum importunitatem à dulia distinxit hyperduliam, cultum beatissimæ Virgini ob sublimiorem tum maternitatis Divinæ, tum sanctitatis excellentioris præ reliquis Sanctis prærogativam debitum.* Huc ferè redit verbosa & perplexa Aug. Redingii *de cultu latriæ & duliæ* dissertatio XIV. pag 744. 745. &c. Resp. 1. De nominibus latriæ, duliæ, hyperduliæ controversiam nemini moveremus, si res fidei analoga iis subesset & significaretur. Prudenter Calvinus monet, *de re, non de voce quæstionem esse.* Daremus igitur hoc paci ecclesiæ, ne vocum morosa disceptatio eam tantillum labefactaret. Fatemur etiam ultro, necessitatem quandoque urgere, ut vocabulis ἀγράφοις, significantibus tamen, orthodoxæ ecclesiæ sensus contra hæreticos declaretur. Nunc verò quando alio, quàm olim, sensu adhibentur, ad incrustandam & fucandam idololatriam, meritò ab illa distinctione ἀγράφῳ, & si sensum spectes, novitia abhorremus, *odio habentes etiam tunicam à carne,* verba ab idololatria, *contaminatam,* Jud. 23. Tali enim schemate omnes idololatræ factum suum ornare & pingere possent, nimirum se Divis suis non latriæ, sed duliæ cultum impendere, eósque adeò invocare, non ut Deum summum, sed quatenus Divinam excellentiam ἀναλόγως participant. Neque etiam dubitari potest, quin δουλεία plus sit quàm λατρεία, adeóque etiam religiosa δουλεία ipsam λατρείαν includat. Ex proprietate enim Græci idiomatis δουλεία dicitur de servo, qui totus est heri: λατρεία verò de mercenario, qui operam suam liberè locando ad tempus servit. Ita Suidas ait, λατρείαν δουλείαν εἶναι ἐπὶ μισθῷ, *servitutem esse mercenariam.* Et Phavorinus eundem in sensum, λατρεύειν κυρίως τὸ δουλεύειν. Λάτρης ὁ μισθῷ δουλεύων· Λύτρον γὰρ ὁ μισθός. Neque aliter hæc distinguunt Sophocles, Æschylus, Theodectus & Euripides. Xenophontis etiam testimonium producit ipse Lud. Vives *in Aug. de Civ. Dei lib. X. cap.* 1. Rectissimè proin Martinus Peresius *lib. de Tradit. pag. 3. consid. 7.* scribit, *non multum sibi probari nomen dulia pro cultu sanctorum sumptum, cum dulia propriè signi-*

significet servitutem, & nos non simus servi, sed conservi sanctorum, juxta responsum videlicet Angeli ipsius Apoc. XIX. 10. An fas est, ut servus σύνδουλον *conservum suum* adoret? Si ita videtur Pontificiis, at non Angelo ita visum est, qui vatidico spiritu Sophisticam istam distinctionem prævisam à se elisit. 2. Quòd verò causantur, se latriam Deo, tanquam Deo, at duliam & Deo quâ Domino, & sanctis quâ ἀναλόγως Dominis, vendicare, planè absurdi sunt. Annon enim etiam Angeli & homines passim in scriptura nomine אלהים & *Deorum* veniunt? An putant, Israëlitas vitulum, Gentiles Divos suos ita coluisse, quasi summam in illis Deitatem existere reputarent? Annon Sathanas tentator Christo objicienti, *Dominum Deum adora*, Matth. IV. 10. regerere potuisset, se non *latriam* ut Deum, sed *duliam* ut Dominum, utpote cui tradita sint regna terræ, postulare? Sed argutiores nunc sunt Tarpeji Jovis flamines. 3. Sanctos qui in cœlo & terra sunt, esse κοινωνοὺς τῆς θείας φύσεως, *Divinæ naturæ participes*, 2. Pet. I. 4. adeóque excellentiæ, sanctitatis, dominii Divini ἀναλόγως participes, novimus. Sed ob communionem illam analogicam tam non sunt Divinorum honorum participes, quàm non sunt ipse Deus. Inter Dei & sanctorum excellentiam infinita distantia est. Neque hominum, sed solius Spiritus S. est definire, qui honores sanctis ob excellentiæ hujus communionem debeantur. At Spiritus S. invocationis honorem adeò non assignat sanctis, ut etiam ubique contra eum graviter protestetur. 4. Sed & in praxi, in qua cultus Dei versatur, distinctionis illius nulla ratio habetur. Nam B. Virginem, Angelos & Sanctos perinde ut Deum ipsum invocant. Etenim eos adorant, invocant, perinde ac si omniscii essent, & uno momento tam multas, tam dissitas, & tam dissentientes preces perciperent, & ita perciperent, ac si preces simulatas à veris ubique & exquisitè semper discernant, quod solius Dei πλεονέκτημα est: eosdem templis, altaribus, statuis, imaginibus, thure colunt; in eorum meritis confidunt, illis sacrificant, vota nuncupant, neque reapse Deo præ illis eximium quidquam relinquunt. Hinc adeò est, quòd Jesuita Tannetus sanctos certo respectu etiam latria coli posse asserit *Disput.* 4. *in* 2. 2 *Thomæ pag.* 677. & Redingius *pag.* 751. 752. &c. hanc identitatem cultus sibi à Cl. Vedrosio meritò objectam non aliter diluere potuit, quàm ostendendo non ex scriptura, quam sibi adversari sensit, sed ex Patribus nonnullis obtorto collo raptis, sanctis etiam vota nuncupari, in iis fiduciam poni posse &c. contra scripturæ, quæ adorationis, fiduciæ, votorum, sacrificiorum &c. objectum non alium quàm Deum facit, suffragium, mandatum, promissionem & probata exempla. S. Augustinus omnem servitutem, quæ ad religionem pertinet, soli Deo vindicat, & *la-*

triam

triam appellat. Alteram verò illam ſervitutem, quam *duliam* vocat, nuſpiam conſtituit ſpeciem religioſæ ſervitutis, aut cultus ſacri, ſed ei eam ut contradiſtinctam opponit. Et hanc ipſam duliam, quæ non religioſa, ſed civilis eſt, vel ad ſervitutem propriè dictam refert, quæ Dominis à Servis debetur; vel ad cultum dilectionis, ſocietatis, honorificæ recordationis: vel ad exhibitionem honoris per imitationem, & per charitatem, quam inter nos invicem debemus. Et hunc ſolum cultum & honorem concedit Angelis & Sanctis defunctis pariter atque viventibus, qui propriè non ſervitus eſt, ſed charitatis officium. Ideò etiam dicit, *nos honorare Angelos charitate, non ſervitute.* Meri porrò logi ſunt Adverſarii, regerentis *pag.* 753. quòd agnoſci debeat *cultus in ſupernaturali etiam communicatione fundatus, adeóque in ſuperiore ordine collocandus, qui dulia dicatur.* Etenim ſuperior ille ordo non mutat ſpeciem cultus, nec ex humano Divinum & religioſum, ex finito infinitum facit. Hoc ipſi probandum incubuerat. Hîc rhodus, hic ſaltus!

EXCIP. REDING: 1. *Ne digito quidem moves rationes, propter quas loc. cit. cultum ſoli Deo proprium latriæ, & Sanctis appropriatum duliæ nomine venire, oſtendi. 2. Cujusmodi fuerit gentilium idololatria, Apoſtolus docet Rom. I. 23. 25. ubi idololatras illos deſcribit, quòd mutaverint gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominum, volucrium &c. & ſerviverint creaturæ potiùs quàm creatori. Quis hic neſandus præco proclamare auſit, eum, qui Sanctis Divinæ excellentiæ Sanctitatis analogicam participationem tribuit, id ipſum facere, quod Paulus gentilibus tribuit? Quis Christo Joh. XII. 26. eum, qui ſibi miniſtraverit, à Patre honoratum iri, blaſphemum os ſuum operire, & dicere auſit, per iſtum honorem creaturæ potiùs quàm Creatori ſervitutem impendi? 3. Licet duliæ vox ex idiomatis Græci proprietate Deo appropriata eſſet; tamen & nomen, & res nomine illo ſignificata non quidem abſolutè, ſed ſub analogica quadam participatione etiam Sanctis Pſal. LXXXI. 6. communicata legitur. Ad confuſionem ergo vitandam rectè diſtinctionem illam latriæ & duliæ Auguſtinus, inprimis de Civ. D lib. X: 1 &c tradidit. Proin veteribus diſtinctionem illam in uſu fuiſſe, Calvinus. Inſtit. lib I. cap. 12. ſſ. 2. fatetur. 4. Quia dulia, quatenus in Deum ipſum reducitur, latriam includit; eatenus dici poteſt plus eſſe Duliam quàm Latriam. 5. Quoad rem nominibus illis ſignificatam, ratio diſtinctionis expendenda venit. Sic latriæ cultus appropriativè intelligitur ille, qui Deitati ſeu eſſentiæ Divinæ incommunicabili debitus eſt: duliæ verò ille, qui hominibus analogicam quandam participationem gratiæ ſanctificantis luminis gloriæ & viſionis beatificæ Sanctis debetur. Hæc igitur res fidei analoga nominibus illis ſubeſt. Ita Angeli & homines Deorum etiam nomine veniunt; neque tamen Divinam eſſentiam participant. Iſraelitæ verò vitulum aureum profeſſi ſunt eſſe Deos Iſrael; eique holocauſta & hoſtias pacificas obtulerunt, certo argumento, quòd ei Deitatem inexiſtere putaverint. Denique nequitia an ineptia tua major ſit, aſſeverantis, etiam Sathanam latria ſepoſita duliam Chriſto offerre potuiſſe, dubito. 6 Si Spiritus S. eſt definire, qui honores Sanctis ob analogicam Sanctitatis Divinæ participationem debeantur; quomodo illum altioris ordinis cultum inter meros logos computas? Etenim omnibus*

creaturis rationalibus competens honor exhiberi debet juxta mensuram Divinæ repræsentationis vel participationis. Ergo sanctis etiam juxta mensuram communicationis Divinorum donorum. Atque hunc invocationis honorem esse, probavimus. 7. Quòd Sanctos perinde ut Deum invocemus, adoremus, calumnia tua est, abunde refutata. An omniscius ille est, qui in facie Dei non omnia, sed aliqua, non per lumen naturæ, sed gloriæ videt? Si in eadem etiam secreta cordium relucent, an ideo Sancti cordium scrutatores erunt, cognoscentes non ex congenita intelligentiæ virtute, sed Divina revelatione, cujusmodi etiam Prophetis contigit? Sacrificia porro, festa celebramus, altaria, imagines &c. erigimus, Sanctorum nomina in iis commemorando, non illis sacrificia offerendo, juxta doctrinam Augustini contra Faust. lib. XX. 21. & de Civit. D. lib VIII. 27. Quin & veteres in Sanctorum intercessione ac meritis spem collocasse, ex Cyrillo Hieros. Catech. 5. Mystag. & Chrysostomi liturgia liquet. 8. Sanctis rectè vota nuncupari, & fiduciam in iis collocari, Patres à me citati, & à te non examinati docent. Id tamen omne quia votis Deo nuncupatis, & fiduciæ in eodem collocatæ subordinatur, Scripturæ neutiquam repugnat. Ubi Augustinus servitutem religiosam soli Deo vindicat, intelligi: servitutem ex religionis strictè sumptæ ratione propria soli Deo debitam. 10 Denique ultro fatemur, superiorem, nempe Spiritus S. donorum supernaturalium ordinem non mutare speciem cultus, nec ex humano Divinum facere. Non tamen finiti erga homines & Angelos cultus species sic atoma est, ut nullas ulteriores species sub se contineat. In hoc enim cultus genere distinguenda est naturalis honestatis, honore sibi debito digni; & supernaturalis sanctitatis ratio. Alias non major honor Ministerio vestro, quam politico ordini debebitur. Verùm cultus in supernaturali ordine radicati species ex suo quidem objecto ac fine finita, attamen sublimior, & à specie cultus civilis, in politica civitatis terrestris societate fundati distincta est. Ibid. pag. 93--97. Resp. 1. *Ne digito quidem*, Redingi? O te θρασύδειλον insignem! Unde ergo tibi nata est tam fœcunda seges materiésque respondendi, vel potiùs vomitum tuum iterum iterúmque nobis objiciendi? Provoco ad lectorem Dissertationis tuæ XIV. *de cultu latriæ & duliæ*, corúmque, quæ eidem reposui. Pauca equidem tibi multis dixisti, uti insignem spermologum decebat. Sed multa illa tua paucis ego diluere, & nervos tuos succidere satis habui. Et quicquid tandem moliare, tota machinatio tua eò recidit, ut sub nomine δουλείας, & lusus prodigiosi vocum Ecclesiæ vestræ idololatriam occultes. Tametsi verò pleraque tua etiam supra *ad Arg. II.* discusserim, non pigebit tamen denuo hic ejusdem contentionis funem tecum ducere, saltem ut te ἀναπολόγητον reddam, si ad ἐχεμυθίαν illud Archytæ crepitaculum redigere non dabitur. 2. Sanè gentilium idololatriam S. Paulus Rom. I. 23. iis verbis describit, quòd *gloriam Dei incorruptibilis mutaverint in similitudinem imaginis corruptibilis hominum, volucrium &c. & creaturæ præter Creatorem servirerint.* Vos verò Sanctis, qui κτίσεις *creaturæ* utique sunt, δουλεύοντες *servientes*, annon creaturæ præter creatorem, eadem, qua gentiles ratione, servitis? Nam Apostolus eo solo nomine Romanos idololatriæ accusavit, quòd *creaturæ*, non quòd creaturæ huic vel illi, sanctæ vel profanæ, rationali, vel irrationali servierunt. Nec obest, quòd dicit, ἐλάτρευσαν; quia stylo Scripturæ δουλεύειν & λατρεύειν in cultu religioso non differt; vobis etiam fatentibus, cùm discrimen illud omne ab usu Ecclesiastico arcessatis. Non dicam, quod alterius loci est, etiam vos Deum Patrem, Filium & Spiritum S. exhibentes in figura creaturæ, puta hominis, columbæ, faciei tripartitæ, æquè gloriam incorruptibilis Dei mutare, puta judicio, æstimatione, comparatione, conatu vestro, ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου &c. *in similitudine imaginis corruptibilis hominis* &c. Sed hac de re alibi. Repeto, gentiles simili

mili prætextu idololatriam suam fucare potuisse, quia sub uno summo Deo (quem Latini *Jovem Deorum*, Græci *Δία* appellarunt. quod Aristoteli *Ethic. Nicom. lib. IX.* 2. occasionem dedit utendi illa locutione de officiorum ac honorum distributione: *Οὐδὲ τῷ πατρὶ πάντα, καθάπερ οὐδὲ τῷ Διὶ θύεται· Omnia officia non pendenda esse patri, sicut nec omnia sacrificia Jovi*) Divos suos inferiores, Sanctitatis & meritorum opinione inclytos colentes æquè prætexere his *duliam*, illi *latriam* se tribuere, vel similia distincti cultus nomina comminisci potuerunt. Sicut autem illi idololatriæ rei fuerunt, licet inferiores Divos se non eodem cultu, quo Supremum, prosequi professi fuerint, quia inferiores Divos religiosè colentes illis tribuerunt, quod solius Dei est: ita similis culpæ rei estis, licet aliter summum Deum, aliter Sanctos, distinctis utrosque nominibus vos colere prætexatis, quia Sanctis religiosum cultum, quocunque nomine incrustatum, tribuentes, id, quod solius Dei est, in eos derivatis. Non ergo *nefandus præco*, sed res ipsa nuda, & fucis suis privata similitudinem illam proclamat. Et similem esse moscholatriæ Israelitarum, ac hagiolatriæ vestræ rationem, supra demonstratum dedimus. Christus equidem Joh. XII. 26. ministraturo sibi promittit fore, ut Pater eum *τιμῇ honoret*. An verò sic Deus Pater Christi, ministrum Christi *honorabit*, ut eum religiosè colat, invocet? An quivis *honor*, religiosus cultus, invocatio est? Næ nimis securus es in mala causa, & quid dicas, nil pensi omnino habes. Non ergo jam, qui religiosa servitute colentem Sanctos creaturæ præter creatorem servire dicit, blasphemat: sed qui ita servit, idololatra est. 3. Distingue duliam. Vel communis illa est, vel religiosa. Illam, quoad rem, Sanctis etiam dona Dei participantibus deberi, certum est. Debetur etiam Societatum rectoribus, quos propter dominium communicatum Deus Psal. LXXXII. 6. אלהים ובני עליון *Deorum & filiorum Altissimi* nomine dignatus est. Hanc cuiquam creaturæ, quocunque titulo, deberi negamus. Neque tu id probasti vel uno apice; contentus vocum *ἀγράφων* lusu illudere iis, qui nesciunt, quid distent æra lupinis. Supra *ad Arg. II.* fusiùs paulò demonstravi, voces illas latriæ & duliæ medias esse, quas Scriptura modò communi, modò religioso cultui significando promiscuè accommodet; medium porro communem inter seu socialem & religiosum cultum nullum esse, sicut nullum objectum, excellentia nulla media est; & si medius cultus quidam daretur, illum religiosum nullo pacto dici posse. Expectabo, quid ad illa responsurus sis. Addo nunc quoad Sanctos cœlites demonstrationem novam, qua eos per charitatis *δουλείαν* invocari nullo modo posse, patebit. Quicunque invisibilis & in altera vita constitutus est, ille per charitatis *δουλείαν* invocari non potest. Omnis enim charitatis *δουλεία* erga superstites aut officiosa aut memorialis est. Atqui invocatio, qua id, quod invisibile aut in altera vita constitutum est, colitur, nec est erga superstites officiosa, nec memorialis. Quibus enim per charitatis *δουλείαν* serviendum est, illi sunt vel nostri in hac vita socii, vel in altera absentes. Prioribus servitur per *δουλείαν* charitatis *officiosam*, qua illis operam præstare, honorem exhibere, beneficentiam erga eos exercere convenit. Posterioribus haud aliter quàm per duliam charitatis memorialem, quo gratam eorum memoriam animo circumferimus, optimè de iis sentimus & loquimur, virtutes & res gestas eorum prædicamus, imitamur, aliisque imitandas proponimus. Huc pertinet illud Augustini *de Civ. D. lib. XI.* 1. *Si tantummodo cultus ipse dicatur, non soli Deo deberi videtur. Dicimur enim etiam colere homines, quos honorifica vel recordatione vel præsentia frequentamus.* Invocationem porro, qua id, quod invisibile est, & in altera vita constitutum, adeóque Sancti coluntur, erga superstites *officiosam* non esse, manifestum

est eo ipso, quòd invisibile & in Cœlo constitutum superstes in terra non est. Solus enim Deus sic est in terra, ut simul etiam sit in Cœlo, Joh.III.13. At nec *memorialis* esse potest, tum quia Scriptura Sanctorum memoriam nobis commendans, invocationem religiosam prohibet: tum quia veteres Martyrum memoriam honorificentissimé celebrantes, ab iisdem religiosè invocati non sunt: tum denique quia invocatio religiosa duliæ charitatis memorialis species nulla esse potest. quod ex inductione earum, quas supra posuimus, & quæ poni possunt, specierum colligitur. Aliud enim est alicujus personæ & virtutum ejus meminisse non sine honore, aliud eam religiosè invocare. De Augustini, sententia infra §§.10. videbimus. 4. Ita soles mutare quadrata rotundis. Modò tibi dulia minus, modò plus est quàm latria. Et dulia, quæ & quatenus in Sanctos fertur, simul etiam in Deum fertur; & tum plus est quàm latria. Quare? Quia non in solum Deum, sed etiam in Sanctos fertur. Quasi scilicet cultus religiosus Dei incrementum caperet ab ascititio cultu creaturarum; quo tamen ille minuitur & obscuratur potiùs quàm crescit. Atqui sicut Sol splendentes stellas alias omnes obscurat: ita cultus Dei solius religiosus creaturarum cultum religiosum extinguit. Præterea δουλείαν plus esse, & semper plus esse quàm λατρείαν, ex proprietate vocis demonstravi. Tu ad alia convolas, & cultum duliæ aliquando, non semper, nec ex vocis proprietate, sed aliunde plus esse, arguis, & arguis falsò. Sic planè disputas. 5. Non voces rebus, sed res vocibus aptando, differentiam ostendis inter rem voce *duliæ*, & rem voce *latriæ* expressam; quòd videlicet illa cultus sit in Deitatis essentia ipsius: hæc in analogica participatione donorum Dei, dominii, sanctitatis, gloriæ fundatus. Si illam cultum religiosum; hanc non religiosum interpretareris, facilè conveniret. Sed cultum in analogica participatione donorum, dominii, sanctitatis, gloriæ &c. religiosum esse, adeóque invocationem, adorationem religiosam postulare, id verò non asserendum nudè, sed probandum tibi fuerat. Memineris enim non prætores, sed disputatores nos vocatos esse. Pluribus stropham illam tuam supra *ad Arg* 2. excussimus. Neque operam hic ludimus. Sed & supra *ad Arg.* 8. nec non *Dissert. Tomo III. Diss.VIII.* §. 30--45. vestrorum etiam Doctorum, Cajetani inprimis & Abulensis consensu citato probavimus, Israelitas cùm vitulum adorarunt, ei sacrificia obtulerunt, in vitulo, ceu symbolo, Deum verum Israelis adorasse, eíque sacrificia obtulisse. Vana insuper tua dubitatio est, *nequitia mea, an ineptia major sit*, cùm scripsi, *etiam Sathanam tentatorem Christo objicienti:* Dominum Deum tuum adora, Matth. IV. 10. *regerere potuisse, se non latriam ut Deum, sed duliam ut Dominum postulare.* Ita enim se res habet. Gerebat se Dominum, cui tradita sint regna terræ. Si Deo soli latria, Domino dulia debetur; annon regerere juxta distinctionem vestram poterat: *Ego verò non ut Deus latriam, sed ut Dominus duliam postulo.* Sed tricis hisce nondum tum assuetus fuit. Petiit ille προσκύνησιν adorationem, petiit latriam, hoc est, Divinum honorem; licet pro supremo Numine se non gesserit. Ipse enim supra se Deum professus est his verbis: *Quoniam mihi data est* potestas & & gloria regnorum omnis, Luc.IV.6. Et à quo, nisi à Deo superiore? Ubi, Redingi, *nequitia*, ubi *ineptia*? In desperata causa tua, non in proditore ejus. 6. Et Spiritus S. solius est definire, quis honos debeatur Sanctis Cœlitibus ob Sanctitatis, beatitudinis, gloriæ communicationem: & inanes logi sunt sine Scripturæ lumine asserentium, quòd cultus ille sit is ipse, quem vos Sanctis deputastis. Nam eum cultum à Spiritu S. in Verbo Dei definitum esse, probari nequit. Alia omnia probavimus. Neque licet vobis à genere indeterminato, hoc est, honore Sanctis debito, ad certam & determinatam speciem: ab honore & cultu in genere ad cultum religiosum, à Spiritu S. nuspiam definitum procedere. Divinorum

donorum

donorum mensura honorem exigit; sed ejusdem, non diversæ speciei; & in eadem specie majorem vel minorem pro donorum differentia. Religiosus verò, ad quem invocatio & adoratio refertur, diversæ planè speciei, solíque Deo debitus est. 7. Quisquis religiosè invocatur, adoratur, sacrificiis, votis, festis, Templis &c. colitur; is eo honore colitur, quo Deus. Non enim alio, majore, & specie distincto honore Deus colitur. Sanctos religiosè invocatis, adoratis, &c. Ergo colitis ut Deum. Quisquis Divinum honorem alii tribuit, is eum facit אלהים אחר *alium Deum*, quia quod Dei est, illi tribuit; sive eum supremum Numen profiteatur, sive non. In facie Dei videre Sanctos, vel iis revelari, quæ hîc geruntur, non probastis hactenus, nec probare potestis. Figmentum vel potiùs *postfigmentum* (excogitatum post Sanctorum invocationem jam introductam) cerebri vestri merum id est. Si igitur, quæ in terris geruntur, intimos inprimis cordium humanorum recessus (nam hi precum veri fontes sunt) illi cognoscunt, oportet καρδιογνῶσαι, *cordium scrutatores*, omniscii, adeóque veri Dii sint. Judica, Redingi, an à revelatione Divina, qualis Prophetis obtigit, Sanctus aliquis, Deipara inprimis Virgo, illud habere possit, ut tot mille supplicum vota locis à se totidem dissitorum, unâ, & ferè eodem momento (veluti cùm campana signum omnibus dat suum illud *Ave Maria* deproperandi) inaudiat? Imò inaudire nisi omniscia nequit. Et si ita necessaria est ejusmodi revelatio Divina, ut sine ea Sancti necessitates nostras cognoscere nequeant, dic, adhuc id à te exigo, Redingi, anne Deus necessitates nostras Sanctis revelet à nobis invocatus, an non invocatus? Si *invocatus*, ergo nobis aditus ad Deum patet rectus immediatúsque, neque gratiæ ejus parariis Sanctis opus nobis est. Si *non invocatus*, quomodo manet Scripturæ vox: *Petite & dabitur vobis. Quærite & invenietis. Pulsate & aperietur vobis* Matth. VII. 7. Inde enim precum ad impetranda spiritualia beneficia necessitas colligitur. Hinc adeò non desunt inter vos, qui Bellarmino *de Beat. S. lib. I. 20.* teste, diffisi scilicet & revelationi Divinæ & visioni in speculo essentiæ Dei, disertè asserant, *Sanctos esse ubique, & per se audire preces supplicantium.* abusi verbis illis Hieronymi: *Si Agnus ubique est, ergo & Sancti, qui agnum sequuntur.* Atqui hoc solius Dei πλεονέκτημα est. Olim *ad sacrificium homines Dei nominari, non tamen à Sacerdote, qui sacrificat, invocari*, Augustinus *de Civ. D. lib XXII.* 10 dixit; ratus scilicet, neminem *ad sacrificium*, vel in sacrificio invocari, nisi solum Deum. Contra Bellarminus *de Missa lib. II.* 8. sic scribit: *In Liturgia nostra* Missali *nusquam directè Sancti invocantur, nisi bis aut ter in aliquo versiculo, & in confessione, quæ præmittitur ante Missæ introitum.* Neque etiam Redingius ipse *Tomo III. pag.* 316. dissimulavit, Sacrificium Missæ celebrari in honorem Sanctorum; sed addidit *secundariò & respectivè*. Hæc solennis ejus theriaca est, qua idololatriæ venenum pellere ubique satagit, omnia ferè soli Deo debita *secundariò* in creaturas transferens. Neque crassiùs gentiles ipsi errarunt. Idem Augustinus *Epist. 66. Debetur latria Spiritui S. Nam si Templum ei facere, sicut Solomon fecit, de lignis & lapidibus juberemur, utique faciendo Templum latriam exhibere convinceremur. Quantò magis latriam debemus, cui non Templum facimus, sed sumus.* Judicavit ergo, Templum alicui struere, pertinere ad latriam. An vos Sanctis Templa non struitis? Bellarminus *Lib. III. de Cult. S cap. 4.* disertè: *Sacræ domus non soli Deo, sed etiam Sanctis rectè ædificantur & dedicantur.* Neque licet tibi cum eodem S. Augustino, cujus verba pomposè jactas, candido pectore sic profiteri: (*Contra Faust. lib XX. 21*) *Quod offertur, Deo offertur, qui Martyres coronavit, apud eorum memorias, quos coronavit:* (*contra Maximin.*) *Nonne si Templum Sancto Angelo excellentissimo de lignis & lapidibus faceremus, anathematizaremur à veritate Christi, & Ecclesiæ Dei? Quoniam creatura eam*

ex-

exhiberemur servitutem, quæ uni tantùm debetur Deo: (de Civit. D. lib. VIII. 27) Eisdem Martyribus non Templa, sacerdotia, sacra & sacrificia constituimus: quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sanè memorias eorum, tanquam Sanctorum Dei hominum &c. Quæcunque igitur adhibentur religiosorum obsequia in Martyres, ornamenta sunt memoriarum, non sacra, vel sacrificia mortuorum tanquam Deorum: (de Civit. D. lib. VII. 32.) Omnes non solùm Prophetiæ, quæ in verbis sunt: nec tantùm præcepta vitæ, quæ mores pietatémque conformant, atque illis literis continentur, verùm etiam sacra, sacerdotium, tabernaculum, sive templum, altaria, sacrificia, ceremoniæ, dies festi, & quicquid aliud ad eam servitutem pertinet, quæ Deo debetur & Græcè propriè latria dicitur, ea significata & pronuntiata sunt. Vos enim in Sacrificio Sanctos invocatis in eorum honorem sacrificatis, eorum reliquiis, imaginibus thus adoletis, incensum facitis, juxta Missale Rom *tit. de ritu servando in celebr. Missæ*; iisdem vitulos labiorum, sacrificia laudis, Leviticis veteribus præstantiora, preces offertis: domos sacras, religiosas, altaria iis non tantùm in monumentum memoriæ, seu *commemorationis nominum.* & virtutum eorum, ut Redingius falsò asserit, sed ad cultum eorundem & venerationem religiosam erigitis. Quæ omnia ad cultum latriæ pertinere, Augustinus disertè docet. sæpiúsque repetit. Et quoad Templa Bellarminus *de cultu D. lib. III.* 10. ridicula excusatione defungitur, ajens, se Sanctis non *Templa*, sed *Basilicas*; Deo verò soli Templa erigere, immemor in Latinorum & Græcorum testimoniis, quæ ibidem citat. Templa & Basilicas promiscuè poni. Et magnificentissimum illud Templum, quod Constantinus M. Hierosolymis in memoriam passionis Christi extrui curavit, non alio nomine quàm *Basilicæ* & *Constantiniani* venit. Sed & Isidorus *Etymol. lib. XV.* 4. apud Christianos *Templum & Basilicam idem esse* affirmat. Quin & ipse Bellarminus *loc. cit.* non tantùm in Propositione sua disertè ait, *Ædes sacras, quæ nihil aliud sunt, quàm Templa, non solùm Deo sed etiam Sanctis rectè ædificari & dedicari.* Sed etiam discedens à saniore eorum sententia, qui existimant, sacras ædes non posse propriè erigi nisi Deo, quemadmodum sacrificia non offeruntur nisi Deo; Templa verò denominari à Sanctis, non quòd eis erigantur sed quòd in illis præcipuè eorum memoriæ colantur; *Potest*, inquit, *Basilica erigi S. Petro, ut qui ingrediuntur, admoniti imagine ibi depicta, vel ipso Templi nomine recordentur S. Petri, eúmque in eo loco tanquam patronum colant & deprecentur.* An aliter Deo Templa extruuntur? Accedit, quòd fiduciam in Sanctis eorúmque meritis in vita & morte collocant; quæ in solo Deo collocari debuerat. In Ordinario Hildesh. *de Compass: Mariæ* sic orant: *Ad te, Maria, ô unica spes miserorum, confugio, &* (NB) *plena fiducia tibi me ipsum in omnibus necessitatibus meis devotè commendo.* In Rosario Mariæ: *O Domina mea Sancta Maria, me in tuam benedictam & singularem custodiam ac in sinum misericordiæ tuæ hodie & quotidie, atque in hora exitus mei animam meam & corpus meum tibi commendo, (NB) omnem spem meam, consolationes, angustias. miserias & finem vitæ meæ committo.* In Psalterio Mariæ Psal. 30: *In manus tuas, Domina, commendo spiritum meum, vitam meam & diem ultimum meum.* Quin eò impudentiæ perveniunt, ut cum Cardinali Hosio *Fid Cathol. cap.* 58. dicere non verecundentur, *non tantùm credendum esse Sanctis, sed etiam credendum esse in Sanctos.* An major erga Deum, erga Christum nobis fiducia? Nil tale Cyrillus: nil Chrysostomi λεγομένη liturgia. Intercessionem Sanctis tribuunt: fiduciam in eorum meritis cum religiosa invocatione collocandam esse, non docent. Quid verò denique multis? An Sanctos non perinde ut Deum religiosè. & dulia & latria omni, qua possunt, colunt illi, qui omnia *appropriata signa Divini* seu *religiosi cultus*, devotam agnitionem incommunicabilis

lis nominis seu excellentiæ Dei *significantia*, quæ vel consensus gentium, vel regionum particularium consuetudo, vel ipsius rei naturalis significatio, vel Divina denique declaratio Deo eximia & peculiaria fecit; cujusmodi sunt *sacrificia, libamina, suffitus, vota, juramenta, donorum supernaturalium, remissionis peccatorum, Spiritus S. petitio, invocatio, adoratio ad altare, vel in templo iis consecrato, imagines erectæ & dedicatæ in Templis vel super aras, cantica, incurvationes religiosæ versus imagines, fiducia, spes, opinio si non expressa & professa, saltem implicita & realis omnipræsentiæ, omniscientiæ, omnipotentiæ*, &c. in Sanctos transferunt? Quid enim, si ab illis discesseris, vel veri Dei cultores ex Dei verbo, vel infideles pagani ex corruptæ naturæ lumine, ulteriùs Deo vel Divis suis detulerunt: & quæ alia propria cultus Divini genera illi Deo deputarunt? Ut manifestissimum sit, externum Sanctorum in Papatu cultum omnem eundem esse cum omni illo, qui Deo vel ex verbo ejus, vel ex hominum opinione unquam tributus est, vel tribuitur. Neque aliud hic Bellarminus excepit, quàm cultum *sacrificii*, quem soli Deo proprium, & ad latriam referendum; reliquos illos ad duliam pertinere contendit. Si tamen ille per *sacrificium* animalium mactationem intellexit, id genus cultus apud Christianos planè exolevit, neque apud illos unquam obtinuit. Si sacrificium Missæ, illud in honorem Sanctorum celebrant, & in eodem Sanctos invocant. Si sacrificia spiritualia, preces, laudes, eucharistiam, &c. illa Sanctis æquè ac Deo offerunt. Quid ergo quoad externum cultum in universum Deo relinquitur? Et jam ab humano genere postulare audetis, ut quoniam vos *latria* Deum, *dulia* Sanctorum spiritus colere dicitis, utrisque tamen ἴσον, non ἄνισον, æqualem in omnibus externi cultus partibus honorem tribuentes iccircò pii censeamini! 8. Neque prætextus ille adulterinus vos juvat, quòd cultus religiosi signa illa *Sanctis* ceu amicis Dei, communicata honori solius Dei non adversentur, sed, uti Redingius loquitur, *subordinentur*. Perinde enim sic Deo illibatum honorem servatis, ac si Clodia Metelli apud Ciceronem *pro M. Cæl.* incestum cum fratre committens, adeóque conjugale obsequium fratri communicans in pudicitiæ suæ laudem diceret, Metello se præstare *conjugale* obsequium, *sororium* autem Clodio; Sororium porro obsequium conjugali non opponi, sed *subordinari* clamaret. Quis Clodiam meretricio hoc schemate utentem ab incestu: quis vos simili defungentes ab idololatriæ crimine absolverit? Etenim signa cultus religiosi externi indicium sua natura vel institutione, Divina inprimis declaratione devotam Divinæ excellentiæ agnitionem significant. Non possunt igitur aliis quibuscunque sive oppositè, sive subordinatè tribui, quin illi, Divinis honoribus macti, in Deos convertantur, אחרים אלהים *alii* adeóque etiam peregrini, contrarii *Dii* fiant. 9. Cùm in S. Augustini authoritate omne distinctionis vestræ duliam inter & latriam præsidium collocetis, non potuistis tamen vel unicum ex eodem testimonium afferre hactenus, ex quo constare possit, illum *duliæ* nomine servitutem vel cultum religiosum creaturis impendendum intellexisse. Tenebat ille inprimis, solum Deum religiosè colendum & adorandum esse, uti ex pluribus ejus dictis, vindicatis etiam, supra *Arg. 7. §. 11.* ostendimus. Cùm porro vocem *cultus* ambiguam esse observaret, effecit cavendæ hujus homonymiæ prudens cura, ut δουλείας & λατρείας distinctione usus, illa quidem cultum creaturis debitum: hac verò cultum solius Dei exprimendum putaret. Supra autem vocum illarum usum medium esse, ac proin rem ipsam intuendam esse, præstruximus. Videndum ergo, quam differentiam λατρείας & δουλείας quoad rem ipsam Augustinus, primus distinctionis hujus author, constituerit. Ille autem *primò* quidem latriam ait esse *servitutem*, quæ propria tamen δουλείας

ſignificatio eſt. Nam & λατρέιαν ſic reddi ab interpretibus Scripturæ: & *ſervitutem* dici eam, quæ ad colendum Deum pertinet, docuit. *Latriam*, ſic *de Civ. D. lib. X.* 8. ſcribit, *noſtri ubicunque ſacrarum Scripturarum poſitum eſt, interpretati ſunt ſervitutem. Sed ea ſervitus, quæ debetur hominibus, ſecundum quam præcepit Apoſtolus ſervos Dominis ſuis ſubditos eſſe debere, alio nomine Græcè nuncupari ſolet. Latria verò ſecundum conſuetudinem, qua locuti ſunt, qui nobis Divina eloquia condiderunt, aut ſemper, aut tam frequenter, ut pæne ſemper ea dicatur ſervitus, quæ pertinet ad colendum Deum.* Cùm igitur id λατρέια cum δουλέια commune habeat, *Secundò* illam ab hac diſtinguit religione. *Pietas*, ſic eodem opere *lib. V.* 15. idem loquitur, *non exhibet ſervitutem religionis, quam latriam Græci vocant, niſi uni vero Deo.* Similiter *Epiſt.* 49 *q.* 3. *Creatori*, inquit, *uni debetur, ſervitus religionis illa, quæ uno nomine latria Græcè appellatur.* Sed & *de Civ. D. lib. X* 1. poſtquam dixiſſet, ſe libro octavo tractaſſe hanc quæſtionem: *Utrum Deo vero, an pluribus Diis religione ſacriſque ſerviendo ad beatam vitam pervenire poſſimus?* theſin hanc diſceptat: *quo modo boni Angeli velint à nobis religionem pietatémque ſervari; hoc eſt*, inquit, *utrum etiam ſibi, an tantùm Deo ſuo, qui etiam noſter eſt, placeat eis, ut ſacra faciamus & ſacrificemus: vel aliqua noſtra, ſeu nos ipſos religionis ritibus conſecremus?* Et ſtatim hunc *religionis* cultum *Divinitati debitum* eſſe definit. *Tertiò* Veram illam ſervitutem, quam δουλέιας nomine creaturis competere ait, *charitatis* ſervitutem, nuncupat. Et *loc. cit.* Martyres nos colere ait *eo cultu dilectionis & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur Sancti homines Dei.* Illos tamen *devotiùs* coli ſubjicit. *Quartò* denique ritus latriæ deſcribit, puta *ſacra, ſacrificia, oblationes tum noſtri, tum rerum noſtrarum per ritus religioſos, Templa, aras, feſta, dies ſtatutos, ſolennitates.* Clariſſimè enim *de Civ. D. lib. VII.* 32. ſic loquitur: *Omnes non ſolùm Prophetiæ, quæ in verbis ſunt: nec tantùm præcepta vitæ, quæ mores pietatémque conformant, atque illis literis continentur: verùm etiam ſacra, ſacerdotia, tabernaculum ſive Templum, altaria, ſacrificia, ceremoniæ, dies feſti, & quicquid aliud ad eam ſervitutem pertinet, quæ Deo debetur, & Græcè propriè latria dicitur, ea ſignificata & pronuntiata ſunt.* Alibi *lib. X.* 4. ſimiliter: *Huic nos ſervitutem, quæ latria Græcè dicitur, ſive in quibusque Sacramentis, ſive in nobis ipſis* debemus. Hujus enim templum *ſimul omnes, & ſinguli Templa ſumus: quia & omnium concordiam, & ſingulos inhabitare dignatur, non in omnibus quàm ſingulis major, quoniam nec mole diſtenditur, nec partitione minuitur. Cùm ad illum ſurſum eſt, ejus altare eſt, cor noſtrum, ejus unigenito eum ſacerdote placamus: ei cruentas victimas cædimus, quando uſque ad ſanguinem pro ejus veritate certamus, ſuaviſſimum adolemus incenſum, cùm ejus in conſpectu pio ſanctóque amore flagramus, ei dona ejus in nobis, nóſque ipſos vovemus & reddimus, ei beneficiorum ejus ſolemnitatibus, feſtis & diebus ſtatutis dicamus ſacramúſque memoriam, ne volumine temporum ingrata ſubrepat oblivio: ei ſacrificamus hoſtiam humilitatis & laudis in ara cordis igne, fervidæ charitatis.* Dicit quidem *contra Fauſt. lib. XX.* 21. populum Chriſtianum *memorias Martyrum religioſa ſolennitate concelebrare.* Sed *memorias Martyrum* intelligit locos ædificatos in ſepulchris Martyrum, ad quos plebs Chriſtiana conveniebat religionis cauſa; hoc eſt, ut ibi religionis ſuæ exercitia celebraret; ſic, ut religio ad Deum, non ad Martyres referatur. Fiebant tamen religioſo hoc conventu celebres ejuſmodi memoriæ. Ita Papiſtæ feſta, Sanctorum nundinis & mercatu celebrant; non tamen nundinas & mercatum ad Sanctos referunt. Jam ergo Auguſtini inter & veſtram de dulia & latria ſententiam immanis hiatus pateſcit. Ille ſervitutem in ſervitutem *religionis*, ſeu religioſam, id eſt, *latriam*; & ſervitutem *charitatis, ſocietatis*, id eſt, *duliam* divi**d**it. Vos ſervitu-

rem *religionis* seu religiosam in *latriam* & *duliam* dispescitis. Ille severè pronuntiavit, servitutem religionis soli Deo deberi, & (*de vera relig. cap. 55.*) *non debere nobis religioni esse cultum mortuorum.* Vobis dulia, Angelorum & mortuorum cultus servitus *religionis*, & *religionis* cultus est. Ille duas species cultus censuit, duliam, cultum & defunctorum & viventium (*colimus*, inquit, *Martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti Dei homines.* eodem ergo specie, quia numero idem esse nequit; licet secundum magis & minùs, magis *securè, devotè* mortuos, minùs *securè, devotè* viventes colendo, distincto) & latriam, cultum religionis soli Deo debitum. Vos tres diversas cultus species facitis, latriam, duliam, civilem; & cultum Sanctorum mortuorum ac viventium diversas species constituitis. Ille cultum Sanctis debitum vocat cultum, tum *societatis*, innuens, sic à Christianis vivis coli Christianos mortuos, ut socios; & quidem sic socios, ut cùm erant in vivis; tum *charitatis*, ejusdem scilicet, qua inter se Christiani devinciuntur, ut sint ejusdem corporis membra. Gujusmodi cultum religiosum nemo sanus appellavit. Vel ergo cultus ille, quo colendi sunt defuncti, non est cultus religiosus, quod contra vos est: vel non est idem cum cultu, qui exhibetur vivis, quod contra Augustinum est. Ille verò non tantùm mortuis delatum cultum *charitatis* cultum vocavit, sed etiam *de Trin. lib. I. c. 6* contradistinguit eum modum, quo per charitatem jubemur servire invicem, & eum modum, quò tantùm Deo servitur, eadem planè ratione, qua duliam & latriam opponit. Dulia igitur ipsi est ea servitus, qua per charitatem, sive cultum charitatis invicem servimus. Cúmque eodem judice non mortui duntaxat sancti, sed etiam Angeli dulia, non latria colendi sint, cultus ergo Sanctorum mortuorum & Angelorum erit cultus charitatis, ac proin etiam societatis, idem cum eo, quo vivi vivos colunt; religiosus verò, qualem vos facitis, neutiquam erit. Denique Augustinus ritus latriæ recenset in genere *sacra*; *deinde distinctè sacrificia, altaria, templa, dies festos*; uno verbo, *cùm nos nostráque religiosis ritibus consecramus.* Hoc disertè docentem repetentémque vidimus. Vos contra unicum sacrificium latriæ facitis eximium, atque id non tam re, quàm nomine, uti supra vidimus: reliqua omnia latriæ & duliæ communia facitis. Ita Bellarminus, ita alii. Angelus Rocca Episcopus Togastensis in Commentario *de Canonizatione Sanctorum cap. 38.* honores, quos Papa cuivis Sancto à se canonizato decernit, sequentes enumerat; *credere, illum esse Beatum & in Cœlis glorificatum: invocare eum in publicis precibus: in nomen ejus ædificare Ecclesias: in ejusdem honorem celebrare officium & sacrificium Missæ: festos dies ei consecrare: omnes ejus imagines venerari: reliquias ejus cultu religioso adorare: ad easdem reliquias religiosas peregrinationes suscipere.* Addunt alii, *vovere Sanctis vota: actiones gratiarum religiosas deferre: preces ad eos mentales concipere, per eos jurare, &c.* Vides, Redingi, quàm vanus, quàm impotens sit vester ille in authoritate Augustini, latriæ & duliæ cultum distinguentis, triumphus! 10. Denique diversitas cultus Sanctis viventibus & mortuis debiti gradus tota est; non speciei, hoc est, juxta illa, quæ ex Augustino modò attulimus; *majoris vel minoris securitatis & devotionis.* Manet enim idem objectum finitum, creatura, quæ religiosi cultus capax non est: manet idem modus, cultus videlicet *charitatis, societatis*, non *religionis*: manet eadem quoad rem colendi ratio, finita, creata excellentia, sive illa gloriæ cœlestis particeps est, sive imperfectione in mundo adhuc laborat. Neque *civilis* cultus tantùm in politica terrestris civitatis societate fundatur. Fundatur etiam in societate civitatis spiritualis, hoc est, Ecclesiæ; quæ societas quoad jus bonorum cœle-

 stium

fidelium potuit mereri, ut Christus descenderet de Coelo, & justitiam afferret, de qua ibi agitur? Imò juramentum Davidi factum statim v. 11. allegatur; adeóque fœdus Dei, quod David fide apprehendit, & irrevocabile reddidit, spectatur. Falsissimum est, quod Bellarminus hypothesi suæ serviens, introduci ibi Solomonem de patre suo defuncto loquentem, ait. Imò introducuntur verba Davidis, *qui vivens juravit, vovit* reductionem arcæ לאביר יעקב *Heroi Jacobi* Deo, antequam Solomon natus esset. Neque ullam vel Solomonis loquentis filii, vel Davidis defuncti patris vestigium in textu apparet. 3. In loco 1. Paralip. VI. 16. loquitur Solomon, & de patre defuncto loquitur. Sed nihil minùs, quàm ad merita Davidis provocat. *Nunc igitur*, inquit, *Domine Deus Israelis, serva Davidi servo tuo patri meo, quæ pollicitus es ei hisce verbis: Non exscindetur tibi vir coram me, qui sedeat in solio Israelis, si modò filii tui observaverint viam meam, ut ambulent in lege mea, quemadmodum tu ambulasti coram me.* Meminit testimonii Divini de Davide, *quòd ambulaverit coram Deo.* Non tamen Deo ad animum revocat *ambulationem illam Davidis coram Deo*, nedum meritum aliquod Davidis, sed solam promissionem Davidi factam de successore dando, qui in eodem solio sedeat; & *ambulationem* ejus *coram Deo* solùm ut objectum complacentiæ Dei, in qua ex mera gratia Dei promissio illi facta est, commemorat.

OBIECT. VI. *Etiam Jobi cap. V. 1. Eliphazus Jobo suadet, ut ad aliquem Sanctorum se convertat. Et cap.* XIX. 21. *inclamat amicos, hoc est, interprete Augustino, Angelos. Denique & cap.* XXXIII. 23. *introducitur Angelus loquens pro Jobo, unus de millibus. Ergo jam Jobi tempore invocatio Sanctorum usitata fuit.* Aug. Reding. *pag.* 769, &c. Resp. 1. Si tempore Jobi jam usitata fuit Sanctorum invocatio, per certé mirum accidit, quòd in Jobi libro formulæ invocationis, *Sancte Abrahame* &c. *ora pro nobis* &c. quales Pontificiis euchologiis ubique inseruntur, nuspiam occurrunt. 2. Jobi cap. V. 1. Eliphazus non loquitur de invocatione defunctorum, sed advocat vivos suffragantes, è quibus negat Jobum ullum sanctum secum consentientem producere posse, qui affirmet, Deum innocentes & justos affligere. Ita Sancto viro insultat. Concinit id planè cum c. IV. 7. Quin & ipse Eliphazus statim v. 8. subjicit, se requisiturum Deum, & ad ipsum eloquium suum positurum. Sed Redingius indignabundus mihi objicit, anne putem, *meam interpretationem praeponderare expositioni S. Augustini.* At verò id occinere debuit Marianæ, Estio, aliis communionis suæ sociis, qui de Angelis negant intelligi posse. Tum S. Augustinus quàm parum tribuat his in Jobum expositionibus, ex *Retract. lib. II. cap.* 13. ubi eas tanquam *mendosas* & *obscuras* rejicit, & à se nunquam editas optat, liquet. Præterea originalis textus ignarus LXX. Interpretes non potuit non sequi, qui ita habent: Εἰς τινα Ἀγγέλων ἁγίων ὄψει. Denique si cum S. Augustino ad Angelos referremus, nihil inde pro invocatione Angelorum concludi posset. Sensus enim esset juxta ipsum Augustinum, *adeò immundum eum esse corde, ut invocanti non Angeli respondere, aut se de-*

demonſtrare dignati ſint, nedum Deus, ob diſtantiam inter Jobum & Angelos, nedum Deum. 3. Jobi cap. XIX. 21, per רעי *ſocios*, quorum miſericordiam implorat, non vel Angeli vel Sancti Cœlites intelliguntur, utpote qui ejus *ſocii* & familiares non fuerunt, ſed eos, quos olim ſocios & amicos habuit, quos ad *συμπάθειαν* graphicè invitat. Unde v. ſequente de iiſdem amicis queritur, minimè queſturus de Angelis. Denique Jobi cap. XXXIII. 23. ille מלאך מליץ אחד מני אלף *Angelus advocatus unus ex millibus* non alium notat, quàm Angelum fœderis, Chriſtum, cùm ei tribuantur prædicata illa, miſereri, orare liberationem, indicare homini rectitudinem, intercedere cum oſtenſione כפר *lytri*, & quidem עליו *apud eum*, hoc eſt, לפנים *coram, apud faciem Patris.* Perperam enim Redingius regerit, *potuiſſe etiam Angelum creatum pro Jobo intercedere cum oſtenſione lytri per Chriſtum in cruce offerendi.* Quipe v. 24. Deus ita loquitur: *Redime illum, ne deſcendat in foveam* מצאתי כפר *Inveni lytrum.* Hæc verba ad Chriſtum redemptorem dicta ſunt, qui ſolus λύτρον invenit, jam ab æterno à Deo Patre acceptatum. Atque eodem modo Gregorius M. Com. lib. XXIV. 2. Gloſſa ordinaria & Hugo Cardinalis textum illum de Chriſto magni conſilii Angelo interpretantur. Proinde ſi in ea expoſitione *aperta hæreſis & blaſphemia* continetur, uti Adverſarius impudenter criminatur, hæreſeos ejuſdem & blaſphemiæ etiam Gregorius M. Romanus Pontifex reus erit. Sed eſto Angeli intelligantur. Sermo erit de ipſorum Miniſterio, quo Deus in voluntate ſua hominibus annuntianda, & converſione eorum promovenda utitur, ex quo, ut & generali Angelorum interceſſione, religioſa eorum invocatio nullatenus concludi poteſt.

Excip. Reding: 1. *Cùm oratio ad Sanctos non impediat orationem ad Deum, ex Job. V. 8. ubi Eliphazus orationem ad Deum direxit, tibi colligere non licet, eundem verſ. 1. ad Sanctos non etiam orationem direxiſſe. 2. Licet Auguſtinus ſuas in Jobum annotationes alibi ipſe reprehenderit, nihil tamen quoad veritates dogmaticas in iis correxit. Neque doctores noſtri, qui de Angelis loqui Eliphazum negant, contrariantur nobis. Dum enim Sanctos vivos per mediationem quandam acceſſum ad Deum facere ſtatuunt, multò magis Sanctos defunctos facere conſentiunt. 3. An tanta Dei ab homine diſtantia eſt, ut Jobo precanti reſpondere dedignaretur? Quæ hæc blaſphemia? 4. An idem Jobus cap. XIX. 22. dicens:* Quare perſequimini me, ſicut Deus? *etiam contra Deum ipſum queſtus eſt? Hunc innocentiæ ejus nævum cùm impingere non poſſimus; nec præcedente verſu de amicis illis queſtus dici poteſt. 5. Opinio illorum, qui ibid. cap. XXXIII. 23. per Angelum advocatum Chriſtum intelligunt, non hoc ſibi vult, quòd Angelus ille pro Jobo jam tum locutus, & apud Deum advocati munere functus fuerit. Hoc enim Chriſti, quâ hominis eſt, qualis nondum erat. Proin hæreſis illa tua Gregorio tribui non poteſt.* Ibid. pag. 92. 93. Reſp. 1. Multum oratio ad Sanctos orationem ad Deum impedit, quia Deo ſoli debitum honorem ad Sanctos transfert. Cùm ergo Jobus cap. V. 8. differit: *Meam orationem*

tionem ad Deum conferam; inde liquet, non Sanctos, sed Deum solum illum invocare solitum esse. Supponis ergo, non probas, v. 1. de invocatione Sanctorum sermonem esse. quod ipsum *κρινόμενον* est. Etenim dicit Eliphazus (cujus certè in aliis dicta regula veritatis non sunt) ad Jobum: קרא נא *clama quæso, si est, qui tibi respondeat.* At clamare, vocare, non est invocare. Addit: ואל מי מקדשים תפנה *Et ad quem Sanctorum respicies?* Si de invocatione Sanctorum hæc intelligenda sunt, manifestum est, eam Jobo ab Eliphazo dissuaderi. Interrogatio enim illa negativæ æquipollet. An sic hominibus Sanctorum invocationem etiam vos dissuadere soletis? Sed nec de Sanctis religiosè respiciendis, vel invocandis Eliphazus loquitur; sed potiùs eorum viventium, ubicunque eos quærat & respiciat, consensum negat: vel certè, uti Hebræi, R. Nachman, Abenezra, Jarchius interpretantur, negat, Sanctorum quenquam reperiri posse, qui eò impatientiæ, quò Jobus, provectus fuerit. 2. Esto ergo, *Sanctorum* voce etiam Angelos Eliphazus expresserit. uti Augustinus censebat. At Angelorum invocationem sic suaderi, nec Augustinus dixit, nec Eliphazi verba eogunt. Neque etiam vestri, qui de Sanctis viventibus explicant, de iis ceu Mediatoribus Christo subordinatis verba ea intelligunt; repudiandi etiam, si intelligerent. 3. Distantiam Deum inter & Jobum non illam intelligo, quæ in fide precantes impediat: sed quæ impediat precantes impios, qui immundo corde sunt. quos Deus non exaudit, Joh. IX. 31. Peccata enim Deum & homines sic divellunt, ut precantes non exaudiat, juxta Es. LIX. 2. *iniquitates vestræ divellunt inter vos & inter Deum vestrũ; & peccata vestra abscondunt vultum à vobis, ne exaudiat.* Ubi hic, Redingi, blasphemia? Calumnia verò tua in propatulo est. 4. Certum equidem est, Jobum cap. XIX. 21. de iis loqui, qui ipsum accusaverant. quos sic v. 1. compellavit: *Quandiu cruciabitis animum meum, & sermonibus enecatis me?* Hos continuato sermone v. 21. vocat רעי *socios*, amicos. At v. 1. de iis manifestè conqueritur. Et quidnî etiam v. 21. his verbis: חנני חנני *benigniùs mecum agite, socii.* quasi diceret: durissimi & inhumanissimi estis, quos nulla mei commiseratio tangit. Verba igitur sequentia: למה תרדפוני כמו אל *Quare me persequimini, sicut Deus*, querelam similem continet, adversus socios, non Deum. Non enim sociis licebat, quod Deo licuit. De Deo dixerat v. 21. יד אלוה נגעה בי *Manus Dei tetigit me.* Quibus non de Deo, ceu injusto quiritatur; sed ejus justam castigationem agnoscit. Adversus verò socios injustè eum prementes justè statim quiritatur. Non enim ita imitari Deum homo debet, ut quem is jure affligit, se etiam jure affligere posse putet. Voluntas Dei est, nos aliquando non velle, quod ipse vult. 5. Salva res est, si ille מלאך מליץ *Angelus advocatus* modò Christum notat. Argumentis certè meis nihil respondere potuisti, ne quidem conatus es. Ad hoc verò, ut Advocati & Mediatoris munere Christus in V.T. defungi posset, assumpta jam tum humanitate opus non fuisse, supra firmavimus. Vocatur hic Christus & מלאך *Angelus*, quia à Deo ad hominem mittitur: & מליץ *advocatus, interpres, intercessor*, & quidem עליו *apud ipsum*, nempe Deum, non hominem (insolenter enim mox repeteretur, לאדם) sicut Joh. I. 1. dicitur esse *πρὸς τὸν Θεὸν apud Deum*. Quæ phrasis notat & ineffabilem illam *ἕνωσιν* & amorem (unde & in sinu Patris esse dicitur Joh. I. 18.) & *ἐμφανισμὸν apparitionem* apud faciem Dei. Si Christum in V.T. nec ad homines missum esse, nec coram facie Patris tanquam מלאך פנים *Angelum facierum* (quo epitheto utrumque officium ejus in V.T. exprimitur) apparuisse, & pro suis vi futuri *λύτρου* intercessisse dixeris, erit sanè, quòd inscitiam tuam ipse damnes, vel damnent te peritiores; & non tam mihi hæresin impingas, quàm hæreseos, hoc est, senten-

tiæ

tiæ contra aperta Scripturæ dicta officium, quòd in V. T. nondum ἐνσάρκως Christus gessit, abnegantis, dicam tibi jure meritóque conscribi audias.

OBIECT. VII. *Sancti non eodem, quo Deus, cultu, sed illi dulia, hic latria afficiuntur. Quæ λατρείας & δουλείας distinctio ab ecclesia, cui semper licuit conta hæreticos nova invenire vocabula, ad confusionem vitandam, quia voces cultum Dei & sanctorum significantes promiscuè usurpabantur, inducta est, & in eo fundatur, quòd Deus invocandus sit, quâ primum universorum principium ac finis ultimus, absolutúsque Dominus: Sancti verò non aliter, quàm quatenus Divinæ excellentiæ & sanctitatis participationem quandam analogicam præ se ferunt. Latria igitur soli Deo tanquam Deo: Dulia verò & Deo & Sanctis diversis diversa ratione convenit, uti Augustinus quæst. 94. super Exodum docet. Sed & ecclesia posterioris temporis ob hæreticorum importunitatem à dulia distinxit hyperduliam, cultum beatissimæ Virgini ob sublimiorem tum maternitatis Divinæ, tum sanctitatis excellentioris præ reliquis Sanctis prærogativam debitum.* Huc ferè redit verbosa & perplexa Aug. Redingii *de cultu latriæ & duliæ* dissertatio XIV. pag 744. 745. &c. Resp. 1. De nominibus latriæ, duliæ, hyperduliæ controversiam nemini moveremus, si res fidei analoga iis subesset & significaretur. Prudenter Calvinus monet, *de re, non de voce quæstionem esse.* Daremus igitur hoc paci ecclesiæ, ne vocum morosa disceptatio eam tantillum labefactaret. Fatemur etiam ultro, necessitatem quandoque urgere, ut vocabulis ἀγράφοις, significantibus tamen, orthodoxæ ecclesiæ sensus contra hæreticos declaretur. Nunc verò quando alio, quàm olim, sensu adhibentur, ad incrustandam & fucandam idololatriam, meritò ab illa distinctione ἀγράφῳ, & si sensum spectes, novitia abhorremus, *odio habentes etiam tunicam à carne*, verba ab idololatria, *contaminatam*, Jud. 23. Tali enim schemate omnes idololatræ factum suum ornare & pingere possent, nimirum se Divis suis non latriæ, sed duliæ cultum impendere, eósque adeò invocare, non ut Deum summum, sed quatenus Divinam excellentiam ἀναλόγως participant. Neque etiam dubitari potest, quin δουλεία plus sit quàm λατρεία, adeóque etiam religiosa δουλεία ipsam λατρείαν includat. Ex proprietate enim Græci idiomatis δουλεία dicitur de servo, qui totus est heri: λατρεία verò de mercenario, qui operam suam liberè locando ad tempus servit. Ita Suidas ait, λατρείαν δουλείαν εἶναι ἐπὶ μισθῷ, *servitutem esse mercenariam.* Et Phavorinus eundem in sensum, λατρεύειν κυρίως τὸ δουλεύειν. Λάτρης ὁ μισθῷ δουλεύων: Λάτρον γὰρ ὁ μισθός. Neque aliter hæc distinguunt Sophocles, Æschylus, Theodectus & Euripides. Xenophontis etiam testimonium producit ipse Lud. Vives *in Aug. de Civ. Dei lib. X. cap. 1.* Rectissimè proin Martinus Peresius *lib. de Tradit. pag. 3. consid. 7.* scribit, *non multum sibi probari nomen dulia pro cultu sanctorum sumptum, cum dulia propriè*

significet servitutem, & nos non simus servi, sed conservi sanctorum, juxta responsum videlicet Angeli ipsius Apoc. XIX. 10. An fas est, ut servus σύνδουλον *conservum suum* adoret? Si ita videtur Pontificiis, at non Angelo ita visum est, qui vatidico spiritu Sophisticam istam distinctionem prævisam à se elisit. 2. Quòd verò causantur, se latriam Deo, tanquam Deo, at duliam & Deo quâ Domino, & sanctis quâ ἀναλόγως Dominis, vendicare, planè absurdi sunt. Annon enim etiam Angeli & homines passim in scriptura nomine אלהים & *Deorum* veniunt? An putant, Israëlitas vitulum, Gentiles Divos suos ita coluisse, quasi summam in illis Deitatem existere reputarent? Annon Sathanas tentator Christo objicienti, *Dominum Deum adora*, Matth. IV. 10. regerere potuisset, se non *latriam* ut Deum, sed *duliam* ut Dominum, utpote cui tradita sint regna terræ, postulare? Sed argutiores nunc sunt Tarpeji Jovis flamines. 3. Sanctos qui in cœlo & terra sunt, esse κοινωνοὺς τῆς θείας φύσεως, *Divinæ naturæ participes*, 2. Pet. I. 4. adeóque excellentiæ, sanctitatis, dominii Divini ἀναλόγως participes, novimus. Sed ob communionem illam analogicam tam non sunt Divinorum honorum participes, quàm non sunt ipse Deus. Inter Dei & sanctorum excellentiam infinita distantia est. Neque hominum, sed solius Spiritus S. est definire, qui honores sanctis ob excellentiæ hujus communionem debeantur. At Spiritus S. invocationis honorem adeò non assignat sanctis, ut etiam ubique contra eum graviter protestetur. 4. Sed & in praxi, in qua cultus Dei versatur, distinctionis illius nulla ratio habetur. Nam B. Virginem, Angelos & Sanctos perinde ut Deum ipsum invocant. Etenim eos adorant, invocant, perinde ac si omniscii essent, & uno momento tam multas, tam dissitas, & tam dissentientes preces perciperent, & ita perciperent, ac si preces simulatas à veris ubique & exquisitè semper discernant, quod solius Dei πλεονέκτημα est: eosdem templis, altaribus, statuis, imaginibus, thure colunt; in eorum meritis confidunt, illis sacrificant, vota nuncupant, neque reapse Deo præ illis eximium quidquam relinquunt. Hinc adeò est, quòd Jesuita Tannerus sanctos certo respectu etiam latria coli posse asserit *Disput.* 4. *in* 2. 2 *Thomæ pag.* 677. & Redingius *pag.* 751. 752. &c. hanc identitatem cultus sibi à Cl. Vedrosio meritò objectam non aliter diluere potuit, quàm ostendendo non ex scriptura, quam sibi adversari sensit, sed ex Patribus nonnullis obtorto collo raptis, sanctis etiam vota nuncupari, in iis fiduciam poni posse &c. contra scripturæ, quæ adorationis, fiduciæ, votorum, sacrificiorum &c. objectum non alium quàm Deum facit, suffragium, mandatum, promissionem & probata exempla. S. Augustinus omnem servitutem, quæ ad religionem pertinet, soli Deo vindicat, & *latriam*

triam appellat. Alteram verò illam ſervitutem, quam *duliam* vocat, nuſpiam conſtituit ſpeciem religioſæ ſervitutis, aut cultus ſacri, ſed ei eam ut contradiſtinctam opponit. Et hanc ipſam duliam, quæ non religioſa, ſed civilis eſt, vel ad ſervitutem propriè dictam refert, quæ Dominis à Servis debetur; vel ad cultum dilectionis, ſocietatis, honorificæ recordationis: vel ad exhibitionem honoris per imitationem, & per charitatem, quam inter nos invicem debemus. Et hunc ſolum cultum & honorem concedit Angelis & Sanctis defunctis pariter atque viventibus, qui propriè non ſervitus eſt, ſed charitatis officium. Ideò etiam dicit, *nos honorare Angelos charitate, non ſervitute.* Meri porro logi ſunt Adverſarii, regerentis *pag.* 753. quòd agnoſci debeat *cultus in ſupernaturali etiam communicatione fundatus, adeóque in ſuperiore ordine collocandus, qui dulia dicatur.* Etenim ſuperior ille ordo non mutat ſpeciem cultus, nec ex humano Divinum & religioſum, ex finito infinitum facit. Hoc ipſi probandum incubuerat. Hîc rhodus, hic ſaltus!

EXCIP. REDING: *1. Ne digito quidem moves rationes, propter quas loc. cit. cultum ſoli Deo proprium latriæ, & Sanctis appropriatum duliæ nomine venire, oſtendi. 2. Cujusmodi fuerit gentilium idololatria, Apoſtolus docet Rom. I. 23. 25. ubi idololatras illos deſcribit, quòd mutaverint gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominum, volucrium &c. & ſerviverint creaturæ potiùs quàm creatori. Quis hic nefandus præco proclamare auſit, eum, qui Sanctis Divinæ excellentiæ Sanctitatis analogicam participationem tribuit, id ipſum facere, quod Paulus gentilibus tribuit? Quis Christo Joh. XII. 26. eum, qui ſibi miniſtraverit, à Patre honoratum iri, blaſphemum os ſuum operire, & dicere auſit, per iſtum honorem creaturæ potiùs quàm Creatori ſervitutem impendi? 3. Licet duliæ vox ex idiomatis Græci proprietate Deo appropriata eſſet; tamen & nomen, & res nomine illo ſignificata non quidem abſolutè, ſed ſub analogica quadam participatione etiam Sanctis Pſal. LXXXI. 6. communicata legitur. Ad confuſionem ergo vitandam rectè diſtinctionem illam latriæ & duliæ Auguſtinus, inprimis de Civ. D lib. X: 1. &c tradidit. Proin veteribus diſtinctionem illam in uſu fuiſſe, Calvinus. Inſtit. lib I. cap. 12. §. 2. fatetur. 4. Quia dulia, quatenus in Deum ipſum reducitur, latriam includit; eatenus dici poteſt plus eſſe Duliam quàm Latriam. 5. Quoad rem nominibus illis ſignificatam, ratio diſtinctionis expendenda venit. Sic latriæ cultus appropriativè intelligitur ille, qui Deitati ſeu eſſentiæ Divinæ incommunicabili debitus eſt: duliæ verò ille, qui hominibus analogicam quandam participationem gratiæ ſanctificantis luminis gloriæ & viſionis beatificæ Sanctis debetur. Hac igitur res fidei analoga nominibus illis ſubeſt. Ita Angeli & homines Deorum etiam nomine veniunt; neque tamen Divinam eſſentiam participant. Iſraelitæ verò vitulum aureum profeſſi ſunt eſſe Deos Iſrael; eique holocauſta & hoſtias pacificas obtulerunt, certo argumento, quòd ei Deitatem inexiſtere putaverint. Denique nequitia an ineptia tua major ſit, aſſeverantis, etiam Sathanam latria ſepoſita duliam Chriſto offerre potuiſſe, dubito. 6. Si Spiritus S. eſt definire, qui honores Sanctis ob analogicam Sanctitatis Divinæ participationem debeantur; quomodo illum altioris ordinis cultum inter meros logos computas? Etenim omnibus*

creaturis rationalibus competens honor exhiberi debet juxta mensuram Divinæ repræsentationis vel participationis Ergo sanctis etiam juxta mensuram communicationis Divinorum donorum. Atque hunc invocationis honorem esse, probavimus. 7. Quòd Sanctos perinde ut Deum invocemus, adoremus, calumnia tua est, abunde refutata. An omniscius ille est, qui in facie Dei non omnia, sed aliqua, non per lumen naturæ, sed gloriæ videt? Si in eadem etiam secreta cordium relucent, an ideo Sancti cordium scrutatores erunt, cognoscentes non ex congenita intelligentiæ virtute, sed Divina revelatione, cujusmodi etiam Prophetis contigit? Sacrificia porro, festa celebramus, altaria, imagines &c. erigimus, Sanctorum nomina in iis commemorando, non illis sacrificia offerendo, juxta doctrinam Augustini contra Faust. lib. XX 21. & de Civit. D. lib VIII. 27. Quin & veteres in Sanctorum intercessione ac meritis spem collocasse, ex Cyrillo Hierof. Catech. 5. Mystag. & Chrysostomi liturgia liquet. 8. Sanctis rectè vota nuncupari, & fiduciam in iis collocari, Patres à me citati, & à te non examinati docent. Id tamen omne quia votis Deo nuncupatis, & fiduciæ in eodem collocatæ subordinatur, Scripturæ neutiquam repugnat Ubi Augustinus servitutem religiosam soli Deo vindicat, intelligi: servitutem ex religionis strictè sumptæ ratione propria soli Deo debitam. 10 Denique ultro fatemur, superiorem, nempe Spiritus S. donorum supernaturalium ordinem non mutare speciem cultus, nec ex humano Divinum facere. Non tamen finiti erga homines & Angelos cultus species sic atoma est, ut nullas ulteriores species sub se contineat. In hoc enim cultus genere distinguenda est naturalis honestatis, honore sibi debito digni; & supernaturalis sanctitatis ratio. Alias non major honor Ministerio vestro, quam politico ordini debebitur. Verùm cultus in supernaturali ordine radicati species ex suo quidem objecto ac fine finita, attamen sublimior, & à specie cultus civilis, in politica civitatis terrestris societate fundati distincta est. Ibid. pag. 93--97. Resp. 1. *Ne digito quidem*, Redingi? O te θρασύδειλον insignem! Unde ergo tibi nata est tam fœcunda seges materiésque respondendi, vel potiùs vomitum tuum iterum iterúmque nobis objiciendi? Provoco ad lectorem Dissertationis tuæ XIV. *de cultu latriæ & duliæ*, eorúmque, quæ eidem reposui. Pauca equidem ibi multis dixisti, uti insignem spermologum decebat. Sed multa illa tua paucis ego diluere, & nervos tuos succidere satis habui. Et quicquid tandem moliare, tota machinatio tua eò recidit, ut sub nomine δουλείας, & lusus prodigiosi vocum Ecclesiæ vestræ idololatriam occultes. Tametsi verò pleraque tua etiam supra *ad Arg. II.* discusserim, non pigebit tamen denuo hic ejusdem contentionis funem tecum ducere, saltem ut te ἀναπολόγητον reddam, si ad ἐχεμυθίαν illud Archytæ crepitaculum redigere non dabitur. 2. Sanè gentilium idololatriam S. Paulus Rom. I. 23. iis verbis describit, quòd *gloriam Dei incorruptibilis mutaverint in similitudinem imaginis corruptibilis hominum, volucrium &c & creaturæ præter Creatorem serviverint.* Vos verò Sanctis, qui κτίσεις creaturæ utique sunt, δουλεύοντες *servientes*, annon creaturæ præter creatorem, eadem, qua gentiles ratione, servitis? Nam Apostolus eo solo nomine Romanos idololatriæ accusavit, quòd *creaturæ*, non quòd creaturæ huic vel illi, sanctæ vel profanæ, rationali, vel irrationali serviverunt. Nec obest, quòd dicit, ἐλάτρευσαν; quia stylo Scripturæ δουλεύειν & λατρεύειν in cultu religioso non differt; vobis etiam fatentibus, cùm discrimen illud omne ab usu Ecclesiastico arcessatis. Non dicam, quod alterius loci est, etiam vos Deum Patrem, Filium & Spiritum S. exhibentes in figura creaturæ, puta hominis, columbæ, faciei tripartitæ, æquè gloriam incorruptibilis Dei mutare, puta judicio, æstimatione, comparatione, conatu vestro, ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου &c. *in similitudine imaginis corruptibilis hominis* &c. Sed hac de re alibi. Repeto, gentiles simili

mili prætextu idololatriam suam fucare potuisse, quia sub uno summo Deo (quem Latini *Jovem Deorum*, Græci *Δία* appellarunt. quod Aristoteli *Ethic. Nicom. lib. IX.* 2. occasionem dedit utendi illa locutione de officiorum ac honorum distributione: Οὐδὲ τῷ πατρὶ πάντα, καθάπερ οὐδὲ τῷ Διὶ θύεται· *Omnia officia non pendenda esse patri, sicut nec omnia sacrificia Jovi*) Divos suos inferiores, Sanctitatis & meritorum opinione inclytos colentes. æquè prætexere his *duliam*, illi *latriam* se tribuere, vel similia distincti cultus nomina comminisci potuerunt. Sicut autem illi idololatriæ rei fuerunt, licet inferiores Divos se non eodem cultu, quo Supremum, prosequi professi fuerint, quia inferiores Divos religiosè colentes illis tribuerunt, quod solius Dei est: ita similis culpæ rei estis, licet aliter summum Deum, aliter Sanctos, distinctis utrosque nominibus vos colere prætexatis, quia Sanctis religiosum cultum, quocunque nomine incrustatum, tribuentes, id, quod solius Dei est, in eos derivatis. Non ergo *nefandus præco*, sed res ipsa nuda, & fucis suis privata similitudinem illam proclamat. Et similem esse moscholatriæ Israelitarum, ac hagiolatriæ vestræ rationem, supra demonstratum dedimus. Christus equidem Joh. XII. 26. ministraturo sibi promittit fore, ut Pater eum τιμῇ *honoret*. An verò sic Deus Pater Christi, ministrum Christi *honorabit*, ut eum religiosè colat, invocet? An quivis *honor*, religiosus cultus, invocatio est? Næ nimis securus es in mala causa, & quid dicas, nil pensi omnino habes. Non ergo jam, qui religiosa servitute colentem Sanctos creaturæ præter creatorem servire dicit, blasphemat: sed qui ita servit, idololatra est. 3. Distingue duliam. Vel communis illa est, vel religiosa. Illam, quoad rem, Sanctis etiam dona Dei participantibus deberi, certum est. Debetur etiam Societatum rectoribus, quos propter dominium communicatum Deus Psal. LXXXII. 6. אלהים ובני עליון *Deorum & filiorum Altissimi* nomine dignatus est. Hanc cuiquam creaturæ, quocunque titulo, deberi negamus. Neque tu id probasti vel uno apice; contentus vocum ἀγράφων lusu illudere iis, qui nesciunt, quid distent æra lupinis. Supra *ad Arg. II.* fusiùs paulò demonstravi, voces illas latriæ & duliæ medias esse, quas Scriptura modò communi, modò religioso cultui significando promiscuè accommodet; medium porro communem inter seu socialem & religiosum cultum nullum esse, sicut nullum objectum, excellentia nulla media est; & si medius cultus quidam daretur, illum religiosum nullo pacto dici posse. Expectabo, quid ad illa responsurus sis. Addo nunc quoad Sanctos cœlites demonstrationem novam, qua eos per charitatis δουλείαν invocari nullo modo posse, patebit. Quicunque invisibilis & in altera vita constitutus est, ille per charitatis δουλείαν invocari non potest. Omnis enim charitatis δουλεία erga superstites aut officiosa aut memorialis est. Atqui invocatio, qua id, quod invisibile aut in altera vita constitutum est, colitur, nec est erga superstites officiosa, nec memorialis. Quibus enim per charitatis δουλείαν serviendum est, illi sunt vel nostri in hac vita socii, vel in altera absentes. Prioribus servitur per δουλείαν charitatis *officiosam*, qua illis operam præstare, honorem exhibere, beneficentiam erga eos exercere convenit. Posterioribus haud aliter quàm per duliam charitatis memorialem, quo gratam eorum memoriam animo circumferimus, optimè de iis sentimus & loquimur, virtutes & res gestas eorum prædicamus, imitamur, aliisque imitandas proponimus. Huc pertinet illud Augustini *de Civ. D. lib. XI.* 1. *Si tantummodo cultus ipse dicatur, non soli Deo deberi videtur. Dicimur enim etiam colere homines, quos honorifica vel recordatione vel præsentia frequentamus.* Invocationem porro, qua id, quod invisibile est, & in altera vita constitutum, adeóque Sancti coluntur, erga superstites *officiosam* non esse, manifestum

 est

est eo ipso, quòd invisibile & in Cœlo constitutum superstes in terra non est. Solus enim Deus sic est in terra, ut simul etiam sit in Cœlo, Joh. III. 13. At nec *memorialis* esse potest, tum quia Scriptura Sanctorum memoriam nobis commendans, invocationem religiosam prohibet: tum quia veteres Martyrum memoriam honorificentissimé celebrantes, ab iisdem religiosè invocati non sunt: tum denique quia invocatio religiosa duliæ charitatis memorialis species nulla esse potest. quod ex inductione earum, quas supra posuimus, & quæ poni possunt, specierum colligitur. Aliud enim est alicujus personæ & virtutum ejus meminisse non sine honore, aliud eam religiosè invocare. De Augustini, sententia infra *§§*. 10. videbimus. 4. Ita soles mutare quadrata rotundis. Modò tibi dulia minus, modò plus est quàm latria. Et dulia, quæ & quatenus in Sanctos fertur, simul etiam in Deum fertur; & tum plus est quàm latria. Quare? Quia non in solum Deum, sed etiam in Sanctos fertur. Quasi scilicet cultus religiosus Dei incrementum caperet ab ascititio cultu creaturarum; quo tamen ille minuitur & obscuratur potiùs quàm crescit. Atqui sicut Sol splendentes stellas alias omnes obscurat: ita cultus Dei solius religiosus creaturarum cultum religiosum extinguit. Præterea δουλείαν plus esse, & semper plus esse quàm λατρείαν, ex proprietate vocis demonstravi. Tu ad alia convolas, & cultum duliæ aliquando, non semper, nec ex vocis proprietate, sed aliunde plus esse, arguis, & arguis falsò. Sic planè disputas. 5. Non voces rebus, sed res vocibus aptando, differentiam ostendis inter rem voce *duliæ*, & rem voce *latriæ* expressam; quòd videlicet illa cultus sit in Deitatis essentiâ ipsius: hæc in analogica participatione donorum Dei, dominii, sanctitatis, gloriæ fundatus. Si illam cultum religiosum; hanc non religiosum inrerpretareris, facilè conveniret. Sed cultum in analogica participatione donorum, dominii, sanctitatis, gloriæ &c. religiosum esse, adeóque invocationem, adorationem religiosam postulare, id verò non asserendum nudè, sed probandum tibi fuerat. Memineris enim non prætores, sed disputatores nos vocatos esse. Pluribus stropham illam tuam supra *ad Arg* 2. excussimus. Neque operam hic ludimus. Sed & supra *ad Arg.* 8. nec non *Dissert. Tomo III. Diss. VIII.* §. 30--45. vestrorum etiam Doctorum, Cajetani inprimis & Abulensis consensu citato probavimus, Israelitas cùm vitulum adorarunt, ei sacrificia obtulerunt, in vitulo, ceu symbolo, Deum verum Israelis adorasse, eíque sacrificia obtulisse. Vana insuper tua dubitatio est, *nequitia mea, an ineptia major sit*, cùm scripsi, *etiam Sathanam tentatorem Christo objicienti:* Dominum Deum tuum adora, Matth. IV. 10. *regerere potuisse, se non latriam ut Deum, sed duliàm ut Dominum postulare*. Ita enim se res habet. Gerebat se Dominum, cui tradita sint regna terræ. Si Deo soli latria, Domino dulia debetur; annon regerere juxta distinctionem vestram poterat: *Ego verò non ut Deus latriam, sed ut Dominus duliam postulo*. Sed tricis hisce nondum tum assuetus fuit. Petiit ille προσκύνησιν adorationem, petiit latriam, hoc est, Divinum honorem; licet pro supremo Numine se non gesserit. Ipse enim supra se Deum professus est his verbis: *Quoniam mihi data est* potestas & & gloria regnorum omnis, Luc. IV. 6. Et à quo, nisi à Deo superiore? Ubi, Redingi, *nequitia*; ubi *ineptia*? In desperata causa tua, non in proditore ejus. 6. Et Spiritus S. solius est definire, quis honos debeatur Sanctis Cœlitibus ob Sanctitatis, beatitudinis, gloriæ communicationem: & inanes logi sunt sine Scripturæ lumine asserentium, quòd cultus ille sit is ipse, quem vos Sanctis deputastis. Nam eum cultum à Spiritu S. in Verbo Dei definitum esse, probari nequit. Alia omnia probavimus. Neque licet vobis à genere indeterminato, hoc est, honore Sanctis debito, ad certam & determinatam speciem: ab honore & cultu in genere ad cultum religiosum, à Spiritu S. nuspiam definitum procedere. Divinorum

donorum

donorum mensura honorem exigit; sed ejusdem, non diversæ speciei; & in eadem specie majorem vel minorem pro donorum differentia. Religiosus verò, ad quem invocatio & adoratio refertur, diversæ planè speciei, solíque Deo debitus est. 7. Quisquis religiosè invocatur, adoratur, sacrificiis, votis, festis, Templis &c. colitur; is eo honore colitur, quo Deus. Non enim alio, majore, & speciè distincto honore Deus colitur. Sanctos religiosè invocatis, adoratis, &c. Ergo colitis ut Deum. Quisquis Divinum honorem alii tribuit, is eum facit אחר אלהים *alium Deum*, quia quod Dei est, illi tribuit; sive eum supremum Numen profiteatur, sive non. In facie Dei videre Sanctos, vel iis revelari, quæ hic geruntur, non probastis hactenus, nec probare potestis. Figmentum vel potiùs *postfigmentum* (excogitatum post Sanctorum invocationem jam introductam) cerebri vestri merum id est. Si igitur, quæ in terris geruntur, intimos inprimis cordium humanorum recessus (nam hi precum veri fontes sunt) illi cognoscunt, oportet καρδιογνῶσαι, *cordium scrutatores*, omniscii, adeóque veri Dii sint. Judica, Redingi, an à revelatione Divina, qualis Prophetis obtigit, Sanctus aliquis, Deipara inprimis Virgo, illud habere possit, ut tot mille supplicum vota locis à se totidem dissitorum, unà, & ferè eodem momento (veluti cùm campana signum omnibus dat suum illud *Ave Maria* deproperandi) inaudiat? Imò inaudire nisi omniscia nequit. Et si ita necessaria est ejusmodi revelatio Divina, ut sine ea Sancti necessitates nostras cognoscere nequeant, dic, adhuc id à te exigo, Redingi, anne Deus necessitates nostras Sanctis revelet à nobis invocatus, an non invocatus? Si *invocatus*, ergo nobis aditus ad Deum patet rectus immediatúsque, neque gratiæ ejus parariis Sanctis opus nobis est. Si *non invocatus*, quomodo manet Scripturæ vox: *Petite & dabitur vobis. Quærite & invenietis. Pulsate & aperietur vobis* Matth. VII. 7. Inde enim precum ad impetranda spiritualia beneficia necessitas colligitur. Hinc adeò non desunt inter vos, qui Bellarmino *de Beat. S. lib. I. 20.* teste, diffisi scilicet & revelationi Divinæ & visioni in speculo essentiæ Dei, disertè asserant, *Sanctos esse ubique, & per se audire preces supplicantium.* abusi verbis illis Hieronymi: *Si Agnus ubique est, ergo & Sancti, qui agnum sequuntur.* Atqui hoc solius Dei πλεονέκτημα est. Olim *ad sacrificium homines Dei nominari, non tamen à Sacerdote, qui sacrificat, invocari*, Augustinus *de Civ. D. lib XXII. 10* dixit; ratus scilicet, neminem *ad sacrificium*, vel in sacrificio invocari, nisi solum Deum. Contra Bellarminus *de Missa lib. II. 8.* sic scribit: *In Liturgia nostra* Missali *nusquam directè Sancti invocantur, nisi bis aut ter in aliquo versiculo, & in confessione, quæ præmittitur ante Missæ introitum.* Neque etiam Redingius ipse *Tomo III. pag.* 316. dissimulavit, Sacrificium Missæ celebrari in honorem Sanctorum; sed addidit *secundariò & respectivè*. Hæc solennis ejus theriaca est, qua idololatriæ venenum pellere ubique satagit, omnia ferè soli Deo debita *secundariò* in creaturas transferens. Neque crassiùs gentiles ipsi errarunt. Idem Augustinus *Epist. 66. Debetur latria Spiritui S. Nam si Templum ei facere, sicut Solomon fecit, de lignis & lapidibus juberemur, utique faciendo Templum latriam exhibere convinceremur. Quantò magis latriam debemus, cui non Templum facimus, sed sumus.* Judicavit ergo, Templum alicui struere, pertinere ad latriam. An vos Sanctis Templa non struitis? Bellarminus *Lib. III. de Cult. S cap.* 4. disertè: *Sacræ domus non soli Deo, sed etiam Sanctis rectè ædificantur & dedicantur.* Neque licet tibi cum eodem S. Augustino, cujus verba pomposè jactas, candido pectore sic profiteri: *(Contra Faust. lib XX. 21) Quod offertur, Deo offertur, qui Martyres coronavit, apud eorum memorias, quos coronavit: (contra Maximin.) Nonne si Templum Sancto Angelo excellentissimo de lignis & lapidibus faceremus, anathematizaremur à veritate Christi, & Ecclesiæ Dei? Quoniam creaturæ eam*

ex-

exhiberemus servitutem, quæ uni tantùm debetur Deo: (*de Civit. D. lib. VIII. 27*) *Eisdem Martyribus non Templa, sacerdotia, sacra & sacrificia constituimus: quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sanè memorias eorum, tanquam Sanctorum Dei hominum &c. Quæcunque igitur adhibentur religiosorum obsequia in Martyres, ornamenta sunt memoriarum, non sacra, vel sacrificia mortuorum tanquam Deorum:* (*de Civit. D. lib. VII. 32.*) *Omnes non solùm Prophetiæ, quæ in verbis sunt: nec tantùm præcepta vitæ, quæ mores pietatémque conformant, atque illis literis continentur, verùm etiam sacra, sacerdotium, tabernaculum, sive templum, altaria, sacrificia, ceremoniæ, dies festi, & quicquid aliud ad eam servitutem pertinet, quæ Deo debetur. & Græcè propriè latria dicitur, ea significata & pronuntiata sunt.* Vos enim in Sacrificio Sanctos invocantes in eorum honorem sacrificatis, eorum reliquiis, imaginibus thus adoletis, incensum facitis, juxta Missale Rom. *tit. de ritu servando in celebr. Missæ*; iisdem vitulos labiorum, sacrificia laudis, Leviticis veteribus præstantiora, preces offertis: domos sacras, religiosas, altaria iis non tantùm in monumentum memoriæ, seu *commemorationis nominum* & virtutum eorum, ut Redingius falsò asserit, sed ad cultum eorundem & venerationem religiosam erigitis. Quæ omnia ad cultum latriæ pertinere, Augustinus disertè docet. sæpiúsque repetit. Et quoad Templa Bellarminus *de cultu D. lib. III.* 10. ridicula excusatione defungitur, ajens, se Sanctis non *Templa*, sed *Basilicas*; Deo verò soli Templa erigere, immemor in Latinorum & Græcorum testimoniis, quæ ibidem citat. Templa & Basilicas promiscuè poni. Et magnificentissimum illud Templum, quod Constantinus M. Hierosolymis in memoriam passionis Christi extrui curavit, non alio nomine quàm *Basilicæ & Constantiniani* venit. Sed & Isidorus *Etymol. lib. XV.* 4. apud Christianos *Templum & Basilicam idem esse* affirmat. Quin & ipse Bellarminus *loc. cit.* non tantùm in Propositione sua disertè ait, *Ædes sacras, quæ nihil aliud sunt, quàm Templa, non solùm Deo sed etiam Sanctis rectè ædificari & dedicari.* Sed etiam discedens à saniore eorum sententia, qui existimant. sacras ædes non posse propriè erigi nisi Deo, quemadmodum sacrificia non offeruntur nisi Deo; Templa verò denominari à Sanctis, non quòd eis erigantur sed quòd in illis præcipuè eorum memoriæ colantur; *Potest*, inquit, *Basilica erigi S. Petro, ut qui ingrediuntur, admoniti imagine ibi depicta, vel ipso Templi nomine recordentur S. Petri, eúmque in eo loco tanquam patronum colant & deprecentur.* An aliter Deo Templa extruuntur? Accedit, quòd fiduciam in Sanctis eorúmque meritis in vita & morte collocant; quæ in solo Deo collocari debuerat. In Ordinario Hildesh. *de Compass: Mariæ* sic orant: *Ad te, Maria, ô unica spes miserorum, confugio, &* (NB) *plena fiducia tibi me ipsum in omnibus necessitatibus meis devotè commendo.* In Rosario Mariæ: *O Domina mea Sancta Maria, me in tuam benedictam & singularem custodiam ac in sinum misericordiæ tuæ hodie & quotidie, atque in hora exitus mei animam meam & corpus meum tibi commendo,* (NB) *omnem spem meam, consolationes, angustias, miserias & finem vitæ meæ committo.* In Psalterio Mariæ Psal. 30: *In manus tuas, Domina, commendo spiritum meum, vitam meam & diem ultimum meum.* Quin eò impudentiæ perveniunt, ut cum Cardinal. Hosio *Fid. Cathol. cap.* 58. dicere non verecundentur, *non tantùm credendum esse Sanctis, sed etiam credendum esse in Sanctos.* An major erga Deum, erga Christum nobis fiducia? Nil tale Cyrillus: nil Chrysostomi λεγομένη liturgia. Intercessionem Sanctis tribuunt: fiduciam in eorum meritis cum religiosa invocatione collocandam esse, non docent. Quid verò denique multis? An Sanctos non perinde ut Deum religiosè. & dulia & latria omni, qua possunt, colunt illi, qui omnia *appropriata signa Divini* seu *religiosi cultus*, devotam agnitionem incommunicabilis

lis nominis seu excellentiæ Dei *significantia*, quæ vel consensus gentium, vel regionum particularium consuetudo, vel ipsius rei naturalis significatio, vel Divina denique declaratio Deo eximia & peculiaria fecit; cujusmodi sunt *sacrificia, libamina, suffitus, vota, juramenta, donorum supernaturalium, remissionis peccatorum, Spiritus S. petitio, invocatio, adoratio ad altare, vel in templo iis consecrato, imagines erectæ & dedicatæ in Templis vel super aras, cantica, incurvationes religiosæ versus imagines, fiducia, spes, opinio si non expressa & professa, saltem implicita & realis omnipræsentiæ, omniscientiæ, omnipotentiæ*, &c. in Sanctos transferunt? Quid enim, si ab illis discesseris, vel veri Dei cultores ex Dei verbo, vel infideles pagani ex corruptæ naturæ lumine, ulteriùs Deo vel Divis suis detulerunt: & quæ alia propria cultus Divini genera illi Deo deputarunt? Ut manifestissimum sit, externum Sanctorum in Papatu cultum omnem eundem esse cum omni illo, qui Deo vel ex verbo ejus, vel ex hominum opinione unquam tributus est, vel tribuitur. Neque aliud hic Bellarminus excepit, quàm cultum *sacrificii*, quem soli Deo proprium, & ad latriam referendum; reliquos illos ad duliam pertinere contendit. Si tamen ille per *sacrificium* animalium mactationem intellexit, id genus cultus apud Christianos planè exolevit, neque apud illos unquam obtinuit. Si sacrificium Missæ, illud in honorem Sanctorum celebrant, & in eodem Sanctos invocant. Si sacrificia spiritualia, preces, laudes, eucharistiam, &c. illa Sanctis æquè ac Deo offerunt. Quid ergo quoad externum cultum in universum Deo relinquitur? Et jam ab humano genere postulare audetis, ut quoniam vos *latriæ* Deum, *dulia* Sanctorum spiritus colere dicitis, utrisque tamen ἴσον, non ἄνισον, æqualem in omnibus externi cultus partibus honorem tribuentes iccirco pii censeamini! 8. Neque prætextus ille adulterinus vos juvat, quòd cultus religiosi signa illa *Sanctis* ceu amicis Dei, communicata honori solius Dei non adversentur, sed, uti Redingius loquitur, *subordinentur*. Perinde enim sic Deo illibatum honorem servatis, ac si Clodia Metelli apud Ciceronem *pro M. Cæl.* incestum cum fratre committens, adeóque conjugale obsequium fratri communicans in pudicitiæ suæ laudem diceret, Metello se præstare *conjugale* obsequium, *sororium* autem Clodio; Sororium porro obsequium conjugali non opponi, sed *subordinari* clamaret. Quis Clodiam meretricio hoc schemate utentem ab incestu: quis vos simili defungentes ab idololatriæ crimine absolverit? Etenim signa cultus religiosi externi indicium sua natura vel institutione, Divina inprimis declaratione devotam Divinæ excellentiæ agnitionem significant. Non possunt igitur aliis quibuscunque sive opposité, sive subordinatè tribui, quin illi, Divinis honoribus macti, in Deos convertantur, אחרי אלהים *alii* adeóque etiam peregrini, contrarii *Dii* fiant. 9. Cùm in S. Augustini authoritate omne distinctionis vestræ duliam inter & latriam præsidium collocetis, non potuistis tamen vel unicum ex eodem testimonium afferre hactenus, ex quo constare possit, illum *duliæ* nomine servitutem vel cultum religiosum creaturis impendendum intellexisse. Tenebat ille inprimis, solum Deum religiosè colendum & adorandum esse, uti ex pluribus ejus dictis, vindicatis etiam, supra *Arg.* 7. *§§.* 11. ostendimus. Cùm porro vocem *cultus* ambiguam esse observaret, effecit cavendæ hujus homonymiæ prudens cura, ut δουλείας & λατρείας distinctione usus, illa quidem cultum creaturis debitum: hac verò cultum solius Dei exprimendum putaret. Supra autem vocum illarum usum medium esse, ac proin rem ipsam intuendam esse, præstruximus. Videndum ergo, quam differentiam λατρείας & δουλείας quoad rem ipsam Augustinus, primus distinctionis hujus author, constituerit. Ille autem *primò* quidem latriam ait esse *servitutem*, quæ propria tamen δουλείας

 signi-

significatio est. Nam & λατρείαν sic reddi ab interpretibus Scripturæ: & *servitutem* dici eam, quæ ad colendum Deum pertinet, docuit. *Latriam, sic de Civ. D. lib. X. 8.* scribit, *nostri ubicunque sacrarum Scripturarum positum est, interpretati sunt servitutem. Sed ea servitus, quæ debetur hominibus, secundum quam præcepit Apostolus servos Dominis suis subditos esse debere, alio nomine Græcè nuncupari solet. Latria verò secundum consuetudinem, qua locuti sunt, qui nobis Divina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter, ut pæne semper ea dicatur servitus, quæ pertinet ad colendum Deum.* Cùm igitur id λατρεία cum δυλεία commune habeat, *Secundò* illam ab hac distinguit religione. *Pietas* sic eodem opere *lib. V. 15.* idem loquitur, *non exhibet servitutem religionis, quam latriam Græci vocant, nisi uni vero Deo.* Similiter *Epist. 49 q. 3. Creatori*, inquit, *uni debetur, servitus religionis illa, quæ uno nomine latria Græcè appellatur.* Sed & *de Civ. D. lib. X 1.* postquam dixisset, se libro octavo tractasse hanc quæstionem: *Utrum Deo vero, an pluribus Diis religione sacrisque serviendo ad beatam vitam pervenire possimus?* thesin hanc disceptat: *quomodo boni Angeli velint à nobis religionem pietatèmque servari; hoc est*, inquit, *utrum etiam sibi, an tantùm Deo suo, qui etiam noster est, placeat eis, ut sacra faciamus & sacrificemus: vel aliqua nostra, seu nos ipsos religionis ritibus consecremus?* Et statim hunc *religionis* cultum *Divinitati debitum* esse definit. *Tertiò* Veram illam servitutem, quam δυλείας nomine creaturis competere ait, *charitatis* servitutem, nuncupat. Et *loc. cit.* Martyres nos colere ait *eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur Sancti homines Dei.* Illos tamen *devotiùs* coli subjicit. *Quartò* denique ritus latriæ describit, puta *sacra, sacrificia, oblationes tum nostri, tum rerum nostrarum per ritus religiosos, Templa, aras, festa, dies statutos, solennitates.* Clarissimè enim *de Civ. D. lib. VII. 32.* sic loquitur: *Omnes non solùm Prophetiæ, quæ in verbis fiunt: nec tantùm præcepta vitæ, quæ mores pietatèmque conformant, atque illis literis continentur: verùm etiam sacra, sacerdotia, tabernaculum sive Templum, altaria, sacrificia, ceremoniæ, dies festi, & quicquid aliud ad eam servitutem pertinet, quæ Deo debetur, & Græcè propriè latria dicitur, ea significata & pronuntiata sunt.* Alibi *lib. X. 4.* similiter: *Huic nos servitutem, quæ latria Græcè dicitur, sive in quibusque Sacramentis, sive in nobis ipsis* debemus. *Hujus enim templum simul omnes, & singuli Templa sumus: quia & omnium concordiam, & singulos inhabitare dignatur, non in omnibus quàm singulis major, quoniam nec mole distenditur, nec partitione minuitur. Cùm ad illum sursum est, ejus altare est, cor nostrum, ejus unigenito eum sacerdote placamus: ei cruentas victimas cædimus, quando usque ad sanguinem pro ejus veritate certamus, suavissimum adolemus incensum, cùm ejus in conspectu pio sanctóque amore flagramus, ei dona ejus in nobis, nósque ipsos vovemus & reddimus, ei beneficiorum ejus solemnitatibus, festis & diebus statutis dicamus sacramúsque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio: ei sacrificamus hostiam humilitatis & laudis in ara cordis igne, fervidæ charitatis.* Dicit quidem *contra Faust. lib. XX. 21.* populum Christianum *memorias Martyrum religiosa solennitate concelebrare.* Sed *memorias Martyrum* intelligit locos ædificatos in sepulchris Martyrum, ad quos plebs Christiana conveniebat religionis causa; hoc est, ut ibi religionis suæ exercitia celebraret; sic, ut religio ad Deum, non ad Martyres referatur. Fiebant tamen religioso hoc conventu celebres ejusmodi memoriæ. Ita Papistæ festa, Sanctorum nundinis & mercatu celebrant; non tamen nundinas & mercatum ad Sanctos referunt. Jam ergo Augustini inter & vestram de dulia & latria sententiam immanis hiatus patescit. Ille servitutem in servitutem *religionis*, seu religiosam, id est, *latriam*; & servitutem *charitatis, societatis*, id est, *duliam* divisit. Vos servitu-

tem *religionis* seu religiosam in *latriam* & *duliam* dispescitis. Ille severè pronuntiavit, servitutem religionis soli Deo deberi, & (*de vera relig. cap. 55.*) *non debere nobis religioni esse cultum mortuorum.* Vobis dulia, Angelorum & mortuorum cultus servitus *religionis*, & *religionis* cultus est. Ille duas species cultus censuit, duliam, cultum & defunctorum & viventium (*colimus*, inquit, *Martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti Dei homines.* eodem ergo specie, quia numero idem esse nequit; licet secundum magis & minùs, magis *securè, devotè* mortuos, minùs *securè, devotè* viventes colendo, distincto) & latriam, cultum religionis soli Deo debitum. Vos tres diversas cultus species facitis, latriam, duliam, civilem; & cultum Sanctorum mortuorum ac viventium diversas species constituitis. Ille cultum Sanctis debitum vocat cultum, tum *societatis*, innuens, sic à Christianis vivis coli Christianos mortuos, ut socios; & quidem sic socios, ut cùm erant in vivis; tum *charitatis*, ejusdem scilicet, qua inter se Christiani devinciuntur, ut sint ejusdem corporis membra. Gujusmodi cultum religiosum nemo sanus appellavit. Vel ergo cultus ille, quo colendi sunt defuncti, non est cultus religiosus, quod contra vos est: vel non est idem cum cultu, qui exhibetur vivis, quod contra Augustinum est. Ille verò non tantùm mortuis delatum cultum *charitatis* cultum vocavit, sed etiam *de Trin. lib. I. c. 6* contradistinguit eum modum, quo per charitatem jubemur servire invicem, & eum modum, quò tantùm Deo servitur, eadem planè ratione, qua duliam & latriam opponit. Dulia igitur ipsi est ea servitus, qua per charitatem, sive cultum charitatis invicem servimus. Cúmque eodem judice non mortui duntaxat sancti, sed etiam Angeli dulia, non latria colendi sint, cultus ergo Sanctorum mortuorum & Angelorum erit cultus charitatis, ac proin etiam societatis, idem cum eo, quo vivi vivos colunt; religiosus verò, qualem vos facitis, neutiquam erit. Denique Augustinus ritus latriæ recenset in genere *sacra*: *deinde distinctè sacrificia, altaria, templa, dies festos*; uno verbo, *cùm nos nostráque religiosis ritibus consecramus.* Hoc disertè docentem repetentémque vidimus. Vos contra unicum sacrificium latriæ facitis eximium, atque id non tam re, quàm nomine, uti supra vidimus: reliqua omnia latriæ & duliæ communia facitis. Ita Bellarminus, ita alii. Angelus Rocca Episcopus Togastensis in Commentario *de Canonizatione Sanctorum cap. 38.* honores, quos Papa cuivis Sancto à se canonizato decernit, sequentes enumerat; *credere, illum esse Beatum & in Cœlis glorificatum: invocare eum in publicis precibus: in nomen ejus ædificare Ecclesias: in ejusdem honorem celebrare officium & sacrificium Missæ: festos dies ei consecrare: omnes ejus imagines venerari: reliquias ejus cultu religioso adorare: ad easdem reliquias religiosas peregrinationes suscipere.* Addunt alii, *vovere Sanctis vota: actiones gratiarum religiosas deferre: preces ad eos mentales concipere, per eos jurare, &c.* Vides, Redingi, quàm vanus, quàm impotens sit vester ille in authoritate Augustini, latriæ & duliæ cultum distinguentis, triumphus! 10. Denique diversitas cultus Sanctis viventibus & mortuis debiti gradus tota est, non speciei, hoc est, juxta illa, quæ ex Augustino modò attulimus, *majoris vel minoris securitatis & devotionis.* Manet enim idem objectum finitum, creatura, quæ religiosi cultus capax non est: manet idem modus, cultus videlicet *charitatis, societatis*, non *religionis*: manet eadem quoad rem colendi ratio, finita, creata excellentia, sive illa gloriæ cœlestis particeps est, sive imperfectione in mundo adhuc laborat. Neque *civilis* cultus tantùm in politica terrestris civitatis societate fundatur. Fundatur etiam in societate civitatis spiritualis, hoc est, Ecclesiæ; quæ societas quoad jus bonorum cœle-

 stium

ſtium in hac vita inchoatur, in cœleſti conſummatur. *Noſtrum enim* πολίτευμα *in Cælis eſt*, etiam dum Cœlo abſumus adhuc, Phil. III. 21. & *benedixit nobis Deus omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto*, Epheſ. I. 3.

OBIECT. VIII. *In utroque Teſtamento ſæpe viventes à viventibus invocatos legimus. Ergo nunc invocare etiam licebit eoſdem Sanctos cum Chriſto in Cælo regnantes, neque hoc cum injuria Chriſti magis, quàm illud conjunctum fuerit. Inprimis cùm defuncti majori flagrent charitate, & felicioris ſint ad auxiliandum conditionis.* Eccius argumentum hoc vocat *Achillem Catholicorum*. Reſp. 1. Ipſum hoc argumentum ſolutionem ſuppeditat. Si enim viventes à viventibus invocari poſſunt, quia in utroque Teſtamento id factum legitur: ergo defuncti à vivis invocandi non ſunt, quia in neutro id Teſtamento factum legitur. Illud facimus, quia legimus: hoc non facimus, quia non legimus, juxta illud Salvatoris Luc. X. 26. *In lege quid ſcriptum eſt, quomodo legis?* 2. Neque tamen uſpiam legimus, vivos à viventibus religioſè invocatos. Eſt advocatio, liceat ita loqui, ſocialis, quæ ſupponit affectus, defectus aut deſiderii noſtri notificationem per mutuam commercii conſuetudinem, quæ vivos inter & defunctos haud intercedit. Ita parvuli à parentibus viventibus & videntibus panem petunt. An iccirco etiam à defunctis, præſertim ſi à Papa canonizentur, idem expoſcent? Vivos igitur compellare poſſumus vel viva voce, vel per literas, vel per internuntios. At defunctos religioſè invocare non poſſumus, niſi iis omniſcientiam tribuamus, adeóque gloriam Dei & Chriſti mediatoris obſcuremus.

EXCIP. REDING: 1. *Licet Invocatio Sanctorum formalibus verbis in Scriptura præcepta non eſſet (præceptam tamen ſic eſſe, jam probavimus) vi tamen præſentis argumenti virtualiter in ea contineri probatur. Eo ipſo enim, quòd inter vivos fideles eſt mutua religioſi comercii conſuetudo, licita eſt ea ſocialis advocatio, quæ religioſa invocatio dicitur. Cùm ergo Sancti faciem Dei, & verbum increatum, quod ceu cauſa effectrix univerſas res creatas, noſtráq; adeò vota & deſideria intima continet, intueantur, utique pro charitatis Sanctæ, qua erga vivos fideles flagrant, ſocietate promptos ſe gerunt ad intercedendum pro iis, qui preces eorum expetunt.* Ibid. pag. 97. 98. Reſp. Nec formalibus, nec virtualibus verbis mortuorum invocationem præceptam eſſe, ex ſupra dictis liquet. Et fatetur id ipſum non obſcurè Bellarminus *de Beatit. Sanct. lib. I.* 10. ajens, *præceptum non requiri, quia ipſa nos neceſſitas ad invocationem Sanctorum impellat.* Quaſi ſcilicet major neceſſitas eſſet invocandi Sanctos, quàm Deum ipſum. Nam de Deo invocando mandatum ſanè extat. Si ea neceſſitas eſſet invocandi Sanctos, quæ ſine mandato ad invocationem illam nos compelleret, tum & fideles ante Chriſtum neceſſario ſalutis medio deſtituti fuiſſent, quos idem Bellarminus *cap.* 19. faſſus eſt Sanctos, utpote in Cœlum nondum ingreſſos non invocaſſe: & fideles N. T. neceſſarium ſalutis medium neglexiſſent, quia in eorum orationibus nulla Sanctorum mentio fit, neque ad illos reſpectus ullus habetur. Hinc adeò Walenburgii Fratres *Comp. controv. cap.* 17. neceſſitatem illam ſic elevant: *Rectè obſervant*

Epi-

Episcopus Bellacensis & alii, invocationem Sanctorum non esse ad salutem necessariam. Neque etiam extat praeceptum Ecclesiasticum de invocando Sanctos. Id tamen quemadmodum congruat juramento à Pio IV. hæc in verba præscripto : *Ego firma fide credo & profiteor, Sanctos unà cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse :* ipsi viderint. Nam vocatur hæc jurata *fidei Catholicæ, extra quam nemo salvus esse potest, professio.* Cadmæos ergo hosce fratres Redingium, Bellarminum, Bellacensem Episcopos & Walenburgios, nec non Papam Pium IV. conciliet, qui potest. Nos nec mandatam esse, nec necessariam, Walenburgiis consentientibus, statuimus. Cœtera quoque tua nil nisi principium & hypotheses jam debellatas mendicant. Levitatem tantùm & projectam audaciam tuam noto, quòd socialem illam & mutuam vivorum advocationem *religiosæ invocationis* nomine venditare non erubescis. Quis vivum hominem ψιλὸν à vivo homine *religiosè invocari* posse unquam dixit? Etenim religiosa invocatio fit precibus sacris, sive, uti S Augustinus supra locutus est, *ritibus religiosis.* Preces autem religiosæ sunt adoratio religiosa. At nunquam quisquam viventium adoratus est adoratione religiosa: ne quidem mortuus, vel Angelus ullus. Neque preces religiosæ cuiquam oblatæ leguntur. Cúmque religiosæ invocationis, & religiosi cultus, qualem Sanctis mortuis decrevistis, ritus sint sacrificiis, aris, Templis, festis, votis, juramentis, invocatione, adoratione, χαμευνία, imaginum, statuarum erectione, & ad easdem peregrinatione &c. colere; an æquè viventes his modis colitis? Hactenus equidem tale quid non audivi.

OBIECT. IX. *Sanctos invocandos esse etiam vetus ecclesia credidit: Seculo I. Dionysius Areopagita Hierarch. Eccl. cap. 7. ad Sanctorum preces obtinendas requirit, ne Sacras operationes natura eorum consentaneas abigamus. Idem probant liturgiæ Apostolicæ. Seculo II. Justinus Martyr Apol. 2. ait, Christianos præter Deum bonorum Angelorum exercitum & Spiritum Propheticum colere & adorare. Irenæus quoque lib. V. 29. Virginis Evæ Mariam virginem advocatam dicit. Seculo III. Origenes lib. 2. in Job. adorat Jobum. Cyprianus de stella & Magis, Protomartyres Clementiam Dei pro nostris exorare laboribus ait. Seculo IV. Athanasius Serm. de Deip. Mariam invocat. Hilarius in Psal. 129. infirmitatem nostram Angelorum intercessione indigere ait; Videantur Basilius homil. 20. in 40. Martyres, Eusebius, Ephren, Nazianzenus; &c. Seculo V. Chrysostomus homil. 26. in 2. ad Cor. Augustinus Serm. 17. de verbis Apostoli; alibique passim &c.* Aug. Reding. *pag.* 774. 775. Resp. 1. Pontificiam Sanctorum invocationem apud vetustos Patres ne Argus quidem invenerit. Ecquis enim Patrum Sanctos religiosè invocavit, ut dignitate & virtute meritorum suorum auxilium illis præstent? Ecquis omniscientiam, omnipræsentiam illis tribuit? Ecquis spem & fiduciam in iis collocandam docuit? Certè Epiphanius, Chrysostomus, Augustinus, & ipse Hieronymus fortiter reclamant, ne religiosæ adorationis cultu quisquam præter & extra Deum afficiatur. 2. Repeto etiam, quod & supra validissimè probatum, & à me etiam in apologia dictum Adversarius *pag.* 775. audaciæ insimulat, tribus primis & purioribus Seculis ne vestigia quidem invocationis Sancto-

rum apparere. Ipse ex Seculo I. Dionysium Areopagitam & Liturgias Apostolicas allegat. Sed eas recentioris sequiorisque ævi esse, non semel hactenus probavimus. Justini Martyris verba, quæ extant *Apol. II. pag. 56. edit. Paris. Sylb.* ita sonant: Τὸν πατέρα καὶ τὸν παρ᾽ αὐτοῦ υἱὸν ἐλθόντα, καὶ διδάξαντα ἡμᾶς ταῦτα, καὶ τὸν τῶν ἄλλων ἑπομένων καὶ ἐξομοιουμένων ἀγαθῶν ἀγγέλων στρατὸν, πνεῦμα τε τὸ προφητικὸν σεβόμεθα καὶ προσκυνοῦμεν. *Patrem, & qui ab eo venit, atque ista nos, & aliorum obsequentium exæquatorúmque bonorum Angelorum exercitum docuit, Filium & Spiritum propheticum colimus & adoramus.* Locus memorabilis est pro invocatione S. Trinitatis. Sed de Angelis istic non aliud dicit, quàm in Christi elogio παρενθετικῶς illud, eum ut nos, ita Angelorum exercitum docuisse. Sanè si Justinus Angelos invocandos credidisset, saltem extremo eos memorâsset loco, non inter Patrem & filium medios collocâsset. Proinde Bellarminus provocare maluit ad Irenæum, qui loco ab Adversario etiam allegato, Mariam dicit fuisse *Evæ advocatam.* Ad eum locum cùm jam responderim *Vindic. Refor. Theol. Sect.* 7. Adversarius responsum meum alatus prætervolat, & satis habet denuo locum objicere. Irenæus haud dubiè παράκλητον *consolatricem* Evæ B. Virginem vocaverat, non quidem καθ᾽ αὐτὴν, sed per metonymiam aut Synecdochen, quâ salutaris ἐνανθρωπήσεως organum futurum erat. Hoc vetus Interpres *advocatam* vertit, quia advocare veteribus idem erat, quod consolari, uti ipse etiam Rigaltius *Not. ad Tertull. de Pat. cap.* 11. *pag.* 166. observavit. Ex Seculo III. Origenes & Cyprianus producuntur. At illi non de invocatione Sanctorum, sed particulari eorum intercessione, quæ non invocatio ipsa, sed ad eam gradus fuit, loquuntur. Primus ita invocationi prælusit Origenes, *bonus interpres, sed malus dogmatistes*, uti eum Hieronymus vocat, quique dogma illud se non è Scriptura, sed à Seniore quopiam didicisse fatetur, *Homil. 16. in Josuam.* Illud item, quo loco haberi debeat, ostendit, quod in *Epist. ad Rom. lib. II. c.* 11. utrum animæ ad Angelorū similitudinem laborent, refert non inter fidei capita, sed dogmata ἀπόκρυφα, atq; ut ipse loquitur, *inter occulta Dei, nec chartulæ committenda mysteria.* Manet igitur firmum ratúmque, invocationem Sanctorū Ecclesiæ trium primorum Seculorū prorsus incognitam fuisse. 3. De sequentium Seculorū Patribus quid sentiendum sit, ἀποτόμως τε καὶ ἀποτόμως ostendimus superiùs *Ratione* VII. Neque hîc operam ludimus. Unum addidisse suffecerit, quàm iniquè Adversarius ubique consensum cum Vigilantio *hæretico*, ita eum insignit, orthodoxæ de invocatione solius Dei sententiæ affricare studeat. De Vigilantio pluscula dixi *Vind. Theol. Ref. th.* 8. quæ perinde ac si lecta non essent, strenuè vel dissimulat, vel prætervehitur. Utrumque & Hieronymum, à quo nihil humani alienum fuit,

&

& Vigilantium peccâsse τῇ ἀμετρίᾳ τῆς ἀνθολκῆς, pertendimus. Et Vigilantius quidem, si ex adversarii scriptis judicium ferri debet, regiam viam haud tenens, dum luxuriantem Sanctorum honorem intra modum coercere studet, infra modum ipse subsidens, non satis honori Sanctorum consuluit: aliqua etiam ad fidei summam non pertinentia, quæque probabiliter credi poterant, vehementi nimis studio impugnavit. Non probamus igitur, si dixit Vigilantius, *Sanctorum reliquias nullo honore dignandas: contactu earum hominem pollui: Orationes mortuorum pro ecclesia, seu intercessionem* (si generalem intellexit) *non exaudiri: Ecclesiasticos debere, velint nolint, esse uxoratos: nunquam expedire, ut omnia relinquantur, & pauperibus dentur.* Hæc aliaque ejusmodi eo, quo Vigilantio imputantur, sensu accepta minimè probamus. Contra Hieronymus festinantissimè in chartam conjiciens, quicquid ei nocte una, non semper Zelus secundum scientiam, sed etiam splendida bilis dictaverat, nunc quidem negat fieri, quæ quanquam non ab omnibus, vulgò tamen fieri constaret: nunc etiam eò usque prolabitur, ut ad reliquiarum cultum & intercessionem Sanctorum defendendam dicere sustineat, *beatas animas tumulis suis adesse, & Angelorum in modum celerrimè per loca maximè dissita vagari, eventúsque & postulata hominum ibidem cognoscere.* Verba ejus sunt Tom. II. pag. 122. *Si agnus ubique, ergo & hi, qui cum agno sunt, ubique esse credendi sunt.* Quæ etsi Bellarmino, aliísque Pontificiis displiceant, Redingio tamen arrident, hac Hieronymi defensione *pag.779.* utenti, quòd *præsentiam animarum non realem, sed intentionalem, qua videant in verbo res creatas, ubique extra Deum existentes*, intellexerit. Sed fortè Hieronymo nihil dum suboluit de illo Divinitatis speculo, quod Scholastica speculatio in scenam produxit. Neque adeò ἀκυρόλογος fuit, ut ubique esse eum diceret, qui in verbo res creatas extra Deum ubique existentes cognoscit. Non enim sicut Basilius M. ab Adversario citatus, de *visione* omnium loquitur. Denique Sanctis eandem præsentiam tribuit, quam Agno. At huic realis, non intentionalis duntaxat omnipræsentia convenit. Rectiùs alii sensum Hieronymi fuisse animadvertunt, quòd animæ passim seu ubilibet sint. Ita Maximus Turonensis *in Natali S S. Martyr. Taur.* ait, *universos sanctorum ubique esse, & omnibus prodesse, & semper nobiscum esse, nobiscum morari.* Quod tamen μάλαγμα culpam Hieronymi minuit veriùs, quàm tollit. Fateamur igitur oportet, utrumque & Hieronymum & Vigilantium æstu disputationis abreptum, quod optimis quandoque accidit, humanitus aliquid passum esse. Interim Adversarius Vigilantii hæresin nobis impingens, meminerit, probandum sibi incumbere, quòd Vigilantius sive ab Hieronymo, sive ab universa Ecclesia in Concilio aliquo hæreseos damnatus

tus

tus fuerit eo nomine, quòd solum Deum adorandum, Sanctos verò & reliquias eorum non adorandas statueret. Constat enim, S. Hieronymum nunquam hoc ipsi impegisse, ac ne ipsum quidem ex intercessione Sanctorum eorundem invocationem uspiam conclusisse.

EXCIP. REDING: 1. *Merita, quorum virtute Sancti pro nobis intercedunt, nihil aliud sunt, quàm pondus illud, quod ex Sanctitatis dignitate operibus eorum inexistens valet ad impetrandum Dei auxilium. Ita cùm fideles viventes pro se invicem orant, mutua eorum suffragia ex morali eorum bonitate, sanctitatisque dignitate pondus habent. 2. Dionysii Areopagitæ libros genuinos esse, supra probavimus. 3. Versio Justini Martyris à me allata invocationi Sanctorum manifestè patrocinatur; à te verò allata eidem non officit. Saltem is alibi de Discipl. & hab. Virg. Virgines implorat, ut post obitum sui meminerint. Item de stella & & Mag. Innocentes infantes in Cælo clementiam Dei pro nostris laboribus exorare, ais. Repono tibi illa Ignatii Epist. ad Trall.* Salutat vos meus Spiritus, non modò nunc, sed ubi Deum nactus fuero. Nam etiamnum in periculo versor. *Quomodo hæc in Cælo salutatio subsistet absque ejus cum viventibus communicatione, in qua Sanctorum invocatio fundatur? 4. Irenæus Mariam Evæ Paracletam seu advocatam vocat, non viventem duntaxat, sed etiam in Cælo agentem, quia per Evam totum genus humanum ab ea descensurum intelligit; & Maria indefinitè, adeòque semper, advocata vocatur. 5. Hieronymus Origenem in aliis, non hoc argumento, vocat malum dogmatistam. Neque Origenes de sola intercessione loquitur; sed alibi in Lament. omnes Sanctos; & libro in Job. S. Jobum in specie invocat. Quin & loco à te allegato in Epist. ad Rom. lib II. 2. non hoc antececedens, an Sancti extra corpus positi laborent ad similitudinem Angelorum; sed consequens, an etiam peccatores extra corpus positi, ad similitudinem sinistrorum Angelorum aliquid laborent, inter occulta Dei mysteria numerat. Tu verò perfidè hæc divisisti. 6. Perfidiam eandem prodis Hieronymum potiùs quàm Vigilantium oppugnando. Atqui Vigilantium Augustinus ipse de Eccl. Dogm. cap. 13. Eunomianis accenset. Et numquid non etiam vos cum Vigilantio asseritis, Sanctorum reliquias nullo honore dignandas, & Sanctorum mortuorum orationes pro Ecclesia non exaudiri? 7. Impiè etiam Hieronymo errorem impingis, asserenti, quòd Sancti, qui cum agno sunt, ubique sint. Omnino hoc intelligendum de præsentia non reali, sed intentionali. Ita etiam Basilius de Virg. Sanctorum Spirituum nullum esse ait, qui non ubique omnia videat: Et Augustinus de cura pro mort. cap. 16. per Divinam potentiam Martyres vivorum rebus interesse scribit, quia defuncti per naturam propriam interesse non possint. Et sanè Hieronymus dicens, quòd Agnus ubique sit, id de humana etiam natura intelligit; adeòque nonnisi de intentionali præsentia, hoc est, cognitione rerum creatarum in verbo æterno, loquitur. Idem ergo sensus est dicentis, etiam Sanctos, qui cum Agno sunt, esse ubique.* Ibid. pag. 97.-101. Resp. 1. Meritum illud, quod operi ex Sanctitatis dignitate inexistens pondus habet ad impetrandum Dei auxilium, solius Christi est; non Angeli, non Sancti cujusquam. Testantur id viginti quatuor Seniores illi, qui *procidentes coram sedente super throno*, (Christo v. 3.) *adorarunt Deum viventem in secula seculorum, & projecerunt coronas suas versus thronum, dicentes: Dignus es, Domine, qui accipias gloriam, & honorem & potentiam, quia tu creasti omnia*, &c. Apoc. IV. 10. 11. En Sanctos suam dignitatem abdicantes, & in Christum solum trajicientes, ob solius illius gloriam, honorem, *potentiam*, quam is habet à merito suo & liberandi nos, & *potenter* ac *ponderosè* pro nobis intercedendi. Sed de meritis

operum

operum plus satis supra. Certè qui merita sua cum merito Christi conjungit, is in partem Salvatoris & Redemptoris nostri venit. At Sancti Salvatores & Redemptores nostri non sunt. Et toto Cœlo aberras, cùm vivos pro se invicem intercedere *vi dignitatis, sanctitatis & moralis bonitatis suæ*, neque aliter *pondus habere* intercessionem nugaris. Pharisaicæ venæ talia sunt, non succi ex Divina revelatione, quæ fidelium etiam optimorum merita & dignitatem damnat, expressi. 2. Librorum Pseud-Areopagiticorum authoritatem invictis rationibus jam sæpe minuimus. Actum agere non libet. Quanquam ille *Hierarch. Eccl. c. 7.* quem locum Redingius citaverat, ne quidem de precibus Sanctorum defunctorum agit, sed tantùm de precibus Sanctorum viventium pro viventibus & defunctis. Objectio erat, non esse precandum pro defunctis, quia ii recepturi juxta ea, quæ gesserint viventes. Respondet, si ea ratio obtinet, ne quidem orandum esse pro vivis. Hoc sibi vult, viventium preces sive pro defunctis, sive pro vivis efficaciam nullam habere, nisi in iis, qui digni sunt. Si de precibus Sanctorum defunctorum non agit, multò minùs de precibus ad defunctos Sanctos agit. 3. Versio tua verborum Justini si patrocinatur invocationi Sanctorum, at non Justinus, cujus verba Græca alia omnia tinnire, ostendi. Neque id negare ausus es. Sed *nihil etiam officere ei*, regeris. Egregiè. Quasi liceret illos citare testes, qui silentio suo neutri parti vel prosunt, vel officiunt. Novum hoc testimoniorum genus est, quali nova & mala causa indiget. Ejusdem commatis est, quòd Justinum imploràsse virgines, ut post obitum sui meminerint, objicis. Hoccine verò est invocare mortuos? Atqui vivas virgines, necessitatum suarum conscias ille imploravit, non ut pro se vi meritorum intercedant, vel Mediatores apud Deum agant, sed *sui* modò *meminerint*. Denique Bethlehemiticos infantes in Cœlo *clementiam Dei pro nobis implorare*, idem scribit; neque nos improbamus, quia de generali imploratione clementiæ Dei, non speciali intercessione pro singulis loquitur. Ignatius verò quam Justino lucem affert? Scribit ille sub finem Epistolæ ad Trallenses: Ἀσπάζεται ὑμᾶς τὸ ἐμὸν πνεῦμα, οὐ μόνον νῦν, ἀλλὰ καὶ ὅταν Θεοῦ ἐπιτύχω. *Salutat vos meus Spiritus non modò nunc, sed etiam ubi Deum nactus fuero.* Quomodo verò Spiritus ejus *Deum nactus* Trallenses salutavit? Nam salutatio propriè præsentium est. Sed absentes votis salutantur. Salutaverit ergo Trallenses Spiritus Ignatii in Cœlo, iis antea cognitis læta vovendo, precando; quid hoc ad salutationem incognitorum, quid ad invocationem eorum, qui salutant? Nam & Trallenses Spiritus Ignatii vivus adhuc salutavit; quem tamen Trallenses propterea non invocarunt. 4. De Irenæo quicquid oggannias, ex verbis ejus clarum illud inprimis est, eum considerare Mariam in terris, non autem mortuam & regnantem in Cœlis. Is enim *virgini*, seductæ, *verbum Dei prævaricatæ*, *Deum fugienti* opponit Mariam *virginem evangelizatam, obedientem Deo, portantem Deum*, in hac utique vita. Addit: *ut virginis Evæ virgo Maria fieret advocata*: hoc est, non causam ejus apud Deum agens sive precibus, sive meritis; sed *consolatrix*. Ita Tertullianus *contra Marc. lib. IV.* 15. Græca illa Luc. VI. 24. ἀπέχετε τὴν παράκλησιν ὑμῶν *habetis consolationem vestram*, reddit: *Accepistis advocationem vestram.* Plura ex eodem loca id ipsum probantia Rhenanus, Pammelius, Rigaltius notant. Sic Irenæus Græcum παρακαλεῖν convertit *advocare*. Mariam igitur *advocatam* Evæ appellat, quatenus scilicet, quæ ruina in genus humanum irrupit per Evam, ea reparata est per Mariam, gignentem Salvatorem Christum. At hunc non in Cœlo, sed in terra genuit. Nihil ergo tricæ tuæ efficiunt. Vocat enim *advocatam* indefinitè respectu Evæ & generis humani ex ea sati; sed non in Cœlo, nec in

 sensu

ſenſu ſimpliciter indefinito. uti oſtendimus. Addo etiam, licet Mariam *Evæ Advocatam* Irenæus dixerit, ab Eva tamen Mariam invocatam eſſe, nuſpiam legi. Cui bono in Cælo interceſſiſſet Maria pro Eva, quæ ante ipſam Mariam Cœlo potita erat? 5. Origenem fateor in ſpeciali hoc argumento ab Hieronymo non vocari *malam dogmatiſten*; ſed in univerſum. In hoc verò argumento nihil pro bono *dogmatiſta* fecit, quando *contra Celſ. lib. VIII.* dicens, *Angelos, animas & ſpiritus* (συναίσθεσθαι) *ſentire eos, qui digni ſunt favore Cæleſtis Numinis; quibus non ſolùm ipſi bene velint, ſed etiam dent operam, ut Deum ei ſervire volentibus concilient & (συνεύχονται) una nobiſcum precentur*; alibi tamen *in Joſ. homil.* 16. diſertè fatetur, ſe à ſeniore quopiam illud dogma, quod è Scripturis firmare non poterat, didiciſſe. Verba ejus hæc ſunt: *Ego ſic arbitror, quòd omnes illi, qui dormierunt ante nos, patres.* (non omnes à Papa canonizati) *pugnent nobiſcum, & adjuvent nos orationibus ſuis. Ita namque etiam quendam de Senioribus magiſtris audivi dicentem in eo loco, in quo ſcriptum eſt in Numeris, quia ablinget ſynagoga illa hanc ſynagogam ſicut ablinget vitulus herbam viridem in campo.* Dicebat ergo: *Quare hujuſmodi ſimilitudo aſſumpta eſt, niſi quia hoc eſt, quod intelligendum eſt in hoc loco, quòd ſynagoga Domini, quæ nos præceſſit in Sanctis, ore & lingua conſumit adverſariam ſynagogam, id eſt, orationibus & precibus adverſarios noſtros abſumit.* An ita, Redingi, bonam dogmatiſtam decuit? Prodis deinceps vel ignorantiam, vel malam fidem tuam, cùm ejuſdem Origenis ſententiam de invocatione Sanctorum ex Pſeudepigraphis *in Lamentationes* & *Jobum* probare contendis. Utrumque enim fœtum illum ſpurium eſſe, doctiſſimi quique veſtrarum etiam partium agnoſcunt. Priorem obelo confixit ipſe Gelaſius Papa, etiam Baronio *ad A.* 259. *n.* 110. teſte. *Lamentum hoc,* ſic Eraſmus concinit, *nec ab Origene ſcriptum eſt, nec ab Hieronymo verſum, ſed figmentum eſt alicujus indocti, qui ſtuduerit hujuſmodi colore Origenem infamare.* Poſteriorem Genebrardus, Sixtus Senenſis, Eraſmus pariter expungunt. Genebrardus *Collect. de vita Orig. c. 6. n.* 1. paucis: *Commentarii in Jobum non ſunt, nec habentur Origenis.* Sixtus Sen. *Biblioth. S. lib. IV. verb. Origenes: Nam,* inquit, *nunc habemus Origenicis voluminibus inſertum duplex explanationum opus in Job. Sed neutrum Origenis eſt. Nam præterquam quòd amborum phraſis & docendi methodus longè diſtat ab Origenica dictione, illud quoque accedit, quòd author prioris operis* (quod hic Redingius citat) *contra Origenis conſuetudinem innummeris pæne battologiis redundat, multúmque temporis conſumit, dum perſonis orationes plus æquo longas affingit, & nunc ad Job, nunc ad Diabolum per apoſtrophen loquitur, & inter hæc Luciani Martyris celebrat agonem, & Homouſianorum ſententiam commemorat. Conſtat autem & Lucianum Martyrem ipſúmque Homouſii & Homouſianorum nomen longè poſt Origenis tempora enatum.* Paria Poſſevinus *Appar. S. verbo Origenes* ſcribit. Et talibus tamen larvis Redingius, uti ſæpiſſime alias, delectatur, quibus Catholicum quenquam moveri iniquum eſſet. Ejuſdem Origenis locum, qui *in Epiſt. ad Rom. lib. II.* 2. extat, repræſentare libet, ut lector judicet, qua mihi in citando eo fide *perfidiam* Redingius objecerit. *Jam verò,* inquit, *ſi etiam extra corpus poſiti, vel Sancti, qui cùm Chriſto ſunt, agunt aliquid, & laborant pro nobis ad ſimilitudinem Angelorum, qui ſalutis noſtræ miniſteria procurant: vel rurſus peccatores etiam ipſi extra corpus poſiti agunt aliquid ſecundum propoſitum mentis ſuæ, Angelorum nihilominus ad ſimilitudinem ſiniſtrorum, cum quibus & in æternum ignem mittendi dicuntur à Chriſto: habeatur hoc quoque inter occulta Dei, nec chartulæ committenda myſteria.* Poſtremò hæc verba: *habeatur hoc quoque inter occulta Dei,* &c. referenda eſſe non ad antecedens illud: *Jam verò ſi etiam extra corpus illud poſiti, vel Sancti* &c.

&c. sed ad consequens illud : *vel rursus peccatores etiam ipsi* &c. Redingius sciscit. Quid quæso insulsum, quid stolidum magis ? Tum enim quid respondebit priori illi conditionali] *Si* etiam extra corpus positi &c. si non postrema illa, ***habeatur hoc quoque*** &c. & quò illud *quoque* pertinebit, si non antecedens & consequens copulat ? Lectorem duntaxat candidum, non doctorem locus desiderat, & manifesta non mea citantis, sed adversarii corrumpentis perfidia erit. 6. In certamine Hieronymum inter & Vigilantium, hujus cruditatem, & illius æstum boni omnes improbant. Neque perfidiæ crimen Hieronymi *ἀμετρίαν τῆς ἀνθολκῆς* non usque quaque probanti, (uti nec Villavincentium probasse supra ostendimus) nisi insanus aliquis, & ferreus partium sectator, impingere potest. Pluscula eam in rem cùm alibi, tum supra *ad Arg.7. n.9.* dicta non repetimus. Frustra verò Augustinum objicis. Is enim libri *de Ecclesiæ dogmatibus* à te citati (ubi pro *cap.73.* scribens *cap.* 13. prodis, à te librum lectum non esse) author non est ; sed, si Trithemio credimus, Alcuini ; si Walafrido Straboni *de re Ecclesʃ. cap.* 20. Lombardo *Sent.* 2. *dist.*8. Thomæ *Quodlib.* 12. aliis, quin & Baronio ipsi ad *A.* 490. *ʃʃ.* 46. Gennadii ; si Lovaniensibus *Censʃ. Append. T.* 3. nec Augustini, nec Gennadii, imò ne *Catholici* quidem *scriptoris*. De eodem sic etiam Alphonsus de Castro *adv. hæresʃ. Bapt. hær.* 10. scribit : *Nego illud opus* de dogmatibus Ecclesiæ *esse Augustini, prout multi ante me hoc negaverunt.* Frustra ergo Vigilantium Augustini authoritate premere, & in Eunomii castra redigere conaris. Quanquam si, quam incertus ille author Eunomio & Vigilantio impingit, vera Vigilantii sententia fuit, nihil id nostra refert, quia & nos ipsi cum incerto illo authore *B. Martyrum reliquias, ac si Christi membra sincerissimè honoranda, & Basilicas eorum nominibus appellatas, velut loca Divino cultu mancipata, affectu piissimo, & devotione fidelissima adeundas credimus.* Si ergo contrà Vigilantius cum Eunomio docuit, *nefas esse Basilicas Apostolorum & Martyrum ingredi*, quod ei Hieronymus *adv. Vigil. cap.* 3. tribuit, hactenus eum res suas sibi habere jubemus. Neque ita scrupulosi fuimus unquam. Neque Sanctorum reliquias honorandas non esse, quod per calumniam Redingius nobis impingit, negavimus unquam. Non enim non honorandas, sed non *religiosè* honorandas asserimus. 7. Tu verò Hieronymum, Sanctorum ubiquitatem defendentem, impotenter defendis, & Scripturæ manifestis testimoniis, Deut. IV. 7. Jos. II. 11. 1. Reg. VIII. 27. Psal. CXXXIX. 7. Jerem. XXIII. 22. Joh. XIV. 1. 2. Cor. V. 1. Heb. XI. 14. &c. repugnas. Neque errori vel Basilius, vel Augustinus favet. Ille enim *Tomo I.* de *vera Virg. p. m.* 640. non ubique Sanctos esse dicit, sed *Deum*, *τὰ τῶν Ἀγγέλων πλήθη ἀναρίθμητα, καὶ τῶν πατέρων ἅγια πνεύματα*, *Angelorum infinitas multitudines, & Patrum Sanctos spiritus* inducens, subjicit : *Οὐδείς τούτων ἐστὶν, ὃς οὐχὶ πανταχοῦ καθορᾷ* ; *Nullus ex his est, qui non singula ubique consideret.* Non hic inquiro, an de Sanctis Patrum Spiritibus id dici possit, & an verbo Dei id congruat. Id unum urgeo, non de Sanctorum ubiquitate, sed notitia, seu *consideratione*, quæ rerum absentium esse potest, Basilio sermonem esse. Quid ergo hoc ad rhombum ? Planè scilicet, sicut verba Augustini ex *lib. de cura pro mort. cap.*16. à te citata. *quòd per Divinam potentiam Martyres vivorum rebus intersint.* Non enim ex propria ibi sententia loquitur. Suam enim sententiam *cap.* 13. sic explicat : *Si rebus viventium interessent animæ mortuorum, & ipsæ nos, quando eas videmus, alloquerentur in somnis, ut de aliis taceam, me ipsum pia mater nulla nocte desereret, quæ terra marique secuta est, ut mecum viveret, &c. Sed* (NB) *profectò, quod sacer Psalmus personat, verum est ; quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assum-*

psit me. Si ergo dereliquerunt nos patres nostri, quomodo nostris curis & rebus intersunt? Sed Hieronymum dicentem *quòd Agnus ubique sit*, ais id de natura etiam humana, adeóque præsentia non reali, sed intentionali intelligere. Quo verò argumento? Nullo. Nam *Agnus* quidem nomen personæ, non naturæ; concretivum, non abstractivum est. Quomodo verè & realiter, non intentionaliter, secundum cognitionem rerum absentium, ubique est. Quicquid ergo machineris, erravit hic Hieronymus, & eum quidem errorem erravit, quem plerique vestrûm, saniores saltem, pridem ejurarunt.

QUÆSTIO III.

An sanctorum Martyrum & aliorum cum Christo regnantium corpora, aliæque reliquiæ, à fidelibus religioso cultu sint veneranda?

AFfirmat decretum idem. Consistit autem in eo religiosus ille cultus, quòd corpora, cineres, seu ossa sanctorum ex sepulchris eruta elevant, & in conspicuo loco, ac sæpe supra altare collocant, auro, argento, serico exornant; quòd in processionibus & supplicationibus reliquias illas circumferunt, à Christiano populo tangendas, osculandas vel spectandas; quòd coram illis gestu & animo adorabundi procidunt; quòd in illis reliquiis gratiam & beneficia Dei quærunt; quòd eis pretiosa dona offerunt; quòd ad loca, ubi reliquiæ esse putantur, religiosas peregrinationes suscipiunt; quòd in altari includunt ad sanctitatem Eucharistiæ conciliandam; quòd portant in collo ex devotione & fiducia ad Deum & Sanctos; quòd tactis reliquiis juramenta faciunt. Ejusmodi religiosæ reliquiarum venerationi gratiam, beneficia, efficaciam precum apud reliquias fusarum, opem & remissionem peccatorum pollicentur. Hanc sententiam publicam esse Ecclesiæ Pontificiæ, Synodus non palam quidem definit, sed tectè admodum & versutè. Ait enim, *Sanctorum* defunctorum *corpora veneranda esse*, & damnat eos, qui affirmant, *Sanctorum reliquiis venerationem & honorem non deberi: vel eas aliáque sacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari.* Versutè, inquam. Non enim de *veneratione, honore* reliquiarum, sed de specie *honoris & venerationis* illius ambigi, probè noverant, anne videlicet religiosa adoratio iis competat. Competere certè credidit Synodus, sed verbis exprimere erubuit, quia inhumanum erat à Synodo nomen Christi profitente quenquam ideo damnari, quòd hominum mortuorum corpora adorare refugiat. Nos ergo ut aliquo cum colore damnarent, finxerunt eos nos esse, qui Sanctorum cor-

corporibus nullum honorem habeamus,hoc eſt,ea velut inſepulta abjiciamus, quod propriè eſt *Sanctorum corporibus honorem debitum negare.* Sed quicquid ſit, nos reliquias religiosè colentes & adorantes impugnamus argumentis ſequentibus.

ARG. I. Cùm Scriptura ſit canon & regula fidei, cultum tamen ejusmodi reliquiarum non ſancivit vel mandato vel promiſſione. Quin gratiam & beneficia jubet quæri fide & invocatione ad Deum, non reliquiarum cultu. Deum adorari vult non efficaciùs uno quàm alio in loco; nec preces nec Sacramenta, nec juramenta ſanctificari aliter quàm animo & fide ſentit, non oſſium vel cinerum contactu.

Resp. Reding: 1. *Saltem Scriptura religioſi creaturarum cultus exempla ſuppeditat. 2. Fatemur, gratiam & beneficia Dei per fidem quærenda eſſe. Sed mediante reliquiarum cultu ad fidem & invocationem Dei perducimus. 3. Annon etiam Abrahamus ſupra femur ſuum, ex reſpectu Meſſiæ inde proditurì,honore in ipſum Chriſtum tranſeunte, ſacrum à famulo ſuo jusjurandum exegit? Vides ergo, juramenta inſtrumentis inanimatis, quæ ſacrum ad res Divinas reſpectum habent, ſanctificari poſſe. Licet etiam Sacramentorum ſanctitas ex cinerum oſſiúmque ſanctitate non pendeat, horum tamen ad Divos, &, his mediantibus, Deum ipſum relatio religioſa ad illorum condecorationem, & ad preces, Sanctis mediantibus, Deo offerendas, vel maximè conducit.* Tomo IV. Tract. XII. ſſ. 2. pag. 102--105.

Reſp. 1. Exempla à te objecta infra jam dilueramus. Tu nuda & cruda reponis, nullo tuo lucro. Exempla ergo vera & probata nulla habes. Mandato vos deſtitui, ſilentio tuo prodis, & res ipſa docet. Qualis ergo reliquiarum ille cultus veſter? 2. Superſtitioſus planè, Divino mandato, promiſſione, exemplis deſtitutus penitus. Non ergo mediante eo ad fidem & invocationem veri Dei, ſed ad alia omnia ſeducitis. 3. Quid Abrahami viventis femur ad Sanctorum reliquias? An vel ipſe Abrahamus, vel ſervus ejus Eliezer, vel alii femur illud religiosè coluerunt? Sed ſic, inquis, juramenta inſtrumentis inanimatis ſanctificari, patet. Scilicet femur Abrahami viventis inſtrumentum erat *inanimatum*, cujuſmodi reliquiæ ſunt. Ineptiſſimum inſuper eſt, juramentum Eliezeris femoris Abrahamici contactu ſanctificatum fuiſſe. Erat enim juramentum in re civili, adhibito ritu civili, & forte conſueto; quo ſervi jurantes Domini ſui tangebant femur, ad teſtandum obſequium & devotionem inferioris erga ſuperiorem. Myſterium prodituri ex femore Abrahami Meſſiæ in tactu eo venati ſunt veteres nonnulli, fateor; & piè quidem. An tamen ea mente Abrahamus ritum eum ſervo ſuo præſcripſerit, dubitari meritò poſſit. Quam in rem plura ex mente veterum Hebræorum & Chriſtianorum *Hiſtor. Patr. Tomo II. Exercit. III.* 60. diximus. Si qua hic ſanctificatio fuit, non à femore juramentum; ſed à juramento femur ſanctificatum, neque tamen propterea à quoquam religiosè cultum eſt, eo modo, quo mortuorum inanimatas, & incertiſſimas ſubinde reliquias vos colitis: Nam Catechiſmo Tridentino *in Præc. III.* teſte, ſoletis vos *ad faciendam fidem per res ſacratas jurare, ut per ſacra Dei Evangelia, per crucem, per Sanctorum reliquias & nomen.* At ſervus Abrahami non per femur Abrahami juravit, ſed per Deum, tacto Abrahami femore. Neque etiam dici poteſt, cum, qui jurat tactis Sanctorum reliquiis, jurare per Sanctos; adeóque etiam per Deum, qui eas ſanctificavit. Perinde enim jurari poſſet etiam per Cœlum, ubi Deus

 poſuit

posuit thronum,& quod præsentia sua sanctificavit,imò per bestias & arbores, quas creavit. Par ratio Sacramentorum est, quorum omne decus & sanctitas non à cineribus & ossibus inanimatis, sed ab institutione & fideli eorundem usu pendet. Vestris legibus, quæ in Pontificali vestro habentur, nullum altare consecratur absque reliquiis. Ideo *cap. de consecrat. alt.* altare *sepulchrum* appellatur, dicitúrque altare *in honorem & nomen sancti, cujus reliquiæ altari includuntur, dedicari.* Pertinet id ad Missæ dignitatem & integritatem; in qua Sacerdos prona facie altari incumbens has voces submurmurat: *Oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic sunt, & omnium sanctorum, ut indulgere digneris omnia peccata mea.* Sic tacitè Christus insimulatur imprudentiæ aut negligentiæ, qui cum Apostolis Eucharistiam celebraturus de supponendis sacræ mensæ Samuelis aut Josephi ossibus solicitus non fuit. Cujus exemplum secuti Apostoli à Præsulibus Ecclesiæ Romanæ industria vincuntur.

ARG. II. Quoties in V. vel N.T. defunctorum memorantur exempla, illorum corpora terræ mandata dicuntur, sine ulla translatione, ostentatione, religiosa veneratione. Evidenter id comprobant exempla Scripturæ, Abrahami, Isaci, Jacobi, Josuæ, Davidis, Johannis Baptistæ, Stephani Protomartyris &c. Quin Mosis corpus Deus ipse sepeliit Deut. XXXIV. 6. ne Judæi illud propter Viri sanctitatem & miracula ad ejusmodi cultum raperent. Neve argumentum hoc *ex particularibus* procedere ulteriùs Redingius clamitet, inferiùs etiam exempla in contrarium allegata discutiemus.

RESP. REDING: 1. *Argumentum tuum ex puris particularibus procedit.* 2. *Imò honorem Sanctorum reliquiis debitum per S. Scripturæ argumenta & exempla dilucidè probamus.* 3. *Sepulturæ corporis Mosis extraordinariæ causa singularis fuit, ne à Judæis pro Deo coleretur, uti Chrysostomus homil. 85. in Matth. exponit. Periculum hoc in reliquiarum honore debito metuendum non est. Imò vel hic maximus corpori Mosis honos exhibitus est, quòd sepultum illud fuit ab ipso Deo in sepulchro tam admirando, ut qui in illud inquireret, nemo dignus fuerit.* Ibid. pag. 105. Resp. 1. Argumentum à particularibus omnibus affirmativum ad totum affirmativum procedens validum est. Si omnium Sanctorum corpora humi mandata esse, Scriptura testatur; ergo Dei voluntas est, ut Sanctorum omnium corpora humi mandentur. quod religioso reliquiarum cultui Pontificio è diametro adversatur. Si enim & mandatum non sepeliendi, sed religiosè colendi; & exempla non sepultorum, sed religiosè cultorum in Scripturis desunt, quis non sepelientes, sed religiosè colentes probare ausit? 2. Nam exempla quidem à vobis producta inferiùs solidè discutimus. Certè ad honorem Sanctorum pertinere nequit, eorum ossa *sepelire sepultura asini*, uti Propheta Jerem. XXII. 19. loquitur; adeóque honoris causa iis facere, quod Pontificii ipsi, imò & saniores Ethnici ignominiosum, profanum, impium esse docent. Siquidem Bellarminus inter utilitates, quæ mortuis ex sepultura accedunt, hanc *de Purgat. lib. II. cap. ult.* commemorat, *quòd consulitur honori eorum, adhuc in hominum memoriis viventium. Non enim cares,* inquit, *ignominia quadam, quòd fœditas corporis nostri aliorum conspectibus patet.* Et Cardinalis Borrhomæus cum universa Synodo Mediolanensi *Concil. Mediol. 4. tit. de S. reliquiis* vetat, *ne tangantur sacræ reliquiæ, quoniam*

niam hoc sacrilegum ac minùs propterea ferendum esse, S. Gregorius Pontifex (Regist. lib. III. epist. 30.) *scribit.* Denique *insepultam sepulturam* Cicero *Philipp.* 1. pro dedecore habet. Vos contra Sanctorum ossa servatis in capsis ostendenda populo, à clericis attrectanda, gestanda in processionibus, in altaribus exponenda : nec ea vel à ventis, vel à Solis radiis remota esse finitis, sed è sepulchris eruta conspectui tactuíque hominum objicitis, & quaquaversum dissipatis. Pius II. (*Comment. ejus lib. VIII.*) partes ossium Magdalenæ, recens in quadam Italiæ insula repertas, inspexit & osculatus est : quod Andreæ capiti tum ipse priùs fecerat, tum ab aliis fieri permiserat & curaverat. Etiam quorum crania, craniorúmque fragmenta simulachris capitum argenteis illigata sunt, eorum pars aut osculo patere consuevit, quum adiri possent quotidie à quibusvis: aut conspectui saltem, cùm semel tantummodo quotannis magna pompa, diebus memoriæ eorum consecratis, populo ostenderentur. Cujus autem Sancti, paulò celebrioris, ossa non in varias mundi oras dispersistis ? Certè Abundius & Abundantius non erant ex clarissimis. Eorum tamen corpora, postquam è Cosmæ & Damiani Templo, in quo requiescebant, in novam Jesuitarum Basilicam, transferri jussisset Gregorius XIII. quædam eorum ossa relicta sunt in hospitio Cosmæ & Damiani pristino : quædam ad Cœnobium Sanctimonialium Senas transportata : quædam in Japonem, novi orbis insulam, ultra Garamantas & Indos translata sunt. uti in historia *invent. & translat. Sanct. Abundii & Abundantii Romæ A.* 1584. *edita* legere est. Proinde licet asseratis, vos reliquias tractare ad honorem Sanctorum, tamen illas tractatis ignominiosè, cùm exhumatis, dissipatis, nec patimini corpora, quæ in pace sepulta sunt, in pace quiescere ; sed quorum fœditatem, vel Bellarmino agnoscente, ratio, religio, jus humanitatis tellure tegi jubet, ea intra capsas, partim extra, hominibus videnda & tangenda exhibetis. Hic ille honor religiosus, vel potiùs contumeliosus (quomodo Cicero *pro domo sua* Catonem ait ejectum esse à Clodio *per honorem turpissimum*) est, quo Sanctorum reliquias insepultas afficitis. 3. Bellarminus *de reliq. Sanct. lib. II.* 4. valde credibile esse ait, *quòd corpus Mosis, licet mortuum, conservaverit splendorem vultus & decorem, quem antea habebat.* Si ergo Deus occultum esse voluit corpus Mosis, quod miraculosa ejusdem operatione splendorem vultus etiam post mortem retinuit, quomodo religiosus cultus corporibus & ossibus Sanctorum delatus Deo gratus & acceptus esse potest ? Sic enim profectò corpus Mosis cum tanto splendore suo, ut religiosè coli posset, non sepeliendum, sed manifestandum fuerat. Neque certè periculum erat, ne corpus Mosis, cassum anima cadaver, pro vero & vivo Deo, Cœli & terræ creatore, Judæi haberent colerentque ; sed illud potiùs metuendum erat, ne religioso sepulchri Mosaici vel reliquiarum Mosaicarum cultu verum Deum se colere posse ac debere cogitarent, quia scilicet Deus tot per electum ac salutare hoc organum miracula perfecit, tot eis beneficia præstitit. Hæc ergo sepulti corporis Mosaici *singularis ratio* illa ipsa est, quæ λειψανολατρεία vestræ jugulum petit. Nam & vos propterea, quia Deus per Sanctos olim miracula operatus est, vel miraculis sepulchra Sanctorum mortuorum honoravit, eorundem ossibus & reliquiis religiosum honorem deferendum esse contenditis : & defertis insanum in modum. Neque si DEUS ipse corpus Mosis sepeliendo honoravit, iccirco religioso honore & cultu illud prosequi quenquam jussit. Nam à genere honoris ad ejusdem speciem argumentatio ἀσυλλόγιστος est. Quo ergo genere honoris Deus corpus Mosis honoravit, eodem Sanctorum defunctorum corpora honoranda sunt. Atqui ille corpus Mosis non ad religiosum illud cultum prostituendo,

sed

ſed ſepeliendo honoravit. Ergo eodem modo corpora & oſſa Sanctorum nobis honoranda ſunt.

ARG. III. Deus corpora defunctorum jubet mandari Terræ, Geneſ. III. 19. Eſaj. XXVI 20. LVII 2. Perperam igitur producuntur, oſtentantur, oſculis, cereis, ſericis &c. honorantur.

RESP. REDING: 1. *Deus equidem Geneſ. III. 19. ſententiam tulit, ut propter peccatum homo revertatur in pulverem. Ubi verò Dei bonitas & Chriſti redemptio in Sanctis peccatum abolevit, eóſque in gratiæ & ſanctitatis ſtatum reſtituit, non obſtat ampliùs peccatum, quò minùs corpora ſacra, Divinæ operationis inſtrumenta, animæque ad Dei ſanctitatem elevatæ habitacula, cultu tum duleutico, in ſpiritum inter Cœlites glorioſum; tum latreutico, ut ſic ultimatè in Deum redundante, afficiantur. 2. Eſaj. XXVI. 20. hoc ſolùm dicitur, Sanctum Dei populum oportere poſt mortem ſepulchra intrare, uſque ad diem reſurrectionis glorioſæ. Cùm verò hæc ſententia ſit erga electos, quoad animam in Cœlum translatos, quoad corpus ſpe reſurrectionis præfulgidos, fas utique erit in his ipſis corporibus ſacris ſpem reſurrectionis, ejuſque radicem, ſanctificantem gratiam in animæ jam cœliteæ & glorioſa venerari, ſicque vel primævum eorum ſepulchrum, vel quemcunque loculum corporis ejuſmodi ſacrum continentem, & ſepulchri vices tenentem exornare. 3. Illa verò Eſaj. LVII. 2. requies in pace altiorem, quàm ſepulturæ tantùm, omnibus mortuis communis, ſortem importat, quæ honorifica commemoratione ſanctitatis & beatitudinis tum eſſentialis, quam anima in Cœlis obtinet; tum integralis, quæ corpori per glorioſam reſurrectionem superveniet, digna eſt.* Ibid. pag. 105. 106. Reſp. 1. Deus hominem peccatorem & mori, & in pulverem reverti Geneſ. II. 17. III. 19. voluit, juſſit. Sicut autem peccati reatus per juſtificationem, & maculæ per ſanctificationem in fidelibus abolitione, eorundem mors non ceſſat, ſed maledicta tantùm eſſe deſinit: ita reditus in pulverem per ſepulturam par ratio eſt. Fixa manet reſpectu fidelium omnium, non obſtante peccati remiſſione, ſententia mortis. Manet ergo fixa etiam reditus in pulverem per ſepulturam. Quæ verò corpora quorumcunque in hac vita hominum fuerint, Deo ſanciente, ſepeliri debent: eadem ad cultum religioſum exponi non poſſunt. 2. Sed & Eſaj. XXVI. 21. Deus populum ſuum poſt mortem (ita Redingius ipſe) ire בחדריך *εἰς ταμιεῖα in cubicula*, hoc eſt, (uti Redingius ipſe explicat) in ſepulchra ſua jubet. Pronuntiatur utique hæc ſententia *erga electos*. Sed quomodo fas erit ſic ingreſſos ſua cubicula, hoc eſt, in ſpem reſurrectionis *ſepultos* eo modo venerari, quo reliquias vos venerari ſoletis? Quid *exornare* eo, quo jactas, modo, Sanctorum, *ſepulchra* aliud eſt, quàm *οἰκοδομεῖν τοὺς τάφους τῶν προφητῶν, καὶ κοσμεῖν τὰ μνημεῖα τῶν δικαίων ædificare ſepulchra Prophetarum, & exornare monumenta juſtorum*; ac de cœtero *implere menſuram Patrum*, qui Prophetas & juſtos illos occiderunt quomodo & vos tot Sanctorum myriadas mactaſtis, & mactare pergitis, Matth. XXIII. 29--32? Macte vos *exornatores* eximii! Pergite modò exornare, & menſuram Patrum implere. 3. Haud diſſimilis ratio eſt loci Eſaj. LVII. 2. *Tollitur ante malum juſtus, ingredietur in pace,* ינוחו על משכבותם *quieſcent in cubilibus ſuis, qui ambulaverunt coram eo.* Sublatus ergo juſtus quieſcit corporetenus *in cubili*, ſepulchro, ne malum ingruens videat. Qui in ſepulchro quieſcit, is quoad oſſa & reliquias ſuas extra ſepulchrum non oſtentatur, religiosè colitur, adoratur. Et *quies in ſepulchro* poſt ſe corruptionem corporis omniúmque ejus partium trahit. Verum eſt, altiorem etiam ſpiritus

in

in Cœlo quietem sortemque defunctos manere. Sed conjuncta tamen illa est cum quiete corporis in sepulchro. de qua disertè Propheta loquitur. Sed quies ejusmodi honorificam, inquis, commemorationem meretur. Meretur sanè, sed non religiosum cultum; atque sic, ut corpus in sepulchro quiescat, non extra illud ostentetur, exornetur, adoratur.

ARG. IV. Cultus, quem reliquiis tribuunt, honos est non creaturæ, & quidem inanimatæ, sed soli Deo competens. Vetat autem Deus graviter honorem suum aliis tribuere. Neque obstat Adversarii cantilena & θρυλλεία συχνὴ *pag. 795.* negantis, se Reliquiis cultum strictè dictum & propriè religiosum, seu adorationem latreuticam, quæ solius Dei sit, tribuere. Scriptura enim *latreutica*, *duleutica*, *absoluta*, *relativa* adorationis differentiam non agnoscit, & simpliciter religiosam adorationem soli Deo vindicat. Nihil prodest protestatio contraria facto. Dei judicium erit secundùm veritatem, non secundum ingeniosas illas præcisiones & intentiones hominum prævaricantium, προφασιαζόντων. Etiam Baalem osculantes tantùm, eum adorâsse dicuntur 1. Reg. XIX.18. & propter religiosum illud osculum idololatriæ rei peraguntur. Sed & nota est Durandi oratio ante Veronicam, hoc est, sudarium, in quo facies Christi expressa & Veronicæ exhibita fertur, recitanda, quæ ita incipit: *Salve sancta facies &c* Quam devotè recitantibus Johannes XXII. promisit decem millium dierum indulgentias. Denique & praxis publica, & confessio Vasquezii *in 3. Thom. q. 25. disp. 112. c. 2.* profitentis, *apud Catholicos veritatem indubitandam esse, reliquias Sanctorum ADORANDAS esse.* aliorúmque, recentium inprimis Theologorum, ingenua ostendit, omnino *adorationis* cultu reliquias affici, quicquid etiam Bellarminus, & ex eo Redingius tergiversentur. Quanquam Redingius sibi contradicit *pag. 756.* ubi disertè ait, respectivum latriæ cultum (quem reliquiis Christi deberi sæpius asserit) in eo se tenere, *quòd res inanimata habens respectum ad Christum, propter hujus excellentiam eatenus colatur, imò secundùm sacras literas ADORETUR, ut tamen cultus ejusmodi non terminetur in re inanimata* &c.

Resp. Reding: *1. Calumniaris audacissimè, comminiscens, quòd reliquiis honorem soli Deo competentem tribuamus. Adorationis latreuticæ cultus reliquiarum Christi respectivus latriæ rationem nonnisi secundum anologicam similitudinem sortitur. planè sicut imago hominis non propriè, sed tropicè & analogicè homo insignitur. Non enim cultus reliquiis exhibitus in iis terminatur, sed refertur in personam illam sacram, cujus reliquiæ sunt, imò in Deum ipsum. Ita Moses Exod. III solvendo calceamenta pedum suorum coluit terram, in qua stabat, quæ sancta dicitur. Reverentia externo illo signo testata ad Deum ipsum referebatur; & eo ipso latreutica, non inferioris ordinis erat. qualem etiam reliquiis tribuimus. Sic Psal. CXXXI.7. David ajebat:* Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus, *Dei scilicet: ubi additur causa adorationis,* quia sanctum est; *quæ arguit, terminum adora-*

tionis esse aliqualiter ipsum scabellum Dei; licet adoratio & veneratio areæ per Divinæ præsentiæ virtualem contactum sacratæ exhibita, in arca, ceu ultimato termino, non sisteret. Neque obstat, quòd juxta Hebræum contextum fideles jubentur adorare ad scabellum, non scabellum. Nam השתחוה *significat prosternere se. Perinde autem est se prosternere ad scabellum, & adorare scabellum. Utroque enim modo significatur adoratio arcæ, sed transitiva in Deum, ceu objectum primarium relata, & arcæ, tanquam termino respectivo exhibita. Saltem arcæ exhiberi debuit reverentia, adeò quidem, ut ad illam Israelitæ propiùs accedere ausi non fuerint, & solus Pontifex ad ill. m in Sancto Sanctorum accedere potuerit. Qui religiosus honor fuit, qualem nos etiam reliquiis deferimus. Denique 2. Paralip. VII. 2. Sacerdotes ex cultu erga Deum & Templum ne quidem ingredi Templum ausi sunt, quia gloria Jehovæ Templum implevit, hoc est, signum aliquod præsentiæ Dei extraordinarium, uti tu interpretaris. Sed signo huic, quin & ipsi Templo annon religiosus honor ad Deum relatus congruebat? Atqui is cultus ipse respectivus, symbolis & instrumentis sacris cum relatione ad Deum debitus est. 2. Hinc ergo elucet multiplex nequitia tua, negantis absolutæ & respectivæ adorationis discrimen, atque illud humanis præcisionibus tribuentis. 3. Osculum Baali fixum duplici nomine idololatricum fuit, tum quia delatum intransitivè huic idolo: tum quia relatum est in cacodæmonem, qui ei insidebat. Nos verò reliquiis honorem transitivum deferimus, & quidem relatum in Christum, Deum verum, non falsum Numen. Id quod etiam liquet ex oratione illa ad S. Veronicæ sudarium faciei Christi expressivum:* Salve Sancta facies, &c. *Sive enim intelligas realem Christi faciem, sudarium instrumentum est, quo mediante faciei Christi rememoratio ad effectum eam adorandi excitetur: sive ejus imaginem, mediante hac fit transitus ad realem Christi faciem, ut sic adorationis absolutæ Objectũ. 4. Cùm vox adorationis æquivoca sit, sine ulla contradictione reliquias Christi adoratione latreutica absoluta adorari negatur, & respectiva adorari asseritur.* Ibid. pag. 106--108.

Resp. 1. Non calumniatus sum, nedum *audacissimè*. Te verò puduit crassæ idololatriæ in reliquiarum cultu. Fingis ergo, vos reliquiis honorem religiosum deferre, sed non ejusmodi, qualis Deo competit. Atqui honorem propriè religiosum in solum Deum ferri, supra firmavimus. Si ergo propriè religiosum honorem reliquiis Sanctorum defertis, non alium ei defertis, quàm qui soli Deo defertur. Vel enim honor religiosus, quem reliquiis defertis, ad primam Decalogi tabulam, vel ad secundam: vel ad amorem Dei, vel ad amorem proximi pertinet. Si ad tabulam primam & amorem Dei, tum non alius est ab eo honore, quo Deus colitur. Ille enim solus utriusque objectum immediatum est. Si ad tabulam secundam & amorem proximi, ne quidem religiosus, sed civilis, socialis & charitatis erit, relatus ad personas, quarum reliquiæ sunt. Licet verò externo verborum sono non sic reliquias adoretis: *Sancta reliquiæ, orate pro me*; tamen fiduciam impetrandæ gratiæ & remissionis peccatorum in cultu reliquiarum collocantes, partem fiduciæ soli Deo debitæ ad cultum eum transfertis, atque eo ipso Divino honore eos, perinde atque Deum ipsum, colitis & interiore cordis voto desiderióque adoratis. Atque id ipsum ingenuè Vasquezius vester *in 3. Thomæ q. 25. disp.* 112 *c. 2.* fatetur; *Apud Catholicos*, inquiens, *veritas indubitanda est, reliquias Sanctorum* ADORANDAS *esse*. Et Thomas Waldensis *Doctr. p. III tit.* 13. *cap.* 120. ex Damasceno definit, *non modò lignum crucis Domini, sed etiam sepulchrum, præsepe, clavos, lanceam, vestes, Sion & Golgotha esse* ADORANDA, quin adorare detrectantes, ceu hæreticos condemnat. Neque absoluti & respectivi; terminativi & transitivi cultus distinctio quicquam errori medetur, quia tum omnis cultus religiosus, quo ea, quæ solius Dei sunt, creaturis tribuuntur, absolutus, termi-

minativus est: tum cultus ille, quo reliquias adoratis, similiter rei veritate, & deferentium, si non verbali, reali certè testificatione is ipse est, qui soli Deo debitus est, adeóque absolutus. Et poteras tractationem distinctionis illius tralatitiæ rejicere in objectionem *quartam*, ubi illa ex professo discutitur. Quia tamen aliter tibi visum est, laborem etiam nos, tua vestigia lecturi, occupabimus. Tria pro distinctione illa argumenta pridem mihi objeceras. Primum arcessebas ex Exod. III. 5. ubi Deus Mosen rubo approximantem de medio rubi sic alloquitur: *Ne huc accedas propiùs, solve calceamenta de pedibus tuis, quoniam locus in quo stas, terra sancta est.* Respondi *Diss. de Peregr. Relig. p. 245. Mosen terræ, in qua ipsi Deus apparebat, cultum respectivum non impertivisse. Reverentiam testatum esse externo signo: at locum eodem sive absoluto, sive respectivo latriæ cultu prosecutum non esse.* Quid verius est? Quis religiosè adoratam à Mose terram dixerit, quam pedibus, nudis licet, calcavit idem? Sed signum reverentiæ, inquis, terræ illi exhibuerunt relatè ad Deum, qui in rubo fuit. qui cultus latreuticus respectivus erat. Signum reverentiæ fuisse, quale exhiberi solet rei ad religionem seu cultum sacrum relatæ, fateor. At honorem seu cultum latreuticum fuisse, in quo terra, in qua se Divina Majestas manifestavit, ceu proximum objectum illius cultus, per quod ad Deum ille deferri debuerit, Divino, religioso honore affecta fuerit, id verò pernego. Neque Moses eo, quo vos erga reliquias soletis, modo, terræ se incurvavit, eam osculatus est, exornavit &c. nedum Divinum & religiosum honorem ei, ceu proximo & immediato cultus religiosi objecto, atque per illud mediatè & ultimatè Deo; adeóque eundem specie Divinum cultum *primò* terræ, *ultimò* Deo exhibuit, vel exhibere à Deo jussus est. Et qualecunque reverentiæ signum edidit, in usu sacro edidit, non extra eum & relatè ad Deum, non ad creaturam ullam. Non enim terram illam, in qua rubus ardebat, post œconomiæ illius finem simili modo colere perrexit; nec simili modo coluerunt alii, quantum quidem ex Scriptura constet. Vos verò & cultu eodem reliquias, quæ instrumenta cultus facitis, quo Deum, vel Sanctos, colitis, solo hoc discrimine, quòd in reliquiis cultum non terminari, sed transire ad Deum vel Sanctos fingitis; & reliquiarum cultum refertis ad Sanctos, qui creaturæ sunt: & extra usum, tum etiam quando Deus apud eas non operatur, specialem apud eos præsentiam non testatur, religiosè colitis. Nullam verò hodie rem habemus externam ex Divina institutione consecratam, & in religioso statu collocatam, eo modo, quo olim sub V.T. arca, altare, templum, aliáque similia erant; quibus ob durabilem specialem Numinis præsentiam, arctámque illam connexionem & relationem, quæ inter actum, & instrumentum actus intercedit, reverentia quædam exhibenda fuit. Idcirco nulli hodie rei externæ, extra usum positivus honor ex religione debetur. ac multò minùs Sanctorum aliísque reliquiis, quarum in cultu externo nullus ex Divina institutione usus est. Secundum textum Redingius petebat ex Psal. CXXXII. 7. ubi sic David: נבואה למשכנותיו נשתחוה להדם רגליו *Adeamus habitacula ejus, & incurvemus nos ad scabellum pedum ejus.* pro quo Vulgatus habet: *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Ad hunc ergò locum sic *de Peregr. Relig. p. 246.* responderam: *Objectum adorationis non erat arca, sed Jehova apud arcam adorandus. Neque enim Deus uspiam præcepit adorationem arcæ, sed jussit ibi adorare, ubi nominis sui memoriam consecravit; nempe solum Deum habitantem super arcam in medio duorum cherubim. Ostendant igitur Adversarii, Deum loca illa, quæ prædicant, definitè consecrasse suæ adorationi. Ostendant adorationis mandatum simile illi, quo jubebantur veteres adorare Deum ibi, ubi erat scabellum pedum ejus; & postea ibi adorent solum Deum, non vel San-*

ctos, vel imagines, vel reliquias, vel locum ipsum quocunque latriæ cultu, sive absoluto, sive respectivo. Alias Esaj. LXVI. 1. tota terra vocatur scabellum pedum Dei. An igitur tota terra latriæ cultu afficienda? Quid hic Redingius? Vindicaturus argumentum suum regerit, *reddi in textu causam adorationis*, quia Sanctum est; *quæ arguat, terminum adorationis aliqualiter etiam esse scabellum.* Stuporem hic ejus an perfidiam arguam, nescio. Nam verba illa, *quia sanctum est*, nec in Hebræo textu, nec in versione ulla comparent. Alibi verò, puta Psal. XCIX. 5. additur, קדוש הוא *Sanctus Ipse*, nempe *Jehova*, quem *exaltare* jubet. Quanquam multa etiam *sancta* fuerunt, non adoranda; velut Aharon, Sacerdotes omnes, vestes eorundem &c. Addit, *Hebraicum verbum* השתחוה *sonare incurvationem. Perinde autem esse se incurvare ad scabellum, & adorare scabellum, hoc est, arcam.* Quid quæso audacius? Nam & ipsi apud imagines vos incurvantes, negatis tamen, imagines à vobis adorari. Et aliud locus, aliud objectum in loco certo adorantis est. Nec qui subjectum in certo loco adorat, locum adorat. Sicut adorarunt veteres ante arcam Jehovam inter Cherubinos habitantem. De reverentia arcæ seorsim debita, idem judicium est, quod de reverentia terræ Sanctæ à Mose calcatæ. Neque totam terram esse scabellum pedum Dei, & tamen non adorandam, inficias ire potuisti. quod tuum ad argumentum illud silentium prodit. Tertium textum ex 2. Paralip. VII. 2. Redingius prompserat. Ibi ratio, quare Sacerdotes domum Jehovæ ingredi non potuerint, his verbis redditur, כי מלא כבוד יהוה את בית יהוה *quia implevit gloria Jehovæ domum suam. Apparebat nempe* (sic meritò *ib. p.* 246. regesseram) *Jehova in extraordinario signo, cujus Majestatem non tulissent homines peccatores. Quid verò hic populus? An domum Jehovæ cultu latriæ veneratus est? Minimè verò. Inclinaverunt se in faciem in terram super pavimentum, adoraverunt, & laudaverunt Jehovam; v. 3. Idem vos faciatis ubique licet. Pietati non intercedimus, sed superstitioni & cultui creaturarum.* Reliquis omissis, id solum, quod de signo extraordinario dixeram, Redingius arrodit, inferens: *signo huic utique religiosum honorem ad Deum relatum congruisse.* Atqui, repeto, Jehovam, non signum extraordinarium illud Israelitæ & adorarunt, & laudarunt; videntes scilicet signum illud, *ignem & gloriam Dei descendentem.* Fuit ergo signum illud visum non objectum, sed occasio adorationis. Reverentia verò signo huic debita qualis fuerit, & quàm disparata à religioso vestro reliquiarum cultu, ex supra dictis liquet 2. Hinc ergo jam non argumenti mei *nequitia*, sed tua arrogantia, inscitia, & in errore pertinax animus liquet. 3. Osculum Baali fixum quare idololatricum fuerit, non erat ut nos edoceres. Quanquam doces falsò. Nam Israelitæ Baalem, seu idolum ejus osculati, cultum hunc retulerunt aliò, nempe ad Solem. Sub nomine enim Baalis Phœnices, in quibus erant Sidonii, adeóque etiam Israelitæ eos imitati, coluerunt Solem, teste Sanchoniatone apud Eusebium *de Præpar. Ev. lib.* I. aliisque. Quando igitur idolum Baalis osculati sunt, cultus ille non terminativus, sed transitivus erat. Sed in hoc tamen non vertitur rei cardo. quem strenuè tu dissimulas. Osculum enim religiosum æquipollere adorationi, probare institueram exemplo Israelitarum, qui Baalis idolum osculati eundem adorasse censebantur, licet externo verborum sono non dicerent: *Baal ora pro nobis.* Sic reliquias osculati easdem adorare censentur meritò, licet non dicant: *Reliquiæ orate pro nobis* Ad hoc tibi respondendum; non de cultu transitivo tricandum tibi fuerat Atque id ipsum etiam liquet ex Durandi illa oratione ad sudarium Veronicæ: *Salve Sancta facies nostri Redemptoris,* &c. *Nos duc ad propria,* O FELIX FIGURA *&c.* Satis enim constat, ad quem oratio hæc dirigatur. Romæ in S. Petri æde asservatur sudario impressa effigies vultus Christi, quam

Ve-

Veronicam appellant, nomine mulieris, à qua sudarium traditur faciei Christi sanguine & sudore aspersæ admotum esse, & vultus ejus effigiem in se retinuisse. Est etiam civitas quædam Hispaniæ, quæ eodem sudario gloriatur; æquè meritò, credo, ac Roma. Ad hoc sive Romanum, sive Hispanicum sudarium sequentem orationem Lipsanolatra aliquis, credo, Durandus, composuit.

Salve sancta facies nostri Redemptoris,
In qua nitet species Divini splendoris
Impressa panniculo nivei candoris,
Dataque Veronicæ signum ob amoris.
Salve decus seculi, speculum Sanctorum,
Quod videre cupiunt Spiritus Cælorum.
Nos ab omni macula purga vitiorum,
Atque nos consortio junge beatorum.
Salve vultus Domini imago beata,
Ex æterno munere mirè decorata:
Lumen funde cordibus ex vi tibi data,
Et à nostris sensibus tolle colligata.
Salve robur fidei nostræ Christianæ,
Destruens hæreticos, qui sunt mentis vanæ:
Horum auge meritum, qui te credunt sanè
Illius effigie, qui Rex fit ex pane.
Salve nostrum gaudium in hac vita dura
Labili & fragili citò peritura:
Nos deduc ad propria; O FELIX FIGURA,
Ad videndum faciem, quæ est Christi pura.

Hanc ad sudarium, *figuram* scilicet *felicem* faciei Christi (ne ambigat Redingius, ad imaginem faciei, an faciem ipsam oratio dicatur) dicentibus orationem, & simul Veronicam inspicientibus, Johannes XXII. decem millium dierum indulgentias concessit. Cúmque Romana Veronica die Paschæ ostenderetur, jubente Pio II. (ita *Comment. Pii II. lib. VIII.* narratur) *populus pro suo more misericordiam ter imploravit.* In Processionali Cadurcorum, qui Galliæ Aquitanicæ populus sunt, sudarium Christi sic invocatur: *Sancte Sudari, ora pro nobis. Sanctum sudarium Christi liberet nos à peste & morte tristi.* An hoc non est reliquias adorare? Sed *sic*, inquit Redingius, *fit transitus ad realem faciem Christi, absolutæ adorationis objectum.* Planè sicut adorato ab Israelitis vitulo fiebat transitus ad Jehovam, Deum, qui eos ex Ægypto eduxit: & adoratis à gentilibus idolis fiebat transitus ad Jovem, Deum summum. Adorantur reliquiæ, sive in iis adoratio maneat, quiescat, sive inde ad prototypon transeat. Deus autem adorationem creaturarum in universum prohibuit. Plures ejusmodi formulas ad reliquias directas *Myster. Bab. M. Diss. XI. B. §. 75.* eruimus. 4. Adorationis vox æquivoca, modò civilem modò religiosam notat. Sed religiosa omnis absoluta, soli Deo debita, respectiva verò, creaturis debita nulla est. Neque respectivæ notionem ex verbo Dei probasti, vel probabis unquam. Neque notionem recipimus, quam idololatriæ palliandæ humanum cerebrum finxit.

ARG. V. Reliquiarum cultus sapit tum Pharisæismum Matth. XXIII. 27. ubi Phærisæi dicuntur exornâsse sepulchra Sanctorum, tum Gentilismum. Olim enim soliti Gentiles transferre reliquias, uti constat exemplo Demetrii, teste Sabellico, ex Syria in Græciam, Thesei ex Scyro Athenas translati.

RESP REDING: 1. *Christus non ideo Matth. XXIII. 27. reprehendit Pharisæos, quòd sepulchra Prophetarum exornarent; sed quòd eos, quorum sepulchra exornarunt, imitati non essent sed eos potiùs, qui Prophetas occiderunt.* 2. *Gentiles, ex lumine naturali rectè senserunt, cultum defunctorum corporibus delatum referri in eorundem spiritus adhuc superstites. Sed perperam id applicarunt Spiritibus ad tartara detrusis. Secus nos orthodoxi.*

thodoxi. Ibid.pag.108.Resp.1. Utroque nomine Christus Pharisæos reprehendit, tum quòd partem cultus Divini in externis ceremoniis constituerent, existimantes, suo se satis officio defunctos, si phylacteria dilatarent, mentham, anethum, cuminum decimarent, calices & paropsides mundarent, sepulchra prophetarum ædificarent, monumenta justorum ornarent; vero interim Dei timore, pœnitentia, fide, charitate destituti: tum quòd non Prophetas eos, quorum sepulchra ædificarunt, exornarunt, sed eos potiùs, qui Prophetas occiderunt, imitarentur, vitæ Christi & Sanctorum ejus insidiando, cùm tamen eandem cum Prophetis doctrinam & confessionem illi amplecterentur. Paria cum iis faciunt, qui partem cultus Divini non postremam in externis ceremoniis, ipsóque etiam reliquiarum cultu statuentes, ac cætera de interiori animarum cultura parum soliciti, crudelitatem extremam adversus eos exercent, qui eandem cum illis, quorum reliquias colunt, fidem profitentur. 2. Rectum naturæ lumen solius Dei religiosum cultum, & mortuorum corporum sepulturam dictat. Non ergo lumen naturæ, sed superstitionis genium gentiles, ossa defunctorum transferendo, colendo, secuti sunt, quicunque demum defuncti illi fuerint. Neque vobis de pluribus, quorum reliquias colitis, exactè constat, fuerintne unquam in rerum natura; & si fuerunt, quò Spiritus eorum migraverint. Nam Cardinalis Bessarion, cujus elogium ingens Jovius *Elog. Vir. Doct. cap.* 24. texit, Bodino *Method. hist. cap.* 4. narrante, *cùm inter Divos inepta quædam λαοθεσίαν Romæ quàm plurimos referri videret, quorum vitam improbarat, se valde dubitare dixit, utrum vera essent, quæ ab antiquis prodita sunt.*

ARG. VI. In veteri Ecclesia puriori religiosam venerationem reliquiarum in usu non fuisse, probat vel una Epistola Ecclesiæ Smyrnensis apud Eusebium Hist. Eccl. IV. 15. quæ agit de Polycarpi ossibus Terræ reconditis, cum protestatione, illa coli non posse. Manifesti sunt etiam Concilii Elibertini canones 34. & 35. quibus prohibetur accensio cereorum in Cœmeteriis & vigiliæ. Cúmque Vigilantius Ecclesiæ imponeret, quòd religiosè colat reliquias, gravissimè Hieronymus de injuria est conquestus. Plurima ex vetustate trium priorum Seculorum argumenta, eáque gravissima contra sceletolatriam proposui *de Relig. Peregrinat. pag.* 74. 75. quæ Redingius Baldingeri patrocinium suscipiens, vi veritatis subactus strenuè dissimulavit.

RESP. REDING: 1. *Ingentis adversus Smyrnensium Epistolam injuriæ reus es. Illi enim eo in loco, quo ossa pii sui Martyris Polycarpi condiderant, solennes, maximè die passionis ejus, conventus sese agere, testantur. 2. In concilii Elibertini Canone* 34. *cereorum in cæmiteriis interdiu accensio prohibita fuit, more scilicet gentilitio facta. Si verò id fiat ex sancta religione, Hieronymus Epist. ad Ripar. disertè probavit. Ejusdem Concilii Canone* 35. *prohibentur ad Sanctorum sepulchra vigiliæ non omnes, sed fœminarum, quæ sub specie orationis sæpe latenter scelera patrarunt. 3. Hieronymus adversus Vigilantium negat quidem, se reliquias Sanctorum colere & adorare; sed addit:* Honoramus autem reliquias Martyrum, ut eum, cujus sunt Martyres, adoremus: Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum. *Probavit ergo honorem reliquiarum, sed eum, qui redundet ad Deum. 4. Quæcunque ex antiquitate alibi contra reliquiarum cultum adduxisti argumen-*

ta

ta, peccant tum in forma, quatenus procedunt ex authoritate negativa: tum in materia, uti de Epistola Smyrnensium ostendimus. Et ex Justino Martyre, Eusebio, aliisque contrarium ostendimus. Neque veteres Christiani Judæis & Paganis simpliciter cultum reliquiarum exprobrarunt, sed earum, quæ erant defunctorum à fide abalienatorum. Ibid. pag. 109--111. Resp. 1. Tua contra admirabilis impudentia & væcors pertinacia est. Etenim Smyrnenses disertis verbis protestantur, *se alium, quàm Christum crucifixum σέβειν colere, προσκυνεῖν adorare.* Vos non Divos duntaxat, sed eorum etiam reliquias colitis, adoratis, atque id ipsum apertè profitemini. Illi ossa Polycarpi simpliciter humi mandarunt, addentes, humationem illam factam esse ibi, ubi *ἀκόλουθον ἦν decebat.* Vos Sanctorum (quos pro talibus venditatis) ossa quandoque etiam exhumata (ita enim Hyacinthi ossa trecentis ferè post sepultum eum annis commota è sepulchro effodistis) sublimi è loco ostentatis, religiosè coli, adorari præcipitis. Illi quidem in locis illis, in quibus Polycarpi aliorúmque Martyrum reliquiæ humatæ erant, Ecclesiasticos conventus, præcipuè die passionis eorum, coegerunt; sed nec defunctos tamen Martyres, ac multò minùs eorum reliquias religiosè coluerunt, invocarunt, adorarunt (hoc enim Smyrnenses disertè negant) sed, sic ipsi Smyrnenses loquuntur, *τὴν μαρτυρίου ἡμέραν γενέθλιον Martyrii diem natalem cum hilaritate & gaudio celebrarunt, εἴς τε τῶν προηθληκότων μνήμην, καὶ τῶν μελλόντων ἄσκησίν τε καὶ ἑτοιμασίαν, tum in memoriam eorum, qui* glorioso *certamine perfuncti sunt, tum ad posteros hujusmodi exemplo erudiendos & confirmandos.* 2. Concilii Elibertini, tempore Constantini M. celebrati, canon 34. sic habet: *Cereos per diem placuit in cœmeterio non incendi. Inquietandi enim Sanctorum spiritus non sunt. Qui hæc non observaverint, arceantur ab Ecclesiæ communione.* Et canon 35. *Placuit prohibere, ne fœminæ in cœmeterio pervigilent, eò quòd sæpe obtentu orationis scelera latenter committantur.* Rectè gentilitium morem perstringi ais. Sed an Christianis fas piúmque erit facere, quod gentilibus nefas fuisse, Concilii illius Patres censuerunt; imò quod Christianis ipsimet jure meritóque prohibuerunt? Neque ullam exceptionem Patres hi faciunt, ut liceat facere Christianis, & quidem in honorem religiosum Divorum suorum, quod gentilibus facere non licuit. 3. Probavit sanè Hieronymus honorem reliquiarum. Probamus etiam nos. Sed ille religiosum honorem, cultum, adorationem iisdem denegavit apertè. *Nos,* inquit, *non dico Martyrum reliquias, sed ne Solem quidem & lunam* (en infra Solem & Lunam eas deprimit) *non Angelos, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim, & omne nomen, quod nominatur, in præsenti Seculo & in futuro, colimus & adoramus, ne serviamus creaturæ potiùs quàm Creatori, qui est benedictus in secula.* Vos autem honoratis, etiam *adorando.* quod supra, tuo etiam testimonio, comprobavimus. Imò eò amentiæ apud vos promotum est, ut Doctores vestri pridem quærere occœperint, *an, si reliquiæ vertantur in vermes, hi vermes perinde ac cineres adorandi sint?* Negativam tuetur Henricus *Quodlib. X. q. 6.* ratus, indignum esse homine Christiano ad vermes abjici, & rem tam fœdam adorare. At Vasquez Jesuita frontem perfricans Henricum hoc nomine exagitat, & contumeliosè traducit, *lib. III. de adorat. Disp. 3. cap. 8.* dicens: *Henrici sententiam futilem esse & inanem. Parum enim referre, hoc an illo modo fiat corruptio &c. Ergo,* inquit, *tam sub hac forma vermium, quàm sub illa cinerum partes & reliquias Sanctorum adorare possumus.* Quemadmodum igitur cineres vulgò vocantur Sancti, ita & Sanctos vermes appellare fas erit. Nec multum intererit, reliquiarum cultus cinerarius, an vermicularis dicatur; nec, vermibus an cineribus religiosa quis oscula figat. An sic Hieronymus vermes, nedum cineres adorandos dixit? 4. Argumenta Baldingero ex antiqui-

qui-

quitate adversus religiosum reliquiarum cultum opposita leviter nimis attingis. Integro trium primorum seculorum decursu reliquiarum Christi vel Sanctorum sive adorationis, sive religiosi cultus ne minimum quidem vestigium occurrere dixeram. *Etenim* (liceat verba mea, quia vindicandi ea necessitatem Adversarius injungit, repetere) *vetustissimi trium primorum seculorum Christiani ne quidem Divos coluerunt. Quantò minùs eorum reliquias? Neq; ullam apud vetustissimos Theologos de cultu hoc Pontificiarum disputationum, distinctionum, argumentationum apicem reperire est. Sed & reliquiarum miracula, quæ præcipua cultus iis exhibiti ratio, nulla planè apud eos extant. In causa, quæ vetustissimæ Ecclesiæ intercessit cum Martyriorum refragatoribus, reliquiarum cultum neque sibi objici unquam audivit, neque ipsa adversariis tanquam vel utilem, vel necessarium objecit. Testis esse potest vel sola Scorpiace Tertulliani, in qua hac causa disceptatur. Quin antiquissimi Theologi non pauca cum Pontificio reliquiarum cultu apertissimè pugnantia Judæis, & potissimùm Paganis exprobrarunt, velut rerum mortuarum & humanis casibus obnoxiarum cultum; sepulchrorum & mortuorum religionem, altarium & sepulchrorum consecrationem, aliáque ejus generis multa, quæ videre est apud Clementem, Tertullianum, Arnobium, alios. Pagani cùm omnia Christianismum redolentia primis Christianis objecerint, nunquam tamen iis reliquiarum cultum objecerunt. Reliquias Pontificii altaribus inferunt, & ad eum morem torquent animas sub altari visas, Apoc. VI.9. At veteres illi neque reliquias inseruerunt altaribus, neque eum in sensum locum illum Apocalypseos omnino acceperunt. Sed & Martyrum ac Sanctorum corpora vetustissimi Christiani diligentissimè sepeliverunt, nunquam id facturi, si eorum corpora adoranda putassent. Constat hoc ex cura illa diligentissima, quam huic Martyrum sepulturæ impenderunt. Quin Anthonius apud Athanasium in ejus vita eos, qui Martyres non humarent, sed apud se in lectis servarent, acerrimè objurgavit. Quòd verò apud Martyrum sepulturas tum orationes factæ fuerint, id non ea factum opinione, ac si loca ea sanctitate ac religione præstarent cæteris, sed inde potiùs accidit, quòd Martyres in Ecclesiæ cæmeteriis, ubi conventicula & collectæ Christianorum fiebant, una cum aliis fidelibus sepelirentur: nec non, uti loquitur Smyrnensis Ecclesia, ad memoriam eorum, qui ante certarunt, & ad futurorum excitationem ac confirmationem. Quid quòd Christi reliquias hodie Pontificiis cognitissimas & celeberrimas abunde constat primis trecentis annis Christianis planè fuisse ignotas, quippe quæ citerioribus demum ætatibus conquiri, noscique, aliæ maturiùs, aliæ seriùs cœperunt? Idem dico de reliquiis tum B. Virginis, ejus lacte, capillis, Lauretana domo, diutissimè Ecclesiæ incognitis, tum Protomartyris Stephani, cujus sepulturæ locus quinto demum seculo patefactus est; tum Martyrum & Divorum, quorum reliquiæ quarto demum & quinto seculo ex Divina revelatione, uti quidem dicunt, patefactæ sunt; tum Apostolorum, quorum corpora ubi sepulta sint, si quatuor exceperis, ante quartum seculum planè incognitum fuit, adeò quidem, ut quorundam sepulchra decimo demum & duodecimo seculo inclarescere cœperint, aliorum verò incognita adhuc dum sint.* Hæc omnia, aliáque huc pertinentia fusiùs à Celeb. Dallæo de *Relig. cultus Objecto libro IV.* demonstrata jam esse, simul indicaveram. Ecquid verò ad hanc argumentorum phalangem Redingius? *Vel peccant*, inquit, *in forma, procedendo ab authoritate negativa: vel in materia, uti de Epistola Smyrnensi ostendimus.* Nihil de reliquiarum cultu religioso ex Scriptura: nihil ex antiquitate primorum seculorum constat. Utrobique silentium ingens; ibi etiam, ubi necessariò commemorari, si cultus ille utrique placuisset, debuerat. Vos insuper antiquitatem ubique crepatis, eique cultum hunc fictitium superstruere satagitis. An hic *authoritas* seu *testimonium negativum*

negativum

gativum nullius ponderis esse judicabimus? Judica tu, quia sic desperata, quam sustines, causa postulat. Ego insuper ad attentum & cordatum omnium argumentorum illorum lectorem provoco, qui pleraque illa non nudæ authoritati negativæ, sed positivæ maximè inniti, ultro perspiciet. Neque vel Epistolam Smyrnensis Ecclesiæ, vel Justinum Martyrem, Eusebium &c. aliter sentire, partim jam demonstravimus, partim infra demonstrabimus. Vetustissimos Theologos non pauca cum reliquiarum cultu Pontificio apertissimè pugnantia Judæis, & potissimùm Paganis exprobrasse dixi. Rem dabo authorem. Judæos sic *Origenes in Joh. Tom.* 17. arguit: *Atque etiam, quod summa admiratione dignum, contigit hoc in Prophetis, ut, quod in iis erat vivum, non honorarint cives: quod mortuum verò esset, foverint, ædificantes eorum monumenta & ornantes.* Quod in Prophetis *vivum* dicit, eorum virtutes, sapientiam; quod *mortuum*, reliquias, corpora & monumenta intelligit. Quomodo sic Origenes Judæos vituperare potuit, si & ipse, & cæteri ejusdem temporis Christiani Apostolorum & Prophetarum non modò propriè dictas reliquias, earúmque memorias, sed etiam vestes, interulas, zonas & cœtera ejusdem generis non tantùm foverunt, ornarunt, sed etiam religiosè coluerunt, adorarunt? Iidem Patres sœpissime gentilibus *mortualem* & *bustuariam* objiciunt religionem. Clemens Alexandrinus *Protrept. ad Gent.* queritur, Gentilium Divos *circa sepulchra & monumenta versari & volutari, & solere in iis apparere*; atque in impietatem illam declamans, ait, *eos purissimam Dei naturam, quatenus quidem in ipsis erat, defodere, idque quod sanctum & incorruptum est, sepulchris obruere; religionem de Cœlo detractam in solum, sive humum dejicere.* Tertullianus *lib. de An. cap.* 46. ait, *spiritus* à Paganis cultos, *memorias*, id est, sepulchra *hominum affectasse ad omnem malitiæ suæ scenam.* Idem *de idolol. c.* 13. vetat *mortuos coronari*; *quoniam* (inquit) *& ipsi sic idola statim fiunt, & habitu & cultu consecrationis; quæ apud nos secunda idololatria est.* Et commune illud omnium de mortuis non coronandis placitum fuisse, Minutius Felix *in Octavio* testis est. Quæ *sepulchra* olim fuerunt defunctorum, *Templa* facta esse, non semel rident & horrent. velut Athenagoras *Legat. pro Christ.* Clemens Alexandrinus *Protrept.* qui etiam *Strom. lib. VI.* refert, Paganorum sapientes in plerisque Templorum suorum, cùm ea consecrarent, loculos, sive thecas mortuorum posuisse, eorúmque animas *genios* appellare, & docere, *ab hominibus esse colendas, ut quæ propter vitæ puritatem, Divinæ providentiæ munere potestatem acceperint loci illius, qui terram ambit, ad hominum ministerium incolendi ac lustrandi.* Similia Arnobius *adv. gentes lib. VI.* Paganis justissimè objectat. *Quid*, inquit, *quòd multa ex his templa, quæ tholis sunt aureis, & sublimibus elata fastigiis, auctorum conscriptionibus, comparatur, comprobatur contegere cineres, atque ossa, & functorum corporum esse sepulturas? Nonne patet & promptum est, aut pro Diis immortalibus mortuos vos colere, aut inexpiabilem fieri Numinibus contumeliam, quorum delubra & Templa mortuorum superlata sunt bustis?* An talia veteris memoriæ Theologos Paganis unquam exprobraturos fuisse putamus, si Sanctorum reliquias hodierno more coluissent? Neque sanè illi Paganos, uti Redingius fingit, reprehenderunt, quòd defunctorum *à fide abalienatorum* reliquias & cineres sic colerent: sed quòd sic, uti disertè Arnobius, *inexpiabilis fiat Numinibus contumelia, quorum delubra & Templa mortuorum superferantur bustis.* Si falsis Numinibus contumeliam hac ratione fieri Arnobius aliíque judicarunt: quantò magis vero Numini, Christo, nec non veris Divis simili reliquiarum usu contumeliam inexpiabilem fieri, iidem judicassent? Proclive quinetiam Judæis & Paga-

nis fuisset eadem retorquere in Christianos, quorum Numen Christum & Divos in falsorum Numinum censu æquè illi habuerunt. Quam igitur vim objectiones illæ Christianorum obtinuissent?

ARG. VII. Qui hodie reliquias colunt, venerantur quod ignorant. Quæ enim certitudo post tot fraudes & imposturas detectas, esse eorum Sanctorum reliquias, quorum esse jactantur? Sanè fatetur Cassander, avaritiæ causâ ad simplicem populum alliciendum falsas reliquias suppositas esse, & ficta miracula prædicata, iisque miraculis alitam populi superstitionem. Videsis Sacrarium Coloniense, à Nicolo Gallasio Latinè redditum, nec non librum *de Spoliis, exuviis & reliquiis Sanctorum* A. 1525. editum, & Wolphii Lectionibus Memorabilibus *Cent.* 16. *pag.* 232. insertum. Contra ejusmodi fallacias jam pridem usitatas, in Concilio Lugdunensi & Carthaginensi V. gravia sunt formata decreta. Cúmque paucæ omnino sint veræ & compertæ reliquiæ, & vera earum veneratio parùm pietati, plurimùm superstitioni & quæstui serviat, judicârunt cordati Viri in ipso Papatu, rectiùs fuisse facturam Synodum, si reliquiarum cultum planè simpliciterque prohibuisset.

RESP. REDINO: 1. *Fallaciam committis ex particularibus disparatis, à reliquiis suppositiis nonnullis concludendo ad omnes, etiam veras Sanctorum. Ipsa decreta Ecclesiæ à te allegata, quin & Tridentinum, ostendunt, semper Ecclesiam laborasse, ut veras à falsis reliquiis discerneret. Falsissimum ergo est, eos, qui hodie reliquias colunt, venerari quod ignorant. Fides in genere tradit, cultum sacrum reliquiis delatum referri in ipsorum Sanctorum animas. Prudentiæ verò est, decernere in particulari, an hæ vel illæ reliquiæ veræ sunt. In quo definiendo sufficit certitudo moralis. Si verò ex una vel altera parte error materialis interveniat, ille formam prudentialis rationis certitudinem practicam nequit contaminare. 2. Cassandri & similium felle genii Calvinistici tinctorum censuras nauci facimus. Corruptelis enim obortis amputandis semper religiosum Ecclesiæ studium prævaluit.* Ibid. pag. 111. Resp. 1. Tot imposturæ & fraudes detectæ vel omnes incertas suspectásque reddunt, vel certas verorum Sanctorum paucissimas, & paucissimis, iis videlicet, qui manus oculatas habent, relinquunt. Reliqui cœca & carbonaria fide ducuntur omnes, & pudendis sacrificulorum, Romanorum quæstorum, qui perinde atque aruspices, sibi, dum merces has populo ostentant, arrident, artibus fœdè circumscribi se patiuntur. Tam palpabiles eorum hac in re fraudes sunt, ut in proverbium abierit: *Roma tria tecum non anferes; lapides, quia nimis grandes: pietatem, quia ibi nulla: reliquias, quia nullæ certæ.* Si fragmentula crucis in acervum redigantur, vix una navis oneraria vehat. Innocentius IV. *de Myster. Missæ lib. IV.* 10. dicit, Romæ in Ecclesia Lateranensi præputium Christi asservari. Idem habetur libro indulgentiarum, qui Romæ excusus est. Ibidémque dicitur, in eadem Ecclesia haberi altare Johannis Baptistæ, super quo in deserto sacra faciebat. Multis in locis asservatur lac Virginis, incredibili copia. tanta est hujus lactis firmitas & adversus corruptionem per tot secula contumacia; cùm tamen hostia consecrata, quæ creditur corpus Christi, intra paucos dies mucida fiat, vermésque con-

concipiat. Concilium Constantiense *Sess.* 10. dicit, caput Johannis Baptistæ Romæ haberi ad S. Sylvestri. At eodem capite se jactant Atrebates & Ambianum. Tum S. Angoriacum ad Rupellam] diu hoc cranio claruit. Colonia corporibus trium Regum gloriatur. Intercedunt Mediolanenses, & se iisdem corporibus jactant. Constans inter eruditos opinio est, tribus tantùm vel ad extremum quatuor clavis Christum cruci affixum esse. Calvinus tamen libro de reliquiis enumerat usque ad quatuordecim. Neque Baronius *ad A.325.n.54* diffitetur; suspicatus licet varié. At Gregorius Turonensis libro *de gloria Martyrum* refert, Constantinum M. duos clavos Christi in camum equi sui conflasse. Sic dissolutis duobus unicus superfuit, in quatuordecim multiplicatus. Lazarus, ut alter Geryon, tria habet corpora, unum Massiliæ, alterum Augustoduni, tertium Avaloni. & hæc in sola Gallia. Alibi plura reperiri credibile est. Quis mihi Macarius inter tot densas arborum sylvas veram crucem dabit? Quæ Helena è tot ferreis montibus clavos? Quid dicam de reliquiis Sanctorum, qui nunquam in vivis fuerunt; sed meræ larvæ, cerebríque humani figmenta sunt? Tales reliquiæ sunt Margarethæ, Ursulæ, Christophori, Longini, Georgii, Lazari leprosorum patroni. Quibus non absimiles sunt reliquiæ Angelorum. Nam in fano Michaelis, quod Britanniæ & Normanniæ interjacet, servatur pugio Michaelis, quo dicitur adversus Diabolum depugnasse. Tum Turonenses ad Juliani, & Carcassonenses ejus reliquiis se jactant. Et Tezelius famosus æruscator populo pennam Michaelis ejusdem, quam illi Diabolus in duello ex alis evulserit, ostensurus fuerat, nisi clam ei nonnemo, supposito carbone, surripuisset. Carbone verò conspecto, confestim illum ipsum esse, quo Laurentius crematus est, confinxit. *Decem millia talium rerum Romæ sunt*, inquiebat olim Laur. Valla, Patricius Romanus, *de falsò credita & ementita Donat. Constantini.* Jam olim agyrtæ quidam perreptantes Africam, ossa supposititia Martyrum per Ecclesias ad questum circumferebant. De quibus sic Augustinus *de Opere Monach.* 28. loquitur: *Tam multos hypocritas sub habitu Monachorum Sathan usquequaque dispersit circumeuntes provincias. Alii membra Martyrum, si tamen Martyrum, venditant.* Et addit, *eos petere sumptus lucrosæ egestatis ac simulatæ pretium sanctitatis.* Cúmque crescente superstitione in Africa, passim per agros & vias publicas extruerentur falsa monimenta Martyrum, sub quibus nullæ veræ Martyrum reliquiæ, Synodus Carthaginensis V, *can.* 14. monimenta hæc ab Episcopis everti jussit. nisi forte tumultu & seditone populari prohiberentur. indicio certo, magnum plebis imperitæ ad monimenta hæc concursum fuisse. Sed vicit tandem superstitio, amota Scriptura ab oculis populi, & Sathana indies mysterium iniquitatis provehente, eóque rem perducente, ut Petri & Pauli scriptis sub modio positis & occultatis, eorundem reliquiæ incertæ ostentarentur, & fervidiùs, quàm ipse Filius Dei, adorarentur. Perinde ac si filius de spina paterna vertebram, aut de genu patellam religiosè servaret coleretque, at testamentum ejus premeret & mandata contemneret. Nempe reliquiæ non loquuntur, nec in Pontificem hiscunt. Contra Apostolorum scripta Papatum jugulant, ejúsque idololatriam confodiunt. Neque perizomata illa, quæ ex foliis ficus Redingius texit; fraudum illarum & imposturarum turpitudinem tegunt. Provocat ille ad decreta Ecclesiæ, Tridentinum inprimis Concilium, ex quibus constet, *Ecclesiam semper laborasse, ut veræ à falsis reliquiæ discernerentur.* Unde ergo illud immensum supposititiarum reliquiarum chaos, cui describendo volumen elephantinum vix par esset? Dormivit, an vigilavit Ecclesia, dum zizanii tam pudendam congeriem interim Satan consevit? Si vigilavit, tacuit nimiùm

nimùm, & tacendo consensit. Quot interea hominum myriades falsas reliquias adorando idololatriæ se alligarunt, perierúntque miseré? Concilium Lateranense prohibuit, fateor, ne publicè ullæ reliquiæ recipiantur *sine authoritate Romani Pontificis*. Et Tridentinum *Sess. XXV.* sanxit, *ne novæ reliquiæ recipiantur, nisi recognoscente & approbante Episcopo, qui simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis & aliis piis viris, ea faciat, quæ veritati & pietati esse consentanea judicaverit.* In casu verò dubio vetat quicquam *inconsulto Pontifice R.* decernere. Tu verò, Redingi, manda Papæ, si quid in Ecclesia rectè curatum velis. Ad illum quæstus inde opimus redit. Quid ergo ab eo expectes? Potest ille falsas reliquias confirmare: sed non potest veras à falsis, puta Agnetis ossa ab ossibus Barbaræ certò discernere. Neque ut illud agere videretur, ullam unquam in reliquias accuratam inquisitionem instituit, vel falsorum indicem expurgatorium, conscribi curavit. Neque semper hic Papæ authoritas recipitur. Dionysii fanum, ubi sunt Regum Galliæ Mausolæa, & Ratisbona diu de corpore Dionysii Areopagitæ contenderunt. Cognitionem litis ad se Leo IX. pertraxit, & Epistola decretali, quam Baronius *A.* 1052. *n.* 10. recitat, Ratisbonensibus palmam adjudicavit. Perstant tamen Galli Papa, invito, & Dionysii Ratisbonensis paulatim authoritas & fides concidit. Quid celebrius reliquiis Jacobi Majoris, quæ coluntur Compostellæ apud Callaicos in Hispania? Hunc sibi patronum delegerunt Hispani, quia primus Evangelium in Hispaniam intulisse perhibetur. At Innocentius I. Epistola Decretali ad Decentium, id pernegat. Cùm nullum in toto Papatu altare sit, (sunt autem & fuerunt in tot Regnis & Provinciis altarium aliquot myriades) quod reliquiis careat, quis asserere ausit, omnes illas à Pontifice accuratè examinatas, & à falsis recto judicio discretas esse? Quicquid verò de approbatione Pontificia fiat, saltem non approbatas à Papa reliquias privatim colere, Concilia non prohibuerunt. Tandem ergo ad *prudentiale judicium* Redingius rem devolvit, asserens, sufficere in definiendo *certitudinem moralem*; neque *posse errore materiali formalem prudentialis certitudinis rationem contaminari.* quia scilicet cultus semper referatur ad Sanctos, & per hos ad Deum. Sic etiam Baronius *ad A.* 326 *§§.* 51. *&c.* de clavis crucis Christi disputans, sic claudit: *Quicquid sit* (sive scilicet clavi illi supra tres ostentati veri, sive suppositirii sint) *fides, quod ait Ambrosius, facinus purgat.* Effugium profectò purpurea toga dignissimum! Simili ratione. Vasquez Jesuita, homo projecti pudoris, *de Adorat. lib. III. disp.* 3. *cap.* 8. fatetur, posse subesse errorem; quem tamen sic excusat: *Quòd verò apud aliquos incertæ aliquando reliquiæ sunt, non obest, quò minùs eas, quas humanis conjecturis & rationibus certas habemus, reverenter colere debeamus. Denique sicut in* 1. *Disp. c.* 3. *diximus, non esse peccatum idololatriæ, adorare radium luminis, sub quo dæmon delitescit, quando quis putat esse Christum: eodem modo si quis putans aliquam esse particulam Sancti, quæ revera non est, merito suæ devotionis non caret, atque in hoc casu, sicut in illo, eodem modo philosophandum est.* Per hanc ergo Redingii & Vasquezii doctrinam si quis pro cerebro Petri pumicem, & pro brachio Antonii inguen cervi colat & adoret (nam id factum esse à Pontificiis Genevæ, ante Reformationem, reliquiarum jussu Magistratus Reformationis tempore facta recognitio docuit; planè sicut apud nos Tiguri in feretro Felicis & Regulæ exigua ossicula, nec humana illa; coctos lateres, carbones & avellanas reperta esse, domestici annales testantur) dummodo sic intendat honorare Petrum & Antonium, ac in utroque Deum, is opus planè religiosum & meritorium præstiterit. Sed impiè sic nugamini

gamini

gamini. Deus enim in cultu suo non tantùm intentionem, sed etiam actionem respicit. Nec potest ejus rei, quæ mandato Dei adversatur, bona intentio, vel *prudens* actio dici. Cultus & adoratio ex fide fiat oportet. Non fit autem ex fide, quod humanis conjecturis nititur, quódque πληροφορίαν certitudinem fidei Divinam conjunctam non habet. Si de fide non est, hoc esse cerebrum Petri; neque de fide est, illud adorare. Qui igitur adorat, is sine fide adorat. Si intentio sola excusat actionem legi Dei adversam, etiam Ethnici adorantes Jovem, aut Serapidem, non modò veniam, sed gratiam etiam merebuntur; neque adeò merito devotionis suæ carebunt. Eorum enim mens & intentio est, adorare verum Deum. 2. De fide Cassandri, qui similes iis, quas olim Basilius, Ambrosius, Augustinus edidere, querimonias non dissimulavit; sœpiusculè diximus. Quomodo *Calvinistici genii felle tinctum* fuisse asseras, ipsemet videris. Nam Calvini acerrimum hostem se gessit, & contra eum libellum suum *de Officio Viri pii* vehementi studio asseruit. Sed hæc & similia ignoras, & quicquid animum tuum subit, temerè effutis. *Hodie*, sic inter alia Cassander ille, verus Germanus, vel Israelita hac in re, *cùm omnia Sanctorum reliquiis plena esse videantur, verendum est, ne diligenti examinatione adhibita, detestandæ imposturæ patefiant, quemadmodum in nonnullis locis patefactum est, ut olim B. Martino accidit, qui in loco B. Martyris celebri deprehendit non Martyris, sed scelerati latronis monumentum.* Periculum modò faciant Episcopi vestri, quorum in amputandis corruptelis studium semper prævaluisse, impotenter nimis jactas. Sed id è re nec illorum, nec Ecclesiæ vestræ foret. Debuit verò adventus Antichristi esse juxta operationem Sathanæ ἐν πάσῃ δυνάμει, ἐν σημείοις, καὶ τέρασι ψεύδους, *cum omni potentia, & signis, & prodigiis mendacii*, Deo mittente *efficaciam erroris, ut credant mendacio, qui amorem veritatis non receperunt, ut salvarentur*, 2. Thess. II. 9.--12.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Mors Sanctorum pretiosa est in oculis Domini Psal. CXVI. 15. Ergo eorundem corpora in pretio & honore habenda sunt, utpote quæ & mortem jam subierunt, & exanimata pretiosam mortem suam clarè repræsentant.* Aug. Reding. *p.* 789. Resp. 1. Defunctorum in Domino corpora in honore & pretio habenda esse consentimus: at religiosè colenda & adoranda esse negamus. Honor iis juxta verbi Divini præscriptum debitus in eo consistit, ut honorificè & cum benigna testificatione spei nostræ de futura eorum gloriosa resurrectione terræ mandentur, & quantum fieri potest, ab omni injuria vindicentur, & ἄσυλα reddantur. 2. Cùm omnium electorum mors sit pretiosa in oculis Domini, omnium illorum reliquiæ religiosè venerandæ fuerint, si argumentum isthoc valet.

EXCIP. REDING: 1. *Isthæc gloriosæ resurrectionis contestatio in animæ jam salutis, & Dei ipsius honorem ac cultum, illius duleuticum, hujus latreuticum reducenda est*, 2. *Licet omnium fidelium mors pretiosa sit in oculis Domini, non æqualis tamen reliquiarum omnium veneratio est, quia non eadem electorum omnium sors, arcano judicii Divini occlusa est.* Ibid. pag. 112. Resp. 1. An sepeliendo Sanctorum corpora testari spem de futura gloriosa eorundem resurrectione, est reliquias non sepultas in honorem Sanctorum &

Dei religiosè colere, adorare, illis *duliæ*, huic *latriæ* religiosum cultum respectivum deferre? Quid sine mente garrire, & logos fundere est, si hoc non est? 2. Non eandem Sanctorum omnium in omnibus sortem esse, concedimus. Sed omnium tamen mors pretiosa in oculis Domini est. Si igitur inde reliquiarum religiosus cultus rectè conficitur, uti quidem Redingius conficere tentavit, causa dici non potest, quin omnium Sanctorum defunctorum ossa religioso cultu afficiantur. Nisi fortè soli illi reputandi Sancti sunt, quos parùm sæpe Sanctus Papa Sanctos haberi jubet. Certè infantes statim à baptismo decedentes ilico & sine morâ, ceu Sanctos in Cœlum admitti beari que contenditis. Illorum itaque mors pretiosa est in oculis Domini, & non canonizati licet, Sancti tamen habentur. Cur igitur nullus corporibus eorum honos impenditur? Cur eorum reliquiæ non supponuntur altaribus, nec quisquam ossibus eorum oscula figit; sed humo illa, vulgari & ignobili sepultura, conduntur? Maximè cùm & certissimæ sint hæ reliquiæ, quibus fallacia nulla subesse potest; &, ex hypothesi, certissimè Sanctorum, &, ut talium, ab omnibus cognitorum? Quid quòd ex Doctrina Ecclesiæ Romanæ ventriculus Sacerdotis mortui fuit quotidianum corporis Christi domicilium, cui tamen nullus honor defertur, nec exenteratur Presbyter, ut sacer ventriculus adoretur, & in cineres versus altari supponatur. Nec ulla fit sacro-sancti illius abdominis consecratio.

OBIECT. II. *Et Jacobi & Josephi Patriarcharum ossa ex Ægypto in terram Canaan translata sunt, Genes. L. 5.25. Exod. XIII. 19. Qui translationis honor in ipsos illos Patriarchas, & consequenter Deum ipsum redundavit.* Idem *ibid.* Resp. 1. Quid quæso translationi ossium non ostentandorum, vel ad religiosum cultum prostituendorum, sed denuo recondendorum & humandorum, cum religioso eorundem cultu & adoratione commune est? Varias de translationis illius Patriarcharum vera causa sententias Hebræorum & Christianorum *Histor. Patr. tomo* II. *Exercit.* XXII. §. 2.3. expendimus. Fidem suam erga Dei promissiones de terra Canaan hæreditario jure possidenda, & Messia in ea nasciturо hac ratione testificari voluerunt. 3. Redundavit igitur ea translatio in honorem Patriarcharum, at non in religiosum ossium ipsorum cultum, quod solum est τὸ κρινόμενον. Ostendere debuit Adversarius, factum esse reliquiis his, quod nunc reliquiis suis Papicolæ faciunt.

EXCIP. REDING: 1. *Sicut ergo Patriarcharum translationes præ se tulerunt fidei erga Dei promissiones de terra Canaan hæreditariò possidenda, & Messia in ea nascituro contestationem: ita etiam Martyrum Christi, aliorúmque translationes sub simili fidei erga Divinas cælestis terræ Canaan promissiones, Deúmque adeò & Christum contestatione fieri possunt, ita ut cultus ille & honor omnis in Sanctos & Deum ipsum redundet. 2. Neque nos strictè religiosum & intransitivum, sed latè duntaxat religiosum cultum Sanctorum ossibus deferimus.* Resp. 1. Ludere & illudere, non disputare seriò mihi videris. Testari translatione ossium fidem non erga ossa vel Sanctos, sed Christum solum, non est ossa adorare, religiosè colere, nisi instrumenta fidei in objecta ejusdem convertere te posse putas. Tum Jacobus & Josephus Patriarchæ translationem ossium suorum mandarunt, ut sepelirentur cum suis in ea terra, quæ Cœli & Christi in eadem revelandi pignus à Deo erat. At in N.T. nec pii Martyres, vel verè Sancti ulli tale quid petierunt; nec eorum ossa transferuntur à vobis, ut,

ut sepeliantur, & quidem in terra suorum patrum, sed ut non sepultis iis ad superstitionem, maléque conceptam à vobis de intercessione & invocatione Sanctorum opinionem apud vulgus confirmandam abutamini: neque denique ulla terra Dei vel Christi in ea manifestandi præ aliis ampliùs pignus est. Neque enim meliùs, credo, jacet hodie corpus Jacobi Compostellæ, si jacet, quàm olim Hierosolymis: vel plus mysterii Compostellensis quàm Hierosolymitana terra; quam ceu *Sanctam* colitis, habet. 2. Strictè dictum religiosum cultum esse, quem reliquiis defertis, non semel jam ostendimus. Omnis enim adoratio, omnis cultus religiosus strictè dictus, solique Deo debitus est. Et æquè vos Francisci cucullum, Annæ pectinem, caligam Josephi, Thomæ calceum, ac ipsum Dei Filium suspicere, jam olim non immeritò Erasmus questus est.

OBIECT. III. *Deus per Elisæi corpus mortuum, tanquam instrumentum evidentis miraculi mortuum suscitavit,* 2. *Reg.* XIII. 21. *Meritò igitur corpora defunctorum Sanctorum in honore & pretio habentur. Qui honor redundat in ipsorum animum, imò ipsum Deum.* Idem *ibid.* Resp. 1. Habeantur sanè in pretio, at nec adorentur, nec religiosè colantur. 2. Neque ante, neque post miraculum illud quisquam ad sepulchrum Elisæi invisisse, vel ossa religioso adorationis osculo excepisse legitur. Manserunt suo loco, manebúntque ad resurrectionis usque diem. 3. Miraculum apud ossa Elisæi divinitus editum eum in finem, ut vaticinii ejus præcedentis de successura Moabitarum irruptione fides confirmaretur, & veri nominis miraculum fuit, & omni suspicione falsi vacat. At quæ Pontificij apud reliquias suas edita miracula dicunt, vel veri nominis miracula non sunt, vel gravi suspicione falsi fictíque laborant.

EXCIP. REDING: 1. *Unde pretium, in quo ossa Sanctorum habenda fateris, nisi ex respectu ad Sanctos Cælites pendet? Ita sanè S. Cyrillus Hierosol. Catech.* 18. *Ubi exemplo ossium Elisæi demonstrat, etiam in corporibus mortuorum virtutem seu potentiam quandam inesse, etiam absente anima, propter tot annorum inhabitantes in illis animas justas.* 2. *Miracula apud reliquias edita veri nominis non esse, calumniaris, non probas.* Ibid. pag. 113. Resp. 1. Nos verò non de pretio, ejusque causa, sed de genere pretii & honoris, in quo corpora defunctorum habenda sunt, contendimus: negamúsque adeò constanter, ossa Elisæi, quamcunque & undecunque (de quo hic non quærimus) virtutem illam habuerint, à quoquam Mortalium eo modo, quo Vos reliquias colitis, cultas, adoratas esse. Cur ad hoc, in quo solo cardo rei vertitur, non respondes? Non tantùm tibi hic res, sed etiam colores ac verba desunt. 2. De miraculis apud reliquias editis infra.

OBIECT. IV. *Olim arcæ peculiaris honos habitus est Psal.* XCVIII. 1. 1. *Paralip.* XXVIII. 2. *&c. nec non terra, in qua Deus sive Angelus ejus stetisse legitur, respectu nimirum ipsius Dei. Ergo etiam instrumenta passionis Christi, ejus crux, sepulchrum, aliaq; ejusmodi reliquiæ propter respectum ad ipsum Christum, in honore habenda sunt.* Idem *ibid.* Resp. 1. Si vera passionis Dominicæ instrumenta in promptu sunt, honorentur, sed non adorentur. Neque enim vel arca vel terra, in qua Jehova stetit, relationem suam sustinens, vel adorata vel religioso cultu propriè

priè & ſtrictè dicto affecta fuit. 2. Cultus abſoluti & relativi commentum confutavimus *de Peregrinat. Relig. pag.* 243. &c. Nihil ſub ſole eſt, quin reſpectum ſeu relationem ad Deum habeat. Quæ σχέσις ſi religioſi cultus fundamentum eſt, omnes creaturæ, etſi diſpare gradu, religioſè venerandæ fuerint. Cui argumento irrefragabili Adverſarius *pag. 755. 756. &c.* longo verborum ſtrepitu non aliud ferè opponere potuit, quàm confeſſionem meam, *quòd etiam Symbolis & inſtrumentis Divini cultus propter arctiſſimam connexionem, quæ inter religionis exercendæ actum, & ejuſdem inſtrumentum intercedit, reverentia debeatur.* Proinde me in re ipſa ſecum conſentire, at verbis diſcrepare, pertendit. Fruſtra & Sophiſticè omnia. Ego de Symbolis & inſtrumentis cultus Divini ita ſtatui. Illi de oſſibus & reliquiis Sanctorum, de imaginibus &c. quæ cultus Divini Symbola & inſtrumenta à Deo conſtituta non ſunt. Ego de reverentia Symbolis debita, quæ impropriè & latè religioſus honos dici queat, locutus ſum. Illi de reverentia tali, quæ cum vera adoratione, & certis adorationis ſignis & actibus conjuncta, & reſpectiva quidem, attamen vera latria eſt, & loquuntur, & ſentiunt, & quod ſentiunt, ipſa praxi quotidiana exprimunt. Toto igitur Cœlo reſpectivus latriæ cultus & reverentia à me explicata diſtant. Quod ſi re ipſa mecum ſentit Adverſarius, multum & ipſi & mihi gratulor. Sed tum deſinet panem eucharisticum adorare, reliquias Sanctorum, quæ Divini cultus Symbola non ſunt, & Deiparam ſuam Eremitanam religioſè colere. Ita demum hoc quidem in capite δεξιὰν ἐπιβάλλειν integrum nobis fuerit.

EXGIP, REDING: 1. *Nonniſi aera verberare videris, & inſtar cæcutientis palpitas, dum in ſolis vocibus ludis, ne victus videare. Nam contra reſpectivum latriæ cultum contendens, ſic nominetenus eum explodis, ut re ipſa confirmes, nec ullum reale à tuo ſymbolis ſacris debito honore, noſtróque Reſpectivo latriæ cultu diſcrimen aſſignare poſſis. 2. Inter creaturas ejuſmodi diſcrimen eſt, ut omnes quidem ad Deum referantur, ſed diſpare gradu, quorum alter lineam naturalem, alter ſupernaturalem in fide & gratia fundatam importat. Continendo nos intra lineam naturalem, annon omnes actiones noſtræ ad Dei gloriam referendæ ſunt: omnes etiam inanimatæ res Deum benedicere jubentur, idque propter relationem ad religionem, ſeu cultum Dei? Hinc ergo derivatur actus religionis imperatus in res illas inanimatas, quâ cultus Divini terminum non formalem, ſed materialem relatum in Deum, ejúſque religioſam honorationem. 3. Niſi reverentiam illam, Symbolis & inſtrumentis cultus Divini debitam, quam impropriè & latè honorem religioſum dici fateris, in rebus inanimatis, cum Divino cultu connexionem habentibus ſiſtere contendis, has ita colere debes, ut talis reverentia ultimatè terminetur in Deo ſub vera adorationis ſpecie; adeóque conjuncta ſit cum ſignis & actibus veræ adorationis, ut ſic formaliter & primariò in Deum, in illa verò Divini cultus ſymbola & inſtrumenta materialiter & relativè in Deum, adeóque ſecundariò directe. Hoc verò totum eſt, quod cultus reſpectivus à nobis aſſertus importat. 4. Nec ulla in rebus creatis ad Deum, ceu primum principium ultimúmque finem relatis eſt non à Deo ipſo conſtituta. Proin etiam Sanctorum reliquiis ineſt moralis, in reſur-*

resurrectionis jure radicatæ, cum eorundem Sanctis animabus connexio, relatio ad Deum, & ab ipso Deo constituta. 5. Objiciebas mihi de Peregr. Relig. pag. 242. 243. distinctionem cultus absoluti & respectivi à plebe nostra non intelligi. An verò distinctionem cultus latriæ in actum à religione elicitum, imperatum & in relatione ad religionem fundatum plebs vestra rectiùs intelligit? Objiciebas ibidem nobis dissensum Doctorum nostrorum circa eandem distinctionem. Verùm in eo, quod fidei est, probè illi consentiunt, nimirum absolutè, principaliter & intransitivè solum Deum religiosè colendum esse. Quæstio tota est de subtilitate Scholastica: An internæ adorationis actus feratur in Symbolum sacrum, quoad terminum quidem intrinsecum ac specificativum, attamen secundarium & subordinatum, & simul in Deum tanquam in terminum principaliter specificativum & intransitivum? Aliis id affirmantibus; negantibus aliis. Ibid pag. 113.-117. Resp. 1. Sic planè in vocibus ludo & in re ipsa tecum consentio, uti tecum reliquias, hoc est, ocreas Martini, Georgii Vaginam, Crispini calcearium cultrum, aut, quæ in quadam Liguriæ urbe asservari dicitur, caudam asini, cui Christus insedit, Rochi canem, Antonii suem colo & adoro; vel, quæstus apiscendi gratia, Christi Sacellum consecrantis reliquias imperito orbi vendito. Desineres utinam nugari, & fide non Helvetica, sed Punica mecum agere! Siccine enim nullum reale inter cultum, quem fingitis, respectivum creaturarum, & reverentiam symbolis ac instrumentis cultus Divini debitam, discrimen posui? Atqui cultum religiosum & Divinum non alium quàm absolutum agnosco, respectivum creaturarum merè idololatricum censeo: reliquias cultus Divini symbola Divinitus constituta esse pernego; &, si maximè forent, vel illas, vel alia etiam vera cultus Divini symbola in usu Divino honore mactanda, pro proximis objectis cultus, per quæ ad Deum ille deferatur, agnoscenda, vel inferioris generis cultum, nedum religiosam adorationem, fiduciam, invocationem & similia honoris Divini πλεονεκτήματα in illa transferenda esse, (qui omnes idololatrici errores vestri sunt, à quibus immane quantum abhorremus) fortissimè abnuo: reverentiam contra illam, quam symbolis & instrumentis cultus Divini propter connexionem arctam religiosi cultus in usu ipso competere asserui, non vel in adoratione, vel in cultu & honore Divino ullo, sed in devota debitáque æstimatione rei, qualis à Deo ordinata est, non utique ut objectum; uti vos pertenditis; sed ut instrumentum religiosi cultus, (quomodo reverentia illa habens licet relationem quandam ad Deum, tamen in symbolis illis manet, terminatur, non transit ad Deum, uti fictitius ille vester transitivus cultus) statuo. Denique extra usum symbolis cultus Divini positivum honorem ullum deberi agnosco; sed privativam ad extremum ejusmodi reverentiam. qua id solum cavetur, ne circa res illas, quæ ad cultum spectant, quidquam fiat extra usum, cujus ratione reverentia illa, quæ in usu vel cultu sacro observari debet, violetur. veluti, ne panis vel vinum post communionem, aqua baptismatis post baptismum relicta contumeliæ alicui exponatur &c. Hoccine realissimum discrimen, longè majus illud, quàm Cœlum inter & terram, saltem æquè magnum, atque illud, quod Deum inter & creaturam intercedit, non est? 2. Inter creaturas discrimen agnosco. Sed horreo sentire cum Vasquezio vestro, qui *lib. III de adorat. Disp. 1 cap. 1.* scribere non erubuit, *omnes creaturas posse adorari, etiam vilissimas, ad festucam usque, tanquam Dei imagines, & quatenus Deus in iis præsens est.* Eò væsaniæ homines illi, idololatricæ suæ pertinaciæ pœnam luentes, procedunt! Et tamen eò procedat etiam Redingius necesse est, si in ea opinione, quòd creaturæ propter respectum seu relationem ad Deum religiosè colendæ sint, animum suum obfir-

maverit. Quàm verò frivola ejusdem ratiocinatio est: *Omnes actiones naturales referendæ sunt ad Dei gloriam: Omnes res inanimatæ etiam Deum glorificant: Ergo in omnes res etiam naturales derivatur actus religionis imperatus, qua illæ terminus Divini cultus sunt, non formalis, sed materialis relatus ad religiosum honorem Dei.* Ergòne si creaturæ omnes sunt propter Deum, ejusque honorem & cultum religiosum, religio dictat, vel imperat, ut & ipsæ creaturæ sint terminus qualiscunque honoris religiosi Deo debiti? O perversam Logicam, quæ omnis etiam crassissimæ idololatriæ fundamenta astruit! Nam & hoc scuto Chaldæi Solem & astra, Ægyptii, aliique boves, cœpas, allium, feles &c, religiosè colentes facilè se protegent, dicentes, quòd creaturæ illæ, cùm propter Dei honorem sint, & ad eum referantur, quodammodo etiam terminus sint Divini cultus. Sed profectò aliud longè est, quod religiosè honoratur: aliud quod honorat. Creaturæ omnes honorant Deum, & vel existentia sua ei Omnipotentis Creatoris honorem tribuunt, atque sic propter Deum sunt, & ad eum referuntur. Non tamen sic Deum honorantes ipsæ simul honorantur, vel honoris Deo delati terminus *ad quem* sunt. 3. Reverentiam symbolis in usu positis debitam nego ultimatè terminari in Deo: nego terminari in symbolis sub specie adorationis. Illud, quia reverentiæ, quæ symbolis debetur, juxta vos etiam inferior & subordinata est, adeóque in illis, non in Deo, cui principalis & suprema competit, terminatur: hoc, quia qualemcunque symbolis reverentiam tribuere, non est ea adorare. Adoratio enim religiosa omnis absoluta, & solius Dei est. Nihil ergo reverentia symbolis debita cum cultu vestro respectivo commercii habet. 4. Sanctorum defunctorum corpora & reliquiæ ad Deum utique, ceu primum principium & ultimum finem referuntur: atque relatio illa à Deo constituta est, fateor. Sed *Symbola Divini cultus*, à Deo constitutas, ordinatas esse negavi, iterúmque pernego. Hoc tibi probandum fuerat. Neque enim si relationem quandam habent ad animas suas cœlestes, atque Deum ipsum principium suum, ideo cultus Divini symbola, nedum religiosè adorandæ sunt. 5. Distinctionem cultus religiosi *absoluti* & *respectivi* à plebe vestra *audiri, intelligi, applicari*, negavi, *Quotusquisque*, objeceram meritò, *coram imagine, coram sacello consecrato prostratus & adorans, non eodem modo id facit, & eodem animi motu, quo in Deum ipsum fertur? Quotusquisque est, qui non existimet, se actum virtutis religionis exercere, imò qui non apud se statuat, nullum exerceri majorem posse? Hinc peregrinationes illæ sumptuosæ & difficiles, ut ad locum talem accedant, in quo existimant Christum, Mariam, Sanctos efficaciùs operari; nec expectant, donec ad locum illum devenerint, sed cùm primùm eminus Templi turrim conspiciunt, tum proni in terram adorant. Etsi igitur in cathedra vestra sive Scholastica, sive Ecclesiastica quandoque distinctiones ejusmodi, ad palliandam nimis horrendam idolomaniam sonant: in ipsa tamen praxi, in qua omnis cultus ratio vertitur, minimè observantur.* Verissima hæc esse, res ipsa clamat. Neque contradicere ausus es. Sed periculum ejus rei apud plebem nostram nullum glitcere, satis inde constat, quia nemo sanus apud nos unquam visus est symbola cultus adorare, religiosè colere, invocare: & rem ipsam, distinctione cultus latriæ *in actum à religione elicitum, imperatum & in relatione ad religionem fundatum*, comprehensam, fideles simplicissimi quiq; probè intelligunt, factóque ipso exprimunt. Omnes enim Deo soli confidunt: eum solum religiosè colunt, adorant: parentes, superiores, quia id religio imperat, venerantur: Symbola sacra in usu devotè reverentur, non adorant, vel honore, cultu Divino, ut objecta proxima, afficiunt. Hæc religionis veræ prærogativa est, quæ colens unum verum Deum, Creatorem mundi & gubernatorem, Christi Patrem, in superstitionis & idololatriæ periculum

cultum vobiscum non incidit; neque adeò vel simplicissimus metuere potest, ne Deus falsus pro vero sibi obtrudatur. 6. Denique de dissensu Scholæ vestræ Doctorum circa internæ adorationis actum, an videlicet ille in imagines, reliquias &c. ut *terminum specificativum* feratur, infra, ubi de cultu imaginum disputamus: *Object. VII* fusiùs. Crassa nimis & principali fidei Divinæ adversans *subtilitas Scholastica* est asserentium; quæque distinctionem cultus religiosi proprii imaginibus, reliquiis &c. delati in *absolutum* & *respectivum* ac *transitivam* planè perimit. quod solum hic intenderam, tu verò ne attigisti quidem.

OBIECT. V. *Hæmorroissa Christi fimbriam tangens sanata est Matth.* IX. 21. *propterea, quia fimbriæ seu vestimenti ejus tactus in ipsum Christum redundavit. Ergo eadem ratio est instrumentorum passionis Dominicæ, quæ non minorem quàm fimbria vestimenti, ad Christum relationem habent.* Idem *ibid.* Resp. 1. Fimbriæ tactus miraculosæ sanationis symbolum extraordinarium fuit. At nec hoc, nec ullum aliud Divinorum miraculorum Symbolum à quoquam fideli & pio adoratum vel religiosè cultum est. Cedo enim, quis baculum Mosis, pallium Eliæ, sputum Christi, unguentum Apostolorum, fimbriam ipsam Christi adorâsse uspiam legitur? 2. Neque par ratio etiam est vestimenti Christi, & Papisticarum reliquiarum. Illo Christus indutus, ad Divinæ suæ potentiæ demonstrationem uti voluit. At hæ vel incertæ, vel saltem à Christo vivo separatæ, haud eandem vim & rationem obtinere possunt.

EXCIP. REDING: 1. *Tactus religiosus fimbriæ Christi elevationem ejusdem ad sanationis miraculosæ operationem antecessit. Noverat enim hæmorrhoissa, crediderat que, fimbriæ talem vim inesse; atque ideo eam tetigit; Deo fidem illam edito miraculo comprobante. Non ergo fimbriæ tactus miraculosæ sanationis symbolum extraordinarium fuit. Et vel hinc liquet, etiam passionis Dominicæ instrumenta habere relationem ad Christum, & ex hujus tactu quandam sanctificationem non quidem intrinsecam, sed respectivam accepisse; quæque adeò in iis etiam separatis viget adhuc moraliter, ob rememorationis efficaciam, quæ per separationem eorum à corpore Christi non tollitur. 2. Ratio tua de baculo Mosis, pallio Eliæ &c. non adoratis, ex puris negativis procedit.* Ibid. pag. 118. Resp. 1. Qualiscunque fimbriæ Christi ad miraculosam operationem vis & efficacia infuerit, ordinaria, extraordinaria, intrinseca an respectiva; neque ipsa tamen mulier sanata, neque quisquam alius fimbriam Christo hærentem, nedum ab eo separatam, adorasse legitur. Tetigit illa fimbriam, non adoravit. At nunc stupidissimi Papistæ non tangunt duntaxat reliquias, sed adorare se profitentur. Quanquam etiam quorsum tangant? Non enim Christus jugem & perpetuam miraculorum patrationem esse voluit; sed initiis Christianismi propriam. Sed *tactus*, inquis, *fimbriæ miraculi patrationem antecessit.* Quid verò tum postea? Non ideo illa tangendo fimbriam credidit, efficaciam ei inesse, & quidem perpetuam, ordinariam; miraculúmque adeò consecuturum, quoties sive adhærens corpori Christi, sive ab eo separata tangeretur. Christum enim quoties turbæ contigerunt, nec tamen sanavit vestis vel fimbria? Tetigit & Christum os Judæ, tetigere militum manus, etiam vestes Christi, num toties secutum miraculum? Neque mulieris tactus ille accipiendus ut fiducia operis operati; sed ut fiducia Divinæ potentiæ, gratiæ & sanctitatis

in Christo. Mulieres nempe αἱμοῤῥοοῦσαι secundum legem impuræ erant, iisque non licebat res sanctas attrectare; quas si attrectarent, contaminabantur potiùs, quàm purificabantur, Hagg.II.13 14. Hæc ergo mulier legalis impuritatis sibi conscia eam de Christi sanctitate & potentia fiduciam habuit, fore, ut, si modò fimbriam ejus sibi attingere liceret, non tantùm ipsa illum non contaminaret, sed sanctitas ejus suam impuritatem expiaret. Hæc singularis ab ipso etiam Chrysostomo, *Homil. in Matth.32.* perhibita ratio singularis illius fimbriæ tactus fuit. quam frustra hodie sceletolatræ ad ossium suorum religiosum tactum, imò & adorationem detorquent. idque *ob respectum ad Sanctos, & efficaciam rememorationis*, uti Redingius loquitur. Quasi scilicet solus respectus ossium ad defunctum, hujusque memoria sanctitatem & virtutem quandam Divinam, religiosi cultus fundamentum, iisdem à Spiritu suo separatis imprimeret. quod parum à γοητείᾳ distat. Ad quam etiam fabula illa ab Eusebio *Hist. Eccl. lib.*14. narrata de mulieris hujus statua ænea Cæsareæ Philippi conspecta, nec non statua ænea viri, Christum repræsentantis, ad cujus pedes excrescens planta, si fimbriam stolæ attigisset, *ἀλεξιφάρμακόν τι παντοίων νοσημάτων, medicina pro omne genus morbis* evaserit, haud immeritò refertur. 2. Particularibus & speciebus omnibus negatis, etiam genus negatur. Atqui ne ullum quidem miraculi patrati sive symbolum, sive instrumentum ostendi potest. quod vel adorari Deus jusserit; vel à quoquam Sancto adoratum fuerit. Oleo sanarunt Apostoli. Legat verò aliquis mihi adoratum oleum ante stupidissima illa tempora, quæ clamarunt *Ave sanctum oleum*! Et cœterorum omnium par ratio.

OBIECT. VI. *Actor. V. 15. umbra Petri curabat infirmos. Et Act.XIX.11. sudaria & semicinctia Pauli super languidos delata, eosdem sanabant. Ergo multò magis devotio & honos corporibus Sanctorum habitus ita in Sanctos referetur, ut Deus eum ratum habeat, & miraculis quandoque approbet.* Idem *ibid.* Resp. 1. Umbra Petri & Semicinctia Pauli miraculosæ & extraordinariæ sanationis symbola fuerunt. Neutra propriè dictarum reliquiarum nomine venire possunt. Neutra propter Symbolicum hoc officium vel ut adorarentur, mandârunt Apostoli, vel à quoquam adorata esse constat. Apostoli non permiserunt, ut coram ipsis homines procumberent, multò minùs passuri, ut coram umbra sua vel semicinctiis, ad illorum essentiam ne quidem pertinentibus, cernui prosternerentur. Hic Redingius verè ad incitas redactus opponit Cyrillum. An verò ille alterutrum adoratum docet? Nihil minùs. Corporibus etiam mortuis inesse virtutem quandam, exemplis corporis Elisæi, umbræ Petri & semicinctiorum Pauli probat. At propterea religiosè colenda, adoranda esse, quod est τὸ ζητούμενον, neutiquam innuit. 2. Neque ab umbra Petri, semicinctiis Pauli viventis, docentis, miracula virtute Christi operantis, ad reliquias incertas Sanctorum argumentum duci potest. Ratio gemina. Prior, quia causa, cur Petro & Paulo, mediantibus iis Symbolis, miracula patrandi potestas concederetur, erat ministerium à viventibus obitum, cui Deus hac ratione fidem facere voluit. Ubi hinc decedunt Sancti, corpora patribus suis apposita corruptionem

nem sentiunt Act.XIII.36. quæ διαφθορὰ *corruptio* testatur, nullam iis inesse virtutem θαυματοποιητικήν, nisi Deo forte lubuerit apud ea, tanquam symbola operationis virtutes suas edere, quod factum in corpore Elisæi; cui tamen non infuit *vis illa vivificatrix*, uti perperam Adversarius pertendit, cùm omnis illa virtus à Deo processerit, neque corpus Elisæi aliam potentiam habuerit quàm *obedientialem*, uti vocant, ut nimirum Symbolum esset Divinæ operationis. Posterior, quia umbram Petri & sudaria Pauli sanâsse suo sensu ægrotos dubitari nequit: at reliquiæ Pontificiæ pleræque omnes suspectæ, dubiæ & sublestæ fidei sunt. Excipit quidem Adversarius, *me hoc dicentem intellectualium virtutum esse imperitum, neque distinguere posse inter fidem & prudentiam. Fidei esse in genere dogma, quòd cultus sacris reliquiis delatus referatur in ipsorum Sanctorum animas. Prudentiæ in particulari decernere, an hæ vel istæ sint veræ Sanctorum reliquiæ. Atque hic sufficere certitudinem moralem. Quæ*, inquit ille, *licet Heideggerus fateatur se non intelligere, non icciréo credendum est, sufflata esse vel solo Ministri hujus halitu.* Ego verò quid Sophismata hæc sibi velint, probè intelligo; sed vera, sana & solida esse, non intelligo, imò falsa & veteratoria esse, penitus per gratiam Dei scio. Neque etiam pædagogiam illam, quam in Cl. Vedrosium & me passim petulanter exercet, moror. Hæc præsidia eorum sunt, quos recta ratio deserit. In cultu Divino fidem comitatur φρόνησις καὶ σύνεσις, *prudentia & intelligentia* Ephes.I.8 Coloss.I.9. Utraque conjunctam habet πληροφορίαν *plenam certitudinem* Rom. XIV.5. Col. II. 2. Hebr. X. 22. Ad hanc πληροφορίαν minimè sufficit certitudo moralis, *quæ*, ut loquitur, *speculativè ex rationibus utrinque probabilibus versari potest contradictoriè, licet tum formaliter quoad rationem prudentialem nulla subsit oppositio.* Paulus enim exigit Rom.XIV 5. πληροφορίαν τοῦ νοὸς *plenam persuasionem & certitudinem mentis*, quæ nulla esse potest, si intellectum rationes contradictoriæ probabiles exerceant & concutiant. Si igitur religiosus reliquiarum cultus Deo gratus est, non tantùm certitudine fidei constare debet, reliquias esse venerandas, sed etiam, quorum & quæ reliquiæ venerandæ sint. Quomodo minimè sufficit, ut quis certitudine fidei cognoscat, Numen venerandum esse. Constare etiam certitudine fidei debet, non Jovem, non Saturnum, non Appollinem, sed Deum Israelis, verum illud Numen esse. Quæ certitudo à solo Spiritu Dei ejúsque φωτισμῷ dependet. At quæ nunc certitudo fidei, imò quæ moralis subest, reliquias eorum esse, quorum esse dicuntur? Quæ pro reliquiis Christi, Mariæ & Apostolorum publicè venditantur, de iis altum in historia Evangelica, & Seculorum aliquot Scriptoribus silentium. Et quinquaginta circiter post Christi mortem annos Hierosolyma eversa & expilata fuit. Ubi interim reliquiæ illæ asservatæ fuerunt? Pontificum,

Epiſcoporum approbatio fallax eſt,cui proinde cultus religioſus ſuperſtrui nequit. Miracula,quæ apud illas edita jactantur,non minùs quàm ipſæ reliquiæ incerta, dubia & ſuſpecta ſunt. Omnia fraudum plena ſunt. Integra Sanctorum corpora diverſis locis oſtenduntur. Petri corpus integrum Romæ in Vaticano exiſtere,Baronius ad An.69. Dimidiatum haberi in alio loco Romæ in via Oſtienſi, & Caput in Baſilica Lateranenſi: partem capitis in eccleſia S.Praxedis,Onuphrius *de ſeptem urbis eccleſiis Cap. de Baſil.S. Pauli*; Particulas aliquas Conſtantinopoli ex Chryſoſtomo Bellarminus; Mandibulam ejus cum barba Pictavii in Gallia Gallaſſus; Dentes,in variis Romæ eccleſiis Onuphrius; articulum digiti gigantis in Anglia ad D. Parathalaſſiæ Eraſmus,memorant. Taceo innumera ejuſmodi, quæ non alia certitudine fidei quàm Pontificiæ,carbonariæ nimirum innoteſcunt. Perizomata illa ex ficulneis Scholaſticarum diſtinctionum foliis contexta ſtrictiora ſunt,quàm ut impoſturarum,quæ in reliquiis committuntur,turpitudinem tegere poſſint,

Excip. Reding: 1. *Ludis in nomine reliquiarum. Nam Petri umbra & Pauli ſemicinctia Divinæ operationis inſtrumenta fuerunt, & relationem habuerunt ad Apoſtolos, qui Divina virtute miracula patrarunt. Quantò verò magis corpora ipſa Sanctorum ad ſpiritus ſuos cæleſtes reſpectum & relationem ſimilem habent, & eatenus ceu reliquiæ eorum veneranda ſunt?* 2. *Priusquam miraculum patraretur, Petri umbra & Pauli ſemicinctia adhibita, & per conſequens miraculum comprobata ſunt. Ergo abſolutè, non ſub ſola miraculorum effectivi ſymboli formalitate, actus illi religioni conformes fuerunt.* 3. *Qualiſcunque vis illa corporum, ad quam illa elevantur, ſit, tamen ſinceræ religionis puritatem ea præfert, quia ea mediante Deus comprobat cultum in ſymbolis iis exhibitum.* 4. *Cùm ipſemet fidei & prudentiæ virtutes diſtinguas, differentiæ utriuſque rationem reddas oportet. Non alia autem eſt, quàm quòd fides prima veritate immediatè nixa, in objecto etiam materiali determinatam veritatem exigit: prudentia verò, cùm non ſit virtus Theologica, non immediatè, ſed mediatè in primam veritatem reſolvitur, quatenus reducitur in fidei principia, ex quibus per ratiocinationis perſpicaciam derivatur, cujus adeò certitudo non fidei, ſed inferioris ordinis, moralis videlicet, eſt. Hæc ipſa tamen cùm vera certitudo ſit, excludere omnem formidinem, & definitam veritatis practicæ, quæ repræſentativa eſt motivi formalis ac ſpecificativi, ad virtutis cujuſpiam moralis lineam ſpectantis, & ex fidei principiis definiti; determinationem habere debet. Ubi verò agitur de mediis, per quæ honeſtas moralis in actum exercitum deducenda eſt, in particulari & individuo plerumque probabilis ratio ſufficit. Ita v.g. in individuo circa Euchariſtiam legitimè conſecratam fidei certitudo haberi nequit; ſed ſufficit probabilis ratio. Atque ejuſmodi certitudo quoad reliquias etiam, earúmque cultum ſufficit, ſine qua apud nos ſeverè prohibitum eſt, ullas reliquias publico cultui exponere.* Ibid. pag.119--121. Reſp. 1. Nominum equidem non magna cura nobis eſſet,dummodo res integra foret. Olim λειψάνων *reliquiarum* nomine corpora Martyrum venerunt. A corporibus deinceps ad alia ventum; ac demum à Papiſtis ſic reliquiæ definitæ ſunt,ut nullus earum numerus iniri

queat.

queat. Nihil tam exiguum, nihil tam vile in Sanctis, quod non *reliquiarum* nomine sua cura dignum hi existimaverint. Sic Mariæ Virginis reliquiæ censentur non tantùm particulæ corporis, ut crines, lac, & minum si non alicubi etiam ungues: sed etiam totus mundus muliebris ideo in κειμήλια relatus; interulæ, pepla, cingula, pectines, crepidæ, calcei, annuli; Josephi mariti ejus etiam caligæ. Sed abundent illi suo sensu, & abutantur nominibus pro lubitu. Non tam huic abusui, quàm superstitioni intercedimus: denuóque à Redingio expetimus, demonstret ille nobis, vel Apostolos mandasse, ut vel umbra Petri, vel sudaria Pauli ob symbolicum in patrandis miraculis officium adorarentur: vel illa à quoquam adorata esse. Hic rhodus, hic saltus! Cur ad hoc, Redingi, non respondes? Cur scopulum hunc toties securus prænavigas? Si sudaria Pauli adorari debuerunt, & adorata sunt, consentiemus facilè, ut Sanctorum viventium thaumaturgorum corpora adorentur similiter. Sin, desinite veritati obstrepere, & nugari sine fine. Cùm umbra sit mera privatio & absentia lucis, ac proinde nihil, quo pacto adorari potuit? 2. Ad quid verò umbra Petri, & sudaria Pauli ante miraculi patrationem adhibita sunt? An ut sint objecta religiosi cultus adorationis? Proba, Redingi. Disputamus enim, non dictamus. Credo equidem ante miraculi patrationem utrumque γνήσιον & naturalem suum usum habuisse, neque religiosum cultum subivisse. Si aliud tibi constat, doce pro tua sapientia. 3. Vim corpori Elisæi, aliisque miraculorum patrandorum symbolis vivificatricem nullam insitam fuisse, sed potentiam merè obedientialem illa habuisse, ut Divinæ operationis symbola essent, denuo pronuntio; neque tu contrarium probas. Nescio autem, quid tibi velis regerens, *vim illam corporum sinceræ religionis pietatem præferre, quia ea mediante Deus cultum in symbolis iis exhibitum comprobet.* Supponis forte *vim* corporum *vivificatricem*; cùm tamen vis omnis patrandorum miraculorum activa in solo Deo sit, & ab illo solo promanet. Non ergo Deus cultum in symbolis iis adoratis, religiosè cultis, sibi exhiberi declarat, nedum per miracula comprobat. Non enim Deus miracula patrat, ut symbola adorentur, sed ut ipse solus adoretur, ejúsque bonitas, sapientia & potentia glorificetur, & Evangelium prædicatum confirmetur. Heb. II. 3. 4. Hi miraculorum Divinorum fines sunt, non creaturarum religiosa veneratio. 4. De reliquiarum vestrarum incertitudine supra satis. Neque ego sic fidei & prudentiæ virtutes distinxi, ut vel separandas, vel certitudinem utriusque in cultu Dei summam minuendam dixerim. Utrique enim πληροφορίας *certitudinem* summam inesse, ex Rom. XIV. 5. ubi quisque in animo suo πληροφορείσθω *certissimus esse* jubetur, Col. II. 2. ubi compingi nos idem jubet εἰς πάντα πλοῦτον πληροφορίας τῆς συνέσεως *in omnem opulentiam certæ persuasionis intelligentiæ*, &c. probavi. Talis πληροφορίας συνέσεως πλοῦτος *opulentia certissimæ persuasionis intelligentiæ* spiritualis nec in certitudine morali illa, quam ex prudentia ratiocinante derivas: nedum in reliquiarum cultu vestro obtinet. Nihil enim reliquiis, quas adoratis etiam publicè, incertum, dubium, fluxum magis est; postquam pridem ex Sanctis satis multis fecistis totidem Argos, Briareos, Geryonas, Proteos, quibus centum oculi, pedes, manus, capita, formæ, oráque centum. Adeò ut nec probabilis ratio, qualem *in particulari & individuo* sufficere ais: nec *moralis* certitudo, formidinem oppositi excludens, nedum certitudo fidei, cum prudentia non qualicunque, sed *spirituali*, quam ipse Spiritus Dei in animis hominum confirmat, conjunctissima; qualis in determinando cultus objecto requiritur, ulla vobis suppetat. Si ad determinationem objecti religiosè colendi probabilis ratio vel certitudo moralis sufficeret, neque Divina (sive illa fidei, sive prudentiæ est, nihil enim

refert)

refert) certitudo requireretur, majorem fortè moralem certitudinem, vel probabiliorem rationem objectorum plurium, quæ venerabantur, quàm vos reliquiarum, ceu verè existentium, non confictarum, prætendere potuissent. Verbo dicam; nisi Deus Spiritus S. revelet in verbo suo eum, qui adorandus, religiosè colendus est, non verus cultus, & adoratio, sed mera superstitio & idololatria nascitur. Ideo Deus in verbo suo verum Deum esse Deum Israelis Triunum, revelare necesse habuit, quia hîc ratio omnis cœcutit. Reliquias autem, quas religiosè colitis & adoratis, genuinas esse, nuspiam Deus vobis revelavit, imò id ne certa quidem ratione vos assequi, pluribus argumentis, quæ alto silentio prætervectus es, demonstravi. Neque tuum de *Eucharistia consecrata* χειροφύλακτοι cassa nuce dignum est. Nam ex Dei verbo constat, Eucharistiam veram esse, quæ juxta Christi institutionem celebratur. Cùm ergo sic celebratur, uti Christus instituit, jam fidei & revelationis Divinæ certitudine constat, veram Eucharistiam esse. At discernendarum reliquiarum, quas cultus Divini objectum facitis, nulla Divina & revelata norma uspiam extat.

OBIECT. VII. *Ex Orthodoxis etiam Patribus reliquiarum cultus probari potest. Justinus Martyr quæst. 28. ad Orthodoxos testatur, Sanctorum corpora & sepulchra Martyrum dæmonum amoliri insidias, & morborum desperatorum sanationes conferre. Ecclesia Smyrnensis circa A. C. 150. in Epistola ad Ponti ecclesias scripsit, qualiter decorârit corpus S. Polycarpi. De ejus corporis, aliarúmque Sacrarum reliquiarum veneratione & miraculis commemorat multa Eusebius lib. IV. 15. VII. 14. Hist. Eccl. Pius I. circa An. 142. Justino Sanctorum corporum curam commendat. Athanasius in vita S. Anthonii ejus vestes cultas esse docet. Basilius homil. in Psal. 115. sanctificationis participem fieri docet, quisquis Martyrum ossa attigerit, ob gratiam corpori insidentem. Cyrillus Hierosol. Catech. 18. Sudaria, semicinctia ægrotos sanâsse dicit. Gregorius Nyssenus S. Theodori Martyris corpus cum multo honore & cultu compositum, in augusto sacróque loco situm esse ait. Gregorius Nazianzenus Orat. in Jul. Apost. Sanctorum corpora idem posse quod animæ Sanctæ, sive manibus contrectentur, sive honorentur &c. ait. Denique Concilium Gangrense Can. 20. memorias Sanctorum commendat. Concilium Nicænum II. Act. 3. reliquias vocat fontes salutares, quibus Deus multa beneficia hominibus præstat.* Idem *pag. 793. &c.* Resp. 1. Ecclesiæ trium primorum Seculorum λειψανολατρείαν prorsus incognitam fuisse, loco superiùs citato evidenter probavimus. Loca quidem, quibus insignium Martyrum reliquiæ humatæ erant, maturè frequentari cœperunt, non ob religiosum reliquiarum cultum, sed *tum ob memoriam eorum qui certârunt, tum ad futurorum exercitationem ac præparationem*, uti loquitur Smyrnensis ecclesia apud Eusebium lib. IV. 15. Quæ Justino tribuuntur *Quæstiones ad Orthod. & Resp.* non Justini, sed recentioris authoris esse, fatentur Possevinus & Bellarminus. Meminit Origenis & Irenæi Martyris, quo utroque Justinus prior fuit. Smyrnensis ecclesia disertis verbis protestatur, *se non alium quàm Christum colere: Martyres verò ut Domini discipulos & imitatores diligere.* Quæ verba omni

mni exceptione majora ſunt. 2. Procedente tempore translationes reliquiarum cœptæ ſunt propter commonefactionem de ſpe futuræ reſurrectionis & gloriæ; & ad παρόξυσμὸν fidei ac conſtantiæ, uti docet Chryſoſtomus ſerm. in Babylam. Paulatim ſibi Patres liberiùs aliquid indulſerunt, & quædam, quæ non probârunt, tolerârunt, teſte Auguſtino *Epiſt.* 119. *& de Civ. D. XXII:* 8. Athanaſius in vita B. Anthonii ait, ſibi ab eo Legatum pallium tritum, ſéque per id veſtimentum imaginem ſanctitatis ejus recolere. Nihil de religioſo cultu. Nihil de adoratione. Epiphanii *de vita Prophetarum* lib. V dubiæ fidei eſt. Certè puerilia multa complectitur. Neque tamen Ezechielis reliquias adorari docet. Reliqui, qui allegantur, Patres contra contemptum reliquiarum diſputant, nuſpiam religiosè adorandas eſſe ſciſcunt.

EXCIP. REDING : 1. *Neque nobis lipſanolatria, hoc eſt, reliquiarum latria nota eſt. 2. Fateris, loca, in quibus Martyrum reliquiæ erant, maturè frequentari cœpiſſe ob memoriam eorum, qui certarunt. Annon ſic ſacra corpora relatè ad Sanctos ipſos coluerunt? Hoc unum contendimus. 3. Saltem Opus Orthodoxarum quæſtionum Juſtino adſcriptum vetuſtiſſimum eſt. quod ſufficit. De Eccleſiæ Smyrnenſis ſententia ſupra. 4. Fateris etiam, antiquioribus Eccleſiæ temporibus jam cœptas eſſe reliquiarum translationes in memoriam futuræ reſurrectionis & gloriæ. Annon hoc in venerationem eorum, quorum reliquiæ erant, ceſſerat? Execranda protervia eſt, dicere, Patres cultum reliquiarum, quem pro idololatria habetis; toleraſſe. Nil tale Auguſtinus, qui loc. cit. iſtam ſacrorum corporum venerationem miraculis à Deo comprobatam eſſe, aſtruit. 6. Quomodo Athanaſius in veſte Antonii ejuſdem ſanctitatem recolere potuit ſine cultu ejuſdem, in honorem Dei & B. Antonii redundante? 7. Nil juvat clamare, Epiphanii librum V de vita Prophetarum dubiæ fidei eſſe. Saltem ejus de frequenti ad monumentum Ezechielis confluxu teſtimonium vetus eſt. 8. Denique neque nos abſolutam reliquiarum adorationem probamus.* Ibid. pag. 121. 122.

Reſp. 1. Cultum & adorationem religioſam omnem abſolutam latriam eſſe, ſolíque Deo competere: & religiosè à vobis reliquias adorari, ſœpe jam probavimus. 2. Frequentatio equidem locorum, in quibus Martyrum corpora erant, in honorem ipſorum Martyrum cedebat. Sed non omnem honorem religioſum cultum & adorationem ſonare, oſtendimus pariter. Si vos cum veteribus apud Martyrum monumenta cultus Divini exercendi gratia confluentibus paria facitis, demonſtretis oportet, veteres æquè atque vos, reliquias, ſeu, uti Concilium Nicenum II. *Act.* 4. loquitur, *oſſa, cineres, pannos, ſanguinem, ſepulchra denique adoraſſe*; in proceſſionibus circumgeſtaſſe, tactu, oſculis religioſis, cereis, incenſis coluiſſe, coram iis geſtu & animo adorabundos procidiſſe, in illis gratiam, beneficia Dei quæſiviſſe, eis pretioſa dona obtuliſſe, altaribus eas ad Sanctitatem Euchariſtiæ conciliandam incluſiſſe, in collis ex devotione & fiducia erga Deum & Sanctos geſtaſſe; tactis iis juramenta concepiſſe. Sed citiùs locuſta pariet bovem. 3. Quàm vetuſtum ſit opus illud Juſtino falsò adſcriptum, docere nos debueras. Nam Juſtini non eſſe, confitentes reos Sixtum Senenſem *Bibl. S. lib. IV. verbo Juſtinus*; Poſſevinum *Appar. S. verbo Juſtinus*; Bellarminum *de Sanct. Beat. lib.* 1. 4. Azariam *Inſtit. Moral. Tom.* 1. *lib. IV.* 25. alióſque habemus. Cur ergo authorem libri Juſtinum nomi-

nas, ejúsque authoritate te jactas? Quanquam quid tibi prosit testimonium, non video. Dicit enim author ille, quisquis est: *Τῶν ἁγίων μαρτύρων τὰ σώματα καὶ τάφους Sanctorum Martyrum corpora & sepulchra* esse *φυλακτικὰ ἀπὸ τῆς τῶν δαιμόνων ἐπιβολῆς καὶ ἰατρικὰ νοσημάτων τῶν κατὰ τὴν ἰατρικὴν τέχνην ἀνιάτων*, hoc est, *amoliri dæmonum insidias, & morborum ab arte medica deploratorum sanationes conferre.* Neque nos inficiamur, Deum aliquando apud Martyrum sepulchra, & Sanctorum corpora miracula patrasse, ut doctrinæ, ob quam sanguinem suum profuderunt, testimonium redderet, sicque fideles ad constantiam ac martyrium in persecutionibus animaret. Sed propterea ossa S. Martyrum à quoquam adorata, vel religioso, quo vos illa afficitis, cultu affecta esse, nemo testis est. Et tamen hoc unicè agitur. Ecclesiæ Smyrnensis contrariam praxin & protestationem supra vidimus. 4. Reliquiarum translationes *procedente tempore*, non primis temporibus vel seculis, *captas* esse, fassus sum. Bellarminus certè *de S. reliq. cap.* 3. translationum antiquitatem probaturus, Petri & Pauli corpora primò ad Catacumbas; inde diu postea partim ad Vaticanum, partim ad prædium Lucinæ ad viam Hostiensem translata esse, ex Gregorio I. & Cornelio I. probare contendit. Sed duo illi testes pugnantia afferunt. Ait enim Gregorius, *Epist. lib. III epist.* 30. Petri & Pauli corpora, paulò post quàm passi essent, Catacumbas translata, inde statim emota, & à Romanis in suis locis reposita esse. Cornelius contra fictitius ab eo, quem se videri vult, id est, à Cornelio I. urbis Episcopo, qui A. 254. sedit, corpus utrumque de Catacumbis levatum, alióq; transportatum esse asserit. Eadem in Pontificali Damasi narrantur. Quàm bellè Pontifices hi sibi constant? Cornelianam Epistolam fictitiam esse, Baronius *A.* 221 *§§.* 5.6. fatetur. Gregorius verò septimi seculi author, plurium etiam fabularum narrator, quàm quæso idoneus eorum, quæ primo contigerunt, testis est? Certè *τὸ κακόπλαστον* narrationis illius pluribus argumentis post Matth. Bochartum in eruditissimo *de reliquiarum Origine & cultu* Opere *Tract. I. cap.* 2. Cl. Dallæus in opere nunquam satis laudando *de Relig. Cultus Objecto lib. IV.* 12. confixit. Et tamen ex omni antiquitate plus sex seculorum non aliud, quàm à Gregorio isthoc & fictitio Cornelio narratum translationis exemplum adferri hactenus potuit. Sed fac tamen, certa esse, quæ Gregorius *loc. cit.* narrat, nimirum, *Orientales Christianos Romam venisse, petiisse, uti Petri & Pauli corpora sibi traderentur, in Oriente humanda; & in Orientem translaturos ad Catacumbas usque exportasse, sed tonitru & fulgure terrente ibi reliquisse exeuntísque adeò Romanos levasse, & in locis, in quibus nunc sunt, condita reposuisse*; (quis verò non fabulam odoratur?) denique id omne *in Apostolorum*, uti Redingius concludit, *honorem cessisse*; ideone corpora illa adorata esse, conficies? Quasi non quotidie & cives civium, & posteri majorum, & liberi parentum, & amici amicorum corpora, maximè quorum vel virtus, vel in se charitas singularis fuit, apud se condi exoptent, & pro sua virili annitantur, etiam in quæ nullam adorationem, nullam religiosi cultus umbram moliuntur? Sed translationes non ante tempus Constantini M. cœptæ cum eo, qui hodie grassatur, cultu conjunctæ neutiquam fuerunt, sed susceptæ sunt propter commonefactionem de spe futuræ resurrectionis & gloriæ, & propter *παροξυσμὸν instigationem* ad imitandam Martyrum fidem, constantiam, uti disertè Chrysostomus *Serm. ad Babylam* docet. 5. Quædam Patres, quæ non probarunt, tolerasse, ajo. At tolerasse ea, quæ apud vos in usu sunt, & ad idololatriam pridem degenerarunt, non ajo. Nullius ergo in Patres blasphemiæ, nedum execrandæ reus sum. Annon disertè Augustinus *Epist.* 119. fatetur, *propter vitanda nonnullarum vel Sanctarum, vel turbulentarum personarum scandala se liberiùs quædam non improbare.*

probare. Ubi verò ille adorationem corporum miraculis confirmatam asserit? Narrat equidem ille *de Civit. D. lib. XXII. 8.* quendam terram sanctam Hierosolymis allatam in cubiculo suo suspendisse, ne quid mali etiam pateretur, cùm maligni spiritus domum infestarent. *Cumque*, inquit, *domus illa ab infestatione purgata esset, cogitavit, quid de terra illa fieret, quam diutiùs in cubiculo suo reverentiæ causa habere nolebat. Accersit Episcopos proximos, petit, ut terra illa alicubi infoderetur, atque ibi orationum locus fieret. Non restitimus, factum est.* Quæ verba συγκατάβασιν potiùs, quàm approbationem sonant. Sed adorationis nullo apice meminit. Ibi, ubi terra illa infossa est, *orationum locum*, in quo scilicet Deus, non gleba illa adoraretur, factum esse, narrat. Nondum enim illud tempus advenerat, quo reliquiæ adorandæ proponi, & ex iis publicum spectaculum ac mercimonium institui cœperunt. Quanquam jam tum, uti idem S. Augustinus *de Opere Monach. c. 28.* gravissimè queritur, *callidissimus hostis tam multos hypocritas sub habitu Monachorum usque quaque dispersit, circumeuntes provincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes. Alii*, inquit, *membra Martyrum, si tamen Martyrum, venditant, alii fimbrias & phylacteria sua magnificant*, &c. Et tamen ludus jocúsque hæc sunt, si conferantur cum iis, quæ pòst acciderunt; quando Sathanas ita opus suum promovit, ut infinita ossa plerumque supposititia, imò bestiarum pro hominum, per orbem disseminavit, tantúmque in homines imperium obtinuit, ut eos religioso rerum harum cultui mancipaverit. *6.* Mirum equidem, Athanasium in veste B. Antonii ejusdem sanctitatem recolere non potuisse, nisi eo modo vestem ejus adoraret, quo vos soletis. Ubi enim sic testatur Athanasius? Etenim amicorum dona magni facere, maximè absentium aut defunctorum, id verò promiscui est affectus, non cultus ullius religiosi. Neque legimus ivisse Christianos, & supplices esse factos illi pallio, aut totam plebem ei provolutam preces suas demurmurasse, vota exsolvisse, sine quibus religiosum cultum constare, Pontificii sciscunt. Et quàm parum sic Athanasius audiens fuisset dicto ejusdem Antonii, quod ipsemet Athanasius (si modo genuinus vitæ ejus scriptor ille fuit) sic describit: *Sæpe Antonius Episcopos rogavit, populum ut erudirent, Ægyptiorum consuetudinem bonam non esse, quòd defunctorum, inprimis Sanctorum corpora funerent quidem, & linteis involvant, non autem mandent terræ, sed imposita lectulis intra privatos parietes retineant, idque mortuis honori esse ducant. Similiter, quòd laicis sæpius pudorem injecerint, & mulieres objurgarint,* (μήτε νομικὸν, μήτε ὅλως ὅσιον εἶναι τοῦτο) *negans id vel legibus sanctum, vel omnino pium esse. Nam & Patriarcharum & Prophetarum corpora in hanc usque diem servari, ipsum etiam Domini corpus in monumentum positum esse, saxóque advoluto, quo tegeretur, donec tertio die resurgeret. Quibus verbis* (παραινούμενον ἐν μετὰ θάνατον μὴ κρύπτοντα τὰ σώματα τῶν τελευτώντων, κἂν ἅγια τυγχάνῃ) *peccare demonstravit eum, qui post obitum corpora defunctorum non humaret, quantumvis sancta essent. Quid enim majus aut sanctius Domini corpore? Multi ergo postea, hoc audito, sepultura suos affecerunt, gratiis Deo actis, quòd tam probè instituti essent.* Easdem gratias nos quoque Deo agentes νεκρολατρείαν omnem detestamur meritò. Ludit enim certè & illudit Baronius *A. 358. §. 23.* regerens, Catholicos *Beatorum corpora etiam sepulchris claudere, sed honorificentissimis tamen, nempe sacris altaribus.* Quasi altaria sint sepulchra ossium Sanctorum; cùm tamen Clemens Alexandrinus in Protreptico ne Mausolæa quidem & pyramides, tametsi factas condendis hominum corporibus sedes, τάφους *sepulchra* dici sustinuerit, id nominis vilius sordidiúsque ratus, quàm ut magnificis sub-

structionibus congrueret; adeóque ναὺς τῶν νεκρῶν *Templa* potiùs *mortuorum* dicenda censuerit. Quid verò multis? Martyrum corpora sic Antonius humari vult, sicut Prophetarum & Christi corpora humata sunt. Atqui illa in veri nominis monumentis suo quæque tempore humata sunt; nullius autem horum corpus in aliquo altari consecratum fuit. 7. Ergo certum, non dubium esse Epiphanii de vita Prophetarum librum, tu proba. Scatet liber Thalmudicis commentis & somniis. v. g. in vita Jeremiæ narrat ille, Jeremiam arculam sustulisse, quæque in ea fuere singula, & curasse ea absorberi in saxum; & quòd in resurrectione arca primùm resurrectura, & è saxo proditura, inque Sina monte locanda sit, ut ad eam omnes Sancti confluant. Quid tum postea ergo, si vetus author fuit, at fabulosus idem? Quanquam nec ille habet, frequentem fuisse ad sepulchrum Ezechielis populi concursum, ut ibi ossa Ezechielis adoraret eo modo, quo hodierni reliquias solent, verùm εἰς προσευχὴν καὶ ἱκεσίαν, *orationis* ad Deum, non ossa Prophetæ, *gratia*. 8. Qualis sit vestra λειψανολατρεία, sæpe ostendimus, & praxis vestra clamat.

OBIECT. VIII. *Multa olim miracula apud reliquias contigerunt. Sic Juventii & Maximi vultus, teste Chrysostomo, post mortem splenduerunt. Hilarionis corpus post decem menses compertum integrum, teste Hieronymo. S. Vincentii corpus expositum feris à corvo defensum est, teste Augustino. Sic alia multa. Hodiéque crebra apud reliquias miracula contingunt.* 1. Miracula, quæ forte apud reliquias contigerunt, easdem religiosè colendi necessitatem haud imponunt. Si enim vivi adorandi non fuerunt, quantò minùs mortui? 2. Multæ etiam passim de miraculis iis fictitiæ narrationes occurrunt. De quibus multa à me disputata *de Peregrinat. Relig. pag. 94. &c.* heic repetere nihil attinet. De miraculis apud reliquias in Africa patratis egi *ibid. pag. 129. &c.*

EXCIP. REDING: 1. *Miracula, quæ apud reliquias certò contigerunt, totidem testimonia sunt cultus iisdem à fidelibus exhibiti, Divinitus comprobati. 2. Libro tuo de Peregrinat. Relig. miraculorum præcones mangonum nomine insignis. An talis fuit etiam Augustinus Confess. lib. IX. 7. describens miracula, quæ ex reliquiis Sanctorum Gervasii & Protasii acciderunt? Annon potiùs Calvinus, Lutherus, quorum ille ex mortuis se resuscitaturum promisit illum, qui se mortuum simularit: hic dæmoniacum aggressus fuga sibi consulere debuit. 3. Ibidem miracula, postremorum temporum Antichristo & falsæ Ecclesiæ vindicas. quæ similiáque in refutatoriis Dissertationibus diluimus.* Ibid pag 122.-126. Resp. 1. Ain', Redingi, *testimonia sunt, cultus reliquiis exhibiti, & Divinitus comprobati?* Quid monacho impudentius, audacius quid? Cur non priùs cultum reliquiis exhibendum esse, & à Sanctis exhibitum esse, probas? Quomodo Deus miraculis fidem facere voluit cultui creaturarum, & voluntario quidem illi, quem toties in verbo suo damnavit? Imò ille prohibuit severissimè audire Prophetas dantes signum, & per illud seducentes ad colendos falsos Deos, Deut. XIII. 1.-3. Falsus autem Deus est, quisquis præter Deum verum religiosè colitur & adoratur. Sed piget hisce immorari ampliùs. Unum tamen silentio haud prætermitto, quòd primis seculis, quibus Ecclesia maximè miraculorum gloria floruit, & per ea fidem Christi inter Ethnicos illustravit, Evangeliíque doctrinam potenter confirmavit, reliquiarum tamen miracula, quæ utramque in religione Pontificia paginam faciunt, nulla omnino vetustissimi Patres commemoraverint, ne ibi quidem, ubi de carnis re-

resurrectione adversus ejus negatores disputant, vel rationem etiam exponunt, qua Sancti Martyres humano generi profuerunt. cùm Tridentini contra *per reliquias multa beneficia hominibus à Deo præstari* (miraculis videlicet, dum siccis ab ossibus, & exiguo à pulvere, vel vili à vestimenti obsoleti panniculo semper aliquid salutis hauritur scilicet) definiverint. Unde nec Bellarminus, nec alii reliquiarii cultus patroni, ulla ejusmodi reliquiarum miracula ex primis Christianismi monumentis, ante A. 300. depromere potuerunt. Non fuerunt iis temporibus, qui, sicut Lipsius suam illam *Divam Virginem Hallensem*, & *Divam Virginem Aspricollem*; Antoninus parte tertia Divorum Antonii Paduani, Bernhardini, Nicolai Tolentini & Vincentii miracula; & Betschartus tuus *Thaumaturgam Einsidlensem* (taceo Lombardicas fabulas) scripsere, reliquiarum ulla miracula similiter commemoraverint; quibus nec voluntas, nec ingenium defuisset, dummodo suppetiisset vel materies, vel fingendi animus similis. 2. Augustinus certè nobis *mango* non est, quia nec præco immodicus miraculorum apud reliquias patratorum: nec falsorum miraculorum encomiastes fuit. Sic enim *de Civit. D. lib. XXII.8.* miracula quædam Ethnicis sciscitantibus, (cum hac tamen præfatione: *Possem dicere, necessaria fuisse miracula, priusquam crederet mundus. Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum ipse prodigium est*) objicit, ut alibi tamen, veluti *lib. 83. quæst. q. 79.* nec non *de vera relig. cap. 25.* & *Tract. 16. in Joh.* (ubi sic ille: *In Christum credidimus; nulla miracula vidimus, nulla exigimus*) non parum eorum fidem minuerit. De tentatis à Calvino & Luthero miraculis tuum coccysmum *Dissert. Tomo I. Dissert. IV. 26.* retudi, & fabula simili accusatæ à cane ovis apricatus sum. Cur ad illa non respondes? Gnarus scilicet, mendacia defendi non posse. Sed mendacia tamen indefensa reponendo nil nisi perfrictam frontem ostendis. Si tamen vera sunt, quæ de Calvino Surius & Bolsecus, de Luthero Staphylus, fabularum illi hamaxarii famosissimi, retulerunt: nondum tamen illi mangonem, fani Eremitani Sacerdotem, qui tot notoriè falsa prodigia Divæ suæ fictitiæ jactavit hactenus, mangonio suo adæquarunt. Illi enim semel mangonium exercuerint: hic sine fronte & pudore, sine fine & modo. ne scilicet focaria religio frigeat. 3. Cùm *Refutatorias tuas Dissertationes* pridem κατὰ πόδα excusserim, cur quisquilias illas reponere non erubescis? Argumentum porro illud infra, ubi de Religiosis peregrinationibus, copiosiùs prosequimur.

OBJECT IX. *Olim reliquiæ, veluti Gervasii & Protasii, Stephani, Nicodemi &c. Sanctis, Ambrosio, Luciano &c. divinitus revelatæ sunt. Sed & ex uno in alium locum translatas esse constat exemplis variis, inprimus Petri & Pauli ad Catacumbas, & Catacumbis ad Vaticanum transportatarum. Tum & sub altaribus conditas esse, ex Ambrosio, Hieronymo, Augustino & Concilio Carthaginensi V. colligitur. Denique usus, cereos & lampades coram reliquiis accendendi, antiquus est, uti liquet ex objectione Vigilantii contra Hieronymum, conquerentis, quòd moles cereorum Sole fulgente accendatur. Hæc omnia reliquiarum venerationem indicant.* Resp. 1. Indicant hæc omnia reliquiarum venerationem. At religiosum cultum & adorationem non indicant. Neque eam inde veteres colliegisse constat. 2. Revelationes ejusmodi serò factæ sunt, non ante Ambrosium. Quò longiùs à primordiis itum, & accessum est ad ea tempora, quibus imaginum cultus usurpatus & con-

firmatus est, hoc frequentiùs. Primis & purissimis temporibus ne fando quidem auditæ sunt. Eadem ratio enim translationis est. Gregorius ex VI. demũ Seculo Petri & Pauli translatorum testis est, cùm tamen testentur vetustiores, utrumq; statim post martyrium sepultum esse, alterum in Vaticano, alterum ad viam Hostiensem. 3. Sed & reliquiarum sub altari conditarum nullum exemplum Ambrosio antiquius extat. Adoratas verò reliquias, vel aras ipsas, Christiani veteres ignorârunt. Neq; illud Tertulliani *aris adgeniculari*, eò pertinet; sed tantùm ad denotandum situm eorum, qui Deum precarentur. 4. Denique quod cereos attinet, ii olim in usu fuerunt, non in honorem Sanctorum, sed in solatium noctis, quia noctu sæpissimè coibant. Unde *vigiliæ* dictæ sunt. Ea initia paulatim in abusum verterunt, *propter imperitiam & simplicitatem Secularium hominum, vel certè religiosarum fæminarum.* uti ipsius Hieronymi verba Vigilantio opposita sonant.

EXCIP. REDING: 1. *Ambrosius, Augustinus, aliique orthodoxi Patres, quorum temporibus revelationes & translationes illas factas esse, fateris, non alio spiritu ducebantur, quàm eo, qui in primæva Ecclesia orthodoxa vigebat. 2. Ipse ille situs aris adgeniculantium, adorationis inclinationem notat. 3. Hieronymus Epist. ad Ripar. quærit:* Ergo accensi ante tumulos eorum cerei idololatriæ insignia sunt? *Ex eodem Hieronymo in vita Sylvestri liquet, Constantinum M. inter alia dona, quæ sacris reliquiis Petri, Pauli, Laurentii, S. crucis obtulit, candelabra etiam & lucernas, quæ perpetuò ardere deberent, obtulisse. non facturum ita, nisi scivisset, antea id in Ecclesiæ usu fuisse. Idem Hieronymus lib. adv. Vigilant.* Quicunque accendunt cereos secundum fidem suam, habent mercedem. *Non ergo cereos improbavit.* Ibid. pag. 126, 127. Resp. 1. Revelationes serò factas dixi, *non ante Ambrosium.* Sed Ambrosium eas approbasse, non dixi. Epistola enim illa, quæ in Tomis Surii refertur de revelatione corporum Gervasii & Protasii. omnium doctorum judicio supposititia est; nec in Ambrosii operibus habetur. Sed & Augustini sermo 91. in quo revelationis illius mentio fit, itidem agnoscente ipso Baronio *ad A. 382. §. 25.* spurius est. quod vel ipsa phrasis inepta, impropria, lutulenta, & à charactere Augustini plurimùm discrepans, denique Monachorum claustris dignior, arguit. Ex operibus ejusmodi spuriis quomodo Ambrosii & Augustini *spiritum* dijudices, ipse videris. Quòd si tamen ex probatis ejusmodi reliquiarum revelationibus tibi dijudicandus videtur, discrepabat certè ille hactenus à *spiritu* doctorum præcedentium, quibus nec revelationes ejusmodi factæ sunt, nec agnitus reliquiarum cultus ullus. uti supra probavimus. Translationis reliquiarum par ratio est. Quò magis instabat cultus imaginum, eò crebriores fuerunt translationes, adeò ut tandem furta reliquiarum transierint in pietatem. Primis autem seculis nullæ, vel rarissimæ fuerunt; adorationes certè translatarum nullæ. Neque Gregorium I. ex Sexto demum seculo, reliquis tacentibus, satis authoritatis habuisse, ut translationem Pauli & Petri persuadeat, supra demonstravimus. 2. Situs *aris adgeniculantium* inclinationem adorantium arguit, fateor: sed adorantium Deum, non ossa. Nequidem adgeniculatio illa, reliquiis aras inclusas probat. Sed liberavit nos molestia hæc disceptandi Pammelius vestras, qui veram lectionem Tertulliani *de Pœnit. cap. 9.* restituit. Pro eo enim, quod B. Rhenanus legit, *aris Dei adgeniculari*, ille ex tribus MS. Vaticanis

ticanis Codicibus legit, *caris Dei adgeniculari.* puta Martyribus vivis. Quam lectionem etiam Gabriel Albaspinæus vestras probat. 3. Neque nos accensionem cereorum primitus receptam inter idololatriæ signa deputamus. Alium enim, uti diximus, finem habuit. Cœterùm Hi ronymus Vigilantio illam cereorum accensionem taxanti responsurus, cùm negare non posset, ex gentilium ritu eam ortam esse (ita enim Chaldæi *lucernas Diis accendebant, quarum nullam videre possunt*, Baruch. VI. 18. neque meliùs ligneus Hispanorum Jacobus suam candelam videt, aut alii Divi cereos, qui coram ipsis accenduntur) sic excusat: *Cereos non clara luce accendimus, sicut frustra calumniaris: sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cœci dormiamus in tenebris. Quòd si aliqui per imperitiam & simplicitatem secularium hominum, vel certè religiosarum fœminarum, de quibus verè possumus dicere, Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, hoc pro honore Martyrum faciunt, quid inde petis? Neque enim Christus indigebat unguento, neque Martyres lumine cereorum, & tamen illa mulier in honorem Christi hoc fecit, devotióque mentis ejus recipitur. Et quicunque accendunt cereos, secundum fidem suam habent mercedem suam, dicente Apostolo: Unusquisque in sensu suo abundet.* En, olim in usu fuerunt lucernæ non in honorem Sanctorum, sed *in solatium noctis*: initia ea in abusum venerunt apud plebem, sive *seculares, mulierésque devotas*, à quibus in honorem Sanctorum cerei incendi cœperunt: abusus ille fuit *ab imperitia, simplicitate, & Zelo sine scientia.* Id verò sufficit ad certum hoc de toto negotio judicium. In cœteris quis non videt ingens discrimen inter unctionem mulieris *ἐπιταφιασμοῦ ἕνεκα* occulto Spiritus S. instinctu susceptam, & accensionem cereorum ex superstitione ortam: nec non detorsionem loci Apostolici, cujus alius longè sensus est, quàm quod opus quodlibet bona intentione factum suam mercedem habeat. Neque enim fides non nixa Dei verbo mercedem habet. Nos verò cum Tertulliano *de idolol. c. 39.* dicimus: *Accendant quotidie lucernas, quibus lux nulla est: adfigant postibus lauros postmodum arsuras, quibus ignes imminent. Illis competunt testimonia tenebrarum, & auspicia pœnarum.*

OBIECT. X. *Corpora Sanctorum fuerunt organa animarum ad omne opus bonum; instrumenta ad Dei miracula; pignora patronorum; exuviæ carissimorum; trophæa triumphantium destinata ad incredibilem gloriam, ut Sole clariora evadant. Ergo utique veneranda sunt.* Resp. 1. Ratio hæc non pro omnibus reliquiis, sed pro solis corporibus militat. An enim Zona, pectines, crepidæ B. Virginis, fuerunt ejus organa ad bona opera, aut trophea triumphantis, aut ad incredibilem gloriam destinata? 2. Neque hæ prærogativæ corporum defunctorum efficiunt, ut religiosè coli & adorari debeant. Corpora certè anima destituta infra gloriam viventium, animorúmque fidelium subsidunt, ac proinde suo quidem in pretio haberi, at ab aliis adorari minimè debent.

Excip. Reding: 1. *Fateris iterum iterúmque, corpora Sanctorum in pretio habenda esse, ob respectus inductos. Quale verò pretium illud, nisi cultus latreuticæ adorationis, qua in Deo quiescit, & duleuticæ, quatenus in Cœlestes spiritus reducitur.* Ibid. pag. 127. Resp. Deliras & tu iterum iterúmque. De corporibus Sanctorum veris loquitur ratio; non de zonis

zonis, pectinibus, crepidis, aliísque hujus farinæ. De pretio loquitur, non de cultu, non de adoratione, non de latria, non de dulia, qualem vos defertis, uni solíque Deo debita.

QUÆSTIO IV.

An Dei, Christi, Deiparæ Virginis Mariæ, & aliorum Sanctorum imagines in Templis sint habendæ, & honore, ac veneratione impertiendæ?

AFfirmat Decretum idem, addítque id faciendum esse, *non quòd credatur aliqua iis inesse divinitas, vel virtus propter quam sint colendæ; vel quòd fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur.* Porro quo honore, qua veneratione ipsas imagines impertiendas velit, non exprimit. Illa enim verba *imaginibus debitum honorem & venerationem impertiri, eas osculari, coram iis procumbere, caput aperire*, ambigua esse, omnes vident. Imò eam verborum ambiguitatem consultò delectam esse, ex ipsa historia constat. Postquam enim Lainezius Jesuitarum Generalis asseruit, præter eum honorem, qui imaginibus dedicatis & in loco adorationis positis convenit, in ordine ad Sanctos, aliam iisdem propriam venerationem competere, & illam quidem adorationem *relativam*, hanc verò *objectivam* appellari, eámque sententiam argumento à vasis & vestibus, quæ dignæ sint reverentiâ quadam sibi propria, respectu consecrationis, etsi sanctum nullum repræsentent, confirmavit; Archiepiscopus verò Lancianensis alium iis honorem non deberi nisi relativum pertendit; Legatis, ac inprimis Cardinali Varmiensi, ut utrique parti satisfieret, visum est, ut ea, quam Archiepiscopus Lancianensis expresserat, sententia, tanquam facilis & clara, in Decreto exprimatur, interim verò verba nulla adhibeantur, quæ Lainezii sententiæ præjudicent, teste Historico *lib. VIII. pag.* 270. Ergo quis proprius honos, quæ veneratio imaginibus debeatur, Synodus non expressit. Quia tamen ad secundam Synodum Nicenam provocat, judicium inde de mente Concilii ferri debet. Niceni autem olim decreverunt, imagines esse adorandas, esse illas *æquè venerabiles ac Evangelia.* Quàm magnificè de imaginibus senserint, indicio est, quòd varia earum miracula, loquelam, curationem morborum, punitionem contemptorum prolixè

lixè extollunt. Act.2. citatur Basilii illa sententia supposititia: *Sanctos Prophetas, Apostolos &c. suspicio &c. Quam ob causam & historias imaginum illarum honoro, & palam ADORO.* Sed & *Act.7.* statuit, imaginibus æquè ac figuræ pretiosæ ac vivificæ crucis, & Sanctis Evangeliis, & reliquis sacris monumentis, καὶ θυμιαμάτων, καὶ φώτων προσαγωγὴν *& incensorum & luminum oblationem* ad eorum *honorem* exhiberi debere. Sacrificium autem nulli creaturæ, sed soli Deo offerendum est. At thymiamatum & luminum oblatio est quædam species sacrificii. Denique & confirmata est ibidem sententia Tarasii Patriarchæ Constantinopolitani, monitúsque ille, *ut deinceps etiam venerandas imagines Christi, Deiparæ Virginis & Sanctorum colere & adorare pergat.* Ergo simpliciter imagines Nicena Synodus *adorandas*, imò *perfectè adorandas* (sic enim *Act.2.* iidem loquuntur) censuit. Ac proinde eadem mens fuit Tridentinæ. Inter Theologos Scholasticos de cultu imaginum non bene convenit. Alii, iíque meliores, colendas sciscunt non imagines, sed coram imaginibus exemplar, ut Alexander, Durandus, Alphonsus Castrensis. Alii crassè eundem cultum imagini deberi pertendunt, qui Archetypo, quos inter Thomas, Cajetanus, Bonaventura, Marsilius, Catharinus, Capreolus, de quibus agit doctissimus Forbesius *Instruct. Histor. lib.* VII. *cap.* 14. Cæteri plerique, & ferè communiter hodie Ballarminum secuti, minorem paulò faciunt cultum imaginis quàm exemplaris, ejusmodi tamen, qui analogicè, reductivè pertineat ad cultum exemplaris. Ad praxin si respicimus, constat imagines dedicari, illis nomen prototypi imponi, beneficia ab hac magis quàm illa imagine expectari, sertis & coronis eas ornari, pro lue avertenda eas circumgestari, altaria iis erigi, Templa & delubra extrui, ferias sacras illis institui, oscula figi, alloquio, supplicatione, obsecratione eas honorari, thus iis adoleri, cereos accendi, vota nuncupari &c. Notabilis est consecratio imaginis B. Mariæ in Ceremoniali Romano ita sonans: *Sanctifica Deus hanc formulam B. Virginis, ut tuis fidelibus salutaris auxilii opem ferat, tonitrua aut fulmina, si invaluerint, nocentia celeriùs expellantur, pluviarum quoque inundatio, aut civilium bellorum commotio, seu Paganorum devastatio ad præsentiam ejus comprimantur.* Similis ratio consecrationis *Agni Dei*, quæ ibidem ita sonat: *Sicut agnus innocens Jesus Christus in ara crucis immolatus protoplastum nostrum de diabolica potestate eripuit: sic isti agni immaculati virtutem istam accipiant, quos consecrandos offerimus in conspectu Divinæ Majestatis. Tu eis benedicere, sanctificare & consecrare digneris, ut tua larga benedictione sanctificati EANDEM virtutem accipiant contra omnes Diabolicas versutias & fraudes maligni Spiritus, ut illas devotè super se ferentibus nulla tempestas eisdem prævaleat, nulla adversitas dominetur, nulla aura pestilens, nulla aëris corruptio, nullus morbus caducus, nulla maris procella, nullum incendium, neque ulla iniquitas dominetur iis &c.* Vulgus quod attinet, simpliciter & bona fide, ut ita loquar, colit imagines, in eásque effundit,

dit,quicquid animo religionis concepit; ut constet planè, non aliter illud imaginem,quàm exemplar venerari. Nam subtiles quidem Scholæ distinctiones ignorat. Reverentiùs adorat pulchras, quàm turpes,novas,quàm veteres,ornatas vetustiori auro & purpura,quàm nudas. Pauperes & abjecti negant sibi fas esse adorare magnificas; Divites verò ad imagines abjectas haud facilè se demittunt. Alio atque alio loco positam ejusdem prototypi imaginem efficaciorem reputant, ac propterea ad easdem peregrinationes instituunt in loca remota,etsi domi similes non desint. Agnos Dei,tanquam præsentissimum adversus varia mala remedium,gestant. Persuasi à Sacrificis firmiter credunt,imagines interdum se movere, annuere,abnuere, lachrymari. Quæ singula testantur,vulgus imagines venerari ipsas,tanquam essent Divinitatis participes. Nos negamus imagines quascunque vel habendas in Templis religionis gratiâ, vel honore ac veneratione qualicunque religiosa impertiendas esse. Rationes.

ARG. I. Diserta extat in verbo Dei prohibitio, ne vel faciamus religionis ergò imagines, vel eas adoremus, vel colamus, Exod. XX.4. Deut. IV. 15.16. Psal. CXIII.12. Act. XVII.25. Rom. I.33: Quibus locis prohibemur facere פסל γλυπτὸν *sculptile* quodvis,& תמונה *similitudinem* quamlibet, exprimentem seu repræsentantem qualicunque effigie speciem aliquam sive in Cœlis, sive in terris, sive infra terram. Ratio etiam redditur, cur Deus nulla sit imagine effingendus,quia nulla ejus sit similitudo animadversa. Denique prohibetur distinctè tum adoratio, tum cultus. Estque certissimum desperatæ causæ indicium, quòd præceptum illud,gravibus adeò verbis Decalogo insertum,illi sacrilegè dispungunt & enervant.

Resp. Reding: 1. *Ne quidem Calvinus Instit. lib. II.2.17. & Bullingerus Dec. II. serm. 2. tuam illam loci Exod XX.4. detorsionem probarent. 2. Citatis ergo textibus illis non cultus imaginum Sanctorum, sed sacrilegus falsorum Deorum, apud gentiles sub Solis, Lunæ, aliorúmque siderum & avium frequentatus cultus prohibetur, uti ex Deut. IV. 19. & XVII. 3. colligitur. 3. Similitudo Dei, ut est in se, secundum propriam naturam suam, expressiva utique Esaj XL. 17: 22. 25. Act. XVII. 29. prohibetur. Nos verò Metaphoricè tantùm repræsentamus Deum sub imaginibus consuetis. 4. Prohibetur sanè & adoratio & cultus imaginum, is nempe, qui in imaginibus sistit, iisque absolutè, ultimatè & intransitivè exhibetur. 5. Sacrilegi calami tui calumniosa exprobratio per ipsam Decalogi literam cum tota præcepti Divini substantia integerrimè expressam confutatur.* Tomo V. Tract. XIII §.2. pag: 153--135. Resp. 1. Et disputare de hoc argumento, & ludere simul incipis. Si Calvini & Bullingeri sententia statur, reliqua, quæ apud vos supersunt, idola præcipitanter corruent. Neutrum tamen inspexisti. Nam Calvinus *Instit.* (non lib. II. 2.17. sed) *lib. I.* 11.12. secundum Decalogi præceptum explicans, de usu & abusu imaginum sic disputat, ut probato usu extra cultum, in cultu ipsò abusum gravissimè perstringat, ac ne tolerandas quidem in Templis, etiamsi ibi non adorarentur, graviter pertendat: denique

que cultum earum universum ℣. 9.–12. gravissimè concutiat, Bullingerus verò *loc. cit.* fusè demonstrat, Deum prohibere in cultu sculptile: nolle exprimi ulla imagine: prohibuisse & alias imagines ad cultum, &c. Neque vel Calvinus vel Bullingerus in secundo Decalogi præcepto gentilium duntaxat idololatriam vetari; sed Pseudochristianorum etiam, qui Deo, Christo, Sanctis sculptile, similitudinem faciunt, & coram iis se prosternunt; ferri, denique nefas esse Deum per cogitationes nostras ad similitudinem ullius rei creatæ à nobis deduci, unanimiter nobiscum docent. Licet enim per ea, quæ in Cœlo sunt, corpora Cœlestia intelligant, non tamen ideo Deo imaginem statuere, congruum esse legi judicant; quinimò eum nulla imagine corporum sive Cœlestium, qualia Sol, astra, aves sunt: sive terrestrium, qualia homo utriusque sexus, animalia &c. sunt; vel aquatilium, qualia pisces sunt; repræsentari posse, pertendunt. Eodem ergo juxta illos redit sensus legis, ne Deus Israelis verus (de quo primo præcepto agitur) ulla imagine rei corporeæ cœlestis vel infra-cœlestis repræsentetur. Vos autem manifestè Deum imagine rerum corporearum pingitis. Neque adeò cum iis ratio mea quoad rei summam non consentit: sed tu à recta ratione dissentis, imò nugaris. 2. Exod. XX. 4. omnem in universum imaginum cultum religiosum vetari, adeò perspicuum est, ut ipse Gabriel Vasquez *cap. 2. Disput. 104. in 3. Thomæ* id asserere nobiscum coactus fuerit; alio licet colore iconolatriam suam adversus legem Dei incrustans, quòd videlicet illud *ceremoniale* fuerit, aut *ita positivum, ut à jure naturali deductum non fuerit, sed solos Judæos obligaverit.* (quasi scilicet propterea Christus in mundum venerit, mortuusque fuerit, ut legem Dei solveret, & juberet non ampliùs idololatriam esse, quod hactenus idololatria ipsius Dei judicio fuit.) Quam in sententiam etiam Scholasticorum quorundam suffragia ibidem corradit. Eodem se inclinare Azorius *Instit. M. lib. IX. 6. 6.* dicit, allegans pro se Alexandrum Ales. Albertum M. Bonaventuram, Richardum, Marsilium, Henricum. Et sanè præcepto secundo prohibetur omne פסל *γλυπτὸν sculptile*: omnis תמונה; *similitudo:* quæ vox, uti rectè Kimchius explicat, נופלת על צורת הדבר ועל תבניתו המובן בחושים *significat formam rei, & figuram ejus, quæ percipitur sensibus.* Atqui omnis imago, similitudo, simulachrum idolum, sculptile, fusile est ejusmodi פסל *sculptile*, תמונה *similitudo, figura.* Addo; Dei illæ & Sanctorum repræsentationes, quas vos admittitis, si non idola, at certè imagines, simulachra, sculptilia, fusilia, similitudines sunt. Ergo & ipsæ hoc præcepto prohibentur. Tum prohibemur *facere sculptile & similitudinem*, אשר בשמים ממעל ואשר בארץ מתחת, ואשר במים מתחת לארץ *quæ in cælis supernè, aut in terra infernè, aut in aquis sub terra.* Sensus est *earum rerum* quæ in Cœlis, terra, aquis sunt. Non enim prohibentur sculptilia, similitudines, quæ in Cœlis, terra, aquis sunt; (quæ enim sculptilia in Cœlo sunt: & qualia ibi facere possumus?) sed rerum, quæ ibi sunt; ut imagines censendas esse constet ex rebus, quas significant. Atqui Deus *in Cœlis, in terris, in aquis* est. Sancti autem in corpore *terram*, exuti corpore *Cœlum* incolunt. Ergo vel nihil unquam probari potest, vel hoc probatum est, secundo hoc legis mandato prohiberi facturam omnis idoli, omnis imaginis, omnis simulachri. Neque interest, utrum aliquid significent vel re ipsa existens in rerum natura, vel nihil: utrum Deum verum, an falsum: an hominem, an Angelum; quia semper idola, imagines, simulachra repræsentant aliquid, quod vel rei veritate, vel colentium imagines judicio vel in Cœlo, vel in terra, vel in aquis est. Neque aliud innuunt loca à te citata Deut. IV. 15. &c. *Cavete, quoniam nullum omnino simulachrum eodem die, quo locutus est vobiscum Dominus in Horeb, è medio ignis, vidistis, ne perversè agatis, faciendo vobis sculptile simulachrum cujuscunque figuræ, formam ma*

ris aut fœminæ, formam cujusque animantis, quæ est in terra, formam cujuscunque volucris pennatæ, quæ volat in Cœlo &c. Et ne forte attollas oculos tuos in Cœlos, & visis Sole, luna, stellis, cum universo exercitu Cœlorum, prosternaris, & adores, colásque ea. Et cap. XVII. 3. *Vir si iverit, & coluerit Deos alienos, veluti Solem, lunam, exercitum Cœlorum &c.* Nam in priori loco satis emphaticè prohibetur factura & cultus פסל תמונת כל סמל תבנית זכר או נקבה *sculptilis, simulachri, cujuscunque figuræ, maris aut fœminæ.* Quid aliud sunt imagines Dei, Christi, Divorum & Divarum vestrarum? Reliqua: *ne forte attollas oculos tuos in Cœlos & visis Sole, luna, stellis &c. prosternaris*; ut & illa cap. XVII. 3. non de imaginum, sed rerum cultu, qui sine simulachris obtinere potest, loquuntur; adeóque secundi Decalogi præcepti interpretationem non continent. Disertè enim à prioribus disparantur per ופן *Et ne*, insuper scilicet, Solem lunam &c. colas. 3. Quæ de similitudine Dei Esai. XL. 17. 22. 25. prohibita regeris, nihil; sunt, & ab ipso vestro Vasquezio improbata. *Non solùm, inquit, puto prohiberi imaginem Dei primo illo modo, ne scilicet populus errore deceptus vellet ei effigiem aliquam exprimere, qua putaret, ad vivum Deitatem repræsentari, sed etiam quamcunque imaginem ipsius Dei.* Etenim interdictum eo sensu merè chimæricum fuisset, cùm nemo sanus, ac ne gentiles quidem ipsi, *similitudinem Dei, ut est in se, secundum propriam naturam, expressivam*, cogitaverint. Idem esset, ac si diceret, Deum non debere pingi eo modo, quo nunquam pictus est; nec pingi potest. Sicut ergo nunquam Deus prohibuit, ne homo mundum crearet: sic nec vetare necesse habuit, hoc modo naturam Dei pingi. Ergo metaphoricas repræsentationes, vobis solennes, Deus prohibuit; idque eam ob causam, quia ingens periculum gliscere poterat, ne ejusmodi imaginibus ingenerentur animis hominum opiniones Deo indignæ. quales opiniones vestræ S. Trinitatis imagines ingenerare aptæ natæ sunt. Quin Deus Deut. IV. 16. per Mosen prohibuit se repræsentari vel imperfecta imagine, qualis *metaphorica* vestra est, *similitudine* scilicet *ullius simulachri, forma maris aut fœminæ*: idque ratione interdicti adjecta, qua patet, ipsum nullam omnino imaginem sui fieri vetare simpliciter & absolutè, quia (v. 12. 15.) *nullam viderant similitudinem Dei, quo die* (Exod. XX. 1.) *allocutus est Israelitas in Horeb.* Quod Deus verbo & facto in lege promulganda fidelibus prohibuit, id pro officii regula haberi voluit. At nullam similitudinem ostendit illis Deus in lege promulganda. Ergo nullam Dei similitudinem facere licet. Ubi lex non distinguit: nec vobis distinguere licet. Alias licebit adulteris quoque pro se dicere, vetari lege Mosis Deut. V. 24. ne quis committat adulterium ad explendam libidinem; sed ad principatum adipiscendum, uti Sejanus apud Tacitum *Annal. lib. IV.* fecit, non vetari: licebit perjuris, vetari lege Mosis Deut. V. 17. nequis pejeret ad sanguinem hominis fundendum, sed ad gratificandum amico, uti Cicero *pro Q. Roscio* in Cluvio jocatur, non vetari: licebit idololatris, vetari lege Mosis Exod. XXII. 20. ne quis sacrificet cuiquam nisi Deo ad deferendam propriam & perfectam latriam; sed ad analogicam latriam exhibendam, uti B. Virgini collyridem hæretici obtulerunt, non vetari. Accedit quòd S. Patres magno consensu negant, Deo ullam imaginem vel similitudinem poni posse, velut Clemens Alexandrinus *Strom. lib. I & V.* (ajens, *Deum ex Mosis disciplina, nec hominis effigie, nec* (NB) *ulla alia re repræsentari*) Origenes *contra Cels. lib. VII.* (negans, *Deo similitudinem* (NB) *ullam faciendam esse*) Athanasius *Orat. contra Gregales Sabellii*; Eusebius *Evang. præp. III.* Hieronymus *in Esaj. 42.* Augustinus *de fide & symb. cap. 7.* Theodoretus *in Deut 9. 1.* ne de Damascenis, Patribus Concilii Nicæni II. Niceta & Nicephoro Callisto dicam. 4. Lex Dei omnem cultum, omnem adorationem, & coram imaginibu

pro-s

proſtrationem vetat. Nihil ergo refert,ſive cultus ille ſit abſolutus, ultimatus & intranſitivus,ſive non. Nam ubi lex Divina non diſtinguit, neque Redingius,neque quiſquam alius diſtinguere poteſt; multò minùs diſtinctionem fictitiam nos recipere tenemur. Noviſſimum hoc commentum eſt, de quo in Dei verbo, veterúmque ſcriptis altum ſilentium. Si prohibuiſſet Deus imagines colere & adorare tantùm abſolutè & intranſitivè, ſic ut cultus in iis,ceu Diis, quieſcat, adeóque colantur,ceu Divinitatis participes, hoc eſt,tanquam Dii; non prohibuiſſet *facere ſimilitudinem eorum,quæ ſunt in Cælo.* Hæc enim verba non vetant facere Deum,ſed ſimilitudinem Dei,aut alicujus creaturæ cœleſtis. Illius,qui facit imaginem Angeli,mens non eſt,facere Angelum. Alias id quod facit,non eſſet imago vel ſimilitudo Angeli,ſed Angelus. Quid verò multis? Vaſquez veſter *Diſput.* 106.*cap.* 1.fatetur,*de modo & adoratione imaginum perdifficilem & perobſcuram quæſtionem inter ſuos Catholicos verſari.* Cùm verò cultus vel adoratio in modo conſiſtat, ſi de modo non conſtat,nec de re conſtare poterit. Si rationes & exempla haberentur, quæ cultum & adorationem probarent, modum illa in dubio non relinquerent; præſertim cùm in modo,ipſis Adverſariis fatentibus,idololatria & ſuperſtitio committi poſſit. Cur igitur Papa,ſupremus ille ſcilicet controverſarum judex, modum non definit, & populi ſui actus,ne in idololatriam impingat,non dirigit? Sed ea de re pluribus *ad Obj VII.* agimus. 5. Præceptum illud vos diſpunxiſſe ex Codicibus Biblicis,non dixi. Id enim vobis nec per infideles Judæos,nec per fideles Chriſtianos, quorum utrique fontes Hebræos & Græcos religioſiſſimè cuſtodiunt,licuit. Sed expunxiſſe tamen vos dico, ex Breviariis, formulis,Conciliis ſcilicet publicis,quæ traduntur populo. Nam præcepta populo Gallico rhythmicè tradita ejus ne meminerunt quidem, *Solum Deum,*ſic ſonant,*adorabis, eúmque perfectè amabis. Per Dei nomen vanè non jurabis,&c.* Extra rhythmum in officio Virginis Mariæ tam Latino quàm Gallico,quæ ſunt horæ ad uſum Romanum, excuſæ Pariſiis apud Kerverum cum privilegio Papæ Sixti V. & poſt emendationem ex mandato Pii V.factam, ſic habetur. *Non habebis Deos alienos coram me. Non aſſumes nomen Dei tui in vanum.* Index Expurgatorius *pag.* 70. ex Polydori Vergilii *lib. V.* 9. ubi præcepta Dei recenſet, expungi juſſerunt verba: *Nullius animalis effigiem colito.* Denique Concilio Auguſtano A.1548.celebrato inſertus eſt Decalogus, in quo ne minimum quidem veſtigium extat ſecundi præcepti,quo imagines prohibentur. Quod luculentius deſperatæ cauſæ veſtræ documentum: quod ſacrilegium majus excogitari poteſt?

ARG. II. Verbo Dei omnis idololatria eſt damnata 1. Cor.X.14.1.Joh. V.21. Colit idola, qui colit imagines,cùm ex Scripturæ,Eccleſiæ veteris & authorum profanorum uſu idolum ſit omnis imago pietatis causâ efficta. Colit etiam idola, quiſquis vel coram imaginibus incurvatur & procumbit,Eſaj.II.9.vel eas per ſe quolibet religioſo cultu propriè dicto, qui quocunque nomine veniat, uni ſolique Deo convenit,adorat. Imò qui imagines non per ſe quidem coluerunt,ſed in imagine prototypon Deum verum,idololatriæ in ſcripturis accuſantur, Exod.XXXII.4. Jud.XVII.3. Hoſ.II.16. Et Gentiles quamvis coram imaginibus prototypon adorarent,nihilo ſecius idololatriæ crimine juſtè arceſſiti ſunt. Denique idololatricus cultus eſt,quo Deus colitur,modo non debito, ſed illicito & prohibito.

bito. Viderint igitur, qui religiosum cultum imaginum mandant, an ab atroci illo crimine, ex una & altera prædictarum causarum vacent.

RESP. REDING: 1. *Ergone etiam vos, in Eucharistia vestra in figura & imagine corporis & sanguinis Christi prototypon adorantes, idololatriæ rei estis?* 2. *Si omnis imago pietatis causa efformata idolum est, idoláne ergo etiam fuerunt imagines Cherubinorum, arcæ fœderis, coram qua, ceu imagine, Josua in terram cecidit?* 3. *Idololatrica ergo turpitudo tum demum locum habet, si cultus adorationis vel intransitivè defertur imagini, vel refertur in prototypon Numinis supremi honoratione dignatum, à Deitatis tamen substantia alienum. Id solum textus à te allegati probant.* 4. *Tota ratio imaginis consistit in vi repræsentativa sui prototypi. Si proin huic cultus aliquis sacer debetur, necessum est is etiam deferatur imagini, sed transitivè.* Ibid. pag. 135. 136. Resp. 1. Nos verò adorare & figura & imagine corporis & sanguinis Christi prototypon, Christum, unde didicisti? Quasi scilicet imago nulla esse possit, quin in eo prototypon adoretur.; quinimo, uti vos factitatis, & imago, & in ea, ac per eam prototypon. Atqui hæc ipsa impietas, hæc idololatria illa est, quam in Paganis & vobis detestamur. Quot Israelitæ Christi futuri typos, figuras, imagines habuerunt? Quis illorum typos, ac figuras: quis in typis, figuris, Christum adoravit? Et vos nonne etiam in Baptismo cum S. Petro (1. Pet. III. 21.) *ἀντίτυπον, typum* similem illi, quo aquas diluvii typum gratiæ Deus fecit, agnoscitis? An propterea typum, figuram regenerationis, vel in ea sanguinem Christi regenerantem, purificantem *transitivè* adoratis? Tam bellè, sycophanta, tibi constas. 2. De Cherubinis & arca fœderis infra. Nec imagines propriè fuerunt, nec adoratæ à quoquam, utpote extra conspectum populi remotæ. Conspicua Christi effigies fuit æneus serpens. Tantum verò abest, ut adorari is debuerit, ut adorantes gravissimè Deus, legis suæ vindex justissimus, plexerit. 3. Vos verò & cultum quendam religiosum *intransitivum* imaginibus defertis: (nam proprium quendam & inferiorem cultum religiosum iis Bellarminus, aliique decreverunt; qui eo ipso, quòd inferior, in prototypon, sine manifesta ejusdem contumelia, *transire* nequit) & cultum latreuticum ac dulcuticum imaginum refertis *in prototypon supremi Numinis honoratione dignatum, à Deitatis tamen substantia alienatum.* Nam Angelis & Sanctis Divinam adorationis & invocationis honorem impertientes, eosdem honoribus supremo Numini uni solique debitis prosequimini. sive eos ore supremum Numen profiteamini, sive non. Sicut enim, Optato Milevitano *lib. III.* judice, non tantùm is Deum se facit, qui Deus dici haberique vult; sed is etiam, *qui facit aut passus est, quod defectum hujus vocis impleret*: ita etiam Deum, supremum Numen Angelos, Sanctos vos facitis, quia, licet supremum Numen non appelletis, ea tamen eos facere vel pati docetis, quæ *defectum ejus vocis implent.* Sed præterea idololatriæ definitionem non veram, sed defendendæ idololatriæ vestræ fuco tectam obtrudis. Nam Scripturæ stylo idololatria est *cultus* religiosus *creaturæ præter creatorem*, docente ita Apostolo Rom. I. 25. *Ἐσεβάσθησαν καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα. Coluerunt & servíverunt creaturæ præter creatorem.* Atqui vos imagines Dei & Sanctorum religiosè colentes, adorantes, illius *latria*, horum *dulia* vel *hyperdulia* prosequentes, *σεβάζετε καὶ λατρεύετε τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα colitis & servitis creaturæ præter creatorem.* Imagines enim, sculptilia, fusilia creaturæ sunt. Eas religiosè colitis, cultu religioso, partim inferiore intransitivo: partim supremo transitivo, & quidem *præter Creatorem*, quem in imaginibus & per imagines vos adorare profitemini. Hinc adeò Scripturæ idololatrarum nomine perstringunt omnes,

nes,qui Divinum cultum creaturæ,nominatim autem idolo,sive propriè dicto, veluti simulachro vituli, quod veri Dei symbolum Israelitas fecisse,alibi demonstravimus: sive figurato,ut Mammonæ, tribuunt, Exod. XXXII.4. Matth. VI. 24. Act. VII. 41. Rom. I. 25. 1. Cor. X, 7. Ephes. V. 5. In Regno Dei idololatria est,quod in Republica seditio & perduellio. Utrobique læditur Majestas & Principatus; ibi Dei,hic Rectorum hominum Majestas in alium transfertur. Sicut ergo in Republica supremæ Majestatis jus est,perduellionem, seu læsæ Majestatis crimen definire,& qua in re illud consistat, declarare, sic solius Dei est, definire, & declarare suo populo,qua ratione idololatria committatur. Quicquid verò ille in Judæis idololatriam esse declaravit,id à Christianis universis haud dubiè pro tali similiter habendum est, quia Christianorum cultus simplicior longè & spiritualis magis est, quàm Judæorum fuit; & Deus suam hac in re mentem non aliter Christianis,quàm Judæis declaravit. Quicquid etiam in Paganis idololatria fuit, id in Christianis similia patrantibus pariter sit oportet. Atqui Deum & in Judæis & in Paganis idololatriam definivisse non tantùm cultum idoli,seu simulachri falsi Numinis, sed etiam cultum religiosum simulachri veri Numinis,qualis imaginum cultus Pontificius est,tum lex Dei vetans facere & adorare sculptile ejus,quod בשמים *in Cælo est* (in Cœlo autem verus Deus,veri Sancti sunt) tum legis ejusdem ratio, *quia Deus Zelotypus est* (hoc est,æmulatur pro gloria sua,adversus eos,qui colunt,quod Deus non est) tum exempla vitulorum Aharonis, Jerobòami,& Theraphim Michæ; nec non Paganorum,protestantium,se idola sua non pro Diis,sed pro Dei supremi & Divorum symbolis habere; validissimè probant. Sed singula hæc *de Myst. Bab. M. Dissert. XI. A. §. 3–24.* latiùs deducta & demonstrata,hicce ad compendium ponimus. 4. Imaginis rationem in vi repræsentativa sui prototypi consistere,verum est. Sed repræsentatio illa neutiquam efficit,ut vel imago repræsentans,& prototypon repræsentatum eodem cultu,vel imagines proprio quodam religioso cultu afficiantur. Unde enim fidem feceris,ita fieri oportere? Nam etiam figuræ veteres Christum repræsentarunt: aqua in Baptismo sanguinem Christi figurat & repræsentat. Nihil tamen horum propterea religiosè adoratum unquam est.

ARG. III. Omnis ἐθελοθρησκεία seu superstitio damnatur Coloss. II. 22. 23. Cultus religiosus imaginum est superstitio,quia caret mandato,promissione,exemplis. Fatetur Adrianus I. in Epistola ad Constantinum & Irenen, Actis Synodi Nicenæ II. inserta,ac post eum Thomas & Marsilius.

RESP. REDING: *Cultus religiosus,mediantibus imaginibus, Deo exhibitus, caret equidem Divini quoad exercitium mandati necessitate. Quia tamen religionis mandato subest quoad specificationem, superstitiosus dici nequit. Sic Christus multa consuluit,quæ non præcepit; in quibus tamen nulla superstitio obtinet.* Ibid. pag. 136. 137. Resp. Bene est,quòd mandatum *quoad exercitium*,hoc est,uti explicas,de actu colendarum imaginum *exercitii* ponendo,deficere agnoscis. Hoc nobis sufficit,ut cultum imaginum superstitioni deputemus. Cultus enim religiosus, & determinatio objecti religiosè colendi mandatum actus *exercitii*,teste Christo Matth. XVI. 9. & S. Paulò Col. II. 22. requirit. Ita cultus veri Dei nititur mandato. Et quantò magis creaturarum cultus,si quis legitimus esset,mandatum exigit? Saltem in fide imagines coli non possunt,quia fides est *ex auditu verbi*, Rom. X. 17. adeóque verbo mandati & promissionis nititur. Nullum verò ejusmodi verbum unquam vel auditum,vel lectum est. Neque sufficit *religionis* mandatum,ut illi cultus imaginum quoad *specificationem* subjiciatur, tum quia religio nos soli Deo religat & devincit,

vincit,uti supra vidimus: tum quia specificatio religionis Divino,non humano arbitrio nititur. Alias quævis cultus *species* in religionem introduci posset. Neque huc facit,quòd Christum multa consuluisse, non præcepisse objicis, Nam nec ille creaturarum cultum consuluit: nec quod consuluit,non etiam præcepit,si non in universum omnibus, at certis personis, quia ejus consilia multò magis,quàm paterna, cum authoritate conjuncta obligant: nec quod Christus in cultu fecit vel constituit,id pariter homines,nulla in constituendo cultu authoritate præditi,facere possunt. Cur,dic Redingi, Israelitæ Bethele & Dane in vitulis,hoc est, uti probabiliter asseritur,Cherubinis Deum verum Israelis adorantes idololatriæ rei fuerunt, imò Dæmones potiùs quàm Deum coluerunt? Annon, quia id fecerunt sine præcepto & promissione Divina, quòd Deus ad vitulos illos, ceu instrumenta religionis venire velit? Hæc sola etiam ratio fuit, quòd certo tempore adorantes in excelsis idololatriæ rei peracti sunt. Nam Jeroboamus & structores altarium in excelsis efficere non potuerunt, ut ibi Deus habitaret,vel memoriam nominis sui statueret. Ideo dicuntur adorasse vitulos,quia hi ibi præsentes erant,non Deus; imò dæmonas, quia non Deo,sed his temeritatis & mendacii authoribus, cultum ejusmodi instituerunt. Ita etiam sentiendum est de imagine,quam homo facit suo consilio,Habac. II.18.ad quam Deus non venit, in qua non habitat tanquam in Tabernaculo vel organo suo,& in qua habitare non potest, quia sic esset Deus mortis,non Deus vitæ: quia imago nulla vitam in se habet; Deus autem vivus non habitat in mortuo, in quo nec loqui, nec agere quidquam se dignum potest. Accedit his omnibus, quòd is qui imagines religionis causâ adhibendas in Ecclesiam introducit,is non tantùm sibi sumit authoritatem & potestatem, quam ei Deus non dedit, atque ita se facit Dominum & idolum; cum tamen in religione soli Deo obediendum sit Gal. V. 8. Col. II. 20. 21. 22. sed etiam non parentes temerariis ejusmodi institutis, licet de cœtero Deum timeant, & religioni ducant in religione aliquid à Deo non præceptum committere, tanquam non fratres segregat, persequitur,interficit,nempe ubi capitale est,authoritatem hominum non agnoscere.

ARG. IV. Imagines religiosè coluntur vel propter se, vel propter exemplar. Non *propter* se, tum quia hæc Gentilium idololatria & crassior quidem: tum quia sunt infra dignitatem hominis: tum quia cura hominum & fiunt & conservantur: tum denique quia ratione materiæ sunt creatura inanimata,manui & phantasiæ artificis subjecta; ratione formæ verò res mendax, quippe forma sunt membrorum hominis,nec ipsæ tamen sunt membra hominis.Non *propter exemplar*,quod sunt vel Deus vel Sancti Nam *Deus* imagine,in qua nomen suum non posuit,coli non vult, & in imagine materiata non potest repræsentari. Unde Israëlitæ & Jeroboamus verum & vivum Deum in vitulis colentes idololatriæ rei peracti sunt.*Sancti* verò nec per se,nec in imaginibus,ut suprà probatum,adorandi sunt.

RESP. REDING: 1. *An ergo figuræ & formæ, in quibus Deus apparuit, mendaces res fuerunt? Sic Spiritus tuus ubique blasphemat. 2. Ubi metaphorica Divinæ alicujus excellentiæ repræsentatio præfertur, ibi Deus nomen suum posuit, si non materialiter actu exercito,at formaliter quoad istius repræsentationis formalem rationem in actu signato.*

3. *Israe-*

3. *Iſraelitæ & Jeroboamus vitulis ſuis Deitatis nomen indiderunt. Ergo eos coluerunt ut Deos.* Ibid.pag.137.Reſp.1. Non fuerunt. Sed veſtræ, quas pro arbitrio Deo affingitis, mendaces ſunt,quia neque eæ ſunt,in quibus Deus apparuit: nec has,utpote vobis incognitas,repræſentant: nec Trinitas unquam eo modo apparuit,quo vos eam repræſentatis & pingitis, tricorporem ſcilicet; qualis figura mendax ſit oportet,quia æquè tres ſeparatas ſubſtantias,ac tres perſonas ſeparatas repræſentat,& eſſentiæ unitatem non repræſentat. In ſene,juvene, & columba (hac enim figura Trinitatem pingitis) columba, utpote irrationalis,non eſt perſona,nedum vel *ὁμούσιος* vel *ὁμοιούσιος* cum ſene & juvene. Ergo neque hiſtoria ſic,neque analogia repræſentatur. Mendaces proin figuras quis non dixerit? 2. Cùm ergo mendax ſit repræſentatio Dei,nullo modo nec *materiali*,nec *formali* Deus in imagine Deum ex inſtituto humano repræſentante nomen ſuum poſuiſſe dici poteſt. Nulla enim forma exprimi poteſt,quæ propriè & per ſe intelligi poſſit eſſe forma Dei, & non creaturæ. Imò ſi vel vera repræſentatio haberi poſſet, Deus eam Deut.IV.15.fieri prohibuit. Quomodo ergo in tali nomen ſuum poneret? 3. De vitulo Aharonis clamarunt Iſraelitæ: *Hi ſunt Dii tui, qui te eduxerunt ex Ægypto*,ubi אלהים non plures Deos.ſed unum ſignificare,ex Nehem.IX.13.liquet.Deum appellarunt ſimulachrum, uſitatiſſima metonymia,qua nomen rei ſignatæ tribuitur ſigno. Quomodo imagines Cherubim, boum,Leonum,*Cherubim*,Exod.XXV.18.1.Reg.VI.23 *boves* 1.Reg. VII. 25 *leones* 1.Reg.X.19.appellantur.Deum autem verum Iſraelitas intellexiſſe,vel inde liquet, quòd ei tribuunt,quòd ex Ægypto populum eduxerit; quódque feſtum ei dicatum feſtum Jehovæ appellant. Unde Bellarminus ipſe,*de Eccl.Triumph.lib.II.* 13. poſtquam diu ſatis explicationem hanc exagitaſſet, fatetur tandem,non improbabilem eſſe ſententiam Abulenſis, Cajetani & aliorum, *quòd Judæi vitulum pro imagine veri Dei habuerint*, idque eo argumento,quòd Scriptura non dicat de vitulo: Hic eſt Deus Moloch.vel Baal, ſed ſine nomine certi Dei: *Hic eſt Deus tuus*.de qua re fuſiùs ſupra, nec non *Differt.Tom. III.Diſſ.VIII.*33--40.egimus.

ARG. V. Scriptura à cultu rejicit ea omnia, quæ vitam non habent,& vivifica non ſunt. Deus eſt vivus & vivificus. Quis ei vel aſſimilabit rem vitâ & Spiritu carentem,vel dabit organon tale, in quo non appareat vita & vivificatio? Neque is unquam in imagine picta vel ficta apparuit, ſed vel ex magnifica gloria ſua locutus eſt,2.Pet.I.17.vel ex organo aſſumto,in quo verba ejus & opera Divina teſtata ſunt de magnitudine perſonæ.quod in imagine non fit. Ideo paſſim Scriptura imagines vocat mutas & immobiles,irridétque, eò quòd careant operationibus membrorum, cùm membra tamen habeant. Videsîs Pſal.CXV.3--7.CXXXV.15--18. Habac. II. 18.19.Eſaj.XL.18.19.20.XLII.1--17.XLIV.10--20. In quibus locis quæ dicuntur contra imagines & earum cultum,in omnibus imaginibus,etiam quæ fiunt Deo vero & vivo,& per quas is coli putatur,locum habent. Eæque rationes,quibus utitur Spiritus S.valent ſemper, & oſtendunt,præceptum illud non eſſe *δεσποτικοῦ θελήματος*,ſed perpetuum, quia ſimulachrum Dei eſt commutatio veritatis & gloriæ Dei, Rom.I.23.25.

quod proin etiam in N.T. obligat. Ideo etiam Scriptura solum hominem Dei imaginem esse, passim docet,

RESP. REDING : *Blasphemia est, dicere, quòd, quæ locis adversus te citatis contra imagines, & earum cultum dicuntur, locum habeant in omnibus imaginibus, etiam quæ Deo vivo fiunt. Non aliter enim idoli speciem Dei vivi imago obtinet, quàm quatenus in hanc transmutatur gloria incorruptibilis Dei, seu cultus latreuticus in ea quiescens; uti Apostolus Rom. I. 23. 25. docet; vel, quatenus cultus ex simulachro in fictitium aliquod Numen refertur; vel denique, quatenus in imagine sancitur Dei similitudo univoca.* Ibid. pag. 138. Resp. Blasphemiam impingendo aliis sine fine & modo, ipse blasphemare nunquam & Deum ejusque veritatem summam, & homines desinis Quæ locis citatis tribuuntur simulachris gentilium, quòd vita & sensu omni destituantur, adeóque Deum vivum & vivificum repræsentare non possint, annon clarissimè locum etiam habent in iis simulachris, quibus Deum repræsentatis? An enim vivunt, vident, audiunt, loquuntur? Licet enim notorii quidam impostores vestri imagines quasdam, veluti B. Mariæ & Crucifixi loquentes induxerint, eadem ratione, qua Pagani nonnulli simulachra Ethnica Junonis Monetæ & Fortunæ Muliebris loquacia finxerunt: tamen nondum eò vesaniæ, nisi fallor, pervenistis, ut omnes Dei & Sanctorum imagines spirare, loqui, audire, videre &c. asseratis. Cùm ergo Deus hunc defectum idolis gentilium exprobraverit, atque idem in vestris etiam imaginibus obtineat, dispara hactenus, si potes, Redingi, vestram & Paganorum causam. Nam Pagani Deum vivum imagine non viva pingentes, idololatriæ rei à Deo ipso peraguntur. Vos idem facientes annon eodem reatu tenemini? Sed forte illi Deum falsum imagine non viva repræsentarunt. Quantò verò minùs inquam ego, Deum verum vivum imagine non viva repræsentare licet? Levius enim piaculum est, rem nihili repræsentare imagine non viva, inanimata; quàm fontem vitæ. Sed illi, sic instas, Apostolo Rom. I. 23. teste, *gloriam Dei incorruptibilis mutarunt, transmutarunt in similitudine imaginis corruptibilis hominis, volucrium, quadrupedum, reptilium,* hoc est, idolis suis Divinitatem tribuerunt. *Primò* nihil hoc ad rem præsentem. Nam Deus simulachra etiam falsorum Numinum eo argumento sugillat, quod non vivant, loquantur, audiant, videant, &c. Ad hoc respondendum tibi fuerat. *Secundò* omnes imagines religiosè cultæ & adoratæ gloriam Dei incorruptibilis transmutant in similitudine imaginis hominis &c. eo ipso, quòd religiosum cultum soli Divinitati debitum illis tribuant. *Tertiò* verisimile, imò propemodum certum est, Ethnicos *gloriam incorruptibilis Dei mutantes in efformatam similitudinem corruptibilis hominis, volucrium* &c. affinxisse quasdam hujusmodi formas vero Deo, planè sicut Judæi Psal. CVI. 20. (cujus verba Paulus videtur respexisse) *gloriam suam* (Deum) *mutasse in formam bovis* (vituli) dicuntur. Licet enim qui creaturam quamcunque, puta Solem, Lunam, imagine humana repræsentatam colebant loco Dei, ii gloriam Dei ex consequenti in imaginem hominis derivasse meritò dicuntur, quia Dei cultum ad Solem aut Lunam; Solis aut Lunæ ad hanc imaginem transtulerunt: non defuerunt tamen, qui Creatorem ipsum, imagine hominis expressum colendum sibi proponerent. ut de Græcis dictum est in simulachro Jovis. Ac Romanos idem in Jove, de quo nobiles Poetæ Aratus, Virgilius &c cecinerunt: *Jovis omnia plena*; instituisse, Varro apud Augustinum *de Civ. D. lib. IV.* 9. credit. Unde Minutius Felix *in Octavio* affirmans, *se habere omnium consensum de uno vero Deo; Et qui Jovem,* inquit, *principem volunt falluntur in nomine, sed de una potestate consen-*

consentiunt, nec vulgus solùm ac *Poetas* hanc unam potestatem, idque uno sæpe nomine prædicasse; verùm etiam *omnes ferme Philosophos, quibus paulò illustrior gloria est, Deum unum multis licet nominibus designasse*, perhibet. Ægyptii quoque, qui varias creaturas in cunctis illis formis, quas Paulus memorat, colebant; Creatorem quoque alicubi in nonnullis earum honorabant. quomodo Thebaidis incolæ neminem Mortalem, sed ortus & interitus expertem, qui ab ipsis Cneph (Cnuphin Strabo *lib. XVII.* vocat) appellabatur, censebant. Hunc enim effinxerunt forma hominis, ex ore ovum, id est, mundum (sic ipsi interpretabantur) emittentis; significaturi, Deum esse, qui verbo mundum condidit. Eidem consecrarunt ovem, ut pecudis alimentum præbentis symbolo monerent, homines à Deo sustentari. Aliis etiam volucribus, reptilibus seu aquaticis, seu terrestribus Deum Summum iidem repræsentarunt. Quid verò multis? Non ita stupidi fuerunt Ethnici, ut cultum suum in simulachris terminarent, eaque ceu Deos, adorarent, non transmisso ad prototypa, puta verum, vel falsa Numina, cultu. Mutarunt enim simulachra pro arbitrio, Deos eosdem semper animo retinentes. Multa uni Deo simulachra statuerunt, nec pro multitudine complures tamen Deos sibi finxerunt. Præterea nova quotidie consecrarunt, nec putarunt tamen, se novos facere Deos. Legantur excusationes, quas ab idololatris sui seculi prætextas fuisse, Augustinus *in Psal. 113. Conc. 2.* refert; Nempe cùm arguerentur, responderunt vulgares, se non visibile illud colere, sed Numen, quod illic invisibiliter habitaret. Qui verò purgatioris, ut ipse loquitur, religionis erant, nec simulachrum nec dæmonium se colere ajebant, sed per effigiem corpoream intueri ejus rei signum, quam colere deberent.

ARG. VI. Vanitatem dogmatis arguit inextricabilis sententia Sophistarum, asserentium, imagines *in se & propriè* honorari debere, sed *cultu imperfecto*, qui *analogicè & reductivè* pertineat ad speciem ejus cultus, qui exemplari debetur. Cedo, quid est adorare imperfectè, obliquè, analogicè, reductivè? Quis eruditus, nedum plebejus vim harum vocum intelligit? Etenim omnis analogia consistit in quadam participatione inter id, quod analogicè reducitur, & ad quod reducitur. Si igitur imagines Dei & Christi *analogicè* adorandæ sunt, participabunt de adoratione debita exemplari, puta Deo vel Christo.

RESP. REDING: *Tropicæ illæ Divinitatis, secundum nostrum imperfectum intelligendi modum imagines præferunt non realem, sed intentionalem Deitatis participationem, quæ Deitatem, secundum intellectum nostrum sic repræsentant, ut relativè & analogicè, id est, sub relatione ad prototypon, instrumentariè tantùm adorentur. Quam subtiliorem loquendi methodum licet non intelligant plebei; in actu signato, fidei tamen lumine instructi faciunt in actu exercito, quod sub iis vocibus declaratur. Ita Leo super civitatis vestræ portas pictus analogicè isto nomine venit etiam apud plebejos. Nihil leo ille participat reale de natura leonis, sed tantùm intentionale quid, quod etiam simplicissimi intelligunt.* Ibid. pag. 138. Resp. Nondum sic mihi explicasti, quid sit adorare *imperfectè, analogicè, obliquè, reductivè*, & quomodo imagines *in se* & *propriè*, & simul *analogicè* & *reductivè* adorentur. Hoc enim ex vobis quærebam. Tum analogiam consistere in participatione quadam inter id, quod analogicè reducitur, & ad quod reducitur dixi. Ridiculè hic inter parti-

ticipationem *realem* & *intentionalem* diſtinguis. Quid enim in Deo prototypo intentionale eſt, quod participet imago? Et adoratio imaginis, quæ *per ſe*, *propriè*, licet *imperfectè* ei tribuitur, juxta vos realis, non intentionalis eſt, fundamentum in eo habens, quòd prototypon repræſentat. Atque ita imagines Dei & Chriſti ſimul participabunt de adoratione debita exemplari, Deo & Chriſto: ſimul *per ſe* & *propriè* adorabuntur. Hoc *inextricabile* eſſe, neque vel à plebejo, vel à quoquam alio intelligi poſſe, dixi. Nihil ergo ad rem facit vellicatus à te Tigurinus Leo; quem omnes intelligunt repræſentare leonem animalem, & ſub eo fortitudinem Reipublicæ. Nemo tamen tam bardus & bliteus eſt, ut veſtro imagines colentium inſano exemplo, leonis picturam illam ſive civiliter ſive religiosè, ſimul *per ſe, propriè imperfectè*, ſimul *analogicè, reductivè, obliquè* colat.

ARG. VII. Fundamentum cultus imaginum vulgò ſtatuitur, quòd imagines ſint formæ prototyporum. *Aliàs*, inquit Billetus Pariſienſis Theologus, *mentiremur in litera laicorum, ſcilicet in picturis.* Et ſanè illæ ſolæ veræ imagines ſunt, quæ ſpeciem archetypi quàm proximè repræſentant. Atqui ſimilitudo imaginis cum prototypo non poteſt eſſe fundamentum cultus religioſi, tum quia externa lineamenta extra prototypum nihil habent venerabile & excellens: tum quia potiſſima pars prototypi, mens, quæ ſola venerabilis, in imagine non repræſentatur. Deinde Pontificiæ imagines ne quidem formas prototyporum habent. Crux Chriſti, & ipſe Chriſtus olim uſque ad Concilium VI. Generale non exprimebantur imagine, ſed ſymbolo aliquo & typo, uti probat ex Paulino Caſſander. Chriſtus igitur non figura humana depictus, ſed figuratus in ſpeciem agni. Pariter crucis ſignum corona fuit floribus undique texta. Nulla igitur vera fuit vel Chriſti, vel crucis imago uſque ad Concilium Generale VI. Unde igitur deprompta illa, quam circumferunt, Chriſti & crucis imago? Nam quòd imaginem à Chriſto expreſſam, & ad Abgarum Edeſſæ Regem transmiſſam attinet, eam gravibus rationibus commentitiam eſſe, probat Caſaubonus *Exercit.* XIII. *Sect.* 31. Idem dici poteſt de B. Virginis, Apoſtolorum & Sanctorum imaginibus. Unde enim conſtat, eſſe eas exactas formas Prototyporum? Certè pleræque imagines non aliam differentiam habent quàm habitus, inſignium & barbæ, quibus demptis ex qualibet feceris quamlibet. Atqui habitus & inſignia ad corporis non pertinent ſimilitudinem, nec barbarum differentia ſufficit ad differentiam individuorum.

RESP. REDING. 1. *Imagines, de quibus hic ſermo eſt, ſunt formæ prototyporum non phyſicæ, realem unitatis ſpecificæ uniformitatem, ſed intentionalem eorum repræſentationem præferentes. Quomodo etiam conceptus mentis eſt objecti per ſe repræſentati imago. Ejuſmodi verò analogica ſimilitudo in linea intentionali ſe tenens eſt fundamentum cultus religioſi, qui relativè imagini defertur, abſolutè prototypo.* 2. *Fateris, Chriſtum olim ſymbo-*

lo agni, crucem coronæ repræsentatam. Quid hoc aliud est, quàm metaphorica Christi, ejúsque crucis imago? Et quantò magis probanda propria eorum imago? Christi tamen & Crucis figuræ propriæ primitus non erant in usu, quia Judæis erant scandalum, & stultitia gentibus. Cessantibus illis Metaphoricæ Christi & crucis figuræ cum propriis commutatæ sunt. 3. Cùm Concilium Nicænum II. definiverit, imaginum venerationem esse ex Apostolica traditione, qua fronte asseris, ante Concilium Generale VI. nullam veram Christi vel crucis imaginem extitisse? 4. Idem Concilium Nicænum II. Act. 2. illam Jesu ad Abgarum missam imaginem pluribus confirmat. Ibid. pag. 139. 140. Resp. 1. Non dixi *physicas*, nedum eo sensu, ut realem unitatis specificæ uniformitatem contineant. Sic enim non prototyporum formæ, imagines, sed ipsa prototypa essent. Sunt ergo formæ artificiales, quas inter & prototypon similitudo requiritur. Unde Deus ipse Deut. IV. 15. 16. negat sibi imaginem statui posse eo argumento, quia cùm in monte Horeb appareret, nullam תמונה *similitudinem* ejus viderint. Quæ ergo imago similitudinem prototypi, prout illud ab aliis omnibus distinguitur, non gerit, non vera, sed mendax imago est. Ita imago Alexandri M. non Alexandri M. sed Philippi Amyntæ vel Julii Cæsaris similitudinem gerens, falsa, mendax, non vera imago est. Et tantò etiam exactior hic similitudo requiritur, quantò vehementiùs pertenditis, imagines etiam per se & propriè religiosè coli debere; idque ob repræsentationem prototypi. Quæ si falsa est, qualis inde quæso cultus emergit? Quales verò sint imagines Sanctorum vestræ, res ipsa docet. Nam de mille imaginibus ejusdem Sancti, vix duas reperies facie consimili. Finguntur enim imagines ad libitum artificum, aut ut sors tulit. Pingitur nasica, qui fuit naribus displosis, denso capillitio, qui fuit recalvaster; & obesus, qui fuit macilentus, amicitúrque ut Regina, quæ viva in vilibus pannis ambulavit. S. Petri imagini claves, Jacobi baculum, conchámque striatam, quam fronte præfert, Laurentii craticulam demas, pro quibuslibet aliis vel Sanctis, vel non Sanctis accipi poterunt. In Italia receptissimi moris est, ut pictores peritissimi B. Mariam exprimant imagine amasiarum vel concubinarum suarum; idque earundem in gratiam, conniventibus tribunalibus Inquisitionum. 2. Non quodvis symbolum imago est. Unde ipse tu Christi & crucis vetera illa symbola *imagines metaphoricas* appellas. At metaphoricæ imagines non sunt propriæ imagines. Neque vel propriam, vel metaphoricam imaginem ego improbavi, sed neutram in cultu vel olim usurpatam, vel hodie usurpandam, nedum religiosè cultam, adoratam, vel colendam, adorandam esse, pertendo. Nec contrarium probas. Imò S. Patres Irenæus *lib. I. cap.* 24. Gnosticos, Epiphanius, & Augustinus *lib. de hæres.* Carpocratianos in hæreticorum catalogo recensent, hoc inter alia argumento, quòd imagines Jesu colerent. Quàm verò frivolum illud est, quòd propter Judæos & gentiles, eorúmque scandalum, Christi & crucis propriæ imagines apud veteres in usu non fuerint. Imò non fuerunt in usu, quia imagines omnes in cultu Divino lex Dei damnavit, & legi Divinæ se primi Christiani obsequentes gesserunt. Neque Christus crucifixus, & crux illa, quam Judæis scandalum, gentibus stultitiam fuisse, Apostolus 1. Cor. I. 23. dicit, sculpta, vel picta Christi & crucis imago propria fuit, sed Christi crucifixi præconium. An verò propter scandalum Judæorum & contemptum gentilium Apostoli Christi crucifixi præconium omiserunt? Cur ergo propterea imagines, earúmque cultum omisissent, si veri cultus Divini pars ille esset? Si vera est Christi imago, quam Abgaro misisse dicitur, an exactè ei respondent imagines Christi, quas passim sculpitis, pingitis, erigitis, adoratis & in

tabella (cui pacis nomen inditur) imaginem Christi continente, & in Missa offerri solita, osculamini? Cur ergo tanto imaginum Christi vestrarum varietas se prodit? Sed nimiùm nimiúmque nutat fides historiæ imaginis Christi ad Abgarum missæ. cujus vel solius assertio Concilii vestri idololatrici Nicæni II. vanitatem manifestè comprobat. Nihil de ea Apostoli, Evangelistæ, Christiani veteres sex seculorum integrorum intervallo. Meminit Eusebius *Histor. Eccl. lib. I. cap.* 13. Epistolæ à Christo ad Abgarum (seu potiùs, uti H. Valesius legit) Akbarum Toparcham Edessenum scriptæ missæque. quam Gelasius Papa cum Synodo septuaginta Episcoporum, decreto publico, inter *apocryphas* meritò retulit; & nos quoque *Enchirid. Bibl. lib. III.* 20: 5.6. inter *γραώδεις μύθους aniles fabulas* referendam, argumentis pluribus firmamus. Et tamen Eusebius imaginis missæ nullo apice meminit. Tum demum ficta & picta hæc imago in lucem prodiit, cùm fabulis liberaliter cusis mundus Verbi Dei negligens vacivas aures præbere cœpit. Primus enim Evagrius plurium fabularum author, eam prodidit; auctoritati Procopii inniti visus. qui tamen *lib. II.* rerum Persicarum, in prolixa explicatione Edessæ à Chosroe obsessæ; nec non in digressione quadam *libri IV.* Gothicorum, miracula nonnulla obsidionis Edessanæ commemorans, imaginis illius mentionem nullam facit. Unde Concilii Francofurtensis Episcopi inter plura alia, hanc quoque historiolam in actis Concilii Nicæni, velut ex recente traditione acceptam, reprehenderunt. Et Papa Hadrianus in epistola ad Carolum M. ut hanc objectionem dilueret, aliud nihil afferre potuit, præter nudam relationem aliquot Episcoporum Orientis, qui in Synodo dicta mentionem traditionis illius fecerant. Narrarunt videlicet illi, quid suo tempore hac de re crederetur. Sed hoc jam non quæritur, verùm illud potiùs, an Christus illam imaginem Abgaro transmiserit, & quidem religiosè colendam?

ARG. VIII. In veteri Ecclesia usque ad quarti Seculi exitum, religiosus imaginum usus nullus obtinuit, si excipias Cappadoces, Ponticos, Campanos, qui prope finem quarti Seculi, teste Prudentio & Paulino, Martyres in ædibus sacris depinxerunt, non tam ut religiosi cultus instrumenta, quàm ut monumenta essent rerum gestarum, idque ad συγκατάβασιν, quò faciliùs homines à gentili superstitione ad Christi cultum traducerent. Probatum id est efficacissimis argumentis, tum artificialibus, tum inartificialibus à Johanne Dallæo Parisiensi Theologo. Artificialia ipsi sunt, quòd Patres cultum imaginum passim probrosè Paganis objiciunt: quòd Gentiles Christianis probrum hoc objicientibus respondentes, cultum imaginum, si apud Christianos usitatus fuisset, allegâssent, ad tollendam aut mitigandam suæ in idola superstitionis invidiam: quòd Judæi in disputationibus cum Christianis, imaginum cultum, quem aliâs invisissimum habebant, objecissent; quòd eas, quæ ex imaginum cultu oriuntur, difficultates, nunquam solvere vel expedire Patres allaborârunt: quod Patres multa cum cultu imaginum pugnantia scripserunt, quale inprimis illud, quòd pingendi artificium alii ut absolutè illicitum, alii ut vanum & inutile damnârunt: quòd Patres disputârunt contra Gnosticos, qui ima-

imaginem Jesu factam à Pilato colebant: quòd in priscarum Ecclesiarum suppellectile imaginum mentio nulla fiat, ut cùm Eusebius describit Templum Tyri à Paulino, Hierosolymæ à Constantino ædificatum, cùm Athanasius Ecclesiæ Alexandrinæ direptionem narrat &c. quòd Veteres fateantur sibi ignotam veram genuinámque Christi, Pauli, B. Virginis formam esse: denique quòd Armenii, antiquissimi inter eos, qui à communione Ecclesiæ Romanæ discesserunt, non modò non venerantur imagines, sed earum cultores excommunicant. Argumenta inartificialia ducit à testimonio Origenis, Concilii Eliberitani, Eusebii Cæsariensis, Epiphanii, Chrysostomi, Amphilochii, Theodoti Ancyrani, Optati Milevitani, Augustini. Cúmque sub initium quinti seculi Paulinus Episcopus Nolanus, & Severus Episcopus Bituricensis picturas historicas Basilicis intulissent, historiæ tantùm & ornatus causa; initio sexti seculi Serenus Massiliensis Episcopus & Gregorius I. huic superstitioni obviam eundum putârunt. Sed iverunt diversa via, Serenus eas tollendo, Gregorius I. retinendo, sed memoriæ duntaxat; non cultus gratia. Sensim tamen sic retentis imaginibus, recruduit earundem cultus & veneratio; paulatim superstitione in Oriente & Occidente radices agente. Cùm igitur occasione facti Philippici Imperatoris imagines sex Synodorum confringentis, certamina de cultu & usu imaginum Ecclesiam valde vexarent, Constantinus Copronymus, & Episcopi Orientis in Generali VII. Synodo Constantinopolitana decretum contra imagines fecerunt. qua Synodo per Irenen in Antisynodo Nicena II. abrogata successit Carolus verè Magnus, qui & volumine singulari (sive is manu sua illud exaravit, sive ejus jussu compositum est, certè nomen ejus præfert) eruditissimè imaginum cultum impugnavit, & Synodo A. 794. Francofordiæ indicta contra quendam Felicem Orgelitanum, decretum contra imaginum cultum fecit, quod diu post in Gallia & Germania obtinuit, uti ex Jona Episcopo Aurelianensi, Walefrido, aliísque probat Cassander. Et verè Pithœus Præfat. in Histor. Pauli Diaconi: *Sanè si verum seriò volumus, nuper admodum nostri homines* (intelligit Gallos) *imaginosi esse cœperunt.* Quin & doctissimus Forbesius *Instruct. Hist. lib.* VII. 12. historica de imaginibus à tempore Concilii Francofurtensis ad XIII. usque Seculum continuata narratione ostendit Gallorum & Germanorum usque ad Seculum illud XIII. in rejiciendis imaginibus constantiam.

RESP. REDING: *I. Patres Gentilibus cultum imaginum, tanquam Deorum objecerunt. Neque gentiles Christianis imaginum cultum objicere potuerunt, quia hi illas non ut Deos adorarunt. Credidisse autem gentiles, idola sua esse Deos, licet id Calvinus neget, solidissimè*

tamen

tamen à Bellarmino de Imag. lib. II. 3. probatum est. 2. Sed & Judæi non ignorabant, vel Cherubinorum argumento, sensum legis Divinæ, quòd videlicet illa non vetet cultum imaginum, nisi in illis quiescentem. Cur ergo hoc modo non colentes Christianos reprehendissent? 3. Neque ulla difficultas est in cultu imaginum, nisi quam hæretica perfidia nectit. Cujusmodi difficultates obortas Epiphanius de Spir. S. ad Amphil. cap. 19. & Concilium Nicænum II. Act 6. strenuè discusserunt. 4. Qui verò Patres pingendi artificium rejecerunt? Etenim Clemens Alexandrinus lib. VI. contra Julian. tantùm damnat picturas Dearum ac Deorum, utpote vitiorum incentivas. Ibidem meminit imaginis crucis Christi, quæ Christum pro omnibus mortuum in memoriam revocet. Tertullianus de idol. cap. 3. reprehendit artifices falsorum Deorum simulachra facientes. Alias de Pudic. cap. 7. picturas calicum sacrorum commemorat. Lactantius Instit. lib. II. 19. de talibus simulachris loquitur, quibus mens non erigitur ad Deum & Sanctos, sed in iis quiescit. Idem verò lib. IV. 27. crucis Christi meminit. Concilium Eliberinum can. 36. vetat, ne picturæ sint in Templo, ne quod colitur aut adoratur, sit in parietibus. Fuerunt ergo, sed non in parietibus pictæ, ne tempore persecutionum hostium ludibrio exponerentur. Eusebius Hist. Eccl. lib. VII. 14. dicens, imagines Christi & Apostolorum consuetudine, seu more gentili esse factas; de similitudine materiali, non formali id intelligit. 5. Gnostici imagines Jesu unà cum imaginibus Philosophorum absolutè adorarunt. 6. Quid tibi cum Constantino M. in cujus vita legimus, quòd eo Ecclesiam in Laterano Christo dedicante, imago Salvatoris in pariete depicta Romano populo apparuerit? 7. In Polydoro Vergilio citando duplex crimen falsi committis; dum ei impingis, quòd scripserit, universos ferme Patres usum imaginum damnasse. 8. Testimoniis à Dallæo allegatis oppono liturgias Petri, Jacobi, Æthiopum, Patres Orientales & Occidentales plurimos, religiosum crucis cultum probantes. 9. Quæ verò ex Epiphanio Epist. ad Joh. Hierosol. citare soletis, quasi is velum continens imaginem Christi vel Sancti alicujus sciderit; illa non Epiphanii sunt, sed ab hæretico quopiam adjecta, quod liquet, tum quia Iconomachi in Concilio Nicæno Epiphanium allegantes, hunc locum non allegarunt: tum quia discipuli ejus imaginem Epiphanii aliorúmque in Templo in Cypro ædificato collocarunt: tum quia hæc verba in epistola illa post conclusionem sine ordine adjiciuntur: tum quia Hieronymus Epist. ad Pammach. adversus errores Johannis Hierosol. illam Epiphanii epistolam recitans, hujus appendicis non meminit. 10. Frustra impia adversus imagines Philippici Imp. & Constantini Copronymi, aliorúmque molimina recenses. Fuerunt enim hæretici & tyranni persecutores. Et Concilia illa Constatinopolitana neque Papa, neque ullo Patriarcha interveniente celebrata sunt. Proin eorum decreta à Concilio Nicæno II. jugulata sunt. 11. Author librorum Carolinorum Synodo Francofurtensi imposuit, quasi Nicæna Synodus definiverit, ut imagines latria adorentur; & quidem sine authoritate Papæ. Neque Carolus illorum librorum author vel promotor extitit. Imò is libros illos Papæ transmisit refutandos. Et in præfatione librorum illorum Eliphilus probare conatur, quòd Carolus eorum author sit. Id verò opus non fuisset, si constitisset, à Carolo compositos esse. Neque illa præfatio ante A. 1541. apparuit, ab Acatholico quopiam edita. Imò Romani Pontifices excommunicatis Græcis Imperatoribus iconomachis substituerunt Francos ob orthodoxam hac in re fidem. Et ad summam Synodus Francofurtensis intransitivum tantùm & absolutum imaginum cultum damnavit. Ibid. pag. 140--149. Resp. Non aliud hic, quàm confusam crassorum mendaciorum congeriem reperio. Etenim 1. figmentum merum est, quòd Patres gentilibus earum demum imaginum, quas, ceu Deos coluerint, cultum objecerint; cùm imagines illi, coluerint non ut Deos, sed ut veri ac supremi Dei & Divorum suorum simulachra, uti su-

pra vidimus. Neque verò per calumniam iis impegerunt, quod eos non sentire compertum habuerunt. qua pietate illi fuerunt. Tertullianus *Apolog. c. 12.* postquam meros fuisse homines, qui tum à Paganis pro Diis colebantur, probavit, hæc de simulacris subjicit: *Quantum autem de simulachris ipsis, nihil aliud reprehendo, quàm materias, sorores esse vasculorum, instrumentorúmque communium, vel ex iisdem vasculis & instrumentis, quasi fatum consecratione mutantes licentia artis transfigurante, & quidem contumeliosissimè, & in ipso opere sacrilegè.* Tum extremo capite: *Igitur si statuas & imagines frigidas, mortuorum suorum simillimas, non adoramus, quas milvi, & mures, & araneæ intelligunt, nonne laudem magis quàm pœnam merebatur repudium agniti erroris?* Quo animo talia scribere potuit, si paria cum Pontificiis sensit? An enim cuncta hæc non æquè Christi & Sanctorum imaginibus quadrant? Annon & hæ *sorores* sunt *vasculorum instrumentorúmque communium*, quas æquè *mures & araneæ & milvi intelligunt; frigidæ, mortuorum suorum simillimæ?* Lactantius *Instit. lib. II. 2. Quid sibi volunt*, inquit, *simulachra, quæ mortuorum aut absentium monimenta sunt?* Mox: *Ista mortalium digitorum ludicra & fragilia figmenta, ex quolibet materiæ genere formata, quid aliud sunt, nisi terra, ex qua nata sunt?* Paulò ante dixerat: *Cur oculos in Cœlum non tollitis? & advocatis Deorum nominibus in aperto sacrificatis? Cur ad parietes, & ligna & lapides potissimùm, quàm illò spectatis, ubi eos esse putatis?* Similia passim paganis & ipse, & alii, nominatim Athanasius *contra gentes*, Chrysostomus *in Esaj. c. 2.* Theodoretus *in Psal. 113.* aliíque objiciunt. Quid quòd Celsus gentiles apud Origenem *contra Cels. lib. VII.* Origeni objicit, ridiculam esse Christianorum sapientiam, si nihil aliud docere volunt, nisi Deum non esse lapidem, lignum, æs, aurum, ab hoc vel illo artifice expolitum. *Quis enim*, inquit, *alius est, nisi sit planè fatuus, qui hæc Deos esse putet, non autem Deorum donaria & simulachra?* Lactantius *Divin. Instit. lib. II. 2.* sic Ethnicos loquentes inducit: *Non ipsa timemus simulachra, sed eos, ad quorum imaginem ficta, & quorum nominibus consecrata sunt.* An ovum ovo similius, quàm sunt vestri & Ethnicorum prætextus? Non defuerunt equidem, qui Divos imaginibus suis insidere statuerent. Non tamen omnes sic statuerunt. Nam Augustinus *de Doctr. Christ. lib. III. 7.* Ethnicos idololatras bifariam dividit, ajens, *eos simulachra venerari vel tanquam Deos, vel tanquam signa & imagines Deorum.* Neutri verò imagines Deos esse statuerunt. Non *illi*, qui imagines venerati sunt ut Deos, non quòd simulachra Deos esse, sed quòd Deos cum iis conjunctos esse putarent. Quomodo etiam vos si non personalem, at virtualem certè cum imaginibus prototyporum præsentiam tueri, consecrationum & adorationum vestrarum formulæ probant; & Bellarmini ipsius *de Imag. cap. 23.* dicentis, quòd imago consideretur *ut conjuncta cum exemplari, exemplar verò quasi vestitum imagine colatur*, confessio confirmat. Non *hi*, quia non venerati sunt ut Deos, sed ut signa Deorum. Utrique cultum ad prototypa, vel absentia, vel conjuncta retulerunt. Clemens enim *Recognit. lib. V.* sic Paganos loquentes inducit: *Nos ad honorem invisibilis Dei imagines visibiles adoramus.* Denique passim S. Patres, nominatim Arnobius *lib. VI. contra gentes*, Augustinus *de Civit. D. lib. VII. 27.* gentiles his nominibus accusant, quòd Dei & Divorum imagines venerentur, ante eos procumbant, iis cereos, thura offerant. Si Dei, Christi & Sanctorum imagines simili ratione Christiani (uti hodie Pontificii solent) coluissent, annon in eosdem tela sua paganis retorquere in proclivi fuisset? Bellarmini responsiones ad argumenta Calvini, quibus ille probavit, gentiles simulachra sua non

coluisse, ut Deos, nec non contraria ejusdem argumenta, à Cl. Rainoldo *de Idolol. R. Eccl. lib. II. 3: 52. 53. &c.* solidissimè elisa videas licet. Si tamen, quod Bellarminus pertendit, gentiles crediderunt idola sua esse Deos, *quia id eis dicebatur à Pontificibus: quia videbant, totum ferè mundum ita credere: quia Diaboli opera interdum idola movebantur, loquebantur: quia erant forma humana prædita*; certè verisimile est., multos Pontificios similia de suis idolis credere. Sacrificuli enim dicunt: *Hic est Deus Pater: hic est Christus: hæc Maria.* Plures sunt in mundo Pontificio, qui huic aut illi idolo Divini aliquid tribuant, quàm unquam fuerunt in mundo Ethnicorum. Eorundem idola sæpius sunt visa moveri, loqui. *Bene de me scripsisti, Thoma*, dixit signum crucis Aquinati. Denique formam habent æquè humanam, atque idola Ethnicorum. 2. Frustra vestrum de imaginum cultu sensum Judæis affricare studes, Cherubinorum scilicet argumento. de quo infra. Etenim Bellarminus ipse *de Imag. cap.* 7. fatetur, Judæos quondam ad idolalatriam propensissimos, post Christi adventum contra imagines superstitiosissimos fuisse. Si quas ergo imagines Christianæ Ecclesiæ jam inde à primis temporibus habuissent, eásque more Pontificiorum coluissent, acerrimi & implacabiles doctrinæ Christianæ hostes Judæi id arripuissent haud dubiè, & velut infandam impietatem criminati essent. Atqui nullibi, in disputationibus etiam fervidissimis, tale quid illis objecerunt. Neque Judæi educti edoctíque sunt in Schola Iconolatrarum, ut ex illis calidum callidúmque inventum distinctionis inter cultum imaginum *in iis quiescentem, & per eas transeuntem* haurirent; qui nullas unquam in cultu imagines tolerarunt. 3. Si nullæ nisi ab hæreticis motæ difficultates imaginum cultores exercuerunt, cur ergo de modo cultus earum & sensu præcepti Divini contra imagines tanta disputatio Scholæ vestræ doctores exercet? Quorum alii, ut Catharinus, Vasquez &c. præceptum hoc Divinum, non morale, sed positivum & temporale duntaxat esse volunt: alii, vetari duntaxat cultum imaginum, si pro Diis habeantur, pertendunt: alii colendas imagines una cum prototypo; alii illas transitivè colendas; alii propriè etiam & per se colendas, sed inferiori cultu, sciscunt. Quis vobis hæreticus, Redingi, has difficultates nexuit? Nicæni Patres, Thomas, Cajetanus, Bonaventura, Bellarminus, Valentia, Vasquez, Redingius, alii? Nil tale apud veteres, etiam ubi præcepta Decalogi tractant. Tam ignota iis distinctionum vestrarum mysteria fuerunt, quàm ignoti umbratici doctores vestri. Quæ tamen illi æquè excutere & explicare debuissent, atque hi, si illorum eadem de cultu imaginum sententia fuisset. De Epiphanio infra. Nicæni verò iconolatræ non ab hæreticis, sed ab orthodoxis motas difficultates neutiquam expediverunt. Nescio an meliùs expediverit Romana Inquisitio, quæ, Innocentio X. procurante, crucifixum in templo Florentino erectum, eò quòd mulier quædam, ab impostore decepta, & post eam magnus hominum, etiam principum numerus, seductus, ea abuterentur, captivum duxit, & hodiéque detinet: atque similiter novissimè lapidem, cui Angelus Romæ tempore Gregorii M. pestilentiam grassantem coercens, vestigia pedis sui impressisse credebatur, ab insigni Antiquario Petro Bellori, fraudis convictum (nam fragmentum statuæ Isidis esse demonstravit) tribunali suo subjectum, captivum detinet. 4. Patres pingendi artificium rejicientes paucos tibi edam. Clemens Alexandrinus *in Protr. p.* 41. *Nobis*, inquit, *est apertè vetitum* (ἀπατηλὸν τέχνην) *artem vetitam exercere. Non facietis*, inquit, *ullius rei similitudinem*, &c. En locum, quem te reperire non potuisse, quereris. *Stromat. lib. V. Moses*, inquit, *multis ante seculis apertè legem sanxit, nullam oportere sculptilem, vel fusilem, vel pictam imaginem, simulachrúmve facere, ut sensilia minimè attenderemus, sed ad ea*

tran-

transfiremus, quæ percipiuntur intelligentia. &c. Objicis contra Clementem Alexandrinum *lib. VI. contra Jul.* damnare picturas tantùm, *ut vitiorum incentivas.* Objectio digna Monachali sapientia. Quis enim Clemens Alex. *contra Julianum* scripsit? Et tamen eundem etiam Cl. Vedrosio objecisti. ne typographi mendum suspectemus. Quid sunt picturæ *incentivæ*? Imò omnes in cultu picturæ incentivum sunt ad vitia. Tertullianus *de spect. c.* 23. sic loquitur: *Jam verò ipsum opus personarum, quæro an Deo placeat, qui omnem similitudinem vetat fieri, quantò magis imaginis suæ?* Et *de Idol. cap.* 3. apertè ore profitetur, *Diabolum seculo intulisse artifices statuarum & imaginum, & omnis generis simulachrorum.* Capite sequenti; *Toto,* inquit, *mundo ejusmodi artibus interdixit servis Dei.* Non ergo de *simulachris* duntaxat *falsorum Deorum,* sed de universis loquitur, & simpliciter ac absolutè nefas esse, ullam similitudinem effingere, asserit. Alibi *de Pudic. c.* 7. per *picturas calicum* non imagines vel simulachra sive Dei, sive Sanctorum, sed emblema boni Pastoris pecudem in humeris gestantis in calicibus vitreis depictum, sed à nemine adoratum (quis enim emblema adoraverit?) intelligit; atque calices ejusmodi non ipse probat, sed Psychicis suis objicit. Emblemata autem picta non aspernantur, qui simulachra à cultu rejiciunt. Et tamen hic unicus locus est, quem ex tribus primis seculis purissimis objicere potuistis. Lactantius *Instit. lib. II.* 19. *Non dubium est,* inquit, *quin religio nulla sit, ubicunque simulachrum est.* Pluribus verò argumentis *ibid. cap.* 1. 2. &c. omnem religiosum imaginum cultum oppugnat. Frigida est tua ἔνστασις, *quòd loquatur de cultoribus imaginum, quorum mens in iis quiescit*; hoc est, gentilium. Nam argumenta, quæ ille simulachrorum cultui objicit, generalia sunt, veluti, *quòd imagines sint materia homine inferior, opera manuum, vitæ sensúsque expertes, mortuorum; vel absentium, adeóque non colendæ; præsentium, sic ut supervacua sit imago.* Concludit autem, dubium non esse, *quin religio nulla sit, ubicunque simulachrum est. Non religio in simulachris, sed mimus religionis est.* De quibusvis loquitur; & ea argumenta affert, quæ adversus vestras imagines æquè stringunt. Idem verò *lib. IV.* 27. de cruce ab Helena inventa, non de imaginibus, nec de cruce religiosè colenda loquitur. Elibertini Concilii canon 36. sic habet: *Placuit picturas in Ecclesiis esse non debere, ne quod colitur, vel adoratur, in parietibus pingatur.* Occurrit Redingius: *Fuerunt, sed non in parietibus pictæ, ob periculum à persecutoribus.* Quid insulsius? Vetat Concilium in universum, ne in Templo picturæ (sive eæ parietibus inscriptæ, vel insculptæ, sive ad parietes in tabellis aut velis appensæ vel quovis modo collocatæ) sint, non tantùm ne in parietibus pingantur, idque ratione addita, *ne quod adoratur, in parietibus pingatur*, hoc est, ne res picta sit objectum adorationis. Denique Eusebius *Hist. Eccl. lib. VII.* 14. apertè innuit, imaginum usum non à Deo, non à Prophetis, non ab Apostolis, sed ab Ethnicis manasse. *Nos quoque,* inquit, *Petri & Pauli Apostolorum, & Christi etiam ipsius imagines in picturis colorum varietate expressas, conservatásque aspeximus. Idque propterea, sicut verisimile est, quòd majores nostri ad gentilis consuetudinis similitudinem* (ἀπαραλλάκτως) *proximè* (alii legunt ἀπαραφυλάκτως *inconsideratè*) *accedentes, eos, qui tanquam servatores illi fuissent, id est, qui illis aliquid salutis & præsidii attulissent, apud se honore ad hunc modum afficere consueverant.* De imaginibus Christi & Apostolorum loquitur, quales à majoribus introductæ sint. Quàm hic stolidum est dicere, imagines *materialiter*, non *formaliter* intelligi? Nam relatas ad Christum & Apostolos, adeóque *formaliter* tales, ex cacozelia Ethnicorum derivat, quia sicut illi suos Divos, sic Christiani Christum & Apostolos pingere cœperint; & quidem minùs laudabiliter. Nam ut Athanasius

contra Gentes loquitur: Ἡ τῶν εἰδώλων εὕρεσις οὐκ ἀπὸ ἀγαθοῦ, ἀλλ' ἀπὸ κακίας γέγονε. *Idolorum inventio non à bono, sed à malo existit.* Quid verò multis? Concilii Nicæni II. Patres *Act. 6.* recitata Eusebii ad Constantiam epistola sibi objectâ, qua ille demonstrat, *imaginem Jesu, qua ejus forma sive humana sive Divina exprimatur, effingere nefas esse*; non ausi sunt testimonium ejus nimis luculentum solicitare; sed testem duntaxat Eusebium, Arianum criminati, rejecerunt. 5. De Gnosticis & Carpocratianis à veteribus eo nomine, quòd Jesu imaginem haberent, & cum Philosophorum imaginibus miscerent, reprehensis, supra Irenæum & Epiphanium allegavimus. Absolutè eos adorasse Jesu & Philosophorum imagines, unde verò tibi constat? Nil enim tale Irenæus, nil Epiphanius. Irenæus enim reprehendit, quòd imagines Christi *habeant, coronent, proponant cum imaginibus Philosophorum*, id est, erigant, & loco sublimi spectandas & venerandas ponant. Addit quidem, *eos reliquam observationem circa eas similiter facere, ut gentes faciunt.* Quod Epiphanius de sacrificiis intellexisse videtur. Sed possunt verba illa Irenæi non minùs commodè de cœteris honoribus, quos gentiles illustrium virorum simulachris largiri consueverunt; quæ magnificè erecta dedicabant, amiciebant, floribus tum sertis tum solutis ornabant intelligi. Nam Philosophis certè suis sacrificia offerre gentiles non sueverunt. Sed de hoc quicquid sit, sicut Irenæus Gnosticos imagines Jesu & Philosophorum commiscentes, & iis similiter, ut gentes facientes, reprehendit: ita eosdem imagines Jesu *habentes, coronantes, proponentes* reprehendit pariter. 6. De imagine Christi populo, cùm Constantinus M. Ecclesiam in Laterano Christo dedicasset, apparente, nihil habet Eusebius, qui vitam Constantini M. quatuor libris descripsit. Quid de eo in vita ejusdem Constantini Metaphrastes nugivendulus scripserit, nec scio, nec scire gestio. Suam quidem ipsius imaginem, cum inserta manui ejus cruce, Constantinum in loco quodam celebri Romæ locasse, Eusebius *de vita Const. M. lib. I. 33.* testis est. Idem *lib. III. 48.* Constantinum symbola boni Pastoris, & imaginem æneam Danielis cum leonibus in medio foro apud publicos fontes collocasse, memorat. Sed vel in templa introductas imagines, vel religioso cultu adoratas, adorarive jussas à Constantino M. vel quoquam alio ætatis ejus, nemo paulò antiquior testis est. Imò Eusebius *Hist. Eccl. X. 4.* describens Templum Tyri à Paulino, & *lib. III. de vita Const. M.* Hierosolymæ à Constantino M. constructum, imaginum in iisdem collocatarum mentionem nullam facit. Hoc argumentum à me vobis objectum tuum erat diluere. Sed hæsit tibi aqua. Ideo ad historias apocryphas tibi convolandum fuit. 7. Polydorum Vergilium heic ne citavi quidem. Citationem Cl. Vedrosii, quæ tua oscitantia est, mihi impingis. Quanquam citata ab eo verba, quæ *lib VI. 13.* extantia sic sonant: *Teste Hieronymo omnes ferme veteres Sancti Patres usum imaginum damnabant ob metum idololatriæ, qua nullum execrabilius scelus esse potest*; crimen falsi eidem impactum satis diluunt: tuámque proterviam convincunt. Rectiùs justiúsque crimen falsi impegisses Expurgatoribus Romanis, quia verba illa Polydori una cum sequentibus, quibus docetur, Mosen nihil magis inculcasse, quàm ne populus aliquid manufactum veneretur; & Prophetam dixisse: *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia*, impiè & perfidè expunxerunt. 8. Testimonia veterum circa crucis usum à te corrasa nil causam vestram juvant. Neque opus erat inutili hac rapsodia sic bonas horas perdere. Non enim de signo crucis, sed de ejus, quâ talis, virtute & religioso cultu, qualis apud vos hodie obtinet, quæstio est. Neque ullus à te allatorum testis est, toto trium seculorum primorum decursu fabricatas esse in Ecclesia Christiana ex ligno, auro, aliáve materia, aut coloribus depictas in Christianorum oratoriis cruces. Usitatam

tatum quidem fuit signum crucis Tertulliani tempore, uti ex libro ejus conjicere est, at absque ulla lege Scripturarum, uti ipse fatetur; nec sic, ut vel adoraretur à quoquam, vel efficacia ex opere operato ei tribueretur; sed ut professionis externæ tessera esset. Qui usus paulatim in abusum degenerans meritò sublatus est. Constantinus M. labarum suum in crucis formam redegit. At crucem nec ulli templo intulit, nec inferri, nedum adorari jussit. Minutius Felix in Octavio: *Cruces, inquit, nec colimus, nec optamus.* Quid quæso disertius? Sed mitto id omne, postquam Cl. Dallæus *de Relig. Objecto* libro quinto toto invictis argumentis (quæ rapsodiæ tuæ, compendii faciendi gratia, oppono) demonstravit, nunquam crucis cultum in primitiva Ecclesia receptum fuisse. 9. Urit vos nimiùm nimiúmque Epiphanii factum, adeò quidem evidens, ut iconolatras omnes in pudorem det. Sic enim ille Epistola ad Johannem Hierosolymitanum, ab Hieronymo Latinè reddita: *Præterea, quòd audiri, quosdam murmurare contra me, quia quando simul pergebamus ad sanctum locum, qui vocatur Bethel, ut ibi collectam tecum ex ecclesiastico more facerem, & venissem ad villam, quæ dicitur Anablata, vidissémque ibi præteriens lucernam ardentem, & interrogassem, quis locus esset? didicissémque, esse Ecclesiam, & intrassem ut orarem: inveni ibi velum pendens in foribus Ecclesiæ ejusdem tinctum atque depictum, & habens imaginem quasi Christi, vel Sancti cujusdam: non enim satis memini, cujus imago fuerit. Cùm ergo hoc vidissem, in Ecclesia Christi, contra auctoritatem sanctarum Scripturarum hominis pendere imaginem, scidi illud, & magis dedi consilium custodibus ejusdem loci, ut pauperem mortuum eo obvolverent, & efferrent. Illique contra murmurantes dixerunt: Si scindere voluerat, justum erat, ut aliud daret velum, atque mutaret. Quod cùm audissem, me daturum esse pollicitus sum, & ilico esse missurum. Paululum autem morarum fuit in medio, dum quæro optimum velum pro eo mittere. Arbitrabar enim, de Cypro mihi esse mittendum. Nunc autem misi, quod potui reperire, & precor ut jubeas Presbyteros ejusdem loci suscipere velum à latore, quod à me missum est: & deinceps præcipere, in Ecclesia Christi istiusmodi vela, quæ (NB) contra religionem nostram veniunt, non appendi. Decet enim honestatem tuam, hanc magis habere solicitudinem, ut scrupulositatem tollat, quæ indigna est Ecclesia Christi, & populis, qui tibi crediti sunt.* Hactenus ille. Dic, Redingi, annon ille verus genuinúsque iconoclasta est, qui affirmare sustinet, *contra authoritatem Scripturarum esse, ut in Ecclesia Christi imago pendeat?* atque id dogma non modo dictis & scriptis, sed etiam factis confirmat, pendens in Ecclesia velum palam lacerans, quòd in eo Christi aut Sancti depictam imaginem videret? atque eam imaginem sua velut sententia damnatam in sepulchri tenebras ad mortui usum amandat, ut una procul à Cœli luce sub terra computrescat? denique Episcopum, in cujus parœcia sita illa Ecclesia erat, graviter monet, *ut deinceps præcipiat in Ecclesia Christi ejusmodi vela, quæ contra religionem nostram venire* ait, *non appendi?* Quid hic Romani? Pereunt per mutua vulnera fratres. Nam alii cum Alphonso à Castro *contra hær. verb. Imag.* Epiphanium iconoclastam fuisse, ingenuè fatentur, vetúsque verbum succinunt, *Hirundo non facit ver*: alii cum Vasquezio *in 3. Th. disp.* 105. *c.* 3. dicunt, imaginem fuisse hominis profani, non sancti: alii cum Alano *Dial.* 5. *c.* 21. epistolam totam notham esse causantur: alii denique cum Bellarmino *de imag. c.* 9. postremam laciniam epistolæ supra recitatam, spuriam & dolo assutam esse criminantur. Bellarmini postremam hanc sententiam Redingius sectatur; & imperitè & audacter. Certum enim est, & totam epistolam in omnibus & manuscriptis & impressis codicibus, ipsius etiam Petavii Jesuitæ, sine ulla *νοθείας* nota, comparere; & eum ipsum locum, qui nunc in controversiam

ſiam vocatur, laudatum & deſcriptum fuiſſe omnino, qualis nunc legitur ſeptingentis & vigintiquinque annis, priuſquam Lutherus in Germania Papalem authoritatem ſolicitaſſet, uti videre eſt tum apud Carolum M. *de Imag. lib. IV.* 25. tum in Synodo Pariſienſi *cap.* 7. Vel à Carolinis igitur, vel ab iconoclaſtis conficta eſt. Non à *Carolinis*, quia Epiphanii factum iis, imagines tolerantibus, patrocinari non potuit. Non ab *iconoclaſtis*, quia illi ne ſemel quidem in ſuſcepta contra imagines cauſa hujus loci præſidio uſi ſunt. Bellarmini verò vaniſſimæ contra ariolationes, vel frigida potiùs ſomnia ſunt. *Iconomachi*, inquit, *in Concilio Nicæno II. Epiphanium allegantes, hunc locum non allegarunt.* Nos contra verum eſſe demonſtramus, quia ſi falſus eſſet, ab iconomachis haud dubiè ſuppoſitus eſſet. Cui verè bono illi ſupponerent, nec tamen allegarent? Præterea eadem ratione ex Clementis Alexandrini, Euſebii, Origenis, Lactantii, Athanaſii operibus expungenda pleraque erunt, quæ nos in hac cauſa afferimus. Nam nec Iconomachi illa in eadem diſputatione olim adhibuerunt. Qui ſcitis vos, Iconomachos nihil eorum non legiſſe, quæ ad hanc cauſam pertinent: nihil iis adverſariorum fraude ſubductum: nihil per ſocordiam, & humani ingenii infirmitatem neglectum? Cúmque Epiphanii Epiſtola Latinè tantùm extet, ab Hieronymo verſa, nec niſi ab hominibus Latinis unquam laudata ſit, mirum non eſt, locum hunc Iconomachos Orientales non vidiſſe. Imò iidem *Act.* 6. poſt recitatum quoddam Epiphanii teſtimonium diſertè ajunt, eum *alios ſermones expoſuiſſe in ſubverſionem efficiendarum imaginum, quas, qui* (inquiunt) *amorem diſcendi habent, quærentes inveniunt.* Sed *diſcipuli Epiphanii*, inquit, *hujus aliorúmque imagines in Templo Cypri collocarunt.* Sic quidem Nicænæ Synodi Diaconus prodidit. Sed qua, inquam ego, authoritate fretus? Nec tamen ille Epiphanii diſcipulos nominat; ut conſtare non poſſit, intellexeritne diſcipulos viventis, an pridem mortui Epiphanii. quomodo Franciſci, Dominici, Benedicti vocantur, qui diu poſt illorum fata ſpirant. Præterea quàm multa à diſcipulis præter magiſtrorum inſtituta creduntur? Addit Bellarminus, *hæc verba in Epiſtola illa poſt concluſionem ſine ordine adjici.* Atqui poſt concluſam hanc de Anablatenſi imagine narrationem, periodum inſuper aliam Epiſtola habet, qua Epiphanius Johannem monet, ut à Palladio Galata Origenis ſectatore caveat; ac demum poſt claudit his verbis: *Opto ut valeatis in Domino.* Illa verò pro concordia Eccleſiæ precatio, quam controverſa particula ſequitur, præcedentium quidem, at non totius Epiſtolæ concluſio eſt. Neque etiam S. Paulò aliiſque ſacris ſcriptoribus mos eſt, longè ante concluſionem vota aſpergere. Denique *Hieronymus*, ait ille, *Epiſtola ad Pammachium illum Epiphanii Epiſtolam recitans, hujus appendicis non meminit.* Quaſi non etiam alia prætermiſerit, quæ hodiéque in ea leguntur: qualis eſt illa ſtatim ab initio prolixa de Presbytero narratio, quem Epiphanius in Johannis Hieroſol. parœcia ordinaverat. Neque mirum talia Hieronymum omiſiſſe, cùm nihil facerent ad Johannis Hieroſ. Origeniſmum, quem ſolum ibi perſtringit. Viden' Redingi, te cum Bellarmino tuo de gradu dejectum, pulſum hac diſputationis acie, fugatúmque! Ringamini quantumvis, Epiphanius iconoclaſta fuit. 10. Scilicet Philippicus, Leo Iſaurus, Conſtantinus Copronymus Imperatores hæretici fuerunt, quia iconolatræ eſſe noluerunt: at Irene mulier, Ethnica, Erynnis illa crudeliſſima, cujus ſcelera Cœlum ipſum horruit; Tharaſius, qui ex laico ſubito, mulieris ejuſdem fraude factus eſt Epiſcopus; Adrianus Papa cum Concilio ſuo λᾳ-ϛρικῷ Nicæno orthodoxi fuerunt omnes, quia Paganorum idololatriam poſtliminio revocarunt! Cur *Concilia Conſtantinopolitana* nomines, alterum ſub Leone Iſauro, alterum ſub Conſtantino Copronymo celebrata, ipſe videris. Mentiris enim, cùm ſcribis:

Duo

Duo à tuo perverso genio allegari solita Constantinopolitana Concilia. Nuspiam enim nisi unicum allegavi. Tu verò ignorans confudisti Imperatores, Leoni Isauro tribuens Constantinopolitanum Concilium, quod sub Leone Armenio post Nicænum demum A. DCCC XIV. celebratum est, de quo tamen ipso nuspiam ego locutus sum. Nihil verò huic obest, quòd præsentem Papam & Patriarcham Constantinopolitanum Concilium nullum habuit. Nam horum, quâ talium, authoritas jure Divino nulla est. Nec Hierosolymitano Concilio Papa vel Patriarcha ullus interfuit. 11. Denique tuas adversus libros Carolinos & Concilium Francofurtense ineruditas & frigidissimas ἐνστάσεις Oratione, qua Carolum M. testem veritatis repræsentavi, jam pridem κατὰ πόδα dilui. Summa huc redit; Caroli nomen præferre, quæcunque hactenus visa sunt Capitularis, seu librorum horum exemplaria, Vaticanum inprimis, & alterum à Johanne Tilio Meldensi Episcopo editum: Authorem Capitularis illius disertè *Pipinum venerandæ memoriæ genitorem suum* appellare: non ita hæc fingi potuisse, quin Carolus fraudem sibi factam animadverteret, vindicarétque: Sorbonam non ita pridem *γνησιότητα* librorum adversus Maimburgium publico scripto, Jesuitarum artibus suppresso, asseruisse: eósque Carolo vindicasse, sive is composuerit: sive ejus authoritate composuerit alius (ita capitula legum Ecclesiasticarum Carolo & filio ejus Ludovico tribuuntur, quæ non ipsi, sed eorum authoritate Episcopi in Synodis composuerunt) intolerandam audaciam esse, authori tanto tantum crimen impingere, quòd Synodi Nicenæ sententiam occultare sustinuerit. Si tamen occultasset Carolus, vel quisquis librorum author est, non propterea Francofurtenses Patres Nicæni Concilii decreta, utpote ab Adriano transmissa, & legatis ejus præsentibus Theophylacto & Stephano exposita, latere potuerunt. Argumentum verò ab Eliphili hoc est, Johannis Tilii, Meldensis Episcopi vestri, in præfatione probantis, quòd libri hi authore Carolo exarati sint, instituto petitum, stivam redolet. Sic enim, quia Carolum M. authorem libros hos non habere, recentes Sophistæ probare contendunt, fas mihi æquè erit contrarium credere, à Carolo esse compositos. Similis planè collectio erit. Neque obstat, quòd Pontificum favore Imperatoribus iconomachis Carolus successit; quia aliæ successionis causæ propriæ fuerunt; neque Carolus iconoclasta fuit, sed mediam viam insistens neque abjiciendas imagines, neque religiosè colendas, asseruit. Insulsum verò tuum de cultu imaginum transitivo commentum sic Carolus M. *lib. IV.* 2. discutit: *Vasania est dicere, per imaginem adorari Christum. Infelix memoria, quæ, ne Christi obliviscatur, qui nunquam à pectore justi hominis recedere debet, imaginariæ visionis est indiga*, &c. Satis autem esto, quòd novissimè ipsa Sorbona citatis librorum Caroli verbis, Maimburgio objecit, Carolum in libris hisce imaginibus omnem omnino cultum abrogasse, non adorationem duntaxat Divinitati debitam, sed etiam *cultum, observationem, venerationem*, honorémque eum, qui *collo inflexo, vel capite summisso* iis exhibetur, vel *thuris & luminarium oblatione* constat; (Tridentini autem *imagines venerari, coram iis caput aperire ac procumbere* jubent) quin & ab iis removere eam venerationem, quæ Sanctis *vita functis, & viventibus* ipsis ex *charitatis & salutationis officio* debetur; adeóque civilem etiam salutationem, nedum religiosam; denique eam, quæ *Ecclesiæ vasis*, aliisque ejusmodi rebus, quas cum imaginum pretio comparatas hodie Romanenses vilissimas censent, exhibetur. Adeóque, verbo dicam, quod Pontificii hodie, Pseudo-Synodum Nicænam secuti, faciunt, & facere jubent: id ipsum Carolus in Capitulari suo, à Concilio Francofurtensi approbato, facere, firmissimis rationibus, præsidiis, & quibuslibet interdictis vetat. Sed hanc in rem plura *ad Object. VIII.*

ARG. IX.

ARG. IX. Ante Concilium Tridentinum Viri gravissimi in venerationem imaginum & abusus notorios circa earum usum invecti sunt, ut Guilelmus Duranti Episcopus Mimatensis, Johannes Billet Theologus Parisiensis, Gerson, Gabriel Biel, aliique. Quin durante Concilio Sebastianus Elector Moguntinus Provincialem Synodum habuit, in qua Cap. 41. 42. docet iterátque : *Imagines non ad adorationem aut cultum iis deferendum in Templis proponi, sed ad ea tantùm in memoriam revocanda, quæ adorari oportet. Quòd si ad imaginem quandam populus confluat, cui homines opinionem quandam Divinitatis tribuunt, eam hoc casu inde auferendam esse*, apud Petrum Suavem lib. III. p. 267. Eodem durante Catharina Medicea Galliæ Regina die 4. Aug. A. 1561. ad Pium IV. literas dedit ἀξιομνημονεύτυς, quibus inter alia petiit, *ut imaginum usus à Deo vetitus & à B. Gregorio damnatus è loco adorationis prorsus tolleretur.* Eadem Regina die 14. Febr. 1562. Valentino & Sagiensi Episcopis, nec non Butillerio, Espencæo & Picherello Theologis præceperat, ut de ratione ineundæ cum Protestantibus concordiæ consultarent. Illi igitur inter alia hoc caput proposuerunt, *ut S. S. Trinitatis effigies è Templis tollatur: ut corona & vestes imaginibus non imponantur, ad eas vota, oblationes non fiant: in supplicationibus non circumgestentur: crucis signum non amplius colatur.* Sed & post Concilium pudere videtur iconolatriæ hujus Adversarios emunctiores. Hinc enim tot distinctiones, prætextus & fucos commenti sunt, ut iis decantandis haud sibi satisfacere possint. Imò Bellarminus *de Imag. lib. II. cap. 22. 23. &c.* concedit, si *de reipsa* agatur, imagines posse coli impropriè vel per accidens, eodem genere cultus, quo exemplar colitur. Sed *quoad modum loquendi* ad populum dici non debere, *imagines ullas adorari debere latria.* Non dicit, populo non profitendum, *non debere dulia vel hyperdulia adorari.* Ita igitur docet, aliud reipsa tenendum, aliud coram plebe profitendum.

RESP. REDING : *1. Licet Gerson aliique abusus quosdam circa imagines reformari petierint, in dogmatica tamen circa venerationem imaginum veritate consenserunt. Idque inprimis ex Concilii Moguntini Provincialis cap. 40. 41. & 42. constat. Abusus verò illos Tridentina Synodus sustulit. 2. Galliarum Regina à Pseudo Reformatore spiritu nequiter persuasa supposuit, imaginum usum à Deo vetitum esse. Sed veritatem edocta facilè errorem illum deposuit. Neque mirum, si Regina pacis amore, & fœmineo turbarum timore, aliquid indulgere Protestantibus voluisset. 3. In veritate per Concilium definita Theologi omnes consentiunt; licet circa modos cultus dissentiant. Neque Bellarminus docuit, aliud re ipsa tenendum, aliud coram plebe profitendum esse; sed tantùm illud, populo non dicendum esse, quòd imagines latria coli debeant. Neque tamen affirmat, posse sic re ipsa adorari.* Ibid. pag. 150. 151. Resp. 1. Ut liqueret nobis, an in Dogmatica veritate Cadmæi fratres vestri conveniant, quæ dogmatica illa veritas sit, ante omnia tibi definiendum fuerat. Tridentini enim nihil definiverunt, contenti generali illo cothurno, quòd oporteat *imaginibus debitum*

tum honorem & venerationem impertiri, eas osculari, coram iis procumbere, caput aperire. Sed cùm honorem illum nec duliam, nec hyperduliam, nec latriam appellet, in proclivi foret isthæc de civili duntaxat reverentia interpretari. Interea religiosam adorationem intelligi ex Concilii Nicæni decreto, consuetudine & consecrationum formulis supra probavimus. Hoc posito, nego cum sententia Jonæ Aurelianensis, ac post eum etiam Durandi, Billeti, Holkoti, Gersonis, Peresiii, Papyrii, Massoni, Masii similiúmque sententiam congruere. Hi enim imagines religiosè adorandas, & sive transitivo, sive intransitivo cultu afficiendas esse pernegant, asserúntque, imaginem nullo modo in se colendam, vel propriè adorandam esse, sed tantùm coram imagine colendum esse exemplar; & hoc solum propriè adorari juxta versus illos, quos Sabellicus *Ennead. VIII. lib.* 8. scribit venetiis in aurea æde antiquissimo opere incisa figuratos, vetusta literarum forma, ut ex Græco fuerant in Latinum conversi, sic sonantes:

Nam Deus est, quod imago docet, sed non Deus ipsa,
Hanc videas, sed mente colas quod cernis in ipsa.

Sententiæ huic astipulari Synodum Moguntinam à me citatam, vel ipsa capita probant. Nam imagines *adorandas*, *colendas*, ad illas *concurrendum*, *respectum habendum* simpliciter negat, neque alium earundem usum agnoscit, quàm ut *per eas erudiatur plebs, animi excitentur ad solum Deum adorandum, & quid adorare debeamus, per easdem recordemur.* Hanc verò sententiam ut *hæreticam* Gabriel Vasquez *in 3. part. Thomæ q.* 25 *disp.* 106. *cap.* 1. rejicit; Bellarminus *de Imag. cap.* 21. strenuè refutat; eo inter alia usus argumento, quòd Concilium Nicænum *Act.* 7. sub anathemate definiverit, imagines Christi esse venerandas. *Vult ergo*, inquit, *esse venerandas per se & propriè aliquo cultu.* Addit: *Si imago non est veneranda nisi impropriè, quia nimirum coram illa vel in illa, vel per illam adoratur exemplar, certè licebit simpliciter negare, imagines esse venerandas. Quod enim non dicitur nisi impropriè, simpliciter negari potest, ut patet. At Concilium VII. Act.* 7. *anathema dicit iis, qui negant imagines esse venerandas.* En, Redingi, vestrum *in dogmatica veritate de cultu imaginum* consensum! Non enim dissensus ille circa abusum, sed circa usum. & substantiam cultus versatur. Abusus verò circa cultum hunc quosnam Tridentini sustulerunt? Docet id Decretum *Sess. XXV.* quo sancitur, *ut omnis turpis quæstus eliminetur, omnis lascivia vitetur, ita ut procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur.* Perinde autem sic provisum est adversus idololatriam, ac si ad supprimendam fornicationem decrevissent, ut omnes Romæ meretrices ab omni procaci venustate abstineant, dentque operam, linteamina omina sint munda & candida; utque cum fratribus natu minoribus pro noctis hospitio æquiori pretio transigant; corpora sana, & à lue immunia conservent, &c. Quæ certè non scortorum abolitio, sed eorum & scortationis firmior constitutio esset. Similis planè Synodi cautio est. Exceptio firmat regulam in casibus non exceptis. Manet adoratio imaginum & prototyporum latrica conjuncta (quam præcipui, uti mox videbimus, Scholæ doctores ante Synodum defenderant) manent dedicationes, consecrationum formulæ, cerei, oblationes incensi, suffituum, luminum, incurvationes coram iis, ut objectis adorationis, circumgestationes, serta, coronæ, vestitus splendidi, Templa, delubra, aræ, feriæ, oscula, comessationes, similésque ritus Ethnici hactenus recepti. Et quàm infelici successu proscripti sint notati illi abusus, quæstus ex imaginibus, & picturarum lascivia, experientia & αὐτοψία testatur, ne dicam de querelis Theologorum vestratum, quos inter sic Molanus *de Picturis*

Picturis cap. 33. loquitur: *Ut meritò exclamet Ambrosius Catharinus: Quod verò teterrimum est omnium, hac tempestate in excelsis Templis sacellisque offendas picturas tanta lascivia, ut quicquid natura occuluit turpe nostrum, ibi liceat contemplari, ad excitandam non devotionem, sed cujusvis demortuæ carnis libidinem.* 2. Imaginum cultum in lege Dei vetitum esse, rectè Catharina supposuit. Neque fœmineus timor illam perpulit, ut à Pio IV. cultus imaginum S. Trinitatis inprimis in Lege Dei vetiti, & à Gregorio M. damnati abolitionem, non à Calvino, sed à Pontificiis Doctoribus, Saligniaco, Boutillerio, Espencæo, Picherello, Monlucio Valentiano Episcopo, teste Historia Ecclesiastica Galliæ *lib. IV.* persuasa, flagranter expeteret; sed potiùs ne sanctum institutum prosequeretur, impedivit. 3. Quæ sit *veritas illa à Concilio Tridentino definita*, dicere non habes. nisi ex Concilio Nicæno, consuetudine publica, & receptiore doctrina eam dijudicare instituis. Sic autem eorum opinionem, qui imagines ipsas venerandas negant, *in veritate à Concilio definita* neutiquam consentire, supra ostendi. Eorum verò, qui venerandas esse pertendunt, discors etiam non parum opinio est. Communis enim ante Concilium Tridentinum & complurium post illud opinio fuit, imaginem eodem honore colendam, quo ipsum exemplar: adeóque Christi & Dei imaginem *latriæ*, Mariæ *hyperduliæ*, Sanctorum *duliæ* cultu afficiendam esse. Hanc opinionem Bellarminus *de Imag. cap.* 20. tribuit Alexandro, Thomæ, Cajetano, Bonaventuræ, Marsilio, Almayno, Capreolo, Carthusiano, Henrico, aliis. Et Thomas quidem *p. 3. quæst.* 25. *art.* 3. pro cultu latriæ cruci exhibendo sic argumentatur: *Illi exhibemus cultum latriæ, in quo ponimus spem salutis. Sed in cruce Christi ponimus spem salutis. Cantat enim Ecclesia: O crux ave spes unica, hoc passionis tempore. Auge piis justitiam. Reisque dona veniam. Ergo crux Christi adoranda est adoratione latriæ.* Post Concilium Tridentinum idem vehementer contendit Gabriel Vasquez. *Decipiuntur*, sic ille *de Adorat. lib. II. Disp.* 8: 7. loquitur; *qui dicunt non adorari figuram, nec relationem, sed exemplar repræsentatum in illa. Nam non solùm exemplar, sed imago etiam, quæ ab ipso exemplari distinguitur, eodem opere adoranda est.* Et *cap.* 14. extremo: *Imago exercens actum imaginis, & in se continens exemplar, sicut corpus animam, est quoddam quasi compositum cogitatione nostra, cui tota latria defertur.* Ideo *ibid.* imaginem dicit quasi *exemplari animatam*. Habes totum ab hominis cogitatione fabrefactum, cujus pars sit lapis, pars Deus. Imò impurus Sophista per hæc usque ad adorationem cujuslibet rei inanimatæ se devolvi passus est. *Verior*, sic *lib. III. Disp. I. cap.* 2. scribit, *sententia est, res omnes inanimatas & irrationales adorari posse.* Tuetúrque se authoritate tum Cajetani, tum Leontii, qui ea de re in Concilio Nicæno II. prolixè disseruit. Caussam affert, *quòd Deus sit in rebus his secundum essentiam, & eas continua virtute sua conservet.* Approbatus est ejus de adoratione liber à Jesuitis & Inquisitione recognitus, præfixáque approbatio gemina Doctorum profitentium, omnia in isto opere contenta esse orthodoxa. Non ita pridem etiam Cardinalis Capisucchi, Apostolici Palatii Magister, *Controv. Theolog. select. art. 7. p. 639.* sic in eandem sententiam scripsit: *Vera ac tenenda sententia docet, unum eundémque cultum esse imaginum ac exemplarium, ita ut imaginum cultus alius non sit à cultu exemplarium, & eodem cultu exemplaria & imagines simul colantur. Unde imago Christi adoratur adoratione duliæ, imago Virginis adoratione hyperduliæ, aliorum Sanctorum imagines adoratione duliæ.* Hanc in sententiam præter authores à Bellarmino citatos etiam Albertum M. Richartum, Paludanum, Turrecrematam, Ferrariensem, Dominicum Soto, Raphaelem de Turre, Cabreram, Medinam, Angelum de Clavasio, & obscurioris nominis alios complures allegat. Idem tamen Car-

dinalis

dinalis, fidem temporum, non Evangeliorum, & aliam pro Roma, aliam pro Lutetia (uti quondam Cotonus) habens, Expositionem Episcopi Condomensis Bossueti, in qua hic imaginum cultum cum Durando aliisque supra citatis negat, approbare non dubitavit. Cæterùm de sententia eorum, qui imagines una cum exemplari venerandas esse vel latria, vel dulia statuunt, sic duabus propositionibus explicat. quarum prior sic *cap. 22.* sonat: *Quantum ad modum loquendi, præsertim in concione ad populum, non est dicendum, imagines ullas debere adorari latria, sed è contrario, non debere sic adorari, idque quia Concilia Nicænum II. Senonense, Moguntinum non affirment, sed simpliciter negent, imagines esse adorandas latria; & S. Patres passim dicant, imagines non esse adorandas; periculosum etiam sit ita loqui, quia qui defendunt, imagines coli latria, coguntur uti subtilissimis distinctionibus, quas vix ipsimet intelligunt, nedum populus imperitus; denique secundùm rei veritatem dici non possit, adorari latria imagines, nisi per accidens, vel impropriè; per se autem & propriè nullo modo.* Cùm ergo illa adoratio per accidens rarissimè exerceri soleat, ordinaria verò adoratio sit, quæ exhibetur imaginibus externis per se & propriè; atque id, quod simpliciter dicitur, non intelligendum sit de eo, quod per accidens, vel impropriè & aliquando rei convenit; sed de eo, quod per se & propriè & ut plurimùm convenit; concludit jam, *simpliciter loquendo non esse affirmandum, sed negandum, imagines latria adorari.* Idem *cap. 24.* quid sit cultus latriæ, sic explicat: *De essentia vera latria est, exhiberi propter se. Latria enim dicitur summus cultus, qui exhibetur vero Deo, ut primo principio omnium rerum. Implicat autem contradictionem, exhiberi summum cultum primo principio, & propter aliud. Nam si primo principio, non ergo propter aliud: si propter aliud, non primo principio. Ergo vel imagini exhibetur cultus latriæ propter se, & hæc est vera idololatria: vel non exhibetur propter se, & tum ille non est cultus veræ latriæ. Præterea vel ista latria, quæ exhibetur imagini propter aliud, est idem cultus cum eo, qui exhibetur Deo, vel alius minor. Si idem, ergo æquè colitur creatura atque ipse Deus. quæ certè idololatria est. Nam idololatria non solùm est, cum adoratur idolum relicto Deo, sed etiam cùm adoratur idolum simul cum Deo Exod. XX. Deos aureos & argenteos non facies mecum. Si est cultus minor, non ergo est latria. Nam latria est summus cultus &c. Imago ut imago opponitur exemplari, & est eo inferior. Ergo non potest coli eodem cultu, sed minori. Qui colunt imaginem Christi Divinis honoribus, inter hæreticos nominantur, ab Irenæo lib. I. cap. 24. Epiphanio hær. 27. Augustino hær. 7. & Damasceno lib. de centum hæresibus. Atqui isti cùm Christum colerent, sine dubio imaginem ejus propter ipsum colebant. Non igitur licet imagines colere Divinis honoribus, id est, cultu latriæ; etiamsi quis dicat, id se facere propter Deum, vel Christum, non propter imagines. Nam hoc ipso, quòd eas colit Divinis honoribus, convincitur eas colere propter ipsas, non propter Deum, quicquid verbis dicat.* Hæc Bellarminus verissimè, & velut ex tripode. Quid ergo jam faciet suis Divis Thomæ, Bonaventuræ, aliis ab ipso in contrariam sententiam citatis? En emplastrum! *Est*, inquit, *valde credibile, S. Thomam, Alexandrum Alensem & alios Doctores Scholasticos illius temporis non vidisse Nicænam Synodum secundam, neque Octavam Synodum generalem, neque Epistolam Hadriani Papæ primi pro defensione Synodi Nicænæ. Nam hæc omnia longo tempore latuerunt, & hoc nostro seculo primùm edita sunt.* Si Divi illi Romanenses S. Thomas, Bonaventura, & reliqui tanti Doctores, tam infelices fuerunt, ut illis Synodos illas iconolatricas videre non contigerit, an propterea non viderunt S. Literas: an rationem non æquè ac

Bellarminus, consuluerunt, ut inde cum Bellarmino discerent, quid sit de essentia latriæ; & quomodo in re tanti momenti loquendum sit? Et annon ipsa Crucifixi imago sententiam Thomæ confirmavit, quando eum sic allocuta est: *Bene de me scripsisti, Thoma?* An etiam *Ecclesia*, cujus totius sententiam hanc esse, Thomas *p. 3. quæst. 25. art. 4.* ait, Synodum Nicænam non vidit? Et si Thomas, Cajetanus, Bonaventura &c. Synodum Nicænam non viderunt; an etiam non viderunt post Concilium Tridentinum Vasquezius, Costerus, Cardinalis Capisucchius, & quos hic recentiores doctores magno numero induxit? An denique non vidit Gregorius de Valentia, qui in libris suis de rebus fidei controversis Superiorum jussu (uti præfatio habet) editis, & ab Alberto Hungero, Academiæ Ingolstadiensis Cancellario, *propter insignem ὀρθοδοξίαν in omnibus* approbatis, Christi imagines disertè vocat *idola*, & easdem a Romana Ecclesia *latria* coli, & *propriè* latriæ eadem, quo exemplar, cultu coli; *idololatriam* licitam esse, *de Idolol. lib. II. 7.* defendit? Sic fuit prior Bellarmini propositio. Posterior *cap. 23.* sic habet: *Si de re ipsa agatur, admitti potest, imagines posse coli impropriè, vel per accidens, eodem genere cultus, quo exemplar ipsum colitur.* Imò subjicit etiam *propriè* adorari posse adoratione ipsius exemplaris, sed *per accidens*, quia aliquando non consideramus solam imaginem, nec solum exemplar, *sed exemplar, ut objectivè relucet in imagine, & ipsum sic repræsentatum & quasi vestitum imagine veneramur. Tunc autem*, inquit, *necessariò adoramus imaginem eodem cultu, quo ipsum exemplar, sed per accidens. Nam qui adorat aliquem, adorat etiam omnia, quæ cum ipso conjuncta sunt. Sicut qui adorat Regem vestitum, adorat simul Regem & vestem. Sed imago concipitur eo tempore conjuncta cum exemplari, quod adoratur. Igitur etiam ipsa adoratur, per accidens tamen, quia ipsa non est suppositum, nec ratio adorationis, sed quiddam suppositum.* Ex duabus his Bellarmini propositionibus colligimus, quòd Pontificios pudeat dicere & profiteri, quod facere & sentire eosdem non pudet: quòd *re ipsa* sint idololatræ, & quidem *propriè*, quando imaginem & exemplar, ceu unum suppositum, adoratione ipsius exemplaris adorant; *impropriè* verò & *per accidens*, quando imaginem acceptam pro ipso exemplari adorant: quòd imaginis & exemplaris conjunctionem suo arbitrio, ethnico planè more, conjungant, & ex utraque unum suppositum faciant: quòd Bellarminus (quicquid Redingius eum excusare molitus fuerit) insignem funambulum religionis agat, modò negans, dicendum esse, quòd imagines colendæ sint latria: modò id ipsum de latriæ cultu etiam *propriè* confirmans; modò ab eadem opinione discessione facta, delapsus ad aliam, eámque tertiam, quam his verbis *cap. 20.* explicat: *Tertia opinio versatur in medio, estque eorum, qui dicunt, ipsas imagines in se & propriè honorari debere, sed honore minori, quàm ipsum exemplar, & proinde nullam imaginem esse adorandam cultu latriæ. Ita Martinus Peresius, Ambrosius Catharinus, Nicolaus Sanderus.* Poterat addere Lucam Tudensem Episcopum *lib. II. adv.* Albig. *c.* 21. Præstruxerat autem *cap. 21.* conclusionem primam ejusmodi: *Imagines Christi & Sanctorum venerandæ sunt non solùm per accidens, vel impropriè, sed etiam per se & propriè, ita ut ipsæ terminent venerationem, ut in se considerantur, & non solùm ut gerunt vicem exemplaris.* Probare id conatur tum ex Concilio Nicæno; tum quia, *si imago non esset veneranda nisi impropriè, quia nimirum coram illa, vel in illa, vel per illam adoratur exemplar, liceret simpliciter negare, imagines esse venerandas. Quod enim non dicitur nisi impropriè, simpliciter negari potest. At Concilium Nicænum II anathema dicit iis, qui negant, venerandas esse,* &c. *Et in ipsa imagine verè inest aliquid sacrum, similitudo, dedicatio, consecratio.* Postea *cap. 25.* quintam conclusionem sic format: *Cultus, qui per se & propriè de-*

debetur imaginibus, est cultus quidam imperfectus, qui analogicè & reductivè pertinet ad speciem ejus cultus qui debetur exemplari. Probat illam hoc argumento: *Sicut se habet imago ad suum exemplar, ita se habet cultus imaginis ad cultum exemplaris. Sed imago est ipsum exemplar analogicè, & secundum quid. Nam homo pictus est homo secundum quid & analogicè. Ergo etiam imagini debetur cultus ipsi exemplari debitus, imperfectus & analogicus.* Hanc verò sententiam Gabriel Vasquez *in 3. p. Thomæ quæst. 25. disp.* 108. ex professo & vehementer, ceu *novam, stultam* & *superstitiosam* oppugnat. Et sanè nihil unquam stolidius excogitari potuit. Nam id in sensum etiam communem incurrit. Cùm enim imago sit relativa ad rem, quæ imagine figuratur, per hanc doctrinam, qua imagini proprius cultus, sine respectu ad exemplar, deputatur, unum relatum ponitur sine altero, sic ut mens cogitet de figura; non cogitando de figurato, & de simili, non cogitando de altero simili. Sed non potuerunt non Sophistæ hi (semel mysterium inquitatis eorum pandam) ad hæc τερατολογήματα præcipites ferri. Cùm enim animadverterent, adorationem latriæ à Thoma aliisque, unam utrorumque adorationem, prototypi, & imaginis, facientibus attributam, defendi, citra idololatriæ crimen iisdem impactum, non posse, nisi *impropriam* & *accidentalem* imaginis adorationem tribuerent; viderentque, quòd si imago non est veneranda nisi impropriè *simpliciter negari possit, imagines esse venerandas*, quia, *quod non dicitur nisi impropriè, simpliciter negari potest*; (sic Bellarminus ipse loquitur) ad eas sese angustias reductos senserunt, ut vel venerationem & adorationem imaginum omnem tollerent, vel propriam aliquam venerationem iis decernerent. Et hanc Bellarminus definivit cultum *imperfectum, qui analogicè vel reductivè pertinet ad speciem ejus cultus, qui debetur exemplari.* Reducetur ergo cultus imaginis Christi ad speciem cultus, qui Christo debetur, hoc est, latriæ speciem. Quæro ergo, an hæc latria sit vera latria nec ne? Si vera est, Bellarmino ad animum revoco ea, quæ de essentia latriæ disseruit; quod videlicet vera latria sit summus cultus, qui exhibetur vero Deo, ut primo principio omnium rerum: Si non est vera latria, falsus cultus est, & nomen sine re. Tum si honor hic analogicus & reductivus est ad speciem honoris, qui exemplari debetur, uterque igitur, & exemplaris & imaginis honor unius essentiæ est, sed inæqualiter utrique inest. Hæc enim ratio est generis analogici, quod ab Aristotele *Metaph. lib. III.* 2. τὸ πρὸς ἕν, & πρὸς μίαν τὴν φύσιν, hoc est, quod respectum *ad unum; & ad unam aliquam naturam* habet; seu, uti idem *Ethic l. 6.* loquitur, τὰ ἀφ᾽ ἑνὸς *quod ab uno est.* Ita ens respectu Dei & creaturæ, substantiæ & accidentis genus analogicum est, quia Deus magis ens est, quàm creatura: substantia magis quàm accidens; utraque tamen ens sunt, & hactenus conveniunt. Si ergo honor & cultus respectu exemplaris & imaginis *analogicum* genus est, ejusdem in utroque generis & naturæ erit, licet inæqualiter participet. Quomodo verò honor Christi, qui latria est, eandem essentiam, naturam habere potest cum honore imaginis Christi, vel hic cum illo? Etenim latriæ essentia in eo consistit, ut sit summus cultus, qui exhibetur vero Deo, tanquam principio & fini rerum omnium. An ejusmodi latria, seu honor summus inæqualiter inesse: & imagini competere propriè potest citra respectum ad exemplar? Quid delirare, imò insanire est, si hoc non est? Præterea homo pictus & homo verus (sic enim Bellarminus comparat) non conveniunt genere analogico, sed merè ὁμωνύμῳ æquivoco, quia non naturam, sed nomen duntaxat commune habent. Sicut ergo se habet imago ad exemplar: sic se habet cultus imaginis ad cultum exem-

exemplaris. Atqui imago ad exemplar se habet æquivocè, non analogicè, vel reductivè. Ergo cultus etiam imaginis ad cultum exemplaris se non analogicè, reductivè, sed æquivocè duntaxat habet, adeóque nec analogicus ille, nec reductivus est. Denique honor ille proprius imaginibus competens religiosus, adeóque Divinus, in eo constituitur, quòd coram imagine homo prosternitur, ei offert oblationem suffituum & luminum in eadem consecrata, dedicataa, deóque sacra (sic Bellarminus dixit, in ea esse *sacrum quid*) fiduciam consequendæ salutis, ceu in medio salutis, ponit, &c. Quæ, aliáq; ostendunt, cultum illum re ipsa non imperfectum, analogicum, reductivum, sed perfectum & univocum esse. His aliisque rationibus moti non tantùm Vasquezius, Valentia, sed alii etiam Jesuitæ *proprium* illum & *analogicum* imaginum cultum repudiarunt. Nam Azorius *Instit. Moral. lib. IX. 6.* sic ptonuntiat: *Constans est Theologorum sententia, imaginem eodem honore & cultu coli, quo colitur id, cujus est imago. Mihi videtur unius tantùm cultus imagini debitus, idem nempe, qui debetur exemplari.* Filiucius etiam scribens de Casibus conscientiæ ad formam Cursus, qui Romæ a Jesuitis prælegi solet, *tract. 23. c. 1.* docet, *reliquias Christi, sudarium, &c. imagines coli eodem modo, quo Christus.* Cùm igitur Romanensium alii doceant, idololatriam esse adorare imagines eadem adoratione cum exemplari: alii autem, stultum, superstitiosum, novum esse, eas aliter adorare, propriúmque iis cultum impertiri, pertendant, & non adorantes imagines anathemati subjiciat Ecclesia Romana, approbando Synodum Nicænam, consequens est ex ipsorum ore, non tantùm eos in re maximi ad praxin & salutem momenti, non in *subtilitate* duntaxat aliqua *Scholastica*, (seu potiùs profunditate aliqua Sathanæ) uti Redingius cornicatur; sed etiam omnes imaginum adoratores, sive eas communi cum exemplari, sive propria adoratione venerentur, propria mutuáque confessione, adeóque αὐτοκατακρίτους vel esse idololatras, vel stultos, vel superstitiosos; si qui autem imagines adorare detrectent, & coram iis prototypa duntaxat se adorare profiteantur, eos secundum doctrinam Ecclesiæ Romanæ esse hæreticos & anathema. Unde manifestum est, usum imaginum in religioso cultu esse inextricabilem conscientiarum laqueum; & quocunque modo eas colant, necessum esse, ut vel idololatræ, vel sacrilegi, vel hæretici, vel stulti, vel superstitiosi cultores earum evadant. Labyrynthum hunc augent distinctiones Scholasticæ, quæ necessariò debent intelligi, & observari ad rectum cultum. cujusmodi Bellarminus, eúmque secutus Redingius sequentes propinavit, *latria, dulia, hyperdulia: per se, per accidens: propter se, propter aliud: propriè, impropriè: transitivè: simpliciter, secundum quid: perfectè, imperfectè: univocè, analogicè, reductivè.* Sic doctores illi pendente vestigio ingrediuntur, & juxta præcipitium turpissimæ idololatriæ, rudem plebeculam secum ducere volunt, quæ subtilibus distinctionibus gradus suos librare nescit. Quid hoc aliud est, quàm ludere cum Deo & animabus hominum? Nos verò Syllogismum ex Adversariorum confessionibus conflatum sequentem Redingio opponimus:

Si religiosè colendæ sunt imagines, colendæ sunt, vel ut coram iis exemplar adoremus; vel ut imaginem & exemplar eodem cultu sive propriè & per se, sive impropriè & per accidens adoremus: vel ut imagines proprio & analogico cultu adoremus: vel alio modo.

Atqui imagines nullo horum modorum religiosè colendæ sunt.

Ergo imagines religiosè colendæ non sunt.

Major propositio ἀναγκαῖος est. Nam omnis cultus religiosus cùm exercetur, & in praxin reducitur, certo aliquo modo exerceri debet; neque sine modo exerceri potest. Antecedens per singula membra disjuncta constat. Non enim esse co-

lendas

lendas imagines *sic, ut coram iis exemplar adoremus*, contra Durandum alióſque Bellarminus eo argumento probat, quia ſic imagines ipſæ non coluntur. quod Synodo Nicænæ repugnat, adeóque hæreticum eſt. Non ſic, *ut imaginem & exemplar eodem cultu ſive propriè & per ſe, ſive impropriè & per accidens adoremus*. Hoc enim contra Thomam aliósque Bellarminus probat eo argumento, quia ſi *propriè & per ſe* eodem cultu latriæ imago Chriſti & Chriſtus adoratur, mera hæc idololatria eſt; ſi verò *impropriè & per accidens*, licet etiam ſimpliciter negare, imagines venerandas eſſe. *Quod* enim *non dicitur niſi impropriè, ſimpliciter negari poteſt*, inquit Bellarminus. Atqui id Synodo Nicænæ contrariatur, adeóque hæreticum eſt. Denique non ſic, *ut imagines proprio & analogico cultu adoremus*. Hoc enim cum Bellarmino aliiſque dicere Jeſuitæ Vaſquez, Valentia, Azorius, Filiucius, alii *novum, ſtultum, ſuperſtitioſum* eſſe proclamant. Non ſic, ut *alio modo adorentur*, quia alium modum iconolatræ nullum hactenus prodiderunt, nec prodere poſſunt. Ergo religiosè colendæ non ſunt. ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Sancti in V. T. adorarunt Deum vel Angelos ſub viſionibus, figuris & imaginibus corporalibus ipſis apparentes, Geneſ. XVIII. 1. 2. XIX. 1. Exod. III. 2. 3. Joſ. V. 15. Daniel. X. 6. Ergo etiamnum imagines, ſeu figuras corporeas Dei & Sanctorum venerari licet.* Aug. Reding *pag.* 803. Reſp. 1. Deus ſub viſibili quandoque forma apparens, graviter tamen Deut. IV. 15. 16. prohibuit, ne ullam ſui imaginem Iſraelitæ fabricarentur. Nempe Deus potuit ſibi facere ſermonem, corpora, glorias, quibus ſingularem ſuam præſentiam teſtaretur. Non tamen propterea etiam homo Deo facere poteſt imaginem & ſtatuam, in qua ſe homini exhibeat: quemadmodum nec vocem formare poteſt, quæ Dei vox ſit. Neque etiam imago Deo facta vel Deo ſimilis eſt; vel illi organo, in quo ſe Deus manifeſtavit. Non enim ſpecies aſſumpti corporis oſtendit Deum vel loquentem, vel agentem, ſed ipſa Divina verba & verborum efficacia, operationes, aliaque gloriæ ſigna. Ita Abrahamus non vultu cognovit Jehovam ſibi apparentem, cùm tres homines videret: ſed ſermone aut Spiritus Sancti intra animum indicio. Una eſt Dei imago, animus nimirum Deum cognoſcens, & quod apud Deum immutabiliter verum eſt, & ea veritate ſe oblectans. Sed ea imago teſtatur, Deum eſſe majorem omnibus rebus & præſtantiorem, lucem habitare inacceſſam, adeóque nec videri, nec comprehendi poſſe. Species etiam corporeæ viſionis non eſſentiam Dei aut perſonas, ſed opera, externámve gloriam aliquatenus adumbrârunt; fuerúntque non ordinariæ & perpetuæ, ſed extraordinariæ, temporariæ, non palam propoſitæ, ſed huic vel illi, maximè in Spiritu oblatæ. Meritò igitur Durandus *q. 2. in diſt. 9. libri 3. Sent.* pronuntiat, *fatuum eſſe Deo facere imagines, aut eas venerari*: allegans etiam Damaſcenum, *quòd inſipientiæ ſumma & impietatis ſit figurare, quod eſt divinum*. 2. Nemo unquam Sanctorum Angelos rite adoravit. Vel enim Angelus à Sanctis religio-

religiosè adoratus Jehova fuit, uti ſemper prædicata ipſa inſinuant: vel adoratio fuit minimè religioſa, ſed merè civilis, qualis fuit illa Geneſ. XIX. 1. At Sancti qui Angelum Jehovam adorârunt, vel coram Angelis creatis humana ſpecie apparentibus ſe inclinârunt, & incurvârunt, nuſpiam tamen eorundem imagines pinxerunt religionis gratia. Imò ne id facerent, Deus in lege ſeveriſſimè interdixit. 3. Quòd ſi tamen Sancti Angelos humana ſpecie apparentes religiosè coluiſſent, non iccirco hodiéque imagines, in quibus ipſi non apparent, adeóque arbitrio pictoris effictæ, religiosè coli poſſent. 4. Imaginum Dei & Angelorum exemplar ſeu prototypon, uti quidem volunt, eſt forma corporea, in qua illi præſentiam ſuam teſtati ſunt. Cùm igitur Synodus ipſa definiat, *honorem imaginibus exhibitum referri ad prototypa, quæ illæ repræſentant*, neceſſum erit, ut Dei & Angelorum imagines honorantes & adorantes, non Deum & Angelos adorent, ſed exemplar ac prototypon imaginum illarum, formas nimirum corporeas, quas ſolas imagines repræſentant.

EXCIP. REDING: *1. Si Deus ſub viſibilibus formis apparens, ſuæ tamen imaginis fabricationem graviter prohibuit, idololatricæ igitur abominationis rea ſunt Biblia veſtra, quæ Exod. III. Deum in rubo Moſi apparentem; nec non Angeli in humana ſpecie efformati figuram à Daniele procumbente honoratam, in imagine exhibent? 2. Diſtingue ergo inter effectivam Dei præſentiam, ſub ſermonis, corporis, gloriæque à Deo fabricatorum phyſica effectione exhibitam; & objectivam, ſub effectuum ex Dei ſingulari & extraordinaria operatione promanantium, intentionali duntaxat repræſentatione conſiſtentem. Illam exhibere non poſſumus: ſed hanc poſſumus. 3. Abrahamus non faciali cognitione Jehovam ſub trium hominum figura ſibi apparentem cognovit, ſed interiore Spiritus S. lumine. neque adeò ſine imagine Dei cognovit. Nam fidei actus eſt ænigmatica quædam Dei imago. 4. Neque ſpecies corporeæ viſionis duntaxat opera & externam Dei gloriam, ſed etiam eſſentiam & perſonas Dei adumbrarunt, non quidem intuitivè & facialiter, uti in ſe ſunt, ſed abſtractivè & objectivè per aliarum ſpecierum analogiam, ſub quibus Deus adorari potuit. Et licet talium corporearum viſionum ſpecies materialiter ſpectatæ fuerint extraordinariæ & temporariæ, nec palam propoſitæ, ſed uni cuipiam in ſpiritu oblatæ: tamen ex Spiritus S ordinatione ſacris literis perpetuò veris ſunt exaratæ, adeóque formaliter, quoad myſticæ ſignificationis veritatem, ad fidem & religionis virtutem ab omnibus fidelibus exercendam ordinatæ ſunt. 5. Neque alias imagines Dei figurativas Scriptura damnat, quàm eas, quibus adſtruere aliquis conatur ſpeciem Divinitatis propriam & intuitivam, ut eſt in ſe quidditativè repræſentativam. Alia enim ratio eſt ſimilitudinis ſecundum aſſimilationem effectus ad cauſam, alia ſimilitudinis per repræſentationem Divinæ eſſentiæ, quatenus eſt in ſe. 6. Angelos certè nemo Sanctus adoravit latreuticè. Cùm tamen Deum ſub ænigmatica figura, vel per Angelum in humana forma apparentem, catenus Sancti Prophetæ venerati ſint, ut ſub tali repræſentatione ipſum Deum adorarint; cur non fas ſit Deum ſub ſimilibus imaginibus adorare? 7. Fateris ipſe, Sanctos coram Angelis creatis humana ſpecie apparentibus ſe incurvaſſe. Ergo & nobis citra ullam idololatriam fas eſt nos coram imaginibus eorum incurvare, quia non alia nobis intentio eſt, quàm coram imaginibus il-*

lis Angelos adorare. 8. *Formæ illæ corporeæ sunt prototypa tantùm instrumentaria & secundaria, in quibus adoratio non sistit, sed in Deum & Sanctos, ceu primaria & principalia prototypa reducitur.* Ibid. pag. 151- 154. Resp. 1. Idololatria est, non historiam aliquam pingere, sed imaginem colere, adorare. Hoc autem non fecerunt, qui in Bibliis nostris olim historias pictas narrationibus conjunxerunt. Quanquam nullam ibi Dei picturam, nedum similem aliquam impiis vestris S. S. Triados, (qualem in Bibliorum vulgatæ editionis à Sixto. V. Clemente VIII. editorum fronte, sicut Judæ peccatum stylo ferreo, ad perpetuam rei memoriam vos sculpsistis) vel Dei Patris Papali veste induti, & mitra Pontificali redimiti picturas, reperire est. Nam Exod. III. 2. 3. &c. rubi quidem, in qua Jehova apparuit, pictura repræsentatur: at Jehovæ in rubo apparentis imago, similitudo nulla. Aliud autem est rubus, aliud Deus in rubo apparens. Quoad picturas Angelorum & hominum, possum tuam cavillationem retundere ea ratione, qua Ambrosius Catharinus *lib de cultu imaginum* excusaturus picturas Trinitatis in Ecclesia Romana receptas, Damasceni (tanti aliàs iconolatræ, ut *Orat. 3. de imag.* laudaverit fœdam illam Abbatis Theodori Æliotæ doctrinam, sub prætextu adorandi Christum & sanctam Deiparam docentis, *melius alicui esse, nullum omittere in civitate scortum, ad quod non ingrediatur, quàm ut recuset adorare imaginem Christi & B. Virginis*) illud dictum, *Orthod. Fid. lib. IV.* 17 extans, *quòd summæ insipientiæ & impietatis esset, Deum figurare*, elisit, sic respondens: *Hoc verum est, quando ex ea opera aliquid erroris veniret, non autem, si potiùs aliqua notitia, & devotio & excitatio.* Quàm bene ille picturas Trinitatis in Papatu receptas sic defenderit, non dico. Hoc autem dico, ex picturis Bibliorum nostrorum nihil *erroris*, nedum idololatriæ venisse, sed illas ad *notitiam* duntaxat comparatas fuisse. Idem Catharinus nullam videns satis speciosam cavillationem, qua sensus Pontificius Damasceno aliisque Patribus, imagines Dei in cultu abominantibus, affingatur, subjungit: *Non me latet, aliquos Doctores hoc non probasse.* Neque me latet, aliquos Doctores nostros picturas illas Biblicas, non equidem Dei, quæ simpliciter vetitæ sunt, sed Angelorum, hominum, animalium &c. non probasse, non quòd errorem iis inesse putarent, sed quòd cavillandi ansam vobis præcidendam esse judicarent. Ideo picturas in recentioribus editionibus consultò omiserunt, ut jam, quod traducat Redingius, ampliùs non habeat. 2. Imaginem Dei non esse ullam similitudinem *objectivam, in intentionali duntaxat repræsentatione consistentem*; sed *effectivam* duntaxat, *in sermonis, corporis &c. effectione* (tuis enim vocibus uti cogor) consistentem, vel inde constat, quòd Deus imaginem suam effecturus, creavit hominem vivum, loquentem, sapientem, sanctum, & quidem *ad imaginem & similitudinem suam*. Aliam imaginem & similitudinem Scriptura ignorat: imò quamcunque ab homine sibi statui, Deus ipse prohibuit. Neque illam ergo, neque hanc Deo ponere nos possumus. Non illam, quia in ea non consistit similitudo vel imago Dei, uti probat nostra ratio. Neque etiam Deus in specie ulla, in qua apparuit, ita semet ipsum declaravit, ut formam aut figuram sui propriam nobis notam fecerit, ita ut nullam formam exprimere possimus, quæ propriè & per se intelligi possit esse Dei, non creaturæ. Ne quidem ullius speciei, in qua Deus visus est, accurata descriptio uspiam extat. Non hæc, quia solus Deus eam facere poterat. 3. An Abrahamus in tribus viris sibi apparentibus Trinitatem suspexerit, non admodum liquet. Sed fac, liquere. Certè non vultu Jehovam sibi apparentem, sed sermone vel Spiritus S. indicio cognovit, adeóque per *imaginem Dei*, sed vivam illam, rationalem, non mortuam, nedum intentionalem duntaxat.

taxat. Non ergo formæ, in quibus Deus Abrahamo apparuit, fuerunt imago & similitudo. Et quantò minùs formæ illæ intentionales, quæ viros illos tres repræsentant, sunt imagines & similitudines? 4. Falsissimum est, quòd species corporeæ visionis veterum essentiam Dei adumbrarint. Quomodo enim essentia Dei, res infinita, adumbrari potest per speciem corpoream finitam? Quantò rectiùs Johannes Hesselius vester in Catechismo docet, Deum in specie humana sedentem Danieli, Johanni &c. apparuisse in visione, sed *non tam ad significandam personam Dei Patris ipsam, quàm ejus operationem, nempe judicium, quo cuncta gubernat.* Sic apparuisse eis, ut non tam propriè Deus visus dicatur, quàm aliquid aliud, ejus opus designans: quemadmodum Spiritus S. in specie columbæ apparuit, non tam ad suam substantiam & personam repræsentandam, quàm ad designandum certum effectum, ut quòd homines efficiat simplices sicut columbas, moréque columbarum ingemiscentes. Corda Apostolorum ipse incendit, ut omnium gentium linguis gloriam Christi per totum mundum annuntiarent. Licet autem periculum non sit, ne rudes opinentur, Spiritum S. esse columbam, vel linguas igneas: sicut nec Judæis periculum erat, ne putarent, vocem, quam audiverunt in monte Sinai, aut ignem & fumum, quem videbant, esse Deum, *ex imaginibus tamen,* inquit, *quibus Pater aut Spiritus S. effigiatur in humana specie, facilè in errorem Anthropomorphitarum, qui putant Deum secundum Divinitatem habere corpus & humanam effigiem, esséque circumscriptum, incidere possunt. propter quos potissimùm imagines ponuntur. Rudibus enim non tam facilè imagines videntur metaphoricæ, quàm spiritualibus viris visiones.* Potuit Deus tales oculis Sanctorum objiciens visiones, ab eorum mentibus omnem erroris & falsæ opinionis abusum arcere. quod non possunt, qui tales imagines omnium oculis objiciunt. Et talia fuerunt Divinæ præsentiæ signa, quibus ipsum Dei verbum instruens & docens fuit conjunctum, quæ nullius artificis manus imitari potest. Cúmque ad exiguum momentum apparuerint, neque adeò figuræ manentes & constantes fuerint, idololatriæ periculum nullum fuit. At vestræ manentes, & constantes sunt. Sunt equidem apparitiones (non apparitionum picturæ) in sacras literas relatæ, atque in iis manebunt usque ad finem mundi. Sed S. literis consignatas esse, ut imagines & similitudines Dei apparentis manentes ac durabiles sculpendo vel pingendo *fides & virtus religionis exerceatur,* crassum & ἀνήγραφον Redingii commentum est. Non enim fides & religio exercentur, cùm gravissimum Dei interdictum de non facienda, nedum adoranda Dei similitudine impiè violatur. Neque actiones Dei in verbo ejus descriptæ sunt regula religionis & actionum nostrarum, sed Dei lex. Insanorum est Deum imitari, sed imitando violare ejusdem mandatum. Veluti si quis legem Dei contemnens, ejusdem fulgura & tonitrua imitanda susciperet. 5. Omnes Dei similitudines in lege Dei prohibitas esse, non chimæricam duntaxat illam, qua (quod nemo unquam fecit, nemo facere aggressus est) species Divinitatis *propria & intuitiva, ut est in se quidditativè* (uti ineptissimè barbarus noster. quid enim est *species Divinitatis intuitiva?*) repræsentatur; supra *Arg. I.* demonstravimus. Frustra ergo *similitudinem secundum assimilationem effectus ad causam,* ceu lege Divina non prohibitam, jactas. Enimverò quæ tandem potest esse similitudo, quæ assimilatio, analogia inter Deum infinitum, spiritualem, invisibilem, æternum, & inter stipitem dedolatum, mutum, immobilem, qui cariem concipit, cui pileus capiti continuus est, cujus capút, si fors tulit, aviculæ concacant? Noluit Alexander pingi nisi ab Apelle, non fingi nisi à Lysippo. Quantò minùs tulisset se à quolibet artifice pingi forma muris aut ranæ? Cùm tamen Regem inter & murem sit aliqua proportio, nec infinita distantia. At inter, non dico murem, sed summum

mum Angelum & Deum nulla est proportio, quia finitum inter & infinitum distantia infinita est. Testes advoco ipsos adversarios, quæ tandem post visam Dei imaginem lapideam possit esse imperitorum de Deo cogitatio? Quis visa senis imagine inde discet, Deum non senescere? Quis viso sene patre, & crucifixo juvene, poterit per hæc in animum inducere, Filium esse coæternum Patri? An viso sene involuto vesti Papali, poterit inde discere, Deum nulla re includi, sed omnia implere? An ex contemplatione Patris senis, Filii crucifixi, & columbæ de barba Patris pendulæ discet, has tres esse personas & unam essentiam? cùm columba non sit persona, nec columba cum homine possit esse una eadémque substantia? Tales scilicet sunt libri idiotarum, non qui idiotas erudiunt, sed qui eorum ignorantiam alunt, stuporem augent, verissimi doctores mendaciorum, Habac. II.18. Jerem. X.14. Hinc adeò ipsa Synodus Nicæna II. idololatriæ propugnatrix licet, imagines Dei non obscurè damnat. Act. 5. ubi citatur Johannes Thessalonicensis sic loquens: *Quæ posset esse Dei similitudo? aut quæ figura Dei incorporei & non effigiabilis verbi Patris?* Et *Act. 4. & 6. dicitur, Christum rectè pingi, quia est homo, Deum autem pingi non posse.* Quin & Baronius *ad A. 726.* habet prolixam epistolam Gregorii II. Papæ, in qua damnantur Dei Patris imagines. *Cur tandem,* inquit Papa, *Patrem Domini nostri Jesu Christi non oculis subjicimus & pingimus?* Respondet idem Papa: *Quoniam quis sit, non novimus; Deique natura spectanti proponi non potest.* Quæ verba Baronius, Papa illo sapientior, obelo marginali confodit, admonens, id quidem illo ævo ita fuisse, at nunc Ecclesiam aliter docere, & Dei imagines pingere & fingere. Denique tanta hic veritatis evidentia est, ut viri inter Pontificios non infimæ notæ, Durandus, Martinus de Ayala, Abulensis, Henricus, Peresius negent, fas esse Dei ullam imaginem fingere, teste Gabriele Vasquez *lib. II de adorat. imag. Disp. 3. cap. 3.* ubi etiam censens, licere fingere Dei & S. Trinitatis imagines, dicit tamen, *rem non adeò esse certam, ut tanquam dogma fidei sit amplectenda.* Et Bellarminus *de Imag. cap. 8.* *Non est,* inquit, *tam certum in Ecclesia, an faciendæ sint Imagines Dei & Trinitatis, quàm Christi & Sanctorum. Hoc enim confitentur omnes Catholici, & ad fidem pertinet: illud est in opinione.* Quomodo verò sit in opinione Pontificia, quod non obscurè Synodus Tridentina approbavit, id unum *Sess. XXV.* præcavens, *ut doceatur populus, non propterea Divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit?* Perplexa sententia, *Non exprimi Deum figuris, quasi possit figuris exprimi.* Hoc tamen sibi vult, *Divinitatem figurari posse,* non perfectè, sed imperfectè & metaphoricè, uti Bellarminus, & ex eo Redingius. Ubi obiter Concilii Nicæni II & Tridentini circa hanc rem dissensus insignis notari meretur. 6. Fateor Sanctum neminem Angelum quenquam latreuticè adorasse. Nam religiosè Angeli à Sanctis nunquam adorati sunt. Ergo nec latreuticè. Neque sequitur, Deum in imagine adorari posse, quia cum Sancti sub ænigmatica figura apparentem adorarunt; quia ipsi illi Sancti, qui Deum apparentem adorarunt, apparentis formæ imaginem nullam fecerunt, imò similitudinem Dei nullam viderunt, atque ideo similitudinem ei facere prohibiti sunt, nedum imaginem Dei ullam adorarunt. Nec malè *ænigmaticam figuram*, in qua Deus apparuit, appellas. Nam illa Ecclesiæ ænigma est, quia qualis fuerit, ignorat. Quomodo ergo illam pingit? 7. Ex incurvatione non religiosa Sanctorum coram Angelis, incurvationem religiosam coram eorundem imaginibus, qua consequentia colligis? Irrationali planè. Ain verò, *intentionem vestram non aliam esse, quàm ut coram imaginibus Angelos adoretis?* Atqui hanc Durandi, aliorúmque sententiam, Concilio Nicæno II. repugnare, adeóque hæreticam esse, Bellarminus non dissimulavit. Si enim coram imaginibus Angelos adoratis, ipsas ima-

gines non adoratis. Atqui adorandas esse, Nicæni definiverunt. Tam bene sibi Redingius constat. 8 Imaginis Dei prototypon immediatum & unicum est forma corporea, in qua Deus præsentiam suam testatus est. Illud enim prototypon est, quod imago repræsentat. Atqui illa non Deum, sed formam, in qua Deus apparuit, repræsentat. Neque enim, uti Durandus etiam arguit, Deus formam illam corporalem assumpsit; adeóque illa Deum repræsentare non potest. Ergo forma illa corporalis prototypon est; adeóque Dei imaginem adorantes non Deum, sed formam, in qua apparuit (sive illa prototypon instrumentale, sive principale est,) adoratis.

OBIECT. II. *Deus ipse Mosi præcepit, ut faceret duos Cherubim aureos, qui utrumque latus propitiatorii tegerent, Exod. XXV. 18. 22. Et Moses jubente Domino, fecit serpentem æneum, & posuit eum pro signo, ut aspicientes eum sanarentur, Num. XXI. 9. Et Cherubini quidem & arca repræsentabant Deum: æneus serpens Christum futurum. Utrique reverentia & honos debebatur, uti liquet ex Jos. VII. 6. 1. Sam. VI. 19. 2. Sam. IX. 7. Ergo hodiéque imagines Dei, Christi, Sanctorum religiosè venerandæ sunt.* Idem pag. 704. 705. Resp. 1. A Cherubinis & serpente æneo ad imagines concludi non potest, quia illæ non erant imagines. Quid enim Cherubini repræsentârunt? Angelos repræsentâsse divinant nonnulli, sine fundamento tamen, certè nulla necessitate. Serpens quoque æneus non imago propriè, sed typus futuri Christi fuit. Typos porro & symbola futurarum rerum, nec non externa Templi ornamenta, Deus salvo præcepto imagines prohibente constituere potuit. 2. Neque etiam vel Cherubini, vel serpens æneus adorati sunt, fatente ipso Vasquezio. Non *Cherubini*, quia fuerunt extra conspectum populi supra arcam in Sancto Sanctorum. Neque si arca à quoquam adorata fuisset, quod tamen factum est à nemine, etiam Cherubinos adoratos esse constaret. Aliâs etiam aurum, quod super arcam erat, adoratum fuisset: & Papistæ quoque vestes, imò aliquando etiam muscas imaginibus insidentes adorare deberent. Veteres facie ad Orientem versa orabant, neque tamen ipsum Orientem adorârunt. Non *serpens æneus*, tum quia, ut arguit ipse Vasquez, *tantùm propositus fuit populo aspiciendus; simplex autem ille aspectus, etiam gratia recipiendi sanitatem non fuit submissionis, adeóque nec adorationis nota:* tum quia cùm adorari cœpit, ab Ezechia Rege dejectus & contritus est, 2. Reg. XVIII. 4. Sanati igitur Israelitæ fuerunt non religioso serpentis cultu, sed ejusdem tanquam typi Christi aspectu secundum Dei voluntatem facto. Neque obstat, quòd in sublimi loco positus fuit. Postulabat id ratio typi. Tum etiam Sol & astra sublimi loco consistunt: ambo etiam latrones cum Christo crucifixi. Neutri tamen propter ea adorandi.

EXCIP. REDING.: 1. *Prætermittis argumentum ab arcæ veneratione petitum. Etenim contumeliam arcæ illatam Deus sibi illatam interpretatus est. 1. Sam. VII. 19. & 2. Sam. VI. 7.*

Ergo

Ergo honor ei delatus pariter redundavit in honorem Dei. Et contumelia verò & honor ille fundatur in repræsentatione, adeóque in ratione imaginis. 2. *Cherubinos esse Angelos cælestes, multiplex S. Scripturæ authoritas firmat.* 3. *Cùm fatearis, serpentem æneum Christi futuri typum extitisse, quæro, an typus sit intelligibilis absque formalitate imaginis propria, ut sic in Christi venturi repræsentatione consistente? An illa futuri Christi repræsentatio non potuerit excitare fidem in futurum Christum, ejúsque religiosam professionem? Annon ista religiosa professio fuerit cultus religiosus strictè dictus? Annon ille typus paris cum imagine repræsentationis instrumentum fuerit, & religiosum cultum in Christum reduxerit? An hac instrumenti in religiosum Christi cultum ductrix ratio non præstet rebus profanis, non quidem absolutè, sed relatè & symbolicè? Annon hæc relativa præeminentia sic terminare possit fidei & religionis sub ejus respectu erga Christum exhibitam professionem, ut hæc tamen in ipsum Christum reducatur? En igitur, nisi ludere velis in nominibus, typi & imaginis similem rationem. Frustra ergo conaris elidere vim argumenti nostri ex Vasquezio, quòd Cherubini & serpens adorati non fuerint.* 4. *Illa veterum Deum adorantium conversio ad Orientem religiosa repræsentatione non caruit. Ergo nec imagines carent.* 5. *Serpentis ænei adoratio sic erat abominabilis, ut ejus tamen aspectus religiosi cultus in Deum relati contestationem præ se tulerit. Cúmque fatearis, Israelitas sanatos esse aspectu serpentis, tanquam typi Christi, quomodo aspectus ille ex fide proveniens non fuit religiosus, & cum religiosa veneratione conjunctus?* Ibid. pag. 154. 155. Resp. Quàm feliciter disputet Redingius, vel unicam responsionum hoc specimen fidem faciet. Tam enim insulsum & perversum illud est, ut vel sic causam suam deploratam manifestè prodiderit. 1. Quæritur de adoratione imaginum. Quid ad hanc arca, quæ imago non fuit: adorata non fuit? Instrumentum fuit cultus, fateor, atque ideo reverenter habenda, non profananda. Inde profanatio ejus cessit in contumeliam Dei; & honor ac reverentia ejusdem in honorem Dei. Sed non ideo honor & reverentia ei debita fuit religiosæ adorationis. Quis enim unquam pius arcam adoravit? Coram arca adorari potuit Jehova inter Cherubinos habitans. Incurvare se Israelitæ debuerunt להדום רגלין *scabello pedum Dei*, vel *ad arcam*, Psal. XCIX. 5. non ut ullo modo adorarent arcam, sed ut adorarent Deum in arca typicè habitantem. Aliâs tota terra est scabellum pedum Dei. An iccirco adoranda? Atqui vos non coram imaginibus adoratis Deum, sed imagines ipsas adoratis, ita sanciente Nicæno Concilio. Honor ergo arcæ debitus non religiosæ adorationis, sed reverentis usus fuit. 2. Cur *multiplicem illam Scripturæ authoritatem*, probantem scilicet, quòd Cherubini supra arcam depicti Angeli fuerint, non produxisti? Scio Genes. III. 24. per Cherubinos à nonnullis Angelos intelligi. Sed semper Angelos intelligi, falsissimum est. Rabbini, quorum ea lingua est, dicunt כרוב esse כולל לכל צורה *generale* nomen *cujuslibet effigiei*: in lege tamen *specialiter* esse *figuram hominis*. Ita Kimchi in Radicibus, Abenezra, alii. Ex Ezech. I. 10. X. 14. XLI. 18. 19 constat, Cherubinos ex quatuor animalibus in unum conflatis, ita ut pedes essent vitulini, manus humanæ, corpus item; facies quatuor, leonis, bovis, aquilæ, hominis, alæ aquilinæ insuper, compositos fuisse. Et tales fuisse supra arcam probabile est. Forte etiam tota figura denominatur ab uno animali, bove. Nam radix כרב apud Syros & Arabes relicta & usitata *arare* notat, ut כרוב possit esse *bos arator*. Sed de hoc quicquid sit, Cherubini supra arcam fuerunt ornamenta & emblemata Ecclesiæ. Sicut enim Jehova dicebatur habitare inter Cherubinos: ita habitat in Ecclesia, quæ domus Dei viventis est: & debuit Christus *σκηνῶν ἐν ἡμῖν habitare inter nos*, Joh. I. 14. Quæ *σκήνωσις* & *ἐνοίκησις habitatio*

bitatio Christi *in nobis* ceu domo, Templo suo, Levit XXVI.12 promissa est: *Ego ponam tabernaculum in medio vestri, & animus meus vos non fastidiet. Ego ambulabo inter vos, & ero vobis in Deum, vosque eritis populus meus.* Possúntque animalium formæ symbola constitui virtutum, quibus sanctificati & fideles præditi esse debent, velut figura *hominis* sapientiæ, *bovis* tolerantiæ, *leonis* fortitudinis, *aquilæ* contentionis in sublime, & odoratus atque appetitionis cadaveris. Ecclesiæ verò, non Angelorum isthoc emblema fuisse, etiam ex Apoc. V. 8.9.10 colligitur. Quanquam autem non supra solam arcam, sed ubique in Templo ejusmodi figuræ visæ sunt, tamen homines, se versus solam arcam, ubi gloria Dei residebat, incurvarunt; neque tamen sic vel arcam adorarunt, vel Cherubinos. Non arcam, quia non illam, sed coram illa adorarunt Jehovam. Ita qui se versus Cœlum incurvat, ut adoret Deum in Cœlo se manifestantem, is Cœlum non adorat, sed Deum in Cœlo se manifestantem. Non *Cherubinos*, quia illi non fuerunt gloria Dei in arca, sed propitiatorii tegumenta. Honor etiam juxta vos æstimari debet ex intellectu, cùm concipitur ejus, quod honoratur, excellentia. Itaque ubi nullus est ejus intellectus, aut captus, aut motus in rem aliquam, ibi nec honor seu adoratio. Unde verò, Redingi, Judæos accedentes ad arcam adorandi gratia, de ipsis Cherubinis adorandis cogitasse probas? Præterea necesse etiam est transigas cum Vasquezio tuo, qui *in 3. Thomæ Disp.104 cap.6.* adversus Bedam, à Cherubinis probantem, quòd lege Mosis usus imaginum non fuerit prohibitus, disputans, disertè asserit & probat, *quòd nec Cherubinis, nec aliis figuris in Templo factis cultus aliquis delatus fuerit.* Si Judæi hodiéque fabricarentur Templum, omnésque partes Templi, uti olim fuerunt, ibíque ita, uti in V.T. factum, adorarent, nihil aliud id foret, quàm cultus Molochi, Act. VIII.43. Quomodo igitur Pontificii se excusare possunt, quando hoc aliis in locis faciunt, quod Judæis illicitum est facere eo loco, quo ante factum fuit? Neque enim vel Papa vel Episcopi Deo solium ac Sedem, ad quam venire debeat, ut ibi adoretur, facere, vel Deo consilium dare, eíque præscribere possunt. Quid hoc aliud esset, quàm Majestatem & sapientiam Dei cogitationibus hominum assimilare, quod in gentilibus idololatris Apostolus Act. XVII. 29. damnavit? 3. Cherubini & Serpens æneus imagines non erant, Redingi, non erant. Nihil enim repræsentabant sua exteriori forma, suísque lineamentis. Si serpens æneus imago fuit, naturalis serpentis imago fuit, cujus solius formam habuit. Ergo Judæi adorassent serpentes. Nam unus idémque motus est in imaginem & archetypum. Neque verò quicquid significat, & quocunque modo repræsentat, imago est, quo nos nunc sensu disputamus. Nam metaphoricas imagines nihil moror. Alias omnes figuræ & typi V.T. imagines fuissent; & omnes illæ, si Papæ & Nicæni Concilii Theologia valet, adorandæ fuissent. Si imagines propriè dictas adorare lex Divina vetuit: quantò minùs adorandæ fuerunt impropriæ, metaphoricæ, puta figuræ, typi hieroglyphici, emblemata, symbola, ornamenta? Acutæ verò illæ, vel pædagogicæ potiùs quæstiones tuæ quibus lectorem te fascinare posse confidis, quò tandem exeunt? In fumum. Non aliud enim concludunt, quàm *quòd Serpens æneus habuerit relativam præeminentiam, quæ sic terminare potuerit fidei & religionis sub ejus respectu erga Christum exhibitam professionem, ut hæc in ipsum Christum reduceretur.* An verò relationem habere ad Christum, ducere ad professionem Christi, instrumentum sacrum esse fidei in Christum, idem est, ac esse imaginem religiosè colendam, adorandam? Si ita est, cur Israelitæ non omnes typos adorarunt? Cur adorantes serpentem æneum idololatriæ reos se fecerunt, & propterea ipse serpens æneus confractus est? Ad hoc cur pisce ipso magis mutus es? Meditanda tibi fuerant illa Agobardi, Lugdunensis Episcopi, qui decimo seculo floruit, verba

libera

libro de *picturis & imaginibus* prodita. *Ex quibus*, sic ille post adducta Augustini verba loquitur, *manifestè colligitur, quia, si serpentem æneum, quem Deus fieri præcepit, quoniam errans populus tanquam idolum colere cœpit, Ezechias religiosus Rex cum magna religionis laude contrivit, multò religiosiùs Sanctorum imagines omni genere conterendæ, & usque ad pulverem sunt eradendæ, præsertim cùm non illas Deus fieri jusserit, sed humanus sensus excitaverit.* 4. Par fallacia est argumenti tui de conversione veterum adorantium ad Orientem. Quis enim sanus vel Sanctus Orientem adoravit, quia conversio ejusmodi cum repræsentatione quadam conjuncta fuit? 5. Aspectus Serpentis ænei non aliud fuit quàm aspectus typi, Christum scilicet crucifigendum præfigurantis. *Ex Scriptura solùm constat,* sic ipse Gabriel Vasquez. *Disp. 94. cap. 5.* argutatur, *propositum fuisse populo aspiciendum. Cùmque simplex ille aspectus, etiam gratia recipiendi sanitatem, non videatur esse aliqua submissionis nota, non erit dicenda adoratio. Nullus verò alius cultus jussu Dei ei exhibebatur. Signum ergo est, illum nunquam fuisse adoratum.* Licet ergo Israelitæ aspectu serpentis, seu symboli Divinitus ordinati, sanati sunt, non ideo tamen *religiosa veneratione*, hoc est, adoratione symbolum ipsum prosequendum fuit. Non enim omnia, quæ salutem corpoream quocunque modo adferunt, adorari debent.

OBIECT. III. *Nomini Dei debetur honor & reverentia Exod. XX. 7. Phil. II. 15. quia nimirum eo repræsentatur ipse Deus. Ergo etiam in imaginibus Deum repræsentantibus.* Idem *p. 805.* Resp. Frivola argumentatio! Vel enim nomen Dei de Syllabis & literis, vel de re significata intelligis. Si priùs, ineptè loca allegata de literis & Syllabis interpretaris. Religiosum cultum iis tribuere, magiam saperet. Si de re significata, quid hoc ad rem? Ita Levit. XXIV. 6. interficiendus dicitur נקב שם יהוה *exprimens, execrans nomen Jehovæ*, hoc est, Jehovam, ejusque Majestatem & gloriam. Nomen Dei inter creaturas est id, quod de Deo cognoscitur, vel Deo docente aut revelante creditur. Unde Hebræi ipsum Deum שם *Nomen* nuncupant.

Excip. Reding: *Literæ & syllabæ sic subeunt vicem materiæ, ut formale ejusdem sit significatio, ad quam res significata sese terminativè habet. Nomen ergo respectu formalis hujus, seu significationis capax est relativi in ipsum Deum transeuntis religiosi cultus. Ita blasphemum judicares eum, qui Biblia Tigurina contumelia afficeret.* Ibid. pag. 156. Resp. Quid verò id omne ad Andromacham? An enim litera tetragrammati ob formam, seu significationem Dei Altissimi, adoranda eo modo est, quo vos imagines adoratis? An quicquid contumelia affici sine Dei contumelia nequit, adorandum est? Repeto ergo, aliud esse adorationem, aliud reverentem rei usum. Vestri proin, qui Biblia Tigurina flammis piacularibus aliquando furibundi ustularunt, æquè ἔκδικον Dei ὄμμα experientur, atque qui adorant imagines ab hominibus inventas, quæ nullam ad Deum relationem nisi fictitiam habent.

OBIECT. IV. *Scriptura docet, creaturas quasdam religiosè adorari propter solam relationem ad Deum. Ita Psal. XCIX. 5. jubet adorare scabellum pedum ejus. Ergo propter similem relationem ad Deum etiam imagines adorari debent.* Resp. 1. Si religiosè colenda sunt, quæ ad Deum relationem habent, non igitur imagines

Sancto-

Sanctorum, utpote quæ relationem ad creaturas, non ad Deum habent. 2. Imagines ad Deum habere similem relationem, quam habet Cœlum, terra, arca, templum negamus. Haberent eam vel ex natura, vel ex institutione Divina. Non ex *natura*, quia nullam naturalem cum Deo connexionem habent. Non ex *institutione Divina*, quia Deus imagines nuspiam instituit, sed potiùs interdixit. 3. Dicit David Psal. XCIX. 5. השתחוו להדום רגליו προσκυνεῖτε τῷ ὑποποδίῳ τῶν ποδῶν αὐτοῦ, *Incurvate vos scabello pedum ejus*, vel, rectiùs, *adorate ad scabellum pedum ejus*, hoc est, להר קדשו *ad montem sanctitatis ejus*, v. 9. Templum videlicet, in quo Deus se revelabat, & in quo erat arca. Locus publicæ adorationis, non objectum designatur. Quomodo etiam Paraphrastes Chaldæus reddit: *Adorate in domo Sanctuarii ejus.* Et Psal. CXXXII. 7. Græci eadem verba reddunt: προσκυνήσομεν εἰς τὸν τόπον &c. *Adorabimus ad locum, in quo steterunt pedes ejus.* Regerit Adversarius pag. 748. unum idémque esse, *prosternere se ad scabellum, & adorare scabellum.* Quo verò id argumento probat? Nullo. Αὐτὸς ἔφα. Ita igitur etiam Psal. V. 8. David se incurvans Templo, Templum adoraverit. Deinde objicit, arcæ utique competiisse reverentiam. Fateor. Sed non propriè religiosam. Neque eadem ratio imaginum, quæ arcæ. Illæ sunt ex institutione & libidine hominum. Hæc ex Divina institutione fuit. 3. Augustinus, Hieronymus, Lombardus, alii intelligunt per scabellum pedum Dei, humanitatem Christi. Rectè, si de ἀντιτύπῳ. Caro enim Christi Templo typico præfigurata fuit. Proin hodiéque adoramus ad scabellum pedum Dei, quando Christum, in quo est plenitudo Deitatis corporaliter, in quo habitat & invenitur Deus, adoramus.

EXCIP. REDING: 1. *Sancti sub formalissima cultus, participatæ eorum sanctitati respondente ratione, ad Deum relationem habent. Ergo etiam imagines ad Sanctos relatæ. Atqui etiam rerum inanimatarum ejusmodi relatio religiosi cultus fundamentum est.* 2. *Cum fatearis, Cœlum, terram, arcam, Templum sive ex natura sua, sive ex institutione Divina habere relationem ejusmodi ad Deum, quæ fundamentum esse possit reverentiæ iisdem impertiendæ: idem de imaginibus fatearis oportet. Licet enim imagines quoad materialem suam exarationem ex humana arte & inventione prodeant, tamen quoad repræsentationis formalitatem non humanæ duntaxat institutionis, sed Divinæ etiam exemplationis, sua Deitatis mysteria sub figuris corporeis subinde exhibentis, formam præferunt.* 3. *Psal. XCIX. 5. conveniunt lectiones: Incurvate vos scabello, & ad scabellum. Prior autem lectio dilucidè infert incurvationem, adeóque venerationem scabello debitam. Illa verò incurvatio mediante scabello devolvi, transire & referri debuit in Deum. Redditur enim incurvationis ratio, quia scabellum isthoc sanctum sit.* Ibid. pag. 156. 157. Resp. 1. Sancti ad Deum relationem habent ob participatam sanctitatem, cujus ille author est, & ad quam refertur. Hanc verò invocationis & religiosi cultus fundamentum nullum esse, supra fusè ostendimus. Imagines porro, utpote prohibitæ, ad Deum & Sanctos non aliam relationem habent,

quàm

quàm quòd per illas blaſphemantur & contumelia afficiuntur. 2. Non idem de imaginibus Dei ac Sanctorum,& Cœlo,terra, arca,Templo judicium eſt. In Cœlo Deus habitat: terra ſcabellum pedum ejus eſt: in arca & Templo typicè etiam Deus olim habitavit. cuncta ſic volente,inſtituente Deo ipſo.In imaginibus nec Deus,nec Sancti habitant: neque vobis fas eſt,veſtro arbitrio Deum vel Sanctos ad eas adducere. Imò eas cultus & religioſæ repræſentationis ac adorationis gratia facere Deus prohibuit. Quomodo ergo eaſdem inſtituit? 3, Non conveniunt lectiones: *Incurvate vos ſcabello*; & *incurvate vos ad ſcabellum* Illa enim ambigua eſt,quia *ſe incurvare ſcabello* & objectum & locum incurvationis ſeu adorationis notare poteſt: hæc verò unum ſenſum habet,& locum,non objectum incurvationis definitè notat. Poſteriorem autem lectionem genuinam eſſe,probat tum analogia fidei,quæ vetat ſe religioſè incurvare ulli rei,quæ in Cœlo,terra & aquis eſt,Exod.XX. 5. 6. tum ſimilis locutio eodem Pſalmo v.9.השתחוו להר קדשו *Incurvate vos monti Sanctitatis ejus*,id eſt,*ad montem Sanctitatis ejus*.Nam mons Sanctitatis non erat objectum,ſed locus adorationis.Ideo LXX.reddunt: *προσκυνεῖτε εἰς ὄρος ἅγιον αὐτοῦ*; & Latinus: *Adorate in monte Sancto ejus*. Ita Pſal.CXXXII.7. pro נשתחוה להדום רגליו Græci habent: *προσκυνήσομεν εἰς τὸν τόπον, οὗ ἔστησαν οἱ πόδες αὐτοῦ. Adoremus in loco, ubi ſteterunt pedes ejus.* Cauſalem verò illam קדוש הוא *Sanctus Ille*,non ad ſcabellum pedum,ſed ad Jehovam ſolum referendam eſſe,ex v.9 planè colligitur, ubi ſic David: *Adorate ad montem Sanctitatis*. כי קדוש יהוה אלהינו *quia Sanctus Jehova Deus noſter*. Quid, Redingi ,clarius? Cur ergo toties victus herbam non porrigis?

OBIECT. V. *In Sacra etiam Scriptura creaturæ quædam nuncupantur Sacra & Sanctæ,propter relationem ad res Sacras. Ita locus,in quo Deus ſtabat, ſeu terra vocatur* אדמת קדש *terra Sancta Exod.III 5. Eodem modo Paſcha, veſtimenta Sacerdotum, Scriptura, &c. Sancta appellantur. Quod autem Sanctum eſt, venerabile eſt. Proinde etiam imagines propter relationem ad prototypon Sanctæ, venerabiles ſunt.* Reſp. 1. Quod Sanctum eſt, venerabile eſſe poteſt,at non religioſè colendum & adorandum. Nam & Aaron omnéſque Sacerdotes Sancti erant, non tamen religioſè colendi & adorandi. 2. Imagines verò nemo Sanctas dixerit,niſi vel manifeſtè idololatra, vel à ſinceritate Chriſtiana deflectens. Nuſpiam enim à Deo ad repræſentandum aliquid inſtitutæ ſunt.

EXCIP. REDING: 1. *Ludis in nomine adorationis & cultus religioſi. Quis enim noſtrum res inanimatas aliter venerandas dixit,quàm quatenus ſanctæ ſunt? Cùm verò ſanctitas illa relativa ſit,etiam veneratio relativa & tranſitiva ſit oportet. 2. Imagines repræſentant res ſacras eo modo, quo Scripturæ S characteres res Divinas. Blaſphemia igitur eſt dicere, quòd idololatra ſit, qui eas ſanctas appellaverit.* Ibid pag.157.158. Reſp. 1. Quid illudere lectori eſt,ſi hoc non eſt. Non negas venerandas, nec venerationis modum explicas,ſed cauſam,idque falsò. Dic ergo,veneratio illa non eſt adoratio? Atqui & Nicæni Patres,& Doctores veſtri paſſim adorationem appellant,& alii unam eandemque imagini & prototypo: alii imaginibus propriam quandam decernunt. Porro quod ob ſanctitatem quampiam relativam ſanctum dicitur, ſic venerandum, adorandum eſſe, uti vos imagines veneramini,adoratis,falſiſſimum eſt.Cur enim non magis hominem, ſanctitate non relativa duntaxat, ſed inhærente inſuper præditum quemvis eo modo veneramini, adora-

adoratis? Sed homines verè Sanctos occidere, & res inanimatas adorare, vobis pridem religio nulla fuit. 2. A quo verò imagines institutæ sunt, ut repræsentent Deum & Sanctos? A Deo, an ab homine? Si à Deo, fatebor esse sacras. Sed Deus illas in cultu prohibuit, non instituit. Sin ab hominibus, tum verò nego eas propterea esse sacras, nisi eo sensu, quo res quædam execrandæ sacræ dicuntur. Alias enim & tricipites sive trifrontes imagines Bellarminus negat esse sacras; quanquam ab hominibus ad repræsentandam Trinitatem, rem sanè sacram, institutæ sunt. Diversa characterum, quibus verba à Deo revelata describuntur, ratio est, quia illi nec imagines sunt, sed literæ significantes, nec à sano quoquam adorantur; & Divinitus præcepti sunt. Jussi enim sunt authores scribere; & fideles omnes scriptos vel excusos legere.

OBIECT. VI. *Imagines opportunè docent rudiores & plebejos. Nam teste Gregorio, picturæ in ecclesiis habentur, ut qui literas nesciunt, saltem in picturis videnda legant, quæ in codicibus legere non valent: quia quod legentibus Scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus.* Resp. 1. Nullius utilitatis prætextu integrum est facere id, quod Divina lex prohibet. Etiam Ethnici crediderunt, idola sua utilia esse. Sed commodi prætextus illos non purgavit. 2. Historicum imaginum suo loco collocatarum usum agnoscimus. Sed religiosum & cum religioso cultu conjunctum non item. Scriptura non *laicorum doctores*, sed *vanitatis magistros* appellat. Neque ex visis imaginibus plebs nisi edocta priùs, quicquam discere poterit. 3. Quin hic idololatriæ color originem habet ab Ethnicis, quibus Athanasius Oratione contra gentes testatur imagines fuisse ὡς γράμματα τῆς ἐπὶ θεὸν θεωρίας, *pro literis ad Divinitatem speculandam.*

EXCIP. REDING: *1. Si nullius utilitatis prætextu licet facere imagines, cur ipse historicum imaginum usum probas? 2. Isthunc idololatriæ colorem ipsi Deo & imagines fieri olim præcipienti, & figuras corporeas rerum repræsentatrices exhibenti, appingis, omnium nefandissime pictor Heideggere. 3. Cùm imaginum usum historicum probes, annon menti de Divinarum rerum mysteriis ex ejusmodi imaginibus edoctæ licet per fidem ac religionem se elevare ad ipsum Deum, ac sub tali objectiva repræsentatione religiosè adorare? 3. Ethnici verò non utentes imaginibus ad Divinitatem speculandam, sed mentem sic edoctam non elevantes ad verum Deum colendum, idololatriæ rei fuerunt.* Ibid. pag. 158. Resp. 1. Negavi ego, *utilitatis prætextu licere facere id, quod Divina lex prohibet.* Historicum verò usum lex Divina non prohibet. Detorques ergo verba, ne obmutescere cogaris. 2. Deus nec imagines, nec figuras corporeas repræsentatrices rerum fieri religiosi cultus & adorationis gratia uspiam præcepit; imò prohibuit etiam. Non ergo ei idololatriæ colorem *nefandissimus scilicet pictor* appingere potui. Color hic non Deo, qui אל קנא *Deus Zelotypus* adversus idololatriam est, sed tibi; sed religioni tuæ, quæ ex entibus pictis & fictis componitur tota, congruit. 3. Usum imaginum *historicum* in Templis & cultu publico nullum agnosco, quia etsi aliquem habere possint ad instructionis usum, & pio quodam Zelo aliquando à viris quibusdam sanctis adhibitæ sint, incauti tamen facilè offensionis salebram immiscere possunt, & immiscuerunt. Rudis enim, & ad superstitionem præceps plebecula vix se continet, quin ad adorationem protinus devolvatur. Idque olim factum vehementer S. Augustinus *de Morib. Eccl. Cathol. cap. 34.* deploravit, qui etiam *lib. de fide ac*

symb.

Symb. cap.7. externam collocationem imaginis Dei in Templo manufacto, etiamsi in corde non existimes, talem esse Deum, meritò damnavit. Religiosum porro in cultu & extra cultum publicum usum abominor etiam. Extra religionem damnaverit nemo, si qui tabulam possidet, in qua S. Ignatii ultimum cum belluis certamen describatur; aut Laurentius in crate; aut Petrus ad crucem inversus: eaq; visa excitetur ad mentem elevandam ad Cœlestia contemplanda, & animum in veri Dei cultu obfirmandum. Qui verò sic visa tabella excitatur & elevatur, is tabellam ipsam religiosè non honorat, nedum adorat, eo modo, quo vos imagines. In religione verò nunquam, aut vix unquam accidit, ut rectè ab imaginibus imperiti docerentur. Ideo *lignum* מוסר הבלים *disciplina vanitatum*, Jerem. cap. X. 8. & idolum מורה שקר *doctor mendacii* Habac. II. 18. vocatur. Non enim docere possunt imagines sive veri, sive falsorum Numinum (utræque enim hac in re conveniunt) quis sit verus Deus, quæ virtutes ejus, & quæ magnitudo, quæ gratiosa præsentia sit. Imò falsum docent, nempe quòd Deus possit fingi aut formari, & materiali corpori alligari; & delectetur odore thymiamatum, & oblatione externa, quæ oblatio sit expiatio peccati, & justitiæ acquisitio. Qua opinione non ipsa abnegatio Dei generi humano pestilentior est. Quid quòd in imaginibus spiritus non est. At Deus est spiritus, & in spiritu vult adorari; hoc est, postulat eos cultores, qui eum adorent & colant per id, quod Spiritus S. operatur in eis. qui operatur preces & suspiria in fidelibus, Rom. VIII. 26. 27. Ita Christus Joh IV. 24. cultui, qui Hierosolymis exercebatur, opponit cultum *in spiritu & veritate*, opponens *veritatem* umbris, spiritum *elementis* mundi. Cultus ergo verus provenire debet à Spiritu Dei doctore, quem imagines dare non possunt, quia in illis non est spiritus. Evangelium sigillis per id traditis munitum est *potentia Dei ad salutem*, Rom. I. 16. Prædicationi igitur ejus, non imaginibus Deus vult benedicere. Liceat ergo Redingium alloqui verbis, quibus Adrianum Papam Carolus M. & Episcopi in Francofurtensi Concilio coacti *Capitularis lib. II. 30.* allocuti sunt. Postquam enim Scripturas Sacras graphicè depinxerunt, & institutioni per imagines opposuerunt, sic in Adrianum, omnésque iconolatras invehuntur: *Nihil igitur horum in imaginibus, ô imaginum adorator, ô rerum insensatarum cultor, invenire te posse constat. &c. Tu qui fidei tuæ puritatem in imaginibus conservare te dicis, supplex eis adstare memento, cum thymiamatibus: nos præcepta Domini solerti indagatione perquiramus in legis Divinæ Codicibus. Tu luminaribus perlustra picturas: nos frequentemus Divinas Scripturas. Tu fucatorum venerator esto colorum: nos veneratores & capaces simus arcanorum. Tu depictis demulcere tabulis: nos Divinis mulceamur alloquiis. Tu figuris rerum insta, in quibus nec visus, nec auditus, nec gustus, nec odoratus, nec tactus est: nos instemus Divinæ legi, quæ est irreprehensibilis, in qua testimonium Domini, justitiæ, sive præcepta timor sive judicia ejus inveniuntur.* Sed ad talia pridem vos obsurduistis, Scripturis neglectis & diffamatis imagines exornantes, & sustinentes potiùs Scripturas, quàm imagines doctores vanitatum & mendaciorum dici. 3. Non id Athanasius in gentilibus *loc. cit.* reprehendit, quòd visis imaginibus mentem ad colendos falsos Deos elevent, sed quòd imagines habeant pro literis *τῆς ἐπὶ Θεὸν θεωρίας ad Divinitatem* (non falsa Numina) *speculandam.* planè uti vobis, rejecta saltem à communi & promiscuo usu Scriptura, Deum & Sanctos in imaginibus speculari mos est.

OBJECT. VII. *Imaginis honor totus transit ad primitivum, uti habet axioma Synodi Nicenæ Act. 6. Quòd si erectis statuis homines vivos honoramus, quidni etiam Christum, cui omnis honor debetur, & Sanctos Divos imaginibus honorare conveniet?* Resp.

1. Axiomati Niceno opponimus axioma legis Divinæ, inter tonitrua & fulmina denuntiatæ, quo vetamur ſculptile & imaginem quamcunque facere, honorare, & adorare. Deinde eidem reſponſum Caroli M. & Synodi Francofurtenſis opponimus, in opere Capitulari lib. III. 16. *Dicant igitur, quibus hoc tam peculiare eſt dicere, quòd imaginis honor in primam formam tranſit: dicant, ubi hoc legerint, aut quibus valeant teſtimoniis approbare. Dominus namque & Salvator noſter non ait: Quandiu feciſtis imaginibus, ſed quandiu feciſtis uni de minimis iſtis, mihi feciſtis. Nec ait, qui imagines, ſed, qui vos recipit, me recipit. Nec Apoſtolus ait, Diligamus imagines, ſed Diligamus nos invicem.* Addo illud Agobardi lib. de Picturis & Imag. *Summopere notandum eſt, quia ſi opera manuum Dei non ſunt adoranda & colenda, nec in honore Dei, quantò magis opera manuum hominis non ſunt adoranda, nec in honore eorum, quorum ſimilitudines eſſe dicuntur.* Cùm igitur Divina lex omnem imaginum cultum vetet, neque Chriſtus teſtatus ſit, gratum ſibi eſſe honorem per imagines ad ſe tranſeuntem, relinquitur, honorem & adorationem, quæ in prototypon tranſire putatur, in imaginibus manere, terminari, quieſcere, adeóque qui vel eas, vel coram iis adorant, etiam præter opinionem ſuam, ex rei nimirum veritate adorare opus manuum hominis, aurum, argentum, ligna, lapides, picturas. Quomodo etiam Iſraelitæ in vitulo, Micha in ſimulachro verum Jehovam colentes, cultu à ſimulachris, ad Deum tranſeunte, idololatriæ rei fuerunt. Addo, adorationem, quæ per imagines tranſire ad prototypon putatur, imagines ſaltem attingere, adeóque eas verè adorari, atque ſic honorem ſoli Chriſto debitum nefariè ſi non alienari, at certè communicari: ac præterea colorem hunc communem eſſe omnibus idololatris. Hoc probè expendat Redingius, qui tertio quoque verbo *tranſitivum* ſuum cultum crepat. 2. Neque etiam ex opinione colentium omnem cultum tranſire in prototypon, ſuperiùs ex ſententia Concilii Niceni II. Scholaſticis, inprimis Alexandro Alenſi *par. 3. q. 30. memb. 3.* Thoma *3. pag. q. art. 3.* Cajetano, Bonaventura, Marſilio, Carthuſiano, Capreolo, aliis, docentibus, quòd imago Chriſti, & crucis adoranda ſit cultu latriæ, eodem qui & Deo debetur: & publica praxi, oſtendi. Communis quinetiam ſententia eſt à Bellarmino expreſſa, imagines eſſe venerandas non tantùm per accidens, ut purpura Regis, in qua non eſt ratio venerationis, ſed per ſe, ut in iis ſit ratio venerationis. Venerandas eſſe non impropriè, id eſt, loco exemplaris, ſed propriè, id eſt, verè, ratione ſui. Terminare in ſe venerationem. Imbellis verò eſt defenſio Redingii, quòd qualemcunque cultum Thomas, Bellarminus, alii tribuant imaginibus, is ſemper tranſeat ad prototypon, *eò quòd cultus illis tribuatur non aliter quàm imaginibus: ut imaginis ſit totum quod eſt, ita referri in rem effigia-*

tam,

tam, ut proinde non adoretur propter se ipsam, sed propter prototypon. Unde non veretur Cl. Vedrosio, Thomæ & Bellarmino absolutam adorationem asserenti, impudentiæ & perfidiæ notam impingere *pag.* 810. Sed Bellarminus ipse candidior Redingio, veteres Scholasticos ita sensisse fatetur, *lib. de Imag. pag.* 22. eósque non aliter excusat, quàm quòd Synodum Nicenam II. & Adriani I. epistolam non viderint. Ipse verò disertè pertendit, imaginibus præter relativum, etiam *proprium* honorem competere. Id ipsum quoque in Concilio asseruit Lainezius, quem Synodus propterea minimè damnavit. Verum est, imagini cultum non aliter tribui, quàm quâ imagini. Sed ex mente Scholasticorum & Bellarmini imagines aliquatenus sunt *objectum* proprium cultus, *ratio* verò colendarum illarum seu *fundamentum* est, quòd sunt imagines. Quæ Adversarius distinguenda esse probè noverat. Sed amant ita lubrici Sophistæ prehensi, ex manibus tenentium fugere & elabi: quanquam artificium prudentibus & cordatis semper pellucet.

EXCIP. REDING: 1. *Calvinus & Bullingerus vester in loco Exod. XX. 4. per illa, quæ in Cœlo sunt, non Deum & Sanctos, sed Solem, lunam, aves &c. intelligunt. Sed & Genevensis glossa in loco Deut. IV. per omnem militiam Cœli stellas fixas & errantes intelligendas esse, monet. Deus autem & Sancti Cœlites nec astra, nec aves, nec falsi Dii sunt. Non ergo axioma Concilii Nicæni legi Divinæ opponitur.* 2. *Quo censu habendum sit opus Carolo M. tributum, constat ex Præfatione Indicis librorum prohibitorum, Antonii à Sotomajor, Generalis Inquisitoris jussu editi, ubi fertur, Carolstadii operi contra adorationem imaginum Pseudo-Reformatores præfixisse titulum Caroli M. de cultu imaginum, ad VII. Synodum in Oriente congregatam. Et quicquid in eo argumento momenti est, in vos retorquere licet. Cur enim quod uni de minimis suis factum Christus perinde habet, ac si sibi fieret, nisi propter illorum ad se respectum? Propterea recipiens discipulus ipsum Christum recipit. At similis in imaginibus erga Christum respectus est.* 3. *Ex Apoc. I. constat, Christum se exhibuisse Divo Johanni similem filio hominis, &c. Talem autem, qualis apparuit, adorare licuit, utpote primum & novissimum, mortuum & viventem. Unde Christus Sanctis Senioribus se exhibens tanquam Agnum occisum, ab iisdem & Angelis adoratus legitur, Apoc. V. 6. 9. 12. Quibus coram isthac imagine in spiritu se Johannes conjunxit. Planum igitur est, Christum non renuere honorem ad se per imagines transeuntem.* 4. *Quamvis eodem materiali adorationis actu & Christus & ipsius imago adoretur, intentio tamen adorationis per fidem directa non fertur in imaginem, in hac sistendo, sed transeundo in Christum. Et quoad adorationem illam propriam, ad quam se imago terminativè habet, illa fundatur non in excellentia aliqua Divina imaginis, sed in respectu ad ejusmodi excellentiam, hoc est, in esse imaginis repræsentativo, quod formale ac specificativum adorationis hujus motivum est.* 5. *Thomæ, Bellarmino, Lainezio pari, qua Vedrosius, perfidia impingis, quòd imaginibus absolutam adorationem detulerint. Bellarminus enim hoc unum docet, Patribus etiam imagines haud adorandas dicentibus, haud absque magno periculo contraire, qui imaginem Christi, vel crucem illo ipso, quo Deus adoratur, latriæ cultu adorandam dicunt, subtilissimis tamen populi intellectui absconditis distinctionibus adhibitis. Species ergo fuit latreuticæ adorationis, non absoluta latreutica adoratio, quam veteribus Bellarminus tribuit.* Ibid. pag. 159--162. Resp. 1. Si vel maxi-

mè, Redingi, te laveris nitro, & multiplicaveris tibi herbam Borith, maculatus tamen es, & manes in impietate & idololatria tua coram Deo, Jer. II. 22. Nimis enim manifesta lex Dei est, quæ imaginem, sculptile, similitudinem factam, ut adoretur, vetans, uno impetu omnes distinctiones, subdistinctiones, præcisiones vestras elidit. Omnis enim alius, non Dei, adorabilis facti, vera ac religiosa veneratio, adoratio, ante, coram, supra, juxta, infra faciem Dei est idololatria. Atqui omnis cultus simulachri, Dei picti, Christi sculpti, Gabrielis tornati, B. Virginis fusi, Stephani ducti &c, est vera ac religiosa non-Dei, adorabilis facti, adoratio. Ergo idololatria est. Majorem Deus ipse primo & secundo Decalogi præcepto; Minorem Concilium Nicænum II. eique consentiens Tridentinum definiverunt. Qua in re Protestantes omnes maximo consensu conveniunt. De Calvino, Bullingero supra *ad q.* 1. fusiùs. Non enim illi, ut & Genevensis, quia per ea, quæ in Cœlo sunt, cœlestia corpora intelligunt, simulachra Dei, Christi & Sanctorum eodem præcepto non vetari sentiunt. Imò contrarium & sentiunt & probant vel eo argumento, quòd, omnis imago, similitudo referens sive cœlestia, sive terrestria, sive aquatilia corpora, quæ adorationis gratia, & ut coram ea homines se incurvent, quamque religiosè colant, prohibeatur. Quod etiam Deus ipse Deut. IV. 15. 16. &c. clarissimè docet. Atqui vestra simulachra, licet non referant astra, aves, pisces, falsos Deos, sed Deum verum, Christum, Angelos, Sanctos, qui astra, aves, pisces, falsi Dii, fateor, non sunt: tamen referunt *cælestia* corpora, velut columba, seu avis Spiritum S. & *terrestria*, veluti homo senex Deum Patrem, forma maris aut fœminæ Deum, Christum, Sanctos & Sanctas. Ergo sunt imagines à Deo prohibitæ. Stringit enim argumentum, sive per ea quæ in Cœlis sunt, non sola corpora Cœlestia, sed etiam Deus, Christus, Angeli, Sancti intelligantur (quem sensum verbis legis magis congruere supra *ad Arg.* 1. demonstravi) sive formæ corporum Cœlestium, Solis, lunæ, stellarum, avium significentur. Si qualiscunque hic dissensus summum in rei summa consensum omnium Protestantium labefactat, quid vobis, Redingi, fiet, in rei ipsius summa dissidentibus. Nam in lege Dei imagines nonnisi falsorum Deorum, Solis, lunæ, siderum, hominum Deificatorum &c. prohiberi, tecum magna Theologorum vestrorum turba pertendit. At Dei etiam veri, & quamcunque imaginem religiosè cultam prohiberi, Gabriel Vasquez, eúmque secuti plurimi Theologi vestri severè statuunt. Transigite priùs vobis invicem, Cadmæi fratres, & lethalia vulnera vestra curate. 2. Quo censu habenda sit Præfatio Inquisitoris vestri Soto-Majoris, non mendaciorum, sed veritatis ipsius insignitè improbi persecutoris, magni scilicet Biblio-Mastigis, veritatis interfectoris, historiæ adulteri, integritatis exectoris, pietatis, charitatis, juris omnis expurgatoris; vel isthoc de Caroli M. Capitulari mendacium propalat. Testem advoco Johannem Tilium, Meldensem Episcopum vestratem, qui Gallus, Romanæ sedi addictissimus, nostris infestissimus, Hispani Inquisitoris mendacium convincet. Ille enim, non Oecolampadius, vel *Pseudo-Reformator* aliquis (quo nomine Redingio vero Deformatori veri Reformatores veniunt) hoc Capitulare A. MDXLIX. ex Codice manu exarato vetustissimo, quem ipse narrat *in Templo majore augustissimo ac totius Galliæ antiquissimo repertum*, descriptum, Lutetiæ vulgavit. Mitto argumenta vetustatis plurima ab eodem, aliísque ex Hincmari & ipsius Adriani I. testimoniis petita, quibus victus ipse Bellarminus *de Imag. c.* 14. libros eos tempore Caroli M. conscriptos esse, fateri coactus est. Sed author ille, inquit Redingius, agnoscit, Christum sibi imputare, quod minimis ejus factum est; nempe *propter horum ad illum respectum. At similis*, inquit, *imaginum erga Christum respectus est.* Non respectum, sed despectum rectiùs dixisses. Quod si tibi superstitio cerebrum non excussisset, desineres ex respectu creaturæ

turæ ad Deum religiosam venerationem & adorationem concludere. Quid enim? Annon vilissimi etiam scarabæi ad Deum, ceu creaturæ ad Creatorem respectus est? Jam ergo scarabæum propterea, si vis, venerare, adora eo modo, quo imagines tuas, qualibet re animata viliores, veneraris & adoras. Ipsum verò testimonii Carolini argumentum per te quidem adhuc sartum tectúmque perstat. Addam autem Carolino testimonio aliud non minùs prægnans Claudii Taurinensis Episcopi in suo rescripto Apologeticoq adversus Theodemirum Abbatem, *in 2. parte Tom. IV. Biblioth Patr. p.* 147. ubi sic ille transitivi cultus figmentum oppugnat: *Dicunt isti, contra quos Dei Ecclesiam defendendam suscepimus: Non putamus imagini, quam adoramus, aliquid inesse Divinum, sed tantummodo pro honore ejus, cujus effigies est, tali eam veneratione adoramus. Cui respondemus: quia si Sanctorum imagines hi, qui dæmonum cultum reliquerunt, venerantur, non idola reliquerunt, sed nomina mutaverunt, summopere pensandum est, quia si opera manuum Dei non sunt adoranda, & colenda, quantò magis opera manuum hominũ non sunt adoranda & colenda? prorsus nec in honore eorum, quorum similitudines esse dicuntur, quia si imago, quam adorat, Deus non est, nequaquam veneranda est pro honore Sanctorum, qui nequaquam Divinos sibi adrogant honores.* 3. Tam ne væcors es, ut putes, Filium hominis se Apoc. I. 13. S. Johanni videndum præbuisse in imagine artificiali seu manufacta; & eundem Johannem imaginem talem Christi adorasse? Atqui vidit ille non oculis corporis, sed πνεύματι, *spiritu*, v. 10. & vidit ὅμοιον υἱῷ ἀνθρώπου *similem Filio hominis*, id est, verè filium hominis, stylo Scripturæ Daniel. VII. 13. Rom. VIII. 3. Phil. II. 7. 8. quia Christus carnis & sanguinis puerorum particeps factus est παραπλησίως *similiter*, fratribus per omnia *similis*, excepto peccato, Heb. II. 14. neque quisquam similior Filio hominis, qualis à Deo creatus est sine peccato, quàm Christus; denique omnia, quæ in visione hac vidit Johannes, Filio hominis congruebant. Quid hoc ad imaginem manufactam, mendacii doctorem? Et quidni Johanni adorare licuerit Filium hominis à se visum in sua Majestate? Sed non aliud ille adoravit, quàm quod in spiritu vidit. Vidit autem in Spiritu Filium hominis, non imaginem ejus corpoream: neque vidit Filium hominis, ut ejus visi imaginem sculperet vel adoraret, sed (v. 19.) *ut scriberet, quæ vidit*; & revelationes à Christo ipso sibi factas disceret. Ita idem Apoc. V. 6. &c. vidit in medio throni &c. *Agnum stantem, ut mactatum*, quem v. 9. 12. adorarunt animalia quatuor, Presbyteri, Angeli. Non vidit Agnum mactatum, sed ὡς ἐσφαγμένον *ut mactatum*, adeóque stantem à mactatione inter thronum, animalia & Presbyteros; ceu Mediatorem videlicet, qui stat inter Deum & homines ei reconciliandos. Quid hoc iterum ad imaginem Christi manufactam, adorandam? Ubi Christus visus similis Filio hominis, Agno quasi mactato, vel præcepit sibi fieri imaginem similem; vel testatus est, sibi placere religiosum imaginis sui cultum? Manet ergo, repeto, cultus, adoratio in imagine, non transit ad Christum ullo modo, nisi contumelioso, quo contumelia infertur Christo, cujus honos in lignum, aurum, argentum &c. transfertur. 4. Nihil refert, intentio adorantis feratur in imaginem, in prototypon, an in utrumque, si adoratio ipsa in imagine sistit, quiescit, nec à prototypo recipitur, acceptatur. Ita Israelitarum intentio erat, in vitulo adorare Jehovam: Michæ in simulachro verum Deum Israelis. Sed Deus non intentionem, sed actum respexit, & idololatriæ damnavit, adorationémque adeò non sui, sed signi sui, hoc est שור *bovis* Psal. CVI. 10. interpretatus est. Sicut juramentum accipit Deus, non sicut is intelligit, qui jurat, sed sicut is, cui juratur, juxta receptum illud Casuistarum: ita hujusmodi ad imagines prosphonesis, earúmque adoratio accipitur, sicut Christus, non sicut adorantes intelligunt & intendunt. Sed intentionem

tionem vestram nullo modo ferri in imaginem, falsum est, tum quia juxta Thomam aliosq;, in nullo hactenus Concilio, à nullo Papa damnati sunt, quibus imago & prototypon eodem cultu adoratur: tum quia juxta Nicænum Concilium, imagines etiam ipsæ *venerandæ, adorandæ* sunt (nam idem Concilium *act.* 4. declarat. *hypocritas esse, & Sanctis convitia dicere omnes, qui se sacras imagines venerari confitentur, adorationem autem recusant*) & quidem *propriè, per se, non per accidens tantùm*, judice Bellarmino, aliísque; tum quia, uti idem Bellarminus loquitur, *quod per accidens duntaxat & impropriè fit, & illud simpliciter negari potest*: tum quia (sic Jesuita Tannerus *Tomo. III. pag.* 1388. argutatur) *si imago impropriè tantùm honoratur, propriè autem loquendo non honoratur, sequitur, meliùs ac magis propriè locutos fuisse, ac etiamnum loqui Iconomachos, seu veteres, seu recentiores, imagines non colendas esse, quàm Concilia & Patres, dicentes, colendas esse. Ergo*, inquit Jesuitaster, *non honorantur ut purpura Regis concomitanter, sed ut supposita, in quibus inest dignitas, ratio, virtus honorabilis.* Neque te juvat ficulneum tuum folium, quòd qualiscunque ille cultus propriùs sit, *respectivus* tamen sit, non fundatus in alia excellentia, quàm *τῦ esse repræsentativi.* Non hic inquiro, an in sola repræsentatione, & non virtute etiam alia Divina assistente, conjuncta, &c. imaginum excellentiam constituatis. Nimis manifestum est, vos opinione operationis nobilioris vos ad hæc, illa potiùs, quàm alia simulachra peregrinari. Si prototypon, non imaginem hiatis, cui bono lassatis pedes? Ubivis enim B. Virgo mater domi est: ubivis ejus simulachra extant. Cur sic ardent foris, domi frigent Mariani? Quid sibi volunt imaginum loquelæ, responsa? Quid affrictus sphœrularum precatoriarum ad imagines, si illis virtus nulla inest? Sed misso hoc, tantò certè horribilior idololatria est, *venerari, adorare* id, quod non aliam excellentiam habet, quàm quòd *respectum* habet ad aliud, & quidem non causæ ad effectum, efficiendo; sed signi tantùm rem signatam repræsentando, imprimis cùm quædam ejusmodi signa non repræsentent nisi creaturas, Angelos & Sanctos; quædam, Dei videlicet, Deus ipse fieri prohibuerit: denique qualiacunque illa sint, & quicquid repræsentent, adorari idem severè interdixerit. Et quæcunque causa sit religiosæ adorationis, adoratio tamen quædam religiosa ei juxta vos, per se & propriè & terminativè, adeóque eatenus intransitivè (an enim imaginum oscula, ornamenta, oblationes iisdem factæ transeunt ad prototypa?) competit. Omnis honor, omnis adoratio respectiva, relativa est, quia respectum habet non tantùm ad objectum, sed etiam ad causam adorationis. Denique si hæc exceptio sufficeret, nihil vetaret Diabolum adorare, quia & ille respectum creaturæ ad Creatorem habet. Et sanè id Gregorius de Valentia *de Adorat. lib. III. Disp. I. cap.* 8. & *Disp.* 4. *c.* 8 apertè concedit. Audis hæc Christe, & non vindicas? Imò vindicabis, judex totius terræ! 5. Bellarmini sententiam non corrupit Vedrosius: non corrupi ego, sed tu nefariè corrumpis. Ille enim (uti supra ex ejus verbis mentem ipsius erui) disertè imaginibus *venerationem, adorationem propriam, per se*, non *per aliud, per accidens* deberi, mordicus contendit. An hæc non est *adoratio absoluta*, id est, non transiens in prototypon, sed in imaginibus terminata? Licet enim respectu finis ultimatè in Deo seu gloria ejus terminari; & ob respectum repræsentationis adorari dicatur: tamen actio ipsa formalis & specifica absoluta, id est, non transiens ad prototypon statuitur. Negat equidem Bellarminus coram populo dicendum esse, *quòd Dei, Christi, crucis imagines latria colendæ sint.* Latria tamen coli debere impropriè & per accidens: & propriè & per se, adeóque absolutè etiam, adorari debere, non nudè ille asserit, sed sussè probare nititur. Neque vel Cl. Vedrosius, vel ego Bellarmino assertam *adorationem*

nem latreuticam absolutam impegimus. Lege nostra, & vel oscitantiam, vel perfidiam tuam, non nostram, quam ex dictis nostris nullam extundes, agnosces.

OBIECT. VIII. *Imagines colendas esse, sancitum est publicis Conciliis, Constantinopolitano VI. Romano sub Gregorio* III. *& Stephano* III. *Niceno II. Cui postremo non obstant libri contra imagines scripti, qui Caroli M. nomine veneunt. Etenim librorum illorum Carolum non esse authorem constat, tum quia ex Adriani Papæ libro iis opposito colligitur, eos ad Papam à Carolo missos esse, ut refutentur: tum quia in præfatione librorum author sub nomine Eliphili probare conatur, Carolum esse authorem, qua re opus non fuisset, si à Carolo compositi fuissent: tum quia Romani Pontifices eo tempore se in tutelam Francorum contulerunt, & Imperium à Græcis ob iconomachiam ad Francos transtulerunt, minimè id facturi, si Carolus eadem, qua Græci, hæresi laboràsset.* Aug. Reding *pag.* 813. Resp. 1. Concilia quæ allegantur, quia & à verbi Divini regula deflectunt, & remotiora sunt, exiguum momentum habent. Constantinopolitanum VI. cui excepto unico hoc canone nullam aûthoritatem constare, Bellarminus pertendit, proximè ad Seculum VII. accessit; reliqua etiam excesserunt, & in corruptissima ac turbulentissima tempora inciderunt. Nicenæ verò Synodo coactæ à Constantino Imperatore vixdum ephebo, ejúsque matre Irene, muliere superbissima, crudelissima, & paucos ante annos facta Christiana, ut Imperatori nuberet, nullam authoritatem tribuit ipse Carolus M. Imperator, scriptis contra eam (sive ipse manu exaraverit, sive scribendi author fuerit, parum refert) Synodum 4. libris, & in Francofurtensi Synodo, cui trecenti Episcopi interfuerunt, omni religioso imaginum cultu damnato. Quòd vero Redingius frivolis conjecturis innixus libros illos νοθείας postulat, temeritatem ejus arguit. Editi sunt illi libri Lutetiæ A. 1549. à Johanne Tilio Pontificio Meldensi Episcopo, ex codice manu exarato vetustissimo, quem in Præfatione narrat *in Templo quodam majore augustissimo, ac totius Galliæ antiquissimo repertum.* A Carolo scriptos esse quosdam contra imagines libros fatentur Eccius *Enchir. Loc. Comm. art.* 16. Bernhardus Lutzemburgus, Ordinis Prædicatorum frater *in Catal. hær. l. c.* 14. Augustinus Steuchus Eugubinus, Papalis Bibliothecarius *lit.* 2. *num.* 60. *de Donat. Const.* ac inprimis Hincmarus Rhemensis *contra Hincm. Laud. c.* 20. Igitur Caroli nomen præferunt omnia exemplaria, inprimis duo MS. Vaticanum & Tilianum. Et personam Caroli librorum istorum author ubique gerit, neque aliter quàm Carolus ipse loquitur. Quod etiam fieri potuit, si maximè non ipsemet eos scripsit, sed aliis illos scribendi author fuit; quomodo eidem & Ludovico filio tribuuntur Capitula legum Ecclesiasticarum, quæ tamen non composuerunt ipsi, sed eorum authoritate Episcopi in Synodis. Quòd

verò Adrianus Papa, qui libros refutavit, Carolum eorum authorem esse nuspiam memorat, parum obstat, quia nemo non videt, interfuisse Adraini, ne Carolum læderet. Ad Carolum etiam à Græcis Imperatoribus defecerunt Pontifices, tum ob potentiam & compertam beneficentiam ejus: tum quia in reliquis nihil auxilii fuit contra hostes præsentes: tum quia cum Iconoclastis non fecit, sed mediam inter illos & Iconolatras Nicenos viam inivit. Cujus proinde sententia procliviùs ab illis dissimulari potuit.

EXCIP. REDING: 1. *Temeritas insignis est, fingere, Concilia Oecumenica à verbi Divini regula deflectere.* 2. *Licet Canones Concilii Constantinopolitani VI. non sint firmæ authoritatis, tamen canon ille 82. quo imagines definiuntur venerabiles, semper ab Ecclesia receptus est, & testatur ut minimùm antiquum Ecclesiæ usum. Nulla porro Concilii ejus authoritas est, non ex defectu substantiæ, sed ex accidente, quia à Græcis corruptum videtur, uti idem Bellarminus de Rom. Pontif. lib. IV. cap. 11. probat.* 3. *Sed habemus insuper aliam Synodum Romanam sub Gregorio III. fere mille Episcoporum, A. 733. nec non Synodum habitam in villa Gentiliacensi, in qua de imaginibus actum, admonitique Græci, ut cum aliis piis de imaginibus sentiant.* 4. *Quin Concilium Nicenum II. legitimum fuerit, dubitari nequit. Habuit enim legatos Papæ, Patriarchas & 350. Episcopos, ipsúmque Imperatorem Constantinum consentientes. Disputatum etiam est diu acriter, allatis in medium Scripturis, Conciliis & Patribus.* 5. *Si Concilia Constantinopolitana præcedentia & Francofurtense maximè legitima fuissent, tamen cedere deberent Nicæno, quia hoc generale, illa particularia fuerunt. In Constantinopolitano enim sub Leone nulli adfuerunt Patriarchæ, excepto Germano Constantinopolitano, qui non consentiens depositus est. In Constantinopolitano sub Copronymo non adfuere Papa, vel Legati ejus, nec Patriarcha alius, excepto Constantinopolitano Pseudepiscopo. Francofurtense verò particulare fuisse, omnes consentiunt. Si adfuerunt ei Legati Papæ, tamen assensi non sunt. Et tandem solum Nicænum obtinuit: imagines in Templis & honore permanserunt. Solius etiam hujus acta extant; reliquorum acta evanuerunt. Habemus præterea Synodum VIII. Generalem & Tridentinam Nicænæ consentientes.* 6. *Francofurtense Concilium Canone 2. rejicit adorationem & servitium imaginibus delatum, absolutum scilicet, non relativum. Atqui etiam Nicænum Concilium cultum latriæ & absolutam adorationem rejecit. Idem Concilium Francofurtense can. 42. decrevit, ne novi Sancti colantur & invocentur, vel memoriæ eorum per vias erigantur, sed hi soli, qui ex authoritate passionum & vitæ merito electi sunt. Non ergo prohibere voluit illas etiam imagines, per quas ipsorum memoriæ recolerentur.* 7. *Carolo M. tributos libros supposititios esse, argumenta mea alibi allata convincunt. Ipse verò Carolus eos Hadriano refutandos transmisit. Neque Meldensis Episcopus, sed Eliphilus quidam libros illos vulgavit. Lutzenburgus quidem loco à te citato, dicit, Carolum M. ante 700. annos contra hæreticos certum opus conscripsisse, in 4. libros divisum, quod habeatur Romæ in Vaticano. Sed an hi propterea illi ipsi sunt, quos Eliphilus ille vulgavit? Etenim hic in Templo quodam innominato repertos: ille in Vaticano extare dicit. Et Eccius testis est, scriptos esse libros contra volentes tollere imagines. Accedunt adversus Præfationem Eliphili conjecturæ Editoris Conciliorum Parisiensium, quibus Hincmari testimonium elevatur. Author enim Eliphilus dicit, Synodum à Francofurtensi damnatam, Constantinopoli celebratam esse. Non de Nicæna ergo lo-*

loquitur; & Constantinopolin in Bithynia sitam esse scribit. Unde colligitur, fuisse hominem imperitum, nulláque fide dignum. Dubitari etiam potest, an Eliphili Præfationem illam Hincmarus viderit. Imò testimonium illud Hincmari esse, non credit Alanus vel eo argumento, quòd liber Hincmari, unde illud depromitur, ad nos non pervenerit nisi ex relatione Illyrici hæretici. Sunt etiam in verbis ejus falsa & pugnantia. Dicit enim, in quadam VII. Synodo Græcorum quosdam dixisse, imagines esse confringendas; alios verò, esse adorandas. At hoc non in una illa, sed in diversis Synodis accidit. Ait etiam, Synodum Nicænam sine authoritate Papæ fuisse habitam, & Romam missam, atque inde in Franconiam directam, ut ibi examinaretur: & libros illos Romam à Carolo missos esse per Episcopos; cùm Hadrianus testetur, Carolum ad se misisse per Engilbertum Abbatem. Denique, Synodum Francofurti damnatam Constantinopoli congregatam scribit. 8. Quàm denique immeritò Eccium citaveris, liquet ex ejus verbis, quibus imaginum cultum probaturus ille, testatur, Carolum M. scripsisse contra volentes tollere imagines; proin Thuricenses fundatorem & patronum suum Carolum potiùs sequi debere, quàm hæreticum Zvvinglium. Ibid. pag. 162--165. Resp.1. Concilia Pontificia vel œcumenica, vel legitima fuisse, supponis. Nos variis rationibus inducti pernegamus, & à regula verbi Divini, æquè ac Concilium illud, in quo Christus condemnatus est, defecisse asserimus. De verorum autem legitimorúmque Conciliorum authoritate quid sentiendum sit, in loco demonstravimus. Verbo, etiam Oecumenicis Conciliis anathema dicimus, si quid statuunt contra verbum Dei; firmitérque adeò tenemus, novis dogmatis in Ecclesia nullam in Conciliis ullis authoritatem conciliari posse. 2. Sic ergo pro arbitrio vestro Concilio Constantinopolitano sexto & datis momentum in unico canone LXXXII. quo imagines sanciuntur *venerabiles*, quia videlicet ibi & sapit, & vobiscum facit, & Jove judicat æquo: & in reliquis, velut, ubi Honorium Papam hæreseos damnavit, aufertis. Quis ferat indomitam licentiam? Si tamen canon ille momentum aliquod habet, at Conciliare non habet, quia profectus à Concilio, cui ipsimet in cœteris omnibus fidem derogatis; licet Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus, qui Canonem illum in Concilio Nicæno II. citavit, multis de γνησιότητι ejus dubitantibus, patrocinium ejus suscipiens, *σύνοδον Οἰκουμενικὴν Synodum Oecumenicam* disertè appellaverit, nemine in Concilio contradicente, uti in Actis Concilii Nicæni II. *Act.* 4. legere est. Unde conficitur. Concilium illud eo tempore pro Oecumenico habitum esse, non à Tarasio duntaxat, sed ipso etiam Concilio Nicæno. quicquid ex Bellarmino tuo de corruptione Concilii ejus à Græcis facta, & authoritate inde ejus *ex accidente* labefactata musses. Gravior corruptionis suspicio in ipsum canonem hunc LXXXII. cadit, quia in Concilio Nicæno non pauci de eo dubitarunt. Sed præterea imagines Synodus illa vocat *σεπτὰς venerabiles*; quomodo etiam Concilium Nicænum *Act. 6. ναὺς σεπτοὺς Templa venerabilia*: & ipsi Patres Constantinopolitani Concilii sub Constantino V. contra imagines habiti Templum, in quo sederunt, *σεβάσμιον venerabile*, imò Nicæni suum, in quo sederunt, *Act. 6. πάνσεπτον omnimodo venerabile* appellant. Quis verò Templum, Concilii sedem, adoravit? Paparum Iconomanitarum Gregorii II. & III. in Concilio Romæ coacto adversus Leonem III. quem illi per causam imaginum imperio exuerunt, *simul à Dei, simul ab Imperatoris obedientia desciscentes* (quod *notandum* hic Forbesius *Instruct. lib. VII.* 10: 5. sapienter monet) furores notiores sunt, quàm ut commemorari debeant. In Gentilliacensi verò Synodo in Gallia tredecim post Constantinopolitanam VII. annis celebrata, Ado in Chronicis *A.* 367. testatur, *quæstionem ventilatam inter Græ-*

cos & Romanos de Trinitate, & utrum Spiritus S. sicut procedit à Patre, ita procedat à Filio : & de Sanctorum imaginibus, utrumne fugiendæ an pingendæ essent in Ecclesiis. Sed quæ Synodi illius definitio fuerit, nemo veterum Scriptorum disertè prodidit. 4. Habuit Concilium Nicænum II. Adriani iconolatræ legatos, uti Pontificia solent: habuit Constantinum VI. ephebum, à matre Irene, quæ à gentilismo ad Christum conversa, ut matrimonio Imperatoris potiretur, idolorum amorem superstitionémque gentilem imis adhuc medullis hærentem aluerat, & penes se authoritatem imperii habuerat, corrupta: habuit Episcopos non paucos; postquam causa nondum cognita, solis præjudiciis, omnes Episcopi, qui in Concilio sedem habere voluerunt, damnare priùs Iconomachos, & quidam etiam palinodiam canere, suúmque peccatum confiteri compulsi sunt; nemóque adeò admissus judex, quin causæ imaginum faveret: disputatum denique ex Scripturis, Conciliis, Patribus mirè ab iconolatris detortis: & fabulis etiam pluribus obtrusis: denique cusum decretum Legi Divinæ, & præcedenti Concilio Constantinopolitano VII. sub Constantino V. celebrato (cujus Episcopi trecenti undequadraginta se σύνοδον Οἰκουμενικὴν *Synodum Oecumenicam* haberi sub anathemate definiverunt, & imaginum usum omnem in cultu Divino severissimè interdixerunt,) è diametro contrarium. Unde *Pseudo-Synodum* & *falsò Septimam dictam* Concilii Francofurtensis Episcopi, & λῃστρικὴν *latrocinalem* alii insigniverunt; quin & Reges Galliæ, Germaniæ, Britanniæ cum suis Episcopis in Concilio Francofurtensi, Parisiensi Synodo, & scriptis aliis damnarunt, una cum εἰκονοδουλείᾳ etiam Ἀντιχριστιανοδουλείαι ejerantes. 5. Neque adeò ulla causa est, ob quam vel Constantinopolitanum sub Constantino Copronymo, vel Francofurtense sub Carolo M. Concilio Nicæno II. postponenda sint. Illis enim causæ bonitas & pro lege Divina Deique solius cultu Zelus: huic solius Papæ iconolatriam invehentis authoritas & muliebris dominatio ac superstitio patrocinatur. Oecumenica, an particularia illa fuerint, susque deque habemus. Nam etiam in particularibus Conciliis non desunt canones optimi sanctissimíque. Ne Nicænum quidem ipsum Oecumenicum censeri potest, utpote à maxima orbis Christiani parte abrogatum. Nam & Græci plurimi reluctabantur, & totus ferè Occidens illud damnavit, ut Oecumenici nomen solum, non rem habuerit. Etiam Ariminensi Concilio & Papa & Patriarchæ omnes consenserunt. Oecumenicum ergo fuit, neque orthodoxum tamen. Et decreto Chalcedonensi, de ordine Patriarcharum, sua in hunc usque diem constat authoritas, etiamsi ei Legati Leonis Papæ, & Leo ipse, obstinatè contradixerint. Robur etiam habuit decreti Synodi Oecumenicæ illud, quod de tribus Capitulis in quinta Synodo factum est, licet edito in contrarium decreto Vigilius Papa reclamaverit. Derogaverit ergo Nicænum Constantinopolitano, Francofurtensi, Parisiensi Conciliis: at derogavit non ut orthodoxum, sed ut heterodoxum; non jure, sed impio facto. Derogarunt vicissim hæc Nicæno, sed ut orthodoxa heterodoxo, jure & pio facto. Neque imagines ubique in Templis simul manserunt & adoratæ sunt: sed in plurimis Orientis & Occidentis inprimis si manserunt, certè diu adoratæ non sunt, donec Paparum impietas & iniquitatis mysterium pervicit. Si Constantinopolitanum & Francofurtense Concilia legitima non sunt, quia acta eorum non extant, quid fiet Tridentino, quod acta sua dedita opera, quia lucem ferre non poterant, suppressit? Denique habetis Synodum Constantinopolitanam octavam generalem, sub Basilio Macedone A. DCCCLXIX. celebratam, quæ ex centum & duobus Episcopis conflata licet, *Oecumenica* tamen Latinis cluet; licet mox ab alio Concilio Constantinopolitano, ab eodem Basilio A. DCCCLXXIX. convocato, quod octavum Oecumenicum Græci

ci esse contra Latinos pertendunt, damnata fuerit. Qua ergo ratione *Oecumenicum* Concilium dici meretur, quod universi Græci, ceu Pseudo-Synodum, rejecerunt? Ad Spiritum ergo Papæ cuncta redeunt. quo solo paucis vel multis aspirante omnia jam Oecumenica, Orthodoxa, legitima scilicet evadunt. 6. Sic planè Canon II. Concilii Francofurtensis, uti quidem ad finem operum Alcuini extat, habet: *Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt: in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum ita ut Deificæ Trinitati, servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui supra Sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem & servitutem renuentes contempserunt atque condemnarunt.* Fatentur autem, argumentis victi, Bellarminus contra Alanum Capum, Baronius, & post illos etiam Doctiss. Sirmondus, qui post editores operum Alcuini, primus Canones Concilii illius ex vetustissimo Codice vulgavit, his verbis Nicænam Synodum II. damnatam esse. Et Bellarminus *de Concil.* lib. II. 8. id pluribus argumentis, testimoniis inprimis Hincmari, Aimonis, Reginonis, Adonis & aliorum, probat. *Constantinopolin* verò dixerunt Patres illi figuratè pro Imperio Orientis, cujus sedes erat Constantinopoli: ut si quis Romam pro ditione Imperii Romani dixisset. Neque adorationem illi absolutam & relativam distinguunt; sed simpliciter *servitium, adorationem*, utpote Deificæ Trinitati soli competentem (dicunt equidem, non Nicænos imaginibus servitium & adorationem tribuere *æquè ac Trinitati*, quod paritatis est, sed *ita ut Trinitati*, quod disparitatis est; negant verò tacitè τὸ ἄνισον seu disparitatem illam in religioso cultu institui posse; quia quisquis imagines religiosè venerandas dicit, utcunque ille distinguat sermone, opere tamen eum cultum iis impendere, qui soli Deificæ Trinitati debetur,) imaginibus derogant, & concludunt, se *omnimodis*, seu omnibus modis (adeóque etiam relativo) *adorationem & servitutem renuere, contemnere & condemnare.* Omnes igitur modos religiosi cultus erga imagines amoveri, non distinctiones admoveri volunt. Unde libros Carolinos etiam relativum cultum, quo imagines non adorantur ut Deus, (qua distinctione Nicænos uti *lib.I.14. III.16,17.18.* disertè memorant; ut id Francofurtenses Patres ignorare, atque sic *in facto*, seu *materialiter*, uti Bellarminus loquitur, errare non potuerint) oppugnare *ad Arg.* 8. supra vidimus. Nempe Patres Concilii Francofurtensis latere non potuit, qualem adorationem Nicæni imaginibus tribuerint, cùm & præsentes Papæ legatos, & Synodi ipsius acta habuerint. Audi ipsum Capitulare Caroli *lib.I.14.* ubi de Nicænis Patribus loquens; *Ajunt*, inquit, *benedixit Jacob Pharaonem, sed non ut Deum benedixit: adoramus nos Deum, sed non ut Deum adoramus.* Similiter *lib.III,17.* & alibi passim. Eam verò insaniam locis citatis, alibiq; Francofurtenses hoc dilemmate confutant: *Qui adoras imaginem, aut eam cultu religionis adoras, aut eo charitatis & salutationis officio, quo homines civiliter & humaniter adoramus. At religionis cultu nefas est aliud adorare, quàm solum Deum: nec civili colendæ sunt aut salutandæ imagines. Hoc enim superstitiosum & superfluum est, eò quòd imagines rationis expertes & insensatæ sint.* Clamantibus iconolatris, *se venerabiles & sanctas imagines honoraria quadam adoratione religiosè colere, non adorare latria, seu cultu religioso*, respondet Capitulare, istam religiosæ adorationis distinctionem absurdam esse, *quia*, inquit, *qualibuscunque ludere coneris verborum ambagibus, non mediocris error est, cùm aliquid adoratur religionis cultu, quàm is, qui dixit: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Proin neque obstat, Bellarmini exceptio illa, cui Redingius suffragatur, quòd in Concilii Nicæni *Act.* 1. Basilius Ancyranus, qui

antea fuerat hæreticus, cùm resipisceret, & confessionem Catholicam ederet, toto Concilio audiente, dixerit, *se imagines quidem colere, non tamen latria, cùm ea soli Deo debeatur.* Distinguebant nempe Nicæni cultum religiosum, qui Deo debetur, λατρείας nomine ab eo, qui exhibetur Sanctis, quem δουλείαν appellant. Cùm igitur imagines non Dei, sed Sanctorum duntaxat approbarent, mirum non est, illos juxta distinctionem hanc receptam latriam, utpote nec Sanctis, nec Sanctorum imaginibus debitam, amoliri conatos esse. Sed Francofurtenses Patres, gnari utique, quòd omnis religiosa adoratio & servitus latriæ sit, distinctionem illam nihili esse arguentes, definiunt, se adorationem & servitutem etiam (quam relativam Sanctorum imaginibus hodie deputant) *omnimodis*, omnibus modis *renuere, contemnere, condemnare.* Nihil ergo illi distinctionum vestrarum φθεγμολυχεῖα morabantur. Præterea in eadem Synodo Nicæna *Act.2.* hæc Euthymii Sardensis Episcopi verba legas: *Venerandas imagines ex toto corde, cum debito honore, & salutatoria adoratione suscipio*; & post; *perfectè eas adorans.* Hæc verò quid relinquunt vivificæ Trinitati eximium? Deniq; Carolus M. in Capitularis sui *lib. III.* 17. Constantinum Constantiæ Cypri Episcopum in Concilio Nicæno sic loquentem introducit: *Suscipio & amplector honorabiles, sanctas & venerandas imagines secundum servitium adorationis, quod substantiali & vivificatrici Trinitati emitto.* Quæ verba licet in hodiernis Concilii Nicæni Actis aliter longè leguntur; (quo argumento Carolinos libros in suspicionem adducere Bellarminus laborat) extiterunt tamen, atque ita lecta haud dubiè sunt in Actis illis, sive excerptis, quæ Roma ad Carolum missa sunt. qua in urbe non est quod suspicemur quicquam in fraudem imaginum fictum esse. Cúmque author excerptorum illorum, ad Carolum missorum, quisquis ille fuerit, ea optima fide retulerit, quibus Nicæni Patres imaginum cultum à Dei adoratione & servitio distinxerunt; finxisse cum iis pugnare visa dici non potest. Et si hæc Constantino à Carolinis libris falsò affictа fuissent, Hadrianus Papa in responsione haud dubiè de calumnia adeò horrenda Carolum monuisset, & vel hoc argumento (uti nunc Bellarminus fecit) docuisset, quàm portentosa sit Adversariorum Synodi Nicæni audacia. Atqui ille nihil hujusmodi reponit; sed descripto titulo, qui hodiéque in Carolino opere *lib. III.* 17. extat, respondet, Constantinum aliósque *ex prava reversentes hæresi totis nisibus suis tentavisse Sanctæ Catholicæ & Apostolicæ in ipsorum confessione satis facere Ecclesiæ, & ideo talem adorationem confessos esse pro sacris imaginibus credere, qualis in definitione Synodi constituta est.* q. d. Episcopos illos Iconoclastarum hæresin ejerantes, ut omnem suspicionem audientium animis abstergerent, ita emphaticè & efficaciter voluisse loqui; de cætero confessionem eorum ex definitione Concilii interpretandam esse. Quid opus fuisset sic eos excusare, si Constantini confessio illa tempore Caroli & Hadriani sic lecta fuisset, uti hodie in Actis Nicænis legitur. Et sanè non tantùm Synodi Nicænæ acta multipliciter immutata & corrupta esse arguit illa varietas, quæ hodiéque in eorum exemplaribus occurrit, quámque Celeb. Dallæus *de Imag. lib. IV. cap. 3. pag. 419. &c.* speciminibus nonnullis allatis demonstrat: sed etiam Constantini illius verba sic in Actis Nicænis hodie recitantur, ut non obscurè aliquid ὕπουλον esse animadvertamus. Denique non est ut Confessionem hanc, uti in libris Carolinis illa refertur, recentiores, qui imaginem & exemplar eodem cultu adorari debere asserunt; & Bellarminus ipse, adorari imagines Dei posse latria, sed *per accidens*, statuens, abhorreant. Et eandem fuisse Concilii Nicæni sententiam, quantumvis illam distinctionibus suis palliare satagerent, ex Confessione illa Constantini his Carolus M. *lib. III.* 17. verbis evincit: *Cùm* Constantinus *sibi suisque dignoscatur in sua perversa professione obesse, nobis à con-*

contrario, qui illorum nugis reniti cupimus, dignoscitur prodesse : cùm videlicet errorem detegit infaustum, quem illi videntur plebibus ingerere palliatum. Ajunt enim : Non adoramus imaginem ut Deum, nec illis Divini servitii cultum impendimus ; sed dum illas aspicimus & adoramus, illò mentis nostræ acumen defigimus, ubi eos, quorum illæ sunt, esse non ignoramus. At contra iste illorum detegens errorem, ut suam pandens absque ulla obumbratione cogitationem, fatetur, se quale Trinitati sanctæ, tale illis exhibere servitium, talémque adorationem : sicque absurditatem, quam illi introrsus retinent latenter, hanc iste egerit patenter. Nec latere quempiam potest illorum ignavia, cùm hanc pandat hujus professionis sententia. Sed objicit Redingius Canonem ejusdem Francofurtensis Concilii XLII. qui sic habet : *Ut nulli novi Sancti colantur aut invocentur ; nec memoriæ eorum per vias erigantur : sed hi soli in Ecclesia venerandi sint, qui ex authoritate passionum & vitæ merito electi sunt.* Quàm sanctè canon hic observetur, dicere nihil attinet ; & arguit jam olim illa Bessarionis vox *quòd novi Sancti veteres sibi suspectos reddant.* Sed misso hoc, quid Canon ille ad imagines, quibus authores iidem canonis jam ante Canone II. *omnes modos adorationis & servitutis* derogarunt ? An *cultus, invocatio, memoriæ* (quas æquè imaginibus ac Sanctis competere deliras) ad modos adorationis & servitutis non pertinent ? Non ergo, quid tu in tenebris tuis somnies, quæritur : sed quid verè Patres illi senserint. Memorias Sanctorum novorum per vias erigi vetant ; non veterum *coli, adorari* permittunt. 7. Argumenta tua, quibus γνησιότητα librorum Carolinorum supra oppugnasti, nos quoque supra straminea esse, ostendimus. Ede, si potes, vel unum ex libris illis, vel aliunde etiam, apicem, ex quo constet, Carolum Papæ libros hos refutandos transmisisse. Imò verò ille una cum Episcopis plus trecentis juxta eosdem libros Nicænorum & consentientis iisdem, Papæ Hadriani de cultu imaginum sententiam *renuit, contempsit, condemnavit.* uti verba Canonis supra adducti habent. Et tu transmisisse *refutandos*, nugari pergis. Accedit ad nugarum cumulum, quòd non Tilium Meldensem Episcopum, sed Eliphilum libros illos vulgasse scribis. Nam Eliphilus non alius à Tilio Meldensi Episcopo fuit, quod nemo jam paulò doctior & curiosior ignorat ; postquam vir Illustris, Paulus Petavius, Senator Parisiensis, apud Andream du Chesne, *tom. II. Francicarum rerum p. 352. in Nithardo,* his ferè verbis mysterium prodidit : *Caroli M. libros de imaginibus edidit A. 1549. Johannes Tilius* (Jean du Tillet) *Episcopus primò Briacenses, deinde Meldensis ; sed dissimulato nomine & alio vocabulo Elias Philyras* (Eli Philus) *quòd Elias fuerit Johannes Baptista, φιλύρα verò tilia* (Gallicè *Tillet.*) Premendi verò sui nominis causas ille sonticas habuit, in illius Ecclesiæ communione vivens, in qua periculosum erat quidquam in lucem edere, quod publicè receptis sententiis vel leviter repugnet. Paris inverecundiæ est negare, quòd libri hi ii ipsi sint, quos à Carolo scriptos Bernhardus Lutzenburgus confessus est. Alios enim, si potes, ede. Et aliis testibus, ipso inprimis magno teste, Francofurtensis Concilii, quod Carolus moderatus est, Canone II. qui librorum Carolinorum compendium est, nec non Hincmaro, quin & Hadriano Pontifice, qui in responso suo ea ex libris ad se transmissis citat, quæ totidem verbis in Tiliana editione extant, id ipsum liquet. Sed *Eliphilus,* inquis, *prodiit non Lutetiæ, sed suppresso nomine loci ; editúsque est in loco innominato : Lutzenburgus verò in Vaticano extare scribis.* Prima editio procurata est suppresso nomine loci & authoris : non item sequentes. Neque pugnat, libri ejusdem diversos codices in diversis locis repertos esse : unum in Galliæ *Templo quodam majore augustissimo ac antiquissimo,* alterum in Romæ *Vaticano.* Etenim Augustinus Steuchus, Papæ Bibliothecarius, qui ipse quoque *de Donat. Const. lib. II. n. 60.* scribit,

scribit, *hunc codicem vetustissimum literis Longobardicis scriptum in Bibliotheca Palatina* (id est Vaticana) extare, libri primi caput sextum recitat totum omnino, quale in operis hujus Tiliana editione legitur. Putidum est, quòd Eccio teste probas, *scriptos esse libros contra volentes tollere imagines.* Quid enim Eccius testaretur, qui libros hos extare quidem aliunde didicit, at ipse vidit vel legit nunquam? Et si scripti sunt *contra volentes tollere* imagines, an etiam pro volentibus eas adorare? Quis idoneus testis? Quis tales libros unquam vidit, legit? Mirum non est, ita cæcutivisse Eccium, cùm posteriores, qui rem rectiùs nôsse poterant, Surius, Binius, Coriolanus, Parisienses ipsi Concilio Francofurtensi talem inscriptionem præfixerint: *Concilium Francofurtense Provinciale approbatum, quo CCC. circiter Episcopi Elipandum & Felicem, eorúmque hæresin, quæ Feliciana nominatur, condemnarunt, Actáque Concilii Nicæni II. in causa imaginum confirmarunt.* Planè ac si alius Nicænæ Synodi prioris acta hoc titulo ederet: *Concilium Nicænum I. Universale, quo CCCXVIII. Episcopi Arii dogma contra Filii homousion confirmarunt.* Unde apparet, quæ sit hominum istorum frons, qui tam claris, tam idoneis, tam ab omni parte confirmatis testimoniis occlamare nulli verentur. Quas porro ex Editore Conciliorum Parisiensium, adversus authoritatem testimonii Hincmari Rhemensis, promis conjecturas, quovis illæ vento, fumóque evanidæ magis sunt. Nam in suis illis conjecturis adversus antiquitatem Præfationis Eliphili disputans tum suo se indicio sorex prodit, quòd nunquam Præfationem legerit (in illa enim invenisset longè certiora, quàm quæ ille prompsit, novitatis indicia, veluti mentionem Augustini Steuchi, Laurentii Vallæ, &c.) tum cum larvis luctatur. Nemo enim rerum peritus ignorat, Præfationem illam Eliphili superioris seculi factam esse, & nominatim Tilii Meldensis Episcopi. Non vidit ergo illam Hincmarus, fateor & ego, ne videre quidem potuit; utpote septem plus seculis vetustior. Neque adeò satis famæ suæ Editor ille Conciliorum consuluit, qui putida ejusmodi nugamenta Operi Regio inserere nullus dubitavit. Sed operæ pretium fuerit, ipsius Hincmari verba, quæ in Epistola ad Hincmarum nepotem, *Opusculo* ejusdem 55. *cap.* 20. inserta, (quem librum, ne ex solius Illyrici relatione ad nos pervenisse criminemini, ante annos *LXVI.* ex MS. Codice Thuani, Cordesius, Lemovicensis Canonicus, Lutetiæ Parisiorum cum Regis Christianissimi privilegio typis Christiani Cramoisii vulgavit) continentur, lectori repræsentare, Sic autem ille: *Septima apud Græcos vocata universalis Pseudo-Synodus de imaginibus, quas quidam confringendas, quidam autem adorandas dicebant, neutra autem pars intellectu sano diffiniens, sine authoritate Apostolicæ sedis, non longè ante nostra tempora Constantinopoli est à quàm plurimis Episcopis habita, & Romam missa, quam etiam Papa Romanus in Franciam direxit. Unde tempore Caroli M. Imperatoris, jussione Apostolicæ Sedis generalis est Synodus in Francia, convocante præfato Imperatore, celebrata, & secundum Scripturarum tramitem, traditionémque majorum, ipsa Græcorum Pseudo Synodus destructa & penitus abdicata. De cujus destructione non modicum volumen, quod adolescentulus in palatio legi, ab eodem Imperatore Romam est per quosdam Episcopos missum, in cujus voluminis quarto libro hæc de Universalis nomine scripta sunt.* Quo loco describit Hincmarus ex Opere Carolino libro IV. caput 28. omnino quale hodie in codicibus editis extat, Frigidissima verò sunt, quæ testimonio huic Editor Conciliorum Parisiensium opponit. qualia sunt, *quòd asserat, in quadam VII. Synodo quosdam dixisse, imagines esse confringendas, alios, esse adorandas: Synodum Nicænam sine authoritate Papæ esse celebratam: Constantinopoli habitam esse illam Synodum: acta ejus Romam missa esse per Episcopos, cùm alii dicant, per Engelbertum illuc missa esse.* Quis cassa nuce digna

digna isthæc esse dixerit? Etenim erraverit in his omnibus Hincmarus. An propterea locus ille Hincmari non est? Atqui cum Hincmaro tribuit Baronius, tribuit Codex Thuanæus, tribuit Cordesiana editio. Quid aliis argumentis in re clara opus? Sed nec erravit ille tamen in plerisque. Etenim non dixit, *in Septima Synodo quosdam dixisse, confringendas esse imagines, alios verò, adorandas esse*, sed, *universalem Synodum vocatam esse de imaginibus, quas quidam* (non in Concilio Nicæno, Constantinopolitano VII.) *confringendas, quidam* (ante Concilium Nicænum) *adorandas* dixerint. Quòd Synodum Nicænam *sine authoritate Papæ celebratam esse* innuit, paria sentit cum libris Carolinis. Nempe persuaderi illi non poterat, rem adeò illegitimam ab Hadriano I. factam, ut sine cognitione, consensione & authoritate Ecclesiarum Occidentis mitteret, cognosceret, statueret, approbaret tantam causam in præjudicium Ecclesiarum Occidentalium, ad quas res æquè pertinebat. Ne plura, noluerunt credere, Hadrianum tam immodestum, tam audacem, præfidentem, superbum esse, ut sua authoritate & ordinem publicum, & Ecclesias Christi, & veritatem Dei uno impetu oppugnaret. Modestiores fuerunt in judiciis ferendis, quàm Hadrianus in præcipitandis; eumque arbitrati sunt veritati ac sibi, re ampliùs cognita, crediturum. Errarunt ergo in quæstione facti, quia Papam improbum fuisse non crediderunt, ut Ecclesiis Occidentalibus ne quidem citatis, auditis, in rem tanti momenti consenserit. Quòd & libri Carolini, & Patres Francofurtenses ipsi, & Hincmarus, aliique etiam veteres historici Synodum illam, quæ à Carolinis libris oppugnata, & à Francofurtensi Concilio condemnata est, *Constantinopoli* celebratam scribunt, non errarunt equidem; neque aliam à Nicæno II. intellexerunt; sed Constantinopolin figuratè dixerunt pro Imperio Constantinopolitano, quatenus illud Romano, seu Occidentali opponitur. Demonstrant hoc librorum Carolinorum verba, quibus Synodum illam non nudè Constantinopoli, sed *Constantinopoli in Bithynia* celebratam dicunt; Constantinopoleos nomen generale restringentes, voce *Bithyniæ* addita; Nicææ verò nomen tum honorificè, propter sanctam illam Synodum primam, tum brevitatis causa dissimulantes, quia semper vocem *secundæ* adhiberi oportuisset. Notavit id etiam Doctissimus Sirmondus, qui ad verba Concilii Francofurtensis; *Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt*, sic adnotavit: *Hinc & Eginhartus in Chronico*: Synodus etiam, quæ ante paucos annos Constantinopoli sub Irene & Constantino filio ejus congregata, & ab ipsis non solùm septima, verùm etiam Universalis erat appellata, ab omnibus abdicata est. *Rectiùs autem in Præfatione librorum Carolinorum in Bithyniæ partibus habita dicitur. nam apud Nicæam Bithyniæ coacta est. Itaque Constantinopoli factam sic intelligendum hoc loco, non quòd in ea urbe, sed quòd ab Imperatoribus Constantinopolitanis.* Denique libros Carolinos ad Hadrianum missos esse & *per Engelbertum Abbatem*, uti Hadrianus narrat, & *per Episcopos*, uti Hincmarus scripsit, quid credere vetat? Nam neque negat Hincmarus Engelberti, ex intima Caroli amicitia ministri comites fuisse istos, de quibus memorat, Episcopos; neque affirmat Hadrianus, solum sine illis Episcopis venisse Engelbertum. Sed esto, Hincmaro obiter & aliud agendo rem narranti per imprudentiam nomen *Episcoporum* pro *Abbatis* vocabulo exciderit, an id grave adeò crimen fuit, ut in Hincmarum cadere non potuisset? Quò etiam illud pertinet, quòd idem Hincmarus Synodum Nicænam *sine authoritate sedis Apostolicæ* celebratam esse, scripsit, uti supra vidimus. Vides ergo, Redingi, quàm in suspicionibus illis Editoris Conciliorum sit οὐδὲν ὑγιές; quámque turpiter tibi imponi patiaris. Sperabam equidem, omnem de causa hac disceptationem supervacaneam dein-

ceps futuram, postquam Sirmondus Jesuita, Vir istius ordinis longè doctissimus, & rari in eodem ordine candoris, in altero Synodorum Gallicanarum tomo Francofurtensis Concilii Canones LVI. exhibuit; & Operi admonitionem ad lectorem præfixit, in qua sic ille *pag.* 291. loquitur: *Nunc verò & Synodi Canones, librósque Caroli pro legitimis omnes ferè agnoscunt, & de Synodo Nicæna quæstionem fuisse, quod ex libris ipsis patet, similiter consentiunt. Ac de libris sanè Caroli, ut Hincmarum omittam, qui hos à se lectos testatur, inficiari nemo potest, nisi qui Hadriani Papæ ad eosdem libros responsioni, seu confutationi, quæ in omnium manibus versatur, fidem detractam velit. De Canonibus verò, qui sequuntur, quin ii quoque veri sincerique sint, nobis certè propter antiquissimi Codicis auctoritatem ambigere non licet: ut de multis ejus seculi scriptoribus nihil dicam, qui dum septimam Synodum à Francofordiensi rejectam tradunt, secundum hunc canonem, de quo agimus, tacitè significant.* Atque eandem sententiam novissimè Sorbonæ doctor celebris, adversus Maimburgium, Ex-Jesuitam publico scripto, Jesuitarum fraudibus suppresso (cujus tamen copia nobis est) fortissimè propugnavit. Sed quis præjudicia & obstinationem animi præfracti vincere, præter solum Deum, potis est? 8. Non ignoraveram Eccii expostulationem, qua Tigurinæ Ecclesiæ olim insultavit thraso. Sed nec ignoro, quàm cordatè impetum hominis ὁ πάνυ Bullingerus noster retuderit. Ejus verba, quæ *de Orig. Error, lib. I.* 26. extant, ponam. *Carolus M.* sic ille, *libros scripsit contra eos, qui adorant vel venerantur imagines. Proinde Tigurini tollentes simulachra, quæ palam adorabantur, nihil in Carolum Regem peccarunt, sed obedientes potiùs legi Divinæ, quem ipsis Zwinglius prædicabat, exempla maximorum sanctissimorúmque virorum imitati, in Ecclesia jure fecerunt id, quod fecerunt. Adeòque Eccii & similium Papæ adulatorum & Bilcamitarum sannas & convitia nihil morantur. Si Eccius legit Caroli Regis Francorum libros illos, quos citat, & nihilominus ausus est ista infarcire suo Enchiridio, prodigiosa effrenisque in eo apparet mentiendi licentia. Si verò non legit, & tamen ista sic jactavit, non minùs abominabilis & impudica in ipso cernitur quævis commentandi audacia & impudentia. Sed & Carolo Principi debitum impendunt honorem, ipsiúsque agnoscunt beneficia, neque in bene meritum ingrati sunt.*

OBJECT. IX. *Primitivæ ecclesiæ Patres imaginum cultum probârunt. Canon Apostolorum in Synodo VII. relatus, jubet pingere Divinam humanámque manufactam, impermixtam effigiem Dei vivi & Salvatoris nostri Jesu Christi, ipsiúsque Servorum. Dionysius Areopagita quæst. ad Titum, jubet intra Sacra signa congruentem rebus cogitationem suscipere, & ea quæ sunt Divinarum formarum notæ atque exempla, & perspicua arcanorum spectaculorum imagines, non contemnere. Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 22. meminit Cherubinorum & Serpentis ænei. Eusebius lib. V. Dem. Evangel. scribit, locum quercus Mamre, apud quam Deus Abrahamo apparuit, tanquam Divinum celebrari, & hospites ab Abrahamo exceptos pictura ibi expressos esse. Athanasius lib. Interrogat. & Resp. ad Antioch. cap. 38. ait, Christianos imagines colere ea ratione, qua filios nostros & patres osculamur, animi desiderium indicantes. Basilius lib. contra Julian. fatetur, se historias & characteres imaginum honorare & adorare, idque ab Apostolis traditum esse. Gregorius Nyssenus Orat. de laudibus S. Theodoreti narrat, in Templo depingi fortia facta martyris, & solere picturam tacentem in pariete loqui, maximéque*

ximéque prodesse. Chrysostomus in liturgia memorat, Sacerdotem converti ad Christi imaginem inter duo ostia inflexo capite cum exclamatione. Ambrosius lib. de Dom. incarnat. Sacram. cap. 7. ait, in Christo nos imaginem crucémque Dei venerari. Hieronymus quoque refert, Helenam se prostravisse coram cruce. Aug. Reding. *pag.* 806. 807. *&c.* Resp. 1. In ipso Papatu viri docti Erasmus, Cassander, Polydorus Vergilius, alii fassi ingenuè sunt, *ad ætatem usque Hieronymi fuisse probatæ religionis viros, qui in Templis nullam ferre voluerint imaginem, nec pictam nec sculptam, nec textam, ne Christi quidem, propter Anthropomorphitas.* Plura etiam ex antiquitate adversus imagines argumenta superiùs attulimus. 2. Canonem Apostolicum ὑποβαλιμαῖον esse, multis argumentis Viri docti, inprimis Cl. Dalleus *de Pseudepig. Apost. lib.* III. 25. demonstrârunt. Sufficiat monuisse, triplicem esse canonis diversámque lectionem, & in Synodi VII. antiqua translatione Canonis hujus nullam omnino mentionem fieri imaginum. Tantùm ait, *certandum esse ante* στήλην *columnam Domini nostri Jesu Christi*, quæ verba difficilem & obscurum sensum habentia, de imaginibus certè non loquuntur. Anastasius verò Bibliothecarius imaginum fautor, canonis sensum ad imagines detorsit, & pro *certandum*, ille *imaginandum*, pro *columna Dei hominisque Jesu Christi* idem *Deivirilem Christi statuam* supposuit. Dionysii Areopagitæ librorum quæ fides sit, sæpius jam ostendimus. Tertullianus *loc. cit.* docet, quæ differentia sit inter Cherubinos & Serpentem æneum, ac imagines lege Dei prohibitas. Quas ille adeò non probavit, ut ἀμετρίᾳ τῆς ἀνθολκῆς omnes imagines damnaverit, uti liquet inspicienti loca *de Spectac. cap.* 23. *de Idolol. cap.* 3. 4. 5. *contra Marcion. lib.* 4. *cap.* 22. & ipsum locum ab Adversario citatum. Eusebii verba *Demonstrat. Evangel. lib.* V. 9. de Filio Dei apud quercum Mamreh Abrahamo apparente ita sonant: Ὅθεν εἰσέτι καὶ νῦν πρὸς τοῖς πλησιοχώροις, ὡς ἂν θεῖος ὁ τόπος εἰς τιμὴν τῶν αὐτόθι τῷ Ἀβραὰμ ἐπιφανέντων θρησκεύεται, καὶ θεωρεῖταί γε εἰσδεῦρο διαμένουσα ἡ τερέβινθος. Οἱ γὰρ τῷ Ἀβραὰμ ἐπιξενωθέντες, ἐπὶ γραφῆς ἀνακείμενος, δύο μὲν ἑκατέρωθεν, μέσον δὲ ὁ κρείττων ὑπερέχων τῇ τιμῇ. Hæc Franciscus Vigerus Jesuita ita ad verbum transtulit: *Qua de causa hodie quoque à vicinis & in proximo habitantibus, quasi Divinus colitur atque observatur is locus, honoris illorum gratia, qui Abrahæ in illo visi sunt: atque etiam nunc ibidem permanens terebinthus conspicitur. Qui enim ab Abraham hospitio excepti sunt, ut habet Scriptura, recumbentes erant duo quidem utrinque, medius autem excellentior, & qui reliquos anteiret.* Hæc postrema verba ita allegat Redingius: *Spectatur adhuc ibi firma terebinthus, & qui ab Abraham excepti sunt hospitio,* PICTURA *sic expressa* &c. Pro *Scriptura* supposuit majusculis literis PICTURA, atque inde tres illos hospites in loco illo *pictura expressos* insinuavit. Fateor

quidem, vocem γραφὴ, qua utitur Euſebius, & *Scripturam* & *picturam* notare poſſe. Sed hoc loco *picturam* intelligere vetat tum connexio, tum hiſtoria ipſa. Nam & Hieronymus, & Nicephorus aliique hiſtoriam terebinthi illius memorant, ſine ulla tamen mentione picturæ, quam, ſi verè ibi extitiſſet, memoratu utique digniſſimam omiſſuri haud fuerant. Quæſtiones ad Antiochum Athanaſio tributas ſuppoſititias eſſe fusè probat Poſſevinus, & agnoſcunt etiam Maldonatus *in Joh. cap.* IV.23. & Bellarminus *lib. de Script. Eccleſ.* Eadem ratio eſt loci ex Baſilio citati, qui ab Adriano Pontifice iconolatrarum Principe ſolo jactatus eſt. Gregorius Nyſſenus *Orat, de laudibus Theodori* picturæ meminit, at religiosè cultæ & adoratæ non item. Liturgia Chryſoſtomo attributa ſequioris ævi eſt. Habentur in ea preces pro Nicolao Pontifice, qui diu poſt Chryſoſtomum vixit. Neque Epiſtola Hieronymi 27. quæ Helenam coram cruce ſe proſtraviſſe memorat, γνήσιος eſt. Quanquam crucem ab ipſa adoratam eſſe, nemo idoneus teſtis oſtendi poteſt.

EXCIP. REDING: 1. *Poſita lectione Canonis Apoſtolici, quam propugnas, dicunt Apoſtoli, certandum eſſe ante στήλης ſeu columnam Domini noſtri Jeſu Chriſti. Quid columna illa aliud eſt, quàm imago Chriſtum repræſentans, religioſo certamine in Chriſti honorem colenda?* 2. *Dionyſii Areop. libros genuinos eſſe, ſupra probavimus.* 3. *Tertullianus l. cit. diſertè ait, Deum ſimilitudines omnium rerum vetando, cauſas idololatriæ ſubſtantiam cohibentes oſtendentem, ſubjicere non adorandas, nec illis ſerviendum eſſe. Ergo non in ſe, ſed in ordine ad ſervitutis adorationem prohibitas docet; & in ejus rei argumentum ſerpentis ænei & Cherubinorum effigies allegat.* 4. *Saltem Euſebius etiam juxta Vigueri translationem ſcribit, locum illum, in quo tres viri Abrahamo apparuerunt, quaſi Divinum, coli, honoris ſcilicet illorum gratia.* 5. *Quæſtiones ad Antiochum Athanaſio tributæ ſaltem antiqui & probati Doctoris authoritatem obtinent.* 6. *Locum illum Baſilii nec primus, nec ſolus Hadrianus, ſed ſecunda etiam Epheſina Synodus aliquot ſeculis priùs citavit. Quin & Epiſt.* 24. *Baſilii diſertè ille refertur.* 7. *Ne quæſtionem de Chryſoſtomi liturgia denuo ventilem; ipſe certè Chryſoſtomus in encomio S. Meletii memorat hujus imaginem, quam ſacram ubique auditores ejus expreſſerint, ut ubique figuram corporis ejus viderint.* 8. *Gregorium Nyſſenum picturæ Chriſti meminiſſe, negare auſus non es. Tantùm non adoratam eſſe, excipis. At nec nos imagines ſtrictè ſeu ſimpliciter religiosè adoramus.* 9. *De Ambroſio & Auguſtino cur taces?* 10. *Quòd Hieronymi Epiſtolam genuinam eſſe negas, ad tuum conviciandi pruritum pertinet. Sicut Ambroſius Orat. de obitu Theodoſii, hunc non lignum, ſed Regem adoraſſe ſcribit: ita Helena non crucis lignum, ſed Chriſtum adoravit.* Ibid. pag. 166. 167. Reſp. 1. Controverſus ille canon non eſt inter Canones Apoſtolicos LXXXV. ſed inter novem illos, quos illis octoginta quinque Baronius & Binius non alia, quam Jeſuitæ Turriani, hominis recentiſſimi & decoctoris fidei ſuæ, fide prodiderunt, octavus; ob quem unum cœteri illi à Turriano conficti ſunt. In Synodo Nicæna Gregorius Piſinuntis Epiſcopus illum recitaſſe fertur. Antiqua verò ejus translatio *Act.* 1. *Conc. Nic.* Latina ſic habet: *Servatos non debere ampliùs ad idola aberrare, ſed certandum eſſe ante columnam*

Dri

Dei hominisque Jesu Christi Domini nostri. Anastasius longè aliter legit : *Ne ultra errent hi, qui salvi fiunt circa idola, sed pro eis imaginentur Dei-virilem statuam Domini nostri Jesu Christi.* In Turriani libro *pro Can. Apost. cap. 25.* sic exprimitur: Τοῦ μὴ πλανᾶσθαι τοὺς σωζομένους εἰς τὰ εἴδωλα, ἀλλὰ ἀντεικονίζειν τὴν θεανδρικὴν ἄχραντον χειροποίητον στήλην τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τῶν αὐτοῦ θεραπόντων ἀντικρὺ τῶν εἰδώλων καὶ Ἰουδαίων, καὶ μηκέτι πλανᾶσθαι εἰς εἴδωλα, μηδὲ ὁμοιοῦσθαι τοῖς Ἰουδαίοις. *Ut ne errent salvati in idola, sed pergant ex opposito Divinam humanámque manufactam impermixtam effigiem Dei veri ac Salvatoris nostri Jesu Christi, ipsiúsque servorum, contra idola & Judæos. Neque errent in idolis, neque similes fiant Judæis.* Prima illa versio, eáque antiquissima, imaginum mentionem omnino nullam facit. *Certandum* ait ante *cólumnam Domini nostri Jesu Christi.* Quæ verò hæc columna ? An *Ecclesia*, quam *columnam veritatis* Apostolus 1. Tim. III. 15. dixit ? Si imago Christi, vel crucis Christi, quomodo ante eam Christiani certarunt ? Et si certarunt, & *religioso* etiam, uti Redingius ingerit, certamine, an imagines adorando, venerando certarunt ? Nam aliud, nisi fallor est, ante imaginem certare, aliud imaginem ipsam *venerari, adorare*, sive sui, sive prototypi gratia. Posterius Nicæna Synodus præcepit. Anastasii versio pro *certandum* legit *imaginandum* ; & pro *columna Dei hominisque Jesu Christi* substituit *Dei-virilem statuam Christi.* Immane utrasque inter versiones discrimen est. Aliud enim est, *ante columnam Christi certare*, aliud *statuam Christi imaginari.* Nempe Anastasius pro ἀγωνίζεσθαι *certare* substituit ἀντεικονίζειν *in vicem* idolorum *imaginari.* & pro στήλην *columnam* θεανδρικὴν *Dei virilem* Corruptelas hasce Anastasianas Turrianicus impostor secutus est, & aliis etiam auxit. Quid in his omnibus Apostolicum ? Imò quid non fictitium, Apostolicæ doctrinæ, legem Divinam nuspiam abroganti, sed stabilienti etiam, & Ecclesiæ Christianæ subsequentis praxi è diametro contrarium ? Et cur Canonem ejusmodi Apostolicum, siquidem ille iconolatriam confirmavit, Gregorius M. Sereno Massiliensi; Damascenus, Germanus, Nicephorus Iconoclastis ; Hadrianus Carolo ; Jonas Aurelianensis Claudio Taurinensi objecerunt, ut compendio tali adversarios imaginum constringerent ? Unus scilicet ille Gregorius, Pisinuntis Episcopus, homo obscurus, peregrinum illum canonem ex tenebris nescio quibus eruens quam fidem meretur ? Quam interpolatores Anastasius & Turrianus ? Non dicam, Canonem illum, uti à Gregorio citatur, adversari ipsi Synodo Nicænæ II. utpote quæ non ullas statuas vel columnas, sed *Act.* 7. tantùm τὰς ἐκ χρωμάτων καὶ ψηφῖδος *ex coloribus & tessellis*, id est, operis, uti vocant, *musivi* imagines probat : & in qua *Act.* 4. Germanus similiter *statuas æneas faciendas* negat. 2. De Pseud- Areopagiticis scriptis nos quoque ad nauseam dicta repetere omittimus. 3. Tertulliani *contra Marc. lib. II.* 22. hæc verba sunt ; *Similitudines vetans omnium, quæ in Cælo, & in terra, & in aqua, ostendit & causas, idololatriæ scilicet substantiam cohibentes. Subjicit enim, Non adorabis ea, neque servietis illis.* Quorum verborum non his sensus est, quòd lex Dei imagines cultu Dei prohibeat tantùm *in ordine ad servitutis adorationem* (quanquam & vos servitutem, adorationem iisdem reapse impenditis) sed alius planè, quòd videlicet causa, cur Deus omnem similitudinem tam districtè prohibeat, hæc sit, ut omnem omnino idololatriam ex populo suo exterminet, cohibita & subducta ipsa idololatriæ substantia, hoc est, pingendi fingendique artificio, à quo suæ impietatis objectum & materiam idololatræ mutuantur. Nam ipsum, uti supra ostendimus, pingendi artificium propter solam hanc causam condemnavit. Quia verò objici posse serpentis ænei & Cherubinorum

rum figuras prospexit, sic statim occupat: *Serpentis autem ænei effigies postea præcepta Mosi à Domino, non ad idololatriæ titulum pertinebat, sed ad remediandos eos, qui à serpentibus infestabantur* (q. d. non fuit imago in cultu Dei, sed symbolum sanationis) *Et taceam de figura remedii* (q. d. remedium illud etiam figura fuit Christi exaltandi) *Sic & Cherubim & Seraphim aurea in arcæ figuratum exemplum, certè* (NB) *simplex ornamentum, accommodata suggestui, longè diversas habendo causas ab idololatriæ conditione, ob quam similitudo prohibetur, non videtur similitudinum prohibitarum legi adversari, non in eo similitudinis statu deprehensa, ob quem similitudo prohibetur.* (q. d. ne quidem similitudo, imago fuerunt) Hanc sibi mentem fuisse, idem *lib. de idol. cap. 3. 4.* eandem de Cherubinis objectionem diluens, fusiùs ostendit. Quin & sensisse eum, simpliciter & absolutè nefas esse, ullam omnino similitudinem effingere, Cardinalis Perronius *Act. Conf. Fontaineb. p. 93.* palam profitetur. hoc unum causatus, Montanistam fuisse, cùm talia scriberet. 4. Nondum purgasti fraudem in citandis Eusebii verbis. ubi pro γραφὴ majusculis literis PICTURA supposuisti; cùm reddendum esse *Scriptura*, demonstraverim. Sed an illam γραφὴν seu *picturam*, seu *scripturam* à quoquam religiosè adoratam esse, Eusebius dixit? Nihil certè minùs. Sed locum illum, in quo Abrahamo tres viri apparuerunt, ὡς ἂν θεῖον θρησκεύεσθαι *ceu Divinum coli*, Eusebio teste, ais. Sed θρησκείαν *cultum* illum *religiosum* & ejusmodi quidem, qualis vester est, quem imaginibus defertis, non credo, Eusebio in mentem venisse. An enim putavit ille, locum, in quo apparitio illa facta est, à quoquam adoratum esse? Cultum ergo reverentiæ, non religionis innuit. 5. Unde verò tibi constat quæstiones *ad Antiochum*, Athanasio tributas esse *antiqui & probati doctoris*? Imò Athanasio ferè trecentis annis recentiorem hunc fœtum esse, viri docti, vestrarum etiam partium, probarunt. Et quæ ex authore eo citantur pro imaginibus verba, Græci cujusdam idololatræ, secundi Concilii Nicæni fautoris stylum manifestè redolent, multis absurditatibus ac ineptiis conspersum. 6. Cruda certè est illa, quam Hadrianus Papa *Concil. Nic. II. Act. 2.* Basilio tribuit, sententia. Ait enim, illum *in Julianum* hæc verba dixisse: *Historias imaginum illarum honora, & palam adora. Hoc enim traditum à S. Apostolis non est prohibendum.* Hæc verba Lindanus *Panapl. lib. III. 25.* vocat *nobilissimum fragmentum, aurea verba, Ajacis clypeum*, pro imaginibus scilicet. Neque magnificè satis iconolatræ sententiam illam exornare & prædicare possunt. Sed frustra hæc verba apud Basilium requiras. Nam nec in Julianum quidquam ille vel scripsit; vel scripsisse sive ab Hieronymo in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, sive Photio in Bibliotheca memoratur: nec Epistola 24. ad quam Redingius provocat, ulla extat, uti Epistolas ejus lustranti liquet: (soli primique Parisienses in editione Operum Basilii A. 1638. procurata spurium hunc fœtum & dubiis parentibus prognatum inter vera Basilii opera, nulla adjecta nota vel admonitione, recensuerunt) nec in actis Ephesini II. Concilii quidquam tale apparet, nec Græcorum doctissimi, imaginum fautores maximi, Damascenus, Germanus, alii uspiam hæc verba pro causa sua allegarunt. Quid ergo? Non alia fide hæc constant, quàm Hadriani Papæ, qui prodigiosa fingendi κακοηθείᾳ omnia depravans, hanc viro Sancto impiam sententiam affinxit, & Nicænam Synodum, universámque iconolatriam sua authoritate promovit maximè. Sicut ergo Episcopi multi in Synodo Nicæna II. *Act. 6.* ad testimonium ex Theodoro Ancyræ Episcopo contra imagines allatum responderunt; *Multi nostrum diligenter quærentes & indagantes in sermonibus hujus Theodori, præsentem sententiam nusquam invenimus, ex quo convincitur, ementitum esse testimonium*: ita nos ad testimonium ex Epistola Basilii ad Julianum Impera-

peratorem pro imaginibus allatum respondemus : *Multi nostrum diligenter quærentes & indagantes in scriptis hujus Basilii, præsentem sententiam nusquam invenimus, ex quo convincitur, ementitum esse testimonium.* 7. Bene equidem, quòd liturgiam Chrysostomi jactare desinis. Cento enim est, diu post mortem Chrysostomi, diversísque temporibus consutus. An Chrysostomus esset author ejus liturgiæ, in qua ipse Chrysostomus inter Sanctos defunctos numeratur ? In qua mentio fit multorum Sanctorum, qui Chrysostomo posteriores sunt. quales sunt Sabas, Onuphrius, Arsenius, Athanasius in Atho, aliíque plurimi ? Taceo argumenta ejus generis plurima. Consultò igitur deserta liturgia convolas ad ejusdem Chrysostomi orationem in Meletium Antiochiæ Episcopum, quæ est 45. *ad populum*; sed non tutò magis. *Quod ergo*, inquit ille ad populum, *in nominibus fecistis, hoc & in illius imagine gessistis. Etenim & in* (σφενδόναις) *annulorum circulis, & in calicibus, & phialis, & in thalamorum parietibus ubique imaginem sanctam illam exaraverunt multi.* An verò vel Meletii, vel alterius cujusquam simulachrum publicè in Ecclesia propositum, nedum adoratum, idem Chrysostomus dixit ? Nam nos etiam, qui nullas in Templis imagines habemus, non ideo nefas putamus Pastorum, vel aliorum etiam, quos impensè diliximus, ora ad vivum pingendo curare, iconésque eorum in ædibus servare. 8. Gregorius Nyssenus *Orat. de S. Theodoro* (non *Theodoreto*, uti imperitè Redingius) de sepulchro Theodori illius inter alia : *Induxit autem etiam pictos flores artis in imagine depictos, fortia facta Martyris*, &c. Τοῦ ἀγωνοθέτου Χριστοῦ τῆς ἀνθρωπίνης μορφῆς τὸ ἐκτύπωμα, *certaminum præsidis Christi humanæ formæ effigiem* &c. Subjicit: *Solet enim etiam pictura tacens in pariete loqui.* Manifestum est, historicum usum, ornatum, cultum nullum innui. Seculo enim quinto cœpisse hinc inde picturas in Templis etiam collocari, ad usum merè historicum, hoc est, ad revocandum spectatoribus in memoriam res gestas, eósque ad virtutem extimulandos, supra diximus. Neque id disceptamus hoc loco, sed alia omnia, religiosum cultum, adorationem. quam nullam omnino sive *simpliciter & strictè*, sive *latè* talem (distinctio enim hæc adorationis religiosæ æquè veteribus nota fuit, ac Redingius ipse) Gregorius memorat. Et cujusmodi vestra sit, sæpe diximus. 9. De Ambrosio & Augustino tacui meritò. Nimis enim aliena sunt, quæ ex iis pro iconolatria vestra mussitatis, testimonia. Nam librum de Sacramentis, ad quem provocas, spurium esse, pluribus argumentis, Robertus Cocus *Cens. Patr.* ubi de operibus falsò Ambrosio adscriptis agit, probavit. Bellarminus porro isthæc Ambrosii *in Psal.* 118. objecit : *Qui imaginem coronat Imperatoris, utique istum honorat, cujus imaginem coronavit : & qui statuam contempserit Imperatoris, Imperatori utique fecisse videtur injuriam.* Sed hic nihil de fingenda vel pingenda imagine Dei: nihil de adoratione aut cultu imaginum, nihil, quod non nos quoque, hostes illi imaginum, quotidie usurpemus; nimirum cùm homo sit Dei opus & imago, Dei in homine majestatem vel honorari vel violari. Sed inanimatas illas & Divinitus prohibitas in cultu imagines Dei veras imagines esse, priùs probandum fuerat. Neque minorem S. Augustino facitis injuriam, cùm ejus de signis verba, quæ *de Trinit. lib. III.* 10. extant, obtorto collo huc trahitis. *Sed quia*, inquit, *hæc hominibus nota sunt, quia per homines fiunt, honorem, tanquam religiosa, possunt habere, stuporem, tanquam mira, non possunt.* Nihil hæc ad Dei & Christi imagines. Neque honor, de quo ibi agit, potest esse cultus, qui imaginibus impenditur, quandoquidem literas sic vult honorari. Hac ratione facilè ex pumice aquam, ex flamma victum expressitis. 10. Ratum denique esto, & Helenam & Theodosium non crucem, sed Christum ado-

adoraſſe. Horum enim veſtigiis ubi inhæſeritis, facilè hactenus pax coaleſcet. Sed aliud Conciliorum veſtrorum decreta, & promiſcua praxis clamant.

QUÆSTIO V.

An memorias Christi & Sanctorum, impetrandæ eorundem opis cauſa, frequentare, & ad eas ex remotis locis peregrinari liceat?

AFfirmat Decretum *de Invocatione* &c. & eos, qui memorias eas fruſtra frequentari ſtatuunt, damnat. Poteram ſanè hac quæſtione, quam ſeorſim tractavi, & adverſus Bernhardum Baldingerum & Auguſtinum Reding vindicavi, ſuperſedere. Quia tamen Redingio viſum eſt contentionis ſerram reciprocare, & Baldingeri etiam patrocinium ſuſcipere, occaſione hac non invitante, ſed impellente, bonum factum putavi, denuo argumenta mea paucis repetere, & pulverem ab Adverſario iis offuſum diſcutere. In prologo queritur, *Tigurinum Profeſſorem non ex Sacris literis, ſeu Patrum Orthodoxorum allegationibus procedere*, quaſi videlicet *Sacræ literæ* & *Patrum allegationes* idem ſint & valeant. Sed injuriam mihi facere virum, cognoſcet, quiſquis vel mea legere dignabitur, vel Adverſarium ipſum, qui argumenta mea repetens, omnia tanquam ex Scripturis & antiquitate petita retulit *pag.* 117. 118. *&c.* Quòd verò alicubi ad Scholaſticum certamen deflexi, id ipſi Adverſario imputare debeo, qui me importunè provocans, invitum ægrúmque animi, huic Sacro minimè Sacro præter viam facere, & in piſtrino hoc molere coëgit. Sed nunc ad rem. Peregrinationes igitur ad memorias Sanctorum religioſas illicitas eſſe, denuo contendo. Etenim

ARG. I. Mandato & promiſſione Dei deſtituuntur, ſine quibus quicquid in religione præſtatur, non cultus, ſed ſuperſtitio eſt, Deut. XII. 8. 32. Eſaj. XXIX. 13. Matth. XV. 9. Col. II. 22. 23. Exceperat nonnulla adverſus hoc argumentum Baldingerus. Reſpondi *pag.* 138. 139. Succollat ei Redingius *pag.* 824. 825. *Primò* enim ex umbris Petri & ſudariis Pauli argumentum nectit, quod inferiùs ventilabimus. *Secundò* loca à me allegata eludere conatur. *Deut. XII.* inquit], *prohibetur cultus idolorum, indicitur tamen veri Dei cultus per religioſas peregrinationes exhibendus.* Ubi verò indicitur? In V. Teſt.? Fateor. Ibi enim mandatum occurrit. In N. Teſt? Nego. Ibi enim locorum diſcrimen disertè ſublatum eſt, & conſequenter etiam mandatum V. T. utpote ceremoniale & temporarium abrogatur.

Eſaj.

Esaj. XXIX. & Matth. XV. ita pergit, *queritur Deus, cor Judæorum longè esse à se, ut non timeant se nisi mandato & doctrinis hominum. At Confessio Helvetica cap. 27. fatetur, ecclesiæ suæ fas esse instituere ceremonias circa Sacramentorum administrationem. Ergo etiam cor Ministrorum suæ reformationis longè erit à Deo.* At ego discrimen inter constitutiones ecclesiasticas, quæ in Confessione nostra probantur, generalique mandato Dei innituntur, & cultus religiosos commentitios fusè asserui *pag.* 344. 345. Adversarii fuerat ad ea respondere, non cramben recoquere. *Coloss. II. 22. 23.* ita instat, *ille cultus voluntarius prohibetur, cujus ratio sapientiæ ex pura humana inventione procedens adversatur verbo Dei. Atqui peregrinationes non adversantur verbo Dei, quia protestantur de excellentia Dei tum in se tum in Sanctis laudanda.* Imò verò damnatur ἐθελοθρησκεία *cultus voluntate propria, non Dei susceptus.* Neque peregrinationes protestantur de excellentia Dei, tum quia is modus protestationis nuspiam institutus est: tum quia loco, reliquiis, Sanctis honorem soli Deo debitum tribuit.

RESP. REDING: 1. *Fatente te ipso sufficit, cultum religiosum Dei mandato generali definitum esse. Necesse igitur non est, ipsum etiam in individuo quoad materialem actionem, in actu exercito esse Divinitus definitum, modò nihil habeat formalitatis moralis, quod cum honestate religionis virtutem specificante pugnet. At pugnare quicquam, textus à te allegati non probant; sed ex verbi Divini oraculis contrarium liquet. 2. In Peregrinationibus V. T. discernendum tibi fuerat, quod erat ceremonialis observantiæ, & quod erat virtutis moralis. Illud abrogatum est; hoc manet: uti vel solum quartum Decalogi præceptum ostendit. Nam vi ejus dies Dominicus sabbatho substitutus est citra ullum Dei præceptum, ex solo Ecclesiæ sive Apostolorum mandato. 3. Quare sub cultu voluntario Coloss. II 23. reprobato non alius cultus intelligitur, quàm qui præ se fert aliquam significationem veræ fidei ac religioni contrariam. uti ex v. 21. 22. colligitur. Licet ergo peregrinationes religiosæ in N. T. præceptæ non sint, non ideo tamen illicitæ sunt. Dantur enim in N. T. opera supererogatoria, quæ nulli præcepto subjacent. 4. Deut. XII. 32. agitur de ceremoniis legi Divinæ directè adversantibus, uti ex v. 30. 31. colligitur. Quomodo alias subsisteret mandatum Mosis Deut. XVII. 10. jubentis sub pœna mortis obedire decretis Sacerdotum? Quomodo edicta Magistratuum? Quomodo novi ritus à vobis introducti? 5. Matth. XV. 9. arguuntur Pharisæi & Scribæ, quòd sibi arrogarent cultum Dei sub tali hominum doctrina, qua propter traditionem Pharisaicam irritum Dei mandatum redderetur, uti ex v. 5. & 6. apparet. Atqui per peregrinationes Dei mandatum irritum non redditur.* Tomo V. Tract. XIII. ſſ. 2. pag. 170. 171. Resp. Meas de Religiosis Peregrinationibus Dissertationes ante octodecim annos in lucem emissas sic in Anatome vindicavi, ut præter barbaros & inanes logos, vel λῃρολογίας potiùs, nil reponere potueris. Id verò responsiones tuæ, quæ perpetuas ἐν ἀρχῇ λήψεις mendicant, etiam me tacente, produnt. Etenim 1. ubi ego fassus sum, *cultum religiosum Dei mandato generali definitum esse?* Non de *religioso Dei cultu*, sed de *constitutionibus ecclesiasticis*, illis, scilicet, quæ cultus religiosi circumstantias, ordinem, locum, tempus, aliásque verbo Dei non definitas, & natura sua adiaphoras, definiunt, ex Confessione nostra disertè locutus sum. Cur id nefariè ad *cultum religiosum* ipsum detorques?

Hunc enim *in individuo, & quoad materialem etiam actionem in actu exercito* (ita pro more tuo barbarizas) definiri Dei verbo debuisse, atque definitum actu esse, illa ipsa loca, quæ tibi objeci, ostendunt. Cultus religiosi substantia in salutari cognitione veri Dei mysteriorúmque salutis, fide, spe, charitate consistit. Si ad illam peregrinationes religiosæ pertinent, cedo tandem mandatum, legem, verbum Divinum! Israelitæ non sine mandato Divino Hierosolymam ascenderunt: & qui sine mandato Divino Bethelem & Danem, ibi in vitulis verum Deum adoraturi peregrinati sunt, hanc solam ob causam à Deo ipso idololatriæ rei habiti sunt, Finxerunt Deum specialiter in vitulis illis præsentem esse: planè sicut vos specialem Dei apud simulachra vestra præsentiam fingitis; & figmento tali peregrinationes religiosas inædificatis. Non minus certè crimen est in tali ad memorias adorandas peregrinatione, quàm olim fuit in adoratione Dei in celsis. in quibus Deus declaravit, non se, sed dæmones coli. Quicquid enim homo habet pro instrumento religionis, sine Dei præcepto, id temerè ad religionem adhibetur; adeóque ex instinctu ejus, qui temeritatis & mendacii author est. 2. Quid in ceremoniali seu positivo Dei præcepto, quo populum suum certis temporibus Hierosolymam ascendere jussit, *virtutis moralis* reperiatur, edocere nos debueras. Nam in quarto quidem Decalogi præcepto facile est morale à cæremoniali; sanctificationem nominis Dei in publico cœtu à determinatione temporis, quo illa præstari debuit, discernere. Mandatum verò peregrinandi Hierosolymam, ibíque adorandi totum ceremoniale, typicum, positivum fuit. quod destructo Templo, & locorum discrimine ipso expiravit penitus. Si quid morale & perpetuum in eo præcepto fuit, illud merè conditionale fuit, ejusmodi, ut fideles præcepto Divino exciti se conferant ad ea loca, quæ ab eo sacrata esse, indubitabiliter constat. Ostende ergo loca à Deo ipso indubitabiliter sacrata: ostende præceptum Dei eadem frequentanda; ostende promissionem conferendæ per tale medium Christi & Sanctorum opis. Determinatio porrò diei Solis ad cultum publicum speciali præcepto opus non habuit, quia in temporis circumstantia nulla sanctitas est; eáque proin liberæ destinationi subest. Sufficiebat ergo generale mandatum nomen Dei certo tempore in publico cœtu sanctificandi. Simile ergo generale mandatum quovis tempore certa quædam ab ipso Deo sacrata loca adeundi demonstra. Demonstrabis nunquam. 3. Imò ἐθελοθρησκεία *voluntarius cultus* Coloss. II. 23. damnatus disertè opponitur ἐντάλμασι καὶ διδασκαλίαις ἀνθρώπων *mandatis & doctrinis hominum*, v. 22. adeoque cultui omni, à Deo non præcepto, sive is sit præter, sive contra religionem. Imò etiam ille cultus prohibetur, qui λόγον ἔχει σοφίας *rationem habet sapientiæ*. Sed norma Divini cultus sola Dei revelata voluntas, solum Dei præceptum, non ratio hominis corrupta, à Spiritu Dei per verbum ejusdem non illuminata est. Hinc legisperitus ex lege Dei de norma bonorum operum ac cultus Divini respondens νουνεχῶς *rationabiliter* respondisse Marc. XII. 34. dicitur. Quid enim homo naturalis de iis, quæ spiritus sunt, judicare vel decernere valeat? Atque eadem ratio opera vestra supererogatoria, quæ Pharisaicæ venæ sunt, jugulat. 4. Deut. XII. 32. Deus edicit: *Quicquid ego præcipio, id observabitis ut faciatis: ad hoc nihil addes: ab eo nihil detrahes.* Quæcunque ergo in cultu Deus non præcepit, sive contraria legi, sive ab ea diversa, procul Legislator amandat. Diversa adduntur: in contrariis legi detrahitur. Atqui & addere & detrahere Deus vetat. Neque aliud ex v. 30. 31. colligitur. Nam eadem ratione, qua gentilium idololatria damnatur, eò quòd à Deo idolorum cultus præceptus non sit; simul damnatur cultus omnis, quem Deus non præcepit. Atque eo ipso, quòd Deus cultum aliquem vel sui, in modo aliquo illicito, vel falsorum Deorum non præcepit,

pit, contrarius evadit. Neque sic vel mandatum Dei, ut decretis Sacerdotum populus obediat: vel Magistratuum edicta, vel ritus à nobis introducti nutant. Non illud, quia Deus populum subjecit edictis Sacerdotum, quæ illi ex lege Divina petierint. Non ista, quia nihil illa faciunt ad religionem. de qualibus hic quæstio est. Non hi, quia non introducti sunt ut pars cultus, sed ut circumstantiæ ejus generali verbo liberæ determinationi relictæ. 5. Imò Matth. XIX. 9. omnis cultus Dei ab hominibus edoctus damnatur. *Frustra*, inquit Christus, *colunt me, docentes doctrinas hominum, mandata hominum.* Duplici ergo nomine Christus Pharisæorum traditiones damnat, tum quòd propter illas Divinis legibus præpositas Dei mandatum irritum reddant: tum quòd sint mandata hominum. Nec illa ratio hanc, nec hæc illam tollit. Præterea Pharisæorum traditiones Divinas leges irritas reddiderunt, adeóque his contrariæ fuerunt, quo sensu? Sigillatim ne, an ὅλως? *Sigillatim* sic, ut illarum traditionum capita singula singulis Divinæ legis capitibus opponerentur ἀντιφατικῶς; adeóque cùm lex Divina v. 9. vetaret occidere, illæ permitterent occidere? Hoc enim demum est Divinæ legi contrariari. Atqui id falsissimum est. Nullæ enim ejusmodi traditiones apud Iudæos in usu fuerunt. Ita seniorum traditio vetabat panem comedere illotis manibus. At in tota Mosis lege quis mihi præceptum ostendet, quo prohibitus quisquam fuerit lavare manus? Traditio ergo illa Pharisæorum legi Divinæ non contraria, sed ab ea diversa, hoc est, Divinitus non præcepta fuit. An ὅλως, ut eo ipso militare contra legem Dei censeantur, quia erant præter legem Mosis, quæ additiones vetuerat? Talis sanè erat illa Pharisæorum de lavandis manibus traditio, quæ ab illis urgebatur, etsi Deus nunquam eam præcepisset. Et hic quidem dupliciter omnino peccatum, tum quòd ejusmodi traditiones humanæ, non Divinitus præceptæ, adeóque superstitiosæ quædam rerum indifferentium observationes essent: tum quòd præponerentur legi Dei, hoc est, curiosiùs observandæ traderentur; aut certè æquè curiosè & sub pœna mortis. Hoc planè in censu sunt vestræ traditiones, nominatim illa de peregrinationibus suscipiendis. Etsi enim per se impiæ, & sigillatim legi Divinæ contrariæ non essent (sunt verò pleræque omnes) sunt tamen præter legem Divinam scriptam invectæ, vanæ, superstitiosæ, multóque exactiùs, quàm Divinæ leges observantur.

ARG. II. Religiosæ ejusmodi peregrinationes, quæ loci unius præ alio majori sanctitati innituntur, conditionem ecclesiæ N. T. evertunt. In V. quidem Testamento locus unus sacratior alio fuit. At in N.T. locorum discrimen sublatum esse, docet Scriptura Joh. IV. 21 23. 1. Tim. II. 8. Adversus hoc argumentum tricatus nonnihil fuerat Baldingerus, cui pag. 140--143. respondi. Sed Baldingerum hìc deserit Redingius, & aliter ipse excipit *pag.* 833 Exceptionis summa huc redit: *Deum etiam adorari apud Symbola eucharistica, & ibi, adeóque in reliquis cultus Divini instrumentis, specialiter etiam in N.T. præsentem esse: tum in V.T. Deum ubique fuisse, & tamen specialiter præsentem fuisse quibusdam locis.* Quæ de Dei in eucharistia speciali præsentia ad nauseam usque ingeminat, solidè à me discussa sunt *Vindic. pag,* 255. *&c.* Cur cramben toties coctam denuo reponit, & responsum meum pisce mutus magis præterit, imò me negatæ Sacramentorum efficaciæ, imò & Sacrile-

gii *pag.* 829. improbè insimulat? Quæ de ubiquitate Dei eadem in V.&N.T. subjungit, minimè omnium ad rhombum faciunt. Non enim in N.T. Deo ubique locorum cultus publicus præstari potest, quia is ubique est (nam & in V.T. ubique fuit) sed quia in N.T. ubi nullus ampliùs locus specialiter â Deo sacratus est, ubique locorum ad se puras manus levari, & solenniter se invocari voluit: at in V.T. cultum publicum uni loco adstrinxit. Pendet hoc à solo puróque arbitrio εὐδοκίας Divinæ, non ab ubiquitatis diversitate ulla.

RESP. REDING: 1. *Lex Divina quoad ceremonialia abrogata, viget hodiéque quoad moralia.* 2. *Non ita Joh. IV. 2. 2. Tim. II. 8. locorum in N.T. differentia sublata statuitur, quin Deus specialiter magis uni, quàm alii loco præsens sit Et in omni ergo loco potest Deus adorari, & potest specialiter magis in hoc quàm in alio, ob præsentiam specialem sub certis symbolis. Sic in N. T. Deus magis operabatur apud sudaria Pauli & umbram Petri, quàm alibi.* 3. *Quomodo Sacramentum vestrum Eucharistiæ, in qua Christum typicè seu symbolicè præsentem facitis, lapide, vino in popina, pane in pistrino sacratius est, si in N.T. Christus non in uno magis quàm alio loco habitat? Sanè typica, figurata & symbolica præsentia, sub qua Christus in spiritu & veritate adorari possit, concessa tuus adversus peregrinationes Achilles planè ruit. Non enim obstat, quod de Peregr. Relig. p. 257. &c. regeris, aliud esse præsentiam quamlibet, aliud habitationem localem permanentem, & talem quidem, per quam locus ipse habitationis reliquis fiat sanctior, & cultui Divino peculiariter destinatus. Nam juxta vos Deus sua virtute Eucharistiæ ad perpetuam fidelium utilitatem, adeóque permanenter assistit.* 4. *Sicut Deus quoad res naturales aliter in India, aliter in Germania operatur: ita quoad gratiæ effectus certa sibi delegit loca, quibus per suam Providentiã affixit speciales meritorũ Christi influxus, mediantibus Sanctis suis, ceu supernaturaliũ virtutũ sideribus concedendos. Talia loca sunt Sanctorum Basilicæ, quas cultui Divino & impetrandæ intercessioni Sanctorum mancipatas, pio affectu adeundas esse, tota antiquitas credidit. Neque etiam hic obstat, quòd pag. 261. &c. negas, Templa ea opinione primitus condita esse, quasi peculiaris virtus & efficacia locis illis alligata esset. Nam apud Martyrum reliquias Deus specialem suam præsentiam per miraculosas operationes evidenter testatus est non semel. Hilarius verò & Hieronymus verbis à te allegatis Templa hæreticorum, Arianorum &c. quibus Deus speciali virtute sua præsens non est, sugillaverunt.* 5. *Denique impius es in Majores tuos, quorum votum, quo Tigurina civitas ad Divæ Virginis Eremitanum sacellum tenebatur, impium, & à Divino jure reprobatum vocitare ausus es. Ibid.* pag. 171--175. Resp. 1. Cùm in peregrinationibus religiosis V.T. absolutè nihil morale, sed ceremonialia, positiva omnia fuerint, quid mihi hic distinctionem illam, seu cothurnum potiùs oggeris? 2. Si in N.T. & in omni loco, & specialiter magis in hoc quàm in alio loco Deus in spiritu & veritate adorari, adeóque adorans magis hic quàm alibi exaudiri potest, atque eatenus nulla Vetus inter & Novum Testamentum differentia est, quomodo Christus Joh. IV. 21. 23. Samaritanæ mulieri de loco adorationis sciscitanti respondere potuit: *Veniet hora, quando nec in hoc monte, nec Hierosolymis* (nec in alio, quia uti Cajetanus loquitur, *per hæc duo loca exclusa intelliguntur exclusa omnia alia loca*) *adorabunt Patrem: Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate*; id est, non sic, ut vel monti Samaritano, vel Hierosolymæ, vel ulli alii loco ob specialem aliquam Numinis præsentiam &

opera-

operationem adoratio alligetur, ſed ut promiſcua ſit deinceps, neque alia, quàm quæ *in ſpiritu*, adorationem veram, jam ſingulari quadam ratione in cordibus fidelium operante, *& veritate*, figuratæ & ſymbolicæ adorationi, qualis in V.T. obtinuit, oppoſita peragitur; adeóque *ἐν παντὶ τόπῳ in omni loco* (oppoſitè ad *unum* illum in V.T. cultui Divino deſtinatum *locum*) 1.Tim.II.8. 2. Non enim ſermo erat de modo adorationis, ſed de loco, prout is modum adorationi adfert. Nunc verò id quod vos facitis, cum œconomia V.T. commune eſt, niſi quòd vos ſine Dei præcepto loca quædam non ſacrata, aliis præfertis; illi prævio Dei Præcepto loca quædam certò ſacrata, legitiméque adeò & ſine ſuperſtitione prætulerunt. Quid ergo juxta ſententiam veſtram, dic Redingi, Chriſtus & Apoſtoli in N.T. abrogarunt? Sudaria porro Pauli, Petri umbra nil ad rhombum faciunt, tum quia verè illa Deus ſacravit: tum quia ad illa fideles, adorandorum eorum gratia, non confluxerunt. Quod vel ſolum adverſus peregrinationes veſtras potentiſſimum argumentum eſt. 3. Tuo de typica ſeu figurali Chriſti in Euchariſtia præſentia, quòd, illa, ſublato locorum diſcrimine, ſacratior futura non ſit, quàm præſentia ejuſdem apud lapidem, vinum in popina, panem in piſtrino, impio ſarcaſmo pridem accuratè reſpondi; nec merè typicam Chriſti in Euchariſtia præſentiam nos agnoſcere; & imperitiſſimè habitationem typicam loci permanentem, propter quam unus locus alio ſacratior ſit, & adorationi ac cultui Divino peculiariter deſtinari poſſit; cum qualibet præſentia typica & ſymbolica tranſeunte, à te confundi: quin & fideles quoſvis eſſe Templa Spiritus S. in quibus ille habitat; neque tamen ideo eorum corpora ita ſacrata, & in religioſo ſtatu collocata eſſe, ut cultus Divinus apud eos, haud ſecus atque in Templo Hieroſolymitano Divinitus ſacrato factum eſt, peragi debeat. Alia etiam addidi. Ad quæ omnia nunc leviter excipis, *quòd juxta nos Deus ſua virtute Euchariſtiæ ad perpetuam fidelium utilitatem, adeóque permanenter aſſiſtat.* Id verò & falſiſſimum eſt, quia qualemcunque Chriſti in Euchariſtia præſentiam ad perpetuam fidelium utilitatem ſtatuimus, illa non permanens, ſed tranſiens eſt: & planè ἀπροσδιόνυσον, quia Euchariſtia in actione conſiſtit, propter quam locus, in quo illa peragitur, alio extra uſum ſacratior non eſt, nec aſſiſtentem perpetuam vel inſitam ſanctitatem, qualem locis veſtris, ad quæ religionis gratia commeant, ullam habent. Fumi ergo & nugivendulum, non aliud, agis. 4. Certa Deum in N.T. ſacraſſe loca, in quibus ſpecialiter gratiæ effectus, & meritorum Chriſti influxus operari, vel etiam, uti Hieroſolymæ olim, præ aliis adorari velit, ſupponis, rem maximè dubiam, & inprimis controverſam, non probas. Neque talia loca Baſilicæ vel Templa ſunt, utpote quæ extra cultum nil ſanctitatis habent. Non poteſt enim ſanctitas ſive relativa, ſive alia prætendi ſine fundamento juris Divini, quale hic nullum eſt: neque homines jure poſſunt partem cultus religioſi conſtituere, aut rei cuipiam religioſam ſanctitatem conciliare. Si tamen ſingula Templa ejuſmodi ſanctitatem haberent, cur homines ab illis ad peregrina Templa, ſacella, cameras peregrinari vultis, jubetis? Nam ne in Veteri quidem Teſtamento licebat deſerere Templum Hieroſolymitanum, ob ſanctitatem illam, quam Divina ei inſtitutio conciliavit. Sed vobis αἰσχροκερδία alia omnia dictavit. De miraculis apud Martyrum reliquias, alibique, vel verè vel falſa opinione veſtra patratis ſupra *Quæſt.III. ad Obj.*8. nec non *de Peregr. Relig. pag.* 94. *&c. &* 129. *&c.* fusé veréque dicta non repeto. Quod verò hæreticis objecit S. Hilarius, idem vobis in eodem hæreſeos luto hærentibus, juſtè objicimus. Sic enim ille contra Auxentium: *Malè vos parietum amor cepit: malè vos Eccleſiam Dei in tectis ædificiiſque veneramini. Anne ambiguum eſt, in his Antichriſtum eſſe ſeſſurum? Montes mihi, & ſylvæ, & carceres, & lacus, & voragines ſunt tutiores. In*

his enim Prophetæ aut manentes, aut demersi Dei spiritu prophetabant. Annon enim etiam vos, Templis sanctitatem peculiarem extra cultum deputantes, parietum amor cepit? An rectiùs quàm illos? Similes habent labra lactucas. Imò Hieronymus tempus vidit, *quo* (sic ille *in Psal.* 133. loquitur) *hæretici omnes has Ecclesias possidebant. Ecclesia autem vera erat, ubi fides erat.* Nullam ergo nisi in fide colentium sanctitatem ilic agnoscit. *Ecclesia* enim, uti ibidem loquitur, *non in parietibus* (sive orthodoxorum, sive hæreticorum) *sed in dogmatum veritate consistit.* 5. Denique mea de voto, quo Tigurini se ad frequentandum Eremitanum sacellum obstrinxerunt, *de Peregr. Relig. p.* 263. 264. verba sic habent: *Ecclesiam Tigurinam olim voto solenni ad peregrinationem religiosam Eremitanam obstrictam iisdem, quibus Hieronymus Epist.* 48. *ad Rusticum, qui peregrinationem Hierosolymitanam voverat, verbis compellas:* Redde, quod præsens Domino spopondisti. *Scilicet*

Hoc Ithacus velit, & magni mercetur Atridæ.

Hoc nimirum optas, non tam ut Deo, quod ipsi debemus, reddamus, quàm inprimis illud, ut populi nostri ignorantia vobis vectigalis esse non desinat. Huic tuo desiderio prætexis, votum, à majoribus nostris nuncupatum. Sed voti rationem eandem esse, quæ est juramenti, non ignoras. Sicut igitur quod malè juratur, pejùs præstatur: ita quod malè vovetur, pejùs impletur. Juramenta & vota esse vincula improbitatis non debent. Rectè enim Isidorus à Gratiano C. 32. *q.* 4. *citatus:* In malis promissis rescinde fidem. In turpi voto muta decretum. Quod incautè vovisti ne facias. Impia enim promissio est, quæ scelere adimpletur. *Proinde sicut Majorum nostrorum peregrinationem Eremitanam Deo promittentium votum, quia verbo Dei repugnabat, jure nullum erat: sic etiam de facto à summa potestate tempore Reformationis, legitimè rescissum est. Annon Scholasticorum, nominatim Thomæ, Cajetani, Greg. de Valentia, aliorum dogma est, Papam in voto abstinentiæ, si vergat in corporale periculum voventis, posse dispensare? Si igitur ob corporis periculum Papa à voto dispensare potest, cur in præsentissimo animæ periculo summa & legitima potestas, duce Deo & verbo ejus dispensare non potuerit? Respondeat denique argumento Adversarii Hildebertus Turonensis Archiepiscopus, epistola ad Comitem, qui peregrinationem Hierosolymitanam voverat, data:* Fortassis autem dicis: Votum vovi Domino: trangressionis arguar, si irritum feci votum! Agnosco, o Princeps, quia tu quidem alligasti me voto, sed Dominus officio: tu viæ, sed Dominus obedientiæ. *Ita igitur Majores nostri se alligarunt voto, sed nos Dominus officio. Illi se viæ, nos Dominus obedientiæ alligat.* Hæc mea verba sunt, ob quæ Redingius, etiam extra locum & ansam, me allatrans *impium* dixit *in Majores meos*, eò quòd votum eorum *impium*, & *à Divino jure reprobatum* dixi. Ubi verò disertè *impium* ego dixi? Si Gratianus hoc innuit, cur mihi impingis, atque ideo in Majores meos *impium* me criminaris? Sic soles argumenta mea, quibus planè impar es, sicco pede prætcrire, atque crimina fingere ut audaciùs criminari audeas!

ARG. III. Christus ipse Matth. XXIV. 23. munit nos adversus voces illas Pseudoprophetarum: Ἰδοὺ ὧδε ὁ χριστὸς, ἢ ὧδε. *Ecce hic est Christus, aut hic.* Perinde ac si clarissima voce cavendas etiam nobis injunxisset voces dicentium: *Ecce Roma, Laureti, Compostellæ, Eremi!* Argumento huic occurrere conatus est Baldingerus. Respondi *Vind, pag.* 143. 144. Occurrere conatus est ipse etiam Redingius. Respondi & illi *Vindic, pag.* 408. 409. 410. Quid hîc tum suo, tum Baldingeri nomine Redingius? Responsa mea perinde, ac

si

si non legisset, strenuè dissimulat. Stet igitur invictum argumenti robur.

Resp. Reding: 1. *Responderat tibi Baldingerus, Christum verbis illis redarguere falsos Prophetas, falsa signa & miracula jactantes atque his mediantibus, Christum hic vel illic præsentem monstrando, populum seducentes: à religiosis verò Peregrinationibus nostris procul falsa miracula abesse; neque Pontificios Christum in terris sub conversationis humanæ ulla specie personaliter exhibere, sed ipsius duntaxat symbola & typos verorum miraculorum effectibus comprobato; adeóque ad verum Christum in Cœlis sedentem tum in se, tum in Sanctis suis adorandum fideles inducere; in Eucharistia verò eundem sub ipsissima reali præsentia populo ostendere. Hæc nonnisi conviciando diluere potuisti.* 2. *Neque meas rationes argumento tuo oppositas feliciùs excipis. Quæro enim, si Deus vel in Sacello Eremitano, vel in Templis quibusvis efficaciùs adorari non potest, cur Apostolus Hebr. X. 25. congregationes non deserendas esse dixerit; & quidem ob multiplices, ut ipsemet dices, fructus; à quibus loci sanctitas excludi non debet. Quid enim loci sanctitas à nobis asserta aliud importat, quàm precum Ecclesiæ, Templa præ cubilibus consecrantis, cum precibus Sanctorum, quibus Templa illa dedicata sunt conjunctarum efficaciam? Cujusmodi sanctitatem Templum Hierosolymitanum ob dedicationem Salomonis habuit. Neque sanctuatis illa differentia est ex loco materialiter spectato, sed ex Dei, ejusque gratiæ operatione, animam excitante ad ferventiores preces, in uno præ aliis loco exaudiri solitas, intuitu meritorum Christi, ex Divinæ Providentiæ speciali ratione efficaciùs, operantium.* 3. *Olim quidem Samaritani cultum Dei Hierosolymis ad montem Garizim transferentes damnati sunt, quia tunc temporis Israelitæ omnes mandato obligati erant ad cultum Hierosolymis obeundum. Illi ergo Hierosolyma relicta aliò se conferentes præceptum Dei violarunt. At peregrinationes nostræ nullum Dei præceptum violant. Etsi verò peregrinatio illa, utpote protestativa Christi Hierosolymas venturi, extincta sit; licuit tamen etiam sub Evangelio post mortem Christi Hierosolymæ Deum adorare, ex intentione protestandi fidem Christi jam passi, uti ex Act. XX. 16. & XXIV. 11. colligitur. Et etiamnum Deum in Sacramentis, tanquam virtutis Divinæ symbolis, adorare licet.* 4. *Ex eo, quòd Deus non procul ab unoquoque nostrum absit, non licet arguere, quòd ad certa loca peregrinari nefas sit. Hoc enim ineptum esse, S. Augustinus Epist. 137. ad Clerum populúmque Hipponensem, disertè docet.* Ibid. pag. 175--179 Resp. 1. Ut manifestum evadat, quàm malè Redingius Baldingero fatiscenti succollet, ascribam totidem, quibus Baldingeri responsiones exceperam, verba, quæ *pag.* 143. 144. legere est: *Asserit Synodalis Dissertatio, munire nos Christum Matth. XXIV. 23. adversus vocem Pseudoprophetarum:* Ecce hic Christus est aut hic! *Quas voces comparat cum modernis:* Ecce Romæ: Ecce Laureti: Ecce Eremi Christus est. *Similitudo apertissima est. Respondet Adversarius, nihil dissimilius excogitari posse, quàm illam Pseudoprophetarum, & suam propositionem, quæ ita habeat:* Domus Lauretana, Sacellum Eremitanum, limina Apostolorum miraculis aliisque donis & beneficiis à Deo celebrantur. *Atqui etiam Pseudoprophetæ illi decantantes illa verba:* Ecce hic Christus, aut hic, *inducuntur à Christo, tanquam edituri* signa magna & miracula, ita ut seducant etiam, si fieri posset, electos, *v.* 24. *Poterant igitur Pseudoprophetæ similem usurpare vocem:* Ecce hic est Christus, vel isthic est: hic vel ille locus miraculis, aliisque donis & beneficiis à Deo celebratur. *Perspicuum est, Pseudoprophetas illos Christum nominaturos, tum & beneficia ejus certis locis alligaturos, in locis illis, tanquam in nomine Christi miracula edituros fuisse. Hæc planissimè competunt Sacrificulis loca sua sacrata decantantibus. Quòd verò Propositionem hanc:* Domus Lauretana, Eremitana miraculis à Deo celebratur;

tur; *comparat cum illa*: Chorazin illustratur præclaris miraculis; *in eo partim peccat, partim verum dicit. Peccat, quia non iis miraculis illustrantur sacra reliquiarum loca, quibus Civitas Chorazin olim à Christo illustrata est, uti ex iis, quæ superiùs disputavimus, liquet. Verum dicit in eo, quòd Chorazinitas cum Papistis comparat. Sicut enim illi Christo Evangelium prædicanti, & prædicationem suam miraculis obsignanti fidem non habuerunt: ita nec hi Evangelio à Christo & Apostolis prædicato, & eorum miraculis obsignato fidem habent.* Judicet jam lector, Redingius Baldingerum clientem suum defenderit, an deseruerit. Aliam enim prorsus ei, pro temeritate sua, responsionem affingit; sed minùs profectò speciosam, quàm illa Baldingeri fuit. Nam Christus Pseudo-Christis & Pseudóprophetis dicentibus: *Ecce hic, ecce illic Christus est*; signa certè & prodigia maxima adscribit, idonea quippe ad seducendum, si fieri posset, electos. Vera, an falsa illa miracula sint, non dicit. Fieri enim potuit, ut Deus à Pseudo-Christis vera miracula edi permitteret, quibus tentaret homines, judiciúmque adversus incredulos exerceret. Saltem vestra, ex quibus specialem Christi, Dei hoc vel illo in loco præsentiam probare contenditis, miracula majora, speciosiora non sunt illis, quæ Christus Pseudo-Christis tribuit: quædam etiam leviora, minora longè; falsa verò, si non materiæ, at finis intuitu, pleraque omnia sunt. Neque obstat, quòd *Christum sub conversationis humanæ in terris ulla specie personaliter vos exhibere*, negas. Nam neque Christus talis præsentiæ jactantiam Pseudo-Christis illis tribuit; sed simpliciter vocem illam: *Ecce hic Christus, illic est*. Hæc vestra vox est tum in Missa, tum extra illam. Fingitis enim Christum tum in Missa *personaliter* huic, illi loco specialiter præsentem esse suo merito, virtute, operatione, cui tamen se sic præsentem futurum esse, nuspiam promisit; adeò ut loco verbi & promissionis Divinæ miracula substituere necesse habeatis, talia planè, qualia Pseudo-Christis Christus tribuit. Imò Redingius fingere haud reformidat, Christum etiam *personaliter* & *quoad circumscriptivam præsentiam* in suo sacello fuisse; adeò ut vox Christi illum præ coeteris omnibus feriat. 2. Congregationes deserendas haud esse, Apostolus utique Hebr. X. 25. graviter monuit. Sed loca congregationum, hoc est, Templa, Basilicas ejusmodi sanctitatem, efficaciam, dedicationis, reliquiarum, imaginum, & per eas præsentiæ Dei, Christi, Sanctorum specialis beneficia habere, ut acceptiores Deo sint ejusdem coetus orationes in dedicatis ejusmodi Templis factæ, quàm quæ in locis non dedicatis pari coetus fide & Zelo funduntur; nec Apostolus dixit, nec tu probare potes. Paris & illud væcordiæ est, quòd loco *per preces Ecclesiæ consecrantis, cum precibus Sanctorum, quibus illa dedicantur, sociatas* sanctitatem & efficaciam accrescere, sine ulla ratione asseris. Quid te juvat multa otiosis verbis asserere, probare nihil? Consecratio legitima (qualis certè vestra, in qua quædam sunt Judaica, Ethnica: alia ridicula: omnia mimicæ præsumptiones, in sufficientiam verbi Divini, & institutionum Divinarum perfectionem ac simplicitatem contumeliosæ; non est) potest equidem ad usum sacrum illa, quæ Deus tali usui destinavit, applicare; at extra usum quidquam in sacrum & religiosum statum transferre, nisi præeunte singulari Dei instituto, non potest. Neque Divina virtus ex actione & ordinatione humana in lapides & ligna ullo modo derivari potest. Neque etiam tua de Templo Salomonis dedicato *ἔνστασις* pondus habet, quia nulla Christiani Templa habent, in quibus sic Deus singulari instituto nomen suum collocaverit, quemadmodum in Templo legali collocavit. Dispar planè ratio est legis & Evangelii. Evangelii non defectus, sed dignitas & eminentia est, quòd omnibus fidelibus, ceu Templis suis, Deus præsens est ubique locorum. Neque denique altaria, cruces, imagines, reliquiæ devotionis excitandæ media sunt, quia nuspiam à Christo,

sto, vel Apostolis instituta sunt. 3. Par vestrum & Samaritanorum ratio est. Illi sine præcepto Dei cultum monti suo alligantes violarunt præceptum Dei, quo is cultum Hierosolymæ adstrinxit. Vos sine præcepto pariter Dei cultum publicum huic vel illi, ceu sanctiori & efficaciori loco adstringentes, violatis insuper præceptum & institutum Dei, quo is in N.T. locorum, ceu efficaciorum & sanctiorum, discrimen sustulit. Eodem ergo in luto hæretis: reatu eodem tenemini. De locis Act. XX. 16. & XXIV. 11. infra. 4. Augustinus *Epist.* 137. sic, fateor, loquitur: *Ubique quidem Deus est, & nullo continetur, vel includitur loco, qui condidit omnia, & eum à veris adoratoribus in spiritu & veritate oportet adorare, ut in occulto audiens, in occulto etiam justificet & coronet. Veruntamen ad ista, quæ hominibus visibiliter nota sunt, quis potest ejus consilium perscrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant? Multis enim notissima est sanctitas loci, ubi B. Felicis Nolensis corpus conditum est.* Potuit ille sic scribere proximè illa tempora, quibus Deus miraculorum verorum gloria Ecclesiam collustravit. Nunc verò illud tempus vivimus, cui alia omnia Christus Matth. XXIV. 23. 24. &c. & S. Paulus 2. Thess. II. 9 10. præsagivit. Cæterùm peregrinari ille ad talia loca Bonifacium Presbyterum jussit non eum in finem, ut majorem precum efficaciam à loco expectaret, sed ut innocentiam suam miraculo probatam redderet. Nihil hoc ad religiosas peregrinationes vestras, quibus alia omnia intenditis. Ad vos potiùs pertinent, quæ idem Augustinus *de Unit. Eccl. cap.* 16. Donatistis objecit, his verbis: *Non dicat Donatista: Ideo verum est, quia illa & illa mirabilia fecit Donatus & Pontius, vel quilibet alius: aut quia homines ad memorias mortuorum nostrorum orant & exandiuntur: aut quia illa & illa obtingunt: aut quia ille frater noster, & illa soror nostra tale visum vigilans vidit, vel tale visum dormiens somniavit. Removeantur ista vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum. Aut enim non sunt vera, quæ dicuntur: aut si hæreticorum aliqua mira facta sunt, magis cavere debemus: quòd cùm dixisset Dominus quosdam esse fallaces, qui nonnulla signa faciendo, etiam electos, si fieri posset, fallerent; adjecit, vehementer commendans: Ecce prædixi vobis.*

ARG. IV. Locorum sanctitas cum fide ascensionis Christi in Cœlum ut thronum suum consistere nequit. In V.T. Deus Hierosolymitano Templo cultum affixit, propter typicam Christi in ea habitationem. In N.T. Christus Salvator in Cœlum ascendit, & ad dextram magnificentiæ Dei consedit. Proinde non ampliùs in terra vel *typicè*, hoc est, eo modo, quo in Templo Hierosolymitano inter Cherubinos, vel *realiter* habitat. Unde consequens est, cessante fundamento sanctitatis locorum, ipsam etiam sanctitatis differentiam cessare, adeóque nullum alio locum sacratiorem ampliùs esse. Obstrepuit huic argumento Baldingerus, maximè verò Redingius. Utriusque exceptionibus satisfeci, illius quidem *Vindic. pag.* 144. 145. hujus verò *Vindic. pag.* 255. &c. nec non *pag.* 341. *&c.* Desiderâsses haud dubiè responsum aliquod tanti viri, & Baldingeri patrocinium ex professo suscipientis, & dissertationum suarum vindicias tam animosè spirantis. Frustra desideras. Ne conatus quidem est, ne ausus quidem est contra responsiones meas hiscere. Satis habuit eandem incudem tundere, & quæ antehac de spe-

ſpeciali gratiæ Divinæ in Sacramentis operatione, Deique in iis potiùs quàm *cubilibus* præſentia (ubi probè animadvertet lector, Adverſarium fœdas Monachorum libidines & abominationes ex teſtimoniis Pii IV. & Maximiliani II. aliáque à me *p.* 407, per περιτροπὴν τοῦ λόγου ipſi objectas, purgare auſum non eſſe) muſſitavit, quæque ſolidè diſcuſſi, denuo reponere. Ita igitur clariſſimè veritas triumphat.

RESP. REDING: 1. *Doloſæ tuæ technæ ſunt. Nam per ſtultam nequitiam typicam Chriſti in V. T. Templo Hieroſolymitano habitationem, merè præfigurativam futuri Meſſiæ, cum typica Chriſti, quà ad Patris dextram ſedentis, ſuáque pro nobis merita Deo Patri exhibentis, atque his mediantibus diverſos gratiarum effectus diverſimodè in hominibus operantis, repræſentatione in una re corporali ſeu terreſtri loco magis, quàm in altero relucente, confundis. Alias enim Chriſtus non magis in Templis veſtris Tigurinis, quàm in popinis vel in Templis Turcicis habitaret. Neque liceret Chriſtum in ullo loco terreſtri quærere. Hoc autem quid aliud eſſet, quàm omnem Chriſti in terris cultum abolere?* 2. *Quæro ex te, an credas, omnes gratiæ effectus in terris procedere ex Chriſti meritis, atque adeò hæc Chriſti merita virtualiter eſſe in hiſce gratiis, tanquam ſuis effectibus? An credas inſuper, hos gratiæ effectus inæqualiter à Deo diſtribui inter homines? An propter iſtos gratiæ effectus ſic communicatos adores Chriſtum? Annon igitur adores Chriſtum propter virtualem meritorum ſuorum diverſis locis ac perſonis inæqualiter participatorum præſentiam? Annon illud ſit Chriſtum non quidem ſecundum realem, ſed virtualem meritorum ſuorum præſentiam, magis in uno loco terreſtri, quàm in alio quærere?* 3. *Hebr. IX. 1. 2. 8. 24. (quem locum alibi citaſti) dicitur Chriſtus non in manufacta, verorum exemplaria, ſed in ipſum Cœlum intraſſe, ut vultui Dei pro nobis appareat. Perperam verò inde concludis, Chriſtum ſic in throno magnificentiæ ſuæ conſidere non poſſe, ſi hodiéque ratione efficaciæ meriti ſui magis hic, quàm alibi in terris habitare dicatur. Alias non magis habitabit in Templis veſtris Tigurinis, quàm in popinis vel Templis Turcicis. Quàm ſic inanis fides tua, quàm vana ſpes tua erit?* 4. *Veriſſimè quidem alibi ex eo, quòd Chriſtus in Sanctum Sanctorum intravit, concludis, nullum ampliùs in N. T. eſſe typum Chriſti ejuſdem in Cœlum ingreſſuri. Sed peſſimè ſubinfers, ita jam ſublatum eſſe locorum diſcrimen, ut nullus Chriſti in Cœlo ſedentis typus non quidem præfigurativus, ſed repræſentativus ſuperſit. Hunc enim Veteris à Novo Teſtamento diſcretivum ſtatum, ſemper vel omittis, vel cum altero illo confundis; atque eadem ratione Sacramenta Chriſtum in Cœlo ſedentem repræſentantia ab Eccleſia. eliminare conaris.* Ibid. pag. 179-182. Reſp. Quæ de *Diabolico ad comminiſcendum genio, nequiſſimo ſpiritu* &c. præfaris, conſultò omiſi. Deſperatio cauſæ tuæ te ſubegit ad ructanda talia, non aliud. Generoſo contemptu calumnias haſce libens vindico, & te ad intemperias ejuſmodi redactum, tui quidem cauſa, doleo. Cœtera meras cavillationes jam à me protritas ſpirant. 1. Typicam Chriſti futuri *præfigurativam*, & ſedentis jam in Cœlo, *repræſentativam* in terris habitationem & præſentiam non confudi, nedum *per ſtultam nequitiam* confudi. Illam enim in V. T. obtinuiſſe agnoſco; hanc in N. T. obtinere pernego. Non ergo ſic confudi, ac ne quidem confundere potui. *Stulta nequitia* eſt repræſentativam Chriſti, regnantis & habitantis in Cœlo, habitationem in terris aſſerere ſine ulla ratione, ſolo fœdiſſimi quæſtus affectu, quod tu facis; non negare cum ratione ſolida, quod ego facio. Nam verbo Dei olim typica præfigurativa Chriſti venturi in Templo Hieroſolymitano

tano habitatio definita,demonstrata,testata est. Deus enim disertè testatus est,se habitare inter Cherubinos: Hierosolymæ nominis sui memoriam ponere: ibi focum & ignem habere. Et propterea eòdem homines cultus publici gratia vocavit; sicque typica illa præsentia,futuram in Cœlesti throno realem Christi habitationem præumbrante, locum sacravit. Si in N. T. datur typica ejusdem Christi jam Cœlum ingressi, non præfigurativa, sed *repræsentativa* hoc vel illo in loco præ aliis habitatio,simili verbo, revelatione, præcepto Deus haud dubiè eam definivisset, demonstravisset. Cedo ergo, Redingi,verbum,revelationem,quòd Christus Romæ, Compostellæ, Laureto, Montserrato,Einsidlæ &c.habitationem sui in Cœlum evecti repræsentativam alligaverit. Cedo præceptum Divinum omni exceptione majus,quòd ad loca illa,ceu Divinitus sacrata, religionis gratia proficiscendum,peregrinandum sit. Si ad arbitrium humanum res illa redit,novimus ingenia hominum: novimus mendacii & Antichristi ipsius spiritum in mundo esse. Nihil usquam certi tutique. Neque tantùm verbum,revelatio, præceptum Dei deficit: sed contrarium verbum Dei suppetit,ex quo in N.T.locorum,sanctitatis & efficaciæ religiosæ respectu,discrimen penitus sublatum esse probavimus. Neque ideo Christum non magis in Templis nostris, quàm in popinis, Templis Turcicis; addere poteras,etiam in Monachorum cellis, fucorum claustris,habitare, supra ostendimus. Habitat enim ille verbo & spiritu suo non in Templorum parietibus, lapidibus, altaribus,imaginibus, reliquiis,quæ hominum opera & figmenta sunt; sed in animis fidelium,ubicunque illi locorum, sive segreges,sive in cœtu conjuncti sint. Si contigerit,ut fideles compingantur in popinas & Turcica Templa, infideles contra magnificas Basilicas incolant; ibi certè Christus in fidelibus ceu Templis suis; hic Diabolus in infidelium animis ceu spurcissimis cloacis suis habitare non desinet. Neque sanè,quod ceu ἄτοπον immeritò exagitas,licet Christum in terris, seu terrestri loco alligatum, quærere. Ejus enim augustissima habitatio in Cœo[l] est: ibi latissime regnat. Eò fidelium animos & studia cuncta à terris abstracta ipsemet sevocavit. *Ubi cadaver*, inquit,*ibi aquilæ*, Matth. XXIV. 28. *Si resurrexistis una cum Christo,superna quærite, ubi Christus ad dextram Dei sedet. Superna curate,non terrestria.* Coloss. III.1.2. Neque sic cultus Christi,quem in determinatione terrestris loci consistere, nondum probasti,in terris aboletur,sed à terra versus Cœlum,ubi Christus stabilem sedem suam fixit,dirigitur. 2. Nihil quæstionum tuarum versutia efficit. Fateor enim longè sinceriùs,quàm tu quærere vel fateri possis,omnes gratiæ Divinæ in hominibus effectus procedere ex meritis Christi: omnes gratiæ Divinæ effectus inæqualiter à Deo distribui: propter istos gratiæ effectus adorandum esse Christum in Cœlo regnantem. Sed conclusio tua nimiùm nimiùmque claudicat, *quòd Christus adorandus sit propter virtualem meritorum ejus diversis locis ac personis inæqualiter participatorum præsentiam.* Non enim si in fidelibus sunt διαφόρους χαρισμάτων *diversa charismata,* etiam *locis* (quorum nullam in quæstionibus tuis mentionem feceras) inæquales gratiæ effectus Deus,juxta dedicationum & consecrationum vestrarum arbitrarias formulas,alligavit. Deus gratia & spiritu suo in omnibus fidelibus habitat. Sed non ideo gratiam suam ulli loco,vel alii magis quàm alii adstrinxit,ut Christus magis hic,quàm alibi quæri debeat; sicut in V.T.magis Hierosolymæ quàm alibi quæri debuit. Potestis vos certis locis lucrum vestrum & Simoniam vestram alligare. Gratiam Christi & Spiritum Dei alligare non potestis. 3. Ex loco igitur Hebr.IX.2.8.12.24. ubi Christus non *in Sancta manufacta, verorum antitypa, sed in Cœlum ipsum ingressus* dicitur, legitimè conclusi, Christum in solo Cœlo habitare, non in ullo terræ loco,nedum in uno præ alio, sicut olim in manufactis sanctis, quæri, adorari

 debe-

debere : neque ſic fidem noſtram evacuari, ſpem evaneſcere, ſed potiùs confirmari, eò quòd ſalutis noſtræ princeps Cœlum jam intravit, ibi in throno ſuo ſedet, cuncta gubernat, & ceu Rex noſter ubique æqualiter, non in uno quàm alio loco vel climate efficaciùs adoratur. Non enim *ἐπισυναγωγαὶ congregationes* propterea neceſſariæ ſunt, quòd gratia Dei uni magis quàm alii loco, qualiſcunque ille fuerit, alligata ſit; ſed ut Evangelium inter multos etiam in cœtum ex Dei inſtituto coaleſcentes prædicetur, ad mutuum *παροξυσμὸν* fidei & charitatis & ſigna gratiæ Divinitus inſtituta ordine percipiantur. Nihil huc locus, quem humana conſecratione ſacratiorem nequicquam efficere ſtudetis: nihil altarium, imaginum, reliquiarum, cereorum &c. conſpectus confert. Quocunque loco fideles conveniunt, fidemque & charitatem erga Deum & Sanctos exercent, ſignis gratiæ fruuntur, is æquè nullóque diſcrimine ſacer eſt. Chriſtus enim duobus vel tribus in nomine ejus convenientibus, ſine ulla loci determinatione, gratiam promiſit, Matth. XVIII. 20. Neque locus orationem, ſed oratio locum ſanctificat. *Eccleſia eſt, ubi fides eſt*, Hieronymo *in Pſal. 133.* monitore. Tolle ergo ex popina turbam comeſſantium, ex Meſgida Turcica turbam infidelium, ex clauſtris veſtris turbam fucorum & hypocritarum, & ſubſtitue ubique turbam fidelium, Deum in ſpiritu & veritate adorantium, qui ſoli propriè Templa & habitacula Spiritus S. ſunt, æquè preces his in locis fuſæ placebunt, atque quæ in Templis conſecratiſſimis funduntur. A cœtu verò fidelium ſeparatus locus, ſive is Templi manufacti, ſive alio nomine veniat, communis & promiſcuus eſt, nec quicquam vel ſanctitatis, vel majoris ſeu minoris ſanctitatis habet, niſi quod deinceps quoque applicari poteſt ad uſum cultumque ſacrum, quoties ille peragendus eſt. 4. Veteris & Novi Teſtamenti ſtatum fictitia tua præſentiæ typicæ *præfigurativæ* Chriſti venturi, & *repræſentativæ* ejuſdam jam præſtiti diſtinctio non diſcernit. Proin illam, utpote falſam, ex cerebro tuo, non verbi Divini tabulis, cuſam omiſi meritò. Non enim hæc ſana præſentiæ Chriſti typicæ diſtinctio, ſed ſtatus legalis & Evangelici fœda confuſio eſt.

ARG. V. Samaritani quondam ſine Dei mandato cultum ſuum proferentes in montem Garizim, & locum eum ſuo arbitrio ſanctificantes, meritò idololatriæ damnati ſunt. Si idololatria fuit, ſtantibus adhuc ceremoniis, Deum colere in loco ſuo arbitrio delecto & ſanctificato: quid non erit adorare quaſi Deum & quaſi Chriſtum cum fictione habitationis in hoc magis quàm alio terreſtri loco, quando non ampliùs umbræ obtinent, ſed ipſa veritas venit? Regeſſerat Baldingerus, *Samaritanos idololatriæ reos fuiſſe, eò quòd aureos vitulos velut Deos adoráſſent.* Expendi exceptionem ad immotos Scripturæ calculos, oſtendique evidenter, quòd Samaritani in vitulis verum Deum coluerint. *pag.* 146. 147. *&c.* Hic quoque Redingius Baldingerum deſerens, linum lino nectit, & exceptionem quidem Baldingeri reponit, at reſponſionem meam ſcapha magis mutus tranſit. Maneat ergo & hoc argumentum in immota veritatis arce.

RESP. REDING. : 1. *Annon Eccleſia Tigurina adorat quaſi Deum, & quaſi Chriſtum in ſua Euchariſtia, cum fictione habitationis typicæ, ſive in figura, quando non ampliùs umbræ obtinent, ſed veritas venit? Quare ergo ſine mandato Dei veritatem in figuram transtulit? Si Samaritani idololatræ fuerunt, eò quòd, vigentibus adhuc ceremoniis, adorarunt*

quaſi

quasi Deum in fictione habitationis typicæ, sive in figura, quam Deus in figuram non elegerat: an vos non magis idololatræ estis, adorantes quasi Deum & quasi Christum cum fictione in sacramento Eucharistiæ, quando non ampliùs umbræ obtinent, sed ipsa veritas venit, ac disertis verbis testata est, hoc esse corpus suum? 2. Samaritani nescierunt, quid adorarent, tum quia habebant morem adorandi & sacrificandi, quem nesciebant esse à Deo profectum: tum quia verum Deum unà cum idolis Assyriorum, quasi idolorum socium, ac proin falsum fictúmque adorarunt. 3. Vos verò, quid adoretis, nescitis. Vestri enim Reformatores, Zvvinglius, Calvinus, Bullingerus fassi sunt, in veteri Ecclesia extitisse Missæ sacrificium à Christi morte distinctum, fassi insimul, primis quinque seculis floruisse pium & orthodoxum de Cænæ mysterio sensum. Quomodo ergo scitis, Tigurinæ Ecclesiæ vestræ ritum colendi Deum in Eucharistia à Deo profectum esse? 4. Samaritani cultum Dei publicum arcæ à Deo alligatum transtulerunt in montem Garizim, atque sic sibi arrogarunt jus Divinam institutionem abolendi, expressúmque mandatum Dei violandi. Non tamen hanc ob causam idololatriæ rei fuerunt; sed quia vitulos ceu Deos coluerunt. Tantum enim abest, ut (quod alibi conaris) ex 2. Reg. XVI. 30. 31. evincas, Jeroboamum in vitulis verum Deum coluisse, ut contrarium potiùs ibi scriptum reperiamus, nempe Achabum ambulasse in peccatis Jeroboami, uxorem duxisse filiam Regis Sidoniorum, adorasse Baalim, & posuisse aram Baal in Templo Baal. Ibid. pag. 182.-185. Resp. Ad nauseam usque plerasque hasce battologias tuas alibi jam discussi. Repetam paucis. 1. Nihil Ecclesiæ Tigurinæ cum figuris à veritate separatis rei est. Sic enim in Eucharistia panem corporis Christi fracti figuram, sacramentum, pignus esse credit, ut simul figura illa vera fide vescentes communionem sortiri cum ipso corpore Christi, quod figuræ illius veritas est, firmissimè credat. Neque corporis absentia obstat, quia fides vera illud communicanti præsentissimum, adeóque quoad meritum & justitiam nobis acquisitam conjunctissimum reddit. Potest enim præsentiæ corporis Christi veritas consistere, licet modus præsentiæ, quem Sophistice vestra invexit, non admittatur, imò quod supra fecimus, verbi Divini penetrantissimo gladio juguletur etiam. Non ergo figuras nudas retinemus: non veritatem in figuras convertimus: non veritatem abolevimus. Vos potiùs comica quadam licentia panem & corpus Christi ex Eucharistia exterminastis, nuda pro pane accidentia substituistis, & sub inani accidentium illorum larva non corpus Christi, sed substantiam quandam indivisibilem & *ἀόρατον*, corpus non corpus, id est, Nihilum sub Nihilo jam dudum ostentastis, & adorandum proposuistis; ac proin non tam quod nescitis, quàm quod nihil est, adoratis. Talis vestra in Eucharistia veritas: talis adoratio est. 2. Quid Samaritani nescientes adoraverint, non opus est, ut nos doceas, Christus ipse Joh. IV. 21. &c. ubi non de objecto, sed de loco cultus sermo erat, optimè omnium nos docuit. Postquam enim illos reprehendit, quòd in monte adorarent, subjicit v. 22. *Vos* (Samaritani) *adoratis, quod nescitis.* q. d. Temerè facitis, quòd in monte hoc adoratis, putantes, Deum velle in eo loco adorari & quæri: non fide, Ideoque nescitis, utrum verum Deum adoretis, an Diabolum. Templum vestrum est במה *celsum.* In celsis autem Deus declarat non adorari se, sed vel figuras, quæ videbantur, vitulos Cherubinicos, vel שדים *dæmones.* Non enim Deus dixit, se velle in celsis habitare. Non ibi jussit templa & altaria haberi pro memorialibus & signis rerum futurarum. Tum falsam opinionem alebant de Deo, quasi delectaretur sacrificiis in tali domo oblatis; cujusmodi opinionem qui fovebant, ii Molochi tentorium portasse dicuntur, Amos. V. 26. Act. VIII. 43. Hinc ergo generalis regula conficitur: Qui non adorat in fide, is quod nescit, adorat. Vos in certis locis, velut ob consecrationem & ceremonias vestras arbitrarias sa-

ıcratioribus, adorantes, non adoratis in fide; quia Deus nuspiam testatus est, se velle illic habitare, eò venire, gratiam & meriti sui virtutem locis alligare. Ergo quod nescitis, adoratis. 3. Quæ de Reformatoribus nostris garris, putidissimæ nugæ sunt. Per Missam enim à Christi morte distinctam, illos Eucharistiam: per sacrificium à sacrificio crucis distinctum sacrificii ἀνάμνησιν recordationem eos intellexisse; & utrunque hoc sensu veteribus tribuisse, *Vindic. Theol Ref. ff.* 10. clarissimè probavi. Nisi pudor omnis de fronte animoque tuo migrasset, non reponeres talia, quæ crassissima mendacia tua esse probavi; ac ne vindicare quidem ausus es, mendaciorum tuorum conscius. 4. Causam Samaritanorum à Christo reprehensorum verissimam jam exposuimus. Transtulerunt illi cultum aliò sine mandato Dei. Vos sine mandato Dei non tam transfertis quàm instituitis novum cultum, cúmque certis locis vestro arbitrio alligatis. Samaritani transferentes cultum violarunt mandatum Dei, quo is Israelitas Hierosolymis publicè litare jussit. Vos sine mandato Dei novos cultus instituentes, & certis locis astringentes, violatis mandatum Dei tum illud, quo instituere novum cultum, & sine mandato Dei locis certis alligare vetuit Deus, modum instituendi cultus à suo, non hominum arbitrio suspendens: tum illud, quo in N.T. locorum discrimen sustulit, promiscuúmque, ratione loci, cultum esse jussit. Et sine mandato ergo, & contra mandata Dei rem isthanc totam geritis. Jeroboamum porro, adeóque etiam Samaritanos ejus sequaces vitulos suos coluisse ut Deos, & non potiùs in vitulis suis verum Israelis Deum, tantum abest (repeto verba tua) ut ex 1. Reg. XVI. 30. 31. &c. evineas, ut contrarium potiùs ex loco illo planissimè demonstretur. Nam de Achabo sic v. 30. 31. &c. author libri scribit: *Fecit Achab filius Amri, quod displicuit oculis Domini, super omnes, qui ante eum fuerant.* יְהִי הֲנָקֵל לֶכְתּוֹ בְּחַטֹּאות יָרָבְעָם *Nam leve ducebat incedere in peccatis Jeroboam filii Nebat; accepit insuper uxorem Jezabel filiam Ithbaal Regis Sidoniorum, ivitque & coluit Baal, & adoravit eum. Erexit etiam ipsi Baal aram in fano Baal, quod extraxerat in Schomron. Fecit insuper Achab lucos, &c.* En Jeroboami peccatum, vitulos erigentis Bethele & Dane, atque in iis Deum adorantis, dilertè distinctum à speciali peccato illo Achabi, quo is non acquiescens in peccato & idololatria Jeroboami, quasi levis illa fuisset, addidit ei peccato, in gratiam soceri sui Ithobaalis, Sidoniorum Regis, cultum Baalis phœnicii, hoc est, Jovis Thalassii seu marini Sidoniorum. Non ergo Jeroboami, & sectatorum ejus idololatria in cultu Baalis, vel cujusquam alterius Gentilitii falsi Numinis; sed in cultu veri Dei apud vitulos seu Cherubinos, ad imitationem eorum, qui supra arcam erant, Bethele & Dane erectos, consistebat. Quin & Elias 1. Reg. XVIII. 21. dicens Israelitis: *Quousque claudicaturi estis in duabus cogitationibus? Si Jehova est Deus, sequimini eum; sin autem Baal, sequimini eum*; ostendit apertè, Israelitas Jeroboami sectatores in vitulis non falsum Deum, qualis Baal erat, sed verum Jehovam videlicet, adorasse. Sed & Rex Jehu, cùm Baalis servos statuasque perderet, *Vide*, inquit, 2. Reg X. 16. קִנְאָתִי לַיהוָה *Zelum meum pro Jehova*, qui tamen à vitulorum cultu non recessisse ibid. v. 29. dicitur; quin etiam v. 23. עַבְדֵי יהוה *servos Jehovæ* appellavit. Denique novi incolæ ex Assyria traducti Deum non colentes, uti solebant Israelitæ deportati, 2. Reg. XVII 25 pœnas dedisse affirmantur ob omissum cultum Jehovæ; & v. 32. 33 *Jehovam* rursum dicuntur coluisse, cùm Deum colerent pristino regionis ritu, uti v. 24. ab Israelita Sacerdote edocti sunt. Certissimis ergo Scripturæ testimoniis & documentis constat, Israelitas Jeroboamum secutos Deum verum in vitulis coluisse. Quo tamen non obstante, 2. Chron. XI. 15. Sacerdotes perinde pro dæmonibus at-

que vitulis ſtatuiſſe; & Iſraelitæ Hoſ.IV.11. ſpiritu ſcortationum acti,ut ſcortarentur averſi à Deo ſuo,dicuntur.

ARG. VI. Cùm Deus non procul abſit ab uno quoque noſtrûm Act.XVII 27. propinquuſque Jehova invocantibus eum Pſal. CXLV. 18. & fideles ipſi Templa ſint viventis in iis ac ſpirantis Chriſti & Spiritus S. Gal.II.20. temeritati utique & inſaniæ proximum eſt,ſine ſontica cauſa, ſine ſpeciali vocatione,cum præſentiſſimo vitæ, valetudinis, pudicitiæ diſcrimine ad peregrina & procul diſſita loca curſitare. Leve quid regeſſerat Baldingerus,cui *Vindic. p.* 149. ſatisfeci. Sed & hic ab Hyperaſpiſte ſuo deſtituitur. *Quærant igitur alii* (liceat inſignis Theologi verbis uti) *veſtigia, pedum Chriſti, nos veſtigia voluntatis: illa impreſſa lapidibus, hæc inſculpta cordibus: illa ſuſpecta falſi & ſolatium inane oculorum,hæc indubitatæ veritatis & remedium præſens animarum. Vult Chriſtus inhabitare corda fidelium, imò ipſi ſumus Templum Chriſti. Quid tu ergo tantopere quæris oculis, quem corde circumfers? Túne cùm ſis Dei Templum ſpirituale, tam operosè quæris turbam,& vix apparentia Templi materialis veſtigia? En habes Chriſti membra in pauperibus! quicquid his præſtatur, Chriſtus ſibi imputat. Pecuniæ verò in imagines & ſepulchra impenſæ non ſe facit debitorem.*

RESP: REDING: 1. *Dubium non eſt, quin ex Divinæ operationis præſentia Deum adorandi & invocandi titulus reſultet. Quia verò Deus ſpeciales,extraordinarios, miraculoſos effectus in locis quibuſdam operatur, ideo hinc ſpecialis titulus eundem Deum in certis locis præ aliis adorandi exſurgit; qui medium quoddam eſt ad religionis honeſtatem nos excitans, & ſpecialiter applicans.* 2. *Proin etiam non deeſt Divina vocatio,quæ ex ipſius Divinæ rationis & honeſtatis ſupernaturalis ſontica cauſa fideles ad ſuſcipiendas peregrinationes invitat. Impoſſibile enim eſt,abſque actualis gratiæ per Chriſtum auxilio, ex religionis virtuoſo motivo tantos labores ſubire.* 3. *Peregrinationes prudenter & utiliter inſtitutæ pericula illa,quæ exaggeras, ſuperant.* 4. *Theologus ille,quem inſignem appellas, ſub interioris excitationis, hominem ad Divinas intentiones evocantis,ac in animæ fundum, tanquam Dei Templum introverſionis, nobis aprime probatæ, prætextu religioſam ſacrarum peregrinationum honeſtatem everſam cupit.* Ibid. pag. 186. Reſp. 1. Extraordinarios, miraculoſos, ſpeciales gratiæ Divinæ effectus certis locis,præ aliis, alligas ſine ratione ſolida, ſine experientia indubitata. Liberè Deus operatur,nec ad certa loca operationes continuas aſtringit. Neque miraculoſas operationes religioſarum peregrinationum fundamentum eſſe poſſe,infra *ad Obj. II. & V.* oſtendimus. 2. Vocationem proin Divinam nudè aſſeris, non probas. Non enim vel *Divina ratio* ulla, vel *ſupernaturalis honeſtas*,ſed ſola ſuperſtitio & turpis lucri appetentia ſimplices & incautos ad capeſſenda religioſa itinera invitat. Nam ceu apes æris tinnitu,ita peregrini ad viſendas reliquias convocantur, eáſque prodigiosè confictas,quaſi ad riſum & delicias. Oſtenditur enim Chriſti præputium,manuum ejuſdem impreſſarum veſtigia, Johannis anhelitus ampullæ incluſus, altare Johannis Baptiſtæ in deſerto, Judæ laterna, Chriſti primulum nati faſciæ,educati camera: & quod fraudem mirè arguit,plura ejuſdem Sancti capita, & de ligno crucis,quantum decem plauſtra non ſint ferendo. Proferuntur hæc *κειμήλια* à myſtagogo in ſacelli angulo, ubi lux dubia,

dubia, magno silentio & reverentia. Flectit ad hæc superstitiosus genu, perculsus sacro horrore, hiátque suspensus, dum scruta aut ossa proferuntur. Merces exhibitionis aliquot nummi. Profectò ob hæc relinquere patriam, insipientia est. Nam si quis vult falli, potest ille falli domi. Hoc unum remotas inter & domesticas fraudes discrimen est, quod remota creduntur in majus, & error ex intervallo invalescit. 3. Quòd verò peregrinationes *prudenter* & *utiliter* institutas fraudibus ejusmodi & periculis obviam ire excipis, planè frustra es. Nullæ enim religiosæ, quales apud vos obtinent, prudenter, rite, utiliter institui possunt, quia vocatione & mandato, religione destituuntur omnes, adeóque sunt mera ἐθελοθρησκεία ἐν ἀφειδίᾳ τοῦ σώματος, οὐκ ἐν τιμῇ τινι, *cultus voluntarius nullius pretii*, licet *corpori non parcant*, Col.II.23. Vincentius ille, qui circa A.1459. floruit, *Serm. de Ass. Virg.* sic pericula peregrinantium describit: *Homines & mulieres peregrinando sibi frangunt collum, & efficiuntur pejores, quia aliquando vadunt castæ, & redeunt meretrices. Ideo spiritualiter fiat peregrinatio, sicut Paulus dicit: Si spiritu vivimus, & spiritu ambulemus. Hodie & quolibet die potestis ire Nazareth ad cameram, ubi filius Dei fuit educatus, & sic de aliis locis.* Taceo alia itinerum comperta pericula; quódque tales ἀπόδημοι Pontificis, Cardinalium, Episcoporum, Sacrificulorum, Datariorum, Bullistarum &c. ludibrio se exponunt, si viderint illi, misellos indulgentiarum fictitiarum gratia tot itinerum molestias devorare, & ad extremum pro thesauris carbones redimere. Jam hæc omnia toleranda utique essent, si Christianos specialis vocatio, si sontica causa invitaret, si Christus ejúsque gratia à fideli quoquam abesset. Id verò cùm non obtineat, impletur in illis dictum Siracidis cap.III.26. *Qui periculum amat, peribit in eo*; nec non Dei querela Jerem. II.13. *Derelicto salutis fonte quærunt sibi cisternas, quæ aquas non habent.* 4. Non ergo peregrinationum *honestatem*, quam in iis nullam agnoscimus; sed περιεργίαν sententia Theologi à me citata ferit. Cui illustrandæ Ambrosii *de Sacram. lib. VI. 3.* verba addam: *Potes ubique orare, & in cubiculo tuo semper orare. Habes ubique cubiculum tuum. Etsi inter gentes, inter Judæos positus sis, habes tamen tuum ubique secretum. Cubiculum tuum mens tua est. In populo licet positus, tamen in interiore homine arcanum secretúmque tuum conservas.*

ARG. VII. Religiosæ peregrinationes instituuntur non ad adorandum verum Deum Israelis, sed venerandos Sanctos, eorúmque reliquias. Sicut igitur religiosus Sanctorum & reliquiarum cultus idololatricus est: ita peregrinationes ad illa loca susceptæ idololatriæ crimine non magis vacant. Accedunt perversæ opiniones de merito, votis, satisfactione peregrinantium, in ipsius Christi meritum injuriæ. Pluscula huic argumento indignabundus obvertit Baldingerus, non probatione assertionis, sed nuda inficiatione defunctus. Respondi ἀνὰ μέρος *Vindic. pag.*150.151. *&c.* Omnia alto silentio & saltu transvolat Redingius, uno excepto, quòd cultum religiosum, qui Sanctis, imaginibus, reliquiis, locis impenditur, adeóque eorum adorationem, dixi sistere & quiescere in Sanctis, à Deo acceptam minimè haberi, atque proinde verè idololatricam esse. Hoc me ait *supponere*. At non suppposui, sed probavi certis argumentis. Cur argumenta mea ad verbi Divini libellam non exigit & explorat? Causatur *hoc adversari doctrinæ Ponti-*

ficia

ficia. At protestationem esse contrariam facto, & confessam fidem erroneo dogmate subverti, neque adeò de ipsorum confessione, sed de rei veritate heic agi, demonstravi. Cur demonstrationem meam prætervehitur?

Resp. Reding: 1. *Invocationem Sanctorum, imaginum, reliquiarum transitivam alibi probavimus.* 2. *Israelitæ non tantùm præter, sed etiam contra Dei verbum locum cultui Divino destinatum rejecerunt, aliúmque adoptarunt, adorationem, Divinitatem in vitulos, dæmonia transtulerunt. Sanctos etiam, reliquias, imagines non absoluto, intransitivo, sed transitivo cultu & adoratione prosequimur.* 3 *Quoad votum, confundis ejus essentiam univocam cum ejus analogicè participata ratione. Nos vota Sanctis non aliter, quàm sub relatione ad Deum, in quo ultimatè terminantur, nuncupamus.* 4. *Quoad justitiam, quam peregrinantes acquirunt, distinguere debebas ejus substantiam ab accidentaria perfectione, pœnæ temporalis expiationem inferente.* Ibid. pag. 186--189. Resp. Quæ adversus hoc argumentum, & pro Baldingero, cujus contrarias ἐνςάσεις pridem discussi, affers, non aliud sunt, quàm otiosæ, odiosæ & obstreperæ inanium verborum ambages, & repetitiones eorum, quæ sigillatim hactenus expendimus. Paucis ergo defungar. 1. Tua pro invocatione Sanctorum, reliquiis, imaginibus molimina jam satis retusa vides. 2. Vos æquè atque Israelitas præter & contra Dei verbum ad imagines, reliquias adorandas huc illuc commeare; & Israelitas in vitulis seu Cherubinis verum Deum adorasse, atque se idololatriæ, in vitulos, quibus præsentiam suam nuspiam Deus promiserat, Divinitatem transferendo, & dæmonia potiùs, quàm verum Deum adorando, alligasse; atque eadem in re vos, in imaginibus, reliquiis non tantùm verum Deum, sed Sanctos etiam adorando, cum iis paria, imò deteriora facere, non semel jam liquidò probavimus. 3. De votis, quæ Deo vel Sanctis peregrinantes nuncupant, sic adversus Baldingerum *pag.* 152.153. censui: *Illud impium est, quod honorem soli Deo debitum alienat, & in creaturas transfert. At vota Sanctis nuncupata hoc faciunt, Ergo. Minor liquet, quia voti nuncupatio soli Deo debetur. Nam in Scripturis non refertur nisi ad solum Deum. Unde ipse Bellarminus fatetur, in Scriptura nomen voti semper accipi pro promissione Deo facta. Sed cùm scriberentur Scripturæ, inquit, non cœperat usus vovendi Sanctis. Imò nec propterea unquam postea ille introduci debuit. Sanè votum Thomas definit per actum latriæ. Et Lombardus, quòd sit testificatio quædam promissionis, quæ Deo, & his, quæ Dei sunt, propriè fieri debet, IV. Dist. 38. Nodum hunc Cajetanus & Bellarminus non aliter solvere potuerunt, quàm dicendo Sanctos esse Deos per participationem. Ita omnes honores Divini iis, tanquam Diis per participationem, conferri poterunt.* Cùm hæc argumenta mea, & instantiam tuam jam occupatam legeris, cur ad ea non respondes? Cur cramben bis coctam reponis? Addo nunc, quòd Bellarmino *de cultu Sanct. lib. III.* 9. ne quidem satisfaciat illa analogica participatio naturæ & gloriæ Dei, quia sic votum non magis offerretur Sanctis, quàm sacrificium. Nam etiam Deo ait offerri sacrificium in honorem Sancti: secus autem habere in voto, quod propriè etiam Sanctis fiat, & in iis terminetur. Videns autem sic idololatriæ manifestè se convinci, hoc utitur effugio: *Non eadem ratione fit votum Deo & Sanctis. Nam Deo promittitur in signum gratitudinis erga primum principium, & proinde illa promissio est cultus latriæ: at Sanctis promittitur aliquid in signum gratitudinis erga Mediatores & intercessores, per quos à Deo beneficia accipimus, & proinde illa promissio non est cultus latriæ, sed duliæ.* Contra verò Cajetanus *in Thom* 2.2.*q*.88.*art*.5. votum *eadem ratione Deo & Sanctis fieri* pertendit. Si tamen Jesuitica illa distinctio locum in-

veniat, jam igitur idem cultus, ab eadem virtute religionis proficiscens, eodem actu exercitus, si referatur ad unum objectum, erit latria: si ad aliud, erit dulia. Tale quid non potest in ullo affectu vel actu alio demonstrari. Neque enim adultera dicere potest, se non esse adulteram, quia cum uno ut marito, cum altero ut amico consuevit. Hac etiam ratione sacrificium Sanctis *formaliter*, & tanquam proprio termino offerri poterit; & qui ita obtulerit, eodem effugio evadet, quòd Sancto ut Mediatori, non ut principali authori offerat. Neque sic idololatria admitti poterit circa ullam creaturam, nisi habeatur creatura illa pro primo principio omnium bonorum. Certè qui tale quid somniarunt de æneo serpente, supra cœteros omnes Mortales plumbeos fuisse oportet. Et quis tandem sic loquentium scopus alius esse potest, quàm ut omnem idololatriæ cognitionem auferant, dum eam sic definiunt, ut nullus unquam ejus convinci queat? Solus enim Deus judicare potest, an qui idolo suffitum, oscula religiosa, genuflexiones, candelas, vota, imò etiam sacrificia offert, id ipsi tanquam primo principio exhibeat. 4. In Synodali de Peregrinationibus Religiosis Dissertatione dixi, fateor, peregrinantes nugalibus defunctos credere, *non vulgarem sibi justitiam se comparasse.* Id verò neganti Baldingero, sequentia pag 153. reposui: *Quid ergo sibi vult, quòd indulgentias amplissimas, & tesseras peccatorum veniales juxta ac venales adeò liberaliter peregrinantibus promittitis? Annon enim cui tot peccata remittuntur, is justior evadit? Quid quòd peregrinationes facitis opera pœnitentiæ & satisfactionis? An qui satisfacit pro peccatis, non evadit justior? Quin peregrinationes in re vel voto ad Sacellum Eremitanum susceptas remittere peccata venialia ex opere operato, palam asserit Redingius. An cui peccata ex opere operato remittuntur, non evadit justior?* Nil distinctio tua inter justitiæ *substantiam* & *accidentalem perfectionem* hypocrisi medetur, tum quia opera voluntaria & superstitiosa justitiæ perfectionem non addunt, sed detrahunt potiùs: tum quia justitia Christi, vitæ & salutis causa, suam πλείωσιν *consummationem* à Christo, fidei consummatore, non ab humano opere ullo, nedum Divinitus non præcepto, probato sortitur.

ARG. VIII. Consentientem piam antiquitatem habemus. S. Augustinus *Serm. 3. de Martyr.* egregiè, *Dominus non dixit*, inquit, *vade in Orientem, & quære Justitiam: naviga usque ad Occidentem, ut accipias indulgentiam. Nihil à Te extra te quære.* Occurrit Redingius pag. 837. *Augustinum docere his verbis, ad remissionem peccatorum ita sufficere actus interiores, ut exterioribus v.g. peregrinationibus non sit opus. Alibi verò, veluti de Civ. D. XIII. ipsum probare peregrinationes miraculis probatas.* De locis aliis infra viderimus. Accipimus verò confessionem de Augustini sententia. Si peregrinationibus non est opus ad remissionem peccatorum, possunt igitur sine damno omitti, neque damnandi sunt, qui eas frustra suscipi asserunt. In cultu Dei omittendum est id, quo vera fides opus non habet. Quid dixisset Augustinus, si intellexisset, peregrinationibus etiam meritum, remissionem peccatorum, efficaciam satisfactionis tribui? Hieronymus Epist. ad Paulinum: *Non fuisse Hierosolymis, sed Hierosolymis bene vixisse laudandum est. Et de Hierosolymis, & de Brittannia æqualiter patet aula cœlestis.* Sed & Gregorius Nyssenus Epistolâ περὶ τῶν ἀπιόντων εἰς Ἱεροσόλυμα *de iis qui adeunt*

deunt Hierosolymam scriptâ, efficacissimis argumentis peregrinationes oppugnat. De solis Monachis utrumque loqui regerit Adversarius. At contrarium de Hieronymo ostendi *Vindic. pag. 85. &c. 155. 156. &c.* De Gregorio Nysseno itidem tum pag. 158. 159. &c. tum in mea pro Epistola Gregorii adversus Gretserum, Baronium, Richeomum, Bellarminum prolixa Apologia, ipsi Epistolæ ejusdem subnexa. Tanto heroi, qui tertio quoque verbo perfidiam, sacrilegium, blasphemiam, falsitatis reatum & quid non, mihi innocenti impingit, conveniebat vel ea omnia haud intacta prætermittere, vel veritati meridiano jubare clariori herbam porrigere. Quid enim ad rei summam juvat, eadem duntaxat chorda oberrare, & exoletam cantiunculam semper canere? Chrysostomi interiorem animi mentem expressam erui ex homilia I. in Epistolam ad Philemonem, ubi docet, ad ὁδὸν λύσεως ἁμαρτημάτων *viam remissionis peccatorum non opus esse in longinqua peregrinando transire, nec ad remotissimas ire nationes, &c.* Hinc verò non refutari religiosas peregrinationes, nudè asserit Adversarius, nec assertionis ullam rationem edit. Alibi quidem Chrysostomus figuris Rhetoricis cordis, aliorúmque S. Pauli membrorum cineres extollendo, sanctas eorum actiones, quarum hæc instrumenta fuerunt, celebrat, sed peregrinationes ad ejusmodi λείψανα nuspiam commendat. Anthonius, Athanasio in ejus vita teste, negat *ullam transfretandi fluctus necessitatem imminere*, aitque *in omni sede terrarum constituta esse Regna Cœlorum.* Quæ verba non de Græcorum ad terras alienas studiorum causa susceptis itineribus, uti Adversarius contendit, sed de religiosis peregrinationibus, quibus videlicet *Regna Cœlorum* aucupantur homines, Anthonium accepisse apertum est.

RESP. REDING: 1. *Licet juxta Augustinum peregrinationes in ordine ad remissionem peccatorum obtinendam nulli Divinæ legis necessitati subsint, non tamen sine damno omitti possunt, neque non damnandi sunt, qui eas frustra suscipi asserunt. Ita ad verbi Divini auditum nemo obligatur, neque ille ad remissionem peccatorum necessarius est. An iccirco omitti debet? Par ratio Virginitatis; qua vera fides opus non habet, licet eam S. Paulus consuluerit.* 2. *Hieronymus verbis à te citatis ita laudat Hilarionem Hierosolymam semel invisentem, ratione hac ductum, ne videretur contemnere loca Sancta propter viciniam; ut simul sancti illius viri in cellula sua se continentis solitudinem probet. Argumenta verò ejus stringunt contra peregrinationum necessitatem, asseruntque hoc solum, quòd spirituale emolumentum ex illis redundans piorum actuum exercitio religiosis mentibus in locis solitariis magis familiari compensetur, vel etiam superetur. Id quod Monachis ille appropriat, quia homines mundani à domesticis negotiis abstracti faciliùs ad Divina se recipiunt, sacra loca obeuntes; contra Monachatus status sua natura mentis interiorem solitudinem, & ad animæ fundum introversione exercitium familiare sibi concilians, exigit, ut Monasticam vitam professi operentur fidei ac religionis opera, quæ ubique æqualem coram Deo valorem obtinent. Non reprehendit ergo peregrinationem absolutè, sed respectu Monacho-*

rum & Monialium. Quæ hisce opposuisti, merissimæ nugæ sunt. 3. Eandem Gregorii Nysseni mentem esse, exordium Epistolæ ejus ostendit, utpote quod ad Monachos & Moniales unicè dirigitur. Ingentem igitur fallaciam committis, dum ejus conclusionem ad universos Christi fideles extendis. Ille enim Divinæ legis, perfectionisque Evangelicæ necessitatem à Religiosis peregrinationibus excludendo, thesin isthanc mox ad subsumptionem, Monasticæ seu perfectioris vitæ addictos unicè complectentem, contrahens, ex ea quidem universali quoslibet Christianos tangente prima propositione per eam subsumptionem ad Monachos contracta infert conclusionem pari modo restrictam, quam tu ad omnes Christianos, inversa bonæ consequentiæ norma, extendis. 4. Chrysostomi mentem declarant loca alia, velut homil. 66. ad pop. Antioch. & homil. 20. in 2. Cor. Hoc tantùm sibi vult, simpliciter necessarias non esse. 5. Ex S. Antonii verbis ipsis liquet, illum non de Religiosis peregrinationibus, sed Græcorum ad terras alienas studiorum gratia susceptis itineribus loqui. Ibid. pag. 189.-192.

Resp. 1. Non quid vobis videatur, sed quid Augustino in hac quæstione visum fuerit, hic quæritur. Ille *Serm. 3. de Martyr.* sic scribit: *Dominus non dixit, vade in Orientem & quære justitiam, naviga usque ad Occidentem, ut accipias indulgentiam. Nihil à te extrà te quære.* Quod in cultu Dei ad consequendam remissionem peccatorum Dominus non dixit, illud non tantùm non necessarium est, sed sine damno omitti potest. Saltem in eo plus sanctitatis, quàm in observatione Divinorum præceptorum poni non potest, quod vos facere, res ipsa docet; Bulla inprimis illa Extravagans de casibus reservatis, quæ cùm Episcopis concedat facultatem absolvendi à peccatis, quæ sunt contra legem Dei, à furto, homicidio, adulterio; peccatorum tamen aliquot graviorum absolutionem reservat Romano Pontifici. Casus reservatos vocat, quorum hic unus est: *Si quis Romipetis impedimentum objecerit.* Tam grande facinus qui remittat, nemo est cis alpes, sed ejus cognitio Papæ reservatur. Cujus etiam solius est liberare homines necessitate exolvendi voti, & promissæ peregrinationis, indicta alia pœna seu corporea illa, seu pecuniaria. Tantine putas Augustinum peregrinationes fecisse; quas ille vel eo argumento refellit, quòd Dominus eas non præceperit. Frustra autem colitur Deus præceptis hominum, Matth. XV.9. Ain' verò Redingi, auditus verbi Divini necessitati præcepti Divini non subest? O impiam vocem! Hæc ne causa est, quòd verbi Divini auditus inter postremas curas vestras est? Deo loquente non necessariò audiet homo? Obthurabit aures suas? *Audite, & auribus percipite, ne exaltetis vos. Nam Jehova locutus est*, Jerem. XIII 15. Antichristi character est, *non recipere amorem veritatis, ut salvus fias*; 2. Thess. II. 10. Virginitas cùm per se ad religionem non pertineat, Divino præcepto communi non indiget. Subest tamen præcepto conditionato & personali, quod ex Divina vocatione & doni continentiæ conscientia colligitur. Augustini porro sententiam apertiùs pandunt ejus, quæ *Serm. I. de verbis Ap. Petri ad Christum* extant, verba: *Veni ad Christum, noli longa itinera meditari. Ubi credis, ibi venis. Ad illum enim, qui ubique est, amando venitur, non navigando. Sed quoniam etiam tali in itinere abundant fluctus & tempestates tentationum, in crucifixum crede, ut possis fide sua lignum ascendere. Non mergeris, sed ligno portaberis.*? Hieronymi verba ubi lectori repræsentavero, Redingianæ glossæ vanitas ultro patebit. Sic autem ille *tomo I. Epist. 3. pag.* 34. ad Paulinum suum scribit: *Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse, laudandum est. Illa excipienda est civitas, non quæ occidit Prophetas, & Christi sanguinem fudit, sed quam fluminis impetus lætificat, quæ in monte sita celari non potest quam matrem Sanctorum Apostolus clamitat, in qua se municipatum cum justis lætatur habere. Neque verò hoc dicens memet inconstantiæ arguo, damnóque quod facio,*

ut

ut frustra videar ad exemplum Abrahami & meos & patriam reliquisse. Sed non audeo Dei omnipotentiam angusto fine concludere, & coarctare parvo terræ loco, quem non capit Cælum. Singuli quique credentium non locorum diversitatibus, sed fidei merito ponderantur. Et veri adoratores neque Hierosolymis, neque in monte Garizim adorant Patrem, quia Deus spiritus est, & adoratores ejus in spiritu & veritate adorare oportet: Spiritus autem spirat ubi vult, & Domini est terra, & plenitudo ejus. Postquam siccato vellere universus orbis cælesti rore perfusus est, & multi de Oriente & Occidente venientes recubuerunt in sinu Abrahami, desiit notus tantùm esse in Judæa Deus, & in Israel magnum nomen ejus, sed in omnem terram exivit sonus Apostolorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Salvator ad discipulos loquens, cùm esset in Templo; Surgite, inquit, abeamus hinc. Et ad Judæos: Relinquetur, vobis domus vestra deserta. Si Cælum & terra transibunt, utique transibunt omnia, quæ terrena sunt. Et crucis igitur & resurrectionis loca prosunt his, qui portant crucem suam, & cum Christo resurgunt quotidie, qui dignos se tanto exhibent habitaculo. Cæterùm qui dicunt: Templum Domini, Templum Domini; audiant ab Apostolo: Vos estis Templum Domini & Spiritus S. habitat in vobis. Et de Hierosolymis, & de Britannia æqualiter patet aula cælestis. Regnum enim Dei intra vos est. Antonius & cuncta Ægypti & Mesopotamiæ, Ponti, Cappadociæ & Armeniæ examina Monachorum non videre Hierosolymam, & patet illis absque urbe Paradisi janua. B. Hilarion cùm Palæstinus esset, & in Palæstina viveret, una tantùm die vidit Hierosolymam, ut nec contemnere loca sancta propter viciniam, nec rursus Deum loco claudere videretur. Ab Hadriani temporibus usque ad imperium Constantini, per annos circiter centum octoginta, in loco resurrectionis simulachrum Jovis, in crucis rupe statua Veneris ex marmore à gentibus posita colebatur, existimantibus persecutionis authoribus, quòd tollerent nobis fidem resurrectionis & crucis, si loca sancta per idola polluissent. Bethlehem nunc nostrum & angustissimum orbis locum lucus inumbrabat Thamuzi, id est, Adonidis; & in specu, ubi quondam Christus parvulus vagiit, Veneris amasius plangebatur. Quorsum, inquies, hæc tam longo repetita principio? Videlicet ne quidquam fidei loci deesse putes, quia Hierosolymam non vidisti, nec (NB) nos iccirco meliores existimes, quòd hujus loci habitaculo fruimur: sed sive hic, sive alibi, ÆQUALEM te pro operibus tuis apud Dominum habere mercedem. An, quæso, vir tantus peregrinationum religionem efficacioribus verbis, & argumentis, iisdem fere, quibus & nos usi sumus, minuere potuisset. Quid tamen ad hunc argumentorum συναθροισμὸν Redingius? *Laudat*, inquit, *Hilarionem, semel Hierosolymam invisentem, ac de cætero in cellula sua se continentem.* Ille tamen Palæstinus cùm esset, semel tantùm Hierosolymam ivit, *ne loca sancta propter viciniam contemnere videretur.* Quàm hoc exile, & contemtui viciniæ proximum? Certò eo argumento Hieronymus remotiores potiùs à terra Sancta avocavit, quam ad illam provocavit. Nec Hilarion ivit Hierosolymam opinione meriti, satisfactionis, impetrandæ remissionis peccatorum, vel intentione adorandi reliquias, creaturas: sed *ne contemnere videretur.* Quis in eodem statu positus eum imitari detrectet? Sed argumenta Hieronymi militare contra peregrinationum necessitatem, & Monachos aliunde peregrinationum commoda resarcientes, non plebejos tangere, idem Redingius tricatur. Contrarium ego *de Peregr.* 85. & 155. 156. &c. demonstravi fusissimè. Ille reprehensus etiam à me ob silentium ad responsiones meas, secunda vice mecum congressus, denuo illas præterit. Annon desperatissimæ causæ hoc argumentum est? Repetam paucis responsiones meas. Argumenta Hieronymi generalia esse, vel cœci vident. *Singuli quique credentium; veri adoratores; qui portant crucem; qui cum Christo resurgunt*, &c. inquit.

An hæc solis Monachis dicta putamus? Quin se includit Hieronymus, & de se negat, *quòd melior inde æstimandus, quòd ejus loci habitaculo fueretur.* Et tamen ille Monachus non fuit, sed Presbyter. Sed vel illud tibi convincendo satis est, quòd argumenta Hieronymi contra peregrinationum necessitatem militare concedis. Id si verum est, cur plebi vestræ, cui tum ob simplicitatem & ignorantiam rerum Divinarum, tum ob impedimenta plurima, difficilimam aliàs salutis viam calcare, adeóque sepositis non necessariis, salutem suam operari sufficere debebat, non necessaria ad salutem, & quidem tot cum vitæ, valetudinis, bonorum motum, pudicitiæ, sumptuum periculis manifestissimis conjuncta imponitis & suadetis, & non potiùs seriò dissuadetis? Etenim in boni & fidi pastoris censu nunquam habuero eum, qui oves omnium simplicissimas, & reliquis infirmiores per ambages & anfractus non necessarios, imò per senticeta & præcipitia, & non potiùs præcisis ejusmodi ambagum flexibus, recto & facili tramite ad læta pascua ducit. Justam sic nobis suspicionem movetis, non aliam ob causam rudi & simplici plebeculæ vos peregrinationes, rem ad salutem, uti fatemini, non necessariam, commendare, vel certè ab ea non dehortari, quàm ut quæstui habeatis captas superstitione mentes. Quam suspicionem auget, quòd Monachos, qui aliàs rebus sacris, & devotioni, quam peregrinationibus ad memorias Christi, Sanctorum, extraordinariis operationibus Dei, sic dicitis, nobilitatas inprimis excitari aliíque pertenditis, præ cœteris vacare deberent, ab hac peregrinationis molestia excipitis. Nempe illi loculos cùm non gestent, & accipere, non dare consueverint, nec aras nec focos vestros luculentiores reddere possent. Cùm porro Monachi ab hoc onere se exemptos velint, annon iis peregrinationes plebi vel injungentibus, vel suadentibus quodam jure exprobari potest id, quod Scribis & Pharisæis Christus exprobravit: Ligant φορτία βαρέα καὶ δυσβάστακτα, *onera gravia difficiliáque portatu, & imponunt humeris hominum: digito autem suo ea movere nolunt*, Matth. XXIII. 4? Præterea si neque ad salutem, neque ad perfectionem peregrinationes faciunt, tum neque ad præcepta, neque ad consilia pertinent. Quo ergo tandem motivo homines ad peregrinandum inducuntur? Cúmque peregrinationes faciatis opera *pœnitentiæ* & *satisfactionis*, jam ergo dabitur opus pœnitentiæ & satisfactionis nec ad salutem, nec ad perfectionem necessarium. Denique quod nec ad salutem, nec ad perfectionem cultus conducit, illud omitti potest, imò debet, cùm nullum tempus in eo, tanquam religioso cultu collocari debeat, quod nec ad salutem, nec ad perfectionem requiritur. An hæc pridem vobis objecta *merissimæ nugæ*, Redingi, sunt? Cur ergo cum iis, aliàs nugari satis suetus, congredi ausus non es? 3. Eadem dicta velim adversus ea, quibus Gregorii Nysseni sententiam pervertere conatus es. Etenim Epistolam Gregorii περὶ τῶν ἀπιόντων εἰς Ἱεροσόλυμα, *de iis, qui adeunt Hierosolymam*, Græco-Latinam integram Vindiciis meis subjeceram, & notis illustratam adversus Gretseri strophas vindicaveram, ostenderámque adeò, tum adversus Bellarminum dubitantem Epistolæ γνησιότητα (*pag.* 158. 159.) tum adversus Baronium, Gretserum, Baldingerum, quòd sententia & argumenta Gregorii singulos fideles, non solos Monachos concernant (*ibid. pag.* 159. & *Apol. pro Gregorio §§.* 3.) solutis etiam in contrarium Gretseri argumentis (*ib. §§.* 4-8.) Quid hic Redingius? Semel increpitus, quòd cuncta hæc præteriisset, iterum præterit, altóque silentio premit, desperatæ causæ documento certissimo. Repetam paucis argumenta. *Primò* Gregorius negat sibi quidquam peregrinationem Hierosolymitanam profuisse. Ipse autem Monachus non fuit. *Secundò* provocat ad regulam, præceptum nimirum Dei. Hoc enim cùm nuspiam extet, colligit, peregrinantem αὐτὸν ἑαυτῷ τοῦ καλοῦ νόμον γινόμενον, *ipsum sibi legem esse honesti.* An hæc

respectu

respectu solorum Monachorum dici potuit? An illis solis, non etiam plebeiis respicienda regula, praeceptum Dei? An cuiquam hominum licet semetipsum sibi facere honestatis, bonitatis legem? *Tertiò* addit, Christum invitantem ad regnum Coelorum, & beatitudines enumerantem, non meminisse peregrinationum. An soli Monachi ad regnum Coelorum invitantur: solis illis beatitudines à Christo promissae & officia ad consequendas illas injuncta sunt? *Quartò* Gregorius peregrinationum tum inutilitatem, tum pericula & damna exaggerat. An haec solos Monachos, non quosvis peregrinantes spectant? *Quintò*, quod rei caput est, negat ille, largiorem Hierosolymis esse Spiritus S. gratiam, quàm alibi. Negat, ad Deum μεταστάσει τοπικῇ *locali mutatione* accedi. Asserit adesse unicuique gratiam Dei pro mensura fidei. Haec solis Monachis, qui prae coeteris vagari aliàs & circumcurrere amant, minimè convenire, sed omnibus Christianis, apertissimum est. Ad haec argumenta Gretserus nonnulla exceperat. Dilui omnia. Licet autem cum Anachoretis potissimùm Gregorio in hac epistola res fuerit; argumenta tamen, quibus utitur, ex officio quippe Christiani cujusvis petita, non ascetis propria, generalia sunt, imò Monachos, qui altiora sapere, ad altiora eniti volunt, minùs, quàm plebejos feriunt. Incipit ergo de Monachis: desinit in illis, quia cum iis res ei erat. Sed argumentis ejusmodi pugnat, quae peregrinationes magis plebejis, quàm Monachis dissuadere apta nata sunt. 4. Verborum Chrysostomi sensus apertus est. Negat ille, *ad viam remissionis peccatorum opus esse in longinqua peregrinando transire.* Sed & *homil.* 3. *ad Antioch.* negat quicquam ad promerendum Deum conferre, si quis peregrinationes ad dissita loca suscipiat. Haec ergo perspicuè dicta aliis potius dubiis ejusdem dictis (quorum tamen idoneum sensum expressimus) lucem foenerentur, non dubia perspicuis. 5. Ex quibus denique Antonii verbis concludis, illum de literariis, non religiosis peregrinationibus loqui. Etenim ille antithesi quidem peregrinationis literariae Graecorum instituta, qua sibi Graecos relinquit: Christianis negat eorum exemplo necessitatem imminere transfretandi fluctus, quia, inquit, *in omni terrarum sede constituta sunt regna Coelorum.* Qua ratione non literarias peregrinationes sugillat (nam illae omni aevo laudatae sunt) sed religiosas utique, quae adipiscendi *Regni Coelorum* gratia suscipiuntur. Et quid de Religiosis ille peregrinationibus senserit, suo exemplo docuit. Hieronymus enim in Epistola ad Paulinum negat, Antonium, quanquam in confinio Hierosolymae habitaret, Hierosolymae unquam fuisse.

ARG. IX. Denique peregrinationum religio lacinia est à Judaeis, Paganis & Muhammedanis emendicata, & ab hypocritis texta, ac integrae Christi tunicae assuta. Probavi liquidò *Vindic.pag.* 160. 161. *&c.* Neque hoc asserens orthodoxae antiquitati, uti ὁ δεῖνα criminatur, injuriam facio. Si qui enim olim peregrinationes religiosas non omnino improbârunt, illi tamen Pontificias peregrinationes, toto ab illis coelo distantes, suffragio suo neutiquam probârunt, uti tum in Dissertatione Synodali, tum in ejusdem Vindiciis manifestum feci.

Resp. Reding: 1. *Peregrinando non imitamur Judaeos, quoad id, quod in praecepto eo ceremoniale, sed quod morale fuit.* 2. *Ethnici & Muhammedani peregrinati sunt ad simulachra falsorum Deorum. Nos ad memorias Christi & Sanctorum, exemplo piae antiquitatis.* Ibid. pag. 192. 191. Resp. 1. In praecepto Divino, quo Israelitis olim profectio ad Templum Hierosolymitanum injuncta est, quoad peregrinandi actum, ceremonialia, positiva omnia

omnia fuiſſe, nihil morale, ſupra probavimus. 2. Muhammedanos ad ſimulachra falſorum Deorum peregrinari ſolere, unde didiciſti? Atqui illi juratiſſimi imaginum omnium hoſtes ſunt. Ad templum Meccanum viſitandi ſepulchri Muhammedis cauſa commeant. In eo autem vobis cum Ethnicis & Turcis convenit, quòd æquè ac hi, peregrinamini ſine mandato Dei: ex voluntario cultu meritum, peccatorum remiſſionem aucupamini: denique ibi ſpecialem Dei & gratiæ ejus præſentiam quæritis, quò ſe venturum cum gratia ſua nuſpiam promiſit. Id verò non minoris piaculi eſt, quàm ſi vos ad Templum Delphicum, Jovem Delium, oraculum Trophonium, ſepulchrum Muhammedis curſitare libido inceſſeret. Imò Ethnicorum & Muhammedanorum impietatem hactenus ſuperatis, quòd ſecus ac hi peregrinationes ad fœdiſſimum quæſtum & negotiationem refertis, atque ea in re ipſis Turcis anſam Chriſtianos expilandi & emungendi præbetis. Nam ad Chriſtiani nominis opprobrium & ὀνείδιον pertinet, quod Bellonius, homo Pontificius, in *obſervationibus* hac de re retulit, & eo teſte infra, ubi de Peregrinatione Hieroſolymitana, narramus.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *In V.T. peregrinationes religioſæ præcepta fuerunt Deut. XVI.16. 2. Paralip. VI.36. VII. 15. In quo quidem præcepto id quod ceremoniam ſapit, abrogatum eſt, moralis verò ratio & ſubſtantia ejus, nimirum religionis virtus, quæ peregrinando exercetur, inviolabilis & perpetua manet.* Aug. Reding. *pag.*821. Reſp. 1. Baldingero argumentum hoc urgenti accuratè à me reſponſum eſt *pag.* 58.59. *&c.* Summa huc redit, peregrinationes religioſas V.T. & Pontificias δὶς διὰ πασῶν differre, & præceptum Iſraelitis quondam Divinitus latum temporarium fuiſſe, neque ſublatâ per claram Salvatoris noſtri vocem locorum differentiâ, ampliùs vigere. Hìc igitur Adverſarius lacertos movere, & reſponſioni meæ facere ſatis, vel manus dare debuit. 2. Fruſtra verò præcepti Iſraelitis lati ſubſtantiam moralem eſſe, & ad exercitium virtutis Religionis pertinere pertendit. Non enim veræ religionis exercitium ex ſomniis & inſtitutis hominum, ſed ex Dei verbo dirigitur. At Scriptura non tantùm teſtis nuſpiam eſt, Deo probari peregrinationes ad reliquias Sanctorum venerandas, ſed etiam locorum differentiam, cui illæ ſubnituntur, penitus tollit. Eadem ratione Judæus aliquis conficeret, etiam Paſcha, circumciſionem, Sacrificia, utpote in quibus Dei quoque veneratio, & infinitæ præſtantiæ ac excellentiæ ejus proteſtatio, adeóque ipſius religionis exercitium vertebatur, abolito typo, quoad ſubſtantiam integra illibatáque vigere.

EXCIP. REDING: *Virtutis religionis perpetua & inviolabilis ſubſtantia in Divinæ Majeſtatis infinitæ proteſtatione, ſolidis fidei principiis nixa, conſiſtit. Hac ſubſtantia in utriuſque Teſt. peregrinationibus reperitur: In V.T. peregrinationibus myſteria fidei præfigurabantur: in N.T. fidei veritas nos inducit, ut ſub ceremoniis ſeu actionibus ſenſibilibus Chriſti myſteria jam exhibita, gratiarumque ex Chriſti meritis promanantium effecta* re-

repræsentemus. Ita Pascha olim præfigurabat Christum : nunc exhibitum repræsentat, substantia cultus & fide religionis eadem manente. Ibid pag. 193.194. Resp. Omissis responsionibus meis, tum iis, quas Baldingero *Vindic. pag.* 58--64. liberalissimè perhibui : tum iis, quas Anatome contractiores repræsentat, perinde ac si nunquam eas inspexisses, tuis speculationibus, seu potiùs crambi recoquendæ, indulges. Neque tamen *solida illa fidei principia*, quibus protestationem Majestatis Divinæ inniti vis, in peregrinationibus N.T. demonstras. Fidei, religionis, cultus Divini substantia in utroque Testamento eadem est. *Credimus* enim *gratia Domini Jesu Christi nos salvari, quemadmodum & illi*, Patres V.T. Act. XV.11. Cultus illius adjuncta sunt tempus & locus. Nam sine tempore & loco cultus exerceri nequit. Hæc verò differentiam recipiunt, ex jure positivo & voluntario Dei, non morali aliquo vel perpetuo. In V.T. Deus & tempus & locum speciali mandato ita determinavit, ut utrumque sacraverit, & locum quidem speciali sua præsentia honestaverit. In N.T. *temporis* determinationem Ecclesiæ reliquit : *loci* verò præ aliis sacratioris determinationem ita antiquaverit, ut nullus jam in mundo locus sit, quin cultui Divino eadem efficacia, operatione, præsentia Dei apud fideles præscripto cultu rite fungentes, consecrari possit. In peregrinatione igitur ad loca Divinitus sacrata nihil morale, perpetuum est, sed à Divino arbitrio, voluntate, adeóque positivo jure cuncta pendent. Arbitrii enim Divini est, hunc vel illum locum speciali præsentia sua sanctificare, & ad locum sic sanctificatum cultores expresso mandato excire. Id verò in V.T. factum esse novimus. Si in N.T. ad repræsentanda Christi exhibiti mysteria specialia loca, aliis ob specialem præsentiam & manifestationem gratiæ Christi sacratiora, deputata sunt, atque propterea illa consequendæ remissionis peccatorum aliorúmque beneficiorum Divinorum gratia frequentanda sunt, demonstranda vobis est Divinæ voluntatis, Divini, quo ad hunc vel illum locum evocemur, arbitrii expressa testificatio : expressum ad illa peregrinandi mandatum : expressa gratiæ specialis & extraordinariæ in hoc potiùs quàm alio loco exhibendæ promissio. At nihil demonstrastis hactenus, nec demonstrare potestis, quia Deus locorum differentiam abolendo contrarium suum arbitrium disertè revelavit, & peregrinationes insuper vestras voluntarias, arbitrarias, votivas esse, ipsimet confitemini. Frustra ergo in peregrinationibus ad loca sacrata substantiam, moralitatem quandam perpetuam à ceremoniis sensibilibus & mutabilibus à te distingui, & inani hac distinctione à te lectori illudi, jubare meridiano clarius est. Ac de cætero responsiones meæ, tum Baldingero, tum tibi oppositæ, quas ne tangere quidem ausus es, inconcussæ perstant.

OBIECT. II. *Deus etiam in N.T. virtuali sua præsentia in uno potiùs quàm alio loco existit secundum speciales gratiæ effectus, qui in una re vel loco secundum Divinam providentiam collati sunt vel conferuntur. Ita Act.V.15. & XIX.12. legitur, ex umbra Petri & sudariis Pauli, per virtutem Dei & Christi ad Patris dexteram sedentis, dæmones ejectos & ægros sanatos fuisse : & ad illa ægrotos catervatim cursitâsse. Quòd si enim id eis facere licuit ad recuperandam valetudinem corporis : quantò magis licet ad reliquias Sanctorum venerandas commeare, atque ita Divinæ excellentiæ protestationem edere? Major enim habenda ratio est cultus Divini, quàm amoris proprii.* Aug. Reding. *pag.* 822--826, Resp. 1. Baldingero idem argu-

mentum acri tibia decantanti, prolixè & cum cura respondi *Vindic pag.* 65.66. &c. Summa huc redit: Umbram Petri & semicinctia Pauli symbola fuisse miraculosæ sanationis: ea symbola à convalescentibus minimè adorata esse, nec ad ea ut religionis ergo quisquam peregrè veniret, ab Apostolis vel desideratum vel injunctum esse. Neque fas esse ab umbra Petri & semicinctiis Pauli viventis utriusque, ad reliquias mortuorum argumentum nectere, tum quia mortui corruptionem sentiunt, quæ ipsa testis est, nullam corporibus eorum virtutem θαυματοποιητικὴν insidere; tum quia reliquiæ pleræque dubiæ & suspectæ sunt, neque quisquam de iis πληροφορεῖσθαι potest. Eadem ratione absolvendam fore omnem Paganorum in mundi elementa, per quæ Deus maxima homini beneficia impertitur, pietatem. Ex miraculo extraordinario religiosi cultus fundamentum peti non posse. Miraculorum donum fuisse temporarium, non perpetuum. Apostolos ipsos viventes non potuisse pro arbitratu miracula edere, quantò minùs ejusmodi ordinariam & perpetuam vim inesse eorum reliquiis? Denique umbram Petri & semicinctia Pauli symbola fuisse non remissionis peccatorum, sed miraculosæ sanationis, ad fidem extraordinario muneri in novo ecclesiæ statu faciendam. Ex concatenatis hisce responsionibus pauca non suo loco, sed sparsim (parùm nempe tutum ipsi visum est ordinem in retexendis meis custodire) Adversarius vellicavit, quæ superiùs à me ad partes vocata repetere nihil attinet. 2. Cùm Divina promissio extiterit, fore ut miraculorum donum initio ecclesiæ Christi plantandæ floreret, integrum utique & pium erat Christo & Apostolis dono miraculorum præditis accurrere. Dispar sequentium temporum, quibus non tantùm promissio exhibendorum miraculorum nulla ampliùs extat, sed etiam gravis eorum ob pseudoprophetas & deceptores futuros aucupandorum prohibitio intercedit, ratio est. Nec valetudinis igitur ampliùs, nec remissionis peccatorum impetrandæ gratia loca & memoriæ Sanctorum, quantumvis prodigia prætendantur innumera, sectanda sunt. Quam in rem multa in Vindiciis nostris ex Dei verbo & experientia copiosè disseruimus.

EXCIP. REDING: *Fateris, umbram Petri & semicinctia Pauli miraculosæ sanationis symbola fuisse. Atqui mentem reflectere in Divinam virtutem, miraculosæ operationis instrumenta constituentem, licuit. At hæc Symbolorum, ceu Divinæ operationis instrumentorum contestatio respectivum religionis cultum importat. Licet verò hæc symbola adorata non sint, tamen ex intentione adorationis in Deum absolutè relata, à fidelibus frequentata, & vera fide, limpidaque religionis virtute culta sunt. Atqui Deus paria Divinæ contestationis suæ argumenta per miraculosos effectus Sanctorum reliquiis æquè exhibere solet. Proin devotus ad eas accessus non potest non moralem virtutis religionis bonitatem obtinere.* Ibid.

pag.

pag. 194. Resp. Quàm quæso frigidè responsiones meas excipis, capita eorum omittendo, & ad cavillationis meræ lusum te convertendo! Jaces, Redingi, jaces, nec amplius te movere potes. Reflexio in virtutem Dei θαυματουργικὴν an religiosus symbolorum seu instrumentorum, quibus Deus quandoque in miraculis utitur, cultus est? Imò religiosi cultus sive is tibi transitivus, sive intransitivus est, à symbolis avocatio potiùs, & ad unum solúmque Deum conversio est. Præterea ad symbola ejusmodi ceu perpetuæ operationis Divinæ instrumenta institutam esse Divino mandato religiosam peregrinationem, & quidem impetrandæ remissionis peccatorum gratia, nunquam probabis. Et si genuina illa symbola religioso cultu affecta non sunt, neque ad ea religionis ergo concursum est; quantò minus honos ejusmodi vestris, irreligiosi quæstus gratia confictis, competit?

OBIECT. III. *Peregrinari ad reliquias Sanctorum licet, quamvis mandatum nullum extaret. Ita sine mandato David septies in die Deo laudes dixit; Deo Templum extruere statuit; Salomon boum viginti duo millia, & arietum centum viginti millia in dedicatione Templi obtulit; Paulus Act. XX. 16. festinavit, ut si possibile esset, diem Pentecostes Hierosolymis celebraret; Christiani diem Dominicam celebrant; Confessio denique Helvetica ceremonias ab ecclesia citra Dei præceptum sancitas observandas injungit.* Aug. Reding *pag.* 828. Resp. Præpostera est tota argumentatio, quæ procedit ab externis circumstantiis & accidentibus ad ipsam speciem & substantiam cultus. Accidentia Divini cultus, veluti tempus, locus aliæque ceremoniæ liberæ & circumstantiæ Sacrificiorum in V.T. precum & cultus Divini in utroque, non indigent nisi generali mandato & regula ordinis, honestatis & ædificationis. At peregrinatio ad reliquias conjuncta cum opinione meriti, satisfactionis, vota sanctis nuncupata, invocatio Divorum, aliáque ejusmodi habentur iis *gravis Dei cultus*, uti vocat Stapletonus, adeóque species cultus Divini, quæ sine speciali Dei mandato figi nulla potest. Cultus enim talis arbitrio humano, non Dei præcepto innixus, in Scriptura nomine ἐθελοθρησκείας damnatur.

EXCIP. REDING: *Cultus Divini sub peregrinationibus sacris exhiberi soliti speciem cum ejusdem accidentibus & circumstantiis confundis. Species verbo Dei revelata sit oportet. Accidentia verò ipsemet fateris non indigere nisi generali mandato & regula ordinis, honestatis & ædificationis. At ejusmodi cultus accidens seu circumstantia locum habet in peregrinationibus*, Ibid. pag. 195. Resp. Non confundere me, ipsa responsio mea te docuit. Nec peregrinatio ad memorias Christi & Sanctorum circumstantia cultus haberi potest, quia ad illa concurritur non simpliciter ut loca cultus, sed ut ad loca Divinitus sacrata, speciali Dei præsentia nobilitata, quibus cultus ipse efficacior reddatur & intendatur, cum opinione meriti, satisfactionis, peccatorum remissionis, ex opere operato. Alias Samaritanorum ad montem suum peregrinatio, & in eo non ullius creaturæ, sed solius Dei Israelis adoratio, majori jure ad cultus accidentia referri, & ab omni sic crimine absolvi potuisset. Cultus in Dei verbo vetitus, vel certè non mandatus, liberum ejusdem accidens haberi nequit.

OBIECT. IV. *Religiosas peregrinationes tum Paulus, tum Ecclesia veteris Doctores & exemplo & verbis confirmarunt. Paulus enim Act. XX. 16: legitur festinâsse, ut Pentecosten ageret Hierosolymis. Ex hoc Pauli facto peregrinationes religiosas ad loca Sacra probat Hieronymus Epistola ad Marcellam, ubi docet, multos Episcopos, Martyres, eloquentes Viros venisse Hierosolymam, putantes minùs se religionis, minùs habere scientiæ, nisi in illis Christum adorâssent locis, de quibus primùm Evangelium de patibulo consecraverat. Concordat exemplum Alexandri Episcopi circa A.C. 200. Constantini M. Helenæ, Theodosii. Eodem faciunt sententia Basilii in Reg. fus. disput. Respons. 40. Chrysostomus homil. 66 ad pop. Antioch. Augustinus de Civ. D. lib. XXII. 8. ubi miracula multa facta in reliquiis terræ Sanctæ & corporibus Martyrum Gervasii & Protasii recenset.* Aug. Reding *pag.* 831. *&c.* Resp. 1. De Paulo Hierosolymas ad festum commeante respondi *Vindic. pag.* 62. 63. ipsum, aliósque etiam tum Hierosolymas frequentâsse ex præcepto legis, Synagogâ necdum honestè sepultâ: aliúmque prorsus in finem, quàm quem Pontificii peregrinantes propositum habent. Cùm igitur & hîc responsionem meam silentio transmiserit Adversarius, robur suum in solidum obtinet. 2. De primævæ Ecclesiæ tum sententia, tum usu circa religiosas peregrinationes abundè satisfeci *Vindic. pag.* 73--90. Summa huc redit: In Civitate Dei vivendum esse legibus, non exemplis. Methodum eam probandi dogma aliquod ex longæ ætatis usu, cum gentilium simili methodo convenire. Actiones finibus dijudicandas esse: diversissimos autem Patrum & Pontificiorum peregrinantium fines fuisse. Id inde maximè conspicuum esse, quòd tribus primis & purioribus Seculis ne quidem mentio ulla reperiatur cultus Divorum, reliquiarum & imaginum. Alexandrum Cappadocem Hierosolymas profectum *κατὰ θεοπρόπιον ex Divina dispensatione & revelatione*, eáque Dei revelantis intentione, ut ibi Episcopatum capesseret, non reliquias vel imagines adoraret. Quarti & sequentium Seculorum de peregrinatione sensum tolerabilem fuisse, donec superstitio invalesceret. Ei verò invalescenti cordatè & masculè sese opposuisse celeberrimos quosque Patres, quorum longum catalogum *p.* 83. *&c.* texui. His omnibus idoneis testimoniis & rationibus à me demonstratis nihil, quod vel speciem veri haberet ὁ δεῖνα, reponere potuit. De Alexandro tantùm cavillatur, fateri me, *ascendisse ipsum Hierosolymam, si non voti, saltem adorandi causâ.* An verò etiam fassus sum, ascendisse ipsum gratiâ adorandi Sanctos, imagines, reliquias, cum opinione sacratioris loci, meriti, satisfactionis? Imò ne hoc quidem fassus sum, ascendisse ipsum adorandi gratiâ, sed in dubio reliqui, utrùm Eusebius ita scripserit ex more sui Seculi, an ea fuerit genuina intentio & propositum Alexandri. Denique adeò copiosè ex visceribus verborum

rum Eusebii, quàm parum illud exemplum Adversariis velificetur, ostendi, ut pudere Adversarium causæ tam turpiter desertæ debeat.

EXCIP. REDING: 1. *Matris Christi, Pauli, aliorum itinera Hierosolymam suscepta formaliter non spectarunt ad V.T. quia tempore S. Pauli illud jam abolitum fuit, & Christus in Templo non amplius ut venturus præfigurabatur. Suscepta igitur sunt sub formali virtutis religionis seu moralitatis hanc specificantis ratione; ex intentione legi Evangelicæ consentanea. Atq; sub eadem ratione hodie peregrinationes institui possunt. 2. Qui fuerint Patrũ peregrinantium fines, ex ipsis Patrum, Hieronymi, Eusebii, Ambrosii, Chrysostomi, Socratis, Prudentii, Cassiani, Sulpitii Severi, Gaudentii, Augustini testimoniis discere potes. 3. Quoad Eusebii de Alexandri facto verba, fateris ipse, Rufini versionem, quòd Alexander properaverit Hierosolymam adorandi, & Sanctorum locorum videndorum gratia, majoris apud eruditos authoritatis esse. Ergo adoratio Dei speciali titulo Hierosolymæ facta est; atque adeò Alexandri illius exemplo licet adorandi causa peregrinationes suscipere. Neque vel Eusebii verba, vel Rufini interpretatio dubitare sinunt, quin id factum sit secundum morem illius seculi.* Ibid. pag. 195--198. Resp. 1. Post Christi in Cœlum ascensionem abolitum fuit Vetus Testamentum jure: sed facto nondum synagoga sepulta fuit. Ideo Apostoli aliique Hierosolymam ascenderunt ad festa, & orationum gratia, donec Leviticus cultus paulatim facto expiravit; non tam necessitate Divinæ legis urgente, quàm scandali vitandi gratia. Sicut autem eo argumento, quòd post Christi ascensionem in Cœlum circumcisio, etsi cum discrimine nonnullo, viguit, probari non potest, hodiéque circumcisionis usum sive ut necessarium, sive ut liberum adhuc obtinere: ita nec argumentum ab Apostolorum aliorúmque, circa ea tempora, quibus Synagoga Judaica stetit, Divino mandato obsecundantium, praxi petitum, peregrinationibus Pontificiis hodiernis velificatur. Vel ascenderunt illi Hierosolymam ex mandato speciali: vel ex generali, ut Deum ibi colerent & adorarent: vel ea opinione, quòd Templum speciali Dei præsentia sacratum putarent. Si ex *speciali* mandato, nihil hoc ad peregrinationes Pontificias faceret, quia adversarii fatentur, se speciali mandato destitui; & res ipsa loquitur, Templo, arca destructis, speciale mandatum Judæis latum penitus expirasse. Si ex *generali* mandato, nec illud peregrinationibus favet, quia generale mandatum non obligavit illos nisi ad cultum Evangelicum ordinarium certo loco, non loco aliis sacratiore, obeundum: & obligat omnes, cùm peregrinationes liberæ, & plerumque votivæ sint. Ascendisse eos *ex opinione* Templi, ceu loci sacratioris, falsum est, quia illud tempus jam venerat, quo juxta Christi vaticinium nec in monte Garizim, nec Hierosolymis, ceu locis sacratioribus, Deus adorari debuit. Superest ut dicamus, ascendisse illos non propter legis specialis adhuc vigentis necessitatem, nec propter formalem rationem virtutis religionis (quia hæc non requirebat, ut hoc magis, quàm alio in loco Deum adorarent) sed scandali vitandi gratia eadem, qua etiam circumcisionem, quidam admiserant. 2. Legi relegíque Patrum, quas ex Bellarmino potissimùm compilasti, sententias. Nullum ibi ex primis tribus, iisque purissimis seculis testem reperi. Nullum, qui id confirmet, quod potissimùm in quæstione est, nimirum fas piúmque esse, ad certa loca, aliis sacratiora, peregrinari opinione cultus, fiducia satisfactionis & meriti, spe remissionis peccatorum ex opere operato impetrandæ, animo procumbendi coram reliquiis Christi & Sanctorum, coram instrumentis passionis Dominicæ, & ea adorandi, venerandi, proprio etiam quodam religioso cultu, indulgentiásque sic impetrandi, ne dicam, præsente

pretio redimendi. Tales tibi testes producendi fuerunt, siquidem causæ tuæ servire cum fructu velles. Sed hac de re altum apud omnes à te allegatos silentium. Imò superstitione paulatim incessente, quasi Peregrinationes ejusmodi ad remissionem peccatorum, meritum, satisfactionem valerent, S. Patres errorem serpentem graviter ἐκφαυλίζοντες pulsarunt. uti ex Hieronymi, Gregorii Nysseni, Augustini, Antonii, Chrysostomi, aliorum testimoniis supra ostendimus. Sed & invalescente idololatria non defuisse viros cordatos, qui peregrinationibus in abusum vergentibus masculè se opponerent; nominatim Patres Concilii Cabilonensis, qui *cap* 45. eos, qui Romam aut Turonum sub prætextu orationis peragrant, putantes, frequentatione horum locorum se à peccatis purgari, & impune peccare, reprehendunt; Claudium Scotum, Taurinensis Ecclesiæ Episcopum, scripto adversus Theodomirum Abbatem adversus peregrinationes Romanas libro; Bernhardum, Hildebertum Turonensem, Henricum Tholosanum, aliosque plures, *Vindic. adv. Bald. p.* 87. 88. 89. fusiùs, testimoniis eorum productis, demonstravi. Ex prima igitur & religiosissima antiquitate nemo irreligiosis circumcursitationibus vestris favet. Ex quarti verò sequentiúmque seculorum vetustate ii ipsi, qui alicubi favere videbantur, alibi errore, qui gliscebat, observato, quasi mutantes dicta & pœnitudine ducti, vel certè sibi parum constantes, adversus peregrinationes judicium promunt, & degenerantes easdem à primo tolerabilique usu, apertè damnant. Et Gregorius Nyssenus multis hanc in rem dictis patheticè concludit: Ὅθεν οἱ φοβούμενοι τὸν κύριον, ἐν οἷς ἐστὲ τόποις, αἰνέσατε αὐτόν. Θεοῦ γὰρ προσεγγισμὸν τοπικὴ μετάστασις οὐ κατεργάζεται. *Quapropter timentes Deum eum, in quibus agitis locis, laudate. Loci enim mutatione ad Deum non acceditur: sed ubi locorum fueris, ad te veniet Dominus, si modò tale inveniatur animæ tuæ diversorium, ut possit in te habitare dominus & inambulare.* Prospexit Vir ille Divinus abusus irrupturos; ac ideo peregrinationes religiosas universas sapientissimè dissuasit.

3. Factum Alexandri primò Cappadociæ, post Hierosolymæ Episcopi, *Vindic. p.* 78-82. accuratè ventilavi. Summa dictorum huc redit; Alexandrum ascendisse Hierosolymam κατὰ θεοπρόπιον *Divina revelatione & dispensatione* excitum, quia Deus Hierosolymæ Episcopum eum destinaverat: ascendisse illum εὐχῆς καὶ τῶν τόπων ἱστορίας ἕνεκα *orationis* (sic rectè Rufinus, & novissimè H. Valesius; non *voti*, uti callidè Christophorsonus reddiderat) *& locorum visendorum gratia*; incertum esse, an ita scripserit Eusebius, morem sui seculi secutus; propositum tamen Alexandri à Divino proposito diversum haud dubiè non fuisse; denique id certò liquere, Alexandrum non ascendisse Hierosolymam sine mandato Divino, quod revelatione continebatur: non ascendisse ex voto, vel eum in finem, ut sepulchrum, ut crucem Christi, ut passionis Dominicæ instrumenta venerabundus adoraret; non satisfactionis, meriti, loci sacratioris, operis operati (qui soli controversi fines sint) opinione; sed simpliciter vocationi Divinæ satisfacturum, atque insuper, (si modò intentionem Alexandri rectè Eusebius expressit) *orationis & locorum visendorum gratia*, hoc est, ut ibi Christum pura mente & in spiritu ac veritate adoraret. Pleraque hæc prætervectus Redingius hoc unum urget, juxta Rufini etiam versionem igitur Alexandrum putasse, *Deum Hierosolymæ speciali titulo adorari posse.* An ita putaverit Alexander, an ita eum putasse ex more sui seculi Eusebius conjectaverit, non constat, repeto. Sed fac ita putasse. Specialis ille titulus non ideo fuisset opinio loci per præsentiam Dei specialem sacratioris, sed potiùs ea ratio, quòd aspectus locorum, quæ Christus humana sua conversatione & passione celebriora reddidit, ad Deum ibi adorandum præprimis commovere idoneus sit; quódque oculis suis ibi ad incrementum pietatis, non

la-

lapidum ulla, sed Dei reverentia tactus, uti possit. *Non* enim *aliter* (sic Paulinus ad Severum loquitur) *affectus homines ad Hierosolyma rapit, nisi ut loca, in quibus corporaliter præsens fuit Christus, videant atque contingant.* Et apud Eusebium *de Vita Const. lib. III.* 41. profitetur Helena, se ire Hierosolymam, *ut adoraret in loco, ubi steterunt pedes Christi.* Non exprimitur vel ab his, vel ab aliis opinio meriti, satisfactionis, vel cultus ossium & lignorum (nedum illorum, quæ fictitia sunt) vel spes aucupii aliquot myriadum indulgentiarum.

OBIECT. V. *Religiosæ peregrinationes miraculis, veluti Divinis suffragiis, probantur & confirmantur.* Resp. Huic quoque argumento nervos omnes & poplites succisos videsis *Vindic. pag.* 94--136. Tanta cum cura argumentum illud, in quo causæ suæ proram & puppim collocant, desceptavi, ut mirari satis nequeam, ipsum tot verbi Divini, Patrum & Pontificiorum testimonia à me laudata, plenis velis prætervectum, tam ferociter adhuc mihi insultare ausum esse. Dixeram inter alia multa, si veri nominis miracula forent omnia, quæ illi jactant, non magis propterea reliquias Sanctorum adorandas esse, quàm mandibulam asini Samsonis, aquam Jordanis sanantem Naaman, Elisæi ossa, Petri umbram, Pauli sudaria. Punctim igitur ex me quærit: *An ista omnia agnoscam fuisse Divinæ virtutis symbolica repræsentativa?* Utique. *Annon igitur*, infert, *suæ Reformationis Spiritus ex Divinæ virtutis symbolis, effectu etiam miraculoso exhibitis, se attollit in ipsam Dei virtutem colendam & venerandam, adeóque Deum ipsum in spiritu & veritate adorandum? Si affirmet*, inquit, *confecta res erit, quòd Sanctorum reliquiæ quâ Divinæ virtutis Symbola instrumentaliter ad Deum adorandum conducant.* Sed verò à statu quæstionis turpiter aberrat. Non enim id in quæstione est, an miraculorum Divinorum Symbola mentem hominis ad Deum adorandum elevent? quanquam non tam symbola quàm miracula ipsa huncce effectum præstant. Imò potiùs in eo quæstionis cardo vertitur, an propter symbolicum illud rerum inanimatarum, si quæ tales adhuc verè extarent, officium fas piúmque esset, ad illa sine prævio mandato & promissione ex remotissimis quandoque locis decurrere, coram iis procumbere, eas religiosè venerari, atque inde meriti, satisfactionis &c. spem concipere, Sanctis vota nuncupare, donaria offerre? Ad has verò lineas decurrendum fuerat. Demonstret tale quid veris Divinorum miraculorum symbolis factum esse, & ejusdem notæ γνήσια esse, quæ decantant illi, miracula, atque ita demum victas manus dabimus. Meritò postulavi, ut hodiéque verum suscitati alicujus mortui miraculum nobis idoneis rerum documentis prodant. Ille primò S. Augustinum testem de Euchario Presbytero ex contactu reliquiarum S. Stephani vitæ restituto allegat. At de eo jam ex ipso S. Augustino responderam *pag.* 130. Paucis verbis S. Pater, tempora nimirum distinguendo, hoc diluit: *Possem,*

ſem, inquit, *dicere neceſſaria fuiſſe, priuſquam crederet mundus. Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum eſt ipſe prodigium, qui mundo credente non credit.* Deinde *talia,* inquit, *miracula frequentiora, & quidem his ipſis temporibus à Thaumaturga Einſidlenſi patrata legitimis teſtimoniis in promptu eſt demonſtrare, nec Heideggerus ejusmodi dixiſſet conficta & Diabolica, niſi ex Spiritu Antichriſtiano locutus fuiſſet.* Quandoquidem in probatione idonea miraculi veri, quale eſt ſuſcitatio ex mortuis, non parum ſitum eſſe cognoverat, quî fit, quòd ſani vicini Pontifex, probationem miraculi alicujus non attentavit? Quòd ſe non purgavit ab impoſturis publicis tum in Synodali Diſſertatione, tum in Vindiciis meis *pag.* 391.392. jure meritò objectis? Miracula quædam (non omnia) conficta, quædam etiam maligni genii operâ edita ingenuè dixi. An iccirco ex Antichriſtiano Spiritu locutus ſum? Atqui non nudè dixi more tuo, ſed probavi *Vindic.pag.* 98.99. &c. nec non *pag.* 111. 112. &c. Ubi etiam miracula nonnulla Pontificia ad Sathanæ præſtigias referentes Doctores Pontificios, Gabrielem Biel, Gerſonem, Franciſum de Victoria, Alexandrum Hales, Caſſandrum (cujus authoritatem quam paſſim Adverſarius elevat, nôſſe tamen debuerat, ejus Conſultationem, ex qua mea decerpſi, à Colonienſibus Theologis in Præfatione A. 1577. edita laudari his verbis, *quòd accuratè & ſepoſitis præjudiciis, ac amotis animi perturbationibus ſcripta ſit, eoq; nomine plurimi fieri debeat*) nonnulla etiam conficta eſſe fatentes Ludovicum Vivem, Melchiorem Canum, Caſſandrum, Lyranum, Vallam, Dantem Florentinum, Ordines Imperii Papiſticos induxi. An & hi omnes Antichriſtiano Spiritu, dic ſodes, incaluerunt?

EXCIP. REDING: 1. *Ambroſius lib. X. Epiſt. 85. & Serm. 91. Auguſt. Confeſſ. lib. IX. 7. & de Civit. D. lib. XXII. 8. & Chryſoſtomus teſtantur, venerationem Sanctorum & S. reliquiarum ſæpiùs fuiſſe probatam miraculis Divinitus factis. Non ergo veneratio ejusmodi à cultu Dei abducit, ſed eum potiùs promovet. 2. Reliquiarum adorationis non abſolutæ, ſed relativæ ratio in eo ſita eſt, quòd per ejusmodi ſymbolicæ repræſentationis inſtrumenta mens ad Deum adorandum elevatur, & propterea inſtrumentis illis cultus reſpectivus defertur. Atqui fateris ipſe, Eliſæi oſſa, adeòque S. reliquias eſſe Divinæ virtutis ſymbolicè repræſentativas. 3. Auguſtinus dixerit licet, prodigium eſſe, qui mundo credente non credit, adeòque miracula non ita neceſſaria, quin alia credibilitatis motiva vigeant; alibi tamen lib. contra Epiſt. fund. cap. 4. ingenuè fatetur, in Eccleſia ſe teneri vinculis miraculorum. Et Retract. lib. I. 13. ubi nonnulla primævæ Eccleſiæ miracula, donum præſertim linguarum in ſua uſque tempora durare negaſſet, ſubjicit, hoc non ita accipiendum, ut tunc in Chriſti nomine fieri miracula nulla credantur, cùm ipſemet noverit, ad Mediolanenſium Martyrum corpora in eadem civitate cæcum fuiſſe illuminatum. 4. Neque opus erat, ut veri alicujus miraculi Einſidlæ patrati probationem ſuſciperem. Allegari enim libellos, quibus continentur ejusmodi miracula legitimis teſtimoniis comprobata. Mullerus enim, Betſchartus, Hungerus noſtri omnis generis miracula deſcribunt. Oſtendi inſuper poſſunt*

plura

plura antiquissima instrumenta à summis Pontificibus & personis publicis, Tigurina etiam & Bernensi civitate authentizata, quibus perhibetur testimonium miraculis à Thaumaturga Einsidlensi patratis; quæ certè nonnisi Divina virtute patrari potuerunt. 5. Neque dicere licet, vera miracula fieri potuisse Divina permissione in judicium eorum, qui veritati non credunt. Blasphemum enim est dicere, Deum mendaciis & falsis dogmatibus comprobandis miraculosæ quoque operationi testimonium perhibuisse. 6. Neque hic opponere potes exemplum Novatiani Judæum baptizantis, & miraculum edentis non in suæ, uti Bellarminus observat, Novatianæ hæreseos, sed in Catholici baptismi confirmationem. Ex Augustino enim constat, miracula olim edita esse in S. reliquiarum, earùmque cultus confirmationem ipsam. 7. Si inter Catholicos ipsos vel imprudentes, vel mali reperiuntur, qui vel nimis faciles sint in credendis edendísve miraculis, vel mali Spiritus virtute falsa miracula edant, quid inde? Audi Augustinum de Unit. Eccl. cap 18. Quicquid de peccatis hominum & verum & probatum objicitur, nec tamen ad frumenta, quæ inter paleam latent, sed ad ipsam paleam, quæ in fine separabitur, pertinet, non objiciatur. Hoc enim illi faciunt, qui robusta veritate subnixa documenta, quibus causam suam tueantur, invenire non possunt. *Hanc S. Patris censuram vos incurritis, qui quorumdam paleas levitatis Ecclesiæ objicitis.* Ibid pag. 199- 202. Resp. 1. Nil de cultu religioso Sanctorum, vel reliquiarum Patres à te citati habent. Ambrosius honorandos beatos Martyres dicit, non aliud. Augustinus *de Civit. D. lib. X.* 20. disertè: *Quæcunque miracula sive per Angelos, sive quocunque modo fiunt Dei unius, in quo solo vita beata est, cultum religionémque commendant.* Neque verò catalogum miraculorum, quem idem Augustinus *de Civit. D. lib. XXII.* 8. texit, peregrinationibus vestris velificari, alibi *Vindic. pag.* 131 *&c.* probavi argumentis pluribus, qualia sunt, quòd ipse S. Augustinus miracula illa exiguo loco habeat, negans, *tanta claritate illustrari, tanta gloria diffamari sui ævi miracula, quanta illustrabantur, diffamabantur illa Christi & Apostolorum*; statuénsque *illa à paucis sciri, non sine difficultate vel dubitatione credi*: quòd commemoret ille miracula quædam in Africa, haud longè ab Hippona, ubi erat Episcopus, quæ proin scire potuit, cùm Pontificiis miraculis plerisque nihil incertius, fallacius nihil sit: quòd miracula illa facta narret non ad probandam adorationem Sanctorum, reliquiarum, imaginum &c. sed ad faciendam apud gentiles Evangelicæ doctrinæ in verbo ejus scriptæ fidem: quòd ipse miraculorum fidem minuens asserit, miracula vel nulla ampliùs suo tempore fieri, vel si quæ fiant, attendenda non esse, nisi quatenus Evangelicæ veritati inserviunt. quam in rem loca diserta *de vera Relig. cap.* 25. *lib.* 2. *contra literas Petil. cap.* 55. *contra Faustum lib. XIII* 5. *de unitate Eccl. cap.* 16. adscripsi. Ex quibus postremus locus inprimis memorabilis, sic habet: *Non dicat Donatista: Ideo verum est, quia illa & illa mirabilia fecit Donatus, & Pontius, vel quilibet alius, aut quia homines ad memorias mortuorum nostrorum orant & exaudiuntur: aut quia illa & illa obtingunt, aut quia ille frater noster, aut illa soror nostra tale visum vigilans vidit, vel tale visum dormiens somniavit. Removeantur ista vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum. Aut enim non sunt vera, quæ dicuntur, aut, si hæreticorum aliqua mirà facta sunt, magis cavere debemus, quòd, cùm dixisset Dominus, quosdam esse fallaces, qui nonnulla signa faciendo, etiam electos, si fieri posset, fallerent; adjecit vehementer commendans, & ait: Ecce prædixi vobis.* Hæc pluribus vobis objecta strenuè dissimulas, perinde ac si nunquam oculos tuos subivissent. 2. Si per symbolicæ repræsentationis instrumenta mens ad adorandum solum Deum elevatur:

vatur, tum ab ipsis instrumentis adoratio & cultus omnis, sive absolutus, sive relativus abstrahitur. Nam quod relativè etiam adoratur, ad illud mens adorantis elevatur. Atqui ad Deum elevari contendis. Nullo ergo modo ad instrumenta ejusmodi elevatur. Repeto dein, quod diluere omisisti, non instrumentis, symbolis miraculorum, sed miraculis ipsis mentem ad Deum elevari. 3. Miracula *necessaria fuisse, priusquam crederet mundus, ad hoc ut crederet*, Augustinus *de Civit. D. lib. XXII. 18.* dixit. *Quisquis verò*, pergit, *adhuc prodigia, ut credat, requirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit.* Vos autem adeò requiritis, ut notam Ecclesiæ constituatis. Alibi *contra Epist. Fund. cap. 4.* idem, *Tenet*, inquit, *me in Ecclesiæ gremio consensio populorum atque gentium, tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita*, &c. Manifestum est, loqui illum de miraculis Mosis, Christi & Apostolorum. Dicit enim, *authoritas miraculis inchoata*. Non ergo hoc sibi vult, omnia, & omni tempore patrata miracula esse Divinæ authoritatis τεκμήρια. Alibi enim contra Faustum *lib. XIII 5.* gravissimè sic loquitur: *Unde huc exiistis? Unde confiditis? Scripturas tanta authoritate firmatas commendatásque respuitis, miracula non facitis: quæ si faceretis, etiam ipsa in vobis caveremus per instruentem nos Dominum & dicentem: Exurgent multi Pseudochristi & Pseudoprophetæ, & facient signa & prodigia multa, ut fallant, si fieri potest, etiam electos, ecce prædixi vobis. Usque adeò nihil credi voluit adversus confirmatam Scripturarum authoritatem, quæ fidem suam rebus ipsis probat, quæ per temporum successiones hæc impleri & effici ostendit, quæ tanto, antequam fierent, prænuntiavit.* 4. Libellis ergo tuis, quibus Thaumaturgæ Einsidlensis miracula recensentur, indubitatam fidem haberi oportere pertendis? Pertendere hoc posses apud vestra cœcæ obedientiæ mancipia, apud assuetos ludibriis vestris credere ἀβασανίστως. Apud cautos & cordatos frustra pertendis. Sed *legitimis testimoniis comprobata* ais. Qui verò illi testes, qui testium judices? Homines addicti partibus, testes judicésque in propria causa, Papa, sacrificuli, Monachi, obnoxius iisdem populus, quorum interest, ut credatur mendaciis, ne mercenaria religio detrimentum patiatur. Christi miraculis testimonium perhibuerunt inimici, nolente volente animo. Vestris nemo alius, nisi partium studiis corruptissimus. Objeceram *Vindic. p. 120. 121.* exemplum principis latronum, rotæ supplicium passi, nec non mulieris veneficæ, vivicumburio sublatæ, quibus testibus juratis, irrefragabilibus scilicet Jesuitæ miracula & plurima & stupenda Hagenoæ in fano S. Mariæ in valle patrata esse confirmaverant. Objeceram plura alia, quæ pudore suffusus sicco pede prætermisti. Miracula maximè authentica illa esse oportere, quæ ab Ecclesia in canonizatione Sanctorum suscipiuntur, vestri asserunt. Quid verò de illis Cajetanus? *Cùm humano testimonio innitantur*, inquit, *non omnino certa sunt, quoniam scriptum est: Omnis homo mendax.* Idem Melchior Canus *lib. V. cap. 5. p. 279.* Dominicus Bannes 2. 2. *art. 16. dub. 4.* aliíque affirmant. Bellarminus etiam de ullo miraculo certitudine fidei constare negat nisi ex definitione Ecclesiæ. Et tamen Ecclesiam in iis, quæ facti sunt, decipi & errare posse, plerique contentiunt. Nonne Magdalenæ Cruciæ miracula tanto testimoniorum pondere probata videbantur, ut pœne universa Hispania iis fidem substringeret, & ipse Rex Philippus II. cavere sibi ab ea non potuerit, quin immanem illam classem, qua Angliam devorare constituerat, ab ea benedici jusserit? Fuit tamen illa comperta sortilega, quæ cum dæmone ipso consueverat. Historiam Cassiodorus Reinius descripsit. Et novissimus ille celebris agyrta Capucinus Avianus à cœcæ obedientiæ clientibus adoratus, quàm immane nostris ludibrium debuit, cernentibus claudos, cœcos, surdos, denique eosdem semper, quos immane quantum mutatos miraculorum illorum

rum mangones jactaverant. Neque feliciore talo stare Einsidlensem Thaumaturgam, exemplis probavi, quæ miserè Redingius, cujus interest, ne titubet mendaciorum fides, defendit, quasi semel liberati eundem postea morbum contraxerint. Si idem miraculis Christi & Apostolorum contigisset, quis propter miracula in Christum credidisset? Innumeræ impostorum fraudes patefactæ, quid de non patefactis plerisque (ne videlicet non impleventur vaticinia, quibus hac ratione *ἐνέργειαν πλάνης efficaciam erroris* ali debere prædictum est) sentiendum sit, demonstrant. Quoad instrumentum sigillo Bernensis etiam & Tigurinæ civitatis munitum, cavillationi tuæ ut & aliis ratiunculis tuis *Vindic. Dissert. VIII.* satisfeci. 5. Deum mendaciis & falsis dogmatibus comprobandis miraculosæ operationis testimonium perhibuisse, nuspiam dixi. Crasso hoc mendacio eludendum putasti vim haud postremam argumenti mei, quod his verbis Baldingero *Vindic. pag.* 127. *&c.* opposueram. *Sed demus nunc, quod non concedimus tamen hactenus, adeóque fingamus, inter ea, quæ prædicatis, miracula, nonnulla esse, quæ non aliunde, quàm Deo authore, edi potuerint. An inde sequetur, peregrinationes vestras, & religiosum Sanctarum imaginum & reliquiarum cultum, superstitionésque omnes peregrinationes illas comitantes ejusmodi miraculis statuminari? Atqui primò ad animum revocamus nobis, quid ad miraculum Novatiani respondeat Bellarminus lib. IV. de Not. Eccl. cap.* 14. Novatianus cùm Judæum baptizabat, miraculum edidit; sed non ad Novatianæ suæ hæresis, sed ad Catholici Baptismi confirmationem editum est. *Eodem modo vestra miracula, si qua Deo authore, sive inter gentiles, sive inter Christianos edita esse, demonstrari posset, diceremus, inservire confirmandæ fidei olim prædicatæ, & miraculis antiquis stabilitæ: inprimis verò articulis positivis, quos vobiscum communes habemus. Ita Delrio Disquisit. Mag. lib. II q.* 7. Solet quidem, *inquit*, Deus hanc gratiam gratuitò etiam perperam de fide sentientibus largiri, sed in veræ fidei probationem, ut quando dedit prophetiam Bileamò & Cajaphæ. In falsæ fidei confirmationem nec dedisse, nec magis dare Deus possit, quàm potest veritas mentiri. *Ita Valerianus Cappucinus de Cathol. reg. credendi lib. VIII.* 23. Haud incredibile duco Deum per peccatorem, imò per hæreticum patrasse miracula in confirmationem fidei Christianæ. *Sicut igitur Deum solere etiam perperam de fide sentientibus peccatoribus & hæreticis largiri hanc gratiam, sed in veræ fidei probationem, fatentur Delrio & Valerianus: sic vestra miracula, inprimis inter gentiles patrata, diceremus inservire fidei à Christo & Apostolis prædicatæ, & miraculis eorum jam olim corroboratæ, adeóque eidem illi, quam Evangelici profitentur. Sicut Cajaphæ & Bileami prophani utriusque prophetia veritati testimonium dedit: ita vestra, si qua forent, vera miracula, contra animi vestri sententiam veritati Evangelicæ testimonium perhiberent. Deinde præter confirmationem doctrinæ miracula Deo authore edita alios fines habere possent, nimirum tum demonstrationem potentiæ Dei, tum tentationem. Ubi tamen distinguendus esset primò scopus miraculi respectu tum facientis Dei, tum illud petentis. Respectu petentis potest esse seductio, adeóque instinctus petendi vel promittendi miraculum à spiritu seductionis. Respectu Dei facientis partim demonstratio ὑπάρξεως ac potentiæ suæ, partim tentatio, de qua Deut. XIII.* 1. Si surrexerit in medio tui propheta, dederítque tibi signum ac portentum, evenerítque signum & portentum, quod prædixit tibi, atque is dixerit: Eamus post Deos alienos, & serviemus eis; non audies verba Prophetæ illius, quia tentat vos Dominus Deus vester, num sitis amantes Domini Dei vestri in toto corde vestro, & in tota anima vestra. *De inde distinguenda esset ἐνέργεια τοῦ Θεοῦ operatio Dei, & ἐνέργεια τοῦ Σατανᾶ operatio Satanæ; Dei opus facientis, & seductionem condignam in pœnam decernentis & permittentis:*


Sathanæ verò imprimentis & immittentis fiduciam promittendi miraculum. Neque enim indignius Deo esset tentare per proprium opus, quàm per opus creaturæ, sicut non indecorè facit hominem ex occasione scortationis, aut permittit elementa moveri ad nutum Diaboli sævientis. Sed hæc tentatio locum habere potest, quando regula veritatis, verbum Dei, edita, & præmonitio facta, ac Divina virtute comprobata est. Ad hæc solidè dicta, & Thaumaturgicæ machinationis vestræ omnes nervos incidentia, cùm respondere nihil posses, verba aliena mihi supposuisti, ut ex iis blasphemiæ crimen intentare posses. Tam felix, tam pius, tam æquus disputator es. 6. Omnes falsitatis numeros implet, quòd, Augustino teste, miracula olim edita sint ad cultus reliquiarum, talis inprimis, quali hodie Adversarii defunguntur, confirmationem. Recitat ille *Confess. lib. IX. 2.* miracula ad corpora Gervasii & Protasii patrata. Dicit autem, Deum sancta illa corpora per tot annos incorrupta in thesauro secreti sui recondidisse, *unde opportunè promeret ad coërcendam rabiem fœmineam, sed Regiam.* Indigetat persecutionem Arianam à Justina Imperatrice præcipuè excitatam, hánceque prodigiis ejusmodi sufflaminare, non reliquiarum cultum idololatricum, qualis Pontificiorum est, confirmare voluisse, innuit. Unde subjicit: *Inde illius inimicæ animus etsi ad credendi sanctitatem non applicitus, à persequendi tamen furore compressus est.* 7. Neque levi adeò brachio purgare potes, quæ *Vindic. pag. 90.-136.* circa miracula testibus authoribus vestris, quos magno numero allegaveram, vel per præstigias Sathanæ patrata, vel conficta, Baldingero opposui. Qui Sathana authore miracula patrarunt vel confinxerunt inter vos plurimi, fuerunt illi *paleæ levitatis.* Sed ubi *triticum*, quod *inter paleam latere* Augustinus dixerat? Ubi veri inter vos Thaumaturgi, qui Divina virtute miracula omni exceptione majora edant ad confirmationem Evangelii, seu illius doctrinæ, quæ à Mose & Prophetis olim promissa, suo tempore prædicata est ab ipso Christo, & à discipulis Christi, ipso mittente, propagata, & secundum promissionem ipsius, quin & Mosis ac Prophetarum signis, prodigiis, virtutibus & distributione Spiritus S. insignita est? Talis non est doctrina de reliquiarum cultu, etiamsi mirabilia omnia, quæ narrantur, vera essent. Imò miracula vestra, quæ strenui mirabiliarii jactatis omnia, sunt *τέρατα ψεύδους miracula mendacii & mendaciloquorum*, quia post Evangelium promulgatum & gentibus notificatum, postquam miracula cœperunt esse supervacanea, vel certè non necessaria, à talibus, qui prædicant doctrinas in Scripturis non fundatas, quales Christus prænuntiavit venturos in nomine suo Pseudoprophetas & Pseudochristos, eóque tempore, quo illos venturos prædixit, cum hominum seductione & superstitione, non cum distributione Spiritus S. inter quæ licet nonnulla vera esse possint, plurima tamen, testibus ipsis Ecclesiæ ejusdem membris, dubiæ fidei, à dæmone facta, conficta, ridicula, inepta, narrata ab hominibus ineptissimis, stupidissimis, sacrarum literarum, earúmque linguarum & scientiarum, quæ ad earum intelligentiam necessariæ sunt, ignarissimis; tempore omnis pietatis sterilissimo, malorum contra omnium feracissimo; non apud eos, qui doctrinis illis, quarum in gratiam patrata dicuntur, non credunt, sed apud eos, qui doctrinis illis credunt, eásque libenter recipiunt (cùm tamen miracula, quæ fiunt propter infideles, apud infideles potiùs fieri deberent) prædicantur & fiunt. Per ea enim, quatenus etiam, & quocunque authore fiant, Deus non attestatur certè illi doctrinæ, propter quam illa jactantur; sed potiùs homines veritatem non amantes tentat. quanquam sic attestatur veritati prophetiæ, & testimonium perhibet rectæ fidei illorum, qui Christo certóque ejus verbo adhærescentes eò diligentiùs doctrinas spurias examinant, & cavent, quia sine dubio eò pestilentiores doctrinæ sunt, quæ per ta-

lia

lia mirabilia non commendantur, sed infamantur potiùs. Vides ergo, Redingi non triticum inter paleas latens, sed paleas levitatis meras, vobis summo jure à nobis objectas!

OBIECT. VI. *Peregrinationes religiosæ non mediocres utilitates afferunt. Primò enim cedunt in honorem Dei & Sanctorum non mediocrem. Manifestum nempe signum est, eos magni à nobis fieri, cùm ad invisendas eorum reliquias laborem & pericula itinerum sponte suscipimus. Augent etiam devotionem, quia præsentia loci Sancti vix dici potest quantam reverentiam excitet. Ipsa quoque novitas ad excitandam devotionem juvat &c.* Resp. 1. Rite veteres dixerunt, quicquid de Christi persona præter & extra Scripturam prædicatur, etsi honor videatur, injuriam esse. Ita & nos dicimus, quicquid opinione cultus præter & extra verbum Dei suscipitur, etsi in honorem Dei & Sanctorum vergere creditur, injuriam tamen esse. Pontificias Peregrinationes non tantùm præter, sed etiam contra Dei verbum militare, veritati liquidò dedimus. Eadem Dei oracula docent, quomodo Sancti honorandi sint, non religiosa utique invocatione, quæ soli Deo debetur, nec superstitiosa ad eorum reliquias peregrinatione, quæ Dei mandato, promisso & exemplo probato destituitur, sed *Dei in Sanctis glorificatione*, Gal.I. 23.24. & *virtutum*, quæ in iis nobis proponuntur, *religiosa imitatione*, Hebr. XIII 7. Hunc honorem solum Deus in Filio suo acceptum habet. 2. Aliud est verus & salutaris Dei timor, aliud δεισιδαιμονία & superstitio. Ad priorem nihil peregrinationes conferunt, sed ad posteriorem duntaxat. Augent illæ devotionem sibi similem, vagam, peregrinam, novam. Solida, spiritualis, antiqua devotio ex operum naturæ & gratiæ in verbo Dei testatæ contemplatione oritur, augetúrque. Quinimò Gregorius Nyssenus probatum dedit, peregrinationes illas esse veræ pietati & timori Domini exterminando.

Excip. Reding. : *Sicut personâ Christi ex Deì verbo definitâ nefas foret, alienum quid de Christo sentire: ita extra formalem cultus Divnis rationem, ut sic virtutis religionis specificativam, verbo Deì definitam, statuendo aliam ab eo diversam honoris Deo & Sanctis exhibendo formam, ad superstitionem & idololatriam deflecteretur. Sed hanc illibatam servamus.* Ibid pag.202. Resp. Imò servatis delibatam plurimùm, uti disputatio de invocatione Sanctorum, reliquiarum & imaginum, nec non de peregrinationibus ad memorias ipsas docuit.



QUÆSTIO VI.

An cultus Religiosus in peregrinationibus Hierosolymitana, Lauretana & Eremitana, tanta certitudine nitatur, quanta ad cultum verè Divinum requiritur?

ID quidem Synodus haud definivit, quæ ut alia multa, ita etiam species peregrinationum præcipiti festinatione definire omisit. Et tamen grande pretium operæ factura erat, si certi quid populo suo inter varias dubitationes, & tot hederas hinc inde ad reliquias, ossa, pannos, imagines, suspensas, miserè fluctuanti demonstrâsset. Poteramus & nos hanc quæstionem intactam prætermittere, tum quia ex ipso genere proclive est de specie judicium: tum quia in Synodali Dissertatione ejusque Vindiciis cum has, tum Romanas etiam & Compostellenses (quas posteriores haud attigerunt Adversarii) peregrinationes ita prostravimus, ut Adversarius celebris nil nisi repetitam crambem, & eodem revolutam argumentationem, nec non futile *Corollarium finale*, quo præter omnem disputandi methodum, novo & callido argumenta non solvendi, sed eludendi, lectorique imponendi artificio, abs me dicta partim sequiorem in sensum detorquentur, partim ita sophisticè proponuntur, ut vis argumentationis meæ non appareat, partim denique velut ex tripode, sine ulla ratione exsibilantur, reponere potuerit. Cui rei ut fidem faciam, è re visum est, paucis argumenta mea peregrinationibus illis opposita comprehendere, & an solidi quicquam Adversarius in medium afferre potuerit, dispicere. Multa ille de habitu fidei & prudentiæ præfatur, non ex Dei verbo, sed ex Aristotelis philosophematis, perinde ac si prudentia carnis & sapientia mundi, quam solam Philosophi exploratam habuerunt, eadem esset cum prudentia spirituali, quæ in cultu Dei exercendo, tanquam potissima pars Divinæ imaginis, versatur. Nos verò illa jam superiùs discussimus, quæque certitudo fidei & prudentiæ spirituali appendeat, ostendimus.

I. DE PEREGRINATIONE HIEROSOLYMITANA.

HIEROSOLYMITANAM igitur peregrinationem sequentibus specialibus argumentis oppugnatum iveram.

ARG.

ARG. I. Religiosæ peregrinationis fundamentum est sanctitas, quæ existimatur inesse loco. At terra Canaan & Civitas Hierusalem olim Sancta erat, utpote sustinens tot typos & symbola rerum futurarum & æternæ vitæ. At Christo crucifixo & ad dextram Dei, desertâ terrâ, recepto, adeóque non ampliùs vel typicè, vel realiter terram incolente, simul omnis illa typica & symbolica sanctitas terræ Canaan & Civitatis Hierosolymæ expiravit, adeò ut Paulus Hebr. XIII. 13. 14. fidelibus exitum & fugam ex illa urbe suaserit, & Deus ipse Ezech. XXII. 5. non ampliùs *Sanctam* dici debere, sed טמאת השם *impuram nomine* prædixerit. Baldingero adversus argumentum hoc instanti respondi *Vindic. pag.* 173 &c. Responsiones meas expendere Hyperaspistes ejus planè debuerat. Sed vadimonium deserit, & fumum imperitis venditare annititur. *Annon*, inquit, pag. 857. *Symbolica Sanctitas ex operationum & passionum Christi, ac Divinorum mysteriorum ibi peractorum impressione, non minùs adhuc moraliter inest terræ Sanctæ, Christi sepulchro, ejúsque passionis instrumentis, quàm Aharonicæ virgæ ex Divinæ virtutis operatione impressa fuit sanctitas symbolica?* Sanctitatem symbolis impressam fuisse quòd asserit, nimis crudum est. Ita enim interna illa & inhærens, non externa & relativa fuerit, quod planè ἄτοπον & ἀκόλουθον est. Tum omnium instrumentorum, symbolorum & signorum dignitas, efficacia & sanctitas in usu, qui relationis ad internum Dei cultum unicum fundamentum cluet, consistit. Tolle usum, tollis virtutem & sanctitatem. Sublato igitur usu symbolico terræ Canaan & Civitatis Hierosolymæ, ejusdem dignitas & sanctitas evanescit, eóque magis, si in locum usus succedat abusus, uti serpentis ænei historia probat. *Hebr.* XIII. 13. 14. ita instat, *sermo est de mentis à corporalibus abstractione, & ad Divina ac cœlestia elevatione. Vana ergo est illatio, quâ infertur, Hierosolymitanam peregrinationem adeò execrabilem esse, ut Deus jusserit ex Hierusalem exire, non illuc peregrinari.*. Hierosolymitanam peregrinationem execrabilem esse, nuspiam dixi. Si tamen de *Pontificia*, non qualibet, ita locutus essem, fortè rem acu tetigissem.. Esto, intelligantur verba Apostoli de mentis à corporalibus abstractione, & ad cœlestia elevatione. Inde utique manifestum evadit, animi intentionem non esse figendam in terrestri Hierosolyma, quasi videlicet illa sanctitatem quandam impressam haberet, & multùm reliquis terræ locis antistaret. Ubique locorum, ubi verbum Dei purè prædicatur, & Sacramenta legitimè administrantur, mentem ad Deum elevare licet. *Quod autem*, ita pergit, *intentionem tuam conatus fueris firmare ex Threnorum Jeremiæ cap. 4. v. 15. ideo convenio te, ut vel unum apicem in allegato Pauli capite alleges, ex quo probes Apostolum præadductum 13. & 14. capitis 13. versum ex præinsinuatis Jeremiæ verbis deprompsisse.* Quid verò sibi volunt *præinsinuata illa* Jeremiæ verba? Non

ex Threnis Jeremiæ, sed ex Jesajæ cap. LII. 11. &c. parallelum locum contuli, uti palam est inspicienti ea, quæ ex illustri illo, quem ipse etiam Judæus Abarbanel, Christianis hisce oculatior, de mandata ex Hierosolyma egressione interpretatur, loco à me allegato, & cum verbis Apostoli comparato *Vindic. pag.* 186. &c. collegi. Fraudem hîc Adversarii, qui imponere fortè iis, quibus mea legere integrum non est, constituit, an incuriam suspectam habere debeam, nescio. Denique Ezech. XXII 5 causatur, terram Canaan & instrumenta passionis Dominicæ טמאת השם *impuram nomine vocari, quatenus videlicet erant instrumenta malitiæ Judæorum, non quatenus instrumenta erant Dominicæ passionis.* At Baldingerus contenderat, urbem eam ita vocari non à Deo, sed à gentibus eam irridentibus. Cum illo ergo priùs transigat. Sed mavult ille distinctionis scuto se protegere. At Deus apud Ezechielem loquitur de terra, quam absolutè ipsum os veritatis *impuram* vocat. Ille verò puram & sanctam haberi vult, quia Dominicæ passioni inserviit. Id si verum est, ipsum Judam & Pilatum, viva & animata Dominicæ passionis instrumenta, *puros sanctósque* haberi conveniet.

RESP. REDING: 1. *An dum in rebus etiam Theologicis argumentando procedis ex forma Syllogistica, quæ Dialecticis & Philosophicis principiis nititur, perinde agis, ac si prudentia carnalis & spiritualis eadem esset? Fides utique & prudentia semper distingui debent. Illa præter contemplationem mysteriorum etiam Moralium agibilium principia exhibet. Prudentia verò illa, ad operationes humanas, quæ in actu exercito ritè obeundas, applicat. Ita olim adoratio arcæ religiosa licita fuit. Sed quis posteriores inprimis Israelitas certiores reddidit, arcam Dei tot Hierosolymæ excidiis, Templi ruinis, gentium profanationibus obnoxiam, & incorruptè conservatam illam ipsam esse, quam Dei jussu Moses in tabernaculo, ibi adorandam, reposuit? Prudentialis utique ratio ex continua legis Mosaicæ fidelium observantia, practicam moralem certitudinem, pro adoratione illa indubitabiliter cohonestanda fundavit. Quomodo Magistratus vestri decreto, quo is vetat aliud quid docere, quàm quod Catechesi vestra continetur, prudenter vos conformare potestis, nisi persuasum habeatis, illud reduci in aliquod veræ fidei principium posse?* 2. *Expiravit terræ Canaan Symbolica sanctitas præfigurativa futurorum, non respectiva & rememorativa præteritorum.* 3. *Licet Ezech XXII. 5. prædictum sit, Hierosolymam propter cladem à Chaldæis inferendam non ampliùs Sanctam, sed impuram dictum iri, tamen non ideo ex clade illa penitus interierunt tot typi & symbola mysteriorum futurorum, ex fœdere antiquo in Hierusalem subsistentia, usque ad mortem Christi, propter quæ semper sancta fuit. Ita panis Eucharisticus Sanctus est propter carnem Christi vel præsentem vel significatam, licet à scelerato pistore, imo & Ecclesiastico nefandissimo Ministro confectus sit: ita Palæstina sancta est non propter Judæos, sed propter Christum, qui sua præsentia & passione illam sanctificavit. Neque evadis dicens, Hierosolymam propter Christum in ea manifestatum non magis sanctam esse, quam Ægyptum, vel aliam terram, in qua se Jehova Sanctis etiam manifestavit; & nos in N. T. non habere civitatem permanentem, quia memorialia illa passionis in nulla alia terra videre est; & sic Ecclesia in mundo non subsisteret usque ad finem mundi, quæ nefanda hæresis foret. Planè igitur sicut in Eucharistia perpetuum Christi symbolum est: ita in mundo dari potest symbolum perpetuum*

mortis

mortis Christi repræsentativum; cujus institutionem Christi & sanguinis ejus contactus, & manans inde sanctitas supplet. 4. Tu ipse dicebas, peregrinationis religiosæ fundamentum esse sanctitatem, quæ est in loco. Quomodo autem sanctitas ab extrinseco proveniens intelligi potest esse in loco nisi per impressionem, moralem scilicet, qualis conveniebat umbræ Petri & sudariis Pauli, nec non virgæ Aharonis, quæ ex miraculis præteritis coruscans perseverantem sanctitatem retinuit, quod exemplum ne quidem tangere ausus es. 5. Esaj. LII. 11. & c non aliud innuitur, quàm Hierosolyma fugiendum esse, quatenus blasphemia & infidelitate referta. Quoad mysticam verò Christi Domini mysteriorum repræsentatricem rationem fugiendam etiam esse, non sequitur. Sanè etiam S. Paulus Hierosolymam ad festum Pentecostes ascendit. 6. Alia ratio est symbolorum & instrumentorum passionis Dominicæ: alia Pilati & Judæ. Illa enim moralis impuritatis haud capacia ad sanctam passionem Christi physicè duntaxat vel recipiendo, vel instrumentariè agendo concurrerunt, adeóque Sancta dici potuerunt. Hi verò in passione Christi non merè passivo, sed activo & moralis principii munere fungebantur. Tomo V. Tract. XIII. ss. 2. pag. 204-210. Resp. 1. Aliter se ratio sana habet, quando ut instrumentum infert conclusionem ex præmissis, vel verba explicat ex originibus vel usu; vel ex disciplinis rectè traditis ea illustrat, quæ ex iis, & non aliunde illustrari debent: aliter quando in ipsa mysteria se judicem intrudit, & causas conclusionum fidei suppeditat. Illo sensu rationi suas in rebus sacris partes concedimus: hoc, negamus. Vos contra rationi magisterium decrevistis pridem, fingentes prudentiam, non revelationi Divinæ, sed rationi innixam, quæque adeò spiritualis nullo modo est, tantam gignere certitudinem posse, quanta ad objectum religiosi cultus constituendum sufficit. Ita enim *fidei* vobis est, omnia Divinitatem quodammodo participantia religiosæ colenda esse: *prudentiæ* verò, hunc vel illum Divum, has vel illas reliquias, imagines &c. Divinitatem quodammodo participare, quod ex sola ratione, non revelatione ulla decidit is. Sic planè prudentia non spiritualis, sed carnalis apud vos religionis objectum constituit, qua re non ulla alia sublimior in fide & religione esse potest. Hunc capitalem errorem damnamus, & damnabimus semper. Exemplum arcæ planè ἀπροσδιόνυσον est, quia illa à Deo religiosi cultus vel adorationis objectum nunquam constituta est. Neque dubitare licuit, arcam esse à Mose olim in tabernaculo repositam, quæ tot cladibus & calamitatibus Philistæos, injustos ejus posessores, mactavit, & tantùm non Dei ipsius manu ducta ad justos possessores remeavit. De decreto verò docendi Catechesin futiliter garris, quia in eo nec cultus ullus, nec objectum cultus religiosi constituitur, sed id duntaxat injungitur, ut principia fidei ex Scripturis deprompta, & in compendium redacta juventuti instillentur, convenienter utique Dei verbo. Neque ibi ratio vel prudentia humana ullas partes habet, quia de Catechesi illa, & obsequii Magistratui debiti limitibus non ex ratione, sed ex verbo Dei judicamus. 2. Distinctionem sanctitatis præfigurativæ & repræsentativæ non semel discussimus. Sicut illa ex Divina institutione dijudicari debet: ita & hæc, similem institutionem Divinam exigit. Nihil enim hominis arbitrio sanctificari potest. Ideo Sacramenta symbola Christum jam passum repræsentantia, à Christo institui, non ullius hominis voluntate & arbitrio definiri debuerunt. Præterea typi & symbola Christum præfigurantia aliquid Christo, ejúsque operationibus simile habuerunt; veluti circumcisio, Pascha, sacrificia. Quid verò Christo simile Hierosolymæ est, postquam illa sedes & domicilium Dei, typicè in ea habitantis, esse desiit? 3. In loco Ezech. XXII. 5. ubi civitas Hierosolyma ceu טמאת השם *impura nomine* traducitur, bene est, quòd Baldingerum deseris. Clara nimis argumenta sunt, quibus *pag.* 188. convici, ita illam vocari ab ipso

Deo,non à gentibus illam irridentibus. Sed tua glossa multò ineptior est, quòd videlicet ita nuncupanda sit *ob cladem à Chaldæis inferendam*; cùm de cœtero *Sancta* manserit ob typos & symbola ibidem ad mortem Christi usque perseverantia. Etenim *impura* dicitur non propter clades Chaldæorum,sed propter abominationes ipsius civitatis, utpote quæ (v. 3.) *fudit sanguinem in medio sui*,ut *veniat tempus ejus, & paravit stercora super se, ut impura esset* Unde Deus ipse v. 4. sic eam compellat: *Propter sanguinem, quem fudisti rea facta es: & stercoribus tuis, quæ comparasti,* נטמאת *impura facta es.& fecisti appropinquare dies tuos & venisti ad annos tuos. Iccirco dedi te opprobrium gentibus & pipulum omnibus terris.* En *impura* fuit,priusquam daretur *opprobrium gentibus, & pipulum omnibus terris.* Atque hinc v.5.infert Propheta: *Propinquæ & remotæ illudent tibi:* טמאת השם רבת המהומה *O impura nomine,ampla conturbatione!* Quæ ergo antehac nomen *Sanctæ*,posthac nomen *impuræ*,ipso Deo sic decernente,habitura erat,quia nihil boni,sancti,nihil præclari ampliùs de ea dici potuerit; nulla sapientia,nulla pietas, nihil, quod & humanus intellectus approbat, & gentes ipsæ ad decus,honorem & laudem requirunt. Talis facta est post excidium à Romanis illatum,simpliciter *impura*.Si Sancta ob typos vel symbola Christi,post Christum exaltatum mansisset, non *impuræ nomine* simpliciter venisset,sed sanctitas vel uno aliquo apice excepto, commendata esset. Certè qui κατ' ἐξοχὴν *impurus* vocatur, adeò ut *impurus nomen* ejus dicatur, cuique nulla sanctitas alia relinquitur, is pro Sancto haberi nequit. Ita Hierosolyma Christo in ea apparente עיר הקדושה *urbs Sancta* Esaj.LII.1. vocatur, licet quoad Judæos fuerit impurissima, & omnibus probris referta. Cur igitur,deinceps *impura nomine* vocari debuit, nisi quia illam *sanctitatem*,quam à manifestatione Christi habuit,sublato eo amisit? Quando & impura erat ob abominationes,sicut antehac,cùm *Sancta* diceretur ob manifestationem Dei; & Christus in Cœlum evectus se in ea specialiter non manifestavit ampliùs. Exemplum panis Eucharistici planè alienum est. Id enim à quocunque pistore, sive bono,sive scelerato, à quocunque *Ministro* Ecclesiastico, sive pio,sive *nefandissimo*, à quocunque clerico vel Monacho, sive puro,sive impurissimo & idololatra confectus juxta institutionem Christi,nullo modo *impurus*, nedum *impurus nomine* appellari potest. Repeto hic argumentum meum Baldingero *pag.* 174. 175.oppositum. Sancta est terra Canaan post excidium urbis vel propter figuram,vel propter rem in ea extantem, vel propter rei olim extantis memoriam. Non propter *figuram*, quia re exhibita figura esse desinit. Non propter rem *extantem*, quia Christus in terra Canaan manifestatus, non ampliùs in ea habitat, sed in sublime raptus ad dextram magnificentiæ residet. Non propter manifestationis Christi *memoriam* Sancta dici potest magis, quàm vel Ægyptus, vel Arabia,vel Mesopotamia, in qua Jehova Sanctis se manifestavit. Licet enim *memorialia passionis* Christi, uti tu loqueris,in Ægypto,Arabia,non extent; tamen in iis Deus se specialiter Sanctis manifestavit: in Ægypto Christus habitavit, Deus Mosi apparuit: in Arabiæ monte Sinai magna cum gloria legem tulit: in Mesopotamia Abrahamo,Jacobo sese videndum præbuit. Si manifestationis Christi ad patiendum memoria terram Canaan sanctificavit: cur gloriosæ manifestationis Jehovæ, & habitationis Christi memoria non æquè Arabiam,Ægyptum sanctificavit? Quis verò propter illam memoriam in Arabiam,quis in Ægyptum peregrinatur? Negat Apostolus Hebr.XIII.14. nos habere hic (in terra) *μένουσαν πόλιν urbem permanentem*, qualis erat terra Canaan, respectu veterum; & ideo v. 13. jubet Hierosolyma exire ad Christum extra castra,opprobriúmque ejus ferre. Licet enim Deus in mundo habeat Ecclesiam usque ad finem mundi (ne hæresin Ecclesiam abnegantis

tis mihi impingas ampliùs) non tamen Ecclesiæ in mundo militantis πολίτευμα est in terra, nedum in hac magis, quam in alia, sed in Cœlo, unde etiam Salvatorem (in Cœlo jam, non alibi habitantem) nostrum expectamus Dominum Jesum, Phil. II 20. Durabit etiam Eucharistia ad finem usque mundi, sed Symbolica non Christi in hoc mundi, quàm in alio loco sacratiore habitantis, sed in Cœlo duntaxat ad dextram Dei Patris considentis. Debuerunt olim exemplaria cœlestium victimis purificari, sanctificari: ipsa verò (nunc) τὰ ἐπουράνια *cælestia* melioribus victimis præ illis purificata, sanctificata (Hebr. IX 23 24.) typicam mundanorum locorum omnium purificationem, sanctificationem abolevérunt. De calceis Christi, quibus solvendis indignum se S Johannes Matth III. 11. profitetur, quibusque propterea similem sanctitatem Baldingerus tribuerat, *Vind. pag.* 185. 186. dixi, ostendique adeò, adagiali locutione illa Hebræis usitata *calceos solvere* servitutis ei, qui calceos gerit, debitæ τεκμήριον esse; neque inde calceis, si quis solvendis illis indignus judicetur, propriè ullam sanctitatem accrescere. Contra quæ nihil Redingius dicere habuit. Suum ergo dictis pretium constat. 4. Religiosæ peregrinationis fundamentum esse sanctitatem, quæ existimatur (à vobis scilicet) inesse loco, dixi; non, quæ inest loco. Nam loco propriè nulla sanctitas inest, sed, si qua est, ei adest potiùs, quàm inest, propter relationem ad usum Divinum, cui per Divinam institutionem destinatus est. Denuo ergo horreo legere phrasin tuam, quòd sanctitas terræ S. Christi sepulchro, aliisque passionis instrumentis *impressa* fuerit. Res enim inanimatæ, mente, spiritu, ratione, voluntate omni destitutæ inhærentis & impressæ sanctitatis capaces non sunt. Nec virga Aharonis magis impressam sanctitatem habuit, quàm arca ipsa, & tabulæ legis, quas Divino spiritu exaratas sine maximo crimine frangere Moses non potuisset, si insitæ sanctitatis participes fuisset. Habuerunt ergo isthæc sanctitatem planè externam, typicam, symbolicam, quandiu typorum, symbolorum vicem gesserunt, non ultra. Neque etiam virga Aharonis florens habebat sanctitatem propter solam memoriam patrati in ea miraculi, sed quia ceu signum Divinitus institutum sacerdotii notabat vitam indissolubilem & potestatem veri Sacerdotis, & fructum omnigenum (habebat enim simul *gemmam, florem, amygdala*, Num XVII. 8.) eúmque perpetuum, Sacerdotii in populo suo, qui est natura, ut lignum aridum; sed valore sacrificii per sacerdotem, Divina ipsius potentia, vivificatur, ut germinet, florescat, & fructificet, Rom. VII. 4. Sed vero Sacerdote exhibito typi cessarunt, & si quam habuerunt ante sanctitatem, amiserunt. 5. Locum Heb. XIII. 13 14 Esaj LII 11. explicatum dedi. Ita ibi Jehova loquitur: *Recedite*, צאו משם *exite inde*, טמא *pollutum ne attingatis, exite de medio populi ejus, purificate vos qui fertis vasa Jehovæ.* Loquitur de Hierosolyma, ut ex v. 1. apparet. De ea conqueritur v. 5. ibi nomen suum omni die prophanari, & populum suum captum esse gratis, & principes ejus ejulare. Quod non intelligendum esse de Ægyptiis & Assyriis, versus præcedens clarè indicat. Quapropter etiam promittit præsentiam suam, ejus scilicet, *qui loquitur*, qui est sermo Dei, Christi. v. 6. & prædicatum iri Evangelium salutis, pacis, Regni, v. 7. Quo facto jubet eos, qui portant arma Domini, inde exire, nempe Hierosolyma tanquam טמא *immunda*, propter rebellionem habitantium eam; & propterea, quia figura, veritate extante, non potest ampliùs vel carnaliter purificare, sed omnino coinquinat eum, qui servire vult. Quòd propter *impuritatem* suam deserendum, fugiendum est, ad illud religionis gratia *& ob mysteriorum Christi repræsentationem mysticam*, ut Redingius nugatur, commeandum, peregrinandum non est. Non potest enim idem sanctum & pollutum, sectandum & fugiendum dici. 6. Instrumenta passionis Christi, quæ tu symbola appellas, eo ipso quòd mo-

 ralis

ralis impuritatis capacia non fuerunt, citra peculiarem Dei institutionem & consecrationem *sancta* esse non potuerunt. Imò instrumenta fuerunt Sathanæ & infidelium, quibus illi passionem Christi promoverunt, quæque adeò virtute causæ suæ principalis egerunt,

ARG. II. Deus ipse terram Canaan, ejusque stabile dominium & imperium permittens infidelibus, superstitionem hanc refutavit reali, omníque exceptione majori argumento, perinde atque olim horribili excidio Templi & urbis Hierosolymitanæ, totiúsque illius terræ alienatione, tanquam reali & irrefragabili argumento, cultum Leviticum & V. T. œconomiam contudit & abolevit. Regesserat heic nonnihil Baldingerus. Respondi ipsi *Vindic.pag.*189. Hyperaspistes ejus tacet.

RESP. REDING: 1. *Nihil solidi Baldingero responderas; indignus proin ulteriore responso.* 2. *An eo tempore, quo Chaldæi ac Persæ, imò & Græci ac Romani, vigente adhuc V.T. terram Canaan sub jugum miserunt, urbem & Templum devastarunt, Deus reali hoc Judicii sui argumento Levitici cultus superstitionem redarguit? An cùm Arianismus toti orbi dominatus est, iccirco fides de Christi Divinitate falsa fuit? Superstitiosus ergo es judiciorum Divinorum temerator.* Ibid. pag. 210. Resp. 1. Te judice nil solidi in tota Anatome attuli. Cur ergo tanto sudore, contentione tanta Anatomen refellendam suscepisti? Sed res ipsa docet, te Baldingeri rationibus diffisum responsionem meam tacitè probasse, quia desertis illius rationibus alias comminisceris, sed æquè frigidas. 2. Etenim nec Persæ, nec Græci, nec Romani ante Christum Templum, & cultum Leviticum aboleverunt. Romani Vespasiano duce post Christum aboleverunt, reali argumento, non quòd Deus cultum V.T. præteritum improbaverit, sed quòd deinceps, sublato cultu Divino, Palæstina, quam ante habuerat sanctitatem, amiserit. Chaldæis similiter urbem Templúmque vastantibus, & populum Babylonem abducentibus, Deus reali argumento contestatus est, terram Canaan eo tempore septuaginta annorum, quo populus captivus erat, & ipsa *sabbatha sua* egisse Levit. XXVI. 34. 35. 1.Chron. XXXVI 21. dicitur, peculiarem sanctitatem nullam habuisse. Templo enim & cultu Levitico abolito locus nullus erat, quem Deus speciali inhabitatione sua sanctificaret. Arianæ hæreseos mundum universum, justo Dei judicio pervagatæ, exemplum non quadrat, quia non à Judicio Dei qualicunque, sed tali, quo causa sanctitatis terræ cultu Dei publico & speciali ejusdem manifestatione sublata, quin terra potestati infidelium subjecta, sanctitatem ipsam tolli necesse fuit, argumentum petii.

ARG. III. Post excidium & tot mutationes urbis Hierosolymitanæ nemini pro certo constare potest de sepulchro Christi, aliisque passionis Dominicæ instrumentis, ob quæ Hierosolymitana peregrinatio suscipi solet. Longa demonstratione argumentum hocce contexui, & in ostentandis Dominicæ passionis instrumentis turpes imposturas in aprico collocavi *Vindic.pag.* 164. 165. 166. &c. Juvabit & hìc Adversarii nonnulla ex mea illa demonstratione vellicantis strophas excutere. Impudentiæ ante omnia me insimulat, *quòd tam audacter negem authenticam Sanctæ crucis tempore Constantini ab Helena inventæ historiam*, pag. 855. Fabulosam esse inventionem crucis Helenæ tribu-

tributam, argui ex ſilentio tum Euſebii, qui omnia, quæ Conſtantinus & Helena Hieroſolymis geſſerunt, curatiſſimè deſcripſit, utpote utriuſque coætaneus, Cæſareæ inſuper vicinæ Epiſcopus; at inventæ ab Helena crucis ne uno quidem apice meminit: tum eorum omnium, qui Conſtantinum & Helenam noverunt, & iiſdem cum utroque temporibus vixerunt. Alia atque alia ejus rei argumenta attuli, & ad teſtimonia authorum ab Adverſario objectorum, nominatim etiam locum ψευδεπίγραφον Euſebii in Chronico, reſpondi. Hæc priùs expedire Adverſarius debuit, quàm mihi ferociter adeò inſultaret. Argumentorum enim notis, non convitiis cernendum. Falſum dicit, *quòd Cyrilli, Ambroſii, Nicephori de cruce per Helenam inventa ſaltem in ſubſtantialibus ſit diſcors narratio.* At diſcordem illam narrationem etiam in præcipuis ad oculum demonſtravi *pag.* 167. Calumniam vocat, *quòd dubia vel mendax ſit de inſtrumentis paſſionis Dominicæ aſſertio, quòdque pleraque fictitia ſint.* At id ipſum quoque clariſſimé probavi *Vindic. pag.* 168. 169. &c. Cur adeò evidenter probationes meas ubique alatus prætervolat? An putavit Pythagoricum αὐτὸς ἔφα, & nudas ac imbelles aſſertiones continuis convitiis aſperſas tantum negotium conficere? Næ nimium nimiúmque fallitur. Addo nunc, à Bellonio Chriſti, B. Virginis & Apoſtolorum veſtigia in terra Canaan talia oſtendi, de quibus nec Cyrillus, nec Johannes Hieroſolymitanus, nec Hieronymus, qui bonam ætatis partem illic exegit, οὐδὲ γρῦ, οὐδὲ μῦ habent. Sed *eſto,* inquit, *quòd aliquibus in locis vera Chriſti Domini paſſionis inſtrumenta, vel horum reliquiæ ac nudæ particulæ, alibi verò eorundem duntaxat imagines colantur, nihil evincis, cùm crucis* Chriſti, *ac inſtrumentorum paſſionis ipſius non tantùm originalia, ſed etiam imagines ſint reſpectivo in Chriſtum tranſitivo cultu venerandæ, ipſiſque etiam dæmonibus tremendæ.* Atqui longa inductione demonſtraveram, eaſdem inſtrumentorum Paſſionis Dominicæ reliquias, non reliquiarum utique imagines, à variis non ſine acri concertatione & mutua inſectatione oſtendi. Si crucis fragmentula in acervum redigerentur, vix unam navim onerariam ea vecturam, Eraſmus olim ſalsè dixit. Clavos tres crucis ab Helena inventos, veteres narrant. At quatuordecim hinc inde oſtenduntur. Neque aliter Baronius hoc ſolvere potuit, quàm occinendo illud Ambroſii, *fides purgat facinus.* Sed carbonariam Baronius intellexit. Taceo ea, quæ de cuſpide Sariſſæ, ſpinea corona, purpura Chriſti, tunica inconſutili, teſſeris militaribus, ſudario Chriſti, prorſus fictitia in aprico poſui. Sed quid audio? Etiam reliquiarum imagines tranſitivo cultu venerandæ ſunt. Imò juxta alios etiam imaginum imagines. O væſanam idolomoniam, cui vix par apud gentiles! Quo ſuperſtitio rapit homines verbi Divini negligentes! Sed velim ſcire, cùm imaginum illarum prototy-

pon ſint ipſæ reliquiæ, res inanimatæ, & cultus illis decernatur non abſolutus, ſed tranſitivus, cultus porro tranſitivus ad exemplar tranſeat: annon inde efficiatur, imaginum illarum adorationem & cultum terminari in ipſo exemplari, reliquiis nimirum Sanctorum? Unum addo, cujus in diſſertatione Synodali obiter memini, nimirum Hieroſolymitanas peregrinationes admodum hodie frigere. Cùm enim ad ſtationes Romanas Pontifex contulerit infinitum indulgentiarum cumulum, erga loca tamen, quibus Chriſtus natus aut ſepultus eſt, mire parcus fuit, necullas ejuſmodi indulgentias ibi locavit. Sciebat nempe, tantundem Romæ ſubtrahi, nec ex ſtipe in Syriam collata quidquam ad ſe redundare. Imò liber indulgentiarum Romæ excuſus citat hanc ſententiam ex quadam Bonifacii epiſtola: *Si ſcirent homines indulgentias eccleſiæ Lateranenſis, quòd tot eſſent, non iis opus eſſet, ut irent ad Sepulchrum Domini.* Intereſt enim Papæ, peregrinorum donaria Romam potiùs, quàm Hieroſolymam deferri. Neque omittenda etiam hîc eſt horrenda cauponatio & religionis Chriſtianæ ὑπώνιον, quod Bellonius Vir Pontificius refert in Obſervationibus, Peregrinos videlicet Sanctum ſepulchrum ingreſſuros pendere in capita novem ducatos, & vectigalis ejus redemptorem Sultano quotannis aliquot eo nomine ducatorum millia numerare. Qui fructus etſi ad Turcam hodie redit, impoſitum tamen eſt hoc tributum à Chriſtianis Italis, antequam Turcæ in Palæſtina rerum potirentur. Secutus eſt veſtigia Imperator Turcarum, nec putavit habituros Chriſtianos, quod conquererentur, ſi vectigal, quod ipſi ſibi indixiſſent, ab iis exigeret. Liquet igitur in univerſum, quid de Hieroſolymitana illa peregrinatione ſentiendum ſit. Neque adeò ſine Numine factum putabimus, quod mulieres primò omnium Chriſti ſepulchrum inviſentes, nihil illic repererunt præter Angelum, qui illos reprehendit, quòd verborum Chriſti parum memores eſſent, & Chriſtum ibi quærere juſſit, quò iturum ſe ante promiſerat Matt. XVI. 1. 2. &c. Idem & nobis dictum putemus, ut nempe ipſum quæramus, ubi eſt, adeóque non aliò, quàm in Cœlum animos per fidem evehamus.

Resp. Reding.: 1. *Ex Euſebii ſilentio nihil concludere tibi licet, tum quia authoritas negativa eſt, tum quia eo loco unicè deſcribit, quæ Conſtantinus & Helena in ſanctis illis locis excolendis reliquerunt monumenta, non quæ illuc deportarunt: tum quia par ratio eſt crucis colendæ, quæ fuit ſepulchri Chriſti à Conſtantino M. culti: denique quia idem in Chronico ab Hieronymo verſo hiſtoriam illam memorat. Neque verò à Rufino intruſum dici poteſt, maximè cùm Rufinus ille longè propinquior fuerit primævæ Chronici Euſebiani deſcriptioni, quàm ea, quam allegas, Græca, vel etiam Manuſcripta editio. Tanto in crucem Chriſti odio flagras, ut etiam veteres hiſtoricos, Socratem, Sozomenum, Rufinum, Paulinum, imò ipſum etiam Imp. Juſtinianum M. figmenti propagatores criminari audeas. Gelaſius verò non hiſtoricam*

storiam inventæ crucis negavit, sed libellum de historia ea circumspectè legendum monuit. 2. Quoad instrumenta passionis Dominicæ, illa ex rationum quibus innituntur, momentis sunt ponderanda, nec aliter ponderanda, quàm quatenus subest probabilitas prudentiæ commensurata. 3. Crucis Dominicæ non tantùm originariæ, sed etiam exemplatæ, sive imaginis adorationem olim in usu fuisse, ex Tertulliano Apol. c. 16. Chrysostomi cap. 1. & 2. de adoratione crucis, aliisque constat. 4. Pontifices liberalissimas indulgentias semper erogarunt illis, qui Hierosolymam peregrinarentur. Licet autem Lateranensi Ecclesiæ superabundantes indulgentiæ collatæ sint, tamen amor erga Christum nullos vincit, ut non obstantibus impedimentis se Hierosolymam etiam conferant. 5. Sepulchri Christi tanto odio ardes, ut Turcæ tyrannidem purgare, ejusque culpam in nostros derivare nullus dubites Ibid. pag. 210--214. Resp. 1. Non sic Eusebii silentium solidè purgas. Etenim ille Helenam miris laudibus extollens, ejus in Judæam iter, in quo crucem ab ea repertam fuisse volunt, describens; res in Judæa gestas narrans, pias ejusdem & in totas Ecclesias, & singulas per Orientem largitiones decantans, vel nescivit historiam inventæ crucis, vel scivit. Nescivisse virum & doctissimum, & talium curiosissimum, quis nisi stultus induci possit ut credat? Scivisse, & laudes Helenæ aliaque longe minora studiosissimè pertexentem dissimulasse, ab ejus ingenio & erga Helenam studio ac pietate alienissimum est. Non ergo authoritas merè negativa est. Neque monumenta duntaxat à Constantino & Helena Hierosolymæ relicta, sed itineris etiam Helenæ, in quo crucem inventam ajunt, cunctáque ad Augustæ illius laudes pertinentia Eusebius perstrinxit. Ineptè verò hic non de cultu, sed de γνησιότητι crucis disputantibus sepulchri Christi cultum occinis, quanquam vel à Constantino, qui illud restituit, vel à quoquam alio illud adoratum esse, Eusebius non scribit. In vulgatis equidem Hieronymianæ Chronici Eusebii interpretationis Codicibus ad Constantini A. XVI. hæc legere est: *Helena, Constantini mater, Divinis monita visionibus, beatissimum crucis lignum, in quo mundi salus pependit, apud Hierosolymam reperit.* Sed apud eruditos hodie extra controversiam est à mala manu intrusa esse, tum quia in Græco Originali desunt: tum quia MS. Codicum antiquorum nullus in ipsa Hieronymi versione illa retulit. A Rufino verò intrusa esse, Scaliger conjectat, quia in ejus historia Ecclesiastica *lib. I. cap. 7.* fere totidem verbis extant. Nam quod *Rufinum* ais *longè propinquiorem fuisse primævæ Chronici Eusebiani descriptioni, quàm Græcam editionem, vel MS. Codices*, profectò impensè nugaris. Græca enim editio Eusebii Originalis est: & Versionis Hieronymianæ Codices MS. veteres locupletes lectionis Hieronymianæ genuinæ testes sunt. Neque moveor, quòd semel obtrusæ fabulæ inexploratæ fidem habuerunt viri graves & eruditi Cyrillus, Chrysostomus, Ambrosius, Paulinus, alii; quia maximis etiam viris insitum & familiare est, fidem habere iis, quæ vera esse cupiunt. Ita fabula de Constantini lepra & baptismo apud Romam à Sylvestro suscepto; Cyriaci Papæ profectione Coloniam deducentis Ursulam cum undecim mille virginum choro; ampulla Remensi ad ungendum Clodovæum cœlitus demissa; aliáque ejusmodi sexcenta, à viris gravibus diu credita constat; nec ideo fabulosa minùs. Rufinum verò, Socratem, Sozomenum erroris in pluribus arguere, vobis solenne est. Neque nullam suspicionem narrationis tanta varietas, & fama, alma illa fabularum mater, vires acquirens eundo ut aqua fluminis cursu, ciet. Si libellus ille de *inventione crucis*, à Gelasio obelo notatus, superesset, plura is haud dubiè figmenti hujus argumenta sufficeret. Certè *novellas* illas *relationes* à Catholicis legi ægrè ferebat idem Papa, jubens B. Apostoli sententiam: *Omnia probate, quòd bonum est, retinete*; præcedere. 2. Leve est, quòd ad elevandas de passionis Dominicæ instrumentis innumeras ferè fabulas obducis,

obducis, narrationes ejusmodi *ex rationum, quibus nituntur, momentis ponderandas esse.* Cur enim Ecclesia vestra non ponderat: cur vile à pretioso non discernit: cur immanem circa illa superstitionem impune grassari sinit? Annon sic participem saltem se reddit idololatriæ illius, quam simplices creduliq́ue in adorandis falsis instrumentis, qualia non pauca *Vindic. pag.* 168 *&c.* retuli (quibus ne quidem contradicere ausus es) committunt? 3. Tertullianus *Apol. cap.* 16. gentiles Christianis impingentes, quòd sint *crucis religiosi*, inducit. Quam eorum opinionem inter falsas absurdásque numerans, satis testatur, verum esse, quod etiam Minutius Felix in Octavio de veteribus Christianis scribit: *Cruces etiam nec colimus, nec optamus.* Sed stolidè Bellarminus *de imag. lib. II* 12. inde, quòd pagani crucis cultum Christianis objecerunt, conficit, illos omnino cruces coluisse. Sic enim etiam caput asininum Deum suum esse, credidisse eos, inde colligi posset, quia idem Pagani Christianis, Minutio teste, objectarunt. Chrysostomus multa de cruce disserit, quæ de re significata, morte & passione Christi, intelligi debent. Nunquam verò ipsi excidit, quòd crux materialis sit adoranda, & quidem *latria*, uti Thomas statuit, aut incenso ei thure honoranda. Neque ejus Rhetorica, quamvis hyperbolica, ad tantum sacrilegium eum deduxit. Si hodiéque viveret, & verborum suorum abusum cerneret, mentem suam haud dubiè verbis Hieronymi, quæ *in Psal.* 95. reliquit, explicaret: *Ergo crucem dico, non lignum, sed passionem. Cæterùm crux ista & in Britannia est, & in India est, & in universo terrarum orbe. Felix qui crucem, & resurrectionem, & locum nativitatis Christi, & locum ascensionis portat in pectore suo.* 4. Non *nullas* indulgentias Pontificem promisisse Terram sanctam adeuntibus, sed non *ejusmodi*, quales Romipetis addixit, scripsi; & scripsi verissimè. Nam liber Indulgentiarum Romæ excusus ex quadam Epistola Bonifacii citat hanc sententiam: *Si scirent homines indulgentias Ecclesiæ Lateranensis, quòd tot essent, non eis opus esset, ut irent ad sepulchrum Domini.* Interest enim Papæ, peregrinorum symbolas & donaria Romam potiùs, quàm in Syriam deferri. Nec puto illam terram Canaan frequentantibus plenam, pleniorem, plenissimam peccatorum remissionem concedere. De Bonifacio IX. fœneratore callidissimo, sic Cranzius *Metropol. lib. XI.* 10. scribit: *Bonifacius gratias & indulgentias (* Jubilæum Romæ obeuntibus *) fecit (NB) inauditas: & quàm facilè dedit, tam revocavit leviter, fabulas excitans in orbe Christiano, quòd auro expleri non posset.* 5. Quæ de Turcico tributo, in Pontificii locum succedente, dixi, non mea fide dixi, sed Petri Bellonii Cenomani, Pontificii, Francisci Cardinalis à Turnone domestici clientis, qui isthæc *Observat. lib II.* 84. commemorat, testis rerum *αὐτόπτης.* Adversus hunc, si vis, stomachare, non adversus me, ejus fide referentem.

OBIECTIO TRIDENTINORUM.

OBIECT. *De Christo, ejúsque sepulchro ita vaticinatur Esajas:* Ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum ejus gloriosum, *Cap. XI. v.* 10. *Quam prophetiam non tantùm intelligi de sepulchro Domini pro triduo mortis, quo in illo Christi corpus jacebat, sed pro tempore sequenti, quo fideles ex Gentibus descendentes illud venerabantur, eruitur ex ipso textu. Hinc etiam Hieronymus Epist. ad Marcellam cap.* 3. *ubi eam hortatus esset ad migrandum in Bethlehem, Christique sepulchrum venerandum, ita disseruit:* Venerabantur quondam Judæi Sancta Sanctorum, quia ibi erant Cherubim & Propitiatorium, & arca Testamenti, Manna, Virga Aaron, &

altare

altare aureum; nonne tibi venerabilius videtur ſepulchrum Chriſti, quod quotieſcunque ingredimur, toties jacere in ſindone Salvatorem cernimus? *En igitur ſepulchri Chriſti cultum reſpectivum, ita ei delatum, ut ferretur in Chriſtum ipſum ultimatè adorandum.* Aug. Reding *pag.* 853. hoc argumento Hieroſolymitanam peregrinationem tuetur. Reſp. 1. Eſajæ verba authentica ita ſonant והיה ביום ההוא שרש ישי אשר עמד לנס עמים אליו גוים ידרשו והיתה מנחתו כבוד׃ *Et erit in die illa* egrediens de *radice Jeſſe, qui ſtabit in vexillum populorum.* Επ' ἀυτῷ (ita Græci reddunt) τὰ ἔθνη ἐλπιοῦσι. καὶ ἔσαι ἡ ἀνάπαυσις αὐτοῦ τιμή. *In ipſo Gentes ſperabunt,* (ad verbum, *ipſum gentes requirent,*) *& erit requies ejus gloria.* Egrediens è radice Jeſſe Chriſtus eſt, ἡ ῥίζα τοῦ Δαβὶδ *radix Jeſſe* Apoc. V. 5. XXI. 16. Stetit in vexillum populis, quando populi ad ipſum tanquam vexillum Dei in N. T. confluxerunt, eique per fidem adhæſerunt. Eſtque ejus *requies gloria*, locus puta requiei Chriſti, quia poſt paſſionem in Cœlum aſcendens in gloriam intravit. Ibi enim vera, ſolida & glorioſiſſima ejus requies, ad dextram Dei Patris conſidentis locum habet. Ejúſque typus fuit requies in arca inter Cherubinos, de qua ſimilimam locutionem videſis Pſal. CXXXII. 8. Requies in ſepulchro ad ultimũ gradum exinanitionis, non ad ſtatum gloriæ & exaltationis pertinuit. Et qualis quæſo hodiéque gloria eſt ſepulchri Chriſti, quod ab infidelibus tantùm non captivum poſſidetur, ad quod proinde exiguus vel nullus confluxus eſt peregrinantium, qui Romam potiùs, propoſitis infinitis indulgentiis, quæ nullæ fere Hieroſolymas proficiſcentibus promittuntur, aliáque in loca invitantur & traducuntur? 2. Hieronymo Marcellam Hieroſolymas invitanti opponimus Hieronymum, Paulinum in Epiſtola ad ipſum ſcripta à peregrinatione illa Hieroſolymitana efficacibus argumentis dehortantem.

Excip. Reding: 1. *Num ergo contendis, Vulgatam verſionem contradicere Hebraicæ lectioni? Per requiem Chriſti & gloriam intelligitur, quicquid mortem Chriſti ſecutum eſt. Sepulchrum autem Chriſti fuit ejuſdem à labore & morte requies; utpote opprobrio crucis & mortis ſuccedens: adeóque glorioſa. Unde Chryſoſtomus in homilia, quòd Chriſtus ſit Deus, diſertè perorat, quòd Chriſti paſſio, crux, ſepulchrum, omnéſque ignominiæ poſt requiem, nempe mortem ſint verſæ in gloriam & triumphum. Gloria certè ſepulchri ſplendebat ex terræ motu, reſurrectione Sanctorum & ipſius Chriſti, ſtructura magnifica Helenæ, peregrinatione ad illud ſecuta, & miraculis, qualia S. Auguſtinus de Civit. D. lib XXII. 8 deſcribit. 2. Rectè ergo Hieronymus ad viſitationem ſepulchri Marcellam invitavit, nec repugnare, quæ ad Paulinum ſcripſit, oſtendimus ſupra.* Ibid pag. 273. 374. Reſp. 1. Si Hebraicè ſcires, non adeò pueriliter interrogares. Sepulchri enim nulla in Hebræo mentio. Nec omnis quies ſepulchrum eſt. A vulgato Interprete receſſit Forerius veſtras, qui ſic reddidit: *Eritque manſio ejus gloria.* Receſſit Arias Montanus, ſic reddens ad verbum: *Et erit quies ejus gloria.* Hos etiam, ſi libet, Redingius interroget: *Num contendis vulgatam editionem*

contradicere Hebraicæ lectioni? Sed audi Ariæ Montani exegesin: *Est hujus loci ista explicatio, gloriam illam & amplitudinem, & imperium in omnes gentes non bellis & cædibus, & humanarum rerum perturbatione, ut aliis gentium Imperatoribus contigit, sed pace, quiete, tranquillitate, & quodam lenitatis usu constare. Cæteris enim summis ducibus gloria, rebus per vim & arma gestis, & perturbatis confusisque aliorum hominum regnis ac ditionibus parari solet, eáque res triumphi causa experi videtur. At verò Christus, princeps & author pacis, paupertatis magister, ambitionis osor, lenitatis & modestiæ princeps summus, nullis alienis rebus aut vitæ insidiatur, sed saluti, tranquillitati & quieti omnium consulit: atque hac ratione omnium gentium animos sibi conciliat, nullo bello indicto, sed pace & misericordia Dei omnibus nationibus, quæ Evangelio obedierint, proposita.* Neque perfectò gloria Christi in sepulchro emicuit; in quo ultimus exinanitionis ejus gradus impletus est; sed emicuit in Cœlo: Ibi enim ad dextram Patris quiescens gloriosè regnat, & Ecclesiam gloria implet, in hac vita regnans inter hostes, eósque scabellum pedum suorum ponens, in altera eandem plenissimè glorificans; utrobique gloriæ & Majestatis suæ radios, plenúmque jubar ostendens. Si, quod tu contendis, per gloriam intelligitur, quicquid mortem Christi secutum est, quies igitur Christi sepulchrum non notabit. Nam sepulchrum non id omne fuit, quod Christi mortem insecutum est. Neque quicquid cruci & morti Christi successit, gloriosum id omne fuit. Unde gloriam ejus visuri semen Esajas cap. VII. 9. 10. post sepulchrum auspicatur. Et Chrysostomus loco à te citato *Christi passionem, Crucem, sepulchrum post requiem* (non, in requie) *conversa esse in gloriam & triumphum* docet. Quod convertitur in gloriam, non ipsa gloria est. Neque terræ motus, resurrectio Sanctorum, Christi &c. ad sepulchri, sed ad Christi omnipotentis gloriam referri debet. Quæ verò de peregrinatione ad sepulchrum, & structura magnificæ apud illud Basilicæ addis, in minima certè gloriæ Christi parte à verè fidelibus censentur, inprimis postquam ille ad spulchrum Christi confluxus in meram superstitionem & idololatriam degeneravit. Non enim inde gloriosus fit Christus, unde dehonestatur maximè. De Augustini sententia abundè supra. Satis constat, qualiacunque miracula Deus apud sepulchrum Christi, vel ejus glebas in Africam asportatas patravit, ea non ad augendum sepulchri ipsius gloriam vel cultum, sed potiùs ad creandam apud gentiles doctrinæ Christianæ hactenus exortes, Evangelicæ doctrinæ fidem patrata esse. Valuit, Augustino teste, terra Sancta Hierosolymis allata contra vexationes spirituum malignorum, & contra morbos. Hoc quia tantæ pietatis vir non ut ex incertis rumoribus acceptum, sed ut certò sibi compertum narrat, verum equidem esse, nullus dubito; quin id inter alia Divinæ potentiæ argumenta, quam ille, quoties, & quomodo voluit, exeruit, refero. Neque etiam miror, Hesperium terram illam reverenter habuisse: paratus idem facere simili jure, de qua mihi liquidò constaret, per illam Deum miracula edere. Cœterùm hoc cum hodierna doctrina, quæ reliquias, de quarum γνησιότητι parum constat, adorandas esse statuit, nihil commune habet. Neque enim Hesperium terram eam adorasse, vel ad eam adorandam confluxisse alios, Augustinus scribit. 2. Si quando S. Hieronymus peregrinationes commendavit, non tamen id per se tanta commendatione dignum judicavit. Imò Epistola ad Hilarionem B. Hilarionem commendat, quòd Palæstinus licet fuerit, & in Palæstina vixerit, tamen uno solùm die Hierosolymam viderit; additque tantùm non mutans dictum: *Non Hierosolymis vixisse, sed Hierosolymis bene vixisse, laudandum est. Et de Hierosolymis & de Britannia æqualiter patet aula Cœlestis.* Hæc nobis, sententia ἐρριζωμένη & immota.

II. DE

II. DE PEREGRINATIONE LAURETANA.

LAURETANA Peregrinatio ſuſcipitur Lauretum, ad domum B. Virginis Mariæ, ſi credere fas eſt, in qua illa nata, educata, ab Angelo ſalutata, à Luca depicta; & in qua ipſe Chriſtus ad annum uſque ætatis XII. enutritus fuerit. Eam Nazarethi ab Apoſtolis in Templum dedicatam, invaleſcente Muhammedana impietate per varios raptus tandem ab Angelis eò translatam, ubi nunc viſitur, affirmant. Pluſcula de ea dixi tum in Synodali Diſſertatione, tum in ejuſdem Vindiciis, quæ repetere hîc nihil attinet. Nam & Redingius hîc Baldingerum deſeruit, ut opus non ſit longiori ἐπεξεργασίᾳ. Tantum ait, *domum Lauretanam coli ex reſpectu Symbolico incarnationis Divinæ in B. Virgine intra domum illam peractæ. Sive autem Joſephus tranſierit in domum B. Virginis, ſive hæc in domum Joſephi, parum referre. Manere ſemper, illam domum eſſe ipſiſſimam, quam verbum Divinum incarnatum Virgineo Mariæ utero conceptum inhabitarit*, pag: 858. Imò verò multum refert, Joſephúſne tranſiverit in ædes B. Mariæ, an B. Maria in ædes Joſephi. Etenim ſi B. Virgo deſponſata tranſivit in ædes Joſephi Sponſi, Camera igitur Lauretana minimè ea erit, in qua Maria nata & educata eſt: neque eadem erit camera nativitatis & educationis ac ſalutationis B. Virginis Mariæ, & camera nativitatis & educationis Salvatoris. Et tamen eandem eſſe, diſertè narrat tabula Lauretana fano affixa, & à Rutilio Benzonio Romano, Epiſcopo Lauretano interpolata.

RESP. REDING: 1. Dicit equidem *Matth. I. 20. Angelus ad Joſephum: Noli timere accipere conjugem tuam. Sed nulla ibi mentio eſt ædium ſeu domus Joſephi, in quam ille Mariam traducere debuerit. Proinde mens Angeli hæc eſt, ne Mariam acceptam dimittat, ſed retineat, eique indivulsè cohabitet. Hic enim ſenſus cohæret animo Joſephi, volentis (v. 19.) Mariam dimittere. Nullibi Scriptura teſtis eſt, morem maritis perpetuum fuiſſe traducendi diſponſas in ſuas maritorum ædes. Certè Jacobus plures annos in domo Soceri ſui habitavit. Neque ex Syriaca, vel Græca etiam interpretatione, imò ipſiſſimo textu Græco aliud evinces. Eo verò tempore, quo Angelus iſthæc ad Joſephum dixit, incarnationis myſterium in utero B. Virginis jam peractum erat. 2. Inſigni verò fallacia in unum chaos commiſces id, quod à nobis certum, & quod probabile habetur. Probabile habetur, & à Rutilio Benzonio Lauretano Epiſcopo, ceu tale, affirmatur, Cameram Lauretanam eam eſſe, in qua Maria nata, educata, & ipſe quoque Chriſtus conceptus, educatus eſt. De hoc quicquid ſiat, ex Evangelico textu clarum & certum id eſt, Virgini non priùs eſſe delatam annuntiationem Angelicam, quàm fuerit deſponſata, ut proinde in hac ipſiſſima camera, in qua Joſepho in matrimonium concredita habitabat, Verbum Divinum conceptum fuerit.* Ibid. pag. 214–225. Reſp. 1. Lauretanam fabulam eo inter alia argumento Vergerius confutaverat, quòd verbo Dei è diametro repugnet. Cùm enim Matth. I. 24. de Joſepho dicatur: παρέλαβε τὴν γυναῖκα αὐτοῦ *ad ſe accepit uxorem ſuam*; narratio tamen illa fingit, Mariam in camera Lauretana, in

qua nata, educata, & postea ab Angelo Gabriele salutata fuerat, enutrivisse filium suum Christum, usque ad ætatem 12. annorum. Unde consequeretur, non Mariam in Josephi domum adductam fuisse, uti mos est maritis, & Evangelistæ verba volunt: sed contrà Josephum à Maria Sponsa receptum fuisse, ut una cum ea in domo soceri socrúsque, Joachimi & Annæ habitaret. Presseram & ego isthoc argumentum in Synodali de Peregrinationibus Dissertatione. Occurrit verò Baldingerus longè diversa via, quàm qua jam olim Turrianus Vergerio: & Redingius post etiam diversa via, quam ea, quam adversus Vergerium Turrianus, & adversum me Baldingerus inierat. Quæ vel sola respondentium, vel potiùs fluctuantium diversitas conclamatæ causæ argumentum præbet. Baldingerus quidem responderat, *παραλαβεῖν nihil aliud apud Matthæum sonare, quàm acceptam non dimittere, sed retinere, eique deinceps individuè convivere. Hunc enim sensum cohærere animo Josephi, qui dicitur occultè eam voluisse dimittere, v. 19. Neque verò etiam morem olim fuisse perpetuum, ut mariti sponsas in suas proprias ædes traducerent, exemplo Jacobi constare, qui plures annos in domo Soceri habitavit.* Huic ego: *Non pugno, quin παραλαμβάνειν hic notet acceptam non dimittere, sed acceptam, id est, ad se acceptam, assumptam, & in locum suæ habitationis translatam, seu domum deductam. In hac notione assumendi, accipiendi ad se, passim venit, ut Act. XXI. 24. 26. 32. Nempe παρα in hac voce eandem vim habet, quam in παρακαλεῖν, quando significat, vocare ad se. Si igitur assumpsit Josephus Mariam, non ipse in Mariæ ædes transivit, sed potiùs Mariam suæ inhabitationis locum transtulit, morem secutus sponsorum apud veteres receptum. Testem ejus rei accersimus etiam Nicephorum Callistum, cui quantum tribuant Pontificii, neminem fugit. Is histor. lib. I. cap. 8. scribit, quòd B. Virgo ab Archangelo latum acceperit nuntium, σύνοικος γενομένη τῷ Ἰωσὴφ habitans* (deinceps) *unà cum Josepho in ejus ædibus. Et cap. 12: Christus in domo Josephi circumciditur. Quin & Epiphanius hær. 78. domum illam, in qua Christus educatus est, ait fuisse οἶκον τοῦ Ἰωσὴφ, domum Josephi. Quin Gabriel Vasquez in 3. p. Thomæ Tom. 2. q. 39. art. 2. disp. 125. c. 9. multis argumentis probare conatur, B. Virginem tempore ipso annuntiationis ex domo parentum, si quidem adhuc vixerint, in propriam ipsius Josephi fuisse traductam, & ibi nuntium Angeli recepisse; & allatis veterum aliquot testimoniis, laudataque ratione Authoris operis imperfecti sub Chrysostomi nomine, quod non satis consultum esset bono nomini, & famæ virginis, nisi in domo viri conciperet, &c. concludit. Ex quo etiam colligo, à principio, antequam B. Virgo conciperet, non solùm nuptam, sed etiam in domum Sponsi traductam fuisse, quia alioquin partus conceptui non sine suspicione non responderet. De Jacobo Soceri ædes incolente non est cur respondeam, cùm nemo non videat, ipsum exulem & Socero servientem proprias ædes incolere non potuisse.* Quid ad hæc omnia Redingius, gigas ille, suo clienti, Baldingero succollaturus? *Neque ex Syriaca*, inquit, *vel Græca etiam interpretatione, imò ipsissimo textu Græco aliud evinces.* Quid, miser, est *Græca interpretatio* distincta ab *ipsissimo Græco textu?* Et Syrum Interpretem an legisti? Ille enim verba Angeli Matth. I. 20. sic reddit: לא תדחל למסב למרים *Ne metuas assumere Mariam uxorem tuam.* Cœtera omnia prætervectus nihil respondes, adeóque clientem tuum prodis potiùs quàm sustines. 2. Neque tua ad argumentum Vergerii responsio solidior est. Nam quod tu probabile, non certum esse dicis, id tabula Laureti suspensa (ex qua fabulam Rutilius Benzonius Romanus, Episcopus Lauretanus *Specul. Episcop Disp. q. 9.* incrustavit) ceu æquè certum, ac reliqua omnia, narrat, quamvis in ea orationis sordes cum fœce mendaciorum quasi certare videantur. Ejus enim hoc initium est: *Ecclesia B. Mariæ de Loreto fuit camera domus B. Virginis Mariæ, matris D. nostri Jesu Christi, quæ domus fuit in parti-*

partibus Hierusalem Judeæ, in civitate Galileæ, cui nomen Nazareth; & in dicta camera fuit B. Virgo Maria nata, & ibi educata, & postea ab Angelo Gabriele salutata: & demum in dicta camera nutrivit filium suum Jesum Christum, usque ad ætatem duodecim annorum. Christum igitur in camera ea nutritum fuisse usque ad duodecimum ætatis annum, tabula illa, ceu potiùs hedera Lauretano idolo suspensa, extra dubitationem, æquè ac cœtera omnia, ponit. Neque certum habuit Gabriel Vasquez, à me citatus, quòd in alia camera Christus conceptus fuerit, quàm Josephi; *quia*, sic ex Chrysostomo arguit, *non satis consultum esset nomini & famæ Virginis, nisi in domo viri conciperet*; adeoque *partus conceptui non sine suspicione non responderet.* Quæ deinceps, repetitis totidem Canisii & Tursellini, qui veri Demetrii & infamis idoli præcones, fabulam illam cultioris orationis mangonio & phaleris exornare studuerunt, verbis (ut libri moles excresceret) rationibus meis in Synodali Dissertatione historiæ translatæ sæpius cameræ objectis reponis, tanti non sunt, ut heic quidem ad limam revocari mereantur. Saltem Doctissimus Berneggerus collato cum Baronio, Canisio, Turriano & Tursellino, qui hic tibi ad arculas sederunt, ut ista suggererent atque dictarent, gradu, omnia illa sic contudit, ut concurrant licet in unum & capita conferant mille Redingii; imò ipsum, si volent, Diabolum in consilium idoli illius cultores adhibeant, nunquam tamen tutæ mentis hominibus eam esse non fabulam, persuasuri sint. Ubi verò de tuo aliquid confers, quàm quæso turpiter te dás? V.g. Bedam Venerabilem allegaverat Baronius testem, quòd Nazarethi suo tempore fuerit Camera B. Virginis. Ille autem *cap. 16 de locis S.* de domo, ubi conceptus est Jesus, ita scribit. *Altera Ecclesia est, ubi domus erat, in qua Angelus ad B. Mariam venit.* Ego sic inverteram argumentum: *Annon domum qui ait fuisse, clarè negat esse adhuc, quo illa tempore scribit? Ergo hanc, quam adversarii diu postea translatam fuisse asserunt, necesse est jam ante Bedæ tempora in rerum natura esse desiisse.* Quid ad hæc Redingius? *Calvinisticus*, inquit *pag. 217. iste genius nescit, vel non vult distinguere in ea domo rei substantiam, ab actualis inhabitationis circumstantia. Beda hanc, non illam suo tempore extare negat. Ita asseverans, Tigurum fuisse olim Imperio subjectum, non negat civitatis præsentem subsistentiam, sed status tantùm mutationem adstruit.* Ineptissimè, inquam. Beda enim domum fuisse ait, in quam Angelus ad B. Virginem Mariam venit. Atqui venit ille ad substantiam domus. Quis vestrum hodie ferat dicentem: *Laureti erat domus, in qua Angelus ad B. Virginem venit?* Nec simile allatum quadrat. Si enim Bedæ sermoni aptare liberet, sic aptandus sermo esset: *In eo tractu Tigurum erat, Imperio olim subjectum:* Quis non inde concluderet, Tigurum non ampliùs esse? Et tamen, Deo sit laus & gratia, est, & est Ecclesiæ liberale hospitium. Synodalis insuper Dissertatio *§. 12.* Vincentium allegaverat, amandantem *in Nazareth ad cameram, ubi filius Dei incarnatus fuerat.* Queritur Redingius *pag. 223.* nihil horum se in Vincentio reperire potuisse. En igitur disertè ejus verba, quæ *Sermone de Assumptione Virginis* (ubi peregrinationes ad loca sacra disertè vituperat,) comprehensa sic sonant: *Homines & mulieres peregrinando sibi frangunt collum, & efficiuntur pejores, quia aliquando vadunt castæ, & redeunt meretrices. Ideo spiritualiter fiat peregrinatio. Sicut dicit Paulus: Spiritu vivimus, spiritu ambulemus. Hodie & qualibet die potestis ire in Nazareth* (non Lauretum) *ad cameram, ubi filius Dei fuit incarnatus: & sic de aliis locis.* Fuit Vincentius ille Hispanus, Ordinis Dominicani Monachus, qui, Trithemio in Catalogo Scriptorum Eccles. teste, A. 1418. Concilio Constantiensi interfuit, & A. 1455. obiit, per Calixtum III. Papam in Divorum numerum cooptatus. Unde testimonium ejus omni exceptione majus Papistis est, esse certè debet. Atqui ille suo etiam tem-

pore illam cameram, in qua Filius Dei noſtram carnem primùm induit, NAZARETHI, non LAURETI quærendam diſertè ſcribit.

OBIECTIO TRIDENTINORUM.

OBIECT. *Domus Lauretana tum aliis, tum fidelium obſervantiæ continuatæ argumentis creditur eſſe illa ipſa, in qua Divinæ incarnationis myſterium eſt peractum. Ergo non minùs veneranda eſt, quàm olim ipſa arca, cujus adorabilitas per prudentialem ſuper fidelium Iſraelitarum obſervantia fundatam rationem in fidei principium reducebatur, arcæ adorabilitatis demonſtrativum, ex contactu pedum Dei, id eſt, Divinæ operationis.* Aug. Reding. *pag.* 854. Reſp. 1. Arca fœderis ut adoraretur, nuſpiam præceptum eſt. Neque etiam à quoquam adorata ipſa eſt: ſed Jehova ſolus inter Cherubinos habitans. 2. Neque in Lauretana domo, tanquam ſacratiori loco Chriſtus, ſicut apud arcam Jehova, adorari debet, tum quia arca peculiari deputatione & mandato Dei conſtituta eſt ſolennis adorationis locus, Lauretana domus non item: tum quia Jehova non tantùm ad arcam ſe venturum, & in ea nominis ſui memoriam poſiturum promiſit, ſed etiam revera ad eam venit, & præſentiam ſuam irrefragibilibus argumentis omni tempore teſtificatus eſt, quorum neutrum in domo Lauretana factum. Imò potiùs illa locorum differentia in N.T. penitus ſublata eſt. Certè Apoſtolos, & fideles Dei in primitiva eccleſia adoratores eo modo ad domum incarnationis Chriſti confluxiſſe, quo modo ex Dei mandato fideles V.T. ad arcam ſe contulerunt, neminem idoneum teſtem habemus. 3. Lauretanam domum eam eſſe, in qua B. Virgo nata & educata, ac Chriſtus ipſe conceptus & educatus eſt, *credunt* equidem ſuperſtitioſi Sacrificulorum oraculis dementati. At hiſtoriæ illius domus, nec non translationi ejus fidem omnem derogârunt viri docti, & poſt eos Synodalis Diſſertatio *Sect.* 11. 12.

EXCIP. REDING: 1. *Arca propterea colebatur, quia Jehova revera ad eam venit, & nominis ſui memoriam in ea poſuit. Quis verò Evangelicæ veritatis ſtudioſus negare auſit, Chriſtum revera veniſſe ad illam domum, in qua Angelus Divinæ incarnationis nuntium Deiparæ attulit, & ſermo incarnatus eſt? 2. Sicut David Pſal.* 110. *eo quoque reſpectu, quòd Deus fecerit ſuorum mirabilium memoriam, confeſſionis & magnificentiæ laudem Divinæ Majeſtati detulit: ſic ex reſpectu Divinæ incarnationis intra domum illam peractæ, mirabiliſſimi operis rememorativo, fas eſt cameræ illi Divinæ adorationis cultum deferre; accedentibus inprimis miraculoſis effectibus, præſentiæ Divinæ teſtibus irrefragabilibus. 3. Sicut arcam tot mutationibus & hoſtium corruptionibus obnoxiam, eſſe tamen illam, quam Moſes Dei mandato conſtruxit, Iſraelitæ prudentiæ dono inſtructi cognoverunt, & eam adorarunt: ita ſimili prudentiæ dono inſtructi Chriſtiani nôrunt, domum Lauretanam illam ipſam eſſe, in qua incarnationis myſterium peractum eſt.* Ibid. pag. 274. 275. Reſp. 1. Nunquam quiſquam fidelium arcam adoravit, ſed in arca habitantem Jehovam. Ita planè in

domo incarnationis Christi pium fuit adorare Dominum incarnatum; at domum ipsam incarnationis religiosè coluit fidelis nemo, etiam quandiu Jehova incarnatus in ea habitavit; nedum postquam in ea habitare desiit. Ita nemo fidelis jussus est peregrinari Hierosolymam, nisi quandiu Jehova ibi inter Cherubinos typicè habitavit. Ubi verò desertis Cherubinis Cœleste sacrarium intravit, omnes jam in mundo fideles, ubicunque terrarum degant, nullo locorum discrimine, Christum non ampliùs inter Cherubinos, vel in domo incarnationis suæ hospitantem, sed in Cœlo regnantem religiosè colunt & adorant. 2. David Psal.CXI.4. canit: זכר עשה לנפלאותיו חנון ורחום יהוה *Memoriam fecit mirabilibus suis, gratiosus & misericors Dominus.* Deus enim tot & tanta fecit mirabilia, ut eorum fama interire non possit. Non tantùm Christus fecit ingentia miracula in apparitione sua, qua factus est homo; in resurrectione ex mortuis, ascensione in Cœlos, effusione Spiritus S. sed etiam per Apostolos suos ubique potenter miracula operatus est, & eos rudes, debiles, infirmos dimisit in totum mundum, postquam illos idoneos fecisset ad prædicandum Evangelium, & narranda magnalia Dei. Imò etiam hoc testimonium & præconium curavit scribendum, & non sine testibus Ecclesiis & præcipuis fidelibus. Unde evenit, ut lex Dei, quæ est lex fidei, in medio, ore & cogitatione omnium hominum poneretur, neque unquam deinceps mirabilia Dei cognosci possent. Hæc est illa זכר *memoria* mirabilium Dei; non materialis domus; nedum fictitia camera, religioso cultui insuper exposita, adeóque pudendum idolum. Omnis enim præter Deum res sive vera, sive fictitia, cultui religioso exposita, idolum est. 3. Arcam variis casibus jactatam qua ratione illam ipsam esse, quam Moses Divino jussu construxit, Israelitæ cognoverint, supra ostendimus. Cameram verò vestram νομιζομένην nec Divino jussu faber construxit: nec talis ea fuit, ut Christus ad illam se perpetim venturum, & speciali præsentia sua semper ei affulsurum, & perpetuam nominis sui memoriam in ea positurum promiserit. Nullam ergo ejus semper conservandæ fidem concipere potestis. Accedit quòd testes mutationum & translationum ejus gravi suspicione laborant. Primus enim narrationis author fuit sacrificulus ille, trecentis abhinc annis Parochus sive curio Lauretanus, nomine Teremanus. Hoc ipsemet in tabula Lauretana testatur, inquiens: *Duo boni viri hujus pagi* (testes, bone Deus! quàm locupletes, quàm ἐκ Διὸς δέλτων! quos nec albos, nec nigros quisqnam novit) *dixerunt hæc mihi gubernatori dictæ Ecclesiæ.* Quantum autem hæc fabula profuerit assertoribus suis, inde perspicitur, quòd non ille modò Curio Teremanus luculentum inde culinæ suæ focum instruxit: verùm etiam ex pago, vix unum antea sacrificulum alente, frequens oppidum, cinctum mœnibus & propugnaculis munitissimis est effectum, ubi plurimi nunc Canonici & Capellani in deliciis, luxu, pinguique otio vivunt. Nec desunt idonei testes, qui confirment, Papam, fabulæ assertorem confirmatoremque, ex isto Europæ spoliario, fœdóque prædarum receptaculo quotannis ad centena millia nummorum aureorum collegisse. Accedunt νοθείας argumenta alia, & numero & pondere gravia, quæ ex tabula Lauretana ad vivum resecta, Vergerius, & post eum Berneggerus *Idol. Lauret. demolit. cap.7.* collegit, qualia sunt, quòd domus illa non à principio Turcismi, sed demum ante trecentos annos Nazaretho avolaverit, adeóque in potestate infidelium, non vindicante eam Deipara, ultra septem secula hæsisse putetur: quòd non obstante incolarum infidelitate, quæ translatæ cameræ causa allegatur, Deus sepulchrum Christi, nativitatis & passionis ejusdem locum in hunc usque diem apud infideles morari passus fuerit: quòd omnes Scripturæ consentiant, ea quæ sunt mundi elementa externa & carnalia, inprimis ad cultum à Deo disertè non instituta, respuenda, ac

Deum

Deum in ſpiritu & veritate adorandum eſſe, ac proin credibile non ſit, cameram Nazarethicam tantæ curæ Deo fuiſſe, ut eam toties quadam deſultoria levitate transferendam, & in hanc uſque diem ἄσηπτον, à putredine immunem, conſervandam duxerit: quòd cùm Diva Maria ſe ancillam Domini humillimámque ſervam profeſſa fuerit, abſurdum ſit, ideo illam, quod in tabula Lauretana dicitur, ex Illyrico in Italiam tranſtuliſſe domicilium ſuum, quòd videret, ſe non ita illic, uti deſiderabat, honorari: quòd cùm eadem ab idololatria vel maximè abhorruerit, ſuam ædiculam ob intermiſſum, uti eadem tabula refert, ejus cultum (merè idololatricum) eam aliò transmoviſſe, perquam abſurdum ſit: quòd cùm Mariam Cœli Reginam iidem proclament, orbique perſuadere conentur, illam habere omnia præſentia, ſicut Deus; tamen tabula & fabula Lauretana Mariam imprudentiſſimam faciat, utpote quæ non præviderit fore, ut ſua camera in Illyrico non afficeretur honore debito, & poſtea in Italiæ quoque duobus locis, primo ob latrocinia, altero ob fratrum diſcordiam, minùs commodè hæreret, uſque dum Laureti fixam opportunámque denique ſedem reperiret. Nam ſi hæc omnia prævidiſſet, potuiſſet humeris Angelorum parcere, & facto itineris compendio ſtatim Lauretum Nazaretho migrare. Hæc aliaque adverſus Lojolitica Turriani φλυαρολογήματα à Cl. Berneggero accuratè defenſa, ad compendium pono.

III. DE EREMITANA, SEU EINSIDLENSI PEREGRINATIONE.

EREMITANAM igitur ad Sacellum Deiparæ, quòd ab ipſo Chriſto cum Angelorum & Divorum choro ex Cœlo illuc veniente ſolennibus ceremoniis conſecratum & dedicatum pertendunt, Peregrinationem pluribus tum hiſtoricis tum Theologicis argumentis oppugnavi. Potiſſima repetere, & ab exceptionibus iteratis Adverſarii, qui nunc fani illius Pontifex eſt, aſſerere operæ pretium fuerit.

ARG. I. Et quidem Petrus Act. III. 21. teſtatur, oportere Chriſtum δέξασθαι οὐρανὸν ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως *capi cœlo uſque ad tempus reſtitutionis omnium.* Quomodo igitur verum eſſe poteſt, quod dicunt illi, Chriſtum Dominum de Cœlo ad Sacellum Eremitanum corporaliter celebrandi Sacri officii ergò deſcendiſſe? Reſponderat Adverſarius, *Chriſtum poſt ſuam in Cœlum aſcenſionem non ſemel in terra viſum eſſe, adeóque ſecundum virtualem præſentiam manentem in throno ſuo, in terra identidem ſecundum quantitativam locationem apparuiſſe.* Reſponſioni huic ita ſatisfeci. *pag.* 327--336. ut Adverſarius in putido ſuo Corollario finali *pag.* 870. 871. non tam recto Marte, ſolvendo videlicet ea, quæ ad ipſius argumentationem propoſueram, mecum ampliùs pugnare ſuſtinuerit, quàm fugitivi inſtar, & velut poſt tergum deploratas has voces emiſerit: *Poſito, ſed minimè dato* (perinde ac ſi Ariſtophanicum illud, *Non perſuaſeris nobis, etiam cùm perſuaſeris,* occineret) *Chriſti in Sacello Einſidlenſi præſentiam fuiſſe non tam quantitativam, quàm virtualem, hinc tamen minimè evacuatur Sacelli*

hujus

hujus respectiva Sanctitas, sicut ex eo etiam, quòd Deus in Templo Salomonis, nec non in arca fœderis virtualem suam præsentiam speciali signo comprobârit, oportebat exinde speciali veneratione respectiva ea honorari. At in Templo Salomonis & arca fœderis Deus præsentiam suam specialem ita testatus est, ut & in eo *Jehova* typicè *inter Cherubinos* habitaverit, & memoriale nominis sui constituerit, & ad eum locum, quem delegerat, venturum se promiserit, & eò etiam ex remotis locis fideles commeare jusserit, & cultum denique publicum ei loco astrinxerit. Simile quid etiam in Sacello hoc locum habere, demonstrari debuit. Tum Christus duobus vel tribus in nomine suo congregatis *virtuali* sua *præsentia* medius intervenit: in cordibus electorum habitat: cum fidelibus est usque ad consummationem Seculorum. An igitur *virtualis* ejusmodi *præsentia* religiosi cultus fundamentum haberi potest? Denique Christus Dominus *virtuali præsentia*, virtute nempe & gratia, præsentissimus est, quoties loca Divino cultui consecrantur & dedicantur. An propterea ad omnia ejusmodi loca religiosæ peregrinationes institui debent? Id si verum est, nulla omnino Sacelli hujus prærogativa manebit. Instat, *falsò me supponere, quasi Christo in terris post ascensionem suam corporaliter apparente, Pontificii non aliam virtualem ipsius in Cœlis præsentiam astruerent, quàm per meriti sui efficaciam etiamnum exhibeat in terris. Contra illos sentire, Christum ibi mansisse non tantùm suæ operationis virtute, sed throni etiam sui ibidem fixi jure, usque ad omnium restitutionem prorsus immobili.* Primò qui Pontificii ita sentiant, explicari debuit. Hoc enim unius Redingii χρησοφύγετον esse videtur. Tum explicari debet, an qui ex Cœlo corpore descendit, eodem tamen Cœlo tempore absentiæ suæ δέχεσθαι *recipi*, & in eo, non alibi, veram παρουσίαν *præsentiam* suam habere dici possit, non aliam ob rationem, quàm quia in eodem cœlo virtute & jure throni sui ibidem fixi immobilis manet? Hæc enim quàm inepta sint & ἀξύστατα, quivis sana mente præditus videt. Denique non præsentiæ duntaxat quoad *virtutem*, sed etiam quoad *jus throni fixum* validè repugnant argumenta mea *pag. 333. 334. &c.* allata. Manet igitur invictum palmarium argumentum meum, recenseóque illud jure in triumphis meis, quòd non tantùm à me contra *virtualem* in cœlo & *corporalem* in terra præsentiam dicta dissolvere non potuit, sed etiam iis paucas eásque leves & jejunas speculationes, nec Dei verbo, nec rationi sobriæ innixas, ad incitas videlicet redactus, opposuit, non alium in finem, quàm ne planè obmutescere cogeretur.

RESP. REDING.: 1. *Christus Cœlo receptus licet, apparuit tamen Stephano Protomartyri, & Paulo Damascum proficiscenti. Licet autem Stephano apparens quoad locationem corporalem persliterit in Cœlis, non obstante tamen immensa locorum distantia, B. Stephani oculis*

imprimere potuit speciem sui repræsentativam. Id enim requirit natura corporalis visionis, ut corpus visibile ad visum emittens sui speciem, illius aciem informando, cum hac efficienter in sui visionem influat. Si ergo corpus Christi in Cœlis etiam persistens per tantam locorum distantiam in terris operari potuit, quid obstat, quò minùs Christus si non secundum quantitativam locationem, saltem secundum virtualem operationis suæ corporalis præsentiam, de cœlis descendens, universos in Sacello Einsidlensi consecrationis corporales actiones peregisse putetur, perinde ac si etiam quantitativè & circumscriptivè ibi extitisset. Ita licet Pauli Damascum euntis visio spiritualis ac mentalis fuisset, & similis etiam fuisset visio Conradi Episcopi. tamen quia vox coram universo populo resonans Capellam Divinitus consecratam esse testata est, Divina hujusmodi consecratio tantò sublimior & Divinior habenda esset, si quoad substantiam fuisset spiritualis, quanquam locutionis ejus proprietas importet actionem etiam materialem, à spirituali, ceu consecrationis divinizante forma, actuatam. Denique cogeris fateri, Dominum à Paulo corporalibus oculis visum, cum isto fuisse de Cœlo locutum, adeóque Christi in Cœlo persistentis operationem ad terram usque realiter penetrasse. Qua ratione etiam subsistit corporalis à Christo in sacello peractæ consecrationis modus. 2. Disceptant Scholastici, an Christus secundum quantitativam & circumscriptivam locationem in Cœlo simul & in terra esse possit; aliis negantibus, ajentibus aliis. Ubi certa à probabilibus distingui debent. Id certum est, Christum post ascensionem aliquando in terra fuisse. An verò tum simul in Cœlo fuerit quantitativè, incertum est. Ego Thomæ sententiam amplexus, in Sacello Christum fuisse præsentem circumscriptivè, & pro eo instanti in Cœlo virtualiter, statuo. Neque rationes tuæ, quas assertioni huic Vindic. pag. 333 - 336. opponis, solidæ sunt. Cœli enim thronus, quo Christus usque ad restitutionem omnium capi debet, non ita materialis est, ut non importet nisi eam Cœli partem, cui corporis Christi quantitas secundum localem extensionem commensurata extet. Hoc enim esset Christi thronum ad modicissimum Cœli angulum redigere. Verba igitur illa quòd Christum Cœlo capi oporteat, non passivè, sed activè accipienda sunt, quatenus in Cœli throno ad Patris sui dextram considens in omnes beatos Cœlites, non per animæ duntaxat, sed etiam corporis gloriosi potentiam operando, iijdem dominatur, & Regni sui Majestatem universis rebus præeminentem exhibet, non ex quantitativa illa locatione ad modicum Cœli spatium materialiter coarctata, sed ex activa in Cœlo & in terra dominatrice operatione. Quod non obscurè ex Apoc. V. 12. colligitur. Illa porro præsentia virtualis Christi in Cœlo, interea dum in terra corpore suo existit corporalis, (quatenus ipsius quoque corpus intra Cœlum spiritúsque Cœlites operabatur effectus ex ipsius Divinitus elevata virtute promanantes) non spiritualis est; adeóque diversa ab ea virtuali, quam corpore suo in Cœlo existens, in terra usque ad finem mundi exercet. Sic ergo post ascensionem suam & Cœlo permanenter, & terra transeunter receptus dici potest. Neque inferre licet, nihil sic obstiturum, quo minùs quotidie nobiscum sit secundum commensurationem Localem, quia præsentia talis in Cœlo ordinaria, in terra extraordinaria est. Duos denique Majestatis Christi thronos distingui oportere, vel id argumento est, quòd de Cœlo descendens ad restitutionem omnium alium habebit Majestatis thronum, quàm ante habuit pro statu militantis Ecclesiæ. 3. Si Christus virtuali sua præsentia in Sacello nostro voce sonora illud consecravit, adeoque actio ejus non à solo spiritu, sed etiam corpore processit; an sic carebit effectu, ut nullum in Sacello hoc ejus memoriale & virtualis habitatio subsistat? Aliud docent miraculosi effectus, qui ibi obtinent. Neque tuæ instantiæ solidæ sunt. Nam ubi duo vel tres conveniunt in nomine Christi & ejus vicarii: ubi verè Sancti sunt, in quorum cordibus Spiritus S. habitat; ibi religiosi cultus fundamentum ob virtualem Christi præsentiam subsistit.

4. *Cùm*

4. *Cùm Christi humanitas in Cælo existens physicè tamen concurrat ad effectus in terra patrari solitos; eadem in terra existens corporaliter in Cælo etiam operari potest, per potentiam nimirum obedientialem, per quam virtus ejus elevatur.* Ibid pag. 225.-239. Resp. In tota illa de Peregrinatione Einsidlensi, quæ Redingio nostro, Peregrinationis illius centro, merum nectar & ambrosia est, ὕδωρ ὑγιὲς inest. Quanquam autem ad liquidum jam perductis omnibus, & nænia illa in aprico posita tædium nugarum istarum pridem mihi obortum est; cog·r tamen denuo in arenam d·fcendere, & nova Redingii molimina contundere, sed paucis. N·am etsi ille verba multa fun.dit, tamen corniculas citiùs in Africa, quàm res rationésque solidas, aut operosa confutatione dignas in ejus battologiis invenias, ut vetus ille versus hic valeat: λόγυς μὲν ἑρμαθὸν ἐμπερεύσται. Operæ pretium tamen duco ante omnia repetere narrationem totius illius fabulæ, quam ex Christophoro Hartmanno, Annalium Einsidlensium scriptore, his verbis Disputationi suæ Redingius præmisit. *Meinradus*, sic illa habet, *Comitis Sulgoviæ filius, in Divorum postea numerum adoptatus, eremum* (in Helvetiæ Cantone, Suitia sitam) *inivit, & sacello sibi condito, singularis sanctitatis opinione præclustris, à latronibus in eodem sacello cæsus, A. 863. objit. Ejus sacellum post 42. annos instauravit Benno eremita secundus; cui successit tertius Eberhardus ex Comitibus Franconiæ, Hassiæ & Veteraviæ Provincialibus oriundus. Is cùm prædives esset, illustris Monasterii Basilicæque in honorem Deiparæ matris, Divique Mauritii, Thebeæ legionis principis structuram meditatus, authore Hermanno Duce consanguineo, eremum totam sibi pretio vindicavit à Comitibus Rapersuilensibus, & monasterii ac Templi augustissimi, quo inclusum erat à Meinrado conditum, & à Bennone instauratum Deiparæ Virginis sacellum, fundamenta jecit A. 935. Deerat sacelli juxta atque Templi solennis dedicatio. Ad eam peragendam invitatus est Conradus Episcopus Constantiensis. Is comite S. Huldrico Augustano, aliisque præcipuæ nobilitatis per superiorem Germaniam viris, Idibus Sept. A. 948. Eremi appulit, & in novo Monasterio divertit. Nocte concubia, cùm orationis causa, more solito surrexisset, melodiam audivit longè suavissimam. Cùmque attentiùs consideraret, animadvertit, Angelos cantum eundem, & ordinem cerimoniásque in Sacello Deiparæ peragere, quas in Templorum & Sacellorum dedicationibus observant Episcopi. Totum actum Conradus ipse in libro, quem de Secretis Secretorum inscripsit, his verbis depingit:* Descendit Dominus de Cœlis casula violacea, ante altare ad sacrum officium celebrandum, cui quatuor Evangelistæ aderant, infulam capiti ejus imponentes, & more consueto deponentes. Angeli aurea thuribula deferebant, alis suis ut ramis arborum, stabant. Juxta Dominum S. Gregorius flabellum in manu tenens, S. Petrus in manu tenens baculum Pastoralem. S. verò Augustinus & Ambrosius stabant ante Dominum, Maria Virgo ante altare stabat splendida, sicuti fulgur, S. Michael præcentor erat, S. Stephanus legit epistolam, B. Laurentius Evangelium. Sanctus cantabatur sic: Sanctus Deus in aula gloriosæ Virginis, miserere nobis. Benedictus Mariæ filius in æternum regnaturus qui venit. Agnus Dei sic: Agnus Dei miserere vivorum credentium, miserere nobis. Agnus Dei miserere mortuorum in te quiescentium, miserere nobis. Agnus Dei, da pacem vivis & defunctis in te piè regnantibus. Dominus vobiscum. Responderunt Angeli, qui sedet super Cherubim, & intuetur abyssos. *Cæpta luce diei 17. Septembris seu vigiliæ Exaltationis crucis, cùm omnes Conradum præstolarentur, ipse solus in Sacello, ignaris cæteris, attonitus stupere. Redux circa meridiem cùm narraret visa & audita, derisui est habitus, donec cælitus delapsa vox insonaret, & ab universo populo præsente audiretur talis:* CESSA, CESSA, FRATER, DIVINITUS CAPELLA EST CONSECRATA. *Ex eo certa fides, & Conradum vera dixisse, & Sacellum*

Deiparæ cœlitus dicatum & consecratum nemo postea dubitavit. Quæ tum tantorum virorum præsentia & testimonio comperta, & meritò credita, crebriora inde & huc usque creverunt miracula. Hæc de Dedicatione Sacelli Einsidlensis, peregrinationis ad illud illecebra, narratio est: in qua, quamcunque in partem te vertas, occurret tibi

Pergula pictorum, veri nil, omnia falsa:

Id quod tum maximè clarum est, cùm non spectatis illis verborum lenociniis, ad rem ipsam animi mentem convertimus, & attentiùs examinamus argumenta contra peregrinationem illam pridem deprompta, quæque contra Redingius regessit, & regerere non cessat, nec cessabit (quia ita foci ejus requirunt) sine ictu tela, ad quæ nunc denuo repellenda, bono cum Deo, accedimus. Etenim 1. narratio habet, *descendisse Dominum de Cœlis, casula violacea; ante altare, ad officium sacrum celebrandum.* Et tamen Christus ex Cœlo in terram descensurus non est ante restitutionem omnium, teste S. Petro Act. III. 21, quòd oporteat Christum δέξασθαι οὐρανὸν ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως, *capi Cœlo usque ad restitutionem omnium.* Ut telum isthoc retunderet Adversarius, varia apparitionum Christi, Stephano Protomartyri inprimis & S. Paulo factarum, exempla obduxerat: Respondi pluribus, & ad eas augustias Adversarium redegi, ut & olim confiteri necessum habuerit, & denuo habeat, Christum Stephano & S. Paulo apparentem mansisse in Cœlo. Tricatur tamen, illum Stephano apparentem *ejus oculis imprimere potuisse speciem sui repræsentativam.* Unde concludit: *Si corpus Christi in Cœlis etiam persistens per tantam locorum distantiam in terris operari potuit, quid obstat, quò minus Christus, si non secundum quantitativam locationem, saltem secundum virtualem operationis suæ corporalis præsentiam de Cœlis descendens, Sacellum consecraverit?* Sed profectò, Redingi, & vigilans stertis, nec somnia cernere cessas. Qualis enim hæc consecutio est: *Christus potuit in Cœlo manens Stephani oculis imprimere speciem sui repræsentativam: Ergo idem in Cœlo manens corpore suo potuit descendere, stare ad altare, cum casula violacea, comitibus Sanctis & Angelis infulam patisibi imponendam & deponendam, officium sacrum celebrare, sacellum dedicare, Sanctos ante se stantes habere?* Etenim Christus in Cœlo corpore manens, & Stephani oculis speciem sui similem objiciens, non descendit de Cœlo in terram: nullum ibi habitum induit, nihil corpore præsens in terris operatus est. Sed in fabula vestra Christus *de Cœlis descendit casula violacea stetit ante altare ad sacrum officium celebrandum, cui quatuor Evangelistæ aderant, infulam capiti ejus imponentes, & more consueto deponentes.* An qui in Cœlo manens aliquid in terra corporis sui absentis virtute fecit, dici potest de Cœlis descendere, in terra stare, habitum recipere, deponere? Credam equidem, si Sol cùm in Cœlo manens corporalibus radiis suis in terra aliquid operatur (quod de eo rectiùs longè, quàm de homine in Cœlo existente dici potest) de Cœlo simul descendere in terram, & in eo stare dici potest. Par ratio est visionis spiritualis, qua nonnulli S. Paulum vidisse Christum in Cœlo existentem putant. Nàm visio Conradi non spiritualis fertur, qua is Christum in Cœlo existentem viderit; sed sive spiritualis, sive corporalis, talis certè, qua vidit Christum non in Cœlo manentem, sed *descendentem de Cœlis casula violacea, ante altare, ad sacrum officium celebrandum, cui quatuor Evangelistæ aderant, infulam capiti ejus imponentes, & more consueto deponentes.* An virtus corporis Christi in Cœlo existentis porrecta in terras, casula violacea vestitur, eíque infula imponitur ab Evangelistis, hunc in finem è Cœlo in terram adductis? O Herma! & ego, si refutem ampliùs. 2. Christum corpore suo simul localiter & circumscriptivè in Cœlo & terra fuisse, nec certum, nec probabile, sed paradoxum, falsum & contradictorium esse, *Vindic. pag. 331. &c.* contra Majorem, cúmque

secutos

ſecutos Scholaſticos demonſtravi. Eundem Sacellum conſecrantem, vel Sanctis apparentem fuiſſe ſimul in terra circumſcriptivè, ſimul in Cœlo ſecundum virtualem præſentiam, contra Thomam Aquinatem & Redingium, pariter falſum eſſe. *ibid. p. 333. &c.* aſſerui argumentis pluribus. qualia ſunt, quòd id oportuerit in Cœlo eſſe uſque ad reſtitutionem omnium, adeóque perpetuò à terra abeſſe: quod poſt aſcenſionem oportebat οὐρανὸν δέξασθαι *Cælo capi*, hoc eſt, Chriſtum, ſecundum præſentiam externam corporis, quod terra deſerta in Cœlum aſcenderat: quòd Chriſtus ſecundum virtualem præſentiam etiam humanæ naturæ ſuæ terram nunquam reliquerit; ac proin, ſi juxta Adverſarium terram inviſens, & in Cœlo tamen manens juxta virtualem præſentiam, dici adhuc potuit Cœlo receptus, eadem opera propter perpetuam virtutis & meriti ſui præſentiam dici poſſit *terra recipi uſque ad tempus reſtitutionis omnium*; atque ſic poſt aſcenſionem ſuam & Cœlo & terra receptus fuerit: quòd Chriſtum oportuerit *Cælo capi*, id eſt, *Cælo captum contineri* ex uſitato Hebraiſmo, quo ex antecedente colligitur conſequens; quòdque id de virtuali Chriſti in Cœlo præſentia dici nequeat, cùm virtus & meritum Chriſti non ita Cœlo alligetur, ut dici poſſit eo δέξασθαι *capi* vel *captum contineri*; inprimis cùm δέχεσθαι *recipi*, *contineri* propriè non virtus, ſed virtutem ſuſtinens ſubjectum, maximè corpus, dicatur: quòd eadem ratione perpetim in terra locatus nihilominus Cœlo immobiliter contineri, dici poſſit: quòd denique Scriptura duos Majeſtatis Chriſti thronos, alterum pro ſtatu reſtitutionis, alterum pro ſtatu Eccleſiæ militantis (ita enim Redingius diſtribuerat) nuſpiam diſtinguat. Quid verò ad argumenta iſthæc φέρόνικα Redingius? *Primò*, Chriſtum Cœlo receptum dicit, *activè*, non *paſſivè*: non quòd thronum ſuum habeat in modiciſſimo quopiam Cœli angulo, ſed quòd in throno ſuo ſedens in Cœlo & terra activè dominetur. Id verò tum falſum eſt, tum ad rem præſentem nihil facit. *Falſum*, quia aliud eſt *Cælo capi*, contineri, aliud in Cœlo & terra *regnare*. Nam etiamnum Enochus & Elias corpore & anima Cœlo continentur, neque tamen propterea in Cœlo & terra dominantur. Quin & ipſe Sathan unà cum filiis Dei Cœlum aliquando ingreſſus in eo fuit, neque tamen dominatus eſt. *Nil ad rem facit*, quia licet ſic Cœlo contineatur, ut Cœlo & terræ dominetur: tamen, juxta verba Petri, Cœlo certè continetur, & continetur quidem uſque ad tempus reſtitutionis omnium. Perinde igitur eſt, ſive præſentiam corporis Chriſti in Cœlo coarctes ad modiciſſimum Cœli angulum, ſive ad ampliſſimum ejuſdem ſpatium. Oportet enim Cœli Chriſti corpus contineant, vel corpus Chriſti Cœlo contineri, uſque dum reſtituantur omnia, hoc eſt, uſque dum rediturus eſt ad judicium. Quæ verba præſentiæ perpetuæ & non interruptæ neceſſitatem important, innuúntque, Chriſtum non ſemper Cœlo contentum iri, ut nunc eſt, ſed aliquando inde egreſſurum, & venturum eſſe ad reſtituenda omnia, judicandóſque vivos & mortuos. Cùm enim Scriptura doceat, Chriſtum ad momentum tantùm judicii cauſa Cœlos relicturum, ſtatimque illuc rediturum eſſe, Apoſtolus non innueret, Chriſtum tum temporis corpore ſuo Cœlo contentum non iri, niſi per illud, *Cælo contineri*, intelligeret, Cœlum ne ad momentum quidem corpore ſuo relinquere. Ergo ne tantillum quidem corpore ſuo à Cœlo aberit uſque ad tempus reſtitutionis omnium. *Dein* præſentiam Chriſti virtualem in Cœlo, dum corpore ſuo in terra circumſcriptivè in terra fuit, non ſpiritualem, ſed *corporalem* fuiſſe, Redingius nugatur. Quomodo verò corporalis fuit? An ſic, ut corpore ſuo etiam in Cœlo fuerit? an potiùs, ut corporis in terra exiſtentis effectus aliquis in Cœlum pertigerit? Si prius, Redingius ſecum ipſe pugnat, quia corpore localiter fuiſſe in terra, imò *deſcendiſſe ex Cælis cum caſula violacea* ſtatuit. Si poſterius, pugnat cum S. Petro, qui eum Cœlo contineri dicit, quem demum

ſub tempus reſtitutionis omnium, non ante, à Cœlo deſcenſurum innuit. Atqui ad reſtituenda omnia non effectu quodam corporis in Cœlo manentis, ſed corpore ipſo è Cœlo progrediente veniet. Ergo corpore, non effectu, non virtute quadam corporis Cœlo continetur. Præterquam quòd Cœlo, ut loco, continetur corpus, non virtus vel effectus quidam corporis. *Præterea* diſtinguit Redingius inter præſentiam corporis *permanentem* & *tranſeuntem*; nec non *ordinariam* & *extraordinariam*. ſed non irrito conatu minus, quia non aliam corpus Chriſti poſt aſcenſionem in Cœlum ad reſtitutionem uſque omnium præſentiam habere, quàm permanentem & ordinariam in Cœlo, verbis Petri aſtruximus. Fruſtra ergo tranſeuntem & extraordinariam ille in terra corporis Chriſti in eo intervallo ponit, non ut veritati, ſed ut ſuæ hypotheſi velificetur. *Denique* thronum Majeſtatis duplicem, alterum pro ſtatu Eccleſiæ militantis, alterum pro ſtatu reſtitutionis, ſic ut ille conjunctus eſſe potuerit cum abſentia ſubſtantiæ corporis, hic non item, perperam inde probas, quòd tempore ipſo reſtitutionis omnium corpore ſuo non in Cœlo, ſed in nubibus futurus, & deinceps alium ſtatum habiturus ſit, quem hactenus in Eccleſiæ militantis ſtatu habuit. Etenim à ſtatu illo, quem Chriſtus etiam corpore ſuo in Cœlo ad dextram Dei ſedens habet, & habiturus in æternum eſt, Scriptura non alium ſtatum excipit, quàm eum, quem Cœlo deſerto ad breviſſimum tempus habiturus eſt in nubibus, reſtituturus omnia, atque inde in Cœlo in æternum regnaturus. Exceptio autem firmat ſtatum, ſicut regulam, in caſibus non exceptis. 3. Si Chriſtus virtuali ſua præſentia Sacellum tuum conſecravit, & actio ejus non à ſolo ſpiritu, ſed à corpore ejus etiam proceſſit, fatebor, memoriam conſecrationis in eo ſic conſecrato, ſi quidem ſuperſtes eſt, recoli congruente ratione poſſe. Sed ideo vel virtualiter Chriſtum in ſacello tuo habitare, ſicut olim in templo typicè, & etiamnum in Cœlo realiter habitat; vel ad Sacellum, ceu virtuale & permanens habitaculum Chriſti, ſine ullo mandato vel promiſſione concurri poſſe, religionis, meriti, remiſſionis peccatorum gratia, non ideo fatebor. Nec miracula ſive vera, ſive ficta, utpote ad falſum cultum aurigantia, confeſſionem extorquebunt. Tuæ inſuper ad *ἰνςάσεις* meas reſponſiones principium petunt, ſæpe debellatum. Nam vel in nomine Papæ, vicarii Chriſti conveniri oportere: vel Papam, Sanctos etiam propter inhabitationem Spiritus S. vel præſentiam virtualem qualemcunque religiosè colendos eſſe, *μέγα λίαν αἴτημά ἐςι*. 4. Quomodo Chriſti humanitas in Cœlo exiſtens phyſicè concurrat ad patranda miracula, quæ in terris fiunt, docere nos debueras. Nulla enim creatura, qua talis, phyſicè ad miracula, omnipotentiæ Divinæ opera, concurrere potis eſt. Chriſtus homo in Cœlo exiſtens miracula in terris efficit; non humanitas ejus phyſicè concurrendo, & in diſtans agendo. Quomodo verò eadem in terris exiſtens corporaliter in Cœlo operetur, magis etiam docere debueras. An in Cœlo loquitur, movetur, ſentit, vel quid tandem ibi corporaliter agit, dum in terra degit? Sed de hoc quidquid fiat, ſaltem in terra degens Cœlo non continetur. quod princeps *ζητούμενον* erat, cui probando æquè nunc miſerè ſuccumbis, ac pridem jam ſuccubuiſti.

ARG. II. Scriptura damnat omnem ſuperſtitionem. At dedicationes Pontificiæ & ritus, quos Chriſtum & Sanctos Sacellum hoc dedicantes imitatos eſſe contendunt, meræ ſuperſtitioni deputari debent, cùm nec in Scriptura, nec in pia antiquitate ullum fundamentum habeant, uti *Vindic. pag.* 346. 347. *&c.* fusè oſtendi, & Adverſarius non obſcurè agnoſcit, utpote

qui

qui iis, quæ ex Dei verbo & antiquitate ibidem disserui, nihil reponere habuit. Objecerat, Christum ritibus Pontificiarum dedicationum se subjecisse, *ut talem authoritativam ceremoniarum à sponsa sua ecclesia institutarum approbationem faceret.* Σοφὸν hocce φάρμακον *pag.* 349. 350. solidè discussi. Quid verò hic regerit Adversarius? *Supponit*, inquit, *quasi Christus triumphator utendo ceremoniis eccl. siæ, dicatur se subjecisse ecclesiæ legibus, cùm tamen ad illas se authoritativè habuerit.* At nec ecclesiæ legibus, iisque superstitiosis se subjecisse, nec ad eas *authoritativè*, uti Redingius ex cerebro suo nugatur, se habuisse, certis argumentis probatum dedi. Vel igitur apertæ veritati lauream concedere, vel ad argumenta mea respondere, non crambem recoquere debuit.

Resp. Reding: 1. *Si doctrinas hominum Scriptura damnat, actum erit de Ecclesiæ & Reip. Tigurinæ constitutionibus humanis. Scriptura autem Col. II. 23. damnat superstitiosas observantias.* 2 *Ecclesia Divinitus accepit potestatem determinandi preces & cerimonias accidentarias. Ita variæ ceremoniæ in Baptismi administratione à veteribus institutæ sunt.* 3. *In V.T. Num VII. refertur celeberrima tabernaculi & altaris dedicatio. Et similis etiam Templi dedicatio* 2. *Paralip. II. Esdræ I. &* 1. *Machab. IV. legitur. Ipse quoque Christus interfuit encæniis, quibus memoria dedicationis Templi continebatur. Quod in his erat ceremoniale, abrogatum est: quod morale mansit. Nam dedicationes Templorum in Ecclesia Christiana frequentatas esse. ex Eusebio, Athanasio, Basilio, Gregorio Nazianzeno, Ambrosio, Augustino, Gelasio, aliis colligitur* 4 *Ceremonias porro certas in dedicationibus consuetas esse, ex statu Naturæ Legis & Evangelii demonstrari potest.* 5 *Argumenta inprimis, quibus probare conaris, Christum ne quidem authoritativè se habuisse ad leges Ecclesiasticas dedicationum, eas usurpando, nihili sunt. Ais, Christum ab Ecclesia militante absentem, ejus munia non implere. Atqui promisit ille, se nobiscum futurum usque ad finem mundi. Ais, Christi subjectionem ad implendam omnem justitiam legis pertinuisse ad statum servitutis ejus & exinanitionis. Atqui non servitute, sed authoritate usus est ceremoniis, quas exemplo & usu suo probarit. Cùm enim adhuc viator non tam ex necessitate, quàm authoritate se subjecerit ceremoniis Mosaicis: annon triumphator jam, seclusa omni subjectione, & servitutis conditione, utendo Ecclesiæ ritibus, authoritativè eosdem probare potuit?* Ibid. pag. 239--243. Resp. Nihil fere horum est, quod non pridem in Vindiciis accuratè diluerim. Et tamen secunda jam vice pleraque omnia consultò præteris, imbellis disputator. Paucis. 1. Doctrinas religiosas, in partem cultus actas, vel ritus mysticos, significativos nullos Ecclesia Tigurina, nisi ex Dei verbo, patitur. Vos innumeros ex cerebro vestro cudistis, ad quos dedicationum vestrarum ceremoniæ pertinent. 2. Potestatem determinandi precum formulas, ad quas etiam preces, quibus loca certa ad cultum deputantur, consecratoriæ pertinent, nec non ritus accidentarios frustra urges. Determinatio enim illa, generali mandato nixa, non ex motu proprio, nedum plenitudine quadam potestatis facta, sed ex necessitate exprimendorum precationis internæ conceptuum, statuendíque ordinis procedens, cultum Divinitus præscriptum non mutat, sive addendo sive detrahendo, sed ordine circumstantiis necessariis in actum deducit. Differentiam vestras inter & nostras ceremonias non semel, & ad nauseam, inculcavimus. 3. Consecratio tabernaculi Mosaici tum à Deo ipso speciali mandato præscripta est: tum ad ceremonias legales pertinuit, quarum usus in Ecclesia Christia-

Christiana nullus esse debet, neque alia illis similis in earum locum, sine manifesto cum Judaismo jam abolito syncretismo, & spiritualis cultus Evangelici in carnalem & crassum Judaicum commutatione, substitui debet. Templi vero Salomonis nulla omnino hujusmodi facta est consecratio, sed simplex tantùm per preces à Rege conceptas fusásque dedicatio, ad usum sacrum destinatio, ac ipsum cultum Leviticum à Deo præscriptum, ibíque peractum, inauguratio. quomodo non negamus fieri posse & debere ædium sacrarum primam dedicationem, absque ullis superstitiosis & humanitus excogitatis ritibus mysticis & significativis. Eadem fuit repurgationis & dedicationis Hierosolymitani Templi à Juda Macchabæo factæ ratio. Cui etsi aliquid amplius ex ritibus & ceremoniis legalibus accessisset, nihil id faceret ad vindicandam superstitiosam Templorum, quæ in Ecclesia Romana fit, consecrationem, quandoquidem similes ritus & ceremoniæ crassæ ac corporeæ minùs jam simplicem spiritualis in Ecclesia Christiana cultus puritatem decent. Christum ais Encœniis etiam interfuisse. Atqui idem circumcisus etiam est. Præterea Encœnia Judaica, quibus agitata est memoria non tam dedicati Templi, quàm repurgati & restituti cultus, dejectíque inde præsidii Antiochi; cujúsque adeò potissimùm pars fuit, gratiarum actio pro accepto Divinæ liberationis beneficio; nihil commune habent cum vestris, quorum utramque paginam faciunt rerum venalium in ipsis etiam Templis & cœmiteriis nundinatio, comessationum, omnísque impietatis exercitatio, quæ aliáque ejusmodi pridem Encœnia vestra in Bacchi & Veneris festa commutarunt. De morali dedicationis, quod in deputatione loci ad cultum sacrum consistit, nulla quæstio est: de ceremoniis tota est, & quidem vestris, quas Christum in sacello obiisse, Conradus, si credere fas est, somniavit. In dedicatione nempe vestra, Bellarmino narrante, *pinguntur cruces duodecim, appositis lampadibus totidem accensis: oleum infunditur: aspergitur aqua: thus adoletur: cerei accenduntur: alphabethum Græcè & Latinè describitur in pavimento cinere consperso: fit mixtio cineris, aquæ, salis & vini: pulsatur ostium, & jubetur Diabolus recedere: reliquiæ Sanctorum introducuntur: litaniæ, supplicationes ab omni clero, succinente populo, recitatæ memorantur* &c. Atque his ceremoniis effectus spirituales, mystici tribuuntur; quin & totum vitæ Christianæ progressum ex ceremoniis illis Bellarminus deducit. Si hæc non est magia aut incantatio, immeritò certè magiæ insimulantur, qui multò minùs talibus, omni verbo & promissione Dei destitutis, indulgent. Et tamen ceremonias tales in Ecclesia Christiana frequentatas esse probare contendis magnis authoribus, Eusebio, Athanasio, Basilio, Gregorio Nazianzeno, aliis, quos legi iterum, relegique. De dedicatione illi loquuntur, de ceremoniis, Pontificiis imprimis, nec gry nec my habent. Idque tibi in Vindiciis jam pridem exprobraverim licet, denuo tamen stulta audacia eorundem Patrum testimonia, de ceremoniis vestris altùm silentia reponis. Φεῦ τῆς ἀναιδείας tuæ! Non Christum, non Apostolos, non S. Patres, sed gentiles vestris dedicationibus prælusisse, *Vindic. p.* 348. Baronii etiam & tuo suffragio fretus ostendi. Illi spatium templo destinatum coronis & vittis cingere solebant: populus ramos adserebat: Vestales ambitum aqua lustrali aspergebant: dedicator postem Templi manu sua tenebat, certáque vocabula solennia à Pontifice dictata proferebat: aer certis quibusdam sacrificiis lustrabatur: animalium intestina in terram projiciebantur: primus angularis lapis ac funes eum circumdantes à consecrante totóque populo tangebantur: in fundamentis aurum, argentum similiáque ponebantur: Dei, cui Templum consecrabatur, imago solenniter adferebatur, sæpius ab alio quoque loco translata, ut Junonis, Veiis; tandemque una cum altari uncta in Templum collocabatur, quas similésque ceremonias Guilhelmus Stukius

nostras

nostras Polyhistor *lib. de Sacrif. Gentil. p. 61. 62.* ex Livii, Ciceronis, Taciti, aliorúmque scriptis collegit. His choragis vestris, non Christo, Apostolis, Patribus gaudete. Non libenter enim gentilibus ceditis in similibus. Superstitiosarum etiam dedicationum originem seram & progressum Celeb. Hospinianus *de Templis p. 447. &c.* verissimè prosequitur. 4. Non quicquid ante legem, & sub lege obtinuit, liberè & specialiter à Deo institutum, sub Evangelio, quo pædagogia vetus omnis antiquata est, obtineat necesse est. Ridiculum enim est, quod Bellarminus affert ex 1. Cor. XI. 22. *Ubi*, inquit, *Corinthii ceu Ecclesiæ contemptores reprehenduntur. Nam jam tum sacrata fuerint oportet.* Ridiculè, inquam, quia *Ecclesia* ibi non ædificium manufactum, sed cœtum & congregationem fidelium notat. Neque etiam contemptus Templi consecrationem mysticam supponit. Sufficit deputatio simplex, nullis ceremoniis, nedum mysticis, significativis, comitata præcesserit. 5. Christus adest nobis usque ad consummationem Seculi, non corporali præsentia, qua cum in Sacello vestro ceremonias vestras obiuisse fingis, sed spiritu, gratia, merito. Neque authoritatem usu & exemplo suo conciliavit mandatis hominum, utpote quæ à cultu suo penitus removit. Vel igitur legibus vestris, quas Pontificum vestrorum degenerum spiritus dictavit, se subjecit, qui in statu innocentiæ non aliis, quàm Divinis se subjecit, quod statum ejus immutasset penitus: vel, quod verissimum, iis nunquam usus est. Si usum esse, & usu hoc iisdem authoritatem conciliasse Ecclesia vestra credit, mirarer equidem, heroas illos vestros, qui ritus Ecclesiæ vestræ acerrimè defenderunt hactenus, in asserendis Templorum dedicationibus, præteriisse argumentum isthoc, quo Christum ipsum ceremonias dedicationis Papales in Sacello tuo obeundo, iisdem authoritatem Divinam contulisse pertendis. Huic enim argumento, si constaret visioni Conradi veritas, plus certè, quàm innumerorum Pontificum vestrorum recentiorum institutis, deferremus ultrò. Sed similes habent labra lactucas.

ARG. III. Christus in consecratione Sacelli dicitur solenne altaris officium, seu Missæ Sacrificium celebrâsse, adeóque se ipsum in statu gloriæ sub speciebus panis & vini Deo Patri denuo sacrificâsse & obtulisse. At nec missa, uti superiùs apodicticè probatum, vel Scripturæ vel antiquitatis testimonium habet ullum, & prorsus ἀσύστατον est, quòd Christus & quidem in statu gloriæ se ipsum obtulisse dicitur. Operæ pretium fuisset, quæ ex Scriptura & recta ratione monstroso huic dogmati ibidem opposui, ordine lectori proponere, & ea non Sophisticè duntaxat explodere, sed rationes cum rationibus, & causam cum causa, uti probum Theologum decebat, contendere. Nunc satis habuit potissima, in quibus cardo rei vertitur, transmittere, dum minutula quædam perstringeret. Quæsiveram inter alia, *quomodo Christus seipsum extra se vel producere, vel unire accidentibus panis & vini potuerit, cum is, qui aliquid extra se producit vel unit, ab eo quod producit, separatus adeóque realiter distinctus esse debeat.* Occurrit ille: *Quomodo igitur Christus, quâ Deus, se ipsum hypostaticè unire humanitati potuit? pag 872,* In promptu ratio est, quia λόγος ante incarnationem seorsim existebat, & post incarnationem unitus carni, ab eadem tamen realiter distinctus mansit. At Christus idem à

ſe ipſo nec ſeparatur unquam, nec diſtinguitur. Dixeram, manducationem veram & propriè dictam locum non habere ſine nutritione, tanquam ejus fine & effectu. *Quomodo igitur*, regerit, *Chriſtus jam impaſſibilis, nec adeò nutritionis capax dicitur Luc. XXIV. manducâſſe?* Locutus ego ſum de vera, propriè dicta, Sacramentali manducatione. Ille de impropria & οἰκονομικῇ excipit. Aberrat igitur à lineis. Tranſſubſtantiationis dogma impugnavi, refutatis omnibus modis, quibus panem in corpus mutari aſſerunt Scholaſtici. Ille reponit, *fallacia me accidentis uti, argumentando à modo ad ſubſtantiam.* At cùm omnes modi mutationis illius à Scholaſticis circa eos mirè diſſentientibus, effícti, ſint abſurdi, contradictioni obnoxii, & ſanæ rationi quàm maximè repugnantes; ipſi porro Scholaſtici omnes cognitionem hujus modi tanquam neceſſariam inquirant, quid de ipſa re ſentiendum ſit, facilè apparet. Si tranſſubſtantiationem inter myſteria numeratis, oſtendere ex Scriptura myſterium, & modum ejus ſeu τὸ πῶς Deo relinquere, non vexatiſſimis diſputationibus inveſtigare vobis conveniebat. Dixeram, id quod verè manducatur, & quidem per modum ſacrificii, deſtrui oportere. Excipis, *me cum Capernaitis non aliam manducationem agnoſcere, quàm immediatam, quâ Chriſti corpus laceratur dentibus. Agnoſcendam eſſe mediatam, Sacramentalem, & realem ſub ſpeciebus Euchariſticis Corporis Chriſti manducationem.* Sed mediata talis manducatio non ſupponi, ſed probari debuit. Non minùs in rei veritate Capernaitica eſt quàm prior & craſſa illa. Nec Chriſtus corrigens Capernaiticam opinionem, mediatam ejuſmodi manducationem inſinuavit, ſed toto VI. Capite Johannis non aliam corporis Chriſti manducationem commendat, quàm eam, qua Chriſtus tanquam ſpiritualis cibus fide recipitur, & in ſpiritualem ſuccum ſanguinémque convertitur. Alias ejuſmodi Redingii tricas Scholaſticas nudè aſſertas, & diſtinctione aliqua generali veſtitas ac in ſcenam productas, ut miſſas faciam, hoc unum addere libet. Dixeram *Vindic. pag.* 373. Chriſtum ſe ipſum manducantem utique dici debere factum ſui ipſius *ſecundum identitatem* participem; adeóque nugatoriam eſſe ejus diſtinctionem participationis ſecundum identitatem & accidentarium motum. Non nudè hoc dixi, ſed probavi. Ille neglecta probatione mea exclamat: *O ſtupidum Philoſophum, non volentem diſtinguere identitatem ab accidentaria motus ſeu manducationis participatione*, p. 873. Cur verò *ſtupidum Philoſophum* illuminatiſſimus alter Subtilitatum Apex meliora non docuit? Imo cur *ſtupidi* iſtius *Philoſophi* rationibus non reſpondit? Jam olim Paccuvius ævi ſui philoſophos moroſo dicterio ita traduxit: *Odi homines iſtos, ignavâ operâ, philoſophâ ſententiâ.* Quid diceret, ſi hodie cerneret homines in myſteriis fidei philoſophicis terminorum præſtigiis tam nefariè ludentes,

tes, & in argutiis ſuis captos ac deprehenſos reſtitantes, non rerum notionibus, ſed terminorum inanium monſtris belligerantes, & ad extremum nil niſi convitia evomentes? Sed quid ego moror hanc diſtinctionum ſpeluncam? Probet, potuiſſe Chriſtum eodem tempore ſimul in Cœlo exiſtere, eóque contineri, ſimul in Sacello ſeipſum, hoc eſt, ſuam ipſius eandem numero ſubſtantiam univerſam comedere, participem eſſe ſui corporis ſecum ipſo convenientis. Neque tantùm potuiſſe, ſed etiam voluiſſe. Hic enim rhodus, hic ſaltus!

RESP. REDING: 1. *Objeciſti antehac, Chriſtum, ſi corporaliter in Sacello Miſſam celebravit, triplicem igitur eſſendi ſeu exiſtendi modum habuiſſe; unum virtualem in Cælo; alterum viſibilem in ſacello; tertium inviſibilem ſub hoſtia. Verùm cùm Chriſtus in Cælum aſcenſurus promiſerit, ſe uſque ad conſummationem ſeculi cum Eccleſia futurum, præter circumſcriptivam ergo, quam in Cælo obtinet, præſentiam, alteram virtualem habes in terris. Cúmque in Euchariſtia verba ejus.* Hoc eſt corpus meum, *corporalem ſub ſpecie panis præſentiam exigant, tertium habes in Chriſto exiſtendi modum; adeóque virtualem, circumſcriptivum & ſacramentalem. 2. Neque idem per idem probo, cùm myſterium hoc Chriſti in Sacello ſe ipſum producentis demonſtro non tantùm ex prima Cœna, in qua panis in corpus ſuum converſionem effecit, ſed ex quotidiana Miſſa, in qua Chriſtus, utpote principaliter offerens, ſeipſum producit, & humanitas phyſicè ad converſionem concurrit. Chriſtus enim revera in prima Cœna realem corporis præſentiam effecit; & dicens:* Facite hoc ad mei recordationem; *eandem facere Sacerdotes juſſit, ita tamen ut Chriſtus ceu principalis cauſa in poteſtatis hujus exercitio concurrat. Inde ergo, ceu ex fidei principio inconcuſſo probatur, nullam eſſe difficultatem, quam moves ex Chriſto, qua panis & vini in corpus & ſanguinem ſuum per animam vivificata, & per Divinam verbi hypoſtaſin ſuppoſitata, Tranſſubſtantivam converſionem operante. 3. Duo illi modi, quibus effici poſſit, ut corpus Chriſti ſub accidentibus panis & vini exiſtat, quorum alter juxta Suarezium in iterata productione ſui ipſius: alter juxta Cardinalem de Lugo in actione ſpecierum Euchariſticarum cum corpore & ſanguine Chriſti in genere cauſæ efficientis unitiva conſiſtit, probabiles utrique ſunt; neque diſſenſus circa utrunque noſtrorum rei ipſius ſubſtantiæ per fidem definitæ derogat. 4. Nihil obſtat, quò minùs Chriſtus ſeipſum extra ſe vel produxerit, vel accidentibus panis & vini univerit, eò quòd is, qui aliquid extra ſe producit vel unit, ab eo, quod producit, ſeparatus & realiter diſtinctus eſſe debeat. Annon enim Chriſtus ſua paſſione & morte ſibi promeruit glorioſam reſurrectionem, cujus vi Chriſtus qua homo mortuus ad vitam reſuſcitatus, adeóque reproductus fuit? Annon Chriſtus Deus ſeipſum hypoſtaticè uniendo humanitati, iſtius unionis cauſa efficiens fuit? Neque ſemper principium ab eo, quod producit, ſeparatum eſſe debet. Nam & Deus Pater producit filium, à ſe realiter non diſtinctum. Potuit etiam Chriſtus in Cælis præexiſtens, in genere cauſæ efficientis corpus ſuum unire ſpeciebus Euchariſticis eadem ratione, qua λογ@ præexiſtens ſe carni univit. 5. Manducatio à Chriſto jam impaſſibili æquè vera & propria fuit, ac Euchariſtici corporis manducatio eſt. 6. Etiam prædeſtinationis & Trinitatis myſterium imperſcrutabile eſt. Et tamen ejus modum, hujus inprimis quoad hypoſtaſin, & proceſſionum modos diſcretivos inveſtigare conati ſunt. Impoſturæ porro apertæ reus es, cùm modos tranſſubſtantiationis per probabilem rationem aſſertos, vocas effictos, abſurdos, contradictorios; cùm omnes circa illos difficultates motas per rationis contrariæ probabilitatem abſtergere li-*

ceat. 7. *Manducatio corporis Christi in Eucharistia eo ipso mediata est, quòd Christi corpus comeditur non in se, sed sub speciebus Eucharisticis; sub quibus edixit, esse corpus suum. Neque cùm manducatur, simpliciter esse desinit, sed ejus substantia, essentia, ac existentia prorsus incorrupta subsistit, quando speciebus Eucharisticis resolutis, præcisum esse sacramentale amittit. Cúmque corporis Christi in Eucharistia manducatio immediatè istam substantiam non tangat, sed species duntaxat sacramentales, facilè concipi potest, qua ratione corpus Christi, incorruptibile licet, manducari sine ulla substantiæ hujus corruptione, valeat.* Ibid. pag. 243--250. Resp. Paucis φλυκείας tuas retundere licet. 1. Christus in Cœlum ascendens nobiscum in terra ad consummationem usque seculi manet præsentia virtuali, spirituali, non corporali, qualem supra nobis obtrudere moliebare. In Eucharistia quoque præsens est præsentia non corporali, sed spirituali itidem, & Sacramentali insuper. Nil ergo veritati cum triplici tua corporali, quam Christo diversis in locis tribuis, præsentia rei est. 2. Demonstrationes illæ tuæ, quas jactas, veritatis detractiones sunt. Christum enim nec in prima Cœna, nec in Missa quotidiana panem in corpus suum convertisse, vel convertere, nos potiùs ex verbo Dei in loco demonstravimus. Sic ergo non idem per idem, saltem falsum per æquè falsum demonstrare contendis. Et falsa principia tibi inconcussa principia sunt. 3 Nec modus Suarezii alteri de Lugo, nec modus hujus Suarezio probabilis visus est sed apertè falsus. quod argumenta, *Vindic. p.* 363-368. à me exposita, quibus se invicem Cadmæi illi fratres confoderunt, evincunt. Cur ergo nobis alteruter modus probabilis, & non uterque æquè falsus videretur, inprimis cum rem ipsam falsissimam esse, ob rationes alibi allatas & adversus te vindicatas, dubitare nefas sit? 4. Quò minùs Christus seipsum in Sacello vestro extra se produxerit, vel accidentibus panis & vini univerit, multa graviáque argumenta obstare, ostendi. Cum illis ne quidem congredi ausus es. Hoc unum carpis, quòd dixi, *eum qui aliquid extra se vel producit, vel unit, ab eo, quod vel producit, vel unit, separatum, vel realiter distinctum esse oportere.* Novam igitur ἔνστασιν promis; postquam priorem ab eo motam de Christo hypostaticè se humanitati uniente in ordinem redegi. *Annon*, inquis, *Christus sua passione & morte sibi promeruit gloriosam resurrectionem cujus vi Christus quâ homo mortuus, ad vitam resuscitatus & reproductus fuit?* Quid verò isthoc delirii? An *resurrectionis vi* Christus, qua homo, resuscitatus? Spiritu, id est, Divinitate eum vivificatum S. Petrus 1. Ep. III. 18. dixit. Annon Divinitas Christi vivificans à carne vivificata realiter distincta fuit? Neque ratiocinaris, sed detorques, exemplo Patris filium à se realiter non distinctum generantis inferens, *non semper principium, ab eo, quod producit, separatum esse debere.* Quis enim ita infans est, ut hoc in dubium revocet? Causa enim emanativa ab eo, quod causat, realiter distincta, vel separata non est. Quanquam ne sic quidem aliquid se ipsum producit, uti Deus Pater non Patrem, sed Filium produxit. Sed misso hoc, ego disertè locutus sum de eo, *qui aliquid extra se producit, vel unit.* Quomodo Christus in Sacello corporaliter existens seipsum extra se sub speciebus panis & vini produxisse, vel univisse supponitur. Atqui Deus Pater Filium non extra se, sed intra se, in unitate essentiæ produxit. Nec etiam, si Christus præexistens, in genere causæ efficientis, corpus suum speciebus Eucharisticis univit, ipse corporaliter visibilitérque in Sacello existere, & extra se sic existentem & efficientem sub speciebus eucharisticis quoad substantiam corporis sui, sive productus, sive unitus, invisibiliter existere potuit. Hæc prodigiosa deliramenta illorum sunt, qui à revelatione & ratione omni destituti, in tenebris suis ambulant. 5. Fateor & manducationem Christi post resurrectionem, & eam, qua in Cœna manducatur corpus Christi, æquè vel pro-

priam

priam vel impropriam esse. Atqui hæc impropria est, quia ore corporis non corpus Christi, sed signum corporis Christi manducatur. Ergo & illa impropria fuerit. Et de hoc quicquid sit, finis Eucharisticæ manducationis nutritio est. Nihil autem se ipso nutritur, quia id quod nutrit, in corpus aliud agit; & corpus illud aliud nutrimentum seu cibum non à se, sed aliunde venientem recipit. Idem autem in causis activis extra se agentibus esse agens & recipiens, contradictorium est. Præterea quod manducatur, post manducationem destruitur & dissoluitur; inprimis si sacrificium & hostia fieri debeat. At corpus Christi destrui & dissolvi nec in prima cœna, nec in sequentibus potuit. Esto enim, quod identidem ingeminas, dissolvantur species Sacramentales, & temperamentum qualitatum; corpus tamen manebit salvum, incorruptum, impossibilile, nec mutabit nisi situm, ut sub speciebus esse desinat, quod ante sub iis fuit. Cujusmodi verò hoc quæso nutritionis, cujusmodi sacrificii genus est? Æterna fame iis, qui sic nutriri volunt, pereundum est. 6. Qui vel prædestinationis, vel S. Trinitatis modum non revelatum indagat, næ is temerarius est, & ὑπὲρ ὃ γέγραπται, φρονεῖ, *supra id, quod scriptum est, sapit*, quisquis etiam fuerit. Procul verò hoc crimine S. Patres fuerunt. Nam & hypostases, & characteres notionésque personarum ex Dei verbo, in quo revelatæ extant, non ingenio proprio illi eruerunt. Modos verò transsubstantiationis, rei confictæ & absurdissimæ omnium, itidem confictos; absurdos & contradictorios esse, non nudè asserui, sed probavi; & probavi telis ex vestra pharetra depromptis. Ex contrariis certè contrariarum sententiarum rationibus vel utraque falsæ; vel alterutræ falsæ necessariò esse debent. 7. Denique manducationem corporis Christi propriam mediatam, qualem explicas, nullam esse, jam modò probavi, neque opus est ματαιολογίαις tuis inhæream ampliùs.

ARG. IV. Ipsa historia apparitionis & dedicationis Sacelli à me in dubium revocata est pluribus argumentis. *Primò*, quia ejusmodi dedicationes quasi ex Cœlo factæ, plures circa illa ipsa tempora effictæ sunt. *Secundò*, quia miraculosæ illius dedicationis nemo Seculi illius, quo contigisse dicitur, scriptor meminit etiam iis locis, quibus omitti non potuisset. Unde Adversarii non alios facti hujus testes, quàm Hermannum Contractum, & Martinum Pœnitentiarum, quorum ille integro post dedicationem Seculo, hic verò plus quàm tribus vixit, allegare possunt. Et tamen Contracti testimonium planè adulterinum est. *Tertiò*, quia Otto I. Imperator in diplomate Anno 965. adeóque decimo septimo post dedicationem scripto, quo Monasterio Eremitano *immunitatem & authoritatis suæ privilegium* impartivit, miraculi hujus recenti omnium memoriæ, si verum fuit, insculpti, non meminit, cujus tamen ad confirmandam æquitatem immunitatis donatæ mentionem fieri plurimùm referebat. *Quartò*, quia ipsa traditionis de dedicatione hac varietas falsitatis conjecturam suppeditabat, uti fusè Synodalis dissertatio ostendit. Alia etiam νοθείας argumenta in Vindiciis addidi, ubi etiam Adversarii exceptiones elisi. Ille tamen à me in Vindiciis dicta in lepido illo *Corollario finali* num. 16--28. non tam solvere, ut ingenuo disputatori conveniebat, quam exsibilare annititur, neque alia ferè profert, quàm quæ in

 ipsis

ipsis jam Vindiciis discussa sunt, uti candidus lector Vindiciarum mearum & Corollarii illius ultro animadvertere potest. De Hermanni Contracti testimonio solidè à me ventilato, & νόθείας convicto, concisè respondet num. 17. *non concedi Tigurino illi doctori, sua Bibliotheca exemplaria esse puriora illo, ex quo Hermañus testimonium illud deprompsit.* Sed bone Vir! Quatuor ego Codices indicavi, qui de dedicatione Sacelli neque gry neque my habent, non à me utique fictos, sed ex antiquissimis exemplaribus, nominatim etiam Cœnobii Sanctogallensis, & Bibliothecæ S. Georgii Herciniæ Sylvæ erutos. Tu verò unum fide dignum Codicem in lucem prolatum, in quo verba illa extent, ostende. An quatuor Codicibus ex antiquissimis exemplaribus descriptis publicatisque nulla fides constabit: at constabit vobis nullum fide dignum Codicem proferentibus? Quæ causa fuisset vel Sanctogallensi Cœnobio, vel S. Georgii Herciniæ Sylvæ Bibliothecariis, longè ante reformationis tempora, tale quid expungendi? Quòd Otto Imperator in Diplomate dedicationis hujus non meminerit, rationem hanc reddit Adversarius num. 20. *quia hic Imperator rem non sui, sed Pontificii fori esse agnoverit, ac proinde nihil decernere in suo Diplomate voluerit.* At nuper aliam silentii hujus causam reddiderat, quam *Vindic. p.* 285. expendi. Nunc eo præsidio depulsus aliud κρησφύγετον comminiscitur, æquè infirmum, atque prius illud. Etenim constat Diploma Ottonis confirmatoriam Bullam Leonis duorum duntaxat mensium intervallo secutam esse. Non erat autem, cur quidquam Imperator post bullam illam decerneret. At quæ pietas fuisset, non memorare saltem, prædicare, commendare tantum miraculum, occasione non invitante duntaxat, sed flagitante? Tandem nec insignem pervicaciam in convitio mihi faciendo Adversarii omittere possum. Criminatus fuerat, me dicentem, adulteros & fornicatores illos, quibus ex una peregrinatione Eremitana septem spurii provenerant, perinde fecisse, *ac si non tam Divam Virginem, quàm Milyttam Venerem imploratum ivissent*, B. Virginem Milyttam Babyloniorum Venerem blasphemè nuncupâsse. Horribilem calumniam apertissimè dilui *Vindic. p.* 270. 271. *&c.* Speravi bonis quibusque me satisfecisse, & ipsi Adversario eum candorem superesse, ut injuriam mihi factam agnosceret. Quid verò ille? Ad justissimam defensionem meam respondere equidem non sustinuit, & tamen me blasphemâsse B. Virginem pertinaciter affirmat. Hìc certè frontem & æquitatem Adversarii desiderare magnopere cogor, eúmque manifestæ & gravis quidem calumniæ reum pronuntio, donec vel respondeat defensioni meæ, vel intentato crimine me solenniter exsolvat.

RESP. REDING: 1. *Extraordinarias illas cælitus factas, Templorum seu sacellorum consecratio-*

evationes fictas esse, nullo equidem argumento probasti. Inde ergo potiùs Divinam Sacelli Einsidlensis consecrationem confirmare licet; eo modo, quo Archangelus Gabriel B. Virgini annuntiando mysterium incarnationis, ejusdem fidem confirmavit exemplo fœtus ab Elisabitha sterili concepti. 2. *Nondum ostendistis, in aliqua Hermanni Contracti notoriè antiquiori editione verba illa*: Capella in Cœnobio S. Meinradi cœlitus consecrata est; *emissa esse. Et Conradus testis de visu, nec non religiosi ejus fratres testimonium omni exceptione majus coram Papa, Imperatore, Imperatrice, Principibus pluribus deposuerunt; & cœlestis illa vox*: Cessa, cessa frater, Capella Divinitus consecrata est, *ter ingeminata, & à frequente populo audita, auritum pariter testimonium omni exceptione majus est. Accedit publica inde judicio Principum tam Ecclesiasticorum quàm secularium lata sententia; quæ in rem judicatam transiens tantam consecuta est firmitatem, ut ante præcedens seculum nemo allegari possit, qui contradicere ausus fuerit. Et tu ipse fassus es, lippis & tonsoribus notum esse, quanta inde à tempore vulgatæ consecrationis Divinæ in veneratione Sacellum Eremitanum fuerit.* 3. *Sed & fateris, saltem unum testem nos habere, cujus fide certò niti possimus, nempe Martinum Pœnitentiarium, qui haud dubiè vel Romæ ex Diplomate Pontificio, vel ex Conradi libro testimonium isthoc deprompsit. Hermanni verò Contracti exemplaria alia primæ, alia secundæ, alia tertiæ manus sunt. In postremis mentio hujus dedicationis extat, uti tres Codices vetustissimi MS. & unus à Canisio Ingolstadii A. 1601. editus, testatur.* 4. *Quæ verò de silentio Windichini, Bernonis, Lamberti Schafnaburgensis, Mariani Scoti, Sigeberti Gemblacensis, & Abbatis Urspergensis alibi objecisti, authoritate merè negativa nituntur. Certè alia etiam multa authores illi silentio prætereunt, quæ non iccirco in dubium vocare licet.* 5. *Nullius momenti est, quòd Othonem I. in diplomate A. 965. consignato, consecrationem sacelli hujus tacuisse scribis. Illud enim confirmatorium erat Privilegii ab ipsomet Othone I. Thietlando II. Abbati A 961. concessi, antequam consecratio Divina dicto modo stabilita fuisset. Proin mutatis duntaxat Abbatum nominibus juxta Cancellariæ Imperatoriæ stylum, iisdem, quibus & prius, verbis conceptum erat.* 6. *Neque varietas traditionis ulla reperitur. Nam Papa Leo VIII. in Bulla sua allegat vocem publicè auditam*; Cessa frater, capella Divinitus consecrata est. *Divinitus ergo, hoc est, ab Angelis quidem, ut causa ministeriali, Deo verò, seu Christo (quia consecratio Sacelli Divinitus facta non potest non intelligi ordinata in Ecclesiæ militantis cum cœlesti coordinationem, & hominum in terris degentium salutem; cujusmodi effectus principaliter in Christum, non quà Deum duntaxat, sed etiam quà hominem reducuntur) ut causa principali factam consecrationem innuit. Et Conradus in Bulla Leonis dixisse fertur, Angelos talem cantum & ordinem habuisse in illius Capellæ, pro qua ipse venerat, consecratione, qualem adhuc Episcopi solent habere in Ecclesiarum dedicatione. Sicut autem non canentes, sed Episcopus consecrare solet: ita non Angeli ibi canentes, sed ab iis distinctus quispiam Sacellum consecravit, Christus videlicet. Ita Mosaica lex dicitur accepta in dispositione Angelorum, non quòd Angeli eam dederint, sed quòd danti ministraverint. Neque obstat, quòd Job. XXXVIII. 6. 7. Angeli cecinisse dicuntur, cùm Deus terram fundasset; neque ideo fundatio terræ Angelica dici potest, quia locum illum allegans agis ex somniis tuis, nec Angeli fundationi terræ non præexistentes eidem cooperari potuerunt. Denique consecratio etiam Angelica dici potest, quia Christus ejus author magni consilii Angelus est; ejus ministri Angeli creati.* 7. *Disertè dixeras in Dissertatione tua §. 16.* Tigurinos aliquot ad Eremitanum sacellum peregrinantes perinde fecisse, ac si non tam Divam Virginem, quàm more veterum Babyloniorum Milyttam Venerem imploratum ivissent. *Proximè autem dixeras*, notum extitisse, quanta flagitia inter commeantes

antes ad Sacellum Eremitanum promiscui sexus homines admissa fuerint, adeò quidem ut ex unica processione vertente novem mensium spatio septem spurii provenerunt. *Quæ proinde vox tua non solos, ut ais, fornicatores & adulteros, sed Reip. Tigurinæ cives indeterminatè tangens, adversus illos gravem spirat calumniam. Insuper hoc unicè quærebam: An Divam Virginem Milyttæ Veneri comparare, vel imaginem ejus cum idolo Milyttæ Veneris conferre intendas? Non ergo ego erga te, sed tu erga B. Virginem, & Majores tuos blasphemus es.* Ibid. pag. 252-272. Resp. 1. Exempla Cœlestium & miraculosarum dedicationum, puta Templi Dionysii à Dagoberto ædificati; Ecclesiæ Monasterii in Anglia à B. Petro cœlitus veniente consecratæ &c. talia sunt, quale est Sacelli vestri à Christo scilicet dedicati. Ejusmodi mendacibus signis populum stupidum Monachi nihil non ausi dementarunt. Dedicatio Templi Dionysii simillima dedicationi Sacelli vestri, quo teste probata est? Unico scilicet homine leproso, qui *se noctu vidisse Christum & Apostolos, Petrum, Paulum, Dionysium, Rusticum & Eleutherum illud consecrantes; & Christum vestigium manus parieti imprimentem*, testatus est. Utrobique, si credere fas est, consecravit Christus. Ibi testis *de visu* (sic Redingius dicere amat) Conradus Episcopus Constantiensis: hic leprosus anonymus. Lepidam inprimis Ecclesiæ in Anglia à B. Petro dedicatæ historiam Laurentius Surius, insignis fabularum hamaxarius, *Tomo 1. de Vitis Sanct.* ex Ealredo Anglo Monacho, Abbate in Rhievalle, qui circa A. 1164. floruit, ejusmodi recitat: *Sebertus nepos Ethelberti Regis Cantiorum in honorem B. Petri Monasterium insigne fundavit, multisque possessionibus ditavit. Nocte dedicationem ejusdem Ecclesiæ præcedente, Piscatori cuipiam Thamesis fluvii, ulteriori ripa in habitu peregrino B. Petrus apparens, promissa mercede, transportari se ab eodem & petiit & promeruit. Egressus autem de navicula Ecclesiam, piscatore cernente, intravit; & ecce lux cœlestis subitò emicuit, miróque splendore illustrans omnia, noctem in diem convertit. Adfuit autem cum Apostolo multitudo civium supernorum ingredientium, melodiáque cœlestis insonuit. Peractis verò omnibus, quæ ad Ecclesiæ dedicationem spectant, solenniis, rediit ad Piscatorem, eique dixit: Nunquid pulmentarium non habes? Et ille respondit: Nihil cepi, sed promissam à te mercedem securus expectavi. Cui Apostolus: Laxa nunc retia in capturam. quo facto implevit rete piscium maxima multitudine. Omnes fuerunt ejusdem generis pisces, præter unum miræ magnitudinis. Quibus ad ripam extractis dixit Apostolus: Hunc qui præ cæteris magnitudine & pretio excellit, Mellito ex mea parte defer piscem Episcopo: pro nautica verò mercede cætera tibi tolle. Hujus generis copia abundabis in vita tua, & longo tempore post te progenies tua: tantum ne ultra piscari audeatis in celebritate Dominica. Ego sum Petrus, qui loquor tecum, qui cum meis concivibus constructam in meo nomine Basilicam dedicavi, Episcopalémque benedictionem meæ sanctificationis authoritate præveni. Dic ergo Pontifici, quæ audisti & vidisti: tuo verè sermoni signa parietibus impressa testimonium perhibebunt. Supersedeat igitur dedicationi: suppleat, quod omisimus, Dominici corporis & sanguinis sacrosancta mysteria: populumque sermone erudiens, notificet omnibus, hunc locum me crebrò visitaturum, hic me frequenter votis & precibus affuturum: sobriè verò, piè & justè in hoc seculo victuris Cœli januam reseraturum. His dictis confestim ab oculis ejus disparuit. Mane autem facto Episcopo Mellito ad dedicandam Ecclesiam procedenti cum pisce piscator accurrit, & omnia sibi narrata expandit. Stupuit Episcopus, reseratisque Ecclesiæ valvis, vidit pavimentum utriusque alphabeti inscriptione signatum, parietem bis senis in locis sanctificationis oleo linitum, totidem cereorum reliquias duodecim crucibus inhærere, & quasi recenti aspersione adhuc cuncta madescere.* An adeo, Redingi, digerendis fabulis stomachus tibi occalluit, ut & hanc con-

coquere valeas? Forte tamen æquè vales, ac Eremitanam næniam valuisti pridem, imò & concoquendam aliis propinare audes. Cœterùm ejusmodi figmenta jam olim Ecclesiæ suspecta fuisse, ex decreto Lugdunensi *cap.62* probavi. Ibi enim ita sancitur: *Prælati non permittant populum vanis figmentis, aut falsis documentis decipi, sicut* OCCASIONE QUÆSTUS *fieri cœpit*. Et diu ante in Concilio Carthaginensi V.can.14.ita sancitum est: *Altaria, quæ per somnia &* INANES REVELATIONES *constituuntur, omnino reprobari videntur*. Sed quid à Prælatis, qui ipsi fraudum architectos se gesserunt, Ecclesia expectasset? Quòd si tamen Redingius ex Divina revelatione didicit, dedicationes illas à me memoratas, & falsis annumeratas, cœlestes esse, sicut ex Divina revelatione Archangelus Gabriel didicit conceptionem Elizabethæ, non intercedam, quò minùs Archangelum Gabrielem imitetur. 2. De Contracti testimonio infra. Conradum verò eique, præsentes, fuisse *testes de visu* dedicationis factæ, necdum nobis persuasisti; nec ex dubia illa Leonis Papæ bulla persuadebis unquam. Nam aliter longè Conradus in apocrypho suo *de Secretis Secretorum* libro: aliter coram Papa Leone rem gestam narravit. Ibi Domini de Cœlo cum casula violacea descendentis, præsentium Evangelistarum, Gregorii, Augustini, Ambrosii, Stephani, Laurentii &c. meminit. Hic Angelorum solorum; nulla vel Christi, vel Evangelistarum, vel S. Patrum mentione. Quis, nisi pepone insulsior, non dicam in re ab ipso Cœlesti exercitu gesta, sed in re vilissimi etiam momenti, varianti adeò testi fidem habeat? Et mirabar insuper, quibus notis testis ille *de visu* dignoscere Evangelistas, Apostolos, Patres nunquam antehac sibi visos, nec revelatos (nihil enim vel Conradi liber, vel Leonis bulla de revelatione illa habet) potuerit. Tam suspecto teste etiam vox illa, *Cessa, cessa frater* &c. velut à frequente populo audita, nititur. Publica porro, si qua de re minimè comperta lata sententia est, non illa in rem legitimè judicatam, sed illegitimè ad plebem excœcandam, ejúsque loculos expurgandos, præjudicatam transiens, nullam nisi in animis superstitione captis firmitatem obtinuit, obtinétque adhuc, donec ignorantia plebis vectigalis esse desinet. quod solum ego ultro falsus sum, & fatebor semper. 3. Martinus Pœnitentiarius quarto post rem, uti narratur, gestam seculo, caput exerens, insuper unus testis, nullus testis est. In Hermanni verò Contracti testimonio ad nutum fabulæ tuæ inflectendo festivè agis. Quatuor tibi authoris illius editiones opposueram, in quibus Capellæ vestræ dedicatio nullo apice memoratur. Superiori seculo illæ prodierunt, accurantibus Sichardo, Urstisio, Pistorio Nidano, qui duas admodùm discrepantes è regione opposuit, & quidem ex vetustissimis Codicibus, Sanctogallensi imprimis & Sylvæ Herciniæ. Author Monachus fuit Regalis Cœnobii Augiæ majoris, non procul Sanctogallo siti. Unde Sanctogallensis Codex cœteris fere præfertur. Quid hic Redingius? Dinstinguit inter exemplaria *primæ, secundæ, tertiæ manus*. Poterat etiam addere quartam, quintam, plures manus; sed non omnes unius Hermanni, sed diversas diversorum interpolatorum. Neque enim diversitas exemplarium inde est, quòd Contractus sœpius auxerit Chronicon suum, sed quòd Monachi nonnulli in privum usum complura adjecerint. Quis verò dubitaverit, quin Hermannus ille ab Einsidla vestra non procul dissitus primo suo concepto labori inserturus fuisset narrationem consecrationis Sacelli vestri, si quidem paulò ante, uti pertendis, Conrado Episcopo, cui Augia major suberat, petente & testante Leo Papa miraculum tantum confirmasset, & mox populi confluxus peregrinationem illam inclytam reddidisset? Imò nullus planè Codex narratione illa destitutus prodiisset unquam? Sed Redingius tres Codices Manuscriptos, & unum impressum jactat. Quis verò non miretur artificium hominis, ex una, eáque adulterina mo-

neta plures affabre cudentis? Unum enim eſt Einſidlenſe, quod diſcrepans ab optimis & vetuſtiſſimis Codicibus, partibúſque addictum in numerum haud pervenit. Alterum Fabarienſe, quod, niſi fallor, ex Einſidlenſi Redingius Tranſſumptum innuit. Tertium Auguſtanum vocat. Et quia illud à Caniſio impreſſum Ingolſtadii eſt A. 1602. idcirco illud, ceu Manuſcriptum ab impreſſo diſtinguit, ut quartum exemplar conficiat. Et hæc quatuor *tertiæ manus* exemplaria facit. Sed *tertiam* illam *manum* eſſe Hermanni Contracti, & non peregrinam quampiam, quo argumento probat? Nullo certè. Hermannus enim, cui ceu, uti ſupra dixi, vicino, celebris adeò hiſtoria, ſi verè geſta eſſet, incognita eſſe non potuiſſet, *prima* certè *manu*, non tertia illam exaraſſet. Quid verò multis? Ipſa verborum diverſitas νόθον propalat. Nam in Einſidlenſi quidem ſic legit Redingius ad A. 948. *Capella in Cœnobio S. Meinradi Divinitus conſecrata eſt.* Quem verò in Auguſtano S. Udalrici & Afræ Monaſterio repertum Codicem ait, ex illo aliter legit; ſic videlicet: *Eodem Anno 964. Rege Othone Romæ morante cum cæteris Principibus Papa Leo VIII. conſecrationem Capellæ cælitus factam in Cœnobio S Meginradi, coram Principibus, ſcriptis confirmavit.* Einſidlenſis ergo codex narrationem ad A. 948. Auguſtanus ad A. 964. ponit. Ille paucis verbis conſecrationem, hic pluribus confirmationem texit. Quis non videt aliam manum? Sed *tertiam* illam potiùs eſſe, & Hermanni quidem, quàm viceſimam vel triceſimam etiam alterius interpolatoris cujuſdam, nunquam nos Redingius docuerit. Teſtes appello paſſim tot Monaſteriorum per Papatum Bibliothecas, in quarum quibuſdam viſi ſunt Monachi audacter admodum falſarias manus intuliſſe ſcriptoribus Eccleſiaſticis, addendo integras ſententias & paginas totas obliterando, imò integris ternionibus & libris exciſis authores indignè caſtrando. Ut meritò editi de novo à Romanis Bibliothecariis ex Vaticano, vel Monachorum clauſtris libri ſuſpecti pridem eſſe cœperint.

4. Neque profectò non poteſt non ſilentium pertinax ſcriptorum, atque eorum etiam, quæ de rebus Eremitanis agunt, plus quàm trium poſt rem, uti narratur, geſtam, Seculorum, falſitatis ſuſpicionem augere. Tot extant Imperatorum diplomata, quæ cellæ Meinradi *Deo conſecratæ*, at nuſpiam *à Deo* mentionem faciunt. Tot idonei memorandæ dedicationis authores extant, apud quos profundum ibi, ubi memorari debuiſſet, ſilentium non parùm hiſtoriæ illius fidem minuit. Etenim ſeculo X. Windichinus Cœnobii Corbejenſis Monachus Othonis I. qui confirmationem hujus miraculoſæ dedicationis à Leone VIII. impetraſſe, & Meinradi ſacellum viſitaſſe dicitur, vitam & geſta literis mandavit; & dedicationis illius nullo apice meminit. Cui teſtimonio, negativo licet, valido tamen, nihil Redingius opponere potuit. Seculo XI. Berno Augienſis Cœnobii, cujus Monachus erat Hermannus Contractus, Abbas, Lambertus Schafnaburgenſis, (qui Eccleſiarum dedicationes diligenter annotavit) Marianus Scotus: Seculo XII. Sigebertus Gemblacenſis, Abbas Urſpergenſis floruerunt, & res Seculi IX. memoratu digniores (quas inter, ne Redingius alia ab iiſdem ſilentio præterita cauſſetur, haud dubiè Chriſti in terras deſcenſus & conſecratio Sacelli manu ejus facta fuiſſet, res tanta, ut univerſalis, & cultus Divini peculiaris fundamentum habeatur. qualia ne Evangeliſtæ quidem plura Chriſti ſigna tacentes licet, omiſiſſent) diligenter pertexuerunt. Altùm hic ubique ſilent. Seculo XIII. Wernerus Abbas, ſuffragante Collegio, Monachis leges tulit, quas in Annalibus Eremi Hartmannus p. 229. 230 repræſentat. In iis determinatur victus & amictus Monachorum, qui obtinere in primis ſolennioribus feſtis debeat. Quis non inter eas leges requireret præſcriptam in ſolennitate Angelicæ dedicationis diœtam? Cùm enim feſtum illud Einſidlenſibus eximium & peculiare fuerit, ſub ſolennioribus feſtis generatim memoratis, utpote commu-

nibus-

nibus, comprehendi perperam Redingius notavit. Applicet jam Redingius, repeto, suæ huic narrationi eas cautiones, quibus historiam de Johanna Papissa Baronius *ad A. 853. n. 65.* convellere conatur, inter alia, his verbis: *Silentium ipsum tanti temporis* (annorum nimirum 230. quibus posterior Johanna Papissa Marianus Scotus fuit) *de re tanta, tot emergentibus tantum nefas declamandi occasionibus, plus quàm mille dixeris testes juratos ad certam exploratámque fidem faciendam de fabulæ vanitate & falsitate.* Ego adversus dedicationem Eremitanam sic: *Silentium ipsum tanti temporis* (plus quàm 300. annorum) *de re tanta* (descensu Christi & cœlestis exercitus ex Cœlo) *tot emergentibus tantum miraculum declamandi occasionibus, plusquàm mille dixeris juratos testes esse, ad certam exploratámque fidem faciendam de fabulæ Eremitanæ vanitate & falsitate.* Longè verò majore specie Baronio pro Johannæ Papissæ historia testimonia Anastasii Bibliothecarii, & Rhadulphi Flaviacensis; nec non Michaelis Imp. apud Nicolaum Papam probra Ecclesiæ Romanæ declamantis, *Vindic. p. 193. 194. 195.* (adversus quæ nihil Redingius dicere habuit) opposui: quàm mihi Redingius Conradi Episcopi Leonis Papæ testimonia apocrypha, & falsi suspicione quàm maximè laborantia (quod infra etiam manifestius facimus) opposuit. 5. Neque etiam, quicquid occlames, nullius momenti est diploma Othonis I. A. *965.* adeóque decimo septimo post dedicationem anno scriptum, & manu ejus sigillóque munitum; in quo mentio licet fiat Meinradi cellæ, Eberhardi Eremitæ, nec non Gregorii: tamen cœlestis hujus miraculi ne exilissimum quidem vestigium apparet. Et tamen referebat plurimum tanti miraculi mentionem non omitti, cùm eo diplomate Imperator Monasterio Eremitano *immunitatem & authoritatis suæ privilegium* impartiverit. cujus impartiendi efficacissimum argumentum fuisset miraculum recens ipso Imperatore præsente confirmatum, si credere fas est. Objiciebas mihi ante annos XIX. diploma illud confirmatorium fuisse privilegii ab ipso Imperatore Thiethlando II. Abbati concessi A. 961. priusquam consecratio illa Divina confirmata esset. Respondi *Vind p. 285.* ne quidem prius diploma miraculi mentionem fecisse, quo tempore jam tanti miraculi fama percrebescere debuisset. Dein cùm inter bullæ Leonis, & diploma confirmatorium Imperatoris Othonis duo duntaxat menses intercesserint, cui dubium esse, quin Imperator pro sua pietate decreturus fuerit, ut non tantùm novum diploma prioris confirmatorium scriberetur, sed eidem etiam mentio miraculi maximi, cui paulò ante à Conrado narrato, & à Summo Pontifice comprobato ipse præsens Romæ fuisse perhibetur, insereretur? Ad hæc surdus mutúsque, aliud sequente anno telum arripuisti, *agnovisse* scilicet *Imperatorem, rem hanc non sui, sed Pontificii fori esse.* Hoc etiam æquè imbelle telum repuli. Nunc ergo taces & jaces. 6. De varietate traditionis miror equidem, te ampliùs mutire ausum. Res apertissima est. Conradus enim *in Secretis Secretorum* descensum Christi, Apostolorum, Patrum, Angelorum disertè memorat. Coram Leone Papa contra & Imperatore, cùm ἀκριβέστερον res ei narranda fuisset, hoc unum, si Leonis Bullæ fides est, confessus fuit, *se, cùm circa medium noctis, more solito, causa orationis, surrexisset, dulcissimum canticum cum religiosis fratribus ejusdem loci audivisse. Et cùm diligentiùs, quid hoc esset, perscrutari voluisset, veraciter comprehendisse, talem cantum, & talem ordinem Angelos tum habuisse in illius capellæ, pro qua venerat ipse, consecratione, qualem adhuc Episcopi solent habere in Ecclesiarum dedicatione.* En, Redingi, non solum cantum, sed etiam *ordinem, qualem adhuc Episcopi solent habere in Ecclesiarum dedicatione,* Angelis; & quidem non aliis, quàm Angelis, non Christo, non Apostolis, non S. Patribus tribuit. Et quod sic fecerunt Angeli, *Divinitus* factum interpretatur, non utique per Christum ex Cœlo descendentem, de quo in bulla Leonis ne hilum

quidem legere est; sed per Angelos. Quod enim Deus per Angelos facit, illud *Divinitus* factum rectè dicitur. Neque valet ratiuncula tua, *quòd effectus talis ordinatus in Ecclesiæ militantis cum cælesti coordinationem, & hominum in terris degentium salutem, reduci debeat in Christum, non tantùm ut Deum, sed etiam ut hominem.* Atqui Deum etiam per S. Petrum consecrasse fanum Ecclesiæ Rhievallensis in Anglia, supra narrantem Surium vidimus. Sed reducatur in Christum, etiam ut hominem. An ieeirco ut hominem *è Cælo cum casula violacea descendentem?* Quasi scilicet Christus, etiam ut homo, nihil in Ecclesia operari possit, nisi humanitate sua è Cœlo in terram descendat. Quo ergo jam pacto, Redingi, retibus tuis te exsolves? Nam quæ de Mosaica lege Angelorum etiam ministerio lata in desperatæ causæ tuæ subsidium vocasti, diluta nimis esse, *Vindic. p.* 287. 288. probavi. Non enim ideo lex Mosis *Angelica*, vel *Angelorum* uspiam dicitur, sicut dedicatio vestra *Angelicæ* nomine venit. Neque magis hæc *Angelica* dici potest, quia Christo dedicante & consecrante sacellum cecinerint Angeli, quàm fundatio terræ dici potest *Angelica*, quia cùm Deus bases terræ defigeret, & lapidem ejus angularem, jaceret, filii ejus, hoc est, Angeli jubilasse & cecinisse dicuntur (non Prov. sed) Jobi XXXVIII. 4. 6. 7. *Ubi eras, cùm terræ fundamenta jacerem? Quis demisit lapidem ejus angularem? Cùm simul jubilarent stellæ matutinæ, & exultarent omnes filii Dei.* Quem locum in Bibliis extare si scivisset Redingius, non ex meis somniis eum petitum somniasset, nedum ita petulanter contra eum disputasset, objectans videlicet, *Angelos fundationi terræ non præexistentes, eidem cooperari non potuisse.* Non cooperati sunt fundanti terram, Redingi, sed Deo fundamenta terræ jaciente, *stellæ matutinæ, filii Dei*, hoc est, Angeli, jubilarunt, cecinerunt, hoc est, Dei bonitatem, Sapientiam & potentiam in Cœlo laudarunt ab initio usque adhuc. Non opus erat, ut præexisterent; dummodo coexisterent. Quanquam omnino præextiterunt. Creati enim primò die sunt. At terra fundata est secundo die, quando compactis terræ partibus crassioribus simul facta est ἔκθλιψις & expressio aquæ, & ejus inclusio in sua cava vel patentia vel subterranea; atque sic aqua ab arida separata, orbis facies, quæ nunc est, extare cœpit, Genes. I. 10. Indignum profectò est, hæc à Theologo ignorari: & contra Scripturam ipsam disputare, impium. Quæ de nomenclatura dedicationis Angelicæ *ex denominatione adæquata, ex universo nimirum tam principalis* (puta Christi) *quàm ministerialium dedicationi illi cooperantium causarum* (puta Angelorum & hominum) *genere* repetis, solidè *Vindic. pag.* 288--291. discussi. 7. Nec calumniam tuam, cujus reum te publicè peregi, purgas. Non enim, quid de majoribus meis, quibus occasionem variorum scelerum Einsidlensem peregrinationem Papali spiritu prædominante, præbuisse dixi, & specimine allato probavi (manifestè nocentes, non innocentes arguens) sed quid de S. Virgine Maria dixerim, quæritur. Hanc me contendisse cum Milytta Venere comparare, criminabare. Criminationem fusè *Vind. pag.* 270. *&c* dilui; & in vos blasphemiam retorsi, nominatim Cornelium à Lapide, architectos idoli Turonensis. Johannem Baptistam Pozam. Bernhardinum de Bustis. Hi enim B. Virginem, & Dianam, Venerem, Circen, Medæam, Helenam, Thaidem, Lesbiam, Cynthiam, Corinnam, Didonem, Laviniam, Creusam, Proserpinam, Lucretiam, ut *similes*, compararunt: ego Divam Mariam Virginem & Venerem Milyttam ut *dissimiles* contendi. Tui ergo domestici blasphemiæ inexpiabilis, quam ne purgandam quidem suscipere ausus es, rei sunt manéntque: & tu calumniæ publicæ necdum expiatæ reus manes, manebisque semper.

OBIE-

OBIECTIO TRIDENTINORUM.

OBIECT. *Sacellum Einsidlense Deiparæ Virginis Mariæ à S. Meinrado conditum, ab ipso Christo ex Cœlo illuc descendente Idibus Septembris A. 948. consecratum est, uti Romæ Conradus Episcopus Constantiensis testificatus est. Cujus adeò testimonium Leo VIII. R. P. de consilio Antistitum Germanorum ac Italorum, assistente Imperatore, Ottone I. ejúsque filio Ottone II. uxore Adelheide, Principibúsque tum Teutonicis tum Italis, ratum firmúmque habuit, & Bullâ corroboravit. In cujus quidem Bullæ authentico transsumpto A.* 1383. VII. *Kal. Jan. Indict. V. attestatur, sibi plenariè constare de omnimoda veritate, nec non de suspicionis carentia, & diuturna eorundem observantia. De hoc ipso Constantiensis Episcopi transsumpto tanquam legitimo Eugenius* IV. *à Thuricensi oppido, aliisque Helvetiæ Oratoribus requisitus, testatus est An.* 1433. *&c.* Aug. Reding. *pag.* 854. 855.

Resp. Argumento huic pro Eremitana, seu Einsidlensi peregrinatione decantato, satisfeci in Synodali Dissertatione *Sect.* 15. 16. *&c.* ejusque Vindiciis, ubi nec historica nec Theologica fide de consecratione hujus Sacelli constare probavi, & Leonis VIII Bullam nec γνήσιον, nec, si vera & germana esset, validam, utpote à Leone Pontifice dubio profectam esse, asserui. Quæ omnia κατὰ πόδα in timore Domini expendere Adversarius debuerat. Id verò non præstitit, sed hinc inde pauca vellicare & eludere duntaxat sategit. Conradi Episcopi librum *de Secretis Secretorum* esse secretum & apocryphum, neque ejus, utpote fallacis hominis, authoritatem ad constituendam religionem sufficere dixi, ejúsque visiones & miracula haud esse omni exceptione majora, ostendi. Regerit ille pag. 858. me non spirare *nisi ineptas consequentias.* Quomodo verò? *Quis sanæ mentis*, inquit, *dicat, omnes Scripturas in archivis conditas esse apocryphas? Quis sanæ mentis à libris aliquibus suppostitiis contra alium hactenus receptum & à nemine in controversiam vocatum argumentatus est? Quis sanæ mentis ab authoritate negativa argumentum nectit?* Non erat necessum, ut ita declamares, Redingi. Quin potiùs ostende, quibus in archivis lateat hic liber, & quòd ab omni fraudis suspicione sit immunis. Id si feceris, primus ego conjecturas meas delebo. Nunc Tibi aliisque, quorum interest, talem librum existere, & authoritate idonea præditum esse, nudè asserenti quantum fidere debeam, probè scio. De miraculis etiam & visionibus Conradi tam probabiles sunt conjecturæ meæ, ex Huldrici Constantiensis epistola, & Calixti II. Bulla Canonizationis arcessitæ, quàm tua earundem explicatio. Quid enim? Annon Huldricus potiùs, vel certè æquè miraculis & visionibus Conradi, ac ejusdem conversationi inniti debuit? Annon miracula sunt Dei ipsius vox & suffragium? An igitur illa fas fuit floccipendere, vel posteriore loco amandare, si vera fuerunt? Annon Calixtus Conradum in Divorum numerum adoptans ipse priùs scire

 debuit,

debuit, vera esse Conradi miracula? Cur demum post Canonizationem miraculorum examen delegavit Episcopo? Vides ergo, me ita conjectantem non planè cucurbitas lippivisse. Dixi, *Leonis* VIII. *Ottonis Imp. aliorúmque, qui præsentes finguntur fuisse, testimonio non plus veritatis inesse potuisse, quàm ipsi relationi Conradi, cui proinde, si ἀξιόπιςος non fuit, nullam fidem illud conciliare queat. Neque constare, an Leo Papa, Otto, & alii in rebus considerandis maturum judicium adhibuerint, cùm ipse Redingius fateatur, Conradum in relatione sua confusè processisse.* Respondet ille, *Conradum potuisse sua Ordinaria Authoritate de Divina illa consecratione facere decisionem: attamen pro majori authoritate illi concilianda Pontificiam quoque authoritatem consuluisse.* Concedo majorem authoritatem visioni Conradi ab Imperatore & Principibus approbatæ constituram fuisse, nempe si illa per se ἀξιόπιςος & fide digna fuisset. At ἀξιόπιςον haud fuisse, idoneis argumentis comprobavi. Manet igitur, quod dixi, plus fidei alienæ relationis testi, quàm ipsi alienæ relationi falsæ, vel *testi* ipsi *de visu* inesse non posse. Cúmque fateatur Adversarius, non tam privatam visionem Conradi, quàm cœleste Oraculum illud, CESSA FRATER, &c. ter à populo auditum testimonium pro judiciali consecrationis illius approbatione suffecisse, ipse autem Leo Papa populum non audiverit, quomodo miraculum maturè expendisse dici potest? *At Conradus authoritate Ordinaria testimonium populi retulit*, inquit ille. Imò populi præsens testimonium necessarium fuit, quia in ore non unius, sed duorum vel trium, adeóque plurium veritas consistit. Calumniam vocat, *quòd Otto & Hugo Constantienses Episcopi An.* 1430. & 1515. *Divinam Sacelli Einsidlensis consecrationem oppugnaverint.* Divinam Sacelli Einsidlensis consecrationem Episcopos hosce oppugnâsse, nuspiam dixi. Temerè id ad conflandam mihi invidiam fingitur. De Bulla Leonis controversiam ab Episcopis illis motam esse asserui pag. 224. Hoc verum esse, ex ipsis Einsidlensium Manifestis nuper in publicum missis didici. Argumentum ab authoritate negativa petitum, quatenus videlicet validum sit, in Vindiciis exposui, neque hîc operam ludo. Neque vetustatem religionis Eremitanæ quidquam juvare, fusè *pag.* 228. 229. *&c.* demonstravi. Excipit ille *pag.* 860. rationem prudentialem ex vetustate deductam cohærere cum verbo Dei & veritate fidei. At hoc est τὸ ζητούμενον, quod authorem Bullæ dubium fuisse Pontificem, imò *Pseudo-Leonem, qualis est canis Leonis nomine insignitus*, uti vocat Baronius, tum Synodalis Dissertatio, tum ejusdem Vindiciæ astruunt. Perstat tamen Adversarius, fuisse ipsum post mortem Johannis XIII. si non *formali*, saltem *virtuali* electione in Papam subrogatum, adeóque legitimum Pontificem. Sed rogo id mihi expediat, an si hodiéque Imperator hominem laicum, nunquam ordinatum, qualem Leonem

nem fuiſſe teſtantur Hiſtoriæ,faceret Pontificem, eúmque Apoſtolicæ ſedi obtruderet,an Cardinales talem agnituri ſint pro legitimo ſucceſſore Petri? Non *virtualem*, credo,ejuſmodi electionem nuncuparent, ſed *vitioſam*, ſed *Simoniacam*, ſed *jure nullam*, uti Leonis electionem Baronius inſignivit. *Sed eſto*,inquit, *non fuiſſe verum Papam. At ratio prudentialis ex argumentis coram Conſiſtorio Pontificio deductis,& judicio tot Epiſcoporum probatis deprompta, & religionis ſufficienter directiva locum adhuc habere poteſt, accedente præſertim poſteriorum Pontificum confirmatione.* Inducatur igitur primùm Bulla Leonis, dubius dubii Pontificis fœtus. Dein & ipſa argumenta coram Conſiſtorio deducta qualia fuerint, & quod pondus *religionis directivum* iis inhæſerit, demonſtretur. Denique ſequentium Pontificum,qui relationem Conradi explorare haud potuerunt, confirmationem Leonis Bullæ,veluti fundamento ſuo,innixam,plus fidei mereri,quàm ipſam Leonis Bullam, apertæ veritati detur. Quæ *pag.*861. ſubjiciuntur de errore materiali non obſtante actioni,cui ſubſint argumenta rationem prudentialem fundantia,verba ſunt aëra duntaxat verberantia. Hic enim quæſtionis noſtræ ſtatus eſt: An ſi ea in re, in qua ſubſtantia cultus verſatur,periculum erroris ſubeſſet,ipſe cultus ex fide certa procedere, adeóque Deo gratus & acceptus eſſe poſſit? An ſi dedicationem Sacelli Eremitani authore Chriſto factam eſſe,plenè ſolidéque non cognoſceretur, religioſus ejuſdem cultus legitimus foret? Non fore, neque eſſe omnino legitimum pertendo, quia certam fidem & πληροφορίαν ad actionem Deo placentem requiri,ubiquę Scriptura teſtificatur.

EXCIP. REDING: 1. *Leonem Papam eo tempore, quo bullam iſthanc edidit, legitimum fuiſſe Papam,negare non potes,quia ipſemet fateris, eum tandem in Papam receptum eſſe: ac inſuper ei Conradum audienti adſtiterunt præter Imperatorem, Imperatricem, Principes Teutonicos,alii etiam Archiepiſcopi, & Epiſcopi Germaniæ ac Italiæ plures: denique Benedictus V. Johanni ſurrogatus,in ſeditione creatus, adeóque verus Papa non fuit.* 2. *Leonis illa Bulla inter legitimorum ſummorum Pontificum decreta etiamnum in ſcrinio ſeu archivo Pontificio Romæ aſſervatur. cujus exemplar non multis abhinc annis inde extractum ſupra exhibuimus.* 3. *Diſſertationem meam de Morali,prudentiali,ac ſupernaturali certitudine excutere auſus non es. Quinimò ſimplicitatem tuam in talibus intelligendis & ventilandis falſus ultro es.* 4 *Omnino practicè loquendo, ſecundum prudentiam ac moralem certitudinem ſemper tutò creditur bullis Pontificiis, licet in facto particulari falſitas aliqua ſubeſſet. Quæ merè materialis honeſtatem,quæ moralem religionis virtutem formaliter objectivè ſpecificat,ad voluntatem applicare poteſt. Sicut enim figuræ artificialis expreſſio,ac effigies ſub ratione artefacti æquè æſtimatur in argento & in auro: ita Moralis religionis rectitudo per illam prudentialis rationis ideam voluntati repræſentata,& per Divinæ gratiæ impulſum à voluntate acceptata,ex materiali errore contaminari nequit. Falſum ergo eſt, Jacobo Patriarchæ errorem circa Leam obſtitiſſe, quò minùs actus ejus in genere præciſæ moralitatis formaliter honeſtus fuerit. Falſum, quòd judicium de Divina ſacelli noſtri conſecratione*

fit

sit, vel alienum, & non proprium, dum quis ex rationibus prudentialibus intra mentem propriam id formas; vel cum practica dubitatione conjunctum. Licet enim speculativè loquendo dubium alicui suboriri possit; ex rationibus tamen prudentialibus derivata plena certitudo dubium omne excludit. 5. Conradi librum de Secretis Secretorum originalem quidam S. R. I. ex Ducali familia oriundus Princeps in Thesauro & Archivo suo servat. Cujus miracula non ideo suspecta sunt, quia Huldricus Episcopus Constantiensis ad Calixtum II. solicitans Conradi canonizationem, scripsit, se hujus viri dignissimam Deo conversationem potiùs quàm miracula spectare; & Calixtus in Bulla statuit, miracula Conradi, si vera sint, memoria deinceps recitanda esse. Non enim vel Huldricus, primas partes conversationi secundas miraculis Conradi tribuens: vel Calixtus, de quibusdam, non omnibus miraculis loquens, eorum fidem minuere voluerunt. 6. Ejusdem Conradi visioni non exiguum pondus addidit Imperatoris & Principum, nedum Papæ & Cleri approbatio, probationibus ad hanc impertiendam necessariis fulta. Accedit vox Dei à populo audita; cujus testimonium licet Leo & Imperator ipse à populo ipso non exceperint, Conradus tamen sua ordinaria authoritate illud authenticum reddere, ac in scriptis tali modo receptum, ad Pontificem deferre; ac insuper ipse, tanquam testis de visu una cum S. Huldrico Augustano Episcopo sub publicæ quoque authoritatis charactere contestari potuit. Ibid. pag. 276–282. Resp. 1. Fueritne unquam Leo VIII. Pontifex Ecclesiæ vestræ legitimus, adhuc sub judice, vestro etiam, lis est. Non agnovit id Baronius, *ad A. 963. n. 31. 32.* & qui eum sequuntur. In comitia ea, quibus Leo Papa electus est ab Imperatore, Archiepiscopis, Cardinalibus, Episcopis compluribus, horrendum in modum, pro more suo, idem Baronius debacchatus est. Argumento à numeratione Pontificum Leonum petito ita respondet: *Nec numerata Leonum ita nominatorum series esse faciet, quod non est. sicut nec canem aliquem Leonis nomine insignitum, verè esse Leonem ipsa nominatio vel numeratio tantùm facta constituit. Hæc, ut scias è numero Leonum Pontificem hunc PSEUDOLEONEM expungere.* Clementiùs paulò Leonem alii exceperunt. Bellarminus enim *Chronol. ad A. 964.* cúmque nuperimè secutus Lojolita Otho, (cujus *Romam Gloriosam*, κατ' ἀντίφρασιν sic dictam, uti Cl. Reisetus eruditissimo opere demonstravit, liberali donatione Tua, quam grata recordatione commemoro, Bibliotheca mea possidet) sic tempora distinguunt, ut negent, eum legitimum Papam esse, nisi post Johannis XIII. & (alii XII. vocant) & Benedicti V. mortem, cœpisse. Constat autem omnium calculo, Benedictum V. demum A. *965.* defunctum esse. Sive ergo Baronium, sive Bellarminum, & utriusque sequaces probamus, Leo eo tempore, quo Bulla edita Conradi visionem probavit, puta Novembri mense A. *964.* nondum legitimus Papa fuit. Utrisque discors Redingius, ut hypothesi suæ famuletur, Benedicto V. expuncto, & inter Antipapas relegato, Leonem Papam legitimum factum esse post mortem Johannis XIII. Pontificum omnium sceleratissimi, hoc est, die 14. Maii A. *964.* semestri priùs, quàm bulla controversa prodiit ait. Qua verò, juxta hypotheses quidem Pontificias, verisimilitudine Benedicto à Romanis electo præferat Leonem ab Imperatore electum, ipse viderit. Palam certè est, vos miserum illum Leonem exagitare pilæ adinstar, & modò Pontificem affirmare, modò negare, prout novellæ hypotheses vestræ exigere videntur. Et perstat firmissimo pede cornutum dilemma meum, pridem tibi oppositum, ejusmodi: Vel Leo legitimus Papa unquam fuit, vel non fuit. *Si non fuit*, bulla, qua is Conradi visionem confirmavit, nil nisi bulla fuit. Neque sequentium Paparum confirmatio medebitur quicquam, quia sola Leonis non Papæ, adeóque fallibilis, bulla nituntur. Tale autem quodque est, quale ejus principium est. Neque enim sequentes Papæ rem denuo explorarunt: sed rem semel à non

Papa,

Papa, hoc est, homine incerto & fallibili haud certò nec infallibiliter exploratam repetierunt. Nihil etiam ad rem facit Imperatoris, Principum, Cleri præsentis authoritas & consensus, quia, juxta adversariorum hypotheses, ipsa etiam Concilia, præsentis Papæ authoritate & consensu destituta, nullius fidei & authoritatis habentur. Ne dicam, Othonem Imperatorem cum Concilio Romano Johannem Papam deponentem, & sibi jus eligendi Papæ vindicantem ab adversariis ipsis, Baronio cumprimis, horrendum in modum proscindi. Si legitimus Papa Leo unquam *fuit*, sequitur hominem laicum, qualis Leo, cùm eligeretur, fuit, Papam eligi posse: Concilium indici sine authoritate Papæ legitimè posse, quia Concilium illud, in quo Otho Leonem eligi curavit, Papa reluctante coaluit: Imperatoris rogatione Papam eligi posse, quia, teste Baronio, in Concilio Romano *rogatione Imperatoris Leo Johanni successor datus est*: Imperatori fas esse deponere Papam, quia Otho Johannem XIII. deposuit solenniter, eique Leonem surrogavit: excommunicatos à Papa ipsum Papam excommunicare posse, quia Imperator Otho unà cum Concilio Romano Johannem diras adversus se intonantem excommunicavit ipse: denique omnes donationes, quas Ecclesiæ Romanæ factas à Carolo, Pipino, Aripecto, aliis contendunt, invalidas esse, quia Leo ille Papa electus diplomate perpetuò valituro omnibus illis donationibus, Cardinalibus totóque Populo Romano præsentibus solenniter renuntiavit. Ubi verò fassus ipsemet sum, *Leonem tandem in Papam receptum esse?* Dixi equidem *Vindic. p.* 388. Romanos coactos ab Imperatore portas ei aperuisse, Benedictum dedidisse, *& Leonem recepisse*. At recepisse, ceu legitimum Papam, nusquam dixi. Neque enim violenta obtrusio, & receptio per vim extorta legitimum Papam, canonicè non electum facit. 2. An bulla illa Leoni tributa, quam supra exhibuisti, hodiéque Romæ inter legitimorum Pontificum decreta extet, dubitare licet. Nam Angelus Maria Cherubinus vestras, qui Papales Bullas in Bullario suo magno repræsentavit, Leoni VIII. numerato licet, & effigie expresso, bullam omnino nullam tribuit. 3. Neque semel jam tuas *de Morali prudentiali ac supernaturali certitudine* nugas excussi; & ad cultum, seu religiosi cultus objectum constituendum supernaturalem certitudinem requiri, demonstravi. *Simplicitatem* porro professus sum innocentem, hoc est, *ἁπλότητα εἰς Χριστὸν simplicitatem in Christum*, qualem S. Paulus *τῇ πανουργίᾳ astutiæ* Serpentis antiqui, strophis & sophismatis suis Evam seducentis, opponit, 2. Cor. XI. 3. Neque ejus me pudet, vel pudebit unquam. Serpentinam tu astutiam habe. 4. Cujus certè specimen haud postremum est, quòd bullis Papæ, etiam religiosi cultus objectum sancientibus, credendum pertendis, *licet in facto particulari* (& in eo quidem, in quo totius rei cardo vertitur; uti quidem in eo, *an visio Conradi Divina fuerit*, totius cultus Einsidlensis cardo vertitur) *falsitas subesset*. Etenim verum Deum colendum esse, etiam idololatræ profligatissimi consenserunt semper. Sed aberrantes in determinando cultus objecto legitimo, adeóque adorantes eum, qui verus Deus non erat, idololatriæ crimini se alligarunt. Ita vos consentientes, adorandum esse verum Deum, idololatriæ crimine neutiquam vacatis, si *falsitas subsit* in eo, quòd loco Sacelli à Christo consecrati religiosè colitis Sacellum à Christo non consecratum; vel saltem ejus rei certitudo Divina, à revelatione Dei ipsius profecta, vobis nulla suppetit. Nil te figuræ artificialis similitudo juvat. Non enim sicut illa argento æquè atque auro sic applicari & imprimi potest, ut similitudinem non perdat, sed exactè congruentémque retineat: ita cultus Dei cuilibet rei, Creatori & creaturæ æquè applicari & impendi sic potest, ut semper Divinus cultus maneat, & aberrante judicio in dæmoniorum cultum non degeneret. Neque etiam Jacobi incestum cum Lea, materialiter saltem talem *formaliter*

 bene-

honestum fuisse, probabis unquam. Fuit enim *error in persona*, qualis nec formaliter honestus esse, nec *formalem honestatem* in actum derivare potest. Neque judicium vestrum de Sacelli Divina consecratione *alienum* dixi; sed *alieno*, eique fallibili, Papæ scilicet, in rebus facti errori obnoxii; imò Antipapæ, juxta vos & in juris & in facti rebus fallibilis, *judicio inniti*, dixi. Ejusmodi verò judicium ad cultum sufficere, nemo nisi idololatriæ favens, dixerit. 5. Parum stipulationi meæ, ut ostendas, *quibus in archivis liber Conradi de Secretis Secretorum lateat, & quòd ab omni fraudis suspicione immunis sit*, satisfacis, ajens, *eum Originalem à quodam S. R. I. ex Ducali familia oriundo Principe in Archivo suo servari*. Quis enim ille *quidam* est? Cur non prodidisti, si causæ tuæ confidis? Imò cur librum ipsum hactenus non edidistis, ut & adoratores Sacelli vestri, quorum intererat rem penitus cognoscere, extra dubitationis aleam ponerentur, & nos judicare possemus, ab omni fraudis suspicione immunnis libellus ille sit, nec ne? Nunc verò in tenebris suis delitescens strenuè, & ad tineas ac blattas damnatus nullam fidem meretur nisi apud eos, quorum quæstui inservit. Neque ampliorem fidem ejusdem miracula jactata merentur, utpote quæ tum Huldricus Constantiensis Episcopus Calixto II. pro canonizatione Conradi supplex factus negligenda putavit, cùm tamen in canonizationibus utramque paginam facere soleant; & quidem hoc argumento, *quòd miracula nonnunquam reprobis cum Sanctis communia sint*; cùm vos veræ Ecclesiæ notam infallibilem esse perfendatis: tum Calixtus Papa pariter flocci pendit, ajens, *miracula, quæ per eum à Deo facta (NB) videntur, (NB) si vera sunt, Scripturis & lectionibus deinceps memoriter tenenda esse*. Licet ergo miracula quædam ad se relata Calixtus commemoravit, non tamen illa *à Deo facta esse*, sed *à Deo facta videri*, definivit, & de omnibus ejus miraculis promiscuè hæsitans addidit, SI VERA SUNT. Quid miraculorum fidem minuere est, si hoc non est? 6. Si Imperatoris Othonis, Principum & Cleri approbatio visionis Conradi, eidem pondus & authoritatem addit; eorundem ergo approbatio decretis aliis Papæ ejusdem pondus addet. Audi ergo verba Authoris Fasciculi temporum: *Leo communi voce eligitur, deposito Johanne Hic (in Concilio Romano, præsente & approbante, imo suscipiente Othone, Principibus & Clero) statuit, ut nullus Papa fieret sine consensu Imperatoris, propter malitiam Romanorum, qui suos intrudebant. Hic omnes donationes Ecclesiæ à Justiniano, Carolo & aliis factas Othoni & suis Successoribus concessit, ut Italiam ab invasoribus defenderent*. Quid videtur, Redingi? An & hic consensus & approbatio Imperatoris, Principum, Cleri, pondus addidit decreto Leonis, ne non consentiente Imperatore Papa fiat, & donationes Papæ factæ rescindantur? Sed approbationem visionis Conradi ab Imperatore, Principibus & Clero factam *probationibus ad hanc impertiendam necessariis fultum* fuisse, ais. Unde verò tibi constat? Nam bulla Leonis nil tale præ se fert. Contra approbatio decreti ejusdem Leonis circa electionem Papæ & donationes eidem factas argumentis gravissimus, ex ipso Divino jure petitis suffulta licet, à vobis rejicitur. Potiori jure & ratione nos approbationem eorundem visionis Conradi, nullis probationibus suffultam rejicimus. Nam populi vocem Dei audientis testimonium ne quidem illi audiverunt. Conradi verò Ordinarii licet, unius tamen, & fallibilis ejusdem testis, testimonium tanti non est, ut solum illud ad probationem necessariam sufficere potuerit. Licet enim ex Bulla Leonis (si genuina est) constet, præsentem fuisse etiam Huldricum Augustanum Episcopum: tamen eum à Papa ad dicendum testimonium citatum esse, non constat. Quin potiùs Huldrico æquè ac reliquo Clero præsente *consulto*, non ad testimonium citato, decretum a Papa cusum dicitur. Omnes ergo jam fortunæ Einsidlenses (si modò genuina est, quam Adver-

sarius

ſarius jactat, bulla) in teſtimonio dubio unius Conradi teſtis fallibilis, eidemque ſuperſtructo decreto Papæ dubii, ſeu potiùs Antipapæ, qui Pſeudopropheta melior ab ipſis Adverſariis haberi nequit, vertuntur. Denuo proin coronidem noſtram exornamus fideliſſimo Chriſti celeuſmate, quod Matth. XXIV. 23. 27. extat: *Tum ſi quis vobis dixerit: Ecce hic Chriſtus, aut hic, ne credite. Excitabuntur enim Chriſti & Pſeudoprophetæ, & edent ſigna magna & miracula, ita ut ſeducant, ſi fieri poſſit, etiam electos. Ecce prædixi vobis. Itaque ſi dixerint vobis: Ecce IN EREMIO eſt, ne egredimini. Ecce in conclavibus,* NE CREDITE.

QUÆSTIO VII.

An Monachatus ſit religioſus vitæ ſtatus, in quo per obſervantiam votorum paupertatis, cœlibatus & cœcæ obedientiæ, Evangelica perfectio, ſupererogatio meritorum, & ſatisfactio pro peccatis acquiri poſſit?

SYnodus in fidei decretis Monachatus nullam omnino mentionem fecit. Ne tamen dubius eſſet ille ſtatus, inter Reformationis decreta multas de Regularibus & Monialibus conſtitutiones retulit. Solent autem paſſim Adverſarii diſtinguere quatuor perfectionis gradus. Primum videlicet, quo ſe Deus ipſe amet: Secundum, quo cœlites Deum: tertium, quo ii, qui inter Chriſtianos ſe totos Deo conſecrârunt: quartum denique, quo omnes promiſcuè Chriſtiani Deum timere teneantur. Tertii porro gradus homines faciunt duûm generum. Alios enim profiteri perfectionem amoris illius jam adeptam, puta *Epiſcopos*: alios verò adipiſcendam, ſcilicet *Religioſos*. Unde *Religio*, quam hi profitentur, definiri ab iis ſolet, quòd ſit *ſtatus hominum ad Chriſtianam perfectionem tendentium*. Sed ipſos Religioſos quoque pro diverſo vel contemplandi, vel agendi duntaxat, vel & contemplandi & agendi ſtudio diſtinguunt in tres ordines, quorum aliis votum eſt nil niſi contemplari, aliis tantùm agere, aliis utrumque. Vota quoque ipſa diſtinguunt in *ſubſtantialia* & *communia* omnibus, puta vota paupertatis, cœlibatus & obedientiæ: & *accidentalia*, quæ ſubſtantialibus addita, mira varietate multiplicant in religiones prope innumeras. Suntque poſterioris generis vota in veſtibus, tum forma tum colore curioſiſſimè diſtinctis: in diæta ſive victu: in exercitiis tum animæ, tum corporis, qua noctu qua interdiu. Ita in immenſum multi-

plicatos ordines disparant generali distinctione in *Eremitas* seu *Anachoretas*, quos Durandus vocat *girovagos, vagabundos & circumcelliones*; & in *Cœnobitas*. Illi in eremis & desertis locis, procul ab humano & rationali commercio solitariam vitam agunt, & alii quidem sub Priore degunt in remotis & abditis locis, singuli singulas cellas veluti sepulchra inhabitantes; alii antris, speluncis & parietibus se includunt; alii denique squalores solitudinum requirunt, in bestiali ferarum consortio herba pascuntur, pelle carnis pro operimento utuntur, & algore noctis, ac calore solis in modum Æthiopum denigrati, velut tympanum obrigescunt. Hi verò inter se familias instituunt & communitatem alunt, & in locis quidem plerumque commodissimis & amœnissimis, & magnificentiâ quandoque cum Regum palatiis certantibus. Atque hos omnes in religioso illo vitæ suæ statu docent & *supererogare*, hoc est, plus facere, quàm lex postulet, ita ut tum pro se eminentiorem in vita æterna gradum mereantur, tum merita etiam acquirant, quæ aliis applicari possint: & *satisfacere pro peccatis*, non quidem, ut Bellarminus loquitur, tollendo culpam, sed solam pœnam. Asseruntque etiam Summistæ, teste Azorio *pag. I. lib. XII. cap. 5.* per professionem *omnia vitæ pristinæ peccata deleri: per habitum vitæ monasticæ susceptum restitui hominem in eum statum, in quo est quispiam, cùm Sacro baptismate renascitur: nec Monachum rationem de peccatis ante professionem admissis redditurum &c.* Hunc igitur Monasticum, seu religiosum vitæ statum in vera Ecclesiæ locum ullum habere, nos negamus.

ARG. I. Etenim nec vox Monachi, nec res ea voce denotata uspiam in Scriptura occurrit. Nuspiam reperire est vel præceptum, quod ipsi fatentur, vel consilium, vel laudatum aliquod Monachatus exemplum. Est autem Scriptura perfecta regula & credendi & faciendi seu vivendi, uti Apostolus 2. Tim. III. 16. 17. nervosè ostendit. Aliter Christus & Apostoli quoad regulas credendi aut vivendi à Dominico, Francisco, aut Ignatio Lojola corrigendi essent.

RESP. REDING: 1. *Argumentum authoritate negativa nititur.* 2. *Imò verò in S. Literis exempla occurunt status personarum Deo consecratarum, mediantibus obedientiæ, paupertatis religiosæ & castitatis perpetuæ votis, in unam quandam cultui Divino deputatam congregationem se coadunantium. At vita Monastica secundum substantiam talis status est.* Tomo V. Tract. 14. ss. 2. pag. 290 291. Resp. 1. In religione authoritas positiva & negativa ejusdem momenti sunt. Nititur enim illa voluntate Dei patefacta. Qui ergo ex voluntate Dei patefacta religiosum officium non probat, non religionem ille veram sequitur, sed deserit, & desertionis hujus reus authoritatis negativæ via rite & ordine peragitur. Quicquid in cultu & religione Dei non jussit, mandavit Deus, illud à vera religione . vero Dei cultu alienum, adeóque non religio, sed *δεισιδαιμονία superstitio (Matth XVI 13.) & planta, quam non plantavit Cœlestis pater*, adeóque *eradicanda* est. 2. Definitio Monachatus à te

posita inadæquata est, quia Monachatui Anachoretarum non quadrat, & fines Monachatus, qui illum variare possunt, omittit, denique nec Monachatui veterum congruit. Frustra tamen etiam Cœnobitici Monachatus exempla in Scripturis, libro vitæ, vos venari, infra manifestum facimus. Nec Monachi solitarii nomen vel rem in S. literis ostendere tibi proclive est, nisi forte in Exemplo Nebucadnezaris, ab hominibus depulsi, & in brutorum sortem detrusi. Tales revera sunt Monachi illi, quos Durandus *Ration. lib. II* 1. appellat *girovagos, vagabundos & circumcelliones*. Veri contra Christiani, Ecclesiæ Catholicæ cives, amant civitatem, societatem, congregationem, communionem Sanctorum, quos sancta ἀναστροφῇ sua ædificare & Deo lucrari contendunt.

ARG. II. Monachatus religionis speciem mentitus, cum legis Divinæ præceptis pugnat. Etenim lex Divina vetat habere alios Deos, jubétque in solum Deum credere, à solo eo pendere, normam ac regulam fidei & vitæ mutuari, ei soli religionis gratia obedire. At Monachi alios sibi, à quorum nutu & præscripta regula pendent, quibúsque religionis gratiâ cæcam obedientiam jurant, faciunt Deos, puta Franciscum, Dominicum, Lojolam, Claram &c. Lex Divina jubet omnem animam subesse supereminenti potestati. Monachi pietatis in secessu exercendæ prætextu se legitimæ potestati subducunt. Eadem Lex jubet liberos obedire parentibus, eosdem amare, observare, colere officiis, & si casus etiam postulet, beneficentiâ. At Monachi religionem professi eximuntur ab omni parentum obsequio, quod Pharisaicum dogma à Christo Matth. XV. 4. & Marc. VII. 10. graviter reprehensum redolet. Lex Dei commendat amorem proximi, eique connexam beneficentiam, hospitalitatem & virtutes homileticas alias. At Monachi, inprimis Anachoretæ, ex instituto suo, abdicati mundi prætextum præ se ferentes, sibi vivunt, sagenæ tantùm suæ sacrificant, neque ullam proximi fovendi, adjuvandi, promovendi, civilibus studiis prosequendi curam suscipiunt: Rempublicam deserunt, civilia onera in alios derivant, denique nihil pro bono & honesto cive faciunt. Lex vetat mendicum esse in Israel, & jubet quemque laborare, & in sudore vultus sui panem lucrari. At Monachi quidam mendicitatem profitentur, laborem verò tergiversantur omnes, & in pingui otio ætatem conterunt. Lex jubet eos, qui continentiæ donum non habent, nubere. At Monachi, de permanente continentiæ dono incerti, etiam cœlibatum vovent, matrimonium ejurant, eique fornicationem præferunt.

RESP. REDING: 1. *Ergone qui Apostolos audis, alium sibi Deum facis? Atqui Christus aliter longè testatur, dicens:* Luc X. 16. *Qui vos audit, me audit; non, alium sibi Deum facit. Ita vos Magistratui vestro obedientiam jurantes, aliúmne vobis Deum facitis?* 2. *Falsum est, Monachos se legitimæ potestati subducere. Quin potiùs per hujus voluntariam concessionem ab ea exempti, legitimæ potestati Ecclesiasticæ subjiciuntur.* 3. *An etiam Christus,*

jubens eos, qui ad se veniunt, odisse patrem, matrem, filium, imò animam suam, Pharisaismi fermento infectus fuit? Longè verò alia est religionum nostrarum ratio, in quibus sic jus naturæ votis præponderat, ut qui voto obstrictus est, ad bona sua Templo cedenda, teneatur potiùs ex iis parentes pauperes juvare: imò ordinem etiam deserere, si ita extrema parentum inopia postulet. 4. An etiam vos Ministri civilia & militaria onera fertis? Amor proximi non in subsidio duntaxat temporario, sed maximè in spirituali beneficentia consistit. 5. Lex Divina Deut. XV. 4. vetans esse mendicum in Israele, hoc postulat, ut divitum beneficentia sublevet inopiam pauperum. Id verò inprimis impletur in religiosis mendicantibus, qui omnibus relictis spe centuplæ compensationis à fidelibus laicis juvantur etiam in temporalibus, dum ipsi Divinarum rerum exercitiis, imò etiam manuum laboribus, pro ingeniorum varietate & Superiorum ordinatione intenti sunt. 6. De cœlibatus voto supra. Calumnia verò mera est, quòd Monachi fornicationem matrimonio præferant. Verum quidem est, graviùs peccare Monachos matrimonium contrahentes, quàm fornicantes, quia illi perpetuum sacrilegium & incestum committunt; hi una duntaxat vel altera vice. Monachis tamen nec nubere, nec fornicari licet. Ibid, pag. 291. 292. Resp. 1. Abbates, Generales, Priores, Guardiani vestri non sunt, Redingi, Apostoli Christi. Papæ legem Christi abrogantis, & aliam inducentis Apostoli sunt. Tum Apostoli audiendi erant non simpliciter, sed quatenus verbum Divinum afferebant. Audiendi, recipiendi erant Prophetæ *εἰς ὄνομα προφητῶν in nomine Prophetarum*, Matth X. 40 hoc est, quatenus prophetabant, sive verbum Dei ad conscientiam declarabant; non motu proprio, suo privilegio aliquid ex Scripturis indemonstrabile, per *ἰδίαν ἐπίλυσιν privatam explicationem* loquebantur. Qui ergo Apostolos, Prophetas audiverunt, non illi Apostolos, Prophetas Deos suos fecerunt, sed Christum, Spiritum Dei, qui ceu verus Deus in iis immediata inspiratione loquebatur. Contra Abbates, Generales, Priores vestri verbum Papæ, ejus solius spiritu calentes, loquuntur; atque illud *ἄδηλον*, ad conscientiam indemonstrabile, motu proprio. Vindicant enim sibi & dictis, imperiis suis cœcam obedientiam; *πληροφορίαν τοῦ νοὸς certitudinem propriæ mentis*, & *δοκιμασίαν τῶν καλῶν explorationem bonorum* seu *meliorum*, tollunt, & in religione servos hominum faciunt, contra Apostoli Rom. XIV. 5. 1. Cor. VII. 23. 1. Thess. V. 21. sententiam. Verè ergo Monachatus in religione homines humanæ authoritati subjicit, & sibi invicem Deos facit. Alia Magistratuum ratio est, quorum imperia non versantur propriè circa religionem, nisi quatenus illam ex verbo Dei propagare, asserere, citra imperium tamen & tyrannidem in conscientiam, possunt. Ubi verò leges civiles præscribunt ex motu proprio & *αὐτοκρατορικῶς*, Scriptura eos *Deorum* nomine Psal. LXXXII. 6. Joh. X. 34. insignit. At *Deus* nusquam Monachos, Franciscum, Dominicum, Lojolam, Abbates &c. *Deorum* nomine dignatus est. Regulos rectiùs *locustarum* ex Apocal. IX, 11. nuncupaveris. 2. Per voluntariam Regum & Principum cessionem solam Monachos à potestate civili exemptos esse, nec vestri profitentur (Bellarminus enim ad jus Divinum, quod exemplis V. T. superstruit, provocat) nec certis documentis probari potest: nec verbo Dei consentaneum est. Jubemur enim Regibus, Principibus & eminenti potestati subjici, Rom. XIII. 1. 1. Pet. II 13. ubi Chrysostomus notat, hæc etiam Clericis Monachis & ipsis Apostolis ac Evangelistis dicta esse. Neque vel Reges se abdicare potestate, officio in quamvis animam Divinitus injuncto: vel quævis anima, adeóque etiam Monachi, obedientiam à Deo ipso præceptam exuere possunt. Potestatem porro Ecclesiasticam dominantem, cui Monachi se subjiciunt, non Christianam, sed Antichristianam esse, non semel probavimus. 3. Christus certè Pharisæus non fuit, sed Pharisæorum juratus hostis.

Proba-

Probavit ille non ſemel ſuam erga parentes *στοργὴν*, quam voti prætextu Phariſæi (de quorum ſententia Celeb Coccejus *Except. in Gemar. Sanhed. p. 273.* multa eruditè annotavit) eóſque ſecuti Monachi ejurant. Proin non ſimpliciter jubet odiſſe patrem, matrem, filios, ſed odiſſe, cùm impediunt ſequelam ſui; id eſt, non amare æquè ac Chriſtum, vel ſupra Chriſtum. At Monachi deſerentes patrem, matrem, filios, ab iiſdem non impediuntur, quò minùs liberè ſequantur Chriſtum, & ejus crucem ferant; quia profeſſione ſua nec Chriſtum, ſed Papæ potiùs & ſuam libidinem ſequuntur: nec Chriſti crucem in ſe ſuſcipiunt, ſed voluntarium cultum, cultui & cruci Chriſti oppoſitum, eligunt. Quàm belle verò juri naturæ vota ſua poſtponant, experientia docet. Quis enim propter parentum inopiam ordinem deſerit, ut parentibus ſuſtentandis inſerviat? *Per calcatum patrem* jubetis *pergere ad Chriſtum.* licet nihil Chriſti vota veſtra habeant. *Ἀστοργίας* ejuſmodi Jeſuiticæ exemplum Cl. Hoſpinianus *Hiſtor. Jeſ. p. 75.* prodit in Novitio Landſpergenſi, qui patrem obvium non minùs quàm horrendum monſtrum fugiens, & ne aſpectu quidem dignatus, à Rectore Societatis ſupra modum laudatus eſt, his inter alia verbis: *Macte fili mi, qui patrem tibi elegiſti patres ſocietatis noſtræ, quos te magis quàm patrem tuum amare oportet, eò quòd hic ſecularis ſit, illi ſpirituales.* Addebat, parentibus, ſi eos à Societate Jeſuitarum abſtrahere conarentur, dicendum: *Vade poſt me Sathan, quia non parentibus naturalibus, ſed Societatis patribus* (NB.) *abſolutam obedientiam vovi.* Sed & Jacobus Cruſius Jeſuita Novitium de Jeſuitiſmo deſerendo cogitantem his verbis compellavit: *Quid tibi curæ ſunt parentes? Audi Chriſtum & Ignatium.* Ille ipſe ad quem provocas, Thomas Aquinas. *Quodlib. 3 art. 16.* quæſtionem ponit: *Utrum religioſus, ſi videat parentem eſſe in neceſſitate, etiam abſque prælati licentia poſſit clauſtro exire ad ſubveniendum patri?* Concludit: *Poſtquam jam aliquis eſt in religione profeſſus, eſt mortuus mundo. Unde per ſpiritualem* (verè ſpiritualem) *mortem deobligatur à cura impendenda parentibus, ſicut etiam deobligaretur per mortem corporalem. Et ideo non peccat, nec contra præceptum Dei agit, ſi in clauſtro maneat ſub præcepto Prælati ſui, parentum miniſtratione prætermiſſa.* Hoccine plus quam Phariſaicum dogma non eſt? Nam ad horribilem ejuſmodi *ἀπανθρωπίαν* vix Phariſæi ipſi pervenerunt, non opem ſuam, ſed Deo devota parentibus negantes. Concinit Thomæ Emmanuel Sa in verbo *Religio, Aph. 2.* ubi ſic ille: *Parentum grandi neceſſitati ſubveniendum ante ingreſſum: facta autem profeſſione faciendum quod poſſit, ſalva obedientia.* Si quid ergo filius Patri de ſuo dederit, ſacrilegium vocatur. Ac ne eleemoſynam quidem dare Monachus poteſt. Sed quid multis? *Monachos religionem profeſſos ab omni parentum obſequio eximi*, atque hoc *Phariſaicum dogma* eſſe dixi. An inficias ire auſis?

4. Eccleſiæ Miniſtri civitatis onera omnia, quæ cum miniſterio eorum conſiſtere poſſunt, libenter meritóque ferunt. Profitentur enim ſe civitatis membra, debitores eorum, quæ Cæſari debentur: &, quæ Cæſaris ſunt, Cæſari petenti dare nulli abnuunt; exemplo Chriſti ipſius, qui Matth. XVII 27 quatenus legi ſubjectus, penſitationibus illis ſe teneri teſtatus eſt, dicens: *ἵνα μὴ σκανδαλίσωμεν αὐτοὺς ne ſcandalizemus eos, accipe denarium & da pro te & me.* Unde Cajetanus collegit, negationem cenſus futuram fuiſſe ſcandalum activum, quia *ne ſcandalizemus*, dixit, non, *ne ſcandalizentur*. Peſſimè autem vobiſcum Monachis ageretur, ſi amor proximi *ſubſidium temporarium* non exigeret. Sic enim vel laborandum vobis, vel fame pereundum eſſet. At qui facultates & bonorum copiam ejurant, illi ſe ſponte eximunt debito amoris, quo quiſque pro viribus proximi etiam temporalem vitam conſervare tenetur, contra præceptum Apoſtoli Rom. XIII 8. *Nemini quicquam debete, niſi amorem mutuum*, & Epheſ. IV. 28. *Qui furatus eſt, non furetur amplius, ſed potiùs*

laboret,

laboret, operando manibus quod bonum est, ut possit impertiri cui opus fuerit. At cœnobitæ vestri plerique clausa omnibus aliis cœnobia habent: Mendicantes omnium in se beneficentiam experiuntur, suam in neminem exercent, fucorum instar, qui nil nisi apum mella consumunt; imò nec sibi utrique laborant, adeóque bis in præceptum hoc Apostoli peccant, nec sibi laborantes, nec aliis. 5. De loco Deut. XV, 4. infra agimus. Debet equidem divitum beneficentia sublevare inopiam pauperum, qui verè pauperes sunt; non voluntariorum validorum, otiosorum, mendicantium, quales Monachi mendicantes sunt, & in populo Dei tolerari severè Deus vetuit; cùm vos contra mendicitati sic provideatis, ut liberalitate aliorum ea foveatur; &, ut breviter clareque dicam, ut nunquam tanta sit, imò tanta esse possit liberalitas, ut non mendicent ii ipsi, in quos superstitiosa liberalitas opes plus quàm Regias profuderit, quasi dolium sit Danaidum, vel numero quatuor insatiabilium, quæ nunquam dicunt: *Sufficit*; mendicitas Monachalis quinto loco annumerari debeat. Sic ergo mendicantes vestri omnia reliquerunt (imo sæpe nihil, sæpe parum) ut, laicis sua in otiosos ventres profundentibus, omnibus illi abundent. Nec *spiritualia exercitia* prætexi possunt, quia pleraque Monachorum exercitia nil minùs quàm spiritualia sunt, &, si verè spiritualia sunt, à privatis, quales Monachi, qua tales, sunt, pro temporalibus vendi non debuerant; qui & orandum sibi & laborandum (nempe ad lucrandum panem sine mendicitate 1. Thess. IV, 11. V, 17.) meminisse debent. 6. De cœlibatus voto nos quoque plus satis supra. Calumnia ne ergo est, dicere, *Monachos fornicationem matrimonio præferre?* Atqui inter *κυρίας δόξας* vestras hoc effatum est. *Sacerdos* (adeóque etiam Monachus, quia cùm utrosque vovisse continentiam dicatis, parium par ratio esse debet) *aut domi concubinam foveat, tametsi gravi sacrilegio se obstringat, graviùs tamen peccat, si contrahat matrimonium*, inquit Costerus *Enchirid. cap.* 19. libro a Theologis Moguntinis, Coloniensibus, Trevirensibus & Lovaniensibus probato laudatóque. Quid multis? Per calumniam id vobis impingi quereris, & simul pulchrum adeò dogma defendis. Sed si de fornicatoribus, semel, bis térve fornicantibus verum est, quod dicis, an etiam de iis, qui *domi suæ concubinas fovent*, verum esse, dicere ausis? Annon enim cum illis continuata fornicatio committitur, æquè ac continuata consuetudo in matrimonio obtinet? Et tamen etiam concubinatus à vestris misogamis matrimonio præfertur. Fingis etiam sacrilegium & incestum, ubi nullus est, ut fornicatores, quos Deus judicabit, conjugibus præferre tibi liceat. Votum illicitum profanatio nominis Dei est: rescissio contra voti illiciti honesta est, procul incestu & sacrilegio omni. Sed solent sic novitii absurda absurdis, turpia turpibus defendere. Veteres enim Canonistæ & Scholastici castiùs longè senserunt. Gratianus ex Concilio Neocæsariensi *dist. 28. c. 9. Presbyter*, inquit, *si uxorem duxerit, ab ordine deponi debet. Quòd si fornicatus fuerit, extra Ecclesiam abjici, & inter laicos redigi oportet.* AB ORDINE, ait hic glossa, *id est, ab officio, & non beneficio. Et secundum hoc magis punitur Sacerdos, qui fornicatur, quam qui legitimè contrahit: & hoc ideo, quia fecit contra sacrum ordinem, & etiam contra legem: & ideo minùs peccat ducendo uxorem, quia credit hoc sibi licere.* Utri jam fidem merentur, Patres Neocæsareenses, & Gratianus: an Costerus & Redingius? Certè adversantur frontes.

ARG. III. Scriptura cultus electitios damnat Deut. XII. 32. Coloss. II. 23. At Monachi novum & fictitium cultum promerendi Dei causa instituunt; nullo vocationis Dei intuitu, nulláque ejus approbatione vivendi genus, quale libet, sibi ipsi comminiscuntur, & unà cum cucullo mille superstitio-

num

num laqueos ſibi induunt. Eſtque obſervatu digniſſimum, quòd Paulus Coloſſ.II.21.22.23. voluntarium cultum perſtringens, ideam fictitiæ religionis Monachalis veluti digito demonſtrat. Damnat enim cultum eorum, qui vetant *tangere*, mulierem nempe conjugem; *contrectare*, rem puta dominii non ſui; *guſtare* certos cibos, ſive omnino, ſive certis diebus. Quibus adde votum obedientiæ in præcepta hominum *καταβραβευόντων præjudicium foventium, πεισμονῆς οὐκ ἐκ καλοῦντος, obſequii quod non eſt ex vocante*, ib. v. 18. cum Gal. V. 8. Divino igitur mandato & promiſſione deſtituti & voluntarium ejuſmodi cultum deligentes nihil hic faciunt ex fide, neque habet eorum conſcientia, quo ſe apud Deum ſuſtineat.

RESP. REDING: 1. *Atqui tota Monachatus ſubſtantia in tribus caſtitatis, paupertatis & obedientiæ votis conſtituta, in verbo Dei fundata eſt. 2. S. Paulus proin Col. II. 21.22. &c. agit adverſus illos, qui, vetere Teſtamento jam abolito, res hac lege olim prohibitas contendebant in Novo etiam Teſtamento neque tangendas, neque guſtandas, neque contrectandas. quod totum à præſente inſtituto remotiſſimum eſt. Idem ſenſus eſt loci Gal. V 8.* Ibid. pag. 282-295. Reſp. 1. De votis illis infra ex profeſſo agimus. 2. Sed & Coloſſ II. 21.22. &c. apertiſſimè vota cœlibatus, paupertatis & obedientiæ perſtringi, ſupra *Seſſ. XXIV. Quæſt. IX. ad Object. I.* clariſſimè demonſtravimus. Eò proin lectorem remittimus, ne ταυτολογεῖν cogamur. Damnat idem Apoſtolus Gal. V. 8. *πεισμονὴν οὐκ ἐκ τοῦ καλοῦντος, obedientiam quæ non eſt ex vocante*, qualis erat Galatarum veritati non parentium, adeóque malè currentium. Quid votum obedientiæ religioſæ præceptis humanis præſtitæ aliud eſt? Nam obedientia religioſa ſoli vocanti Deo, non vocantibus hominibus, quorum nullum in religionem imperium eſt, debetur. Parium par ratio eſt.

ARG. IV. Monachi à Magiſtris hominibus vitæ ſuæ regulam ſortiti, deſertis fidelium cœtibus peculiaria inſtituta, quæ nec Chriſtus approbavit, nec eccleſia obit, ſectati, & ab hominibus denominati, non obſcurè ſe ipſos à Chriſto & univerſa eccleſia reliqua abſcindunt. Paulus ſanè Corinthios acriter tanquam *σαρκικοὺς carnales* carpit, quòd quidam eorum dicerent: *Ego ſum Pauli, alii ego ſum Apollo, alii ego ſum Cephæ*; 1. Cor. I. 12. Hieronymus dial. contra Lucifer. *Sicubi audietis eos, qui dicuntur Chriſtiani, non à Domino Jeſu Chriſto, ſed à quoque alio nuncupari, ut Marcionitas, Valentinianos, ſcito non eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti eſſe Synagogam.* Chryſoſtomus quoque homil. 33. in Act. Apoſt. *Nobis nullus Vir nomen dedit, ſed fides ipſa.* Viderint igitur, qui à Franciſco, Dominico, Benedicto &c. denominari amant, annon idem, quod olim Corinthii, Marcionitæ &c. crimen incurrant? Chriſti fides in unum nos corpus compegit. Et Baptiſmo in unum corpus baptizati ſumus, ut dicamur Chriſtiani. Si Paulus ne ab Apoſtolis quidem Chriſtianos denominari voluit, quantò minùs hodie ferret, alios dici Benedictinos, alios Franciſcanos, alios Dominicanos? Dixiſſet, ita Chriſtum dividi, unitatem corporis ejus lacerari,

rari, crucem & baptiſmum ejus profanari. Neque obeſt, quòd Monachorum nomina non à doctrinæ authore, ſed à ſeverioris diſciplinæ inſtitutore deſumpta cauſantur. Hoc enim non impedit, quò minùs ſint ſchiſmatici. Saltem in diſciplina vivendíque modo diſcrepant, & pluris novi ſui inſtitutoris, quàm Chriſti nomen faciunt, dum nomini omnibus filiis Dei communi vel hominis, vel loci, vel novæ alicujus inventionis nomen præferunt. Et quis inficias ire poteſt, Monachatum eccleſiæ unitatem ſcindere, cùm Monachi Anachoretæ quidem ἀπανθρωποι cœtus exercendæ communi concurſu pietati, tum à Chriſto, tum ab Apoſtolis inſtitutos, & ab iiſdem frequentari ſolitos negligant: Cœnobitæ verò ſibi peculiares conventus inſtituant, & ſeorſim à reliquis, in quibus ſunt privati ritus, privata ſacra, privatæ ædes, in quibus illa omnia privatim peraguntur? Ne quidem Monachorum ordines inter ſe communicant. Accedit variarum ſectarum inſtitutio. Eccleſiæ quidem ea natura eſt, ut non ſit nomen generis ſub ſe continentis ſpecies differentiis diſtinctas: ſed potiùs ſpeciei continentis ſub ſe individua multa nonniſi numero diſparata, uti liquet inſpicienti loca Joh. XVII. 21. 2. Cor. XIII. 11. Phil. III. 15. 16. At Monachatus inſtituto factum, ut diſtinguantur etiam propriis differentiis, planè ſicut in ſectis & hæreſibus factum. Monachiſmus enim genus eſt, cujus ſpecies ſunt Eremitæ, Cœnobitæ, & Cœnobitarum Baſiliani, Auguſtiniani, Benedictini, Franciſcani, & hi ipſi rurſus diſcreti in varia nomina. Quid eſt Chriſtum dividere, & inconſutilem ejuſdem tunicam lacerare, ſi hoc non eſt?

RESP. REDING: 1. *Annon Chriſtus Matth. XIX. 16. Marc. X. 17. Luc. XVIII. 8. duplicem Chriſtiani hominis ſtatum expreſſit, alterum in præceptis, alterum in perfectione, poſtulante, ut quis omnibus bonis temporalibus ſe abdicet, Chriſtum ſequatur, &c. conſiſtentem; de quorum priore ſic Chriſtus pronuntiavit, quòd ad vitam æternam ſufficiat, ut tamen ei aliquid ampliùs deeſſe, apud Marcum & Lucam dixerit. Ipſe Calvinus Inſtit. lib. IV. 13: 13 fatetur, Patres locum Matth. XIX. 16.* Si vis eſſe perfectus, *&c. ſic intellexiſſe, ut inde voluntariæ paupertatis affectatio nata ſit.* 2. *Paulus 1. Cor. I. 12. contra eos diſputat, qui fidei unitatem tollunt, & ſecundum dogmata fidei ab aliis denominationem ſuam accipiunt. Salva verò fidei unitate, Chriſtus ipſe ultra ſubſtantialem Chriſtianis omnibus communem ſtatum, alium inſuper perfectionis ſtatum peculiarem inſinuavit, à quo etiam peculiaris denominatio, communi ſuperaddita, derivari poteſt.* 3. *Quia verò religioſa obedientia ſervari non poteſt, niſi in certa virtutis materia ex Evangelii ſacris doctrinis per ordinum inſtitutores deprompta & præſcripta, hinc talis inſtitutionum religioſarum varietas reſultat, ut iſtam ſpecialibus denominationibus denotare, Eccleſiæ in univerſis fidei dogmatibus unitati nihil obſtet, neque adeò ſchiſma ullum inducat.* Ibid. pag. 295 296. Reſp. 1. Cave Chriſtum authorem ſchiſmatici Monachatus dicas. Ille enim nuſpiam juſſit ſeparatos, imò & privatos cœtus, ſectas propriis differentiis, ritibus, obſervantiis, & authorum nominibus diſtinctas, mutuæ Chriſtianorum charitatis & fraternitatis devoratorias, inſtituere. Neque enim Matth. XIX. 21.

juvenem

juvenem illum, cujus propriæ justitiæ opinionem infringere voluit, monitum, venderet sua & daret pauperibus, jussit seorsim vivere, cœlibatum, paupertatem, obedientiam vovere, regulam novam ab hominibus dictatam subire, Ecclesiæ cœtum deserere, humanitatem, charitatem, communionem Sanctorum exuere. Imò exploraturus ejus obedientiam sibi & legi debitam, & magnificè adeò à juvene jactatam, jussit (pugnat autem jussum cum voto) *bona vendere*, & *dare pauperibus*, non divitibus illis, qui in claustris & seorsim extra cœtus Christianos vitam omni bonorum terrenorum copia circumfluentem transigunt, nec otiosis & validis mendicantibus, sed illis, qui verè pauperes beneficentia opulentiorum indigent. An Monachi bona sua vendunt, & verè pauperibus impertiuntur? Annon potiùs suæ sagenæ sacrificantes, curam pauperum procul maximè habent? *Perfectionis* hic status vester est, sed carnalis, non spiritualis, de quo S Paulus Gal. III. 3. *Adeò amentes estis? Incipientes spiritu, nunc carne perficimini?* Præterea Christus dicens: *Si vis esse perfectus*, loquitur de *perfectione* post vendita bona *adepta*, qualem Episcopi vestri venditant; non *adipiscenda* demum in statu novo, qualem Monachi, qui bona sua statum novum ingressi non vendunt, sed vendiderunt, adeóque mandatum Christi implentes, jam perfectionem adepti sunt. Denique nec *Religio*, qualem Monachatum facitis, uspiam in S. literis notat statum: nec status religionis alius potest esse à statu gratiæ, qui omnibus fidelibus, Christo insitis, & in Regnum Dei translatis, convenit: nec ullus datur Christianorum status *in præceptis* legis (qualia Christus Matth. XIX. 20. enumerat) à *perfectionis* extra præcepta legis positæ statu distinctus; quia homo non ex operibus legis, sed ex fide justificatur; & quod *deesse* Christus dixit, non supererogatum quid supra præcepta legis, sed δοκιμὴν, experimentum obedientiæ legalis jactatæ, notat: nec *perfectio* comparata, qualis sola Christianorum quorundam in fide & vita provectiorum est, & *imperfectio* minùs provectiorum diversos religiosos status, separatos cœtus, distincta instituta & observantias exigit, quia perfectio, & studium tendentium ad perfectionem circa eandem fidem, pietatem & pietatis exercitia occupatur. Secundum fœdus operum perfectio est, *diligere Deum ex toto corde*, scilicet & sincerè, & summa intentione, & constanter sine omni defectu. Hæc perfectio in solo Christo homine omnis peccati experte fuit. Neque eam Monachi omnia vendentes licet, nisi vendant ex perfecto amore (qualis in nullo homine peccatore est) assequi queunt. Secundum fœdus autem gratiæ perfectio nostra est, abnegare justitiam nostram, sperare in Deo, & ad sanctificationis perfectionem contendere. Supra hanc nulla homini possibilis perfectio est. Ad hanc tendere omnium Christianorum communis, non propria Monachorum religio est: & ad illam non contendere studio, defectus est, qui fidelibus in voto eam habentibus propter Christum remittitur. Neque etiam Patres ex hoc loco perfectionis statum à præceptorum statu distinctum elicere conati sunt; sed *nonnulli*, ità Calvinus *Inst. lib. IV.* 13. 13. (non 3.) fatetur, (non omnes) *malè locum intellexerunt, ut hinc nata sit voluntariæ paupertatis affectatio.* Aliud autem est voluntaria paupertas: aliud perfectionis status à communi Christianorum statu separatus, de quo ne somniavit quidem Patrum ullus. 2. Satis equidem fidei unitatem tollunt, qui religionum diversarum status à communi separatos introducunt. Hoc ipsum enim fidei repugnat maximè, juxta quam fideles non tantùm sunt membra Christi, sed etiam alii aliorum membra, non plura, sed unum corpus Christi. Rom. XII. 5. & nefas est instituere sectas, propriis differentiis distinctas, cùm Ecclesiæ Christianæ ea, uti diximus, natura sit, ut non sit nomen generis, sub se continens species, quæ specificis differentiis discrepant; sed speciei individua sub se continentis, nonnisi numero differentia, locoque disparata, uti

ex Joh.XVII.21.Rom.XV.5. 1.Cor.I.10.Phil.II.2. III.15.16. colligitur. secus planè quàm in hæresi & Monachatu factum, ubi hæresis, nomen generis, sub se continet species Arianorum, Nestorianorum, &c. & pariter Monachatus nomen generis; cujus species sun Cœnobitæ, Eremitæ; tum rursus Cœnobitarum species infimæ, contra Apostoli 1. Cor. I. 12. præceptum, ab hominibus authoribus nuncupati, Basiliani, Augustiniani, Benedictini, Franciscani &c. & hi ipsi discreti in varia nomina, pœne in infinitum. Sive ergo innumeræ hæ Monachorum sectæ in fide consentiant, sive dissentiant (dissentire autem hostiliter in plurimis, contraria Thomæ & Scoti castra testantur) id saltem fidei contrariatur, quò sic Ecclesiæ unitas scinditur, sectæ, religiones, ritus, observantiæ multiplicantur, humana authoritas introducitur. Hæc tibi argumenta diluenda fuerant. quæ sicco pede, quia diluere non potuisti, transvectus es. 3. Religiosæ obedientiæ materia una eademque Christianis omnibus communis est. Neque in hunc materiæ censum veniunt observantiæ speciales, Monachatus τὸ πᾶν καὶ ὅλον, puta σωματικαὶ γυμνασίαι *corporea exercitamenta*, uperstitio vestium, tonsuræ, calceorum, cingulorum, ciborum, in quibus singularem sanctitatem, imò & perfectionem miseri collocant; cùm *rationem* duntaxat vel *speciem* (apud rerum Divinarum rudes) *sapientiæ* habeant *in cultu voluntario, & summissione animi, & in eo, quòd corpori non parcant*, Col.II.23.

ARG. V. Vota quoque substantialia Monachatus verbo Dei contrariantur. De voto cœlibatus superiùs à nobis actum. Votum *paupertatis*, seu abdicatio dominii voluntaria pugnat tum cum Dei mandato, & jubentis in sudore vultus vesci pane, Genes. III. 19. cum 2. Thess. III. 10. & vetantis, ne indigens & mendicus reperiatur in populo Dei, Deut. XV. 4. tum cum Sapientis voto, paupertatem deprecantis Prov. XXX. 8 tum cum Pauli sententia, quòd beatius sit dare, quàm accipere Act XX. 35. quódque non laborantes ambulent ἀτάκτως *inordinatè* 2. Thess. III. 11 Impedit etiam hoc votum majus bonum, quia sufflaminat officia charitatis in fratres, & proximos quosque. Unde Christus Marc. VII. 10. damnat Scribas & Pharisæos, qui prætextu religionis inhibebant sibi ipsis officia charitatis in egenos. Et Sapiens Eccles. VII. 1. 2. docet, bonam esse Sapientiam cum hæreditate, hoc est, meliorem esse conditionem ejus, cui adest Sapientia, non distituta rerum proprietate. Votum *obedientiæ*, cumprimis cum subjectione judicii proprii, & voluntatis in judicium & voluntatem alterius, uti Bellarminus definit, & tali quidem, uti Lojola *in Epist. ad Fratr. in Lusit. de Obed. Sect. 9. & 12. nec non in fine regulæ societatis p. 142.* definit, subjectione, *ut quisque secum statuat, quicquid superior præcipit, ipsius Dei præceptum esse & voluntatem, atque ut ad credenda, quæ Catholica fides proponit, toto animo assensúque statim incumbit: sic ad ea facienda, QUÆCUNQUE superior dixerit, CÆCO quodam IMPETU voluntatis parendi cupidæ, sine ULLA prorsus disquisitione, exemplo Abrahami Isacum immolare jussi, feratur*, tale, inquam, cæcæ obedientiæ votum pugnat non tantùm cum præcepto Apostoli, qui vult servos secundum carnem suæ in Christo libertatis esse memores

mores 1.Cor.VII.22.imò libertatem quærere,si possint v.25.& omnino cum Christiana libertate Gal.V.1.& cum statu Novi Testamenti,in quo non est δοῦλος καὶ ἐλεύθερος *servus & liber* Gal.III.28.hoc est, quoad religiosam servitutem,discrimen liberi & servi : sed etiam cum ipsa obedientia,quæ soli Deo debetur Matth.IV.10.& cum bona conscientia, quæ postulat τὰ διαφέροντα δοκιμάζεσθαι *probari ea, quæ meliora sunt.* Rom.II.18. Phil.I.10. Paulus sanè jussit captivare intellectum nostrum, sed in obsequium Christi, non in obsequium hominis. Ne dicam,cæcam illam obedientiam fontem esse facinorum audacium ac desperatorum, ab iis patrandorum, qui mandata Superiorum ἀβασανίστως exequi tenentur, adeóque de iis, bona an mala sint, judicare non audent. Irridetúrque Deus apertè, cùm ei quis vovet, quòd hominem ipsius Dei loco habiturus sit. Jam & votum cucullæ,habitus & tonsuræ certæ,inprimis verò muliebris,quem sexum *cæsariem tonsam* decere jam olim Ambrosius in Hexaëmero negavit, contra bonos mores, modestiam & Christianum pudorem apertè militat. Denique vota Monastica voto in S.Baptismo nuncupato derogare,superiùs manifestum fecimus.

Resp. Reding : 1. *Religiosi in sudore vultus per exercitationes varias tum inordinatarum corporis affectionum mortificatrices, tum spirituales Divinorum studiorum & salutis proximorum curandæ labores vescuntur pane Superiorum Providentia concesso; eademque ratione implent voluntatem Dei Leut.XV.4. ne sit mendicus in Israele. Proprietate igitur divitiarum abjecta sic de jure pauperes sunt,ut quoad usum facti,juxta illud 2.Cor.VI.10. sint nihil habentes,& omnia possidentes; ex quibus plerunque superest,quod in pauperes laicos erogent. 2. Neque adeò paupertatis illud votum officia charitatis erga proximum sufflaminat,quia aliis longè præstantiores Divinorum charismatum thesauros impertiuntur,quàm ut cum iis terrestres divitiæ comparari possint. Et inspecta juris proprietate eatenus sunt pauperes,ut sapientiam præcipuè excolant,& una cum Christi hæreditate possideant. 3. In voto obedientiæ abdicatur judicium proprium per lapsum Adami corruptum, & subjicitur Ministris Christi ex ejusdem præcepto Luc.X.16. Qui vos audit,me audit. Obedientia igitur illa quoad dexterum in Divina præcepta intentum oculum maximè provida,cæca duntaxat est quoad oculum sinistrum,in depravatæ naturæ affectione defixum. Quæ proin ratione mandata Divinitus tradita eatenus probantur,quæ meliora sunt,ut legitima conscientiæ subsistat ratio, quæ in principia moralia ex Deo manantia reducitur. 4. Tantum ergo abest,ut sic irrideatur Christus, ut potiùs ejus sequela subeatur,dum obeditur superioribus ejus authoritate constitutis,quæ vera libertas est, servituti carnalium desideriorum adversans.* Ibid. pag.297.298.

Resp. 1. Vesci pane aliorum beneficentia concesso : & vesci pane in sudore vultus sui ἀσύστατα sunt. Perinde enim est ac si diceres,idem esse,vesci pane in sudore vultus sui; &,vesci pane in sudore vultus alieni. Legem Deus ipse ab initio post peccatum homini ejusmodi posuit Genes.III.19. בזעת אפיך תאכל לחם *In sudore vultus tui vesceris pane*, nempe per sudorem vultus,adeóque laborem corporis comparato,& sic facto proprio. Unde Græci לחם reddunt τὸν ἄρτον σου *panem tuum.* Neque enim sudore vultus sui acquisitus pa-

nis dici potest ille, in quo nihil proprii acquirens habet. Voluit ergo Deus non manducari à quoquam panem non sibi proprium. Qui ergo omnium rerum proprietati abrenuntiant, hos manifestum est religionis prætextu Divinam institutionem in Novo etiam Testamento 2. Thess. III. 11. disertè repetitam violare, quasi religionem ingressis religio jus daret leges à religione Divina & natura ipsa præscriptas, violandi & pro nihilo habendi. Sed Religiosi, sic Redingius, *mortificant actiones corporis, & spiritualibus laboribus defunguntur*; adeóque *sudore vultus sui* non carent. Qualis sudor Religiosorum sit, novit orbis, decantans de fratribus claustralibus vulgatum illud: *Sudant, cùm vorant.* Sed misso hoc, ridiculus Redingius est, pro sudore vultus, quo panis propius, id est, stylo Hebraico, quicquid ad vitam sustentandam necessarium est, *mortificationes carnis propriæ, & spiritualia exercitia*, puta, orandi, cantandi officium, venditans. Etenim sudor vultus labor corporis est, qui ad victum comparandum refertur. Comparatur autem victus vel *ex suo*, ab iis, qui dominium habent in res eas, à quibus homini victus est, quorum proin labor occupatur in proprio fundo, ut ex eo vivant, sive labor ille aliis prosit, sive non: vel *ex alieno*, ab iis, quibus fundi nihil est, ut necesse sit aliis laborare, & labore suo ad acquirendam sibi mercedem prodesse; quomodo Paulus se exercuit tentoria faciendo; quo labore sibi victum providit, ut aliis prodesset, & tentoria utenda faceret. Monachi ergo in sudore vultus sui victum comparant vel ex suo, vel ex alieno. Atqui non *ex suo*, quia proprietatem ejurantes, ex suo vivere non possunt. Non *ex alieno*, quia quicquid laborent, sibi solis prosunt, non aliis; (quomodo etiam fuci comedendo laborantes, sibi, non aliis prosunt;) & tamen ex alienis vivere volunt. Esto ergo, laborent mortificando carnem, orando, psallendo (tenentur tamen & alii simul ad hæc omnia, simul ad laborem corporis, quo victum vel ex suo, vel ex alieno comparent) At sic laborando sibi carnem suam mortificant: sibi orant: sibi cantant. Quibus enim aliis carnem propriam mortificant, cantant, orant Eremitæ? Quibus Cartusiani, Moniales, Nonnæ? Non enim institutum Monachorum propriè est, ut publico prosint, sed ut sibi perfectionem acquirant. exceptis paucis, qui prædicandi munus in se susceperunt, à statu eorum, & voto Monachismi alienum, & ex desidia eorum, ad quos hæc cura pertinebat, raptum potiùs, quàm ab Ecclesia delatum. At vivere ex alieno, & non prodesse aliis, non tantùm omnibus commune, sed etiam professioni eorum essentiale est. uti *mendicitas*, quam vovent, demonstrat. Non ergo ex sudore vultus sui vescuntur pane suo; sed cùm otiosi vivant, saltem nemini alii prosint, omnibus sunt oneri. & Divinam institutionem, ipsiúsque naturæ instinctum violant manifestissimè. Neque adeò implent voluntatem Dei, Deut. XV. 4. apertè vetantis, ne in populo Dei sit אֶבְיוֹן *mendicus*, id est, pauper vel validus & otiosus, qui fuci instar ex alieno vivat, & aliis non prosit: vel invalidus & infirmus, qui ab ejusdem Reip. civibus non sustentetur. Cùm autem Monachi aliorum beneficentia sustentari licet, invalidi plerunque & infirmi non sint, & mendicitatem profiteantur semper, adeò ut nunquam tanta erga illos esse possit liberalitas, quin, ceu insatiabiles voragines, mendicare usque pergant; cùm, qua tales, nemini alii prosint, sed suæ tantùm sagenæ sacrificent; liquet sanè, ejusmodi mendicos illos esse, quales in populo suo esse Deus vetuit. Neque erravit Redingius, iisdem applicans verba Apostoli 2. Cor. VI. 10. *Nihil habentes, & omnia possidentes.* Revera enim nihil habent, sudore vultus sui partum: & tamen omnia possident, alieno sudore & sanguine parta, & superstitionis hamo ad se pertracta. Si quando ergo nonnulli (nam de mendicantibus frustra tale quid expectaveris) in *laicos pauperes* aliquid erogant, non sua, sed aliena erogant. cùm S. Paulus Ephes. IV. 28. jusserit *operari bonum manibus, ut habeamus, quod impertiamur indigis.* 2. Quos verò *charismatum*

tum Divinorum thesauros aliis Monachi impertiantur, exponendum Redingio fuerat. Nam qua tales, sibi nati, sibi vivunt, & ad perfectionem propriam, non alienam, se aspirare profitentur. An ut ipsi perfici, sapientiam excolere, Christi hæreditatem possidere, aureolas mereri possint, alii opes suas iis conferre tenentur? Sunt tamen illæ partes (excepto aureolarum merito) Christianorum fidelium quorumvis, qui tamen eo ipso ab officio laborandi, & in sudore vultus sui panem lucrandi, neutiquam liberantur. 3. Obedientia cæca, seu potiùs infinita, quæ nullis legibus & conditionibus coërcetur, & quæcunque tandem fuerit aliena voluntas, hanc sibi *ἀνεξετάστως* exequendam promittit, soli Deo debetur, in cujus imperia, dummodo verè Divina esse constet, inquirere, iisque rationem ullam, quacunque specie blandiatur, objicere nemini fas est. Atque hic creatura judicium proprium, quo præcepta Dei examinet, nullum habet: quin totum illud, sive corruptum, sive sanatum, judicio & voluntati Dei in solidum subjicit. Obedientia verò finita, Creaturis quibusvis debita, qualis illa est qua inferiores superioribus, docendi doctoribus auscultant ob- diunque, obedientiæ certos limites circumscriptos habet, quos si migrarit obediens, stultè, & si Deus limites constituerit, impiè facit. Nemo ergo obedientiam reddere debet, nisi certus sit, legitimè se reddere posse. Atque hoc ipsum exigit usum judicii proprii, non corrupti equidem per peccatum, sed per gratiam sanati, quo dicta & imperia superiorum expendantur, an limites hominibus præscriptos exeant, nec ne, ut obedientia cum *πληροφορίᾳ τοῦ certitudine animi* (Rom. XIV. 5.) præstari possit. Hunc verò judicii proprii usum obedientia cæca, quam Religiosi vovent, tollit. Licet enim videri nolint postulare ejusmodi obedientiam, qua quis superiori peccatum jubenti obedire teneatur: tamen, cùm ad rem ipsam ventum est, ei, cujus sunt obedientis partes, nullas esse volunt judicandi partes; atque id ipsum *perfectam sui abrenunsiationem* appellant; qua scilicet obedientiam voventes se subjiciant non Deo, non hominibus verbum, legem Dei proferentibus & prædicantibus, cujusmodi olim erant Prophetæ & Apostoli, atque hodiéque Pastores & Doctores sunt; sed hominibus, non ea imperantibus, quæ à Deo acceperint, sed suos varios animi motus expromentibus, interdum seriæ, interdum joco vel tentandi gratiâ; quibus imperandi jus nullum est, nisi ab eorum voluntate, qui se iis sponte, non jubente Deo, subjiciunt; quíque adeò à Deo non impositi, sed humano arbitrio constituti sunt: atque sic sponte delectis superioribus cum bruta stupiditate se subjiciunt, ut judicii proprii, sani etiam, partes penitus ejurent, neque discretioni locum ullum relinquant; denique eodem modo homuncioni, nullam in Ecclesia, nullam in Rep. potestatem obtinenti, neque imperia à Deo accepta proferenti obediant, quo uni solique Deo obediendum est. Hoc quid aliud est, quàm hominem convertere in Deum: & pretio Christi emptos servos hominum reddere? Alienissima ergo à Superioribus ejusmodi sunt Christi ad Apostolos dicta: *Qui vos audit, me audit*, Luc. X. 16. quia illi in Ecclesia superiores à Christo constituti, non hominum arbitrio delecti erant; & audiendi non erant, nisi quatenus Christi verba loquerentur, & se loqui demonstrarent, judicarique à prudentibus, discretionis judicio proprio utentibus possent. Frustra etiam obedientiæ huic *dextrum in præcepta Divina intentum oculum* deputas, quia obedientia saltem illa, quam vovetis, & de qua hic disputamus, tota cæca, & utroque oculo capta, judicii nullas partes admittit, nec disceptari patitur, an v. g. sit jus fásque se injicere in caminum ardentem, si jusserit Abbas: an se quis debeat alto committere absque remis & velis, si Papa jusserit. *In religione* (sic Ignatius apud Maffejum *lib III. 7.* & Ribadeneiram *lib. V. 4*) *duo sunt obedientiæ genera, quorum alterum imperfectum est, alterum perfectum & omnibus absolutum numeris, in quo vis obedientiæ eluces, hominisque*

Religiosi

Religiosi virtus maximè apparet. Imperfecta obedientia malè oculata est, perfecta sapienter cæca. Illa judicium suum de imperatis rebus sibi servat: hæc judicium proprium non habet. Illa in alteram propendet partem: hæc in neutram movetur. Illa mandatis paret, judicio repugnante: hæc judicium judicio: voluntatem superiorum suorum subjicit voluntati. Paulò post: *Hæc obedientia rectissima est, & omnibus expleta numeris, maximéque excellens, qua veluti captivatus omnis intellectus in obsequium obedientiæ, & id rectum credimus, quodcunque sit nobis à superioribus præscriptum: neque rationes præscripti exquirimus, aut sequimur, sed obedientiam avidè arripimus, nulla alia de causa, quàm quia obedientia est.* Iterum: *Non debeo cogitare qui me gubernat, summusne, an medius, an infimus sit: sed devotionem meam omnem in obedientia collocare, & illud magni pendere, quòd loco Domini nostri* (Papæ) *præsidet. Nam personarum si distinguas gradus, perit obedientiæ vis.* Denique: *Ita me instituam, quasi corpus mortuum, quod neque voluntatem, neque sensum habet: secundò non aliter, quàm parvulam quandam statuam, quam quoquoversum velis, haud repugnantem vortas: tertiò talem me fingam atque præstabo, qualis baculus in manu senis est, ut me ad arbitrium suum utatur, ibique ponat, ubi eum adjuvare maximè possim. Sic ego paratus ad omnia sim, ad quæ mea religio me uti velit, nihilque recusem, quod sit imperatum.* Exemplo præiens idem Ignatius, dixit: *Si summus Pontifex imperaret, ut ostio Tiberino scapham, vel navigium quodcunque primum intervenisset, clavo, malo, velis cæterisque armamentis spoliatum conscenderet, & ita absque ullo commeatu mare trajiceret, se id non solùm æquo, sed etiam lubente animo facturum. Cùm autem quidam summus vir, hunc illius animum admirans, Ignatio diceret, quæ isthæc esset prudentia? Respondit Ignatius: Prudentia, Domine, non tam est parentis, quàm imperantis.* En, Redingi, Religiosæ obedientiæ utrumque, & dextrum & sinistrum oculum effossum, nec quicquam ei judicii, providentiæ, prudentiæ, nisi in prompto obsequio præstando, relictum! Talibus subditis, seu potiùs lignis νευροσπάστοις, alienis nervis mobilibus, gaudet Papa, Supremus ille Ecclesiæ suæ Αυτοκράτωρ & Monarcha. Singulorum enim Ordinum Generales Romæ sunt, velut apparitores Papæ stantes rigentésque ad nutum ejus excipiendum, & inferioribus Dominis, Abbatibus, Rectoribus &c. atque ab his singulis in Papæ & Superioris sui verba juratis impertiendum. Ita promptè expeditéque Papæ imperata capessunt faciúntque omnes, perinde ac si supremum is Numen esset, uti revera tale ipsum faciunt. Atque hoc illud *morale* obedientiæ Religiosæ *principium* est, in quod judicium, conscientiámque obedientis Redingius devolvit. 4. Non ergo sic Christi, sed Papæ unius soliusque sequela subitur, quæ servitus indignissima est, qua carnalibus unius hominis desideriis miseri se devovent nexu, quod ajunt, mancupióque. Palámque adeò irridetur Christus, cùm quis ei, quod hominem ipsius loco habiturus sit, adeóque in Deum, Christum ipsum conversurus sit, vovet.

ARG. VI. Basis Monachatus totius consistit in consiliis Evangelicæ perfectionis, hoc est, ut illi definiunt, *in operibus haud equidem in lege præceptis, at in Evangelio ad consequendum supremum ejus gradum commendatis, quæ omittere peccatum non sit, nec pœnam habeat; facere autem majoris sit meriti, sive præmium majus, aureolas videlicet habeat.* At consilia ejusmodi nihil aliud sunt, quàm *præceptum hominum condocefactum* Esaj. XXIX. 13. & revera עצה הרשע *consilium improbi*, Psal. I. 1. utpote quæ sub specie augendæ religionis homines a lege Dei, & consequenter à Christo, in quo legis complementum est, & à vera resipiscentia

scentia ad falsa merita, ad aliud *χάραγμα*, *signaturam aliam*, divinæ legis *παραχάραγμα adulterium*, ad alias satisfactiones, aliam denique viam, hoc est, *ἀποστασίαν defectionem* abducunt. Nemo potest implere legem Dei, ut inde justificetur, multò minùs excedere dilectionem eam, quam lex præcipit. Præterea consilia ejusmodi vel pertinent ad amorem Dei, vel non. Si posterius, præpostera & prava sunt. Si prius, præcepta sunt. Lex enim præcipit amoris Divini omnes gradus, adeóque etiam eminentissimum, perfectissimum. Jubet enim Deum diligere ex toto corde, toto animo, totis viribus. Ad quam proinde amoris Divini perfectionem aspirandum est omnibus sine discrimine electis & fidelibus, quanquam summus amoris gradus in hac vita, obstante concupiscentia, quæ novissima exuitur, à nemine obtinetur, adeóque cælesti vitæ proprius & eximius est.

RESP. REDING : 1. *Christus ipse statum perfectionis, qui de consilio, non de præcepto sit, instituit: & Ecclesia semper retinuit. Et vota sub Evangelio etiam licita esse, ipsimet fatemini. 2. Cùm dilectioni Divinæ Christus ipse Joh. XIV. 21. promiserit, fore, ut qui se diligit, à Patre diligatur, adeóque Christus una cum Patre ad ipsum veniat; insupérque contritioni charitate formatæ peccatorum remissio promissa sit, qui verum esse potest, neminem ex viribus gratiæ Deum diligere, & dilectione tali, qua lex impletur, justificari posse? 3. Gradus equidem appretiativus dilectionis Dei summus obligat, sic ut neminem supra Deum diligamus. At gradum summum amoris intensivum, situm in actionis vehementia, per quam ex voluntate, ceu principio per gratiæ vires elevato effectivè procedit amor Dei, sub perfectissima actuationis intra animæ animam radicatione: nec non extensivum, in duratione, aut frequentiore Divinorum consiliorum, quàm debeatur, reiteratione, vel in actus supererogatorios effluxu consistentem, lex in mortali vita hac non requirit. Gradus ergo amoris intensivè & extensivè summus sub consilium, non sub præceptum cadit.* Ibid. p. 298.299. Resp. 1. Quæ pro institutione Divina consiliorum affers, infra *ad Obj. VI.* diluimus. 2. Dilectio Christi, nec non observatio mandatorum ejus, & dilectio à lege præcepta ex toto corde, non idem sunt. Nam Christum diligere, ejúsque præcepta servare etiam peccator potest. Nemo enim in hac vita mortali peccati exsors est: & saltem, vobis etiam confitentibus, multi peccati exsortes non sunt, qui tamen Christum diligunt, & ejus præcepta observant. Nam qui etiam *multùm* diligunt, iis multa peccata remitti possunt, Luc. VII. 47. Contra legem perfectè implere, & peccare, vel peccatorem esse, *ἀσύστατα* sunt. Neque Christo Redemptore, & vice nostra legem perfectè implente, homo peccator indigeret, si & peccator, non esse, & legem perfectè implere posset. Nihil enim ad vitam aliud, quàm perfecta legis impletio requiritur, sive ea à nobis, sive à Christo vice nostra præstetur. Cœterùm hac de re abundè supra, ubi de justificatione, & perfecta legis impletione. 3. Sed & distinctionis inter gradum amoris *appretiativè, extensivè* & *intensivè* summum figmentum supra *Sess. VI quæst. XIII. Arg.* 5. pluribus excussimus. Pugnat cum liquido verborum legis sensu, quæ à nobis omnem *cogitationem*, & מאדך *ἰσχὺν vim* (qualis scilicet in creatione homini integro data est) exigit. Non ergo satis est neminem supra Deum, vel æquè ac Deum amare (quod *appretiativè* summum amoris gradum appellas, perinde ac si uxor adultera adulterum non æquè ac maritum vel supra maritum diligens, cum summo amoris gradu, adeóque ex toto

corde, omni cogitatione & vi sua amare dici posset) sed insuper ad perfectam legis impletionem, necesse est & tota vi ac cogitatione Deum amare, & ab amore illo nunquam deficere; (deficiens enim ilico *à cogitatione, vi, corde toto*, quo amandus Deus est, deficit, & concupiscentiam amori Dei præfert) adeóque & *extensivè* & *intensivè* summo amoris gradu eum prosequi. Neque aliter charitas pullulat *ex bona conscientia* 1. Tim. I. 5. utpote quæ hoc requirit, ut testem habeamus animum nostrum judicii certissimi, studii enixissimi, explorationis diligentissimæ. Atque ideo rectè Scotus. 3. *dist.* 27. definivit, diligendum esse Deum & extensivè & intensivè summè, pro quo dicit etiam *majori affectu*. Objicienti, *non esse præceptum, quòd teneamur implere omnes gradus charitatis, sed quòd implebimus*, adeóque verba quidem ipsa significare omnes gradus charitatis, quos humana natura capere potest, sed non constituere prævaricatores, si non impleantur, respondet: *Quod additur de illo præcepto, non valet, quia pari ratione fuisset dandum præceptum de visione Dei, non ut impleretur, sed ut sciremus, quà esset tendendum, cujus oppositum satis patet.* Iccirco etiam Scholastici veteres negant præceptum de diligendo Deo ex toto corde &c. in hac vita impleri posse. Alexander Alensis *p. II. q.* 109. *m.* 6. *Præceptum*, inquit, *de diligendo Deo, non potest impleri in via, ratione circumstantiæ, quæ est ex toto corde.* Hanc porro circumstantiam *p. IV. q.* 17. *m.* 7. explicat *diligere ita, ut nihil retrahat, aliquo modo, ad tempus, ab affectione in Deum.* Lombardus Sententiarum Magister *lib. III, d.* 27 pariter: *Hoc præceptum non penitus impletur ab homine in hac mortali vita; sed ex parte, non ex toto.* Denique an perfecta dilectio & obedientia ibi est, ubi multiplex defectus, vel perfectionis privatio? Patet ergo, summum dilectionis gradum & cadere sub præceptum, & impossibilem esse (ideo enim *extensivè* & *intensivè* summum amoris gradum in lege præcipi negatis, quia impossibilem esse sentitis) & consiliis locum nullum relinquere. Nam & quod præceptum est, consilio subesse, negatis ipsi: & quod impossibile est, nec præceptum, nec consultum fieri potest.

ARG. VII. Monastices professio, status & exercitium totum est hypocriticum & Pharisaicum. Etenim *primò* profitentur supererogationem, & observantiam consiliorum, mandatorum tenorem excedentium, illi, qui præcepta ipsa nec implent perfectè, neque etiam implere possunt. Certè nemo repertus est, quem interior cordis sensus non peccati alicujus manifestum & constrictum tenuerit; juxta sententiam etiam Apostoli 1. Joh. I. 8. Cur igitur tot homines, etiam impuri & scelerati majorem perfectionem, quàm quæ in lege requiritur, vovent? Ita nempe cum Pharisæis *omisso Dei mandato tenent traditionem hominum*, Marc. VII. 6. 7. Et loco pietatis inanis ceremoniarum larva deligitur, in iisque veræ pietatis operibus neglectis, summa totius religionis constituitur, uti jam olim etiam Cassander Coloniensis Canonicus fassus est. *Secundò* vovent Monachi paupertatem. Sed revera nihil aliud agunt, quàm ut incerta stabiliant, dum privata bona relinquentes communionem divitiis affluentem ingrediuntur; statim enim atque cucullus induitur, vera paupertas exuitur. Eóque res pervenit, ut etiam Monachi nonnulli paupertatis voto illigati *Principes S. R. I.* salutari ament.

Jesui-

Jesuitarum quoque Collegia ingressus, vel regulas Societatis Jesu perlegens animadvertet, mirè his pauperibus curæ cordique esse, ut bene habitent, delicatè ægri sanique habeantur, commodè sint vestiti, bene loti, ita ut magna ista regularum pars, provincialium, præfectorum instructioni impendatur, ut quæcunque ad reditus augendos & confirmandos fieri poterunt, diligenter curent præfecti refectorii, similésque ministri: omnia nitida, tersa, & abundanter parata habeant, & ut verbo dicam, ne quicquam iis desit. Quòd si quidam mendicantes fiunt, præterquam quòd ferè omnes hodie reditibus fruuntur, ita se componunt, ut quandiu ignis purgatorius non extinguitur, ollam perpetuò ebullientem habeant. Et nihil minùs quàm pauperes esse Monachos, validè arguit iners eorundem, in quo pinguescunt, incrassantur, & computrescunt, otium, quod illis colere haud liceret, nisi de omnibus rebus abundè jam iis provisum esset. *Tertiò* etiam castitatem Monachi vovent. Quàm verò parùm voto impura eorundem vita respondeat, & mille Pontificiorum querelæ, & experientia clamat.

Mystæ vafrique cuculli
Quos castos decet esse, palam cum pellicibus, vel
Furtim cum pueris, matronis virginibúsque
Nocte dieque cubant.

Ita olim questus est Palingenius ad Ducem Ferrariæ, Zodiaci vitæ *lib. 9.* Petrus de Alliaco lib. de *Reform. Eccl.* queritur, *Monachos suis immunditiis ecclesiam commaculâsse.* Gerson claustra Monialium *prostibula meretricum* vocat *in tract. declar. defect. Eccl.* Quòd si qui corpore castos se gerunt, si recluderentur eorum mentes, libidinum faces, & animus malis cupidinibus æstuans ac dilaceratus apertè conspiceretur. Hoc nempe accidere necessum est iis, qui remedium concupiscentiæ ab ipso Deo constitutum ejurare & devovere non erubescunt. *Quartò* obedientiam cæcam vovent homini ascititio. At Deo, Magistratui, Parentibus, quos natura iis præfecit, obsequi detrectant. *Quintò*, insignem quoque hypocrisin produnt, quòd in externo habitu, vestitu, & certæ formæ ac coloris affectatione singularem sanctitatem collocant, & histrionicis suis vestibus vim inesse jactant benedictionis, imò & infallibilitatis in fide (uti id jactantes Alph. de Castro *adv. hær. lib. I. cap. 9.* inducit) non suæ duntaxat professionis hominibus, sed aliis etiam ægris sanísve easdem induentibus conciliandæ. Jam olim Hieronymus Eustachio scribens, ita affectatas ejusmodi vestes traduxit: *Sunt quæ ciliciis vestiuntur, & cucullis fabrefactis, ut ad infantiam redeant, imitantur noctuas & bubones. Sed ne videar tantùm disputare de fœminis, viros quoque fuge, quos videris catenatos, quibus fœminei contra Apostolum crines: hircorum barba, nigrum pallium, & nudi patientia*

 frigoris

frigoris pedes. Hæc omnia argumenta ſunt Diaboli. Et paulò poſt: *Apud hos affectata ſunt omnia, laxæ manicæ, caligæ focillantes, veſtis craſſior, crebra ſuſpiria, viſitatio virginum, detractio clericorum.* Meſſalianos quoque ſacco conſpicuo indutos Epiphanius hær. 80. perſtringit. *Oportebat*, inquit, *colere Deum occultè videntem occulta, & retribuentem in conſpicuo, atque hoc honeſto habitu, propter externos.* Ἀλλότριον γάρ ἐςὶ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας σάκκος περιφανής. *Alienus eſt ab eccleſia Dei ſaccus conſpicuus.* Quid dicturos exiſtimemus, ſi hodie ſub acuminato cucullo ſuperbiſſimum caput, cum caprina barba, tunica neglecta, nudis pedibus incedentes, & habitui tali miram ſanctitatem affingentes cernerent? Imò ſi vidiſſent tres Papas, Nicolaum III. Clementem V. & Johannem XXIII. in regula Franciſci, de Monachorum habitu, interpretanda anxiè laborantes, nec tamen controverſiam ita decidentes, quin colorum & manicarum varietas remanſerit? *Sextò* denique & in eo hypocriſis Monachatus manifeſtò conſpicitur, quòd homines ſtatui vitæ ab ſe invento vim merendi, ſatisfaciendi, peccata abolendi tribuere non dubitant: cùm tamen ejuſmodi vim ne ipſa quidem opera Divinitus præcepta obtineant.

RESP. REDING: 1. *Concupiſcentiæ in carne ac ſenſibus adverſus Spiritum ſævienti per gratiæ Divinæ vires eouſque homo prævalere poteſt, ne in peccati reatum abeat. Et licet ſepties indies juſtus cadat, non tamen mortiferè cadit, & per dilectionis, contritionis, aliarumque virtutum actus mox reſurgit. Qui ergo in tali ſtatu ſe perfectioni Evangelicæ devovet, non niſi per apertam in Chriſtum blaſphemiam hypocriſeos arguitur. Ceremoniæ etiam in eo ſtatu ornatus in cultu & ordinis gratia receptæ, & ex ſanctæ obedientiæ ac religionis motivo promanantes inanem larvam proclamare, impium eſt. Auguſtinus certè de adult. Conjug. lib. I. 14 multa facienda dixit, non jubente lege, ſed libera charitate, & ea eſſe in noſtris officiis gratiora, quæ, cùm liceret nobis non impendere, tamen cauſa dilectionis impendimus. 2. Exemplo Apoſtolorum Act. IV. 32. edocti ſumus privatæ bona relinquere, & communionem divitiis affluentem ingredi. Unde Hieronymus Epiſt. 26. c. 2.* Parva dimiſimus, & grandia poſſidemus, centuplicato fœnore Chriſti promiſſa redduntur. *Ubi ergo ea norma tenetur, ut poſſeſſionum proprietas non ambiatur, ſed jura temporalium rerum ſub communionis jure teneantur, hypocriſis nulla eſt, in S. R. I. Principes evehi, & rerum temporalium uſum providere, primariò communionis, & ſecundariò ſingulorum gratia. 3. Quorundam ſacrilegorum à caſtitatis Deo promiſſæ puritate turpiſſimè deviantium exempla continentiæ perpetuæ votum à Chriſto probatum non tollunt. inprimis cùm piorum & caſtorum immenſus ferè numerus reliquos facilè ſuperet. Precibus impetrari poteſt remedium adverſus carnem, exemplo Pauli, qui ſtimulis ejuſmodi exagitatus audire meruit: Sufficit tibi gratia mea. 4. Nec per votum religioſæ obedientiæ quicquam detrahitur obſequio jure naturali Magiſtratui & parentibus debito, quia his in tantum Religioſi ſe abdicant, in quantum ad eos relinquendos ſub vita æterna ac centupli præmio Chriſtus invitavit. 5. Ex primævæ Eccleſiæ uſu id habemus, ut, qui mundi contemptum & pœnitentiam profitebantur, ſingulari habitu induerentur. ut ex Dionyſio Areop. & Egeſippo apud Euſebium Hiſt. Eccl. lib. II. 24. liquet. Et Chryſoſtomus homil. 69. in Matth. dicit, Monachos in habitu imitari Eliam & Johannem. Hieronymus illos*

objur-

objurgat, qui sub affectata hypocrisi, & pravæ intentionis fermento vestem horridam induerunt. Quid hoc ad religiosas vestes sancta intentione institutas & usurpatas? Ipse Christus Matth. VII. prædixit, falsos Prophetas venturos in vestimentis ovium. An iccirco nefas est ovium vestimentis uti? Licet verò circa formam habitus Religiosi S. Francisci aliquando lis oborta, & ad summos Pontifices delata sit, his tamen sufficiebat animus, cujusque familiæ arbitrio moderato relicta, juxta præscriptum morem suum, determinatione, in concordiam redigere. 6. De virtute satisfactoria & meritoria sanctis operibus, & religiosorum votorum observantiis attributa alibi. Ibid p. 300. 301. 302. Resp. 1. An ille, in quo concupiscentia sævit, & per gratiam Dei sic coercetur, ut in peccati actualis reatum non abeat, legem Dei perfectè implet? Atqui lex Divina non tantùm concupiscentiam actu implere, sed etiam *concupiscere* vetat. Qui ergo nunquam sic legem Divinam implere potest, quin concupiscentia vetita torqueatur, adeóque concupiscendo legem Divinam violet, quomodo ille animum inducere potest supererogare, hoc est, plus præstare, quàm lex Divina præcipit? Annon vel hinc manifesta hypocrisis vestra redditur? Neque satis est à peccato resurgere, si indies septies cecideris. Nam *cadere*, peccare, legem transgredi est. Qui ergo indies septies peccat, an ille legem implevisse, adeóque suppererogare, quinimò supererogationem vovere etiam posse, dici potest? Professa hæc hypocrisis, non supererogatio ulla est, plus velle solvere, quàm debendi reus sis; & debitum tamen ipsum nunquam penitus expungere, quin indies augere etiam. An terrestris creditor à debitore tali sibi illudi non quereretur? Et cœlestis in tali μυκτηρισμῷ acquiesceret? Neque sanè illusioni tali Augustinus favet. Ille enim *de adult. Conjug. lib. I. 14.* sic scribit: *Multa sunt facienda, non jubente lege, sed libera charitate: & ea sunt in nostris officiis gratiora, quæ cùm liceret nobis etiam non impendere, tamen causa dilectionis impendimus.* Loquitur de rebus adiaphoris, quæ ratione externi actus à lege non præcepta, charitate tamen libera fiunt. veluti, cùm ceremonias liberas obimus, abstinemus rebus licitis, ne infirmis offendiculo simus; stipendia, quæ accipere poteramus, non accipimus, adeóque evangelizando sine sumptu evangelium ponimus, &c. quibus exemplis ipse Augustinus statim verba sua illustrat Quid hoc ad supererogationis commentum? Etenim qui sic charitatem exercet circa actus lege non præceptos, is non propterea legi charitatem præcipienti non obedit: nec se supererogare putat, hoc est, plus solvere, quàm debuerit, cùm debitum ipsum tamen non solverit, nec plus meretur, quàm lex observata promittit. in quibus Pharisaicæ supererogationis ὑπερηφανία consistit. Qui à Deo singulis diebus petunt, ut sibi Deus remittat debita contracta, nunquam Deum sibi debitorem constituere præsument erogantes de suo supra id, quod à Deo acceperunt, nisi forte Pharisæi illi novi clausulam Orationis Dominicæ mutare, & sic orare instituerint: *Panem tuum quotidianum dedimus tibi, solve nobis debita tua.* Quantò rectiùs Anshelmus *de concept. Virg. c. 11.* dixit: *Nullus potest reddere, quantum debet. Solus Christus reddidit pro omnibus, qui salvantur, plus quàm debetur* Ceremoniarum porro in Monachatu *inanem larvam* dixi, quia in iis, neglectis veræ pietatis operibus, summa religionis constituitur. Quas laceras illas vilissimásque frustra Redingius *ornatus* & *ordinis* fuco commendat, quia turpitudinis potiùs schismaticæ & ἀταξίας certissimi testes sunt: & in iis sanctitas & cultus species collocatur. Quis quæso *ornatus*, quis *ordo* est, gestare calceos fenestratos, cucullum fastigiatum, in orbem tonderi; abstinere carnibus in perpetuum, cingi fune nodoso ex canabe, ut taceam tricas & observatiunculas innumeras: quibus Prior aut Guardianus aliquis cruciat bardum hominum, & stupori fatui adolescentis illudit? 2. De loco Act. IV. 32. infra. Neque puto Apostolos authores fuisse, *ut privata bona relinquamus,*

mus, & communionem divitiis affluentem ingrediamur; quod ex loco illo probare conaris; nedum statuisse, quòd communionem divitiis affluentem ingressi paupertatem profiteri, imo paupertatis votum sic ingrediendo explere possint. Quid Deo & hominibus illudere est, si hoc non est? Quasi pauperes sint, & mereantur eo ipso Cœlum ipsum, quibus nihil deest; imò qui in communione divitiis affluunt. *Parva dimisimus*, sic Hieronymus *Epist. ad Pammach.* gloriatur, *& grandia possidemus. Centuplicato fœnore Christi promissa redduntur.* Plerique certè Monachi parum vel nihil amittunt: & grandia, ab aliis iniquo labore parta possident consumuntque, nullo, nisi consumendi, labore. Quomodo ipse Lojola consumptis in bello facultatibus suis Ordinem architectari cœpit. Sed an sic *grandia possidentes* pauperes fiunt, imò paupertatis votum exolvunt? Hoc enim Pharisaismum olere innui. Neque sufficit, *possessionum proprietatem non ambiri, non teneri.* Non ideo enim verè pauper est, qui proprietate carens omni, vel si quam habuit, se abdicans, in commune ditissimus est, neque ulla re indiget. Nunquam enim quisquam sanus in ulla lingua verè & externè pauperem eum dixit, vel jure dicere potuit, cui omnia ad vitam non commodè modò, sed & lautè, & cum luxu agendam affatim suppetunt, undecunque, sive ex proprio, sive ex communi suppetant. Quin potiùs sic remedium paupertatis quæritur, & divitiæ in tuto collocantur, cùm ita in commune conferuntur, ut paupertas reapse omnis exulet, eique nihil præter nomen, & paupertatis meram φαντασίαν ac drama relinquatur. Si olim valuit, hodie certè maximè valet Hieronymi ad Nepotianum querela: *Nonnulli sunt ditiores Monachi, quàm fuerant seculares & clerici, qui possident opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallace Diabolo non habuerunt: ut suspiret Ecclesia divites, quos mundus tenuit ante mendicos.* Et quicquid tandem nova lingua vestra machinetur, non magis paupertatem vovere, & S.R.I Principis titulum gestare, quàm calidum & frigidum, album & nigrum cohærent. 3. Non paucos sacrilegii hujus reos esse, authores à me citati prodiderunt. De eo enim loquuntur, quod ἐπὶ τὸ πολὺ accidit. Imò votum ipsum continentiæ causam esse inevitabilem spurcarum libidinum, intus apud plerosque omnes sævientium, & extus apud plurimos grassantium, supra ostendimus, ubi etiam S. Paulum nil minùs quàm Venereis stimulis agitatum, ad preces confugisse docuimus. *Tolle*, sic emphaticè Bernhardus *in Cant. Serm. 66.* scribit, *de Ecclesia honorabile conjugium, & thorum immaculatum, nonne reples eam concubinariis, incestuosis, seminifluis, mollibus, masculorum concubitoribus, & omni denique genere immundorum.* Loquitur ibidem de continentibus, sed addit, *quòd continentes ad paucitatem sint redacti.* Item: *Rara in terris continentia.* Uter verò fide dignior, Bernhardus, *rarum*; an Redingius, *immensum numerum continentium* venditans? Ille, credo, Veronensis fuit: hic Placentinus est. 4. Obedientia Magistratui & parentibus naturali jure debita, nunquam sequelam Christi impedit, ac ne impedire quidem potest, quia natura ipsos hosce limites fixit, ut superiori Divinæ authoritati cedat. At superior illa Divina authoritas in religione homines à servitute hominum omni emancipavit. Tantum abest, ut ad sequelam Dei certo hominum generi quenquam subjecerit. Omnis enim, potestas, cui in hoc mundo Deus homines subjecit, vel naturalis, vel civilis, vel Ecclesiastica est. Potestas Abbatum & Superiorum Ordinum nulla harum est. Non *naturalis*, quia non sunt patres naturales Monachorum. Non *civilis*, quia nec Principes vel Magistratus populi, nec heri servis dominantes sunt. Non *Ecclesiastica*, quia, qua tales, non sunt pastores, nec potestatem Ecclesiasticam in Monachos habent. Nam Monachos prima institutione fuisse laicos, à clero distinctos, & Episcopis ac Pastoribus Ecclesiæ subjectos, nemo nisi rudis antiquitatis ambigit. Ne quidem hodie Monachi, qua

tales

tales curati sunt, sed per accidens, & aliena vi, qua ordinati Sacerdotes & electi pastores, respectu populi non Monachorum subjectorum fieri possunt. Cùm ergo potestatem legitimam habeant nullam, tyrannis est, quam usurpant, potestas erga eos, qui falsò persuasi seductíque volentes obediunt. 5. Pseudo-Dionysius *de Hierarch. Eccl. cap. 6.* ait, Monachum veste priori detracta, alia indui, pro more Seculi sui; hoc est, quinti, quo vixit ille, quisquis fuit. Et *alia indui*, ait, in signum pœnitentiæ; non monstrosa, inusitata, pro diversitate ordinis diversa, idque sanctitatis singularis opinione. Hegesippi apud Eusebium *Hist. Eccl. lib. II.* (non cap. 24. sed) 23. de Jacobo Apostolo uno solóque in Sancta admisso, quia οὐκ ἐρεοῦν ἐφόρει, ἀλλὰ σινδόνας *non lanicio, sed lanea tantùm veste utebatur*, testimonium, non tantùm ad rem nihil facit, quia Jacobus nec Monachus fuit, nec ut Monachus Sancta vel Templum ingressus dicitur, nec in linea veste sanctitatis pretium ullum statuit: sed insuper etiam fidem exiguam meretur, quod pluribus gravibúsque argumentis Josephus Scaliger *Animadv. Euseb. ad A. MMLXXVII.* demonstravit. nil dissimulante etiam Petavio (cui nunquam aliâs, & ne hic quidem adversus Scaligerum succus loliginis & ærugo defuit) *Animadv. ad Epiph. hæres. 77. nonnulla vel ab Hegesippo prodita, vel ab aliis inserta esse, quæ parùm probabilia videantur.* Neque Chrysostomo faventiore utimini. Is enim *homil. 69. in Matth.* Monachos dicit habitu imitari non tantùm Eliam, Elisæum, & Johannem, sed etiam universos Apostolos. quorum nullus Monachus, vel Monachali cucullo turgidus fuit. Communi humilíque vestitu tegebantur omnes. Hieronymus in verbis à me citatis intentionem non distinguit, sed simpliciter eos, *qui ciliciis vestiuntur, & cucullis fabrefactis, ad infantiam redire, noctuas & bubones imitari*, dicit: *viros catenatos, quibus sunt hircorum barba, nigrum pallium, & nudi patientia frigoris pedes*, fugiendos monet, & hæc omnia esse *argumenta Diaboli*, notat. aliáque ejusmodi, nullo planè intentionis discrimine. Quanquam & Monachorum hodiernorum habitu singulari discretorum, eáque re inanis sanctitatis & meriti gloriolæ μεγαλωφρόν captantium intentio parum pia est. Mentem suam Hieronymus eadem ad Eustochium epistola clariùs sic explicat: *Vestis sit nec satis munda, nec sordida, & nulla diversitate notabilis: ne ad te obviam prætereuntium turba consistat, & digito monstreris.* An tot ordinum vestrorum habitus mysticus nulla diversitate notabilis, δακτυλόδεικτος non est? Non talia ergo *vestimenta ovium*, sed, Hieronymo judice, *argumenta Diaboli* sunt. *Vix enim* (sic Cardinalis Cusanus *Exercit. ex Serm. qui facit*, queritur) *fallacia eorum, qui sub habitu Christi apparent, potest sciri, ob suam varietatem. Nam alius quidem sub hac veste, alius sub alia, alius sub caputio, alius sub hoc religionis signo, alius sub alio, Christo militare se asserit, licet pæne omnes, non quæ Christi, sed quæ sua sunt, quærant.* Rem profectò acu Cardinalis tetigit. Sordida vestimenta gestare, eorum est, quorum Apostolus, in Monachos digitum intendens, Col. II, 23. ἀφειδίαι τοῦ σώματος οὐκ ἐν τιμῇ τινι, hoc est, quòd corpori non parcant, in nullo honore illud habentes, prædixit. Non decent enim sordes Christianum. Sed & corpus, quod Templum Spiritus S. est, debet esse ἐν τιμῇ, *in honore.* Aliud quippe est φιλοκαλία, aliud καλλωπισμός. Hic meretricum & mœchorum est. Illa eorum, qui cum pudore inter homines versari volunt, & eos, quibus cum versantur, non contemnunt. Commendat Apostolus τὸ εὔσχημον *honestatem* 1. Cor. VII. 35 τὸ σεμνὸν *gravitatem*, 1. Tim. II. 2. καταστολὴν κόσμιον μετὰ αἰδοῦς καὶ σωφροσύνης *vestitum decorum cum pudore & temperantia*, 1. Tim. II. 9. ἐν καταστήματι ἱεροπρεπεῖ *sanctam in statu decentiam*, Tit. II. 3. Æquè magna superbia est, cum honestè ornatis non velle ornari, ac inter pauperes splendidè vestitum fastidiosè incedere. Christus ipse ambulavit in veste communi, eáque non ἀτίμῳ, sed alicujus pretii. Johannes

Baptista,

Baptista singulari vestitu, procul molli aulico, incesserat. Similis debuit esse Eliæ. Sed ad vivendi talem modum singularem non vocantur omnes. Non omnes sunt אנשי מופת *viri prodigii.* Quod spectat interpretationem regulæ Francisci, de Monachorum ordinis ejus, hoc est, Minoritarum, habitu, colore tunicæ, mensura & forma vestitus, nescio quomodo in concordiam eos à Papis redactos dicas. Ipsa controversia verè de lana caprina, tantis motibus, contentionibus, odiis agitata satis ingenium Pharisaicum ordinis illius, hominum in rebus externis & nullius prorsus momenti stupentium, & nescio quod sanctitatis pondus collocantium, propalat. Certè Ecclesia vetus, pro solida pietate sua ejusmodi vestiariam controversiam procul amandasset, & ad Christianam simplicitatem facilè omnia revocasset. Sed recentiores in rebus externis pietatem fingentes, & Pharisaismum incrustantes, non potuerunt non ita collidi, & Christiano nomini ludibrium maximum sic contrahere. Dixi, tres Pontifices non ita controversiam illam plus quàm anilem decidere potuisse, quin colorum & manicarum varietas remanserit. Verissimum id esse, historia testis omni exceptione major est. Nam Papa Nicolaus III. & Clemens V. Constitutiones hac de re fecerunt. Illa *Sexti Decretal. lib. V. tit. 11. cap. 3. Exiis*: hæc *Clement. lib. V. tit. 11. c. 1. Exivi de Parad.* extat. Nihil apud partes promotum, nec ullo modo extinctum dissidium est. *Nec ab hoc*, Nicolai videlicet & Clementis Constitutiones (audi Redingi Johannis XXII. *Extrav. Joh. 22. lib. 14. cap. 1. quorundam* verba) *in quibusdam fratribus antedicti ordinis, volentibus plus sapere quàm oportet, novarum adinventiones ambiguitatum cessavere plurimæ; vel non omnino non vetustarum explicatio quæstionum, tam videlicet super longitudine & latitudine, quàm grossitie & subtilitate, forma & figura vestimentorum ipsorum: quinimò* (NB) *adeò hujusmodi quæstiones & adinventiones propria excrevere licentia, ut ex eisdem fratribus aliqui habitus propterea curtos, strictos, insuetos & squalidos, novitate plenos, ac dissidii non ignaros &c. assumerent.* Digna profectò Papali Majestate bulla illa est, in qua Papa Johannes ad definiendam controversiam *diem diei eructare verbum, & noctem nocti scientiam manifestare*, præfatur: & tamen, in tanti licet momenti causa, definire nihil ausus est. Mansitque deinceps, & in hodiernum usque diem colorum & manicarum varietas. Si Monachi ejusdem ordinis de habitu irreligiosè adeò disceptarunt, quid de diversorum ordinum adversus se invicem implacabilibus odiis æstuantium dissidiis cogitandum erit? 6. Denique & nos de meritis, satisfactionibus & votis superiùs disputata ad compendium ponimus. Neque hic de meritis & satisfactionibus in universum agimus, sed de Monachatus meritis & satisfactionibus, horrendo inprimis illo *Anabaptismi Monachalis* (sic Lutherus olim appellavit blasphemiam illam, qua Monachatus S. Baptismo jam pridem æquiparari cœpit) monstro, quod in Græcis modernis Monachatum *δεύτερον βάπτισμα secundum baptismum* insignientibus, & eandem Monachico habitui & Baptismo vim tribuentibus, nominatim Theodoro Studita, Nilo Juniore, Simeone Thessalonicense, quin ipso etiam Dionysio Areopagita, aliisque recentioribus Monasticam consecrationem inter *μυστήρια Sacramenta* numerantibus, non immeritò Leo Allatius *de Eccles. Orient. & Occid. consensu lib. III. 16* 10. *&c.* exagitavit. Exagitare verò similem blasphemiam in Latinis recentioribus & potuit idem, & debuit. Neque enim immeritò jam olim Augustana Confessio *Art. 27.* hanc de Monachis querelam consignavit: *Docebant vota paria esse Baptismo; docebant, se hoc vitæ genere mereri remissionem peccatorum & justificationem coram Deo. Imò addebant, vitam Monasticam non tantùm justitiam mereri coram Deo, sed amplius etiam, quia servaret non modò præcepta, sed etiam consilia. Ita persuadebant, Monasticam professionem longè meliorem esse Baptismo, vitam Mo-*

naſticam plus mereri, quàm vitam Magiſtratuum, Paſtorum & ſimilium, qui in mandatis Dei ſine factitiis religionibus ſuæ vocationi ſerviunt. Nihil horum negari poteſt. Extant enim in libris ipſorum. Quæ omnia architecti confutationis Confeſſionis illius ſimpliciter probarunt, & quæ Confeſſio contra craſſos illos errores attulit, *impia eſſe*, pronuntiavit. *Si hæc*, ita Johannes à Daventria, præcipuus confutationis faber, *Exgeſ. abſolut. &c. p. 285.* arguit, *docuerunt Monachi, certè nihil falſi, ſi adſit ſanum judicium, nihil pertinaciter docuerunt.* In Monaſticæ abſolutionis formula inter cœtera hæc verba extant: *Rigor religionis, meritum ordinis, cedant tibi in remiſſionem peccatorum, & in præmium vitæ æternæ.* Et in Roſario hæc Thomæ ſententia legitur: *Religioſus tantum facit donum Deo in ſua profeſſione, quod conſequitur indulgentiam plenariam omnium ſuorum peccatorum à pœna & à culpa. Ideo in vitis Patrum dicit, quòd profeſſio religionis habeat vim Baptiſmi.* Similia ex Alberto Pighio, Petro à Soto (qui in Confeſſione ſua Catholica cœlibatum & virginitatem *ſatisfactionem* (NB) *maximam, & meritum vitæ æternæ* appellat) Antonino, Ludovico de Ponte, Jeſuita Valliſoletano, Hieronymo Plato, Jeſuita Mediolanenſi, Thoma Waldenſi, Baronio, Spondano Celebrimus Vir, Fautor noſter eximius, D. D. Elias Vejelius, Doctiſſima *de Anabaptiſmo Monachali* diſſertatione, *pag.* 18-31. eruit. Auſus tamen eſt Bellarminus *de Monach. cap.* ſcribere, *hæc meram calumniam eſſe. Nulli enim*, inquit, *Catholici ita docuerunt unquam.* Sed Catholicos fuiſſe, quos Apologia Confeſſionis, aliique jam citati induxerunt, vix Bellarminus inficias iverit. Cœterùm quod una manu Bellarmins ſuſtulit, altera reddit. *Baptiſmus*, ſic mox ſcribit, & ex eodem Redingius *pag.* 226. cornicatur, *non ſolam pœnam, ſed etiam culpam tollit; idque certò ſcimus. Profeſſio autem Monaſtica non tollit culpam, ſed ſolam pœnam; & hoc ipſum non certò aſſerimus, ſed piè credimus. Nam inprimis teſtatur Athanaſius in vita Antonii, B. Antonium in viſione audiviſſe S. Angelos dicentes, omnia peccata ſibi remiſſa eſſe, quando Monaſticam vitam ſuſcepit.* En, probat verba hujus viſionis, quibus Angeli dixiſſe perhibentur, Antonio per ſuſceptionem vitæ Monaſticæ omnia peccata remiſſa eſſe, & ſimul id ipſum adverſariis objicientes *calumniari* dicit. Idem nobis Bernhardum & Thomam objicit, aitque: *B. Bernhardus laborem Monaſticum martyrii genus eſſe dicit. Nemo autem ignorat, martyrium eſſe genus Baptiſmi. Denique etiam B. Thomas 2. 2. q. ult. art. 3 docet, rectè credi per Monaſticam profeſſionem ſatisfieri pro omnibus peccatis, & eſſe hanc profeſſionem alterum baptiſma.* Annon hic diſertè confirmat, Monachiſmum eſſe alterum baptiſma? Quod verò idem, & veſtigia ejus legens Redingius in eo Monachatum & baptiſmum diſparant, quòd ille ſolam pœnam, hic & culpam & pœnam aboleat, ne quidem ſecundum adverſariorum principia verum eſt. Nam ſi per pœnitentiam homo meretur omnium peccatorum remiſſionem, uti *diſt. 7. de Pœnit. in fine* dicitur; pœnitentia verò, ut illi volunt, meretur quoad culpam & pœnam ſimul, ergo multò magis vita Monaſtica, cùm excedat omne genus ſatisfactionis & publicæ pœnitentiæ, uti *33. q. 2. c. admonere, &c.* aſſeritur. Hæc argumentatio in Summa etiam Angelica habetur; ubi etiam ſecundum Canoniſtas Juſtiniani *auth. de Monach.* verba, quòd *converſationis Monachalis vita omnem humanam ejus maculam detergat*, adducuntur. Sic Bellarminum & Redingium communis ſuæ doctrinæ puduit. Sicut porro Græci recentiores *μοναχομανοῦντες* ita habitus Monaſtici ſanctitatem efferunt, ut in illo ſepeliri velint, quò habitu tali induti imperterritè magis coram tribunali Dei ſe ſiſtere valeant, atque ideo habitum illum *σχῆμα θεῖον καὶ ἀγγελικόν, χιτῶνα δικαιοσύνης καὶ ἀγαλλιάσεως, habitum Divinum & Angelicum, tunicam juſtitiæ & lætitiæ* &c. frequenter appellant: ita Monachi Latini, ſimili furore perciti, eximiam quandam ſan-

ctitatem cucullo tribuunt; adeò ut in Pontificali Romano de *Benedictione & consecratione Virginum* in precatiuncula quadam hæc verba legantur; *Præsta, Clementissime Pater, ut supra dictis famulabus tuis sint hæ vestes salutis protectio, hæ cognitio religionis, hæ initium sanctitatis, hæ contra omnia tela inimici robusta defensio.* Non mirum adeò Imperatores, Principes viros & fœminas inani persuasione deceptas cucullo habitúque reliquo, Franciscanorum, Capucinorum inprimis, indutas sepeliri voluisse; una cum Monachis ipsi stolæ sanguine Christi dealbatæ in Baptismo circumdatæ cucullum substituentes misere impiéque. Accedit, quòd Monachi cucullum sumentes nomen sibi in Baptismo impositum cum alio commutant. Quo argumento etiam Leo Allatius Græcos Monachos Monachatus Baptismo exæquati, imò hujus aboliti convincit meritò; & convincere Latinos similiter debuit. *Sunt enim*, uti scitè Richardus Montacutius *Orig. Eccl. Tomo I. pag.* 108. scribit, *nomina, signa, characteres, notæ* καὶ ὑπομνήματα, *signa dominii & clientela, ab eo semper imposita, qui jus & titulum in rem nominatim acquisierat, &c. Nomine ergo amisso rem nomini subjectam deperdimus. Ita planè si quis nomen baptismale, signum fœderis, characterem imaginis tunc impressæ, notam professionis &* ὑπόμνημα *multorum beneficiorum abjiciat, quantum in ipso est, baptisma irritum fecisse, eidem abrenuntiasse videri potest, &c.* Nequicquam verò ad Athanasium *in vita Antonii*, libello spurio, & Hieronymum Bellarminus provocat; & post illum Nebridius à Mundelheim, Canonicus Regularis S. Augustini, qui in Antiquario Monastico sic scribit: *D. Hieronymus flamma Apostolica succensus, docet imperterritè, Baptismum à professione religiosa in hoc uno differre, quòd is præcedat tempore.* Nil tamen minùs Hieronymus, qui allusione quadam & figurato dicendi genere Monachatum in uno quidem loco *secundum quoddam Baptismi propositum*, in altero *secundum post Baptismum gradum* appellat; at nuspiam *Monachatum Baptismo æquivalere*, quæ Nebridii ejusdem propositio est, scribit. Hæc enim doctrina impia tum raptus quidam est juris & authoritatis Divinæ, dum spiritualem gratiam externis symbolis ab hominibus institutis promittit: tum opera humana Divinis æquiparat: tum Monachos ausu giganteo Christo pares facit, asserens videlicet, ingressum in religionem à culpa & pœna liberare; quæ aliáque ejusmodi idololatriæ & horrendi fastus extremum crimen conjunctum habent. Cui supremum fastigium imposuerunt Jesuitæ Moguntini in *Thesauro precum &c. Mag. A.* 1612. *excuso*, ubi cap 5, sic loquuntur: *Considera si Religiosus sis, aut desiderio ingrediendi religionem tenearis, hoc beneficium quoque esse peculiare &* POST DIVINAM PRÆDESTINATIONEM OMNIUM MAXIMUM, *paucísque concessum. Hæc est, dempto Martyrio,* AUGUSTISSIMA PORTA, *& arctissima via, quæ ducit ad vitam æternam, & pauci sunt, qui inveniunt eam.* Ex quo sequitur, citra Monachatum neminem salvari posse, cúmque post Prædestinationem summum beneficium, beneficiis reliquis à S. Paulo Prædestinationi subordinatis, excellentius esse. Frigidus horror talia vel cogitantis artus occupat. Putavi tamen fusiùs hæc edisserenda, ut sacerrima Monachatus Mysteria in propatulum sic adducta, conspectiora patescant.

ARG. VIII. Monachatus qualis à multis jam Seculis in ecclesia P. viget, primitivæ Ecclesiæ laudato exemplo & praxi prorsus destituitur. Ante omnia satis constat, Christum ad Monachatum neminem vocâsse, Apostolos Monachos nec fuisse, nec alios instituisse, Episcopos quoque, & ecclesiam veterem Monachalem vitam nemini unquam præscripsisse. Paulatim tamen

men Monachatum privato ſtudio & arbitrio, vel ſecedendi ob flagrantes perſecutiones neceſſitate, in eccleſiam invectum eſſe, non diffitemur. Conſtátque, primum Paulum Thebæum circa A. C. 260. in eremum ſeceſſiſſe, ſecutúmque eſſe in Ægypto Anthonium, & utrumque illum plures ſanctos & præſtantes viros, alios verò etiam minùs laudatos. Mox etiam cœnobia erigi cœperunt, quibus certam formam primus præſcripſit Baſilius, qui ob novum inſtitutum tum Euſebii, tum Eccleſiæ Neocæſarienſis reprehenſionem incurrit. Caſſianus *Collat.* 18. *cap.* 4. tria in Ægypto numerat Monachorum genera, quorum duo facit optima, tertium verò, cum quo hodierni Monachi aprime conveniunt, tepidum & planè evitandum. Primum ipſi eſt *Cœnobitarum*, qui in congregatione pariter conſiſtentes unius Senioris arbitrio regebantur. Secundum *Anachoretarum*, qui priùs in cœnobiis inſtituti, poſtea ſolitudinis ſecreta elegerint. Tertium reprehenſibile *Sarabaitarum*, Monachalis & anachoreticæ vitæ dedecus, qui Ægyptiaca lingua ita nuncupati ſunt, quòd à cœnobiis ſegreges terrenis & propriis neceſſitatibus inhiarent, & nomine Monachorum cenſerentur abſque ulla ſtudiorum æmulatione. quos fusè apud Caſſianum Piammon Abbas deſcribit. Quanto autem intervallo hodierni Monachi à veteribus tum Cœnobitis, tum Anachoretis diſtent, ſequentia indicant. *Primò*, veterum Monachorum vita erat privata ſeceſſio in pœnitentiam; neque illi de cætero à laicis diſtabant. Hieronymus adverſus Vigilantium: *Monachatus non Doctoris, ſed plangentis habet officium: qui vel ſe vel mundum lugeat, & Domini pavidus præſtoletur adventum.* Unde olim lapſos clericos, cujuſcunque gradus, & incorrigibiles, Eccleſiaſtici canones in Monaſteria Monachorum, ad agendam cum illis pœnitentiam detruſerunt. Et Chryſoſtomus *homil.* 7. *in Epiſt. ad Hebr.* negat, Monachos à Secularibus diſcrepare aliter, quàm quòd hi matrimonii vinculis ſe conſtringunt, illi verò his liberi perdurent. Imò *homil.* 2. *in Pſal.* 50. docet, quoſcunque fideles, etiam uxoratos, Monachos eſſe poſſe. *Omnes vos*, inquit, *fieri volo Monachos, non ut conjuges non habeatis, ſed ut cæteras virtutes provideatis. Monachus enim non tantùm propterea dicitur, quia uxorem non habet: ſed quia religioni Dei & ſervitio ipſius mancipatus eſt.* Cenſet igitur Monachos in ordine privatorum, ſecularium, laicorum. *Secundò*, Monachi olim completi & perfecti cenſebantur, antequam ulla ſe externa profeſſione ulli manciparent: ſola mentis & ſuæ voluntatis facta ad mundi voluptates contemnendas mutatione. Id cùm ex aliis, tum ex Ivonis *Epiſt.* 41. liquet. Profeſſio publica & votorum ſolennitas haud requirebatur. *Tertiò*, nulli olim Ordines vel à Papa, vel à quoquam alio confirmabantur. Quam enim putas confirmationem habuiſſe olim Cœnobia Monachorum in Ægypto

ſub Anthonio, Pachomio, Macario, Hilarione, aliis? In Occidente quoque Benedicti inſtitutum per tot ordines Nigrorum, Cluniacenſium, Ciſtercienſium, & aliorum diu floruit & viguit ſine ulla Sedis Apoſtolicæ confirmatione. *Quartò*, Monachi nihil olim cum Clericis conſtitutum habebant, neque Sacris etiam ordinibus initiabantur. Baſilius *Conſtit. Monaſt. cap. 9.* Clericatum à Monachatu alieniſſimum eſſe oſtendit. Unde etiam prædicatio ſpeciali inhibitione Monachis vetita eſt. Demum Monachos ad Clericatum aſſumi moris erat. Quo facto Monachi eſſe deſierunt, neque ampliùs in monaſterio, tanquam ſepulchro ſuo, delituerunt. *Quintò* neque proprias, neque communes facultates, divitias & latifundia poſſidebant: Sed ſinguli manuum ſuarum labore ſibi victum & amictum parabant. Hieronymi enim inſtitutio, quam ad Ruſticum Monachum ſcripſit, quæque pro lege ſervanda Monachis in Jure Canonico *de Conſecr. diſt. 5. cap. nunquam* poſita eſt, ita habet: *Facito aliquid operis, ut te ſemper Diabolus occupatum inveniat. Si Apoſtoli habentes poteſtatem de Evangelio vivere, laborârunt manibus ſuis, ne quem gravarent, & aliis tribuebant refrigeria, quorum pro ſpiritualibus debebant metere carnalia; cur tu in uſus tuos ceſſura non præpares?* Varia ibidem opera, quæ à Monachis exerceri poſſint, commemorat. Opponebat Ruſticus, *in urbibus eſſe viros eccleſiaſticos, qui bonis fruantur eccleſiæ.* Reſpondet ille breviter, *ſe in præſenti opuſculo non de Clericis diſputare, ſed Monachum inſtituere.* Et Heliodoro ita reſpondet Epiſtola 1. *Alia Monachorum eſt cauſa, alia Clericorum. Clerici paſcunt oves: Ego paſcor. Illi de altari vivunt. Mihi quaſi infructuoſæ arbori ſecuris ponitur ad radicem, ſi munus ad altare non defero.* Et Epiſtol. 77. *Manu quotidie & proprio ſudore quærimus cibum, ſcientes ab Apoſtolis ſcriptum eſſe, qui autem non operatur, nec manducet.* Baſilius in Monachorum inſtitutione idem diſertè & multis verbis inculcat, & Divino mandato injunctum eſſe Monachis, ut ex labore manuum vivant, pertendit. Neque aliter Auguſtinus *de Opere Monach. cap. 16.* Ubi planè poſtulat, ut Mōnachi, ſecluſo gravi & legitimo impedimento, omnes ad opera manuum tenerentur, omnéſque prætextus ipſis adimit, tandémque docet, orationem & pſalmodiam manuali opere non impediri, cùm inter laborandum facilè quiſque & orare, & pſallere poſſit. Imò *cap. 30.* deterret fideles pios & liberales, ne Monachis abſque gravi neceſſitate temporalia ſubminiſtrent, vocátque liberalitatem erga Monachos, otioſos videlicet & non laborantes, *perverſam miſericordiam, quæ vitæ eorum futuræ magis noceat, quàm præſenti ſubveniat.* Paucis multa *in Pſal. 99.* complectitur de Monachis: *Cum lectione*, inquit, *illis res eſt; laborant manibus ſuis, inde ſe tranſigunt, non avarè aliquid petunt,* Si reviviſceret S. Auguſtinus, non ampliùs *de Monachorum Opere* ſeu labore, ſed de eorum *otio* ſcribendum ipſi foret. Neque

que

que verò regulam illam nihil possidendi in commune, & manuum labore victum & amictum comparandi ex necessitate. uti Bellarminus aliique tricantur, sed ex libera voluntate natam esse, indicio est, quòd inter tot millia Monachorum proculdubio, plurimi fuerunt divites, qui æquè bona sua in commune conferre potuissent, atque hodie conferri solent. *Sextò* idem Augustinus docet, à vero Monachismo abesse debere omnem rigidam exactionem earum rerum, quæ nobis in verbo Domini liberæ relinquuntur. Nihil omnino in vestitu, victu, aliisque ejusmodi suâ naturâ adiaphoris rebus veteres Monachi affectârunt. *Septimò* Augustinus talem Monachatum requirit, qui nihil aliud sit, quàm exercitium & adjumentum ad pietatis officia, quæ Christianis in universum omnibus commendantur. Cúmque summam & prope unicam ejus regulam faciat charitatem, minimè laudat eam conspirationem, quâ pauci homines inter se devincti ab universo ecclesiæ corpore separantur. *Octavò* Episcopis etiam Monachi suberant. *Nonò* Monasteria seminaria etiam erant ecclesiastici ordinis. Ex Augustini enim exhortation, facta tum ad Monachos Caprariæ Epist. 81. tum ad Aurelium epist. 76. liquet, Cœnobia ecclesiæ Clericos ministrâsse. *Decimò*, mores plerorumque erant inculpati, vita exemplorum bonorum feracissima, Monasteria eorum *gymnasia pietatis & virtutis cultorum*, uti loquitur Ruffinus *lib. II.* 9. *Undecimò* vitam Monasticam, quando ita necessitas postulabat, relinquere poterant, uti liquet ex Hieronymo in vita Malci. & in Epistola ad Eustochium; ex Epistola Athanasii ad Dracontium, aliisque S. Patrum Scriptis & Epistolis, quibus eos, qui Monachatum deseruerunt, redire jubent, at nullibi cogunt. In his omnibus & singulis (ut alia prætermeam) moderni Monachi à veteribus immane quantum discrepant, uti res ipsa omnium oculis subjecta non loquitur, sed clamat. Neque minùs nunc cucullati à veteribus illis Monachis, tum quoad professionem ipsam, tum quoad mores differunt, quàm simiæ ab hominibus. Meritóque M. Anthonius de Dom. de hodiernis Monachis pronuntiavit, eos nec cum Cœnobitis, nec cum Anachoretis veteribus, sed cum tertio genere veterum Monachorum, quos Cassianus aliique vocant *Sarabaitas*, quosq; apud eundem Cassianum Piammon Abbas fusè describit convenire. *Si nostri Minoritæ*, inquit de Rep. Eccl. lib. 11. cap. 12. Sect. 77. *Dominicani, Carmelitæ, Servitæ, Minimitæ ac similes, non sunt ipsissimi Sarabaitæ (bonos, si quis est inter ipsos verus cœnobita, excipio) quinam erunt, aut jam diu fuerunt? Etiam Benedictinos quisnam non videt ferme plenissimè jam diu in veros Sarabaitas degenerâsse? Ubi summa paupertas eorum etiam in communi? Ubi labores manuum? Ubi austeritas victus & amictus? Quid Monachis cum clericatu? Quid cum tot deliciis? Hi in curribus & equis: prisci verò in nomine Domini Dei nostri invocârunt.*

Et *lib.IX. cap.V.Sect.72.* hodiernos Monachos cum veteribus comparatos vocat *Hermaphroditas Religiosos Mendicantes, hoc est, neque veros Clericos, neque veros Monachos, sed utrumque imperfectè, ac perfectè Pseudoclericos & Pseudomonachos.* Essétque proclivius hodiernos Monachos vel cum Pharisæis veteribus, quorum cum illis in nominibus, cognominibus, dogmatibus & habitu convenientiam post alios Cl. Hottingerus *Thes. Philolog. lib. 1.c.1.pag.27.* demonstravit: vel cum Monachis Muslimicis, quorum instituta haud dissimilia apud Arabicarum rerum scriptores, & Hospinianum videre est: vel cum Gentilium Cynicis, Gymnosophistis, Dactylo-Jdæis, Fratribus Arvalibus,, Curetibus &c. contendere. Cassander etiam Consult. 25. *Quàm longè,* inquit, *Monachatus hodie à prima sui origine degeneraverit, & quantis abusibus contaminatus & deformatus sit, satis per se manifestum est. Nam paulatim religio vera & solida in superstitionem & religionis speciem conversa est, & accrescentibus opibus decrevit pietas, & in ejus locum larvæ ceremoniarum successerunt, in quibus veræ pietatis operibus penè neglectis summa totius religionis constituta est, quarum ceremoniarum inanis observatio adeò veram apud plerosque Monachos religionem imminuit, ut nusquam ferè licentior & profanior vita, quàm in nonnullis monasteriis repreriatur.* Meritò igitur Johannes Ferus monuit, Monasteriis idem, quod Gedeonis Ephod accidisse. Quæ enim à bonis bona intentione instituta sunt, in abusum & superstitionem vertisse.

RESP. REDING: 1. *Fateris ergo, Paulum Thebæum, Antonium, aliósque sanctos & præstantes viros Monachos fuisse. Quomodo ex statu religioso Divinitus non instituta viri sanctitate conspicui prodire potuerunt? Neque illos in eremum persecutione urgente, sed perfectione invitante, secessisse, Athanasius in vita eorum testis est.* 2. *Sarabaitæ segreges Monachi fuerunt, proprietatibus inhiarunt, absque ulla studiorum æmulatione vixerunt. At Religiosi nostri & professione sua sub uno disciplinæ regularis præfecto ex sacræ obedientiæ voto in communitate degunt: nihil proprii possident, virtuti, bonis literis, laboribus per sacram obedientiam impositis incumbunt.* 3. *Religiosæ vitæ essentia in votis consistens, perfectionem in charitate Dei sitam, ceu finem, eatenus respicit, ut proximum ad hoc medium sit mentis in pœnitentiam secessio, ad quam externa corporis secessio, à sacra obedientia præscripta, se tantùm instrumentariè habet, quatenus removet impedimentum, quo mens perturbatur. Verissimum ergo est, Monachi non esse docere, sed plangere. Nihilominus plangendi officium cum munere docendi non pugnat. Neque Chrysostomus sensit, uxoratos posse esse Monachos, nisi secundum quid, quatenus per studium religionis Deo serviunt, non mediantibus votis, sed mediante observantia mandatorum Dei. Alias religiosi à laico differentiam ex matrimonio idem Chrysostomus arcessit.* 4. *Monachos olim sine professione completos esse, nudè asseris. Ex vita enim Antonii ab Athanasio descripta liquet, illum, cùm Monachus fieri vellet, ad senem quendam accessisse, qui ab ineunte ætate Monasticen exercuit. Ex Hieronymi etiam Chronico constat, eodem Antonio adhuc adolescente multos Monachos senes extitisse. An putas, Antonium novellum nemini voto se obstrinxisse? Subsistente autem substantiali solennitate in votorum religiosa efficacia, accidentaria quadam publicitate opus non fuit.* 5. *Felinus Sandeus in rubrica*

brica de Majorit. & obed. cap. Quorundam, disertè refert Benedictini ordinis approbationem, cui XXII. Episcopi & XXXIV. Cardinales subscripserunt. Extat etiam Ordinis ejus approbatio per Zachariam Papam. Quanquam status ille a Christo institutus sine ulteriori confirmatione subsistere posset. Ad confusionem tamen vitandam Innocentius III. in Concilio Lateranensi statuit, ne ullus deinceps Ordo sine approbatione Papæ institueretur. 6. Basilius quidem Constit. Mon. cap. 10. graviter invehitur adversus eos, qui ex ambitione clericatum affectant, si tamen absit ambitio, Monachatui clericatum non repugnare, docet. Epiphanius etiam Epist. ad Johannem Hierosolymitanum testis est, se in Monasterio S. Hieronymi ordinasse Paulinianum. Quin & Cassianus Collat. 18. cap. 15. narrat, in ipsa Eremo Monachos habuisse Presbyteros etiam Monachos. Augustinus insuper de Morib. Eccl. lib I 31. tradit, non in solitudine duntaxat, sed in urbibus etiam Mediolani & Romæ Monachos in cœnobiis habuisse præpositum Presbyterum. Johannes Damascenus quoque in historia de Barlaam & Josaphat scribit, Barlaam Eremitam in sua cella sacrificium Missæ celebrasse. Denique Benedictinos in plerisque mundi regionibus Apostolos, Presbyterali Ordine insignitos extitisse, constat. 7. Monachos olim facultates, divitias, latifundia possedisse, ex Act. IV. Augustino Epist. 109 Serm. 2. de communi vita Cler. nec non cap. 25. de opere Mon. in Psal. 103. nec non Hieronymo Epist. 27. & Johanne Diacono in vita Gregorii Papæ lib. I. cap. 5. Caroli magni donationibus &c. colligitur. 8. Quoad opera manualia, Hieronymus Epist. 3. ad Rust. testatur, in Ægypto nullum absque operis labore susceptum esse, non tamen propter victus necessitatem, sed propter animæ salutem, ne mens perniciosis cogitationibus vagaretur. Objicienti: Quid ergo? Omnes peribunt, qui in urbibus habitant? *&c. respondet: se non de Clericis disputare, sed Monachum instituere. An inde sequitur, Clericis duntaxat licere frui bonis Ecclesiæ? Idem Epist. I. ad Heliod. id unum demonstrat, quòd alia clericorum, alia Monachorum sit ratio. Quid hoc iterum ad rem? Epistola verò 77. ne quidem extat: & si extaret, sensus ejusdem esset, quem supra retulimus. Neque ex Basilio probabis, Monachorum sic esse laborare, ut excludatur possessionum communio, & donationum recipiendarum facultas. Augustinus quoque de Op. Monach. c. 21. à manuum labore excipit Religiosos, qui Ecclesiastica munia exereent, & alios etiam. Et cap. 22. eos laborare debere, qui sacris studiis vacare non possunt, pertendit. Alibi cap. 17. hoc unum docet, præceptum Apostolicum laborandi manibus indefinitè pro Christianis, non definitè pro Monachis scriptum esse; neque absolutè illud mandatum obligare, sed respectivè ad evitandum furtum, scandalum, otium. & cap. 31. monet, ne perversa misericordia alantur corrupti licentia vocationis, & falso nomine sanctitatis. Sed & Religionum præfecti studiosissimè curant, ut juxta Augustinum in Psal. 99. Monachi in laudibus Dei vivant, legant, laborent, non avarè aliquid petant. 9. Monachatus adjumentum est ad pietatis officia, sui abnegationem, Christi sequelam, facultatum abdicationem, castitatem &c. Harum rerum exactionem rigidam ab eo abesse debere, nuspiam Augustinus docet. 10. Etsi Monachi inspectio jure communi subsint Episcopis, Papa tamen pro supereminente jurisdictione sua certas ab causas ob ea eximere potest. 11. Cùm Monasteria olim Ecclesiæ seminaria fuerint, ex fructu hoc cognosce, piè instituta fuisse. Unde Scholas in Monasteriis suis inprimis Benedictini habent. Præter illum fructum alter erat pietatis & virtutis, qui in simplicioribus per spiritualia exercitia absque Scholarum institutione obtinere potuit. Et hæc pietatis exercitatio primariò & essentialiter in Monachatu intenditur. 12. Si liberè Monasteria deseri olim potuerunt, quomodo fas fuit Patribus inde digressos revocare? Inprimis conjugium iis can. 15. Concilii Chalcedonensis interdicit, sub pœna excommunicationis. Cyprianus Epist. 11. graviter contra virgines Christo dicatas, & cum altero ja-*

centes;

centes invehitur, incestam conjunctionem vocat, & in Ecclesiam admitti posse negat. Concedit quidem conjugium iis, qui se voto impares sentiunt, sed ante votum emissum, 13. M. Antonius de Dominis notorius apostata fuit, Cassander perfidus. 14. Licet denique etiam Turcæ quædam religiosi status simulachra habeant, idololatricæ & superstitiosæ abominationi suæ accommodata; prout etiam naturæ lumen gentiles in exercitio & praxi extra rationis congenitæ metas traxit: status tamen Religiosus Christianorum, Divino cultui specialiter mancipatus, & altiori lumine fidei illustratus, ab abominationibus illis diversissimus est. 15. Si qui, status religiosi substantia integra, ab accuratiori ejus observantia, juxta Cassandri querelam, defecerunt, ipse tamen status in sua essentia semper arbor bona permanet. purganda quidem subinde, sed non eradicanda. Ibid. pag. 303-311. Resp. 1. Monachos olim fuisse viros quosdam Sanctos, fassus certè sum, nec dum diffiteor. Sed sanctitatem eorum à Monachatu, & tali quidem, qualis hodie, in fœce hac mundi, multum à veteri degener, colitur, professione trium votorum cum opinione perfectionis, multiplicíque circa hæc & alia hypocrisi constans, fluxisse, fassus nunquam sum, neque fatebor unquam. Poterant simili, vel majori etiam sanctitate excellere non Monachi. Neque omnia veterum facta vel instituta institutionis à Deo, Christo vel Apostolis factæ argumenta sunt. Habuerunt & Esseni, Semi-Judæi, instituta sua ἀσκητικὰ, in quibusdam Monasticis congruentia. quæ tamen nuspiam Deus instituit. 2. Monachos verò modernos non cum veteribus Cœnobitis, vel Eremitis, sed potiùs Sarabaitis paria facere, M. Antonius de Dominis *de Rep. Eccl. lib. I. cap.* 12. 76. 77. asseveravit meritò. Sed *illi*, inquis, *segreges vixerunt*. An verò inter Monachos nulli sunt *girovagi, vagabundi, circumcelliones*? Certè jam pridem Durandus *Ration. lib. II.* 1. affirmavit: & experientia testis omni exceptione major est. Nulline vagantur in aulis Principum, gynecæis, etiam voto missionis obstricti? Nulline, annon potiùs omnes *segreges* sunt à communione civitatis, imò & Ecclesiæ, à cura & obedientia Magistratuum, Episcoporum, per privilegia vanissima? Nihil ergo obstat, *quòd sub uno disciplinæ regularis præfecto ex sacræ obedientiæ voto in communitate degunt.* Nam & *disciplina illa regularis* nititur regulis merè humanis, superstitione non una pallentibus, multúmque à veterum Cœnobitarum regulis disparatis: & præfectum sibi eligere, certísque ejus legibus se subjicere ii etiam possunt, qui extra communionem Reipublicæ, vel Ecclesiæ sociati vel conjurati errant, quales vestri sunt, perinde agentes, ac si eos religio à jure naturæ & civili ordine solvere posset. Præterea nec sibi præfectum elegisse, vel ei obedientiam vovisse veteres Cœnobitas, infra ostendimus. Sed *proprietatibus*, instat Redingius, *Sarabaitæ inhiarunt.* Vos similiter insatiabilis opum cupido, inextinguibilis divitiarum sitis, saltem in communi, ut tutiori loco sint, torquet. Et cumulatis easdem sine sudore vultus vestri, alieno labore, studio, sanguine. Annon sic pejores Sarabaitis estis? Sed falsò ais, nihil proprii retinere Monachos. Nam & singuli ipsorum quoque mendicantium habent aliquid proprii, teste Johanne XXII. *in Extravag. ad conditorem de verborum significat.* & quæ singulorum non sunt propria, tamen propria sunt cœnobii, corporis, collegii; & quæ non sunt propria cœnobii, sunt propria ordinis; denique si qua ordinis propria non videntur esse, lites ordinum inter se demonstrant evidentissimè, in id eos maximè contendere, ut quæcunque verti in rem ipsorum possunt, efficiantur ipsorum propria. Alioquin universalis communitas rerum legem societatis humanæ convelleret. *Sarabaitæ*, instas, *absque ulla studiorum æmulatione vixerunt: Monachi bonis literis, virtuti, laboribus per sacram obedientiam impositis, incumbunt.* Quot verò, inquam ego, in Monasteriis malæ belluæ, & pigri ventres stabulantur? Si quibus ex meliore luto præcordia Titan finxit, eorum certè

virtuti

virtuti laus nulla ex Monasticorum regularum, simulatam sanctitatem præscribentium, sed ex communis Christianismi observantia constat. Quàm pauci Divinis literis delectantur, eásque casto amore prosequuntur? Contaminare eas, falsisque glossis, quantum in iis est, occidere earum tractatores plerique studiosissimè laborant. Benedictus Regulæ suæ cap. 1. sic Sarabaitas describit: *Tertium Monachorum teterrimum genus est Sarabaitarum, qui nulla regula approbati experientia Magistri, sicut aurum fornacis, sed in plumbi natura molliti, adhuc operibus servantes seculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur. Qui bini, aut terni, aut certè singuli sine Pastore, non Dominicis, sed suis inclusi ovilibus, pro lege eis est desideriorum voluptas: cùm quicquid putaverint vel elegerint, hoc dicunt sanctum: & quicquid: & quod noluerint, hoc putant non licere.* Si cum his cum judicio Cœnobitæ moderni plerique comparentur, nullo negotio utrosque inter harmonia constitui poterit. 3. Plangendi, pœnitendi officium cum officio Doctoris non pugnat sanè. Sed veteres tamen, qui plangendi, pœnitendi gratia in Monasteria secesserunt, officia hæc in secessu illo suo nulli conjunxerunt. quod ex Hieronymo, aliisque argumentis probatum dederam. Chrysostomus *in Epist. ad Hebr. homil. 7.* disertè negat, *secularem hominem aliquid Monacho ampliùs habere debere, quàm cum uxore habitare tantùm. Omnia*, inquit, *æqualiter sicut Monachi, agere debet.* Clariùs alibi *adv. vitup. vitæ Monast lib. III.* negans, ejusdem non esse criminis, eum, qui seculo addictus sit, peccare, & eum, qui semel penitus se Deo devoverit, religionis proposito excidere. *Fallis*, inquit, *te ipsum prorsus ac decipis, si putas aliud à secularibus viris, aliud à Monachis requiri. Hæc enim ferè sola est in utroque vitæ genere differentia, quòd illi quidem matrimonii vinculis se constringunt, hi verò his liberi perdurant. In reliquis verò communis atque eadem ab utrisque vitæ totius ratio requiritur. &c.* Annon his verbis Chrysostomus, Monachos & laicos, uno matrimonio excepto, æquiparat? Neque ille, quod Redingius finxit, differentiam ullam in eo ponit, quòd Monachi mediantibus votis, laici sola mediante observantia mandatorum Dei Deo serviant. Da mihi ergo laicum domi suæ, sed à curis domesticis liberum, habitantem, castè & piè viventem, pœnitentem, precibus instantem, & sic Deo servientem: hic erit ipsissimus Chrysostomi Monachus. An hodiéque similis Monachorum ratio est? Atqui illi & clero deputantur, & à laicis per innumeras votorum, aliarúmque rerum observantias, ipsiúsq; perfectionis non præceptæ, sed consilio subjacentis affectationem, aliáque plurimùm disparantur. 4. Monachos olim sine professione perfectos completósque esse, non audè asserui, sed authoritate Ivonis Carnutensis, Ecclesiasticorum institutorum peritissimi. Cùm enim ex eo Abbas quidam quæsivisset, *utrum Monachus, qui tantùm à Monacho, & non ab Abbate benedictus est, sit iterum benedicendus*, sic ille Epist. 41. respondit: *Id fieri & dimitti posse arbitror, absque ullo benedicti vel benedicentis incommodo. Monachi enim benedictio non est manus impositio, vel alicujus Sacramenti ex Apostolica traditione celebratio. Nec aliam vim mihi habere videtur, quàm super pœnitentem absolutio: vel super populum Sacerdotis oratio. Dicit enim B. Hieronymus: Monachus non habet officium docentis, sed plangentis, qui se & mundum lugeat. Sicut ergo Monachus in hoc officio sibi soli prodest, ita ex gratia vocantis solus ad hoc officium accedere potest. Nec præjudicat ad salutem, utrum à simpliciter Monacho vel Abbate suscipiat benedictionem. quia* (NB) *verum Monachum nulla facit exterior adjectio, nisi mundi contemptus, & plena Dei dilectio. Quod in principibus hujus ordinis, Paulo videlicet, & Antonio, & multis aliis Monachis Ægyptiis facilè apparet, qui nullam à præcedente Monacho vel Abbate suscipientes benedictionem, perfectam ab eo, qui habitare facit Monachos in domo, sui laboris consecuti sunt retributionem.*

nem. En Monachum perfectum & completum, antea quam ulla se externa professione ulli Mortalium mancipet: sola mentis & voluntatis suæ ad mundi voluptates contemnendas mutatione, & suscipiendi Monachatus instituto. Ubi porro Athanasius Antonium senem, cúmque Abbatem, vel Præpositum adivisse, Monachatum per vota solennia apud eum professum esse, obedientiam ei cœcam jurasse, testatur? Nihil horum ille, sed simpliciter in vita Antonii (si modò illa, uti hodie extat, Athanasio authore scripta est. quod doctissimi quique negant) narrat, eum, postquam jam vitæ asceticæ se addixit, æmulatum esse senem in vicino pago, (ἐκ νεότητος μονήρη βίον ἀσκήσαντα) *ab adolescentia sua vitam solitariam agentem*; ejus proin exemplo in locis à villa remotioribus habitare cœpisse. Hoccine profiteri, obedientiam jurare, vota perpetua nuncupare est? Quid verò tum postea, si Antonio adolescente, Monachi multi extiterunt? Proba ex certis historiarum monumentis, cuiquam horum illum vovisse; vel apud quempiam professum esse. Id enim nec Hieronymus, nec Athanasius, nec quisquam alius testatur. Vestris moribus veterum mores malè metiris. 5. Bellarminus *de Monach. lib. II.* 4. disceptans, an religionum institutio Papæ confirmatione indigeat, distinguit essentiam ipsam religionis, in tribus votis sitam, & determinationem illius essentiæ ad certum vivendi modum. Illam in Evangelio fundatam negat Papæ confirmatione indigere. Hanc, utpote non ita perspicuè ex Evangelio elucentem, proin ex directione humana pendentem, Papæ confirmatione indigere posse, & (NB) *nunc propter jus positivum, novas religiones prohibens, omnino indigere.* Subjicit: *Itaque Antonius, Basilius, Augustinus, Benedictus authores religionum fuerunt, nec ullam leguntur à Pontifice approbationem quæsivisse, propterea quòd nondum extaret jus Ecclesiasticum id præcipiens.* Occasionem autem juris arcessit à Waldensibus, qui cùm ordinem quendam religiosum instituissent, sed multis superstitionibus & hæresibus admixtis, à Lucio III. damnati, post ab Innocentio III. reconciliationem & ordinis sui approbationem quæsiverint, nec obtinuerint tamen, Innocentio III. post in Concilio Lateranensi prohibente, *ne deinceps alius ordo novus sine approbatione Sedis Apostolicæ institueretur.* Annon hoc ipsum est, quod scripsi? Annon hinc Monachorum veterum & recentiorum praxis diversa elucescit? Annon vel inde constat, Papam olim non ita dominatum fuisse in Ecclesia, ne quidem seculis istis Monasticis & corruptis, sicut nunc inter suos, ceu devotos sibi milites, dominatur? Sera si qua successit regulæ Benedictinorum approbatio (de qua penes Felinum fides esto) nihil illa assertioni nostræ derogat. 6. Basilius *Constit. Mon. cap. 9.* (non 10.) disertè sic loquitur: κλῆρον μέντοι ἢ προστασίας ἀδελφῶν ἐφίεσθαι τὸν ἀσκητὴν οὐδαμῶς προσήκει. *Cæterùm clerum aut inter fratres principatum nullo modo Monachus appetere debet.* En οὐδαμῶς *nullo modo*, non tantùm non per ambitionem. Apud Cassianum *Collat. I.* cap. 20. nec non Cæsarium Arelatensem *homil.* 25. Moyses Abbas, varias illusiones, quibus Diabolus illudit Monachis, hanc quoque recenset: *cùm desiderare sanctum clericatus officium, sub prætextu ædificationis multorum, & amore lucri spiritualis, instigat; per quod nos,* inquit, *ab humilitate propositi hujus ac districtione avellat.* Clericatus ergo officium ab *humilitate propositi Monastici*, & *districtione avellere* veteres censuerunt. Neque obstat, quòd idem Cassianus *Collat. 18. c. 15* scribit, *Monachos in eremo suos etiam habuisse Presbyteros.* Nam illi Monachorum erant Presbyteri, qualibus ipsi, ceu laici, carere non poterant, non Ecclesiæ Clerici. *Hortamur* (sic Gregorius M. *lib. VI. Ind. 15. ep. 40.*) *ut omni mora, omni excusatione submota, ita Monasteria ipsa ab hujusmodi studeatis gravamine relevare, quatenus nullam deinceps in eis clerici, vel hi, qui in sacro ordine sunt constituti, ob aliud habeant, nisi orandi tantummodo causa accedendi licentiam:*

licentiam: *aut si forte ad peragenda sacra missarum fuerint invitati mysteria.* Omnino verò repugnare, ut qui Monachi sunt, etiam clerici sint, id. m Gregorius *16. q.1.c.2.* sic tradit: *Nemo potest & Ecclesiasticis obsequiis deservire, & in Monachica regula ordinatè persistere: ut ipse Monasterii districtionem teneat, qui quotidie in ministerio Ecclesiastico cogitur permanere.* Rursus ad Maximinianum Syracusanum, *lib. c 38: Presbyteros*, inquit, *Diaconos, cæterósque cujuslibet ordinis clericos, qui Ecclesiis quoquo modo militant, Abbates per Monasteria esse non permittas: sed aut admissa clericatus militia, Monasticis non provehantur ordinibus: aut si in Abbatis loco permanere decreverint, Clericatus* (NB) *nullatenus permittantur habere militiam. Satis enim incongruum est, si cùm unum ex his, præ sui magnitudine, diligenter quis non possit explere, ad utrumque judicetur idoneus.* Pluribus id ipsum veterum testimoniis confirmari potest: ipsius etiam Bernhardi, serò viventis licet, qui *Epist. 323.* Hieronymum imitatus, asserit, *Monachum non habere docentis, sed plangentis officium; quippe cui,* inquit, *oppidum carcer esse debet, & solitudo Paradisus.* Iccirco etiam vitam & statum clericalem multis parasangis Monachatum antecellere passim veteres contendunt, illum ceu *perfectum* laudibus extollentes, hunc ceu *imperfectum* deprimentes, contra planè, quàm Monachatus status *perfectionis* status hodie fingitur. uti ex Ambrosio *Epist 82.* Chrysostomo *de Sacerd. lib. VI.* aliísque liquet. Idem verò Ambrosius *lib. X. Epist. 82. ad Vercell.* notat, *primum in Occidentis partibus diversa inter se Eusebium sanctæ memoriæ conjunxisse, ut & in civitate positus instituta Monachorum teneret, & Ecclesiam jejunii sobrietate regeret.* Primus vero Siricius Papa ineptissimus Monachos lege canonizavit, hoc est, in clericorum tribum cooptavit. Ita enim ille *Epist. decret.* 1. *Monachos, quos tamen morum gravitas, & vitæ ac fidei institutio sancta commendat, clericorum officiis aggregare & optamus & volumus: ita ut qui intra tricesimum ætatis annum sunt digni, in minoribus per gradus singulos, crescente tempore, promoveantur ordinibus: & sic ad Diaconatus vel Presbyterii insignia maturæ ætatis consecratione perveniant. Nec statim saltu ad Episcopatus culmen ascendant, nisi in his eadem, quæ singulis dignitatibus præfiximus, tempora fuerint custodita.* Sed impugnavit Siricii hanc constitutionem Papa alter Leo I. *Epist. 61. ad Theod. Episc. Cyri*, ubi graviter sanxit, ut præter Domini Sacerdotes nullus, ne Monachus quidem, audeat prædicare cujuscunque scientiæ nomine glorietur. uti etiam legitur *16. q. 1. c. Adjicimus.* ubi Gratianus: *Ecce,* inquit, *in hoc canone vitium est expressum, & generali constitutione evacuatum.* In universum autem constat, Monachorum illam gentem, locustarum instar, è suis paludibus paulatim sic emersisse, ut primò quidem ex dispensatione, dein ex constitutione, demum ex speciali privilegio ex plangentibus, pœnitentibus, sibi viventibus, facti sint Sacerdotes, Episcopi, Doctores, Prædicatores, ex consensu Abbatis & Episcopi tandemque, uti genus hominum audax & superbum est, in maximas Ecclesiæ dignitates, Archiepiscopatus, Cardinalatus, Papatum ipsum involaverint, & hodieque, plorantibus sua culpa & socordia sacerdotibus, quos seculares vocant, Papatus columnæ emineant. 7. De communione bonorum apud Christianos primos infra. Nec possederunt illi latifundia, agros, divitias abundantes: nec communia omnia habentes paupertatem professi sunt: sed potiùs ea ratione paupertati mederi studuerunt: nec ex communibus bonos validos mendicantes, vel eos, qui fodere, hoc est, labore manuum suarum lucrari panem recusarunt, sustentare iis curæ fuit. Nec Patres, quorum testimonia ex Bellarmino corrasisti, Monachos possessiones & latisundia habuisse, docent. Augustinus *Epist. 109.* loquitur de Sanctimonialibus. Dispar autem Sanctimonialium & Monachorum ratio est. Fœminæ enim sexu & natura debiliores, non æquè ac viri, ad labores

bores manuum, sustentationi sufficientes, idoneæ sunt. Idem Augustinus *de vita Cleric. serm.* 2. de clericis, non de Monachis loquitur. Clericis autem possessionem & usum prædiorum, saltem in communi, veteres non negarunt. Neque ad rem faciunt, quæ ex eodem Augustino *de Opere Monach.* profers. ubi, inquis, dicit, *divites non teneri ad opus manuum, quia Monasterio bona sua contulerant.* Imò verò docet ille, multos Monachos sua bona in pauperes distribuisse, sive etiam Ecclesiis Collegiisq; clericorum donasse. At bona immobilia ac prædia Collegiis vel Monasteriis, in quibus conversi sunt, tradidisse Monachos divites, ut inde vel ipsi, vel alii non laborantes alerentur, nuspiam ille docet. Imò ne absolutè quidem Monasteria Monachorum possedisse bona conversorum immobilia, docet. Denique nec *in Psal.* 103. quicquam horum asserit. Loquitur enim de divitibus (quos cum cedris comparat) qui *superfluas copias suas præbent servis Dei, dant hortos, ædificant Ecclesias, Monasteria, colligunt passeres, ut in cedris Libani nidificent.* Nec Monasteria ædificare est eadem latifundiis, divitiis locupletare, ne, qui ea incolunt, necesse habeant labore manuum vitam tolerare, nec Monasteria solorum Monachorum, sed etiam Clericorum olim sedes erant; ut quæ Monasteriis conceduntur, non ideo Monachis concessa intelligi necessariò debeant. Imò per *servos Dei* maximè clericos, adeóque per Monasteria non Monachorum, sed clericorum collegia intelligit. Hieronymus *Epist.* 27. Paulam scribit *post virorum Monasterium, quod viris tradiderat gubernandum, plures virgines in tres turmas Monasteriáque divisisse.* Innuitque eam Monasteria hæc quatuor ædificasse. Quoad sustentationem verò disertè ait Hieronymus, ita illas virgines divisisse, ut in opere & cibo separatæ, psalmodiis & orationibus jungerentur: & eas pudore & exemplo ad laborem provocasse, non terrore. *Et illa*, inquit, *certis horis instabant operi distributo, & vel sibi, vel cæteris indumenta faciebant, si quæ erat in opere pigrior, variis eam modis aggrediebatur.* Hæc Hieronymus de mulieribus, non viris, quorum diversam insuper rationem hac quidem in re supra ostendimus. Idem verò *Epist.* 13. irridet Monachos cum certa bonorum possessione Deo servientes. Frustra deinceps ex seriore ætate, qua veterum instituta obsolescere & degenerare cœperunt, mihi vel Gregorium M. Paulo Diacono teste, Monasteria ditantem: vel Carolum M. aliósque eadem dotantes objicis. Donârunt illi non pauca in pauperes, in studiosos, in ecclesiasticas necessitates, in Monasteria, clericorum inprimis. Quid verò cum his commune Monasteriis hodiernis Monachorum: ubi divites, otiosi, copiosi depascunt omnia, quæ fideles jam diu in sacros usus transtulerunt? Ipse Benedictus vestras, quamvis, seriùs natus, non parùm tamen ab instituto suo discessisset, neque vel Christi consilium, vel Pauli exemplum, quod præ se tulerat, amplexus esset, si Monachorum suorum prædia retinere voluisset. Si quid ille retinebat, non prædia, sed Christianorum primorum exemplo, pretia, ad sublevandam Monachorum in necessariis egestatem, & ad Monasteria ædificanda retinebat. Unde Bernhardus Benedicti regulam & institutum reformans, prædia certa nulla tenuit, nisi quæ ex incultis sylvis ipsimet Monachi propriis manibus laborantes excoluerunt, ut inde proprio sudore victum quærerent. ubi ex ejusdem ad Guilielmum Abbatem apologia, & Epistola 1. ad Robertum nepotem ex Cisterciensi familia dolo & blanditiis ad Cluniacenses ipsi insusurrantes, *quòd labor manuum sit insania, & religio non sit fodere terram, sylvam excidere, stercora comportare*; illectum colligitur. Postquam autem procedente tempore ex Monachatu & Clericatu facta quædam mixtura est, disrupto vero veterum proprióque Monachismo, Monasteria in immensum sanè ditata & dotata sunt. 8. De manualibus Monachorum veterum operibus consentientem antiquitatem totam habemus. cui nebulas offundere nequicquam conaris.

conaris. Hieronymi *Epist.3.ad Rust.* diserta verba sunt, quæ retuli. Addit, fateor, isthæc: *Ægyptiorum Monasteria hunc morem tenent, ut nullum absque operis labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quàm propter animæ salutem, ne vagetur perniciosis cogitationibus mens;* &c. Non negat ille, laborandum esse propter victus etiam necessitatem (nam paulò ante hunc laborandi finem disertè posuit) sed utrumque finem urget, & victus necessitatem, & fugam otii: ac posteriorem priori præponit. Et disertè verbis à me citatis clericos & Monachos hactenus disparat, quòd clerici, utpote pascentes, possint de altari vivere, sine labore manuum; Monachi contra sibi labore manuum victum comparare, & potiùs penu Ecclesiæ suorum laborum fructibus augere, quàm ab ipso aliquid, ut sibi jure debitum, accipere debeant. An hoc nihil ad rem, Redingi? Clarissimè idem *Epist.77.* (quam; imò & plures post eam extare, non ignorares, nisi in Hieronymi operibus hospes) *Manu*, inquit, *quotidie & proprio sudore quærimus cibum, scientes ab Apostolis scriptum esse; qui autem non operatur, nec manducet.* En laboris manualis necessitatem ex jure Divino arcessitam, & arcessitam non tantùm propter otii fugam, sed victus etiam necessitatem! Nihil quicquam, quod his opponeres, habuisti. Ex Basilio proba, si potes, Monachos ejus tempore possedisse dominia, latifundia, vel aliunde donata, oblata illa recepisse. Ego verò tibi disertissima ejus verba, quibus ad manuales labores Monachos ille obstrinxit, obducam. Sic nempe ille de *Instit. Monach. Serm. 1.* scribit: Ἐπίνοια τροφῆς τοῖς ἐν τῷ τοιούτῳ βίῳ διάγουσιν, ἣν ὁ Ἀπόστολος ὑπετίθετο, ἵνα ἐργαζόμενος ταῖς χερσὶν, εὐσχημόνως τὸν ἑαυτῶν ἄρτον ἐσθίωσι. Διατίθεσθαι δὲ προσήκει τὴν ἐργασίαν ἐπί τινος πρεσβύτου, ἐπὶ σεμνότητι βίου μεμαρτυρημένου, ὃς καταλέξει τὰ ἔργα τῶν χειρῶν αὐτῶν πρὸς τὰς ἐπιζητουμένας χρείας, ὥστε καὶ τὴν ἐντολὴν κατορθοῦσθαι τὴν κελεύουσαν ἐν ἱδρῶτι καὶ πόνῳ τὴν τροφὴν πορίζειν, καὶ εὐσχημοσύνην ἀνεπίληπτον καὶ ἄμεμπτον μένειν, ἐν τῷ μηδεμίαν αὐτοῖς ἀνάγκην ἐγγίνεσθαι, διὰ τὸ τὴν τοῦ βίου χρείαν δημοσιεύεσθαι. *Ratio quærendi victus his, qui in ejusmodi* (Monachorum) *vitæ genere degunt, ea maximè conveniens judicanda est, quæ ab Apostolo præscribitur, nimirum, ut manibus laborantes, honestè suum quisque panem manducet. Quid porro quilibet conficere debeat operis, penes unum aliquem ut ætate gravem, ita & vitæ rectæ testimonio commendabilem, arbitrium erit, qui manuaria isthæc opera ad numerum distribuetur, prout viderit in rem esse usus necessarii unicuilibet, ut mandatum impleatur ejus, qui jubet in sudore & labore nobis victum ut acquiramus, & honestatis decor reprehensione ac nota omni vacuus teneatur, cùm nulla eos quotidiani victus necessitas adigat in publicum prodire.* Mandatum ergo urget Basilius Apostolicum, quod ipsam regulam Monachorum, Pauli exemplo & lege nixam facit. Idem *Constit. Monast cap 4.* Ἐκ πλειόνων μαρτυριῶν τῆς θείας γραφῆς ἔχομεν ἂν συστῆσαι τὸν λόγον. ἡ γὰρ θεία γραφὴ ἐργάζεσθαι μὲν κελεύει καὶ κινεῖσθαι τῷ σώματι, καὶ μᾶλλον ἑτέροις ὑπουργεῖν ἀσθενοῦσιν, ἢ τῆς παρ' ἑτέρων δεῖσθαι χειρός. *Pluribus hoc, quod dicimus, S. literarum oraculis possumus confirmare. Siquidem præcipiunt Divina oracula, ut laboremus, & corpus actuosum motionique expositum habeamus, potiùsque aliorum indigentiis subveniamus, quàm* (NB) *aliunde ipsi opem expectemus.* Laborandum Monacho contendit corpore, ne aliunde opem expectare debeat. Quid clarius, consignatius quid? Deinceps Scripturæ testimoniis pluribus id confirmat. Atque hæc causa est, quòd hodiéque Monachi Græci, non aliam quàm Basilii hujus regulam agnoscentes, illi inprimis, quos Μοναστηριακοὺς *Monasteriacos* appellant, manuum labore victum quæsitant. Quod fusiùs exposuit Christophorus Angelus Græcus in Enchiridio de *statu hod. Græc.* à Doctissimo Fehlavio Latinè reddito, & notis illustrato *cap.28* ubi sic inter alia ille: Ζῶσιν οἱ πλείονες ἐκ τῶν ἐργοχείρων αὐτῶν, μόνον οἱ ἱερεῖς, καὶ οἱ ἱεροδιάκονοι οὐκ ἐργάζονται, μό-

νον ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς πράγμασι σχολάζουσι, τουτέστιν τῇ ἀναγνώσει· οἱ δὲ λοιποὶ ἔχουσιν ἐργόχειρον. *Maxima illorum pars opera manuaria victum sibi acquirit, solis Sacerdotibus & Hierodiaconis, ecclesiasticis scilicet solùm negotiis, hoc est, lectione occupatis. Reliqui quod labore manuum perficiant, omnes suum pensum habent.* Varios dein illorum labores fusè edisserit. Sed disertior præ cæteris Augustinus, scripto eam in rem *de opere Monachorum* libro. Quæsiverat ex eo Aurelius Episcopus Carthaginensis *cap. 1. Utrum filiis & fratribus nostris Monachis, qui B. Paulo obedire negligunt, dicenti: Qui non vult operari, non manducet; permittenda sit ista licentia?* Ad quæstionis hujus solutionem inprimis verum Pauli sensum explicat, pluribúsque probat, Paulum intelligendum esse de vero opere actuali externo & manuali, non de opere spirituali plantandi, rigandi, ædificandi &c. per verbum prædicationis, orandi, canendi, &c. uti nonnulli locum detorserant, & ipse Redingius satis esse putavit, si Monachi aliquid *orando, psallendo, in laudibus Dei vivendo laborent.* Inde *cap. 16.* infert: *Sicut non cessavit Apostolus, imò Spiritus Dei possidens & implens, & agens cor ejus, exhortari fideles, qui haberent hujusmodi substantiam, ut nihil deesset necessitatibus servorum Dei, qui celsiorem sanctitatis gradum in Ecclesia tenere voluerunt, ut spei secularis vincula cuncta præciderent, & animum liberum Divinæ militiæ dedicarent: sic debent & ipsi præceptis ejus obedire, ut compatiantur infirmis, & amore privatæ rei non illigati, manibus suis in communi labore præpositis suis sine murmure obtemperare: ut hoc suppleatur ex oblationibus bonorum fidelium, quod laborantibus, & aliquid, unde victum transigant, operantibus, propter infirmitates tamen corporalis aliquorum, & propter Ecclesiasticas occupationes, vel eruditionem doctrinæ salutaris, deesse putaverint.* Hæc Monachis Augustinus dixit, quos in numero pauperum Christi reponit, dum fidelium oblationes, ex Pauli admonitionibus, ad hos etiam aliquatenus sustentandos pertinere vult. Clericis equidem totus victus, omniáque necessaria ex oblationibus suppeditanda erant. Monachos contra contendit ex propriis laboribus victitare oportere, ne laicos infirmos, hoc est, non adeò in erogando promptos, gravarent, quod refugiebat Paulus: & oblationes fidelium ad solum supplementum Monachis etiam, tanquam pauperibus scilicet, non tanquam Ministris ut inservirent, si qui forte ob invaletudinem, infirmitatem, complexionem corporis, aliámque sonticam causam laboris impatientes, alienæ opis indigerent. Quomodo ipse Paulus, si quando manibus laborare ob Ecclesiasticas curas non potuit, oblationes fidelium Macedonum (2. Cor. XI. 9.) admisit. In universum ergo Augustinus pertendit, Monachos omnes, secluso gravi impedimento, ad labores manuum teneri. *Quando,* sic *cap. 18.* arguit, *non omnes possunt, cur sub hoc obtentu omnes vacare volunt?* Magnum porro Clericos inter & Monachos circa usum oblationum & eleemosynarum, quæ in Ecclesiasticos erogantur, esse discrimen, idem Augustinus *cap. 21.* ostendit. Objicientibus enim, Apostolos reliquos, excepto singularem ob causam Paulo, de Ecclesia vixisse sine opere manuali, neque ea in re peccasse; respondet: *Isti fratres nostri* (Monachi) *temerè sibi arrogant, quantum existimo, quòd ejusmodi habeant potestatem. Si enim Evangelistæ sunt, fateor habent: si ministri altaris, dispensatores Sacramentorum bene istam sibi non arrogant, sed planè vendicant potestatem.* Excipit ergo, quod Redingius mussitat, Monachos quosdam *Evangelistas* (non alios) sed simul Monachos Evangelistarum potestatem sibi *bene arrogare* negat; adeóque ex instituto proprio omnes laboribus propriis ordinariè sustentari debere, astruit. Indulget tamen aliquid etiam Monachis divitibus, qui ex propriis bonis in seculo sine opificiis victitarunt. *Solent enim tales,* ita *cap. 21.* loquitur, *non meliùs, sicut multi putant, sed, quod verum est, languidiùs educari, laborem operum corporalium*

ralium sustinere non possunt. Neque tamen sic divitibus illis indulget, ut eos ab obligatione laborandi planè excipiat. Aliud scilicet est obligatio simplex & absoluta: aliud κατά τι. Nam secundum Deum, naturam & charitatem in proximum communis omnium obligatio est, adeóque non solùm *ad evitandum furtum, scandalum vel otium*, uti Redingius prætendit: quia S. Paulus laborem imperat non solùm ad depulsionem mali, puta furti, scandali, otii: sed etiam ad constitutionem & incrementum boni, ut videlicet *suppetat, unde impertiamur ei, cui opus fuerit*, Ephes. IV. 28 *ut ambulemus decenter erga eos, qui foris sunt, & nullius indigeamus*, 1. Thess. IV. 12. *ut ipsum imitemur*, laborantem quippe manibus propriis, 2. Thess. III. 8. ut Monachos non laborantes à christianitate & imitatione Pauli excipiendos esse, satis inde patescat. Secundum ordinem tamen humanum & respectu antegressæ liberioris seu commodioris vitæ, collatarúmque in commune facultatum, liberiorem laxiorémque esse divitum obligationem, Augustinus sentit. Hoc sibi, non aliud, velle Augustinum, ex *cap.* 25, liquet. *Quamobrem*, sic ibi loquitur, *etiam illi, qui relicta vel distributa sive ampla, sive qualicunque opulenta facultate, inter pauperes Christi pia & salubri humilitate numerare voluerint, si corpore ita valent, & ab Ecclesiasticis occupationibus vacant; quanquam eis tam magnum animi sui documentum afferentibus, & ejusdem societatis indigentiæ de his rebus, quas habebant, vel plurimùm, vel non parum conferentibus, vices sustentandæ vitæ eorum res ipsa communis, & fraterna charitas debeat: tamen si & ipsi aliquid manibus operentur, ut pigris ex vita humiliore, & ob hoc exercitatiore venientibus auferant excusationem, multò misericordiùs agunt, quàm cum omnia sua indigentibus diviserunt. Quod quidem si nolunt, quis audeat cogere? Quibus tamen inveniendа sunt opera in Monasterio, etiamsi à corporali functione liberiora, sed vigilanti administratione curanda, ut nec ipsi panem suum, quoniam jam communis factus est, gratis manducent.* Et paulò post: *Illi autem*, inquit *qui etiam præter istam sanctam societatem vitam labore corporis transigebant, ex quorum numero plures ad Monasteria veniunt, quia & in ipso humano genere plures sunt, si nolunt operari, non manducent. Neque enim* (NB.) *propterea in militia Christiana ad pietatem divites humiliantur, ut per superbiam extollantur. Nullo enim modo decet, ut in ea vita, ubi sunt Senatores laboriosi, ibi fiant opifices otiosi, & quò veniunt relictis deliciis suis, qui fuerant prædiorum domini, ibi sint rustici delicati.* Obligantur ergo ex Augustini sententia etiam divites, sed ex liberiore nonnihil obligationis lege. Adeò verò curæ Augustino fuit, quò Monachi ex propriis laboribus vitam tolerent, ut *cap.* 30. vel ipsos fideles pios & liberales deterrere conetur, ne Monachis absque gravi necessitate temporalia ministrent. *Sciant ergo*, inquit, *etiam cæteri fratres & filii nostri, qui favere talibus* (otiosis) *& hujusmodi præsumptionem per ignorantiam defendere consueverunt, se potissimè corrigendos, ut illi corrigi possint: non ut infirmentur benefacere. Sanè in eo, quòd servis Dei promptè atque alacriter necessaria subministrant, non solùm non reprehendimus, sed etiam suavissimè amplectimur: sed ne perversa misericordia magis eorum futuræ vitæ noceant, quam præsenti subveniant.* Perversam misericordiam vocat victum tribuere Monachis otiosis: & Monachos laborare detrectantes futuræ vitæ detrimentum pati pronuntiat. Væ ergo divitibus multis, Monachorum otium alentibus: væ Monachis otiosis, ex Augustini mente! Quid verò multis? Bellarminus ipse, postquam diu Hieronymi & Augustini mentem hac de re pervertere studuit, tandem *de Cler. lib. II. cap.* 42. fatetur, *Monachos veteres fuisse obligatos operari manibus ex propriis regulis.* Bene est. Cur ergo à regulis priscis posteri discesserunt, qui abjectis illorum regulis de majoribus gloriantur, quorum vim & imitationem negligunt, at nomina plenis buccis osten-

ostentant? 9. Inter res eas, quæ nobis in verbo Domini liberæ relinquuntur, frustra sui abnegationem, Christi sequelam numeras. Hæc enim Christi discipulis omnibus necessaria esse, non Monachis propria, Christus ipse Matth. X. 28. XVI. 24. Luc. XIV. 27. demonstrat. Alia longè innui, *in vestitu, victu, aliisque rebus adiaphoris* veteribus insueta, at recentioribus tanto in pretio habita, ut rigidissimè exigantur. Perfectionis & sanctitatis documentum hodie censetur v. g. *hircorum barbam, nigrum pallium gestare, nudos patientia frigoris pedes habere sublatis in altum humeris nescio quid intra se cornicari, stupentibus in terram oculis tumentia verba trutinare.* qualia olim Hieronymus *Epist. ad Heliod. & Eustoch.* in Monachis otiosis & ἰνωχνμένοις atro carbone notavit. Scelus habetur inexpiabile, si quis in genere coloris, vestis, cibi aliisque frivolis & frigidis ejusmodi ceremoniis vel minimùm à præscripto deflexerit. Quanta quæso nugamentorum ejusmodi seges in Monachis hodiernis se offert: & quàm diversa in diversis ordinibus; adeò ut religiones etiam distinguant? 10. Quid verò non omnipotens ille Papa vester potest? Sed de eo hic non quæritur: verùm quæ veterum Monachorum conditio fuerit. Veteres, repeto, Monachi Episcopis diœcesanis subfuerunt, uti ex Concilii Chalcedonensis *capite* 4. colligere est: hodierni eorum jugum excusserunt, ut Papæ, ceu devoti ejus milites, addictiùs inservire possint. Olim ergo Pastorum suorum oves, æquè ac reliqui laici, fuerunt: hodie clitellaria Papæ mancipia. 11. Laudo equidem hactenus Monasteria vetera, quatenus illa pietatis & bonarum literarum Scholæ, nec aliud, fuere, de quo Basilium in Asceticis *cap.* 15. Cassianum *lib. II.* 12. Nazianzenum in *Monodia in Basilium*, Hieronymum & Augustinum locis quàm plurimis videre est. Inprimis bonæ literæ in cœnobia & Monasteria migrarunt circa ea seculi V. tempora, quibus scholæ publicæ per Gothos & Vandalos, mox per Hunnos, Francos, Alemannos dissipatæ fuerunt. Consentio etiam tibi, laudem hanc eximiam Benedictinorum fuisse, de quorum Monasteriis & Monachis sic Trithemius Abbas *de Viris illustr. lib. I. 6.* scribit: *Qui se in S. Scripturis ampliùs exercitassent, vacantibus horis studio & expositionibus earundem intendebant: libros conficientes & varios tractatus, quibus studia fratrum suorum quotidie ad Deum provocabant. Cæteri autem fratres, juxta quod regula vetat, otio non vacabant: sed post orationes operi manuum devotè insistebant. Libros scribebant, qui ad hoc erant idonei, & à doctioribus edita, ex schedis ad mundum redigebant. Alii scriptos codices artificiosè conglutinabant, corrigebant alii, rubro minio ceteri exornabant. Nullius manus huic sancto deerat officio: gaudebant se omnes participes haberi studiorum, quæ in expositionibus scripturarum gerebantur. Juniores etiam fratres disciplinis instituebantur ecclesiasticis, prout unicuique eorum conveniebat: alii in Grammaticis, alii in Orthographia: in Rhetorica nonnulli vel Dialectica: quidam in Musica, arithmetica & arte Computistica: alii in Philosophia: atque alii in his jam fundati, ad scripturas introducebantur theoreticas. Nullus in cœnobiis locus dabatur otio, sed suis studiis atque laboribus singuli insistebant. Unde etiam multi sanctissimi doctissimique in omni scientia Scripturarum viri, cum magna laude nominis sui & ordinis evaserunt. Nil Monachis olim jucundius erat, quàm in sacratissimis scripturis immorari, illas legere & exponere, & novos semper ad Dei laudem libros compilare.* Cúmque idem Bonifacii, Rabani, Bedæ mentionem fecisset, hæc adjicit: *Hi sanctissimi viri atque in scripturis peritissimi doctores, quicquid de sententia Scripturarum norant, in Monasteriis sub regula ordinis didicerunt. Non mittebantur causa discendi ad exteras nationes, cùm in cœnobiis semper haberent bonarum artium præceptores.* Non pigrabor ejusdem è Chronico Hirsaugiensi verba excerpere, ex quibus, quæ olim Monachorum Benedictinorum studia fuerint, liquidò constabit.

ſtabit. *His*, inquit, *temporibus* (circa A.840.) *& diu poſt, erat hæc conſuetudo Monachorum Benedictinorum celeberrima, ut ſcholæ, in ſingulis pœne cœnobiis haberentur, quibus non ſeculares homines, ſed Monachi moribus & eruditione præficiebantur ornatiſſimi: qui non ſolùm in Divinis ſcripturis docti eſſent, verùm etiam in Mathematica, Aſtronomia, Arithmetica, Geometria, Muſica, Rhetorica, Poëſi, & in cæteris omnibus ſecularis literaturæ ſcientiis eruditiſſimi haberentur. Ex his multi non ſolùm in Romana lingua docti erant, ſed etiam in Græca, Hebraia & Arabica peritiſſimi. quod ex eorum opuſculis facilè dignoſcitur. quanquam vitio ſcriptorum, qui à primæva inſtitutione præceptorum paulatim degenerare cœperunt. pauca exemplaria noſtris temporibus emendata reperiantur. Quoties autem idoneum ad hanc ſubeundam provinciam in ſuo cœnobio monachum Abbas minimè habuiſſet, de aliquo alio Monaſterio petere aptum, non erat verecundum. Maximum enim dedecus judicabant, dociles animos Monachorum negligere, quos ut moribus & literis bene inſtituere poſſent, nullis laboribus, nullis parcebant impenſis. Sic namque doctiſſimus ille Monachus Gemblacenſis, Sigebertus, multo tempore in cœnobio S. Vincentii Metenſi Monachorum præceptor, quanquam de alio Monaſterio, fuit. Ita Strabo Monachus Fuldenſis in Hirsfeldia: Notgerus S Galli, in Stabulenſi Albinus Monachus, Anglicus in Fulda, Milo S Amandi in Corbeja, atque alii complures in Monaſteriis aliis docendi ad tempus tenuerunt officium, ubi converſionis primordia cœperunt. Hæc autem conſuetudo ſanctiſſima primùm in Anglia cœpit, ubi Venerabilis ille Monachus & Presbyter Beda Monachorum inſtitutor factus, poſt ſe multos doctiſſimos reliquit diſcipulos. Quantum verò hæc Monachorum inſtitutio ordini noſtro* (Benedictino) *profuerit, nemo ignorat, qui veterum hiſtorias ſtudioſiùs revolvit. Multi enim ex Monachis propter ſcientiam literarum incomparabilem ad Epiſcopatus honorem promoti ſunt, qui ordinem noſtrum vita & doctrina mirabiliter illuſtrarunt. Nam etiamſi ſtudium literarum nihil conferret ordini quàm utilem occupationem Monachorum, eſſet nihilominus maxima veneratione à nobis promovendum; quia niſi mens hominis clauſtralis aliquo exercitio occupetur delectabili, in multas & varias miſerias delabitur. Quod Sancti patres probè intelligentes, lectionem Scripturarum Monachis omnino voluerunt eſſe familiarem.* Inter Monaſteria hunc ſtudiorum morem habentia, præcipua Fuldenſe, Hirsfeldienſe, Mediolanenſe, Remenſe, Stabulenſe, S.Galli, Hirſaugienſe, S.Dionyſii Pariſienſe, Altiſidorienſe, Wiſſenburgenſe, Augienſe, Prumienſe, S.Maximi Trevirenſe, Turonenſe enumerat. Tales nobis, Redingi, Monachos, talia Monaſteria, aliis inſuper ſuperſtitionibus nullis infecta, & S literas caſtè ſanctéque tractantia, reſtitue; & ex fructu tali arborem laudibus pluribus feram. Sed pridem aliis moribus vivi cœptum. Ipſe enim, qui ſupra, Trithemius, harum rerum maximè gnarus, ſubjicit: *Utinam tale ſtudium hodie in noſtris haberetur Monaſteriis, quàm multa bona fierent, & infinita mala prohiberentur. Sed non omnibus ineſt amor Scripturarum. Propterea noſter ordo ſacratiſſimus quaſi* (NB) *ſine honore jacet ſepultus.* Duravit nempe illa in Benedictinorum ſodalitiis ratio aliquantulum ultra Hermanni Contracti & Mariani Scoti tempora. Deinceps barbaries & literarum inſcitia apud Monachos inceſſit, de qua teſtes idoneos habemus Ludovicum Vivem Præfatione in Auguſtinum *de Civit.Dei*: Eraſmum Roterodamum in Encomio Moriæ, ejuſque apologia ad Dorpium Theologum ſcripta; nec non in Adagiis, *Monacho indoctior. Sileni Alcibiadis.* ubi Monachos *ſtoicas ſimias, cucullata monſtra inſcitiæ & cacologiæ doctores* appellat. Et quicquid de Benedictinorum Scholis & ſtudiis, nimiùm proh dolor! hodie degenerantibus, & à Scripturarum pia meditatione ad alia omnia converſis, fiat: ſaltem Monachi Mendicantes, aliique innumeri pridem caſtas Mu-

ſas è contubernio ſuo expulerunt. An verò eruditionis fructum cum fructu pietatis, cujus *exercitationem primariò & eſſentialiter in Monachis intendi*, Redingius aſſerit, Mendicantes, aliique etiam, ut idem gloriatur, commutaverint, res ipſa, & querelæ teſtatiſſimæ Bernhardi, *Epiſtola ad Guilh. Abbatem*, Nicolai Clemangis, aliorúmque, aſſa voce confirmantium, quòd Monaſteria ex Muſarum domiciliis, pietatis phrontiſteriis, honeſtatis gymnaſiis, in carceres ſqualidos, & non inſcitiæ duntaxat, ſed etiam improbitatis omnis (nos addimus, horrendæ idololatriæ) deteſtanda receptacula converſa fuerint; loquantur. Et hi, Redingi, fructus, qualis arbor Monachatus hodiernus ſit, docent. 12. Deſerturos Monaſterium revocarunt veteres, at redire nullos coëgerunt. Neque ſanè, uti hodie fit, contra eos uſi ſunt actione juris, perſonali, vel reali: non loris, vinculis, carceribus eos attinuerunt. Vel unum, ſi potes, violentiæ talis teſtem ede. Sola morali perſuaſione voluntatem deſertorum flectere, ut ſponte redire animum inducerent, conati ſunt: ſed ignari ſcilicet doni & vocationis internæ, coëgerunt neminem. ſecus quàm hodierni tyranni, & Dracones, nulla habita doni, vocationis & humanæ fragilitatis ratione, ſanguine leges novas ſcribentes, faciunt. In hoc ergo immane veterem inter & recentiorem Monachatum diſcrimen poſuimus. Baſilius *Epiſt.* 183. 184. 185. Monachis ſuis elapſis non aliud quàm preces, hortationes pias ad redeundum admovet. Concilium Arelatenſe II. *cap.* 25. Monachis deſertoribus ſolam pro peccato pœnitentiam injungit: vim fieri nullam jubet. Similiter Leo *Epiſt.* 45; *ad Ruſt. Narb.* & Gregorius M, *lib.* 1. *Epiſt.* 33. cum λειποτάκταις ſuis non vi ulla, ſed precibus conſiliiſque decernunt. Quo enim jure Monachos deſertores vi adhibita revocarent illi, qui ne Clericos quidem deſertores clericatum recipere coëgerunt. quod nec vos hodiéque facere ſoletis. Longè enim majus vinculum eſt Clerici, præſertim Presbyteri, quàm Monachi, quantumcumque profeſſi: longéque arctior clerici, quàm Monachi profeſſio eſt, quia fit publicè, per publicam vocationem Eccleſiæ, fit in Eccleſia, contrahitur non cum Deo tantùm, cui ſe Clericus devovet, ſed etiam cum Eccleſia, cujus publicus per ſolennem ordinationem Miniſter conſtituitur. In Monacho contra omnia privata ſunt, neque is ullo vinculo officii publici Eccleſiæ alligatus eſt. Neque obſtat Concilii Chalcedonenſis Canon VII. qui ſic habet: τοὺς ἅπαξ ἐν κλήρῳ τεταγμένους καὶ μονάζοντας, ὡρίσαμεν μήτε ἐπὶ στρατείαν, μήτε ἐπὶ ἀξίαν κοσμικὴν ἔρχεσθαι. ἢ τοῦτο τολμῶντας, καὶ μὴ μεταμελομένους, ὥστε ἐπιστρέψαι ἐπὶ τοῦτο, ὃ διὰ Θεὸν πρότερον εἵλοντο, ἀναθεματίζεσθαι. *Eos, qui in clero ſemel ordinati ſunt, & itidem Monachos ſtatuimus, nec ad militarem expeditionem, nec ad ſecularem dignitatem poſſe venire. Qui autem hoc audent, & non pœnitentia ducti ad id revertuntur, quod propter Deum priùs elegerant, anathematizari.* Manifeſtum enim eſt, Canonem loqui non de Clericis vel Monachis, clericatus vel ordinis deſertoribus (cur alias ſimpliciter reditum ad ſeculum non exprimerent, & venientes ad militiam vel ſecularem dignitatem ſolam; non venientes ad ſeculum promiſcuè, vel quemvis alium etiam ſeculi ſtatum, feriret?) ſed de Clericis & Monachis, Clericatu vel Monachatu non abdicato, caſtra ſequentibus, vel politica dignitate fungentibus, quales innumeri fere Papæ, Cardinales, Epiſcopi, Monachi veſtri fuerunt. Ne dicam, canone hoc, ſi maximè de clericatus & Monachatus deſertoribus intelligendus foret, non obſtante, multos apud vos Clericos & Monachos, Papa gratiam faciente, impune ad militarem vel politicam, Regiam etiam dignitatem, Clericatu vel Monachatu, votivo etiam, deſerto tranſiviſſe. De Cypriani verbis infra. Diſtinctio verò deſerentium ante & poſt votum emiſſum, ficulnea eſt, nec ex veteribus, quos ſupra induxi, vel aliis etiam probari poteſt. Nam ſolennia & irrevocabilia vota ne cognita quidem veteribus fuerunt. 13. Et de Dominis, & Caſſan-

der:

der in communione vestra mortui sunt. Et qualescunque ii fuerunt, apud nos si non testium, saltem testimonii gravissimi veritas valet. Quàm enim rectè de Dominis hodiernos Cœnobitas cum Sarabaitis veteribus contenderit, supra ostendimus. Et Mendicantes Monachos *hermaphroditas, imperfectè clericos & Monachos, & perfectè Pseudoclericos & Pseudomonachos*, sine ullo convitio appellare potuit. Cùm enim Monachi ex prima institutione, & votorum suorum tenore, non clerici, seu publici Ecclesiæ Ministri, sed meri laici sint, illi tamen & statum Monachatus veterem se retinere jactant, & simul clero adscribi volunt. Nec perfectè Monachi sunt, quales ex prima institutione esse debuerant, uti jam demonstravimus: nec perfectè clerici, quia quâ tales Ecclesiæ non ministrant, sed merè per accidens, & aliena vi. Sunt ergo, quod eos esse de Dominis dixit. 14. Qua ratione Monachos Turcas idololatriæ crimine à vestris distinguas, ipse videris. Certè idololatriæ labe fœdiùs Monachi Papistæ, quàm Turcæ, ab imaginibus religiosis & idolis abhorrentes, polluti sunt. Sed & Monachatum, siquidem in eo perfectionis Evangelicæ cardo vertitur, naturæ lumine hominibus gentilibus & Turcis etiam innotescere potuisse, falsissimum est. Potiùs inde rationis corruptæ & carnalis fœtum esse, colligere debueras. Caro enim & sanguis religionem & cultum Deo placentem dictare nequit. Forte etiam Turcæ Monachatum à Sergio Monacho Nestoriano, cujus ope Muhammed in cudendo Alcorano suo usus est, mutuati sunt. Sed undecunque Pagani, Indi, Japonii, Turcæ &c. Monachatum habeant, certè nec à recto naturæ lumine, nec ex Divina revelatione, sed ex Diaboli instinctu eum totum habent. Pudendum igitur est, quòd vestrûm nonnulli ex Turcarum Monachatu suum incrustare non verecundantur. Quos inter Abbas Ecchellensis, Lutetiæ Orientalium linguarum Professor, *Præfat. in Anton. M. Epist. ex Arabico, Latinè conversas* ab ipsis Muhammedanis adversus Mornæum & Lutherum pro Monachatu suffragium mendicavit his verbis: *Ipsi Christiani nominis hostes nobis in hoc suffragantur. Gelalledinus Sajuti Muhammedanus, in sua Ægyptiaca historia ex variis autoribus, quos ibidem citat, sequentia allegat de Monastici instituti exordio: Facultatem petierunt, qui crediderunt ex Magis, à Moyse, ut redirent ad suos, & ea quæ habebant in Ægypto; & impertitus est eis Moses facultatem, atque deprecatus est pro illis. Quamobrem professi sunt Monasticam vitam in summitatibus montium. Et sanè primi fuerunt, qui Monasticam vitam professi sunt: & appellabantur cœtus. Remanserunt verò quidam eorum cum Moyse, donec fatis concessit, Deo jubente: & interruptus est Monachatus post illos, donec restituerunt illum Christi Apostoli, super quos pax. Imò ipse Pseudopropheta Muhammetus instituti veneratione motus, conceptis verbis Monachos suis commendavit, ac Monachorum & Monasteriorum bona à tributorum gravamine exemit.* Sic Pontificii Professores à Muhammedanis Pseudoprophetis Monachatui suo præsidium ambientes, Acheronta movent, cùm superos flectere nequeant. 15. Tandem ergo eò devolveris, ut pertendas, Monachos hodiernos, si qui ab accuratiore Monachatus veteris observantia deflexerant (at deflexisse omnes, degenerantibus institutis, jam probavimus) *substantiam* tamen ejus *integram* illibatámque retinere. Parum equidem liberale est, aurum ascititio stercore fœdare. Sed nec aurum profectò cum veteribus commune habetis; ac vix aurichalcum. Substantiam enim Monachatus vestri in votis religiosæ paupertatis, continentiæ & obedientiæ, perfectionis Evangelicæ statum post se trahentibus, collocatis. Atqui nec Evangelicæ perfectionis statum; à fidelium omnium statu disparatum, Monachos veteres somniasse, quin Clericos Monachis perfectiores semper habitos esse, supra obiter probavimus, non obstantibus Patrum quorundam testimoniis, à Bellarmino *de Cler. lib. II.* 11. in pravum sensum detortis,

& à Doctissimo Fr. Junio *Animadv. in Bellarm. Controv. V. lib. II. 11.* solidè discussis, & cum votorum solennium & absolutorum religione vestra nihil antiquioribus Monachis commercii fuit. quod alibi fusiùs probatum nos dedimus. Illud verò omnes falsitatis numeros implet, quòd Patres substantiam Monachatus in tribus votis solennibus & absolutis, puta paupertatis, & quidem conjunctæ cum possessionibus communibus, vel huic aut illi ordini propriis: continentiæ à cœlibatu, & quidem talis, ut plus ei conjugium, quàm scortatio adversetur: & obedientiæ cœcæ, qualem supra descripsimus, constituerint. Unum, si potes., Redingi, testem ede, cur tale quid vel in mentem venerit. Substantiam Monachatus in secessu ad agendam sive in solitudine, sive in communitate pœnitentiam, frequentanda pietatis veræ solidæque exercitia, & laborem manuum collocarunt. quomodo Pelagius Papa *16. q. 1. c. de præsentiva* emphaticè satis *tria propria* Monachis attribuit, *quietem, orationem & manuum laborem.* Hic equidem secessus cœlibatum castum & paupertatem veram, cum labore manuum conjunctam, comitem habuit; sed neutram vel substantiam Monachatus, vel sic devotam, ut nulla ratione vel conditione humanæ fragilitatis institutum suum mutari posse putaverint. En ex multis Athanasii ad Dracontium, Alexandriæ Episcopatum, ne se forte ab austera vita revocaret, fugientem verba: *Multi quoque ex Episcopis matrimonia non inierunt, Monachi contra parentes liberorum facti sunt: quemadmodum vicissim Episcopos liberorum patres, & Monachos generis potestatem quæsivisse animadvertes; & Clericos bibisse, & Monachos jejunasse.* ἔξεςι γὰρ καὶ οὕτως καὶ ἐκείνως ὐκ ἐκώλυται. *Sic enim licet, & ad eum modum non prohibetur.* ut ex posterioribus his verbis manifestum sit, non eum, uti Bellarminus detorquet, de Monachis exorbitantibus loqui; quia de eo, quod licet, & prohibitum non est, loquitur. Neque etiam, quod alii oggerunt, de tempore Episcopatum vel Monachatum antecedente loquitur; quia sic ejus ratio ridicula foret. Qua enim specie id Dracontio proponere potuisset, ut ipsi, Monachalem vitam eum non austeriorem, nec Episcopalem liberiorem redditurum esse, persuaderet? Num de his professionibus suscipiendis, an de eorum, qui eos susceperant, statu ac conditione loquebatur? Verba ejus perspicua sunt: Ἔξεςι γὰρ καὶ ἐπίσκοπον ὄντα εἰ πεινᾷν &c. Itaque de eo, quod Episcopatu durante fieri potest, agit: sive id sit à cibis vel conjugio abstinere, sive iis uti: ostendensq; Dracontio, quòd nec Monachi conditio conjugium inituris obstet, nec Episcopi status cœlibatum impediat: quòd in utroque genere, utrumque pro cujusvis libertate inveniatur: adeóque nec Episcopatum assumens vitæ liberiori, nec Monachatum retinens austeriori se astringat, sed quòd utrumvis in statu utroque in ejus arbitrio futurum sit. Sic Athanasius, sic Patres alii.. Sed novæ Cabalæ Magistri Monachatus substantiam in votis solennibus & absolutis illis tribus, puta cœlibatus, paupertatis, obedientiæ collocantes, veros quoad substantiam Monachos esse jactant, quotquot voto solenni inter manus Præpositi nuncupantes, se non tam ad continentiam veram, quàm conjugii abdicationem perpetuam, qua fibula castitati imposita suos docent castitatem perrumpere, postquam ex libero officio jugum necessarium fecerunt: non tam ad veram paupertatem, hoc est, divitiarum & possessionum, sive privatarum, sive communium inopiam, quàm ad possessionum privatarum, & personis propriarum carentiam, cum divitiis adeò non pugnantem, ut etiam, qui Mendicantes appellantur, iis diffluant, & novitius Jesuitarum chorus montes auri & argenti, tum simulatione pietatis, tum condicta per Indias & novum orbem negotiatione accumulent: non tam ad veram obedientiam Deo, & præfectis secundum Deum ex verbo ejus præstandam, quàm ad obedientiam cœcam, in hominis καταβραβεύοντος, & humanis suis traditionibus, regulis alienis, ineptis, impiis,

impiis, superstitiosis obedientiam illam, quæ soli Deo præstari debet, παρεγχωνίσαντος ac velut cubito in extremas oras pellentis, verba & imperata quævis juratam, obstrinxerint. ita ut jam quoad substantiam Monachi regulares sint & maneant, qui non nubunt, sive de cætero scortentur, sive non: qui nihil proprii possident, licet in commune immensas opes possideant, saltem lautè & opiparè, sine labore manuum victitent: qui in verba hominis jurant, sive Deo ejusque legibus morem gerant, sive non. Tales substantiales Monachos apud Sarabaitas veteres reperias: in vera Ecclesia Christiana veteri reperias nullos. Jam ergo, Redingi, vides, Monachatui veteri cum novitia illa Monachatus umbra & larva nihil, sive in substantia, sive in accidentibus commune esse, si nomen excipias. Cucullum apud vos & saginaria videmus, veterem Monachum & gymnasia veræ fidei & pietatis non videmus.

ARG. IX. Neque adeò in ipso Papatu defuerunt, quibus Monachatus institutio desplicerct. Gerson Parisiensis Cancellarius *part. 1. contra Prop. Mat. Grabo. propos. 4.* disertè asserit, *quòd religio Christiana non requirit ad perfectiorem sui observationem tam in præceptis quàm in consiliis, quòd superaddatur alia religio, quales dicuntur observationes instituta per S. Basilium, Augustinum, &c. quales Anshelmus vocat* RELIGIONES FACTITIAS. Author Opusculi Tripartiti, quod secundo tomo Conciliorum añexum est, in Concilio, Lateranensi sub Innocentio III. celebrato, dicebat: *Totus ferè mundus obloquitur & scandalizatur de tanta multitudine religiosorum pauperum, qui introierunt in mundum qui jam non religiosi, sed trutannii vocantur, quod cedit in maximam vilipensionem religionis sacræ.* Cassandri de hodierno Monachatu sententiam, jam modò laudavimus. Ipse Mantuanus Monachus in eos invehitur, *qui nomen de religione superbum usurpant.* Conventuales Ordines abolendos esse, Cardinales à Paulo III. Pontifice ad reformationem ecclesiæ delegati statuerunt. Johannes Petrus Camusius Bellicensis Episcopus, Vir multis scriptis clarus, contra Monachos multa, quæ inter ejus in Augustini tractatum de Monachis observationes, & liber, cui *Directoris* titulum indidit, eminent, emisit, & bellum cum iis ἄσπονδον diu gessit. Cardinalis quoque Tossatus quàm contemptim de Monachatu non ita pridem judicaverit, ex ejus Epistolis luci publicæ donatis liquet.

RESP. REDING: 1. *Gerson agnoscit perfectionem non ex præceptis duntaxat, sed etiam ex consiliis consistentem, aitque Basilii, Augustini &c. observationes tales esse quales ad religionem sufficiant. 2. Ipsa illa ordinum Mendicantium excessiva copia excitavit Innocentii IV. providentiam, ut in Concilio Lateranensi constituerit, novos ordines à Papa non probatos institui non debere. 3. Si qui Catholici quocunque animo Monachos carpunt, nihil id Monachatus substantiæ officit; qui ex Christi instituto descendens ex perversorum quorundam malitia æquè non contaminatur, ac cathedra Mosis ex pravitate Pharisæorum contaminari non potuit. 4. Neque etiam substantiæ Monachatus obstat, quòd Pontifices quidam consilium aliquando ceperunt, ordines quosdam supprimendi, quia longè plures illum vel collaudarunt,*

darunt, vel obfirmarunt, vel privilegiis auxerunt. Illi præterea authoritate legitima id fecerunt, in finem melioris boni, & ea cautela, ut votorum observantia redintegraretur. Secus quàm Pseudo-Reformator spiritus personas Deo consecratas profanare, vota violare, bona Monasteriorum Divino cultui mancipata ad usus profanos trahere attentarunt. Ibid. pag. 311. Resp. 1. Nescio quomodo ex verbis Gersonis consilia extundere velis. Ille enim in Concilio Constantiensi ad Cardinalem Veronensem conscribens sex propositiones adversus errores Fratris Matthæi Grabon, Ordinis Prædicatorum, *Propos. IV.* negat Religionem Christianam ad perfectionem sui requirere *observationem tam in præceptis quàm in consiliis.* quæ Grabonis, non Gersonis assertio fuit. Sed de consiliis quicquid sit, (neque enim de iis nunc quæstio est; & fatemur illa ultro Gersonem agnovisse) ille tamen Christianæ religionis perfectionem in iis consistere negat; vos affirmatis: Ille observationes institutas per Basilium, Augustinum &c. una cum Anshelmo *religiones factitias* appellat: Vos Divinas, Spiritu Dei authore procusas pertenditis. Addit Gerson *Præpos. V. Religiones hujusmodi factitiæ satis impropriè, & abusivè, &* (NB) *forte arroganter dictæ sunt status perfectionis. Patet, quia constat,* (NB) *homines imperfectissimos tales religiones profiteri: & secundum illos, qui noviter usi sunt tali vocabulo status perfectionis; ille status non dicit apud religiosos perfectionem habitam vel acquisitam, sicut est de statu Prælatorum, sed tantummodo dicit perfectionem acquirendam.* Ibidem Grabonis illam Propositionem: *quòd religio, prout* per eam *homo se obligat ad ea, quæ essentialiter pertinent ad statum perfectionis, antonomasticè dicantur tantùm de illis, qui sunt in aliqua de approbatis regulis propriè dictis professi. cujusmodi sunt Augustini, Basilii, Benedicti, Francisci,* &c. ait esse *stultam, insanam, hæreticalem & blasphemam.* Sed & secundum corollarium ejusmodi ponit: *Sequitur secundò, quòd extra religiones factitias potest aliquis cum voto simplici vel sine voto Christianam religionem in suis præceptis & consiliis perfectè observare.* Damnat quinetiam propositionem ejusdem Grabonis, *quòd implicet contradictionem, aliquem de seculo servare consilium paupertatis, castitatis & obedientiæ.* Quid Monachatum, qualis hodie defenditur, destruere est, si hoc non est? Et tamen Gersonis Propositionibus tredecim doctores majores, *quos pro tunc mundus habuit, in Theologia de diversis universitatibus,* contra Grabonis assertiones adhæsisse, ibidem scribitur. Quin & Cardinalis Henricus Cameracensis Grabonis librum, propositiones illas complexum, *damnandum esse, ut erroneum, temerarium, scandalosum, & per consequens ut hæreticalem igni tradendum esse*, definivit. 2. Nihil equidem sanctius longo tempore Pontifices instituerunt, quàm quod in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. habito *cap.* 13. sancitum est his verbis: *Ne nimia religionum diversitas gravem in Ecclesia Dei offensionem inducat.* (NB) *firmiter prohibemus, ne quis de cætero novam religionem inveniat. Sed quicunque voluerit ad religionem converti, unam de approbatis assumat. Similiter qui voluerit religionis domum fundare de novo, regulam & institutionem accipiat de religionibus approbatis.* Nihil hic Pontificiæ approbationi, vel potestati, cujus ne verbo quidem decretum meminit, relinquitur. Nihil, inquam, sanctius Pontifices sanxerunt, si modò servarent: facturi tamen longè sanctiùs, si simplicitatem religionis Christianæ & veritate doctrinæ, & exemplo vitæ cum fratribus suis constabilivissent. Nunc vero & hoc neglexerunt negligúntque strenuè: & illud impudenter violat Papa, ordines etiam pessimos, quales Capucinorum & Jesuitarum sunt, instituens, eósque decretis suis contra disertum tenorem Concilii Lateranensis (quo sancitur, non ut novos ordines approbandi potestas Papæ concedatur, quomodo Papæ Conciliorum correctores deinceps illud

in-

interpretati sunt; Sed *ne quis de cætero novam religionem inveniat*, quid autem Papa approbabit, si nemini *novam invenire religionem* fas sit!) multiplicans pro lubitu. Nempe, juxta Tirini *ad 1. Cor. 1. 16.* illa; *Varietas ordinum Religiosorum facit ad majorem Ecclesiæ splendorem, robur & commodum Sicut in una urbe varietas opificum, in una aula varietas Ministrorum, in una acie varietas cohortium & legionum.* Sed hos opifices non conduxit Christus: hos ministros non instituit: has legiones non armavit. Sunt robur Babylonis, non Sionis; non Christi, sed Antichristi, qui ex puteo abyssi novas subinde ejusmodi cohortes, novos tyrannidis suæ ministros, novos novarum superstitionum fabros, quibus & plebeculæ mentes captivantur, & populorum emunguntur crumenæ, & authoritas Papæ vilescens labascénsque suffulcitur, emittit. Dignissima lectu sunt, quæ eam in rem Melchior Canus, in Salmanticensi Academia Theol. Professor, qui & ipse Concilio Tridentino interfuit, *Loc. Comm. lib. V. cap. 6.* habet, quæ huc sevocare alienum haud fuerit. *Ordines*, sic ille, *vel probare, vel refellere, quoniam non à scientia id solùm, sed etiam à prudentia pendet, non ad ea pertinet, in quibus summus Pontifex errare nequit. Atque jam vel in Concilio Lateranensi advertebatur, religionum nimiam multitudinem, quam nunc esse videmus, valde Ecclesiæ Christi incommodare. Concilium quoque Lugdunense fatetur, quòd importuna potentium inhiatio contra Synodi decretum aliquarum religionum confirmationem extorsit. Unde quosdam ordines per Sedem etiam Apostolicam approbatos, tanquam Ecclesiæ vel noxios vel inutiles, abolendos esse decrevit, ut nullum deinceps ad eorum professionem admitterent. Et Cælestinus statum vitámque Fratricellorum suo privilegio confirmavit, quod tamen confirmationis privilegium Johannes XXII apertè infirmum esse dixit, quod Bonifacius ex certis rationalibus causis ea, quæ Cælestinus concesserat, viribus penitus enervasset. Paulus item tertius Ordinem, quem in Italia frater Baptista Cremensis instituit, literis suis probasse dicitur; at nuper & Ordo ille à Venetis est edicto publico explosus, & Baptistæ doctrina, cui illius Ordinis homines inhærebant, Romæ est condemnata. Imbecillum itaque eorum argumentum est, qui ex hujusmodi privilegiis, quæ his facilè temporibus conceduntur, vel potiùs extorquentur, novas religiones non aliter ac de Cœlo lapsas excipiendas esse confirmant, eas quoque, quæ nullam regulam ex approbatis habent, nullam vel à suis editam profitentur. Nec ejus generis privilegia certa sunt sedis Apostolicæ judicia, quibus scilicet omnes fideles adstringantur. Satis fuerit, si eam habeant authoritatem, quam Epistolæ decretales, quarum nonnullas constat à posterioribus meliore consilio refutatas; quoniam non ex firmo decreto, sed ex Pontificum opinione prodierunt. Et quidem ante D. Thomæ tempora adeò restrictè & graviter novi ordines admittebantur, ut ex tam gravi augustóque judicio probabile argumentum prudentis consilii sumeretur. Nostro verò seculo tam multæ sunt religiones à Pontificibus confirmatæ, ut qui eos omnes tueri voluerit, tanquam Ecclesiæ vel utiles vel necessarias, hic imprudentiæ, ne dicam (NB) stultitiæ nomine jure optimo summísque rationibus arguatur.* Hæc ille. Quibus addo Cardinalis Petri de Aliaco memorabilem in libro *de Ecclesiæ Reformatione* sententiam *Primò*, inquit, *videtur, quòd tanta religiosorum numerositas & varietas non expediat, quæ inducit ad varietatem morum, & quandoque ad varietatem & repugnantiam observationum & sæpe ad singularitatem, & superbiam, & vanam extollentiam unius status super alium. Et valde videtur necessarium, quòd damnentur religiones mendicantium, quia tot sunt & numero conventuum, & in numero suppositorum, ut eorum status sit onerosus hominibus, damnosus leprosariis & hospitalibus, & aliis verè pauperibus & miserabilibus, indigentibus, & si bene consideretur, præjudicialis etiam omnibus Ecclesiæ statibus.* Sed

ſurdis fabulam cecinerunt illi. 3. Ex Chriſti inſtituto Monachatum, qualis hodie inprimis eſt, degener planè; deſcendere, non probaſti, non probabis unquam. Papæ, non Cœleſtis Patris, vel Chriſti plantatio eſt. Quod vel ipſi ejus fructus, à veſtris Canuſio, Toſſato, Caſſandro, innumeris aliis liberè propalati, arguunt. Alia cathedræ Moſis, à Deo ipſo inſtitutæ, & à ſpiritu ejus propagatæ ratio eſt. Quanquam & hæc tolli debuit, & ſublata eſt. 4. Conventuales Ordines univerſos, adeóque plurimos à Pontificibus inſtitutos abolendos eſſe, Cardinales à Paulo III. delegati cenſuerunt meritò. Poterant ergo aboleri etiam Ordines reliqui Pontificibus collaudati, *obſirmati* (ſic loquitur Redingius commodè, quia ſiniſtrè confirmata rectè *obſirmata* dicuntur) & privilegiis aucti, imò debuerant omnes. Quo verò fine tot illi Ordines *obſirmaverint*, ex ſupra dictis abundè conſtat. Neque ullas perſonas Deo conſecratas noſtri profanarunt, vel vota violarunt; ſed profanatas temerariis votis perſonas juxta Dei verbum ſanctificarunt, bona ſuperſtitionis hamo fraudulenter capta ad uſus verè ſacros tranſtulerunt; quin plurima exteris reformationem reſpuentibus reliquerunt, quæ jure & eminentia poteſtatis iiſdem negare potuiſſent. Cujus rei teſtem te ipſum cito. Quantas enim ex territorio Tigurino opes ſuperſtitionis hamo primitus raptas Monaſterium Tuum inde à Reformationis etiam tempore occupaverit & conſumpſerit, non alia quàm malevolentiæ & odii erga cives noſtros mercede, lippis & tonſoribus notum eſt. Et noſter videlicet ſpiritus tunicam repetenti, alteram etiam concedens, *Pſeudo-reformator:* at veſter improbo ſudore alieno parta abliguriens egregiè catholicus eſt. Id unum vos urit, quod non omnia noſtra otioſorum Monachorum voragini cedunt, & pridem orbis, patefactis Monachorum fraudibus, ſapere cœpit.

ARG. X. Denique hodie Monachatus religionis & pietatis ſpeciem mentitus, politicum potiùs vaframentum, quàm religioſum inſtitutum eſt. Exceptis enim paucis bonis viris, quos ſuperſtitio dementavit, ut animarum ſaluti ita conſuli poſſe perperam confidant: pleroſque alia omnia quàm religionis cura Monachos facit. Alii enim vi in monaſteria detruduntur, vel ſponte etiam ad ea concedunt, ut vel familiarum dignitas conſervetur, & patrimonia ac hæreditates inter paucos diſtributæ lautiores & opimiores exiſtant: vel facultas ſit otio liberiùs indulgendi, & fucorum ad inſtar paratum & quæſitum mel abſumendi. Unde Imperator Juſtinianus Novella 133. meritò inter alia Monaſticam vitam *Imperio* [illegible] eſſe, ad priorem ſcilicet finem illum reſpiciens, ait. Alios deſperatio eodem compellit, ſive ſcelerum admiſſorum juſtam pœnam reveritos, ſive honorum, divitiarum, fortunæ ſpe, magniſque auſis fruſtratos. Arcanum Monachatus nobis quoque reſerat Gallorum poſt finitum Concilium querela: *Hoc eſſe perpetuum artificium curiæ Romanæ, bona ſecularibus erepta, ad Clerum primò, dein etiam Romam pertrahere. Id ſcilicet principiò ſatagere, ut prætextu voti paupertatis Monachi exiſtimationem acquirant, quaſi nullam rem temporalem intueantur, ſed omnia charitatis causâ faciant in populi ſervitutem: poſt exiſtimatione parta, curiam cum ipſis de voto diſpenſare, unde facilè diteſcant: cúmque bene opulen-*

nia facta sunt Monasteria, demandari in commendam, & id omne denique in curiam affluere, apud Suavem Pol. lib. VIII. pag. 740.

Resp. Reding: 1. *Mendacissimus spiritus tuus in ipsum Christum, Monachatus authorem, incurrit. Et quæ de intentione Monachatus, vi hominibus ad eum amplectendum facta, aliisque scribis, calumniam meram spirant.* 2. *Gallorum adversus Curiam Romanam querela à te allata eos duntaxat Gallos authores habuit, qui nequitia Calvinisticæ vel veterum etiam Donatistarum, Arianorum, Monachos damnantium, fermento infecti fuerunt.* 3. *Ipse Calvinus Instit. lib. IV. 12 : 15. de vita Monastica æquiùs judicare videtur.* Ibid. pag. 311-313. Resp. 1. Non in Christum, cui cum Monachis commercii nihil fuit, sed in Antichristum, Monachatus Sarabaitici authorem, oratio mea incurrit: & incurrit jure meritóque, pro honore & gloria Christi, cui dedecus summum Monachatus, qualis à longo jam tempore fuit, attulit. Neque quicquam à me per calumniam dictum esse, sed scapham me appellasse scapham, ipse forte, si Monachus non esses, & veritati quàm gratiæ litare malles, mecum dissimulares nullus. Sed experientiam magistram cito; (quotusquisque enim vestrûm bona intentione nudus nudum Christum sequitur, quotusquisque ἀληθείᾳ *veritate*, & non προφάσει *prætextu*?) & tuam conscientiam, & querelas vestrorum, Monachorum etiam, sed candidiorum, qualis inprimis Bernhardus fuit, qui Apologia ad Abbatem Guilhelmum scripta, à me dicta confirmat, & Monachos, *opulentia, intemperantia, comessationibus, potationibus, lectisterniis, equitationibus* &c. eorum graphicè descriptis, vivis coloribus depingit. Horret animus legere. Commemoratis & deploratis acerbissimè tôt Monachorum sive ingredientium ordines intentionibus absurdis, sive ingressorum fœdis abusibus; *Sic*, inquit, *Maccarius vixit? sic Basilius docuit? Sic Antonius instituit? Sic Patres in Ægypto conversati sunt? Sic denique S. Odo, Majolus, Odilo, Hugo, quos se sui utique ordinis principes & præceptores habere gloriantur; aut tenuerunt, aut teneri censuerunt?* Paulò supra dixerat: *O quantum distamus ab iis, qui in diebus Antonii extitere Monachi! Siquidem illi cùm se invicem per tempus ex charitate revisèrent, tanta ab invicem aviditate panem animarum percipiebant, ut corporis cibum penitus obliti, diem plerunque totum jejunis ventribus, sed non mentibus, transigerent. Et hic erat rectus ordo, quando digniori parti priùs inserviebatur. Hæc summa discretio, cùm ampliùs sumebat, quæ major erat. Hæc denique vera charitas, ubi animæ, quarum charitate Christus mortuus est, tanta solicitudine refocillabantur. Nobis autem convenientibus in unum, ut verbis Apostoli utar, jam non est Dominicam cœnam manducare. Panem quippe cælestem nemo est qui requirat, nemo qui tribuat. Nihil de Scripturis, nihil de salute agitur animarum, sed nugæ, & risus, & verba proferuntur in ventum*, &c. Ad compendium pono alia Bernhardi, & aliorum etiam graviora. 2. Galli illi in Concilio arcanum Monachatus reserantes, dum verum dixerint, parum refert, à Donatistis, Arianis, an Calvino hauserint. Quanquam quæ de Donatistis & Arianis, Monachos detestantibus, mussas, parùm ad rem illa faciunt. Nos enim Monachatum, qualis olim fuit, haud simpliciter damnamus. Nævus ille fuerit Ecclesiæ tolerabilis, bona intentione susceptus, pio studio excultus: at hodiernus carcinoma est. De cætero & hæretici exagitarunt Monachos immeritò: & multi Monachi, Sergius ipse, Muhammedis fidus Achates, hæretici fuerunt. Sic ergo & hæretici Christianos Monachos, & Christiani Monachi hæreticos arguerunt. Sed de eo quicquid fiat, non qui dixerint, quod Gallis, Pontificiis certè, non Calvinistis, Suavis tribuit; sed quid dixerint, videndum. Certè Pallavicinus *Hist. C. T. lib. XXIV.* 10 : 10-14. negare

ausus non est, ex *Ordinum quorundam*, eorum videlicet, *qui se voto nunquam obstrinxerunt non possidendi bona stabilia, bonis fundatas esse Commendas.* Jam etiam à Tridentinis bonorum stabilium possessionem Ordinibus Mendicantibus concessam esse, constat. Iidem Tridentini *Sess. IV.* c.10. legem sanxerunt circa Monasteria nondum commendari solita, *ut in vacationibus, Religiosis ipsis eorum ordinem professis in titulum, & non aliis, ne vestem,* inquiunt, *lino lanáque contextam inducant, conferant.* Profitentur tamen iidem *Sess. XXV. de Relig. c.* 11. se Summo Pontifici, in cujus Curia radicem omnium malorum altissime fixam esse, non ignoraverant, legem imponere non posse, ajuntque, *se confidere, Sanctissimum Romanum Pontificem pro sua pietate & prudentia curaturum, quantum hæc tempora ferre viderit, ut iis, quæ nunc commendatæ reperiuntur, & quæ suos Conventus habent, Regulares personæ ejusdem Ordinis expresse professæ, & quæ gregi praire & præesse possint, præficiantur. Quæ verò inposterum vacabunt, nonnisi Regularibus spectatæ virtutis & sanctitatis conferantur.* Sic totum remedium in libertate ejus, a quo malum jam diu profectum erat, reliquerunt. surdo canentes fabulam. Irrident enim Pontifices hæc monita, quia sic Bullarum, Annatarum, aliorúmque majorum munerum dispendium facerent, nec tot amicos de Mammona iniquitatis sibi comparare possent. Aliud etiam Cœlibatui Monachorum arcanum Politicum, Monarchiæ Papæ unicè inserviens, subest, illud ipsum videlicet, quod etiam Cœlibatui Sacerdotum supra *ad Sess. XXIV. Quæst. IX. Arg. 8. pag. 639. &c.* subesse, ipsius etiam Cardinalis Carpensis verbis in Concilio editis ostendimus. 3. Mirum à Calvino te malæ causæ tuæ præsidium petere, cui Bellarminus *Præfat. in lib. de Monachis* crimini dedit, quòd *Instit. lib. IV.* 13. rem totam de Monachis breviter ita definiverit, *ut esse velis Monasteria lupanaria: vota Monastica retia Sathanæ: Monachos omnes Sophistas cucullatos, qui ab Ecclesia discessionem fecerint, & se totos Diabolo consecraverint.* Poterat autem alia ex eodem plura citare, veluti cùm *ibid. §.* 15. recensitis veteres inter & novos Monachos in ipsa professione discriminibus, subjicit: *In moribus quanta sit discrepantia quid attinet sigillatim exponere? Hoc constat, nullum esse hominum ordinem magis omni vitiorum turpitudine inquinatum. Nusquam magis fervent factiones, odia, studia partium, ambitus. In paucis quidem cœnobiis pudicè vivitur: si pudicitia vocanda est, ubi eatenus reprimitur libido, ne palam sit infamis: decimum tamen quodque vix reperias, quod non lupanar potiùs, quàm castitatis sacrarium sit. At in victu qualis frugalitas? Non aliter porci in haris saginantur.* Neque sibi, uti Redingius interpretatur, contradicit, sed potiùs *ἐπιείκειαν* summam testatur idem, cùm mox subjicit: *Neque tamen ad omnes sine ulla prorsus exceptione pertinet hæc vituperatio. Quemadmodum enim nunquam adeò bene constituta fuit in Monasteriis sanctè vivendi regula & disciplina, quin extarent aliqui fuci longè aliis dissimiles: ita non sic hodie à sancta illa antiquitate Monachos degenerasse dico, quin aliquos in suo grege bonos adhuc habeant: sed hi pauci & dispersi in illa ingenti malorum & improborum multitudine delitescunt: nec contemnuntur modò, sed etiam petulanter incessuntur, interdum etiam crudeliter tractantur ab aliis, qui, ut est in Milesiorum proverbio, nemini apud se bono locum esse debere credunt.* Neque exceptio regulam tollit: neque Lothus unus Sodomam infamia liberavit: neque una hirundo ver facit. Non ergo sibi Calvinus contradixit, sed summum candorem testatus est. quem vel in hoste laudasses, non sugillasses, si simili candore polleres.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM:

OBIECT. I. *Vita Monastica adeò antiqua est, ut ante diluvium ea adumbrata sit in* Eno-

Enoſcho, *qui cœpit invocare nomen Domini, Geneſ. IV. 26. in lege verò Moſis expreſſa ſit in* Nazaræis, *ſe ipſos Domino conſecrantibus Num.VI.2. Elia, Eliſæo & filiis Prophetarum 1.Reg. XVII. 1. &c.* Rechabitis, *qui prohibiti ſunt domos ædificare, agros ſerere, vineas plantare, vinum bibere, Jerem. XXXV. 18.* Machabæis *2. Machab.V. v.ult. ubi Judas ſeceſſiſſe dicitur in deſertum locum, ibique inter feras vitam degiſſe;* Eſſenis *denique, ſive Judæi illi, ſive Chriſtiani fuerint.* Reſp. 1. In Enoſcho uxorato & liberis abundante, quemadmodum Monachatus adumbrari potuit? Geneſ. IV.26. nihil tale proditum legimus. Tantùm Enoſchi tempore cœptum dicitur invocari nomen Domini, nempe in ſolenni cœtu, qui hominibus jam multiplicatis, & Cainitis ſecedentibus, colligi occœpit. Eum locum fusè *Hiſt. Patr. tom. I. Ex. III. 7.34.* expoſuimus. 2. Nazaræis nihil cum Monaſticis votis commune fuit. Nam & bona poſſederunt, & in matrimonio vixerunt, & homini nulli ſe mancipâſſe leguntur. Ritibus quidem nonnullis ex Dei inſtitutione ſe voto obligabant. An verò placet nulla eſſe vota, quin totidem ſint peculiares religiones? Certè Nazaræi communem fidelium cœtum haud deſeruerunt, neque proprios fecerunt. Pertinuítque eorum inſtitutio ad ceremonias Moſaicas, & pædagogiam veteris populi, quæ tota in N.T. evanuit. 3. Neque in Elia, Eliſæo & Prophetarum filiis vel umbra eſt Monachatus, etſi eos principes, & duces Monachorum etiam Hieronymus olim fecerit. Quæ ſcriptura de illis memorat, non perpetua inſtituta fuerunt, ſed peculiaria facta & extra ordinem, ob peculiarem & extraordinariam vocationem ſuſcepta. Non magis poſteris ſimile exemplum reliquerunt, quàm vel Samſon incendens ſegetes, vel Gedeon lagenas complodens. Herbis agreſtibus uſi ſunt, compellente magna fame. Caſulas ædificârunt Elias & Eliſæus, non tamen filii prophetarum, habitantes in urbibus, & quidem peculiares ob cauſas, non ex ullo voto. Sine uxoribus etiam & ſine divitiis, omníque proprietate & rerum dominio, eos vixiſſe in mundo, nuſpiam dicitur, quanquam de filiis Prophetarum, utpote Scholaſticis תלמידי נביא *diſcipulis Prophetæ*, uti vocat Chaldæus, probabile ſit, ſed haud mirum. 4. Rechabitæ verò quorum figuram geſſerunt? An Eremitarum? At illi in eremo non errârunt. An Cœnobitarum? Atqui familias habuerunt, & genus propagârunt. Neque agros ſeverunt, neque vineas plantârunt, neque vinum biberunt. At Monahi plerique & agros conſerunt, & vineas plantant, & vinum cyathis, genialitérque bibere amant. Deinde Rechabitæ domeſtica & politica (nam ſerere, plantare, ædificare, poſſidere actus utique ſunt politici, non religioſi) inſtituta ſua ita cuſtodierunt, ut tamen religionem nullam peculiarem, vel ſeorſim à Judæis habuerint. 5. Judæ Machabæi ſe-

ſeceſſus in deſertum ob perſecutionem flagrantem tam feliciter Monachatum fulcit, quàm exemplum Davidis cum armata manu per deſertum errantis. 6. Eſſeni quales fuerint, parum refert. Judæos tamen & Hemerobaptiſtas, variiſque erroribus implicitos fuiſſe, probârunt multi, inprimis Scaliger in Elencho Trihæreſii, & Chamierus *Panſtrat. lib. XX. 20 : 67. &c.* Unde Joſephus *Antiq. III. 9.* eos Judæorum ſectariis annûmerat, & eoſdem Becanus *Sectarios Synagogæ* nuncupat. Talibus Patriarchis Monachi, quantum voluerint, glorientur licet.

EXCIP. REDING : 1. *Patriarchæ etiam ante Enoſchum* (non *Enochum*, quem cum illo Redingius confundit) *in familiis Sethitarum, te ipſo alibi ita docente, in veram Dei Eccleſiam coadunati, nomen Dei per ſacrificia, ceu ſolennem & publicum Dei cultum, invocarunt. Cùm ergo Moſes Geneſ. IV. 26. dicat, Enoſchi tempore cæpiſſe invocari nomen Domini, inſtituerit ille oportet peculiarem ac ſublimiòrem Dei cultum, quàm eſſet vulgi fide inſtructi religio. Inde ergo hoc ſaltem colligimus, peculiarem ac ſublimiorem Divini cultus modum ex Divino inſtinctu cæptum Deo non diſplicere. Par ratio Nazaræorum per certos ritus Divinitus comprobatos ſe Deo conſecrantium. Quis ergo dubitet, quin pariter Deo conſiliorum Evangelicæ perfectionis, in paupertate, obedientia, caſtitate conſiſtentis ſtatus à Chriſto inſtitutus placeat? Origenes certè homil. 2: in Levit. ſcribit, quod in Nazaræis ex parte adumbratum eſt, in Evangelico ſtatu jam perfectum exhiberi. 2. Ad hunc ſtatum propiùs Elias, Eliſæus, filii Prophetarum, ſine divitiis & uxoribus in mundo degentes, (quod de filiis Prophetarum inprimis certum) acceſſerunt. Unde Monachos Veteris Teſtamenti & Eliam principem Monachorum Hieronymus vocat. Si Prophetarum illorum facta ex vocatione extraordinaria fluxerunt, an negare potes Divinam vocationem in illis, qui paupertatem, caſtitatem, obedientiam Chriſti gratiâ Deo devovent? 3. Ex Rechabitarum facto illud ſaltem principium cum Hieronymo colligimus, quòd ſtatus in obſervantiis corporis, congenitique ſenſitivi appetitus mortificationem, conſiliorum inprimis Evangelicorum à Chriſto inſtitutorum perfectionem inferentibus, conſiſtens Deo probetur. Unde integer Religiòſi ſtatus character ſubſiſtit. 4. Judas Macchabæus 2. Macch. V. v. ult. Divinæ laudis teſtimonio condecoratur, quòd in deſertum ſecedens ex religionis motivo duriſſimam vitam egit, qua in re Monachis Eremitis facem prætulit. 5. Licet Eſſeni, antequam ad Chriſtum acceſſiſſent, Judæis à Becano rectè accenſeantur, poſt fidem tamen Chriſti receptam perperam à Joſepho inter Synagogæ ſectarios numerantur. Et poſtquam Chriſtiani facti ſunt, à Marco Evangeliſta in Monachorum numerum aſcitos eſſe, Cornelius à Lapide in Act. V. 2. probavit.* Ibid. pag. 314--316. Reſp. 1. Nomen Domini ante Enoſchum & poſt eum invocatum eſſe, quis dubitaverit ſanus? Nam Adamus, Eva, Sethus fideles invocarunt; neque abſque invocatione fideles fuiſſent. Sed diverſus fuit invocantium locus: invocantes diverſi, & nomen invocantium diverſum. Ibi in una familia Adami, à paucis privatim invocatum eſt: hic multiplicatis familiis ſolenniter, publicè, à pluribus in unam Eccleſiam coaleſcentibus invocari cœpit, congregantibus ſe pluribus ad colloquium de pietate & juſtitia, qui *de nomine* etiam Jehovæ filios *Jehovæ* ſe nuncuparunt; cùm Caini imitatores religionem & doctrinam veritatis ac promiſſionis jam negligere & obſcurare, & בני אדם *filii hominum* cognominari cœpiſſent. Fruſtra ergo *invocationem* illam de ſublimiore religionis inſtituto, quale Monaſticum fingitis, interpretare: qua notione nunquam Scriptura *invocationem nominis Dei*

Dei, omnibus fidelibus communem, accipit. Ita Abraham dicitur *invocasse nomen Jehovæ* Genes. XIII. 4. & *invocans nomen Domini liberandus* dicitur Joel. II. 31. quod de toto religionis exercitio, fidelibus omnibus communi, accipiendum est. Non monasterium, mi homo, sed Ecclesia collecta est cœtus invocantium nomen Domini. Sed eam in rem loco à te citato plura diximus. quæ convellere ne quidem aggressus es. Neque etiam Nazaræorum & Monachorum ingens discrimen à me notatum, negare audes. Merè typicum eorum institutum fuit, Divinitus constitutum approbatúmque. Nullis usi sunt secessibus aut particularibus aut communibus. Libera fuerunt vota, à quibus quisque se potuit absolvere, cùm vellet, via legitima. Quid jam ad ceremonias legales, ad ordines nulla lege approbatos, quin verbo Dei reprobatos, ad segreges ab Ecclesia cœtus, ad jugum necessitatis revocamur? 2. Prophetas & filios Prophetarum sine uxoribus, sine proprietatibus vitam degisse, unde probas? Fac fidem assertioni. Nam & Samuel filios Prophetarum habuit, & docuit ut pater, Najothis, & alibi. Proba illorum statum fuisse ordinarium, religionem peculiarem, voto susceptam. Ecclesia prisca Judaica æquè ac Christiana statum religiosum habuit duplicem, communem & proprium. *Communis* fuit fidelium omnium, doctrinam Dei salutarem audientium, accipientiúmque: *Proprius* fuit doctrinam à Domino acceptam tradentium; isque *Ecclesiasticus*, Sacerdotum, Levitarum, in Ecclesia & Synagoga quoque populum Dei communiter informantium: partim *Scholasticus* Prophetarum, Patrum, Doctorum, sive Magistrorum Ecclesiæ seminarium colentium in Scholis, asceteriis seu phrontisteriis, quæ aut in Synagogis oppidorum & pagorum erat, aut ad Synagogas plurimum. Hæc autem loca sive in oppidis, sive rure, sive in solitudinibus essent, vulgò גבהות & רמות *excelsa* vel *colles*, ut Ægyptiis atque Arabibus *Labaroth*, *labræ* seu *lavræ*, Latinis *Gabii*, à situ eorum, dicebantur, Dionysio teste, ortu Phœnicio. Sic Josuæ XXIV. 33. *collis Phinees*, & Judic. VII. 1. *collis Moreh* sive *Doctoris*, & 1. Sam. passim *collis Dei*, & Schola Samuelis *Ramah* dicitur. Hæc illorum monasteria, asceteria, phrontisteria, scholæ pietatis & literaturæ fuerunt. In ejusmodi loco fuit Elisæus, Divinámque doctrinam percepit priùs, dein tradidit aliis, Scriptura teste. Quid Elias? Fecit, dum licuit. Cùm verò in Regno Israelis fervente persecutionum incendio pedem certo ampliùs in loco figere non posset; desertum petiit extra ordinem, hostiúmque Dei furori cessit. Fiant jam ejusmodi monasteria, aut sua religiosa loca & Monasteria Pontificii ad hunc ordinem, ad hoc officium redigant, ut colant vera pietatis & humanitatis studia secundum Deum, percipiant & tradant ea ratione justa disciplinæ sacræ, omni impietate & superstitione abjecta; non sumus adeò morosi, quin factum ipsorum adjuvemus in Domino. Cœterùm quum ex secessibus ad fugam à persecutione quæsitis extra ordinem; stationes pietatis & doctrinæ in otio, ignavia, inscientia, libidine, superstitione, mendacio, impietate doctrinæ & vitæ occupant; quum votis impiis non Deo, sed Papæ se mancipant; equidem nihil aliud dicere possum, quàm quod vulgò dici solet: Habitus non facit Monachum, nec Monachum facit locus. 3. Rechabitas Monachorum nullam effigiem expressisse, non obscurè ergo fateris, argumentis meis victus. Neque ex eorum factò principium falsum, quòd status *in observantiis corporis, mortificationem & consiliorum perfectionem inferentibus consistens, Deo placeat*; tum quia Rechabitarum status non religiosus, à communi Judæorum separatus, sed œconomicus, figuram includens calamitatis Judæis superventuræ, & extraordinarius planè fuit: tum, quia in Rechabitarum instituto nulla conspicua consiliorum perfectio fuit, qualem novi oniropolæ confinxerunt: tum denique quia mortificatio corporis & concupiscentiarum non in

separato statu Rechabitarum, sed æquè apud omnes obtinuit. Hieronymus verò Monachis addictior. Monachus & ipse (plurimùm tamen à recentioribus disparatus) pro more licentiosiùs allegorizat. Et tamen nusquam facit mentionem monasterii illorum; nec tale quid probari posset. Quin adversatur illud naturæ typi, quem Deus non in solitudine, sed in medio populi sui, ad testificandam publicè promissionem suam positum esse voluit. 4. Judæ Macchabæi & Davidis exempla similia sunt. Secesserunt utrique à suis flagrante persecutione. Et Judas quidem in eremum abiit, postquam Apollonius Epiphanis jussu Hierosolymæ promiscuis cœdibus sæviit. *Tum Judas ἀναχωρήσας ἐν τοῖς ὄρεσι θηρίων τρόπον διέζη secedens in montibus bestiarum in modum vixit,* 2. Macchab. V. 16. 27. Persecutio ob religionem orta, non simpliciter vel liberè *religionis motivum* eum in desertum pepulit. Monachos verò, hodie persecutionum dirissimarum authores, nulla persecutio, nedum ob veram religionem persecutio, Monachos fecit, sed alia omnia. 5. Denique Essenos ullos, à Marco Evangelista ad Christum conversos, vel Christianos unquam fuisse, tuus à Lapide neutiquam probavit. Rem paucis ex ipso fonte penitus eruemus. Philo Judæus libro peculiari περὶ τοῦ πάντα σπουδαῖον εἶναι ἐλεύθερον, *quòd liber sit, qui quis virtuti studet.* Essenorum in Palæstina Syriáque degentium βίον πρακτικὸν *vitam practicam* instituta pertexit. quæ nihil ad Monachatum attinere, Pontificii ipsi ultro fatentur, quibus Monachorum status non tam πρακτικὸς *activus*, quàm θεωρητικὸς *contemplativus* censetur. Sequenti libro περὶ βίου θεωρητικοῦ, ἢ ἱκετῶν ἀρετῶν *de vita contemplativa, sive supplicum virtutibus* relictis Essenis illis Practicis instituta aliorum, quos ἐτύμως ex ipsa appellatione θεραπευτὰς καὶ θεραπευτρίδας *Therapeutas* & *Therapeutrides*, hoc est, *curatores* & *curatrices* vocari principio statim dicit persequitur. Instituta verò illis sequentia tribuit. *Renunciantes omnibus fortunæ bonis tum viri tum mulieres,* (καταλιπόντες ἀδελφοὺς, τέκνα, γυναῖκας, γονεῖς, πολυανθρώπους συγγενείας, φιλικὰς ἑταιρείας, τὰς πατρίδας) *relictis fratribus, liberis, uxoribus, parentibus, numerosis cognationibus, amicitiis, patriis* (τάχαι ἔξω ἐποιοῦντο τὰς διατριβὰς ἐν κήποις, ἢ μοναγρίοις. ἐρημίαν μεταδιώκοντες) *habitabant extra muros in viridariis, & solitariis agris, solitudinem affectantes. Cuique domus sua erat sacra, cui nomen σεμνεῖον sive μοναστήριον, ubi solitarii mysteriis vacabant vitæ austeræ. In hanc domum nihil inferebant cibi potúsque: sed legis & Prophetarum oracula, & similia ad pietatem. Bis orabant quotidie* (περὶ τὴν ἕω, καὶ περὶ τὴν ἑσπέραν) *manè & vesperi. Septimo quoque die, & septies septimo, conventus festi fiebant, & audiebantur senior & dogmatum peritissimus quisque, tum à viris, tum à mulieribus, ita tamen, ut nec simul essent, & audirent omnes. Cibus illis nullus lautus, sed panis, sal, hyssopus. Potus aqua. Convivii participes fœminæ, anus, virgines. Hæ ad sinistram sedent ordine: viris dextram occupantibus. Noctem totam vigilant: à media cœna surgunt, choros faciunt seorsim sexus, adhibitis manuum gesticulationibus & saltationibus, per stationes, strophas & antistrophas: tandem unum omnes chorum faciunt in memoriam transitus per mare rubrum.* Hæc & plura alia de contemplativis illis Therapeutis per omnem Græciam & Barbariam diffusis, & in Ægypto per præfecturas singulas, præsertim circa Alexandriam frequentioribus, primus Philotam erga hos & Essenos, & à Marco conversos ad Christum, & Monachos Christianos fuisse, Bellarminus, Serarius, à Lapide, Petavius alii μοναχομανοῦντες, nixi authoritate Eusebii, Epiphanii, Hieronymi, Sozomeni, Cassiani, Bedæ freti, pertendunt. Ego verò certissimum, & a sanioribus ac doctioribus Pontificiis hodie receptum esse assero, Therapeutas illos Philonis, quorum instituta Eusebius repetiit, neque omnino Essenos, neque Christianos, neque Monachos fuisse. Tria hæc paucis probemus. Et *primò* quidem, non

fuisse

fuisse illos Essenos (licet id etiam Junius, Scaliger, aliique nostrates affirmaverint) ex ipso Philone liquet. qui in toto de vita contemplativa libro nusquam illos Essenos nominat. Imò statim initio libri clarè scribit, se postquam de Essenis, qui vitam activam exercuerunt, disseruit, dicturum deinceps περὶ τῶν θεωρίαν ἀσπασαμένων *de iis, qui contemplationem amplectuntur*, quos non Essenos, sed *Therapeutas* & *Therapeutrides* vocari, ilico notat. Tum Essenos in Judæa & Palæstina: Therapeutas hosce in Græcia, Barbaria, Ægypto, Alexandria inprimis, locat. Præterea Josephus, scriptor aliàs diligentissimus, cùm de Essenorum secta duobus libris copiose disseruerit, tamen de θεωρητικοῖς seu *Contemplativis* illis, ne verbum quidem dixit. Denique multa Therapeutis illis Philo, à secta Essenorum, quos & ipse, & post eum Josephus descripsit, longe abhorrentia, tribuit. cujusmodi inprimis illud est, quod de mulieribus Therapeuticis scribit; cùm tamen idem disertè testentur, Essenos muliebrem sexum omnem aversari. Jam & illud, quod ait Philo, Therapeutas patrimonium suum propinquis & amicis suis sponte relinquere, manifeste cum eo pugnat, quod Josephus affirmat, Essenos scilicet nihil propinquis suis donare, sed in commune omnia conferre. Doctissimos viros, ipsúmque etiam Scaligerum fefellit, quòd Philo librum suum *de vita sua contemplativa* his verbis exorsus est: Ἐσσαίων περὶ διαλεχθεὶς οἳ τὸν πρακτικὸν ἐζήλωσαν καὶ διεπόνησαν βίον ἐν ἅπασιν ἢ τὸ γοῦν εὐφορητότερον εἰπεῖν τοῖς πλείστοις μέρεσι διενεγκόντες, αὐτίκα καὶ περὶ τῶν θεωρίαν ἀσπασαμένων ἀκολουθίᾳ τῆς πραγματείας ἑπόμενος, τὰ προσήκοντα λέξω. *Postquam de Essæis disseruimus, qui vitam activam exercent, omnibus; aut quod minùs invidiosum dictu est, plerisque feliciùs: ordo postulat, ut deinceps dicamus, quæ dicenda sunt de contemplationi deditis.* Qui Essenos & Therapeutas eosdem faciunt, Viri cœtera doctissimi, illi Ἐσσαίων subaudiri putant; quasi Philo Essenos in activos & contemplativos distinxerit. Sed nihil necesse est; & argumenta jam allata obstant. Sanè etiam Photius in Bibliotheca *cap.*103. Essenos & Therapeutas distinguit. Ἀνεγνώσθησαν, inquit, τῶν παρὰ Ἰουδαίοις φιλοσοφησάντων τήν τε θεωρητικὴν, καὶ τὴν πρακτικὴν φιλοσοφίαν βίοι. ὧν οἱ μὲν Ἐσσηνοί, οἱ δὲ θεραπευταὶ ἐκαλοῦντο. *Philosophantium Judæorum duo genera, contemplativæ & activæ philosophiæ deditorum leguntur; quorum illi Esseni, hi Therapeutæ dicti sunt.* Jam ergo liquet, nihil Monachorum causæ Essenos patrocinari, quia illi, quorum Philo meminit, & quorum instituta Eusebius laudat, non Esseni, sed Therapeutæ fuerunt. Plures etiam tenebras historiæ Essenorum offusas observatio isthæc dispellit. *Secundò* Therapeutas illos non Christianos, sed Judæos fuisse, ajo, licet Eusebius à Marco ad Christum conversos putaverit, ejúsque opinionem Hieronymus, Epiphanius, aliique, recentiores inprimis, Matthæus Galenus, *de Orig. Monastices cap.*5. à Lapide, Bellarminus, &c. Monachis suis extruendis, secuti fuerint. Prægnantibus argumentis pluribus id ex Philone ipso, cujus potiùs quàm Eusebii authoritate heic standum, firmare possem. Acquiescam tamen illis, quæ vestrarum partium Vir doctissimus, Henricus Valesius, etiam post visum & expensum Scaligeri & Serarii ea de re conflictum, attulit. cujus potiùs, quàm meis Verbis, rem totam, edisseram. Sic autem ille *Annot. ad Eusebii Hist. Eccl. lib.II.*17.*p.*35. scribit: *Restat ut probemus, Philonis Therapeutas non fuisse Christianos, ut sibi aliisque persuasit Eusebius. Undenam verò id probare certiùs possumus, quàm ex Philonis loco, quem præ manibus habemus. Ait igitur Philo, habuisse Therapeutas scripta veterum quorundam suæ sectæ auctorum, qui legem allegoricè exposuissent. Quomodo hæc de Christianis accipi possunt: qui tum novelli erant, & nudius tertius nati. Quænam, rogo, sunt scripta illa, quinam vetusti auctores & principes illius sectæ? Non certè Prophetarum libri. Hos enim disertè ab illis separat Philo.*

Re-

Respondebit Eusebius, esse forsitan Evangelia & Epistolas Apostolorum ; sed hæc vix dum scripta erant Philonis ætate : nedum ut Apostoli & Evangelistæ pro vetustis authoribus haberi etiam tum possent, præsertim à Philone, qui & Apostolicorum temporum fuit æqualis, & cum Petro familiariter versatus est, si Eusebio credimus. Annon ex his aperte colligitur, Philonem eo in libro de Christianis non loqui ? Sunt & alia argumenta, ex quibus idem probari potest. Ut cùm dicit Philo, Therapeutas bis tantùm quotidie preces fecisse, Oriente scilicet sole & Occidente. Quasi verò primi Christiani non tertia, sexta & nona hora, ut in Actibus legitur ; & singulis non diei modò, sed & noctis horis Deum oraverint. Item quod ait, Therapeutas hymnos & cantica vario metrorum genere in honorem Dei composuisse, cadere non potest in primævos illos Christianos. Seriùs enim novos hymnos contexere cœperunt, post Antoninorum scilicet tempora ; cùm viri docti sese ad nostram religionem applicuissent. Jam verò quod scribit Philo, Therapeutas per universum ferè orbem diffusos fuisse, sed potissimùm in Ægypto frequentes esse, & Mareoticam præfecturam fuisse illis instar patriæ, in quam præstantissimi quique illorum relictis patriis sedibus migrare soliti essent, quomodo de Christianis dici potest, qui & paucissimi tunc erant, nec patriam sibi ullam esse præter Cælestem Hierosolymam existimabant. Hactenus ille. Accedit, quòd Philo Judæus non Therapeutas non Christianos, quorum hostis erat, initio inprimis Ecclesiæ Christianæ cùm adversus eos Judæorum furor maximè ferveret; sed populares Judæos laudare voluit : quòd Philonis tempore, hoc est, Caji Caligulæ, ad quem legatione is functus est, Ecclesia Alexandrina nondum constituta fuit ; utpote quam à Marco, qui Alexandriam non ante annum tertium Claudii venisse putatur, plantatam ajunt : quòd Therapeutas Philo ait, *dum versantur in Scripturis sacris, patriam philosophiam in allegorias vertere* ; cùm tamen Christianis philosophia patria aut nulla sit, aut Evangelium sit; illud porro in allegorias convertisse Christianus nemo compertus unquam sit : quòd ritus Therapeutarum fuerunt, Sabbatha & Sabbathorum sabbatha colere, cum Judæis utique, non Christianis : quòd ritus alios adhibuerunt neque Judæis patrios, neque modestia Christiana dignos ; cujusmodi inprimis erant vigiliæ ab utroque sexu conjunctim celebratæ, primùm convivio, deinde choreis, in quibus erant ἐπιχειρονομοῦντες καὶ ἐπορχούμενοι *utentes variis manuum gesticulationibus & saltationibus* : quòd denique doctorum Alexandrinorum, quos inter celebres habemus Clementem, Origenem, Athanasium, nemo tale quid prodidit. Tot argumentis φερεγγύοις una Eusebii, & ab eo deceptorum, à Philone ipso discedentium, authoritas neutiquam præscribit. Præterquam enim quòd categoricè nihil pronuntiat, sed verbis ejusmodi utitur : φησὶ *dicunt* : λόγος ἔχει *fama fert* : οὐκ ἀπεικὸς *à veritate non abhorret*, &c. non temerè etiam jam olim homines docti in Eusebio plus judicii desiderarunt, & legendis scriptis illius adhiberi à quovis jubent : ipsíque Adversarii eum, quoties ad palatum eorum non scribit, ceu Arianum despuunt. Certè Scaliger *de Emendat. temp. lib. VI. p. 537. 538. &c.* alibique etiam similia ejus παροράματα non pauca notavit. Serarii contrarias frivolásque ariolationes Scaliger, Junius, & post utrosque Chamierus doctissimè eliserunt. Quod de Eusebio, idem de omnibus aliis Patribus, qui è sinu ejus errorem prompserunt, judicium esto. Quanquam longiùs progressus Epiphanius. quia Eusebius sine ullo auctore ait, Therapeutas illos in nomine Christi morbos depulisse, de suo *hær. 29.* addidit, primos Christi discipulos, antea quàm Antiochiæ *Christianorum* nomen sumpserunt, vocatos fuisse Ἰεσσαίους *Jessæos*, quasi Ἰησαίους *Jesæos*, ἤτοι τοῦ Ἰεσσαὶ, ἤτοι ἐκ τοῦ ὀνόματος Ἰησοῦ, *aut à Jesse*, Davidis patre, *aut à nomine Jesu*. Ἰησοῦς γὰρ, inquit, κατὰ τὴν ἑβραϊκὴν διάλεκτον θεραπευτὴς καλεῖται

ἤτοι

ὄντι ἰατρὸς καὶ Σωτήρ. *Jesus enim Hebraicè Therapeuten, curatorem, hoc est, medicum & Salvatorem significat.* Atque de *Jessæis* illis Christianis ait Philonem illa scripsisse, quæ de Therapeutis habet. *ubi,* inquit, *illorum vitæ disciplinam ac præconia celebrans; eorúmque Monasteria, quæ ad Marianam paludem circumquaque posita sunt, describens, non de aliis ullis, quàm de Christianis ista narravit.* Sed hæc nullum in Philone fundamentum habere, liquidò jam probavimus. Et tanta videlicet est licentia τῶ λογοποιῶντος, ubi semel alea jacta. Neque enim Ἰησοῦς ab ἰάομαι descendit, ut *θεραπευτὴν curatorem*, sanatorem significet sed Syriaca; vox ישוע est, & Salvatorem à peccatis significat. uti Angelus Mariæ exposuit. Ita ergo Epiphanius multiplici metamorphosi ex Therapeutis cudit *Essenos*: ex Essenis, præfixa litera unica, *Jessæos*: ex Jessæis *Jesæos*; cùm tamen illud nomen (quod credentibus in Christum ante attributum dicit, quàm Christiani vocarentur) apud omnes alios authores semper fuerit inauditum, donec tandem Jesuitarum natio extitit. Neque hac in re præeuntem vel Philonis, vel Eusebii authoritatem habuit; sed lusit ex proprio ingenio. Sed fuerint etiam Therapeutæ illi Christiani, adeóque integra fides Eusebii conjecturis constet; non ideo, quod *Tertiò* probandum, Monachi fuerunt. Neque enim vel Eusebius ipse Monachos fuisse scribit, sed ἀσκητὰς *ascetas.* Βίον, inquit, τῶν παρ' ἡμῖν ἀσκητῶν ἱστορῶν, *Ascetarum nostrorum vitam* Philo *describit.* Musculus quidem, Christophorsonus, aliique Monachos verbis his significari existimarunt. Atqui veteribus ἀσκηταὶ illi fuerunt, qui inter Christianos strictius quoddam vitæ genus sectati sunt. voce à Philosophis accepta, quibus exercitatio virtutis & abstinentiæ ἀσκήσεως nomine venit. Ita apud Arrianum *libro III. Dissertationum* caput est περὶ ἀσκήσεως; & apud Artemidorum *lib. IV.* 35. Alexander quidam Pilosophus ἀσκητὴς vocatur. Rectè ergo Rufinus hæc Eusebii verba tam de clericis, quàm de Monachis interpretatus est. *Sed &*, inquit, *abstinentium vitas, eorum duntaxat, qui nunc in Ecclesiis vel Monasteriis degunt; describit ad liquidum.* Ascetæ ergo à Monachis distant, ut genus à specie. Et ascetæ quidem in Ecclesia semper fuerunt: at Monachi cœperunt serius. Quàm parum ergo in Philonis sive Essenis, sive Therapeutis præsidii sit Monachis hodiernis, abundè jam liquet. nisi forte amplum sibi gloriosúmque ducunt, Patriarchas suos ciere Judæos, Synagogæ sectarios, adeóque professos crucis Christi hostes; à quorum tamen ipsorum institutis & moribus, à Philone laudatis, adeò diversi illi abeunt, ut in die judicii hi adversus illos haud dubiè insurrecturi sint.

OBIECT. II. *Etiam Johannem Baptistam Monachum Anachoretam fuisse, arguit victus, amictus & habitatio, immensæ austeritatis omnes. Victus enim ei fuerunt locustæ & mel silvestre: amictus indumentum è pilis camelorum, & Zona pellicea circa lumbos: habitatio eremus, Matth. III. 1. 4. Marc. IV. 1. 6. Unde principem Monachorum eum faciunt Nazianzenus Orat. in Basilium: Chrysostomus homil. I. in Marcum: Hieronymus ad Eustochium, Cassianus, Sozomenus, alii.* Resp. 1. Johannis Baptistæ vocatio singularis & extraordinaria notas quoque singulares & extraordinarias conjunctas habuit. Interim nec ad cœlibatum, nec ad paupertatem, nec ad cæcam obedientiam se voto obstrinxit: nec in statu suo Evangelicam perfectionem, meritum, supererogationem uspiam aucupatus legitur. 2. Johannis *victus* erant tum ἀκρίδες, hoc est, vel herbarum & plan-

ſas è contubernio ſuo expulerunt. An verò eruditionis fructum cum fructu pietatis, cujus *exercitationem primariò & eſſentialiter in Monachis intendi*, Redingius aſſerit, Mendicantes, aliique etiam, ut idem gloriatur, commutaverint, res ipſa, & querelæ teſtatiſſimæ Bernhardi, *Epiſtola ad Guilh. Abbatem*, Nicolai Clemangis, aliorúmque, aſſa voce confirmantium, quòd Monaſteria ex Muſarum domiciliis, pietatis phrontiſteriis, honeſtatis gymnaſiis, in carceres ſqualidos, & non inſcitiæ duntaxat, ſed etiam improbitatis omnis (nos addimus, horrendæ idololatriæ) deteſtanda receptacula converſa fuerint; loquantur. Et hi, Redingi, fructus, qualis arbor Monachatus hodiernus ſit, docent. 12. Deſerturos Monaſterium revocarunt veteres, at redire nullos coëgerunt. Neque ſanè, uti hodie fit, contra eos uſi ſunt actione juris, perſonali, vel reali: non loris, vinculis, carceribus eos attinuerunt. Vel unum, ſi potes, violentiæ talis teſtem ede. Sola morali perſuaſione voluntatem deſertorum flectere, ut ſponte redire animum inducerent, conati ſunt: ſed ignari ſcilicet doni & vocationis internæ, coëgerunt neminem. ſecus quàm hodierni tyranni, & Dracones, nulla habita doni, vocationis & humanæ fragilitatis ratione, ſanguine leges novas ſcribentes, faciunt. In hoc ergo immane veterem inter & recentiorem Monachatum diſcrimen poſuimus. Baſilius *Epiſt.* 183. 184. 185. Monachis ſuis elapſis non aliud quàm preces, hortationes pias ad redeundum admovet. Concilium Arelatenſe II. *cap.* 25. Monachis deſertoribus ſolam pro peccato pœnitentiam injungit: vim fieri nullam jubet. Similiter Leo *Epiſt.* 45. *ad Ruſt. Narb.* & Gregorius M. *lib.* 1. *Epiſt.* 33. cum λειποτάκταις ſuis non vi ulla, ſed precibus conſiliíſque decernunt. Quo enim jure Monachos deſertores vi adhibita revocarent illi, qui ne Clericos quidem deſertores clericatum recipere coëgerunt. quod nec vos hodiéque facere ſoletis. Longè enim majus vinculum eſt Clerici, præſertim Presbyteri, quàm Monachi, quantumcumque profeſſi: longéque arctior clerici, quàm Monachi profeſſio eſt, quia fit publicè, per publicam vocationem Eccleſiæ, fit in Eccleſia, contrahitur non cum Deo tantùm, cui ſe Clericus devovet, ſed etiam cum Eccleſia, cujus publicus per ſolennem ordinationem Miniſter conſtituitur, In Monacho contra omnia privata ſunt, neque is ullo vinculo officii publici Eccleſiæ alligatus eſt. Neque obſtat Concilii Chalcedonenſis Canon VII. qui ſic habet: *τοὺς ἅπαξ ἐν κλήρῳ τεταγμένους καὶ Μοναχοὺς, ὡρίσαμεν μήτε ἐπὶ στρατείαν, μήτε ἐπὶ ἀξίαν κοσμικὴν ἔρχεσθαι. ἢ τοῦτο τολμῶντας, καὶ μὴ μεταμελομένους, ὥστε ἐπιστρέψαι ἐπὶ τοῦτο, ὃ διὰ θεὸν πρότερον εἵλοντο, ἀναθεματίζεσθαι. Eos, qui in clero ſemel ordinati ſunt, & itidem Monachos ſtatuimus, nec ad militarem expeditionem, nec ad ſecularem dignitatem poſſe venire. Qui autem hoc audent, & non pœnitentia ducti ad id revertuntur, quod propter Deum priùs elegerant, anathematizari.* Manifeſtum enim eſt, Canonem loqui non de Clericis vel Monachis, clericatus vel ordinis deſertoribus (cur alias ſimpliciter reditum ad ſeculum non exprimerent, & venientes ad militiam vel ſecularem dignitatem ſolam; non venientes ad ſeculum promiſcuè, vel quemvis alium etiam ſeculi ſtatum, feriret?) ſed de Clericis & Monachis, Clericatu vel Monachatu non abdicato, caſtra ſequentibus, vel politica dignitate fungentibus, quales innumeri fere Papæ, Cardinales, Epiſcopi, Monachi veſtri fuerunt. Ne dicam, canone hoc, ſi maximè de clericatus & Monachatus deſertoribus intelligendus foret, non obſtante, multos apud vos Clericos & Monachos, Papa gratiam faciente, impune ad militarem vel politicam, Regiam etiam dignitatem, Clericatu vel Monachatu, votivo etiam, deſerto tranſiviſſe. De Cypriani verbis infra. Diſtinctio verò deſerentium ante & poſt votum emiſſum, ficulnea eſt, nec ex veteribus, quos ſupra induxi, vel aliis etiam probari poteſt. Nam ſolennia & irrevocabilia vota ne cognita quidem veteribus fuerunt. 13. Et de Dominis, & Caſſander:

der in communione vestra mortui sunt. Et qualescunque ii fuerunt, apud nos si non testium, saltem testimonii gravissimi veritas valet. Quàm enim rectè de Dominis hodiernos Cœnobitas cum Sarabaitis veteribus contenderit, supra ostendimus. Et Mendicantes Monachos *hermaphroditas, imperfectè clericos & Monachos, & perfectè Pseudoclericos & Pseudomonachos*, sine ullo convitio appellare potuit. Cùm enim Monachi ex prima institutione, & votorum suorum tenore, non clerici, seu publici Ecclesiæ Ministri, sed meri laici sint, illi tamen & statum Monachatus veterem se retinere jactant, & simul clero adscribi volunt. Nec perfectè Monachi sunt, quales ex prima institutione esse debuerant, uti jam demonstravimus: nec perfectè clerici, quia quâ tales Ecclesiæ non ministrant, sed merè per accidens, & aliena vi. Sunt ergo, quod eos esse de Dominis dixit. 14. Qua ratione Monachos Turcas idololatriæ crimine à vestris distinguas, ipse videris. Certè idololatriæ labe fœdiùs Monachi Papistæ, quàm Turcæ, ab imaginibus religiosis & idolis abhorrentes, polluti sunt. Sed & Monachatum, siquidem in eo perfectionis Evangelicæ cardo vertitur, naturæ lumine hominibus gentilibus & Turcis etiam innotescere potuisse, falsissimum est. Potiùs inde rationis corruptæ & carnalis fœtum esse, colligere debueras. Caro enim & sanguis religionem & cultum Deo placentem dictare nequit. Forte etiam Turcæ Monachatum à Sergio Monacho Nestoriano, cujus ope Muhammed in cudendo Alcorano suo usus est, mutuati sunt. Sed undecunque Pagani, Indi, Japonii, Turcæ &c. Monachatum habeant, certè nec à recto naturæ lumine, nec ex Divina revelatione, sed ex Diaboli instinctu eum totum habent. Pudendum igitur est, quòd vestrùm nonnulli ex Turcarum Monachatu suum iucrustare non verecundantur. Quos inter Abbas Ecchellensis, Lutetiæ Orientalium linguarum Professor, *Præfat. in Anton. M. Epist. ex Arabico, Latinè conversas* ab ipsis Muhammedanis adversus Mornæum & Lutherum pro Monachatu suffragium mendicavit his verbis: *Ipsi Christiani nominis hostes nobis in hoc suffragantur. Gelalledinus Sajuti Muhammedanus, in sua Ægyptiaca historia ex variis autoribus, quos ibidem citat, sequentia allegat de Monastici instituti exordio: Facultatem petierunt, qui crediderunt ex Magis, à Moyse, ut redirent ad suos, & ea quæ habebant in Ægypto; & impertitus est eis Moses facultatem, atque deprecatus est pro illis. Quamobrem professi sunt Monasticam vitam in summitatibus montium. Et sanè primi fuerunt, qui Monasticam vitam professi sunt: & appellabantur cœtus. Remanserunt verò quidam eorum cum Moyse, donec fatis concessit, Deo jubente: & interruptus est Monachatus post illos, donec restituerunt illum Christi Apostoli, super quos pax. Imò ipse Pseudopropheta Muhammetus instituti veneratione motus, conceptis verbis Monachos suis commendavit, ac Monachorum & Monasteriorum bona à tributorum gravamine exemit.* Sic Pontificii Professores à Muhammedanis Pseudoprophetis Monachatui suo præsidium ambientes, Acheronta movent, cùm superos flectere nequeant. 15. Tandem ergo eò devolveris, ut pertendas, Monachos hodiernos, si qui ab accuratiore Monachatus veteris observantia deflexerant (at deflexisse omnes, degenerantibus institutis, jam probavimus) *substantiam* tamen ejus *integram* illibatámque retinere. Parum equidem liberale est, aurum ascititio stercore fœdare. Sed nec aurum profectò cum veteribus commune habetis; ac vix aurichalcum. Substantiam enim Monachatus vestri in votis religiosæ paupertatis, continentiæ & obedientiæ, perfectionis Evangelicæ statum post se trahentibus, collocatis. Atqui nec Evangelicæ perfectionis statum, à fidelium omnium statu disparatum, Monachos veteres somniasse, quin Clericos Monachis perfectiores semper habitos esse, supra obiter probavimus, non obstantibus Patrum quorundam testimoniis, à Bellarmino *de Cler. lib. II.* 11. in pravum sensum detortis,

& à Doctissimo Fr. Junio *Animadv. in Bellarm. Controv. V. lib. II.* 11. solidè discussis, & cum votorum solennium & absolutorum religione vestra nihil antiquioribus Monachis commercii fuit. quod alibi fusiùs probatum nos dedimus. Illud verò omnes falsitatis numeros implet, quòd Patres substantiam Monachatus in tribus votis solennibus & absolutis, puta paupertatis, & quidem conjunctæ cum possessionibus communibus, vel huic aut illi ordini propriis: continentiæ à cœlibatu, & quidem talis, ut plus ei conjugium, quàm scortatio adversetur: & obedientiæ cœcæ, qualem supra descripsimus, constituerint. Unum, si potes., Redingi, testem ede, cur tale quid vel in mentem venerit. Substantiam Monachatus in secessu ad agendam sive in solitudine, sive in communitate pœnitentiam, frequentanda pietatis veræ solidæque exercitia, & laborem manuum collocarunt. quomodo Pelagius Papa *16. q. 1. c. de præsentiva* emphaticè satis *tria propria* Monachis attribuit, *quietem, orationem & manuum laborem.* Hic equidem secessus cœlibatum castum & paupertatem veram, cum labore manuum conjunctam, comitem habuit; sed neutram vel substantiam Monachatus, vel sic devotam, ut nulla ratione vel conditione humanæ fragilitatis institutum suum mutari posse putaverint. En ex multis Athanasii ad Dracontium, Alexandriæ Episcopatum, ne se forte ab austera vita revocaret, fugientem verba: *Multi quoque ex Episcopis matrimonia non inierunt, Monachi contra parentes liberorum facti sunt: quemadmodum vicissim Episcopos liberorum patres, & Monachos generis potestatem quæsivisse animadvertes; & Clericos bibisse, & Monachos jejunasse.* ἔξεστι γὰρ καὶ οὕτως καὶ ἐκείνως οὐκ ἐκώλυται. *Sic enim licet, & ad eum modum non prohibetur.* ut ex posterioribus his verbis manifestum sit, non eum, uti Bellarminus detorquet, de Monachis exorbitantibus loqui; quia de eo, quod licet, & prohibitum non est, loquitur. Neque etiam, quod alii oggerunt, de tempore Episcopatum vel Monachatum antecedente loquitur; quia sic ejus ratio ridicula foret. Qua enim specie id Dracontio proponere potuisset, ut ipsi, Monachalem vitam eum non austeriorem, nec Episcopalem liberiorem redditurum esse, persuaderet? Num de his professionibus suscipiendis, an de eorum, qui eos susceperant, statu ac conditione loquebatur? Verba ejus perspicua sunt: Ἔξεστι γὰρ καὶ ἐπίσκοπον ὄντα εἰ πεινᾷν &c. Itaque de eo, quod Episcopatu durante fieri potest, agit: sive id fit à cibis vel conjugio abstinere, sive iis uti: ostendensq; Dracontio, quòd nec Monachi conditio conjugium inituris obstet, nec Episcopi status cœlibatum impediat: quòd in utroque genere, utrumque pro cujusvis libertate inveniatur: adeóque nec Episcopatum assumens vitæ liberiori, nec Monachatum retinens austeriori se astringat, sed quòd utrumvis in statu utroque in ejus arbitrio futurum sit. Sic Athanasius, sic Patres alii. Sed novæ Cabalæ Magistri Monachatus substantiam in votis solennibus & absolutis illis tribus, puta cœlibatus, paupertatis, obedientiæ collocantes, veros quoad substantiam Monachos esse jactant, quotquot voto solenni inter manus Præpositi nuncupantes, se non tam ad continentiam veram, quàm conjugii abdicationem perpetuam, qua fibula castrati imposita suos docent castitatem perrumpere, postquam ex libero officio jugum necessarium fecerunt: non tam ad veram paupertatem, hoc est, divitiarum & possessionum, sive privatarum, sive communium inopiam, quàm ad possessionum privatarum, & personis propriarum carentiam, cum divitiis adeò non pugnantem, ut etiam, qui Mendicantes appellantur, iis diffluant, & novitius Jesuitarum chorus montes auri & argenti, tum simulatione pietatis, tum condicta per Indias & novum orbem negotiatione accumulent: non tam ad veram obedientiam Deo, & præfectis secundum Deum ex verbo ejus præstandam, quàm ad obedientiam cœcam, in hominis καταβραβεύοντος, & humanis suis traditionibus, regulis alienis, ineptis, impiis,

impiis, superstitiosis obedientiam illam, quæ soli Deo præstari debet, παρεγχειρίσαντ@ ac velut cubito in extremas oras pellentis, verba & imperata quævis juratam, obstrinxerint. ita ut jam quoad substantiam Monachi regulares sint & maneant, qui non nubunt, sive de cœtero scortentur, sive non: qui nihil proprii possident, licet in commune immensas opes possideant, saltem lautè & opiparè, sine labore manuum victitent: qui in verba hominis jurant, sive Deo ejusque legibus morem gerant, sive non. Tales substantiales Monachos apud Sarabaitas veteres reperias: in vera Ecclesia Christiana veteri reperias nullos. Jam ergo, Redingi, vides, Monachatui veteri cum novitia illa Monachatus umbra & larva nihil, sive in substantia, sive in accidentibus commune esse, si nomen excipias. Cucullum apud vos & saginaria videmus, veterem Monachum & gymnasia veræ fidei & pietatis non videmus.

ARG. IX. Neque adeò in ipso Papatu defuerunt, quibus Monachatus institutio despliceret. Gerson Parisiensis Cancellarius *part. 1. contra Prop. Mat. Grabo. propos. 4.* disertè asserit, *quòd religio Christiana non requirit ad perfectiorem sui observationem tam in præceptis quàm in consiliis, quòd superaddatur alia religio, quales dicuntur observationes institutæ per S. Basilium, Augustinum, &c. quales Anshelmus vocat RELIGIONES FACTITIAS.* Author Opusculi Tripartiti, quod secundo tomo Conciliorum añexum est, in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. celebrato, dicebat: *Totus ferè mundus obloquitur & scandalizatur de tanta multitudine religiosorum pauperum, qui introierunt in mundum qui jam non religiosi, sed trutannii vocantur, quod cedit in maximam vilipensionem religionis sacræ.* Cassandri de hodierno Monachatu sententiam jam modò laudavimus. Ipse Mantuanus Monachus in eos invehitur, *qui nomen de religione superbum usurpant.* Conventuales Ordines abolendos esse, Cardinales à Paulo III. Pontifice ad reformationem ecclesiæ delegati statuerunt. Johannes Petrus Camusius Bellicensis Episcopus, Vir multis scriptis clarus, contra Monachos multa, quæ inter ejus in Augustini tractatum de Monachis observationes, & liber, cui *Directoris* titulum indidit, eminent, emisit, & bellum cum iis ἄσπονδον diu gessit. Cardinalis quoque Tossatus quàm contemptim de Monachatu non ita pridem judicaverit, ex ejus Epistolis luci publicæ donatis liquet.

RESP. REDING: 1. *Gerson agnoscit perfectionem non ex præceptis duntaxat, sed etiam ex consiliis consistentem, atque Basilii, Augustini &c. observationes tales esse, quales ad religionem sufficiant. 2. Ipsa illa ordinum Mendicantium excessiva copia excitavit Innocentii IV. providentiam, ut in Concilio Lateranensi constituerit, novos ordines à Papa non probatos institui non debere: 3. Si qui Catholici quocunque animo Monachos carpunt, nihil id Monachatus substantiæ officit; qui ex Christi instituto descendens ex perversorum quorundam malitia æquè non contaminatur, ac cathedra Mosis ex pravitate Pharisæorum contaminari non potuit. 4. Neque etiam substantiæ Monachatus obstat, quòd Pontifices quidam consilium aliquando ceperunt, ordines quosdam supprimendi, quia longè plures illum vel collau-*

darunt, vel obfirmarunt, vel privilegiis auxerunt. Illi præterea authoritate legitima id fecerunt, in finem melioris boni, & ea cautela, ut votorum observantia redintegraretur. Secus quàm Pseudo-Reformator spiritus personas Deo consecratas profanare, vota violare, bona Monasteriorum Divino cultui mancipata ad usus profanos trahere attentarunt. Ibid. pag. 311. Resp. 1. Nescio quomodo ex verbis Gersonis consilia extundere velis. Ille enim in Concilio Constantiensi ad Cardinalem Veronensem conscribens sex propositiones adversus errores Fratris Matthæi Grabon, Ordinis Prædicatorum, *Propos. IV.* negat Religionem Christianam ad perfectionem sui requirere *observationem tam in præceptis quàm in consiliis.* quæ Grabonis, non Gersonis assertio fuit. Sed de consiliis quicquid sit, (neque enim de iis nunc quæstio est; & fatemur illa ultro Gersonem agnovisse) ille tamen Christianæ religionis perfectionem in iis consistere negat; vos affirmatis: Ille observationes institutas per Basilium, Augustinum &c. una cum Anshelmo *religiones factitias* appellat: Vos Divinas, Spiritu Dei authore procusas pertenditis. Addit Gerson *Præpos. V. Religiones hujusmodi factitiæ satis impropriè, & abusivè, & (NB) forte arroganter dictæ sunt status perfectionis. Patet, quia constat, (NB) homines imperfectissimos tales religiones profiteri: & secundum illos, qui noviter usi sunt tali vocabulo status perfectionis; ille status non dicit apud religiosos perfectionem habitam vel acquisitam, sicut est de statu Prælatorum, sed tantummodo dicit perfectionem acquirendam.* Ibidem Grabonis illam Propositionem: *quòd religio, prout* per eam *homo se obligat ad ea, quæ essentialiter pertinent ad statum perfectionis, antonomasticè dicantur tantùm de illis, qui sunt in aliqua de approbatis regulis propriè dictis professi. cujusmodi sunt Augustini, Basilii, Benedicti, Francisci, &c.* ait esse *stultam, insanam, hæreticalem & blasphemam.* Sed & secundum corollarium ejusmodi ponit: *Sequitur secundò, quòd extra religiones factitias potest aliquis cum voto simplici vel sine voto Christianam religionem in suis præceptis & consiliis perfectè observare.* Damnat quinetiam propositionem ejusdem Grabonis, *quòd implicet contradictionem, aliquem de seculo servare consilium paupertatis, castitatis & obedientiæ.* Quid Monachatum, qualis hodie defenditur, destruere est, si hoc non est? Et tamen Gersonis Propositionibus tredecim doctores majores, *quos pro tunc mundus habuit, in Theologia de diversis universitatibus,* contra Grabonis assertiones adhæsisse, ibidem scribitur. Quin & Cardinalis Henricus Cameracensis Grabonis librum, propositiones illas complexum, *damnandum esse, ut erroneum, temerarium, scandalosum, & per consequens ut hæreticalem igni tradendum esse*, definivit. 2. Nihil equidem sanctius longo tempore Pontifices instituerunt, quàm quod in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. habito *cap. 13.* sancitum est his verbis: *Ne nimia religionum diversitas gravem in Ecclesia Dei offensionem inducat. (NB) firmiter prohibemus, ne quis de cætero novam religionem inveniat. Sed quicunque voluerit ad religionem converti, unam de approbatis assumat. Similiter qui voluerit religionis domum fundare de novo, regulam & institutionem accipiat de religionibus approbatis.* Nihil hic Pontificiæ approbationi, vel potestati, cujus ne verbo quidem decretum meminit, relinquitur. Nihil, inquam, sanctius Pontifices sanxerunt, si modò servarent: facturi tamen longè sanctiùs, si simplicitatem religionis Christianæ & veritate doctrinæ, & exemplo vitæ cum fratribus suis constabilivissent. Nunc verò & hoc neglexerunt negligúntque strenuè: & illud impudenter violat Papa, ordines etiam pessimos, quales Capucinorum & Jesuitarum sunt, instituens, eósque decretis suis contra disertum tenorem Concilii Lateranensis (quo sancitur, non ut novos ordines approbandi potestas Papæ concedatur, quomodo Papæ Conciliorum correctores deinceps illud in-

interpretati sunt; Sed *ne quis de cætero novam religionem inveniat*, quid autem Papa approbabit, si nemini *novam invenire religionem* fas sit!) multiplicans pro lubitu. Nempe, juxta Tirini *ad* 1. *Cor*. *I*. 16. illa; *Varietas ordinum Religiosorum facit ad majorem Ecclesiæ splendorem, robur & commodum. Sicut in una urbe varietas opificum, in una aula varietas Ministrorum, in una acie varietas cohortium & legionum*. Sed hos opifices non conduxit Christus: hos ministros non instituit: has legiones non armavit. Sunt robur Babylonis, non Sionis; non Christi, sed Antichristi, qui ex puteo abyssi novas subinde ejusmodi cohortes, novos tyrannidis suæ ministros, novos novarum superstitionum fabros, quibus & plebeculæ mentes captivantur, & populorum emunguntur crumenæ, & authoritas Papæ vilescens labascénsque suffulcitur, emittit. Dignissima lectu sunt, quæ eam in rem Melchior Canus, in Salmanticensi Academia Theol. Professor, qui & ipse Concilio Tridentino interfuit, *Loc. Comm. lib. V. cap*. 6. habet, quæ huc sevocare alienum haud fuerit. *Ordines*, sic ille, *vel probare, vel refellere, quoniam non à scientia id solùm, sed etiam à prudentia pendet, non ad ea pertinet, in quibus summus Pontifex errare nequit. Atque jam vel in Concilio Lateranensi advertebatur, religionum nimiam multitudinem, quam nunc esse videmus, valde Ecclesiæ Christi incommodare. Concilium quoque Lugdunense fatetur, quòd importuna potentium inhiatio contra Synodi decretum aliquarum religionum confirmationem extorsit. Unde quosdam ordines per Sedem etiam Apostolicam approbatos, tanquam Ecclesiæ vel noxios vel inutiles, abolendos esse decrevit, ut nullum deinceps ad eorum professionem admitterent. Et Cœlestinus statum vitámque Fratricellorum suo privilegio confirmavit, quod tamen confirmationis privilegium Johannes XXII. aperiè infirmum esse dixit, quod Bonifacius ex certis rationalibus causis ea, quæ Cœlestinus concesserat, viribus penitus enervasset. Paulus item tertius Ordinem, quem in Italia frater Baptista Cremensis instituit, literis suis probasse dicitur; at nuper & Ordo ille à Venetis est edicto publico explosus, & Baptistæ doctrina, cui illius Ordinis homines inhærebant, Romæ est condemnata. Imbecillum itaque eorum argumentum est, qui ex hujusmodi privilegiis, quæ his facilè temporibus conceduntur, vel potiùs extorquentur, novas religiones non aliter ac de Cœlo lapsas excipiendas esse confirmant, eas quoque, quæ nullam regulam ex approbatis habent, nullam vel à suis editam profitentur. Nec ejus generis privilegia certa sunt sedis Apostolicæ judicia, quibus scilicet omnes fideles adstringantur. Satis fuerit, si eam habeant authoritatem, quam Epistolæ decretales, quarum nonnullas constat à posterioribus meliore consilio refutatas; quoniam non ex firmo decreto, sed ex Pontificum opinione prodierunt. Et quidem ante D. Thomæ tempora adeò restrictè & graviter novi ordines admittebantur, ut ex tam gravi augustóque judicio probabile argumentum prudentis consilii sumeretur. Nostro verò seculo tam multæ sunt religiones à Pontificibus confirmatæ, ut qui eos omnes tueri voluerit, tanquam Ecclesiæ vel utiles vel necessarias, hic imprudentiæ, ne dicam (NB) stultitiæ nomine jure optimo summísque rationibus arguatur*. Hæc ille. Quibus addo Cardinalis Petri de Aliaco memorabilem in libro *de Ecclesiæ Reformatione* sententiam. *Primò*, inquit, *videtur, quòd tanta religiosorum numerositas & varietas non expediat, quæ inducit ad varietatem morum, & quandoque ad varietatem & repugnantiam observationum & sæpe ad singularitatem, & superbiam, & vanam extollentiam unius status super alium. Et valde videtur necessarium, quod damnentur religiones mendicantium, quia tot sunt & numero conventuum, & in numero suppositorum, ut eorum status sit onerosus hominibus, damnosus leprosariis & hospitalibus, & aliis verè pauperibus & miserabilibus, indigentibus, & si bene consideretur, præjudicialis etiam omnibus Ecclesiæ statibus*. Sed

surdis

ſurdis fabulam cecinerunt illi. 3. Ex Chriſti inſtituto Monachatum, qualis hodie inprimis eſt, degener planè; deſcendere, non probaſti, non probabis unquam. Papæ, non Cœleſtis Patris, vel Chriſti plantatio eſt. Quod vel ipſi ejus fructus, à veſtris Canulio, Toſſato, Caſſandro, innumeris aliis liberè propalati, arguunt. Alia cathedræ Moſis, à Deo ipſo inſtitutæ, & à ſpiritu ejus propagatæ ratio eſt. Quanquam & hæc tolli debuit, & ſublata eſt. 4. Conventuales Ordines univerſos, adeóque plurimos à Pontificibus inſtitutos abolendos eſſe, Cardinales à Paulo III. delegati cenſuerunt meritò. Poterant ergo aboleri etiam Ordines reliqui Pontificibus collaudati, *obſirmati* (ſic loquitur Redingius commodè, quia ſiniſtrè confirmata rectè *obſirmata* dicuntur) & privilegiis aucti, imò debuerant omnes. Quo verò fine tot illi Ordines *obſirmaverint*, ex ſupra dictis abundè conſtat. Neque ullas perſonas Deo conſecratas noſtri profanarunt, vel vota violarunt; ſed profanatas temerariis votis perſonas juxta Dei verbum ſanctificarunt, bona ſuperſtitionis hamo fraudulenter capta ad uſus verè ſacros tranſtulerunt; quin plurima exteris reformationem reſpuentibus reliquerunt, quæ jure & eminentia poteſtatis iiſdem negare potuiſſent. Cujus rei teſtem te ipſum cito. Quantas enim ex territorio Tigurino opes ſuperſtitionis hamo primitus raptas Monaſterium Tuum inde à Reformationis etiam tempore occupaverit & conſumpſerit, non alia quàm malevolentiæ & odii erga cives noſtros mercede, lippis & tonſoribus notum eſt. Et noſter videlicet ſpiritus tunicam repetenti, alteram etiam concedens, *Pſeudo-reformator:* at veſter improbo ſudore alieno parta abliguriens egregiè catholicus eſt. Id unum vos urit, quod non omnia noſtra otioſorum Monachorum voragini cedunt, & pridem orbis, patefactis Monachorum fraudibus, ſapere cœpit.

ARG. X. Denique hodie Monachatus religionis & pietatis ſpeciem mentitus, politicum potiùs vaframentum, quàm religioſum inſtitutum eſt. Exceptis enim paucis bonis viris, quos ſuperſtitio dementavit, ut animarum ſaluti ita conſuli poſſe perperam confidant: pleroſque alia omnia quàm religionis cura Monachos facit. Alii enim vi in monaſteria detruduntur, vel ſponte etiam ad ea concedunt, ut vel familiarum dignitas conſervetur, & patrimonia ac hæreditates inter paucos diſtributæ lautiores & opimiores exiſtant: vel facultas ſit otio liberius indulgendi, & fucorum ad inſtar paratum & quæſitum mel abſumendi. Unde Imperator Juſtinianus Novella 133. meritò inter alia Monaſticam vitam *Imperio utilem* eſſe, ad priorem ſcilicet finem illum reſpiciens, ait. Alios deſperatio eodem compellit, ſive ſcelerum admiſſorum juſtam pœnam reveritos, ſive honorum, divitiarum, fortunæ ſpe, magníſque auſis fruſtratos. Arcanum Monachatus nobis quoque reſerat Gallorum poſt finitum Concilium querela: *Hoc eſſe perpetuum artificium curiæ Romanæ, bona ſecularibus erepta, ad Clerum primò, dein etiam Romam pertrahere. Id ſcilicet principiò ſatagere, ut prætextu voti paupertatis Monachi exiſtimationem acquirant, quaſi nullam rem temporalem intueantur, ſed omnia charitatis causâ faciant in populi ſervitutem: poſt exiſtimatione parta, curiam cum ipſis de voto diſpenſare, unde facilè diteſcant: cúmque bene opulen-*

ita facta sunt Monasteria, demandari in commendam, & id omne denique in curiam affluere, apud Suavem Pol. lib. VIII. pag. 740.

Resp. Reding: 1. *Mendacissimus spiritus tuus in ipsum Christum, Monachatus authorem, incurrit. Et quæ de intentione Monachatus, vi hominibus ad eum amplectendum facta, aliisque scribis, calumniam meram spirant.* 2. *Gallorum adversus Curiam Romanam querela à te allata eos duntaxat Gallos authores habuit, qui nequitiæ Calvinisticæ vel veterum etiam Donatistarum, Arianorum, Monachos damnantium, fermento infecti fuerunt.* 3. *Ipse Calvinus Instit. lib. IV. 12:15. de vita Monastica æquiùs judicare videtur.* Ibid. pag. 311-313. Resp. 1. Non in Christum, cui cum Monachis commercii nihil fuit, sed in Antichristum, Monachatus Sarabaitici authorem, oratio mea incurrit: & incurrit jure meritóque, pro honore & gloria Christi, cui dedecus summum Monachatus, qualis à longo jam tempore fuit, attulit. Neque quicquam à me per calumniam dictum esse, sed scapham me appellasse scapham, ipse forte, si Monachus non esses, & veritati quàm gratiæ litare malles, mecum dissimulares nullus. Sed experientiam magistram cito; (quotusquisque enim vestrûm bona intentione nudus nudum Christum sequitur, quotusquisque *ἀληθεῖ* veritate, & non *προφάσει prætextu*?) & tuam conscientiam, & querelas vestrorum, Monachorum etiam, sed candidiorum. qualis inprimis Bernhardus fuit, qui Apologia ad Abbatem Guilhelmum scripta, à me dicta confirmat, & Monachos, *opulentia, intemperantia, comessationibus, potationibus, lectisterniis, equitationibus* &c. eorum graphicè descriptis, vivis coloribus depingit. Horret animus legere. Commemoratis & deploratis acerbissimè tót Monachorum sive ingredientium ordines intentionibus absurdis, sive ingressorum fœdis abusibus; *Sic*, inquit, *Maccarius vixit? sic Basilius docuit? Sic Antonius instituit? Sic Patres in Ægypto conversati sunt? Sic denique S. Odo, Majolus, Odilo, Hugo, quos se sui utique ordinis principes & præceptores habere gloriantur; aut tenuerunt, aut teneri censuerunt?* Paulò supra dixerat: *O quantum distamus ab iis, qui in diebus Antonii extitere Monachi! Siquidem illi cùm se invicem per tempus ex charitate revviserent, tanta ab invicem aviditate panem animarum percipiebant, ut corporis cibum penitus obliti, diem plerunque totum jejunis ventribus, sed non mentibus, transigerent. Et hic erat rectus ordo, quando digniori parti priùs inserviebatur. Hæc summa discretio, cùm ampliùs sumebat, quæ major erat. Hæc denique vera charitas, ubi animæ, quarum charitate Christus mortuus est, tanta solicitudine refocillabantur. Nobis autem convenientibus in unum, ut verbis Apostoli utar, jam non est Dominicam cœnam manducare. Panem quippe cælestem nemo est qui requirat, nemo qui tribuat. Nihil de Scripturis, nihil de salute agitur animarum, sed nugæ, & risus, & verba proferuntur in ventum*, &c. Ad compendium pono alia Bernhardi, & aliorum etiam graviora. 2. Galli illi in Concilio arcanum Monachatus reserantes, dum verum dixerint, parum refert, à Donatistis, Arianis, an Calvino hauserint. Quanquam quæ de Donatistis & Arianis, Monachos detestantibus, mussas, parùm ad rem illa faciunt. Nos enim Monachatum, qualis olim fuit, haud simpliciter damnamus. Nævus ille fuerit Ecclesiæ tolerabilis, bona intentione susceptus, pio studio excultus: at hodiernus carcinoma est. De cætero & hæretici exagitarunt Monachos immeritò: & multi Monachi, Sergius ipse, Muhammedis fidus Achates, hæretici fuerunt. Sic ergo & hæretici Christianos Monachos, & Christiani Monachi hæreticos arguerunt. Sed de eo quicquid fiat, non qui dixerint, quod Gallis, Pontificiis certè, non Calvinistis, Suavis tribuit; sed quid dixerint, videndum. Certè Pallavicinus *Hist. C. T. lib. XXIV. 10: 10-14.* negare ausus

ausus non est, ex *Ordinum quorundam*, eorum videlicet, *qui se voto nunquam obstrinxerunt non possidendi bona stabilia, bonis fundatas esse Commendas*. Jam etiam à Tridentinis bonorum stabilium possessionem Ordinibus Mendicantibus concessam esse, constat. Iidem Tridentini *Sess. IV. c.10.* legem sanxerunt circa Monasteria nondum commendari solita, *ut in vacationibus, Religiosis ipsis eorum ordinem professis in titulum, & non aliis, ne vestem*, inquiunt, *lino lanáque contextam inducant, conferant.* Profitentur tamen iidem *Sess. XXV. de Relig. c. 11.* se Summo Pontifici, in cujus Curia radicem omnium malorum altissime fixam esse, non ignoraverant, legem imponere non posse, ajuntque, *se confidere, Sanctissimum Romanum Pontificem pro sua pietate & prudentia curaturum, quantum hæc tempora ferre viderit, ut iis, quæ nunc commendatæ reperiuntur, & quæ suos Conventus habent, Regulares personæ ejusdem Ordinis expresse professæ, & quæ gregi præire & præesse possint, præficiantur. Quæ verò inposterum vacabunt, nonnisi Regularibus spectatæ virtutis & sanctitatis conferantur.* Sic totum remedium in libertate ejus, a quo malum jam diu profectum erat, reliquerunt. surdo canentes fabulam. Irrident enim Pontifices hæc monita, quia sic Bullarum, Annatarum, aliorúmque majorum munerum dispendium facerent, nec tot amicos de Mammona iniquitatis sibi comparare possent. Aliud etiam Cœlibatui Monachorum arcanum Politicum, Monarchiæ Papæ unicè inserviens, subest, illud ipsum videlicet, quod etiam Cœlibatui Sacerdotum supra *ad Sess. XXIV. Quæst. IX. Arg 8 pag. 639. &c* subesse, ipsius etiam Cardinalis Carpensis verbis in Concilio editis ostendimus. 3. Mirum à Calvino te malæ causæ tuæ præsidium petere, cui Bellarminus *Præfat. in lib. de Monachis* crimini dedit, quòd *Instit. lib. IV. 13.* rem totam de Monachis breviter ita definiverit, *ut esse velit Monasteria lupanaria: vota Monastica retia Sathanæ: Monachos omnes Sophistas cucullatos, qui ab Ecclesia discessionem fecerint, & se totos Diabolo consecraverint.* Poterat autem alia ex eodem plura citare, veluti cùm *ibid. §. 15.* recensitis veteres inter & novos Monachos in ipsa professione discriminibus, subjicit: *In moribus quanta sit discrepantia quid attinet sigillatim exponere? Hoc constat, nullum esse hominum ordinem magis omni vitiorum turpitudine inquinatum. Nusquam magis fervent factiones, odia, studia partium, ambitus. In paucis quidem cœnobiis pudicè vivitur: si pudicitia vocanda est, ubi eatenus reprimitur libido, ne palam sit infamis: decimum tamen quodque vix reperias, quod non lupanar potiùs, quàm castitatis sacrarium sit. At in victu qualis frugalitas? Non aliter porci in haris saginantur.* Neque sibi, uti Redingius interpretatur, contradicit, sed potiùs ἐπιείκειαν summam testatur idem, cùm mox subjicit: *Neque tamen ad omnes sine ulla prorsus exceptione pertinet hæc vituperatio. Quemadmodum enim nunquam adeò bene constituta fuit in Monasteriis sanctè vivendi regula & disciplina, quin extarent aliqui fuci longè aliis dissimiles: ita non sic hodie à sancta illa antiquitate Monachos degenerasse dico, quin aliquos in suo grege bonos adhuc habeant: sed hi pauci & dispersi in illa ingenti malorum & improborum multitudine delitescunt: nec contemnuntur modò, sed etiam petulanter incessuntur, interdum etiam crudeliter tractantur ab aliis, qui, ut est in Milesiorum proverbio, nemini apud se bono locum esse debere credunt.* Neque exceptio regulam tollit: neque Lothus unus Sodomam infamia liberavit: neque una hirundo ver facit. Non ergo sibi Calvinus contradixit, sed summum candorem testatus est. quem vel in hoste laudasses, non sugillasses, si simili candore polleres.

Obiectiones Tridentinorum:

OBIECT. I. *Vita Monastica adeò antiqua est, ut ante diluvium ea adumbrata sit in* Eno-

Enoſcho, *qui cœpit invocare nomen Domini, Geneſ. IV. 26. in lege verò Moſis expreſſa ſit in* Nazaræis, *ſe ipſos Domino conſecrantibus Num. VI. 2. Elia, Eliſæo & filiis Prophetarum 1. Reg. XVII. 1. &c.* Rechabitis, *qui prohibiti ſunt domos ædificare, agros ſerere, vineas plantare, vinum bibere, Jerem. XXXV. 18.* Machabæis *2. Machab. V. v. ult. ubi Judas ſeceſſiſſe dicitur in deſertum locum, ibique inter feras vitam degiſſe;* Eſſenis *denique, ſive Judæi illi, ſive Chriſtiani fuerint.* Reſp. 1. In Enoſcho uxorato & liberis abundante, quemadmodum Monachatus adumbrari potuit? Geneſ. IV. 26. nihil tale proditum legimus. Tantùm Enoſchi tempore cœptum dicitur invocari nomen Domini, nempe in ſolenni cœtu, qui hominibus jam multiplicatis, & Cainitis ſecedentibus, colligi occœpit. Eum locum fusè *Hiſt. Patr. tom. I. Ex. III. 7. 34.* expoſuimus. 2. Nazaræis nihil cum Monaſticis votis commune fuit. Nam & bona poſſederunt, & in matrimonio vixerunt, & homini nulli ſe mancipâſſe leguntur. Ritibus quidem nonnullis ex Dei inſtitutione ſe voto obligabant. An verò placet nulla eſſe vota, quin totidem ſint peculiares religiones? Certè Nazaræi communem fidelium cœtum haud deſeruerunt, neque proprios fecerunt. Pertinuítque eorum inſtitutio ad ceremonias Moſaicas, & pædagogiam veteris populi, quæ tota in N. T. evanuit. 3. Neque in Elia, Eliſæo & Prophetarum filiis vel umbra eſt Monachatus, etſi eos principes, & duces Monachorum etiam Hieronymus olim fecerit. Quæ ſcriptura de illis memorát, non perpetua inſtituta fuerunt, ſed peculiaria facta & extra ordinem, ob peculiarem & extraordinariam vocationem ſuſcepta. Non magis poſteris ſimile exemplum reliquerunt, quàm vel Samſon incendens ſegetes, vel Gedeon lagenas complodens. Herbis agreſtibus uſi ſunt, compellente magna fame. Caſulas ædificârunt Elias & Eliſæus, non tamen filii prophetarum, habitantes in urbibus, & quidem peculiares ob cauſas, non ex ullo voto. Sine uxoribus etiam & ſine divitiis, omníque proprietate & rerum dominio, eos vixiſſe in mundo, nuſpiam dicitur, quanquam de filiis Prophetarum, utpote Scholaſticis תלמידי נביא *diſcipulis Prophetæ*, uti vocat Chaldæus, probabile ſit, ſed haud mirum. 4. Rechabitæ verò quorum figuram geſſerunt? An Eremitarum? At illi in eremo non errârunt. An Cœnobitarum? Atqui familias habuerunt, & genus propagârunt. Neque agros ſeverunt, neque vineas plantârunt, neque vinum biberunt. At Monahi plerique & agros conſerunt, & vineas plantant, & vinum cyathis, genialitérque bibere amant. Deinde Rechabitæ domeſtica & politica (nam ſerere, plantare, ædificare, poſſidere actus utique ſunt politici, non religioſi) inſtituta ſua ita cuſtodierunt, ut tamen religionem nullam peculiarem, vel ſeorſim à Judæis habuerint. 5. Judæ Machabæi

 ſe-

ſeceſſus in deſertum ob perſecutionem flagrantem tam feliciter Monachatum fulcit, quàm exemplum Davidis cum armata manu per deſertum errantis. 6. Eſſeni quales fuerint, parum refert. Judæos tamen & Hemerobaptiſtas, variiſque erroribus implicitos fuiſſe, probârunt multi, inprimis Scaliger in Elencho Trihæreſii, & Chamierus *Panſtrat. lib. XX. 20: 67. &c.* Unde Joſephus *Antiq. III. 9.* eos Judæorum ſectariis annumerat, & eoſdem Becanus *Sectarios Synagogæ* nuncupat. Talibus Patriarchis Monachi, quantum voluerint, glorientur licet.

EXCIP. REDING: 1. *Patriarchæ etiam ante Enoſchum* (non *Enochum*, quem cum illo Redingius confundit) *in familiis Sethitarum, te ipſo alibi ita docente, in veram Dei Eccleſiam coadunati, nomen Dei per ſacrificia, ceu ſolennem & publicum Dei cultum, invocarunt. Cùm ergo Moſes Geneſ. IV. 26. dicat, Enoſchi tempore cœpiſſe invocari nomen Domini, inſtituerit ille oportet peculiarem ac ſublimiorem Dei cultum, quàm eſſet vulgi fide inſtructi religio. Inde ergo hoc ſaltem colligimus, peculiarem ac ſublimiorem Divini cultus modum ex Divino inſtinctu cœptum Deo non diſplicere. Par ratio Nazaræorum per certos ritus Divinitus comprobatos ſe Deo conſecrantium. Quis ergo dubitet, quin pariter Deo conſiliorum Evangelicæ perfectionis, in paupertate, obedientia, caſtitate conſiſtentis ſtatus à Chriſto inſtitutus placeat? Origenes certè homil. 2. in Levit. ſcribit, quod in Nazaræis ex parte adumbratum eſt, in Evangelico ſtatu jam perfectum exhiberi. 2. Ad hunc ſtatum propiùs Elias, Eliſæus, filii Prophetarum, ſine divitiis & uxoribus in mundo degentes, (quod de filiis Prophetarum inprimis certum) acceſſerunt. Unde Monachos Veteris Teſtamenti & Eliam principem Monachorum Hieronymus vocat. Si Prophetarum illorum facta ex vocatione extraordinaria fluxerunt, an negare potes Divinam vocationem in illis, qui paupertatem, caſtitatem, obedientiam Chriſti gratiâ Deo devovent? 3. Ex Rechabitarum facto illud ſaltem principium cum Hieronymo colligimus, quòd ſtatus in obſervantiis corporis, congenitique ſenſitivi appetitus mortificationem, conſiliorum inprimis Evangelicorum à Chriſto inſtitutorum perfectionem inferentibus, conſiſtens Deo probetur. Unde integer Religioſi ſtatus character ſubſiſtit. 4. Judas Macchabæus 2. Macch V. v. ult. Divinæ laudis teſtimonio condecoratur, quòd in deſertum ſecedens ex religionis motivo duriſſimam vitam egit, qua in re Monachis Eremitis facem prætulit. 5. Licet Eſſeni, antequam ad Chriſtum acceſſiſſent, Judæis à Becano rectè accenſeantur, poſt fidem tamen Chriſti receptam perperam à Joſepho inter Synagogæ ſectarios numerantur. Et poſtquam Chriſtiani facti ſunt, à Marco Evangeliſta in Monachorum numerum aſcitos eſſe, Cornelius à Lapide in Act. V. 2. probavit.* Ibid. pag. 314--316. Reſp. 1. Nomen Domini ante Enoſchum & poſt eum invocatum eſſe, quis dubitaverit ſanus? Nam Adamus, Eva, Sethus fideles invocarunt; neque abſque invocatione fideles fuiſſent. Sed diverſus fuit invocantium locus: invocantes diverſi, & nomen invocantium diverſum. Ibi in una familia Adami, à paucis privatim invocatum eſt: hic multiplicatis familiis ſolenniter, publicè, à pluribus in unam Eccleſiam coaleſcentibus invocari cœpit, congregantibus ſe pluribus ad colloquium de pietate & juſtitia, qui *de nomine* etiam Jehovæ filios *Jehovæ* ſe nuncuparunt; cùm Caini imitatores religionem & doctrinam veritatis ac promiſſionis jam negligere & obſcurare, & בני אדם *filii hominum* cognominari cœpiſſent. Fruſtra ergo *invocationem* illam de ſublimiore religionis inſtituto, quale Monaſticum fingitis, interpretare. qua notione nunquam Scriptura *invocationem nominis*

Dei, omnibus fidelibus communem, accipit. Ita Abraham dicitur *invocasse nomen Jehovæ* Genes. XIII. 4. & *invocans nomen Domini liberandus* dicitur Joel. II. 31. quod de toto religionis exercitio, fidelibus omnibus communi, accipiendum est. Non monasterium, mi homo, sed Ecclesia collecta est cœtus invocantium nomen Domini. Sed eam in rem loco à te citato plura diximus. quæ convellere ne quidem aggressus es. Neque etiam Nazaræorum & Monachorum ingens discrimen à me notatum, negare audes. Merè typicum eorum institutum fuit, Divinitus constitutum approbatúmque. Nullis usi sunt secessibus aut particularibus aut communibus. Libera fuerunt vota, à quibus quisque se potuit absolvere, cùm vellet, via legitima. Quid jam ad ceremonias legales, ad ordines nulla lege approbatos, quin verbo Dei reprobatos, ad segreges ab Ecclesia cœtus, ad jugum necessitatis revocamur? 2. Prophetas & filios Prophetarum sine uxoribus, sine proprietatibus vitam degisse, unde probas? Fac fidem assertioni. Nam & Samuel filios Prophetarum habuit, & docuit ut pater, Najothis, & alibi. Proba illorum statum fuisse ordinarium, religionem peculiarem, voto susceptam. Ecclesia prisca Judaica æquè ac Christiana statum religiosum habuit duplicem, communem & proprium. *Communis* fuit fidelium omnium, doctrinam Dei salutarem audientium, accipientiúmque: *Proprius* fuit doctrinam à Domino acceptam tradentium; iisque *Ecclesiasticus*, Sacerdotum, Levitarum, in Ecclesia & Synagoga quoque populum Dei communiter informantium: partim *Scholasticus* Prophetarum, Patrum, Doctorum, sive Magistrorum Ecclesiæ seminarium colentium in Scholis, asceteriis seu phrontisteriis, quæ aut in Synagogis oppidorum & pagorum erat, aut ad Synagogas plurimum. Hæc autem loca sive in oppidis, sive rure, sive in solitudinibus essent, vulgò גבהות & רמות *excelsa* vel *colles*, ut Ægyptiis atque Arabibus *Labaroth, labræ* seu *lavræ*, Latinis *Gabii*, à situ eorum, dicebantur, Dionysio teste, ortu Phœnicio. Sic Josuæ XXIV. 33. *collis Phinees*, & Judic. VII. 1. *collis Moreh* sive *Doctoris*, & 1. Sam. passim *collis Dei*, & Schola Samuelis *Ramah* dicitur. Hæc illorum monasteria, asceteria, phrontisteria, scholæ pietatis & literaturæ fuerunt. In ejusmodi loco fuit Elisæus, Divinámque doctrinam percepit priùs, dein tradidit aliis, Scriptura teste. Quid Elias? Fecit, dum licuit. Cùm verò in Regno Israelis fervente persecutionum incendio pedem certo ampliùs in loco figere non posset, desertum petiit extra ordinem, hostiúmque Dei furori cessit. Fiant jam ejusmodi monasteria, aut sua religiosa loca & Monasteria Pontificii ad hunc ordinem, ad hoc officium redigant, ut colant vera pietatis & humanitatis studia secundum Deum, percipiant & tradant ea ratione justa disciplinæ sacræ, omni impietate & superstitione abjecta; non sumus adeò morosi, quin factum ipsorum adjuvemus in Domino. Cæterùm quum ex secessibus ad fugam à persecutione quæsitis extra ordinem, stationes pietatis & doctrinæ in otio, ignavia, inscientia, libidine, superstitione, mendacio, impietate doctrinæ & vitæ occupant; quum votis impiis non Deo, sed Papæ se mancipant; equidem nihil aliud dicere possum, quàm quod vulgò dici solet: Habitus non facit Monachum, nec Monachum facit locus. 3. Rechabitas Monachorum nullam effigiem expressisse, non obscurè ergo fateris, argumentis meis victus. Neque ex eorum factò principium falsum, quòd status *in observantiis corporis, mortificationem & consiliorum perfectionem inferentibus consistens, Deo placeat*; tum quia Rechabitarum status non religiosus, à communi Judæorum separatus, sed œconomicus, figuram includens calamitatis Judæis superventuræ, & extraordinarius planè fuit: tum, quia in Rechabitarum instituto nulla conspicua consiliorum perfectio fuit, qualem novi oniropolæ confinxerunt: tum denique quia mortificatio corporis & concupiscentiarum non in

fuisse illos Essenos (licet id etiam Junius, Scaliger, aliique nostrates affirmaverint) ex ipso Philone liquet. qui in toto de vita contemplativa libro nusquam illos Essenos nominat. Imò statim initio libri clarè scribit, se postquam de Essenis, qui vitam activam exercuerunt, disseruit, dicturum deinceps *περὶ τῶν θεωρίαν ἀσπασαμένων de iis, qui contemplationem amplectuntur.* quos non Essenos, sed *Therapeutas* & *Therapeutrides* vocari, ilico notat. Tum Essenos in Judæa & Palæstina: Therapeutas hosce in Græcia, Barbaria, Ægypto, Alexandria inprimis, locat. Præterea Josephus, scriptor aliàs diligentissimus, cùm de Essenorum secta duobus libris copiosè disseruerit, tamen de *θεωρητικοῖς* seu *Contemplativis* illis, ne verbum quidem dixit. Denique multa Therapeutis illis Philo, à secta Essenorum, quos & ipse. & post eum Josephus descripsit, longe abhorrentia, tribuit. cujusmodi inprimis illud est, quod de mulieribus Therapeuticis scribit; cùm tamen idem disertè testentur, Essenos muliebrem sexum omnem aversari. Jam & illud, quod ait Philo, Therapeutas patrimonium suum propinquis & amicis suis sponte relinquere, manifestè cum eo pugnat, quod Josephus affirmat, Essenos scilicet nihil propinquis suis donare, sed in commune omnia conferre. Doctissimos viros, ipsumque etiam Scaligerum fefellit, quòd Philo librum suum *de vita sua contemplativa* his verbis exorsus est: *Ἐσσαίων περὶ διαλεχθεὶς οἳ τὸν πρακτικὸν ἐζήλωσαν καὶ διεπόνησαν βίον ἐν ἅπασιν ἢ τό γε εὐφορητότερον εἰπεῖν τοῖς πλείστοις μέρεσι διενεγκόντες, αὐτίκα καὶ περὶ τῶν θεωρίαν ἀσπασαμένων ἀκολουθίᾳ τῆς πραγματείας ἑπόμενος, τὰ προσήκοντα λέξω. Postquam de Essæis disseruimus, qui vitam activam exercent, omnibus; aut quod minùs invidiosum dictu est, plerisque feliciùs: ordo postulat, ut deinceps dicamus, quæ dicenda sunt de contemplationi deditis.* Qui Essenos & Therapeutas eosdem faciunt, Viri cætera doctissimi, illi *Ἐσσαίων* subaudiri putant; quasi Philo Essenos in activos & contemplativos distinxerit. Sed nihil necesse est; & argumenta jam allata obstant. Sanè etiam Photius in Bibliotheca *cap.*103. Essenos & Therapeutas distinguit. *Ἀνεγνώσθησαν*, inquit, *τῶν παρὰ Ἰουδαίοις φιλοσοφησάντων τήν τε θεωρητικὴν, καὶ τὴν πρακτικὴν φιλοσοφίαν βίοι. ὧν οἱ μὲν Ἐσσηνοὶ, οἱ δὲ θεραπευταὶ ἐκαλοῦντο. Philosophantium Judæorum duo genera, contemplativæ & activæ philosophiæ deditorum leguntur; quorum illi Esseni, hi Therapeutæ dicti sunt.* Jam ergo liquet, nihil Monachorum causæ Essenos patrocinari, quia illi, quorum Philo meminit, & quorum instituta Eusebius laudat, non Esseni, sed Therapeutæ fuerunt. Plures etiam tenebras historiæ Essenorum offusas observatio isthæc dispellit. *Secundò* Therapeutas illos non Christianos, sed Judæos fuisse, ajo, licet Eusebius à Marco ad Christum conversos putaverit, ejúsque opinionem Hieronymus, Epiphanius, aliique, recentiores inprimis, Matthæus Galenus, *de Orig. Monastices cap.*5. à Lapide, Bellarminus, &c. Monachis suis extruendis, secuti fuerint. Prægnantibus argumentis pluribus id ex Philone ipso, cujus potiùs quàm Eusebii authoritate heic standum, firmare possem. Acquiescam tamen illis, quæ vestrarum partium Vir doctissimus, Henricus Valesius, etiam post visum & expensum Scaligeri & Serarii ea de re conflictum, attulit. cujus potiùs, quàm meis Verbis, rem totam, edisseram. Sic autem ille *Annot. ad Eusebii Hist. Eccl. lib.II.* 17. *p.* 35. scribit: *Restat ut probemus, Philonis Therapeutas non fuisse Christianos, ut sibi aliisque persuasit Eusebius. Undenam verò id probare certiùs possumus, quàm ex Philonis loco, quem præ manibus habemus. Ait igitur Philo, habuisse Therapeutas scripta veterum quorundam suæ sectæ auctorum, qui legem allegoricè exposuissent. Quomodo hæc de Christianis accipi possunt: qui tum novelli erant, & nudius tertius nati. Quænam, rogo, sunt scripta illa, quinam vetusti auctores & principes illius sectæ? Non certè Prophetarum libri. Hos enim disertè ab illis separat Philo.*

Ke-

Respondebit Eusebius, esse forsitan Evangelia & Epistolas Apostolorum; sed hæc vix dum scripta erant Philonis ætate: nedum ut Apostoli & Evangelistæ pro vetustis authoribus haberi etiam tum possent, præsertim à Philone, qui & Apostolicorum temporum fuit æqualis, & cum Petro familiariter versatus est, si Eusebio credimus. Annon ex his apertè colligitur, Philonem eo in libro de Christianis non loqui? Sunt & alia argumenta, ex quibus idem probari potest. Ut cùm dicit Philo, Therapeutas bis tantùm quotidie preces fecisse, Oriente scilicet sole & Occidente. Quasi verò primi Christiani non tertia, sexta & nona hora, ut in Actibus legitur; & singulis non diei modò, sed & noctis horis Deum oraverint. Item quod ait, Therapeutas hymnos & cantica vario metrorum genere in honorem Dei composuisse, cadere non potest in primævos illos Christianos. Seriùs enim novos hymnos contexere cœperunt, post Antoninorum scilicet tempora: cùm viri docti sese ad nostram religionem applicuissent. Jam verò quod scribit Philo, Therapeutas per universum ferè orbem diffusos fuisse, sed potissimùm in Ægypto frequentes esse, & Mareoticam præfecturam fuisse illis instar patriæ, in quam præstantissimi quique illorum relictis patriis sedibus migrare soliti essent, quomodo de Christianis dici potest, qui & paucissimi tunc erant, nec patriam sibi ullam esse præter Cælestem Hierosolymam existimabant. Hactenus ille. Accedit, quòd Philo Judæus non Therapeutas non Christianos, quorum hostis erat, initio inprimis Ecclesiæ Christianæ cùm adversus eos Judæorum furor maximè ferveret; sed populares Judæos laudare voluit: quòd Philonis tempore, hoc est, Caji Caligulæ, ad quem legatione is functus est, Ecclesia Alexandrina nondum constituta fuit; utpote quam à Marco, qui Alexandriam non ante annum tertium Claudii venisse putatur, plantatam ajunt: quòd Therapeutas Philo ait, *dum versantur in Scripturis sacris, patriam philosophiam in allegorias vertere*; cùm tamen Christianis philosophia patria aut nulla sit, aut Evangelium sit; illud porro in allegorias convertisse Christianus nemo compertus unquam sit: quòd ritus Therapeutarum fuerunt, Sabbatha & Sabbathorum sabbatha colere, cum Judæis utique, non Christianis: quòd ritus alios adhibuerunt neque Judæis patrios, neque modestia Christiana dignos; cujusmodi inprimis erant vigiliæ ab utroque sexu conjunctim celebratæ, primùm convivio, deinde choreis, in quibus erant *ἐπιχειρονομοῦντες & ἐπορχούμενοι utentes variis manuum gesticulationibus & saltationibus*: quòd denique doctorum Alexandrinorum, quos inter celebres habemus Clementem, Origenem, Athanasium, nemo tale quid prodidit. Tot argumentis φερονίκοις una Eusebii, & ab eo deceptorum, à Philone ipso discedentium, authoritas neutiquam præscribit. Præterquam enim quòd categoricè nihil pronuntiat, sed verbis ejusmodi utitur: *φασὶ dicunt: λόγος ἔχει fama fert: οὐκ ἀπεικὸς à veritate non abhorret*, &c. non temerè etiam jam olim homines docti in Eusebio plus judicii desiderarunt, & legendis scriptis illius adhiberi à quovis jubent: ipsique Adversarii eum, quoties ad palatum eorum non scribit, ceu Arianum despuunt. Certè Scaliger *de Emendat. temp. lib. VI. p. 537. 538. &c.* alibique etiam similia ejus παρορᾶματα non pauca notavit. Serarii contrarias frivolásque ariolationes Scaliger, Junius, & post utrosque Chamierus doctissimè eliserunt. Quod de Eusebio, idem de omnibus aliis Patribus, qui è sinu ejus errorem prompserunt, judicium esto. Quanquam longiùs progressus Epiphanius, quia Eusebius sine ullo auctore ait, Therapeutas illos in nomine Christi morbos depulisse, de suo *hær. 29.* addidit, primos Christi discipulos, antea quàm Antiochiæ *Christianorum* nomen sumpserunt, vocatos fuisse Ἰεσσαίους *Jessæos*, quasi Ἰεσσαίους *Jessæos*, ἤδη τοῦ Ἰεσσαὶ, ἤτοι ἐκ τοῦ ὀνόματος Ἰησοῦ, *aut à Jesse*, Davidis, patre, *aut à nomine Jesu*. Ἰησοῦς γὰρ, inquit, κατὰ τὴν ἑβραϊκὴν διάλεκτον θεραπευτὴς καλεῖται

ἤτοι

σῆπτι ἰατρὸς ϰὶ Σωτήρ. *Jesus enim Hebraicè Therapeuten, curatoren, hoc est, medicum & Salvatorem significat.* Atque de *Jessæis* illis Christianis ait Philonem illa scripsisse, quæ de Therapeutis habet. *ubi*, inquit, *illorum vitæ disciplinam ac præconia celebrans; eorúmque Monasteria, quæ ad Marianam paludem circumquaque posita sunt, describens, non de aliis ullis, quàm de Christianis ista narravit.* Sed hæc nullum in Philone fundamentum habere, liquidò jam probavimus. Et tanta videlicet est licentia τῦ λογοποιεῖν, ubi semel alea jacta. Neque enim Ἰησοῦς ab ἰάομαι descendit, ut θεραπεύτην *curatorem*, sanatorem significet sed Syriaca, vox ישוע est, & Salvatorem à peccatis significat. uti Angelus Mariæ exposuit. Ita ergo Epiphanius multiplici metamorphosi ex Therapeutis cudit *Essenos*: ex Essenis, præfixa litera unica, *Jessæos*: ex Jessæis *Jesæos*; cùm tamen illud nomen (quod credentibus in Christum ante attributum dicit, quàm Christiani vocarentur) apud omnes alios authores semper fuerit inauditum, donec tandem Jesuitarum natio extitit. Neque hac in re præeuntem vel Philonis, vel Eusebii authoritatem habuit; sed lusit ex proprio ingenio. Sed fuerint etiam Therapeutæ illi Christiani, adeóque integra fides Eusebii conjecturis constet; non ideo, quod *Tertiò* probandum, Monachi fuerunt. Neque enim vel Eusebius ipse Monachos fuisse scribit, sed ἀσκητὰς *ascetas*. Βίον, inquit, τῶν παρ' ἡμῖν ἀσκητῶν ἱστορῶν, *Ascetarum nostrorum vitam* Philo *describit*. Musculus quidem, Christophorsonus, aliique Monachos verbis his significari existimarunt. Atqui veteribus ἀσκηταὶ illi fuerunt, qui inter Christianos strictius quoddam vitæ genus sectati sunt. voce à Philosophis accepta, quibus exercitatio virtutis & abstinentiæ ἀσκήσεως nomine venit. Ita apud Arrianum *libro III. Dissertationum* caput est περὶ ἀσκήσεως; & apud Artemidorum *lib. IV. 35.* Alexander quidam Pilosophus ἀσκητὴς vocatur. Rectè ergo Rufinus hæc Eusebii verba tam de clericis, quàm de Monachis interpretatus est. *Sed &*, inquit, *abstinentium vitas, eorum duntaxat, qui nunc in Ecclesiis vel Monasteriis degunt; describit ad liquidum.* Ascetæ ergo à Monachis distant, ut genus à specie. Et ascetæ quidem in Ecclesia semper fuerunt: at Monachi cœperunt seriùs. Quàm parum ergo in Philonis sive Essenis, sive Therapeutis præsidii sit Monachis hodiernis, abundè jam liquet. nisi forte amplum sibi gloriosúmque ducunt, Patriarchas suos ciere Judæos, Synagogæ sectatios, adeóque professos crucis Christi hostes; à quorum tamen ipsorum institutis & moribus, à Philone laudatis, adeò diversi illi abeunt, ut in die judicii hi adversus illos haud dubiè insurrecturi sint.

OBIECT. II. *Etiam Johannem Baptistam Monachum Anachoretam fuisse, arguit victus, amictus & habitatio, immensæ austeritatis omnes. Victus enim ei fuerunt locustæ & mel silvestre: amictus indumentum è pilis camelorum, & Zona pellicea circa lumbos: habitatio eremus, Matth. III. 1. 4. Marc. IV. 1. 6. Unde principem Monachorum eum faciunt Nazianzenus Orat. in Basilium: Chrysostomus homil. I. in Marcum: Hieronymus ad Eustochium, Cassianus, Sozomenus, alii.* Resp. 1. Johannis Baptistæ vocatio singularis & extraordinaria notas quoque singulares & extraordinarias conjunctas habuit. Interim nec ad cœlibatum, nec ad paupertatem, nec ad cæcam obedientiam se voto obstrinxit: nec in statu suo Evangelicam perfectionem, meritum, supererogationem uspiam aucupatus legitur. 2. Johannis *victus* erant tum ἀκρίδες, hoc est, vel herbarum &

plantarum ſummitates, uti Iſidorus Peluſiota, Theophylactus, aliique; vel locuſtæ, quibus fumo & ſale duratis in Oriente veſci ſuetum erat, ut alii explicant: tum *μέλι ἄγριον mel agreſte*, ab agreſtibus apibus confectum, non domeſticum & humana diligentia percolatum, de cætero naturam mellis ſuavitatémque guſtus retinens. His tamen expreſſis non propterea negantur reliqua omnia eduliorum genera, ſed lautitiæ tantùm, quibus plerique hodie Monachi abundant, removentur. *Veſtitus* fuit è pilis camelorum, humilis & ruſticus, non ex pelle hiſpida, ſed ex pilis textus: non ſingularis & monſtroſus, ſed agreſtibus hominibus uſitatus: non cilicium, cùm cameli ſetas non habeant, & cilicium non in uſu ordinario, ſed extraordinariis luctibus locum habuerit. *Habitatio* fuit *deſertum*, non abſolutè, ſed comparatè ita dictum, hoc eſt, locus hominibus quidem cultus, ſed minùs, uti ſolent montana. Fuit enim in eo deſerto, ſeu ὀρεινῇ patria urbs Judæ, uti ex Luc. I.39.40. liquet. Neque etiam in eo deſerto, patria videlicet, ſemper manſit, ſed tantùm ἕως ἡμέρας ἀναδείξεως αὐτοῦ πρὸς τὸν Ἰσραήλ, *uſque ad dies demonſtrationis ejus Iſraeli* factæ, quo tempore etiam in aulis viſus eſt. 3. Eſto tamen, vixerit Johannes ſibi uni viſus & cognitus. An iccirco ex uno homine tot populos, & populorum examina derivabimus? Ab ipſo vitam eremiticam inſtitutam affirmabimus? Atqui vitam Johannis nemo unquam imitatus eſt: cùm teneantur Monachi fundatorum ſuorum inſtituta ad unguem ſervare. Circumſtantiæ quoque evincunt, fuiſſe inſtitutum hocce uni Johanni proprium. Cauſæ peculiares & privatæ non poſſunt communia effecta gignere. 4. Hieronymus quidem Johannem Eremitarum principem facit, ejúſque exemplo ex poſterioribus aliquot. Inſtituiſſe tamen ipſum Eremitarum ordinem, nec Chryſoſtomus, nec Nazianzenus, nec Caſſianus habent. Mirum non eſt, homines rei à ſe inventæ, in qua mirè ſibi placebant, undecunque colorem quæſiviſſe.

EXCIP. REDING: 1. *Si Johannis vocationem ſingularem & extraordinariam vitæ auſterioris notæ decuerunt: cur ſimilibus notis Pſeudo-Reformatores veſtri extraordinariam vocationem ſuam non etiam inſigniverunt? Cur vitæ auſterioris genus omne execrati ſunt eliminarúntque? Vel inde liquet, Pſeudo Evangelii ſpiritum tuum non eſſe B. Johannis ſpiritum. 2. Si eduliis lautis Johannes veſci debuit, quid de ejus potu dices? Nam vinum & ſiceram bibere non debuit. Quid de pane? Nam & illum manducaſſe Luc. VII.33. negatur. Neque obſtat quicquam, quò minùs ad vitia redarguenda aulas quandoque frequentaverit. Quis non alias ejus vitam abſtractivam à voluptatibus corporeis, ſub qua integra perfectio Evangelica per Chriſtum deſcripta ſubſiſtit, vides?* Ibid. pag 317. Reſp. 1. Ergone *Pſeudo Reformatores*, Pſeudo-prophetæ vocationem ſuam auſterioris vitæ nota commendant? Ubi ergo auſterior vita, qualem Monachatus affectat, ibi ne Pſeudo-Propheta? Sic tuo te mucrone jugulas. Sed verò nec quamlibet vocationem ſingularem quælibet nota

dcccc

decet (aliàs omnes Prophetæ extra ordinem producti similem præ se austeritatem vitæ ferre debuissent) nec vocationis Johannis Baptistæ eadem, quæ Reformatorum, singularis ratio fuit, quia illa ad novum Ecclesiæ statum homines præparavit, hæc statum à Christo & Apostolis jam institutum renovavit, & ab accessoriis fœcibus purgavit: nec vocatio Reformatorum, saltem nostræ Ecclesiæ, extraordinaria fuit, quia vocati ad præconium Evangelii, eo munere strenuè defuncti id ipsum, ad quod vocati sunt, obiverunt, non aliud. Qui enim Evangelium prædicat ἐν ἀφθαρσίᾳ, is pariter Evangelio oppositam corruptionem, ejusdem vocationis vi, removet. Quanquam ad purgandum Augiæ stabulum vel solum Herculis robur sufficit; & lupo grassante, veneno serpente, feliciter abacto, incendio oboriente extincto, de vocatione ad abigendum lupum, venenum, & extinguendum incendium controversiam movere illi, qui Deo juvante feliciter abegit, extinxit, illius duntaxat est, qui lupus fuit, qui venenum propinavit, qui incendium intulit. Cœterum Johannis B. σκληραγωγία cum ejusdem ministerio expiravit. Vobis verò apprime quadrant illa puerorum in foro sedentium & sodalibus suis acclamantium celeusmata: *Tibia cecinimus vobis, & non saltastis: lugubria cecinimus vobis, & non luxistis. Venit enim Johannes nec edens, nec bibens, & ajunt, dæmonium habet. Venit filius hominis edens & bibens, & dicunt: En hominem comedonem & vini potorem, publicanis ac potatoribus amicum,* Matth. XI. 15. &c. Neque enim vel austeritas Johannis ad veram pœnitentiam; vel Christi ἀγωγὴ minùs austera ad Evangelium amplectendum movet. Imò vita omnium laxissima, cujusmodi Monachorum est, vobis austerissimæ nomine venit. 2. Lautis eduliis Johannem vesci solitum, nuspiam dixi. Non enim vestri similis Monachus fuit. Abstinuit à potu inebriante, Luc. I. 15. à quo certè Monachi non abstinent. *Non edit panem* Luc. VII. 33. eo sensu, quo Matth. XI. 16. nec *edisse*, nec *bibisse* dicitur, non quod vel panem planè non comederit, vel nihil comederit nihil biberit (nam comedit certè locustas & mel) sed quòd panem abundantem non comederit, & deliciis aliorum ciborum abstinuerit. Familiaris hæc est sacris Scriptoribus hyperbole, quam ad unguem exigere & κατὰ τὸ ῥητὸν interpretari, hominis sani non est. Optimè Lyranus ad Matth. XI. 16. *Id est, in abstinentia maxima. Ille enim, qui parùm comedit, dicitur non comedere, secundum communem modum loquendi; sicut qui malè videt, dicitur non videns.* Et Carthusianus ad Luc. VII. 33. *Hoc loco per panem & vinum consueta ac delicata hominum fercula poculáque significantur.* Quæ de Johannis deserto diximus, diluere non potuisti. Repeto, fuisse eum in deserto, in quo fuit patria urbs Judeæ & domus paterna; non λυκανθρώπων more in speluncis & cavernis ferarum: neque semper in deserto hoc mansisse, sed ad tempus ostensionis usque. Quid hoc, dic Redingi, ad Anachoretas, Eremitas? Nam hi non ibi sunt, ubi patria est, nec cibis, vestimentis patriis utuntur; sed è patria in minùs culta, imò simpliciter deserta loca ἀναχωροῦσι *secedunt*, & ascititium vitæ genus amplectuntur. Vita Johannis fuit *abstractiva* non simpliciter, sed comparatè ad loca à patria sua remota; & ob causas singulares, privatas, quæ effecta communia producere, adeóque sub imitationem cadere nequeunt.

OBIECT. III. *Apostoli & primi Christiani coluerunt vitam cœnobiticam, hoc est fidelium coadunationem sub voto paupertatis fidelium, uti liquet ex Act. IV 32. ubi multitudinis credentium cor fuisse unum, & anima una, nec quemquam eorum, quæ possidebant, aliquid suum esse dixisse, sed communia illis omnia fuisse scribitur. Atque id ipsum*

mediante voto factum esse, testatur Augustinus in Psal. 132. Aug. Reding. *pag.* 726. *&* 730. Resp. 1. Cœnobiticæ vitæ *ἀφορμὴν occasionem* fortè hæc primorum Christianorum communio, accedente, uti solet, cacozelia, præbuit. At in ea institutam esse negamus, tum quia communionis illius finis erat, ne vel ministerium Evangelii destitueretur, vel pauperes fideles contumeliæ Judæorum propinarentur, Act. IV. 32. 34. 36. VI, 1. vitæ autem cœnobiticæ finis longè diversus: tum quia cœnobitica vita nullas patitur familias, unáque in ea familia & vita est omnium; at in prima illa communione fuisse familias inde liquet, quia Ananias Saphiram uxorem habuit: tum quia primi illi Christiani nullos habuerunt sive Abbates, sive Archimandritas, sive alios, quibus cæcam obedientiam voverent: tum quia vita cœnobitica non habet omnia communia omnibus Christianis, sed propria singulis ordinibus; at prima illa communio talis fuit, ut omnia omnibus communia fuerint: tum quia veteres Christiani ad communionem illam, vel cœlibatum etiam nullo se voto obstrinxerunt: tum quia vita cœnobitica non est una & eadem omnium Christianorum, sed Christianos in varios ordines sive sectas dividit; & prima illa Christianorum vita eadem fuit omnium, nec distinguebat Christianos à Christianis, teste Luca cap. IV. 32. ubi negat, quenquam eorum, quæ habebat, suum aliquid dixisse: tum denique quia prima illa communio non tam erat *κτήσεως possessionis*, quàm *χρήσεως usus*, cùm & pauperum curam diaconi gerere debuerint, & *κατ' οἶκον domatim*, modò apud hunc, modò apud illum sobriè epulari consueverint, Act. II. 41. & communio illa eò usque processerit; non ut nemo eorum quæ possidebat, absolutè quidquam possideret, & dominia prorsus extinguerentur, sed ut nemo eorum, quæ possidebat, quicquam suum simpliciter reputaret, uti liquet ex Act. IV. 22. & cap. V. 4. Quòd enim dicitur cap. IV. 34. possessores agrorum & ædium eas vendidisse, id non de omnibus, sed de plerisque & ditioribus, nec de omnibus possessionibus, sed iis, quibus in frugali vita carere poterant; intelligi debere, Petrus Lintrensis, aliíque agnoscunt, & multa sunt, quæ arguunt. 3. Vitam Cœnobiticam ex prima illa Christianorum communione fluxisse, veteres nonnulli asserunt, imitatione puta, non institutione, non quòd institutam putaverint ab Apostolis, ut essent ordines Christianorum distincti, aut ab aliis, aut inter se: sed quòd inde posteri nonnulli occasionem sumpserint. 4. Votum, si quod intercessit apud illos, qui vendiderunt sive multa sive pauca; non illud paupertatis votum fuit, sed liberalitatis, quòd proin cum Monasticis votis commune nihil habet.

EXCIP. REDING: 1. *Religiosa paupertas est abdicatio rerum temporalium Matth. XIX.* om-

consulta, imò renuntiatio omnis dominii agrorum ibidem collaudata; ita ut possessionum ejusmodi dominium non in particulari facultate ejus, qui talem statum profitetur, sed in communitate religionis stet; in quam, dum quis eidem incorporatur, sua bona conferre potest, juxta consilium Christi. Pauperibus enim dat, qui iis dat, qui jus proprietatis sibi adimunt. At talis religiosæ communionis status is ipse est, qui Act. IV. & V. describitur. ubi nemo suum quidquam dixit; sed venditis possessionibus pretium ad pedes Apostolorum deposuit, seque dominio sic privavit. Sive igitur finem, sive modum illius communionis intuemur, illa non occasionem duntaxat, sed ipsissimam religiosæ communitatis normam continet. 2. In Anania & Saphira jus familiæ extitit ante professionem communis status, sed non post eam. Quomodo enim defraudare potuissent Spiritum S. si dominium pretii ex agro vendito in jure familiæ illius mansisset? 3. Falsum est, omnibus Christianis, iis etiam, qui communionis illius professionem non subibant, omnia communia fuisse. Poterat enim quisque sua retinere propria, nisi liberè devovisset. Et Apostolis nondum dispersis communionem ejusmodi multiplicari necesse non fuit. Post dispersionem verò servata unitate formali communionis, in diversis mundi partibus materialiter eadem multiplicari debuit. Et communionis ejusmodi princeps in Ægypto fuit Marcus, Matthæus in Æthiopia, ubi Iphigeniam Regis filiam cum Sociabus in Monasterio Deo consecravit: S. Paulus in Græcia, ubi Theclam; Clemens Romæ, ubi Flavillam Domitillam; S. Martha in Gallia, ubi se & alias erecto cœnobio religioso servitio mancipavit. 4. Votum primorum Christianorum non paupertatis, sed liberalitatis nominans, rem negare non audes, nomen tantùm paupertatis ex ipsa sua claritate elucescentis pertinaciter eliminare contendis. Ibid. pag. 318. 319. Resp. 1. Irreligiosæ vestræ non paupertati, sed opulentiæ nullum in loco Matth. XIX. 21. præsidium esse, ilico ostendimus: pluribúsque etiam argumentis immanem illam inter & decantatam illam primorum Christianorum communionem differentiam demonstravimus. Certè illos & in eorum censu etiam Apostolos (quibus successisse Episcopos, non Monachos utique; quippe juxta vos perfectionem adeptos, non Monachorum ritu, ad eam contendentes; adeóque utrosque, juxta vos etiam, nil minùs quàm Monachos) voto abdicasse proprietates omnes, illas vel neglexisse, suísque consanguineis cessisse, vel Monasterio, cujus & ipsi pars essent, adeóque sibi non pauperibus aliis, donasse, quin &, quod Monachi faciunt, in bona veris pauperibus debita involasse, & κοινὸν sic βίον communem vitam in communitate uno quopiam loco & extinctis familiis ac privatis proprietatibus in universum omnibus transegisse, & transegisse perfectionis aucupandæ, meriti, satisfactionis pro se & aliis præstandæ gratia, & in otio pingui aliorum facultates collatas dilapidasse, & cœlibem vitam traduxisse, & cœcæ obedientiæ nexu se homini cuipiam superiori mancipasse, in æternum probabis nunquam. Qualis eorum communio fuerit, Lucas Act. II. 44. 45. 46. commemorat. *Omnes credentes erant* ἐπὶ τὸ αὐτὸ *simul* (sic congregati ad cultum publicum, ἐν ἱερῷ *in Templo*, ut panem etiam fregerint κατ' οἶκον *domatim*, de domo in domum, adeóque privatis familiis non caruerint, uti ipse mox Lucas v. 46. explicat) *& habuerunt omnia communia* (quomodo scilicet jam pridem inter amicos dicta sunt omnia communia, χρήσει non κτήσει; quia nemo ita se comportabat, ut quicquam se habere censeret, quod publico usui, necessitate flagitante, non inserviret. quomodo scimus, charitatem non quærere, quæ sua sunt duntaxat, sed etiam quæ alterius; & S. Paulus præscripsit, ut quisque laboret, quò habeat, unde indigentibus largiatur, ne dicam, peculiarem communionis illius rationem fuisse, tempori illi accommodatam, ne imminente excidio terræ prædiis suis adhærescerent, vel spargendi peregréque mittendi rebus suis intentiores essent.)

Et possessiones ac facultates vendiderunt (nec omnia vendidisse dicuntur, certè non domus; nec facultates & possessiones omnes, quia locutio indefinita est; sed ex iis tantum, quantum necessitas sive pauperum, sive cognatorum, quorum bona Judæi æmuli infestabant, sive eorum, qui Ecclesiæ inserviebant, postulaverat) *& diviserunt illa omnibus, prout cuique opus erat* (non ergo in commune conferebant, ut ex collatis ipsi quoque vitam tolerarent, uti in cœnobiis fit; sed distribuebant privatim, & indigentiam aliorum suarum facultatum abundantia supplebant.) Consentiunt, quæ eandem in rem Act. IV. 32. 34. 35. narrantur. *Multitudinis fidelium unum erat cor, & una erat anima, & ne unus quidem* (en, veterum Christianorum, fidelium omnium par ratio fuit, non alia religiosorum, alia secularium) *τι τῶν ὑπαρχόντων αὐτῷ aliquid eorum, quæ habebat, possidebat, dicebat proprium esse* (en iterum, quæ *habebant, possidebant*, non negabant, sed, ex charitate, non *dicebant propria* esse, hoc est, talia, ut publicis usibus pauperum, & in verbo laborantium, sicubi necessitas exigeret, destinata non essent. Quia enim usus proprietatem sequitur, & quæ possidemus, iis neminem præter nos, & quos volumus, uti patimur; hinc fit, ut quorum usum aliis permittimus, ea per tropum non *ἴδια propria*, nostra, imò aliena esse dicamus. Aliud longè est, negare aliquid proprium esse: aliud, non *dicere*, proprium esse. Non negabant proprium esse, sed non dicebant, ne viderentur ab usu eorum pauperes repellere, vel in vendendis etiam quibusdam, necessitate postulante, difficiles se gerere. Certè ὑπάρχοντα *quæ habebant, possidebant*, non abdicabant, sed usibus aliorum destinabant, sic tamen ut parati essent, ubi & quantum necessitas urgeret, abdicare, vendere; non tamen omnia, sed quibus carere poterant, juxta regulam S. Pauli 2. Cor. VIII. 13. 14.) *sed erant illis omnia communia* (eo, quo diximus, sensu) Hujus communionis is fructus erat, ut (v. 34.) *nemo* fidelium *indigus* esset, non ut votis adstricti omnes omnia propria abdicarent, necessariis suis relinquerent, vel communitati donarent, & ex sic donatis, aliisque non sibi, sed pauperibus debitis ipsi quoque in commune viverent. *Quotquot enim*, inquit Lucas, *erant possessores agrorum, aut domorum, vendentes adferebant pretia eorum, quæ vendita erant* (en, non omnium, sed eorum, quæ vendita erant. non vendidisse autem eos omnia, liquet tum ex Act. II. 46. tum ex Act. XXI. 8. ubi illi ipsi Philippo, qui erat de numero discipulorum primorum, & Diaconus, tribuitur domus.) *Et deponebant, ad pedes Apostolorum. Distribuebatur autem hoc singulis, prout cuique opus erat* (non ergo in commune conferebatur; sed inter singulos, & quidem non æqualiter, uti in communitate fit, sed inæqualiter, *prout cuique opus erat*, distribuebatur.) Nihil ergo penitus cum Christianorum primorum communione cœnobitica vita, hodierna inprimis, commune habet. Quod ipsum etiam notavit adversus Matthæum Grabonem Cardinalis Cameracensis, qui Operum Gersonis *Parte* 1. *Proposit. Gers. super assertionibus fratris Matthæi Grabon*, sic loquitur: *Constat, quòd in illa congregatione primitiva fuerunt multi uxorati, & alii diversarum conditionum seculares, qui scilicet non erant astricti per votum ad tria consilia Evangelica, castitatis, obedientiæ & paupertatis, quemadmodum sunt professi religionum per B. Basilium, Benedictum & Augustinum, ac similes introductarum.* Ne in ipsa ergo essentia seu substantia quidem comunio illa Monachatus conveniunt. Discrepant autem in plurimis aliis, fine inprimis. Communionis enim primæ finis erat amovere corporalem defectum & paupertatem, ne quis inter fideles ἐνδεὴς *indigus*, pauper esset. Monachatus verò finis est professio paupertatis, & spiritualis perfectionis acquisitio. Quæ duo è diametro opposita sunt, quicquid inanium logorum profundas.

2. Ineptissime ex eo, quòd Ananias & Saphira Act. V. 1. vendidisse τὸ κτῆμα *possessionem*, hoc

hoc est, *χωρίον agrum*, uti v. 3. explicatur, & v. 2. *ex pretio* agri hujus venditi sibi *reservasse* aliquid dicuntur, colligis, post venditionem illam familiam eorum extinctam esse. Etenim nec domum, nec possessiones omnes vendiderunt, sed agrum duntaxat. An agri venditio, salva domo & facultatibus reliquis familiam extinguit? Quid stultius? Dominium partis transtulit venditio, non totius, nedum conjugii statum cum Monachatu *ἀσύστατον*. 3. In os Lucæ reclamas. Ille enim Act. IV. 32. disertè scribit, multitudinis credentium fuisse unum cor, & *ne unum quidem aliquid eorum, quæ possidebat, sibi proprium dixisse, sed iis*, id est, *multitudini credentium, omnia communia*, fuisse. Tu contra, fallus testis, quosdam duntaxat communionem illam professos esse, fingis. Neque id probant verba Petri ad Ananiam cap. V. 4. *Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua potestate erat?* Disertiora enim sunt Lucæ verba, quàm ut sic eludi se patiantur. Scilicet Petrus de venditione loquitur, non de usu. Communis usus omnium fuit, non proprietas, quæ quorundam vendita transiit ad emptores. Tum non distinguunt ea verba ordines, sed capita, adeóque significant, non cogi singulos ad vendenda sua, quod multi faciebant; sed non inde varias religiones distinguunt, quod vita Cœnobitica facit. Sicut in ipsis Monasteriis non omnium eædem functiones, dispositiones, effecta sunt, etsi idem ordo: ita in prima illa veterum Christianorum omnium communione poterant esse, & qui venderent, & qui non venderent, salva omnium bonorum communione quoad usum. Sed post dispersionem Apostolorum multiplicatas esse communiones, objicis. Quomodo verò, Redingi? An sic, ut communiones particulares omnia invicem communia haberent: an ut singulæ communiones proprias facultates haberent, quas aliis non impertirentur? Si *prius*, nihil id ad vitam cœnobiticam, in qua ordines diversi nec inter se communes facultates habent, nec communes cum reliquis Christianis habent. Neque ènim vel ordines particulares, puta Carthusiani, Benedictini, Franciscani, Jesuitæ sua bona universis Christianis: vel Carthusiani Benedictinis &c. utenda permittunt; sed tantùm Franciscani Franciscanis, Benedictini Benedictinis, &c. & quidem iis, qui in eodem Franciscanorum, Benedictinorum &c. cœnobio sunt, non qui in diversis ejusdem ordinis sunt. At primi Christiani longè aliter. *Nemo*, inquit Lucas, Act. IV. 34. *erat egens inter eos. Quotquot enim erant possessores agrorum, aut domorum, vendentes adferebant pretia eorum, quæ vendita fuerunt, & deponebant ad pedes Apostolorum. Distribuebatur autem singulis, prout cuique opus erat.* Si *posterius*, nihil multiplicatæ illæ communiones cum prima Christianorum communione, in qua omnia omnibus communia erant, commune habuerunt. Sed præterea illa communionum multiplicatio merum figmentum est, neque certum Antiquitatis canæ testimonium habet. Maximi Monachatus admiratores Paulo & Antonio antiquiorem Christiani nominis Monachum nullum repererunt. Adhuc Marcellæ tempore, uti Hieronymus in ejus Epitaphio scribit, *Monachorum nomen propter rei novitatem ignominiosum & vile erat in populis.* Quod de Therapeutis à Marco in Ægypto institutis Eusebius scribit, neque ad Essenos, neque ad Monachos quicquam attinere, supra ostendimus. Pari incertitudine narratio de Monachatu à S. Matthæo in Æthiopiam, à S. Paulo in Græciam; à Petro & Clemente in Italiam; à S. Martha in Galliam introducto laborat. Nullos enim ejus rei idoneos testes producere potuisti, quia mera de Monachis Monachalium Legendarum fide isthæc niti probè noveras. In Matthæi certè, Pauli, Petri scriptis, Actibus inprimis Apostolicis ejus rei nec vola nec vestigium extat. Si ex Pseudò-Clemente Monachatus arcessatur, in illo non sola bona, sed etiam mulieres communes fuerunt, juxta Canonem *Dilectissimus, Causa* 12. *q.* 1. qui à Gro-

tiano

tiano Clementi falsò tribuitur. 4. Votum intercessisse in prima illa communione, categoricè non asserui. Certè voti ne minima quidem mentio est. Ita Ananias & Saphira prædium suum Ecclesiæ donarunt facto, non voto ullo se donaturos promiserunt; sacrilegii post facti rei, quòd de pretio rei non ampliùs suæ, sed Ecclesiæ & Spiritui S. jam donatæ, non ullo voto promissæ, adeóque non voto, sed dono sanctificatæ intervertissent. Sed emiserint etiam votum; nego adhuc, Monasticæ paupertatis votum futurum fuisse. Imò paupertati oppositum votum fuisset; quia vovissent, operam se daturos, ne ullus pauper & indigus in Ecclesia esset. Si prædium Ananias vovit, non vovit vitam Monasticam, vel separationem ab uxore, quod regulæ clericales Pontificum, & monasticæ λῆροι præcipiunt. Nil ergo vel sic vobis seritur, nil metitur.

OBIECT. IV. *Deo gratam esse paupertatem votivam, seu abdicationem proprietatum, liquet tum ex Matth. cap. V. 3. ubi beati prædicantur pauperes spiritu; hoc est, propriè pauperes & actu & affectu, uti liquet ex Luc. VI. 20. 24. ubi Christus juveni ostendit, ad perfectionem requiri, ut vendat omnia quæ habet, & det pauperibus.* Resp. 1. Nullius voti uspiam mentio. Neque enim statim vovendum est id, quod Deo gratum est, ita videlicet, ut actu sit perpetuum. Ita grati Deo sunt lugentes, persecutionem patientes &c. Neque tamen propterea luctus actu perpetuus, persecutio nunquam actu cessans voveri potest. Sufficit talis *affectu* continua, *actu* autem, quoties Deo visum fuerit. 2. Paupertas Deo grata est, non arbitraria videlicet, sed divinitus immissa. Quomodo luctus & persecutionis patientia Deo grata est, nempe necessitate imposita, non arbitrio vel jumento suo arcessita. 3. Neque etiam Christus Matth. V. 3. paupertatis Monasticæ statum perpetuum indigetat. Nuspiam enim scriptura voce πτωχοῦ *pauperis* eum indigetat, qui ipse sibi rerum dominio aut usu interdicit. Pauperes igitur intelliguntur non χρήμασι *facultatibus*, sed πνεύματι *spiritu*, non propriè, sed impropriè tales, contriti & ob peccatorum sensum humiles, quos עֲנִי רוּחַ *pauperes Spiritu* Deus Esaj. LXVI. 2. insignit. Idque etiam inde liquet, quia Luc. VI. 24. pauperibus illis opponuntur *divites*, tales, quibus væ denuntiatur, adeóque non propriè dicti. Aliás nemini Christiano esse diviti liceret. 4. Præceptum Christi Matth. XIX. 21. pertinet non ad statum paupertatis votivæ, sed ad actum, erátque *personale* ad hominem, & διαγνωστικὸν ad detegendam interrogantis latentem avaritiam & fucum, non *generale*, quosvis absolutè obligans, nisi in tali casu, ubi aut omnia sunt deserenda, aut Christus relinquendus.

EXCIP. REDING: 1. *Cur non erubescis dilucidè contra verbum Christi asseverare, quòd non arbitraria, sed duntaxat Divinitus immissa paupertas Deo grata sit; cùm tamen Christus Matth. XIX. 21. tam disertè perfectionis Evangelicæ statum à præceptorum Divinorum obligatione sic distinxerit, ut hanc solam in ordine ad vitam æternam necessariam dixerit;* illum

illum verò in voluntaria omnium abdicatione consistentem ab ista necessitate exemerit? Et insuper ibidem v. 29. domus agrorum, uxoris libero desertori centuplam remunerationem promiserit? Cùmque Christus ibidem præceperit sui sequelam, utique sub ea omnium bonorum proprietatis renuntiatione spiritus quoque paupertatem, in humilitate, sui abnegatione, obedientia voluntatem propriam abdicante, & paupertate jurium temporalium proprietatem abjiciente consistentem subintellexit. 2. Licet Christianis promiscuè divitibus esse liceat, tamen perfectionis statum profitentibus non licet. 3. Quomodo in verbis Christi : Vende facultates tuas &c. *præceptum personale & δοκιμαστικὸν contineri, dici potest, cùm tamen ibidem Christus præceptorum observantiam vitæ æternæ consequendæ pernecessariam priùs illimitatè definiverit, & ei perfectionis statum subjunxerit. Ergo Christus ultra præceptorum semitam progressus consilii Evangelici arbitrarii conditionem fidelibus præscribit. 4. Neque illam præscripsit, ut juvenis latentem *avaritiam detegeret, quia statim Petrus se una cum Apostolis omnia reliquisse exponens, & de mercede interrogans, à Christo responsum tulit, quòd omnis, qui reliquerit domum, &c. centuplum & vitam æternam recepturus sit.* Ibid. pag. 319. 320. Resp. 1. Cur verò tu non erubescis, *arbitrariam* vocando paupertatem, quam Christus disertis verbis præcepit juveni, dicens: *Abi, vende facultates tuas* &c. Arbitrariumne ergo tibi est, quod Christus clarissimè præcepit? Si frontem, quæ erubescere possit, haberes, præceptorùm Christi non ita nullam religionem haberes pariter. Frustra ergo præceptum Christi convertis in consilium, Papisticum inprimis. Nullum enim præmium majus, quale consilium Papisticum postulat, promittitur vendenti, quàm præcepta legis servanti. Tantùm ei dicitur: *Habebis thesaurum in Cœlo*; non, habebis thesaurum majorem, vendens bona. Phrasis enim illa communis est omnibus, quibus spes vitæ æternæ promittitur. Imò non parens juvenis ille præcepto Christi de vendendis bonis suis, excluditur Regno Cœlorum. Christus enim dicit Matth. XIX. 23. *Amen dico vobis, quòd difficulter dives intrabit Regnum Cœlorum.* At consilia neglecta juxta Pontificios pœnam nullam habent. Neque, quod fingis pariter, vel duplicem statum eorum, qui per mandata legis vivunt, & eorum, qui perfecti esse volunt; vel duplex medium, alterum ad vitam, alterum ad perfectionem Christus distinxit, tum quia in verbis ejus perfectio non concipitur nisi subordinatè ad vitam; quasi diceret: Si vis in vitam ingredi, oportet te in observatione legis perfectum esse: tum quia prius responsum Christi erat ad rem, de qua primò quærebatur, alterum ad personam, quæ suo responso quæstionem mutaverat. Cùm enim juvenis jactaret, se omnia perfecisse, Christus eum experiri, & in sui notitiam perducere voluit, ut non omnia se perfecisse, multùmque adeò ad perfectionem jactatam deesse agnosceret. Turpiter ergo conjuncta divellis, quò sic duplicem statum à vobis confictum ex detortis Christi verbis extundas. Cùm enim Christus juvenem istum operarium, qui bonis factis suis, uti Papistæ similiter contendunt, lucrari æternam vitam volebat, ad legis opera revocasset, ita ille responderat, ut se legis pariter ac sui ignorantem esse, palam ostenderet. Dixit enim Christo: *Omnia hæc observavi à juventute mea. quo adhuc deficior?* (quid mihi ad perfectionem, quæ ad vitæ æternæ consecutionem requiritur, deest?) Matth. XIX. 20. Tum *Jesus* (uti Marc. X. 21. dicitur) *intuitus eum ἠγάπησεν αὐτὸν excepit eum amanter* (hoc enim sensu hic vox ἀγαπᾷν accipitur, uti sæpe apud LXX. Interpretes, veluti 2. Paralip. XVIII. 2. Psal. LXXVIII. 37. CXVI. 1. &c. Quomodo etiam Lyranus prudenter explicavit: *Ostendit ei vultum amicabilem.* Ita Varinus. *ἀγαπᾷν, ἀποδέχεσθαι amare, excipere.* Nempe juvenem seriò quærentem, seriò respondentem dignum judicavit Christus, quem amanter compellaret, & benignè instrueret,

exoscularetur, eo modo, quo Magistri Hebræorum caput ejus, qui non indoctè respondisset, demulcere, exosculari solebant; uti ad h.l. Doctiss. Ligtfootus explicat) *& dixit: Unum tibi deest.* q.d. De justitia operum, quæ legalis est, petivisti. Respondi quod res est, & annui tuo ipsius sermoni. Convenit ergo de hoc, quòd ingressurus vitam debeat servare mandata. Te verò quod attinet, testaris, te servasse mandata legis inde à juventute tua; & ex hac hypothesi rogas, *τί ἔτι ὑστερῶ quo adhuc deficior?* Amo simplicitatem tuam, & blanda prensatione profiteor bonum meum erga te animum. Non examinabo vitam tuam ante actam. Quia verò supposita legis observatione rogas, quo adhuc deficiaris, ego suppositioni tuæ obsequens hoc tibi respondeo, unum tibi deesse, quod ad caput illud, quod postremo loco enuntiaveram, nempe, *Diliges proximum tuum, ut te ipsum*, pertinet. Hoc autem illud est: *Si vis perfectus esse* (haberi talis, qui perfectè legem de diligendo proximo observaverit) *abi, vende quæ habes, & da pauperibus* (q.d. cùm videam divitias tuas, quibus confidis, & à quibus haberis, non quas habes, impedimento tibi esse, quò minùs pietatis in Deum, & charitatis erga proximum officia rite præstes; neque adeò paratum ad juvandum proximum, necesse tibi est, ut expedias te his vinculis, vendas omnia, quæ habes, vel potiùs, à quibus haberis, impediris, & des pauperibus, non omnia (neque enim hoc Christus dicit) sed de omnibus tantum, quantum sine tua inopia erogare poteris) Neque hoc ad perfectionem sufficiet, & ulterius *veni & sequere me.* Hoc ubi faxis, agnoscam ego, & verè agnosces ipse, te diligere proximum, sicut te ipsum, adeóque legem illam perfectè observare. Hæc enim legis de Deo diligendo & proximo vera *διάνοια* est, ut, Deo vocante, & necessitate ita jubente, propter proximum jactemus nostra, quibus carere possumus; & propter Deum abdicemus omnia, quæcunque sequelam ejus impediunt, vel quovis modo ab amore ejus nos distrahunt. Non ergo Christus geminum statum, sed unum eundémque in perfectione legali consistentem, neq; tam supra legalis vitæ modum, quàm supra imaginariam illam perfectionem juvenis, quam blandissimè Christus refellebat, gradientem describit. Hæc quidem planissima sunt, & à nemine nisi pertinace negari possunt. Certè non aliter etiam Basilius, singularis Monachorum patronus, explicavit homilia *in divites*, ubi inter alia sic ille: *Ἐκείνης μὲν γὰρ δῆλος εἶ τῆς ἐντολῆς μακρὰν ἀπέχων, καὶ ψευδῶς σεαυτῷ προσμαρτυρήσας αὐτήν, ὅτι ἠγάπησας τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν. Ἰδοὺ γὰρ, τὸ παρὰ κυρίου προσταχθὲν, ἐλέγχει σε παμπληθὲς τῆς ἀληθινῆς ἀγάπης ἀπολειπόμενον. Enimverò manifestum, te procul abesse ab eo præcepto, atque mendaciter tibi te vendicasse, te amasse proximum tuum, sicut temet ipsum. Ecce enim id ipsum, quod tibi à Domino imperatur, evincit, te longo intervallo abesse à vera charitate.* Plane ex mente nostra, & contra mentem Monachizantium. Addo, in Evangelio secundum Hebræos Thoma in Catena, Bredenbachio aliisque ex Thoma referentibus, ita hanc pericopam legi: *Dixit ad eum alter divitum, Magister, quid bonum faciens vivam? Dixit ei, homo, legem & Prophetas fac. Respondit ad eum: Feci. Dixit ei, vade vende omnia quæ possides, & pauperibus divide, & veni, sequere me. Cœpit autem dives scalpere caput suum, & non placere ei, & dixit ad eum Dominus. Quomodo dicis, Legem feci & Prophetas, cùm scriptum sit in lege; Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Et ecce multi fratres tui, filii Abrahæ, amicti sunt stercore, morientes præ fame, & domus tua plena est bonis multis, & non egreditur omnino aliquid ex ea ad eos.* Unde Origenes apud Thomam: *Volens ergo Dominus arguere divitem illum, dicit: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Sic enim apparebit. Si diligis proximum tuum, sicut te ipsum.* Neque aliud postulant sequentia v. 27, 30. ubi Petro dicenti: *Ecce nos reliquimus omnia, & te secuti sumus. quid*

igitur

igitur nobis fiet? Christus respondet: *Amen dico vobis, quòd vos, qui me secuti estis, in regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede Majestatis suæ, sedeatis,& vos super sedes duodecim, &c. Et omnis, qui reliquerit domos, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitæ æternæ hæreditatem.* Non enim his verbis status quidam consilii arbitrarius, & votivus à statu præceptorum necessario distinguitur, quia propter Deum, Christum, necessitate seu vocatione Divina postulante, omnia relinquere, ipsa lex amoris Dei super omnia præcipit; neque id in arbitrio cujusquam Mortalium est. Etiam corpus nostrum deserere debemus propter Evangelium. Quàm verò hic ridiculum fuerit sentire, quòd cultus Dei sit, se ipsum occidere,& corpus relinquere sine mandato Dei: tam ridiculum est, sentire,quòd cultus Dei sit deserere possessiones,amicos,conjuges,liberos, non mandante,vocante Domino. Ubi verò mandatum,vocatio Dei obtinet, ibi consilium, votum Papisticum obtinere nequit. Si ergo, in contentionem veniant amor Dei, & amor nostri ac creaturarum qualiumcunque, & abdicandus alteruter sit, ille huic infinitis parasangis prævalet, & hic,volente Deo, abdicari debet. Neque solis Apostolis vel statui cuipiam peculiari, sed omnibus hominibus incumbit, vocante Deo,omnia relinquere, quæ obsequium quovis modo impediunt. Centuplæ porro remunerationis & hæreditatis cœlestis promissio qualiscunque sit (non est autem diversa, à promissione benedictionis temporalis & æternæ omnibus Dei timentibus promissæ,neque ea est, quam expectant & consequuntur Monachi, qui statum eum amplectuntur,non propter Evangelium, sed propter culinam & otium, pro exiguis patrimoniis, quæ non pauperibus,sed vel suis,vel Monasteriis relinquunt, amplissimas opes venantes) non peculiarem hominum statum, sed in quovis hominum statu quosvis sua propter Christum relinquentes concernit. Sed de loco hoc fusiùs supra. 2. Si Matth. V. 3. per πτωχοὺς πνεύματι *pauperes spiritu* intelliguntur pauperes votivi: quomodo iis oppositis divitibus, Christus Luc. VI 24. οὐαὶ væ denuntiat, eo argumento, quòd consolationem suam receperint? Vos enim non amplectentes consilia pœnam manere, negatis. Hæc argumenti mei vis erat: hoc tibi expediendum fuerat. 3. Falsum est, Christum præceptorum Divinorum observantiæ statum à perfectionis statu distinxisse. Lex enim perfectam obedientiam requirit. Et talem jactaverat juvenis: ast ab eo longissimè eum abesse, Christus demonstravit, uti jam explicavimus. 4. Argumentationem tuam à subsecuta Petri quæstione, & Christi responsione ἀσυλλόγιστον esse,pariter jam ostendimus. Quàm verò frivolum illud est, à Christo non esse juveni avaro detectam larvam, quia Christus relinquentibus omnia remunerationem amplam recepit? Etenim juvenis noluit vendere sua, tristis abiit, avaritiæ notam reliquit, adeóque Legi Dei non obediens hypocrita fuit: Apostoli verò Christi gratia reliquerunt,quidquid reliquerunt. Paria ergo sunt pessimè composita.

OBIECT. V. *Obedientia religiosa Deo placet, tum quia illa mediante sequimur Christum, utpote qui factus Deo est obediens usque ad mortem Phil. II. 8. tum quia Christus suæ obedientiæ imitationem commendavit Matth. XIX. 25. his verbis:* Si vis perfectus esse &c. veni, sequere me, *& sui sequelam statuit in abnegatione sui Matth. XVI. 24. tum quia Paulus 2. Cor. VIII. 5. laudat eos, qui se primò dederunt Domino, deinde propter voluntatem Dei etiam Apostolis; & Hebr. XIII. 1. jubet obedire Præpositis suis. Ex quibus textibus S. Patres, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Am-*

 brosius,

brosius, Augustinus, alii obedientiam Superioribus præstitam vocant veram obedientiæ Christi imitationem, eámque, ceu singulare virtutis bonum, seriò urgent. Meritò igitur obedientia religiosa, tanquam Deo grata, vovetur. August. Reding *pag.* 729. 730. Resp. 1. Obedientiæ rationalis erga Superiores, legitima potestate sive in ecclesia, sive in Republica præditos, necessitas rectè his argumentis probatur: at cææ erga homines, quorum nulla est in ecclesia vel republica authoritas legitima, non item. Sequendus est Christus, Deus absolute, & qui ejus loco præsunt, non cæco, sed oculato studio: & quidem non à paucis, sed ab omnibus æquè Christianis. Quippe sine abnegatione sui & imitatione Christi Christianus nemo esse potest. Et obedientia erga præpositos non libera est, sed præcepta, adeóque non consilii, sed mandati. Primi Christiani sicut vitam nullam noverant seorsim à communi fidelium, sic nec obedientiam promittebant nisi Prælatis ecclesiæ. Post Monachatum verò institutum multa facta & dicta sunt aliter quàm priùs. Quia igitur in ecclesia optima sunt quæ prima, dubium esse non potest, quin hæc mutatio fuerit corruptio. Interim nec Patres obedientiam commendantes, de cæca loquuntur. Basilius enim *Constit.* 22. obedire jubet ductorum mandatis, ὅταν ἁμαρτίας ᾖ καθαρά, *cùm erunt absque peccato.* Atque ea lege parendum esse legitimis Præpositis, ipsi quoque pertendimus.

EXCIP. REDING: 1. *Obedientiæ rationalis erga superiores legitima potestate præditos honestatem cùm fatearis ipse, necesse est eandem in Monastica vita agnoscas. In ea enim æquè ac in communione primitiva, in qua Apostoli reliquis præerant, alios aliis præsidere necesse est.* 2. *Alia est subjectio erga Apostolos Corinthiorum, qui se ipsos primum Domino, dein Apostolis subjecerunt,* 2. *Cor. VIII.* 5. *alia Christianorum quorumvis erga rectores suos, ad quam ex charactere Baptismi abstricti sunt. Illa est erga Præpositos religionum, à Petri successoribus, pro potestate ipsis à Christo data constitutis.* 3. *Neque simpliciter studium erga superiores hosce cæcum requirimus; sed dextrum mentis oculum mandatis Divinis intentum, ne quicquam quod iis contrarium esse cognoverint, committant: sinistrum verò cæcum, ne nostris commodis, voluntati indulgeamus, & erga superiores efferamur. Cujusmodi sinistri oculi cæcitas eo usque in nobis prævalere debet, ut dum oculus dexter in superiorum mandatis repugnantiam cum verbo Dei non dilucidè ostendit, præceptis eorum curiosè discutiendis abstinere, & cæcam obedientiam præstare teneamur. uti Basilius Regul. Interrog.* 41. *nec non Constit. Mon. cap.* 22. *Ephrem de Virt. cap. de Obed. Gregorius Naz. Orat.* 9. *Ambrosius tomo III. serm.* 65. *Chrysostomus in cap.* 1. *ad Gal. Hieronymus Epist. ad Rust. & Eustach. Augustinus lib. III. contra Petil. & de Opere Mon. cap.* 17. *Sulpitius Severus in vita S. Martini cap.* 12. *docent.* 4. *Supra Obj. III.* 2. *contenderas, communionem possessionum veterem non intelligendam esse de omnibus Christianis. Hic agnoscis, primos Christianos vitam nullam novisse seorsim à communi fidelium. Annon hæc turpis contradictio est?* 5. *Falsò supponis, Ecclesiæ Prælatos non esse nisi pro communi Christianorum vita; non etiam pro Apostolico Regularium instituto, ex Evangelicis consiliis liberè suscepto.* Ibid. pag. 321--323. Resp. Cur non respondes ad palmarium argumentum meum, quòd obedientia Christo, præ-

præpositis, vi locorum à vobis allegatorum, debita, sit præcepta, non consulta, votiva, vel liberè suscipienda, & in eodem cœtu communi, omnium, non quorundam ab aliis se separantium? Hic verò tibi aqua hæret, & hærebit semper. Cœtera quoque nullius ponderis sunt. Etenim 1. nec obedientia Monastica rationalis: nec Monachorum duces legitimi superiores sunt, quia potestatem non à Divina, sed merè humana voluntate & arbitrio acceperunt. Nusquam certè in verbo Dei Monachorum duces *Præpositorum, Superiorum* nomine veniunt. Cúmque, ut hoc obiter animadvertam, Monachi omnes obedientiam superiori suo jurent, ipsi tamen Superiores non obediunt cuiquam sponte & ex tenore voti, sed imperant. Ubi si, ut, Bellarminus *de Monach. cap. 21.* regerit, materia deest, etiam votum desinat oportet, quia materia est essentialis pars rei. Tum votum obedientiæ est votum exercitii. quo cessante votum ipsum cessat. Quin etiam si obedientia proprium est voti Monastici, semper insit voto necesse est. At non semper inest, si vel semel cessabit vel per se, vel per accidens, uti in superioribus cessat. Non igitur obedientia proprium est voti Monastici. Juxta Aristotelem enim *Top. lib. V. 5.* si proprium datum non semper inest speciei, non est proprium. Communionis primitivæ exemplum ἀπροσδιόριστον esse, supra ostendimus. Quanquam nec illi communioni Apostoli præfuerunt ut Superiores, Prælati, sed ut dispensatores. quorum deinceps vicem Diaconi subiverunt. 2. Siccine ergo Apostoli, quibus se Corinthii subjecerunt, Religionum Præpositi, Corinthii eis obedientes Religiosi, Monachi? Piget ineptiarum. Quanquam ne Corinthii quidem se Apostolis dederunt ut dominis, sed (v. 4.) *ad communicationem ministerii in sanctos.* 3. Obedientiam à Monachis Præpositis suis juratam utroque oculo cœcam & irrationalem esse, supra probavimus; & tu ipse hoc loco, quicquid in contrarium moliare, non obscurè confirmas. Sic enim oculum obedientiæ dextrum rationalem fingis, ut tamen asseras, & *oculi sinistri cæcitatem prævalere*; & eundem non decere, ut *præcepta superiorum discutiat.* Id verò si oculo sinistro nefas est, cui bono oculus dexter bonum, vel malum, æquum vel iniquum demonstrans? Nam mandata superiorum ἀνυπεύθυνα, ἀδοκίμαστα esse vultis. Quid ergo tum postea, si meliora videns, deteriora sequi cogitur? Frustra verò cœcitatem obedientiæ in eo collocas, quòd obediens proprio judicio non nititur, commodis, cupiditatibus suis non indulget; quia hoc omnium hominum est, etiam illorum, qui obedientiam hominibus nullam voverunt; atque insuper obedientiam maximè oculatam, ex Verbo Dei, quæ Dei sunt, & quæ carnis sunt, discernentem postulat. Contra obedientia Monastica ordinem Divinitus constitutum, ut videlicet vivant omnes per singulas Ecclesias Christiani vitam communem sub certis rectoribus, pervertit, & sibi ipsi novas regulas formásque excogitavit, & quotidie alias excogitat, ut nunquam finis futurus esse videatur. De Patrum testimoniis à te citatis ingenere jam respondi, & de Basilio seorsim. quæ refellere tibi curæ non fuit. Certè conditio Basilii ὅταν ἁμαρτίας ᾖ καθαρά, *cùm erunt mundata absque peccato*, libertatem integram permittit, ut quisque, cùm jubetur, inquirat, quale sit, quod imperatum est, alioquin non tantùm inutilis, sed etiam ridicula esset. Idem reliquorum sensus est. Nemo obedientiam cœcam nominat: nemo obedientiæ propriè dictum votum. Quæcunque eam in rem dicunt, ad Monasteria illa & asceteria vetera pertinent, in quibus exercebatur pietas, & juventus ad opus fidei & ministerii in Ecclesia parabatur. Nam ubi cœtus justus sine aliorum præfectura, & aliorum obedientia contineri potest? Sed quia Monasteria prima in simplicitate collecta sunt, post superstitione inquinata labascere cœperunt, nunc in superstitionis atque erroris sentinam abjverunt, nos quæ de suis veteres Monasteriis dixerunt, ad recentiora illa pertinere

nere negamus. 4. Si à me dicta attentè, non desultoriè legisses, non venisset tibi in mentem contradictionem in iis ullam notare. Etenim *ad Obj. III. 2* scripseram, *non omnes agrorum & ædium possessores eas vendidisse, sed ditiores.* Hic Christianos veteres *ullam novisse vitam seorsim à communi fidelium*, ajo. Hæccine *turpis* illa *contradictio*, Sophista turpis? An ergo si in eadem Ecclesia non omnes, sed aliqui sua quædam vendant, & pauperibus erogent, una Ecclesia esse desinet, & vitam religiosam seorsim aliqui traducere cogentur? Tum id valebit, cùm ex Ecclesia vel divites sua erogantes, vel pauperes excludentur. Mos tibi est fingere spectra, quæ faciliùs debelles. 5. Et Prælatos, separatæ à communi Christianorum vita religionis duces, & Apostolicum Regularium institutum supponis, non probas. Neque profectò magna disputationis tuæ pars aliud quam fœda suppositio errorum est.

OBIECT. VI. *Consilia Evangelica & supererogationis opera non præcepta, sed libera, majorisque meriti dari, liquet ex Matth. XVI. 24. & cap. XIX. 16. 20. necnon ex 1. Cor. VII. 25. ubi negat Paulus, se de virginibus præceptum dare, & consilium dare asserit; & 1. Cor. IX. 12. ubi Paulus prædicans plus præstitisse innuitur, quàm præceptum erat. Atqui consiliis illis vita Monastica superstruitur.* Resp. 1. Abnegatio sui & Christi sequela ac patientia crucis à Christo Matth. XVI. 24. demandata non libera, sed necessaria, adeóque præcepta est, quia sine ea nemo vel Christo dignus, vel ejus discipulus esse potest Matth. X. 38. & Luc. XIV. 27. De loco Matth. XIX 16. supra vidimus. Consilia quoque, quorum 1. Cor. VII. 25. mentio est, sunt propriè dicta præcepta, non quidem communia & absoluta, sed personalia & conditionata, quæ non omnibus competunt, sed χωρῦσι *capacibus* Matth. XIX. 11. nec sunt ultra præceptum generale, sed intra, tanquam media ad impletionem præcepti ducentia. 2. Neque etiam Paulus 1. Cor. IX. 12 ostendit, se stipendium non accipientem plus fecisse, quam præceptum erat, adeoque supererogâsse. Quamvis enim ei liberum & solutum fuerit stipendia ab ecclesiis accipere, si res in se abstractè consideretur: tamen ratione scandali & propter propagandum Evangelium hoc illi liberum non fuit, imo abstinere debuit certis in locis, & ratione certarum personarum, ne gloriæ Dei & propagationi Evangelii officeret. Aliter si fecisset, certè peccasset, & Domini sui gloriam haud procurâsset. Nempe res per se adiaphoræ ratione loci, temporis, personarum, aliarúmque circumstantiarum necessariæ, vel illicitæ fieri possunt.

EXCIP. REDING: 1. *Abnegatio sui, Christi sequela &c. quoad impletionem fidei, charitatis, religionis debitam necessaria, præcepto Divino subest sanè. Sed ultra hujus limites datur status perfectior in Christi sequela & temporalium abdicatione consistens. Juvenis enim ille Matth. XIX. 16 20. præcepta Divina omnia impleverat quod vel inde constat, quia Marc. X. 21. eum intuitus dilexisse dicitur. Neque tamen sic perfectus fuit, quin ulterior perfectionis status ei à Christo demonstrari debuerit. 2. S Paulus 1. Cor. VII. 25. indefinitè vocat consilium; adeòque nec personale, nec ita commune, quin in arbitrio cujusque sit, illud amplecti,*

vel

vel non amplecti. Inde etiam Matth. XIX. 11. indefinitè invitantur fideles, ut, qui capere potest, capiat. 3. Licet consilia sint media ad præcepti charitatis impletionem conducibilia, cum illo tamen non ita necessariam connexionem habent, quin sine iis præceptorum Divinorum impletio ad salutem necessaria stare possit. Cúmque fatearis ipse, consilia illa esse media ad præcepti Divini impletionem conducentia, & vita Monastica iis superstruatur, volens nolens, hanc in verbo Dei fundari, concedere debes. 4. Licet S. Paulus 1. Cor. IX. 12. dicat, se non usum esse facultate accipiendi stipendium, ne Evangelio Christi offendiculum daret, tamen scandalum, si quod inde emergere potuisset, non datum, sed ab indiscretis hominibus acceptum fuisset. Nulla ergo ex jure non accipiendi stipendium necessitas premebat, sed liberè Apostolus supererogare voluit. Ibid. pag. 323. 324. Resp. 1. Dari statum perfectiorem eo, quo servantur præcepta sive legis, sive Evangelii, & quidem consistentem in paupertatis statu, cœlibatu & obedientia cœca, falsò iterum supponis. Matth. XIX. 2. Christus disertè non consulit, sed jubet, præcipit: *Vende, da pauperibus.* An quod sic ille jussit, liberum erat juveni, qui explorandus erat, facere vel non facere? Certè non ita visum Christo, qui occasione juvenis non facientis imperata, sed tristi animo facessentis, discipulis v. 23. dixit: *Amen dico vobis, quòd difficulter juvenis ingredietur Regnum Cœlorum.* Atqui consilia negligere, cum periculo salutis conjunctum esse, ipsimet negatis. Quomodo præterea Deum ex toto corde diligere dici potest, qui auditis ejus sive consiliis, sive præceptis λυπέμενος *tristis* abit, & quid Deus sive consulat, sive præcipiat (nam Dei consilia præceptis æquipollere, ex Apoc III. 18. liquet) pensi non habet, adeóque mundum Deo & gloriæ ejus præfert? Qui Deum ex toto corde diligit, paratus est propter ipsum omnia relinquere; & vocatus relinquit lubens. Id ultro fecerant Apostoli, neglexit juvenis. Quo sensu juvenem illum *dilexisse* Christus dicatur, supra explicavimus. 2. Apostolus 1. Cor. VII. 25. dicit: Γνώμην δίδωμι, *sententiam* meam *do.* At propriè *sententia* non est consilium. Ita S. Paulus 2. Cor. VIII. 10. Γνώμην ἐν τούτῳ δίδωμι. *Sententiam in hoc do.* Ea autem erat de eleemosynis Hierosolymam mittendis. At nemo Papistarum eleemosynas in consiliis Evangelicis numeravit. Hoc ergo loco γνώμη *sententia* præceptum est *conditionatum* & *personale*, hoc est, non commune ad omnes & singulos pertinens, (quale Apostolus ἐπιταγὴν κυρίου *madatum Domini* vocat) sed ad eos demum, quibus (v. 17.) ὁ θεὸς ἐμέρισεν *Deus admensus* est donum continentiæ; & quos κέκληκεν ὁ κύριος *vocavit* ad continentiam *Dominus.* Non ergo *sententia* ea *indefinita* est respectu omnium, ita ut in arbitrio omnium & singulorum sit eam amplecti, vel repudiare. Sicut nec indefinita simpliciter est sententia Christi Matth. XIX. 13. *Qui potest capere, capiat.* Non enim omnibus consulitur, ut capiant, cùm Christus disertè dixerit v. 11. Οὐ πάντες χωροῦσι, *non omnes capiunt sermonem istum,* sed præcipitur solis δυναμένοις *iis qui possunt,* & οἷς δέδοται *quibus datum est.* An hæc vel *communia, idefinita*, & non potiùs *conditionata, personalia* sunt? Sed de eo etiam pluribus supra egimus. 3. Si consilia media sunt ad impletionem præceptorum necessaria, non igitur supra præcepta ascendunt, nec præter ea gradiuntur. uti Papistis placet. Et quod medium est ad finem, cum fine necessariam connexionem habet, quia media à fine mensuram habent. Neque ideo vitam Monasticam vel volens, vel nolens agnosco, quia illa non mediis ad præcepta legis implenda conducibilibus, sed consiliis præceptorum impletionem egredientibus superstruitur. 4. S. Pauli 1. Cor. IX 12. &c. malignè interpretaris. Etenim ille jus & potestatem eandem, quam reliqui Apostoli, habens accipiendi stipendium, negat sibi citra peccatum licuisse in eo quidem statu jure suo uti, *ne,* sic loquitur, ἐγκοπήν, *impedimentum aliquod det Evangelio Christi. An impedimentum dare*

Evan-

Evangelio Christi peccare non est? Et si peccare est, an qui sic peccat, scandali dati reus non est? Tam fuit contra officium Apostoli, sufflaminare cursum Evangelii, *ἐγκόπτειν remorari, interrumpere* Evangelium, quàm dare offendiculum. Neque quod ab *indiscretis* accipitur scandalum, ideo respectu dantis semper vitio caret; quia cùm de usu indifferentium agitur, jubet S. Paulus nos attendere conscientiam non nostram, sed infirmorum, quales *indiscreti* esse possunt. Tenemur nempe ex lege charitatis infirmis quibusvis consulere. Præterea v. 15. tam necessarium fuisse testatur, quod fecit, ut mori se maluisse dicat, quàm illud omittere: & v. 18. si stipendium accepisset, se *potestate sua in Evangelio abusurum* declarat. Est autem *κατάχρησις ἐξουσίας abusus potestatis* Evangelicæ verissimum peccatum. Non enim illa *κατάχρησις* erat *usus*, vel *intentior usus*. uti nonnulli explicant, quia constat, Apostolum de facultate sua remisisse: sed *abusus* potestatis cum detrimento Evangelii. Rectè Justinianus in Commentario: *Quocirca rectè dixit, ut non abutar potestate mea in Evangelio. Quis autem nulla eum necessitate præcepti compulsum hunc potestatis abusum vitasse dicat?* Licet ergo ratione propria officii absolutè non debuerit abstinere stipendiis accipiendis: at debet ratione finis & circumstantiarum. Nempe præcipiuntur alia per se ratione propria & essentiali officii: alia secundum quid, propter finem aut circumstantias. Illa, de quibus Apostolus agit, non erant præcepta *ratione propria* officii Apostolici: alioquin & semper idem fecisset Apostolus, & alii fecissent idem, & potestatem contra id veniendi nunquam habuissent; sed *secundum quid*, propter finem ædificationis, & propter circumstantias, ex quibus non quicquid licet per se, ubique facere expedit, & propter quas non parum ministerium S. Pauli & reliquorum Apostolorum differebat. Illius enim, non horum, ministerium in dubium vocabant Pseudapostoli, tum quòd non fuisset de comitatu Christi, nec à Christo in terris versante ita institutus, ut alii: tum quòd doctrinæ ipsius cum aliorum Apostolorum doctrina convenire negarent. Confer. 2. Cor. XI. 7. & c. cum 1. Thess. II. 6. 9. & 2. Thess. III. 8. &c.

OBJECT. VII. *Post Apostolorum tempora Monachatum commendârunt Dionysius Areopagita Hierarch. Eccl. cap. 6. Tertullianus libro de velandis virginibus; Cyprianus de habitu Virginum; Athanasius in vita Anthonii, aliique plures* Resp. 1. Tempore Christi & Apostolorum Monasticam vitam nullam obtinuisse, vel commendatam etiam Christianis esse, certum est. Christo & Apostolis sapientiores videri, & oculos configere velle nemo debuit. Neque etiam proximis temporibus Anthonium Eremitam præcedentibus Monachos ullos fuisse à reliqua ecclesia vitæ instituto separatos probari potest. Dionysium Areopagitam remotioris ævi scriptorem suppositititium fuisse, sæpius probavimus. Tertullianus & Cyprianus virgines memorant: at Moniales non item. Tertullianus enim velari jubet omnes virgines Christianas, non aliquas tantùm: & initium velandi vult esse ab ingressu non claustri, sed pubertatis, *cap. 1. & 11.* denique velari jubet omnem mulierem, adeóque etiam omnem virginem *cap. 7. & 8.* Distinguit quidem *virgines mundi* & *virgines Dei*, & per illas non virgines quascumque *seculares*, sed omnes non Christianas; per has verò non *sanctimoniales*, uti Pamelius perperam explicat,

plicat, ſed quaſcunque Chriſtianas intelligit. Cypriano idem virginum genus propoſitum fuit, ſed diverſus finis. Agit enim de diverſo corporis ornatu, nec tamen quicquam vel imperat, vel conſulit, quod non omnibus Chriſtianis non conſuli tantùm, ſed etiam imperari poſſit. Quòd verò *cap.* 3. meminit virginum, *quæ ſe Deo dicaverint, & à carnali concupiſcentia recedentes tam carne quàm mente ſe Deo voverint*, id quoque eundem, quem Tertulliani verba, ſenſum habet. Omnes enim Chriſtiani ſe Deo vovere & dicare debent. Quòd ſi tamen vel Tertullianus, vel Cyprianus votam à nonnullis virginitatem diceret, non tamen inde ordo religionis ſeparatæ, ſed privatæ tantùm vitæ inſtituendæ ratio probaretur. Quæ porro Cyprianus habet *Epiſt.* 11. quæque etiam Redingius *pag.* 736. 737. in rem ſuam vertere conatur, firmum propoſitum virginum, non per honeſtum matrimonium accedente tentatione interruptum, ſed per ſcortationem clanculum violatum, redarguunt, uti totam epiſtolam legenti evidenter liquere poteſt. 2. Immane porro diſcrimen inter Monachatum tertio Seculo exortum & à Patribus laudatum, & ſequiorum temporum Monachatum Sarabaiticum ſuperiùs ὀφθαλμοφανερῶς oſtendimus. Conſtátque ex iis, longè aliter catulos, aliter ſues olere. Si qui longiùs progreſſi ſunt, illi communi temporis errore, velut tyrannico edicto, decepti, & ſe & alios fefellerunt. De quibus uſurpari poteſt triviale illud Ictorum: *Qui errat, non conſentit.* Et ſanè interim quid potuerit hypocriſis, ambitio ac avaritia, voluptas & otium, & quò tandem reciderint omnia, ſatis quoque conſtat. Piè igitur prudentérque factum ab Eccleſia, quæ humanum inſtitutum in hac cumprimis mundi fœce, & extremo Seculi fine, in quo Draco ille abyſſi hominum impietate mirificas vires omnia corrumpendi acquiſivit, non tam reformavit, quàm penitus abolevit.

EXCIP. REDING: 1. *Authoritatem librorum, qui Dionyſio Areopagitæ accepti referuntur, ante Vallam & Eraſmum nemo vellicavit. Certè Gregorius M. authorem eum citans vocat antiquum; proin ejus ætati proximus non fuit. Neque Hieronymo coævus fuit, quia alias ab eodem inter ſcriptores ſacros relatus; aliis etiam, Ambroſio, Auguſtino, Hieronymo notus fuiſſet. Fuit ergo author antiquiſſimus, ſed ab hæreticis ſuppreſſus, & demum tempore B. Gregorii repertus.* 2. *Tertullianus de Virg. Vel. cap.* 3 *ſacrilegas manus vocat, quæ dicatum Deo habitum detrahere voluerunt. At ſacrilegio locus non eſt, niſi ex rei, aut perſonæ ſacræ violatione. Proin ſermo ibi eſt de Virgine per votum Deo ſacrata. Cujus voti rationem ibidem cap.* 16. *deſcribit, ſic compellans Dei Virginem:* Nupſiſti enim Chriſto, illi tradidiſti carnem tuam, illi ſponſaſti maturitatem tuam &c. 3. *Verum eſt, ex verbis Cypriani non evinci ſeparatam religionem, ab Eccleſia videlicet Oecumenica, cujus integram fidem Religioſi ordines retinent. Huic enim Monachatus duntaxat ſtatum perfectionis ab ipſo Chriſto inſtitutæ ſuperaddit. Solo ergo eo nomine à communi Chriſtianorum vita diſcernitur.* 4. *Neque Cyprianus idem Epiſt.* 11. *de ſolo propoſito firmo Virginum, per ſcortationem: ſed de voto per*

matrimonium interrupto loquitur. Simplex enim scortatio incestæ conjunctionis ex Virgine Christo dicata contractæ censura non venit. Si matrimonium tali Virgini contrahere licuisset, in eadem utique domo cum marito habitare pariter licuisset. Neque etiam propositum tale per matrimonium interrumpens, adultera Christi, sine voto praeunte, decerni potuisset. 5. *Pseudo-Reformatores tui vitam Monasticam abolentes fidei sanæ oculos confixerunt, suffulti scilicet mirificis illis omnia corrumpendi viribus, quas Draco abyssi hoc extremo seculi fine ex hypocrisi, vitium virtutis loco jactante, ambitione proprii judicii sensum ex libidinoso carnalis instinctus pruritu supra Ecclesiæ, imò Dei ipsius judicium efferente, avaritia Monasteriorum & Ecclesiæ bona profanante, & in obscœnos usus convertente, mortificationem carnis talis viribus è medio tollere nitente, & otio ac carnalibus oblectamentis tempus consumente, acquisivit.* Ibid. pag. 324. 325. Resp. 1. Scriptorem librorum de Hierarchia non fuisse Dionysium Areopagitam, non aliunde magis colligitur, quàm ex dictis tuis. Fateris enim, illum veteribus omnibus ante Gregorium M. hoc est, ante Seculum sextum extremum ignotum fuisse. Sed vocat illum, inquis, *antiquum & venerabilem patrem:* neque *paulò ante Hieronymum vixit, quia hic illius scripta novisset, & in album scriptorum Ecclesiasticorum retulisset. Ergo,* concludis, *author antiquissimus fuit.* Sed quis Gregorio, authorem esse *antiquum & venerabilem patrem,* dictavit? Ipse scilicet author planus, qui, ut hominibus imponeret, se Apostolorum temporibus inseruit. Nemo ne ergo credat, potuisse imponi Gregorio, ut eum, qui se Apostolorum ævo inseruit, inconsideratè Apostolicum fuisse, crediderit? Reliqua festiva sunt. Ideo potiùs antiquum vel antiquissimum fuisse negamus, quia nec Hieronymus, nec Augustinus, nec vetustior aliquis eum novit. Nam suppressum fuisse ab hæreticis, facilius fuit divinare, quàm probare. 2. Tertullianum loqui de omnibus virginibus, dixi. An omnes ejus ætate Moniales, votariæ fuerunt? Cur hoc diluere supersedisti. Imò initium velandi esse ab ingressu, non claustri, non monasterii, sed pubertatis innuit. Sic enim *de vel virg. cap.* 11. loquitur: *Ubi gradum fiximus de Apostoli absoluta definitione: omnem mulierem etiam omnis ætatis intelligendam: responderi ex diverso habebat, ergo à nativitate, & à primo nomine ætatis, virginem operiri oportere. Non ita est autem; sed ex quo se intelligere cœperit, & sensum naturæ suæ inirare, & virginis exire, & pati novum illud, quod alterius ætatis est.* Cur & hæc alatus prætervolas? Quæ objicis, nullius momenti sunt. Enimverò quivis fideles Deo consecrati operam dare debent, ut sic in suo statu versentur, ut suam Deo sinceritatem probent. Sic qui in conjugio sunt, conjugalem, qui in cœlibatu, virginalem castitatem conservare debent. Qui per adulterium vel scortationem violant, sacrilegè id faciunt, quia Deo sacram pudicitiam Diabolo prostituunt. Sed nihil hoc ad votum cœlibatus matrimonium ejurans. Neque aliter virgines nupsisse Christo, eique tradidisse carnem suam, Tertullianus dixit. 3. Monachatus religionem à communi Christianorum religione separatam esse, supra *Arg. IV.* ostendimus: & tua ratio evincit. Illum enim huic perfectionis Evangelicæ statum superaddere pertendis. quo pacto plurimùm hanc mutari necesse est. Et de eo quicquid fiat, status talis differentiam Tertullianus & Cyprianus ne somniarunt quidem. 4. Cujusmodi porro *virginum cum viris dormitionem* idem Cyprianus *Epist.* 11. nomine *incestus* damnaverit, idem locupletissimus testis est. Inter alia sic ille: *Quòd si ex fide se Christo dicaverunt, pudicè & castè sine ulla fabula perseverent, ita fortes & stabiles præmium virginitatis expectent. Si autem perseverare nolunt, vel non possunt, melius est nubant, quàm in ignem delictis suis cadant.* An quod ipse, ceu *melius* probavit, *incestus* nomine perstrinxisset? An nefas duxit virginem perseverare nolentem, vel non valentem in

in eadem cum marito domo habitare? Imò nefarium duxit contubernium virginis, hoc est, non maritatæ, cum masculis, quibus non nupsit, quale contubernium incestum vos matrimonio virginum imprudentibus votis implicitarum præfertis, planè contra mentem Cypriani, judicantis, *melius* esse talibus nubere, quàm scortari. Cui proin etiam *adultera Christi* est, non quæ firmiter proposuerat manere virgo, & mutata mente nubit; (hoc enim ille jam ante concesserat, nunquam profectò concessurus adulterium Christi; prudenterque adeò virgines illas ad privatum doni & vocationis Dei sensum revocans, sine ulla promissionis, dicationis, conscientiæ injuria, quam hoc seculo Pontificia tyrannis facit) sed quæ vestro more, cœlebs manens propter votum, scortatur tamen, vel certè impudicè vivit. Sed de loco eo supra *pag. 618. 619* pluribus. Certè Rigaltius *ad h. l* scribit, *quàm proximè Cypriani verba illa, quòd virgines continentiam firmiter tenere decreverint, accedere ad votum continentiæ. unde aliquos*, inquit, *postea seculis cœnobia & claustra & disciplinæ austeriores fluxerunt.* Nondum ergo, eo judice, Cypriani ætate vota, cœnobia, claustra, disciplinæ austeriores invaluerunt. 5. Quæ denique contra heroas Reformatores nostros debaccharis, tùm animum tuum quodam Monachatus sacro igne æstuantem: tum blasphemias Antichristianas, quas adversus matrimonium legitimum quorumvis Eunuchi vestri eructare pridem sueverunt, spirant. Geminum tibi scutum opponimus, alterum comprehensum verbis Christi, Monachatum, ceu humanum inventum, jugulantis: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur*, Matth. XV. 13. alterum verbis S. Pauli, matrimonium quorumvis sine discrimine ullo sic comprobantis: *Honestum est matrimonium apud omnes, & impollutus thalamus: Scortatores verò & adulteros* (eos maximè, qui ejurato matrimonio in ignem delictis suis cadunt) *judicabit Deus* Hebr. XIII. 4.

OBJECTIONES reliquæ superiùs, *ubi de voto cœlibatus*, discussæ sunt.

QUÆSTIO VIII.

An à Christo Ecclesiæ concessa sit potestas indulgentias dispensandi?

AFfirmat decretum de indulgentiis, & iis, qui inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in ecclesia potestatem esse negant, anathema dicit. Deinde abusus corrigi jubet. Ita strictim & ex consilio Mutinensis Episcopi, omissis, quæ in hoc argumento incidere potuissent, difficultatibus, rem magni momenti Patres transigunt. De quo videsis Historicum *lib.* VIII. *pag.* 722. Nos quidem faciles permittimus Ecclesiæ facultatem indulgentiarum, quales olim usitatæ fuerunt, videlicet remissionem Canonicarum satisfactionum, quas Ecclesia pro scandalo peccatori injungit, quatenus animadversa pœnitentis diligentia vel infirmitate, Ecclesiæ con-

ducere videtur, de rigore Ecclesiasticarum pœnarum aliquid detrahere, & imminuere. Improbamus verò omnibus modis Papales indulgentias, quas dicunt interposito pretio vel opere aliquo, relaxare peccatorum etiam gravissimorum, (*ut si quis per impossibile matrem Dei violásset*, uti Tezelius æruscator Pontificius apud Sleidanum lib 1. blasphemè dictitabat) pœnas Deo debitas, & in Sacramentali absolutione nondum remissas, sive totas, sive earum partem, & vel hîc viventibus, vel in purgatorio degentibus; ídque per supererogata merita Christi, & Sanctorum in thesauro Ecclesiæ, uti vocant, asservata. Dantúrque ejusmodi indulgentiæ varias ob causas, puta visitantibus loca sacra; certas preces certo numero dicentibus; præsentibus, quando monstratur Veronica, aut aliæ sacræ reliquiæ; militantibus in bello sacro; ad pios usus pecunias conferentibus, seu, uti loquitur Sixtus IV. in bulla, extante in Extravag. com. lib. 5. tit. 9. *manus adjutrices porrigentibus, &c.* Ejusmodi igitur indulgentiarum dispensandarum potestatem Ecclesiæ concessam esse, negamus. Rationes.

ARG. I. Peccata, eorundemque pœnæ tum æternæ, tum temporales remittuntur gratis, gratiâ Dei, per sanguinem Christi, tanquam placamentum & λύτρον, uti supra, ubi de justificationis causis egimus, abundè probatum est. Nullæ ergo sunt Papales indulgentiæ. Ne quidem applicatur gratia Dei & meritum Christi per indulgentias, sed à parte Dei applicat nobis Spiritus S. à parte nostra acceptat fides.

RESP. REDING: 1, *Licet nonnisi ex gratia Dei, per sanguinem & merita Christi remittantur pœnæ etiam temporales pro peccatis in foro Dei debita; non ideo tamen nullus indulgentiis locus est. Nam per illas meritum Christi ad Divinam gratiam conciliandam applicatur*. Tomo V. Tract. XIV. ff. 2. Pag. 309. Resp. Ubi verò Scriptura Divinam indulgentiam per humanam, & quidem satisfactionibus alienis innixam, applicari docuit? Cedo vel umbram probationis! Gratia Dei, & remissio peccatorum ac pœnarum sine discrimine omnium uno modo apprehenditur, eo videlicet, quo Christi justitia & beneficia universa apprehenduntur. qui fides salvifica & justificans, non alius, in S. literis prædicatur. de quo fusè in loco. Vobis contra si fides est, Christi meritum & satisfactio modò per merita & satisfactiones proprias: modò per satisfactiones alienas: modò per indulgentias humanas, gratiam pœnarum temporalium facientes, imò de ipso jure Dei pro humano arbitrio remittentes, applicatur. Sic vobis ludere, vel potiùs Christo & gratiæ Dei, ne illi soli sine opere nostro, vel humana gratia salus hominum accepta feratur, & humana ex alienis indulgentia lucro suo defraudetur, illudere, merus ludus est. Merus inquam ludus est, quia indulgentiæ, si quæ sunt, non illæ applicare possunt gratiam Dei & satisfactionem Christi, sed potiùs impediunt, ne per satisfactiones & pœnas temporales proprias (quomodo applicandam esse alias sciscitis) applicari possit. Tollunt enim applicationis modum à vobis constitutum. Proin per illud juxta te applicatur gratia & satisfactio Christi, per quòd ejus applicatio tollitur. Sic porro argumentor. Vel justitia

Dei exigit, ut satisfaciamus ipsi, quò nobis gratia Dei, & meritum Christi applicetur; vel non exigit. Si exigit, quomodo eandem applicari per indulgentias, satisfactionis propriæ necessitatem destruentes, dicitis? Si non exigit, contenta igitur est satisfactione Christi, sine satisfactione nostra ulla; imò actum agimus, si, cui jam satisfactum est, ultra satisfacere contendimus, nósque ludibrio exponimus, si non exigente justitia ultro puniri volumus.

ARG. II. Papalium indulgentiarum totum negotium nititur falsis, absurdis & impiis hypothesibus. Tales sunt; remissâ culpâ remanere pœnam temporalem: Ecclesiam habere potestatem remittendi peccata per judicialem actum: Sacerdotem in confessione, injunctis satisfactionibus peccata redimentibus, absolvere; quæ efficaciter jam sunt refutata. Accedit hypothesis de thesauro Ecclesiæ, cùm tamen sancti nec pro aliis satisfacere possint, nec præstent plus quàm debeant, nec ipsius Christi dentur satisfactiones nondum applicatæ in consilio, pacto & acceptatione Dei Patris. Sanè etiam Durandus Sanctorum passiones excludit è thesauro duobus argumentis, 1. *quia hæc non fuerit ipsorum intentio.* 2. *quia quicquid pœnæ sustinuerint sancti martyres ultra, quàm peccata ipsorum meruerunt, eis vel planè remuneratum, vel resumpto corpore remunerandum sit,* in 4. Sent. Dist. 20. q. 3. 5. 7. Cúmque reatus peccati infinitus sit, necessaria fuit infinita satisfactio Christi. Supra autem & præter infinitum debitum nihil erogari potest. Meritò igitur S. Scriptura per μυκτηρισμὸν Apoc. IX. 2. thesaurum ejusmodi vocat *clavim putei abyssi.* Denique implicatur etiam hypothesis de plenitudine potestatis Papæ, per indulgentias Ecclesiæ thesaurum applicantis. Sanè cordati viri in Papatu jam olim conquesti sunt, quòd plenum indulgentiarum tribuendarum jus ab Episcopis ad solum Pontificem delatum sit.

RESP. REDING: 1. *Tua potiùs argumentatio falsis hypothesibus nititur.* 2. *Ipsissimæ Christi satisfactiones & merita, quæ virtute Sacramentorum applicantur, jam in consilio, pacto & acceptatione Patris acceptata sunt. An ergo sic ipsa Sacramenta è medio tollere fas est? Quin nefandissima sic prodiret illatio, quòd ne ipsa Christi humanitas in terra existens, vel in Cælis jam triumphans potuerit ullam meritorum suorum applicationem, utpote jam in Divino decreto præcisè subsistentem, in tempore facere.* 3. *Eo ipso, quòd, te fatente, Christi satisfactio infinita est, exhauriri ita nequit, quò minùs semper ex ea aliquid abundet, quòd in Ecclesiæ thesauro dispensandum reponatur. Cúmque istam meritorum Christi applicationis authoritatem vestro tribuatis ministerio, quo pacto eam negare audetis Petri in terris legitimo successori?* 4. *Difficultatem illam, num thesaurus Ecclesiæ non ex Christi Domini duntaxat superabundante pretio, sed etiam Sanctorum superfluis meritis & satisfactionibus locupletetur, à Pallavicino Histor. Conc. Trid. lib. II. 9. discussam videsis.* Ibid. pag. 327-329. Resp. 1. Jam supra hypotheses istas indulgentiarum tibicines, accuratè discussimus. 2. Denuo nego, dari satisfactiones Christi in consilio, pacto & acceptatione Patris non applicatas. Deus enim Christo fideles redimendos dedit, & quicquid horum gratia Christus præstitit, illud omne iis redimendis applicavit. Non sanguis, non sudor, non

gutta, non guttula, non profluvium, quocunque aut modo, aut sensu intelligatur, non applicatum est vel uni homini redempto, nedum universis redemptis. Nam vel unus homo redimendus, nedum universi, morte infiniti pretii redimi debuit, juxta illud S. Pauli Hebr. II. 2. *Gratia Dei Christus gustavit mortem ὑπὲρ παντὸς pro unoquoque*, adeóque pro singulis. Quid supra mortem infiniti pretii à Deo jam applicatum vel uni homini, abundare potest, non applicatum à Deo adeóque ab hominibus applicandum? Neque sanè Christus mortem gustavit *ὑπὲρ παντὸς pro uno quoque*, vel pro omnibus *collectivè*, quo modo, donativum Imperator dat militibus, multi æris omnibus, exigui verò singulis: sed *distributivè*, eo modo, quo Sol lucem eandem singulis pro omnibus præbet; sic quidem, ut etsi non utantur cæci, tamen nihil supersit, unde ullus thesaurus cumulari queat. Nempe quibus Christi mors & satisfactio applicatur, iis applicatur tota, non ejus sua cuique pars. Nam neque mors Christi distrahi in partes potest; neque Evangelio & Sacramentis huic pars una satisfactionis Christi, alii pars alia, sed tota singulis, tota omnibus offertur & applicatur: totus Christus ab uno quoque fideli editur & bibitur, nihil in thesauro condendum superest. Cujus rei typus agnus Paschalis ita totus in unaquaque domo edi debuit, ut si quid superesset, non illud in thesauro recondi, sed igne concremari debuerit. Sed sunto etiam non omnes guttulæ, non totus sanguis in pacto, & acceptatione Patris applicatæ. Consequens erit, ut indulgentiarum thesaurus non solarum pœnarum temporalium, sed etiam culparum, adeóque etiam pœnarum æternarum remissioni, quod vos negatis, serviat. Nam juxta vos sanguinis illæ guttulæ pretii fuere infiniti ad redimendas à culpa simul & pœna mille mundorum animas. Et tamen constat, non omnibus vel hujus unius mundi animabus, sed hujus unius mundi paucis prorsus animabus æternam pœnam remitti. Superabundantes ergo oportet esse satisfactiones Christi pro culpa & pœna æterna pariter. Hæ ne ergo non applicatæ in aëra dissipantur, evanescunt, abjiciuntur? Cur huic, Sophistæ, incommodo provisum non ivistis? Quæ de applicatione meriti Christi per sacramenta, & meritorum ejusdem in terra vel Cœlo garris, nil ad rhombum faciunt. Non enim argumentum nostrum de instrumento vel medio, quo meritum Christi applicatur, sed de re applicata, an videlicet tota Christi satisfactio in consilio & acceptatione Patris applicetur, an supra id, quod à Deo applicatum est, abundet aliquid ab hominibus pro pœna temporali applicandum; loquitur. Hoc vel non intellexisti, vel ad alia consultò detorsisti. 3. Est satisfactio Christi infiniti pretii, fateor ultro. Sed nil abundare in ea ex voluntate & consilio Dei non applicatum, adeóque ab hominibus applicandum, ex iis, quæ modò diximus, & *ad Obj. II.* porro dicturi sumus, liquet. Lepidum est, quod de Ministerio nostro nugaris. Non enim illud vel applicat meritum aliquod Christi abundans, & à Christo ipso non applicatum: vel valorem meriti discerpit, sed per Evangelii præconium legatione fungens pro Christo (2. Cor. V. 20.) totum Christum singulis fidelibus, pro culpis juxta atque pœnis eorundem omnibus, offert. Nil ergo cum impietate Clavigeri, qui se Petri successorem mentitur, commercii habet. 4. Nec Durandi sententiam inficiari: nec argumenta ejus refellere ausus es. Parum etiam tibi Pallavicinus succollare potuit. Ille enim *loc. cit.* ultro fatetur, Franciscum Mayronium & Durandum à communi doctrina discrepasse; illum *in 4. Sent. dist. 1. q. 2.* opinantem, *quòd operibus Christi ac Sanctorum à Deo satis abundè repensum sit remuneratione gloriæ seu primariæ, seu secundariæ; adeóque Pontificis in largiendis indulgentiis authoritas aliunde, nempe ab eo, quòd S. Petro dictum est:* Quodcunque solveris &c. *pendeat*: hunc verò *in 4. Sent. dist. 30. q. 3.* negantem, *quòd in hoc thesauro redundans Sanctorum satisfactio includatur, quia visionem*

beatam

beatam pro præmio obtinuerint; secus quàm Christus, cui ea debita fuerit ex natura, & data fuerit in primo ejus conceptu; quique adeò non aliam in se ipso mercedem acceperit, quàm gloriam corporis, quæ infra ipsius merita fuerit, ut sic per ea humanum genus redimere ei licuerit. Non tantùm ergo Durandum, sed longiùs etiam progredientem Mayronium nobis cedit. In refellendo verò utroque ratiunculas jam protritas affert, atque insuper in laboriosa Sanctorum actione præmio digna duplex inesse jus, alterum ab altero separabile, nugatur. *Unum*, inquit, *prout solum meritum obtinet: & hujus ampla remuneratio est gloria cælestis: alterum, prout actio laboriosa est; & hujus compensatio est remissio pœnæ aliunde debitæ. Quapropter quicunque ex Sanctis plus pœnæ passi sunt, quàm meruissent, adhuc eo nomine creditores existunt.* Ita Pseudo-Theologus ille, seu mavis Romanæ Pseudo-Politices consultus. Quasi scilicet vel actio laboriosa, si quid meretur, alia re quàm *labore* mereatur: vel omnino aliquid mereatur, cùm, S. Paulo Rom. VIII. 18. teste, *minimè paria sint, quæ præsenti tempore perpetimur, futuræ gloriæ in nobis revelandæ:* vel debita non sit eo ipso, quòd omnis labor, crux, adversitas, mors ipsa temporalis fidelium à Deo ipsis imponitur, non ut pœna propriè dicta (qualis fidelibus nulla ampliùs incumbit Rom. VIII. 1.) sed ut paterna castigatio, & *δοκιμασία* fidei, per quam Christo conformes fieri debent.

ARG. III. Indulgentiarum Papalium nullum est in S. literis fundamentum. Patet tum ex re ipsa, tum ex confessione Durandi de S. Portiano, Antonini, Roffensis, Silvestri Prieriæ, Alphonsi de Castro, Cajetani, qui postremus *Opusc.* 15. *cap.* 1. disertè ait, *nullas Scripturas S. nullam priscorum Doctorum Græcorum aut Latinorum authoritatem scriptam indulgentiarum ortum ad nostram notitiam deduxisse. Sed à trecentis tantùm annis hoc scripturæ commendatum esse de vetustis Patribus, quòd B. Gregorius indulgentias stationum instituit.*

RESP. REDING: 1. *Cajetanus discernit id, quod juris, & quod facti est. Ad jus indulgentiarum firmandum Scripturæ authoritate nititur. Factum tantùm de indulgentiis per Summos Pontifices actualiter concessis Scripturæ authoritate constare negat. 2. Argumentum tuum ab authoritate negativa petitum nullius momenti est; maximè cum extent monumenta fide dignissima, à S. Gregorio mille ante annos concessas esse indulgentias iis, qui destinata quædam urbis templa adiissent; & à Leone III. octingentis abhinc annis plura Germaniæ Templa iisdem nobilitata, S. Lugdonus in Epistola quadam à Surio relata testetur; denique vetustatem earundem testetur lapis inscriptus Sergio Pontifice circa A. 844. qui Romæ in Templo S. Martini de Montibus, ubi largitur Pontifex indulgentiam Templum illud eo die, qui S. Martino sacer est, frequentantibus, visitur. Meritò hinc Pallavicinus sic argumentatur: Nisi usque ab Apostolis hic mos aliquo modo in posteros dimanasset, quo pacto cuiquam Pontifici licuisset rem adeò novam ex improviso in Christianum genus inducere, à cunctis exceptam, ac nullius calamo reprehensam eo tempore, quo tam liberè rebus Pontificum in paginis obtrectabatur? 3. Roffensis à te perperam citatus Assert. contra Luth. a. 17. puncto 3. indulgentias tribus principiis stabilivit; primò, quòd eodem actu quis pro se ipso mereri præmium, & nihilominus pro quovis altero satisfacere possit, uti Mosis, Stephani, aliorum exempla probant: Secundò, quòd innumeri sint, qui longè graviores ærumnas pertulerunt, quàm ad suorum delictorum expiationem suffecerit: Tertiò, quòd hujus thesauri dispensatores Prælati sint.* Ibid. pag. 329-331. Resp. 1. Cajetanus, nulla distinctione usus, simpliciter negat,

negat, *ullas Scripturas S. indulgentiarum ortum ad nostram notitiam deduxisse.* Quid tu ei distinctionem jus inter & factum obtrudis? Ne in mentem quidem ei venit, locuto simpliciter de indulgentiis, adeóque de jure, quo illæ à Pontifice dispensari suo tempore solebant. Antoninus Sanctulus vester, P. 1. *Tit.* 10. c. 3. *De indulgentiis*, inquit, *nihil expressè extat in S. Scripturis, nec etiam in dictis antiquorum, sed modernorum.* Alphonsus de Castro *adv. Hæres. lib. VIII. Voc. Indulgentiæ*, ingenuè id ipsum fatetur, scribens: *Adversus hunc errorem paucis contendam, quoniam inter omnes res, de quibus in hoc opere disputamus, nulla est, quam minùs apertè S. literæ prodiderint, & de qua minùs vetusti Scriptores dixerint. Neque tamen hac occasione sunt contemnendæ, quòd earum usus in Ecclesia videatur serò receptus; quoniam multa sunt posterioribus nota, quæ vetusti illi Scriptores prorsus ignoraverunt. Nam de Transsubstantiatione panis in corpus Christi rara est in Scriptoribus antiquis mentio: de Purgatorio ferè nulla, potissimùm apud Græcos Scriptores.* Similes ergo, teste à Castro, labra vestra lactucas habent. Et à tempore Gregorii M. Thomas Aquinas, Gabriel Biel, aliique vestrates originem Indulgentiarum diversis verbis arcessunt. Si Scripturæ eas præcipiunt, commendant, à Sanctissimis ne Apostolis, Patribus vetustioribus neglectum tantum scilicet Ecclesiæ thesaurum putabimus? 2. Non igitur, judicibus vestris, authoritas hæc negativa est. Nam Gregorio M. authori acceptas referentes indulgentias, Scripturæ testimonio prorsus destitui, non obscurè fatentur. *Non est* autem (sic Bellarmini *de Amiss. Gratiæ lib. VII.* 3. verbis arguimus) *de rebus, quæ pendent à Divina voluntate, aliquid asserendum, nisi Deus ipse in Scripturis Sanctis tale aliquid revelaverit.* Hic autem agitur de rebus, quæ pendent à Divina voluntate, num Deus talem thesaurum colligi voluerit, tali consilio, tali fine? num remissis culpis & pœnis æternis sibi satisfieri velit talibus pœnis temporalibus? num denique tales pœnas temporales remitti velit, & quidem tali modo? Hic, Indulgentiarii, Scripturas cedite, vel plorate! Nam Pallavicini certè collectio, qua ab usu sexcentis post Christum annis frequentato Apostolicum institutum demonstrare eo argumento, *quòd nemo Pontifex rem adeò novam ex improviso in Christianum genus inducere, à cunctis exceptam, ac nullius calamo reprehensam, eo tempore, quo tam liberè rebus Pontificum in paginis obtrectabatur, potuerit*, satagit, nimis profectò desultoria est. Nos enim de indulgentiis non quibusvis, sed de Papalibus disputamus. Est autem Papalis indulgentia, Bellarmino *de Indulg. lib. I.* 8. finitore, *absolutio judicialis à reatu pœnæ Deo debitæ in foro Pænitentiario, extra Sacramentum dato per applicationem satisfactionum, quæ thesauro Ecclesiæ continentur.* Tales indulgentias vel Gregorii M. vel Leonis III. vel Sergii Pontificum ætate obtinuisse, nunquam Pallavicinus probaverit. Nam remissa culpa Deo deberi pœnas ullas, vel si quæ deberentur, eas compensari alienis satisfactionibus in thesaurum Papæ creditum comportatis, & ab eodem imputatis; non tantùm non prima, sed ne sera quidem Antiquitas credidit, ante Seculum XIII. quo tempore promercales indulgentiæ, sub conditione tinnientis æris, dari cœperunt. Quin primus Clemens VI. Seculi XIV. homo thesaurum superefflluentium meritorum Christi in bullis suis expressum voluit. Ex eo demum tempore thesaurum suum Papa aperire carbonésque suos pro auro vendere, Jubilæis etiam institutis, non paucis Occidentalibus institutum palam oppugnantibus; & Orientali Ecclesia nunquam, ac ne hodie quidem consentiente; occœpit: de qua re infra *Arg. VII.* fusiùs. An ergo ab Apostolis institutum censebimus, quicquid novissimorum Seculorum Pseudo-Pontifices, non Dei Spiritu, sed auri sacra fame compulsi, Ecclesiæ, falsa priùs doctrina per inservientes iisdem Sophistas Scholasticos corruptæ, obtruserunt? 3. Fischerus, Roffensis Episcopus, Papæ Martyr, *Art.*

13. contra Luth. sic de indulgentiis scribit: *Multos fortasse movet, Indulgentiis non multùm fidere, quòd earum usus in Ecclesia fuisse videatur recentior, & admodum serò repertus apud Christianos. Quibus ego respondeo, non certò constare, à quo primùm tradi cœperint. De Purgatorio apud priscos nulla, vel rarissima fiebat mentio. Sed & Græcis ad hunc usque diem non est creditum, Purgatorium esse. Nec tam necessaria fuit sive Purgatorii, sive Indulgentiarum fides in primitiva Ecclesia, atque nunc est. Quandiu nulla fuerat de Purgatorio cura, nemo quæsivit indulgentias. Nam ex illo pendet omnis indulgentiarum existimatio. Si tollas Purgatorium, quorsum indulgentiis opus erit? Cùm itaque Purgatorium serò cognitum ac receptum fuerit universæ Ecclesiæ, quis jam de indulgentiis mirari potest, quòd in principio nascentis Ecclesiæ nullus earum fuit usus?* An causam & Purgatorii matris, & indulgentiarum filiæ, prodere certiùs potuisset? Quæ verò extra Scripturam idem indulgentiis principia, abs Te memorata, substravit, eo ipso caduca magis sunt, quòd rem in Scriptura, judice Roffensi eodem, non revelatam suffulcire conantur; atque insuper humanis meritis & satisfactionibus, supra à nobis debellatis, superstruuntur.

ARG. IV. Indulgentiæ Papales fœdè corrumpunt & adulterant claves Regni Cœlorum. Cùm enim per eas peccata declarentur remissa, eam declarationem irritam faciunt indulgentiæ, & de integro remissionem vel vendunt, vel alia ratione applicant.

RESP. REDING. : *Licet per indulgentias pœnæ temporalis reatus, ad reatum culpæ se habens accidentaliter, adeóque post remissum illum superstes, nec gratiæ sanctificanti ullatenus repugnans, relaxatur; non ideo tamen potestas clavium minuitur, quia illa semper valet ad remittendum culpæ & pœnæ æternæ reatum.* Ibid. pag. 332 333. Resp. Rancida hypothesi tua supposita, ne sic tamen argumentum solvis Qui enim clavium ministerio reatum pœnæ temporalis subducit, annon is potestatem clavium apertè minuit? Etenim Christus Petro, & in ejus persona Ecclesiæ potestatem dedit clavium Regni Cœlorum, hoc est, ligandi & solvendi, peccata remittendi & retinendi, Matth. XVI. 19. XVIII. 18. Joh. XXI. 23. Peccata remittere quid aliud est, quàm pœnas peccato debitas condonare? Pœnæ ergo temporales peccato vel debentur, vel non debentur. Si debentur, ergo ministerio clavium tum remittuntur, cùm peccata remittuntur: & qui remitti negat, is clavibus partem solvendam, remittendam subducit. Si non debentur, ne quidem pœnæ sunt. Pœnæ enim cùm in universum non aliud sint, quàm passio à Deo ex ordine justitiæ inflicta peccatori propter peccatum, necessariam ad peccatum relationem habent, ita ut superstites esse sine peccato, vel condonari non condonato simul peccato nequeant. Tum remittitur culpa, cùm debitum culpa contractum remittitur, juxta illud: *Remitte nobis debita nostra.* Quod autem potest esse illud debitum? Culpa? Atqui ea est debendi causa, non id, quod debetur. Resipiscentia? Atqui ea remitti nec potest, nec debet. Quid igitur debemus ob peccata nostra? Profectò nihil nisi dare pœnas. Sola igitur pœna propriè & per se, culpa nonnisi ratione pœnæ remittitur. Nihil enim potest remitti, nisi quod ob admissum peccatum exigi potest. Quid autem potest exigi? Peccatum? Culpa? Vel, in quibus culpam collocant, macula, injuria, offensa? Nihil certè minùs. An, ne culpa fuerit admissa? Contradictionem implicat. Ne admittatur in posterum? Id verò etiam ab innocente & debetur & exigitur. Certè nihil potest præter pœnam exigi: ac proin nihil propriè præter pœnam remitti; ac tum demum peccatum remittitur, cùm pœna remittitur. Atque id ipsum etiam

ex satisfactione Christi colligitur. Fatemini ipsi, eum pro omnibus culpis satisfecisse plenissimè. Quomodo verò? Solvendo utique, quod debebamus. Quid ergo solvit? Culpas? absit. Nihil certè præter pœnas. Non igitur pro culpis satisfecit, nisi quia satisfecit pro pœnis: nec per ejus satisfactionem culpa nobis remittitur, nisi quia satisfactionis ejus applicatione nostra fit, quam nostro loco subiit, pœna. Appello hic tuam, Redingi, conscientiam. Quid tibi præcisè optas, cùm tuas tibi condonari culpas supplex petis? Non aliud, credo, quàm liberationem à reatu pœnæ, quem culpis tuis contraxisti. Optas forte, ut etiam gratia sanctificans tibi à Deo infundatur. Sed videlicet, ne pecces in posterum, & in peccati condonati signum. Nam qui per remissionem culpæ nihil aliud formaliter intelligit, quàm infusionem gratiæ habitualis, næ ille remittendi vocabulo præter sacrarum literarum, imò hominum omnium consuetudinem turpiter abutitur. Deinde Deus, juxta vos, & Adamo, cùm crearetur, & Angelis gratiam infudit absque peccati remissione. Rursus remittunt culpas & Reges reis, & privati privatis absque infusione gratiæ. Ipsimet etiam vos docetis, veniales culpas nulla infusa gratia remitti. Enim verò hoc ipso, quòd legem transgressus es, sive ea transgressio aliquid relinquat in anima tua permanens, sive nihil, reus es, pœna dignus es, remissione indiges. Jam ergo liquidò constat, non tantùm pœnæ temporalis reatum, sed ipsa etiam peccata, pœnæ causas, per indulgentias relaxari, ideóque claviubus Regni Cœlorum subtrahi & peccata & pœnas temporales peccatis debitas, quotquot, & quandocumque per indulgentias relaxantur. Hæc certè clavium non exigua clades est. Cui & hoc accedit, quòd, licet Doctorum Scholæ receptior sententia sit, indulgentia relaxari pœnam nonnisi temporalem, & Paparum tamen diplomata *omnium peccatorum remissionem* spondeant, & vulgi pervagata ea opinio sit, æternas etiam pœnas eadem condonari. Persuasum enim ei est, satisfactionibus æternas pœnas redimi. Doctores tradunt, redimi pœnas temporales, sed in quas æternæ sint mutatæ potestate clavium. Dum igitur temporales redimuntur immediatè, utique mediatè etiam æternæ redimuntur. Nec inter doctores ipsos desunt, qui dicant, hominem posse satisfacere pro culpa & pœna æterna. Sic Ruardus Tapperus *Oper. Tomo. I art. 16. Lovan.* Jam indulgentiæ immunitatem à satisfactionibus præstare credebantur. Credebantur ergo pariter à pœna æterna liberare. Annon sic clavium ministerio derogatum plurimùm est?

ARG. V. Papales indulgentiæ enervant studium resipiscentiæ, veræ ac solidæ pietatis, & hominibus securitatis pulvillos sub axillis consuunt. Indulgentiæ enim dicuntur relaxare satisfactiones. Satisfactiones iis sunt inter alia etiam opera laboriosa, eleemosynæ, jejunium, preces, quæ Synodus Sess. VI. 14. vocavit *fructus dignos Pœnitentiæ.* Proinde indulgentiæ relaxant studium eleemosynarum, precum, jejunii, seu *fructus dignos pœnitentiæ*, quos tamen Johannes Baptista tanquam necessarios & prædicavit & imperavit Luc. III. 8. Atqui quod Deus præcepit, Papa relaxare non potest, quia nulli hominum potestas dispensandi contra legem Dei competit.

RESP. REDING: I. *In satisfactionibus ad pœnæ temporalis post dimissum culpæ reatum superstitis, expiationem necessariis duo consideranda sunt, justitiæ rigoris, & humanæ imbecillitatis status. Utrique temperamentum accedit ex indulgentiis, quæ non conceduntur sine aliquo eleemosynarum, jejunii vel precum, aliòque virtutis cujuspiam laborioso opere.* Proin

Proin, & satisfactionis, & pœnitentiæ fructibus adhuc locus est; & quod de rigore justitiæ superexcedit, per Christi superabundantis satisfactionis applicationem, mediante indulgentia, suppletur. Ex quo temperamento eatenus fit moderata, & imbecillitati humanæ commensurata de pœnitentiæ rigore relaxatio, ut hujus præcepto ejúsque fini ex integro tum per inadæquatam satisfactionem à pœnitente persolvendam; tum per Christi satisfactionem superabundantem ex authoritate Divinitus constituta applicatam, satisfiat. Non ergo indulgentia satisfactionem formaliter ut sic, sed materialiter duntaxat, quoad opera pœnalia spectatam relaxat. Ibid. pag. 331. 332. Resp. Operæ pretium fuerit paucis repetere, quænam juxta receptiorem Papatus doctrinam indulgentiarum beneficio relaxentur. Disputavit eam in rem Bellarminus *de Indulg. lib. II. 1. &c.* Negat ergo, per indulgentias relaxari vel *culpam*, vel *maculam*, quæ animam inficit: negat remitti *pœnam æternam* peccatis debitam: negat condonari *pœnas naturales*, quales sunt morbi, mors, & similes: negat remitti eas pœnas, quas Deus hominibus, *castigationis* loco, post peccatum immittit, quales sunt, de quibus Apostolus Hebr. XII. 6. loquitur: negat remitti pœnas, quæ à *jurisdictione Ecclesiastica* & *seculari* externa & forensi inflictæ sunt, quas inter Excommunicatio est. Quam ergo denique pœnam remittit? *Illam*, inquit Bellarminus, *quæ in foro pœnitentiæ infligitur, quæ voluntariè adimpletur, ad quam implendam non cogimur, nisi timore Dei, & stimulo conscientiæ. Hæc est enim*, inquit, *per quam Domino satisfacimus, & cui succedit, nisi in præsenti Domino satisfiat, pœna Purgatorii.* Id est, Indulgentiæ remittunt orationes, jejunia, eleemosynas & similes satisfactiones; liberantque, juxta Bellarminum (*cap. 13.*) hominem ab observatione præcepti illius: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Denique per indulgentias obtinere remissionem peccatorum juxta eundem *loc. cit.* est obtinere, nequis teneatur *Domino, quem superbia, cupiditate, atque illicita delectatione offendit, humilitate, largitione & compunctione & afflictione voluntaria satisfacere.* Atque indulgentiæ juxta Papistas, nihil aliud sunt, quàm relaxationes à bonis & meritoriis operibus: & largiri indulgentias, est cohibere à bonis operibus & satisfactionibus, ad quas implendas *timore Dei & stimulo conscientiæ cogimur.* Egregiam verò Ecclesiam, cui preces, eleemosynæ, jejunia pœnæ sunt, & quidem tam graves, ut gravissimis & longissimis Purgatorii ignis pœnis & cruciatibus æquipolleant! Præclaram thesauri & indulgentiarum Ecclesiæ Romanæ utilitatem, ut nimirum tollantur graves illæ pœnæ & eleemosynæ, quibus homini verè Christiano putabamus nos nihil esse posse vel suavius vel utilius! Scilicet Dei filius passus est mortem, passi sunt etiam ejus Sancti, ut ne impellente Dei timore & stimulo conscientiæ oraremus, jejunaremus, eleemosynas pauperibus erogaremus! Certè Christus non satisfecit nisi pro pœnis peccato debitis. Sunt ne in eo numero censendæ preces & eleemosynæ? Valent, inquiunt, thesaurus & indulgentiæ ad remittendas pœnas temporales, quas Deus culpis remissis retinet. An igitur culpis remissis ex pœnis, quas homines erant commeriti, retinet istas, scilicet preces & eleemosynas? Erat ne lex, quæ pœnas ejusmodi peccatoribus comminaretur? aut qui damnantur impii & reprobi, ad ejusmodi pœnas damnantur? Etenim applicatione satisfactionum è thesauro depromptarum immediatè & principaliter liberamur ab iis pœnis, pro quibus satisfactiones illæ sunt præstitæ, & quas eramus peccando maximè commeriti. Liberamur autem, si credimus Bellarmino, *immediatè & principaliter* ab illis scilicet pœnis, precibus, eleemosynis &c. à pœnis verò Purgatorii *mediatè, consequenter & secundariò.* Doctrinæ adeò fœdæ fœdissimos fructus sic Episcopus Chemensis *On. Eccl. c. 14. §. 22.* deplorat: *Modernæ indulgentiæ tollunt hujusmodi frugalium pœnitentiarum operationem, & tantùm pigris & rebellibus hominibus sunt frugi, sicut cæteræ faci-*

 les

les promissiones ne ipsi pigri & rebelles graviùs peccent, si careant tali licentia, quæ est quoddam solatium infirmorum, incolumibus autem inutilis ad profectum salutis, quoniam tales indulgentiæ non perfectionem, sed omissionem & tristitiam pœnitendi inducunt. Sic planè acu ulcus tetigit. Porrigat ilicet siliquas has porcis suis Romana Circe. Non invidemus. Sed Gordios hosce nodos feliciter Redingius, si credere fas est, solvit. Negat enim, quod Bellarminus afsa voce affirmaverat, quòd indulgentiæ relaxent pœnas in foro Pœnitentiæ inflictas, hoc est, satisfactiones voluntarias, quæ non aliud ei sunt, quàm preces, eleemosynæ, jejunia. Quid ergo juxta Redingium relaxant? Scilicet non ipsas pœnas, sed quod in iis exigit *rigor justitiæ*, & quod homo *per imbecillitatem suam* in solidum explere nequit: adeóque non remissionem pœnæ, sed *temperamentum* duntaxat aliquod circa solutionem pœnæ, ne tantam solvere cogatur, quantam justitiæ rigor exigit, affert. Hæc nova Redingii Theologia est, quæ indulgentias, improbas illas merces, tantùm non ad incitas redigit. Quem verò Tu mihi justitiæ Divinæ rigorem in pœnis non æternis, non temporalibus, naturalibus, vel Divinitus impositis, sed merè arbitrariis & voluntariis (tales enim satisfactiones in foro Pœnitentiæ impositas facitis) constituis? Præterea si ad temperandum justitiæ Divinæ rigorem per indulgentiam applicanda est satisfactio Christi, quis id meliùs faciliúsque facere potest, quàm ipse Christus, qui pro fidelibus omnibus satisfecit, & cujus judicio sisti illi debent? Uter ejusmodi animam impensiùs amat, Christus, qui pro ea mortem passus est, an Pontifex Romanus, qui eam forte ne novit quidem? Si igitur Christus magis & potest & vult illi suam satisfactionem, ut rigori justitiæ Divinæ satisfiat, applicare, quis eum malle id Pontificis Romani, quàm sua indulgentia fieri credit?

ARG. VI. Indulgentiæ Papales vanis promissis lactant peccatores. Promittunt remissionem pœnarum temporalium. At pœnarum, quæ in hac vita infliguntur, nemo unquam exsors fuit, si vel maximè in indulgentias impetrandas omnes suas facultates erogâsset. Pœnæ post hanc vitam in purgatorio nullæ sunt. Et si quæ essent, cur seipsum Papa ab iis non liberat? Imò cur non omnes fideles interposito ex thesauro illo pretio? Barbarus & crudelis sit oportet, qui quidquam reliqui faciat ad liberandum miseros ex infernalibus illis Purgatorii tormentis.

RESP. REDING: 1. *Si nemo pœnarum in hac vita exsors esse potest, dantur ergo post remissam culpam temporales pœnæ, quod hactenus oppugnasti.* 2. *Neque convenit, ut Papa satisfactionem Christi ad tollendas pœnas temporales omnes applicet, tum quia pœnæ reatus haud tollitur, dum affectus actualiter fertur in objectum etiam venialiter tantùm peccaminosum; neque in ullo homine spiritus ita à sensualitate depuratus est, quin ex hac omni ferè momento trahat affectionem venialiter malam: tum quia indulgentiarum dispensatio respectu animarum in Purgatorio existentium præcisè fit per modum solutionis, non, uti in Sacramento Pœnitentiæ, per modum absolutionis: respectu verò vivorum fit per modum absolutionis. Solutionis, quidem in actu primo sufficientis infallibilitas semper subsistit: sed an quoad efficaciam in actu secundo Divinæ acceptationis promissio, ejúsque infallibilitas verbis illis.* Quicquid solveris in terra, solutum erit in Cœlo; *æquè ac in Sacramentali peccatorum remissione, firmata sit, edoceri cupio per S. Ecclesiam, hoc est, Summum Pontificem, cujus est ex cathedra proferre genuinum S. literarum sensum. Acceptatio pretii pœnæ temporalis reatui expiando*

piando condigni, non æquè ac in Sacramentali absolutione habetur Divinitus promissa, sed intra Divini consilii abscondita mysteria latet. Ibid. pag. 332-334. Resp. 1. Pœnæ intelliguntur respectu vel salvandorum, vel damnandorum. Salvandorum pœnas agnoscimus, sed impropriè tales, mala utique ratione materiæ, sed non ratione formæ, vel finis, quia non infliguntur, ut satisfactiones & vindictæ, sed ut remedia & medicinæ, uti in loco explicavimus. Damnandorum pœnæ propriè tales sunt. Jam ergo, Redingi, doce nos, quenquam fidelium exsortem esse pœnarum temporalium, eo, quo diximus, sensu; si vel maximè facultates suas universas in indulgentias erogaret. Hic rhodus, hic saltus. 2. Si tales essent indulgentiæ, quæ pœnas tollere queant, cur sibi ipsi indulgendo Papa pœnas suas non redimit? Nihil ad hoc respondes. Thomas certè *Supplem. 3. p. q. 27. a. 3.* apertè dicit, illum, *qui aliis dispensat indulgentias, posse iisdem indulgentiis uti, & eas accipere sibi ipsi, sicut Sacerdos sibi Eucharistiam accipit, quam aliis dat.* Quid igitur opus suffragiis pro animabus defunctorum Pontificum? Et quis ferat, repeto, ut cùm penes Papam sit profuso thesauro pœnas omnium tollere, & miseras animulas ab igne cruciatorio (quem sola æternitate superare infernus dicitur) evocare, sinat tamen eas usque ejulare ac torreri crudelissimè, nec omnes tamen thesauri sui cumulos liberali manu profundat. *Infelix est,* ita de divite Ambrosius *de Nabotho* scribit, *cujus in potestate est tantorum animas à morte defendere, & non est voluntas.* Quorsum Deus illi hanc indulgentiarum potestatem indulsisset, nisi erga alios beneficum esse voluisset: & ubi paterfamiliâs largus est, dispensator tenax esse non debet. Inprimis cùm juxta glossam *Extra. de Pænit. & remiss. cap. 12.* in omnem eventum *tutius sit reddere Deo rationem de misericordia, quàm de crudelitate.* Sed non convenire ita, Redingius oggerit, *quia scilicet nunquam reatus venialis maculæ cessat.* Atqui indulgentiæ maculæ cujuscunque, adeóque venialis etiam, remissionem à remissione pœnæ temporalis, juxta vos, disparant, & remissionem culpæ jam factam supponunt. Quidni etiam, quoties se macula venialis exerit, toties, adeóque semper, Papalis indulgentia pœnam relaxet, siquidem relaxandi potestatem habet. Quæ porro de *solutionis* respectu defunctorum, in Purgatorio sudantium, & *absolutionis* respectu viventium differentia garris, ut sic Papam tuum Redemptorem, Mediatorem vivorum & mortuorum facias; nec communi vestrorum consensu recipiuntur, & falsa simul atque ἀπροσδιόνυσα sunt. Neque enim planè inter vos convenit, indulgentia in solutione, an in absolutione, an in utroque consistat. Meram esse *solutionem* pœnæ peccato debitæ ex thesauro, Durandus, Antoninus, Adrianus VI. Silvester, Paludanus, alii: *absolutionem* judiciariam, sine solutione ex thesauro, Franciscus Maironis, Cajetanus: & *solutionem* & *absolutionem* in indulgentiis reperiri, Bellarminus & recentiores nonnulli Theologi, quibus indulgentia *absolutio judiciaria, annexam habens solutionem ex thesauris*, definitur, pertendunt. Cajetanus tamen notavit, multum interesse, utrum propriè solutio, an propriè absolutio dicatur. *Nam,* inquit, *si indulgentia primò consistat in absolutione, dispensatio thesauri accessoriè concurrit ad indulgentiam: ut quia Ecclesia non potest liberè relaxare debitam Deo pœnam pro peccato in illum commisso, ad hoc, ut remissio sua sit efficax, jungit absolutioni dispensationem pœnarum solutarum à Christo & Sanctis, applicando aliquid earum huic, & aliquid illi: ut sic & remissio sit efficax ex adjuncta satisfactione Christi & Sanctorum pro istis, quibus indulgentia datur, & Deo debita pro peccato pœna exsoluta inveniatur. Si autem primùm indulgentia sit dispensatio prædicti thesauri, absolutio ab injuncta pœnitentia accessoriè concurrit ad indulgentiam. Ex eo namque quod applicatur mihi tantùm de pœna recondita in thesauro, sequitur, quòd sim absolutus ab æquivalente pœna, quam debebam Deo pro peccatis*

meis exsolvere. Sic ergo non componuntur sententiæ, sed pronuntiatur secundum alteram partem & præfertur absolutio thesauro, ut illa sit indulgentiæ operæ pretium, thesaurus verò accessorium quid. Sed distinctam ab his omnibus novissimámque sententiam sectatus Redingius, absolutionem & solutionem in indulgentia sic distinguit, ut illa in viventibus, hæc in defunctis locum habeat. Viden' confusionem Babylonicam labii! Sed falsitas insuper Redingianæ sententiæ ultro patet. Præterquam enim, quòd re nondum probata, de modo disputare supervacaneum est: quodque si deessent, qui solverent, tam solutio, quàm absolutio ilico cessaret; difficile etiam erit Redingio, absolutionem judicialem in ullis indulgentiis sive vivis, sive mortuis applicatis demonstrare, tum quia juxta Adversarios ad absolutionem judicialem, vi verborum Christi Joh. XX. 23. *Quorum remiseritis peccata*, &c. causæ cognitio per confessionem requiritur; cùm tamen indulgentiæ generatim omnibus, citra ullam cognitionem causæ in singulis, concedantur: tum quia in absolutione non solæ pœnæ, sed peccata etiam remittuntur: tum denique, quia potestas ligandi, solvendi, remittendi peccata à Christo Apostolis concessa, ab Adversariis ad potestatem ordinis, non jurisdictionis: potestas verò indulgentias dispensandi ad potestatem jurisdictionis refertur. *Abbates* enim, *Parochi & alii Sacerdotes Episcopis inferiores jure communi non posse concedere indulgentias*, Becanus *de Sacr. cap.* 28. *q.* 6 *ſſ.* 2. aliique asserunt. Unde patet, eam potestatem non contineri sub potestate ligandi & solvendi, utpote quæ jure communi his omnibus tribuenda est. Præterea nec concipi potest, quomodo eædem numero indulgentiæ ab eadem Pontificia potestate manantes sint & non sint actus jurisdictionis Ecclesiasticæ, duósque habeant respectus distinctos, *Absolutionis* erga viventes, & *Solutionis*, erga mortuos. Quòd si tamen Indulgentiæ defunctos juvant per modum *Solutionis*, sive oblationis pretii Redemptionis, habebunt vim sacrificii propitiatorii, majoris etiam quàm Missa sit, in qua novum sacrificium vel λύτρον pro peccatis offerri, negant. Divinandum quinetiam esset, tum cui per indulgentias hæc pretii oblatio fiat, Deo an defunctis; tum quo jure Ecclesia in hos non suos thesaurum suum profundat, rectiùs profusura in homines jurisdictioni suæ obnoxios: tum denique, cur thesauri hujus infinito pretio non simul semélque defunctos à piacularibus Purgatorii flammis liberet. Sed *non constare, Divinæ acceptationis promissionem in actu secundo*, titubanter Redingius asserit, & se de eo à Summo Pontifice edoceri cupit, inani & fallace voto. Nunquam enim id Papa docuit: nunquam docebit Redingium. Talis vester doctor, tali judex est. Quòd si pro certo id asserere non audes, planè te ratio destituit, qua nodum solvas, cur non semel simúlq; profuso omni thesauro suo Papa & viventes & defunctos à pœnis temporalibus liberet? Si enim id ab incertitudine acceptationis Divinæ in actu secundo pendet, jam periit vis omnis indulgentiarum. Nemo unquam certus esse poterit, indulgentias in Cajum, an in Sejum profusas Deus acceptet. *Hæc*, utar verbis Redingii, *inter Divini consilii abscondita mysteria latent.* Vobis verò in re incerta certum lucrum sufficit.

ARG. VII. Universæ Ecclesiæ primitivæ consensu destitui indulgentias fatentur Durandus, Antoninus, Magister Angularis, Cajetanus, alii. Altum etiam de indulgentiis silentium apud posteriores, qui ante Seculum XIII. scripserunt, Bernhardum, Rupertum Tuitiensem, Lombardum, Gratianum ipsum. Etsi verò quondam solita est Ecclesia dare relaxationes à Canonicis satisfactionibus, tamen ejusmodi relaxationes & remissiones à Papalibus

palibus indulgentiis alienissimæ erant. Quippe non dabantur ex thesauro Ecclesiæ, nec compensabantur largitionibus vel operibus pœnitentium, nec peccata coram Deo redimere, vel temporales pœnas exsolvere credebantur, nec à Papa solo dispensabantur, nec erant denique fœdarum nundinationum, sicuti postea factæ sunt, materies. Tale enim indulgentiarum Ecclesiæ primitivæ incognitarum genus cœpit demum sub annum 1200. quo tempore dari cœperunt, sub conditione eleemosynarum ad dedicationes Templorum vel Hospitaliũ, peregrinationum, & in genere, tinnitus munerum. Ab eo igitur tempore Pontifices hunc thesaurum aperuerunt, quo ipsis thesauros colligere decretum fuit, eósque puduit dicti Petri, *Aurum & argentum non habeo*, Act. III. 6. Arduæ autem fuerunt inter Scholasticos disputationes, aliis indulgentias oppugnantibus, aliis eas tolerantibus, ut *pias fraudes, quò plebs officioso errore trahatur ad pietatem*, aliis defendentibus, & asserentibus in universum, per indulgentias remitti vel pœnas vel satisfactiones pro peccatis debitas, pro pœnis injunctis vel injungendis, sive ex arbitrio Sacerdotis, sive à Divina justitia, vel in hac vita, vel in Purgatorio; si videlicet pœnitens visitaret Basilicas vel reliquias certas, celebraret festa, audiret missas & prædicationes, defenderet terram Sanctam, erogaret eelemosynas ad Hospitalia, Templa &c. Ac eò processere eæ nundinationes, ut Synodus Viennensis eas gravissimè notare cogeretur. Sed fovere perrexerunt Pontifices, per institutionem Jubilæorum, quæ nihil aliud quàm indulgentiarum nundinæ sunt, quæque primò Bonifacius VIII. in singula Secula instituit, mox Clemens VI. à centesimo ad quinquagesimum, tandem Paulus II. & Sixtus IV. à quinquagesimo ad vicesimum quintum reduxit. his enim temporibus dari cœperunt plenissimæ indulgentiæ à solis Pontificibus visitantibus Romæ basilicam Petri & Pauli, Ecclesiam Lateranensem, & Mariæ majoris. Quin ea facultas dispensandi indulgentias plenarias vendita est certis Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Conventibus, Hospitalibus, Confraternitatibus, & Universitatibus. Denique eâ impudentiâ fœdissimæ illæ nundinationes indulgentiarum, seu potiùs emulgentiarum, exercitæ sunt, ut non aliunde Deo visum fuerit judicium suum in Ecclesiam Romanam auspicari, quàm à destruendis illis, òperâ selectorum Dei organorum, Huldrici Zvvinglii, & Martini Lutheri, trapezitarum mensis. Nam immensis illis quæstorum Pontificiorum cupiditatibus nostris justam reformandi ansam datam esse, non diffitetur illustris Thuanus, Guicciardinus, Jovius, aliíque. Quin ferrei aliâs oris Monachus Carthusianus Surius, non ausus dissimulare, *importunos indulgentiarum Prædicatores turpis quæstus causâ pro concione temerè multa dixisse.* Denique ipsum Concilium

lium decreto de *indulgentiis* fatetur, *abusus irrepsisse emendandos & corrigendos*, statuitque, *pravos quæstus omnes pro indulgentiis consequendis, unde plurima in Christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse*: reliquos verò *abusus colligendos & ad Pontificem deferendos esse*. Quàm verò segniter correcti illi abusus sint, etiam post Concilium, Cl. Hottingerus *Histor. Eccles. tom. VII. pag. 370. &c.* fusè ostendit.

RESP. REDING: 1. *Silentium in iis, quæ facti sunt, nihil derogat juri Papæ, quod habet ex concessa ipsi à Christo ipso potestate clavium. Quin ex Cypriano Epist. lib. III 15. constat, satisfactiones Martyrum in carceribus adhuc detentorum potuisse ab his applicari pænitentibus ad pœnarum remissionem. Bernhardus quoque, cujus silentium falsò allegas, promulgavit indulgentias, quas Eugenius III. pro Palestinæ bello indulsit. 2. Cùm negare non audeas, olim in Ecclesiæ usu fuisse relaxationes à canonicis satisfactionibus, nostras indulgentias improbare nequis. Veteres enim illæ à sacris canonibus sancitæ criminum pœnæ non solo extrinseco fidelium in paria delicta, ut acriùs coërcerentur, faciliùs prolabentium scandalo nitebantur: sed in intrinseco etiam reatu ex talibus delictis in Dei conspectu contracto, æquitatis fundamentum habebant. Cúmque injunctæ fuerint jam contritis, absolutis & justificatis, non poterant injunctæ esse ad æternæ, sed tantùm ad temporalis pœnæ reatum solvendum. Ne ergo talium satisfactionum relaxatio vacua existeret, prædita fuerit oportet, illa ipsa ad reatum eum temporalem extinguendum virtute, quæ satisfactionibus illis competiit. 3. Tantus ille veteris Ecclesiæ rigor æquitati & justitiæ consentaneus non fuisset, si nullum in conspectu Dei pœnarum temporalium reatum superesse judicasset. 4. Quæ de indulgentiarum nostrarum nundinatione, ut diversam veteris & nostræ Ecclesiæ praxin evincas, objicis, merissima calumnia sunt. Si quando sub moderata vel in Ecclesiam, vel in alias causas pias largitione indulgentiæ quædam concessæ sunt, illæ non aurum vel argentum ex se ipso mensuratum, sed ex religionis causâ que piæ necessitate & utilitate pensatum spectarunt. 5. Falsum quinetiam, quòd indulgentiæ à nonnullis piæ fraudes nuncupatæ sint. Thomas enim & Bonaventura, sententiis alias discordes, in propugnanda indulgentia & thesauro Ecclesiæ, quam duo præcipua Scholasticæ Theologiæ lumina tradiderunt, consentiunt. 6. Si qui abusus paulatim irrepserunt, tam non illæ cathedram Petri contaminant, quàm non Pharisæorum nequitia cathedram Mosis contaminare potuit, maximè cùm iis præcavendis, vel præscindendis semper Pontifices & Concilia invigilaverint. Proin si Zwinglius & Lutherus ex doctrina de indulgentiis ansam ceperunt hæreses suas procudendi, eodem jure ceperunt, quo Capernaitæ ex verbis Christi hæresin suam procudendi ansam arripuerunt. 7. Tua denique de abusibus illis per Concilium Tridentinum non correctis querela probat veritatem sententiæ Cardinalis Soderini, quòd Curiæ Romanæ emendatio hæreticorum conversioni nil inserviat, quia hoc unum spectant, non ut Ecclesia reformetur, sed ut Pontifex in ordinem redigatur. Ita moderatis concessionibus iratum populum quandoque placari, sed perduellem irritari. Perduellionis autem incendium nonnisi vel terroris gelu, vel sanguinis pluviâ extingui.* Ibid. pag. 334-336. Resp. 1. Cùm facti silentium fatearis, in Democriti ne ergo puteo *jus* absconditum fuit, quominùs per tot secula exerceri posset? Liberaliores novissimorum Seculorum Papæ, Ecclesiæ Catholicæ Mitiones, facti sunt, quàm fuerunt Apostoli Optimi, & tot ex cana sanâque Antiquitate Præstites? De Cypriano infra. Bernhardi verò silentium verissimè allegavi. In diffusis ejus operibus ne apicem quidem de iis

reperi.

reperire est. Neque verum est, eum prædicasse indulgentias. Gotfridus ille, author vitæ Bernhardi, tantùm dixit: *Cujus epistolæ*, quam scilicet Eugenius III. scribebat, *tenor fuit, ut in pœnitentiam & remissionem peccatorum iter arriperent, aut liberaturi fratres, aut suas pro iis animas posituri.* Ubi *pœnitentiam, remissionem peccatorum* video; indulgentias nec video, nec audio. Nam etiam Sacerdotes quique in remissionem peccatorum semper aliquid pœnarum imponunt suis confessis; neque tamen indulgentias conferunt. Et cur non potuit Eugenius persuadere id ipsum opus militiæ, quam sacram putabat, cessurum illis in remissionem, tanquam satisfactionem propriam? 2. Veteris Ecclesiæ satisfactiones canonicæ quales fuerint, & an pro *extrinseco duntaxat* scandalo Ecclesiæ illato, an pro *intrinseco* etiam reatu ex delictis in Dei conspectu contracto, & quo sensu sic præstitæ fuerint, non ex nuda assertione tua, sed ex intima veterum ipsorum sententia dijudicari debet. Hanc verò supra *Tomo I. ad Seß. XIV. q. 8. pag.* 1026.1027. excussis ipsis veterum dictis explicavimus. Sed de hoc quicquid sit, probandum tibi fuerat, veteres indulgentias impertitos esse *ex thesauro* quodam *Ecclesiæ* ex satisfactionibus Christi & Sanctorum conflato: & impertitos esse conditione largitionum, vel operum ejusmodi, qualia hodie exiguntur: & ea quidem opinione, quòd alienæ satisfactiones imputatæ redimant non à peccatis ipsis, non à pœnis quibusvis, sed solis temporalibus, divulsis ab æternis & peccatis ipsis, utpote jam condonatis: & impertitos esse solius Papæ, supremi Indulgentiarii, vi jurisdictionis supremæ sibi collatæ, nutu, aurique sacerrima fame. Hæc enim Papalium indulgentiarum paginam utramque faciunt, & tam veteribus ignota fuerunt, quàm Papatus Apostaticus & Simoniacus ipse. 3. Extremus Ecclesiæ veteris rigor in eo situs erat, quòd non obsequentes Ecclesiæ Publicanos & Ethnicos esse voluerunt, jusserunt, donec pœnitentiam sufficientem testarentur. Sed pœnitentiæ ipsius rigorem per indulgentias temperare visum est apud infirmos inprimis mortique approximantes, & periclitantes aliàs, nec non persecutionis tempore. Qualiscunque ergo rigor ille fuit, neque iniquus ille fuit, utpote in sola *ἀποσυναγωγίᾳ* illorum, qui Ecclesiam offenderunt, constitutus; & subinde per indulgentias temperari solitus. 4. Indulgentiarum fœdissimum mercimonium vestrum, quod aliquot seculis impune, & impudentissimè exercuistis, tam apertum est, ut, nisi desperata impudentia circumtectus, negare ausurus non fueris. Inter alias indulgentiæ dandæ causas non postrema, veteri Ecclesiæ omni incognita, *indigentia Ecclesiæ* excogitata est. Triumphus *art. 3. q. 30. Indulgentiæ*, inquit, *sunt ad relevandam indigentiam Ecclesiæ.* hoc est, Papæ, & Cleri ei servientis. Hæc latissima & frequentissima erat, quoties videlicet pecuniis opus esset. Ecquando verò non opus erat iis, quorum ingluvies insatiabilis? Modò structuræ, modò reparationis Ecclesiæ, id est, Basilicæ alicujus, modò ornamentorum, utensilium comparandorum: modò alimentorum, iis, qui Ecclesiæ inservirent, necessariorum: & mille ejusmodi rerum prætextus sumebantur, dum interim non rarò aliò pecuniæ corrasæ migrarunt, veluti à Leonis X. Quæstoribus compilatæ pecuniæ Sorori ejus Magdalenæ cessisse, alibi ex Guicciardino, Jovio, Langio probavimus. Aliquando adhibebatur indulgentiis taxa eroganda pecuniæ: alias nulla; sed eleemosynæ collatio cujusque devotioni permissa est. His pecuniis colligendis adhibere placuit *Quæstores*, qui in varias digressi provincias huic curæ vacarent, ut quàm maximas referrent. De iis Operis Tripartiti author *p. III. c. 8.* sic queritur: *Circa quæstuarios prædicatores, qui fere totam Dei Ecclesiam ubique terrarum inficiunt, & sunt scandalo toti mundo, sunt tot reprehensibilia, quod non facilè potest dici, sunt etiam pro maxima parte personæ inhonestæ; & infames. Habent tot Brevia, quæ relinquunt in singulis Parochiis, in quibus continentur, tot*

indulgentiæ, quòd mirantur boni viri (NB) *si unquam de conscientia Papæ vel etiam alicujus boni viri potuerunt illæ procedere. Item multa mendacia consueverunt dicere & de reliquiis, & de indulgentiis, &, quod supremum malum est, ista & alia multa eorum jam ita versa sunt in lusum & risum, quòd vix est aliquis, qui super hoc doleat vices Christi.* Ad compendium hic pono, quæ alibi *Myst. Babyl. M. Diss. XVI.* 55. *&c.* de fenestra Indulgentiarum nundinationi per disputationes Scholasticorum aperta: de Quæstorum impudentia, decreto Viennensis Concilii nequicquam repressa: de indulgentiis ad mortuos ipsos extensis: de Jubilæis, publicis indulgentiarum nundinis: de indulgentiis in articulo mortis carissimo omnium pretio concessis, non sine novis imposturis & disputationibus de articulo mortis vero & præsumpto: de Confessionalibus & stationibus, Romanis inprimis, indulgentiis pecuniis præsentibus per Quæstores venditis, inservientibus: de collybistarum mensis sub Leone X. eversis, de querelis eam ob rem plurium, statuum Imperii cumprimis: de Reformatione Concilii Tridentini tentata, sed merè fucata; aliisque eodem pertinentibus, fusè edisseruimus. Neque aliud hic addimus, quàm testimonium hominis Hispani & scriptis clarissimi, Alphonsi de Castro Franciscani, quod *lib. III. de hæretic. punit. c. 3. p.* 309. *edit. Antuerp.* sic ille concepit: *Ad hoc hominum genus pertinent ferè omnes quæstuarii indulgentiarum prædicatores, ex quibus vix unum aut alterum invenias virum doctum, qui sciat de re, quam prædicat, vel mediocrem reddere rationem. Nunquam aut fidem aut mores sua prædicatione docere intendunt, sed is solus prædicationis suæ scopus est, plures ab auditoribus non solùm haurire, sed extorquere pecunias. Quod ut assequantur, quas populo prædicant plus debito exaggerant, quaquaversum se vertunt, plangunt, lamentantur, minantur, rident, nihil denique pro pecuniis extorquendis intentatum relinquunt, etiamsi* (NB) *cum fidei periculo id faciant. Nam sæpe indulgentias, quas prædicant, adeò extollere cupiunt, ut pro earum laude* (NB) *execrandas hæreses ex ore suo effundant. Quantum autem nocumentum ex hoc genere hominum fuerit Christianæ Reip. illatum, tota Germania potest esse testis: quoniam hæc prima radix fuit, unde tota hæc Lutheranorum pestis orta fuit. Nam cùm rabulas quosdam indulgentiarum prædicatores Lutherus audisset, qui plura, quàm par erat, de indulgentiis dixerunt, adeò horrenda illi sunt visa, ut impium iniquúmque existimaverit tacere, & illis non obviare.* Idem paulo post: *Ab istis igitur quæstuariis indulgentiarum prædicatoribus primam ansam hæresis suæ Lutherus accepit. Quod nomen in tantam jam abiit infamiam apud probos & cordatos viros, ut nullus aut rarus sit vir bonus & doctus, qui indulgentias prædicare dignetur.* Item: *Ego quidem indulgentias, si rectè dispensentur, sanctas & valde æstimandas esse confiteor, illarum tamen prædicatores, ut quædam Reipublicæ Christianæ monstra abominor.* Hæc omnia Alphonsus, quæ etiam superstitibus hodiéque indulgentiariis ad populum olim habitis homiliis facilè confirmari possunt. Sed quis candor neganti id Redingio? Quámque senex psittacus, quod ille olim ajebat, ferulam nescit! Fateri enim nonnihil coactus, ilico excipit, indulgentias quasdam moderatiore largitione concessas, *aurum & argentum spectasse, non ex se ipso mensuratum, sed ex religionis causæque piæ necessitate & utilitate pensatum.* Credo non aliter spectasse Simonem Magum, nec auri & argenti ac Spiritus S. commensum aliquem animo suo finxisse magis, quàm vos indulgentias auro ementes vendentésque facitis. Sicut enim ille pro pecunia Spiritus S. dona emere pariter & vendere constituerat: ita Pontifices vestri pro pecunia peccatorum remissionem vendunt. Neque fucus publicæ Ecclesiæ *necessitatis* & *utilitatis* Simoniaci quæstus labem ab iis abstergit, quia quæstus ex re spirituali, sive ad unum, sive ad plures, sive ad ipsam communitatem redundet (quanquam

haud

haud raro ad solum Papam ejúsque necessarios redundavit, criminis Simoniæ speciem non mutat, imò auget etiam, eò quòd quæstus ille Ecclesiæ impensus eandem polluit & profanat, neque magis quàm meretricia olim merces in Sanctuarium Domini inferri potest. Quòd si necessitas & utilitas Ecclesiæ operam & collationem fidelium flagitat, non illa turpi illa rerum spiritualium, quæ in commercio esse nequeunt, nundinatione provocari, sed liberali prece solicitari, vel Papali imperio, cui omnia subesse illi sciscunt, extorqueri deberet. Denique sive spiritualia ut præmium pecuniæ Deo oblatæ, sive ut merces rependantur, rependuntur certè, & rependuntur ex pacto, quod obligationem inducit, qua indulgentiam concessurus *causas justas, manum adjutricem* &c. paciscitur. Sed eandem in rem adversus Pallavicinum *Myst. Babyl. Diss. XVI.* 70. 71. 72. plura diximus. 5. Censuisse nonnullos, quòd indulgentiæ sint *piæ fraudes*, legere poteras apud Thomam vestrum, qui *Suppl. 3. P. q. 25. art. 2.* sic scribit: *Quidam dicunt, quòd hujusmodi indulgentiæ non tantum valent, quantum prædicantur, sed unicuique tantum valent, quantum fides & devotio sua exigit. Sed dicunt, quòd Ecclesia ad hoc ita pronuntiat, ut quadam pia fraude homines ad benefaciendum alliciat: sicut mater, quæ promittens filio pomum, ipsum ad ambulandum provocat.* Gregorius de Valentia *de Indulg. cap. 2.* ex eodem Thoma *Suppl. 3. p. q. 25. art. 3.* sequentia verba, quæ in Thomæ editis operibus non extant, sed, post verba illa, *Ad Primum*, omissa sunt, citat. *Dixerunt nonnulli, Indulgentiam Ecclesiasticam nullam pœnam remittere per se, neque in foro Ecclesiæ, neque in foro Dei, sed esse piam quandam fraudem, qua Ecclesia per illam remissionis pollicitationem homines alliciat ad exequendum devotè ea opera pia, quæ in indulgentiæ forma exiguntur: ut pro ratione ejus devotionis & valore operum Deo satisfiat, non autem per vim ipsius indulgentiæ: quemadmodum si mater parvulum ad currendum alliciat, promittendo illi pomum, quod postea tamen non dat.* Sed hæc opinio Thomæ probata non fuit, & multò minùs hodiernis indulgentiarum institoribus probatur, quia omnem eorum negotiationem evertit. *Indulgentiæ enim fiunt* (sic illi apud Augustinum de Ancona *de Pot. Papæ q. 30. art. 3.* sciscunt) *ad relevandam indigentiam Ecclesiæ. Sed indigentia Ecclesiæ non relevatur per solam voluntatem dandi, sed per datum.* 6. *Si qui*, inquis, *abusus irrepserunt.* restitantium & pertinacium reorum instar. Dixisses potiùs categoricè, horrendos & enormes irrepsisse, quod candidiores inter vos quique agnoscunt; & Tridentini ipsi agnoverunt *Sess. XXV.* sic loquentes: *Abusus, qui in his irrepserunt, emendatos & correctos cupiens* Concilium, *præsenti decreto generaliter statuit, pravos quæstus omnes pro his consequendis, unde plurima in Christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse.* Sed negat Redingius ejusmodi abusibus Papæ cathedram contaminatam esse; sicut nec Pharisæorum nequitia Mosis cathedram contaminare potuerit. Bellula comparatio! Quid enim Pharisæorum nequitia ad Mosen, ejúsque cathedram? Sed Papæ ipsius, quo authore, incentore, lucripeta quæsturam hanc Romani nebulones diutissimè exercuerunt, nequitia an pariter nihil ad Papam, nihil ad ejus cathedram? Saltem nullum per aliquot Secula Papam mihi demonstrabis, qui quæsturas & imposturas illas Italicas in re tanti momenti severitate disciplinæ castigaverit. Hic diutissimè siluere leges, atque semel fixæ citò refixæ sunt. Justè ergo impietati huic indignati, offensionem summam, Simoniacæ nequitiæ acerrimi hostes, Zvvinglius & Lutherus, conceperunt; nec ea in re cum Capernaitis paria fecerunt. Hi enim sanctissimo Christi sermone impiè: illi fœdissima & testatissima trapezitarum Romanorum cauponatione piè, & sancto cum Zelo commoti indignationem offensionémque testati sunt, & Evangelii doctrinam Simoniacæ impietatis fermento corruptam in integrum restituerunt. Hæc Zvvinglii, hæc Lu-

theri hæresis fuit. 7, Quæstuarias indulgentias aboleri in speciem Tridentini jusserunt. Sed decretum variis limitationibus, quas venter, ingenii, uti vulgò ajunt, largitor, dictavit, elusisse Papæ gnathones, *Myst. Bab. Diss. XVI. 75.* ex Barbosa, Cardinalium declaratione, Hieronymo Roderico, aliisque demonstravimus. Sed Redingius Tridentinis, reformationis speciem nonnullam præ se ferentibus, succensere videtur. Mallet ergo paruissent illi Cardinalis Soderini consiliis sanguinariis, & in hæreticos, ceu perduelles, omissa Reformatione omni, *terroris gelu*, vel *sanguinis pluviam* depluissent. Sic enim perduellionis incendium extincturos rectiùs fuisse, ille Dei perduellis, & Babylonicæ meretricis vasallus, ominatur. Condonet ipsi DEUS hanc truculentiam, faxitque, ut missa tandem Sapientia *terrestri, animali, Diabolica,* hoc est, Papali, Sapientiam, *quæ è supernis est, & primùm quidem casta, deinde pacifica, æqua, tractabilis, plena misericordiæ & fructibus bonis est,* discat, ne cum Soderino suo in Sanctos sanguinis pluviam depluturus, ipse plagarum Babylonis in stagno, quod sulphure & igne ardet, particeps reddatur! Hæc votorum, hæc dirarum nostrarum ἀκριβεία summa esto.

ARG. VIII. Omnibus temporibus fuerunt, qui contradicerent indulgentiarum imposturis. Nam & Lateranense, & authore Durando Speculatore, Viennense Concilium modum licentiæ illi præscripserunt. Notæ querelæ Waldensium, Wiclefi, Ruthenorum, Hussi & Hieronymi Pragensis. Quin Bohemi impudentes nundinatores in carcerem compegerunt. Tota Schola Parisiensis Clementi VI. contradixit, &, teste Aventino, Indulgentiarias ejus Bullas solenniter, adhibitis tubis & campanis, damnavit. Et notus est Wesselus Groninganus, qui ob suas contra indulgentias disputationes, dictus est *Magister contradictionis.* Recitat is Monachorũ sui temporis opinionem, *quòd indulgentiæ sint piæ fraudes, & dolus non malus, quo plebs officioso errore ad pietatem trahatur.* Post Wesselum Johannes Vesaliensis, Professor Erfordiensis, propter acrem indulgentiarum reprehensionem ad ignem damnatus est. Quomodo & Savanarola ob eandem inter alias causam flammis confutatus est. Johannes Sarisburiensis in Policratico passim queritur, *quòd Romæ mensas auro & argento ornent, & exultent in rebus pessimis, quòd peccata populi comedant, eis vestiantur &c.* Abbas Urspergensis pridem applausit Romæ: *Gaude mater nostra Roma, quoniam aperiuntur cataractæ thesaurorum in terra, ut ad Te confluant rivi & aggeres nummorum in magna copia. Lætare super iniquitate filiorum hominum, quoniam in recompensationem tantorum malorum datur tibi pretium.* Et apud Thomam Aquinatem *in Suppl. 2. p. q. 25. art. 3.* fuerunt, qui dicerent, *indulgentiam ecclesiasticam nullam pœnam remittere per se, nec in foro Ecclesiæ, nec in foro Dei: sed esse piam quandam fraudem &c.* Tandem tota natio Germanica A. 1510. apud Imperatorem Maximilianum, inter cætera gravamina de Indulgentiis est conquesta.

RESP. REDING: *1. Citatorum à te alii solos abusus perstrinxerunt: alii aperti hæretici fuerunt. Nos contra multos Sanctos viros indulgentiarum præcones laudare possumus,*

velut-

velut S. Berhardinum, Antoninum, Vincentium, Bonaventuram, Thomam, P. Martyrem, Antonium Paduanum, Franciscum, Dominicum, Bernhardum. 2. De Schola Parisiensi Clementis VI. Indulgentiarum bullas damnante non alio teste, quàm Aventino hæretico, niteris. 3. Catholicorum quorundam malè informatorum, & ipsorum etiam Germaniæ statuum querelas Pallavicinus Hist. C. T. lib. I. 2. 7. 8. 9. discutit; ostendens videlicet, pecuniam esse necessarium instrumentum ad obtinendum, quicquid in aliorum potestate est; hominem nil esse nisi terram, proin ad Cælum emendum nil de suo conferre nisi terram posse; Deum hac terra contentum pro ea solvere, non quanti ea, sed quanti à nobis æstimatur; sacrilegum esse, qui Cæli thesauros argento in propria lucra converso commutat, non qui eos spondet in præmium oblatæ Deo pecuniæ; oportere, ut alicujus rei sanctio bona sit, haud respicere ad ea, quæ fert in singulis peculiaribus eventis, sed in eorum omnium collectione confert. quomodo præstantissimæ indulgentiæ, quæ cruce signatis attributæ sunt, rectè concedi videntur binos denarios conferentibus, quia ex innumerabili multitudine exiguarum collationum Rex Hispaniæ maxima subsidia suaviter conflat, quibus ingentes classes ad Christianorum tutelam instruere possit. 4. Thomas Aquinas ibidem loci contrariam opinionem confirmat. Ibid. p. 336--338. Resp. 1. Qui indulgentiarum Papalium abusus taxarunt, nobiscum illi hac quidem in re fecerunt. Nam nec nos de indulgentiis simpliciter, sed de iis, quæ per Papales Simoniacæ & hæreticæ evaserunt, disputamus. Neque, qui eos oppugnarunt unquam, eam ob causam veri hæretici vel apud Deum, vel apud Sanctos ullos, sed apud solum Papam, ejúsque juratos ventres, non quæ Dei, sed quæ sua sunt, quærentes insatiabiliter, audiverunt. Vel unum audi Wilhelmum Durandum, Speculatorem insignitum, qui consilio jussu Clementis V. de Concilio celebrando, scripto, sic *parte 3. tit.* 15. de indulgentiis scribit: *Cùm in universali Ecclesia quæstores indulgentiarum multos errores disseminent, multósque seducant simplices, & multas abusiones procurent, & vitam gerant enormiter dissolutam, &c. potestásque clavium contemnatur, cùm pro uno obolo, vel nihilo indulgentia conceditur, nec proficiat Concilii Lateranensis provisio; unde populi contemnunt pœnitentias à Sacerdotibus impositas adimplere, &c. videretur super hoc de competenti remedio providendum: & insuper ut cessarent quæstus cursorum & nuntiorum Romanæ curiæ.* Vel ergo Sanctus non fuit hic Durandus, indulgentiarum apertus sugillator: vel Sancti non fuerunt tui illi novissimi Divi, Bernhardinus de Bustis, Dominicus, Franciscus, Antonius Paduanus, aliíque hujus furfuris indulgentiarum institores, Deo & Sanctis veris non uno nomine invisi. Bernhardum tamen excipio, quem nunquam indulgentias prædicasse, supra ostendimus. 2. Scholæ Parisiensis, solenniter adhibitis tubis & campanis, ab Urbano VI. & Clemente VII. promulgatas indulgentias damnantis, factum non ideo explodere potes, quia ab Aventino proditum est. Præterquam enim quòd Aventinus verus adeóque idoneus testis est. nec ideo rejiciendus, quia clero parasitari edoctus non est: satis etiam constat, Gersonem, Parisiensis Scholæ, Cancellarium celebrem, indulgentias Papales floccipendisse. Multa ex eo Wesselus *Epist. ad Jac. Hoek. cap. 3.* prodidit. veluti *quòd indulgentias magis ad potestatem ordinis, quàm jurisdictionis retulerit, quòd asseruerit, de indulgentiis nihil unum & inconfusum ab Ecclesia tradi; confusam verò credulitatem non esse catholicam, sed seditiosam magis, quia singula singulorum: quòd in justificatione impii naturaliter priùs gratia infundatur, quàm culpa dimittatur, & quòd priùs reatus dimittatur, quàm culpa; adeóque post dimissam culpam nullus reatus restet: quòd illæ tantorum annorum indulgentiæ sint enormitas, & donatio irrita sit, quæ se extendit ultra mensuram obligationis: quòd Papa in suis indulgentiis Divinæ justitiæ, & Divinæ mi-*

sericordiæ derogare possit, per propriam stultitiam errorem, scandalum sic præbens pusillis: quòd certissimum signum salutaris indulgentiæ sit bona facere & mala pati, & contritum habere cor, quale nullis Papalibus Bullis indigeat; & si imperfectè contritum sit, per Papam perfici non possit. Quæ omnia cum Bullatis Papæ Indulgentiis, si potes Redingi, concilia. De cœtero Thomas Jamesius *Manud. ad Theol. art.* 22. contra usum indulgentiarum ex medio Papatu ante Lutherum testes *Vincentium Belluv. Bonaventuram, Durandum, Petrarcham, Gersonem, Fortalitium fidei, Johannem de Vesalia, Vincentium Ferrarium, Reginaldum Peacok, Thomam Gascoigne, Dominicum de Dominicis, Gabrielem Biel, Savanarolam, Johannem Langium, Wernerum de Rollvvink, Nic. Kus, Joh. Keyserberg, Flechem, Vallam, Conr. à Lichtenau,* induxit. 3. Quàm mala & impia sit informatio Cardinalis Pallavicini, qua ille statibus Imperii, aliisque de fœdo indulgentiarum mercimonio quiritantibus, *malè*, scilicet, uti Pseudo-Politicus ille objicit, *informatis* imponere, eósque in Simonis Magi, cum quo commune principium ille habuit, *quòd pecunia sit necessarium instrumentum ad obtinendum, quicquid in aliorum potestate est*; non Simonis Petri, professi, *se aurum & argentum non habere*, castra seducere conatus est, alibi *Myst. Babyl. Diss. XVI.* 70. 71. *&c.* demonstravimus. quò pium lectorem amandamus. 3. Neque nos Thomæ Aquinati authori, sed testi acceptam retulimus, quòd ejus ætate dixerint nonnulli, indulgentias pias fraudes esse. Eidem alterum testem (ut in ore duorum veritas magis constet) Sanctulum Romæ, Bonaventuram jungimus. *Aliqui,* sic ille *in 4. dist.* 21. scribit, *dixerunt, hujusmodi indulgentias aliquid valere, sed nunquam tantum, quantum promittitur, sed aliquid valent modicum, secundum quod meretur fides & devotio. Prædicat tamen hoc Ecclesia, ut filios suos bona quadam deceptione ad bonum alliciat: sicut mulier filio pomum promittit, quod postea non donat.* Si ita libet, tertium his junge, nominatim Albertum M. *in 4. dist.* 20. *art.* 17. Horum certè judicio non alia indulgentiæ Papalis utilitas est, quàm piæ cujusdam fraudis, & officiosi mendacii. Et quid aliud sibi volunt Papales bullæ promittentes remissionem *culpæ & pœnæ*, sine discrimine, & quidem subinde innumeros in annos; qualem nec præstant, nec præstare possunt.

ARG. IX. Incertitudo doctrinæ de indulgentiis ex ipsorum Pontificiorum circa eam magno dissensu cognosci potest. Sutlivius quinquaginta quatuor contradictiones annotavit. Solus Bellarminus *de Indulg. ab initio usque ad pag.* 58. plus quàm triginta suggerit. Joseph Angles *in 4. Sent. quæst. de Indulg.* quinque narrat opiniones contrarias de indulgentiarum valore, duas de thesauro, duas de dispositione recipientis, duas de tempore, quo incipit esse sub gratia, duas de sufficientia eleemosynæ pro bello sacro datæ.

RESP. REDING: 1. *Nequissimè confundis opiniones Scholastico certamini expositas, probabilitatis metam ex neutra parte transcendentes cum dogmaticis ab Ecclesia definitis sanctionibus. Satis est, si de indulgentiis illibata fide teneantur articuli, per Oecumenicum Concilium definiti. In reliquis dissensus nihil obest.* Ibid. pag. 338. 339. Resp. Qui verò, Redingi, sunt articuli illi dogmatici, ab Ecclesia definiti? Etenim Tridentina Synodus *Sess. XXV. decr. de Indulg.* haud ignara certaminum Scholæ circa omnes indulgentiarum causas innumerorum, hoc unum definivit, *indulgentiarum usum, Christiano populo maximè salutarem, & S. Conciliorum authoritate probatum, in Ecclesia retinendum, & pravos quæ-*

stus

sus pro his consequendis abolendos esse. Quàm pudenda hæc definitio? *Indulgentiarum usum retinendum esse,* cùm tamen quid sit indulgentia, quæ ejus *efficiens,* Papa solus, an alii etiam: quæ *materia,* thesaurus satisfactionum Christi & Sanctorum, an alterutrorum, an aliud quid; quæ *forma* solutio, an absolutio: quis *finis,* relaxatio culpæ, an pœnæ, & cujus pœnæ; aliáque ejusmodi, indulgentiarum quidditatem concernentia in commune non constiterint, neque quidquam eorum vel à præcedentibus Conciliis definitum, vel communi consensu receptum fuerit. Cùm tamen non defuerint in Concilio ipso, qui certi quidpiam de hisce definiri perciperent. Sed omittendi definitionem rei author astutus Concilio fuit Episcopus Mutinensis, ad animum revocans, rem difficilimam futuram, si de indulgentiis tractationem instituere vellent eo modo, quo de justificatione instituerant, consideratis causis, & quæstionibus excussis. *Neque enim,* inquiebat, *caput illud satis dilucidè explicari posse, nisi priùs illud constitutum sit, an sint absolutiones, an verò compensationes & suffragia: & utrum pœnas duntaxat à Confessore impositas remittant, an quascunque debitas; itidem, an thesaurus, qui (NB) fundamenti loco substernitur, ex solis Christi meritis constet, an verò opus insuper sit meritis Sanctorum: An dari possint sine ulla accipientis opera, an ad mortuos etiam se extendant, & alia non minoris difficultatis.* Omiserunt ergo præter alia etiam definitionem ipsius *fundamenti* indulgentiarum. Quid ergo definivit Synodus? Non qua in re indulgentiæ consistant, sed earum usum retinendum esse. hoc est, nihil omnino. Nam dicere retinendum esse, quod quale sit, liquidò non constat, impudenter nugari, & hominibus illudere est. Et ausus est Redingius, ex audacia & stoliditate consutus, mihi incertitudinem meritò exprobranti, *nequissimum spiritum* impingere.

ARG. X. Denique indulgentiarii vineta sua cædunt, & hypotheses proprias convellunt. Etenim si, uti Papa loquitur, in Bulla Jubilæi An. 1600. edita, *super indulgentias contingit plenissima omnium peccatorum indulgentia, remissio pœna*, cur, qui eas consecuti sunt, jubentur adhuc de remissione sua & salute dubitare? Si Papa absolutam potestatem habet per indulgentias è purgatorio, quas velit, animas liberandi, cur tam durus est, ut non confestim omnes liberet, & purgatorium evacuet? Si passiones Sanctorum aliis imputari possunt, cur non etiam, quod illi negant, justitia Christi credentibus? Si satisfactio à confessario imposita est utilissima, quia, ut Bellarminus loquitur, *coërcet à peccato, conducit ad habitus vitiorum eradicandos, ad iram Dei placandam*; næ indulgentias oportet esse perniciosas, utpote quæ satisfactiones illas remorantur.

Resp. Reding: 1. *Ex indubitatæ fidei nostræ circa indulgentias principiis indubitata manet hypothesis, per quam in actu signato sub virtuali satisfactionis Christi legitimè applicata stet certitudo plenissimæ peccatorum indulgentiæ, pœnæque remissionis. Cùm verò certitudo hæc exigat conditiones ab hominis indulgentias sibimet procurantis fallibili cooperatione pendentibus, mirum non est, in actu exercito ac in individuo reddi dubium indulgentiæ lucrum, utpote in executione pendens à conditionibus fallibilitatis humanæ exercitio subjectis. Insuper de remissionis perceptæ perseverantia homini nulla Divinitus facta est certitudo,*

gra-

gratiámque justificantis amissibilitas subest. 2. Papa indulgentiis suis Purgatorium evacuare non potest, tum quia Deus Purgatorium non vult esse vacuum: tum quia Papa non Dominus sed administrator est: tum quia defunctis indulgentias largitur, non per modum absolutionis, sed suffragii. qualis concessio indulgentiarum non significat infallibilitatem effectus, inprimis cùm defuncti extra sphæram jurisdictionis Papæ constituti sint. 3. Nemo nostrum negat, justitiam Christi peccatori justificando eatenus imputari, ut sit causa meritoria & satisfactoria remissionis peccatorum & justitiæ formaliter sanctificatricis. 4. Licet satisfactio à Confessario imposita utilissima sit; tamen illa ex satisfactione Christi infinita, ad pœnarum temporalium expiationem rite applicata, quoad effectus ejusmodi suppleri potest. Quia ergo pietatis opera pro acquirendis indulgentiis injuncta compensant, quod ex satisfactione à confessario imposita exigebatur, ad coercendum à peccatis, & vitiorum habitus eradicandos, quis non intelligit, utrumque hoc emolumentum ex illis quoque obtineri? Ibid. pag. 339-341.

Resp. 1. Indubitata fidei circa indulgentias principia ab Ecclesia vestra definita nulla vos habere, jam ostendimus. Et quæcunque quodlibetariis disputationibus vestris substernitis, falsa illa esse, & verbo Dei è diametro adversari, pariter demonstravimus. Ergo ne quidem actus signati certitudo ulla vobis suppetit. Et tamen tum signati, tum exerciti actus certitudinem indulgentiæ vestræ promittunt. Qui enim olim indulgentias prædicarunt, illi adjutrices manus porrigentibus simpliciter Cœlum promiserunt. Si de eo *in actu exercito* certi esse non potuerunt, indulgentiæ ergo *in actu exercito* eos fefellerunt, dum concedentes indulgentias *actus signati* æris, auri vel argenti certitudinem interea summam habuerunt. Biturigibus in Templo Cathedrali D. Stephani, ad altare Cardinalis, antiquo lapidi inscripti hi versus reperti sunt:

Hic des devotè, Cœlestibus associo Te,
Mentes ægrotæ per munera sunt tibi lotæ.
Ergo venitote, gentes à sede remotæ,
Qui datis, estote (NB) certi de divite dote.
Te precor, accelera, spargas hic dum potes, (NB) certa
Et sic revera (NB) securè cœlica spera.
O tu si scires, quantum data prosit ibi res,
Tu juxta vires donares, quod dare quires.
Te miser à pœna, dum tempus habes, aliena,
Ut tibi sit pœnæ venia, sit aperta crumena:
Consors Cœlestis fabricæ, qui porrigit, est is,
Crede mihi, crede, Cœli donaberis æde,
Nam pro mercede Christo dices, mihi cede.
Hic datur exponi Paradisus venditioni,
Currant ergo boni rapientes culmina throni.
Vis retinere forum, mihi tendas pauca obolorum
Pro suma quorum reserabitur aula Polorum.
Hic si largè des, in Cœlo sit tua Sedes:
Qui seris hic parcè, parcè comprendis in arce
Cur tardas? Tantum nummi mihi des aliquantum,
Pro solo nummo gaudebis in æthere summo.

Hæc ergo plus quàm aureorum montium pollicitatio si nullam *in actu exercito* certitudinem præstitit, quid aliud indulgentiæ quàm *impiæ fraudes* fuerunt? Quid præterea sibi voluerunt indulgentiæ peccatorum omnium *plenæ, pleniores, plenissimæ*, quales bullæ Pontificum promittere consueverant? Quid indulgentiæ in articulo mortis concedi, & charissimo pretio olim emi solitæ? Quid *confessionalia*, non minùs magno pretio redempta hunc in finem, ut cùm post concessam indulgentiam crimen aliquis patrasset, potestatem haberet, quem vellet eligendi confessorem, qui & ipse vigore Bullæ coemptæ haberet potestatem sibi hac in parte commissam, ut vel in certis, vel in quibuscunque casibus posset absolvere confitentem, & plenariam ipsi indulgentiam conferre vel semel in vita, vel bis in anno, vel toties, quoties prout cariùs bullas quis licitatus fuisset. Ejusmodi Confessionalium formulas quasdam Celeb. Hottingerus *Hist. Eccl. Tomo VIII. p* 113. 114. *&c.* re-

repræsentat. Hæc omnia nihil, Redingi, ad certitudinem salutis *in concreto*? Inprimis cùm conditiones iis, qui indulgentias acceperunt, præscriptæ, saltem iis, qui divitiis affluebant, præstitu faciles fuerint, & præstantes obsequii sui conscientiam habere potuerint; neque apud tam bene munitos gratiæ justificantis amittendæ periculum subesse potuerit. 2. In Deo voluntas conservandi Purgatorium, & Papæ illimitatam potestatem, quas velit, animas ex Purgatorio per indulgentias liberandi pugnat. Vel enim omnes liberare potest, vel nonnullas. Si *omnes*, tenetur id facere ex charitate, & sic Purgatorium evacuare debet. Si *nonnullas*, quo indicio ipsi constat, quas liberare, quas in Purgatorio relinquere debeat? An, & ubi discrimen aliquod per revelationem Divinam constitutum est? Sed forte, ita Turrecremata, ita alii, hic vel ille Purgatorianus non habet amicos superstites, qui impetrent. Qui verò scis? nisi fungos describas sine patre, sine matre, sine genealogia. Et da tamen aliquos hujusmodi esse; quid? Nulláne illi sunt in communione Ecclesiæ? Quòd si sunt, ergo etiam in charitate; & si hoc, habent ergo universos Christianos amicos: & non poterunt omnes Christiani implere conditionem? Maximè si in Christianis sit Papa, sint Cardinales, sint Prælati omnes. Nam hoc constitutum est, posse lucrari indulgentias quas dant: si pro se, cur non pro aliis? Nulla potest esse causa rationabilis. Et sanè præstaret totum thesaurum profundere, quàm vel unam animam in Purgatorio relinquere. Sed *Papa*, inquis, *non liberat animas è Purgatorio nisi per modum suffragii; qualis indulgentiarum concessio non significet effectus infallibilitatem*. An verò hoc pro certo Ecclesia vestra recipit? Ubi ergo id definivit? Certè aliter visum Michaeli Medinæ, qui, teste Bellarmino ipso, contendit, *animas defunctorum, quæ sunt in Purgatorio, pertinere ad jurisdictionem summi Pontificis, & posse ab eo indulgentias percipere per modum absolutionis*. Neque aliter Triumphus, eò etiam progressus, ut *quæst. 32. art. 3.* ausus sit asserere, *Papam, quantum ad absolutam ejus jurisdictionem, totum purgatorium evacuare posse*. Neque in eo consentitis, quid sit *per modum suffragii* indulgentias concedere. Alii enim existimant, ita intelligendum, quia prosint animabus Missæ, preces, aliáque pia opera, quæ Papa indulgentias concedens injungit. Alii, quia Papa applicet satisfactiones Christi & Sanctorum ex thesauro tam viventibus, quàm defunctis: sed viventibus per opera ipsis viventibus injuncta, defunctis per opera iisdem viventibus imperata. quæ cùm fiant nomine defunctorum, suffragia quædam defunctorum dici possint. Utramque sententiam inducit, *quòd indulgentiæ valeant per modum suffragii, quia non prosunt per modum absolutionis juridicæ, sed per modum solutionis. quomodo prosunt suffragia, quæ vel publicè vel privatim pro defunctis fieri solent*. Eandem in sententiam Redingius descendit. Si igitur indulgentiæ defunctis prosunt *per modum solutionis*, atque ita, *ut in iis Papa offerat, quicquid ad plenam satisfactionem satis est*, uti Bellarminus loquitur, quid ultra *ad infallibilitatem effectus* deest? Hinc adeò Cunerus aliique disertè affirmant, *posse Papam efficaciter indulgentias ad defunctos transmittere: ita nimirum, ut quam viventibus pro iisdem operibus posset indulgentiam concedere, eam in defunctos transferat, pro quibus hac intentione viventes laborant*. idque hoc fundamento, *quia Petro simpliciter, & sine ulla personarum, quæ foris sunt, distinctione claves Regni datæ sunt*. Unde optimè, inquit Cunerus, *Sedes Apostolica intelligit datam sibi potestatem, quibusvis Christi fidelibus tollendi reatum temporalem, qui eos ab ingressu in Regnum Cœlorum impedit. Claves enim civibus universis ad portas aperiendas serviunt*. Neque defuisse inter vos, qui Papæ in Purgatorium jurisdictionem illimitatam assererent, supra *pag. 705. 706.* demonstravimus. 3. Horrendum sanè est, nec à quoquam, nisi philtris meretricis Babylonicæ

corrupto, ferri potest, quòd cùm imputatio meritorum Christi ad justitiam peccatoris nobis à Deo facta passim inter vos deridiculo sit, merita tamen & passiones hominum Sanctorum è communi quodam thesauro ad levandas animarum pœnas ab hominibus imputentur. Potest ergo alienam satisfactionem efficaciter imputare homo. At Christi satisfactionem imputare Deus peccatori nequit: nisi forte, uti Redingius largitur, *meritoriè* quodammodo, hoc est, ita ut imputetur Christi meritum & obedientia, sed non ut per eam coram tribunali Dei absolvamur à peccato & pœnis, verùm ut causa duntaxat sit perficiendæ à nobis & sistendæ Deo justitiæ propriæ. Cùm tamen satisfactiones humanæ per indulgentias imputatæ censeantur sufficere ad absolutionem à pœna sine satisfactione propria, adeóque juxta vos imputentur non ut causa satisfactionis & justitiæ propriæ, sed ut satisfactio & justitia ipsa sola, unica. An hæc blasphema non sunt? 4. Si pietatis opera ab eo, qui indulgentias dispensat, injuncta supplent & compensant satisfactionem à Confessario impositam, quid ergo indulgentiæ aliud sunt, quàm putidæ merces & impiæ fraudes? Nam pretio addicunt indulgentiam, & tamen satisfactionem propriam, saltem pietatis propriæ opera satisfactionem compensantia, adeóque satisfactionum ἀπαλλαγὴν injungunt.

Obiectiones Tridentinorum.

OBIECT. I. *Paulus Coloss. I.24. testatur, se pati pro Colossensibus, & adimplere ea, quæ desunt passioni Christi in carne sua, pro corpore ejus, quod est ecclesia. Ergo sancti passionibus suis prosunt aliis ad satisfactionem, ita ut per indulgentiarum dispensationem aliis applicari possint.* Resp. 1. Bellarminus *lib.1. de Indulg. cap.3.* fatetur, verba illa Pauli ita exponi posse, ut significent, Apostolum multa passum esse propter electos & propter ecclesiam, quia non potuit Evangelium prædicare, nisi se multis periculis exponeret: & rursum, passum esse propter electos & propter ecclesiam, ut exemplo suo infirmos confirmaret, & ad brabeum supernæ vocationis accenderet. Quod verò subjungit, rectè etiam exponi de communicatione satisfactionum, id nos negamus, quia nemo merus homo vel pro se ipso, vel pro aliis satisfacere justitiæ Dei, & solutione sufficientis pretii vel se, vel alios debitis pœnis eximere potest. 2. Paulus igitur significat, se tanquam unum aliquod corporis mystici sub Christo membrum implere ὑστερήματα τῶν παθημάτων *reliquias passionum Christi*, hoc est, mystici corporis Christi, cui, ac inprimis Paulo, uti Act. IX.16. liquet, suum etiam crucis demensum Deus designavit. Idque fecit non ad ἱλασμόν *satisfactionem*, quia ad plenam satisfactionem nihil Christi passionibus defuit, Joh. XIX. 30. & infinito illarum valori addi nihil potuit; sed ut mystico corpori prodesset ad ædificationem in fide & verbo Evangelii, ut fideles persecutionibus illis Apostoli in suscepta Christi religione confirmarentur, uti ipse se Paulus explicat 2.Cor. I.6. Phil.I.12. Neque etiam pro aliis patiendo meruit, quia, ut Cyprianus loquitur,

Christus

Christus in nobis & luctatur & coronatur. Unde Paulus dicit, ἀνταναπληρῶ hoc est, *vicissim* & gratitudinis lege *impleo*.

EXCIP. REDING: 1, *Bellarminus satisfactionum communicationem loc. cit. solidè probavit ex articulo Symboli Apostolici, in quo communionem Sanctorum profitemur. 2. Alibi ostendimus, quòd sicut infinitæ Dei potentiæ addi potest virtus causæ secundæ tam in essendo, quàm in causando ab illa dependens: sic infinito satisfactionum Christi valori superaddi posse hominis justi satisfactorium valorem ex illa pendentem, eidémque omnimodè subordinatum, qui quidem non adaugeat intensivum Christi satisfactorium valorem, sed faciat tamen cum illo extensivum quoddam incrementum.* Ibid. pag. 341. 342. Resp. 1. Nos quoque Bellarmini ratiunculam à communione Sanctorum petitam infra *ad Obj. VI.* discussimus. 2. Sed & tuam de subordinatione causæ primæ & secundarum; & cum eadem comparata satisfactionis Christi infinitæ & humanarum satisfactionum subordinatione ratiocinationem *Tomo* 1.*pag.* 1012. 1013. abundè diluimus. Manifestum desperatæ causæ tuæ indicium est, quòd responsionibus meis nil nisi coccysmos ejusmodi opponere habuisti.

OBIECT. II. *Satisfactio Christi fuit infiniti pretii, & pro omnibus hominibus subita. Cùm igitur non omnes salventur, & una sanguinis guttula toti mundo redimendo sufficere possit, sequitur non totam satisfactionem applicari, ac proinde satisfactiones non applicatas vel reservari in thesauro ecclesiæ, qui per indulgentias dispensatur, vel, quod absurdum, in ventos dissipari.* Resp. 1. Cùm thesaurus ecclesiæ nec in Scripturis nominatus, nec à Patribus agnitus, & postremorum Seculorum putidum commentum sit, nihil vel in eo asservari, vel ex eo dispensari potest. 2. Impium est dicere, Satisfactiones Christi ab hominibus iis applicari, quibus ipse Deus & Christus eas applicare non dignatur. An igitur hominibus, qui ipsi peccatores & mortis rei sunt, plus potestatis est in sanguinem Christi, quàm ipsi Deo & Christo? 3. Sanguis Christi, utpote infiniti pretii κειμήλιον, per se non uni tantùm, sed mille mundis, si Deus eos creare voluisset, sufficeret. An igitur magna pars satisfactionis, quia non existentibus aliis mundis applicari non potest, propterea in ventos dissipatur? Apage impietatem! 4. Sanguis Christi infiniti pretii est ad redimendos homines non à pœna tantùm, sed etiam à culpa. Consequens igitur foret, partem ejus non applicatam à Christo, & in thesauro reservatam valere ad dispungendam non pœnam duntaxat, sed etiam culpam. At ipsis Sophistis hoc neutiquam placet. 5. Nulla pars sanguinis Christi restat, quæ ex intentione & pacto Dei & Salvatoris nostri applicata non sit. Unicuique enim totus Christi sanguis, qui infiniti pretii est, applicatur. Non enim guttatim nos redemit Christus, sed totius sanguinis profluvio, ita ut unusquisque rectè dicat: *Sanguis Jesu Christi me purgat ab omni peccato.* Idque liquet à consideratione tum *mortis*, quæ singulis tota applicatur, Rom. V. 10. tum *Sacramenti*, partim *Baptismi*, in quo singuli perfunduntur non gut-

tâ, ſed toto ſanguine Chriſti; partim *Euchariſtia*, in qua quiſque non guttam ſed totum Chriſti ſanguinem bibit; non particulam, ſed totum Chriſti corpus comedit. Ut quiſque totum edit & bibit, ſic & pro unoquoque totum corpus datum, totus ſanguis effuſus eſt. Ita uno eodémque ſolido ſolis lumine tum univerſus orbis, tum unuſquiſque hominum illuſtratur. Temerarium igitur & audax facinus eſt, diſſecare redemptionis noſtræ pretium, quod Deus ſolidum & indiviſum eſſe voluit. 6. Denique Chriſtum pro omnibus & ſingulis mortuum haud eſſe, ſupra oſtendimus. Clementis verò Papæ ratio, quòd unica gutta ſuffecerit toti mundo redimendo, prorſus impia & blaſphema eſt. Scriptura enim redemptionem noſtram non effuſæ guttulæ, ſed morti noſtro loco ſubitæ ubique adſcribit. Et modica illa guttula annon etiam pro expiatione reatus pœnarum temporalium, quas per indulgentias tolli dicunt, ſufficere potuiſſet? Etenim ſi modica illa guttula ſuffeciſſet pro redemptione totius generis humani, neque tamen illud totum redemptum eſt, annon quod ſuffeciſſet pro omnibus omnium culpis & æternis pœnis, ſufficit pro omnibus culpis & pœnis tum æternis, tum temporalibus minoris partis generis humani, electorum puta? Præterea ſi una gutta ſuffeciſſet pro omnibus omnium culpis & pœnis æternis; annon altera gutta ſuffeciſſet pro omnibus reſiduis pœnis temporalibus? Quid igitur de reliqua Chriſti paſſione fiet? Ergóne Chriſtus δωρεὰν *gratis* mortuus eſt?

EXCIP. REDING: 1. *Theſaurus Eccleſiæ ex Scripturæ principiis ſolidè probatur. Infinitum enim ſanguinis Chriſti pretium utique theſaurus pretioſiſſimus eſt; & virtutis ſuæ eminentia eſt in Eccleſia, quemadmodum Sol virtutis ſuæ efficacia eſt in toto mundo. En ex fidei principiis ſtabilitum theſaurum. 2. An Apoſtoli, eorúmque ſucceſſores non diſpenſarunt ex illo theſauro in Sacramentorum adminiſtratione, clavium miniſterio? 3. Impiè nobis imponis, quaſi dicamus, ſatisfactiones Chriſti applicari illis, quibus Deus & Chriſtus applicare non dignatur. Chriſtus enim Apoſtolis indefinitam poteſtatem dedit remittendi peccata, & remiſſionem illam in Cælo ratam ſe habiturum declaravit. 4. Verbi Divini hypoſtaſis infinitam dignitatem ſuam cuilibet ſanguinis Chriſti guttulæ, nec non cuivis Domini noſtri actioni meritoriæ & ſatisfactoriæ communicat; ac proin in omnibus & ſingulis eſt valor reſpectu omnium peccatorum, quoad univerſos tam culpæ, quàm pœnæ reatus ſuperabundans. Singulis ergo peccatoribus juſtificatis applicatus eſt infinitus ille valor juſtificatorius, ut ne unius quidem guttulæ ſanguinis Chriſti valor unquam exhauriri poſſit. Neque ideo non totus ſanguis Chriſti applicatur hominibus: ſed tantùm eo loquendi genere ſuperabundantia ſatisfactionis Chriſti explicatur. 5. Neque nos ullam ſanguinis Chriſti pro nobis effuſi particulam adſtruimus, quæ non ſit ſufficiens, imò infinitè ſuperabundans ad expiandum omnem & culpæ & pœnæ reatum. Attamen diverſa ſtatuimus Divinitus ordinata media ſanguinis illius applicatoria; alterum ex Joh. XX. ex peccatorum quoad culpæ adeò reatum remiſſione: alterum ex indefinita ſolvendi poteſtate Matth. XVI. deſcripta, ſe extendente ad pœnæ temporalis*

poſt

post culpam remissam ex Christi satisfactionibus condonationem. 6. *Nequiter ex nobis sciscitaris; An, si una gutta sufficiat pro omnibus omnium culpis & pœnis æternis, eadem sufficisset pro omnibus residuis pœnis temporalibus? Nos enim sanguinem Christi non dissecamus, sed dicimus nunquam exhauriri posse, sed indivisibiliter applicatum, non ex toto, sed ex qualibet sui parte in infinitum eatenus superabundare, ut ad ulteriores semper redemptionis effectus per media Divinitus ord nata in infinitum applicabilis maneat.* Ibid. pag. 342-344. Resp. 1. Sic est. Sangnis Christi & in Ecclesia dispensatur, & infiniti pretii thesaurus est. Sed in thesauro eo aliquid abundare à Deo non applicatum, ac demum ab hominibus applicandum, & quidem cum humanis satisfactionibus sociatum, non ex ullius fidei Divinæ, sed solius Papalis, cujus Deus venter est, principiis probare potes. Ita Sol, thesaurus ille insignis mundi, ut similitudinem tuam premam rectiùs, lucem eandem omnibus pro singulis præbet, & sic quidem, ut etsi ea non utantur cœci, tamen nihil supersit, unde thesaurus alius cumulari valeat. 2. Dispensarunt sanè Apostoli thesaurum illum pretiosissimum credentibus omnibus. Sed nec quicquam dispensarunt à Deo non dispensatum, non applicatum, quia in dispensando verbo Dei & voluntati alienæ ministrarunt, non thesauri Dominos se gesserunt: & dispensarunt gratis, sine pretio ullo, quin pretium offerentibus severè obnuntiarunt: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecuniis parari;* Act. VIII. 20. Tales certè Apostoli Papæ vestri non sunt. 3. Siccine *indefinitam* potestatem peccata quævis & quibusvis remittendi DEUS Ecclesiæ contulit? Cedo tabulas! Etenim Ecclesia remittens Deum remittentem vel præcedit, vel sequitur. Si præcedit, ipsa ergo remissionis domina est, & sententiæ suæ alligatum obstrictúmque Deum habet. Quòd profectò horrendum cogitatu est. Si sequitur, ergo priùs quàm Ecclesia remittat, remittit Deus, & meritum Christi applicat. Quid ergo Ecclesiæ applicandum superest, non à Deo, non à Christo jam applicatum gratis? Annon sic in fumum thesaurus vester abit, & pro thesauro carbones venditare nosciminì? 4. Unde verò habes, quòd verbi Divini hypostasis infinitam dignitatem cuilibet sanguinis Christi guttulæ, cuilibet actioni ejusdem meritoriæ impertiatur? Peregrinam hanc λεπτολογίαν Scholasticorum & Papalium bullarum vanitas peperit. Nuspiam ita Scriptura docuit, quæ ubique *δικαίωμα justitiæ perfectæ opus,* quo uno solóque redemptio nostra procurata est, non guttæ sanguinis, sed perfectæ ejusdem obedientiæ usque ad mortem crucis assignavit. *Reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus,* Rom. V. 10. *Reconciliavit nos in corpore carnis suæ per mortem,* Col. I. 21. 22. An guttas, guttulas etiam mortis comminisci licet? An particula quapiam mortis quispiam redemptus : alia alii? Annon potiùs tota morte redemptus est universus mundus: & eadem morte tota Paulus? Cur absurdius, toto sanguine? *Gratia Dei* Christus *mortem gustavit ὑπὲρ παντὸς pro unoquoque*; non quomodo donativum militibus Imperator, multi æris omnibus, exigui singulis: sed quomodo Sol lucem eandem omnibus pro singulis præbet. Si verbi Divini hypostasis cuivis guttulæ infinitum valorem perhibuit, an conveniens fuit amori Dei erga filium unigenitum, ut neci maledictæ adeò eum exponeret, quem vel guttula profusa totius mundi Redemptorem facere potuisset? Næ pensi non habetis Deum tyrannum facere, dummodo terrestres thesauri vestri inde locupletentur. 5. Media illa, per quæ sanguis Christi & mors ejus infiniti pretii applicatur, id omne simul applicant, quod sanguis & mors Christi præstiterunt, adeóque simul remissionem culpæ, omnísque pœnæ, denique redemptionem Christi totam. Proba tu, secari in applicatione redemptionem: proba, per distincta media Divinitus ordinata distinctas redemptionis partes applicari: proba, applicari ab

hominibus περισσεῦον seu abundans aliquid, quod non simul seméIque à Deo priùs applicatum fuerit in solidum & omnibus, & singulis. Neque aliud remittunt Ministri Christi ex ejusdem sententia Joh. XX. 23. quàm quod remittunt solvendo in terra ministerio clavium Joh. XVI. 19. Remittunt enim simul ministerialiter & peccata, & peccatis debitas pœnas omnes. Neque aliud vel umbra rationis aliqua probare poteris, nisi testimonia Scripturæ hypothesibus vestris, non hypotheses vestras Scripturæ testimoniis aptando. quod est ὑποθέσεσι suæ δουλεύοντων. Quomodo verò non dissecatis sanguinem Christi, si juxta vos alius effectus est sanguinis, non superabundantis, quatenus is à Deo applicatur ad diluendas culpas & pœnas æternas; alius sanguinis superabundantis, & in Ecclesiæ thesauro reconditi, quatenus is ad pœnas temporales expiandas refertur? Quid dissecare sanguinem est, si hoc non est? An *indivisibiliter* applicatis sanguinem Christi, non superabundantem & superabundantem dividentes, hunc, non illum, Ecclesiæ thesauro inferentes, huic, non illi temporalium pœnarum expiationem acceptam referentes? Repeto ergo, quod sæpe dicendum, & nunquam satis dici potest, & vel unum commentitium thesaurum vestrum suffodit, una eadémque solida Christi passione redemptos in solidum tum omnes, tum singulos. Quomodo uno eodemque solido Solis lumine tum unumquemque hominem illustratum, tum universum terrarum orbem: quomodo una eademque omnipotentia creavit hunc mundum, & mille mundos creare potuisset; ut tamen ne superabundantis, aut supereffluentis, aut superflui quicquam fuerit etiamsi unicum creavit: quomodo denique unicum idémque symbolum fideí non paucis tantùm servandis, sed omnibus etiam hominibus, nec hujus tantùm orbis, sed infinitorum, si infiniti essent, etsi nemo unquam symbolorum superfluorum & superabundantium thesaurum nominari audiverit. Vos contra ita agitis, ac si homines Christi abundanti sanguine ita redemti essent, ut in particulas redemptio infinitas secta fuerit. quemadmodum formicis omnibus alendis sufficiunt horrea Sicula, imò superabundant; ita tamen, ut grano uno unam saturent, alio aliam, tertio aliam. Ita omnino Christus, qui solet pingi cum infinitis guttis defluentitibus ex capitis vulneribus à spinea corona, alia quidem ejus sanguinis particula hos redemerit, alia illos, tertia cœteros: & una sibi gloriam, altera nobis remissionem culparum, tertia pœnæ æternæ condonationem, quarta etiam pœnæ temporalis minutionem impetraverit.

OBIECT. III. *David Psal. CXIX. 63. ait, se participem esse omnium, qui timent Deum, & mandata ejus custodiunt. Innuit, se piis operibus timentium Dominum communicare, tanquam socium & membrum ejusdem ecclesiæ. Ergo fidelibus alienæ satisfactiones prosunt.* Resp. 1. Davidem nullas sive proprias, sive alienas satisfactiones agnovisse, ex Psal. CXXX. 3. aliisque locis constat. Certè thesaurum operum supervacaneorum in ecclesia depositum esse, nuspiam testatur. 2. David se vocat חבר *socium* timentium Dominum. Societatem intelligit non satisfactionum, sed pietatis, charitatis, salutis & quidem mutuam. Ipse verò nec alienas satisfactiones sibi, nec suas aliis applicari vel petiit, vel voluit.

EXCIP. REDING: 1. *Licet juxta Davidem, Deo iniquitates, observante, nemo per se sustinere possit; tamen per gratiam Dei ex Christi merito in homine justo supernaturalium virtu-*

tum opera valor satisfactorius pro proprio & alieno supposito subsistit. 2. David Psal. CXIX. 63. timentium Dominum participem se innuit ex operum Sanctorum ab iis elicitorum communicatione. Inter illa autem satisfactiones etiam esse, aliunde constat. Ibid. pag. 344. Resp. 1. Davidis verba detorques. Illa enim Psal. CXXX. 3. 4. &c. sic habent: *Si iniquitates observare velis, Deus Domine, quis subsistet? Verùm apud te clementia est: & propterea timearis. Copiosa redemptio apud Deum est, qui redemit Israelem ab omnibus suis iniquitatibus.* Ubi hic valor satisfactorius? Etenim David gratiam remissionis peccatorum sibi promisit à sola *clementiâ, redemptione Dei,* non ab ulla satisfactione hominis, sive per gratiam Dei, sive sine ea præstita. Nam qui satisfacit per gratiam etiam, is certè satisfacit. At à clementia, redemptione Divina, eáque sola sperare liberationem ab omnibus iniquitatibus, adeóque earundem etiam pœnis; & simul sperare à satisfactionibus humanis propriis vel alienis, ἀσύστατον est, si quid aliud. Vel dimidiata Dei clementia, redemptio est, vel nulla humana satisfactio. 2. Socium se dixit David timentium Dominum. Ergo in timore Dei: non in satisfactione ulla. quam probare non potestis, quámque idem David Psal. XLIX. 8. 9. sic jugulavit: *Nemo fratrem suum ulla ratione redimere potest* (adeóque nec ulla ratione pro eo satisfacere) *neque Deo pretium redemptionis ejus persolvere. Nam pretiosa nimis est redemptio animæ ipsorum. Desinet in æternum.*

OBIECT. IV. *Christus Petro & Successoribus tradidit claves regni Cœlorum, hoc est, potestatem solvendi & ligandi, remittendi peccata Matth. XVI. 19. XVIII. 18. Joh. XX. 23. Cùm igitur modus unus remittendi peccata sit, quo peccatorum pœnæ temporales propter satisfactiones alienas in thesauro reservatas remittuntur, sequitur, clavium potestate eundem remittendi modum Pontificibus à Christo concessum esse.* Resp. 1. Textus hos non pertinere ad indulgentias, sed ad forum pœnitentiæ, Durandus 4. *Sent. dist.* 20. *q.* 3. fatetur. Et enim ligare & solvere, claudere & aperire clavibus nihil aliud est, quàm remittere & retinere peccata Joh. XX. 23. Id verò dicunt Papistæ pertinere ad potestatem *Ordinis*, non ad eam, quam vocant *Jurisdictionis.* At potestatem conferendi indulgentias referunt ad posteriorem illam potestatem *Jurisdictionis*, adeò quidem, ut alienas satisfactiones dispensare possit etiam is, qui non habet ordinem, seu potestatem remittendi peccata in Sacramentis Baptismi & pœnitentiæ: etiam merus laicus per commissionem Pontificis, uti loquitur Cordubensis. 2. Et sanè verba Christi explicari non posse de potestate dispensandi indulgentias, liquet, tum quia Christus suo & Scripturæ more loquitur de remissione peccati plenaria quoad culpam & pœnam omnem, non pœnam temporalem duntaxat: tum quia Christus dat potestatem uno actu ab æterna & temporali pœna absolvendi: tum quia Christus loquitur de iis, qui sunt in terris, cùm indulgentiæ dispensentur pro peccatis etiam mortuorum: tum quia Christus non dat potestatem vendendi remissionem pœnæ temporalis vicariæ: tum denique quia Christus omnibus Apostolis eorúmque Successoribus parem remittendi peccata potestatem dat, non singula-

rem Petro præ aliis; Papa verò sibi singularem potestatem vindicat. 3. Remittendi peccata potestatem habet ecclesia. At modus remittendi per indulgentias nec necessarius, nec utilis est, quia ecclesia aliunde habet plenariam peccatorum remissionem. Imò modus ille miscens satisfactiones Christi & hominum, gloriam Dei obscurat.

EXCIP. REDING: 1. *Licet facultas remittendi peccata Joh. XX. 23. descripta pertineat ad potestatem ordinis; non ideo tamen potestas conferendi indulgentias non est ex authoritate clavium Apostolicarum Matth. XVI. 19. XVIII 18. descripta, utpote quæ non ordinis præcisè, sed jurisdictionis potestatem importat. Nam ibi Petro singulariter, in ordine ad perpetuum Ecclesiæ statum, adeóque etiam successori ejus Papæ potestas clavium promittitur. Ea porro solvendi & ligandi potestas, quæ Apostolis & successoribus eorum omnibus in Concilio congregatis Joh. XVIII. 18. concessa est, Papæ authoritati non derogat, quia ad Concilii authoritatem ejus potestas necessariò intervenire debet. 2. Ultro concedimus, Christi verba à te citata accipienda esse de plenaria peccatorum quoad culpam & pœnam omnem, etiam temporalem, remissione; sed eo discrimine, ut remissio peccati quoad culpam & pœnam æternam, utpote formæ sanctificantis, lethalis peccati formaliter remissivæ caussatrix, non possit non esse Sacramentalis, efficaciam formæ istius, quâ culpam ac pœnam æternam formaliter remittentis, actualiter collatricem obtinens. Sed remissione illa jam obtenta, per dispositionis in pœnitente defectum superesse potest pœnarum temporalium reatus, ad quem etiam diluendum authoritas illa prævalet. Neque enim Christus potestatem dedit nonnisi uno actu absolvendi & ab æterna & à temporali simul pœna; inprimis ubi pœnitentis dispositio perfecta non est.* Ibid. pag. 345. 346. Resp. 1. Indulgentiarum dispensationem à potestate clavium arcessi non posse, pluribus ego argumentis firmaveram, quæ sicco pede transis, satis habens malè coctas & recoctas, totiésque jam à me dissipatas hypotheses vestras de clavibus regni Cœlorum, & una cum iis potestate jurisdictionis soli Petro & Papæ concessis; obtrudere. Falsò etiam asseris, Christum Matth. XVIII. 18. Apostolis omnibus solvendi & ligandi potestatem impertientem, non singulis, sed in Concilio à Papa directo & confirmato, junctis, impertitum esse. Nam & singuli, & juncti solvere æquè ac ligare potuerunt, quia sine ea potestate singuli officio Apostolico & Pastorali suo defungi neutiquam potuissent. Solvit ergo, ligavítque quisque independenter à quovis alio. quod exemplo S. Pauli liquet, qui nemine consulto, & forte ne conscio quidem ullo alio, incestuosum & ligavit & solvit. Singuli ergo parem clavium, parem ligandi & solvendi potestatem habuerunt. At potestatem dispensandi indulgentias solus sibi Papa vendicat. Ergo potestas illa non eadem est cum potestate clavium, solvendi & ligandi. Cœterùm locos illos Matth. XVI. 19. XVIII. 18. XX. 23. similes esse, & eandem omnibus Apostolis, Ecclesiæque Pastoribus potestatem conferre, alibi ostendimus, & fusiùs, solutísque etiam Adversariorum exceptionibus cunctis, Celeb. Chamierus *Panstrat. Tom. II lib. XI 9.* solidissimè demonstravit. Neque de nihilo est, quòd Gregorius de Valentia in hoc ipso de indulgentiis argumento omnibus tribus locis istis, sine ullo discrimine notato, uti voluit. 2. Remissionem peccatorum, cujus potestatem Apostolis Christus Joh. XX. 23 contulit, vel Sacramentalem esse, vel causatricem formæ sanctificantis, per quam lethalia peccata remittantur; vel separatam à remissione pœnæ temporalis, ob dispositionis in pœnitente defectum (quasi scilicet defectus ille, si quis est, solius pœnæ temporalis, non etiam culpæ & pœnæ æternæ remissionem impe-

mpediat) sunt magna nimis αἰτήματα, quibus sine Scriptura & contra eam à Te ingeminatis ne γρῦ quidem concedimus. Et in loco singula hæc accuratè discussimus.

OBIECT. V. *Paulus quoque dispensavit indulgentiam incestuoso pœnitenti 2. Cor. II.10. ubi se ei condonâsse peccatum docet. Ergo idem facere licet ecclesiæ Prælatis.* Resp. 1. In verbis Apostoli ne jota quidem de fictitiis emulgentiis occurrit, sive eos qui condonant, sive eum cui condonatur, sive id quod condonatur, respicimus. Condonat enim non solus Apostolus, sed etiam Corinthii. Condonat excommunicato; cùm tamen excommunicati non sint in statu gratiæ, vel in ecclesia, adeóque nec indulgentiarum capaces. Id quod condonatur, erat scandalum & tristitia, quam peccato suo produxerat, nec non merita excommunicatio; quam indulgentiæ materiam esse negant, eò quòd liberatio ab excommunicatione ad Jurisdictionem pœnitentialem exteriorem pertineat. 2. Indulgentia est remissio pœnitentiæ, quam Sacerdos in Sacramento confessionis post remissum peccatum injunxit. At Paulus incestuoso nullam post remissum peccatum pœnam in Sacramento confessionis injunxit. Condonatio igitur illa Pauli indulgentia non fuit.

Excip. Reding: 1. *Falsam fingis indulgentiæ definitionem. Non enim formaliter est pœnæ in Confessionis Sacramento injunctæ remissio; sed pœnæ temporalis pro peccatis actualibus debitæ relaxatio ex superabundantis Christi satisfactionis thesauro petita, & per Ecclesiæ claves applicata. 2. Paulus sicut 1.Cor.V 4.5. in nomine & virtute Jesu incestuosum excommunicavit: sic 2.Cor.II.10. pœnitenti in persona Christi condonat. Licet ergo vi pœnitentiæ restitutus fuerit in gratiæ statum, superfuit tamen, quod condonaret in persona Christi. Ejusmodi verò reatus post gratiam restitutam, culpámque remissam superstitis condonatio in persona Christi, nonnisi ex hujus satisfactione infinita, per Apostolicam authoritatem subsecuta relevatio, ipsissima indulgentia est. 3. Corinthii mediante Ecclesiæ suæ præfecto, & cooperantibus votis ac desideriis suis condonarunt. Supervenit autem specialis condonatio Pauli in persona Christi. 4. Idem S. Paulus auferendo illam excommunicationem, una cum reatu coram Deo superstite, & absolutionem excommunicationis, & unà indulgentiam impertitus est.* Ibid. pag. 346 Resp. 1. Falsa ergo fuerit Cajetani definitio. Nam & is *Tract. XV.* 2. indulgentiam *absolutionem à pœna in foro pœnitentiæ injunctæ* definit. Neque in rei summa tua discrepat, nisi quòd forum, in quo remissio fit, exprimit. Sed manifesta hic vertigine laboratis, dum alii sic, alii aliter indulgentiam definitis, & tam bene hujus definitio cum definitione alterius, quàm definitio hominis cum definitione equi congruit. Scilicet de indulgentiæ quidditate nihil certi & explorati habetis. Quicquid enim certitudinem fidei apud vos habet, juxta vos ab Ecclesia definitum sit oportet. At Ecclesia Papalis nihil dum de indulgentiæ quidditate definivit. Hinc ille apud vos de indulgentiis labyrinthus pugnantium opinionum, quarum plus quàm triginta Bellarminus, Angles, Themesvar, Suarez recensent. Optima omnium Lutheri definitio est, quòd *indulgentiæ* non aliud sint, quàm *adulatorum Romanorum nequitia*. 2. Condonavit S. Paulus incestuoso excommunicato in persona Christi. Sed quid condonavit? Pœnámne temporalem, post remissam culpam, in foro pœnitentiæ injunctam? Ita ex Bellarmino Tuo innuis, ajens,

post restitutionem in statum gratiæ vi pœnitentiæ factam superfuisse aliquid incestuoso in persona Christi condonandum. Sic novellam hypothesin vestram, qua remissionem culpæ, pœnæ æternæ & temporalis secatis in partes, Apostolo impingitis, non illam ex Scriptura asserentes, uti decuerat, sed in eam inferentes, sine ulla vel tenuissima rationis mica. Etenim revera S. Paulus eam pœnam donavit, quæ incestuoso huic ante ullam pœnitentiam imposita fuit. Non enim vel confesso, vel pœnitenti ullam legitur imposuisse pœnitentiam; sed tantùm peccanti. *Illam pœnam*, sic ipse Gregorius de Valentia, *aut partem illius pœnæ remisit tunc Apostolus, quam antea, prima ad Corinthios quinto, dixit se nomine ac loco Christi ei homini constituisse.* An verò ista remissionem culpæ alicujus secuta est? Nihil certè minùs. An alia pœna fuit, quàm excommunicationis? Atqui hæc in particulas comminui non potuit. Totam hausit, qui vel unum diem excommunicatus mansit. Et sola illam pœnitentia circumscripsit, non Papistica, pœnarum nugis definita; sed Christiana, quæ deplorans peccata præterita, ad conversionem ad Deum, amorémque virtutis festinat. 3. An eadem indulgentiæ Paulinæ & vestræ ratio fuit? Atqui illam Corinthiorum fidelium indulgentia præcessit, atque sic præcessit, ut Paulinam moverit & post se traxerit. Vestram autem nulla omnino fidelium indulgentia vel præcedit, vel commovet. Quid enim laicis cum indulgentia Papali negotii? Qui nisi nomine Papæ delegati (nam delegari à Papa posse laicos ad exercendam jurisdictionem illam, Cordubensis apud Gregorium de Valentia *de Indulg. c. 5.* docet) procul ab omni negotio illo arcentur. 4. Ubi denique Scriptura testis est, S. Paulum seorsim excommunicationem, & reatum pœnæ temporalis coram Deo superstitem condonasse? Ne apex quidem illius divisionis, in condonationis historia comparet. Imò omnia alia comparere ostendimus.

OBIECT. VI. *Inter Sanctos est arcta communio ut aliarum rerum, ita etiam afflictionum & passionum. Ergo sibi mutuò passiones & satisfactiones communicant, eáque communicatio in thesauro ecclesiæ asservata per indulgentias dispensatur.* Resp. 1. Communicatio bonorum, quæ inter fideles vigere debet, est bonorum communicabilium, non incommunicabilium. Talia autem sunt opera à nobis juxta Dei mandatum edita, vel passiones voluntate ipsius immissæ, quas quisque pro se, non pro aliis tolerare debet, Prov. IX. 12. Gal. VI. 5. Satisfacere verò nemo vel pro se, vel pro aliis potest. 2. Sanctorum *communio* à *communicatione* differt. Communio enim supponit rem communem, cujus omnes æqualiter participes fiant, uti liquet ex Ephes. IV. 4. Communicatio non item, quia fit erga indigentem. Communio igitur Sanctorum hujus vel illius particularem satisfactionem evertit, nósque ad unicam Christi satisfactionem manuducit. 3. Si Sanctorum communio, quæ mutua esse debet, in satisfactionum communicatione consisteret, sequeretur, sicut Sancti, B. Virgo, Apostoli &c. suas nobis satisfactiones communicarent: ita vicissim nos quoque iis nostras communicare deberent. 4. Satisfactio non est bonum absolutum, sed ad eum, cui satisfit, refertur. Etsi igitur inter membra esset communicatio, non tamen sequeretur, esse acceptationem à parte creditoris, absque qua omnis hæc satisfactio inutilis foret.

EXCIP. REDING: 1. *Qui sapiens est, sic sibi sapiens est (Prov. IX. 12.) ut sapientiæ tamen ejus fructus etiam in alios redundare possit. Et sic quisque onus suum portabit (Gal VI. 5.) ut tamen in Ecclesia sit Sanctorum communio, per quam unius bonorum operum suorum suffragiis aliis prodesse possit.* 2. *Communio supponit rem communem non actualiter, sed potentialiter. Nam nec Christi quidem satisfactiones ante sui applicationem quoad efficaciam actu communicatæ sunt; sed earundem sufficientia eatenus parata est, ut pro omnibus Divinitus ordinata sint remedia, per quæ applicari possint. Si ergo in ordine ad istas Christi satisfactiones universorum sanguine Christi redemptorum communio Sancta stat, cur non etiam Sanctorum satisfactiones fidelibus reciprocè communicabiles communione Sanctorum contineri queant?* 3. *Satisfactionum illa communio mutua est nonnisi secundum capacitatem status, in quo quisque Sanctorum constitutus est; adeóque non requirit, ut fideles militantes Cœlitibus satisfactiones suas communicent.* 4. *Valor operum nostrorum satisfactorius, ex se actus primi duntaxat pro reatu pœnæ temporalis extinguendo sufficientiam importans, nulla Divinæ veritatis lege infallibiliter à Deo acceptatus legitur. Ut ergo in actu secundo obtinere possit efficaciam, id pendet adhuc ex Dei acceptatione nobis haud cognita, sed ejus inscrutabili judicio relicta. Ita precibus mutuis vis sua inest, quamvis ad illarum acceptationem pro re postulata in individuo Deus nulla lege obstringatur.* Ibid pag. 347. 348. Resp. 1. Sicut nec sapientia unius imputatur alteri; nec onus unius conjicitur in alterum, sed suum quisque, non alterius portat: ita nec satisfactio unius, (si qua datur) imputari alteri potest. *Quisque* enim *reportare debet, quæ in corpore suo fecerit, congruenter ad id quod fecerit, sive bonum sive malum.* non quod fecerit in corpore alterius, 2. Cor. V. 10. Ita Virgines prudentes stultis oleum suum denegant, Matth. XXV. 9 *Noe, Daniel, Job ne proprios quidem infantes rediment*, Ezech. XVI. 16. sed *quemadmodum anima peccans morietur, ita anima justè agens vivet.* Scitè Tertulliauus *de pudic. c. 22.* dixit: *Quis alienam mortem sua solvit, nisi solus filius Dei? Proinde qui illum æmularis donando delicta, si nihil ipse deliquisti, planè patere pro me. Si verò peccator es, quomodo oleum faculæ tuæ sufficere & tibi & mihi poterit?* Fac ergo ex opere meo fructus redeat ad alium: non ideo tamen satisfactio unius, eáque superflua, imputari alteri sic potest, ut ipse eatenus à satisfactione & pœna propria (si qua in fidelibus daretur) liberari posset. Si communio Sanctorum exigeret, ut quævis bona sibi invicem communicarent, etiam unius fidelis fides & charitas alteri communicaretur. Id verò non admittet Bellarminus, utpote qui *de Indulg lib. I. 2.* fatetur, *opus bonum, qua parte meritorium est, alteri non communicari.* Si ergo propositio sit universalis, æquè communicabitur opus *meritorium*, ac quod fingunt, *satisfactorium*. Sin particularis, ex puris particularibus nil concludere licet. 2. Communionem Sanctorum à communicatione distinxi meritò, neque tu distinctionem negare potuisti. Communio, repeto, supponit rem communem, cujus omnes æqualiter participes fiant. Liquet id ex Apostolo Ephes. IV. 4. *Unum est corpus & unus spiritus, sicut & vocati estis in unam spem vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus & pater omnium, qui est super omnes & per omnes, & in omnibus vobis.* Vides semper unam rem, cujus omnes, ad quos illa pertinet, participes sunt non *potentia* duntaxat, uti nugaris, sed *actu*; ita ut Sanctorum communio particularem satisfactionem prorsus, uti dixi, evertat, nosque ad unicam Christi satisfactionem, rem omnibus solísque fidelibus *actu* communem manuducat. Sicut enim habemus communionem cum Sanctis, non quia nobis Spiritum, fidem vel Baptisma communicant, sed quia eundem habemus spiritum, eandem fidem, eundem Baptismum cum iis communem: ita quoque hac in parte cum iis habebimus communionem, si possideamus

 satis-

satisfactionem cum iis communem, quæ est satisfactio Jesu Christi. Præterea vel omnes fidelium satisfactiones sub communionem hanc cadunt, vel aliquæ. Non omnes, ex hypothesi vestra propria. Nam qui propriis pœnis satisfaciat, eundem pro aliis satisfacere, ipsimet negatis. Si aliquæ, argumenti, quod satisfactionum, afflictionum, rerum omnium communioni innititur, vis perit. Cúmque communio Sanctorum certa sit, ab ipsa quippe membrorum unione pendens, quicunque in ea unione esset, eo ipso sibi aliorum satisfactiones applicaret. Sicut cùm quis affligebatur, non expectabat Paulus intentionem afflicti, sed eo ipso affligebatur ipse, quod membrum Ecclesiæ in eo statu esse videret: ita si quis pro se satisfaceret, sufficeret, ut alius quicunque peccator saltem in gratia constitutus, vellet ea satisfactione pœnis suis esse satisfactum: ne consulto quidem Episcopo Romano, magno illo thesauri diribitore. Denique quæ bona maláve Christianis communia sunt, ea per accidens communia sunt. Sic incestum solum per se excommunicatio puniebat, quia præter eum excommunicatus nemo est. Sed per accidens id pertinebat ad reliquos Corinthios, ob mœrorem inde conceptum; imò ad omnes omnium ætatum Christianos, propter exemplum. quomodo ea, quæ in deserto olim contigerunt, typos fuisse Corinthiorum, omniúmque etiam Christianorum, Apostolus 1. Cor. X 6. docet. Vos verò contra planè instituitis. Quas enim satisfactiones alienas defenditis, eas negatis esse satisfactiones pro peccatis eorum, à quibus illæ sustinentur, sed eorum, pro quibus susceptæ sunt, aut quibus applicantur. Proin in thesaurum Ecclesiæ non omnes pœnas, quas Sancti subiverunt, sed superfluas duntaxat, otiosas, & aliâs rubiginem contracturas, si ab Ecclesia peccatores vel indulgentiæ exularent. Longissimè ergo à natura communionis commentum isthoc abit, cùm pœnas has utiles faciat iis, qui non patiuntur, & quidem solis. 3. Neque mutua dici potest communicatio, quæ talis est nonnisi *secundum capacitatem status, in quo Sancti sunt*, ita ut una pars juvet alteram, non vicissim ab altera juvetur. Si ergo Sancti suas nobis satisfactiones communicant, vicissim, ut communio bonorum habere possit, nos Sanctos Cœlites aliqua re juvare tenemur. Sed qua juvare illos possumus, qui beati nullius rei indigent? 4. Nec valor satisfactorius operum quoad actum primum sufficientiam ullam habet: nec acceptatur à Deo secundum actum satisfactorium sive primum, sive secundum, quia Deus non acceptat ullam satisfactionem, nisi illam, qua ipsi satisfit *pretioso sanguine Agni immaculati & incontaminati* 1. Pet. I. 19. Et satis hic titubas ipse, ajens, *acceptationem* hanc *Dei nobis incognitam esse*. Quæ ergo indulgentiarum certitudo? Sed vobis hic sufficit permutatio Diomedis permutationi similis, vel ea etiam deterior, qua bullas pro bulgis nummorum, & plumbum pro argento reddentes, nullius altioris pretii certitudinem spondere audetis. Precum pro aliis dissimilis ratio est, quia incerti simus licet de earum fructu ad proximum, pro quo intercedimus, redundante; illas tamen ex Dei præcepto fundere tenemur. neque eas quisquam bonus ære conductus fundit, sed puro amore studióque salutis proximi. Quid hoc ad indulgentiarum mercimonium?

OBIECT. VII. *Indulgentiarum dispensandarum antiquus est in ecclesia usus. Etenim Gregorius M. stationibus adjunxit indulgentias, uti testantur Thomas & Guilielmus Antisiodorensis. Concilia etiam Generalia, Lugdunense, Viennense & Claromontanum, usum & valorem earum approbant. Denique olim, Cypriano teste, Prælati extra Sacramentum remiserunt pœnitentias alioqui justas, quæ ut Deo satisfacerent, instituta erant; adeóque reapse indulgentias concesserunt.* Resp. 1. At indulgentiarum apud priscos

priſcos mentionem fieri, negant Cajetanus, Alphonſus à Caſtro, alii. Keiſersbergius dicere ſolitus eſt, Patres indulgentiis nullis uſos eſſe, *quia indulgentiis uti ſit propriis ſatisfactionibus neglectis impie agere.* Roffenſis quoque cauſam incognitarum veteri eccleſiæ indulgentiarum hanc affert, *quòd ipſum quoque purgatorium, ſine quo nulla indulgentia, ſerò in eccleſia cognitum & receptum fuerit.* 2. Gregorium M. ſtationibus indulgentias addidiſſe, nec ex ejus operibus, nec ullo idoneo teſte conſtat. Thomas enim & Altiſiodorenſis Gregorio pluſquam ſexcentis annis recentiores, quique nulla vel revelatione Divina, vel antiquiore teſtimonio inſtructi hoc affirmant, pro legitimis teſtibus haberi nequeunt. 3. Concilia Viennenſe, Lugdunenſe, Claromontanum & ſera fuerunt, & particularia, quibus ex Orientalibus eccleſiis nemo interfuit, adeóque nihil aliud quàm Papalium in ſummo corruptionis & eccleſiaſticæ ignorantiæ vigore, mancipiorum conventicula. Certè duodecim Seculorum primorum Concilia de indulgentiis ejuſmodi ne gry quidem habent. 4. Cyprianus nuſpiam teſtatur, relaxatas eſſe juſtas pœnitentias. Si veram pœnitentiam agerent excommunicati, contrahebatur interdum tempus pœnæ eccleſiaſticæ, quâ eccleſiæ ſcandalo perculſæ ſatisfiebat, ut pœnitentes ante tempus definitum ad communionem admitterentur. At indulgentiæ nec excommunicatis hodie offeruntur, ſed iis qui ſunt in ſtatu gratiæ; & Deo, non eccleſiæ debitas ſatisfactiones relaxare ſtatuuntur.

Excip. Reding: 1. *Licet ſub formali indulgentiarum nuncupatione veteribus incognitæ indulgentiæ fuerint: res tamen ipſa veteri Eccleſiæ nota fuit.* 2. *Roffenſis non ita neceſſariam fuiſſe indulgentiarum in primitiva Eccleſia fidem fuiſſe ait, ob charitatis ardorem, martyriorum frequentiam, criminum raritatem, canonum ſeveritatem. Poſtquam autem bona pars populi magis Chriſtianiſmum exuerat, quàm rigorem Canonum pateretur, non ſine Spiritus S. diſpenſatione factum docet, quòd poſt tot annorum curricula Purgatorii fides, & indulgentiarum uſus ab Orthodoxis generatim ſit receptus. &c.* 3. *Altiſiodorenſis & Thomæ, virorum tantorum, gravitas Gregorii teſtimonio pondus ſaltem rationabilis ac juſtæ præſumptionis addunt.* 4. *Si Concilia Viennenſe, Lugdunenſe & Claromontanum indulgentias probantia, induxiſſent morem à verbo Dei & Apoſtolica Eccleſia alienum, eorum decreta non eousque prævaluiſſent, quin potiùs ab Eccleſiæ fidis doctoribus verbi Dei gladio oppugnata eſſent.* 5. *Antiquiora Oecumenica Concilia plurium etiam aliarum veritatum orthodoxarum mentionem nullam fecerunt. In illis nempe actum non eſt niſi de dogmatibus in quæſtionem vocatis. Eadem ratione de indulgentiis ſiluerunt, ſine ullo præjudicio cauſæ.* 6. *Impudenter negare videris, relaxatas juxta Cyprianum pœnitentias juſtas fuiſſe: vel ſcandali reatum coram Deo ſuſtuliſſe.* Ibid. pag. 348. 349. Reſp. 1. Nec nomen, nec omen Papalium indulgentiarum veteris Eccleſiæ conſenſu firmaveris unquam. Non venit illi in mentem ἐ δὲ κατ' ὄναρ, quòd Papa vi juriſdictionis ſibi ſoli collatæ poteſtatem habeat eximiam indulgendi, hoc eſt, diſpenſandi Theſaurum Eccleſiæ, in ſanguine Chriſti, Virginis Mariæ paſſionibus, Martyrum tormentis, Confeſſorum & Eremitarum &c. laboribus abſtruſum,

ſum,ut meritis illorum omnium adminiculatorum pœnæ temporales in hac vita, & poſt hanc vitam in Purgatorio remittantur iis, qui dederint feceruntque hoc vel illud in ſcheda Papali expreſſum. Tam ignotum veteri Eccleſiæ iſthoc plaſma fuit, quàm ignotus fuit Tridentinus Papatus ipſe. 2. Non negat ergo Roffenſis uſum indulgentiarum in primitiva Eccleſia, ſed frivolas duntaxat falſáſque cauſas, & ob quas ille in Eccleſia nonniſi ſerò receptus fuerit, compilat. *Cùm Purgatorium*, ſic ille disertè loquitur, *tam ſero cognitum ac receptum fuerit Eccleſiæ univerſæ, quis jam de indulgentiis mirari poteſt, quòd in principio naſcentis Eccleſiæ* (NB) *nullus earum fuerit uſus. Cœperunt igitur indulgentiæ, poſtquam ad Purgatorii cruciatus aliquandiu trepidatum erat.*&c. 3. Ne veſtris quidem tanti viſa eſt authoritas Thomæ & Guilhelmi Antiſiodorenſis,ut fidem haberent, Gregorium indulgentias in diebus ſtationum populo conceſſiſſe. Audi Cajetanum: *De ortu indulgentiarum ſi certitudo haberi poſſet, veritati indagandæ opem ferret. Verùm quia nulla S. Scripturæ, nulla priſcorum Doctorum Græcorum aut Latinorum authoritas ſcripta hanc ad noſtram deduxit notitiam: ſed hoc ſolùm à trecentis annis Scripturæ commendatum eſt de vetuſtis Patribus, quòd B. Gregorius indulgentias ſtationum inſtituit, ut in quartum Sententiarum Divi Thomæ habetur.*&c. En, non obſtante graviſſimorum teſtium, Thomæ & Antiſiodorenſis authoritate, negat ille, *ullam priſcorum Doctorum Græcorum aut Latinorum* (inter quos Gregorius M. numerandus utique) *authoritatem ſcriptam indulgentiarum uſum ad noſtram notitiam duxiſſe.* 4. S. Paulus 2. Tim. II. 19. errantium ſermonem *gangrenæ inſtar depaſci* ait. Gangræna ergo eſt, quæ non curata ſerpit vehementer, depaſcitúrque univerſum corpus. Deſine igitur, Redingi, mirari, quòd indulgentiæ à poſterioribus illis & corruptioribus Conciliis approbatæ, invaleſcere paulatim & radices agere cœperunt, non quidem in Eccleſia vera, ſed in factione Papali Eccleſiæ inſidente. Neque enim defuiſſe, qui errori invaleſcenti ſe ſtrenuè opponerent, ſupra vidimus; & vel ſola Eccleſiæ Reformatæ hiſtoria comprobat. 5. Oecumenici Concilii Nicæni I. teſtimonium ſibi vindicare Bellarminus conatur. Ancyranum & Laodicenum conatur idem. Tu eorum ſilentium excuſas. Utri fides? Neutri equidem. In Nicæno Concilio *Can.* 12. conſtitutum eſt, ut qui prævaricati eſſent in religione profitenda, ſeptem annis inter Pœnitentes eſſent, duobus tamen annis ſine oblatione, & ſola oratione populo participarent: Poſſe nihilominus Epiſcopum φιλανθρωπότερον τι περὶ αὐτῶν βουλεύσασθαι *humanius aliquid de iis ſtatuere.* Hic ſanè de indulgentiis dicendi locus erat, ſi tales Nicæni ſtatuiſſent, quales Papiſtæ ſtatuunt. Sed multum profectò æra lupinis diſtant. Etenim indulgentiæ Papiſticæ ſatisfactiones alienas, non proprias: Nicænæ proprias ſupponunt; & proprias quidem, non quiſquilias Papales, ſed pœnitentiam, quam illi virtutem dicunt. *In his autem omnibus*, ſic Nicæni, *obſervare oportet propoſitum, & modum pœnitentiæ. Quicunque enim* (NB) *timore, & lachrymis & patientia & bonis operibus converſionem abſque ſimulatione demonſtrans, hi definitum tempus auditionis implentes, tum demum orationibus communicabunt.* Tum Papales indulgentiæ liberant à pœnis Purgatorii. Contra veteres Eccleſiaſtici Canones non à pœnis liberarunt, ſed eas duntaxat relaxarunt; imò ne relaxarunt quidem, ſed pœnarum tempus contraxerunt; nimirum ut peccatores ſeriò pœnitentes ante tempus præfixum ad communionem Eccleſiæ, unde exulabant, admitterentur. Hinc in Canone Nicæno εὐχῶν κοινωνεῖν *orationibus communicare*, & τὸν ἐπίσκοπον φιλανθρωπότερόν τι περὶ αὐτῶν βουλεύσασθαι, *Epiſcopum humanius aliquid de iis ſtatuere*; & ἐξ ἅπαντος πληροῦν τὸν χρόνον *univerſum implere tempus.* Indulgentia igitur iis tota erat in menſura temporis, pro ratione diſciplinæ, qua pœnitentibus anni certi definiebantur. Quid hic Papiſticas indul-

indulgentias redolet? Ubi thesaurus Ecclesiæ? Ubi dispensator ejus Papa? Ubi culpæ & pœnæ distractio? Ubi definitio pretii? Annon contraria omnia? Ubi non tantùm non nominatæ indulgentiæ vestræ (uti sanè non omnia dogmata nominari necesse erat) sed contraria etiam iisdem asserta vidimus. Saltem indulgentias vestras, si quas vetus Ecclesia habuisset, inter articulos fidei non retulisset; quia de iis in ullo veterum Concilio quicquam definitum legimus. 6. Ubi ergo justas pœnitentias, & quidem Deo, non Ecclesiæ debitas, relaxatas esse, Cyprianus dixit? Cedo verba! Non pœnitentias relaxatas, sed tempus pœnitendi contractum, ut citiùs pace Ecclesiæ frui possent, quàm statutum priùs fuerat, Cyprianus docet. Neque veterum illam φιλανθρωπίαν, à Nicæno etiam & Ancyrano Concilio probatam, cum Papalibus indulgentiis commercii quicquam habuisse, vel inde colligimus, quia indulgentiæ illæ veterum dederunt pacem Ecclesiæ, uti disertè Tertullianus & Cyprianus. At Papales non dant pacem Ecclesiæ. Dare enim pacem Ecclesiæ est tollere pœnam impositam in foro Ecclesiæ externo, ubi puniuntur delinquentes. quod ad forum pœnitentiæ non pertinet. Atqui Papistæ concedunt, per indulgentias non tolli pœnas in externo Ecclesiæ foro impositas. Non ergo dant pacem Ecclesiæ.

QUÆSTIO IX.

An ad mortificandam carnem conducat jejunium, consistens in delectu ciborum?

ASserit decretum de *ciborum delectu.* Nos tale jejunium in delectu ciborum, nominatim piscium, herbarum ac leguminum, non excluso quantolibet potu, per prandium etiam & cœnas exactum, veri nominis jejunium esse, & ad mortificandam carnem idoneum, planissimè negamus. Rationes.

ARG. I. Jejunium veri nominis Ecclesiasticum est omnimoda abstinentia à quolibet cibi *&* potus genere. Quam definitionem multa suadent. Etenim ipsa vox νηστεύειν descendit ἀπὸ τοῦ νὴ ἐσθίειν, à non comedendo. Et apud Suidam νῆστις est ἄπαστος, impastus, qui nihil edit. Tum qui in Scripturis jejunârunt, abstinuerunt ab omni cibo, uti colligitur ex 1. Sam. XIV.24. 2. Sam. XI.35. Dan. X.3.4. Jon. III.7. Luc. V.33. VII.33. Præterea tale esse jejunium oportere evincit, quòd finis ejus sit afflictio, humiliatio, castigatio corporis, afflictio animæ, & deliciarum corporis, quibus caro ferocior redditur, & Spiritui impedimentum objicitur, abdicatio. Olim etiam jejunium solvisse dictus est, quisquis aliquid edit, sive ex Terræ, sive ex marium proventu. Denique & Bellarmini ea confessio est lib. 2. de Bonis operibus Cap. 1. *nomen jejunium abstinentiam à cibo significare.* Porro jejunium consistens in

in delectu ciborum non est omnimoda abstinentia ab omni genere cibi & potus, ne quidem ab iis cibis, qui carni fomenta ministrant. Non igitur est veri nominis jejunium, nec conducit ad mortificandam carnem.

RESP. REDING.: 1. *Agnoscis jejunium Ecclesiasticum. Oportet ergo abstinentiam illam, in qua veri nominis jejunium consistit, ex determinatione Ecclesiæ pendeat. Ecclesia porro in hac determinatione sic respicit ad finem jejunii, concupiscentiæ refrænationem, ut simul intenta sit ad moderamen naturæ salvandæ. ad quod unica in die comestio sufficit. Jejunium ergo Ecclesiasticum non omnino indefinitè, sed pro tempore per Ecclesiam definito est abstinentia à quolibet cibi genere. Idque solum citata à te loca & argumenta tua evincunt. Quibus autem principiis & regulis in determinatione illa Ecclesia usa sit, eleganter Thomas Aquinas 2.2.q.147.docet.* Tomo V. Tract. XIV. ¶ 2. pag. 351.--353. Resp. Jejunium *Ecclesiasticum* dixi, ab Oeconomico vel Politico distinctum; non quòd in Ecclesiæ potestate situm sit, definire jejunium, quod verbo Dei definiente tale non est. Ita enim vos jejunium definitis, non tam abstinentiam à cibis in universum, quàm abstinentiam à talibus cibis, puta carnibus, hoc est, ciborum delectum. quòd non veri nominis Ecclesiasticum, sed merè hypocriticum jejunium est. Merum enim, atque turpe illud ludibrium est, quòd asseris, *jejunium Ecclesiasticum non omnino indefinitè, sed pro tempore per Ecclesiam definito esse abstinentiam à quolibet cibi genere.* Ergo ne jejunium veri nominis Ecclesiasticum erit abstinentia à quovis cibi genere, inde à manè ad prandium usque, si ita Ecclesiæ determinare libuerit? Sed *ad moderamen naturæ salvandæ unicam in die comestionem sufficere* ais. Vel ita Ecclesia vestra definivit, vel non. Si prius, cur jejunantes vestri plerique & prandent & cœnant? Si posterius, poterit ergo Ecclesia definire jejunium, gemino convivio, & prandio & cœna constans, hoc est, jejunium non jejunium. Nemo enim, cui sanum sinciput est, jejunare, hoc est, ab omni cibi genere abstinere illum dixerit, qui genialiter & prandet & cœnat. Bellarminus equidem *lib. II. de Bonis Oper c.* 1. tria secundum regulam Ecclesiasticam ad jejunium requiri asserit; *primum, ut qui jejunat, semel tantùm in die cibum sumat. Secundo, ut illa refectio sit cœna, non prandium. Tertiò, ut habeatur ciborum delectus, & præsertim à carnibus se abstineat, qui Ecclesiastico more jejunat.* Sed quas trabalibus clavis figit jejunii Ecclesiastici leges, ne suis Catholicis molestus sit, repentè easdem refigit totas, & quidem eo ipso capite. Etsi enim dicat, *non deesse, qui unica omnino refectione contenti nihil omnino cibi degustent, nisi vel hora nona vel sub vesperam,* & edictum illud suum & Dei, & Patrum innumerabilibus testimoniis firmet; fatetur tamen ilico, *usum jejunia solvendi circa meridiem, & cœnulam sumendi sub noctem ab Ecclesia sua tolerari.* Hac quidem lege ex Catholicis, quos Romana *tolerat* Ecclesia, prandentibus & cœnantibus (quales plerique omnes sunt, exceptis forte Monachis vel superstitiosulis nonnullis) nemo secundum regulam Ecclesiasticam jejunat. Tolerat illos Ecclesia, sed nec reprehendit, vel rectiora facere subigit. Imò eos, qui *morem in Ecclesia introductum, atque à Patribus vel probatum, vel certè permissum sequi volunt,* reprehendi posse, ibidem Bellarminus negat. Tota quadragesima apud vos prandetur, & à bene pransis cœnula (ita vocatis) sumitur. Feria verò sexta & Sabbatho etiam liberiùs, quàm quadragesimæ tempore, bis in die vescimini, &, si libet, sæpiù etiam. Cœterorum jejuniorum par apud vos ratio est. Neque aliud inter dies jejuniis sacros, & eos, qui sunt à jejuniis immunes, discrimen apud vos apparet, nisi quòd carne illis abstinent, his vescuntur. Neque Pastores Ecclesiæ Romanæ aliud vel exigunt, vel imperant, nisi ut ea lege jejunia colantur. Fateri igitur necesse est, Ecclesiam vestram nemini,

ni,si verè loquendum est,jejunium imperare; quippe quæ neminem cogit à prandio,hora sexta, cibis abstinere; neminem sexta pransum à cœna, vel certè cœnula vespere excludit. Nam cùm definiat, fidelem, ad hoc,ut Ecclesiasticè jejunet, neque prandere, neque ante nonam vesci debere, quomodo dici potest suis legibus & determinationibus jejunium Ecclesiasticum imperare, quæ suos nulla totius anni die prandere & cœnare vetat? Hoc scilicet jejunium vestrum Ecclesiasticum est, juxta definitiones & probatam praxin vestram,jejunium non-jejunium. Fateris enim ipse,argumento meo satisfacturus, *jejunium pro tempore ab Ecclesia definito esse abstinentiam à quolibet cibi genere.* Quod verò illud tempus ab Ecclesia definitum est? Non utique prandium,non cœna. Egregium profectò jejunium,à mane ad prandium usque abstinere cibis. Quotusquisque non ita jejunat? Ite modò,tetri & morosi jejuniorum laudatores, & jejuniorum religionem apud nos solutam clamate,quæ apud vos nulla unquam fuit,nulla est.

ARG. II. Jejunium præscribens delectum ciborum tanquam rem necessariam & conscientiam obligantem,est res mala,prohibita,dæmoniorum doctrina, Christianæ libertati inimica, denique minimùm ἐθελοθρησκεία Matth. XV. 11. 1.Cor. X. 25. 26. 27. 1.Tim. IV.1,2.3.4. Coloss.II.21.22.&c. Non est igitur veri nominis jejunium.

Resp. Redino.: 1. *Esus carnium per se non coinquinat hominem,uti Matth.15.11. innuitur: sed coinquinat accedente inobedientia & trangressione Ecclesiastici mandati, quæ exit ex corde. 2. S. Paulus 1.Cor. X.25.26. permittit quidem omnia,quæ in macello venduntur, comedere,neque quicquam interrogare propter conscientiam. At v.28 vetat comedere,si quis indicaverit,hunc vel illum cibum idolis immolatum esse. Ita fas quidem est omnia comedere. Sed quando Ecclesia, quæ potestatem habet,sub discreta ad imbecillitatem humanam commensuratione sanciendi, quæ pietati consentanea sunt, abstinentiam à carnibus ad moderatum aliquod tempus coarcta, non jam conscientiæ libertas, sed effrænis licentia est, ejusmodi præcepto Ecclesiastico adversari. 3. Idem S.Paulus 1.Tim. IV. 2.3.4. dæmoniorum doctrinam esse innuit,non si quis à cibo abstineat propter sacratam significationem, vel corporis castigationem; sed si quis abstineat à cibis,quos Deus creavit, dicendo, quòd eos Deus non creaverit; uti S Augustinus contra Faustum lib. 30. 6. explicat. Nos verò nec carnes,nec nuptias prohibemus sub motivo per S.Paulum damnato, sed ex motivo virtutis per ipsum S.Paulum approbato. 4. Coloss. II. 21. de illis sermo est, qui ex superstitiosa Angelorum Christo à Cerintho & aliis seu Simonianis,seu Platonicis hæreticis antepositorum, cultu abstinentiam à cibis Mosaica lege prohibitis inducebant. Nihil hoc facit ad abstinentiam à carnibus ex cultu erga Christum,ex sancto Ecclesiæ præcepto sacratioribus nonnullis temporibus præceptam.* Ibid.pag.353.354. Resp. 1. Imò Christus Matth.XV.11.non de cibis *per se* non inquinantibus, sed de iisdem ne quidem inquinantibus *secundum quid*, quatenus contra Ecclesiæ mandatum & traditionem veterum manducantur, manifestè loquitur. Nam etiam Pharisæi & Scribæ præcepti & traditionis non Divinæ (poterat enim Deus vetare,& vetuit sæpius) sed Ecclesiasticæ,vetantis cibos comedere illotis manibus,prætextu eosdem sic manducatos inquinare docuerunt: Christus contra id apertè negavit. Sic enim ille adversus Pharisæos Papistas, sive Papistas Pharisæos concludit: *Nihil quod os ingreditur, hominem inquinat. At cibi à Pharisæis prætextu traditionis humanæ vetiti os ingrediuntur. Ergo cibi à Pharisæis prætextu traditionis humanæ vetiti hominem non coinquinant.* Hæc

planè causa vestra est. Nam prætextu traditionis merè humanæ vetatis certos cibos certo tempore manducare. 2. Vetat S. Paulus 1. Cor. X. 28. comedere carnes, si quis dixerit, idolis immolatas esse; idque (v. 29.) *propter conscientiam non propriam, sed alienam.* ne videlicet frater infirmus scandalizetur. Extra hunc casum quorumvis ciborum in macello venalium manducationem permittit, vetátque adeò interrogare *propter conscientiam*, puta propriam. Annon sic clarissimè significat S. Paulus, nullas tum fuisse apud suos de carnium abstinentia leges in duas cujusque hebdomadæ ferias, totámque quadragesimam latas. Alioquin sanè fidelibus impiè concessisset iis omnibus frui, quæ in macello Corinthiaco vænibant. Cùm ergo S. Pauli tempore ejusmodi leges, jubentes abstinere carnibus quibusdam propter conscientiam propriam, latæ nullæ extiterint: quo jure Ecclesia non Apostolica leges ejusmodi rogavit, & rogatis iisdem libertatem Apostolicam emendi, quicquid in macello venditur, & nihil interrogandi propter conscientiam, sustulit? 3. Augustinus contra Faustum *lib. XXX. 6.* Manichæos ex 1. Tim. IV. 3. 4. dæmoniorum doctrinam alere probavit, quia prohibebant certos cibos, dicendo, *quòd* à Deo bono *creati non sint.* Negat autem damnari Ecclesiam, quæ *abstinet à cibis* (non certis illis, sed omnibus, jejunii tempore) *propter sacratam significationem, vel corporis castigationem.* Sed perperam planè inde conficis, S. Paulum dæmoniorum doctrinis accensentem eos, qui jubent abstinere certis cibis, quos Deus condidit; non alios perstringere quàm Manichæos, vel iis similes, qui certos cibos prohibent, ceu à Deo non creatos, adeóque sua natura malos. In genere enim damnantur jubentes abstinere certis cibis, quamcunque videlicet ob causam: in specie tum Manichæi, jubentes abstinere certis cibis, utpote à Deo non conditis: tum Papistæ, jubentes abstinere certis cibis, religionis gratia. Nam utrique sanè jubent abstinere certis cibis, diversas ob causas licet. Annon æquè jubentes abstinere à certis cibis Montanistæ atque Manichæi ab Apostolo damnantur? Atqui hi abstinuerunt à cibis non ut natura malis, vel immundis, sed temperantiæ solius causa. Tertullianus sanè *lib. de jejun.* Psychicis (sic ille Catholicos appellavit) hunc locum sibi & Montanistis objicientibus respondet, *prædamnari hæreticos perpetuam abstinentiam præcepturos ad destruenda & despicienda opera creaturæ, quales inveniat apud Marcionem, Tatianum; at se tantùm usum suspendere.* An ideo Montanistas Apostolus non damnavit? Neque illud obstat, quòd Apostolus damnat jubentes abstinere à certis cibis, *quos Deus creavit, ut assumantur cum gratiarum actione,* quasi non alii damnentur quàm jubentes abstinere cibis, quos Deus non creavit. Non enim verba illa, *quos Deus creavit*, exprimunt sententiam jubentium abstinere certis cibis, quia à Deo conditi non sint (aliàs dicendum fuerat, jubentium *abstinere à* certis *cibis, eam ob causam, quòd Deus eos non condiderit*; vel, *affirmantium, quòd Deus eos non condiderit*) sed potiùs argumentum seu demonstrationem, quòd certis cibis sive in jejunio, sive extra illud, prohibendi non sint: quia videlicet ita prohibentes præcepta dant de rebus bonis, licitis, à Deo conditis, sanctificatis. Hic enim scopus, hæc integra Apostoli ἀπόδειξις est: *Quod Deus creavit ad usum, cum gratiarum actione, fidelibus assumendum, id vetantes ullo tempore habent conscientiam cauteriatam, & id vetantibus auscultare est apostasia à fide, & auscultare spiritibus deceptoribus, doctrinis dæmoniorum. Atqui cibos quosvis Deus creavit &c. Ergo cibos quosdam vetantes conscientiam cauteriatam &c.* Ratio consequentiæ est, quia Deus de talibus nulla præcepta dedit, neque ulli potestatem dedit de talibus præcepta dandi, aut talia præcepta, tanquam nomine Dei urgendi & exigendi. Talia enim præcepta dare pugnaret cum fide veritatis, cujus pars est, quòd omnis creatura Dei bona, & non rejicienda, cum gratiarum actione sumpta, sancti-

ctificetur per sermonem Dei & intercessionem. Quo ipsa etiam assumptio hujus epicherematis probatur. Si vetari possent cibi quidam, vel vetarentur ut non boni, & sic in perpetuum vetarentur, non certo duntaxat tempore; vel vetarentur, ut non sanctificati fidelibus, qui veritatem cognoverunt. Atqui juxta Apostolum neutrum dici potest. Non *prius*, quia *omnis creatura Dei est bona, cum gratiarum actione assumpta*; (v. 3.) neque adeò fœdare, inquinare fidelem ullo modo potest. Non *posterius*, quia *omnis cibus à fidelibus, veritatem cognoscentibus assumptus, per verbum* (quo homo novit, se utendo rebus creatis non peccare) & *intercessionem* Christi Mediatoris, qui efficit, ut tanquam reconciliati & sanctificati sanguine ejusdem, adeóque filii hæredes Dei, rebus Dei uti possimus) *sanctificatur*, v. 3. 4. 5. Præterea cum Manichæis paria faciunt illi, qui carnes certo vel omni tempore vetant, ceu immundas. Atqui vetuit olim Papa Zacharias in Epistola Bonifacio Moguntino Episcopo inscripta, graculorum, coturnicum, ciconiarum, magis autem leporum & equi sylvatici esum Christianis cavendum esse declarans. Ejusdem antecessor Gregorius II. caballi agrestis, uti vocat, esum omnibus modis prohibuit, hac addita ratione: *Immundum enim est atque execrabile.* Alexander Alensis dicit, *ideo carnis esum tempore quadragesimæ prohibitum, quia terra propter peccatum Adæ maledicta, aqua verò non, ut quæ postea sanctificata sit Baptismo Christi.* Et Durandus *Rational. Div. offic. lib. VI.* sic scribit: *Quòd Deus maledixit terræ in operibus humanis, non aquæ, inde est, quòd omne genus carnis, quod in terra versatur, tam quadrupeda, quàm aves in jejunio non licet comedere.* An hi diversum à Manichæis sentiunt? An carnes non prohibent *sub motivo* juxta Te, *per S. Paulum damnato*? 4. Illustris cumprimis locus, auro signandus est ejusdem S. Pauli Col. II. 16. *Ne quis vos damnet ob cibum vel potum, aut respectu diei festi, aut novilunii, aut Sabbathorum.* Et. v. 20. 21. *Si igitur mortui cum Christo, liberi estis ab elementis mundi, quid ut viventes in mundo decreta sustinetis*; (qualia sunt) *Ne tangas, ne gustes, ne attrectes? Quæ omnia ipso usu pereunt, præscripta ex mandatis & doctrinis hominum. Quæ rationem quidem habent sapientiæ in cultu voluntario, & summissione animi, & in eo, quòd corpori non parcunt; non tamen ullius sunt pretii, cùm ad ea spectent, quibus expletur caro.* Quid ampliùs desideramus? Colligit enim Apostolus omnes causas, quibus superstitiosi homines suam ciborum quorundam abstinentiam commendare & palliare solent; cujusmodi sunt, quòd præscripta sit ex mandatis & doctrinis hominum, hoc est, uti Papistæ loquuntur, authoritate Ecclesiæ: quòd rationem habeat sapientiæ, quippe non sine justis causis instituta: quòd ratio hæc sapientiæ sit in cultu voluntario, summissione animi, *ἀφειδίᾳ σώματος, in eo; quòd corpori non parcitur.* quæ singula & omnia perpetuò in ore Papistarum sunt. Vetat Apostolus quenquam damnare ob cibum vel potum. Papistæ damnant, dicentes, peccare, & peccare mortaliter eum, qui à carnibus non abstinet certis temporibus. Vetat idem eos qui mortui sunt cum Christo, *δογματίζεσθαι decretis onerari.* quia *ἀσύγκλωστα* sunt, mori cum Christo, & decretis ejusmodi onerari, quæ libertatem à Christo partam evertunt, & veterem servitutem legalem revocant. Non potuisset Apostolus Papistarum oculum impetere & ferire rectiùs. Dilutum enim est, quòd Redingius excipit, *agi de Cerinthianis vel Platonicis, qui ex superstitioso Angelorum cultu, abstinentiam à cibis Mosaica lege prohibitis inducebant.* Esto enim ita. An ideo Papistæ non æquè taxantur? Scilicet, si toto genere hi ab illis differant. Alias cur magis loquitur de Cerinthianis & Platonicis; ergo non de Papistis: quàm loquitur de Cerinthianis, ergo non de Platonicis? An qui eadem peccata peccant, non solent eadem lege contineri? Imò mœchiæ septima Decalogi lege damnantur, & qui virginem stuprantur, & qui matronam adulterant, & qui pro-

pinquam incestant, & qui scortum publicum subagitant; quia etsi sive speciebus, sive gradibus peccata hæc distinguuntur, tamen in genere eodem mœchiæ conveniunt. Quid verò multis? Apostolus ipse ostendit, non solos Judæos Cerinthianos, sed Papistas etiam se comprehendere. Eos enim pulsat, qui judicant circa esum & potum, & decretum isthoc, seu mandatum humanum, *Ne gustes*, ferunt, *habens legem sapientiæ in cultu voluntario, & animi summissione, & in eo, quòd corpori non parcunt*, v.23. Has abstinentiæ causas nec Judæi Cerinthiani, nec Platonici habuerunt: habent Papistæ, quibus abstinendi causæ sunt cultus voluntarius & ἀφειδία σώματος. Has enim jactant: indéque Deum ipsum sibi obæratum sperant. Neque putandum, Apostolum ad Colossenses scribentem non potuisse innuere superstitionem Ecclesiæ Romanæ. Potuit enim scribere de iis rebus ad omnes Ecclesias, quia erant Pseudapostoli, qui Christianos ex gentibus vocabant ad elementa mundi Judaica: de iis agens potuit agere de similibus, quæ noverat per spiritum Phopheticum introductum iri, etiamsi tum nemo illa dogmata urgeret. Neque illud etiam obstat, quòd Apostolus dicit: Δογματίζεσθε *decretis oneramini*, ad præsentes velut loquens; quia Spiritus S. de rebus futuris, ut præsentibus, loqui, & futuræ etiam ætatis homines, tanquam præsentes, alloqui solet. Scribi enim curavit verba sua ad Ecclesias omnes, adeóque etiam futuri temporis.

ARG. III. Ciborum quodlibet genus est pars universalis dominii dati Genes. I. 26. 27. & restituti Genes. IX. 3.4. Quod quidem dominium Deus tum in Paradiso per interdictum arboris, tum post diluvium per interdictum sanguinis, tum in Mosaica lege, discrimen statuens inter animantia munda & immunda, ad moralem impuritatem ceremoniali ista significandam, restrinxit. In N. autem T. illud & generali abrogatione Ceremoniarum, & exertis verbis sustulit, Matth. XV. 11. Act. X. 11. 12. & c. XV. 18. 1. Tim. IV. 3. 4. Tit. I. 15. Col. II. 6, &c. Nec habet Ecclesia eam potestatem, ut libertatem hominibus concessam Divino jure, stricta lege abroget, & observationem delectus faciat actum obedientiæ & cultus Divini.

RESP. REDING: *Annon etiam Magistratus politicus libertatem cibariam in N.T. restringere potest? Quantò verò magis Ecclesia Apostolica, clavium authoritate munita? Quali potestate etiam Apostoli Act. XV. 20. usi leguntur.* Ibid. pag. 355. Resp. Potest utique, jure architectonicæ potestatis, à Deo concessæ, & ob finem merè civilem, non religionis, cultus, meriti gratia. Alia ratio Ecclesiæ, quæ potestate ejusmodi architectonica destituitur, nec clavium prætextu eam involare ullatenus potest; & quicquid disponit, non ob finem civilem, sed supernaturalem & religiosum disponit. Disponere autem & constituere quicquam, quod libertati conscientiæ à Christo & Apostolis concessæ & testatæ adversetur, adeóque ex abstinentia non religiosa religiosam, ex non peccato peccatum, & mortale quidem illud, facere neutiquam potest. In Evangelio enim generalis esculentorum poculentorúmque libertas conceditur; adeò ut, religionis causa, nihil intersit, quid edas vel bibas: dum temperantiam ne deseras. Jejunium autem sua natura abstinentiam ab omnibus cibis, dummodo illam naturæ constitutio patitur, postulat. De loco Act. XV. 20. &c. intra.

ARG. IV. Cibi qui in jejunio Papistico deliguntur, non conducunt sanè ad morti-

mortificandam carnem. Nihil dicam de potu, in quo & experientia docet esse inflammationem concupiscentiæ, & Scriptura ait esse ἀσωτίαν Ephes. V.18. Nec diffitentur medici, ac Hippocrates præsertim, *facilius esse satiari potu quàm cibo.* Certè ichtyophagia & xerophagia non magis contundit corpus, quàm esus carnium. In piscibus major est delectatio, quam in carne fumo durata; eorundémque condimenta plus provocant ad libidinem, quàm salsedo carnium salitarum, durus caseus & putrida ova. Notúmque est nequissimorum & perditissimorum adolescentum apud Comicos Poëtas convivia potissimùm ex salsamentis, conchis & aliis piscibus instrui. Inde factum, ut heroes suos Homerus, quibus, ut ait Plutarchus, εὐτελῆ καὶ λιτὴν ὥσπερ ἀσκηταῖς δίαιταν *tanquam ascetis vilem & simplicem victum* tribuit, nusquam piscibus, sed semper carnibus vescentes inducat. Legumina quoque propter ventositatem magis irritant libidinem, quàm carnes. Qui igitur potu generoso, piscibus Eois dapibus intonatis, leguminibus, herbis delicatè apparatis, ingluviem stomachúmve oblectat, eum quisquam judicare potest *mortificare carnem, jejunare?* Accedit, quòd Alensis disertè ait: Excessum manifestum in quantitate cibi minuere quidem meritum jejunii, non tamen illud solvere, *quia*, inquit, *Ecclesia non determinavit quantum debeat sumi in communi.*

RESP. REDING: 1. *Carnis concupiscentia fovetur ex tribus, nempe calore, spiritu & humore seminis. Ad calorem maximè cooperatur vinum, & alia calefacientia: ad spiritus inflativa: ad humorem seminis esus carnium. Inter hæc tria discrimen intercedit, quòd alteratio caloris, & multiplicatio spirituum citò transeat; substantia verò humoris ex carnibus nascens diu maneat. Quæ ratio singularis est, quòd usus carnium potiùs jejunantibus interdicatur. Præterea Ecclesia jejunium instituens intendit ad id, quod communiùs accidit. Esus autem carnium communiter delectabilior est, quàm piscium. Ita Thomas.* 2. *Juxta eundem jejunium Ecclesiæ non solvitur nisi per ea, quæ Ecclesia interdicere intendit. Non autem Ecclesia intendit interdicere abstinentiam potus, qui magis sumitur ad alterationem corporis, & digestionem ciborum assumptorum, quàm ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat. Et ideo licet pluries jejunantibus bibere. Si verò quis immoderato potu vel cibo utatur, potest is peccare, & jejunii meritum perdere.* Ibid. pag. 353. & 356. Resp. 1. Thomæ illæ λεπτολογίαι omni ratione destituuntur. Jejunium enim ad carnis mortificationem institutum, omnem & cibi & potus abstinentiam requirit, non delectum ciborum & potum quemvis. Tum jejunium vel unius diei, vel continuatum est. Quod unius diei est, transeuntis caloris ac inflationis & permanentis humoris differentiam non recipit. Satis enim est, eo tempore, quo jejunatur, calore & inflatione ex cibo & potu orta carni fomenta suppeditari. quod à jejunio alienissimum est. Jejunii continuati haud dispar ratio est, quia in cujuslibet diei jejunio idem obtinet. Quid enim si humoris substantia maneat in posterum usque diem, quo jejunium cessat: vel calor & inflatio carnis non transeat nisi peracto jejunio; saltem inter jejunandum maneat? Hoccine jejunare erit? Sed plus forte jejunanti calor & inflatio carnis, quàm humor calore destitutus, vel moderato saltem præditus nocet. Vulgatum

illud est, sine Cerere & Baccho frigere Venerem. Atqui etiam sine carnium esu Cereri & Baccho locus esse potest. Sed *delectabilior*, inquis, *carnium, quàm piscium esus est.* Atqui jejunium non delectabiliora, sed חמדות *delectabilia* (Dan. X. 3.) quævis excludit. Nulla igitur hic optio danda. Tum aliis, & alio tempore, alia delectabiliora sunt, ut regula hic constitui nequeat. 2. Quid Ecclesia Papalis interdicere intenderit, non quæritur; sed quid intendere debuerit, verbo Dei & jejunii veri rationi congruens. Ex Ninevitarum & Estheræ jejunio triduano liquet, eos aquæ etiam potu abstinuisse. Quantò magis abstinendum à vini & siceræ potu, nisi forte levis delibatio ad animi deliquium, ex nimia corporis per jejunium debilitate, depellendum requiritur. Alias à vero jejunio abesse debent omnes deliciæ & lautitiæ; inter quas præcipua vini potus est. Sed sic patrocinandum fuerat luxui & mollitiei delicatorum hujus seculi hominum, qui rite scilicet & *Ecclesiasticè* jejunare dici poterunt, etsi generosissimo Falerno sese proluant, & stomachum communiant, & ventrem omne genus cibis, solis carnibus exceptis, farciant. quod Deum & homines ludos facere est. Non Christiana, sed *Epicuræa* ejusmodi jejunia & sunt, & dicuntur à Lindano vestro, Ruræmundensi Episcopo, qui *Panopl. Evang. lib. III.* 11. his jejunia vestra coloribus depingit: *Jejunia nostra, quæ & vini copia natant, abundantiáque redundant, & piscium varietate carnium superant delicias, adeóque, (quod & Hieronymus de suæ ætatis moribus conquerebatur) cum Deo ludere videntur, dum pro intercepto, qui ex ovis oritur, calore, olei flammas, vini æstum, omnísque aromatum generis ignes helluoni infarciunt stomacho, veteribus Christianis omnino fuisse non modò incognita, sed & intolerabilia, atque adeò abominanda, piis omnibus vetera cogitantibus, arbitramur notius, quàm ut ea de re ulla sint verba profundenda.*

ARG. V. Apud omnes Veteres jejunium plenariâ abstinentiâ definitum esse, ingenuè fatetur Bellarminus, asserens, usitatam illis fuisse unicam refectionem, eámque cœnam fuisse, non prandium. Et testatur universa antiquitas, non fuisse integrum solvere jejunium, nisi hora nona post ortum solis. Quem morem obtinuisse adhuc Thomæ Aquinatis ætate, adeóque Seculo XIII. ex ejus verbis; quæ extant 2. 2. *q.* 147. *art.* 6. 7. Cajetanus colligit. Mutatus tamen est ante Seculum XVI. ut non cœnare tantùm, sed etiam prandere licuerit. Bellarminus notoriam hanc mutationem purgat, *quòd rationabilem habeat sui usus causam.* Quam verò illam? *Quia veteres prandere solùm horâ sextâ, hodie prandetur horâ tertiâ.* At hoc falsum est. Ubi horâ tertiâ prandetur, in Italia, Gallia, Germania, universo denique Europæo orbe? Sexta ferè prandent omnes, si eos excipias, qui duro & laborioso opere vitam tolerant sextámque anticipant. quales nec olim defuisse credibile est. Neque tantùm prandium admittit jejunium Papisticum, sed etiam liberale illud. Sanè Johannes Viringus, Atrebatensis Presbyter in suo de jejunio & abstinentia opere *lib. III. cap.* 3. *pag.* 52. testatur, cautum esse in Synodo Machliniensi, *ne ultra duas horas saltem ecclesiastici prandium prorogarent.* An igitur qui duas horas epulatur, jejunare dici potest? Certè ejusmodi jejunium

nium cum geniali prandio conjunctum, apud veteres chimæra, tragelaphus, aut merum prodigium habitum fuisset.

RESP. REDING: 1. *Verum quidem est, quòd vetus Ecclesia jejunaverit abstinendo ab omnibus cibis, ad tempus nempe horæ pro refectione ab Ecclesia determinatæ. In qua ipsa tamen refectione à carnibus abstinendum fuit.* 2. *Sed & illud non abnuo, veterem Ecclesiam refectionem non permisisse ante horam nonam, quia, uti Thomas Aquinas 2.2.q.147. arguit, aliquid supra communem consuetudinem prandendi circa sextam addendum fuit, quò sic jejunans aliquam afflictionem pro culpa satisfactione sentiret; & quia hora nona mysterio passionis Christi, hora nona completæ, congruit, atque sic jejunantes carnem suam affligendo passioni Christi conformantur. Antiqui verò moris illius mutati causa est, quia, juxta eundem Thomam, modicus defectus non multum nocere potest. Non est autem magnum temporis spatium ab hora sexta, qua communiter homines prandere sueverunt, usque ad nonam jejunantibus determinatam. Ideo talis taxatio temporis non multum alicui nocere potest, cujuscunque conditionis existat; & dispensari facilè potest, ut horam aliquantulum prævenire liceat. Habenda enim ratio est infirmitatis ob decrescentes per singula ferè secula vires.* 3. *Si quando abusus, salva legis substantia, irrepunt, humani ingenii partus sunt; quibus saltem ex parte providere, prudentis circumspectionis est, qualis illa Synodi Machliniensis fuit.* Ibid. pag. 356. 357. Resp. 1. Verum genuinúmque veterum jejunium fuit, aliquot horas post ordinariam refectionem ab omni cibo abstinentium. Sed aliis hodie apud vos vivitur moribus. Nam abstinentiam à cibis non exigitis ultra tempus ordinariæ refectionis, hoc est, prandii. An hoc est jejunare abstinendo ab omnibus cibis, uti quidem veteres jejunasse dixi, neque tu abnuere potuisti? Scilicet si quoad abstinentiam à cibis consueto more vivere, hoc est, non jejunare, tibi jejunare est. 2. De rationibus, ob quas veteres ad horam usque nonam abstinentiam produxerunt, à Thoma allatis, morosè non disputo, tametsi frivolæ omnino videntur, atque ea potiùs ratio eos movit, quia sacræ actiones vix ante illud tempus absolvi potuerunt; neque ii putarunt, jejunare dici posse eum, qui non secus atque alias prandet cœnátque, vel hora consueta vel certè paulò post eam exactam. Sed misso hoc, satis illud est, quòd nec Thomas Aquinas, nec Redingius in dubium vocare, quòd Ecclesia vetus una refectione, non ante horam nonam instituta, acquieverit, ausi sunt. In hoc enim rei cardo vertitur. Inde planè liquet, vos à veteris Ecclesiæ jejunandi ratione planè defecisse. Unde & *mutatum* apud vos *morem* eum esse, fateris ipse, & mutati illius moris ex Thoma Aquinate rationem reddere conaris; perinde ac si ejus jam tempore mos inolevisset diebus jejunii hora sexta prandendi. Qua in re & vestris credo, & nostris turpiter imponere voluisti. Nihil enim minùs Thomas profitetur: nec mutatum morem ille ait, nec mutati moris rationem ullam reddit. Provoco ad Thomam ipsum. Is enim 2. 1. *q.* 147. *art.* 7. quæstionem instituit: *Utrum hora nona convenienter taxetur ad comedendum his, qui jejunant?* indicans scilicet, ejus adhuc ætate horam illam (non sextam) taxatam esse; concludénsque his verbis: *Ut jejunantes circa horam nonam cibum sumant, convenienter est constitutum*: allegato canone Concilii Chalcedonensis, in quo tamen ipso non hora nona, sed *vespertinum officium* nominat. Objicienti *num.* 3. quòd jejunium sit actus virtutis abstinentiæ: virtus porro moralis non eodem modo accipiat medium quoad omnes, quia quod est multum uni, alteri parvum est; adeóque non debeat jejunantibus taxari hora nona; ita respondet: *Ad tertium dicendum, quòd modicum augmentum, vel etiam modicus defectus non multum potest nocere. Non est autem magnum temporis*

poris ſpatium, quod eſt ab hora ſexta, in qua communiter homines comedere conſueverunt, uſque ad horam nonam, quæ jejunantibus determinatur, Et ideo talis taxatio temporis non multum poteſt alicui nocere, cujuſcunque conditionis exiſtat; vel ſi forte propter infirmitatem, vel ætatem, aut aliquid hujuſmodi, hoc eis in magnum gravamen cederet, eſſet cum eis in jejunio diſpenſandum: vel ut aliquantulum prævenirent horam. Quibus fidiculis inde, Redingi, extorquebis, Thomæ Aquinatis ætate mutatum eſſe morem jejunandi, & ab hora nona ad ſextam reductum eſſe jejunium; atque mutationis illius rationem verbis illis Thomam reddere? Imò alia omnia ille loquitur: horam nonam ſua adhuc ætate taxatam eſſe ad comedendum in jejunio: neque obſtare, quòd virtus moralis, qualis abſtinentia eſt, non eodem modo quoad omnes medium accipiat, quia non ſit magnum ſpatium, quod eſt ab hora ſexta, in qua *communiter* (en, non in jejunio) homines comedere conſueverunt, uſque ad horam nonam, quæ jejunantibus determinatur. Atque ideo taxationem illam (horæ nonæ, non ſextæ) non multum poſſe alicui nocere, cujuſcunque conditionis exiſtat, &c. En Redingianæ in tractandis authoribus fidei ſpecimen? 3. Epulari die jejunii: & epulari hora ſexta: & epulari aliquando in prandio per duas horas: & epulari ſic non laicos, ſed *Eccleſiaſticos*, non abuſus eſt, cum ſubſtantia jejunii conſiſtens, ſed ſubſtantiæ jejunii everſio; neque apud veteres, repeto, jejunium, ſed tragelaphus, chimæra, prodigium habitum fuiſſet.

ARG. VI. Delectus ciborum primi authores fuerunt hæretici, Ebionitæ, Encratitæ, Euſtathiani, Manichæi, Priſcillianiſtæ, de quibus apud Epiphanium, Auguſtinum, Socratem, Tertullianum. Nec ovum ovo ſimilius, quàm Montaniſtarum & Papiſtarum jejunia. Præterea ex Tertulliano, ex Alcibiadis Hiſtoria apud Euſebium, qui aſceticâ ſuâ vitâ, oblectans ſe ſale, pane, aquâ, & cæteris admirationi fuit, & eam, cùm quoſdam offendi videret, commutavit; ex Auguſtino, Juliano, Pomerio, Iſidoro, Theodoreto oſtendit Dallæus, delectum ciborum in veterum jejuniis nullum fuiſſe. Et ſi quando veteres ante ſextum ſeptimúmve Seculum à certo ciborum genere abſtinuerunt, illi tamen nec nudam abſtinentiam à carnibus habebant pro vero jejunio, nec in more habuerunt hunc delectum niſi in quadrageſima, nec potum adhibebant, nec lautè victitabant in cæterorum ciborum apparatu, nec denique ullâ publicâ neceſſariáve lege certum ciborum genus delegerunt. Delectus verò hujus genuina origo hæc fuit. Primi cœlibes plures non à carne tantùm, ſed ab omni ſolidiorum ciborum uſu abſtinuerunt, quod moleſtam & ſuæ continentiæ incommodam materiam iſtis cibis in corpus ſuum invehi putarent. Mox à cœlibum exemplo latiùs aſceſis iſta ſerpſit, donec tandem ex voluntaria quorundam diſciplina lex publica hominum, aliorum libera voluntate, aliorum tyrannide, facta eſt.

RESP. REDING: 1. *Ebionitæ à carnibus, ceu immundis & inquinatis abſtinuerunt: Encratitæ animalia abominati ſunt non ob continentiam, ſed ob timorem, ne ob animatorum*

eſum

esum condemnarentur: Tatianus ciborum à Deo creatorum usum simpliciter interdixit: Manichæi non vescebantur carnibus, eò quòd de mortuis & occisis Divina substantia fugerit: Montanistæ tres quadragesimas sanxerunt, ac si tres Salvatores passi essent. Quid hæc omnia ad Catholicos? 2. Bellarminus solidè probavit. consuetudinem jejunandi abstinendo à carnibus inde ab Apostolorum temporibus viguisse Ibid. pag. 357. 358. Resp. 1. Esto abstinentiæ veterum Ecclesiasticorum & Pontificiorum diversa causa. Quanquam & vestros nonnullos à carnibus, ceu immundis, abhorruisse, supra ostendi; & res ipsa docet, tanta videlicet, & tam exquisita cautio vestra, ne vel guttula jusculi carnium in piscium vel olerum discum aliquo casu incidat: & ut quadragesimæ initio omnia vasa culinaria, ipsique cultri probè detergantur, ne quid vel saporis, vel odoris carnis illis adhærescat. Unde illa cautio, nisi à tacita opinione de eduliorum vel per solum carnium contactum immunditia? Sed esto, inquam, diversa abstinentiæ causa. At res ipsa eadem est. Nam & apud vos Carthusiani, aliique ejusdem hac in parte disciplinæ Monachi, toto anno, & omnes dimidia pœne anni parte à carnibus sic accuratè abstinent, ut nulli olim vel Ebionitæ, vel Encratitæ, vel Manichæi, vel Montanistæ hujus instituti observantiores fuerint. Horum nemo legitur eos, qui carnem gustassent, ad ignem damnasse. quod adversarios sæpe fecisse liquet. Profectò Montanistæ non magis, quàm hodie adversarii, carnes natura sua immundas putabant. quos tamen Hieronymus *in Hagg cap. 2.* scribere non dubitavit, *de radice Tatiani crescere*; quòd scilicet utrorumque similis esset à carnibus abstinentia, licet abstinentiæ planè aliam Tatianus Encratitarum parens, aliam Montanistæ causam reddiderint. Ita etiam vos de Tatiani radice crevisse, eadem Hieronymi ratione inducti, dicimus, quia diversas ob causas licet eandem abstinentiam fovetis. Neque ovum ovo similius est, quam sunt Pontificii Montanistis. Montanus enim neque carnes natura sua immundas, neque ab alio, quàm à Christi patre vero Creatore conditas docebat: neque in perpetuum ab iis abstineri jubebat, sed quibusdam tantùm temporibus, humiliandæ & castigandæ carnis gratia, planè ut hodie Pontificii. quæ omnia ex Tertulliano clarissimè liquent. Is enim *lib. de jejun. cap. 51*, disertè negat, apud suos *perpetuam abstinentiam præcipi ad destruenda & dispicienda opera Creatoris; quales* (inquit) *inveniam apud Marcianum, apud Tatianum, apud Jovem hodiernum de Pythagora hæreticum, non Paracletum.* Et statim initio operis *cap* 1. invidiam declinans, negaverat, Montanum alium *Deum prædicare, vel Jesum Christum solvere, vel aliquam fidei aut spei regulam evertere* Abstinentiam verò illam à carnibus apud Montanistas adeò perpetuam non fuisse testatur, ut etiam anno toto non plures quàm decem xerophagiarum dies, ab iis observatos affirmet. *Quantula,* inquit *cap. 15 est apud nos interdictio ciborum? Duas in anno hebdomadas xerophagiarum nec totas, exceptis scilicet sabbathis & dominicis, offerimus Deo, abstinentes ab iis, quæ non rejicimus, sed differimus.* Planè similis apud Adversarios abstinentiæ à carnibus ratio est. Abstinent enim & ad tempus, & ζωστεροφορουντες, hoc est, domandæ & humiliandæ carnis gratia Genuina ergo Montanistarum proles sunt, nisi quòd in eo degenerarunt, quòd, cùm Montanistæ duas duntaxat xerophagiarum hebdomadas observarint, illi plures quàm quindecim toto anno observant; &, cùm illi à carnibus, & ab omni jurulentia, & à pomis etiam avidioribus, maximè à vino abstinuerint, hi solas carnes exhorrescunt; ac de cætero pisces, poma, cibos quantumvis sapidos, ac vina etiam generosissima impune usurpant; quos Tertullianus si viveret, (*cap. 9.*) *cibis* forte *sobrios, potu certè ebrios* diceret, arguerétque *velut non totam, sed dimidiam tantùm gulam Deo immolantes.* Sed in pluribus aliis Pontificios cum Montanistis ex Tertulliano egregiè contendentem Celeb. Dallæum

de Jejun. & Quadrag. c. 3. videre licet. Res adeò manifesta est, ut Peresius Aiala, Guidixensium Episcopus, animadvertens Psychicorum, quos Tertullianus refutavit, placita cum nostris, Tertulliani contra cum suis exactè congruere, apud se statuerit, & istos Psychicos revera hæreticos, & Tertullianum, ac quos ille propugnat, Montanistas veros & germanos illius seculi Catholicos fuisse. Sic enim ille *de Tradit. p. 3. de jejun. p. 263.* scribit: *Error fuit olim Psychicorum, id est, animalium hominum, qui jejuniorum præscriptiones damnabant, dicentes, suo arbitrio relinquendos esse homines in jejunio; quos Tertullianus damnat, & efficaciter convincit in tractatu, quem edidit contra eos, satis Ecclesiastico & erudito;* eorúmque errorem ait primum Aerianos, postea Lutheranos secutos esse; tandémque nos *superbos Psychicos*, hos autem veteres Tertulliani Psychicos *progenitores nostros* appellat. Ingenuè profectò, & ex tripode. Atque idem etiam opinatus est Turrianus *lib. I. pro Epist. c. 3.* ubi sic nostros compellat: *Qua in re meliùs saltem quàm vos, vestri illi Psychici sentiebant.* Nos verò, Peresi & Turriane, Psychicos illos ultro amplectimur, Catholicos quippe illius ævi. Vos in tota hac causa Tertulliani, ab Ecclesia damnati, & istius, quem defendit, *Montani, Paracleti* proles ac fœtura estote. Hanc vobis gloriam nulli invidemus. 2. Testimonia ex Bellarmino à te compilata infra *ad Obj. VIII.* diluimus. Hoc autem loco ad ea, quæ vobis ex antiquitate, illis inprimis, qui ante sextum septimúmve seculum à certo ciborum genere, diversissimo à vobis fine, abstinuerunt; nec non veræ Ecclesiasticæ de jejunio in ciborum delectu legis origine, objeci; respondendum fuerat. Sed hæsit tibi aqua, & mutum heic oraculum tuum reperisti. Cur nihil ad Alcibiadis historiam reponis? Ille enim, Lugdunensibus & Viennensibus apud Eusebium *Histor. Eccl. lib. V. 3.* testibus, captivus pro Christo, vitam satis austeram degebar, μηδενὸς ὅλως μεταλαμβάνων, ἀλλ' ἢ ἄρτῳ μόνῳ, καὶ ὕδατι χρώμενος *nihil cibi accipere volens, tantùm pane & aqua utebatur*; sed offensis ea abstinentia aliis πάντων ἀνέδην μεταλαμβάνων, καὶ ηὐχαρίστει τῷ θεῷ *cœpit omnia cum gratiarum actione percipere.* Inde liquet *primò*, liberum fuisse cuivis ξηροφαγεῖν vel carnibus vesci: *secundò* paucos fuisse ascetas xerophagos, eósque aliis admirationi, aliis scandalo fuisse: *tertiò*, viros sanctos non ita pertinaces fuisse, quin austeritatem & xerophagiam in gratiam eorum, qui offendebantur, relinquerent: Quàm hæc à moribus hodiernorum xerophagorum aliena sunt? Si, quod Bellarminus ξηροφάγιον hic commentus est; fratres de Alcibiade suspicati essent, quòd à reliquis cibis ceu immundis abhorreret; quid opus fuisset ad tempus illud usque martyrii sui continuatas asceses subitò abrumpere? Satis enim erat crimen purgare solâ confessione opinionis de ciborum munditie, alióque abstinentiæ fine. qualis esse potuit carnis coërcitio, temperantiæ studium, terrestrium abdicatio, præparatio ad martyrium. &c.

ARG. VII. Denique legem istam jejunii ipsi adversarii tantùm non dissolvunt. Negant enim eâ teneri pueros, senes, ægrotos, debiles, mulieres prægnantes, pauperes, concionatores, tutores, confessarios, fabros murarios, ferrarios, lignarios, & omnes qui ex officio laboriosis operibus intenti sunt: item peregrinantes, & conjugatos, *qui non possunt reddere uxori debitum jejunando*, uti videre est apud Bellarminum lib. II. de Bonis operibus cap. 10. Toletum de instr. Sacerd. Cap. 1.6. Cap. 4.55.7. Emmanuelem Sa, alios. Exceptis iis, quantula pars supererit ex lege jejunantium? Conqueritur Peresius,

resius, alios ἐπιεικείας, alios dispensationibus sive dissipationibus se excusare, ut vix duo, vel nemo sit, qui se ad jejunia obligatum putet. Camusus Episcopus Bellicensis refert de concionatore nobilissimi ordinis, eum quadragesimæ tempore legem jejunii indicturum, dubium hæsisse, quibus ex frequentissima corona id oneris imponeret, quòd tot sint, qui excipiantur ab ea lege, ut vix unum ei obnoxium cernere sibi detur. Diceres, legem illam potissimùm Romæ adlubescere, ut dispensationum subsidio pecuniæ corradi faciliùs possent. Cui rei fidem facit Taxa Cancellariæ Romanæ, in qua dispensationes ejusmodi certo pretio addicuntur.

RESP. REDING: 1. *Excipiendo nonnullos à lege jejunandi, lex ipsa non dissolvitur, sed justo moderamine, per æquas seu relaxationes, seu exceptiones temperatur. Quas autem ob causas multi excipiantur, Thomas Aquinas 2. 2. q. 147. a. 4. & Bellarminus docent. 2. Cancellaria Romana de ista in jejuniis dispensandis taxa nihil novit, sed Medicorum consilio, prudentisque Prælati judicio causæ æquitatem ponderandam relinquit.* Ibid. pag. 358. 359. Resp. 1. Plurimos excipi, ratio mea loquitur, & Thomas Aquinas ac Bellarminus à te citati, manifestè confirmant. Hoc mihi sufficit, quicquid de exceptionis causis, & legis temperamento justáque moderamine vestri disputent. Saltem lex tam severa, cujus transgressionem minimam mortale peccatum, piacularibus inferni flammis lustrandum, faciunt, tot exceptiones pati non debuit: nec pateretur etiamnum, nisi decumanam dispensationibus aureis portam sic aperiendam censuissetis. 2. Téne verò adeò in mundo hospitem, ut asserere ausis, *Cancellariam Romanam de ista in jejuniis dispensandis taxa nihil nosse?* An taxam Cancellariæ & Pœnitentiariam veterem ignoras? Si ignoras res vestras, ego te eas docere possum. In Taxa Cancellariæ Romanæ titulo *de Licentiis & Indultis* (Parisiis apud Toussain Denis A. 1520. edita) sic habetur: *Licentia comedendi carnes pro una persona grossis decem.* Item: *Quòd laicus non tenetur jejunare diebus, quibus per Ecclesiam astrictus existit: & quòd possit uti caseo, grossis viginti. Quòd quidem comes propter infirmitatem diebus vetitis possit uti carnibus & ovis, grossis duodecim, Et pro familiaribus sibi servientibus, addatur pro quolibet unum.* In taxa Pœnitentiaria sub titulo *de Licentiis & indultis* sic lego: *Licentia utendi lacticiniis temporibus prohibitis pro una persona tantùm, turon. 6. 2. Pro tota familia, turon. 12. 3. 6. Pro pluribus conjunctis, tur. 12. 3. 6. Pro Capitulo, Collegio, Congregatione vel universitate, in perpetuum est taxa arbitraria. Pro oppido & illius districtu, etiam pro clericis, fratribus & monialibus cujuscunque ordinis, turon. 200. 50. Habenda est tamen ratio oppidorum. Si pro communitate ratione loci frigidi, & ob penuriam piscium, & olei olivarum, quæ quidem communitas talibus lacticiniis uti consueverit à juvenili tempore, turon. 100. 25.* Talibus olim, nondum refrœnato per Reformationem pudore Ecclesiæ Romanæ, moribus victitatum est. Glossa *in Can. Presbyter Dist. 82.* sic habet: *Denarium potest dare, ut se redimat à jejunio. Ergo multò fortiùs per alterius jejunium poterit liberari.* Sic speciosè carnis edomatio ad multos præclaros fines prætenditur, verùm Papæ potentia quæritur. Ille figendæ refigendæque legis, ille dispensandi authoritatem sibi sumit, sponsore nummo, Regina pecuniâ. Liceat cum Erasmo *Epist. ad. Episc. Basil.* interrogare: *Si causa (relaxationis præcepti de vetitis cibis) justa est, cur exigitur pecunia? Sin minùs, quid facit relaxatio!*

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Deus Protoplastis interdixit arbore vitæ & carnibus animalium, quas demum post diluvium indulsit Genes.I. 29. 30. IX.13. Ergo ecclesia quoque delectum ciborum ad jejunium rectiùs celebrandum instituere potest.* Resp. 1. Non idem hominibus in homines, quod Deo in eosdem jus est. Deus enim & hominum & escæ ipsius absolutus Dominus est. Homines verò ministri & œconomi. 2. Deus in N. T. omnes promiscuè cibos indulsit; & remoto repagulo res omnes usibus nostris liberaliter dedicavit. Qui igitur homines sunt, qui optimi Domini liberalitatem, & hominum libertatem novis legibus circumscribere audent? 3. Carnes animalium ante diluvium homini à Deo concessas esse, fusè Hist.Patr.tom.I.Exerc.XIV.probavimus.

EXCIP. REDING. : 1. *Deus quodlibet ciborum genus ita hominum juri concessit, ut non tantùm per se, sed etiam per Ministros & Oeconomos suos cum authoritate hujusmodi iisdem concessa humanam libertatem legibus quibusdam circumscriberet. 2. Licet major in N.T. libertas successerit, Ecclesia tamen Act.XV.29. quosdam cibos prohibere potuit.* Ibid.pag.360. Resp. 1. Ubi eandem Ministris & œconomis authoritatem restringendi dominium & libertatem à Deo concessam, quam ipse Deus habet & usurpavit, & restrictionem illam, ceu partem cultus, meriti, conscientiis religiosa lege obtrudendi, atque sic ex non peccato peccatum faciendi, concessit? Prome tabulas, Redingi. Non prætor es, cui edicenti sine ulla ratione quidvis assurgere teneamur. Quid absurdum, quid impium magis, quàm homini Ministro, œconomo competere eam potestatem, ut à Deo ipso concessam libertatem, & dominium homini indultum abolere, & pro lubitu restringere valeat. Annon hoc est ex homine ministro Deum dominum, imò Dei ipsius dominum facere? Apagesis impietatem, blasphemiam. 2. De loco Act.XV.29.infra.

OBIECT. II. *Daniel jejunavit abstinendo à pane desiderabili, carne & vino, adeóque in delectu ciborum Dan.X.2.3. Ergo ecclesia quoque ciborum delectum præscribere potest.* Resp. 1. Danielis factum, uti par est, laudamus, neque vetamus, quin similibus in causis pii imitentur. Attamen nulla lex, vel meriti opinio ipsum hoc facere compulit. Neque ipse Daniel alios id ipsum facere jussit, vel non facientes pro hominibus impiis, profanis & intestabilibus habuit. 2. Daniel à carne, aliisque cibis delicatis & vino, non certis diebus, sed perpetuò, non religiosi jejunii causa, sed pollutionis in mediis aulæ deliciis metu abstinuit, uti ex Dan. I. 7. liquet. Babylonii enim multis cibis vescebantur lege interdictis, Levit. XI. Deut. XIV. Abstinuit quoque, ne deliciis ejusmodi inescaretur, & laqueis Diaboli irretitus fidei naufragium faceret: útque in ipsa mensa sibi perpetuò gentem suam in memoriam revocaret. 3. Quoties autem jejunavit Daniel, non certis aliquibus, sed omnibus cibis, etiam pane & vino abstinuit, Dan.X.3.

EXCIP. REDING : 1. *Laudabilem ergo, imitatu dignam Danielis abstinentiam censes. Nitebatur*

rebatur ergo virtutis honestate, & in finem virtutis religionis reducebatur. Et quidni talem virtutis actum Ecclesia imperare possit? Nam etiam in V.T. Ecclesiæ præsides jejunia indixerunt. 2. *Neque Daniel omnibus cibis, sed suavibus duntaxat abstinuisse dicitur. Quomodo enim per tres integras hebdomadas ab omni cibo abstinere potuisset?* Ibid. pag. 360. 361. Resp. 1. Laudabilem censeo, censeo imitatu dignam, si pares inprimis circumstantiæ sint. Neque tamen abstinentia illa spontanea, nulláque adeò lege imperata, pars erat honestatis, justitiæ, cultus, religionis; sed ejus adminiculum quoddam, cujus adhibendi ipse sibi legem dixit, singulares ob causas, non ab aliis dictas suscepit; & quidem extra jejunium, in quotidiano victu, in quo carnibus, vino abstinens, solis leguminibus vitam toleravit, Dan. I. 7-17. Quid hoc ad delectum ciborum lege imperatum, ceu partem virtutis, religionis, & quidem in jejunio, non quotidiano victu? Nam jejunia quidem indici posse, ultro consentimus; sed indici posse ita, ut lege lata delectus ciborum in jejunio decernatur, & pro jejunio habeatur, id verò pernego. Neque unquam vel in Veteri, vel in Novo Testamento tale quid factum, demonstrare potes. 2. Omni certè cibo per tres hebdomadas integras jejunans Daniel non abstinuit; nec naturaliter abstinere poterat, quia victu jejunia subinde solvi naturæ infirmitas coëgit. Aliud ergo erat Danielis jejunium, quo cibo utique omni abstinuit, & ultra consuetum haud dubiè vescendi tempus: aliud refectio, quo jejunium solutum est. Neque enim jejunium ille in delectu ciborum constituit, sed delectis sponte, sine ulla lege, cibis vilioribus (qualis forte erat leguminum & aquæ, Dan. I. 16.) jejunia illa sua per integras tres hebdomadas solvit. Neque etiam aliis eandem legem imposuit, vel comedentes carnes damnavit. Vos contra & in delectu ciborum jejunia constituitis: & jejunantes prandetis, cœnatis consueto tempore: & cibos desiderabiles quoscunque, carnibus exceptis, ad satietatem usque, & ultra, consumitis, atque vina etiam generosissima plenis cyathis hauritis: & aliis denique legem eandem imponitis, atque non parentes, ceu peccatores maximos, damnatis.

OBIECT. III. *Johannes Baptista locustas & mel silvestre esitavit, Matth. III. 4. Ergo ecclesia quoque delectum ciborum instituere potest.* Resp. Non lege ulla, sed libera voluntate, ad faciendam austeræ vitæ exemplo extraordinariæ vocationi fidem; nec in jejunio, sed ordinariè hoc cibo Johannes usus est. Neque etiam aliud ipsum non edisse, Evangelista testatur. Ita Israelitæ manna, Sacerdotes res sanctas comederunt. At aliud ipsos non comedisse, inde non rectè colligitur. Denique ad similem temperantiam neminem Johannes adegit; secus quàm faciunt mitrati, qui verè Saliaribus & Pontificalibus cœnis se saginantes, reliquis Christianis, seu vulgo abstinentiæ legem figunt.

EXCIP. REDING: 1. *Annon Johannis abstinentia insignis virtutis actus exstitit? Quidni ergo eandem, quoad ejus saltem partem & tempus aliquod in jejunio imitari & eandem Ecclesiæ præscribere fidelibus liceat?* 2. *Protervia est austeram Baptistæ vitam sic extenuare, ut quodvis aliud etiam ciborum genus, extra locustas & mel agreste, admisisse dicatur.* Ibid. pag. 361 Resp. 1. Quicquid verò reclames, Baptistæ factum ad jejunium neutiquam pertinet, sed singularis potiùs atque extraordinariæ austeritatis vitæ exemplum, omnibus Christianis necessariò minimè imitandum, est. Atque id ipsum tamen si vel in jejunio, vel

extra illud, tanquam regula omnibus ſequendum eſſet, non minùs utique à piſcibus & vino, quàm à carnibus abſtinendum eſſet. Non ergo Johannis illa auſteritas virtutis communis actus aliquis, ſed ſpecialis vocationis ſignum & adminiculum quoddam fuit; quod tam non neceſſariò vel in jejunio, vel extra illud imitandum eſt, quàm non vel Baptiſta in jejunio delectu illo ciborum ſive ſponte ſua, ſive lege lata, uſus legitur, (nam S. Matthæus emphaticè dicit *ἡ τροφὴ αὐτοῦ alimentum ejus*, quæ phraſis non rationem jejunandi, ſed veſcendi notat) vel omnes Chriſtiani quoad ſingularem vocationem Baptiſtæ, præcurſores Chriſti ſunt. 2. An verò extra ordinarium illum cibum alio extra ordinem uſum non eſſe, neque uti potuiſſe Baptiſtam, Evangeliſtæ teſtantur? An panem nullum, carnem nullam, ſaltem in paſchate, deguſtavit? An deguſtando extra ordinem, mortalis piaculi reum ſe ipſe feciſſet? Næ proterviæ potiùs notam meretur, qui tale quid aſſeruerit. Ita Levit. XXI. mundus redditus dicitur *veſci ſanctificatis quia cibus ejus eſt.* An quia nihil aliud?

OBIECT. IV. *Apoſtolum Petrum lupinis, Matthæum oleribus, & baccis veſci ſolitos: Jacobum vino & carne abſtinuiſſe veteres tradunt. Ergo fas eſt certos cibos deligere.* Reſp. 1. Si vera eſt traditio, delecti ab Apoſtolis fuerint cibi illi non jejunii religioſi vel meriti gratia, & ad tempus, ſed in omni vita. Proinde exempla ejuſmodi virorum Sanctorum frugalitatem & in victu modeſtiam commendarent; quorſum etiam ea attulit tum Gregorius Nazianzenus *Orat. de Paup. om.* tum Clemens Alexandrinus *Pædag. lib. II.* 1. non docerent, cuiquam homini licere talis victus vel abſtinentiæ legem univerſis Chriſtianis figere. 2. Eſt enim traditio illa incerta, falſæque ſimilis, utpote ex Ebionitarum & fabulatorum lacunis hauſta, uti ex Epiphanio in *hæreſ.* & Euſebio *Hiſt. Eccleſ. II. 22.* liquet.

EXCIP. REDING: 1. *Quò non prolabitur nequitia tua, ut Apoſtolorum abſtinentiam à Gregorio Nazianzeno & Clemente Alexandrino commendatam, ex Ebionitarum & fabulatorum lacunis arceſſas? 2. Quæ non impudentia, Apoſtolorum illam abſtinentiam ſpoliare ſancta per religionis virtutem efformata Intentione, per quam religioſi jejunii honeſtatem ſuperinduerit. 3. Qua abſtinentia Apoſtoli per univerſam vitam uſi ſunt, ejus moderatam partem certo tempore per legem injungere & imitari quidni liceat?* Ibid. pag. 361. Reſp. 1. An verò nequitia eſt, candidè referre authorum ſenſus? Id ego præſtiti? nec tu refragari auſis. Dixi, Nazianzenum & Clementem Alexandrinum traditioni de victu Apoſtolorum ſuffragatos eſſe. Hoc ipſe quoque probas. Dixi, *traditionem illam incertam eſſe & fabulæ ſimilem, utpote ex Ebionitarum & fabulatorum lacunis hauſtam, uti ex Epiphanio & Euſebio conſtet.* Negas? Audi igitur Epiphanium hæreſi *de Ebionitis* ſic ſcribentem: *καταψευσάμενοι πέτρου κατὰ πολλοὺς τρόπους ὡς αὐτοῦ καθ' ἡμέραν βαπτιζομένου ἁγνείας ἕνεκεν καθάπερ καὶ οὗτοι, ἐμψύχων τε τὸν αὐτὸν ἀπέχεσθαι, καὶ κρεῶν, ὡς καὶ οὗτοι καὶ πάσης ἄλλης ἐδωδῆς τῆς ἀπὸ σαρκῶν πεποιημένης λέγουσιν, ἐπειδήπερ καὶ αὐτὸς Ἐβίων καὶ Ἐβιωνῖται παντελῶς ἀπέχονται τούτων. De Paulo mentiuntur multis modis, quaſi quotidie lavaret puritatis cauſa, ſicut ipſi. Sed & animatis abſtinuiſſe dicunt, ac carnibus, ſicut ipſos cunctóque alio cibo ex carnibus: quia ſcilicet ipſe Ebion, Ebionitæque iiſdem abſtinerent.* De Jacobo Euſebius ex Egeſippo *Hiſt. Eccl lib. II. 23.* recitat. *Jacobus*, inquit, *ab ipſo utero matris ſanctus fuit. Nec vinum unquam, οὐδὲ ἔμψυχον ἔφαγε, ab animantium carnibus penitus abſtinuit.* An traditionem illam

Iam pro certa, Redingi, amplecteris? Quomodo igitur Jacobus cum Christo in novissimo convivio Pascha comedit, & vinum bibit? Quis tam crassa hæc nisi κεχηνὼς defenderit? Et quantum quæso heic fidei Egesippo tribuimus, in eadem narratione scribenti quòd *Jacobo illi uni licuerit ingredi Sancta Sanctorum?* Nisi forte oblitus ille est legis Divinæ, prohibentis quenquam eò penetrare, excepto uno summo Pontifice. Ubi ergo hic, Redingi, nequitia, nisi forte in sinu tuo? 2. Quicquid autem garrire pergas, nunquam efficies, ut Apostoli credantur cibis illis abstinuisse vel jejunii religiosi, vel meriti gratia, vel ad tempus duntaxat, vel lege ab Ecclesia lata. In hoc enim rei cardo vertitur. Neque victus creber, consuetus, ordinarius, quotidianus religiosi jejunii honestatem induerit, quia ipsum jejunium crebrum, consuetum, ordinarium, quotidianum nullum est. 3. Neque vero licet pro jejunio moderatam pro certo tempore partem abstinentiæ Apostolicæ, si vera illa omnino fuisset, lege lata injungere. Abstinentia enim illa quotidiana non ab omnibus, sed quibusdam delicatioribus cibis fuisset. At jejunium veri nominis ab omnibus cibis abstinentiam exigit. Multò minùs equidem *abstinentiæ talis pars pro certo tempore* veri nominis jejùnium esset, quàm abstinentia illa Apostolorum perpetua veri nominis jejunium fuisset: Aliud enim est deligere cibos viliores, ad quotidianum victum, aliud religiosè jejunare.

OBIECT. V. *Timotheus ordinariè vino abstinere solitus est, uti ex verbis Apostoli 1. Tim. V. 23. colligitur.* Resp. 1. At Sacrificuli certè, legis hujus authores, nec in jejunio, nec extra illud vino abstinent, sed Baccho strenuè litant. 2. Neque verò Timotheus vel in jejunio duntaxat, vel religionis & merendi gratia vino abstinuit: sed ita fortè ab infantia institutus morem longo inolitum usu haud facilè deposuit. 3. Denique quod ipse fecit, ejus imitandi legem nemini mortalium imposuit.

EXCIP. REDING: *Si abstinentia à certo victus genere virtus est: ergo sub discretione humanæ virtuti moderata, per authoritatem Ecclesiæ ab ipso Christo concessa fidelibus præceptum abstinentiæ à certo cibi genere imponi potest.* Ibid. pag. 361. 362. Resp. Non potest, tum quia jejunium abstinentia est ab omni cibo: tum quia nemo judicare nos potest in cibo & potu, adeóque neque legem de eo ferre: tum quia cibus nos Deo non commendat, neque Regnum Dei est esca vel potus, Rom. XIV. 17. 1. Cor. VIII. 8. Col. II. 16. Religionis ergo causa & ex præscripto religioso hominum à certis cibis abstinere, nefas est: sponte à delicatioribus cibis abstinere, frugalitatis & temperantiæ actus, qualis in jejunio locum nullum habet.

OBIECT. VI. *Apostoli Act. XV. 28. 29. præceperunt ecclesiæ abstinentiam à sanguine & suffocato. Ergo pari ratione ecclesia injungere abstinentiam à certis cibis potest.* Resp. Abstinentiam à sanguine & suffocato præceperunt ad tempus Apostoli, non ut carnis lasciviam domarent, vel animum ad orationem & rerum cælestium contemplationem componerent, qui proprii Pontificii ciborum delectus fines prætenduntur; sed ut scandalo è Judæis antiquitatem legis ad animum revocantibus accepto remederentur. Sublato autem scandali metu

metu ipsa quoque lex cessavit, neque proinde extra similem causam ecclesia potestatem habet publica lege Christianorum libertatem onerandi.

EXCIP. REDING : *Nimis arctis cancellis Ecclesiæ authoritatem, ad solvendum & ligandum indefinitè à Christo constitutam, circumscribis, dum in unico scandali casu eam legem ferre posse asseris.* Ibid. pag. 262. Resp. Nec nullis limitibus potestas clavium circumscripta est, quia in potestatem & verbum Dei, ac libertatem Ecclesiæ incurrere non debet, sed iis inservire potiùs: nec ei derogamus quicquam, asserentes, quòd libertatem cibariam N. T. in verbo Dei clarissimè concessam, de quo solo hic quæstio est, extra casum scandali, restringere & minuere illa, lege lata, nec possit, nec debeat. nisi fas putamus esse Ecclesiæ id adimere, quod Deus dedit, adeóque Dei ipsius jurisdictionem impotenter involare. Utique quod Apostoli fecerunt, in simili casu facere licet. At jejunii causa cibos certos prohibere, similis casus non est, tum quia jejunium abstinentiam ab omnibus, non certis cibis requirit: tum quia extra scandali casum unum præ alio cibum religionis gratia prohibere, verbo Dei, imò ipsis etiam Apostolis & Spiritui S. hoc ipso loco decernentibus, *ne discipulis onus imponatur*, refragatur, & Manichæismum sapit. Præterea nec interdictum aliquod in verbis Concilii apparet, sed δόξα *sententia* tum Spiritus S. respectu oneris discipulis non imponendi, tum Apostolorum, respectu abstinentiæ à sanguine & suffocato; quo id fategerunt Apostoli ut tranquillæ conversationi Judæorum & gentilium providerent. Eadem nempe doctrina est, quam Apostolus etiam Rom. XIV. & 1. Cor. X. tractat, scilicet, non expedire, non ædificare, quæcunque licent. At abstinentia, quæ fit ædificationis causa, longè ab ea differt, quæ fit propter interdictum; quia quæ interdicuntur, ne quidem licent. uti in Papatu jejunii tempore nemini vel micam carnis gustare licet.

OBIECT. VII. *Finis jejunii est corporis concupiscentias edomare, & in servitutem redigere, uti docet S. Augustinus. At non potuit certa regula circa quantitatem cibi sumendi constitui: neque etiam circa lautitias & condimenta ciborum, quæ infinitis modis variantur. Debuit igitur constitui regula in qualitate penes abstinentiam ab aliquo genere cibi, qui ex genere suo magis nutrit & magis delectat. qualem esse carnem pecorum & avium omnes concedunt.* Resp. 1. Cùm jejunium verum consistat in abstinentia ab omni cibo, Pontifex in ferenda de jejunio lege de regula aliqua circa ciborum discrimen solicitus esse non debuit. Omnes cibi prohibendi, non ciborum discretio inducenda fuit. Verùm ita placuit, ut aliquod jejunium habere viderentur, qui vero jejunio prorsus destituuntur. 2. Regula circa quantitatem vel qualitatem cibi sumendi, & lautitias, à Deo nulla constituta est. Proinde neque homines constituere debuerunt. Nec in V. T. nec à Christo, nec ab Apostolis ulla jejunantibus circa cibi qualitatem regula præscripta est. Satis est, quòd in genere omnis in victu immodestia & intemperantia vetita est. Unde quisque sibi facilè consulere potest. Neque enim oves Christi pecudes sunt sui nesciæ, quarum pastum omnem ac victum aliena manus regere debeat. 3. Ciborum delectus, seu qualitas lege aliqua eadem omnibus præfigi non potest, quia non eadem omnium com-

plexio,

plexio, nec eadem voluptas omnes capit. *Sunt*, inquit Erasmus Epist. ad Paul. Episc. de interd. es. carn. *corpora, quæ lasciviant, etiamsi fœno pascantur. Sunt quæ vix vivant, etiamsi perdicibus & phasianis avibus alantur. Nonnullis quilibet piscis, quod aliis scorpius, aut lepus marinus, aut vipera. Opulentis mutatum cibi genus est voluptati & fastidii remedium.* Superius quoque, quid sentiendum sit de ciborum invicem comparatorum qualitate, ostendimus.

EXCIP. REDING: 1. *Licet jejunium pro certo diei spatio abstinentiam ab omni cibo postulet; non tamen Ecclesia ciborum generis abstinentiam toto ejus diei curriculo prohibere non potest. Quòd enim ultra omnimodam pro certis horis abstinentiam Ecclesia pro integro die statuit abstinentiam à carnibus, hoc veri jejunii argumentum ex legitima potestate sancitum est* 2. *Neque ideo Christi oves pares habentur cum pecudibus, aliena manuductione ad pastum indigis; quia quod in his naturæ rationalis deficientia est, in ovibus Christi virtutis est, moderatricem Ecclesiæ legem sequi.* Ibid. pag. 362. 363. Resp. 1. Non posse Ecclesiam pro integro die abstinentiam à certo ciborum genere indicere, liquidò supra probavimus. Neque abstinentia illa à certo ciborum genere *jejunii argumentum* ulla ratione censeri potest, quia jejunii rationem, te ipso fatente, nullam habet. Quomodo jejunium augere dici potest, quod ipsum jejunium non est? 2. Non pares sic oves Christi cum irrationalibus & quibusvis pecoribus habentur, sed infra ea subsidunt, quia pleraque etiam, feræ inprimis, citra ullam manuductionem victui suo consulunt. At juxta vos Christi oves circa pastum & victum aliena Ecclesiæ manu & lege regi debent. Cúmque Deus ipse in Evangelio libertatem cibariam stabiliverit, & cuique facultatem, quibus velit, cibis utendi, non alia quàm sobrietatis & temperantiæ lege sancita, impertitus fuerit; homines hominibus jugum nullum imponere possunt, nisi liberos & liberatos à Christo in servitutem hominum redigere parent, qui non veræ Ecclesiæ, sed tyrannicæ genius est.

OBIECT. VIII. *In veteris ecclesiæ jejunio delectum ciborum obtinuisse, liquere potest ex Philone apud Eusebium Hist. Eccl. II. 16. 17. testante, quòd Alexandrini carnibus & vino abstinuerint; ex Constitutionibus Ap. lib. V. 17. ubi Clemens abstineri diebus jejunii præcepit à carnibus & vino, ejúsque rei praxin in B. Petro ostendit; ex Canone Apost. 51. Eusebio Hist. Eccl. V. 1. ubi Martyres Lugdunenses se carnibus abstinere ajunt; Tertulliano de cultu fœm. cap 9 Epiphanio, Synodo Laodicena can. 50. Cyrillo Hierosol. Basilio, Theophilo Alexandrino, Chrysostomo, Hieronymo, Augustino &c.* Resp. 1. In Alexandrinis, quorum Philo meminit, nullum omnino est xerophagias præsidium. Non enim Christiani illi, sed Esseni adeóque Judæi fuerunt. Tertullianus certè, qui nihil intentatum omisit, in xerophagiarum suarum defensione acerrima eorum ne quidem meminit. 2. Ex Constitutionibus & Canonibus Apostolicis constat, ea ætate, qua scripti sunt, quosdam Catholicos vino & carnibus propter ascesin abstinuisse. Sed eadem scripta esse supposititia, æquè constat. Et si qua hîc authoritate pollent, etiam vino, piscibus & pomis jejunantes abstineant, solóque pane, sale & oleribus vescantur oportet. 3. Martyres Lugdunenses carnibus abstinuisse, non Blan-

dina apud Eusebium, sed Ruffinus malus hic Eusebii interpres dicit. ζώων αἷμα *animalium sanguinem*, non carnes se non comedere, Martyres asserunt. 4. Ex Tertulliano non aliud constat, quàm quosdam ascetas & publicè pœnitentes sponte, non ulla lege coactos, non Christianos quosvis carnibus & vino, etiam extra jejunium, abstinuisse. Nihil hoc ad xerophagiam vel Montanistarum, vel Pontificiorum, jejunium præ se ferentium. 5. Reliqui xerophagiam & ichthyophagiam paulatim liberè susceptam, non ulla lege ecclesiæ injunctam arguunt, usque ad Seculum VII, quo lex jejunandi in delectu ciborum invalescere cœpit.

EXCIP. REDING: 1. *Essenos ad fidem conversos abstinentiæ exempla S. Marco ipsorum duce, præ se tulisse, ex Eusebio constat. 2. Constitutionum Apostolicarum γνησιότητα ex tomo I. Conciliorum editionis Paris. cognoscas licet. 3. Annon primorum Christianorum abstinentiam vel ex parte imitari, laudabile: & ex Apostolica Ecclesiæ in perpetuum concessa præcipiendi potestate sancitum, observatu prorsus necessarium est?* Ibid. pag. 263. Resp. 1. De Essenis, vel potiùs Therapeutis Euseb. supra *Quæst. VII de Monach. Object. I* fusè & verè dicta repetere non libet. Nil minùs eos quàm Christianos fuisse, ibi evicimus. 2. Constitutionum Apostolicarum νοθείαν Cl. Dallæus doctissimo de Pseudapostolicis tractatu irrefragabilibus argumentis asseruit. Eò vicissim te amando. Ibi tela Tomi I. Conciliorum Parisiensium obtusa & amentata videbis. Sed & demonstratum solidè videbis, opus isthoc universum demum post tempora Concilii Nicæni consarcinatum editúmque esse. Recognitionum libros non esse Clementis, probat Sixtus Senensis *Bibl. lib. II. Clemens.* Eosdem *insulsis fabulis* refertos Baronius *A. D. 102 §. 22. & apocryphos censeri* Bellarminus *lib. II. de Pontif. c. 2. & de Script. Eccl. in Clemente*, ait. De constitutionibus & Canonibus Apostolorum idem ferè judicium Bellarmini, Baronii, Perronii, Albaspinæi, Petavii, aliorúmque ex adversariis primipilarium, esse, idem Cl. Dallæus ostendit. Sed sunto, inquam, germani Clementis, Apostolorum fœtus. Cur ergo, quæ ab Apostolis instituta pertenditis, ea neque ipsi servatis, neque Romanus Pontifex, neque universa Ecclesia vestra? Jubent enim Apostoli *can. 51.* τῶν κρεῶν καὶ οἴνου δι' ἄσκησιν ἀπέχειν, *carnibus & vino, propter ascesin, abstinere.* An vino abstinetis? Annon potiùs venas omnes eo impletis? Imò *Constit. Apost. lib. V. c. 17. 20.* Clemens de sex antepaschalibus diebus ita præcipit: Νηστεύετε μόνῳ χρώμενοι ἄρτῳ καὶ ἁλί, λαχάνοις, καὶ ποτῷ ὕδατι. οἴνου δὲ καὶ κρεῶν ἀπέχεσθε ἐν ταύταις. *Jejunate pane tantùm utentes, sale, oleribus & aqua potu. Abstinete his diebus vino & carne. Dies quippe luctus & non festi sunt.* An hoc modo vos jejunatis, solo pane, sale, oleribus, aqua vescimini, potamini? An Apostolorum, quas jactatis, legibus obtemperatis? Ergo vel in ipsos Apostolos rebelles ac contumaces estis: vel certè, qui hæc ita apud Clementem decernunt, Apostoli non sunt. 3. Christianos primævos non quosvis, sed ascetas & pœnitentes carnibus & vino, etiam extra jejunium abstinuisse, dixi. Qui exemplum sponte imitari voluerint, iis imitari haud dubiè licet. Sed Ecclesiæ neutiquam licet lege edicere, ut in jejunio idem fiat, quia jejunium omnimodam abstinentiam, diversúmque à communi & consueto vivendi modo genus vitæ postulat. Jejunia veterum, quæ servabantur sabbatho & prosabbatho à Romanis etiam sabbatho, erant, *non prandere*, uti Augustinus loquitur, & μὴ ἐσθίειν, *non edere* uti Epiphanius. Pisces autem & alia omnia præter carnes etiam sexta diei hora, edere, certè *prandere, edere*, non jejunare est. An jejunium tale mendax,

dax, vel jejunium non jejunium, lege sanciendi potestatem, tanquam Apostolicam, Papa vester accepit? Id verò pernegamus, & ultra asserimus, solum Deum & Christum non ullum hominem habere potestatem præcepta Ecclesiæ hominúmque conscientiis imponendi, & eosdem decretis suis subjiciendi. Quemadmodum igitur si quis velit domino non suo servire, ea est violatio Domini sui; & servus propter conscientiam suam tenetur non obedire alieno, & dominium injustè usurpanti, nedum hosti domini: ita fideles propter conscientiam tenentur non fieri servi hominum, non δογματίζεσθαι doctrinis & præceptis hominum, non suscipere signaturam alienam; & tale imperium sibi vindicanti, tanquam ἀντικειμένῳ & Antichristo resistere.

QUÆSTIO X.

An stata, iisdemq; quotannis diebus recurrentia jejunia sub peccato mortali, lege unius Ecclesiæ Romanæ, Christianis omnibus indici possint?

Synodus decreto *de jejuniis* hortatur pastores, ut omni diligentia instantur apud populum, quò iis potissimùm se gerat obsequentem, quæ faciunt ad mortificandam carnem, *ut ciborum delectus & jejunia.* Per jejunia autem intelligi stata, qualia sunt Quadragesimæ, feriæ sextæ & Sabbathi, vigiliarum singularum, quatuor temporum, adventus, Rogationum, quæ quotannis dies circiter centum & quinquaginta occupant, patet ex usu & praxi publica. Nos ejusmodi stata jejunia, cum opinione necessitatis & cultus Divini, omnes Christianas Ecclesias simpliciter obligantis, in tanta etiam multitudine rejicimus. Etenim

ARG. I. Christus non obscurè declaravit, sibi stata illa jejunia displicere. Quippe cùm discipuli Pharisæorum & Johannis Baptistæ cum Christo expostularent, quòd non iisdem statorum jejuniorum legibus discipulos suos astringeret, Christus non tantùm non approbat stata illorum jejunia, sed etiam legales ejusmodi Pædagogias comparat cum veteri panno, qui non sit assuendus novo, Matth. IX. 16. & innuit v. 15. crucem, calamitates ac persecutiones, ablato sponso, præbituras causam, & monstraturas jejunii tempus.

RESP. REDING: 1. *Christus disertis verbis prædixit, discipulos suos, eo in Cælum sublato, jejunaturos. Quomodo ergo dici potest, eum jejunia discipulorum Johannis improbasse? Declaravit tamen idem, nolle se discipulis suis, quandiu cum illis esset, jejuniorum legem imponere, ne ex tali austeritate ipsi in Spiritu S. nec dum confortati deterreantur. Ineptè ergo je-*

junii tempus ad ſola calamitatis tempora reſtringis 2. Jejunium quoad ſubſtantiam in legis etiam Evangelicæ ſtatu præceptum, meritò obſervatur: licet quoad circumſtantias modi vel temporis pædagogia veteris legis circa illud expiraverit: ſalvo tamen manente jure Eccleſiæ, ut tempus ac modum jejunii, præſertim quadrageſimalis, determinet. Tomo V. Tract. XVI ſſ.2 pag 364 365. Reſp. 1. Ineptè argumentaris. Si enim Chriſtus prædixit, diſcipulos ſuos tum jejunaturos, cùm ipſe, ceu ſponſus, ablatus & in Cœlum ſublatus fuerit: quomodo igitur eatenus approbavit jejunia diſcipulorum Johannis & frequentia & ſtata, eo tempore obita, quo Sponſus aderat, nondum in Cœlum ſubblatus? Declaravit ergo Chriſtus, nolle ſe diſcipulis ſuis ſtatorum jejuniorum legem indicere, non eam, quam fingis, ob cauſam (nam jejuniorum auſteritas cùm Johannis diſcipulos æquè vel magis etiam in fide Chriſti infirmos non abſterruerit, nec Chriſti diſcipulos ab ejus diſciplina abſterritura fuiſſet) quia non decet jejunare præſente ſponſo. Hæc ratio apertè in textu redditur, non alia, *Non poſſunt*, inquit Chriſtus v. 15. *filii thalami lugere, quandiu ipſis ſponſus adeſt. Venient autem dies, quando Sponſus ab iis ablatus fuerit, & tum jejunabunt.* Ubi veſtri etiam Interpretes, Franciſcus Lucas, Janſenius, Toletus, Maldonatus notant, Chriſto idem eſſe *lugere*, quod *jejunare*. Cùm igitur Sponſo præſente & lætitiæ materiem ſuppeditante, non conveniat luctus, neque jejunium convenire poteſt. Cùm igitur iiſdem recurrentibus temporibus non ſemper recurrat luctus, ſed gaudii aliquando occaſio ſe offerat, ſequitur manifeſtè, vel non jejunandum eſſe recurrentibus ſtatis diebus, vel aliquando jejunandum eſſe cum gaudio, & ſine luctu, quod abſurdum eſt. Nam & vos ipſi die Dominica, & quoties Natalis Domini in feriam ſextam incidit, jejunandum non eſſe, prætenditis, quia tum gaudendum, non lugendum ſit. Et veterum Judæorum jejunia omnia propter calamitatem aliquam, vel adverſos caſus inſtituta eſſe liquet. Longè ergo prudentiùs, & Chriſti præcepto convenientiùs illi agunt, qui jejunia non diebus aſſignant, ſed occaſionibus metiuntur, quia ſic nec legem unquam violare coguntur, nec jejuniorum naturam. quorum alterutrum vitare Papiſtæ non poſſunt: 2. Non de jejunii *ſubſtantia*, ſed *circumſtantia*, tempore videlicet ſtato quæſtio eſt. Cum ergo circumſtantia ſtatorum jejuniorum una cum pædagogia legis expiraverit, cur eam vos reducitis? Nam Eccleſiæ quidem licere tempus jejunii definire, largimur ultro; ſed convenienter naturæ jejunii à Chriſto explicatæ.

ARG II. Dierum diſcrimina diſertè notantur & abrogantur, Gal. IV. 10. Coloſſ. II. 16. Paſſim etiam antiquata veteris legis σκληραγωγία libertas Eccleſiæ Chriſtianæ commendatur. Major autem rigor eſt legis Pontificiæ de ſtatis jejuniis, tum quoad ſanctionem legis, tum quoad numerum dierum, quàm in Eccleſia Judaica unquam fuerit. Etenim dimidia ferè pars anni quadam, ut ita loquar, angaria & velut atro carbone funeſtatur, cùm in V. T. ubi corporales illæ exercitationes ex voluntate Divina vigebant, una tantùm dies lege Dei fuerit ad jejunium ſepoſita. Fruſtra hic eſt Redingius *pag* 656. ubi ait, ſe à certis cibis abſtinere, & ſtatos dies obſervare, non ex legis ceremonialis obſervantia ab Apoſtolo hîc vetita, ſed alio fine, aliáque intentione. Neque enim Apoſtolus Judaicam tantùm obſervantiam dierum, ſed promiſcuè quamlibet redarguit. Nam & Ethnici, &

Turcæ

Turcæ & Genethliaci dies observant. An hos non tangit Apostolus? Si hos,cur non etiam Papistas? Universale igitur axioma est,prohibens dierum discrimen,quocunque fine constitutum. Aliæ pleræque Judaicæ ceremoniæ mutato tantùm fine retineri possent.

RESP. REDINO: 1. *Si Gal. IV. 10.Col.II.16.indiscriminatim dierum discrimina abrogantur,qui dies Dominica,festa in Ecclesia Dei locum habere poterunt? Non ergo dies, menses &c.ab Apostolo nominati tempora, per virtutum moralium exercitationes & in fide radicatas observantias,discreta; sed vel discrimina dierum, quatenus ex astrologia judiciaria fausti vel infausti judicantur,uti Augustinus censet; vel,uti meliùs Chrysostomus,Hieronymus & alii,dies Judaicos,sabbatha,menses,neomenias,Jubilæa &c.significant. Unde S Paulus Col. II.6.neomeniam sabbatha nominat. 2. Si vel maximè S.Paulus dierum observantias, Ethnicis,Turcis,Genethliacis consuetas tangeret,non aliud inde evinceres, quàm quòd superstitiosæ observantiæ,non ex mysterii,seu beneficii Divini commemoratione religiosa, vel alius virtutis ac honestatis moralis motivo susceptæ prohibeantur. 3. Effrænata carnis tuæ,& ab ea quæsitæ libertatis fructus est,quod sic legi Pontificiæ de jejuniis statis rigorem veteris legis rigorem superantem exagitas. Nam spiritus libertas.in carnis mortificatione, & à terrenis voluptatibus ad Divina se elevans sub tali rigore longè majorem consolationem experitur, quàm ex quibuscunque mundi deliciis.* Ibid. pag.366.367. Resp. 1. In die Dominica quod *morale* est,sanctificatio videlicet nominis Divini in cœtu publico,ex Dei præcepto; quod *ceremoniale*,puta determinatio temporis,per quam Ecclesia diem Solis cultui publico deputavit,ex libero Ecclesiæ arbitrio, cui tamen propter ordinem repugnare pius nemo potest, fluxit. Par festorum ratio. quæ ipsa tamen, quoad memoriam beneficiorum statis temporibus recolendam, indifferentia per se reputamus,uti infra. Non militant ergo hæc contra præceptum Apostoli, vetantis παρατηρεῖν ἡμέρας *observare dies* Gal.IV.10. quia non reducunt servitutem elementorum mundi. Hoc verò increpat Apostolus, illis diebus,quos Deus in V.T.secrevit,aut diebus præcepto humano distinctis,carnalia exercitia obire,tanquam ex præcepto, & propter tempus illicitum dicere,quod alias licitum est. Potest sanè aliquo die aut tempore aliquid non rectè fieri,quod alio tempore rectè fit,non propter tempus,aut præceptum,quod Israelitis datum est, de tempore, sed propter aliam causam. Omnia enim suum tempus habent. Vos contra verè *dies observatis*, aliud alio tempore sacratius,non propter ordinem, sed propter mysterium,hoc est,uti loqueris,*propter observantias in fide radicatas*, statuentes. Eò stata jejunandi tempora pertinent. Ad Sathanæ dolos pertinet, quòd *observantiam dierum* Judaicam,vel ethnicam & astrologicam vetari,regeris. Ethnica juxta Augustinum vetatur: an propterea non juxta Chrysostomum,aliósque etiam Judaica? Judaica juxta Chrysostomum,aliósque vetatur,an propterea non juxta Augustinum etiam Ethnica? Utraque vetatur,an propterea non Papistica? Nimis profectò absurdè luxas Apostolicæ doctrinæ vim,qui ex ea particulare de ritibus Judaicis non observandis enuntiatum elicis. Longè saniùs, qui universale axioma retinent,Christianos non debere dies,menses,annos observare,ceu sanctiores & μυστικωτέρας aliis. At universale axioma non minùs vos,quàm Judæos,gentiles,genethliacos stringit nisi forte nova nos arte edoces,non observare dies,qui dicunt: Cras sexta est feria; peccabit mortaliter,qui carnes comedet: aut; Dies est Dominica: Ergo nefas fuerit jejunare. Neque illud obstat, quòd S. Pauls Col.II.16.*neomenias, sabbatha nominat*; quia idem

Gal. IV. 10. *dies* in genere, & Col. II. 16. etiam *ἑορτῆς festa* nominavit; atque insuper parium par ratio est. 2 Dierum temporis omnis, ceu sanctioris & mystici magis observantia, observante Apostolo, superstitiosa est. Frustra ergo mysterii commemorationem religiosam, nulli tempori, ceu sacratiori, alligaram: frustra virtutis, religionis, honestatis motivum ingeris. Quicquid enim cum religione, verbo Dei pugnat, religionis, honestatis motivum esse nequit. 3. Ergone spiritus libertas est, pædagogiæ legalis rigorem postliminio revocare? Effrœnata carnis libido, nolle suscipere jugum, quod ipse Spiritus Dei per Apostolos Act. XV. 29. sustulit? Et stata vestra jejunandi tempora ad mortificationem corporis nil quicquam facere, ex iis, quæ diximus supra, manifestum est. Si non pro diebus, sed pro rebus & jejunaretis & pranderetis, tum & jejunii & libertatis ratio apud vos constaret. Appareret, verè esse liberos, qui sibi tempora, non se temporibus subjicerent.

ARG. III. Publica jejunia instituenda sunt, cùm mœror & luctus publicus Ecclesiam exercet. Etenim in scripturis sunt æquipollentia, *jejunare, animam affligere, jejunium, afflictio*, Lev. XVI. 29. Psal. XXXV. 12. Matth. IX. 15. Tum fatetur Bellarminus, *lætis temporibus minimè jejunium convenire*. Et jejunium per *actum lugentis* definiunt Toletus, Maldonatus, Jansenius, alii. Denique ritè observat Scaliger in Euseb. pag. 124. *Veterum Judæorum jejunia* הצבות *omnia fuisse instituta aut propter νεομηνίαν, aut propter incendia, aut aliquam calamitatem, & casus adversos, cædesque piorum hominum.* Cùm igitur non sint stata tempora luctus & mœroris Ecclesiæ, relinquitur, nec stata tempora jejunii esse oportere. Frivola est exceptio Redingii *pag.* 697. semper Ecclesiam infestari, & lugendum ipsi esse *ob hæreses & scandala eam invadentia.* Certè

Nunquam bella piis, nunquam certamina desunt.

At jejunandi necessitatem non quælibet, sed extraordinaria gravis calamitas imponit. Aliâs nullum non tempus jejunio transigendum foret.

RESP. REDING: 1. *Quid jejunio & afflictioni animæ cum publico Ecclesiæ luctu, nisi quatenus illa valet ad placandam justam Dei iram ac vindictam?* 2. *Cùm Divina ira in Ecclesiam non sæviat nisi propter hæreses & peccata, atque illa omni tempore intra Ecclesiam invalescant, convenit eam per jejunia & animi afflictiones sic temperare, ut tamen horum attenta fragilitate, mœrore pœnitentiæ & jejuniorum luctu fideles non opprimantur.* 3. *Sed & jejunia definitis temporibus ob præteritorum etiam Dei beneficiorum memoriam celebranda sunt. exemplo Judæorum, qui ob aversam Hammanis cladem annuum jejunium indixerunt.* Ibid. pag. 367. Resp. 1. Cur jejunia publica cum publico Ecclesiæ luctu conjuncta esse debeant, argumenta plura attuli. Cùm illa ne quidem attingere sustinueris, nil declamationem tuam moramur. 2. Neque verum illud est, quòd ira Dei propter peccata & hæreses semper adversus Ecclesiam sæviat. Cùm enim illa Deum in Christo, qui peccata fidelium super lignum portavit, placatum habeat, castigantem quidem Dei iram subinde experitur, at sævientem nunquam. Non sævit enim Deus nisi in eos, qui non credentes sub ira Dei manent, & condemnationi subsunt. Castigationes porro Divinæ cùm temporibus non alligentur, nec jejunia alligari possunt. Dantur in Ecclesia καιροὶ

ἀναψύξεως *tempora refrigerii* Act. III. 19. Deus vulnerat & sanat, occidit & vivificat, Deut. XXXII. 39. Hos. VI. 2 Est cùm Sponsus lœtam faciem præbet; est cùm occultat. 3. Non ergo jejunia stata ob recordationem beneficiorum Divinorum instituenda sunt, sed ob præsentem calamitatem ad avertendam iram Dei jam accensam. Jejunare, animam affligere non ob lœtas, sed ob tristes occasiones convenit. Neque Judæorum festum Purim statum jejunium, sed lœtam festivitatem fuisse, infra ostendimus.

ARG. IV. Primitiva Ecclesia nullas certas jejuniorum leges observavit. Testis Augustinus Epist. 86. ad Casulanum. Ubi *quibus diebus*, inquit, *non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum non invenio definitum.* Ubi de præcepto *scripto*, non *tradito* S. Patrem loqui, ineptè cùm Redingius *pag.* 698. tum alii tricantur. Etenim Augustinus inde concludit, liberam esse hanc jejunandi hoc vel illo die observationem, imò eorum dierum, de quibus interrogabatur, & ipsius Sabbathici jejunii relaxationem magis expedire. An ita concluderet, si præceptum Domini quodcunque tandem de hoc vel illo die extare arbitraretur? Quanquam quid de verbo tradito sentiendum sit, superiùs quoque ostendimus. Eusebius quoque Hist. Eccl. V. 17. ex Apollonio Montanum hæresiarcham accusat, tanquam νηστείας νομοθετήσαντα, *jejunia legibus sancientem.* Irenæus scriptor vetustissimus observantiæ varietatem luculenter etiam adnotavit. Socrates quoque Historicus fatetur, *lectionem nullam de hoc inveniri antiquam*, adeóque *Apostolos hoc singulorum reliquisse sententiæ, ut unusquisque operetur non timore & necessitate, quod bonum est.*

RESP. REDING: 1. *Augustinus Epist.* 86. *ad Casul. disertè dicit, se in N. T. videre, quòd jejunium sit præceptum. Idem serm.* 62. *ait, in quadragesima non jejunare, peccatum esse. In priore ergo loco loquitur de libertate jejunandi Sabbathi die, non quadragesima.* 2. *Montanus jejunia legibus sanxit ab Ecclesiæ Romanæ præceptis longè diversa. Tres enim, teste Hieronymo, fecit quadragesimas, quasi tres Salvatores essent.* 3. *Irenæi verba hunc sensum habent, quòd in substantia jejunii quadragesimalis non extiterit varietas, sed in ejus duntaxat specie seu modo, dum aliqui continuabant jejunium, nihil omnino comedentes, unum diem, alii duos, alii plures, alii verò quadraginta horis diurnis nocturnisque suum jejunii diem metiebantur, ita ut toto tempore impransi manerent.* 4. *Socrates jejunia libera statuens Novatiana & Aeriana hæresi infectus fuit.* Ibid. pag. 368. 369. Resp. 1. Jejunium præceptum esse in N. T. Augustinus dixit: at statis diebus jejunandum esse, non dixit; imò contrarium disertè dixit, negans, *præcepto Domini, vel Apostolorum definitum esse, quibus diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat.* Neque quadragesimam Dominica vel Apostolica lege invaluisse, alibi dicit, sed *consuetudine*, uti *Epist.* 119 *ad Januar. c.* 16. loquitur. De præcepto scripto, non tradito, Augustinum loqui, olim Redingius ex Bellarmino objecerat. Objectionem dilui. Deserta ergo illa nunc aliam tentat, ajens, *non de quadragesima, sed de jejunio sabbathi* Augustinum *loqui.* Atqui in universum negat, à Christo vel Apostolis definitum, *quibus diebus non oporteat, & quibus oporteat jejunare*; concludens inde, nec præceptum esse, ut Sabbatho jejunetur. Remoto genere speciem removet.

movet. Sic enim loquitur : *Ac per hoc* (id est, quia non est definitum, quibus diebus sit jejunandum, quibus non) *sentio, non quidem ad obtinendam, quam fides obtinet, justitiam, in qua est pulchritudo filiæ Regis intrinseca, sed tamen ad significandam requiem sempiternam, ubi est verum sabbathum, relaxationem, quam constrictionem jejunii aptiùs convenire Veruntamen in hujus sabbathi jejunio sive prandio, in his nihil videtur mihi tutius pacatiusque servari, quàm ut qui manducat, manducantem non spernat, & qui non manducat, manducantem non judicet.* Videri primo, aptiùs non jejunari sabbatho secus ac vobis videtur : deinde, jejunandum pro arbitrio, ut ne non jejunans damnetur. Ratio, quia nihil ea de re vel a Domino, vel ab Apostolis præceptum est. 2. De Montanistarum & Papistarum in doctrina de jejuniis syncretismo supra satis. Neque hoc in Montano Apollonius, & ex eo Eusebius notat, quòd tres quadragesimas fecerit, sed in genere, quod ausus fuerit νομοθετεῖν νηστείας *leges circa jejunia ferre.* Verba Apollonii sunt: οὗτός ἐστιν ὁ διδάξας λύσεις γάμων, ὁ νηστείας νομοθετήσας, &c. *Ille* (Montanus) *est, qui docuit solvere matrimonia, qui jejunia legibus sancivit.* Ab eo ergo statorum jejuniorum origo est. 3. Irenæi apud Eusebium *Histor. Eccl. lib. V.* 26. hæc verba sunt : *Non enim de die Paschatis solum, sed etiam de jejunii ratione & modo est ita constituta controversia Quidam enim unum diem se jejunare oportere existimant : alii duos : non pauci plures : multi quadraginta, diurnis nocturnisque horis numeratis, diem suum metiuntur ac statuunt.* Καὶ τοιαύτη μὲν ποικιλία τῶν ἐπιτηρούντων, οὐ νῦν ἐφ' ἡμῶν γεγονυῖα, ἀλλὰ καὶ πολὺ πρότερον ἐπὶ τῶν πρὸ ἡμῶν τῶν παρὰ τὸ ἀκριβὲς, ὡς εἰκὸς, κρατούντων τὴν καθ' ἁπλότητα καὶ ἰδιωτισμὸν συνήθειαν εἰς τὸ μετέπειτα πεποιηκότων. *Atque ejusmodi eorum, qui hæc observant jejunia, varietas ac discrepantia non jam nostra ætate cœpta est, verùm etiam longe ante apud Majores nostros, qui, ut conjectura assequi licet, non accuratè consuetudinem eorum, qui vel simplicitate quadam, vel privata authoritate aliquid in posterum tempus statuissent, observarunt.* Frustra hic ex Bellarmino excipis, Irenæum non de institutione jejunii quadragesimalis, sed de forma jejunandi, id est, quandiu, uno, duobus, an pluribus diebus jejunantes impastos esse oporteat, loqui. Licet enim de institutione jejunii quadragesimalis non agat, ex ea tamen, quam ille annotavit, ποικιλίᾳ *varietate* illud sequitur, neque ab Apostolis sancitum, neque ulla lege, sed consuetudine sola invaluisse, ac proinde liberum fuisse unum, duos, plures dies jejunare ; pura in jejunio Paschatis, de quo disertè Irenæus loquitur. Sed locum eum Celeb. Dallæus *de Jejun. & quadrag. lib. III.* 7. accuratè vindicavit ; nebulis omnibus, quas Bellarminus aliique offuderunt, discussis. 4. Non fuisse Socratem Novatianæ hæresi implicitum, Cl. Chamierus *Panstrat. Tomo III. lib. XVI.* 2. fusè probavit. Sed fuerit ei implicitus. Nihil ad rem, quia cum Novatianis nulla Ecclesiæ de jejuniis statis vel non statis quæstio fuit. Sed Aerianum fuisse, addis. Quo argumento, quo teste? Finxit id primus Bellarminus, oraculum tuum. Vel vera Socrates scripsit, vel falsa. Si vera, quid tum postea, de cœtero Catholicus an hæreticus fuerit. Si falsa, miramur non immeritò, cur repetierint Nicephorus, Cassiodorus, homo Latinus, cui Romana Ecclesia ignota esse non poterat.

ARG. V. *Quadragesimæ* jejunium intra tria priora secula incognitum fuisse ex Tertulliani & Irenæi haud paucis locis liquet. Cœpit ante tempora Tertulliani *Antepaschale* jejunium, solenne quidem & publicum jam factum ex *arbitrio*, non ex *imperio*. Et fuit hic primus gradus, ex quo sensim

erumpens

erumpens hominum devotio ad *Quadragesimam* tandem pervenit. Nam primo quidem unius perasceves fuit jejunium, mox & Sabbathi; postea gliscente hominum studio etiam aliarum ejusdem hebdomadæ feriarum, ac procedente tempore etiam quadraginta dierum ante Pascha. Jejunii *Sabbathici* mentio primùm occurrit sub seculi quarti annum quintum, & quidem in sola Hispania. Sub finem ejus seculi jejunari cœpit Romæ, & in paucis aliis Occidentis locis. Quin Græci A. 707. *Sabbatho* jejunantes solenniter excommunicârunt. Et constat planè ex Isidoro & Rabano, *Sabbatharium* jejunium ne anno quidem 800. necessarium & legitimum habitum fuisse. *Quarta* & *sexta* feria tempore quidem jam Augustini jejunatum legimus, non tamen vel necessariò, vel ex lege. Et quartam feriam exolevisse patet. *Rogationum* jejunium A. 500. à Mamerto Viennæ in Gallia Episcopo, institutum esse narrat Gregorius Turonensis. *Adventus* jejunium Bellarminus ait non tam ex præcepto, quàm ex consilio, vel voto à multis servari. Noverat nempe, id jejunium apud veteres planè ignotum fuisse. Neque enim alium hujus jejunii testem & vindicem laudat, quàm Innocentium III. seculi XIII. hominem. Neque alia ratio jejunii *Vigiliarum*. Jejunii *quatuor temporum* quanta fuerit olim varietas, Sirmondus Jesuita non dissimulat, apud Dallæum, *de Jejuniis lib. IV. 7.* ubi etiam ex eadem varietate, nomine & instituti absurditate, jejunium illud non esse ab Apostolis, fusè probatur.

RESP. REDING: 1. *Substantia jejunii ex jure Divino tradita, quoad circumstantias temporis determinari potest per potestatem ambientem universa secula Ecclesiæ, omni tempore providæ ad observandos status & hominum & causarum, pro quarum varietate ex legitima authoritate absque ullo præjudicio in jejuniis diversitas aliqua intervenire potuit. 2. Tertullianus loquitur de superstitiosa Montanistarum quadragesima, planè diversa à jejunio quadraginta dierum ante pascha ex Apostolica traditione celebrari solito. 3 Discrimen, quod Græcos & Latinos inter intercessit, in eo unicè consistit, quòd Latini sex, Græci septem hebdomadas jejunarunt. 4 Juxta Canonem Apostolicum 68. feriæ quartæ & sextæ jejunium institutum est. Ea tamen lege cauta fuit sola abstinentia à carnibus, non duplex refectio. Post in feriæ quartæ locum in Ecclesia Occidentali successit jejunium diei Sabbathi 5. Reliquorum varietas nihil obstat, salva semper manente substantia. quam vel arctare, vel extendere Ecclesia potest.* Ibid. pag 369.370. Resp. 1. Quamcunque Ecclesia in determinando jejunii tempore potestatem habet, illa verbo Dei subordinata sit oportet. At stata jejunia verbo Dei repugnare, supra probavimus. Nullam ergo ad determinanda illa potestatem Ecclesia habet. 2. Tertullianus *de Jejun. cap* 2. scribit, Catholicos *differenter jejunandum putasse ex arbitrio, pro temporibus & causis uniuscujusque.* Subjicit ex Catholicorum eorundem sententia: *Sic & observasse Apostolos, nullum aliud imponentes jugum certorum & in commune omnibus obeundorum jejuniorum.* Quomodo ergo, eo teste, quadragesimam Catholici observarunt, vel aliis observandam injunxerunt? De nulla igitur quadragesima, nedum superstitiosa loquitur. Idque magis etiam ex *cap.* 5.

 liquet.

liquet, ubi ſic ille: *Quantula eſt apud nos* (Montaniſtas) *interdictio ciborum? Duas in anno hebdomadas xerophagiarum, nec totas, exceptis ſcilicet Sabbathis & Dominicis, offerimus Deo.* In eo erat, ut invidiam, quam Catholici Montanicæ diſciplinæ auſteritati, velut nimiæ ac immodicæ, faciebant, amoliretur. Non ultra decem ergo dies anno eos jejunare profitetur. Infra ergo decem dies Catholici jejunabant. Fruſtra proin apud eos quadrageſimam requiras. Nam qui Montaniſtas accuſarunt, decem dierum jejunium toto anno agitantes, quomodo quadraginta continuos jejunaſſe cenſendi ſunt? 3. De diſcrimine jejunii à Græcis & Latinis celebrati dicere nihil attinet. Neque enim in Græcis magis quàm in Latinis probamus quadrageſimam quocunque modo celebratam. Quanquam non unum fuiſſe jejunandi morem & ritum à Græcis receptum, neque more Latinorum iiſdem cunctos legibus jejunandi adſtrictos fuiſſe, liquidò Gregorius Proto-Syncellus adverſus Marcum Epheſium probavit. Cœterùm de eo quicquid fiat, ex eo ſaltem, quòd octavo adhuc ſeculo Græci Sabbatho jejunantes excommunicarunt, Sabbatharii jejunii novitatem colligimus. nec tu contradicere auſis. 4. De Canone Apoſtolico 68. *ad Obj. VI.* reſpondemus. Jubet ille inter alia τετράδα καὶ παρασκευὴν *quartam feriam & paraſceven* jejunare. Ita etiam Apoſtolicarum Conſtitutionum author *lib. V. 14.* τετράδα, inquit, καὶ παρασκευὴν προσέταξεν ἡμῖν νηστεύειν. *Quarta feria & ſexta juſſit nos* Dominus *jejunare.* Si res ita habet, citò ſanè mandati Dominici oblivio Eccleſiam inceſſit. Planè enim ex Tertulliano conſtat, ſub tertii adhuc Seculi initium jejunia nullis legibus adſtricta fuiſſe. Inducit enim is *de jejun. cap. 2.* Catholicos profitentes, *ſtationes ſuos quidem dies habere, quartæ feriæ & ſextæ; paſſivè tamen currere, nec ſub lege præcepti.* Quomodo non *ſub Lege præcepti*, ſi Dominus, ſi Apoſtoli præceperunt? Vel hinc Canonum & Conſtitutionum illarum νοθεία cognoſcitur. Nulla denique Eccleſiæ libertas competit mutandi inſtituta Domini, atque ea definiendi, quæ naturæ & ſubſtantiæ jejunii contrariantur.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Jonadab Rechabitarum parens olim filiis & nepotibus probibere potuit vinum uſque in æternum. Placuítque Deo illud præceptum & filiorum obedientia Jerem. XXXV. 1. 2. &c. Quantò magis mater eccleſia poteſt filiis ſuis aliquos cibos pro tempore interdicere? ita ut & noſtra obedientia, & eccleſiæ præceptum Deo placeat.* Reſp. 1. Diſpar ratio eſt Jonadabi & Eccleſiæ N. T. Deus enim nuſquam prohibuit in V. T. ne vel Jonadab vel alius in V. T. familiæ ſuæ vini uſu interdiceret. At in Novo Teſtamento Deus per Apoſtolum interdixit, ne quis eccleſiam à certis cibis abſtinere jubeat. Mater eſt eccleſia. At Deus Pater, cujus in regenda familia potior ac præcipua eſſe authoritas debet. 2. Si valeret argumentum, poſſet ſimili ratione eccleſia certis cibis in perpetuum Chriſtianis interdicere, eoſdémque non ichtyophagos tantùm, ſed etiam perpetim hamaxabios & Nomades facere. Non enim Jonadab filiis vino, ædificatione ædium, ſatione, plantatione &c. in jejunio duntaxat, ſed perpetuò interdixit. At interdictum ejuſmodi perpetuum poſt ſublatum in Novo Teſtamento ciborum religioſum diſcrimen & reſtitutam

stitutam Ecclesiæ libertatem, impium foret. 3. Disciplinam illam à Jonadabo Rechabitis præscriptam non religiosam & opinione cultus ac meriti susceptam, sed merè œconomicam vel politicam fuisse, fatentur & Hebræi & Christiani Interpretes plerique, etiam Pontificii nonnulli, inprimis Caspar Sanctius *Comm. in Jerem, XXXV. num. 4. &c.* ubi docet, Rechabitas Cinæos fuisse à Jethrone Madianita propagatos, instituta Majorum suorum in tabernaculis degentium, & rem pecuariam sequentium secutos esse, idque tantò impensiùs, quòd nullum in terra Canaan agrum à Josua accepissent, utpote ex Jacobi semine non prognati. Constat autem, non idem Ecclesiæ jus esse in fideles, quod est vel Principibus in subditos, vel parentibus in filios.

Excip. Reding: 1. *Quidni Ecclesia, cui potestas clavium à Christo tradita est, in materiis præsertim quoad substantiam Divinitus præceptis, sed quoad circumstantias prudenti ejus dispositioni relictis, præceptum ferre possit? Ex præcepto autem à Jonadabo filiis lato liquet, abstinentiam ejusmodi esse virtutis & religionis, eo ipso, quòd Deus eam remuneratione dignatus est? 2. Tantum abest, ut Deus in N.T. à certis cibis abstinere prohibuerit, ut potiùs per Apostolos Act. XV. 29. à quibusdam abstinere jusserit. 3. Illa verò Ecclesiæ authoritas in iis maximè, quæ concilio subjecta sunt, ultra prudentem moderationem se non extendit, neque adeò ad indicendum jejunium perpetuum valet. 4. Præmium & meritum sunt relata. Cùm ergo jejunium præmium spiritualium & æternorum bonorum post se trahat, meritum præcessisse oportet.* Ibid. pag. 370. 371. Resp. 1. Clavium potestatem ministerialem Ecclesiæ concessam cum potestate propriè legislativa conjunctam non esse, haud semel ostendimus. Neque Deus Jonadabi abstinentiam ut per se religiosam, sed ut actum obedientiæ parentibus debitæ, remuneratus est. *Pro eo*, sic disertè Jerem. XXXV. 18. Jehova loquitur, *quòd obedivistis præcepto Jonadabi Patris vestri, & custodivistis omnia mandata ejus, & fecistis universa, quæ præcepit vobis: propterea hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel, non deficiet Vir de stirpe Jonadab stans in conspectu meo cunctis diebus.* Ita in Lege multiplicatio dierum honoranti parentes promittitur. 2. De loco Act. XV. 29. supra non semel. 3. An ergo jejunia vestra stata consilio, non præcepto subjecta ais? Cave, ne à tuis vapules. Jonadabus porro abstinentiam perpetuam imperavit, & extra jejunium. Si perpetuam Ecclesia vestra, ob moderationis necessariam prudentiam, abstinentiam imperare, vel omnes ad Nomadicum institutum cogere nequit, jam ergo æqualem potestatem cum patria Jonadabi potestate non habet, quod unum ego pertendo. 4. Præmium debitum & meritum relata sunt; non prœmium gratiosum & meritum. Neque jejunio per se, uti abstinentia ab omnibus vel quibusdam cibis est, sed devotioni, resipiscentiæ, pietati prœmium à Deo addictum est. *Numquid tale est jejunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? numquid contorquere, quasi circulum, caput suum, & saccum & cinerem sternere? Numquid istud vocabis jejunium, & diem acceptabilem Domino? Nonne hoc magis est jejunium, quod elegi? Dissolve cogitationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti sunt, liberos, & omne onus depone. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagósque induc in domum tuam. Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* &c. Esaj. LVIII. 5. 6. &c. Quis

 credat,

credat, scelerum impunitatem, & Cœlestis Regni hæreditatem ex condigno mereri eum, qui à carnibus prandens vel cœnans in jejunio abstinuerit, vel bis terve, imprimis etiam, pisces cœnaverit, & lardo atque adipe abstinuerit?

OBIECT. II. *Ecclesia Judaica ex constitutione Mardochæi suscepit novum & statum jejunium ac festum Purim dictum, in memoriam liberationis ab Hamane Agagita, Esther. IX. 27. &c. Ergo ecclesia quoque Christiana stata jejunia indicere potest.* Resp. 1. Festum *Purim* institutum est à Mardochæo & Esthere Regina, neutro Sacerdotali genere sato. Mulieris igitur & viri laici exemplum ad constituendam Episcoporum in jejuniis indicendis authoritatem nihil facit. Neque etiam à V.T. arguere licet ad Novum, quo dierum discrimen sublatum esse constat. 2. Literæ Estheris & Mardochæi de jejunio constituendo nihil habent. Constituunt *observari dies Sortium, & suo tempore cum gaudio, epulis & conviviis celebrari*, v.18.21.22.31. Quid jejunio cum epulis, conviviis, festiva solennitate? Quòd verò vers. 31. dicitur, Judæos suscepisse dies Purim, כאשר קימו על נפשם ועל זרעם דברי הצומות וזעקתם *sicut receperunt super animam & super semen suum jejunia & clamorem suum*, non aliud significat, quàm istos dies Purim, quos ex Mardochæi literis se observaturos constituunt, monumento futuros ejus salutis, quam jejunio & clamoribus à Deo consecuti fuerant. 3. Esto tamen, etiam jejunium susceperint die Purim Judæi, adeóque plus quàm illis à Mardochæo injunctum fuerat, quò ita & lætorum & tristium memoriam agitarent; non aliud tamen inde concludi posset, quàm integrum esse populo alicui ad repræsentandam & recolendam extraordinariarum calamitatum memoriam jejunium suscipere. Sed hoc quid ad jejunia Adversariorum, quæ non una aliqua gens, non plures ultro & sponte suscipiunt: sed quæ unus Ecclesiæ Monarcha tantùm non Regia authoritate imponit, non ad celebrandam rei extraordinariæ memoriam, sed nulla peculiari causa, ex sua potiùs libidine, quàm publico usu?

EXCIP. REDING: 1. *Gratis supponis, religiosam ex jejunio rememorationem coarctari debere ad extraordinarias duntaxat calamitates. 2. Cùm potestas constituendi jejunium subsisteris in fideli populo, utique Sacerdotium excludi nequit. 3. Sicut ex morali de sanctificando sabbatho sub V.T argumentari ad diei Dominicæ sanctificandæ præceptum morale determinandum: ita ex jejunii publici sanctione Estheræ tempore facta, & moralem religionis in Deum reflexæ remunerationis honestatem præferente, in N.T argumentari licet ad stabiliendam sanctionem jejunii quadragesimalis & aliorum. 4. In festo Purim confundu festivitatem in gaudio celebratam, & præviam in jejunio transactam. Nam v. 23. Judæi disertis verbis sucepisse dicuntur jejunia à se & semine suo observanda.* Ibid pag.371. 372. Resp. 1. Supposui id, quod jam ante ex Matth. IX 15. probaveram, adeóque non gratis. 2. Saltem non Sacerdotes constituendi illius festi authores commemorantur, sed Mardo-

chæus,

chæus, qui erat non ex tribu Juda, sed Benjamin, Esth. II. 5. in Assueri aula tum suis meritis, tum Estheræ Regi e nuptæ favore potens, Judæisque adeò suis carus & venerandus, Esth. X. 3. Accedebat Estheræ Fœminæ authoritas, cujus, non Sacerdotis cujusquam, scriptæ super hoc negotio ad Judæos literæ nomen prætulerunt, ibid. cap. IX. 29. An apud vos mulier & vir laicus figendarum Ecclesiæ legum authoritatem obtinent? Imò tentantibus Usiæ lepram, & nescio quid Papa vester βρωντόφων comminaretur. 3. In V. T. & moralem Sabbathi rationem, & diem sanctificandi ejusdem solus Deus determinavit. In N. T. tempus cultus publici celebrandi, & eadem etiam ratione jejunii constituendi Ecclesiæ reliquit, sed circa jejunium non aliud, quàm naturæ jejunii & verbo Dei congruens. At jejuniorum statorum tempora neutri congruunt. 4. Nil quicquam in historia Estheræ de festo per jejunium præparando. Neque festivæ lœtitiæ per jejunia, nisi fallor, præparari solent. In Latino equidem textu cap. IX. 31. habetur: *Et illi observanda susceperunt à se, & à semine suo jejunia, & clamores*, &c. Sed in Hebræo paulo aliter: *quemadmodum receperunt super animam, & super semen suum* דברי הצומות *verba*, hoc est, *documenta jejuniorum*, eo sensu, quem reddidimus. Sed esto sanè, etiam jejunia Estheræ Judæi recoluerint uti quidem in eorum Calendario dies XIII. Adar, qui festum Purim præcedebat, jejunio destinatus traditur. At nec Mardochæus ita constituit, sed forte Judæi ultro & sponte susceperunt, adeóque ex Mardochæi exemplo nihil confici potest: nec Judæi susceperunt tam ad affligendam animam, quàm ad repræsentanda & recolenda Estheris, Majorúmque suorum in summo periculo, ex quo feliciter emerserunt, jejunia, quod per nos legitima potestate præditi modo conveniente imitentur licet.

OBIECT. III. *In Ecclesia Judaica Deo placuerunt jejunia mensis quarti, quinti, septimi & decimi, etsi non ab ipso præcepta, sed ab iis, qui Remp. Judaicam regebant, introducta fuerint, Zach. VIII. 19. Ergo Christianæ quoque ecclesiæ licet ejusmodi jejunia stata inducere.* Resp. 1. Jejunia illa Judæorum non in perpetuum, sed ad tempus, ex ipsarum populi rerum statu & qualitate constituta fuerunt, hac videlicet lege, ut perseverante eorum calamitate observarentur, desinente verò, tristibúsque in lœtiora mutatis abrogarentur, uti ex Zach. VII. 3. & VIII. 19. ipse Sanctius, aliíque colligunt. Quæ quidem ipsissima est jejuniorum N. T. ex nostra sententia ratio. 2. Quin & jejunia illa non ab ordinariis ecclesiæ Ministris, sed à Jeremia & Ezechiele Prophetis instituta videntur. Quorum cùm singularis & extraordinaria fuerit authoritas, eorum utique facta & instituta ad amplificandam potestatem eorum, quorum non est alia quàm communis & ordinaria vocatio, trahi minimè possunt.

Excip. Reding: *Si Prophetarum singularis vocatio ad indicenda jejunia valuit: quidni ordinariæ vocationis, indefinita clavium ad ligandum potestate instructæ, authoritas valeat, ut & talia jejunia indicere, & ob rationum piarum in Ecclesia perpetuitatem, imò necessitatem continuam, ad perpetua anni tempora nonnulla prorogare possit.* Ibid. pag 372. Resp. Non puto equidem, clavium Ecclesiæ collatarum potestatem tam latè patere, quàm latè patet Divina potestas, per homines, quales Prophetæ fuerunt, liberimè operans. Qui

 ex

ex clavibus à Christo concessis infinitam, seu, uti Redingius loqui amat, *indefinitam*, *illimitatam* potestatem cudunt, caveant equidem, ne ex clavibus à Christo datis claves furtivas, quales nostro idiomate Dietrich appellamus, cudere nefariè dicantur meritò. Sed misso hoc, clarum quidem est, jejunia illa à Zacharia commemorata omnia ad Hierosolymorum excidium, gravissimámque illam totius Reip. Judaicæ cladem pertinuisse. Nam decimo quidem mense institutam & cœptam Hierosolymorum obsidionem; quarto perruptam civitatem; quinto eversum templum; septimo denique interfectum Godoliam, disjectásque miserabiliter populi in Judæa reliquias, ex Jerem. LII. 4.6.7. 12. & 2. Reg. XXV. 28. constat. Sapienter ergo afflictissimæ gentis Sacerdotes constituerunt, ut in acerbissima captivitate luctuosissimi illi dies per jejunium transigerentur, quò renovata in omnium animis tantæ cladis memoria, recrudescens dolor preces ad Deum pro liberatione promissa, velut admotus ignis ascenderet. Ast soluta captivitate, cùm Judæi urbem ac Templum instaurari viderent, miserunt ad domum Dei, *qui dicerent Sacerdotibus Domini exercituum & Prophetis, loquentes: Numquid flendum est mihi in quinto mense, vel sanctificare me debeo, sicut jam feci multis annis?* Zachar. VII 3. Quæ interrogatio planè absurda foret, si jejunium illud quinti mensis, aliaque, quorum eadem erat ratio, in perpetuum observanda putassent. Et non in perpetuum observanda fuisse, confirmat responsio Zachariæ cap VIII. 18. *Jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium septimi, & jejunium decimi erit domui Juda in gaudium, & lætitiam, & solennitates præclaras. Veritatem tantùm, & pacem diligite.* Perpetua ergo jejunia ejusmodi stata constituendi potestas Judæorum exemplo neutiquam stabilitur. Unde Redingius deserto Judæorum exemplo (ex quo tamen solo argumentum illthoc conflabatur) ad *illimitatam* clavium potestatem confugit; ex aqua scilicet in ignem transsiliens.

OBIECT. IV. *Christus Matth. IX. 15. quærentibus discipulis Johannis, cur discipuli ejus non jejunent, respondet, tum demum illos jejunaturos, cùm sponsus ab iis ablatus fuerit. Quærebant discipuli Johannis de jejuniis statis. Proinde etiam Christus de iisdem respondens innuit, statos jejunii dies in N.T. futuros esse.* Resp. 1. Christus minimè eadem jejunia confirmat post ablatum Sponsum, de quibus Johannis discipuli loquebantur. Loquebantur enim illi de jejuniis Pharisaicis, uti ex v.14. liquet. Jejunabant illi bis in Sabbatho Luc. XVIII.12. Et in jejunio illo præcipuam sanctimoniam collocabant. Numquid igitur Pharisaica ejusmodi jejunia confirmare in animo habuit? 2. Absurdissimum verò est, responsionem Christi ad jejunia stata restringere, tum quia illa, quæ à Christo affertur, Sponsi præsentia omni omnino jejuniorum generi, non solis statis & ex certa lege sumptis jejuniis ex æquo repugnat: tum quia Christus negat posse filios Sponsi præsente Sponso πενθεῖν *lugere*, adeóque ejusmodi jejunia innuit, quæ sint cum luctu & mœrore conjuncta, qualia sunt non tam jejunia stata, nullo dolore vel mœrore perfusa, quam extraordinaria ob præsentes afflictiones suscepta: tum quia similitudo v. 16.17. proposita de panno rudi inveteratæ vesti haud assuendo, & vino novo in veteres utres haud infundendo, non obscurè arguit, aliam se jejunii

nii disciplinam à Judaica longè diversam & rigidiorem (quid enim facilius fuit statis Judæorum & Pharisæorum jejuniis, qualia etiam Esseni, Montanistæ, Manichæi obiverunt, obeúntque Muhammedani diligentissimè) instituere, puta Evangelicas sub cruce disciplinas salutaris mœroris plenissimas, quæ sunt perpetui instar jejunii, sub quo etiam extraordinariæ illæ afflictiones intelliguntur.

Excip. Reding: 1. *In jejuniis Pharisæorum & Johannis quod erat de illorum fermento, vel veteris legis ceremonialem umbram ferebat, à moralis ex jejunio elucescentis honestatis substantia distingui debet. Hæc à Christo confirmatur; non illud. Quis enim neget, Apostolicæ ad ligandum authoritati ad quodvis vinculum se extendenti, subjacere jejunium? 2. Verba Christi v. 16. 17. de panno rudi inveteratæ vesti non assuendo &c. non aliud innuunt, quàm novitiorum, nec dum Spiritus S. robore confirmatorum discipulorum imbecillitati ad tempus condescendendum esse. 3. Pugnas verò cum aperta verborum litera, contendens, Christum sub illis similitudinibus jejunii propriè dicti disciplinam non intellexisse.* Ibid. pag. 372. 373. Resp. 1. Si Christus jejuniorum *substantiam* confirmavit, an ideo jejunia stata? Falleris equidem multùm, nisi probaveris priùs, jejunii substantiam stata tempora exigere. Imò non exigere, Christi responsio supra etiam vindicata, disertè arguit. Ecquodnam, Redingi, Pharisæorum circa jejunia fermentum erat? Annon illud: *Jejuno bis in sabbatho*, Luc. XVIII. 12? hoc est: in statis & frequentibus jejuniis cultum, religionem, pietatem colloco. An ovum ovo similius, quàm Pharisæorum fermentum fermento Papatus? Neque Apostolica ad ligandum authoritas se extendit ad confirmandum, sed ad destruendum potiùs sive Pharisæorum, sive Papatus fermentum. 2. De verbis Christi v. 16. 17. supra respondi. Esto, sicut nec veteri ac detritæ vesti panni novi assumentum, nec veteri utri novum vinum convenit: ita nec Apostolis, infirmis adhuc, fortem illam disciplinam jejunandi ac lugendi convenire, Christus innuerit. Illa ergo jejunandi vel lugendi disciplina, quam Christus suis post mortem & ascensionem in Cœlum incubituram intelligit, longè aliud fuerit, quàm stata illa Pharisæorum & Johannis discipulorum jejunia. Nam illi quidem disciplinæ impares tum fuisse suos Apostolos, clarissimè Christus duplici hac parabola significat. Jam Pharisæorum & Johannitarum jejuniis impares tum Domini Apostolos fuisse, quis sanæ mentis dixerit? Scilicet infirmiores fuerunt Christi, quàm Johannis discipuli; & quod Pharisæus tulit, id Petrus vel Jacobus ferre non potuit: Christi, novi Adami discipuli, *veteres utres*; Pharisæi, veterrimi ac decocti hypocritæ, *utres novi*, novi ac cœlestis vini capaces fuerunt! Quid in Christum, Apostolos contumeliosius dici potuit? Sed & res ipsa oppido inepta & insulsa est; ut vinum illud novum, hoc est, cœlestis Christi disciplina, quam non alii, quàm utres novi cœlitus innovati capiunt, nihil aliud sit, quàm Johannis, immò quod indignandum magis est, Pharisæorum disciplina. Expectanda scilicet fuit nova de Cœlo vis, ut Jacobus, Johannes & Petrus bis in hebdomada impransi cœnare possent: nec Apostoli tum præstare potuerunt, quod hodie vilissimi homunciones, anus, pueri, virgines nullo negotio præstant! Christianæ disciplinæ apex, fastigium fuit una & altera in hebdomade feria à lardo & caseo abstinere, olere ac pane vesci, neque ante nonam cibum sumere! Tulit ista Pharisæus, & Essenus; tulit Tatianus & Montanus, & Manichæus, rarique fuere hæretici, qui de hoc mustacco lauream non captarint. Ipse Muhammed, carnis animal, impurissimum

Si-

libidinis mancipium, fortissimè tamen jejunavit, & Ramedam, Romanæ quadragesimæ, jejunatricis disciplinæ acropoli, haud absimilem suis Muselmannis perfectissimis scilicet & robustissimis spiritus athletis, indixit. Sed dissimilem Pharisæorum ac Johannitarum, & Apostolorum jejunandi rationem hactenus fuisse, Bellarminus excipit, quòd illi *ex timore* jejunaverint, hi *ex amore* jejunaturi fuerint. Jam ergo non de iisdem jejuniis Christus respondit, de quibus Johannis discipuli interrogaverant. in quo tamen cardinem argumenti idem Bellarminus fixerat. Tum Apostoli eo tempore, quo Johannis discipuli Christum interrogaverant, Dei utique vero amore præditi fuerunt. Ergo jam tum jejunare, lugere potuissent eo modo, quo in N.T. jejunandum Sophistæ petendunt. 3. Sub jejunio & luctu extraordinaria etiam jejunia, non perpetua illa, sed temporaria intelligi, nullus equidem negavi: imò disertis verbis fassus sum. Quomodo ergo cum aperta verborum Christi litera pugno? Subordinata non pugnant. Cæteras responsiones meas Redingius ne quidem attingere ausus est.

OBJECT. V. *Veteres stata jejunia habuisse & probâsse, illud argumento est, quòd eandem ob causam Aerius ab ecclesia secessit.* Resp. 1. Fuisse apud eos stata quædam jejunia, haud negamus. Sed alieni fuerunt ab his erroribus, quibus Pontificii hodie implicati tenentur. 2. Etsi verò stata jejunia indicere & celebrare minùs decorum & ad res ipsas, uti ostendimus, appositum sit: tamen propterea veteres nulli damnamus, utpote qui nondum ipsius eventus experimento institutionum hujusmodi periculum cognoverunt. Imprudentes igitur, sed innocentes tamen ejusmodi nonnulla jejunia obiverunt.

EXCIP. REDING: 1. *Compelleris ergo fateri, jejunia stata pro se veteris orthodoxiæ testimonium habere. Errores verò nobis impacti commentitii sunt. 2. Qua fronte eandem antiquitatem orthodoxam arguis impudentiæ, & simul innocentem proclamas? 3. Augustinus hær. 53. expressis verbis Aerium hæreseos arguit, quòd quadragesimale jejunium rejecerit, & dixerit, statuta solenniter jejunia non esse celebranda, sed, cùm quisque voluerit, jejunandum esse, ne videatur esse sub lege.* Ibid. pag. 373. Resp. 1. Stata jejunia fuisse apud veteres, fassus sum: apud omnes veteres, Apostolos, & proximos illis fideles fuisse; & ex lege universali Ecclesiæ, non recepta consuetudine fuisse, fassus non sum, nec fatebor unquam. Nedum fassus sum, erroribus vestris reliquis hac in re implicitam fuisse veterem Ecclesiam, credidisséque adeò, quod Pharisaici hodie doctores credunt, per jejunia stata homines merita apud Deum consequi quàm plurima, vel ut pro peccatis & offensis a se admissis satisfaciant, quæ genuina jejunii stati pestis, & verissimum virus est, quo quicquid in eo forte boni esset, planè inficitur, animíque & corda hominum superstitione, typho, superbia, & damnabili φιλαυτίᾳ implentur. 2. Non *impudentia*, uti impudenter fingis, sed *imprudentiæ* argui veteres, stata jejunia, consuetudine paulatim obrepente, obeuntes. Innocentes tamen eosdem, non simpliciter, sed κατά τι, hoc est, immunes ab iis erroribus, quibus stata Papatus jejunia collutulantur, fuisse dixi. 3. De Augustini testimonio *hæres.* 53. tibi pridem satisfeci. Quadragesimæ ne verbo quidem meminit. Aerio hoc unum impingit, quòd docuerit, *statuta solenniter jejunia non esse celebranda, sed cùm quisque voluerit, jejunandum esse, ne videatur esse sub lege.* Cum hoc errore nil commune habemus. Docemus enim, *jejunia solenniter statuta* (non stata illa, sed convenienter

Dei

Dei Verbo & jejunii naturæ indicta) *celebranda esse*; neque fas esse cuiquam illa non celebrare. Augustini mentem penitiùs supra ex *Epist. 86. ad Casul.* eruimus: & ex ejusdem *Epist. 118. cap. 2.* ampliùs eruere licet. Ibi enim sic scribit: *Alia, quæ per loca terrarum regionésque variantur, sicuti est, quòd alii jejunant Sabbatho, alii verò non, &c. totum hoc genus rerum liberas habet observationes. Nec disciplina ulla in his est melior gravi prudentique Christiano, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcunque forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivunt, societate servandum est. Credo te aliquando ex me audivisse, sed tamen etiam nunc commemoro. Mater mea Mediolanum me consecuta, invenit Ecclesiam sabbatho non jejunantem, coperat perturbari & fluctuare, quid ageret, cùm ego talia non curabam, sed propter ipsam consului de hac re beatissimæ memoriæ virum Ambrosium. Respondit, se nihil posse docere me, nisi quod ipse faceret, quia si meliùs nosset, id potiùs observaret. Cúmque ego putassem, nulla reddita ratione, authoritate sola sua nos voluisse admonere, ne sabbatho jejunaremus, subsecutus est & ait: Cùm Romam venio, jejuno sabbatho, cùm hic sum, non jejuno. Sic etiam tu, ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quenquam tibi. Hoc cùm matri renunciassem, libenter amplexa est. Ego vero de hac sententia etiam atque etiam cogitans semper eam habui, tanquam eam cœlesti oraculo susceperim.*

OBIECT. VI. *Quadragesimale jejunium statim post Apostolorum tempora in usu fuisse, abundè constat ex Canone Apostol. 60. S. Ignatio* in Epist. ad Phil. *Origene* Homil. 20. super Levit. *Athanasio* Epist. ad Orthod. *Epiphanio* in comp. doctr. *Basilio, Ambrosio, Chrysostomo, Hieronymo, Augustino &c. quibus addi possunt Concilia, Nicenum I. cap. 5. Aurelianense IV. cap. 2. & 29. &c.* Aug. Reding *pag. 695.* Resp. 1. Quadragesimam ab Apostolis institutam non esse, tum ex variis testimoniis, puta Chrysostomi, Augustini, Cassiani, Isidori Hispalensis, Rabani Mauri, Ruperti Tuitiensis, Socratis & Nicephori: tum ex rebus ipsis, quod videlicet ea non fuerit à Christianis trium primorum Seculorum cognita, nedum observata; fusè Cl. Dalleus *de jejun. & Quadrag. lib. III. cap. 1. 4. &c.* probat. 2. Canonum & Constitutionum Apostolorum, necnon Ignatii testimonia sunt supposititia. Origenis verò homilia, ex qua verba illa: *Habemus quadragesimæ dies jejuniis consecratos*; Græcè non extat, sed Latinè sive à Ruffino, sive ab Hieronymo, sive ab alio translata; adeò incerti authoris, ut Cyrilli nomine ab Adversariis non semel & laudata & excusa fuerit. Id certum est, opus illud ab Interprete interpolatum esse. 3. Nicenus Canon meminit τεσσαρακοστῆς *quadragesimæ.* Sed indigetari eo nomine jejunium 40. dierum, non constat. Incommodum enim fuisset, cogi ante quadragesimam Provinciales Synodos omnes, quod jubent Patres. Hieronymus certè in Epist. ad Marcellum, Montanistas ait *tres facere in anno quadragesimas.* ubi quadragesima notat jejunium quinque dierum. Unde Rigaltius *ad Tertull. de jejun.* omnia veterum Christia-

norum jejunia *quadragesimæ* nomine dicta fuisse observat. Demum post Concilium Nicenum circiter An. 340. aut 350. quadragesima in plures hebdomadas excrevit, ut ex Synodo Laodicena constat, cujus postea multiplex nulláve lege adstricta apud quarti & quinti Seculi Christianos observatio fuit, uti loco citato *cap.* 10--15. Dalleus demonstrat.

EXCIP. REDING : 1. *Commentitias esse Patrum & authorum antiquiorum de Quadragesima allegationes, ex antecedentibus liquet.* 2. *Qua fronte Hieronymo imponis, quòd quadragesimæ nomine quinque duntaxat dierum jejunium intellexerit? Et Nicanum Canonem V. quadragesimæ nomine quadraginta dierum jejunium intelligere negas.* 3. *Quocunque modo quadragesimam detorqueas, semper manet, veteres stata jejunia habuisse.* Ibid. pag. 374. 375. Resp. 1. Contrarium planè liquet; & vindicavit isthæc accuratissimè Cl. Dallæus. cui nemo vestrum contradicere cum ratione potuit. Nos paucis cum S. Cypriano *Epist.* 74. *contra Epist. Steph.* dicimus: *Unde venis ista* (de jejunio quadragesimæ) *traditio? Utrumne ex Evangelica authoritate descendens, an de Apostolorum mandatis atque Epistolis veniens? Ea enim facienda, quæ scripta Deus testatur.* Venire ab Apostolis, pertenditis. quanquam longè aliter Irenæum & Augustinum sentientes supra induximus. Sed dicimus nos cum Cypriano: *Si ergo aut in Evangelio præcipitur, aut in Apostolorum epistolis aut actis continetur, &c, observetur Divina hæc & sancta traditio.* Sed hic prorsus vobis aqua hæret. 2. Eadem fronte Hieronymo tale quid tribui, qua Rigaltius vestras, longè te Antiquitatum sacrarum consultior, omnia veterum Christianorum jejunia *quadragesimæ* nomine venisse censuit. Sic enim ille *ad Tertull. de jejun.* 118. scribit; *Etenim quicquid Christiani jejunabant, quod Irenæus apud Eusebium histor. V. tam variè ac differenter observatum fuisse tradidit, ut essent, qui unum diem sibi jejunandum esse crederent, alii duos, alii plures, alii diem suum esurialem per quadraginta diurnas nocturnasque horas ducerent, quicquid inquam, & quomodocunque jejunabant; quadragesimam jejunare profitebantur.* Plura eandem in rem ex Socrate, Cassiano, Amalario, Rabano, aliis Cl. Dallæus attulit. Sed, quicquid dicas, Hieronymus certè vester non est. Ille enim *in Gal. lib. II.* disertè professus est, *jejunia* non ab Apostolis, sed *à viris prudentibus propter eos constituta fuisse, qui magis seculo vacant, quàm Deo.* Cum ergo alibi *Epist.* 54. *ad Marcell.* dicit: *Nos unam quadragesimam secundum traditionem Apostolorum, toto anno, tempore nobis congruente jejunamus*; vel indignus est, qui, duo diversa adeò & inter se pugnantia loquens, testimonium dicat: vel in posteriori loco contra Montanistas, tres in anno quadragesimas facientes, disputans de quadragesimæ non *jejunio*, sed *unitate* loquitur quod ex addita ejus ratione, *quasi tres passi sint Salvatores*, liquet. Præterea an Montanistas tres in anno quadragesimas, Hieronymo teste jejunantes, putamus tria quotannis jejunia celebrasse, quæ singula quadraginta dies durarent? Non puto quenquam eo stultitiæ provehi, ut id asserat; inprimis cùm Tertullianus *de jejun. cap.* 15. testis sit, eos duas in *toto anno hebdomadas xerophagiarum, nec totas, exceptis scilicet Dominicis & sabbathis obtulisse Deo.* Nicænos porro *Can.* 5. per *τεσσαρακοστὴν* non præcisè quadraginta dies, sed antepaschale jejunium intellexisse, tum idonea ratione, quam refellere non potuisti, probavi: tum usus vocis ex Rigaltio & veteribus illustratus confirmat. Voces veterum non ex recentiorum novitio, sed veterum veteri sensu explicandas, memineris. 3. Manet certè, stata jejunia veteres habuisse, sed non ex institutione Christi vel Apostolorum, verùm con-

consuetudine libera & passim variante. Saltem ex diversitate veterum illa, qua, Irenæo teste supra citato, *quidam unum diem, alii duos, non pauci plures, multi quadraginta* jejunarunt, argumentum evidens sumimus, non esse Apostolicam institutionem: non esse legem, sed liberam consuetudinem.

OBIECT. VII. *Christus jejunavit quadraginta dies. Ergo idem Christiani eo modo, quo possunt, imitentur oportet.* Resp. 1. At Pontificii nullo modo imitantur, quia prorsus non jejunant. Neque enim abstinent ab omnibus cibis, sed tantùm à quibusdam; & non cœnant tantùm quotidie, sed etiam ad satietatem usque prandent. 2. Christi jejunium miraculosum fuit, & ex ratione singulari officii mediatorii susceptum. Proinde nullo modo sub imitationem cadit. 3. Christus semel tantùm tota vita illud jejunium jejunavit. At Papistæ quotannis. Christus dies noctésve omni cibo abstinuit. Papistæ nec noctu, nec interdiu abstinent. Non igitur ex mandato, nedum perfectè Christum imitantur. 4. Denique quod morale est in jejunio Christi, illud solum nobis imitandum est. Jejunavit Christus. Jejunemus igitur & nos. Restitit tentationibus Sathanæ. Idem & nos faciamus oportet. Sed modum utriusque imitari velle, non imitatio, sed κακοζηλία foret. Ratio exempli, non individuus actus imitandus proponitur.

EXCIP. REDING: 1. *Nequissima fallacia negas nos jejunare, utpote à quibusdam duntaxat cibis abstinentes. Nos enim ad certum horarum diei spatium universis cibis nobis interdicimus. 2. Christi jejunium, utpote vires nostras superans, perfectè imitari non possumus: imitamur tamen pro virium nostrarum modulo, jejunio quopiam moderato, ad quadraginta etiam dies extenso. 3. In quadragesimæ jejunio morale est non tantùm jejunium, sed hujus in Christi, jejunium per 40. dies prorogantis, rememorativum honorem religiosa ordinatio.* Ibid. pag 375. Resp. 1. Quantum verò horarum spatium est, per quod omni cibo abstinetis? Annon à manè ad meridiem usque? An aliter abstinetis diebus jejunio non destinatis? Hoccine ergo jejunare, an Deo & hominibus fraudem moliri est? Et ad jejunium tale quadraginta dierum celebrandum satis pransi parati acceditis. Testis est Stapletonus vestras, alioquin vera dicere non assuetus, cujus *Prompt. Moral. Dom. quinquagesimæ in parte hyemali* hæc verba lego: *Quadragesimale jejunium jam jam incepturi, nos interea totos ingurgitamus, ventrique & abdomini servimus, quasi post biduum, non Christo, sed veneri sacra facturi.* Atque id planè apud vos in consuetudinem abiit, nec cuiquam lis propterea movetur. 2. Nullo ergo modo jejunium Christi, nec perfectè, nec imperfectè imitamini, quia planè non jejunatis, eodem modo cibis omnibus abstinentes ad prandium usque in larvatis & hypocriticis illis jejuniis vestris, quo reliquis diebus sobrii quique abstinent. Non tantùm igitur instar Sophistæ illius, qui cùm inducias in quadraginta dies pepigit, noctu agros populatus est, vos quoque jejunium quadraginta dierum professi, noctu epulamini: sed insuper ne diebus quidem servatis fidem, quia non tantùm sub vesperam aut nonam cœnatis, sed etiam sexta prandetis. Quomodo ergo *pro virium modulo* imitamini Christum j junantem, qui neque inchoatis opus Christi, abstinentis ab mnibus cibis: & inchoatis opus planè alterius generis, non jejunando, sed à carnibus duntaxat,

xat, non aliis cibis abstinendo. Quomodo denique *morale* jejunii esse potest, jejunii recordatio religiosa? Etenim maximè disparata sunt recordatio religiosa rei, & res cujus recordamur. Nemo enim dixerit, pati & mereri pro Ecclesia eum, qui passionem & meritum Christi religiosa recordatione recoluerit. Morale rei est, quod rei definitionem ingreditur. Atqui abstinentia ab omnibus cibis, non rei, quæ jejunium non est, *in Christi jejunium per 40. dies prorogantis, rememorativum honorem religiosa ordinatio*, jejunii veri definitionem ingreditur. Non ergo in re tali jejunii morale consistit.

OBIECT. VIII. *Ecclesia jejunium quarta & sextæ feriæ ad proditionem Christi quarto hebdomadæ, & crucifixionem ejusdem sexto factam: Sabbathi vero jejunium ad sepulturam Christi commemorandam instituit.* Resp. 1. Quo verò jure nititur axioma illud, ut iisdem diebus jejunetur, quibus Christus proditus, passus & sepultus est? Passio certè Christi non tantùm peculiaris tristitiæ adeóque jejunii, sed etiam lœtitiæ propter redemptionis nostræ perfectionem causa esse potest. Neque si Christus semel proditus, crucifixus & sepultus est, iccirco singularum hebdomadarum jejunio tripartito commemorari debet. 2. Addo non verum jejunium illud esse, sed hypocriticum, utpote in quo non abstinetur à cibis, sed tantùm à certis, & prandetur pro lubitu.

EXCIP. REDING: 1. *Quia passio Christi, te ipso fatente, & peculiaris tristitiæ seu compassionis, adeóque jejunii, & lætitiæ propter perfectam redemptionem causa esse potest, prudens ergo Ecclesiæ nostræ moderamen est, cùm alios dies tristitiæ, alios lætitiæ deputamus. 2. Nec jejunium hypocriticum dici potest, quod ex sola à carnibus abstinentia ad rememorationem passionum Christi constituitur, sed tu calumniator & hypocrita jure audis, dum religiosam ex jejunio seu totali seu partiali relucere natam passionis Christi rememorationem extirpare niteris.* Ibid. pag. 375 Resp. 1. Tota Christi vita ad resurrectionem usque nil nisi passio, & humiliatio usque ad mortem crucis fuit. Perpetuúmne ergo propterea jejunium propriè sic dictum per omnem vitam nostram, ad mortem usque indici par est? Pe stat etiam firma & illibata ratio, quòd, si Christi proditio & crucifixio jejunium requireret, illud semel in anno anniversariúque, non hebdomadariis diebus requireret, quia Christus non singulis quartis & sextis hebdomadæ diebus proditus & crucifixus est, sed semel, idque non quarta, sed sexta hebdomadæ Paschalis feria, & proditus à Juda, & crucifixus est. 2. Jejunium cum prandio & cœna nil nisi chimæra, tragelaphus, monstrum est, quicquid, Redingi reclames. Neque adeò *passionis Christi rememorationem* extirpare conatus sum, sed jejunium vestrum non jejunium hypocriseos damnavi justè, procul omni calumniæ & hypocriseos crimine. Si *calumniator* & *hypocrita* est, qui jejunium quartæ & sextæ diei improbat, an ergo ille etiam, qui septimæ feriæ, hoc est, Sabbathi jejunium rejicit? Atqui etiam Ignatius Martyr rejecit, & rejecit gravissimis verbis, scribens *Epist. ad Philipp.* *Εἴ τις κυριακὴν ἢ σάββατον νηστεύει πλὴν ἑνὸς σαββάτου, οὗτος χριστοκτόνος ἐστί. Si quis Dominicam diem aut Sabbathum, uno excepto sabbatho, jejunat, hic Christi interfector est.* Et Canon Apostolicus LXVI. *Εἴ τις κληρικὸς εὑρεθῇ τὴν κυριακὴν ἡμέραν νηστεύων, ἢ τὸ σάββατον, πλὴν τοῦ ἑνὸς μόνου, καθαιρείσθω· εἰ δὲ καὶ λαϊκός, ἀφοριζέσθω. Si quis clericus inveniatur jejunare die Dominico, aut sabbatho, præter unum, deponatur:*

si

ſi verò laicus, ſeparetur. Non ergo ſabbath: ſaltem jejunium rejiciens calumniator, hypocrita: ſed ejus defenſor, qualem ſe Redingius gerit, Ignatii ſententia *Χριστοκτόνος Chriſti interfector*: & Apoſtolorum, ſi modò illi canonum authores fuerunt, judicio *deponendus, ſeparandus*, hoc eſt, excommunicandus eſt.

QUÆSTIO XI.

An de fide ſit, in Novo Teſtamento præter diem Dominicum, alios eſſe feſtos dies propriè dictos, quorum celebratio per ſe & ratione myſterii, non ratione ordinis vel politiæ Eccleſiaſticæ tantùm ſit neceſſaria?

DEcretum de jejuniis & feſtis mira verborum generalitate, de induſtria haud dubiè delecta, præcipit *devotam & religioſam dierum feſtorum celebrationem.* Patet autem tum ex praxi, tum ex doctrina publica Papatus, ejusmodi feſtos dies intelligi, qui ſint, ut loquitur Bellarminus, vere & per ſe aliis ſacratiores, quique obligent ratione myſterii, & ſint pars neceſſaria Divini cultus. Ejuſmodi dies feſtos propriè dictos nos rejicimus. Cœterùm ſano ſenſu aſſerimus, libertati Eccleſiæ relictum eſſe, an velit anniverſarios dies deligere, quibus Chriſti vel nativitas, vel paſſio, vel aliud ejuſmodi beneficium commemoretur. Ac in eo etiam Proteſtantium Eccleſiæ variant, aliis dies quosdam feſtivitati tali deputantibus, aliis pro ſua libertate ſolam Dominicam diem celebrantibus. Priores quidem non ex neceſſitate fidei, ſed ex imperio prudentiæ, & arbitrio charitatis Dei, generale mandatum de congregationibus ad ſolennes inter alia etiam & feſtos dies applicant. Quos nec poſteriores damnant, ſed ita utrique ſtatuunt, ſicut olim Auguſtinus de jejunio monuit, *ejuſmodi rerum diſſonantiam non tollere fidei conſonantiam.* Nec quidquam tamen ſimile habent cum Papiſtis. Non enim ejuſmodi dierum ad cultum Dei deputationes, ſi propriè loquamur, ſunt feſta; non obligantur ad eos homines ſub mortali peccato niſi in generali; non faciunt eos partem neceſſariam cultus Divini; non dies ſacratiores; non celebrant ſub ratione myſterii, ceu affectionis tempori inhærentis; ſed tantùm ordinis & politiæ Eccleſiaſticæ, non obruunt eorum multitudine libertatem Eccleſiæ; nulla in honorem ſanctorum celebrant; non adigunt homines ad ſtrictam nimis & ſcrupuloſam ab omni opere ſervili abſtinentiam, quaſi in

illa bonum aliquod morale, aut pars aliqua religionis posita esset; denique pravas superstitiones circa anniversarios ejusmodi dies, quales Pontificii fovent, procul amandant. Adversariis igitur opponimus

ARG. I. Festa propriè dicta, quæ sint de necessitate fidei, obligantia per se & sub ratione mysterii, oportet sint verbo Dei mandata. Etenim in hoc negotio nefas est addere vel detrahere, & ignorant homines, quo Deus modo coli velit, & carent potestate cultum præstandi, denique in universum vitanda sunt mandata, ac imperia hominum. Festa autem sub N. T. nulla sunt divinitus mandata. Fatetur Bellarminus, & in universum patet, quia ipsi Papistæ annotare solent, à qua Ecclesia, quóve authore singula festa processerint.

RESP. REDING: 1. *Quoad abstractam religioni, ac Dei charitati consentaneam Divinitus edoctam formalitatem, ex cujus motivo Ecclesia dies festos determinat, omnino subest fidei veritas in actu signato, per se & ratione mysterii per Dei verbum traditi, inducens obligationem necessitatis quoad specificationem, ex ipsa fide determinatam; non tamen quoad exercitium, utpote quod, te ipso fatente Ecclesiæ determinationi relinquitur. Nihil ergo hic verbo Dei additur vel detrahitur. 2. Hinc adeò Augustinus Epist.* 118 *illa, quæ non scripta, sed tradita, custodimus, quæ quidem toto orbe terrarum observantur, ait intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis commendata atque statuta retineri; sicuti, inquit, quòd Domini passio & resurrectio, & Ascensio in Cœlum, & adventus de Cœlo Spiritus S. anniversaria solennitate celebrantur. 3. Licet ergo in N. T. nulla festa Divinitus sint mandata, religiosa tamen eorum ratio in actu signato per fidei veritatem Ecclesiæ concredita est; quæ in actu exercito ex prudentiæ imperio, religionis & charitatis generali mandato illa determinare debet.* Tomo V. Tract. XIV. ss. 2 pag. 376. 377. Resp. 1 Quid nobis *abstractam Divinitus edoctam formalitatem*; quid *fidei veritatem in actu signato inducentem obligationem necessitatis quoad specificationem ex ipsa fide determinatam*, & similia terminorum portenta objicis? Nil nos φοβηθέντες isthæc movent. Proba ex Dei verbo, in N. T. locum esse feriatis diebus, quorum celebratio *per se* & *ratione mysterii* necessaria sit Hoc enim agimus. Nam *religionem, fidem, pietatem, charitatem* id exigere, ut beneficiorum Dei erga nos, & mysteriorum Christi ad salutem nobis acquirendam patratorum memoriam conservemus, jugitérque magno studio zelóque recolamus, nulli equidem dissimulamus. Atque eum in finem à Christo institutum est verbi Ministerium, & Evangelii prædicatio; quæ nihil aliud est, quàm continua mysteriorum illorum, & Dei erga nos beneficiorum commemoratio, & ad veram ex ea pietatem & sanctitatem concipiendam, fovendam, corroborandam adhortatio. Verùm ut ad singulorum illorum mysteriorum ac beneficiorum recordationem, solennémque commemorationem sub N. T. certi quidem dies propriè festi, Deo sacri, annuatim recurrentes, à Christianis fidelibus per se, ratione mysterii, & sanctitatis uberioris opinione necessariò in universa Ecclesia Catholica uniformiter celebrandi constituerentur; id verò à Christo, vel Apostolis constitutum, mandatum negamus. Nullus enim apex revelationis Divinæ uspiam occurrit. Si verò id necessarium duxissent, pro sua sapientia, prudentia, Zelo præcipere non omisissent: imò non solùm in *actu signato* rem definivissent, sed etiam in *exercito* tempus ejusmodi feriarum designassent; planè sicut in V. T.

Deus

Deus festorum dies ipsos speciali mandato determinavit. Quæ per se, ratione mysterii, necessario ad fidem pertinent, sine speciali revelatione & imperio suscipi nequeunt. 2. Augustinus *Epist.* 118. non alia, quàm *Passionis Domini, resurrectionis, in Cælum ascensionis, adventus de Cœlo Spiritus S.* festa commemorat. Nulla certè in honorem Sanctorum. Nec celebrari illa necessariò, *ubique*, & *ratione mysterii*, ceu affectionis tempori inhærentis, asserit. Nec tempora alia aliis sacratiora esse, testatur. Nil tale in mentem ipsi venit. Si quid circa festa à *Conciliis plenariis* uti Augustinus vocat, constitutum est, illud omne non ad necessitatem mysterii, vel cultus temporum, sed ad ordinem in cultu, non ex necessitate, sed libertate Ecclesiæ obeundum referri debet. Rectè Socrates *Hist. Eccl. lib. V.* 22. negat, Apostolis propositum fuisse *περὶ ἡμερῶν ἑορταστικῶν νομοθετεῖν de festis diebus celebrandis leges ferre. Quia enim*, inquit, *homines festa amant, quò se à laboribus relaxent, ideo illis diebus singulis quique locis, ὡς ἐβουλήθησαν, pro suo arbitratu memoriam salutaris passionis ἐξ ἔθους τινὸς consuetudine quadam celebrarunt.* Subjicit idem: *Ac mihi quidem videtur, quòd sicut alia multa per singula loca ex more quodam introducta sunt, ita etiam ἡ τοῦ πάσχα ἑορτὴ παρ' ἑκάστοις ἐκ συνηθείας τινὸς ἰδιάζουσαν ἔσχε τὴν παρατήρησιν, Paschatis festum ex quadam consuetudine apud singulos populos observationem privatam habuerit, διὰ τὸ μηδένα τῶν Ἀποστόλων οὐδενὶ νενομοθετηκέναι, propterea quòd nemo ex Apostolis legem de eo cuiquam tulerat.* Eadem Nicephorus Callistus *Histor. Eccl. lib. XII.* 32. habet. 3. Liquet ergo, ad pietatem & vitæ sanctimoniam seu *fidei veritatem Ecclesiæ concreditam*, uti tu loqueris, festorum dierum in Ecclesia institutionem necessariam non esse. Si enim necessaria foret, & per se mysterii aliquid haberet, Christus & Apostoli eam seriò sedulóque inculcassent, & pro sua authoritate constituissent.

ARG. II. Nec Christus nec Apostoli festa ejusmodi propriè dicta unquam celebrâsse leguntur. Non sunt igitur de necessitate fidei.

RESP. REDING: 1. *Christus V. T. festa Hierosolymis celebrans, non ad horum duntaxat ceremonialem cum fœdere antiquo extinctam, sed præcipuè ad moralem rationem in statu Evangelii etiamnum subsistentem respexit. 2. Festa Nativitatis, Passionis &c. Christi Augustinum ab Apostolis arcessentem supra vidimus.* Ibid pag. 377. Resp. 1. Moralis festorum V. T. ratio erat recordatio beneficiorum, quam Deus ipse ad certum tempus restrinxit. Proba ergo, Christum pariter recordationem mysteriorum salutis in N. T. ad certum tempus restrinxisse: & restrinxisse tum, cùm festa Judaica celebravit. Etenim recordatio nativitatis, passionis, ascensionis Christi certum & anniversarium aliquod tempus, atque illud aliis sacratius, efficacius, & *μυστικώτερον* necessariò non exigit, utpote qua nullum omnino tempus vacare debet. 2. Ab Apostolis commendata vel instituta esse festa illa, Augustinus disertè non dixit: sed *vel ab Apostolis, vel à plenariis Conciliis.*

ARG. III. Festa propriè dicta, celebrata sub ratione mysterii, diserta voce Evangelii abrogantur, Rom. XIV. 5.6. Gal. IV. 10. Coloss. II. 16. Nec uspiam declaratur, Judaicis festis alia propriè dicta substituenda esse.

RESP. REDING: 1. *In locis citatis Judaica festa intelligi, ipsemet fateri cogeris. Cùmque negare non possis, saltem Dominici diei festum Sabbatho subrogatum esse, fateri iterum cogeris. Judaicis festis alia substituta esse. 2. Licet autem V. T. mysteria propria præfigurativa Christi morte abolita, festiva celebritate ampliùs recolere nefas sit; tamen propria Evan-*

gelici

gelici status ratio ex religionis virtute exigit rememorationem mysteriorum Christi, ex ejusdem nativitate, passione relucentium. Hinc Augustinus de Civit. D. lib. XXII. 30. diem dominicam Christi resurrectione sacratam; & contra Faustum cap. 21. populum Christianum memorias Martyrum religiosa Solennitate celebrare, dicit. Hieronymus similiter in Gal. IV. 10. ostendit, non eosdem Judaicæ observationis dies esse, qui nostri sunt; quia nos non Azymorum Pascha celebramus, sed Resurrectionis & crucis. &c. Ibid. pag 377. 378. Resp. 1. Festa Judaica in locis citatis intelligi, nullus dubito. Sed sola illa intelligi, nego. Similium similis ratio est. Et S. Paulus ubique, cùm de temporibus discernendis loquitur, indistinctè & sine exceptione loquitur velut Rom. XIV. 5. *Alius æstimat diem præ die: alius verò æstimat omnem diem*, hoc est: alius in eodem pretio omnes dies habet: alius dierum pretium distinguit. Posteriores apertè reprehendit Gal. IV. 10. *Dies observatis, & menses, & tempora, & annos. Metuo, ne qua frustra laboraverim in vobis.* Nulla exceptio, distinctio nulla. Damnantur, quotquot dies, tempora observant, seu Judæorum, seu Gentilium, seu Christianorum nomine veniant. Et Col II. 16. *Ne quis vos judicet ἐν μέρει ἑορτῆς in parte festi aut novilunii, aut Sabbathorum.* Notat autem *μέρος ἑορτῆς pars festi*, quicquid in festo aliquo, quà tali, obtinet. uti non malè Chrysostomus. Festa igitur propriè dicta, quâ talia, in N.T. nulla ampliùs obtinent. Pertinent enim ad elementa mundi, & erant olim pars jugi Judæis impositi. Quale quid non est dies Dominica, statum ad conveniendum, & cultum Dei publicè exercendum tempus, utpote quod nec sacratius, nec *μυστικώτερον* est aliis omnibus temporibus, sed simpliciter ab Ecclesia liberè ad cultum publicum deputatum, cùm & lex & Evangelium tempus aliquod cultui publico destinare jusserint. de quo infra. 2. Evangelici quidem status propria ratio id exigit, ut beneficia & mysteria Christi commemorentur. Sed ut hoc potiùs tempore, quam alio, & die aliquo propter mysterium sanctiore, necessariò commemorentur, neutiquam exigit. Neque probabis unquam exigere. Quinimò non exigere, loca citata evincunt, utpote in quibus dierum discretio sive formaliter Judaica, sive analogica & Judæorum imitatrix æquè prohibetur, ac discretio ciborum, quæ ob religionem & conscientiam instituitur, etiamsi formaliter Judaica non sit. Neq; opinioni vestræ vel Augustinus vel Hieronymus favet. Ille enim *de Civ. D. lib. XXII. 30. Dominicus*, inquit *dies velut octavus æternus, qui Christi resurrectione sacratus est, æternam non solùm spiritus, verùm etiam corporis requiem præfigurans.* Octavum æternum Christi resurrectione sacratum ait. An ergo etiam in Cœlo locus erit Dominicæ, velut præ cœteris diebus hebdomadæ sacratæ? Octavum diem Christus resurrectione sua sacravit sanè; sed non instituit, ut singuli dies Dominici, ceu reliquis ratione mysterii sacratiores, in festa propriè dicta deputentur. Potuit enim Ecclesia liberè & propter ordinem instituere, ut eo die cœtus solenniores cogantur: at ut sacratiora & *μυστικώτερα* ac verè festiva tempora habeantur, solus Deus instituere potuit. Quem tamen ita instituisse non constat. Idem *populum Christianum memorias Martyrum religiosa solennitate celebrare* dixit: sed necessariò celebrari, & tempori celebrationis mysterium singulare, tempus ipsum sanctificans subesse, non dixit. Nil dicam de memoriis Martyrum, ut hodie agitantur, merè idololatricis, quales Augustinus solenniter execratur. Hieronymus *in cap. 4 Gal.* sic hanc in rem disserit: *Ne inordinata populi congregatio fidem minueret in Christo, propterea dies aliqui constituti sunt, ut in unum omnes veniremus. Non quòd celebrior sit dies illa, qua convenimus, sed quòd quocunque die conveniendum sit, ex conspectu mutuo lætitia major oriatur. Qui verò quæstioni oppositæ acutiùs respondere conantur, talia affirmant, omnes dies æquales esse, nec per parasceves tantùm Christum crucifigi, & die Dominica*

nica

nica resurgere, sed semper sanctum resurrectionis esse diem, & semper carne eum vesci Dominica. Jejunia autem & congregationes inter dies, propter eos à viris prudentibus constitutos qui magis seculo vacant, quàm Deo, nec possunt, imò nolunt toto in Ecclesia vitæ suæ tempore congregari, & ante humanos cætus Deo orationum suarum offerre sacrificium. Quotusquisque enim est, qui saltem hæc PAUCA, quæ statuta sunt, vel jejunandi tempora, vel orandi saltem exerceat. Disce ergo, Hieronymo doctore, Redingi, *unum diem altero sanctiorem non esse; eos propter congregationis ordinem esse institutos; tales fuisse Paucos; Martyrum dies, in diversis locis, diversos, non universales fuisse.* 'E diametro hæc festis vestris adversantur.

ARG. IV. Festum propriè dictum habet mysticam Divini beneficii in eum olim incidentis repræsentationem, & cum peculiari gaudio commemorationem, nec non singularem cultus & officii Divini modum ac ceremoniam. Hæc autem singula in festis, de quibus controvertitur, deficiunt. Etenim commemoratio nativitatis, passionis, resurrectionis &c. Christi non est certæ alicui adstricta diei, nec dies sanctificari potest magis ad hujus quàm alterius mysterii significationem. Tum si festi dies ejusmodi haberent repræsentationem, utique à cæteris diebus per relativam sanctitatem distinguerentur, sicut aqua baptismi distinguitur ab aqua profana. Tale autem discrimen sine verbo mandati & promissionis non potest statui. Et si ejusmodi mystica repræsentatio fundamentum esset festi, & plura addi deberent, cùm in dies alios festivitate non characterisatos mysteria etiam inciderint, & detrahi non pauca, in quæ videlicet grandia mysteria non inciderint. Cedo enim, quæ mysteria inciderunt in festum Trinitatis, corporis Christi, omnium Sanctorum, omnium fidelium defunctorum &c? Non est etiam ceremonia solennis cuiquam festo in N. T. Divina authoritate addita. Denique cùm dubii & incerti sint dies nativitatis, passionis, resurrectionis, &c. Christi, quî possunt ii dies, qui festis consecrati sunt, mysteria præterita repræsentare?

RESP. REDING: 1. *Nativitatis, passionis, resurrectionis Christi commemoratio vel abolenda, vel ad certum tempus adstringenda est. Et si mysticæ illius commemorationis observantia privatim cujusque fidelium electioni libera relicta est, cur non publica Ecclesiæ solennitate eam exhibere fas sit; tempore per Apostolicam authoritatem constituto?* 2. *Rectè quidem sanctitas relativa constituitur in signo Divini cujuspiam mysterii. Hujus enim sanctitatem non propriè, sed tropicè & analogicè participat, quatenus sub ratione signi obtinet relationem sanctitatis tum Divinæ, tum ex Divinitate participatæ, & in animam hominis transfusæ. Hæc verò relativa symboli sanctitas alia est vi institutionis Divinæ in Sacramento: alia Ecclesiasticæ ex imperio prudentiæ & arbitrio charitatis Dei generale religionis Divinæ mandatum ad rem quampiam materialem applicantis, atque hanc deputantis ad mysterii cujuspiam Divini significationem merè repræsentativam; sic tamen ut non æquè ac signa Sacramentalia, efficaciam ex opere operato obtineat, sed sua duntaxat repræsentatione ad cultus Divini actus exercendos excitet. 3. In festis instituendis Ecclesia tum dignitatem mysteriorum, tum imbecilli-*

tatem humanarum virium spectare debet. Ea ergo utitur moderamine, ut certos duntaxat, non omnes dies festivos constituat, quia corporis necessitates illud non permitterent. 4. Male supponis Mysterium non esse festivè celebrandum nisi eo die materiali, in quem incidit. Sic enim ne Dominico quidem die mysterium S.Trinitatis festivo cultu venerari & adorare liceret, quia mysterium illud sua æternitate & immensitate omnia tempora transscendit. 5. Ne quidem Dominicæ officium ulla ceremonia Divinitus constituta constat. An ideo illa abroganda est? 6. Licet Nativitatis, Passionis, Resurrectionis Christi dies materialiter spectati in dubium vocari possint, sufficit tamen ad festi substantiam, quòd eorundem festiva celebratio diebus illis exhibetur. Ibid. pag. 378. 379. Resp. 1. Nec abolenda illa actionum Christi commemoratio, nec ad certum tempus, propter mysterium quoddam sacratius, & peculiarem cultum, restringenda est. Nam & semper, privatim, & publicè, quoties occasio explicandi & prædicandi Evangelii, nec non Sacramentorum usus ita exigit, commemorari, gratáque mente recoli beneficia & actiones Christi debent: & possunt etiam solenniùs certo tempore ab Ecclesia constituto, propter ordinem, non peculiare mysterium temporis; propter circumstantiam temporis, quæ cultus adminiculum est, non propter substantiam cultus, utpote quæ tota in mysteriis ipsis commemoratis, non in tempore, quo commemorantur, consistit. 2. Signa mysteriorum sanctitatem ipsam mysteriorum analogicè participantia nulla sunt, nisi à Deo immediatè instituta. uti ex signis & symbolis Sacramentalibus (à quibus *operis operati* opinionem & commentum supra removimus) nec non Sabbatho & diebus festivis in V. T. ab ipso Deo institutis liquet. Neque Ecclesia vel ullus homo tempori sanctitatem sive absolutam, sive relativam propter mysterium tempori competens conciliare potest; licet libera temporis ad cultum deputatione, propter εὐταξίαν in Ecclesia servandam, communi consensu definire possit, hoc vel illo tempore cultum obiri, vel actiones Christi solenniùs commemorari debere. Ejusdem est sanctitatem mysticam tempori appropriare, cujus est mysteria ipsa & cultum instituere. Atqui id solius Dei & Christi legislatoris est. Unde in V. T. nulla etiam festa celebrata sunt, nisi quæ lege Dei, aut directione extraordinarii Prophetæ præscripta sunt. Neque homo ullus, vel dominus vel dispensator sanctitatis esse, atque illam cui glebæ velit, affigere potest; vel potestatem habet in dies, ut eorum naturam commutare possit. 3. Si sanctitatis relativæ temporis fundamentum in mysterio hoc vel illo tempore peracto consistit, nulla virium humanarum imbecillitas impedire potest, quò minùs tempus illud sanctum habeatur & sanctificetur etiam. An enim quia vires humanæ deficiunt; ideo mysterium hoc vel illo tempore non peractum est? De cœtero humanarum virium imbecillitas meritò vos cohibere debuerat, ne festa universalia vel particularia innumera constituendo jugum Ecclesiæ intolerabile, præ quo Judaicum vetus ludus fuit, imponeretis. 4. Mysterium non esse festivè celebrandum nisi eo die materiali, in quem incidit, non ego supposui, sed vos supponere debetis, quia tempori sanctitatem mysticam deputatis. Unde verò, dic sodes, mystica sanctitas illa? An quia eo tempore mysteria commemorantur? Atqui repetitio & commemoratio mysterii humano arbitrio in hoc vel illud tempus rejecta, tempori ipsi nullam mysticam sanctitatem, propter quam omnes actiones, illo potius quam alio tempore obitæ, adeoque ipsa etiam quies, cessatio ab opere, &c. sanctiores & μυστικώτεραι censeri debeant, conciliat. Potest sanè festum celebrari ratione mysterii, ut occasionis, vel causæ: at non ratione mysterii, ut affectionis inhærentis; sed eo respectu tantùm ratione ordinis & politiæ. Atque eandem certè ob causam mysterium S.Trinitatis efficacius, sanctius, μυστικώτερον hoc quam alio tempore prædicari & commemorari non potest.

5. Am

5. An prædicare verbum Dei, Sacramenta dispensare, Deum privatim & publicè laudare, glorificare &c. ceremonia non est Divinitus instituta? Atqui hoc illud officium est, quod die Dominico Deo præstari debet. 6. Suppositionem diei materialis festo per se & propter mysterium sanctioris decernendi, necessariam vobis esse, jam demonstravi; & agnoscunt vestri. Baronius enim *A. 58. n. 85.* ad objectum locum Rom. 14. defendit distinctionem dierum inter Christianos, eo argumento, *quia Deus quosdam dies reddidit celebriores, cùm grandia in iis inciderint Divina mysteria. sicut*, inquit, *de campis accidit, qui omnes æquè sunt terra; ille tamen nobilior habetur cæteris, in quo magis egregia sunt sata semina, vel plantatæ arbores. Quamobrem certi dies his muneribus Divinitus illustrati, celebriori cultu peragi debuerunt.* Loquitur, certè de diebus *materialiter* talibus, in quibus hoc vel illud gestum est. Neque aliter Bellarminus, ajens, *Christum consecrâsse tempus*, id est, *dies illos, quibus natus, vel redditus nobis fuit devicta morte, eò quòd nascens consecravit præsepe, moriens crucem, resurgens sepulchrum. Consecravit igitur & dies ipsos, quibus hæc egit Christus.* En de consecratis materialibus *diebus*, sicut de consecrato materiali *præsepi, cruce, sepulchro* loquitur. Atqui in omnes alios dies nullo festo characterizatos non minùs grandia, credo, mysteria inciderunt, quàm ex. gr. in dies Benedicto, Ivoni, Antonino, Bonaventuræ, Antonio de Padua, Ludovico Regi Franciæ, Petronellæ, Georgio, Catharinæ, septem dormientibus &c. sacros.

ARG. V. Si non alias ob causas, at certè ob perniciosas superstitiones Papalia festa vitium contrahunt. Faciunt festos dies per se sanctiores cæteris; fovent opinionem operis operati; affingunt iis merita & peccatorum expiationes; consecrant eos sanctis; adeóque eosdem latriæ cultu afficiunt, cùm judice Durando *lib. 4. cap. 11. 11.* ad latriam etiam *festivitates* pertineant; tot festos dies faciunt, & tam difficilibus nugis, scrupulis & labyrintheis circulationibus distrahunt animos, ut magni Viri in Papatu tædio eorum victi gravissimè questi sint; denique festa instituerunt ex narrationibus apocryphis, dubiis, incertis, commentitiis, quæ singula retulisse, refutâsse est.

RESP. REBING: 1. *Malignandi spiritu turges, dum festos dies non in se ipsis, secundum siderum ac elementorum coordinationem, physicámque eorum constitutionem, sive vacuam quampiam ceremonialem rationem, aliámque superstitiosam considerationem, sed ex mysteriorum Divinorum repræsentatione mystica institutos tam dirè exagitas. Unum enim diem altero ita sacratiorem dicimus, ut tota hæc utpote relativa sanctitas consistat in festivi diei deputatione ad solennem Dei cultum publico fidelium cœtu celebrandum. 2. Opus operatum, quod eo die foremus, vel est ex Sacramentis, vel de Ecclesiæ suffragiis, ultra devotionis cuique fidelium singularis meritum applicabilibus. 3. De reliquis, quæ superstitionis nomine traducis, supra. 4. Ea est humanæ mutabilitatis conditio, ut quæ festivæ solennitates ab initio religionis puræ fervidum excitabant Zelum, successu temporis obrepente devotionis tepore graves videantur. Non ideo festa carpenda, sed subinde secundum circumstantiarum ac temporum varietatem moderanda sunt.* Ibid. pag. 380. Resp. 1. Et tu, querulæ instar anus, multa sine ratione deblateras. Quis enim nostrûm vobis imputavit, quòd festos dies *in se ipsis, secundum siderum ac elementorum coordinationem, physicámque constitutionem,* sacratiores

reliquis statuatis? Relativam, non absolutam sanctitatem iis vos attribuere, novimus, neque aliud objecimus. Illud verò reprehendimus, quòd dies festos, quà tales, propter mysticam repræsentationem, adeóque, quà festos, non quà dies, *per se* aliis sacratiores statuitis, adeóque, contra Apostoli interdictum, dies discernitis, juxta Bellarmini secundam propositionem illam: *Festa Christianorum non solùm ratione ordinis, & politiæ, sed etiam ratione mysterii celebrantur, súntque dies festi verè aliis sanctiores, sacratiores & pars quædam Divini cultus.* Quæ propositio directè opposita est tuæ, *quòd relativa sanctitas consistat in deputatione ad solennem Dei cultum, publico fidelium cœtu celebrandum.* 2. Nec Sacramenta, nec Ecclesiæ suffragia ex opere operato quicquam, sine devotione, fide & pietate operantis operari, alibi adstruximus. 3. Et de reliquis, nos quoque supra, ubi strophas tuas destruximus. 4. Non festa ipsa carpimus, sed *obrepentem* vobis *teporem*, accessoriam superstitionem, cacozeliam Judæorum, Gentilium, inconstantiam, varietatem. Cúmque religionis & devotionis ardorem pristinum per obrepentem devotionis teporem refrixisse, ipsemet quiriteris, cur procedente in pejus tempore multitudine festorum intoleranda Ecclesiam Pontifices vestri inundarunt? Siccine imbecillitatis humanarum virium rationem habuerunt, uti habendam esse supra ipsemet pronuntiasti?

ARG. VI. Antiquos homines nec ex Christi, nec Apostolorum institutione, sed pro arbitratu & consuetudine, ob relaxationem à laboribus festa quædam celebrâsse, author est Socrates Hist. Eccl. V. 22. Paschatis sanè festum antiquum, sed ex necessitate fidei non celebratum. Pentecoste absolvebatur 50. diebus post Pascha, adeóque diversa ab hodierno Pentecostes festo, & tamen *solius consuetudinis patrocinio recepta*, uti loquitur Tertullianus. Inter illos 50. dies erat etiam, teste Hieronymo, ascensionis festum. Festi Epiphaniæ ante Basilium, Nazianzenum, Chrysostomum meminit nemo. Pro varietate tamen Regionum constitutæ variæ memoriæ Martyrum. Hactenus tamen nec ex necessitate fidei obtrudebantur, nec pravis illis superstitionibus contaminata fuêre. Constat enim ex illustri testimonio Hieronymi, quod extat *in cap. 4. ad Gal.* unum diem altero sanctiorem minimè habitum, & festos eos dies *propter congregationis* ordinem esse institutos, & tales fuisse *paucos*, & Martyrum dies in diversis locis diversos, non universales fuisse. Procedente tempore variis occasionibus numerus eorum auctus est, uti liquet ex Can. 36. Concilii Moguntiaci, ac cumprimis ex Lugdunensi Concilio celebrato A. 1240. Postremis demum temporibus introducta sunt festa Inventionis crucis, Corporis Christi, quatuor Doctorum Ecclesiæ, Visitationis, Præsentationis, Conceptionis Mariæ, Anthonii, Nicolai, Catharinæ, aliorúmque, de quibus fusè & accuratè actum à Polyhistore nostro Hospiniano in doctissimo *de Festis Christianorum* opere. Síque eo ardore perrexerint Pontifices, quandoque anni mensura mutanda & dilatanda fuerit.

RESP. REDING: 1. *Socrati imponis, ac si Paschatis festum ex præcisa à laboribus relaxatione celebratum dixisset. Ille tamen disertis verbis asserit, hanc celebritatem, aliósque dies festos*

stos etiam propter memoriam salutiferæ passionis institutos esse. 2. *Discrepat utique Pentecoste Christiana à veteri Judaica. Illam, ut & festum Epiphaniæ celebrantes veteres se utique elevarunt ad religionis Mysticas rationes, mysterii iis repræsentati in suum principium, Deum & Christum, reductrices. Cúmque memorias Martyrum veteres celebraverint, an fas est dicere, eos festivitates ejusmodi instituentes & celebrantes mentis suæ aciem non intendisse tum ad virtutem & sanctitatem Martyrum cultu iisdem congruo honorandam, tum ad hujus principium, Deum & Christum sub latreuticæ adorationis religione reducendam?* 3. *Hieronymus unum diem altero sanctiorem esse negat, ex ritu scilicet Judæis constituto, utpote jam abolito, non ratione mysterii fœderi novo convenientis. Proin etiam Augustinus contra Adim. cap. 16. asseris, ideo Judæos tempora observantes reprehendi, quòd non intelligerent, ad quarum rerum significationes & prænuntiationes pertinerent.* Nos quoque, *inquit*, & Dominicum diem & Pascha solenniter celebramus, & quaslibet alias Christianas dierum festivitates: sed quia intelligimus, quò pertinent, non tempora observamus, sed quæ illis significantur temporibus. *Discrimen ergo ponit in observandis festis tùm secundùm se ac materialiter spectatis, tum in eisdem quoad mysticam significationem ex Ecclesiæ determinatione annexam, ratione mysterii sub iis repræsentati recolendis. Prius Judæis, posterius Christianis tribuit. Similiter Gregorius Nazianzenus Orat. in S. Pentec. Festos dies ait Judæorum agere, verùm secundum literam, quia legem corpoream consectatur, ad spiritualem legem non pervenit: agere gentilem, verùm juxta corpus, luxu & comessatione: agere Christianos, verùm ut spiritui gratum est.* Ibid. pag. 380. 381. Resp. 1. Hoc unum Socrati authori tribui, *quòd antiqui homines nec ex Christi, nec ex Apostolorum institutione, sed pro arbitratu & consuetudine ob relaxationem à laboribus festa quædam celebraverint.* Hanc ejus sententiam esse, verba ejusdem *Hist. Eccl. V.* 22 superiùs exscripta docent. *Quoniam,* inquit, *homines festa amant, quò se à laboribus relaxent, ideo illis diebus, singulis quique locis* (ὡς ἐβουλήθησαν) *pro suo arbitratu memoriam salutaris passionis* (ἐξ ἔθους τινὸς ἐπιτέλεσαν) *ex consuetudine quadam celebrarunt.* οὐ γὰρ, inquit, νόμον τοῦτο παραφυλάττειν ὁ Σωτὴρ, ἢ οἱ Ἀπόστολοι ἡμῖν παρήγγειλαν. *Nam neque Servator, neque Apostoli illud observandum lege aliqua præceperunt.* Supra dixerat: *Apostolus & Evangelistæ nusquam servitutis jugum illis imposuerunt, qui ad prædicationem fidei accessissent,* ἀλλὰ τὴν ἑορτὴν τοῦ πάσχα καὶ τὰς ἄλλας ἑορτὰς τιμᾶν, τῇ εὐγνωμοσύνῃ τῶν εὐεργετηθέντων καταλελοίπασι, *sed Paschæ diem, aliósque festos dies arbitrio æquitatíque eorum, qui beneficia illis diebus acceperunt, colendos reliquerunt.* En, beneficia illis diebus accepta occasionem festorum, & quidem arbitrariam, non necessariam, procul ulla sanctitate mystica, ob quam gratia Dei uberiori mensura istis quàm aliis diebus hominibus offeratur & dispensetur. Parum contra vos abestis à dementia Ethnicorum, qui dies quosdam ut per se faustos observabant; quosdam ut infaustos, atros, ἀποφράδας abominabantur. 2. Pentecoste vestra, æquè ac Judaica, pars jugi est. Cùm ea hactenus convenit, quod festum propriè dictum, mystica sanctitate præditum constituitur, atque sic tempora, contra Apostoli monitum distinguit. Et de eo quicquid sit, eam *solius consuetudinis patrocinio receptam* Tertullianus dixit. Elevarunt tamen se veteres festa celebrantes ad mysteria in iis commemorata: sed in tempore ipso mysterium, sanctitatem, ex eodem gratiorem Deo cultum illis potiùs, quàm aliis temporibus, nemo veterum aucupatus est. Neque aucupatum quenquam esse, probabis unquam. Aliud etiam est virtus & sanctitas Martyrum, quam in memoriis eorundem haud dubiè veteres acri tibia decantarunt: aliud sanctitas vel efficacia temporis cultum ipsum afficiens. Cùm de hac, non de illa quæstio sit, nil nisi extra oleas te, ad incitas redactum, vagari liquet. 3 Ubi ergo, & quibus verbis

bis Hieronymus declarat, *unum diem altero sanctiorem esse ratione mysterii fœderi novo convenientis?* Prome verba. Ego enim nulla invenio. Imò in N. T. festos dies, eósque paucos institutos esse ait, *ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Christo*; hoc est, *propter congregationis ordinem*; additque eos, qui *acutiùs* loquuntur, affirmare, *omnes dies æquales esse: nec per parasceven tantùm Christum crucifigi, & die Dominica resurgere, sed semper sanctum esse resurrectionis diem, & semper carne eum vesci Dominica.* Hoccine est ita dies N. T. distinguere, ut unus altero *sanctior* sit *ratione mysterii fœderi novo convenientis?* Hæc tua superstitio est, quam Hieronymi verba jugulant. Neque propitium magis Augustinum habes. Ille enim *contra Adim. cap. 16.* negat Christianos festa celebrantes *tempora*, Judæorum more, serviliter *observare, quia*, inquit, *intelligunt, quò pertineant, non tempora observantes, sed quæ illis significantur temporibus.* Si duntaxat illa, quæ temporibus illis significantur, hoc est, mysteria in iis commemorata, vos observatis, & tempora ipsa non observatis, cur ergo distinctis temporibus mysticam sanctitatem tribuitis; adeóque, quod ibidem statim Augustinus damnat, *creaturæ potiùs* (qualis & tempus est) *quàm creatori*; neque tantùm creaturæ temporum, sed creatoris insuper hominum mortuorum, eas contra manifestum Dei verbum religiosè colendo & adorando, *servitis?* An hoc *spiritui gratum* esse potest, uti quidem Christianos festa celebrare Gregorius Nazianzenus dixit?

ARG. VII. In ipso Papatu fuerunt, qui de festorum abusu & ἀταξίᾳ graves querelas moverent. Nicolaus de Clemangis A. 1416. scripto & edito *de novis festivitatibus* libro, inter alia probat, *vetera potiùs festa aliqua abolenda esse, propter ingentem abusum, quàm nova instituenda.* Queritur etiam, *tam multa de sanctis legi & dici in Templis, ut jam S. Literarum lectio planè omittatur. In antiqua ecclesia planè diversum fuisse morem. Itaque Deum jam suo loco detrusum & deturbatum esse, & sanctos pro eo in Templis regnare.* Petrus de Aliaco Cardinalis Cameracensis *de Reformat. Ecclesia*, inter alia monet Primores Ecclesiasticos Concilii Constantiensis, *providendum esse, ne tot nova festa solennizentur: ut præterquam Dominicis & majoribus festis ab Ecclesia institutis liceret operari post auditum officium, tum quia in festis sæpe magis multiplicentur peccata in tabernis, choreis & aliis lascivus, quas docet otium: tum quia dies operabiles vix sufficiunt ad vitæ necessaria procuranda: item, ut in hujusmodi festis scripturæ apocryphæ vel hymni novi non legerentur &c.* M. Felix Hemmerlin Jurium Doctor, & Cantor Thuricensis, libro *de arbore torculari ducenda in die festo*, inter alia queritur, *in veteri lege in anno servari debuisse 52 dies Sabbathorum, & super hoc paucos. Sed diebus suis esse primò 52. Dominicos loco Sabbathorum, & super hoc præsertim in loco Thuricensi 56. dies feriandos.* Polydorus Vergilius *de Invent. Rer. lib. VI. 8.* scribit, *quàm olim ex usu fuerit festa instituere, tam nunc præstare videri eadem antiquari, cùm bona pars hominum otium istud festorum non ad orandum, sed ad omnifariam bonorum morum corruptelam augendam indies magis magísque impudenter consumat.* Erasmus quoque *Annot. in Matth. XI.* anxie ea de re quiritatur, & stomachaturum S. Augustinum dicit, *si videret liberum Christi populum tot legibus, tot ceremoniis, tot laqueis impetitum. Feriarum nunc*

nec

nec finem nec modum esse, quæ cùm primitus ad pietatis vacationem paucæ sint instituta, nunc ad scelerum exclusionem tolli debeant, nisi sacerdotum avaritia suis potiùs rebus, quàm vera religioni consuleret. Denique ipse Urbanus VIII. Papa in sua de observantia festorum Bulla A.1642.edita festorum *numerositatem*, uti vocat, restringere conatus, inter alia fatetur, *quæ festa ad glorificandum Divinum Numen primitus instituta fuerint, ea temporis decursu inimicum hominem corrupisse, & in magnam illius offensionem, gravémque animarum jacturam convertisse.* Reformationem postea abusuum, sed imperfectam molitur, in qua pleraque in sanctorum honorem instituta confirmat.

RESP. REDING: 1. *Hac ratio perversa Pseudo-Reformationis vestræ in S. quoque Martyrum festis abrogandis molimina evertit. Negare enim non potes, festa tum Christi, tum Sanctorum jam olim in usu fuisse. Dum igitur horum numerum Conciliorum etiam authoritate auctum, posterioribus temporibus crevisse caussaris, eo ipso fateris, ejusmodi festivitates ab omni superstitionis labe depuratas veteri jam orthodoxiæ in more positas fuisse. Quo supposito, ubi sincera & pura religionis ratio intervenit, in Ecclesiæ Apostolica authoritate situm erat, eas juxta discretam temporum moderationem vel restringere, vel augere.* 2. *Querelæ virorum doctorum de variis abusibus nihil faciunt contra festivitatum ab Ecclesia Pontificia constitutarum substantiam, sed circumstantias solas tangunt provida reformatione emendandas, uti quidem Urbanus VIII. aliique, uti ex variis sacrorum rituum congregationis decretis liquet, emendarunt. Vos verò prætextu abusuum substantiam festorum à veteribus semper probatam sustulistis.* Ibid. pag. 381.382. Resp. 1. Cùm reformatio Ecclesiarum Protestantium circa festa, deformationi vestræ opposita, pro libertate in hoc argumento variaverit, ego, quæ Ecclesiæ Tigurinæ circa festorum Reformationem, corruptioni & idololatriæ vestræ oppositam, molimina fuerint, his Bullingeri Reformatoris nostri τοῦ μακαρίτου verbis, quæ *Præfat. Serm. de festis diebus præmissa* extant, explicabo. *Ecclesia Tigurina,* sic ille, *cujus per vocationem & gratiam Dei Minister sum, cùm ante annos triginta intelligeret, querelam piorum constantem, jam seculis aliquot frustra ad aures Ecclesiæ Antistitum, quorum oculi aurésque velut obriguisse obsurduisséque videbantur, esse delatam, interim, contra sinceram religionem verámque libertatem Christianam, miserum ubique populum cerneret oppressum, inter alia Reformationis capita, quæ ad regulam verbi Dei, in utroque Testamento contenti, repurgabat, etiam ferias, in Papatu celebrari solitas, plerasque expunxit vel abrogavit, & quasdam, quas ex istis ab initio ad certum usque tempus retinuerat, tandem etiam multas graveśque ob causas omisit, reservata duntaxat die Dominica, & Festi, Christi Domini & Salvatoris nostri pauculis, quas anniversaria solennitate religiosè concelebrat. Memorias verò Beatæ & semper Virginis Mariæ, Sanctorum item Apostolorum & Martyrum Christi, etsi solenniter feriando, (quod cultus genus soli Deo debitum credit) non celebret, frequens tamen horum (utpote præstantissimorum fidelissimorúmque Domini Dei servorum) mentio fit apud Ecclesiam, non sine justa ipsorum laude, atque exhortatione debita, ut singuli ipsorum fidem & pietatem imitando exprimant, quo ipsis aliquando conjungantur in æterna patria, ubi isti jam læti cum Christo triumphant. At in festis Christo Domino & Servatori nostro consecratis, quibus amplissimi coeunt cœtus, recitatur coram Ecclesia ejus diei historia, & explicantur, quæ ad ipsam pertinere videntur, adductis in eam rem idoneis accommodisque S. Scripturæ locis. Exponitur autem inprimis præsens Christi beneficium, cujus memoria ea die peragi-*

peragitur: inculcantur item aliæ quoque Christi nobis præstitæ gratiæ: excitatur atque alitur fides Ecclesiæ in Christum: requiruntur etiam à singulis officia pietatis: gratitudóque debita reposcitur ab omnibus: reprehenduntur segnes, calcar additur currentibus. Ecclesia ergo nostra vile à pretioso distinxit: illud in Papatu demum subortum abolevit: hoc in veteri Ecclesia receptum liberè retinuit & auxit; ab aliis verò Ecclesiis Reformatis, quæ aliam feriandi rationem, pari libertate, sequuntur, animis suis minimè dissidet. Rituum enim quædam diversitas, modò charitati & prudentiæ Christianæ locus detur, fidei consanguinitati non adversatur, & scandali nihil parit. Festa verò Sanctorum quod attinet, non ita illa in Ecclesia celebrata sunt, uti quidem sequioribus temporibus in Papatu celebrari cœperunt. Primis enim Seculis *Memoriæ Martyrum* passim à Christianis celebratæ sunt. Quæ memoriæ initio non aliud erant, quàm sepulchra condita in memoriam Martyrum, unde & nomen acceperunt; & postea etiam σηκοὶ, id est, *Templa*. Illuc Christianus populus catervarim confluxit ad orationes encomiasticas, quibus eorum pro Christo certamina, fides, patientia, constantia, aliæque virtutes imitationis gratia collaudabantur, audiendum: quo peracto ad officii quisque labores reversus est. Tractu verò temporis sensim in Festa Conventus illi verti cœperunt, Unde totidem Sanctorum festivitates ortæ sunt: rem istam plurimùm adjuvante & promovente Constantino M. qui singularum gentium præsidibus legem dedit, ut Martyrum dies honorari curarent, & Festorum tempora Ecclesiis decernerent, Eusebio *de vita Const. M. lib. IV.* teste. Et Ethnica imitatione anniversarias illas ad sepulchra Martyrum πανηγύρεις in Ecclesiam invectas esse, etiam Cyrillus *lib. VI contra Jul.* Gregorius Nyssenus *Orat. de vita Gregor.* Theodoretus *Evangel. verit. lib. 8. de Mart.* fatentur. Quanquam hæc ipsa Martyrum festa non ubique in omnibus Ecclesiis, sed pro varietate Regionum, in illis tantùm Ecclesiis, ubi & Martyrium perpessi, & sepulti erant, sicut ex Hieronymo *Cap. 4 Epist. ad Gal.* liquet, celebrata sunt. In quantos verò abusus sequioribus postea seculis festivitates illæ, irrepente inprimis Sanctorum invocatione, & imaginum adoratione, degenerarint, viderant pii nostri Majores, & inter ipsos quoque Pontificios Viri magna authoritate præditi, rei indignitate moti, de ista ἀταξίᾳ graves querelas, à nobis consignatas, moverunt. Neque mirum, festivitates illas per se indifferentes & liberè ab Ecclesia institutas, postquam tantos in abusus degenerarunt, pari à nostris libertate, consultoribus etiam, quos adduxi, vestris doctoribus, Nicol. Clemangis, Petro de Aliaco, Polydoro Vergilio, abolitas esse, edoctis temporum experientiâ, quàm facilè humana instituta in pejus corrumpantur; & ne ampliùs, quod Clemangis factum queritur, *Deus suo loco detrudatur & deturbetur, & Sancti pro eo in Templis regnent.* Hac libertate usi etiam vigilias vos sustulistis. 2. Festorum quorundam abusus nimis atroces substantiam eorundem illibatam relinquere non debuerunt, quia in rebus indifferentibus abusus, & quoties ejusdem periculum gliscit, usum ipsum tollit. Aliud enim est substantia rei in verbo Dei definitæ, quæ nunquam propter abusum (quanquam ejus abusus forte nullus esse potest) tollitur, aliud rei ab hominibus inventæ, vel liberè susceptæ, quæ eadem libertate omitti, qua suscipi potest. Imò etiam Serpens æneus, ipsius Deo jussu factus & asservatus, propter abusum superstitionis confringi potuit. Ideo Clemangis & Polydorus Vergilius vetera quædam festa non ab abusibus repurganda, sed antiquanda esse, rectè censuerunt. Et vigent, imo grassantur magis, hodie abusus à viris illis doctis notati in festis vestris: tantum abest, ut *provida reformatione* sublati sint. Annon enim post Missam celebratam, & idolomaniam peractam, reliquum festorum tempus in pingui otio, procul ullis sacris studiis (nam per vacationem à servilibus operibus & auditionem Missæ festa satis coli, Valentia

lentia *disp.* 3. *q.* 19. dixit) imò etiam in bestialibus chorearum, comessationum, compotationum actibus ferè consumitur; & gravius piaculum censetur, si post sacra quis artificium suum exerceret ad honestè alendam familiam, quàm si in popinis & ganeis tempus miserè combureret. Non ignota loquimur.

Obiectiones Tridentinorum.

OBIECT. I. *In V.T. præter dies festos à Deo per Mosen institutos fuerunt alii à Judæis sponte constituti, puta dies Purim, Encænia in memoriam repurgati à Juda Machabæo Templi instituta, quorum etiam Joh. X. 22. mentio est. Ergo similes ob causas ecclesia festivas solennitates instituere potest.* Resp. 1. In ecclesia & cultu Dei constituendo legibus, non exemplis vivendum. 2. Non aliud hinc evinci potest, quàm certis diebus annuatim recurrentibus publicè & solenniter fieri posse commemorationem singularium Christi beneficiorum, modò absint abusus, opinio necessitatis mysterii & cultus, superstitio & idololatria. Certè quod Mardocheus & Esther Regina constituerunt, communi consensu factum esse, liquet ex Esther. IX. 25. 27. 31. Quod satis communem libertatem, non ullam necessitatem arguit.

Excip. Reding: 1. *In Ecclesia Dei sic legibus Dei vivitur, ut Ecclesiæ tamen Oecumenicæ exempla Divinarum legum justam ac religiosam applicationem ostendant.* 2. *Quod licuit Ecclesiæ Judaicæ, etiam Christianæ, per Apostolicam illimitatam potestatem, licet, quia congrua utrobique Divinorum mysteriorum recognitio obtinet. Huic Apostolicæ authoritati, capitali consensui (personalis enim non requiritur) refragari non libertas, sed licentia est.* Ibid. pag. 382. Resp. 1. An Ecclesia Judaica, festa Purim, Encœniorum &c. instituens, fuit *Oecumenica?* Quid isthoc monstri? Quas dein illa Divinas leges applicavit? Ostende. An uspiam lata Divina lex est, per quam liceat Ecclesiæ dies distinguere, sanctificare, hoc est, mysticam iis sanctitatem impertiri? 2. Illimitata potestas Apostolica Tibi Papæ authoritas audit. Nos eam apostaticam rectiùs dici arbitramur. Par ratio est *capitalis consensus*, qui non aliud est, quàm unius hominis, Papæ, libido, populo Christiano imperitans. Requiritur *personalis*, hoc est, Ecclesiæ totius, seu singulorum fidelium consensus. Quam igitur potestatem Ecclesia Judaica tota habuit, ea Christiana Ecclesia consentiens defraudari non debet. Atqui illa potestatem tempora ratione mysterii, sanctitatis distinguendi & sanctificandi non habuit. Nam festa Purim, Encœniorum &c. vel ad præcepta placitave politica, vel etiam ad licita vota (si spectes oblationem sacrificiorum) non ad præcepta cultum, mysterium constituentia, pertinuerunt. Ergo eandem potestatem Ecclesia Christiana non habet. Aliud denique est mysteria Divina congrua ratione recognoscere: aliud recognitionem illam tempori, ceu sanctiori, alligare.

OBIECT. II. *Si dies dominicus festus, Deo sacer & dicatus, ut sit perpetuum memoriale resurrectionis Christi hebdomadatim recurrens: quidni alii quoque dies festi Deo sacri, quibus aliarum quoque rerum memorabilium eventus annuatim recolantur, ab ecclesia institui poterunt?* Resp. 1. Dies Dominicus Apostolico exemplo sacratus est publico cultui, quia diem peculiarem ei destinari sanctificandi

nominis Divini ratio postulabat. Quòd igitur simul factus est resurrectionis Dominicæ memoriale, id verò factum est secundariò, & κατὰ συμβεβηκὸς, quia Christi resurrectio eo die contigerat. Festum autem propriè dictum multò minùs est, quàm in V. T. fuit Sabbathum, quod nunquam inter מועדים *festa* relatum videas. Confer. Deut. XVI. 3. 2. Christi beneficia, omniáque in Evangelio memoratu digna mysteria diligenter recoli debent. At ut id fiat speciali temporis anniversarii ad id deputatione, nulla necessitas postulat. Potest enim fieri, quoties sacri cœtus habentur.

EXCIP. REDING : *Ex Apostolico illo exemplo duo liquent, quòd nempe Apostolica authoritas valuerit tum ad determinationem diei, quo Divini nominis sanctificandi publicum cultum legis à Deo latæ ratio postulabat: tum ad determinandam memoriam resurrectionis Dominicæ. At quæ in Apostolis vigebat authoritas, etiamnum in Ecclesia obtinet. Sicut ergo resurrectionis Christi memoria speciali temporis anniversarii ad id deputatione solenniùs ex necessitate legis Ecclesiasticæ recoli debuit: ita aliorum etiam Christi beneficiorum & Sanctorum memoria festivè celebrari debuit.* Ibid pag. 382. 383. Resp. Apostolos Dominica die, sic dicta, quòd Dominus illa die septimanæ resurrexerit, convenisse ad cultum Divinum obeundum, largimur: at vel legem tulisse, ut eo die omnes convenirent: vel diem illum in festum propriè dictum convertisse, & aliis propter mysterium sanctiorem effecisse (non enim dies ipse Sanctus est, sed in die eo se homines in publica congregatione sanctificant) vel mysterium, sanctitatem singularem cuivis alii tempori appropriasse: vel festorum multitudinem exemplo suo sanxisse: vel denique festa in Sanctorum honorem instituta vel instituenda probasse, falsissimum equidem est. Quo ergo jure Ecclesia non Apostolica (nam Apostolicam authoritatem in Papa tuo continuatam esse, suave delirium vestrum est) hanc sibi authoritatem & potestatem vindicat? Si Apostolica authoritate statur, præter diem Dominicum aliud tempus ad solennem cultum non deputabitur; ac ne festa quidem anniversaria Christi obtinebunt. Nullum enim planè festum Christianum ab iis institutum, vel celebratum est. Liberæ tamen Ecclesiæ politiæ est, certo anni tempore convenire ad celebranda certa Dei beneficia, dummodo id fiat absque jugo & superstitione, quasi sanctius & μυστικώτερον sit hoc vel illo die beneficia commemorare; vel mysteriorum memoria certo externo ritu sit celebranda; vel minùs homines obligentur aliis diebus, quàm istis congregationibus adesse, & Deum ac beneficiorum ejus memoriam recolere.

OBIECT. III. *Paulus Act. XX. 16. innuit, sibi necessariò Pentecosten Hierosolymis celebrandam. Ergo illud aliáque ejusmodi festa ab Apostolis instituta, adeóque necessariò observanda sunt.* Resp. Paulus non innuit, necessario sibi Pentecostes festum celebrandum esse, sed festinandum tantùm sibi esse, ut die Pentecostes Hierosolymis præsens sit, non propter festi celebrationem utique, sed propter concursum Judæorum, ut occasionem & ansam eos convertendi haberet.

EXCIP. REDING : *Saltem hinc liquet, jam tum Apostolis in more fuisse Pentecosten Christian-*

stiano ritu celebrare. Ibid pag. 383. Resp. Nihil profectò minùs liquet. Vel micam rationis ex textu, si potes, prome. Festinabat Paulus versus Hierosolymas, ut interesset festivitati Pentecostes, *procul dubio Judæorum*, inquit Cajetanus; & circumstantiæ omnes id ostendunt.

OBIECT. IV. *Christus ipse sanctificavit dies illos, quibus natus, passus est, ascendit. Planè sicut nascens præsepe, moriens crucem, resurgens sepulchrum sanctificavit.* Resp. 1. Esto sanctificaverit dies, quibus natus, passus est, ascendit. At cùm illi transiverint, quid hoc ad anniversarios ejusmodi dies? Imò quid ad dies Nativitatis, Paschatis, quos constat non esse præcisè eosdem, quibus mysteria illa peracta sunt. 2. Mittimus illas de præsepi, cruce, sepulchro sanctificatis nugas. Eadem enim ratione dici posset etiam os Iudæ osculantis Christum, & ab eodem contactum, imò sceleratas quoque militum eum prensantium manus sanctificatas esse.

EXCIP. REDING: 1. *Sanctificatio illa, qua Christus affecit dies Nativitatis, passionis suæ &c. nonnisi fatuo Pseudo-Reformationis spiritui est umbra merè transiens: in piis verò mentibus religiosam mysteriorum exigit commemorationem, cui excitandæ & publico cultu venerandæ Ecclesia tempus determinare debet. Nimis ergo materialis spiritus tuus est, dum obtutum tuum in materialibus duntaxat illis diebus, quibus ea mysteria peracta sunt, defigis. 2. Sacrilegum Judæ os, & scelerata militum manus positivum posuerunt obicem sanctitati relativæ ex Christi contactu suscipiendæ. In cruce contra, præsepi, sepulchro Domini ex contactu Christi moraliter perseverat Memoriale in religiosis mentibus, excitans piam ex fide mysteriorum tantorum commemorationem; perinde ac festis diebus ad eadem mysteria recolenda determinatis competit sanctitas relativa per Apostolicam authoritatem moraliter impressa.* Ibid. pag. 383. Resp 1. Nondum tibi concessi, Christum tempus illud, quo natus, passus est &c. sanctificasse, sic videlicet, ut facto suo, ceu mandato quodam tempus illud ad cultum segregaverit, & quidem ita, ut tempori mysterium, sanctitas, efficacia, cultum ipsum Deo gratiorem, efficaciorem reddens, insit. Unde enim rei huic fidem facies? Sed *esto*, repeto. Annon transierunt illi dies? An *Deformatio* vestra hoc inficias iverit? Si ergo vim ullam ratio tua habet, demonstrandum vobis est, Christum instituisse, ut vel *idem* ille dies anniversarius, vel ejus loco *alius* anniversarius festivus habeatur. *Eundem* diem institutum esse, ne quidem asserere audes, quia ubique *materialem* diem (nescio tamen quam tempus *materiam* habeat, vel quam novi philosophi *materialis spiritus* in tempore, die demonstrare possit) removes. *Alium* verò à Christo institutum esse, nondum probasti. Imò contrarium non obscurè doces, ubique ad *Apostolicam authoritatem* in Ecclesia continuatam, hoc est, judicio tuo, Papalem provocans. Ubi ergo *sanctificatio* sive illa *moralis*, sive *physica*, sive externa, sive interna? Nam Ecclesia tempus nullum sanctificare potest, quia, solus Deus sanctitatis, mysterii cultus dominus est. Neque licet cuiquam hominum festum instituere, quia, uti Bellarminus ipse *de Eccl. Triumph lib III. cap.* 10. loquitur, *Ecclesia non præcipit actus internos.* Unde nulla lex esse potest de festo obligans propriè conscientiam, nisi lex servandi boni ordinis, & sanctificandi se Deo. 2. Quomodo os Judæ, manus militum, ori, corpori Christi positivum obicem posuerunt? Annon enim oris & corporis Christi contactum verè receperunt? Non ergo quicquid Christus contigit ob conta-

ctum eum ſanctificatum eſt. Sed non poſuerunt, innuis ita, obicem præſepe, crux, ſepulchrum. Imò nec poſuerunt, nec non poſuerunt, quia ponere, vel non ponere, non eſt materiæ & rerum corporalium. Privatio & habitus circa idem ſubjectum ſunt.

OBIECT. V. *Si feſtis diebus nulla relinquitur ſanctificatio, ſignificatio & myſterium, tollendi in univerſum omnes erunt.* Reſp. 1. Tolli debent abuſus & pravæ opiniones. Ipſe verò uſus libertati eccleſiæ relinquendus. 2. Cùm non dies ſeu tempus, quo myſteria illa recoluntur, ſed verbum Dei, quod illo tempore prædicatur & applicatur, nos de nativitate, paſſione, aſcenſione Chriſti admoneat, omnis ſignificatio illa & myſterium non tempori, ſed verbo Dei inerit. Non tamen propterea tempus ipſum prædicationi illi deſtinatum tolli neceſſariò debet. Ita non quia præceptor, non tempus, diſcipulum erudit, iccirco nullum tempus, nullæ horæ conſtitutæ eſſe debent, quibus præceptorem diſcipulus adeat.

EXCIP. REDING : 1. *Feſta ſub religioſis intentionibus ab Eccleſia inſtituta ita obligant ad ſanctificationem certorum temporum, ut hæc obligatio non auferat Eccleſiæ libertatem, ſed potiùs refractarios Eccleſiam non audientes Ethnicis & Publicanis accenſendos demonſtret. 2. Sicut verbo Dei ineſt ſanctificatio relativa in myſtica ſignificatione ſubſiſtens: ita in V. T. ex inſtitutione Divina extitit præceptum de ſanctificando Sabbatho, non quoad præcisam verbi Divini in eo prædicandi ſanctificationem, ſed quia ipſum tempus habuit Divinæ deputationis characterem, ſub quo juxta expreſſum Decalogi præceptum ſanctificandum fuit. Huic verò in N. T. ſubſtitutus eſt dies Dominicus. Ergo & ipſe, & alia feſta parem ſanctitatem relativam ſeu myſticam ſignificationem, non ex ſolo Dei verbo, quod eo die prædicatur ſed extra illud habent.* Ibid. pag. 384. Reſp. 1. Hominum irreligioſorum irreligioſa intentio eſt, ſanctificare tempora à Deo non ſanctificata: & Judaiſmi jugum eadem ratione Eccleſiæ imponitur, certiſſima cum libertate à Chriſto conceſſa clade. Et tantum abeſt, ut Publicani & Ethnici ſint, qui Eccleſiam ejuſmodi non audiunt, ut Ethnicorum potiùs & Judæorum Synagogæ nomen Eccleſia ejuſmodi jugum imponens, & tempora mutans, mereatur. 2. A Veteri Teſtamento ad Novum: à Sabbatho Judaico ad Chriſtianam Dominicam: à Dominica ad feſta quævis alia Papæ arbitrio Eccleſiæ impoſita: à verbi Divini, ex ore Dei prodeuntis ſanctitate, ad ſanctitatem temporis humano arbitrio definitam argumentari, eſt hominis omnia confundentis, & parum vel ſibi, vel veritati conſtantis. Ne quidem Sabbathi Judaici à Deo inſtituti ſanctificationem intelligis, quæ non in ſanctificatione temporis, qua tale conſtitit, ſed in eo potiùs, quòd ceſſarent homines ab opere ſuo, & ab omni labore. Quæ ceſſatio ſanctificatio illius diei dicitur, non quòd tempus ipſum ſanctum eſſet, ſed quòd in tempore eo ſic ceſſarent Domino Deo ſuo. Erat enim Sabbathum *ſignum* inter Deum & populum, *ad cognoſcendum*, inquit Deus, *quod ego Jehova ſanctificator veſter*, Exod. XXXI. 13. Nempe ſi ceſſarent ab opere illo fine, cum illa cogitatione & commemoratione, quòd ita crederent in Jehovam tanquam Deum ſuum, ut qui eos ſanctificet, & in ſanctificatione juſtificet, & in juſtificatione quietem ſit præbiturus, ea erat futura ſanctificatio iſtius diei. Unde perſpicuum erat, ſanctificationem Dei illam fuiſſe, non qua tempus propter myſterium ſanctum æſtimaretur, ſed qua Deus ut ſanctificans & juſtificans per Chriſtum veram quietem aliquando allaturum ſanctificaretur & glorificare-

caretur. Fuit ergo Sabbathum inter signa & umbras rei futuræ, nempe illius quietis, quam adhuc Israel debuit expectare, ad quam intrat omnis, qui credit Evangelio, Psal. XCV. 11. Hebr IV. 9 10. 11. Neque hoc sensu Sabbatho in N T. Dominica successit; utpote quæ sine tali mysterio & cultu liberè ab Ecclesia deputata est in tempus illud, quo publicè Deus colendus est. Cui extra cultum publicum in eo peragendum tribuere sanctitatem & mysterium, species quædam γοητείας & incantationis, non cultus Deo gratus est.

OBIECT. VI. *Patres quoque dies festos Sanctos, Sacros, Mysticos appellare solent.* Resp. Solent, at non ratione temporis, sed mysterii, quod in eo prædicatur: nec quòd eo tempore magis, quàm quolibet alio, efficaciùs mysteria illa doceri posse exstiment. Pontificii verò non contenti actione sancta, ob quam dies Sancti appellantur, ipsos per se sanctiores reliquis faciunt, adeò ut inter observantiam dierum Judaicam & Christianam modicum intersit. Unde Bellarminus asserit, *dies festos verè aliis sanctiores esse, nec sublatam in ecclesia Christi, sed mutatam esse significationem & discretionem dierum legalium.* Tale quid Patribus ne in mentem quidem unquam venit.

EXCIP. REDING: 1. *Fateris ergo, dies festos à Patribus dici sacros & mysticos non ratione temporis materialiter spectati, sed mysterii huic annexi & morali quodam, ad mysterium ejusmodi publico & solenni cultu recolendum ab Ecclesia constituta deputationis, charactere insigniti. Qui quidem character non restrictus est ad eam duntaxat moram, quo verbum Divinum prædicatur, sed extenditur ad universum diem: neque in auditione duntaxat verbi Dei consistit, sed in hujus religiosa exercitatione, sub reali officii ab Ecclesia præscripti & cessationis ab operibus servilibus exhibitione.* 2. *Licet mysterium in festis recolendum aliis diebus æquè efficaciter doceri possit; certa tamen dierum festorum deputationi sanctitas relativa inest, sub qua illi dies sanctificari debent, sanctificatione non intra eos subsistente, sed in ipsum Deum & Christum transeunte.* Ibid. pag. 384. Resp. 1. Quid fassus sim, verba mea ostendunt. Sed quæritur his, non quid ego fassus sim, non quid tu fateare, sed quid fassi sint Patres. Hos ergo tempori sanctitatem, mysterium tribuisse, & tempori *mysterium*, uti tu loqueris, *annexuisse*, tempori denique etiam, in quo mysterium non celebratur, commemoratur, adeóque ipsi servili ab operibus vacationi, eximium quid, cultum, sanctitatem vendicasse (quæ tua ἀιτήματα protrita jam sunt) probandum tibi fuerat. Circulatoris adinstar multa declamas, nihil probas. 2. Sic ergo tempori etiam extra mysteriorum commemorationem, sanctitatem quandam propriam, sed in Deum, Christum relatam, tribuis. Crassa nimis hæc sunt, indicia Antichristianæ Ecclesiæ quæ tempora mutare, & creaturis præter Creatorem servire debuit. Quomodo etiam Bellarminus *lib III. 6.* expressis verbis fassus est, *honorem festorum dierum immediatè & terminativè pertinere etiam ad Sanctos.* qui tamen etiam *cap.* o. dixerat *dies festos esse partem quandam Divini cultus.* Ergo partem quandam Divini cultus *immediate* & *terminativè* r. fertis ad Sanctos. Hæc verò crassissima idololatria est, cum qua nil S Patribus, crede Redingi, negotii fuit.

OBIECT. VII. *S. Clemens Constit. lib. VIII. cap. 39. vult, ut dies S. Stephani totius Martyrum purpurei exercitus ducis celebretur. S. Athanasius in Orat. de matre Dei testatur, Annuntiationem Virginis tanquam unum ex primariis festis celebrandum esse. No-*

ta sunt Martyrum memoria & panegyres. Cyprianus Epist. lib. IV. 5. singulis annis mortem & festa Martyrum celebrari monet. S. Gregorius Nicenus in Oratione S. Theodori, populum hujus Sancti festum celebrantem, ac templum turmatim, formicarum instar frequentantem, commendat. Resp. 1. Memoriæ Martyrum veteribus usitatæ nec festa propriè dicta, sed conventus ad sepulchra in Martyrum memoriam condita fuerunt, nec instituta etiam, ut Sanctorum, sed ut Dei virtus imploraretur: non ut ipsis, sed ut huic gratiæ agerentur. Honor ipsis tributus nihil aliud erat, quàm certaminis illorum commemoratio, & ad imitationem exstimulatio, uti Smyrnensis ecclesiæ Epistola apud Eusebium *Hist. Eccl. lib. IV.* ostendit. Eratque persecutionum tempore utile, ut hac ratione ad martyrium quilibet animarentur. Tractu temporis sensim in Festa Conventus illi verti cœperunt. Unde totidem Festivitates ortæ, multum juvante Constantino M. Erant tamen ejusmodi festa non universalia toti ecclesiæ, sed particularia iis ecclesiis & locis, in quibus Martyres passi fuerunt. 2. Clementis Constitutiones apocryphæ, & interpolatæ sunt, ipsis Adversariis judicibus. Neque potest fictitia illa de Festo S. Stephani constitutio cum observatione Socratis & Nicephori, negantium, Apostolos de festis quicquam constituisse, consistere. 3. Festum Annuntiationis à S. Athanasio commemoratum Christo, non Virgini dedicatum fuit. Etiam Oratio illa supposititia est. 4. Patrum Panegyrica in martyrum memoriam à S. Basilio, Ambrosio, aliisque ad Gentilium imitationem facta fuerunt, uti Cyrillus *contra Jul. lib. 6.* ostendit. A præconio Divorum Gentilium superstitionibus vanis ad verum Deum, institutis ejusmodi Martyrum præconiis, fideles converti solitos, constat exemplo Gregorii Neocæsariensis in vita ejus à Gregorio Nicæno descripta. Ejusmodi vero mediis hodie, ut homines Christo lucremur, haud indigemus.

EXCIP. REDING: *1. Sub tali conventu ad sepulchra Martyrum annon Dei cultus, Martyrúmque veneratio ex sincera religionis intentione peragebatur? At hac ipsissima festorum norma est 2. Clementis Constitutiones alibi defendimus. 3. Festum Annuntiationis B. Virginis respectu etiam ad Deiparam ipsam habito celebratum esse, ex Athanasii oratione liquet. 4. Gentiles ex lumine naturali ad falsos Divos applicato Panegyricos suos fundabant: nos ex lumine naturali, fidei infusa Divina luce sublimato, ad Deum & verè Sanctos applicato. 5. Bellarminus lib. III. 15. ex singulis seculis S. Patrum testimonia contexuit, ex quibus constat, festorum solennitates semper in usu fuisse.* Ibid. pag. 385. 386. Resp 1. Si qua Martyrum in eorundem memoriis veneratio olim obtinuit, illa certe religiosa eorundem invocatio, qualis hodie obtinet, non fuit, sed pia commemoratio & prædicatio virtutum eorum, patientiæ inprimis, & ad easdem παροξυσμός. Quid hoc ad festum propriè dictum, cujus essentiam in die anniversario & publico Ecclesiæ, feriatione ejusdem, lætitia singulari, peculiari cultu, significatione & repræsentatione mysteriorum, & hinc promanante sanctitate illius diei præ aliis, qui pars sit Divini cultus, & ratione mysterii celebrandus;

Bellar-

Bellarminus ipse constituit? Nunquam probatum dabis, in primitiva Ecclesia hoc modo Martyrum memorias exactas esse, ut & feriatio, seu cessatio à servilibus operis, & lætitia pancratica, & mysteriorum repræsentatio in iis locum habuerint, atque insuper tempus ipsum mystica sanctitate donatum in partem Divini cultus venerit. Accidit autem memoriis illis, quod Gedeonis Ephod accidisse legimus, quod à Gedeone bono animo consecratum, deinceps horrendæ idololatriæ occasio extitit. Nec certè festiva feriatio ad meditationem & imitationem virtutum Martyrum multum confert, sed ad idololatriam potiùs, otium, crapulam, grassationes, & similia illex est, uti fusiùs *Myster. Babyl. Dissert. XIV.* 12.13. demonstravimus. 2. Nec Clementis Constitutiones defendisti, nec defendere potes. νοθείαν nimiùm nostri propalarunt. 3. Quid veteres in festo Annuntiationis Deiparæ egerint, Athanasii (vel potiùs, uti ipse Baronius *Not. ad. Martyrol. R.p* 200 ariolatur, Cyrilli, Athanasio recentioris) relatio ostendit. Ait enim, *in eo de Filii à Cælis descensu agi*, non aliud. Nihil de veneratione religiosa Deiparæ. Neque id Eccius vestras dissimulavit, cujus *tomo* 3. *Homil* 6. hæc verba sunt: *Quamvis hoc festum applicationem habeat à Virgine Maria sumptam, tamen peculiariter festum totius naturæ Christi humanæ continet. Verbum enim Dei Patris æternum hodie caro factum est, & humana ejus natura supra omnes exaltata est choros Angelorum, dum in unitate personæ unita est Filio Dei.* Proin in veteribus etiam Legendis & Sermonibus de hoc festo non *Annuntiationis Mariæ*, sed *Dominicæ* nomine venit. Denique & nuper Hartus vester contra Rainoldum *Colloq. p.* 278. asseveravit, festum Annunciationis & Purificationis non *Dominæ nostræ* (Mariæ) sed *Christi proprium* esse. 4. Festa in honorem Dei vel Divorum sub ratione mysterii agitanda esse, nec Gentilibus naturæ lumen, nec vobis idem illud naturæ lumen *fidei infusæ Divinæ luce sublimatum*, sed superstitio æquè utrisque dictavit. Nec enim naturalis ratio, nec Divina revelatio eam in rem vobis suppetit. 5. Bellarmini ex prioribus seculis testimonia Polyhistor noster Hospinianus *de Orig Fest. Christ. cap* 4 ad partes vocavit, ad quem te remitto. Quæ ex ipso corrasisti testimonia, vel apocrypha, vel ἀπροσδιόνυσα omnia sunt, quia temporis sanctitate mystica, & Sanctorum religioso cultu in iis exercendo ne hiscunt quidem. Theodoretus *lib. VIII de Martyr.* testis est, libuisse veteribus festa Judæorum & Ethnicorum cum Christianis commutare, *quia*, inquit, *in Tertull. lib. de Cor. Mil.* B. Rhenanus, *opus fuit olim multa indulgere Christianis, quòd senes plerumque ad nostram religionem conversi sint, ut receptam consuetudinem abjicerent.*



BUL-



BULLA PII IV.

Super Confirmatione Oecumenici Generalis Concilii Tridentini.

Pius Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui respicere dignatus Ecclesiam suam sanctam, tot procellis & tempestatibus agitatam atque vexatam, & graviùs indies laborantem, apto tandem ei subvenit optatóque remedio. Ad plurimas & perniciosissimas hæreses exstirpandas, ad corrigendos mores, & restituendam Ecclesiasticam disciplinam, ad pacem & concordiam Christiani populi procurandam, indictum jam pridem in Civitate Tridentina Oecumenicum & generale Concilium à piæ memoriæ Paulo III. prædecessore nostro, & sessionibus aliquot habitis cœptum fuerat, ab ejus autem successore Julio in eandem urbem revocatum, post alias sessiones celebratas, variis impedimentis & difficultatibus objectis, ne tum quidem peragi potuerat, itaque diutiùs intermissum fuerat, non sine maximo mœrore piorum omnium, cùm quotidie magis Ecclesia ejusmodi remedium imploraret. Nos autem post susceptum Sedis Apostolicæ regimen, tam necessarium, ac salutare opus, sicut pastoralis solicitudo monebat, divinæ misericordiæ fiducia perficere aggressi, adjuti pio studio charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Romanorum Imperatoris electi, & aliorum Christianorum Regum, Rerumpublicarum, ac Principum, tandem consecuti sumus, quod nec diurnis, nec nocturnis curis elaborare destitimus, quodque à Patre luminum assiduè precati sumus. Cùm enim eam in urbem undique ex Christiani nominis nationibus convenisset, nostris convocata literis, & sua etiam ipsorum pietate excitata, Episcoporum, & aliorum insignium Prælatorum maxima & Oecumenico Concilio digna frequen-

quentia, præter plurimos alios pios, & sacrarum literarum scientia, divinique & humani juris cognitione præstantes viros, præsidentibus ipsi Synodo sedis Apostolicæ legatis, nobis adeò Concilii libertati faventibus, ut etiam de rebus sedi Apostolicæ propriè reservatis liberum ipsi Concilio arbitrium per literas ad Legatos nostros scriptas, ultrò permiserimus, quæ de Sacramentis & aliis rebus, quæ quidem necessariæ visæ sint, tractanda, definienda & statuenda restabant, ad confutandas hæreses, ad tollendos abusus & emendandos mores, à S.S. Synodo summa libertate, diligentiáque tractata, & accuratè ac maturè admodum definita, explicata, statuta sunt. Quibus rebus perfectis, Concilium tanta omnium, qui illi interfuerunt, concordia peractum fuit, ut consensum eum planè à Domino effectum fuisse constiterit. Idque in nostris atque omnium oculis valde mirabile fuerit. Pro quo tam singulari Dei munere supplicationes statim in alma hac Urbe indiximus, quæ magna cleri & populi pietate celebratæ fuerunt, laudésque & gratias divinæ majestati meritò persolvendas curavimus: cùm ejusmodi Concilii exitus spem magnam & propè certam attulerit, fore, ut majores indies fructus ad Ecclesiam ex ipsius decretis constitutionibúsque perveniant. Cùm autem ipsa, sancta Synodus, pro sua erga sedem Apostolicam reverentia, antiquorum etiam Conciliorum vestigiis inhærens, decretorum suorum omnium, quæ nostro, & prædecessorum nostrorum tempore facta sunt, confirmationem à nobis petierit, decreto de ea re in pública Sessione facto: Nos ex Legatorum literis priùs, deinde post reditum eorum, ex iis, quæ Synodi nomine diligenter retulerunt, postulatione ipsius Synodi cognita, habita super hac re cum Venerabilibus fratribus nostris, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, deliberatione matura, sanctíque Spiritûs inprimis auxilio invocato, cùm ea decreta omnia Catholica & populo Christiano utilia ac salutaria esse cognovissemus, ad Dei omnipotentis laudem, de eorundem fratrum nostrorum consilio, & assensu in consistorio nostro secreto, illa omnia & singula auctoritate Apostolica hodie confirmavimus, & ab omnibus Christi fidelibus suscipienda ac servanda esse decrevimus; sicut harum quoque literarum tenore, ad clariorem omnium notitiam confirmamus, & suscipi observarique decernimus. Mandamus autem in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis à sacris Canonibus con-

constitutis, aliisque gravioribus, etiam privationis, arbitrio nostro infligendis, universis & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis & aliis quibusvis Ecclesiarum Prælatis, cujuscunque statûs, gradûs, Ordinis & dignitatis sint, etiamsi Cardinalatus honore præfulgeant, ut eadem decreta & statuta in Ecclesiis suis, Civitatibus & diœcesibus, in judicio & extra judicium diligenter observent, & à subditis quisque suis, ad quos quomodolibet pertinent, inviolabiliter faciant observari: Contradictores quoslibet & contumaces, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas etiam in ipsis decretis contentas, appellatione postposita, compescendo: Invocato etiam, si opus fuerit, brachii secularis auxilio. Ipsum charissimum filium nostrum Imperatorem electum, cæterósque Reges, Respublicas, ac Principes Christianos monemus, & per viscera misericordiæ Domini nostri Jesu Christi obtestamur, ut qua pietate Concilio per oratores suos affuerunt, eadem pietate, ac pari studio, Divini honoris & populorum suorum salutis causa, pro Sedis quoque Apostolicæ & Sacræ Synodi reverentia, ad ejusdem Concilii exequenda & observanda decreta, Prælatis, cùm opus fuerit, auxilio & favore suo adsint, neque adversantes sanæ ac salutari Concilii doctrinæ opiniones à populis ditionis suæ recipi permittant, sed eas penitus interdicant. Ad vitandum præterea perversionem, & confusionem, quæ oriri posset, si unicuique liceret, prout ei liberet, in decreta Concilii commentarios & interpretationes suas edere, Apostolica authoritate inhibemus omnibus, tam Ecclesiasticis personis, cujuscunque sint ordinis, conditionis & gradûs, quàm Laicis, quocunque honore, ac potestate præditis; Prælatis quidem sub interdicti ingressûs Ecclesiæ, aliis verò, quicunque fuerint, sub excommunicationis latæ sententiæ pœnis, ne quis sine authoritate nostra audeat ullos commentarios, glossas, annotationes, scholia, ullúmve omnino interpretationis genus super ipsius Concilii decretis, quocunque modo edere, aut quidquam quocunque nomine, etiam sub prætextu majoris decretorum corroborationis, aut executionis, alióve quæsito colore, statuere. Si cui verò in eo aliquid obscuriùs dictum & statutum fuisse, eámque ob causam interpretatione aut decisione aliqua egere, visum fuerit, ascendat ad locum, quem Dominus elegit, ad sedem videlicet Apostolicam, omnium fidelium magistram,

gistram, cujus authoritatem etiam ipsa Sancta Synodus reverenter agnovit. Nos enim difficultates & controversias, quæ ex iis decretis ortæ fuerint, nobis declarandas & decidendas, quemadmodum ipsa quoque sancta Synodus decrevit, reservamus, parati, sicut ea de nobis meritò confisa est, omnium provinciarum necessitatibus ea ratione, quæ commodior nobis visa fuerit, providere: Decernentes nihilominus irritum & inane, si secùs super his à quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Ut hæc autem ad omnium notitiam perveniant, neve quis excusatione ignorationis uti possit: Volumus & mandamus, ut hæ literæ per aliquos Curiæ nostræ Cursores in Basilica Vaticana Principis Apostolorum, & in Ecclesia Lateranensi, tunc cùm in eis populus, ut missarum solemnibus intersit, congregari solet, palàm & clara voce recitentur, & postquam recitatæ fuerint, ad valvas earum Ecclesiarum, itémque Cancellariæ Apostolicæ, & in loco solito campi Floræ affigantur, ibique, ut legi & omnibus innotescere possint, aliquantisper relinquantur. Cùm autem inde amovebuntur, relictis de more ibidem exemplis, in alma Urbe ad impressionem tradantur, quò commodiùs per Christiani nominis provincias & regna divulgari possint. Transsumptis quoque earum, quæ manu alicujus publici notarii scripta, subscriptáve, & sigillo ac subscriptione alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munita fuerint, fidem sine ulla dubitatione haberi, mandamus atque decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ confirmationis, monitionis, inhibitionis, reservationis, voluntatis, mandatorum & decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ, apud sanctum Petrum; Anno incarnatinonis Dominicæ Millesimo quingentesimo sexagesimo tertio. Septimo kalend. Februarii, Pontificatûs nostri anno quinto.

HISTORIA CONFIRMATIONIS CONCILII.

POstrema Sessione recitatis Concilii decretis, Secretarius in medium procedens rogavit: *Anne placeret Patribus, ut Synodi nomine per Legatos & Præsidentes omnium, quæ sub Paulo III. Julio III. & Pio IV. decreta sunt, confirmatio à R. Pontifice petatur?* Responsum est non sigillatim per suffragia, sed confusè & promiscuè una voce: *Placet.* Factum id die 24. Decembris A. 1563. Paulò post ante Nativitatis festum Legati Moronus, & Simoneta Romam redierunt, actumque tum strenuè fuit de confirmatione Concilii petenda & concedenda. Papæ, ac inprimis Curiæ Ministris ei obstrepentibus ingens oborta est anxietas, expendentibus cum animo suo, Reformationis decreta, si à Pontifice confirmentur, non exiguo Curiæ damno cessura. Ad animum sibi revocabant, *decreta verbis generalibus & absque clausulis concepta subtilem interpretationem admittere. Difficultate igitur oborta mundum assuetum jam oblatrare, sensum curiæ commodis perniciosum iis proculdubio affictum: Idque tanquam rem speciosam & reformationis titulo velatam cupidè ab omnibus acceptum iri.* Accedere supplices & memoriales libelli Pontifici oblati ab iis, qui officia mercati, & damnum hoc prævidentes compensationem petebant. Pontifex de efficaci remedio solicitus, an, & quomodo Concilium confirmandum, & quod remedium obortis querelis opponendum esset, Cardinales in consilium misit. Suaserunt nonnulli, decreta *Fidei* ilico confirmaret, in reliquis verò cum mora & maturitate quadam procederet. Quædam enim *Reformationis* capita ob exiguam utilitatem, magnámque, quam paritura essent, confusionem, consideratu digna esse: alia propter impossibilitatem & summam difficultatem crebras dispensationes flagitare, quas & indecoras futuras, & sinistris sermonibus ansam præbituras. Deliberandum etiam de modo executionis, providendúmque, ne cuiquam reformatio damnum aut præjudicium afferat. Consilio huic audiens Papa, octo Cardinales delegit, iisque, ut decreta recognoscerent, injunxit. Eorum major pars eo inclinavit, *moderanda priùs quàm confirmanda esse decreta: nonnulla etiam emendanda & abroganda, ut ita omnibus constet, non Papam à Concilio, sed potiùs Concilium à Papa leges accipere oportere.* Sed Papa tum sua sponte, tum à Morono & Simoneta inductus, ad confirmationem propensiore animo fuit. Octo igitur Cardinalibus adjungit Cardinales Aburdisserium & Amulium, præcipuosque Officiales Cameræ, Cancellariæ & Rotæ. Ex horum censu quatuor Cardinales censebant, *Concilium absolutè confirmandum esse.* Et eam in rem argutè Cardinalis Amulius disse-

differuit, absolutam Confirmationem Concilii urgens hoc argumento, *quòd futurum sit, ut Concilii decreta tanquam imperfecta traducantur, & per Concilia vel Nationalia vel Generale aliud statim alia provisio in publicum prodeat, si mox, ut finitum est Concilium, de illo emendando agatur, aut etiam non confirmatum, quasi in ancipiti hæreat. Approbatis verò Concilii decretis, tanquam reformatione quadam perfecta, authoritatem ei constituram apud omnes, creditúmque iri, à Concilio reformationem quandam factam, perfectam & necessariam institutam esse. Interea dispensationum beneficio Papam ministris suis providere posse, sine ulla violatione decretorum Concilii, utpote quæ edita sint salva in omnibus Apostolica authoritate. Quin & decreta ipsa clypei instar futura ad propulsandas importunas eorum petitiones, quos gratiæ indignos judicabit, atque ita res, temporis progressu sensim sine sensu pristinum in statum redituras.* Conclusit, *moderationem minimam, vel emendationem suscipere, vel moram confirmandis interponere, non aliud esse quàm mortiferam plagam omnibus infligere.* Curiæ Officialibus damna metuentibus, multùmque refragantibus, etiam Hugo Boncampagnus, Episcopus Vestanus, ei sententiæ, quæ absolutam confirmationem suasit, accessit, simúlque qua via omnibus incommodis occurri possit, Pontificem monuit, nempe *si Pontifex statuat & edicat, ne glossarum & interpretationum Concilii ullus sit locus; imo ne judicibus quidem Decretorum expositio permittatur, sed vel Sanctæ Sedi, vel certè Congregationi Cardinalium ad interpretanda Synodi decreta à Pontifice constituendæ reservetur. Ita fore, ut nemini Concilio in Curiæ præjudicium uti liceat, illúdque usu & declarationibus idoneis accommodetur ad id, quod ex ecclesiæ utilitate futurum sit: imò non tantùm authoritas Sedis Apostolicæ, & jura ac prærogativæ ecclesiæ non imminuantur, sed etiam majorem in modum augeantur & amplificentur.* Placuit Pontifici & Cardinalis Amulii, & Episcopi Vestani, qui consilio fido Cardinalitium galerum meruit, sententia, in quam proin manibus pedibúsque ivit. Die 26. Januarii An. 1564. Moronus & Simoneta in Consistorio Pontificem nomine Concilii, ut ejus decreta confirmare dignetur, solenniter orant. Pontifex Cardinalium suffragia rogat, qui exceptis duobus, sc. Clemente & Alexandrino Cardinalibus, omnes confirmandum esse consentiunt. Quod ipsum mox Bullâ eodem die edita, & promulgata, ac a Cardinalibus subscripta præstitit. postremò etiam Legatis, Cicadæ item Bononiensi & Vitellio Cardinalibus, ut earum rerum, quæ ad Concilii confirmationem & executionem pertinent, curam suscipiant, negotium dedit.

NOTÆ

Ad Hiſtoriam confirmationis Concilii, & Bullam Pii IV.

PRimò & Synodus confirmationem decretorum omnium Concilii ſub Paulo III. Julio III. & Pio IV. conditorum, per Moronum & Simonetam petiit: & poſt longam deliberationem Papa eam editâ Bullâ promptè præſtitit. Eſt & hoc inter argumenta ſervientis Concilii. Etenim decreta illa à Papa confirmari petierunt Patres, & ipſe adeò confirmavit vel nudo *aſſenſu*, vel *edicto*. Si prius, hoc ipſi commune cum omnibus Epiſcopis, qui in Concilio acclamabant, *Placet*, fuiſſet. Quomodo olim omnes Epiſcopi aſſenſu ſuo Concilia firmabant. Quibus proinde & τὸ ἐπιψηφίζειν & τὸ ἐπικυροῦν paſſim tribuitur. Si poſterius, uti ſanè factum ex ipſo Bullato edicto liquet, dictaturam igitur in Concilium Papa exercuit. Imò ipſum Concilium ſupervacaneum fuit, vel certè Præſules nonniſi ad ornandam ſcenam vocati ſunt. Potuit enim Papa vel ex tripode oracula fundere, vel advocatis Theologis, & auditis eorum ſententiis, quam libuiſſet, ſimpliciter deligere & confirmare. Et ſanè Præſulum ſuffragia vel fuerunt à Spiritu S. & deciſiva, vel non. Si *poſterius*, non major uſus fuit Generalis Concilii, quàm conſultationis cujuslibet, & fruſtra Spiritus S. præſentiam & directionem Synodus jactavit. Neque Præſulum aliæ partes fuiſſent, quàm cognoſcentium & conſultantium, ſolius Papæ pronuntiantis. Quod ipſum totius Concilii eſſentiam tolleret. Si *prius*, decreta deciſiva & à Spiritu S. manantia confirmatione omninò nulla indiguerunt. Addo confirmationem illam cum arrogata Concilio infallibilitate pugnare. Si enim infallibilia fuerunt Concilii decreta, confirmatione Pontificis opus non habuerunt. Neque ſanè confirmatio Concilium reddere infallibile potuit, utpote quæ Concilio poſterior, eique acceſſoria fuit. Perinde hoc eſſet, ac ſi quis diceret, hominem mortuum mentiri non poſſe. Denique ex univerſa Antiquitate edictum ejuſmodi bullatum, quale Pii IV. fuit, depromi nequit. Imperatoribus potiùs Conciliorum confirmatio, ſeu potiùs obligatio obſequii in foro, non conſcientiæ, ſed externo ad conſervationem pacis & tranquillitatis publicæ competebat. Ita Conſtantinus M. Nicenum Concilium ἐκράτυνε νόμῳ *lege confirmavit*, apud Theodoretum *Hiſt. Eccl. lib.. II. 4.* Concilium Conſtantinopolitanum I. Theodoſium rogavit, ut τῶν δοξάντων ἐπισφραγίσῃ τὸ τέλος *decretorum finem ſigillo ſuo muniat.* Solebant omnino Principes Synodorum acta ἐπικυροῦν, ἐπισφραγίζειν, βεβαιοῦν, *roborare,*

ſigillo

figillo munire, confirmare. Has quoque partes posteriorum temporum Pontifices sibi non pretio, sed vi rapuerunt,& quam illi confirmationem ad exterius forum, hi ad conscientiæ tribunal, perinde ac si conscientia hominum decretis Synodi ob solam Pontificum confirmationem obligaretur, iniquè traxerunt. Non defuerunt tamen in Tridentino Concilio tres Episcopi, qui resisterent, contradicerèntque,ne confirmatio à Pontifice peteretur, quia Concilium per se sufficeret ad decreta authoritate impertienda, ut est in Actis Antuerpiæ à Silvio excusis, sed à Binio, Caranza, aliisque omissum. Quid quòd Concilium ipsum in decreto suspensionis Sess.XVI. non interveniente Pontificis authoritate omnes Christianos Principes & Præsules exhortatur, ut *quatenus ad eos spectat, faciant observari in suis regnis dominiis & Ecclesiis omnia & singula, quæ per hoc sacrum Oecumenicum Concilium fuerunt hactenus statuta & decreta.* Cujus ausi quæsitissimus fuit apud Romanam curiam sensus, Nuntiisque duobus Apostolicis pro magno imputatum,quòd quæ in Synodo adhuc definita essent, rata esse sine Pontificis authoritate interveniente jussissent. Factum tamen est, & facto color aliquis evanidus Romæ inductus est,uti superiùs *Tom. I.p.* 1075. ostendimus. Meritò igitur in postrema etiam Sessione,ubi de petenda Confirmatione actum, Archiepiscopus Granatensis monuit, si nunc à Pontifice confirmatio petatur, damnatum iri eos Patres, qui Sess. XVI. judicârunt, decreta Concilii exequenda esse sine ulla confirmatione. Nihil jam dicam de modo petendæ confirmationis, qui eadem congregatione decretus est, nimirum *ut Concilium confirmationem peteret, & non expectato responso dimitteretur,* quod plerique monebant aucturum suspicionem, *Papam & Concilium ex compacto agere.* Sed ut sententia illa vinceret, Cardinalis Lotharingi artibus effectum est. *Secundò,*Pontificis cum Cardinalibus Curiæque Ministris de confirmando Concilio instituta deliberatio notabilis est. Ei ansam præbuére gnathonum Papæ de Reformatione in Concilio instituta, & commodis Romanæ Curiæ noxia graves querelæ. Commoda igitur sua ante salutem & utilitatem ecclesiæ habuisse eos, satis etiam inde constat. Causantur, Reformationis decreta, *generalibus verbis & absque clausulis concepta, subtilem interpretationem admittere.* Testes igitur illi ipsi sunt fraudis Concilii, decretorum cothurnis orbi Christiano illudentis. In ancipiti & sacrum inter ac saxum hærentibus Papæ & gnathonibus ejus callidis,Cardinalis Amulius & Episcopus Vestanus subveniunt. Suadet Amulius absolutam confirmationem, *ut ita opinio omnium & fama alatur,Concilium sanctum & perfectam Reformationem adornâsse.* Nempe sicut opinionibus mundus, & famâ belligerantes reguntur & crescunt; ita Concilii authoritati *famam, opinionem* alas daturam confisus est, certus de cætero, exiguam vel nullam in Concilio reformationem & gravissimorum abu-

abusuum emendationem factam esse. Videri Concilium perfectum, quàm esse maluerunt. Ne verò Pontifici vel Curiæ Reformatio noxia esse possit, idem Amulius Papæ suggerit dispensationum facultatem, eidémque in memoriam revocat tutissimum illud asylum, quòd videlicet Concilii decreta facta sint *salva ubique authoritate sedis Apostolicæ.* Proinde dispensationibus apertam januam à Concilio relictam esse, neque adeò metuenda esse decreta, quæ sive Pontifici sive Curiæ noxia videri possent. Ita igitur omnium decretorum illorum vim in unius Papæ arbitrio sitam fuisse apparet. Addit Amulius, *decreta clypei instar futura ad repellendos gratiâ Pontificis indignos.* Gladio igitur Decreta similia fuerunt, obtuso, qua parte Pontifici obesse, acuto, qua prodesse potuerunt. Concludit Amulius, futurum hac ratione, *ut res temporis progressu sensim sine sensu in pristinum statum redeant.* En decretorum Concilii, imò, si credere fas est, ipsius Spiritus Sancti, robur! En fraudem illorum, quorum erat tueri Concilium! En seriæ reformationis studium! Jam & Episcopus Vestanus vafro consilio rationem Pontifici suggessit, qua decretorum Concilii vel Sedi & Curiæ Romanæ noxias, vel sinistras aliorum interpretationes efficaciter eluderet, nimirum *si vel soli, vel Cardinalium congregationi ad id deligendæ interpretationem decretorum Concilii reservet, reliquis verò omnibus, etiam judicibus, eam graviter interdicat.* Quod quidem consilium, universa totius Concilii decreta unius hominis libidini mancipans, avidè Papa, uti ex ipsa Bulla constat, arripuit. *Tertiò,* ipsa quoque Pii IV. Bulla Confirmationis animadversionem meretur. Non dicam, nullum ei jus competiisse confirmandi bullato ejusmodi edicto Concilium, quod Oecumenicum haberi voluit, frustráque & falsò jactare Bullam, *quòd Synodus antiquorum Conciliorum vestigiis inhærens, decretorum suorum confirmationem petierit,* ut ex iis, quæ supra diximus, cognosci potest. Alia etiam ei insunt mali commatis. Veluti quòd impudenter gloriatur Pius, *se adeò libertati Concilii favisse, ut etiam de rebus Sedi Apostolicæ propriè reservatis liberum ipsi Concilio arbitrium per literas ad Legatos scriptas ultro permiserit.* Subjicitque, *Concilium tanta omnium, qui illi interfuerunt, concordia peractum esse, ut consensum eum planè à Domino effectum fuisse constiterit.* Quibus omnibus, utpote inverecundè & thrasonicè dictis, quam nulla fides constare debeat, abundè ex Historia Sessionum sub Pio hoc habitarum, Notisque ei adjunctis constat. Hoc solum monere juvabit, Pontificem Episcopi Vestani consilio obsequentem, *ad vitandam,* uti Bulla præfert, *perversionem & confusionem, quæ oriri posset, si unicuique liceret, prout ei liberet in decreta Concilii Commentarios & interpretationes suas edere,* Apostolica authoritate, & sub excommunicationis latæ sententiæ pœnis edicere omnibus, *ne quis sine authoritate Pontificia audeat ullos commentarios, annotationes, Scholia, ullúmve interpretationis genus super Concilii decretis quocunque modo edere, aut quidquam quocunque nomine*

mine, etiam sub prætextu majoris decretorum corroborationis, aut executionis, aliòve quæsito colore statuere. Si verò in eis aliquid obscurius dictum & statutum sit, eámque ob causam interpretatione aut decisione egeat, *ascendat*, inquit, *ad locum, quem Dominus elegit, ad sedem Apostolicam, omnium fidelium magistram &c.* Quàm iniqua sit hæc Lex, æqui rerum arbitri judicent. Pleraque Concilii decreta tum fidem tum Reformationem concernentia esse generalia, obscura & ambigua, procedente tractatione nostra demonstravimus. Agnoverunt ipsi in Concilio Patres. Quin & ante hanc Bullam de sensu quorundam fidei capitum inter Theologos, veluti Vegam & Soto publicis scriptis certatum est. Fassi denique sunt in postrema de confirmando Concilio deliberatione Cardinales, *decretorum verba esse generalia, absque clausulis, parca, satis circumspecta &c.* Quam verò expediendarum difficultatum viam demonstrat Papa? An cujusquam judicio permittit sensus genuini intelligentiam? Neutiquam. An viros pios & doctos in consilium adhiberi suadet? Ne hoc quidem. Imò eorum commentarios, glossas, declarationes coercet, & gravibus pœnis propositis prohibet. Quid ergo? *Ad locum*, inquit, *quem Dominus elegit, ad sedem Apostolicam, omnium fidelium magistram ascendat.* Tam facilis, tam expedita via eruendi genuinum decretorum Concilii sensum panditur! Ita igitur Scripturæ sensum ex interpretatione Concilii, at interpretationem Concilii nonnisi ex Pontificis ore vel pectoris scrinio ab iis, qui ad Sedem Apostolicam ascendunt, pervestigare datur. Exploratum enim est Papæ omniscio, quem verborum sensum Patres, de industria λοξεύοντες, in cordis sui intimis cubilibus abstruserint. Et quid si declaratio Pontificis vel Congregationis Cardinalium ipsa quoque obscuritate laboret? Denuo utique revertendum ad Sedem Apostolicam fuerit, atque sic in infinitum. Quid quæso fide Papistica perplexius, quid intricatius? Quam adeò anceps labyrinthus, circumflexus error, cæca fides, & desperatio assequendæ veritatis agit & exercet! Sed quid multis? Placuit Pontifici totum orbem à suo nutu suspendere, & Concilii ipsius τὰ κεκρ(ι)μένα δόγματα suæ unius libidini devovere. Hac demum ratione ipsi licuit esse securo, & frui tacito suavique sensu Epinicii illius decantati: *Sedeo Regina, & vidua non ero, & luctum haud videbo!*



AD BULLAM
PAPÆ PII IV.
Super Confirmatione Concilii Tridentini,
QUÆSTIO UNICA.
An Decreta Concilii Tridentini, tanquam Catholica, & Populo Christiano utilia ac salutaria, ab omnibus Christi fidelibus devotè suscipienda ac servanda sint?

AFfirmat & jubet Pius IV. in Bulla *super Confirmatione Concilii*. Protestantes intrepidè negant. Prima illis ac summa ratio est, quia decreta Concilii, saltem ea, quorum hactenus elenchum dedimus, ad infallibilem verbi Divini normam haud exacta fuerunt. Id confido per Dei gratiam abundè jam demonstratum, Altera, nec minùs contemnenda ratio est, quia Tridentinum Concilium non habuit dotes veri, legitimi, Christiani Concilii, multásque adeò ob causas vehementer improbari debet. Etenim

ARG. I. Et convocatum & directum fuit à Romano Pontifice. Id autem iniquum fuisse liquet, tum quia jus convocandi Concilium, & in eo præsidendi Pontifici R. haud competere, *pag* 21.22. &c. fusè demonstravimus: tum quia si maximè jus aliquod ejusmodi Pontifici convenisset, eo ob negligentiam in convocando pio & legitimo Concilio, & præfractam longámque contumaciam, de qua fusè in Notis ad Bullam Pauli III. alibiq; egimus, excidisset, juxta sententiam ipsius etiam juris Pontificii, quo in tali casu potestas convocandi Concilium ad Imperatorem devolvitur: tum quia Papa ejúsque asseclæ & accusati pridem & convicti fuerunt apostasiæ, idololatriæ, Simoniæ, gravissimorum abusuum, qui proinde potestatem convocandi & moderandi Christianum Concilium minimè habuerunt, cum idem Præses, judex, actor & reus esse nullo jure possit.

RESP. REDING: I. *Quæ de negligentia Pontificum in convocando Concilio, nec non de apo-*

apostasia, idololatria, Simonia eorundum habes, falsissimas criminationes: & quæ supponis à te jam probata, quòd Papæ jus convocandi Concilium haud competat, inanissimam jactantiam redolent. Jus illud Concilia convocandi, dirigendi & confirmandi Ecclesiæ R. Pontifici competens & Divinitus constitutum ex nulla negligentia vel scelere Papæ, quandiu authoritatis Christi vicariæ characterem tenet, tolli potest. Si tamen à vera fide, Catholicæ Ecclesiæ essentiali forma, deficeret, atque sic Ecclesiæ membrum esse desineret, & vicariam authoritatem amitteret; eámque sibi pertinaciter arrogare non desineret; ex legitima defensione jure cuivis Ecclesiæ membro, Episcopis præsertim, nec non Imperatori advocato, cunctisque Christianis baptizatis jus esset providere de Concilii convocatione, in quo legitimus Petri successor subrogetur, in quo par jus Divinum ad Ecclesiam Vicaria Christi authoritas redeat. Id verò ad Concilii Tridentini convocationem necessarium non fuit. Tomo V. Tract. Epilog. pag 455.
Resp. 1. Nec criminationem, nec inanem jactantiam sermo meus sapit. Rem ipsam authorem dedi. Cessent ergo inania verba. Etiam Joh. Launojus vestras, Sorbonæ doctor percelebris, non ita pridem *Epist. Tomo VI.* Papæ eximium esse jus convocandi Concilia, pernegavit, & Bellarmini strophas omnes solidissimè discussit. Cum eo, si potes, transige. Inter alia tribus principiis utitur. *Primum* est fidei Tridentinæ formula, quæ jubet Scripturam S. juxta eum sensum, quem tenuit & tenet S. mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum, admittere, nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum interpretari. At nullus, inquit, est Scripturæ S. locus, qui juxta unanimem consensum Patrum acceptus Synodorum generalium convocationem uni Papæ attribuat. Imò contrarium ex omnium generalium Conciliorum historia *Epist.* 1. 2. 3. *&c.* apertè demonstrat. Cujus etiam evidentes demonstrationes ab exceptionibus Natalis Alexandri Parisiensis solidissimè Celeb. Reiserus in *Launoji Anti-Bellarm. p.* 511. *&c.* vindicavit. *Secundum* est Sedis Apostolicæ Legatorum apud Synodum Tridentinam interlocutio, qua, ne Synodi actis formula, *Sacro-sancta Synodus Tridentina universalem Ecclesiam repræsentans,* inferretur, obstiterunt eam ob causam, quia formula hæc nec in Sacris Canonibus, nec in Conciliis veteribus habeatur, narrantibus unanimiter Suavi & Pallavicino. Atqui, inquit Launojus, nec Canones sacri, nec Concilia veterum uni Romano Pontifici Conciliorum indictionem vindicant. Nullus enim eam in rem Canon, Concilium nullum ostendi potest. *Tertium* est Synodi Florentinæ definitio de Sede Apostolica & Pontifice Romano, in qua provocatio facta est ad modum, qui in Actis Synodorum Oecumenicarum & Canonibus sacris contineatur. Atqui, inquit, in Canonibus sacris, & in actis Synodorum Oecumenicarum de convocandarum Synodorum generalium jure nihil traditur, vel legitur, quod ad Pontificem Romanum jure privato spectet. Quin & in Actis earum legitur, indictas & convocatas eas esse ab Imperatoribus, tantum abest, ut legatur, indictas & convocatas esse à Pontificibus Romanis. Objicienti Bellarmino, *nullum esse Concilium generale Catholicum à solo Imperatore convocatum, id est, sine consensu & authoritate Pontificis Romani,* argutè respondet, eadem ratione Concilium Tridentinum ab Imperatore & Principibus Christianis indictum & convocatum dici posse, quia Pontifex Romanus hoc Concilium absque Imperatoris & Principum Christianorum consensu nec indixit, nec convocavit, & Imperator ac Principes Christiani hujus Concilii indictionem à Papa factam ratam habuerunt & confirmarunt. Idem Launojus *Tom. VIII. Epist.* 1. *&c.* fusè solidéque adversus Bellarminum probat, nec Nicæno, nec Constantinopolitano, nec Ephesino, nec Chalcedonensi Concilio Papam præsedisse. En testem ex sinu vestro, in antiquitatibus Ecclesiasticis versatissimum, & sententiæ & rationum no-

ſtrarum adverſus Bellarminum & aſſeclas ejus hyperaſpiſten eximium! 2. Nec proin jus ejuſmodi Papæ competit : nec Chriſti vicariam authoritatem Mortalium quiſquam obtinet; nedum ille, qui negligens & ſceleratus eſt ; vel etiam à vera fide, Catholicæ Eccleſiæ eſſentiali forma, deficit. uti quidem à longo tempore Pontifices defeciſſe conſtat. Si quod igitur jus unquam habuiſſent, eo jure ipſo excidiſſent pridem. Unde, quod ultro largiris, cuivis fideli Eccleſiæ membro, iis maximè, quibus præ cœteris Eccleſiæ demandata cura eſt, in id eniti fas piúmque eſt, ut convocato Concilio falſa poteſtas deſtruatur, & religio vera reſtituatur ; non Petri fictitius & larvatus aliquis ſucceſſor imaginaria denuo jura uſurpaturus, deligatur.

ARG. II. Concilii hujus judices fuerunt Papa, Epiſcopi, aliíque, quibus hoc privilegium Pontifex ex poteſtatis ſibi arrogatæ plenitudine indulſit. At hi competentes eſſe judices non potuerunt, tum quia ex verbo Dei hanc poteſtatem ſibi competere nunquam probârunt : tum quia prætoriam & deciſivam etiam in conſcientiæ foro poteſtatem ſibi arrogârunt, qualem nemini mortalium convenire *Tom.I.pag.* 56. *&c.* fusè probavimus : tum quia illi omnes accuſati, rei, idololatriæ, Simoniæ, contaminati cultus Dei convicti fuerunt, imò & αὐτοκατάκριτοι, uti alibi oſtendimus : tum quia in Concilio potiſſimùm poteſtas, quam illi ſibi arrogârunt, fides eorum & mores, eorúmque reformatio in controverſiam vocanda fuit : tum quia non conſtabat in ipſo Concilio, unde poteſtatem ſuam Epiſcopi habeant, & qui veri legitimíque Epiſcopi ſint. quo argumento etiam Segnenſis Epiſcopus Concilium in ſuſpicionem adduci poſſe, agnovit apud S.P.pag. 551. tum quia Proteſtantium, quorum cauſa diſceptabatur, hoſtes pluſquam Attici & ἄσπονδοι fuerunt, utpote quos jam ante anathemate percuſſerunt, cùm tamen juxta Canonem ex ipſo Nicolao Papa excerptum C. *quod ſuſpect.* 3.q.5: ſuſpecti & inimici eſſe judices nullo modo debeant : tum quia Epiſcopi omnes unius Papæ jurata mancipia fuerunt : tum denique quia Epiſcopi multi erant titulares & abſque diœceſi, plerique omnes verò Sacrarum literarum & bonarum rerum rudes, & ob vitam malè tranſactam nonnulli etiam infames. Queritur enim Claudius Eſpencæus, qui Lotharingum comitabatur, *quòd eorum nemo durante Concilio concionari cognitus fuerit*, in 1.Tim.lib.II. cap 2.pag. 257. Et Didacus Stella *in Luc.VI. in hæc* verba, *Cæci duo*, ſcribit, Epiſcopos ſecum adduxiſſe doctos Theologos, qui illos illuminarent. Subjungit verò : *In hac quidem re non potui mihi à riſu temperare. Illi Epiſcopi meliùs feciſſent, ſi ſuos Epiſcopatus his Theologis tradidiſſent.* Tanquam Grammatices imperitos à Ferrerio falsè perſtrictos fuiſſe, conſtat ex Seſſ.XXIV. hiſtoria. Epiſcopos Gallos Nannetenſem & Claromontanum ne prima quidem Theologiæ rudimenta guſtâſſe, támque ridiculos fuiſſe, quàm moriones, idonei authores teſtantur. Et

conſtat

constat planè, controversias plerasque bonos fraterculos, Episcoporum satellites, ex quorum oraculis ipsi pendebant, diremisse. *Nunc rudes*, inquit M. A. de Dominis de Rep. Eccl. lib. VII. 3. 29. *innumerabiles Romæ fiunt Episcopi, curiales homines, avaritiæ & ambitionis mancipia (salvo bonorum, qui pauci sunt, honore) in arte lucrandi & dominandi, assentandique plurimùm, in sacris autem literis nihil exercitati, ad summum leguleji, in rebus sacris prorsus peregrini.* Tales omnino fuisse Tridentinos, testatur etiam Andreas Dudithius, Cæsaris & Cleri Hungariæ in Concilio Orator in Epistola ad Maximil. II. *Videre erat*, inquit, *quotidie famelicos & egenos Episcopos, ex majori parte barbatulos, adolescentes, luxúque perditos, Tridentum volitare, conductos ad sententiam secundum Papæ voluntatem dicendam, indoctos illos quidem & stolidos, sed tamen impudentiâ & audaciâ utiles.* Et paulò post: *In summa, in eum statum res est adducta istorum, qui illuc facti institutíque venerant, improbitate, non ut jam Episcoporum, sed larvarum, non hominum, sed simulachrorum, quæ nervis moventur alienis, ut Dædali statuæ fuisse perhibentur consessus fuerit. Erant Episcopi illi, conductitii plerique ut utres, rusticorum Musicum instrumentum, quos ut vocem mittant, inflare necesse est.* Quàm deplorata fuerit vita trium Pontificum, Pauli III. Julii III. & Pii IV. qui per Legatos Concilium moderabantur, quanta Legatorum ipsorum calliditas & improbitas, in nostris ad Bullas notis, variísque occasionibus ostendimus. Et Clerum universum ac Pastores *non corruptos, sed corruptores fuisse*, ipsi in sua admonitione Legati fassi sunt, apud S. P. *lib.* 1. pag. 114. Quis igitur sibi persuadeat, à Spiritu S. profecta esse, quæ vel innumera talium hominum multitudo effutiverit? Vel tales idoneos, competentésque in causa Dei, quæ maxima omnium est, judices esse potuisse?

Resp. Reding: 1. *Papa, Episcopi, aliique ex Pontificiæ potestatis plenitudine jus hoc obtinentes in Christi nomine, seu vicaria ejus authoritate coadunati ad decisivam super fidei controversiis ex Verbo Dei declarandis potestatem, in foro etiam conscientiæ obligatoriam exercendam, legitimi utique judices fuerunt. adeò ut non audientes illos Ethnici & publicani meritò habeantur. Neque criminationes tuæ hanc Concilii Oecumenici normam tam dilucida Christi lege sancitam evertunt.* 2. *Sicut civilis Magistratus à perduellibus per quælibet criminationum genera lacessitus non propterea rei conditionem subire cogitur, quia ex corporis ejus Politiæ membris nonnulli veris criminum obtrectationibus obnoxii extant: ita Concilii Oecumenici Christi authoritate muniti cœtus non propterea, ceu reus, in judicium vocari potest, si maximè Episcopi plerique moribus non satis emendatis fuerint. Idque Mosaicæ cathedræ similis ferè ratio probat.* 3. *Controversia in Concilio de origine potestatis Episcopalis agitata, & in medio relicta, veri & legitimi Episcopi statum in dubium non vocavit.* 4. *Neque fas est hostis loco habere judicem, ex legum sanctionibus officio suo fungentem; nisi Politicum etiam Magistratum adversus perduelles vel jura sancientem, vel criminali processu eos persequentem inimici loco tenendum contendas.* 5. *Episcopi quoque Papæ jurejurando non alio, quàm quod Divinæ religionis fidei ratio exigit, vel Ecclesiasticæ leges requirunt, ob-*

ſtricti ſunt. Perinde ergo eos, ceu Papæ mancipia, à judiciariæ adverſus perduelles poteſtatis jure; ac Politicos judices juramenti ſupremo Magiſtratui præſtiti prætextu à juris dicundi facultate excluſeris. 6. Eſpencæus non uſquequaque ſanus fuit. Neque tamen conciones in Concilio haberi neceſſe fuit, quia earum finis in docendis fidei dogmatis & informandis moribus per viam longè eminentiorem in Concilio promovebatur. 7. Neque etiam Ferrerii, de Dominis, Dudithii, malè affectorum, criminationes tanti ſunt. Et ſi veræ eſſent, à particulari ad univerſale, à ſenſu diſtributivo, in pauciſſimis individuis locum habente, ad collectivum, ſub quo Synodalis deciſio unicè conſiſtit, arguere licet. Concilium enim Oecumenicum non conſtat Eccleſiæ Paſtoribus diviſim, ſed collectim ſpectatis & in unum Eccleſiæ corpus ſub vicariæ Chriſti authoritatis charactere unitis. Ibid. pag. 436. 437. Reſp. 1. Papa, Epiſcopi, reliquíque ejus vaſalli non à Chriſto collata, ſed rapta præſtigiatoriæ poteſtatis plenitudine inſtructi, non magis veri & legitimi judices noſtri fuerunt, quam olim Baalitæ Micheæ, Cajaphas Chriſti, Judæi primores Apoſtolorum, Ariani Orthodoxorum. Fingis Concilii Oecumenici normam talem, quæ Papæ in Templo Dei ſedenti, & ſe inſtar Dei oſtentanti conducat. Nos verò Antichriſtianas ejuſmodi hypotheſes ſupra jugulavimus. 2. Civilis Magiſtratus in ſubditos, & Papæ in Eccleſiam poteſtatem malè comparas. Illa legitima, hæc tyrannica tota eſt. Ille, qua talis, criminationibus perduellium impetitus, vel ejuſdem corporis membrorum quorundam morbo adhuc curabili laborans, rei conditionem ſubire non cogitur. Accuſari tamen aliquando legitimè, & coram coordinatis poteſtatibus rei conditionem ſubire poteſt, ſi certis legibus à populo conſtrictus præter jus & fas omne populi hoſtem ſe gerat, & quam cuſtodire & protegere ejus ſalutem debuit, non cuſtodis ovium, ſed lupi inſtar evertere ſatagat. At Papæ, & conjuratæ ejus factionis fictitia poteſtas tyrannica Antichriſtiana; & ad evertendam pietatem ac religionem Chriſtianam comparata tota eſt. Neque quidquam cum Moſis cathedra à Deo ipſo inſtituta commune habet. Miniſtrorum Eccleſiæ poteſtas legitima in prædicando Dei verbo, demonſtranda & docenda ex eodem veritate occupatur. Epiſcopi verè rudes, verbi Divini ignari, carnales ſtatuæ, non Miniſtri Chriſti vel Eccleſiæ ſunt, 2. Non judices proin, ſed judicandi ipſi. 3. Veriſſimè equidem in Concilio Tridentino Epiſcopus Segnienſis, audita diſceptatione acri, an Epiſcoporum poteſtas ex jure Divino arceſſenda ſit, quam controverſiam in Concilio non eſſe definitam, ipſe fateris, *loc. cit.* ſic arguit: *Si Epiſcopi à Deo O. M. poteſtatem non habent, ne quidem Concilium, quod ex Epiſcopis conſiſtit, eam habet. Neceſſarium enim eſt, ut cœtus omnis, quamvis numeroſiſſimus, ab eadem authoritatem habeat, unde ſinguli, è quibus conſtat. Si Epiſcopi non à Chriſto, ſed ab hominibus ſunt, authoritas omnium in unum congregatorum ipſa quoque humana eſt. Et cujus aures hoc perſonat, Epiſcopos non eſſe à Chriſto inſtitutos, abeſſe non poteſt, quin exiſtimet, hanc Synodum eſſe congregationem hominum (NB) profanorum, cui non præſideat Chriſtus, verum poteſtas quædam precaria ab hominibus accepta, totque Patres fruſtra tantos ſumptus facere, & tot incommoda Tridenti perferre, quando majori cum authoritate eadem tractari poſſint ab eo, qui Epiſcopos & Concilium ad earum tractationem poteſtate munivit.* &c. Veriſſimè, inquam; & ex tripode. Eccur verò ſic legitimi Epiſcopi ſtatus in dubium haud vocatur? An cujus dubia, imò, plurimorum judicio, certò humana, non Divina poteſtas eſt, is veri & legitimi Epiſcopi, qui non niſi à Deo, Spiritu S. gregi præfici poteſt (Act. XX. 28.) axioma ſuſtinere poteſt? 4. Fruſtra Papam, Epiſcopos *judices, ex legum* [illegible] *officio ſuo fungentes* obducis, & cum legitimis judicibus civilibus contendis. Ede tabulas judiciariæ poteſtatis, Divinarum legum! Humanæ, canonicæ veſtræ nullius ponderis ſunt. 5. Epiſcopos

ſcopos Papæ juratos, & homagio ſacratos nulla pia antiquitas novit. Veri ſolius Chriſti ſervi, miniſtri ſunt, cui proin uni ſolique ſacramento dixerunt, *Pretio empti eſtis, ne fiatis ſervi hominum*, 1.Cor.VII.23. *Nemo glorietur in hominibus. Omnia enim veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Apollos, ſive (NB) Cephas, ſive vita, ſive mors, ſive præſentia, ſive futura. Omnia veſtra ſunt. Vos autem Chriſti: Chriſtus autem Dei.* ibid.cap.IV.21.22.23. Qui ergo homini religioſo ſacramento dicit, ei *fidelitatem*, in tuenda inprimis dominatione ſacra, jurat; à Chriſto is deficit, & Antichriſti caſtra ſequitur. Tantum abeſt, ut *Divinæ religionis fidei ratio* tale quid exigat. 6. De Eſpencæi fide alibi. Si ſanus non eſt, qui veritati ἀπροσωπολήπτως litat, & ſcapham ſcapham appellat, ille certè non *uſque quaque ſanus* fuit. Sed inſanos ejuſmodi ſanis veſtris præferimus. Stultitia enim Dei humana ſapientia longè ſanior eſt, 1.Cor.I.25. Quale quæſo Concilium Epiſcoporum eſt, cujus nullum membrum, Epiſcopus nullus concionari potuit? Epiſcopi enim Paſtores ſunt. Paſtoris verò munus in docendo, concionando, prædicando Dei verbo verſatur. Qui docere non poteſt, ecqua eminentiore ille via veritati inſervire poteſt? Dominando, imperando, veritatem ſibi incognitam proſcribendo, cœdibus adverſus fideles graſſando, Epicuræum Hierarchiæ Regnum vi & dolo protegendo, proferendo? 7. Malè affectos erga Concilium fuiſſe Ferrerium, Dudithium, de Dominis, largior equidem. ſed affectu juſto, merito, ob Concilii & membrorum ejus notoriam improbitatem. Accuſatores quidem illi, fateor, pauci fuerunt, ſed tales, qui amoris & odii cauſas procul habuerunt: at accuſati ab iiſdem non *diviſim* quidem, ſed *collectim* omnes; ipſi inprimis Pontifices, Concilii anima & ſpiritus: & poſt eos Epiſcopi, utres illi ruſtici, quos ut vocem mitterent, inflari neceſſum fuit. Ut verò ſe ipſos accuſarent rei, tam non à Concilio expectandum fuit, quàm non à Synodo Hieroſolymitana, in qua S. Paulus diſcerptus vel interfectus fuiſſet, niſi Deus è præſenti illum diſcrimine eripuiſſet (Act.XXIII.10.15.) expectari potuit, ut ſuam ipſi rei perfidiam & crudelitatem agnoſcerent.

ARG. III. Chriſtiani & legitimi Concilii neceſſaria & unica regula ac norma eſt Scriptura Dei, & vox Spiritus S. ſupremi judicis in Scriptura loquentis. Liquet ex Concilio Hieroſolymitano Act. XV. in quo ipſi Apoſtoli non aliunde ſuum de jugo diſcipulis non imponendo decretum, quàm ex verbo Dei arceſſunt. Et ubique ad legem & teſtimonium nos Spiritus Dei vocat. Unde in veteribus etiam Conciliis in medio conſeſſus thronus fuit, unâ cum libro Evangelii, vice Chriſti, uti etiam Baronius ad An. 325. obſervat. Hanc verò normam Tridentini Patres adeò non adhibuerunt, ut magis ejuraverint. Etenim Seſſ. IV. ſtatuerunt normam fidei verbum Scriptum & traditum, pari cum illo pietatis affectu ſuſcipiendum & venerandum. Et traditum igitur ab hominibus, & Scriptum commendant, Scriptum verò ſtatim enervant, cùm ejus intelligentiam non à Spiritu S. ſed ab Eccleſia, Conciliis, ſeu potiùs Oraculo Pontificis ſuſpendunt. Unde in Concilio Proteſtantes, cùm ad Scripturam provocâſſent, reſponſum tulerunt: *Scripturam inanimem & mutam eſſe, adeóque animandam voce infallibilis judicis, puta Concilii.* Pro norma igitur habuerunt non Scripturam, ſed vocem

cem Concilii, cujus infallibilem interpretem se gessit Pontifex, adeóque, verbo dicam, privatum Spiritum, voluntatem & motum Pontificis, quem *Scripturæ animam* protervè dictitârunt. Etiam Theologi, Itali cumprimis, ad disputandum admissi, postquam intellexerant, sibi præscribi methodum disputandi ex S. Scripturæ verbis, Apostolorum traditionibus, Conciliorum decretis, & Patrum testimoniis, negârunt, *tolerabilem esse methodum disputandi ex Scripturis. In thematis discutiendis potiùs sequendum esse D. Thomam, D. Bonaventuram, alio̍sque magni nominis Theologos. Rationem enim ex Scripturis disputandi esse cum hæreticis communem. Doctrinam positivam, quæ versatur in colligendis Scripturæ & Patrum dictis, esse memoriæ laudem duntaxat, imperfectam & pridem desitam. Imò hac via futurum, ut Lutherani victoriam reportent, &c.* apud S. Pol. *lib. IV. pag.* 291. Quin adeò abhorruerunt à methodo illa positiva, ut à spinosis argumentorum aculeis identidem ad illam, tanquam ad carceres, revocari debuerint. Confer S. Pol. lib. IV. *p.* 311. Sed & Canonistæ in Concilio invecti sunt in Theologiam Scholasticam, quâ Theologi in Concilio usi erant, eámque dicebant *in Philosophicis & naturalibus quàm divinis lubentius versari.* Quin & Richardus de Mans, Franciscanus Monachus apertè professus est *pag.* 80. fidei dogmata non ex Scriptura, sed ex Scriptis Scholasticorum addiscenda esse.

RESP. REDING: *1. Edissere, quibus Scripturæ S. tabulis Apostoli in Concilio Hierosolymitano Act. XV. usi fuerint. Certè S. Petrus in suffragio suo edendo nulla Scriptura usus legitur. Imò Concilii ejus fundamentum nitebatur verbo non scripto sed tradito, per Christi vivum testimonium ac Spiritus S. revelatione accepto. 2. Nec verbum scriptum tradito, nec traditum scripto adversatur. Proin Scripturam non ejeraris Concilium, traditiones sanciens. 3. Nisi cæcus esses, in S. literarum intelligentia discerneres ejus fontem primævum in revelatione Divina consistentem, ab ejusdem organicis ad sensum genuinum ex [illegible] ænigmatico eruendum Divinitus constitutis mediis, quale Ecclesia, seu Concilium Oecumenicum est. In fidei enim controversiis decidendis oportet non solum respicere ad verbum Dei seu traditum, seu scriptum, ceu fundamentale Divinæ veritatis monumentum, sed etiam ad prudentialem ejusdem applicationem, quam publica judicis cujuspiam Divinitus [illegible] authoritate præcellere decet, ut credendi in fidelibus obligationem inducere valeat. Hic verò Ecclesia est, quam Christus audire jussit. 4. Theologia Scholastica argumentorum [illegible] certam sedem unicè figit in authoritate Divina, S. literis, & Apostolicis traditionibus [illegible] tenta, & Ecclesiæ consensu, ac Conciliorum definitionibus exposita. Tridentini [illegible] argumenta depromentes, in ipsum Dei verbum illa [illegible]. Facilior tamen [illegible] fuit, digesta in ordinem à Scholasticis argumenta proferre, quàm Scripturæ [illegible] sententias colligere.* Ibid. pag. 438-440. Resp. 1. Tu contra edissere, quo verbo [illegible] Apostoli in Hierosolymitano Concilio litem [illegible] decideri[illegible]. Nam [illegible] scriptum, seu λόγους [illegible] *sermones* [illegible] ex Amos IX. [illegible] Jacobus in suffragio suo v. 15. 16. &c. producit, testatus etiam, quod S. Petrus [illegible], *quemadmodum Deus primùm visitaverit, ut sumeret populum ex gentibus* [illegible] consonare verbis Prophetiæ scriptæ, quam mox citat. S. Jacobus ergo [illegible]

nem

nem Amosi scriptam: S. Petrus prædictionis complementum, in virtute verborum prædictionis ipsius comprehensum; neuter verbum traditum, à scripto in re tradita disparatum, allegant. Spiritus S. ergo revelatio, de qua v.28. dicitur: *Visum est Spiritui S.* &c. non ullam traditionem, vel judicium Ecclesiæ vel *vivum testimonium Christi*, à Scriptura separatum; sed testimonia illa Spiritus S. quæ à Petro & Jacobo prolata sunt, & quorum vi concludit Concilium suam de usu legalium sententiam, continet. 2. Cùm verbum Divinum traditum, à scripto discrepans, nullum sit, scripto utique contrariari nequit. Traditiones verò vestras, Divinarum nomine fucatas, plerasque omnes Scripturæ contrariari, supra ostendimus. 3. Ecclesiam organum esse quoddam intelligentiæ Scripturarum ultro largimur; non tamen, quatenus *authoritate judiciali* sensum earum definit, sed quatenus ministerio suo sensum earum per comparationem spiritualium ex ipsa Scriptura ad conscientiam omnem manifestat, demonstrat; Spiritu S. tum demonstrationi, tum veritatis demonstratæ receptioni cooperante. Aliam verbi Divini *applicationem prudentialem* nec ulla Divina revelatio tradit, nec vos hactenus probatam dedistis. Taceo perpetuam illam fraudem & *μεθοδείαν* vestram, qua Ecclesiæ nomine Romanam vestram, qualis hodie est, audacter obtruditis. hoc est, pro virgine cervam, pro flore Floram; animadvertentes probè, primò ipsum nomen *Ecclesiæ* omnibus reverentiam ac terrorem incutere; ac dein, ita triticum paleæ immistum esse, ut non cuivis illa discernere datum sit. 4. Principia Theologiæ Scholasticæ, Helenæ illius vestræ, quænam sint, *Differt. Tom. I. Disp.* 1. fusiùs explicavimus. Scripturam equidem non excludit, sed aliis principiis, traditioni, Conciliis, philosophiæ, atque iis plerunque malè corrasis & detortis, imò spuriis etiam, sociatam, atque ex eorum arbitrio expositam, eorúmque tribunali subjectam. Quæ principia adulterina dilertè Apostolus Col. II. 8. 1. Tim. VI. 20. jugulat.

ARG. IV. Concilii legitimi palmarium ferè requisitum est, ut sit liberum. At Tridentinum hoc nihil minùs quàm liberum fuit. Etenim *primò* locus ipse, in quo celebratum est, suspectus & insidiosus fuit. Concilium indictum fuerat in Germanorum potissimùm gratiam. In Germania igitur haberi debuit, juxta vetustos Canones, quibus cautum est, *ut accusati in sua provincia, non extra, lite pulsentur & audiantur.* At Tridentum civitas est, si situm & idioma spectes, Italica, Episcopo Tridentino, jurato Pontificis clienti obnoxia, Papæ ad vim adversus Protestantes à se excommunicatos exercendam opportuna, in qua proinde nec Evangelium tutò defendi, nec præcones Evangelii tutò subsistere potuissent. *Secundò* ii protestantes, quorum potissimùm intererat, legitimè invitati & auditi nunquam sunt. Concessi equidem iis sunt *Salvi conductus*, uti vocant, sed eo artificio, non ut illis liberum esset sine periculo adesse Concilio, & rationes sui dissensus proponere, sed ut instituerentur duntaxat, ceu à dictatoribus & Magristris, ab iisque humili obsequio leges acciperent. Deinde Synodi cautio Imperatoris precibus extorta, adeo ambigua fuit, ut nullo, vel certè nisi levissimo nexu adstringeret. Scripsit ad Legatos Papa, *ut nominaret conductus in genere Germanos, & cautionem daret Synodus. Hoc sic explicari posse, ut intelligantur Catho-*

lici Germani, non hæretici: ut fidem servet Synodus, sed Pontifici, qui fidem non dedit, liceat pro arbitrio in eos statuere, apud S. P. *lib. IV. pag.* 295. Unde in formula Salvi conductus Sess. XIII. prælecta, inserta est clausula reservativa, *quantum ad ipsam Synodum spectat*, quæ Pontificis machinationi apertam januam relinquit. Præterea Protestantes formam Salvi conductus ejusmodi, qualis in Basileensi Concilio Bohemis concessa est, postulantes repulsam tulerunt, apud S. P. *lib. IV. pag.* 331. Etiam qui aderant Protestantium Legati, ut audirentur publicè, impetrare non potuerunt, adeóque re infecta discedere coacti sunt. Johannes Brentius aliique Theologi ad Concilium profecti ne quidem obtinuerunt, ut Confessionem, quam paratam habuerunt, acciperent Legati, nedum ut cum Concilio de dogmatibus in eo comprehensis agere ipsis integrum esset. *Tertio* contra morem veterum Conciliorum, jura Magistratus, vota & protestationem Christiani orbis, denique Divina & Gentium jura Concilio illi per Legatos suos præsidit Papa, simul reus & actor. Quis ei Concilio constare libertatem potuisse putet, quod ille ipse, qui corruptus & corruptor, certè ut talis accusatus, pro Præsidis & primarii judicis munere moderatus est? Confessi licet quondam Cardinales fuerint, *posse Concilium coire, in quo non præsideat Papa, ei fasces submittat, & villicationis suæ rationem reddat*, teste Guicciardino libro IX. *Quartò* Papæ moderatori servierunt pro lubitu Episcopi plerique, ad asserendam ejus potestatem & authoritatem, juramento obstricti. Quod si qui essent animosiores, præsens erat eos opprimendi per plura suffragia artificium. Inprimis Papæ causam sustentârunt Itali, quos sui beneficii Papa fecit. Evenítque adeò, quod posterioribus Seculis accidisse in Concilio Basileensi querebatur Ludovicus Arelatensis, *ut in Conciliis id demum & necessario fieret, quod Nationi Italicæ placeret, utpote quo sola omnes nationes reliquas superet*, teste Ænea Sylvio lib I. de gestis ejus Concilii. *Hæc est illa Helena, quæ nuper Tridenti obtinuit*, inquit Cl. Espencæus *in Epist. ad Tit. cap. I.* Erant autem in Concilio Itali centum & quinquaginta, ex reliquis vero Nationibus omnibus non plures quàm sexaginta, fatentibus ipsis Legatis, apud S. P. *lib. VIII. pag.* 680. Periculo gliscente solitus est Papa novos hinc inde Episcopos, etiam Titulares excire, & Romam numerum facturos amandare. Unde cùm de Residentia disceptandum esset, subitò quadraginta Episcoporum auxiliareis copias summisit. Multos sumptibus suis aluit. Addictiores sibi promissis splendidis lactavit, & muneribus ac sportulis Romam missis cumulavit. Etiam arcanorum proditores & corycæos pretio conduxit. Episcopo Ventimigliensi negotium dedit secretissima quæque sine mora Romam perscribendi. Neque deerant *muli clitellarii*, quo

nomine

nomine Episcopum Leirensem & Pacensem festivè Archiepiscopus Granatensis perstrinxit, apud S. P. *lib. VII. pag.* 631. Denique bene de se in Concilio meritos magnis dignitatibus Papa auxit & ornavit. Finito enim Concilio novendecim Cardinales in Collegium adoptavit, plerosque in Concilio præclarè de Sede Apostolica meritos, quorum catalogo nullum eorum, qui Residentiam vel institutionem Episcoporum Juris Divini esse defenderant, inseruit. Utque noveris, unius Papæ arbitrio omnia serviisse, arrogavit is sibi & confirmationem Concilii, & interpretationem ac declarationem omnium, uti proximè supra ostendimus. *Quartò* Legati sibi solis facultatem proponendi, callido, & ambiguo decreto subnixi, vindicabant, ita ut nemini integrum fuerit deliberationis cujuscunque materiam Concilio offerre. Quam insignem eorum machinationem *libertatis Concilii vitalia ferire* meritò Hispani, Cæsarei, aliique quiritabantur. Hac enim ratione caveri potuit, ne controversiæ de potestate Papæ, Concilii superioritate, aliæque ejusmodi Pontificis palato minùs gratæ in Concilio moverentur. Licuitque ita Legatis pro animi libidine articulos cudere & concipere, ut suffragiorum calculo pro suó arbitrio deciderentur. *Quintò* pleraque omnia, quæ momentum aliquod habebant, antequam in Concilio definirentur, Romæ non modò expendebantur, sed etiam constituebantur. Ea de re toties questi primùm Cæsarei & Hispani, postea etiam Galli, qui cùm eam servitutem liberis vocibus exagitâssent, excepti sunt frigido Italorum scommate, dictitantium, *se de scabie Hispanica incidisse in luem Gallicam.* Cardinalis Lotharingus graviter questus est, *Concilium minimè liberum esse, cùm neque tractari, neque decerni quicquam possit, nisi quod Legatis placeat, & Legati nihil nisi de voluntate Papæ faciant,* apud S. P. *lib. VII. pag.* 596. Notissimum etiam & testatissimum fuit infame illud eo tempore ab ipsis etiam Papistis jactatum proverbium: *Spiritum illum Sanctum, qui Tridentina consilia gubernat, in mantica clausum subinde Roma mitti.* Illinc nempe responsa, tanquam Delphis aut Dodonâ, expectabantur. Unde, teste Dudithio in Epistola ad Maximil. II. ridiculum quiddam accidit, ut, quoties propter aquarum inundationes tabellarius Roma Tridentum expeditè reverti non posset, diceretur, *Spiritum non super aquas, ut est in Genesi .j. d fecus aquas ferri.* Exempla plurima oraculorum Româ arcessitorum & formularum, quibus decreta concinnare oporteat, præscriptarum, in Historia narravimus. Pendebat igitur Concilium totum à Spiritu Papæ, cujus etiam, seu Legatorum ejus *Sigillo* munitum fuisse supra ostendimus. *Sextò* constat, Theologis & Præsulibus nonnullis liberiùs animi sui sensa evolventibus, in Concilio & post illud vim factam esse. Marinarus contra traditiones libe-

rè differens, à Cardinali Polo acriter objurgatus est. Cúmque etiam posthac libertatem retineret, palam Lutheranismi accusatus, coactus est παῤῥησίαν suam deponere. Bracius Martellus Episcopus Fesulanus, ob orationem liberam Romæ accusatus, morbi obtentu, ad declinandam tamen revera invidiam & imminens sibi periculum, Tridento discedere coactus est. Perezius Segoviensis Episcopus contendens, Episcopatum jure Divino immediatè institutum esse, adeò Papæ incurrit odium, ut cùm Romæ in Rota quædam ejus causa proponenda essent, eam suscipi propterea Papa prohibuerit. Melchior Amosvodianus Episcopus Guadicensis asserens esse quosdam veros & legitimos Episcopos, qui à Papa nec vocati, nec confirmati sint, audire coactus est voces Castelli Episcopi Cavensis, Patriarchæ Veneti: *Ejiciendum eum esse tanquam schismaticum.* Taceo, quòd adversantium Papæ suffragia literis consignata Romam missa sunt, uti factum in quæstione de Residentia per Camillum Olivum, apud S.P. *lib. VI. pag* 451. Hisce similia plura in Historia narravimus. *Septimò*, Papa toties Concilium conatus est suas in ditiones transferre, actúque Paulus III. sibi addictos Bononiam ob Schisma Tridentinos inter & Bononienses transtulit *Octavò*, Papæ prensationes intercesserunt. In quæstione de Residentia Episcopi Mutinensis, Nolanus & Brixiensis à Legatis Pontificiis inducti, Episcopos multos privatim ad mutandam sententiam, quamvis irrito conatu, pellexerunt. Jesuita Salmero Legatorum authoritate munitus, Episcoporum suffragia pro oblatione Christi in Cœna Domini facta, domatim emendicavit. Taceo privatas Congregationes Episcoporum Pontificiæ causæ addictorum, famosum & factiosum Archiepiscopi Hydruntini convivium, aliáque ejusmodi. Omitto etiam fœdera Papæ cum Cæsare, & Rege Galliæ, durante etiam Concilio ad extinguendos Protestantes inita, & bellum cum iis gestum, quæ sanguinarium Papæ animum prodiderunt, aliáque ejusmodi libertatis violatæ & penitus sublatæ indicia. Silentio etiam involvam innumeras ferè & acerbas Cæsaris, Regis Galliæ, Episcoporum ipsorum, Hispanorum inprimis & Gallorum, de oppressa Concilii libertate, & cum fœda servitute commutata querelas, gravesque protestationes, quas in ipsa Concilii Historia idoneis locis memoravimus: denique ipsius Pii IV. ingenuam Confessionem, de qua pag. 665. diximus.

RESP. REDING: 1. *De loco & Salvi conductus formula amplissima supra egimus. Neque Papa vim paravit sed pararunt Lutherani, & Passaviensem pacem extorserunt.* 2. *Modò Protestantes accusatos dicis: modò Papam reum peragis, & Concilio subjicis. Quid ergo si Papa reus fuit, in Italia celebrari Concilium debuit?* 3. *Schismaticorum Cardinalium vox fuit, quòd Concilium coire possit, in quo non præsideat Papa, sed fasces submittat.* 4 *Omnes totius orbis Christiani Episcopi sub stricto mandato in virtute etiam S. obedientiæ ad Concilium*

lium vocati sunt. Sed Itali frequentiores comparuerunt, & in ferendis suffragiis jure suo usi sunt. Quis ideo Papæ neminem cogenti ad suffragandum sibi, succenseat? 5. Cardinales post Synodum creati quidam exiguam Papæ in Synodo operam navarunt. Et qui præ cæteris Pontificiam potestatem propugnarunt, Castaneus, Fachinetus, Archiepiscopus Hydruntinus, præmium illud à Pio non acceperunt. Mutinensem verò Episcopum adversantis sententiæ propugnatorem, adeò non Papa, cùm Romam venisset, torvis oculis aspexit, ut eum præfecerit operi nobili in Synodo necdum perfecto, Catechismi, Breviarii & Missalis. Quin & Pius V. Vincentium Justinianum: Gregorius XIII. Nicolaum Sfondratum, assertorem utrumque quòd Residentia Divini juris sit, Cardinalem fecere. 6. Facultas proponendi per Concilii decretum Legatis concessa nil de Concilii libertate delibavit. Jure enim proponere debuerunt ii, qui personam gerebant supremi Ecclesiæ capitis. Ipso verò facto enituit ex decreti clausula, nihil libertatis in proponendo, quæ cuique videbantur æqua, ademptum esse. 7. Neque etiam libertati derogavisse, quòd in arduis negotiis Roma consilia arcessebantur, Papæ ad Ferdinand. Imp. literas responsio supra citata docet. 8. Quæ de Marinaro, Segoviensi Episcopo Amosvodiano, nec non prensationibus Papæ &c. objicis, alibi explosa sunt. Pallavicino ductore Qui etiam fusiùs probavit, illam libertatem, quâ R. Pontificis authoritas contemnitur, vel rejicitur, Concilio nulli competere: & à Concilio Tridentino omnem violentiam, jussiones, exhortationes promissis minisque permixtas, quibus solis libertas Concilii violatur abfuisse; denique & fidei dogmata, & leges disciplinæ in Concilio eo definitas Papæ commodis planè non inservivisse, ut ne suspicio quidem læsæ libertatis in eum cadere possit.
Ibid pag. 441-445 Resp. 1. Ex Pallavicino Salviconductus formulam defendere moliebaris, sed conatu irrito, uti Historiæ Pallavicini examen docebit. Neque priores Protestantes vim paraverant adversus conjuratam Papæ factionem, sed postquam Cæsar, Papæ addictus, & ejus consiliis ad opprimendam Ecclesiam seductus, Protestantibus, quòd Papæ obsequi detrectarent, aliósque falsos ob prætextus, Majestatis læsæ crimine falsò impacto, magnos in Germania & Italia exercitus collegit. Licet autem belli initia infeliciter ceciderint, artibus Pontificiorum districtis Protestantibus, is tamen denique ejus exitus fuit, ut Pontificii, Ferdinando Imp. satagente, A. 1552. Passavii æquas Pacis Religiosæ conditiones admiserint. De cætero notissimæ sunt innumeræ Pontificiorum machinæ, quibus reformationem gliscentem, posthabito legitimo Concilio, in herba opprimere nequicquam conati sunt. 2. Protestantes Germanos Papa jam anathemate presserat; adeoque non ampliùs accusaverat, sed condemnaverat. Horum verò ad liberum Concilium provocantium causa in loco Papæ non obnoxio agitari sanè debuit. Papa verò, reus licet, nunquam tamen, quæ ejus pervicacia fuit, rei conditionem subire voluit. Cur ergo in Italia, hoc est, Papæ faucibus Concilium celebraretur? 3. Non schismaticorum, sed veræ & Christianæ concordiæ studentium hactenus vox fuit Cardinalium eorum, qui à Papa rationem villicationis exigi posse dictitarunt. Percrebuit ea vox in Concilio Pisano adversus illum orbis Christiani incendiarium Julium II. non Apostolicum, sed Pistolicum Papam. Quidni verò Papa cum omni falsa sua & impiè usurpata potestate Concilio Christiano iniquos suos fasces submittere teneatur? Quid æquius quàm ut Nimrodi, tyranni, vastatores, oppressores Ecclesiæ inprimis, nullo legitimo titulo grassantes, in jus vocentur? 4 Neque id vitio vertimus Episcopis Italis, quod præ cæteris in Concilio frequentiores comparuerunt; sed quod comparuerunt studio protegendæ Papalis Monarchiæ, quam protegi multum Italiæ intererat Neque alibi numerosiores Episcopos Papa habet, quàm in Italia, ne unquam falsæ potestatis ejus strenui defensores desint.

Et ut ſuppetiarum ſatis habeat Papa, etiam Titulares, Italos ferè omnes, creare ſolet. Hinc adeò numerus Italorum in Concilio Tridentino triplo plus major erat, quàm Nationum reliquarum omnium. Quippe Itali numero centum octoginta ſeptem; reliquarum Nationum ſimul omnium Patres nonniſi octoginta tres Concilio interfuerunt. Quis hic technam non odoretur? 5. An nullam Papæ in Concilio operam navarunt M. Antonius Columna, Archiepiſcopus Tarentinus, Aloiſius Piſanus, Epiſcopus Patavinus, M. Antonius Boba, Epiſcopus Auguſtæ Prætoriæ, Hugo Boncompagnus, Epiſcopus Veſtanus, Alexander Forza, Epiſcopus Parmenſis, Simon Paſqua, Epiſcopus Sarſanenſis, Carolus Vicecomes Epiſcopus Vintimiglienſis, Franciſcus Abundius, Epiſcopus Bobienſis, Guido Ferrerius Epiſcopus Vercellenſis, Joh. Franciſcus Commendonus, Epiſcopus Zacynthi, Gabriel Paleotus, Auditor Rotæ? Næ hoſpes in hiſtoria Concilii fuerit, qui inficias iverit. Nullus horum Reſidentiæ, & aliorum Papæ inviſorum dogmatum ſe fautorem geſſit: Papæ cauſæ addictiſſimè ſerviverunt omnes. Caſtaneus verò, Faſchinetus purpuram cur non meruerint, in promptu forte cauſa eſt. Non ubique Papæ cauſæ addicti fuerunt. Archiepiſcopus verò Hydruntinus adeò impudens & petulans Papalis cauſæ hyperaſpiſta, factioni & prenſationi deditus fuit, ut eum Papa purpuriſſare auſus non fuerit, ne favere malignis adeò artibus videretur. Proditio grata, proditores inviſi eſſe ſolent. Forte etiam documentum præbuit, *adulationem corruptis moribus perinde ancipitem eſſe, ſi nulla, & ubi nimia eſt*, uti Tacitus *Annal. lib. IV.* 17: 1. loquitur. Egregiam verò mercedem Mutinenſis retulit, quem Romam venientem Papa torvis oculis non aſpexit, & operibus quibusdam perficiendis præfecit! Cur durante Synodo eum purpura non donavit? Cur creationem Cardinalium poſt Synodum diſtulit? Quis non fraudem manifeſtam palpat? Quid poſteriores Concilio Pontifices Vincentio Juſtiniano, & Nicolao Sfondrato fecerint, nihil moramur. Aliis illi erga Papam ſtudiis præteritam noxam expiare potuerunt. 6. Jus proponendi in Concilio per Legatos eodem, quo Suprematus Papæ ipſe, jure nititur hoc eſt, nullo. Hocque jus, ſeu potiùs injuriam libertatis Concilii vim lia ferire, ipſimet Cæſarei & Hiſpani queſti ſunt; & revera facto ipſo enituit. Quicquid enim Papæ iniquam poteſtatem ferire poſſe viſum eſt, illud omne à Concilii cognitione & definitione ab iis, qui ſibi ſolis jus proponendi vindicarunt, ſummotum eſt. 7. Epiſtolæ Papæ ad Cæſarem ſumma eſt, *Concilii libertatem non tolli, ſi nihil in Concilio ſtatuatur, quod Romæ determinatum non fuerit, quia hoc ipſum vetera Concilia fecerint, quæ in ſuis decretis à Romanis Pontificibus inſtructionem acceperint; velut Epheſinum à Cæleſtino, Chalcedonenſe à Leone, Trullenſe ab Agathone, Nicænum II. ab Adriano I. Conſtantinopolitanum ab Adriano II.* Sed aliud ſcilicet eſt inſtructio, quam quælibet olim Eccleſia ſuis Epiſcopis Concilia adeuntibus vel celebrantibus imperriri poterat, ſine ullo libertatis Concilii damno: aliud mandatum à Papa Legatis ejus latum & allatum, quo univerſum deinceps Concilium, non unus Patriarcha, unus Epiſcopus aliquis obſtringeretur. Illa in Conciliis veteribus in uſu erat: hoc non erat. Neque ullum Concilium vetus eſt, quod unius Papæ Romæ in Capitolino ſuo oracula fundentis vox rexerit. 8. Ex Pallavicino contra Petrum Segovienſem, & Amosvodianum Guadicenſem, & pro Hydruntino Archiepiſcopo dicta alibi diſcutimus. Cujus etiam diſſertatio, qua læſæ libertatis ſuſpicionem à Concilio amoliri ille conatur, fuci multùm, veritatis nihil habet. Non enim libertatis, ſed ſervitutis erat, quòd authoritatem Papæ maximè dubiam in quæſtionem vocare Synodus auſa non eſt. Præterea violentiam ſæpe Papa, & ejus conjurati adverſus Proteſtantes, nullo legitimo judicio convictos pararunt: & præmia ac pœnæ manebant eos, qui Papæ falſam

sam Majestatem coluerunt, vel violarunt. Denique nullum ferè dogma in Concilio definitum est, quod ad Papalis Hierarchiæ stabilimentum non pertinuerit. Certè etiam Jul. Clemens Scotus vestras *Not. ad Pallavic. pag.*100.101. Pallavicini impudentissimam illam vocem, *quòd ne una quidem syllaba in toto hoc Concilio legatur, quæ Pontificis authoritatem augeat*, haud immeritò gravite perstringit, plures ob rationes, quas *Arg. VI* contractas lectori sistimus.

ARG. V. Charitatis unicè à Christo nobis commendatæ nullam curam Concilium hoc habuit. Testantur dira & perpetua illa anathemata, quibus in rebus etiam levissimis, & ad salutem parùm conducentibus luserunt haud secus quàm pueri astragulis, & fœnum ac Scholæ stipulas in fundamenta, rixas in ritus, problemata in fidei articulos converterunt. V. G. Anathema triste intonant iis, qui negant imprimi characterem per Sacramenta: qui negant baptismum Christi à baptismo Johannis distingui; qui negant matrimonium esse Sacramentum: qui negant, dari Ordines majores & minores; & si quæ his similia multa sunt, quæ vel simpliciter sine anathematum fulminibus definienda, vel libertati opinandi relinquenda erant. Est autem ea res manifestissima in quæstione *de usu calicis*, quem Imperator, Reges, Principes, integræ gentes, piorum quorumque desideria ardentissimis votis & precibus nequicquam expetierunt. Et tamen notorium erat, quàm recens & sacrilega esset privatio calicis, contra Christi institutionem, & tot Seculorum usum in maxima ecclesiæ corruptione inducta.

RESP. REDING: 1. *Ergone Christum ipsum violatæ charitatis reum blasphemè pronuntiabis, eò quòd Ethnici instar & Publicani ab Ecclesia communione arceri jussit eum, qui Ecclesiam non audiverit.* 2. *Si credendi necessitas quoad exercitium spectetur, in paucioribus equidem articulis omnimoda & præcepti & medii necessitas ac obligatio obtinet. Ubi verò motivum fidei specificativum, in prima veritate revelante subsistens, inspicitur, æqualiter se habet ad universos fidei Divinitus revelatos articulos. Quos proin negare, vel proter vè in dubium vocare, est primam veritatem, & essentiale fidei fundamentum è medio tollere. Nulla ergo fidei dogmata fœni ac stipularum nomine venire possunt.* Ibid pag 445-447. Resp. 1. Non pronuntiabo, Redingi. Ille enim nullo, nedum diro anathemate, imò anathematis concatenatis veritatem perculit. Ethnicum & publicanum haberi jussit eum, qui monitus, correptus, post elenchum & demonstrationem ordine & legitimè institutam, Ecclesiam ipsam, fraternam reconciliationem, quæ ad salutem fidelium necessaria est, suadentem, audire detrectaverit. Neque veri nominis excommunicatio cum anathemate conjuncta hæc est: nec favet illis, qui doctrinam fidei ex verbo Dei non demonstratam, cujuscunque etiam momenti illa fuerit, solo cœtus, qui se pro Ecclesia venditat, arbitrio firmatam, anathematis perpetuis sanciunt adeòque in Spiritu non Dei, sed Sathanæ loquentes, *Jesum*, ejus justitiam, doctrinam, meritum *anathema dicunt*, 1. Cor. XII, 3. Tales Tridentini fuerunt. Cùm enim in monte ipso Ebal, maledictionibus, iisque meritissimis personante, non plura quàm duodecim anathemata Dei nomine proclamata sint:

ſint: Væ jovès hi βροντίφωνοι centum & triginta ſex anathemata, non in notorios, graves, ſalutis & fidei devoratorios errores, ſed in veritatem, nulla etiam momenti veritatis habita ratione, nulla prævia demonſtratione ex verbo Dei, vibrata, cuderunt. 2. Tyrannidem in fideles nimiam exerces. Sunt enim in Eccleſia infirmi, errantes non pauci, quorum infirmitates, errores, ſi in fidei fundamentum non incurrant, & à ſcientibus prudentibúſque non admittantur, tolerare, non diris anathematis configere, Scriptura Rom. XIV. 1. XV. 1. Gal, VI. 1. Phil. III. 12. 15. &c. jubet. Toleravit ipſe Chriſtus diſcipulos ſuos, diu terreſtris Regni ejus erronea opinione imbutos. An illi, aliíque errantes & infirmi *primam veritatem, & eſſentiale fidei fundamentum* ſuſtulerunt? Diſtingue ergo errantes ab obſtinatis: errantes non convictos à convictis: prudentes ſcientéſque ab ignorantibus. Qui in minima re ſciens, prudens, obſtinatus, convictus errat, is primam veritatem, Deum veritatis authorem ipſum, abnegat. Alia prorſus ratio eſt errantis in re levi, circa fidem, non in fide; ignorantis, infirmi. Neque ad ſcientiam & conſcientiam ſufficit Eccleſiæ definitio, quia & illa errori obnoxia eſſe, & à demonſtrandæ veritatis officio deficere poteſt.

ARG. VI. Finis, Concilii ſtatuitur Seſſione I. *incrementum & exaltatio fidei & religionis Chriſtianæ, extirpatio hæreſium, pax & unio eccleſiæ, Reformatio Cleri & populi Chriſtiani, extinctio hoſtium Chriſtiani nominis.* Quis ſcorpius ſub viridi hac herba lateat, abundè in Notis ad Decretum & Hiſtoriam Seſſionis I. dictum. Hoc unum nunc dicam, ſegniter Patres, quod intendiſſe videri volebant, executos eſſe. Etenim hæreſes adeò non extinxerunt, ut etiam ſeminaverint, & errores, profligatos, ante Concilium formatos, ut anathematibus veritati ejúſque confeſſoribus dictis, firmaverint. Reformationem verò quod attinet, eam ſeriam totus Chriſtianus orbis *in capite & membris* expetiit, eámque etiam unicè neceſſariam eſſe, ipſe Adrianus VI. Cardinales conſilii de emendanda eccleſia authores, Legati Pontificii Concilii Præſides, quorum omnium voces *pag.* 59. 60. adſcripſimus, agnoverunt. Nunc verò Reformationem in Concilio attentatam totam ludicram, deſultoriam, hypocriticam, & in Papæ, qui author fuit corruptionis & abuſuum arbitrio poſitam fuiſſe, ipſa Concilii hiſtoria, noſtræque ad eam continuæ notæ manifeſtum faciunt. Omnium pœne malorum radicem in Papa & Curia Romana, & utriuſque tyrannide, avaritia, luxu, ambitione fixam non attingere, nedum tollere Patres auſi ſunt. Si qua ſalutaria decreta & Pontificem curiámque obliquè ferientia cudi viſa ſunt, iis nervos ſuccidit omnes tum ſecutum *Seſſ. XXV. cap.* 21. decretum, *ut in omnibus de morum Reformatione & eccleſiaſtica diſciplina decretis ſalva ſemper Sedis Apoſtolicæ authoritas & ſit & eſſe intelligatur:* tum jus interpretandi & declarandi ſingula Concilii decreta, quod Synodo indulgente ſibi Papa reſervavit; quæ duo efficere poſſe, ut omnia Papæ & Curiæ noxia decreta in nihilum recidant, & ſenſim ſine ſenſu in antiquum cuncta ſtatum redigantur, Pontifici de con-

confirmando Concilio anxio Cardinalis Amulius, & Episcopus Vestanus suggesserunt. Si quid vel ab Imperatore, vel à Regibus & Principibus, vel ab Episcopis nonnullis Pontificis palato minùs sapiens deliberandum offerebatur, tergiversari ille haud secus quam ursus palo alligandus. vim, bella, cædes spirare, Concilii translationem, imò & solutionem meditari, denique ne quid sibi noxium proveniret, Cœlum terræ miscere. Exhibuerunt tum Cæsarei, tum Galli varia Reformationis capita. Sed ea pensi non habuere Patres, inprimis verò Legati, qui ut reformandi Cleri necessitatem sibi impositam amolirentur, eam solicitantibus Principibus, ipsorum Principum secularem reformationem comminari haud erubuerunt, atque sic à postulanda reformatione Cleri eos absterruerunt. Segoviensis Episcopus questus est, Synodum facere, quod imperiti medici solent, morbis lethalibus applicare medicamenta anodyna, & oleo inungere, quæ ferro pungenda, apud S.P. *lib.VI.pag.*516. Cardinalis Lotharingus, quamvis jam addictus Pontificiis partibus, tamen Gallorum nomine protestatus est, *se Reformationem accipere ut imperfectam:* apud S.P. *lib.VIII.pag.*706. Multorum abusuum fontem *non Residentiam*, quàm mala fide abrogaverint, à nobis in loco dictum est. *Ista Tridentini Concilii Reformatio,* inquit Julius Clemens pag. 93. *effecit, ut nunc non ea pecuniarum summa in urbem Romanam deveheretur, quæ priùs, ac Pontificii reditus ipsimet inde imminuti. An verò hæc imminutio compensata deinde fuerit auctis ordinariis, seu consuetis olim contributionibus, pro quibus nihil statutum, aut non servatis quibusdam Tridentinis legibus, quæ ipsum Pontificem nullatenus obstringunt, ut apertè declarârunt Tridentini Patres, aut novis officiis in curia constitutis, aut aliunde, nôrunt illi, qui illis colligendis præfecti sunt.* Auctam etiam esse hoc Concilio Papæ potestatem, idem ille Author *pag.*100. 101. probat, tum quia Patres illi Papæ decreta sua subjecerunt Sess. VII. initio de Reformatione, & Sess. XXV. contra morem præcedentium Generalium Conciliorum: tum quia Sess. XXV. cap. 2. Patres illi præceperunt omnibus Patriarchis, Episcopis &c. *ut in ipsa prima Synodo post finem præsentis Concilii celebranda veram obedientiam summo Romano Pontifici spponderent & profiterentur:* tum quia in fine Concilii R. Pontificis judicio committunt, *si inciderent etiam, quæ definitionem, nedum declarationem postulent, consulere Provinciarum necessitatibus &c.* & plura etiam ad eum remittunt: tum quia Episcopi & Ordinarii in nonnullis authoritatem Delegatorum Apostolicæ Sedis acceperunt, in quibus frui authoritate videbantur: tum quia de quibusdam obsequiosè & fraternè duntaxat monent Romanum Pontificem, ut in fine cap. 1. Sess. XXIV. cùm in Basileensi Concilio multa Papæ imperata fuerint. Papalem igitur tyrannidem nutantem jam, & à Con-

cilio sibi malè metuentem, confirmatam & stabilitam haud injuria dixeris. Hinc adeò sublata pœne ex Scholis est quæstio, *Supra Concilium necne sit Papa?* nihilque magis Conciones, subsellia, pulpita perinde ac Papæ prærogativas, omnipotentiam & infallibilitatem crepant. Non immeritò igitur Papa in Consistorio lœtitiam suam testificatus est, & Patribus illis gratias egit. Accedit denique, quòd inter cætera, antiquus Canonum Pœnitentialium usus, qui magno ecclesiæ malo in desuetudinem venit, quamvis flagitantibus multis, postliminio revocatus non est, & eorum loco indulgentiæ, amplissimæ, pœnitentiæ vera sufflamina, surrogatæ sunt. Qui plura de Reformationis hujus vanitate cognoscere avet, volvat licet Cl. Conringii disertissimam Epistolam, Wicelii viæ Regiæ præfixam, & inter Epistolas ejus pag 183. &c. extantem.

RESP. REDING: 1. *Non veritas in hoc Concilio anathematibus profligata, non hæreses obfirmatæ; sed doctrina ex verbo Dei definita est, quod hactenus manifestum fecimus.* 2. *Reformationi in Concilio perfectæ nihil obstare clausulam de salva semper Sedis Apostolicæ authoritate, aliáque à te allegata, ex præcedentibus pariter constat.* 3. *Ex Julio Clemente proximè dixeras, Tridentini Concilii reformationem effecisse, ut nunc non ea pecuniarum summa in urbem Romanam inveheretur, quæ priùs. Quomodo ergo Papa potestatem in Concilio auctam, ex eodem asseris? An verò aliunde facta ea compensatio sit, se ignorare, idem Julius satis profitetur.* 4. *Cœtus vicaria Christi authoritate destitutus non Concilium, sed Conciliabulum est, tantum abest, ut sit supra Papam. Tale Basileense fuit. Animatus verò Christi vicaria potestate legitimum Concilium est. Neque tum Papa superius esse potest. Concurrit enim Papa, ut caput, anima & forma Concilii.* Ibid. pag 447 45. Resp. 1. Contrarium liquet. 2. Imo plurimùm obstare, vel inde constat, quòd [illegible] Apostolica, verius Apostatica, sedes reformationis indiga fuit. Atqui clausula illa Sedem eam a reformatione *salvam*, hoc est, quod ajunt, [illegible] præstat. Pallavicini emplastra huic aliisque Concilii ulceribus obducta alibi discussimus. 3. Julii Clementis verba clarissima sunt. Non ille dixit, se ignorare, an aliunde ea compensatio facta sit; sed *nosse illos, qui contributionibus colligendis præfecti sunt.* Hæc verba quid sibi velint, ultro constat. Testabantur contributionibus præfecti, & thesauri Papæ undique corrasi. Cur vero ad auctæ per Concilium Pontificiæ potestatis argumenta, ex eodem Julio Clemente a me repetita, non respondes? Res certior & notior est, quam ut ab impudente etiam calamo negari queat. 4 Non ita Concilio Constantiensi visum est. Nam Sess. IV. definit & declarat, quòd *ipsa Synodus* (à nullo tum Pontifice animata) *in Spiritu S. congregata, legitimè Generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem à Christo immediatè habeat, cui quilibet cujuscunque status vel dignitatis, etiamsi Papalis, existat, obedire teneatur in his quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti schismatis, ac reformationem generalem Ecclesiæ Dei in Capite & membris.* Eadem repetuntur Sess. V. ubi insuper declaratur, quod *quicunque cujuscunque conditionis, status, dignitatis, etiam Papalis, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus aut præceptis hujus Synodi, vel cujuscunque alterius Concilii Generalis legitimè congregati, super præmissis, seu ad ea pertinentibus factis vel faciendis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condigna*

dignæ pœnitentiæ subjiciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia remedia juris, si opus fuerit, recurrendo. Quæ decreta Constantiensis Synodi ipse Martinus V. Papa *Seß. XXIV. & ult.* solenniter & Papaliter confirmavit. Legi, quæ in novissimo opere tuo, cui *Inextinctæ S. Concilii Tridentini veritatis* Author (hoc enim ibi nomine parum glorioso Tibi, uti jam melior orbis intelligit, alter velut Herostratus, te jactare non erubuisti) *Oecumenicæ Cathedræ Apostolicæ Authoritatis* pomposum titulum præfixisti; ex Emmanuele Schelstraten, Romano Bibliothecario, ad minuendam decretorum horum fidem *pag.* 564. *&c* nec non *pag.* 318. *&c.* compilasti. Sed nec Gallis illa satisfacient, nec cuiquam, cui aliquid in læva salit. Celeb. Vir, D. Gilbertus Burnetus, maximo suo merito non ita pridem Sarisberiensis in Anglia Episcopus lectus, Romæ eam in rem cum ipso Schelstrateno contulit, & Vulgatæ lectionis *Seß. IV.* nec non Confirmationis Martinianæ γνησιότητα coram vindicavit. uti *Itenerarii* ejus *p. II. pag.* 186. *&c.* colloquium illud descriptum videre licet.

ARG. VII. Decreta Synodi multa ambigua & flexiloqua, ac talia planè sunt, qualia Apollini potiùs λοξῶς μαντεύοντι, quàm Christano Concilio conveniunt. Unde Tridentina illa decreta *Herculis cothurnos* nonnemo ex Papistis meritò appellavit. V. G. Canones de Natura & Gratia adeò ambiguè concepti sunt, ut durante Concilio Dominicus Soto & Andreas Vega libros emittentes, in plerisque è diametro contrariantes, utrique tamen ad Tridentinos Canones animosè provocaverint. Ubi necessum est, vel subtilissimos illos viros Concilii, cujus ipsi pars erant, mentem penetrare non potuisse, quod fidem superat: vel Conciliaria decreta sensus alternantes habuisse. Ministri intentionem requiri ad Sacramenti integritatem, sub anathemate Synodus definivit. Et tamen stante Concilio Minorensis Episcopus contra intentionis necessitatem librum scripsit, in quo ipsius Concilii clypeo se defendit. Quis hodie festivos lusus Jansenitarum & Molinistarum in argumento de Natura & Gratia, Contritione & Attritione, in quo utrique totis quamvis dissidentes castris, Tridentini Concilii pro se decreta allegant, ignorat? Notus quoque est Dionysii Petavii & Abbatis de interpretandis ex Augustini doctrina Concilii decretis conflictus. Meritò igitur dixit Historicus, *Patres Tridentinos verborum unitatem, non rerum consensionem sectatos esse.* Hinc nempe est, quòd modernis Sophistis, tam ampla litigandi sedes relicta est: quódque infausti nonnulli Henotici, Walenburgii inprimis, ac novissimè Benignus Bossuetus, Episcopus Condomiensis, ea Tridentinorum decretorum generalitate innixi, simplicibus persuadere laborant, nos in plerisque ὁμοδογματεῖν, adeóque ferrum luto combinare conantur.

RESP. REDING: 1. *Patres equidem Concilii soliti sunt ad dogmatis substantiam, quâ ex fide sanciendam, eatenus attendere, ut una studuerint tali verborum formulæ, per quam subtilitates scholasticæ probabilitatis metam haud excedentes, ex neutra parte elevarentur. Hæc*

causa est, quòd Theologi diversa sentientes quique pro se decreta Concilii quandoque allegant. 2. *Jansenistarum & Molinistarum, similésque controversiæ reducuntur ad subtilitatem Scholasticam, à summis Pontificibus hactenus indecisam.* Ibid. pag. 450-453. Resp. 1. In ipsa quoque dogmatum substantia definienda ambiguis terminis, & quidem consulto usos esse Tridentinos, passim, inprimis in quæstionibus controversis de efficacia Sacramentorum, de intentione Sacerdotis, de absoluta necessitate Baptismi, de attritione, extrema unctione, Purgatorio, invocatione Sanctorum, cultu reliquiarum, imaginum, &c. ostendimus. Ne in subtilitatibus quidem æquivocæ formulæ probantur, inprimis a Concilio, quod se Veritatis magistram profitetur, cusæ. Ubique enim veritati planis verbis litandum est. Quid porro monstri alat substantiæ dogmatum, & Scholasticarum subtilitatum distinctio, non semel alibi explicavimus. 2. Mirum sanè, controversias Jansenistas inter & Molinistas agitatas ad subtilitates Scholasticas indecisas a Te relegari. Non est equidem hujus loci, controversiarum earum indolem & momentum expendere. Sufficit enim ad vim argumenti à me instructi, quòd utrique pro se Tridentinas definitiones allegant, quod ipse et negare ausus non es. Hinc de Tridentinis cothurnis judicare licet. Te vero, Redingi, pronuntiare ausum, quod controversiæ illæ ad *subtilitates Scholasticas indecisas* releganda sint! Ne hoc audiant Jesuitæ, in Gallia inprimis, ubi carcere crimen hoc tibi forte expiandum esset. Dicerent illi, & decisas esse ab Innocentio X. *non Theologi* controversias: & non minoris momenti esse, quàm eæ sunt, quæ cum Calvinistis intercedunt. & Jansenistas pœna haud immitiore dignos esse, quam sunt Calvinistæ. Testantur id immanissimæ, quas in Gallia sustinent, persecutiones, quarum historiam Franciscus Picto vestras *Tract. de afflictione Ecclesiæ Gallicanæ* novissime pertexuit.

ARG. VIII. Quo Spiritu Concilium hoc agitatum & transactum sit, docent tot viæ carnis, tot artificiorum humanorum in causa Dei & re pietatis adhibitorum luculenta vestigia, quæ Divino nutu excitatus ad omnem posteritatem transmisit Paulus Sarpius, Venetus, qui, ut formidandas, & plumbeas, imò igneas suorum iras effugeret, per χαμαι[illegible]σμῷ Italica Phrasi observata, *Petrus Suavis Polanus audire* voluit. Cui sanè fidem constare oportet, tum quia in communione Romana vixit & obiit; tum quia ex probatissimis Authoribus, puta Sleidano, Thuano, Joh. Baptista Adriano, Onuphrio, aliis; nec non fide dignissimis documentis & Memoriis, Archivis, Grammatophylaciis eorum, qui Concilio interfuerunt, puta Oratorum Principum, Cardinalium, Episcoporum, inprimis Episcopi Fabrianensis, Card. Montani & Amulii, ac inprimis Caroli de Vicecomitibus Episcopi Ventimigliensis, Epistolis jussu Pontificis de omnibus, quæ in Concilio agebantur, etiam Secretissimis pœne quotidie ad Cardinalem Borromeum exaratis, addo etiam Camilli Olivi Mantuano à Secretis familiaritate historiam eam composuit: tum quia in multis ecclesiæ Pontificiæ ipsique Concilio favet: tum quia odii & amoris causas procul habuit: tum quia [illegible] inter præcipuos Ministros Reipublicæ Venetæ, & Principis illius, qui a Tridentino Concilio, aliisque Pontificiis, uti osten-

dit

dit Author à Stanislao Felic vulgatus *Discuss. 4. Judic. pag 23. 24.* maximi habitus fuit: tum quia talia ne ab ingeniosissimo quidem fingi possent, & ficta esse nulla justa suspicio est: tum quia viri doctissimi post editam primùm historiam illam refutationem aggressi, victi veritate, vadimonium deseruerunt, & octo annorum lustris nemo repertus est, qui cum Historia ea aperto Marte confligere sustineret, quamvis constet, vindices à Papa quæsitos esse, ipséque Terentius Alciatus, Vir ingeniosissimus, triginta annorum spatio in Historia ea refutanda occupatus, non ausus tamen est refutationem suam luci credere: tum quia Nicolaus Riccardius, S. Palatii Apostolici Magister, *monstrum eruditionis* dictus, rogatus provinciam refutandæ Historiæ hujus detrectavit, teste eodem Authore à Stanislao Felic vulgato *Discuss. 4 judic. pag. 9* tum quia Scipio Henricus ex ipso Suavi Historiam hujus Concilii confecit, in reliquis verò, in quibus eidem Suavi derogare conatus est, nihil nisi nugatorem egit, uti ex meis vindiciis liquet: tum quia etiam Sforza Pallavicinus Suavis refutationem operosis voluminibus aggressus, in multis tamen ei consentit, in reliquis verò, quibus Suavi fidem detrahere conatus est, vanitatis, arrogantiæ, inscitiæ, prævaricationis, ineptiarum & putidarum adversus Suavem calumniarum, ab ipsis Pontificiis scriptoribus gravissimis, inprimis Comite Julio Clemente Scoto, à Stanislao Felic vulgato, Cæsare Aquilinio convictus est: tum denique quia etiam post Historiam Pallavicini publici juris factam, apud cordatos in ipso Papatu viros, Suavis & Pallavicini Historiam invicem contendentes, Suavis majori quàm antehac unquam in pretio haberi cœpit. Prætereo multa, quæ pro Suave dixit in Præfatione ejus Interpres Adam Neutonus, & in vita ejusdem Pater Fulgentius, ac non ita pridem Amelotus de la Houssaye, Galliæ apud Venetos Legati Secretarius. Ne jam dicam, ipsum Pallavicinum, uti testantur Pontificii Authores, non dissimulare multas Patrum Concilii artes, machinationes, propensiones in Papam, & propria commoda, odia, rixas, dissensiones, aliáque pravorum affectuum certissima indicia; & malarum ejusmodi artium conscientiâ, Papam, Legatos & Præsules, Concilii hujus acta publicæ luci credere ausos non fuisse. Jam ut Spiritus S. adsit & præsit Concilio Generali, debent Episcopi ad illud vocati *habere affectionem veritatis, sine privatis commodis & affectionibus humanis, Orationibus communibus & privatis diligenter insistere, indaganda veritati fidei & morum per Scripturas sacras &c. Tunc enim & non aliter, ut Roffensis contra Lutherum, & noster Horantius secundum Hieronymum, Augustinum &c. sentiunt, congregantur in nomine Christi & faciunt quod in se est, quibus ipse suam assistentiam promisit &c.* verba sunt Cordubæ *lib. 4. Quæst. Theol. q. 1. Propos. 9.* Subsumo: Patres Tridentini

 con-

congregati ſunt non cum affectione veritatis, ſed cum privatis commodis, affectionibus humanis, malis artibus, politicis technis & Sathanæ ſtratagematibus &c. uti hiſtoria omni exceptione major teſtatur. Non igitur in nomine Chriſti congregati ſunt, neque adeò aſſiſtentem Spiritum S. habuerunt.

RESP. REDING: 1. *Quam fidem Suavis Polanus, ſeu Paulus Sarpius mereatur, liquet ex fide, quam authores, quibus hiſtoria ejus innititur, Sleidanus Camillus Olivus, Ferrerius, merentur. Sleidanus hæreticorum fautor, hiſtoriam ſuam à Jacobo Sturmio pariter hæretico, ſe deſumpſiſſe, fatetur. Mendaciorum idem convictus eſt a Surio, Fontano, Poſſevino. Camillus Olivus, priusquam cum eo amicitiam Sarpius contraxiſſet, diu carcere concluſus fuit à Sacro Fidei Quæſitorum Tribunali; dimiſſus quidem, ſed non recuperata Pontificum gratia. Ferrerius in ſuſpicionem adductus eſt, quòd Hugonotus, imò atheus eſſet. Certè ex mercatura religionis ingens lucrum aucupabatur, promiſſa Pontifici per Sebaſtianum Gualterium, Epiſcopum Viterbienſem, Papæ in Gallia nuntium opera. quo non ſuccedente in rabiem converſus eſt. 2. Hiſtoriæ ejus apud multos gratiam peperit vituperatio in eos jacta, quibus circa nos juriſdictionem, vel obſequium deferimus: authoris conditio, qui ſub R. Pontificis obedientia natus & educatus; induſtria, animi firmitas circa id, quòd affirmavit; mora reſponſionis, quaſi orta ex inſuperabili difficultate reſpondendi. Cujus tamen moræ ea ratio fuit, quòd liber ille nullas contra capita fidei Romanæ rationes attulit, ſed meras mi[illegible]umque probatas narrationes. quibus reſpondere leviſſimi negotii fuit. Multæ etiam Satyræ nunquam refutatæ ſunt. Quin & præſumptio potiùs fuit pro tanto conſeſſu, in quo collectum fuerat, quicquid ſapientia, authoritate, prudentia in toto humano genere excellebat. Quia tamen charitas etiam illi offenſioni remedium afferre debet, quam Scholæ ſcandalum puſillorum appellant; ideo poſt aliquod tempus prodiit Terentius Alciatus, qui confutationem Suavis aggreſſus, verùm ac rerum in Concilio geſtarum hiſtoriam contexuit, à Pallavicino poſtea perfectam. 3. Synodus acta ſua non promulgavit, ob immenſam eorum prolixitatem, & decretorum ipſorum ubertatem. Vel ſola enim decreta æquant propemodum cuncta ſimul à reliquis Conciliis ſancita. Quantam ergo in molem acta excreviſſent? 4. Mirum non eſt, Pallavicini hiſtoriam non omnibus noſtris æquè arriſiſſe. In ipſo enim Papatu quandoque reperiuntur ingenia depravata politicæ principiorum perquam ſtudioſa. Ejuſmodi autem aſtutiæ & publicarum machinationum genus ex ipſo Suaviano opere haud difficulter addiſcere licet. 5. Alia ratio eſt ſingulorum Patrum in Concilio coëuntium: alia univerſi Concilii. Hujus in nomine Chriſti, ſeu vicaria ejus authoritate congregati in medio ſe futurum Chriſtus promiſit. Cui nihil derogare poteſt, licet plures Patrum in eo concurrentium privatis commodis, humanis affectionibus, Sathanæ ſtratagematis & Politicis artibus abrepti, indulgerent. Semper enim prævalebunt cætus ejuſmodi definitiones ex ſuffragiorum pluralitate per vicariam Chriſti authoritatem comprobata æſtimandæ.* Ibid. pag. 454-459. Reſp. 1. De authoribus & documentis, quorum fidei Suavis hiſtoria innititur, infra *ad Object. VIII* plura diximus: ubi non ſolis Sleidano, Olivo, Ferrerio, ſed aliis pluribus fide digniſſimis inniti diximus: & plura poſt me dixit ſupra citatus Amelotus veſtras, in Præfatione doctiſſima, quam Gallicæ Suavianæ hiſtoriæ tranſlationi præfixit. ubi etiam Pallavicini de Sleidano, Olivo, Ferrerio objectionem, a Redingio deſcriptam diluit. Verbis ergo Ameloti hujus Latinum in idioma tranſfuſis Pallavicino, & compilatori ejus Redingio reſpondere juvabit. Sic autem ille *Præfat.* pag. 8. &c. ſcribit: *Cardinalis Pallavicinus quarto Introductionis ſuæ capite perſuaſum cupit,*

Hiſto-

Historiam Svavis seu Fratris Pauli ideo falsam esse & erroneam, quòd narrationes & instructiones suas cùm ex Sleidano, quem insigniter mendacem, atque alibi, Svavis Evangelistam esse ait, tum ex relationibus Camilli Olivi, Cardinali Mantuano à secretis, denique etiam ex memorialibus atque literis Præsidis Ferrerii & de Pibrac, Galliæ in Concilio Trid. Oratorum, hausta esset. Verùm enimverò fuerit prior ille fidei professione Lutheranus, reliquique tres novæ religionis favore suspecti fuerint, nil utique obstat, quò minus sæpius vera asseruerint, in rebus cumprimis facti, publicèque gestis, quæ haud facilè dissimulari immutarive queunt. Quod ad Præsidem Ferrerium & Pibracum attinet, verisimile cuiquam fiat, eos vel famæ, vel cæterorum suorum commodorum eò usque fuisse oblituros, ut res ejusmodi perscribendo vel se aliis ludibrio exponerent, vel Regi suo, religioni Pontificiæ addictissimo, imposituri viderentur, ea ipsi nunciando, de quorum falsitate ab ipsis Galliæ Episcopis, qui rebus in Concilio gestis ipsi interfuerunt, convinci potuissent, cùm ex adverso nil nisi consciis ac consentientibus Prælatis illis unquam fecerint, cumprimus verò pio illo atque docto Episcopo Vauriense. id quod alibi Ferrerius in sua ad Card. Lotharingum de Protestatione contra Concilium facta, epistola disertè testatur. Nolo, inquit, esse adeò iners Athleta, ut velim in extremo actu me contemnere. De Secretario Olivo ipse Cardinalis ait; nescire se, fueritne is calumniator, an qui calumniam ferret, vult scilicet, authorem nostrum ea referre, quæ ex ipsómet nunquam audiverit. De hoc verò quicquid fiat, id saltem Cardinalis negare non ausis, Olivum rectè informatum fuisse, & consequenter Svavem, ceu intimum ejus amicum (alter licet ideo de hoc ambigere videatur, quod nonnulla sinistrè de illo fuerunt nuntiata) meritò instructionibus ejus nixum fuisse. Sleidanus licèt ubique ferè infensum in Catholicos gerat animum; Svavis tamen, Historiam ejus pluribus in locis citando, nec affectus ejus probavit, nec venenum hausit, quod ipsum Cardinalis diffiteri non potuit, dum Sleidanum mendaciis & malitia Svavem superare; Svavem verò exemplo suo tritam illam regulam; qua imitatio ipso malo deterior dicitur, falsitatis arguisse asserit. Quòd si Author meus Historiam suam nonnisi ex memorialibus & notis quatuor istorum modò memoratorum sive suspectorum sive apertè inimicorum hominum hausisset; haud equidem diffiteor, eam aliquo modo sublestæ fidei videri posse; ac proin Cardinalem eum haud abs re accusare, quòd studio & datâ operâ optimas posthabuerit & neglexerit instructiones. Verùm mirari satis non possum, Cardinalem non fuisse veritum asserere, Svavem nonnisi ex turbido latice suas hausisse aquas; cùm interim ipse negare non ausit, eundem rerum per Marcum Antonium de Muta, Reipub. Venetæ Oratorem apud Papam Pium IV tractatarum optimè conscium, adeóque fassum fuisse, multum sibi ex Oratoris illius literis affulsisse lucis. Quid quod Mutanus ea in Curia Pontificia polluit & gratia & auctoritate, ut quamtumvis renitens ad Cardinalitium evectus fuerit fastigium, quin eo Papa ipsum dignatus est honore, ut in pleno Cardinalium consessu eundem Vas suum Electionis compellârit; adeóque Cardinalis hoc nomine Svavem piaculo differendi, quòd ex Mutani literis nonnisi fæces & sedimentum in Historiam suam transfuderit, causam habuit nullam; sed sic Svavem vel sano sensu vel fide destitutum, orbi persuadere voluit. Verùm ex Caroli de Vicecomitibus Episcopi Vintimigliensis, & Pio IV à secretis Consiliis, literis alia omnia demonstrari possent. Nihil enim Svavis in tribus posterioribus Historiæ suæ libris de celebri illa multúmque ac diu agitata quæstione de Residentia & Institutione Episcoporum memorat, quod non ex Præsulis illius notis & memorialibus excerpserit, quin ausim affirmare, quod si literæ ipsæ integræ, id est, non castratæ, publicæ luci fuissent datæ, neminem non posthabitis affectibus odiisque, omnésque æquos rerum æstimatores deprehensuros fuisse Svavem multò plura quàm attulit, afferre potuisse, si ei ipsi animus fuisset; quin laudaturos potiùs moderatum ejus animum, quàm

Sa-

Satyricam ejus nescio quam animositatem, cujus ipsum tantopere Cardinalis accusat, exprobraturos. Quin bona ejus fides & exquisitus agendi modus ex illis omnibus, quæ de negotiationibus Oratorum nostrorum in Concilio refert, satis elucet. Ex Collatis enim narrationibus ipsius cum typis publicè editis D. D. du Puy memorialibus, (quibus instructiones & literæ ipsæ iis ad Concilium missæ comprehenduntur) Svavem haud temerè sic vel scripsisse, vel locutum esse, liquidissimè patebit. Quæ ipsa etiam causa est quod per totum fermè opus hoc id dederim operam, ut margini ipsa Scriptorum originalium verba apponerentur, quo lector æquus facilius se ex falsis illis, quibus nos rudes quidam, rerúmque ignari Monachi, totque perverso pro Curia Romana zelo in transversum abrepti gnathones immeritò premunt, opinionibus, expedire possit. Quod ipsum pariter haud parum facit ad tuendos Ferrerium & Pibracium. Collatis enim inter se iis, quæ in Concilio & fecerunt & locuti sunt, cum instructionibus iisdem datis, eos nil præter ultráve Principis sui mandata fecisse patebit, uti colligere est ex approbatione fulminantis illius Ferrerii contra Concilium, ringente & amoliente licet Card. Lotharingo, factæ Protestationis à Rege Carolo IX. perhibita. Cæterum non est quod quisquam miretur, istos Galliæ Oratores curiæ Romanæ adeò fuisse suspectos, quandoquidem tunc temporis non solùm in ea pervulgatum fuerit dicere, universum Galliæ Senatum, quin ipsum etiam Parisiense Parlamentum novæ Hugenottorum religionis labe conspersum esse; sed eadem etiam Curia Papæ suasit, ut Hospitalium Cancellarium Regni, ipsúmque adeo Parlamentum, tanquam Corpus Hæresi infectum ad tribunal suum citaret. Egregium scilicet consilium excitandi schismatis. Nunc igitur cuivis proclive est judicare, sitne Historia Cardinalis, ab inertibus Monachis, cæterisque Rom. Curiæ affectis tantopere jactata, majoris, quàm hæc Authoris nostri facienda. Hactenus ille, ex sinu vestro testis. 2. Veras & falsas causas ejus favoris, quo cordati plerique omnes vestrarum etiam partium, in historiam Svavianam, statim atque illa prodiit, ferebantur, commisces. Vituperatum ab eo quenquam immeritò, nunquam probaveris. Testis eorum fuit, quæ dicta & gesta sunt, integerrimus. Testis autem nec laudat ipse, nec vituperat, sed laude & vituperio digna narrat. Industria, judicium, constantia in dictis historiarum scriptores quosvis meritò, & apud cordatos omnes, commendant. Mora responsionis ad historiam Svavianam eorum, quorum respondere sine mora plurimum interverat, ejusdem fidem confirmat sanè. Satyra enim responsione indigna, qualis jure merito Pallavicini historia in plerisque voluminum paginis ipsimet Julio Clementi vestro audit, neutiquam illa fuit. Qualis verò præsumptio de tanto consessu fuit? Nam lecta sibi illa vulgare ne quidem sustinuit, ut judicium ex approbata ab eo historia alterutram in partem ferri posset. Quin & consessus ille ex capite potissimum ejus, hoc est Papa & legatis ejus æstimatur. Contra hos autem validior longè, quàm contra Svavem ipsum, præsumptio est; quia illi commodis suis unicè & ubique velificati sunt: hic ex narratione sua commodum nullum percepit, vel percipere potuit. Si denique charitas, quæ *scandala pusillorum*, uti ex Pallavicino tuo loqueris, remedium affert, responsionem flagitavit, cur tandiu illa dilata est? Cur non infirmorum offensioni ilico cautum est? Cavere quidem conatus est Terentius ille Alciatus, cujus meministi, Jesuita ingeniosissimus, sed infeliciter satis. Nam triginta annis in responsione consumptis licet, eam tamen vulgare ausus non est, quia ætatem ferre, & plausum mereri posse desperavit. Ejus vero in labores successit Pallavicinus audacior paulò, qui cùm (verbis Julii Clementis ipsius, quæ *pag.* [illegible] extant, utor) *materiam maxima ex parte ab Alciato paratam reperisset (aliqui vel saltem in voluminum fronte aliqua mentio facta fuisset Alciati, in sinceri, omnique ilico parentis, & non grati saltem animi argumentum) quinque annorum decursu non confecisset primum volu-*

men

men A. 1656. Romæ excusum, cùm ipse post Alciati obitum circa finem A. 1651. eam susceperit provinciam, formam huic materiæ jam adornatæ impertiens, ut ipse fatetur, quæ in stylo maximè apparet. An verò prudens fuerit in perpolienda omni materia, quam paraverat Alciatus, dubitari potest, ac meritò, si omnem perpolivit; quam forsan haud totam publici fecisset juris, homo sanè prudentissimus. Quod de scandalo pusillorum evellendo Pallavicinus dixerat, sic idem Julius Clemens refellit: *Quid si non evulsum, sed mirificè illud auctum, quod Theologi vocant acceptum, ac etiam additum ex ipsamet Pallavicini historia, quod dicitur datum, estque in agente, non in passo! Pusilli etiam num igenio judicióque existimantur à Pallavicino omnes illi, qui, exceptis dogmatibus, fidem illi historiæ adhibuerunt? Præterea triginta septem annorum spatio permissum fuit hoc scandalum, & tam grave, fidelium animis ab hominibus de animarum salute valde solicitis; ac hæreticis non sublata brevi occasio nos subsannandi, quòd legitimum existimaremus Concilium Tridentinum, quod illegitimum esse è nostris etiam quidam in sua ostenderat historia, cujus confutatio non statim edita fuerat? Etenim historiæ Suavis lectio Romæ interdicta haud illius falsitatem evincebat, cùm aliis etiam de causis & Politicis quoque, libri Romæ vetentur, ac notum esset, historiæ authorem esse plerisque saltem Romanæ Curiæ ac Primoribus valde invisum. Si, teste Pallavicino lib. XX. 17. maledicentia eam vim habet suadendi, ut humanæ fidei domina evadat, nisi statim contra maledicum testimonium excipiatur; cur tot annorum lustris exceptiones non propositæ palam contra maledicam, ut ajunt, Suavis historiam? Ne humanæ fidei hæc domina evaderet, annon summæ charitatis in proximos, & pietatis in Ecclesiam fuit?* 3. Causas non vulgatorum à Tridentinis actorum alias Scipio Henricus: alias Pallavicinus, & ex eodem Redingius, perhibent. Parùm sibi malarum causarum patroni constant. Henrici prætextus *Not. ad Histor. & Decr. Sess. II.* inanes esse, convicimus. Nec solidiores Pallavicinus attulit, immensam eorum prolixitatem caussatus. *Prolixitas actorum Concilii Tridentini* (malo rem denuo Julii Clementis totidem verbis exponere, quia & Pontificius is fuit, & liber, suppressus quippe, paucorum in manibus versatur) *haud satis est ad excusationem, quòd illa non fuerint celebrium instar præ aliis Generalium Conciliorum promulgata. Prolixè siquidem narrantur Actiones sexdecim Concilii Chalcedonensis sub Leone I. A. 451. Actiones decem & octo VI. Synodi Constantinopolitanæ sub Agathone A. 680. Et nonne in sex tomos valde amplos Ephesini Concilii sub Cælestino I. acta distribuit P. Theodorus Peltanus, Vir egregius, ex eadem cum Pallavicino Societate, ut videre est in Tomo 1. Conciliorum? Illa quidem evulgare prudens jam consilium fuit, ne præberetur hæreticis occasio semet stabiliendi in suis sensibus, & subtraheretur Catholicis parùm sapientibus occasio minori in pretio, quàm priùs, habendi decreta Tridentini Concilii. Si autem illorum notitia non est necessaria, cur ipsemet Pallavicinus eam modò impertit, & plus quàm Suavis confutatio exigebat, & Italico etiam idiomate? Nec id tribuendum editionis incommoditati. Nam libri alii prolixiores, quàm liber Tridentini Concilii acta comprehendens, indies eduntur. Hæc siquidem non retraxit Pallavicinum à suorum editione voluminum cum characteribus quoque, paginisque non consuetis. Sumptus pro illis fecissent enimverò Pontifices Summi, si illorum evulgationem Romanæ Ecclesiæ opportunam censuissent. Præterquam non defuissent alii non solùm è studiosis Romanæ Ecclesiæ, verùm etiam è Bibliopolis ac librariis ipsismet lucri cupidis inde reportandi, qui pecuniam vel operam ad illorum impressionem impendissent, cùm à multis illa quærerentur, nedum curiosis, sed & doctissimis viris. Ex his enim se posse putabant assequi sensum multorum hujus Concilii decretorum, quæ ambiguos admittunt sensus, ac non paucos scriptores in contrarias trahunt partes. Multò minùs obstare potuit eorum promulgationi, quod*

addit Pallavicinus, nec unam in iis lineam reperiri de Politicis materiis, sed solùm ab illis comprehendi ceremonias ac disputationes; tum quia nec alia Conciliorum Generalium acta Politicas exponere solent materias, & nihilominus multorum ex ipsis edita fuerunt acta: tum quia Disputationum notitia utilis esse poterat ad complures decretorum sensus noscendos: tum quia continent alia præter disputationes ac ceremonias, ut patet non rarò in Pallavicini narrationibus. Certè non est disputationum ac ceremoniarum narratio illa, quam exhibet ex Actis ipsis fusè illorum, quæ contigerunt inter Episcopos Cavensem & Chironensem, inter Cardinales Monte, Madrutium & Paciecum. 4. Cùm Papatus totus non sit aliud quàm Politicum vaframentum, vel Monarchia temporalis nomine Spiritualis fucata, mirum equidem non est, te ipso fatente, in Papatu reperiri ingenia depravatæ politiæ principiorum perquam studiosa. Imò quotquot Papatum tuentur, non aliis quàm perversæ Politices principiis eum tueri possunt. Hæc causa est, quòd Politices Papalis consultis Pallavicini historia astutissima, principiis illis maximè abundans, arridet: contra Svaviana, ab illis remotissima, sordet. Neque aliud discrimen est, quàm quòd Pallavicinus profunditates illas Sathanæ docet, & à Tridentinis usurpatas propugnat; contra Svavis easdem à Tridentinis adhibitas narrat, & non obscurè detestatur. Hæc non postrema causa historiæ Svavis bonorum omnium favorem conciliavit. 5. Non eadem equidem ratio est membrorum cœtus, quæ cœtus ipsius est, uti vel solus cœtus Apostolorum probat. Sed Tridentinus cœtus in capite suo Papa, ejúsque legatis, & consentientibus illis vasallis, æstimatus, ille ipse videlicet est, qui Papatum malis artibus quæsitum, iisdem ruentem sustentavit. Non fuit in eorum medio, crede Redingi, Christi, sed fuit Papæ solius Bulgaris, uti Lansacus dixit, & Ferdinandus Imperator confirmavit, spiritus. In hujus enim, non illius, nomine congregati sua quæsiverunt artibus suis, hoc est, humanis, carnalibus; non quæ Christi sunt, Divinis rationibus artibus, studiis. Cœtera mea pleraq; cur sic sicco pede, Redingi, præteris?

ARG. IX. Concilii illius in ipso Papatu fructus nullus, vel certè exiguus emicuit, & si quæ salutariter constituta videri potuerunt, ea conniventibus Papa & Episcopis in nervum haud eruperunt; denique inde à Concilio res in pejus vergere visæ sunt. Id fusè demonstratum à Scriptore Pontificio doctissimo ac integerrimo sæpius laudato, nimirum Comite Julio Clemente Scoto, nomine *Stanislai Felic* vulgato, *Not. Moral. &c. pag.* 60. 61. 70. 71. Pauca ex eo excerpere, cùm ab Indice Romano, bonorum librorum jurato hoste, proscriptus & ἄφαντος factus sit, non pigebit. *Ut omittatur*, inquit, *aliquot & non exigui ponderis Tridentini Concilii decreta non servari, ut de lectione Sacræ Scripturæ, cujus loco alia præcipuè apud Regulares reposita; de admittendis ad Sacros inprimis Ordines, ecclesiasticásque dignitates, de munere suo explendo à constitutis in Minoribus, de Conciliis Provincialibus ac Diœcesanis, de Dispensationibus &c. Observant aliqui, post Tridentinum Concilium ingentem defectum.* 1. Venerationis ecclesiarum, *in qua Catholicis præstant nedum Græci Schismatici, verùm & Hebræi ac Turcæ ipsimet.* 2. Humilitatis Christianæ. *Nam plurimi mercantur etiam titulos, ut aliis sint pares vel superiores, quærunt nonnulla observantiæ & venerationis signa olim insueta, vel non debita, quæ nisi exhibeantur, indignantur, & indignationis argumenta*

præ-

prabent &c. ferè toti sunt in suis, vel sua communitatis laudibus extollendis, ac interdum falsis; humanam duntaxat gloriam in actionibus cateroquin piis, ut in adificandis ecclesiis, donanda supellectile &c. propositam habent. 3. Dierum festorum observationis. *Nam cùm illi sint indicti ad Dei cultum, plerique damonem potiùs colunt, indulgentes Veneri, gula, ludis; quamobrem multi existimant, officinas diebus festis ex pracepto non debere esse clausas, &c.* 4. Simplicitatis Christianæ à Deo commendatæ Matth. X. 16. *non solùm in vestitu & victu, in quibus negari non potest, quin modò ingens sit excessus, ac indies amplificetur cum animarum & rei familiaris detrimento; verùm in verbis & factis, ita ut vix unus alteri fidem habere possit, quod à non paucis adscribitur sententia hoc Seculo propagata de restrictione mentali, causísque ea utendi. Apud plerosque inducta fuit hinc opinio, quòd liceret publicum & religiosum cultum exhibere idolo, eidem offerre incensum, flores, &c. dummodo crucem vel in manu gestaret, vel inter flores aut supra pectus repositam quis haberet. Quot simulationes in vultu, gestu, aliísque motibus corporis? & Calliditas & fallacia simplicitatis loco subrogata &c.* 5 Prudentiæ Christianæ, *qua dictat, nunquam salutem aternam posthabendam esse commodis temporalibus; cui substituta est à non paucis Politica quadam falsa ac Ethnica, dictans, dummodo quis temporalem, vel sui status felicitatem assequatur, nullam juris Divini vel naturalis rationem habendam, ita ut illa sit omnium prorsus suprema lex, quam amplectuntur inprimis illi (quorum hoc Seculo major numerus, quàm Lutheranorum, Calvinistarum &c.) qui à quibusdam Politici appellantur, Atheismo infecti &c. Utinam non hoc nomine Ecclesiastica dignitates, etiam primaria, compluribus deferantur!* 6. Charitatis, *qua apparet tum in non erogandis pauperibus verè superfluis, & qua à tineis vel muribus sapissime corroduntur, inprimis apud ecclesiasticos, quibus probatur haretica opinio, quòd sola charitate, non ex justitia ad superfluorum erogationem in pauperes teneantur: tum in bellis inter Principes: tum in inimicitiis perpetuis non rarò inter pracipuas in Civitatibus familias &c. tum in odiis complurium immortalibus, prasertim inter ecclesiasticos & Regulares: tum in detractionis communissimo vitio, quod à nobilissima Societate in alios Claustrales manavit.* Hæc latè executus author ille, postea allegat judicia tum Francisci Stadeni, *quòd post Tridentinum Concilium aucta fuerit pompa, calliditas & avaritia inter Catholicos:* tum Urbani VII. Constitutione Anno 1625. vulgata multum de simplicitatis & sinceritatis defectu, nec non Alexandri VII. de morum & opinionum in Theologiam Moralem hoc Seculo inductarum licentia indies grassante & cauterio cohibenda, acerbè quiritantium. Cùm igitur & agnoscat ultro & probet Vir tantus, post Concilium Tridentinum in pejus omnia ivisse, & ipsorum, si quæ fuerunt, salutarium Concilii decretorum repagula rupta esse, meritò à nobis Concilium illud habetur Lernæa hydra, cujus resecto uno capite longè plura renascentia cernere fuit.

RESP. REDING: 1 *Hac ratione ipsam quoque Scripturam S. hydræ Lernea comparare fas esset. Hac enim quantumvis salutaria & doctrinæ & morum documenta efficacissimis verbis tradat, ejus tamen repagula passim rumpuntur, & in pejus omnia eunt.* 2. *Julius ille Clemens nimiùm omnia exaggerans ex paticularibus pravorum hominum factis, ad universam Ecclesiam Concilii Tridentini definitionibus adhærentem perperam argumentatur.* 3. *Vestra verò qualis vita sit, Erasmus ad Vulturium Neocomum scripsit; proferri sibi eum jubens, quem istud Evangelium ex comessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico verecundum reddiderit. Ego, inquit ille, tibi multos ostendam, qui facti sunt se ipsis deteriores.* 4. *Contra in Ecclesia Romana nequit ulla impuritas doctrinæ in ullo membrorum suorum habere locum, quin protinus è gremio ejus abjiciatur, qui veritati per Pontificiam in Concilio Oecumenico definitionem firmatæ reclamat. Ex qua radicali sanctitate, seù fidei puritate unicè vitæ formalis sanctitas resultare potest.* Ibid. pag. 459. 460. Resp. 1. Non licet, nec hac ratione licet. Scriptura enim est *sermo vivus & efficax*, Hebr. IV. 12. *sicut ignis, & sicut malleus petram dissipans*, Jerem. XXIII. 29. *Perinde atque imber & nix de Cælo descendit, & eò non redit, sed irrigat terram, & parere atque germinare eam facit, ut & serenti semen, & panem ad edendum: ita erit verbum meum, quod exit de ore meo. Non redibit ad me vacuum, sed faciet, quæcunque volo,* Esaj LV. 10. 11. Denique salvandis omnibus est *potentia Dei ad salutem* Rom. I. 16. *odor vitæ ad vitam*, 2. Cor II. 15. 16. Nunquam ergo Scriptura, & verbi Divini ex eadem prædicatio fructu suo destituitur. Et quotquot convertuntur, sanctificantur, salvantur, non alio medio, quàm Verbi Divini, convertuntur, sanctificantur, salvantur. At Tridentini Concilii nullus omnino ad veram pietatem & sanctimoniam fructus unquam emicuit: ad impietatem, idolomaniam, impuritatem, superbiam & emicuit & emicat semper plurimus; idque non tantùm vitio eorum, qui ei adhærent, sed inprimis vitio Concilii ipsius, cujus decreta de Scripturæ sensu, traditionibus, concupiscentia, natura & gratia, Sacerdotali absolutione, attritione sine charitate justificante, Missa, Cœlibatu Sacerdotum, cultu religioso creaturarum, &c. non alios quàm pudendos fructus protrudere possunt. 2. Non ergo Julius Clemens peccavit ὑπερβολῇ, sed potiùs μειώσει, omittens graviora longè ulcera: nec à particulari arguit. Saltem argumentum nostrum Ecclesiam Tridentinam ipsam, definitionibus suis imprægnatam ferit. Quanquam si particularia etiam post Concilium Tridentinum corruptiora evaserunt, non leve adversus illud præjudicium inde exsurgit. 3. Invalida tua illa λόγου περιτροπὴ est. Si qua enim profanitas apud professos Evangelium Christi se prodit, (uti etiam Apostolorum tempore quosdam ambulasse ut hostes crucis Christi, S. Paulus κλαίων *flens* questus est, Phil. III. 18.) illa non Evangelio ipsi, sed malitiæ profitentium non ἀληθείᾳ *veritate*, sed προφάσει *prætextu*, accepta referri debet. Et Erasmi quidem tempore imputari debuit Papatui ipsi, cujus fermentum altè nimis in animos hominum penetravit, adeò quidem ut peccatum occasione arrepta ex Evangelio sinistrè intellecto, perinde uti ex lege, omnem concupiscentiam operatum fuerit. Nituntur enim homines mali in vetitum, & libertatem in licentiam carnis convertunt. Possunt etiam illi, qui ab inquinamentis mundi liberati sunt per cognitionem Domini & Salvatoris Jesu Christi, & viam justitiæ cognoverunt, iisdem denuo implicari, & ad vomitum redire, 2. Pet. II. 20. &c. Sed electi assequuntur, Rom. XI. 17. neque aliter assequuntur, quàm præconio Evangelii obedientes. Si Erasmi judicio standum, quid de vobis, Monachi, fiet? Non aliter eritis extra mundum, quàm renes extra corpus animantis: hoc est, homines merè animales, mundani, seculares, impii. Hoc præcipuo colore vos *Meth. Theol.* p. 189. depingit.

pingit. Idem tamen Lutherum à vitæ sanctimonia non semel laudibus extulit. 4. E gremio Papalis Ecclesiæ extruditur, qui Papæ reclamat. Sed qui piè in hoc mundo vivere volunt, exeunt Roma. Jam pridem enim illa malè audivit.

ARG. X. Concilii hujus indictio, moderatio, norma, modus agendi, aliáque à veteribus Conciliis, Hierosolymitano, Niceno, aliisque probatis Oecumenicis δὶς διὰ πασῶν distat. Id tum ex ipsa Concilii hujus & veterum historia, si invicem conferatur, liquidò constare potest: tum demonstratum etiam luculenter est à doctissimo, Viro Joh. Jacobo Myllero, in accurata *συγκρίσει* Concilii Niceni primi Oecumenici, & Tridentini ultimi, saltem quantum ad scopum utriusque & authorem attinet.

Resp. Reding: *Objectionem hanc Suavianam Pallavicinus Introd. cap.* 11. 12. 13. *solidè diluit.* Ibid. pag. 460.-463. Resp. Agit Pallavicinus capitibus à te indigetatis de Conciliis, eorum origine, Concilii Occumenici definitione, eorundem numero, &c. Quæ à Julio Clemente Scoto *Not. Sex. qu. pag.* 102-136. ad partes vocata, egregiè perstringuntur. Sed Concilium Tridentinum cum Nicæno nuspiam ille contendit, nec contendere ausus est. At contendit Vir Cl. à me laudatu, & ex professo demonstravit, quantum æra lupinis distent.

ARG. XI. Neque etiam desunt Divina Oracula & præsagia, quibus Concilium hoc δακτυλοδείκτως notatur & insignitur. Sanè ut alia, inprimis Ezech. XXXIX. 11. &c. omittam; etiam Danielis XI. Capite, postquam Spiritus Dei historiam Antichristi futuri prophetico penicillo inde à v. 36. delineavit, & ad vivum expressit, subjicitur vers. 45. ויטע אהלי אפדנו בין ימים להר צבי קדש ובא עד קצו ואין עוזר לו: *Et plantabit tentoria cleri sui inter maria ad montem Sanctum & inclytum. Sed venit ad finem suum, nec ei quisquam opitulabitur.* Ubi vox אפדנו vel notat *clerum voluptarium* ab אפר & עדן, uti doctissimus Avenarius conjectavit: vel simpliciter *Clerum suum.* Radix enim אפר propriè de ornatu Sacro usurpatur, quo Sacerdotes Sacrificaturi utebantur. Hinc אפר *Ephod* Sacerdotalis investituræ Symbolum. Unde Rabbi Saadiah Comment. in Danielem docet, אהלי אפדנו *tentoria Appadna* nomen habere מאפידת אפוד *à religatione sacri cinguli, quod genus est operimenti cujusdam facti ad formam Ephod.* Eodem modo R. David Kimchi. Notatur voce hac fastus ille in regulari vestitu, puta infulis, galeris, palliis, pedis, crucibus, stolis, casulis albis, diversicoloribus cucullis, biretis, annulis, liripipiis, & universo personato Cleri in Concilio considentis habitu. Ipsa verò urbs Tridentina circumscribitur verbis, quibus ipsi tribuitur situs בין ימים להר צבי קדש *inter Maria ad montem sanctum & inclytum.* Notant *Maria* stylo Prophetico *populos*, interprete Spiritu S. Apoc. XVII. 1. coll. cum v. 15. *Mons* verò *Sanctus & inclytus*, locum, in quo est ecclesia, Europam puta, quæ alibi venit nomine *Insularum maris, Insularum gentium, Insu-*

larum Chittim. Verè Tridentum est *inter maria*, populos, puta Italiam & Germaniam duas principes Europæ nationes, cujus utriusque limitem constituit, & ab utroque latere hinc Galliam, illinc tractum Illyricum circumfusas habet; Hispania ab occasu, Polonia ab ortu, cum interjectis Arctois Regnis ferè æqualiter ab ea, tanquam centro suo distantibus. Unde Jesuitæ in Præfatione Canonibus Concilii Antuerpiæ editis præfixa, Tridentum vocant *Germanorum sentinam & Italorum perfugium.* Est etiam Tridentum locus *ad montem decorum & Sanctum*, situs in Europæ, ecclesiæ Evangelicæ Sedis, climate, ad latus meridionale orbis Christiani, quâ Româ in Regiones Transalpinas transitur. His observatis manifestum est, Tridentinum Concilium hoc loco velut stigmate notari. In præcedenti versu Antichristum rumores territuri dicuntur ab Oriente & Aquilone: *ab Oriente* videlicet de crescente potentia Turcarum, qui debellata Ægypto in ipsam Hungariam irruerunt, magnámque ejus partem occupârunt: *ab Aquilone* de prædicatione Evangelii in Germania, aliisque locis. Hinc exiturus dicitur *cum ira, ut perdat & interficiat multos.* Factum in bello Germanico cum Saxone Electore, & Landgravio Hassiæ, Hispanico cum Belgis, Gallico seu Ligæ cum Evangelicis &c. Sequitur v. 45. *Et plantabit tabernacula Cleri sui inter maria, ad montem decorum & sanctum.* Hebræis אהלי non tam militum sub dio degentium tuguria, quàm togatorum domicilia, Musarum castra notant. Ita igitur sive historiæ Antichristi eo capite descriptæ seriem, sive Prophetici styli genium expendimus, hoc loco Tridentinum Concilium planè concinnè circumscribitur, & notatur tanquam *plantatio tentoriorum Cleri inter maria, ad montem decorum & sanctum.* Sed addit Propheta: ובא עד קצו ואין עזר לו *Sed venit ad finem suum, nec quisquam ei opitulabitur.* Sensus est, molitionum Concilii istius conatum in fumum abiturum, effectúque cariturum, quia fatalis periodus immineat, nec quisquam Antichristum à judicio divinitus præstituto & destinato tempore certissimè proventuro, liberaturus sit. Ita constat, frustra hactenus tentatam executionem decretorum sanguinariorum Concilii, & perfidiam in capita authorum suorum recidisse. Neque Oraculorum Divinorum summa certitudo ambigere sinit, quin Antichristus ἐν ἰδίῳ καιρῷ in fatalem periodum suam impacturus sit. Neque obstabunt, si qui, Deo permittente, apparentes successus sequentur. Novimus enim ex indubitabili prophetia, Antichristum tum demum corruiturum, quando ex insperato rerum successu insolescens, talia de se jactabit: *Sedeo Regina, vidua non ero, nec luctum videbo,* Apocal. XVIII. 7. Dignissimum etiam notatu, quòd ipsi Pontificii, nominatim laudatus sæpe Comes Julius Clemens, expensis, quæ in Tridentino Concilio inciderunt, extremis diffi-

difficultatibus, sagaciter conjectant, Tridentinum hocce ultimum fuisse, neque deinceps Generale aliquod Concilium habitum iri. Quod ipsum quoque argumentum est Antichristi עד קצו *ad fatalem periodum suam* praecipitantis. Cæterùm prophetiam illam Danielis de Concilio hoc efficacissimè explicatam, apud pientissimum & doctissimum Conradum Graserum, Francum, in *Historia Antichristi Exercit. IV.* videre licet.

RESP. REDING: 1. *Ex Daniel. XI. 41. liquet, Antichristum à Daniele descriptum in terras alienas missurum manum suam, quam terra Ægypti haud effugiet, & dominaturum thesauris auri & argenti, omnibúsque pretiosis Ægypti, per Lybiam quoque & Æthiopiam transiturum. An quidquam horum ex Tridentino Concilio evenit? 2. Apostoli & veteris Ecclesiæ Antistites habitum mysticum vel instituerunt, vel usurparunt ipsi. Inprimis usurpavit Pontifex V. T. An & illi Antichristi spiritu intumuerunt? 3. S. Patres ex 2. Thess. II. 4. probarunt, Antichristum non venturum nisi circa consummationem hujus seculi post Romani Imperii excidium. Vel hinc falsitas tua de Antichristo in Concilium Tridentinum perfidè intruso liquet. Vos potiùs veteres hæreses recoquentes, adeóque saltem imitativè & præparativè Antichristi estis. 4. In veteribus quoque Conciliis difficultates humanitus insuperabiles occurrerunt. Quibus non obstantibus necessitate Ecclesiæ urgente, Concilia instituta & celebrata sunt. Si ergo deinceps Ecclesiæ necessitas ita postulaverit, nova Concilia coalescere poterunt, quantacunque difficultates obstare videbuntur.* Ibid. pag. 463-465. Resp. 1. Nihil equidem horum ex Tridentino Concilio evenit; sed id omne, quod v. 42. 43. prædictum est, uti ordo ipse prædictionis postulaverat, Concilium Tridentinum, quod v. 45. prænuntiatum est, prævenit. Idem tamen ille אלוה נכר *Deus peregrinus* (v. 39.) qui v. 45. plantaturus dicitur tentoria cleri sui inter maria ad montem sanctum & inclytum (quod in Tridentino Concilio factum ostendimus) ante illud tempus v. 42. 43. *extensurus manum suam in terras, ita ut Ægyptus effugitura non sit, & potestatem obtenturus in recondita auri & argenti, & in omnia desiderabilia Ægypti, ita ut & Libyes & Cuschitæ in vestigiis futuri sint*, dicitur. Si Prophetias, & earum stylum calleres (sed senex psittacus vix disces) facilè vaticinium isthoc cum eventu comparares. Revera enim peregrinus ille Rex, seu Rex Regum, cum Regibus suis consociatis, *extendit manum suam in terras alienas*, quando per servientes sibi Reges strages maximas in Oriente fecit, & terras illas Lusitanos inter & Castillianos divisit, maximámque auri & argenti vim ex multis terris, puta *Ægypto*, hoc est, extremis Ægypti, sive ad mare rubrum, sive ad Nili fontes, sive in reliqua Libya: nec non *Cusche*, Nigris, Africanis, Æthiopibus, Indis, Americanis &c. sive vi oppressis, sive terrore ad commercia adductis, sive per negotiatores & colonos iis in partibus collocatos coacervavit. Post (v. 44.) *rumores ipsum ab Oriente & Aquilone consternarunt*, crescente ibi potentia Turcarum, hic præconio Evangelii, quo factum, ut à Papatu integra Regna deficerent. Mox *exivit cum ardore magno*, bello adortus foederatos in Germania, Protestantes in Gallia. Demum peregrinus ille Rex Tridentino Concilio instituto (v. 45.) *plantavit tentoria cleri sui inter maria* &c. En prophetiæ & historiæ conspicuam seriem! 2. Frustra habitus mystici, infularum, palliorum, pedorum, stolarum, casularum albarum &c. institutionem ad Apostolos refers, uti supra ostendimus. Nec Pontificis habitus à Deo institutus, merè typicus, stigma tale meretur, sed meretur turpis cacozelia & Babylonicus typhus vester. 3. Nec veteres, nec recentiores ex 2. Thess. II. 4. vel aliunde unquam probarunt

Anti,

Antichristum non ante finem mundi venturum. Illud κατέχον impediens (v. 6.) diu ante finem mundi tolli debuit, & sublatum revera pridem est. Romanus enim Papa pridem Romanum Imperium absorpsit. Quod ad Veterum ea de re opinionem attinet, sinamus in pace sua quiescere, humanæ infirmitatis memores, quæ non potest omnia scire: maximè autem futura ignorat, & in divinandis conjectura fallitur. Mitto de veteribus hæresibus à nobis recoctis stultum improperium tuum, non semel discussum. 4. Vetera Concilia gliscentem Papæ dominationem retuderunt. Tridentinum ægerrimè sustentavit. Si novum, ex orbe inprimis Christiano universo, adeóque meliore etiam ejus parte, coalesceret, ruinam ejus quis non prospicit? Nullum ergo Oecumenicum volente & indicente Papa coiturum unquam, rectè Julius Clemens divinavit, & Prophetia à nobis citata arguit. Atque hæc causa est, quòd inde à Concilio Tridentino Romani Pontifices omnia pro suo arbitrio & αὐτοκρατορικῶς gesserunt, suppullulantesque ipsas novas hæreses, qualis novissima Quietistarum, seu asseclarum de Molinos fuit, nulla, uti conveniebat, Concilii ratione habita, damnarunt.

ARG. XII. Denique Concilium hoc à minima Christiani orbis parte probatum, confirmatum, receptum & introductum est, adeóque non Oecumenicum, sed particulare, non ecclesiæ Christianæ, sed conspirantis adversus eam factionis fuit. Etenim *primò* non modica Ecclesiæ Christianæ pars sunt Orientales ecclesiæ Græcorum, Armenorum, Abyssinorum, &c. At constat, illas ad hoc Concilium nec legitimè vocatas esse, nec per delegatos comparuisse, ac proinde Concilium Ecclesias Orientales minimè repræsentâsse. Cùm Sessione XXIV. disceptaretur de divortio seu dissolutione vinculi, Oratores Veneti intercesserunt pro Regnis Cypri, Cretæ, Corcyræ, Zacynthi, Cephaloniæ à Græcis inhabitatis, ne ii verum divortium licitum esse certo casu asserentes damnarentur, quæsitum est, anne fas esset Græcos inauditos & non vocatos damnare? Ibi Cardinalis Varmiensis dicebat, *Papam Nuntium ad Ducem Moscoviæ invitandum mandâsse An cæteros Græcos invitaverit, incertum esse. Sufficere tamen generalem invitationem.* At certum est, generalem vocationem Papæ sufficientem haud fuisse, & specialem Orientales, utpote Papæ obsequio pridem solutos, ratam minimè habituros. Et quid quæso ad Orientales ecclesias attinent Tridentinæ Synodi decreta, in quibus vulgatæ versionis, Canonis, Missæ, & Latinæ, in Sacris Linguæ authentia, necessitas notitiæ Latini idiomatis Sess. XXIII. 11. totque alia dogmata, à quibus illæ penitus abhorrent, stabilita sunt? Christiani igitur totius & Asiæ & Africæ, nulla Concilii hujus pars fuerunt. *Secundò* in Europa Protestantes ad Concilium illud legitimè vocati non sunt, neque adeò in eo, si paucos æquas habendi Concilii leges impetraturos excipias, comparuerunt, multò minùs illud firmum ratúmque habuerunt. Pertinent huc ecclesiæ amplissimæ, puta Anglicana, Scotica, Hybernica, Norvvegica, Suecica, Livonica, maxima pars ecclesiarum Germaniæ,

maniæ, Galliæ, Belgii, Bohemiæ, Hungariæ, Poloniæ, Lithuaniæ, Helvetiæ, Rhætiæ, Styriæ, Carinthiæ, Austriæ, Transsylvaniæ &c. quæ majorem Europæ partem constituunt. *Tertiò* inter eos ipsos, qui communioni Pontificiæ addicti sunt, Concilium respuerunt multi, universa puta Gallia Pontificiis cæteroquin partibus addicta. Cardinali Lotharingo Tridento Lutetiam reverso seriò graviterque exprobratum est, quòd assensum commodâsset multis Capitibus Galliæ damnosis. qualia sint, quòd *Sess. XXIV. Cap.* 1. *de Reformat.* dicitur, *Papam gerere solicitudinem universæ ecclesiæ*, quæque verba præjudicare superioritati Concilii supra Papam querebantur: quòd eidem Concilii superioritati præjudicium factum sit *Sess. XXV. Cap.* 21. reservata in omnibus decretis authoritate Sedis Apostolicæ: quòd Concilium sub Pio IV. unum idémque esse cum eo, quod sub Paulo III. habitum est, decreverunt Patres; id quod præjudicet protestationi Henrici II. &c. Patres quoque Parisiensis Curiæ in decretis Reformationis multa redarguebant Galliæ juri & libertatibus derogantia. qualia sunt, quòd Episcopis potestas datur laicos pœnis pecuniariis mulctandi, & in eorum bona manus injiciendi: quòd in capite de duellis sibi potestatem sumunt, contra Reges, Imperatorem, alios Superiores procedendi, eósque anathematis percutiendi, dominiis suis exuendi, alios Dominos feudis, & privatorum bona fisco adjudicandi: quòd in Capite de jure Patronatus pronuntiatum sit, omnia beneficia libera esse, nisi Patronatus. Notata denique alia etiam Capita consuetudinibus & immunitatibus Ecclesiæ Gallicanæ repugnantia, qualia sunt reservatio gravium causarum criminalium contra Episcopos ad cognitionem solius Pontificis: beneficia pensionibus gravata, & reservationes fructuum: Causarum in prima instantia extra Regnum ac Papam exportatio: permissio, ut mendicantes bona soli possidere possint: cura nimia augendi peculii ecclesiasticorum; matrimoniorum clandestinorum sanctio, aliáque ejusmodi. Has aliásque ob causas Gallia constanter Concilium hoc tanquam minimè à Spiritu S. profectum repudiavit, testibus etiam Augustino Barbosa in *Remiss. ad Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reformat. matr.* Carolo Molinæo, Jurisconsulto celebri, qui consultatione edita demonstravit, Concilium Tridentinum esse *vitio indictum, nullum, habitum & terminatum contra antiqua Patrum decreta*; Bochello, Thuano, Pasquiero, Juliano, Brodæo, celebri advocato Parisiensi, in Annotationibus ad Arresta Lovetii. Nuperus etiam doctissimus Archiepiscopus Parisiensis, Petrus de Marca, *de Concordia Sacerd. & Imp. lib. II.* 17. 6. testatur, frequentissimè totius Cleri Gallicani Conventum, Concilii Tridentini promulgationem à Regibus supplicibus libellis postulavisse, ea lege, ut imperio

ſuo ea capita exciperent, quæ moribus Regni, id eſt, Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ adverſarentur. *Quorum deſideriis*, inquit, *Principes, toto hoc negotio ſæpe in conſilium prudentiſſimorum virorum relato, ſe accommodare non potuerunt.* Addit cauſam, *quòd libertas Eccleſiæ Gallicanæ in quàm plurimis Capitibus Concilii hujus Decretis peſſumdetur. Eam perniciem non admiſſis Synodi conſtitutis amoliri tutius eſſe duxiſſe, quàm receptæ ſemel authoritati, quæ pondere ſuo delicata ingenia premere poſſit, exceptionibus quibuſdam jura Gallici Imperii ſubducere.* Ita ſcripſit ille anno adhuc hujus Seculi quadrageſimo primo. Conſtat nempe ex Thuani Continuatione *lib. VII. pag.* 460. 461. *& VIII. pag.* 577. 578. Epiſcopos Regi Ludovico XIII. publicationem Concilii anno Seculi hujus decimo quarto ſuaſiſſe, & Ordini quidem Equeſtri perſuaſiſſe, at tertium Ordinem plures ob rationes interceſſiſſe; Anno verò ſequente Eccleſiaſticos in altera ad Regem & Reginam matrem facta commonefactione, verba faciente Archiepiſcopo Auguſtopolitano, retuliſſe, *Galliæ Præſules in conventu Tridentinum Concilium ſigillo & jure jurando adhibito recepiſſe*; ſed offenſioni apud Senatum fuiſſe commonefactionem, & Senatum tum Lutetiæ, tum Rotomagi omnia exemplaria excuſa ſecundæ hujus commonefactionis ad ſe deferri juſſiſſe, & ne diſtraherentur, vetuiſſe. Non memorabo Theologorum, inprimis Cl. Sanctii, Lotharingi Cardinalis ſtudiorum & conſiliorum perpetui comitis, dicere ſoliti, *in Tridentina Synodo ſecus quàm in Apoſtolica Hieroſolymitana plus NOBIS quàm Spiritui S. tributum eſſe*; Gilberti Genebrardi, ac inprimis Claudii Eſpencæi, qui abinitio Bononiæ, & poſtea Tridenti celebrationi Concilii interfuerat, liberas contra Concilium hoc voces, quas quia Hiſtoria Thuani libro huic adiecta diſertè repræſentat, heic brevitatis ſtudio ductus omittam. *Quartò* Concilio, huic nec Imperator, nec Reges vel Principes, nec eorum in Concilio Oratores ſubſcripſerunt. Conſtitutum equidem in Concilio erat, ut poſt Patres etiam Oratores ſubſcriberent. Verùm quòd & Orator Gallus cum proteſtatione diſceſſiſſet, & Orator Hiſpanus Comes Lunenſis ſe abſolutè ſubſcripturum negâſſet, placuit Legatis, eos ne quidem ad ſubſcriptionem invitandos. Quæ porro Imperatoribus, Carolo V. & Ferdinando, de Concilio hoc animi mens fuerit, haud obſcurum eſt. Etenim poſt publicatas jam Tridentinas de verbo Dei, Peccato Originali, juſtificatione, Sacramentis in genere, Baptiſmo, Confirmatione definitiones, Carolus V. in ſuo INTERIM, haud probatis illis, alia nec parum diverſa ſanciri paſſus eſt. Ejus verò Frater Ferdinandus Cæſar, hujuſque Filius Maximilianus Rex tum Bohemiæ, jam finita & concluſa Tridentina Synodo, de conciliandis religionis diſſidiis alia planè conſilia agitârunt; Georgii Caſſandri & Geor-

gii

gii Wicelii Virorum doctissimorum & moderationis quoque laude celebrium, exquisitis sententiis. quorum ille *Consultationem*, hic *Viam Regiam*, utramque postea juris publici factam, Imperatori obtulit; quámque magno in pretio ille habuit, atque adeò reapse ostendit, se placita Tridentina neutiquam deperire. Neque etiam constat, illum edicto Imperatorio observantiam Tridentinorum decretorum unquam puæcepisse. Quin eum *de Concilii actionibus malè existimare*, in ipso Concilio referebat Commendonus apud S. Pol. *lib. VII. pag.* 608. Alias liberimas ejus de Concilio voces in ipsa Historia passim recitavimus. *Quintò* denique non paucos in ipso Concilio Patres, Hispanos inprimis, liberis subinde sermonibus suum de Concilio interiorem animi sensum prodentes, in ipsa quoque historia induximus. Confer dicta à nobis pag. 671. 672. Quin ipse Papa Paulus IV. non obscurè Tridentinum Concilium sugillavit, apud S.Pol. *lib. V. pag.* 360. hæc in verba erumpens: *magnæ fuisse væcordiæ* (en, hominum væcordiæ Spiritum S. quo assistente Concilium habitum volunt, subjicere haud erubescit) *sexaginta Episcopos, neque eos maximi nominis, & quadraginta doctores, non omnes de meliori nota, ad montes ablegâsse, sicut jam bis factum sit: simul credere, Ecclesiæ doctrinam ab his rectiùs ad rationis normam designari posse, quàm* Romæ *ab ipso Christi vicario &c.* Georgius Sincour, Segniensis Episcopus, pro Episcoporum institutione immediatè Divina usus est hoc argumento: *Si Episcopi non sint à Christo, sed ab hominibus, authoritatem omnium in unum congregatorum esse quoque humanam: & cujus aures hoc personat*, Episcopos non esse à Christo institutos, abesse non posse, *quin existimet, hanc Synodum esse congregationem hominum profanorum, cui non præsideat Christus, verùm potestas aliqua precaria ab hominibus accepta*, apud S.Pol. *lib. VII. pag.* 551. Nunc verò constat, Papam, ejus Legatos, iisque addictos Præsules Italos mordicus in Concilio propugnâsse eam sententiam, *quòd Episcopi immediatè non à Christo, sed Pontifice instituti sint*: imò & Lainezium Jesuitarum Generalem, in Concilio asseruisse, *potestatem Jurisdictionis talem integrámque Pontifice Romano datam, nec ejus ULLAM SCINTILLAM quenquam aliorum nisi ab ipso habere.* Ex qua proinde præmissa, judice ipso Segniensi Episcopo, nec non argumentis irrefragabilibus hactenus in medium allatis, deduci potest hoc indubitabile *συμπέρασμα*, Concilium Tridentinum non fuisse *Synodum Oecumenicam in Spiritu S. legitimè congregatam*, uti Inscriptio habet, sed CONGREGATIONEM PROFANORUM HOMINUM, adeòque ut paucis omnia complectar, CHRISTIANISMI ET CHRISTIANORUM PRINCIPUM SACRUM LUDIBRIUM, cui apud omnes bonos & salutis æternæ animarum cupidos nulla prorsus fides & authoritas constare debeat.

RESP. REDING: 1. *Christus Matth. XVIII. promittens, se fore in medio eorum, qui in nomine ejus congregati sunt, Oecumenici Concilii charactere non in multitudine hominum, sed in conventu in nomine, hoc est, vicaria authoritate Christi. Materiale enim Concilii sunt Episcopi in unum coadunati; quos omnes in toto Christiano orbe à Papa vocatos esse sufficit: formale verò character à Christo sancitus, ut in nomine, seu authoritate sua in terris vicaria coadunentur. Licet ergo Orientales aliique Præsules in Concilio non comparuissent, stante tamen illo per Christum definito Oecumenicæ Synodi charactere, indubitatum manet, Concilium ipsum Oecumenicum fuisse. 2. Confluxerunt tamen ad Concilium tum Syriæ Orientalis Patriarcha, tum quidam etiam Græci Episcopi. 3. Impostor es, asserens, quòd Oratores Regum ac Principum Concilio non subscripserint. Asseveraverat quidem id Suavis. Sed contrarium Pallavicinus testatur. 4. Idem Pallavicinus lib. XXIV. 10. &c. fusè ea diluit, quæ de Concilio Tridentino à Gallis aliisque non recepto Suavis adduxit.* Ibid. pag. 466--467.

Resp. 1. Fictitius planè est, quem fingis, Concilii character, natus ex fœda παρερμηνείᾳ verborum Christi Matth. XVIII. 20. quòd in medio duorum vel trium, qui in nomine Christi congregantur, esse velit. Non enim ibi *in nomine Christi congregari*, significare *vicaria authoritate Christi*, hoc est, uti vos interpretamini, Papæ authoritate, congregari, supra *Tomo I. p.* 21. probare occupavimus. Vel id de congregante, vel de congregationis forma accipitur. Si de *congregante*, multi utique cœtus congregant, qui authoritate Papæ non congregant. Ita particularia Concilia convocandi jus Bellarminus ipse non Papæ, sed Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis asserit. Imò, ne de Conciliis quidem sermo est, fatente ipso Salmerone *in hist. Evang. Tom. IV. p. 3. tract.* 10. sed de quibuslibet etiam minimis cœtibus, puta duorum aut trium qui nullo etiam congregante, sua sponte coeunt. An sic coëuntes Concilii Oecumenici characterem habent? Si de *congregationis forma*, uti quidem Origenem de concordia ac fidei unitate coeuntium; Chrysostomum de coeuntibus ob Christi gloriam & honorem, nec non amorem conventus; Hilarium de pace & charitate convenientium, interpretari Horantius vester *Loc. Cathol. lib. II.* 17. fatetur, subjiciens ipse, quòd congregari in nomine Christi non aliud sit, *quàm una fide, uno redemptore, unóque consensu, quæ ad vitam æternam pertinent, mutuò conferre*; quid omne id ad authoritatem Papæ in cogendo Concilio? Inprimis cùm is vicariam Christi in Ecclesia authoritatem sibi vindicans, eo ipso se esse in Ecclesia ἀντὶ Χριστοῦ *vice Christi*, adeóque Ἀντίχριστον, genuinum Antichristum demonstret. Quid verò multis? Ipse Pallavicinus, cujus ubique spiritu cales, Oecumenici Concilii ejusmodi definitionem promit, in qua nulla Papæ convocantis, vel vicariæ ejus in Ecclesia authoritatis mentio est. Definit enim *Introd. cap.* 13. Concilium Oecumenicum, quòd sit *Consessus omnium Christianarum Provinciarum, ad quem aut Christianæ omnes Provinciæ convenerint, aut legitimè fuerint convocatæ aut illorum nomine omnium fuerit celebratus, ac deinde omnes illum approbaverint, seu ratum habuerint.* Nulla hic vicariæ authoritatis mentio. Et si definitione ea standum, Concilium Tridentinum nil equidem minùs quàm Oecumenicum fuerit, utpote ad quod omnes Christianæ Provinciæ legitimè vocatæ non sunt: in quo non omnes comparuerunt: quod denique à plurimis Provinciis probatum non est. Quid Concilium Oecumenicum sit, ne inter vestros quidem constat, uti ex variantibus ejus definitionibus, quas Julius Clemens *Not. Moral. p.* 117 -122. ad partes vocavit, colligitur. Quomodo ergo Tridentinum Oecumenicum fuisse, pronuntiare audes? 2. In catalogo Patrum ducentorum septuaginta, qui Tridentino Concilio interfuerunt, sex in universum Orientales comparent, quos inter Antonius Helius Justinopolitanus, Hierosolymitanus Patriarcha, Pauli III. creatura fuit; reliqui quinque pariter

Papæ

Papæ vaſalli. Alios enim innumeros, Papæ Monarchiam abnuentes, nec vocavit Papa, nec, ſi non vocati veniſſent, judices agniturus fuerat. 3. Si Suavis, teſtatus videlicet, quòd Principum Oratores Concilio non ſubſcripſerint, impoſtor fuit; majori jure impoſtor dicetur, qui catalogum ſubſcribentium Concilio confecit, & publici juris fecit. Nam in eo Catalogo Principum Oratores locum planè nullum obtinent. quod Pallavicinus ipſe negare haud ſuſtinuit. Et Gallos ac Hiſpanos Oratores, qui præcipua Oratorum pars in Concilio fuerunt, non ſubſcripſiſſe, idem Pallavicinus ultro fatetur. Certè impoſtoris ſtigma Suavi hac in re ne ipſe quidem Pallavicinus, Redingio verecundior, inurere auſus eſt; ſic *lib. XXIV.* 8. concludens: *Nollem, ut quiſpiam hinc argueret, illum (Suavem) ex eo hominum genere fuiſſe, qui rerum omnium, quæ ſub ſenſum non cadunt, veritatem negant.* Confiſus ſcilicet eſt, non tergiverſaturum fuiſſe Suavem, ſi ſubſcriptiones Oratorum cum reliquis non impreſſas, in Romanis ſcriniis latentes vidiſſet. Latere quidem Pallavicinus ait. Sed ejus dicto an fidem habiturus fuiſſet Suavis, dubitare licet. Multa enim ab ipſo conficta eſſe, ne veſtrarum quidem partium homines negant. 4. Conatur, fateor, Pallavicinus diluere cauſas, ob quas Galliæ Reges Tridentinum Concilium hunc uſque in diem conſtanter repudiarunt, ac ne in dogmaticis quidem ejus authoritatem ut reciperent, unquam ſe adduci paſſi ſunt. At repudiaſſe illos Concilium, & quidem ob cauſas à me narratas, de quo ſolo hic quæſtio eſt, neutiquam ille negavit. Jam ergo pro ſe Galli, Concilium ob rationes à me repetitas reſpuentes, reſpondeant. Non enim luſciolæ cantio deerit, ſi è re videbitur.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Concilium à ſummo Pontifice indictum, gubernatum, & confirmatum ſummam authoritatem habet, ob infallibilitatem videlicet ipſius Pontificis indicentis, gubernantis, confirmantis. At tale fuiſſe Tridentinum, ipſa hiſtoria probat.* Reſp. Falſas & perverſas argumenti hujus hypotheſes in quæſtionibus ad Bullam Indictionis Pauli III. probè diſcuſſimus. Proinde heic operam ludere, pretium operæ nullum ducimus. Unum addo, etiam Mediolanenſe Concilium Liberio Romano Pontifice, Arianorum decretis ſubſcribente, invitante coactum, eique, ſi Papiſtis fides eſt, Luciferum Epiſcopum Calaritanum, Pancratium Presbyterum, & Hilarium Saronem, tanquam Romanæ ſedis Legatos præfuiſſe: Ariminenſi quoque Oſium Cordubenſem, Arelatenſi Vincentium Romanæ ſedis Legatum, Neocæſarienſi Leonem IV. ſubſcripſiſſe. An iccirco Mediolanenſe, Arelatenſe, Ariminenſe, Neocæſarienſe Concilia legitima fuére? Imò λῃστρικὰ fuerunt, iiſque ſimilima Nicenum II. Lateranenſe, Conſtantienſe, Tridentinum.

EXCIP. REDING: 1. *Hypotheſium illarum veritatem alibi probavimus.* 2. *Ex Ruffini Hiſt. lib. I. 20 &c colligitur, Liberium Mediolanenſi & Ariminenſi Concilio ſua ſubſcriptione authoritatem nullam conciliaſſe.* Ibid. pag. 474. 475. Reſp. 1. Falſitatem illarum abundè nos deteximus. 2. Liberium ſubſcribendo damnationi Athanaſii, & cum Arianis palam communicando, conſenſiſſe in hæreſin Arianorum, ex Athanaſii epiſtola ad ſolitariam vitam agentes, Hieronymo in Chronico, & catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum *cap.* 107. apertè conſtat. Ea enim facere, quæ fecit Liberius, erat veritatem prodere, Chriſtianorum

persecutionem approbare, hæresi Arianæ subscribere; testibus iisdem Patribus. Neque aliud Rufinus *loc.cit.* prodidit. Ait enim, Liberium, ab Arianis scilicet, in exilium trusum, ejúsque loco Felicem Diaconum ab hæreticis subrogatum esse: sed exilii impatientia mortísque metu victum, Arianorum impietati eum subscripsisse, ne ipse quidem Bellarminus *de Rom. Pont. lib. IV. 9.* negare potuit, hoc unum prætexens, *quòd externis duntaxat operibus* (subscriptione puta & damnatione Athanasii) *fuerit hæreticus, non mente in hæresin consenserit.* Scilicet Bellarminus καρδιογνώστης, quid animo volverit Liberius, scivit. Alibi verò objicientibus nobis Monothelismum Honorii, respondent Papistæ, errasse eum oculto & privato mentis errore, at non apertè & publicè errorem professum esse. Exigere autem à nobis Christianam charitatem, ut bene de cunctis existimemus, & pro Catholicis omnes habeamus, quos nihil Catholicæ fidei contrarium profiteri videmus. Sic justo Dei judicio, vertiginis spiritu abrepti, suam causam produnt. Actum enim est de causa Liberii, Arianorum decretis subscribentis, si ei responsionem Papistarum pro Honorio applicemus.

OBIECT. II. *Concilium aliquod verum & legitimum esse Catholica fide tenetur, quia Concilium ipsum hoc definit. Atqui Tridentinum id definivit, cùm se in Spiritu S. congregatum innuit.* Resp. Hoc argumento Vega usus est, sed reclamante ipso Bellarmino *de Concil. lib. II. 9.* eò quòd vetera Concilia nequaquam solita fuerint initio testari suum conventum esse legitimè & in Spiritu S. congregatum; posteriora verò, Constantiense, Basileense, Lateranense, Tridentinum id quidem testentur, sed non tanquam decretum aliquod forment de fide. Nuspiam enim inter Canones propriè dictos, alicujus Concilii Canonem reperiri, quo definiatur, illud ipsum Concilium legitimum esse, à quo tales Canones conditi sunt. Deinde movet Bellarminus difficultatem insuperabilem. *Aut*, inquit, *constat nobis aliunde, Concilium aliquod fuisse legitimum aut non constat. Si prius, frustra conditur tale decretum. Si posterius, jam de ipso decreto dubitare incipiemus, Si enim ambigo, an licitum fuerit Concilium, antequam definiret, se esse legitimum: ambigo etiam, annon erraverit in eo decreto, quo se legitimum esse pronuntiavit.* Et sanè, si justum hoc legitimi Concilii argumentum foret, quivis cœtus ληστρικὸς & malignantium conventus se definitionis ejusmodi scuto præmunire, & pro legitimo Concilio venditare posset.

EXCIP. REDING: *Indubitatum equidem fidei dogma est, Concilium illud Oecumenicum & infallibile esse, quod vicariæ Christi authoritatis charactere insignitum est. Ad Concilii verò Oecumenici veritatem in particulari demonstrandam, requiruntur argumenta prudentialem credibilitatis evidentiam præ se ferentia. Qualia, in præsenti causæ statu, debere anteriora esse, quàm ut Synodale de Concilii legitimitate decretum fidei authoritate potiri valeret, rectè Bellarminus asseruit. Parùm ergo ad rem facit illa Vegam inter & Bellarminum non tam juris, quàm facti quæstio, an de Concilii Tridentini legitimitate extet decretum fidei dogmaticum, quod Vega sentiebat, an nuda, fidei sanctionem non intendens, assertio.* Ibid. pag. 475. 476. Resp. Concilium nullum absolutè infallibile, & vicariæ authoritatis Papalis characterem Antichristianum esse, supra demonstravimus. Nec Oecumenici Concilii veritas in particulari aliunde rectiùs, quàm ex totius Ecclesiæ in nomine Christi congrega-

gregatæ actionibus & decretis Verbo Dei congruentibus cognoscitur. Hic γνήσιος character est, quo Tridentinum planè destituitur. Manent interim argumenta à Bellarmino Vegæ opposita; & si non tua, at Vegæ referebat, decretum Concilii de Oecumenica sua authoritate testantis extare, vel extans recipi.

OBIECT. III. *In Concilio Tridentino in unum convenerunt Episcopi, qui habiti sunt ab omnibus veri Episcopi, convenerunt ex variis provinciis, & vocati sunt ab eo, qui authoritatem vocandi habet. Credendum non est, permissurum Deum, ut in Concilio, quod ab ecclesia legitimum creditur, conveniant Episcopi aut omnes, aut pro majori parte non legitimi, aut minus Catholici.* Resp. 1 Quales fuerint Episcopi Tridentini, superiùs abundè à nobis ostensum est. Quid igitur tum, si visi sunt veri Episcopi, at non fuerunt? Si fuerunt lupi rapaces, hæretici? Simiæ purpura indutæ homines videri possunt, etiamsi simiæ maneant. 2. Si Deus permittit, ut hæresi inficiatur Pontifex, qui Concilium cogit, instruit, dirigit tanquam præses, qui decreta suggerit: cur permittere non possit, ut omnes, aut pro majori parte Episcopi ad Papisticum Concilium venientes, sint hæresi infecti, adeóque non boni Catholici? Si enim Princeps hæresi infici potest, cur non etiam gregales? At Pontifices hæresi infectos Concilia vocâsse, direxisse, vel unius Honorii exemplo luculenter ostendit Melchior Canus, Canariensis Episcopus, lib. VI. Loc. Comm. cap. 8. pag. 415. 416.

EXCIP. REDING: 1. *Intolerabilis fallacia est, ex singulorum Episcoporum fallibilitate universo cœtui Christi nominis characterem obtinenti fallibilitatem, imò etiam hæresin impingere. 2. Posito, Papam in sua persona posse aliquando hæresi infici; at infici nequit, ubi Episcoporum Concilio authoritatem suam impendit. Sic enim petræ inædificata Ecclesia corrueret. 3. Honorium ab hæreseos labe Bellarminus purgavit. Si tamen Concilii VII. à Græcis attentatæ depravationes, ex quibus suam Canus opinionem firmavit, obtineret, Honorius ob hæresin exauthoratus à Concilio, nullam eidem authoritatem impertiri potuisset; ac proin verum Concilium esse non potuisset. 4. Episcopi Tridentini Sacramento Ordinis initiati, successionem ab Apostolis, quoad Sacramentalis ordinis characterem, præferebant. Veri ergo & legitimi Episcopi fuerunt.* Ibid pag. 476. Resp. 1. Cùm Concilium sit totum ex partibus ejusdem naturæ, hoc est, Episcopis errori suapte natura obnoxiis aggregatum & conflatum, utique quæ singularum partium, eadem totius natura est. Idque ipsemet ultro agnosceres, nisi Papæ, ceu capitis, adeóque diversæ indolis, cum Concilio concurrentis imaginaria infallibilitas te penitus excœcasset. 2. Quid verò si Papa erroris veneno jam infectus, nihilominus Concilio in errore conspiranti authoritatem impertiatur? Nullum tamen vel sic Ecclesiæ veræ Christi periculum imminet, quia tale Concilium capitis & membrorum à veritate deficientium, non Christi, sed Antichristi Ecclesia foret. Ejusmodi planè Concilia fuerunt *Hierosolymitanum* illud, in quo S. Paulus discerptus fuisset, nisi Deus è præsenti illum discrimine eripuisset, Act XXII. 10. 15. *Cæsariense* Arianum, ad quod Athanasius venire recusavit, eò quòd fraudulentum Episcoporum judicium pertimesceret, Sozomeno *lib II. 24* teste: *Antiochenum* itidem Arianum, ad quod Maximus Hierosolymitanus Episcopus adire noluit, eodem Sozomeno *lib. III. 5.* commemorante: Imperatoris *Valentiniani*, pro Auxentio hæretico faciens, cujus judicio Ambrosius Mediolanensis (*Epist. 32.*) stare noluit.

noluit.ut similia plura taceam. 3. Non purgavit Bellarminus, nec purgare potuit. Ejus, aliorúmque, nominatim Platinæ, Gretseri, Schotti, Binii strophas solidè & diligentissimè Celeb. Forbesius à Corse *Instruct. Histor. Theolog. lib. V. toto* discussit. Meritò equidem Synodus VI. Oecumenica Honorium Papam, Sergio unam in Christo voluntatem asserenti consentientem, damnavit, & anathemate percussit. *Quorum*, Sergii &c, (sic Act. XIII. Synodus loquitur) *impia execramur dogmata, horum & nomina* (ἐκ τῆς ἁγίας τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας ἐκβληθῆναι) *ex Sancta Dei Ecclesia projici judicavimus. Cum his verò simul projici à sancta Dei Ecclesia, simúlque & anathematizari providimus Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eò quòd invenimus per scripta, quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem secutus est, & impia dogmata confirmavit.* Quæ de Actis hujus Synodi à Græcis depravatis mussas, nil nisi desperatam causam redolent. uti idem Forbesius *lib. V.* 11. 12. *&c.* invictis argumentis docuit. Sed Honorium à Synodo abdicatum, eidem authoritatem Conciliarem impertiri potuisse, negas. Bellè profectò. Si consentienti in errore Conciliarem authoritatem conciliasset, jam legitimum, jam Oecumenicum scilicet Concilium fuisset. Cùm verò dissentienti, imò ipsum condemnanti impertitus non fuerit, legitimum Concilium non fuit. Quid ergo si Papæ apostatæ omnibus Conciliis veritatem Cœlestis doctrinæ contra ipsosmet asserentibus Conciliarem authoritatem negarent, nullum ne in orbe Concilium legitimum unquam existeret? Apagesis illam Papolatriam immanem! 4. Annon Episcopos in Conciliis Constantiensi & Basileensi collectos æquè ordinatos, quoad ordinis characterem successionem ab Apostolis habuisse, credis? Imò annon Pontifex & Sacerdotes, in Conciliis Hierosolymitanis; Christum & Paulum damnantes, consecrati legitimè successionem suam ab Aharone habuerunt? Iccircone ab iis facta & definita cuncta pia, recta, Conciliaria fuerunt? *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, &c. Sed vos* (Hierosolymitani, Tridentini) *recessistis de via & multos in lege impingere fecistis, & corrupistis fœdus Levi, Malach. II. 7. 8.*

OBIECT. IV. *Concilium Tridentinum Cæsare & Principibus Christianis volentibus ac petentibus, Romano Pontifice jubente celebratum est. Adstiterunt Tridenti optimatum fidelium Legati. Aderant Episcopi. Doctores in omni eruditionis genere præstantes in utramque partem disseruerunt. Partes citatæ sunt. Sententia dicta. Anathemata promulgata. Ei subscripserunt Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, Americæ, Asiæ, Africæ, Pontifices, Prælati, Imperatores, Principes, civitates, populi. Fuit ergo Concilium legitimum, Generale, Oecumenicum.* Resp. Insigni fastu argumentum hoc Moguntini Jesuitæ Ven. Crocio τῷ μακαρίτῃ opposuerunt. Cæterùm quàm futile & desultorium sit, ex iis, quæ contra authoritatem Concilii, Ratione inprimis duodecima, disseruimus, ultro liquet. Cæsar, Reges, Principes, Respublicæ petierunt Concilium, sed legitimum, liberum, Christianum. Quo verò loco ad extremum Tridentinum hoc habuerint, ostendimus. Romani Pontificis in cogendo & moderando Concilio jus nullum fuit. Partes legitimè non sunt citatæ. Quæ comparuerunt, ne quidem auditæ sunt. Episcopi quales fuerint, docuimus. Veri Episcopi tum Orientalis, tum Occidentalis ecclesiæ, legitimè vocati, auditi non sunt. Denegatum iis jus suffragandi. Theo-

Theologi plerique omnes, etsi inter eos quidam docti, orthodoxi tamen non fuerunt, nec in Verbo Dei, quod floccipenderunt, exercitatos sensus habuerunt, denique Sophisticæ potiùs meretriculæ amasii fuerunt. Nec Imperatores, nec Reges, nec Principes, nec Respublicæ ullæ Concilio subscripserunt, sed soli infulati, illi qui sacramento Papæ dixerant. Tot ecclesiæ Orientales & Occidentales etiam Pontificiæ ipsi repudium miserunt, vel saltem illud non admiserunt, ut, si calculus ritè ponatur, vix vicesima pars Christianismi decretis Concilii hujus obnoxia computari possit. Non igitur *Oecmenicum Concilium* fuit, sed factio Papalis & Italica, qualis fuit olim factio Dioscori, Ariana, Ariminensis, cui 600. Episcopi impliciti fuerunt, &c. cui proinde in tot reliquas ecclesias non subjectas, sed collaterales, & à communione ejus pridem separatas nulla prorsus potestas competiit.

EXCIP. REDING: 1. *Cæsarem, Reges, Principes &c. Concilium illud, ceu liberum & legitimum probasse, inde liquet, quia Oratores illorum subscripserunt, & quoad dogmata illud acceptarunt, & in ditionibus suis promulgarunt.* 2. *Jus vocandi & moderandi Concilium omnino Papa habuit, acceptum ex potestate clavium.* Ibid. pag. 477. Resp. 1. Cæsarem & Reges Concilium liberum & legitimum petiisse, negare non potuisti. Eosdem verò de Concilii servitute graves crebrásque querelas movisse, ex historia notissimum est. Oratorum subscriptiones nullæ in publicum prodierunt. Quòd verò nonnulli receperunt, temporum calamitati, fatorum iniquitati, & cœcæ inprimis eorum obedientiæ imputari debet. Cujus inprimis illustre exemplum in Republica Polonica Pallavicinus ipse *lib. XXIV.* 23. prodere non erubuit. Missus à Pontifice ad Comitia Polonica Nuntius Commendonus Concilii receptionem omnibus eloquentiæ viribus suasit. Ucangius Archiepiscopus Gesnensis, & Regni Primas hortatus est, ut ei generatim responderetur, expendenda priùs esse, quæ Volumen Concilii complectebatur, ac postea statuendum. Cujus sententia à majori parte cum fremitu excepta est, indignum reputante, ut Senatus supra Concilium judicem se constituat. Rex audita communi voluntate in placido, sed universali susurro, dixit, *in ea re majori deliberatione opus non esse, cùm ipse testari posset, Nuntium eo die non advenisse parato animo ad orandum in Senatu; adeóque ubertatem illam & efficaciam tam copiosi sermonis, tanquam Divinitus in ejus ore positam esse agnoscendam.* Singulis ergo sententiam ne quidem rogatis, affirmavit, videri sibi rationi consentaneum, volumen sacrarum sanctionum excipi atque observari. Cunctis ergo fere Senatoribus una voce Regis dicto plaudentibus, hoc responsum de more à Vicecancellario Nuntio redditum est. Credo equidem, S. Paulum apud Beroenses Evangelium prædicasse non minori facundia, imò etiam demonstratione spiritus. Beroensium tamen *εὐγένεια nobilitas & ingenuitas* commendatur à Spiritu Dei, quòd sic Pauli sermonem exceperint, ut tamen quotidie Scripturas consulerent, *εἰ ἔχοι ταῦτα οὕτως, an isthæc ita haberent*, Act. XVII. 11. Ejusmodi verò εὐγένειαν nec in Rege, nec in Senatoribus Poloniæ deprehendere licet. Receperunt sanctiones non inspectas, non lectas, non exploratas, adeóque ἀβασανίστως, solo orationis fuco, & sedentaria assentiendi necessitate, seu carbonaria fide, commoti. 2. Nil Christus S. Petro claves Regni Cœlorum impertiens singulare Papæ dedit: imò ei à Christi doctrina defi-

cienti nihil dedit. Data verò ipsi est *clavis putei abyssi*, Apoc. IX. 1. qua non Cœlum, sed inferos reseraret.

OBIECT. V. *Divinum & sacrosanctum fuisse hoc Concilium, liquere potest, si perpensis ejus causis, rerum & temporum conditionibus, & difficultatibus inde emergentibus, cum aliis antiquioribus Conciliis comparetur. In his enim Episcopi ad Concilium convenientes illis locis praerant, in quibus unus ferè Imperator dominabatur, neque Nationes erant religione, animis, sive in Concilii celebratione discordes: & Principes præsentia sua favere Concilio, aut adversari non poterant. Convocabantur etiam Concilia contra unam vel alteram hæresin, neque omnes S. Scripturæ fontes, omnia Theologiæ arcana aperienda erant. Neque tantùm adversus Apostolicæ Sedis authoritatem quidquam cogitabatur; sed etiam ejus mandata & decreta, tanquam Divina oracula excipiebantur. In Concilio Tridentino secus habuerunt omnia. Principes multi, & inter se diffidentes erant. Hæresis non una, sed innumeræ damnandæ fuerunt, absente Romano Pontifice, collatrantibus hinc inde hæreticorum turbis, & Apostolicæ Sedis authoritatem evertere cupientibus. Tam efficax tamen Divinæ misericordiæ auxilium, & Spiritus Divini afflatus, & gratia fuit, ut non obstantibus his difficultatibus, Apostolicæ Sedis authoritas magis ac magis firma permanserit, hæreses innumeræ damnatæ, & Ecclesiasticus ordo ac Christiani mores meliorem ad frugem redacti sint.* Scipio Henricus *Cens. Hist. Theol. pag.* 176. 177. Resp. 1. Tridentinum Concilium veteribus Oecumenicis infinitis parasangis concedere, recta comparatio luculenter ostendit, & celebrati hujus Concilii Historia abundè patefacit. In illis causa Dei, in hoc alia omnia acta sunt. In illis veritas, gravitas, simplicitas, sinceritas utramque paginam fecit. In hoc Machiavellistica & τὰ βάθη τοῦ Σατανᾶ dominabantur. Illa verè Christiana fuerunt: hoc λῃστρικόν. Extremæ igitur impudentiæ nota est, hoc illis tanquam præstantius anteponere. 2. Ridiculum est, quòd in veteribus Conciliis Pontificum mandata & decreta, tanquam Divina Oracula excepta, at in Tridentino in quæstionem vocata dicuntur. Quæ enim Pontificum decreta, quæ Oracula in primis Oecumenicis inveniuntur? Canon VI. Nicenus Pontificem contra in ordinem redegit. Unde conjicere est, Sanctos Patres in illis Conciliis adversus Pontificem non minùs quàm hæreticos fulminaturos fuisse, si talem jam tum se gessisset, qualem se inde ab aliquot Seculis, nequitia ad ἀκμὴν perducta, gessit. 3. Divinitas Concilii, & decisionum veritas non ab incommodis & difficultatibus superatis, sed à conformitate earum cum Dei verbo, & pio justóq; procedendi modo tota pendet. At in Concilio Tridentino neutrum obtinuisse, manifestum fecimus. Aliâs fieri potest, ut æquè mala atque bona causa magnas difficultates patiatur, quarum proinde profligatio ipsam causam discernere per se nequit. Nam & Antichristo ἐνέργειαν πλάνης *efficaciam seductionis* Scripturæ tribuunt.

4. Tridentinum Concilium non repressisse, sed seminâsse hæreses in propatulo est. Obliquè stabilitam & confirmatam R. Pontificis authoritatem, fatemur. Sed perperam Divinæ misericordiæ efficaci auxilio, & Spiritus S. gratioso afflatui tribuit Scipio, quod justo Dei judicio tribuere debuerat. Cavit enim Spiritus S. prædicens, fore, ut ad ultimum usque excidii & πανωλεθρίας tempus Regibus terræ imperet mysticum illud septicolle scortum. Imperare autem non poterit Reginæ instar, felicia quæque sibi pollicentis, & sanguine Martyrum ebriæ, nisi salva Divinæ suæ potestatis & authoritatis existimatione. Debet enim ante ipsum deliquii punctum sedere ut Regina, quæ nec viduitatem ullam, nec luctum animo suo fingit. Non aliter, si Divina Oracula respectamus, res habere & procedere debuit.

EXCIP. REDING: 1. *Septicolle illud scortum, instar Reginæ, sub præsumptuosa justitiæ suæ prorsus inamissibilis securitate apud vos sedet, & omnis se viduitatis ac luctus expertem fingit. Hoc execrandissimum malum anathematizare voluit Tridentina Synodus. At excidere nondum valuit. Interim Apostolicæ Sedis authoritas pleniùs jam firmata existit, & innumeræ hæreses damnatæ plorant, Ecclesiasticúsque ordo & Christiani mores ad frugem meliorem redacti sunt. 2. Cùm Tridentinum Concilium Oecumenici Concilii charactere indubitatè insignitum fuerit, non potest non ex difficultatibus fere immensis tam feliciter superatis fortissimum credibilitatis evidentis prudentiale argumentum depromi.* Ibid. pag. 478. Resp. 1. Tu verò nimiùm, Redingi, falleris. Septicolle enim scortum ibi est, ubi sunt septem colles: ubi est urbs ἑπτάλοφος *Septimontia*, hoc est, Romæ. Ibi Hierarchia, Reginæ ad instar, se jactat, carnali securitati indulget, sibi infallibilitatem arrogat, omnipotentiæ & voluptuarii sui Regni, specie religionis fucati, perpetuitatem spondet, & spiritualis cum Deo pacis secura, omnes illos, qui piè in mundo vivere volunt, & gratiæ Dei confisi ad tranquillitatem spiritus sui aspirant, in Deo, non in mundo & iis quæ in mundo sunt, deliciantur; brutis suis fulminibus non è Cœlo, sed è Capitolio vibratis, insectatur, hoc est, uti Hos. IV. 2. dicitur, אלה וכחש *maledicit & abnegat*. Hierarchiæ quidem hujus authoritas pleniùs roborata, & Mulier illa, Reginæ instar, sedere Tibi videtur, non nobis. Nam verè jam Babylon cecidit, à tot Regnis & Provinciis Christiani orbis deserta, & Deo hominibúsque invisa, & venient brevi in una hora plagæ Divinitus denuntiatæ, Apoc. XVIII. 2. 4. 7. 8. &c. Cujusmodi verò post priorem illum casum Hierarchiæ & Concilii Tridentini anathemati Ecclesiæ vestræ facies sit, ex Apoc. XVIII. 2. &c. liquet, & exitu ipso patefactum est. Verè enim Ecclesia à Babylone separata, Babylon *domicilium dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis avis immundæ & exosæ* evasit. 2. Legitimi Concilii characterem nullum Tridentinum habuisse, supra ostendimus. Difficultates verò, quæ in eo se explicarunt, non à studio veritatis, quæ simplex, clara, nullis difficultatibus, postquam jam verbum Dei in ore omnium est, septa, in Abderitæ puteo neutiquam delitescit; sed protegendæ Monarchiæ Papalis & Epicuræi illius Regni emerserunt. Nam patefacta veritate non defuerunt Viri cordati, qui ad destruendum illud lacertos suos commoverent. Sed nondum tempus illud affulserat, quo, quod brevi continget,

Roma diu titubans, longis erroribus acta
Corruet, & mundi desinet esse caput.

OBIECT. VI. *Libertas Concilii per responsa & mandata Pontificum, eorúmque præsidentiam in Concilio violata minimè fuit. Judicium enim Concilii est de numero criminalium, in quo Princeps est Pontifex, crimen est hæresis, hæretici rei, judices Episcopi in Concilio. At Principis est præsidere, mandata ferre &c. Libertatem igitur Concilii, hoc est, exemptionem à Pontificis authoritate petere audax, insuetum & impium est. Non Arius, non Nestorius, non Eutyches in Conciliis antiquis ejusmodi libertatem postulârunt. Si hæc hæreticorum adversus Pontificem & Episcopos valeret exceptio, etiam quilibet latro & parricida posset suspectum vocare Principem illos insequentem.* Scipio Henricus *Censf. pag.* 179. 180. *&c.* Resp. 1. Hic Lojolæ Socius in re gravi utitur ejusmodi principio quod ne in ipso quidem Papatu pro certo & confesso ac definito habetur, nempe Papam ejusmodi Principem esse hæreseos, qui Concilio tanquam sibi subjecto leges ferre possit. Ubi enim ecclesia definivit, Papam ejusmodi Principem & Concilio superiorem esse? Ubi verbum Dei homini cuiquam *principatum fidei*, & supremum hæreseon judicium defert? Si ejusmodi Princeps est Papa, cur igitur non soli Protestantes, sed ipsi in Concilio Episcopi Hispani, Galli, alii toties de Oraculis illis & responsis Româ Tridentum commeantibus acerbissimè questi sunt? Cur Imperatores, Reges, eorum Oratores toties de servitute Concilii acres querimonias moverunt? Cur Concilia Papistica, Constantiense & Basileense, Concilium Papa superius esse declarârunt? Cur dominationis & usurpatæ potestatis argumenta & documenta Papa in ipso Tridentino Concilio, vel ante illud non deprompsit, ut apparere posset, invasor ne & usurpator imperii fidei, an verus & cum legitimo titulo Princeps esset? Sanè in hanc usq; diem de eo principatu & superioritate Pontificis sub judice lis manet. Comes Julius Clemens *Not.* 64. *Moral. &c. pag.* 97. 98. ex diversis Ordinibus, puta Prædicatorum, Minorum, Canonicorum Regularium, Heremitarum S. Augustini, Societatis Jesu &c. producit magna in Papatu nomina, quæ Superioritatem Pontificis haud agnoscunt: Apud Grammondum *lib. I. Histor. Gall.* Parisiis An. 1610. in Conciliis Ordinis Prædicatorum Generalibus Hispanus Theologus dixit: *Nullo casu Concilium est supra Papam.* Propositionem eam Galli Doctores accusârunt ut hæreticam. Indignante Nuntio Cardinalis Perronius, molliendæ invidiæ, quæstionem dixit esse problematicam: *Pro Summo Pontifice Italos omnes, & magnam partem Hispanorum; reliquam pro Concilio Europam stare.* Hanc ergo litem priùs componant, quàm Pontificem fidei Principem nobis obtrudant. 2. Hæreticos veteres non idem, quod Protestantes, fecisse, agnosco, & hinc colligo, veteribus hæreticis nos similes non fuisse. Non erant tum Pontifices, qui Concilia servitute intoleranda premerent, & potestatem αὐτοκρατορικὴν sibi arrogarent. Aliâs non hæretici, sed ipsi Sancti Patres, & Episcopi primi adversus tales insurrexissent.

EXCIP. REDING: 1. *S.Patres & Episcopi primi pro inconcusso fidei principio habebant in Papa ex legitima Petri successione perdurare Petram, super quam Ecclesia ædificanda esset, cum indefinita ligandi & solvendi potestate etiam in Cœli foro vim obtinente, Pastorali omnium Ecclesiæ ovium & Agnorum gubernandorum muneri Divinitus annexa; Christi ipsius nomen vicarium in terris eatenus præferente, ut ex hac Vicarii nominis authoritate character Oecumenici Concilii subsistat. His principiis resistens, ultra veterum hæreticorum arrogantiam progrederis. 2. Utique Petra illa, supra quam Ecclesia ædificata est, majus obtinet certitudinis ac infallibilis Spiritus S. assistentiæ firmamentum in Concilio, quàm extra illud. Neque hac de re ulla in Concilio Tridentino, vel etiam Constantiensi & Basileensi querela mota est. Quæstio tantùm erat de persona talem principatum gerente, qua Cathedræ Apostolicæ jure destituta pertendebant Concilium superius esse.* Ibid. pag. 479. 480. Resp. 1. Principia isthæc Patribus tam peregrina & incognita fuerunt, quàm quæ maximè: Idque in loco jam egimus & peregimus. Vicisset sic Ariana hæresis, quando suffragatorem Liberium Papam illa habuit: & plorasset in exilio perpetuo Athanasius, vel potiùs veritas τῦ ὁμοϛσίυ ab eo constantissimè propugnata. Vicisset Monothelismus ab Honorio subscriptione propria confirmatus. 2. Petra illa Christus est. Ille solus verbo & Spiritu suo legitima Concilia in veritatem ducit. Potestatis hujus raptor Papa Concilio non firmamentum ullum præbet, sed cladem machinatur. De cœtero neque hoc unanimi fide vestrûm recipitur, quòd Papa in Concilio quàm extra illud majus certitudinis & infallibilis assistentiæ Spiritus S. firmamentum habeat. Imò infallibilitatem omnem plerique figitis in Papa, ut radice; Concilio à Papa distincto, solam consultandi, vel potiùs assentiendi Papæ potestatem, hoc est, Papæ obnoxiam servitutem tribuitis. Hic enim, si verum amas, quæstionis status est: An Papa (non dubius, vel in hac seu illa persona, uti Redingius delirat, sed *Papalem dignitatem obtinens*) Concilio subsit, sic, ut ab eo in jus vocari, reformari, in ordinem redigi, & decretis Concilii obstringi possit? Hoc Constantiense, hoc Basileense, hoc in Concilio Tridentino Galli pertenderant. Sed hodie major orbis Papalis pars repugnat, Jesuitis annitentibus, qui Ordinis sui carnalis confirmatorem & propugnatorem Papam (quandiu talis est & erit) nullis non Divinis encomiis & prærogativis mactant. Unde Pallavicinus, oraculum tuum, *lib. IX. 6.* 4. ait, *Romæ haberi ut erroneam & damnatam à communi Theologorum & Canonistarum sensu opinionem, quòd Papa Concilio subjaceat.* Cessent ergo æquivocationes tuæ, quibus quæstionem isthanc ad eas, qui de lana caprina & umbra suberis agitantur, relegare ubique contendis. Aliter longè videtur partibus vestris, inexpiabili odio & contentione maxima quæstionem hanc agitantibus.

OBIECT. VII. *Suavis Polanus, qui Historiam Concilii hujus scripsit, hæreticus an Atheus fuerit, dubitatur. Historiam composuit recentibus odiis, ob inflictum ei vulnus & structas à Pontifice insidias. Nulla ergo fides ei constare potest.* Scipio Henricus *Præfat. Cens.* & Pallavicinus. Resp. 1. Moris est Pontificiis in hæreticorum & Atheorum tribum compingere, & tanquam καϑάρματα proscindere, quotquot Pontificis & Curiæ ejus commodis obsunt, vel strenuè non velificantur. quam nostri & superioris temporis Politicam perstringit etiam Julius Clemens Author *Not. 64. Moral. pag.* 49. Apud tales igitur Suavis hæreticus & Atheus fuerit. Apud Deum & bonos omnes talem fuisse, non sequitur. 2. Ab infami hæreseos & gravi Atheismi nota Suavem vindicârunt ipsi Pontificii,

nominatim Cæſar Aquilinus *de Tribus Hiſtoricis pag.* 18.19. & Comes Julius Clemens à Stanislao Felic-vulgatus *Not. 64. Moral. pag.* 22.23. & *diſcuſſ.* 4. *Judic.pag.* 23.24. Qui poſterior negat, eum hæreſeos crimen ſubiiſſe in exteriori, nedum in interiori & conſcientiæ foro, eò quòd ſe ſubjecerit eccleſiæ *definienti*, etſi ab eccleſia *opinante* in multis diſceſſerit. Attendendum etiam monet, Suavem integerrimam planè vitam duxiſſe, ac inſignia humilitatis & charitatis argumenta dediſſe: optimè de Apoſtolica ſede meruiſſe: ſæpe juribus eccleſiæ Romanæ patrocinatum eſſe: nullum unquam hortatum fuiſſe, ut à Catholica Romana fide recederet: fuiſſe eum inter præcipuos Miniſtros Principis Catholici, & Concilio huic faventis, cui in pretio atque deliciis fuerit, &c. Ex hiſtoria quoque vitæ ejus conſignata à Patre Fulgentio Servita, intimo & familiariſſimo ejus, liquet, fuiſſe ipſum hominem pium, modeſtum, temperantem, in omni genere literarum, puta Sacrarum, juris Civilis & Canonici, Medicinæ, Anatomiæ, ſcientiæ naturalis, Mathematum, Hiſtoriarum &c. ad ſtuporem & miraculum uſque doctum; maximis & Principibus viris, etiam Bellarmino, qui ipſum de inſidiis Romæ vitæ ejus ſtructis admonuerat, & coram Paulo V. tanquam patronus defenderat; Ferrerio, ipſi Urbano VII. Sixto V. familiarem. Addit in fine ejuſmodi Suavis elogium: *Hic exitus eſt viri, ſui Seculi dotibus ingenii ſtudiorúmque præclariſſimi; cujus dicta factáque laudanda omnia; qui vetus novúmque fœdus verbotenus tenebat; ſcriptáque copioſa Auguſtini omnia percallebat, cæteríſque antiquis Patribus perquam familiaris; juſtitiæ cultor ſummus; libertatis veritatíſque vindex cuſtóſque vel cum periculo vitæ; & ſi Papæ adulari adſentarique animum induxiſſet, miniſtrorum Pontificiæ dominationis facilè princeps.* Et Baptiſta Porta Neapolitanus eum *non tantùm Venetæ urbis aut Italiæ, ſed orbis terrarum ſplendorem atque ornamentum* vocat. Qui etiam quantúſque Vir fuerit, ejus Epitaphium ab Anthonio Venerio Patritio Veneto concinnatum, luculenter probat.

3 Conſtat ſanè, Suavem tum ob Epiſtolam ad Magiſtrum Gabrielem Coloſſonem ſcriptam, in qua inter alia familiariter ſcripſit, *Romæ ad magnos honores & dignitates niſi per malas artes perveniri non poſſe; séque illas ſummopere deteſtari, nec tanti eſſe, ut purum liberúmque animum iis commaculare velit*: tum ob defenſas contra Pontificios Venetæ Reipublicæ immunitates, & oppugnatum eccleſiaſticarum cenſurarum abuſum, adeò Aulæ & curiæ Romanæ odium incurriſſe, ut aulâ Pontificiâ inſidiarum architectâ ſicarii quinque ei adſultaverint, collo ejus duo vulnera inflixerint, tertium per aurem dextram & maxillam ſuperiorem juxta naſum adegerint, qui fuga elapſi in ædibus Nuntii Apoſtolici, & Romæ in aſylo Pontificio ſalutem invenerunt. Aliis etiam appetitus eſt inſidiis. Neque tamen propterea quaſi

recenti

recenti odio compositæ historiæ suspicione laborare debet. Etenim non fuisse ipsum μνησίκακον, imò injurias sibi illatas facilè condonasse authoribus, & pro eorum impunitate intercessisse, ipsi ejus hostes & æmuli non ignorârunt. *Non minùs etiam post, quàm ante lethale vulnus pro eorum legitimis juribus stetit, quibus ipse cum plerisque patratum facinus adscribebat,* inquit Author *Not.* 64. *Moral.pag.* 43. ubi etiam ipsum Pallavicinum testem inducit, quòd ante inflictum vulnus scriptionem Historiæ Suavis meditatus fuerit, imò maximam vitæ suæ partem in ea impenderit.

EXCIP. REDING. : 1. *Quo animo in Sedem Apostolicam Suavis extiterit, inde liquet, quòd contra Pontificios Venetæ Reip. immunitates defenderit, ac Ecclesiasticarum censurarum abusum impugnaverit. In quo scriptionis genere eum dogmata fidei Divinæ religionisque sacræ rationi repugnantia fovisse, luculenter Bellarminus in suis contra Paulum Venetum opusculis ostendit. Præterea commercium, quod ipsi cum Castrio Gallio, Mornæo, Cl. Sarravio & Salmasio, Sommersdykio Batavorum Oratore, hæreticis omnibus, intercessit: nec non operis ipsius Historiæ C.T. intrinseca verba apertè produnt, eum infensissimo in Religionem Romanam & Papam animo fuisse; neque adeò ab Ecclesia duntaxat opinante, sed etiam dogmaticas fidei sanctiones tutante, discessisse, censuisseque adeò, hominem piè vivere in quacunque secta Christianæ religionis posse, modò hujus fundamenta retineat. 2. Quandiu in fidei per Christum circa Papæ authoritatem sancitæ dogmata non impingitur, ex commodis qualibuscunque erga Curiam Romanam prætermissis, vel etiam illatis detrimentis, Pontificiis in more haud est quenquam de hæreseos crimine notare. 3. Mendacem tui memorem esse oportuerat. Dixeras priùs Suavem Aula Pontificia insidiarum architecta à sicariis vulneratum. Post ex Julio Clemente refers, Suavem facinus adscripsisse illis, pro quorum legitimis juribus post, & ante vulnus inflictum steterat. Sententia definitè priùs posita, prolaberis ad judicium ex Suavis sola opinione procedens. Si aula Romana architecta sceleris fuisset, qui sicarii illi in ædibus Nuntii asylum à Magistratu seculari, cujus jura læsa tuebatur, securum reperissent? 4. Nullo odii fomite à Suavi scriptum esse opus, Pallavicinus non dixit; sed potiùs Appar. cap. 3. 4. disertè is dixit, eum imperare effrænato animo haud potuisse, quin prolaberetur in amentiam tam manifestam, tam efficacem ad abrogandam scriptori fidem, quanta fuit, se prodere hostem Pontifici, impium Deo.* Ibid. pag. 480. 481. Resp. 1. Reipublicæ Venetæ cum Papa Paulo V. controversia non religionem, sed jurisdictionem circa bona temporalia Cleri, nec non censurarum abusum concernebat tota. Inde ergo de religione Suavis judicium ferri non potest. Quòd si tamen propterea Pontificius Suavis non fuit, Rempublicam quoque Venetam, cujus causam ille tuebatur, & quæ cum Papæ pudore causam illam vicit, à Pontificia religione defecisse, & in defectione ea ad hodiernum usque diem perstare, sequeretur. Neque perfectò tale quid Bellarminus probare potuit, cujus argumenta falsam potestatem Papæ, hoc est, supremam ejus in bona etiam temporalia Cleri, Regum & Principum potestatem, verbis indirectam, re directam, propugnant. Sed Suavis eam pro Republica Veneta doctrinam defendit, quam decem priùs annis Ludovicus Molina è S. J. *Tract.* 2. *de just. disp.* 40 defendit, cum approbatione suæ Societatis & Superiorum & Theologorum Censorum, aliorúmque. Cúm enim secutus Clarum *lib.* 4. *Sent.* §. *Emphyteusis q.*22. & communem sententiam secutus scripsisset, *Emphyteusin tam Ecclesiasticam quàm secularem transire quidem ad Monasterium, sed cum hoc gravamine, ut Monasterium*

sterium teneatur eam à se alienare vel venditione, vel Commutatione, vel quacunque alia ratione, &c. subjungit: *Quin de jure hujus Lusitaniæ Regni neque Ecclesiæ, neque Monasteria emere possunt bona aliqua immobilia absque Regis facultate. Quòd si successione vel donatione aliqua illis adveniant, tenentur intra annum & diem ea alienare, nisi obtineant facultatem à Rege ut illa sibi retineant: quod in feudo & emphyteusi locum non habet, cùm inter immobilia bona computentur. Id verò in hoc Regno & ordinariè in aliis sancitum est, ne paulò plus justo accrescant tum immobilia bona, tum etiam reditus Ecclesiarum & Monasteriorum in laicorum detrimentum, præsertim cùm pleraque Monasteria jure hæreditario quotidie loco suorum Religiosorum succedant in bonis defunctorum.* An ergo etiam Molina & Jesuitæ approbatores, addo Lusitani omnes hostilem sic animum in Papam prodiderunt? Quæ ex Pallavicino tuo de commercio cum hæreticis, literis inprimis ad Castrium Gallum Hugonotum, & salutatione Sommersdykii Oratoris Belgici à D. de Zulichem Marchioni de Lionne prodita, objicis, supra citatus Amelotus de la Houssaye in præfatione sua doctissima diluit; literarum inprimis ad Castrium datarum νοθείαν, Ubaldini malam fidem & mentem, atque colloquii cum Sommersdykio inane figmentum apricatus. Ut tamen ingenuè, quod sentio, dicam, Suavis non procul à Regno Cœlorum abfuit: imò spes est, illud ingressum esse. Ostendit id *Confessio Fidei*, quam ille (ante, an post scriptam historiam, mihi incertum) consignavit, edita à Doctiss. Andrea Colvio, qui eam Venetiis, ubi Legato Belgico Berckio à Concionibus domesticis fuit, sub nomine P. Pauli, ab ipsis Senatoribus Venetis & Prælatis cum fructu lectam & approbatam, se accepisse testatur. Qualem verò, agnita veritate, se in Communione Romana gesserit, eorum fidelium, qui ante Reformationem Papatus externæ communioni permixti fuerunt, & hodiéque permixti plures pii sunt, more, corpore, non animo Pontificiis conjunctus, & relicto veneno se aliósque salubri cibo pascens; & cur eandem, cùm facilè licuisset, non deseruerit, tum ex Epistolis ejus pluribus ad Viros doctissimos communionis nostræ exaratis, & publici juris factis: tum ex historia Guilhelmi Bedelli Kilmoriensis in Hibernia Episcopi, Suavi, cùm Venetiis aliquandiu degeret, conjunctissimi, non ita pridem à Celeb. Gilberto Burneto, Sarisberiensi nunc Episcopo longè meritissimo, descripta (*pag. 18. 19. 20. Gall. edit.*) colligere est. Ex eadem porro Confessione liquet, non eam Suavi, quam Pallavicinus ei impingit, mentem fuisse, quòd in quavis religione salus contingere possit. Non enim, Pontificia licet in communione degens, salutem ex Pontificia, vel quavis alia religione, sed ex orthodoxa, quam scripto eo confessus est, unicè quæsivit speravítque. Tantum verò abest, ut Orthodoxiæ studium de integritate historiæ ejus quicquam delibaverit, ut eam potiùs multùm confirmet, quia compertæ Concilii fraudes haud dubiè veritatis notitiam & amorem illi instillarunt; & veritatis Divinæ studium in humana etiam narranda fidem arguere potest. Neque etiam quis dixerit, sed quid dictum sit, æqui rerum æstimatores pensitare solent. Ab ipso Diabolo adjurata haud semel testimonia vestri admiserunt. Et Suavis saltem in Baptismo almæ unique veritati sacramento dixit. 2. Satis ne ergo jam erit ad effugienda Papæ anathemata, hæresiúmque improperia Papæ omnipotentiam & Monarchiam temporalem, spiritualis nomine incrustatam, agnoscere, vel saltem non infringere? Dummodo proin hæc pupilla non attrectetur, salva res est. Experti sunt Imperatores Christiani, Henrici, Ludovici, Friderici. quibus Papæ temporalia commoda & Simoniam perstringentibus, nova hæresis, *Henriciana*, vel *Cæsarea* dicta, à Romano Vejove impacta est. Aliâs ad hæreseos notam immerentibus inurendam proclives nimis Catones, vel potiùs Rhadamantos vestros esse, non immeritò jam olim Ludovi-

cus

ctus Vives lib. I. *de Cauf. Corrupt. art.* Alphonfus de Caftro *adv. Heref. lib. I. 9.* Vafquez *Tom. II. in 3. difp.* 117. *n.* 25. & noviffimè Raynaudus *de Mal. ac Bon. lib. Part. 3. Erotem 3. num.* 304. quefti funt. 3. Contradictionem fingis, ut mutire adhuc poffis. Cùm ficarii Venetiis in ædibus Nuntii, & Romæ in Pontificio afylo falutem quæfiverint & invenerint, aulam Pontificiam infidiarum architectam fuiffe, cui non ftatim fuboluit? Ne tamen μνησίκακος Suavis iras immortales gerere videretur, pro eorum, qui authores infligendorum vulnerum fuerunt, Papæ videlicet & Aulicorum ejus, juribus *legitimis* (non quibufvis. nam legitima quædam jura etiam iniquiffimi habere poffunt) ftetit. Neque opinatus ita Suavis eft, fed & ipfe & alii patratum fcelus authoribus, puta Pontificiis, difertè & definitè *adfcripfit.* Ita enim Julius Clemens loquitur. Quæ hic, vocum putide venator, contradictionis fpecies? Sed facilè fecurum in ædibus Nuntii afylum latrones repererunt, quia Veneta Refp. in ficariis ipfis Papam, vel Miniftros ejus aggredi confultum non duxit. inprimis cùm Suavi inflicta vulnera mortem non acceleraverint. 4. Pallavicinum teftem Julius Clemens induxit, non quòd nullo odio hiftoriam Suavis compofuerit, fed quòd ante inflictum vulnus hiftoriæ fcriptionem meditatus fuerit. Difertè enim Pallavicinus *Introd. cap.* 2. fcribit, *Suavem maximam vitæ fuæ partem in fcribenda ea hiftoria impendiffe.* Ergo jam diu ante inflictum vulnus & meditatus eft, & fcribere cœpit. Si porro hoftem Pontifici fe prodidit, at *impium Deo* neutiquam prodidit. Fraudes enim hominum Deo mentientium, & religiofum mimum in mundo peragentium, propalare, & veritati procul omni affectu litare, nec hoftile, nec impium eft. Cœterùm criminationes illæ Pallavicini, qui in componenda hiftoria odiis hoftilibus & impietate totus ardebat, Cæfari Aquilinio veftro *de trib. Hift. p.* 20. non immeritò in memoriam revocarunt id, quod de Platone & Ariftippo fertur. Cùm enim Ariftippus fub pedibus tenens ornamenta domus Platonicæ diceret: *Calco faftum Platonis*, refpondit Plato; *Calcas, fed majori faftu.* Sic ille Suavis odia & impietatem, fi quæ fuerunt, flagrantioribus longè odiis & impietate calcavit.

OBIECT. VIII. *Idem Suavis author Hiftoriæ Concilii nonnulla fide Sleidani authoris heretici, alia Thuani, minùs Catholici, fcripfit. Reliqua cùm in aliis Scriptoribus non inveniantur, Author ifte, qui neque actis interfuit, neque intereffe potuit, neque illis temporibus vixit, explicare debuiffet, unde hæc collegerit, & ex quibus Bibliothecis, vel Archivis hæc manufcripta habuerit. Vel enim fuerunt ea, quæ in actis poni, & monumentis inferi neceffe fuit: vel fuerunt, quæ fcribi quidem potuerunt, fed ut fcribantur, neceffe non fuit: vel ea, quæ nullatenus fcribi potuerunt. Primi generis funt Acta Concilii, quæ cùm apud Legatos remanferint, quomodo & à quo ea Hiftoricus accepit? Secundi generis vel funt contentiones inter Patres, vel inter Theologos, vel funt dicta vel facta in contemptum, aut in præjudicium Concilii, aut herefin & mores continentia, vel his fimilia. Ita à nemine fcripta funt, adeóque ab Hiftorico ficta, vel fcripta fuerunt ab his, qui veritatem Catholicam oderunt, & Papæ ac Concilio adverfati funt, quæ proinde ut plurimùm conficta funt. Difputationes etiam ab Hiftorico confictas effe, fuadetur, tum quia ut plurimùm in his quafi per ambages herefium, & falfæ doctrinæ femina immittuntur: tum quia in his difputationibus aliquando falfa & dictu impoffibilia, eo tempore inter Theologos temerè admixta funt. Tertii generis funt fecretiffima colloquia, de rebus maximis, inter*

summos Principes, quæ ad Historici notitiam pervenire non potuerunt, vel cogitationes hominum, quas solus Deus novit. Quæ tamen omnia passim summa temeritate ab Historico isthoc scripta inveniuntur. Scipio Henricus *Censur. pag.* 131. 132. *&c.* Resp. 1. Scipio ille Concilii historiam ex ipso Suave concinnavit, ipsis ferè Historiæ verbis, & omissis duntaxat iis, quæ palato Jesuitico minus sapiebant. Historia illa à Scipione concinnata vel vera fuit, vel falsa. Si posterius, Jesuita mendacem historiam pro vera venditavit. Siprius, an & quos authores, documenta, acta, quæ apud Legatos remansisse ait, consuluit? An Suavi incumbere eorum omnium demonstrationem, sibi non incumbere putavit? Scilicet soli Jesuitæ sunt ἀυτόπισοι, reliqui omnes fidem decoxerunt. 2. Sleidani historiam optima fide compositam esse, æqui rerum arbitri fatentur omnes. Ipse Carolus Imperator eâ perlectâ dixit: *Aut Cancellarii mei proditores fuerunt, aut Sleidanus Cancellarius fuit.* Hæreticus non fuit, sed Orthodoxus. *Si* tamen, ita Jesuita ratiocinantem Authorem *Notarum* 64. *Moral. pag.* 20. audi, *nulla prorsus fides adhibenda est narrationibus, quæ de nobis Catholicis leguntur, in hæreticorum libris, nec ab illis fides adhibenda ulla erit narrationibus, quæ de hæreticis leguntur in Catholicorum libris. Quare nec ullam adhibebunt iis, quæ de Protestantium vitiis, aliisque eorum gestis latissime in suis voluminibus Pallavicinus scribit. Quæ ergo utilitas ex illis in hæreticos manabit?* Thuanus quoque *minùs Catholicus* audit Jesuitis. Sed Thuano vicissim & majori jure Jesuitæ *minime Catholici* audirent. Noverint tamen illi, Thuanum præstantissimum & incomparabilem Historicum, in Gallia satis Catholicum habitum esse. In celebri enim Colloquio Fontanablensi coram Henrico IV. Mornæum inter & Perronium, habito An. 1600. ex parte Pontificiorum Judex delectus est. Grammondus quoque in Historia ab excessu Henrici IV. lib. 8. testatur, *illum & viventem & morientem se Catholicum gessisse.* 3. Neque tamen Sleidani & Thuani solius fide niti Suavem, superius ostendimus. Familiaris fuit Duci Mantuano, gratissimus ipsi Urbano VIII. & Venetæ Reipublicæ intimus. Quibus non subsidiis horum, addo & aliorum, Principum Oratorum, qui per Secretarios, uti vocant, talia consignare solent, operâ & benevolentiâ potiri potuit? Præterea ipsemet dat Notores, paucos illos quidem, sed omnium instar, & omni exceptione majores, puta Episcopum Fabrianensem *pag.* 22. Cardinalem Montanum, Pauli III. principem Legatum, *pag.* 241. Episcopum Ventimigliensem *pag.* 469. & Cardinalem Amulium *pag.* 731. quorum Ephemeridum, literarum, librorum memorialium copia ipsi non sine Numine facta est. In manum ipsi venerunt 34. suffragia super sola controversia de Residentia *pag.* 441. raræ sive industriæ sive felicitatis exemplo. Cum Camillo Olivo, Cardinalis Mantuani principis in hac Synodo,

Synodo, Pio IV. Pontifice, Legati, Secretario familiaritatem coluit, uti ipsemet *pag.* 470. innuit. Et quis dubitet, quin aliorum etiam Præsulum amanuenses operam rogati contulerint, viróque tantæ dignationis, & in orbe Christiano existimationis promptè gratificati fuerint? Addo vigente & florente Suave superstites fuisse nonnullos, qui ipsi Tridentino Concilio interfuerunt, à quibus multa oretenus excipere, & scripta quoque nullo negotio impetrare potuit. *Quòd si etiamnum*, liceat Adami Neutoni historiæ hujus interpretis verbis stringere Scipionem, *fucum tibi factum metuis, dic sodes, quis ille inventionum tam felix, qui veri adeò similia nobis ab ingenio confingat? aut quis tam imprudens, imò tam duræ frontis & impudens, qui pro veris ea obtrudat, quæ si ficta essent, ipsæ Regum Principúmque literæ, quarum in medio est memoria, facilè vanitatis arguant? Non enim duntaxat consilia, jussa, facta, quæ Tridento, aut Roma perscripta, præscriptáve, hic recenset, sed & quæ ex Germania, Gallia, Hispania, aliisque Europæ provinciis missa: omnia tam diligenter, ut non res solas narret, sed ipsa temporum momenta distinguat.* 4. Desinat igitur ineptiarum Scipio, nec evanescentibus suis ratiociniis claræ rerum gestarum & bona fide descriptarum luci amplius deroget. Cogitetque adeò, eadem ratione non suam duntaxat, sed etiam Sfortiæ Pallavicini universam historiam, quæ & acta Concilii, & contentiones Patrum, & dicta factáque in præjudicium Pontificis, & secreta consilia, aliáque ejusmodi, uti testantur Cæsar Aquilinus, & Author *Notarum* 64. *Moralium*, longè plura, & Papatui etiam perniciosiora complectitur, quæque multa à Suave dicta & à Scipione in tria genera tributa confirmat; alia verò leviter corrigit; adeò quidem, ut in ipsa urbe Roma Pallavicinus ille Suavis *commentator & Amplificator* à nonnullis dictus fuerit; convelli, & in falsitatis suspicionem adduci posse. Neque ulla historia etiam maximè incorrupta & emendatissima secura esse poterit, si vanis ejusmodi & levibus conjecturis locus dabitur.

Excip. Reding: 1. *Quæ Sleidani fides fuerit, supra ostendimus. Convicerunt eum Surius, Fontanus, alii. Spondanus mendaciorum loquacissimum vocat.* 2. *Si authoris Notarum consilium obtinet, ut neutris, vel Catholicis de hæreticis, vel hæreticis de Catholicis testantibus, fides habeatur, omni ergo ex parte rerum in religionis negotiis gestarum silentium prævalebit.* 3. *Thuanum ipse fateris historiam Concilii supprimendam duxisse. Parum ergo sibi confisus est.* 4. *Suavis semel ex Fabrianensi, semel ex Cardinali Montano, semel ex Episcopo Vertimigliensi, semel ex Cardinale Amulio, excepisse aliquid jactatur. In rebus tam paucis rationem reddere conatus est: in reliquis omnibus nullam reddidit. Quæ ergo ei fides?* 5. *Idem Suavis, ubi historicæ narrationis aliquam umbram reperit, facile fucos & colores apparentes fingere, & à se dictis verisimilitudinem aliquam conciliare potuit.* 6. *Suavis & Pallavicinus hactenus differunt, quod ille iniquiora a nonnullis attentata, ipsi sacro cœtui: hic nequitiæ authoribus solis impegit.* Ibid. pag. 482 483. Resp. 1. De Sleidani fide

& nos Ameloti vestri verbis respondimus. Millies illa Pallavicini fidem superat. Nec Surius Monachorum maledicentissimus illam minuit, sed auxit magis.uti Celeb.Freinshemius Prælectionibus ad illum habitis,quarum bonam partem ex ore ejus excerptam possideo, demonstravit. Apologia porro gemina, tum quam ipse pro se ipso Commentariis suis in repetita editione A. 1553.vulgatam præfixit: tum quam pro ipso Fridericus Hortlederus,Consiliarius quondam Vinariensis, in Præfatione Operis amplissimi de bello Germanico,sive Schmalcaldico texuit,historiæ ejus integritatem masculè vindicat, & invidorum calumnias dispellit. *Quid quæso* (liceat Illustris Viri,Viti Ludovici à Seckendorf,verba,quæ in præloquio Operis ejus laudatissimi, cui nomen fecit *Commentarii Historici & Apologetici de Lutheranismo*, extant,mea facere) *mentiri Sleidanus potuit, qui maximam narrationum partem,de rebus ad religionem spectantibus,in adferendis prolixè actorum verbis,cum toedio multorum,qui ad varietatem eventuum percipiendam properant, consumit, & ad acta & scripta ubique provocat,quæ etiam pleraque adhuc extant, fidémque Viri indubitabilem faciunt? Nec ullum facilè historicum censuræ eorum,quæ refert,rariùs indulsisse crediderim.* Rerum ergo ipsarum documenta loquantur,non Cochlæi,Surii,Fontani,Spondani,Maimburgii &c.quorum partibus insanè addictorum testimonia nemo bonus æquúsque rerum arbiter admiserit. 2. Author Notarum Julius Clemens consilium isthoc non perhibuit.Oscitanter ejus verba legisti.Si,inquit,*nulla fides adhibenda est narrationibus,quæ de nobis Catholicis,leguntur* &c. Non ergo vel Papistis de Orthodoxis,vel his de illis aliquid narrantibus fidem omnino nullam haberi consulit; sed contrarium planè suadet argumento ad absurdum ducente. 3. Cum Illustri Thuano vel mille Pallavicini,ejúsque compilatores Redingii,paria non faciunt. Omissa verò ejus historia est in Operum ejus editione,sive Authoris voluntate & dedita opera,non causæ suæ metuentis,sed ob temporis iniquitatem, & cleri Romani invidiam non sustinentis; (uti quidem in Republica minus libera linguæ liberæ nullus usus est) sive mala aliorum fide. Invisa nimis veritas est iis, quorum illa carnalibus consiliis & studiis obest. quocunque demum authore illa emanet. 4. Quid verò sibi vult illud tuum *semel,semel,semel &c?* Nam Suavis semel licet allegans suum Fabrianensem,Montanum, Ventimigliensem, Amulium.&c.nuspiam tamen dixit, semel duntaxat, seu unico in argumento illorum monumentis & Ephemeridibus se usum esse. Hoc verò nos ex citatione ea conficimus, illum copiam habuisse Ephemeridum illarum,& iisdem in contexenda historia usum esse. Neque tamen necessitas ulla postulavit, ut singulis narrationibus authores,notores & documenta sua apponeret, quia historici non est, proferre testes eorum, quæ narrat. Satis enim est,ad fidem illi conciliandam, si habeatur vir probus à viris verè probis, licet non planè omnibus, fidelis,prudens &c. & ab hominibus, quibus meritò fides habeatur,illa acceperit, vel in similium hominum manuscriptis illa legerit; si denique falsitatis convinci non possit. Alias fides neganda esset omnibus,qui gesta priscis seculis,& à sua ætate remotissimis; vel non in regionibus ac civitatibus,in quibus ipsi morabantur,vel etiam multa in locis, in quibus degebant, descripserunt,hoc nomine,quòd ea non probaverint. Quot inde incommoda in Remp tum civilem,tum ecclesiasticam redundarent? Ipse Pallavicinus Introd.*cap.* 2. 2. scribit, *Historicum non aliud esse,quàm testem; narrare,non probare; imò nec esse testem e visu, sed ex conjecturis,cùm ille ut plurimùm haud narret,quæ ante suos sensus obversata sunt, sed quæ ex relationibus incertis, æquivocis,contrariis suo potuit colligere judicio.* Suavem non suo, sed tuo & Pallavicini Tui metiris pede. Certe Cæsar Aquilinus vester sic *pag.* 13. Suavis & Pallavicini historiam comparat: *In omnibus Petri Suave historia est purior & simplicior,*

nullis

nullis fucis,& solùm illa ornamenta referens, quæ ad veram & absolutam historiam spectant. At Pallavicini historia in omnibus tota prorsus fucata apparet, illis quidem fucis scatens & affluens, quæ confectati ingenii indicia ostendunt, & historiam non ornatam reddunt, sed potiùs deformem ac risu dignam &c. 6. Imponis denique Suavi impudentissimè, asserens, quòd iniquiora non nequitiæ authoribus, sed Concilio imputaverit. Vel unum, si potes, exemplum prome. Legi historiam, relegique. Fraudis hujus ne vestigium quidem ullum deprehendi.

OBIECT. IX. *Multa sunt in Historia Suavi Polano tributa, quorum tamen author ille non est, sed potiùs M. Anthonius de Dominis, qui historiam hanc MS. ex Italia in Angliam detulit, & An. 1619. Londini imprimendam curavit, & interpolavit, additis potissimùm digressionibus, & pro Protestantium opinionibus argumentis. Ita enim solent hæretici bonos libros corrumpere & interpolare, uti etiam Londini accidisse Matthæi Paris historiæ testatur Possevinus. Et positis illis Protestantium argumentis & digressionibus, non bene reliqua, quæ Suave in Historia scripsit, cohærerent. Accedit, quòd in Londiniana impressione Historia hæc satis diversam & Pontificibus odiosam retinet inscriptionem, in aliis editionibus una cum dedicatione expunctam. Qua de inscriptione & dedicatione ipse Suave Polanus adhuc superstes graviter questus est.* Resp. 1. Urgent hoc titulo *probabilis suspicionis* Cæsar Aquilinius, & Comes Julius Clemens. Nostrâ tamen parum refert, an digressiones & argumenta Protestantium authore Suave, an à M. Anthonio de Dominis consignata sint. Cùm enim Digressiones pleræque omnes abusuum tantùm & errorum originem & incrementa pandant, quæ in iis dicuntur, aliunde etiam peti & cognosci, ac rerum ipsarum documentis manifestari poterant. Satis est, quod Historiam ipsam *planè incomparabilem*, uti meritò nuncupat Cl. Conringius, à Suave scriptam esse, nemo in dubium revocare potuit. 2. *Probabilem suspicionem* certo argumento refellere licet. Suavis enim post editionem Londinensem primam superstes fuit quatuor adhuc annos. Questus est de titulo invidioso editioni illi præfixo, nec non de Epistola Dedicatoria ad Brittanniæ Regem, quæ in Genevensi editione resecari curavit. Si opus ipsum interpolatum, & Digressiones, aliáque ejusmodi à mala manu intrusa fuissent, utique non tantùm, & magis quidem de ea perfidia conquestus & protestatus esset: sed etiam hypobolimæa, ut se ecclesiæ Romanæ purgaret, nec tantam sibi invidiam conflaret, & notâsset, & resecari jussisset. Nam quòd Julius Clemens, inter alia levia satis, excipit, *Suavem, cùm prodiret primùm in lucem Historia, jam Septuagenarium, & gravissimis negotiis ac curis detentum fuisse, cui proinde apologiam ejusmodi condere molestum fuisset*, dilutum nimis est. Si apologiam edere seni jam molestum fuit, protestatio fraudis sibi factæ sufficere poterat. Præterea ea fuit promptitudine ingenii, ut nullo negotio tale quid exequi potuerit. Cùm Bellarminus Gersonis de excom-

municatione libellum à Suavi in Italicum idioma tralatum, & præliminari ab eodem epistola exornatum, refutâsset, non ille Harpocratem vel Sigalionem Ægyptium egit, sed confestim pro Gersone apologiam strinxit. Quid non facturus, si venenata ova nido suo imponi, & tantam heic sibi fraudem fieri intellexisset?

EXCIP. REDING: *Hic ergo te Julius Clemens & Cæsar Aquilinius destituunt. Hi enim Suavem vindicant, & digressiones historiæ ejus, in quibus triumphaveras, [illegible] M. de Dominis, aperto Ecclesiæ Catholicæ hosti, vindicant.* Ibid. pag. 483--485. Resp. Non destituunt in quæstione de veritate historiæ, quam illi veriùs, quàm tu optaveras, tutati sunt. De digressionibus ea respondi, quæ post editam Anatomen novissimè etiam Amelotus vestras probavit, & tu ne quidem attingere ausus es; satis habens ad farciendas chartas tuas Pallavicini de Suavis impietate, improbitate & fictitiis ad Castrium literis aniles querelas, à vestris etiam, Ameloto inprimis, solidè discussas, recoctas dedisse.

OBIECT. X. *Historiam Suavis Polani duobus grandibus voluminibus confutavit Sfortia Pallavicinus, qui Catalogum Mendaciorum Suavis 360 texuit. Nullam igitur Historia illa Suavis fidem prorsus meretur.* Resp 1. Pallavicini gigantea volumina peregrino idiomate scripta legere & intelligere integrum hactenus haud fuit. Interim ex indicio, & judicio virorum doctissimorum, Cæsaris Aquilinii & Julii Clementis vestræ communionis authorum, tantoque suspectorum minùs, in vulgus emisso, licet velut ἐκ τοῦ κρασπέδου τὸ ὕφασμα γινώσκειν. Cæsar Aquilinius *de Tribus Hist. C. T. pag.* 49. monet, *totam vim & pondus responsionis ad Historiam Petri Suave, quæ in Pallavicini voluminibus invenitur, in diluendis argumentis, & vanis illis digressionibus consistere. Reliqua verò, quæ scribit, esse superflua, inutilia & nonnunquam perniciosa. Et ista duo volumina satis magna rectè assimilari posse bubonibus, qui magnæ quidem aves apparent, non membrorum & carnis magnitudine, sed inutilium pennarum superfluitate. Pag.* 22. comparat Pallavicinum Suavi 360. errores impingentem, cum pueris in Schola, qui ut æmulis suis plures negligentiæ notas impingant, non Solœcismos tantum & barbarismos, sed etiam quodcunque malè exaratum ob atramenti, calami vel paginæ defectum, quaslibet etiam minimas non bene expressas interpunctiones, sub Solœcismi nomine traducere amant. Eadem ratione Pallavicinum collegisse sub nomine errorum levissima quæque, & ad Concilii Tridentini causam nihil attinentia. Numerari ab eo inter errores, quæ ab aliis Historicis referuntur, sed ab illo non probantur: Typographorum errata: omnia quæ manu scriptis & Notitiis suis non continentur, &c. Plurima falsò, indecorè, scandalosè & cum Pontificum ac Concilii injuria ab ipso scripta recenset. Julius Clemens verò etsi Pontificiis etiam partibus addictus, Notas LXIV. Morales, Censorias, Historicas ad Inscriptionem, Epistolam ad

Lectio-

Lectorem, & tredecim Capita introductionis Pallavicini edidit, eruditione varia & singularis probitatis indiciis refertas. In iis inter multa alia asserit ac probat, Pallavicinum prima Theologiæ elementa ignorare *pag.* 12.52. fidem sibi in multis adimere *pag* 39. inprimis in iis, quæ contra Suavem mero livore & malevolentia scripsit, *pag.* 3.4. favere Basileensibus Patribus, & tollere primatum Pontificis, *pag.* 11. maledicum & Principibus ac Pontificibus injuriosum esse. *pag.* 3.20.28 30.37.45. instar pædagogi errores quosdam in Suavi notare, quosdam levissimos & pueriles, quosdam ab ipso etiam Pall. erratos, quosdam contra Authoris mentem descriptos, quosdam nihil minùs quàm errores, *pag.* 50.51. calumniatorem esse, *pag.* 47. imprudentem *pag* 20.49 76.77. historiam ejus scandalosam esse, *pag.* 18. magis perniciosam, quàm ipsius Suavis, *pag.* 41. aliáque ejusmodi, quæ Historiam Concilii & refutationem Suavis a Pallavicino hoc planè sublæsta fide exaratam, Poeticam, fabulosam, ineptam, scandalosam, & ipsi Papatui noxiam esse, clarissime arguunt. Neque dubito, quin giganteam illam molem enervaturus & penitus profligaturus fuisset, nisi primum illud specimen Romæ, uti talia solent, pessimè exceptum, proscriptum, & in ipsa, quoad ajunt, herba suffocatum esset. Neque tamen despero, quin, ubi Latina versio jam promissa prodierit in lucem, Viri docti & pii surrecturi, bubonem hunc, uti eum vocat Aquilinius, deplumaturi, & Historiæ Suavis decus apud infirmiores, nonnullorum vanis dicteriis & obtrectationibus, quos ira & furor ob inflictum ex ea Papatui ἀθεράπευτον vulnus dictavit, obscuratum, in solidum vindicaturi sint.

Atque ita Opus qualecunque, certè animo erga veritatem Evangelii, Deique gloriam ardente, compositum lucubratúmque, DEO T.O.M. gratiam & robur Spiritus clementer aspirante, ad metam proveximus eo ipso tempore, quo omnis vis & potentia mundi adversus unctum Domini conspirat, & denuo sanguinarii Concilii hujus executionem horribili modo machinatur. Liceat igitur coronidis loco DEUM Salvatorem, clypeum unicum & gloriam nostram compellare pia oratione, quam Petrus Martyr eo ipso tempore, quo & Concilium Tridenti inchoatum fuit, & religionis causa grave & intestinum bellum in Germania exortum est, ad Psalmi tertii imitationem pio ardore composuit: *Supra modum auctæ sunt copiæ, DEUS Optime maxime, illorum, qui adoriuntur ecclesiam Tuam. Complures jam infestare audent, & in ipsam crudeliter insurgunt, non sane alio freti consilio, nisi quòd apud se statuunt, non esse abs Te salutem nobis amplius sperandam. quasi tu omnino populum tuum deserueris, ac omni præsidio & defensione exarmaveris. Non profectò inficiamur, dum peccata, quibus te offendimus, intuemur, esse commeritos, ut auxilio tuo destituti, ludibrio, contumeliis hostium tui nominis*

nis exponamur. Sed nihilominus pro fide, quæ in nobis misericordiâ tuâ superest, audemus te accedere, & precamur, quò in his adversariorum exprobrationibus tantum Spiritus & constantiæ digneris nobis suppeditare, ut te unicum præsidium, decus & vindicem fore populo tuo non dubitemus: qua fiducia confirmatis si tuum auxilium invocationibus imploraverimus, è tuo cœlesti habitaculo nobis proculdubio annues, dum sumus hac tua protectione securi, tantum aberit pavor, etiamsi complures hostium myriades nos obsideant, ut solito more somnum capiamus & expergiscamus, dum Tibi uni innitimur. Itaque juxta conceptam hanc fiduciam, O DEUS, exurgas, atque ut consuevisti, eorum qui adversum te se efferunt, dentes confringas, ne pro libidine ecclesiam tuam dilacerare valeant, ostendásque tuam esse salutem, atque tua bonitate posse adhuc his extremis casibus juvari populum tuum, per Jesum Christum Dominum nostrum, AMEN.

EXCIP. REDINO: 1. *Nec falsitatis, nec levitatis in recensendis his erroribus insimulari Pallavicinus potuit, quia ex Actis authenticis, in progressu operis ad marginem positis, eos notavit. 2. Licet quorundam in Concilio exorbitationes sigillatim recensendo, scandalosæ obtrectationis ansam dedisse videri idem possit, iis tamen supersedere tam ei impossibile fuit, quàm necessum erat ex earum omissione historiæ non integra fide conscriptæ suspicionem, vel apertum judicium incurrere. Facilè tamen scandalum evanescit, reputando, quòd triticum semper paleis permixtum esse, imò frumentum unâ cum Zizaniis crescere, neque ante messem depurari oporteat: quódque particularis actio toti corpori seu politico seu mystico imputari non possit. 3. Licet errores quidem Suavis in linea morali non adeò graves videantur, in fidei tamen historicæ computatione authoritatem scriptoris plurimùm elevant. 4. Cùm eam semper cautelam Pallavicinus adhibuerit, ne imprudenter vel nequiter sub Synodi decursu gesta vel dicta Sacro cœtui imputarentur, néve Pontificum actiones seu commentitiæ seu veræ, seu prava interpretatione in pessimam partem tractæ, aliorum mentibus ingestæ, in iis radices agerent, nullo jure scandalosa ejus historia dici potest. Principia tum Theologiæ, tum Dialecticæ, tum Politicæ crebr ab eodem inculcata facilè quascunque seu malignorum, seu simpliciorum sinistras imputationes repellere possunt. 5 Julio Clementi Pallavicini Censori intrepidus ad enervandam historiæ ejus molem animus neutiquam defuisset, ni genuinis actorum monumentis accurrata trutina perpensis, cedere coactus fuisset. Te verò intrepidè provoco, ut authentica monumenta ab ipso citato diluas. 6. Pallaviciniana historiæ veritas liquet tum, quòd author nullis privatis odiis, uti quidem Suavem fecisse constat, eam scripsit, ubi verò illa desunt, publicæ inimicitiæ vim non habent, ut scriptor non vulgaris calumniæ indignitate se fœdari velit: tum quòd fidem professus est, quæ non soli fidei beatitudinem spondet, qualis eorum fides est, qui Tridenti damnati sunt; sed præceptorum, inter quæ est lex non mentiendi, custodiam etiam profitetur: tum quòd in his narrationibus noluit eam sibi assumere authoritatem, quæ Historicis tribui solet; sed se ipsum obstrinxit, ut in margine annotaret cujusque rei quamvis minimam testificationem, vel ab impressis scriptorum operibus, vel è Manuscriptis, quorum authores extitere Principes, Legati, Oratores, & hujusmodi viri conspicui. 7. Denique cum opus à te ex animo ad Dei gloriam ardente compositum, eo ipso tempore ad finem provectum jactites, quo omnis vis & potentia mundi adversus Unctum Domini conspiret, & denuo sanguinarii Concilii hujus executionem horribili modo machinetur, ex hoc revera fateri compulsus evinceris, insuperabilem fidei veritatem super Ecclesiæ petra fundatam*

tam eo usque jam vires suas exerere falsa Pseudo-Reformationis tuæ dogmata ad portas inferorum, ex quibus prodierunt, retrudenda non immeritò vereare. Neque vel justitiam vel potentiam Dei erga te retardabunt blasphemæ preces tuæ, quibus fidei lucem in Ecclesia tua conservari à Deo petis, cùm tamen Pseudo-Reformationis tuæ spiritus ad eas tenebras te redegerit, ut quoscunque fidei articulos stipularum & festucarum instar habendos persuadere nitaris, modò in Christum fides retineatur, nemóque condemnetur, ac paratus quisque sit, quantum ex Scriptura intelligere potest, ad reliqua fidei dogmata amplectenda. Quod principium fidem ad unicum jam articulum coarctans, & sacrorum dogmatum perniciosissimam credendi libertatem inducens, non potest non preces tuas in conspectu Dei reddere abominabiles & execrabiles. Ibid. pag. 486--f. Resp.-1. Quæ Aquilinius & Julius Clemens in errorum Suavi à Pallavicino impactorum catalogo puerilis levitatis & falsitatis accusarunt, nec omnia authenticis actis (neque enim omnia Pallavicini acta authentica sunt) nituntur; nec si niterentur, levissima quædam & nullius momenti, ad augendum errorum cumulum, exaggerari sic debuerunt. Hoc enim plusquam pædagogicum est. An enim ex aliis historicis narrata, & à Suavi non probata: Typographorum errata: data, seu tempora quibusdam literis non apposita: Manuscriptis Pallavicini non comprehensa, & similia plusquam ducenta, uti ipse etiam Amelotus observavit, errorum Suavis numerum augere debuerunt? Nisi Pallavicinus κυμινοπρίστης fuisset, facilè amentia hac supersedisset. Ipsemet *Introd. cap. 7.* observat, *animo, affectione odii potissimùm perturbato modicissimum licet objectum grande ac immane apparere.* Non planè de nihilo est, quòd Aquilinius notavit *pag. 25.* omnes ferè inter errores illos 360. non inveniri illa, quæ à Scipione Henrico ex Petro Suave colliguntur. Diversis igitur conspicillis usi videntur duo ejusdem Societatis pulli licet. Neque etiam si levia quædam errata in Historia Suavis occurrunt, graviora eidem inesse, ex trito illo canone: *A minori ad majus valet argumentum*, rectè Pallavicinus arguit. Habet enim ille canon suas limitationes apud Theologos, Historicos, Jurisconsultos æquè ac Logicos, qui observant, debere rem, quæ arguitur, circa eundem terminum & subjectum versari. Ita non si avis volare, etiam intelligere potest. Quot Patres doctissimi in levioribus quibusdam errarunt, & in Scripturis interpretandis lapsi sunt: qui in gravioribus tamen non errarunt? Festivè admodum Aquilinius suam Trium historicorum censuram claudit his verbis: *Reprehenditur à Pallavicino P. Suave, eò quòd erraverit in assignando die cujusdam epistolæ, in forma Brevis scripti à Romano Pontifice ad Carolum Cæsarem, cùm alter eorum dixerit fuisse die vigesimo quarto, & alter die vigesimo quinto Augusti. Et tamen meminisse deberet Pallavicinus, quòd & in Catholica Ecclesia hæc diversitas inveniatur in Sancti Bartholomæi Apostoli festivitate assignanda.* 2. Si Pallavicino licuit, imò necessum fuit ad historiæ integritatem, non omittere scandala ex Patrum quorundam actionibus suborta: cur idem non licuit Suavi? Nam solo quidem eo nomine historia Suavis vobis sudes in oculis est, quòd Patrum tot fraudes detexit. Eadem ergo medicina scandalis ex Suavis historia adhiberi potest, quam scandalis ex sua historia succrescentibus Pallavicinus applicuit. Sed scandala à Pallavicino non accepta, sed data, liceat verbis Julii Clementis *pag. 18.* perstringere. *Ostendere* sic ille, *nunquam licebit Pallavicino, sibi non licuisse sine peccato mortali prætermittere plurima, quæ ad actiones Pontificum, Principum & Patrum quoque Tridentini Concilii spectabant, & alia plurima, quæ Tridentino Concilio non erant adnata. Ostendi potiùs poterit, plurima obligatum fuisse eum silentio præterire, utpote non congrua responsioni historiæ Suavis, sed potiùs mirificè illi faventia, ac illegitimum de Tridentino Concilio sensum apud Protestantes foventia. Non poterat forsan sine scandalo*

omitti Responsio ad Suavem, ut scandalum in multorum mentibus ex illa ortum tolleretur. Verùm hæc Pallavicini non ad id opportuna, cùm potiùs illud idem confirmet, videtur sapientissimis viris, qui singulari amore ac veneratione Romanam prosequuntur Ecclesiam, & sectariorum sensus nollent à nobis ipsis carroborari. 3. Humanam est errare. Neque ullus scriptor adeò numeris omnibus consummatus unquam extitit, quin in rebus maximè ἐπεισακτικοῖς, substantiam historiæ non concernentibus, non semel cæspitaverit. *An propterea impostor,* sic meritò Amelotus quærit, *vel rerum ignarus Suavis censeri potest, quia alicubi Arembaudum Genuensem dixit, qui Mediolanensis erat: à Leone X. condemnatas 42. propositiones scripsit, cùm is 41. duntaxat condemnaverit: Fabrianum pro Teramo; Grossetum pro Lucera; d'Orenge pro d'Orense; Mirepoix pro Agde; de Torre pro Sassari &c. posuit. Talia animo fallendi non dicta scriptoris nullius existimationem minuunt.* Sed profectò non si Suavis in quibusdam non fuit aquila, Pallavicinus ipse in pluribus non fuit talpa. 4. Qua in re scandalum lectori Pontificio præbere Pallavicini historia apta nata sit, Julii Clementis verbis jam exposuimus. Sequiùs gesta à Legatis potissimùm, qui à Papæ, qui anima Concilii fuit, nutu pendebant, cur Concilio ipsi imputanda non sint, docere nos Pallavicinus debuit. Quomodo enim Concilium pium, legitimum, Christianum censeri potest, cujus caput per legatos & mancipia sua νεοσπάστα, qui Concilii maximam partem impleverunt, impiis & Antichristianis artibus, horrendísque fraudibus decreta pleraque, Monarchiæ inprimis Papali, & Ecclesiæ quæstui velificantia, stabilivit, & melioris partis, per suffragia metúmque victæ, sententias oppressum ivit, atque sic Deo juxta & hominibus illusit? Saltem, quod etiam Julius Clemens *pag.* 30. notavit, *plurima Pallavicinus addit malè gesta à Pontificibus ipsis, nedum à Cardinalibus & Patribus, qui Tridentino Concilio interfuere, quæ tacet Suave; ac inprimis à Paulo IV. ut omittatur Hadrianus VI. cujus laudes mirum sanè in modum extenuat, dum summis eum laudibus Suavis effert. Et ab his quidem abstinendum fuit Pallavicino, dum refellere voluit Suavem, ceu acriter in Summorum Pontificum actiones invehentem, ut ipse non semel inquit. Quare modò Pallavicinus interpres & amplificator Suavis in hoc maximè, nec injuria dicit; illique tribuitur nota, quam ipse lib. I. 1. 5. inurit Guicciardino, appellans illum Magnum seu rigidum Censorem.* 5. Forte Julio Clementi arduum non fuisset totam Pallavicini historiam ad incudem revocare, eíque apud cordatos & rerum non ignaros fidem omnem detrahere. Nam in paucis foliis omnem jam telam explicaverat, quam, si liberiore in aere spirasset, pertextam dare publico facilè poterat. Imò pertexuisse etiam, sed Jesuitarum, qui ipsum flagrantissimis odiis persecuti sunt, metu luci exponere ausum non esse, non desunt, qui asseverent. Fieri tamen poterit, ut post ejus fata, quibus jam defunctus est, in manus eorum, qui in lucem protrahere gestient, Opus incidat. Me quòd attinet, homo proponit, sed Deus disponet. Si tuo more Pallavicinum refellere animum inducerem, haud equidem magnus gigas mihi ipse viderer. Nam Suavem aliter refellere non potuisti, quàm totum Pallavicinum ferè verbotim describendo, & cœca fide (nam ne apicem quidem unquam immutasti, ut eodem in pretio tibi Pallavicinum fuisse, quo oracula Divina omnibus esse debent, facile inde constet) omnia amplexando, similibúsque talpis propinando. Et jam me *intrepidè* provocas, ut Pallavicini authentica acta diluam. Tu priùs ex tuo penu Suavis historiam dilue, & Pallavicini acta, quibus ille usus est, anteferenda esse illis, quibus usus est Suavis, demonstra. Sed, ut paucis Tibi, *intrepido* provocatori vel hic jugulum incidam, Suavis historiam suspicione carere, Pallavicini contra acta gravi suspicione laborare, *intrepidè* vicissim ajo. Nam Suavis historiam quod attinet, fidei & probitatis ejus specimen omni exceptione majus ex iis,

quæ

quæ de rebus Gallicis narravit, peti potest. Quascunque enim literas, Instructiones Galliæ Legatis missas vel datas ille memerat, exactissimè illæ cum Memoriis & relationibus D. du Puy impressis conveniunt, adeò ut Amelotus ex iis verba literarum, & Instructionum, quin & dies ac annos, quibus datæ sunt, cum Suavis relatione aprime consonos, in novissimæ editionis Gallicæ margine repræsentare lectori potuerit. Vel ex hoc uno specimine velut ἐκ τοῦ κρασπέδου τὸ ὕφασμα γινώσκειν, & de fide reliquorum omnium haud anceps judicium formare licebit. Contra Pallavicinus ejusmodi actis usus est, quorum fides meritò suspecta omnibus esse debet. Usus enim potissimùm est actis Pontificiis, quæ ubique jactat. Scribit autem *lib. XIII. 16. 6.* Paulum IV. duo habuisse Registra, alterum ordinarium, quod remanserit apud Sacri Palatii Secretarios, literas continens de primis publicisque mandatis; alterum secretissimum, memoriæ minimè prodendum, quo secundi generis occulta jussa claudebantur. Quæ porro Pallavicinus è Pontificiis commentariis retulit, ex publico illo Registro excerpta fuisse, facilè censeri potest; atque insuper quisque sibi persuadebit, diversas omnino tempore eodem, vel paulò post literas, seu etiam Instructiones fuisse conscriptas, occultissimè habendas, ac in Pontificio palatio, alióve publico loco nullo relinquendas, quin Vulcano etiam, post peractum Concilium, tradendas. Si diversa ejusmodi Registra habuit Paulus IV. cur non etiam Paulus III. Julius III. Pius IV. eo tempore, quo agenda & decernenda in Concilio longè majoris ponderis fuerunt, utpote Pontificum ut plurimum authoritatem spectantia, quàm quæ Paulus IV. in secretissimo suo Registro posita celabat? Hæc duo Registra quidnî pariter legati Cardinales habuerint? Qualis ergo jam actorum Pallavicini authentia sit, quam ille pleno gutture ubique decantat, facilè quivîs paulò emunctiorum narium divinabit. 6. Neque Pallavicini fidem sustentant ficulnea illa præsidia, quæ ex ipso Pallavicino, fucatis rationibus sibi fidem, quam titubaturam apud cordatos providit, conciliare moliente, pro more tuo hausisti. Fallimini enim vehementer utrique, si cuiquam prudenti vos persuasuros confiditis, quòd vel privata Pallavicini odia, vel publicæ inimicitiæ vim habituræ non fuerint, ut calumniæ indignitate se, scriptor scilicet non vulgaris (hoc enim elogio se ipse, Jove scilicet æquo judicans, exornavit) fœdari vellet. Jesuita enim fuit, cujus aræ & foci, & foci magis quàm aræ id exegerunt, ut Pontificia authoritas & potestas quovis modo sarta tecta perstaret. Præterea purpuram idem Jesuita ambivit, & adulationis ac mendaciorum pretium obtinuit. Cui proin occinere liceat carmen, quod in Baronii Annales Ecclesiasticos Hugo Grotius non immeritò ejusmodi composuit:

Annales docti { nimiùm servile Baroni / servileis Pallavicini
Qui legis & Romæ, quale probatur opus,
Credere ne propera; multò vigilata labore
Pagina; sed nutu sub dominantis erat.
Auctoramentum non est lev, purpura: pridem
Pontifices verum non didicere pati.
O pietas ubi mersa lates? quis fortis & acer
Qui contra sæclum commodet ora tibi?
Vivimus addicti studiis; spes, ira, cupido,
Turba, metus, regnum religionis habent.

Religio porro, quam professus Pallavicinus est, qualis fuerit, tum communis, tum singularis, tum propria nos equidem non fugit. *Communem* quod attinet, non ille soli fidei, hoc est fiduciæ filiali in solius Jesu Christi merito, fructus lœtos uberesque pietatis & sanctitatis post se trahenti, beatitudinem spopondit, scio. Calamum enim venalem iis addixit, qui imputationem justitiæ Christi, hoc est, Christum totum se nobis donantem & donatione ea salvantem, anathemate percusserunt, & meritorum propriorum stercoribus beatitudinem, miserimi omnium, promiserunt; operum, quæ non Deus, sed superstitio dictavit,

 histri-


histrioniam exercentes, veræ solidæque pietatis & veritatis contra nucleum pedibus conculcantes. Procul à talibus est spiritus Dei, qui veritatis spiritus est. *Singularis* ejus religio fuit Jesuitica, cujus arcem tenet tum amoris Dei nulla per totam etiam vitam ad salutem necessitas: tum æquivocationum in ipsis etiam juramentis & judiciis perfidia. Ita enim *Theol. Mor. Jesuit. Tract. I. Ex. 3. cap. 4.* Jesuitæ loquuntur: *Uti in juramento amphibologia, hoc est, verbis alio sensu, quàm alius accipiat, estne peccatum? Malum intrinsecè non est; sæpe peccatum esse potest. Ex causa quidem honesta perjurium dici non potest: etsi verba sint æquivoca, ex honesta causa amphibologia uti licitum est.* Exempla practica ex Sanchez & Lessio ibidem adducuntur. Si jurati etiam lingua duplici more serpentum, loqui (quod iis Caspar Sciopius, Papista & ipse in *Famiani Infamia pag. 161. &c.* exprobravit, citatis etiam Toleti, Sanchezii, Vasquezii verbis probans, *jam Jesuitas, eorúmque discipulos lingua nova loqui, & vel facta negare, vel nunquam affirmare edoctos, medium digitum Augustino, Thomæ, & veteribus doctoribus omnibus æquivocationes & mendacia in universum damnantibus ostendere*) non verentur: quid non injurati audent? Et Jesuitis fidem sanæ mentis homo aliquis substrinxerit? Imò quis non sanus Jesuitam & veracem ac bonum historicum ἀσύστατα dixerit, & à scribenda historia eos penitus summovendos judicaverit? *Propria* denique Pallavicini religio ea fuit, quòd regimen Ecclesiæ institui debeat ad exemplum Regnorum mundi, politica etiam mundana & carnali, quæ pro scopo habeat incrementum divitiarum & gloriæ, eóque respiciat, ut possideat perfectam felicitatem humanam; adeò ut, si Plato & Aristoteles viverent, faterentur, juxta regulas sapientiæ suæ mundanæ, non posse præstantiorem & nobiliorem Rempublicam formari, quàm Respublica Christiana est. Hæc & similia, novi sui Evangelii arcana, alibi fusiùs eruenda, *Introd. cap. 10. lib. I. 23. 25. VI. 3. VIII. 17. XII. 14 &c.* prodidit. Religionem ergo carnalem, mundanam professus est, cujusmodi inprimis professoribus apprimè verba Dei: *Omnis homo mendax est*, Psal. CXVI. 11. Rom. III. 4. quadrant. De actorum, quibus in componenda sua historia Pallavicinus usus est, abundè jam diximus. 7. Insuperabilem fidei veritatem super Ecclesiæ Petra, ejúsque Cœlesti doctrina fundatam esse, fateor, firmitérque credo. Super Papa, Monarchiæ carnalis & traditionum ejus arena fundatam esse, nunquam bonus quisquam falsus est, vel fatebitur. Sed propterea *Religionis Reformatæ dogmata ad portas inferorum, unde prodierint, retrudenda esse*, me & fateri & vereri, quia Opus meum ad metam provectum scripsi eo ipso tempore, *quo omnis vis & potentia mundi adversus Unctum Domini conspirat, & denuo sanguinarii Concilii hujus executionem horribili modo machinatur*; quis nisi vecors & mente captus colligere potest? An enim vis & potentia mundi adversus Unctum Dei conspirans, ipsum Unctum Dei, Christum ad portas inferorum relegat, retrudit? Et eadem ratione, an Ecclesiam Uncti, quæ est שֵׁגָל Βασίλισσα *Regina, Augusta* Uncti Domini, Psal. XLV. 10? Si argumento tuo stamus, jam omnis illa religio ad portas inferorum detrudetur, adversus quam vis & potentia mundi conspirat, hoc est, Babylon ejúsque cornua, seu Reges cum Agno depugnantes, erunt Ecclesia Agni & Sanctorum: Ecclesia verò Agni & Sanctorum erit Babylon, Apoc. XVII. 12 &c. Ita demum vobis, vi & potentia mundi instructis, & contra Unctum Domini conspirantibus securè dormire, & Epinicion vestrum; *Sedeo Regina, & luctum non videbo*, cantare hilariter licebit semper. Sed ἄνω ποταμῶν, inquiebat ille. Neque preces ardenter à me fusæ *blasphemæ* fuerunt. DEUS enim, Clementissimus noster Αμύντωρ & Αλεξίκακος, qui *super omnia, quæ petimus, ἐκ περισσοῦ abundanter facere potest*, (Ephes. III. 20) & *peccatores* impios *non exaudit* (Joh. IX. 31.) clementer illas, ringentibus sacrificulorum, eo tempore ad depascendas, & Papæ subjiciendas Eccle-

sias florentissimas, secundo Rheno festinantissimè descendentium, agminibus, exaudivit: & exaudivit denuo preces nostras ἐκτενεστέρως, quas pro incolumitate afflictissimæ Sionis fudimus, exaudietque semper. Quod ergo reliquum est, spreto tuo de fidei articulis in stipularum & festucarum censum à nobis reductis, insipiente stolidóque coccysmo, non semel à nobis represso (præstabit verò semper religionem & Ecclesiam fidei in solum Christum, Principem & consummatorem salutis nostræ superstruere, quàm ad Papæ unius, hominis Spiritum Dei non habentis, imò Domino Jesu anathema dicentis, & in quo sermo Dei non manet, servitutem cœcámque obedientiam abjicere) sicut Anatomen eo tempore, quo vis & potentia mundi omnis adversus Unctum Domini conspiraverat, ardenti δεήσει ad Deum, Ecclesiæ Sospitatorem unicum clausimus: ita præsenti Operi nostro, eo tempore, quo hostibus Ecclesiæ Deus, quem non creditum illi sentiunt, θεήλατον & insanabilem plagam infligere cœpit, ad metam producto; Eidem potentissimo Salvatori nostro, justa Soteria persoluturi, pia & devota εὐχαριστίᾳ colophonem imponemus verbis ejusdem Sanctissimi Hieropsaltis, Psal. CXXIV. *Nisi Dominus, qui præsto nobis est, juvisset, dicat nunc Israel: Nisi Dominus, qui præsto nobis est, juvisset, insurgentibus in nos hominibus; Vivos jam nos deglutivissent, cùm ira in nos æstuarunt. Jam ut aquæ nos inundassent, & torrens caput nostrum superasset. Jam aquæ tumidæ superassent animam nostram.* BENEDICTUS DOMINUS, *qui non tradidit nos prædam eorum dentibus. Anima nostra sicut passer erepta est laqueo aucupum, & laqueo perrupto nos erepti sumus. Auxilium nostrum est (& fuit & erit semper) in nomine Jehovæ, Creatoris Cœli & Terræ!*

GLORIA SOLI DEO.
VICTORIA VERITATI.
PAX ECCLESIÆ.
BABYLONI CONFUSIO.

AMEN.





V. CL. HENRICI VAGEDES De SPIRITU BULLARI ET BULGARI CONCILII TRIDENTINI, DISSERTATIO;

Ob argumenti affinitatem, bona cum Cl. Authoris venia, Quæstioni de Authoritate Concilii Tridentini succenturiata.

Breviarium.

Concilium Trid. sub quibus Pontificibus fuerit. Curia Romana triumphavit in hoc Concilio. An Spir. S. in eo præsens illud rexerit? quomodo ad facti hujus notitiam pervenienduм? 1. Afferuntur præsumptiones pro: & expenduntur. 2. Afferuntur præsumptiones in contrarium. Tridenti vulgatum est, Spiritum S. in Mantica afferri Româ. Pontifex dubitavit, an synodus confirmanda esset. Curia Romana illudit legibus Tridentinis per dispensationes absque causa. Quam fœdè interpretetur legem in causis Matrimonialibus. An gratis dispenset? An rarò & ex causa. Illudit Deo & hominibus. 3. Quales fuerint Ministri in Concilio? An in his Spiritus S. fuerit? Perfidia secretariorum ob interesse cum Curia Rom. Quinam debuerint esse Legati? Non Transmontani, sed Itali. An fuerint Theologiæ periti? Aulici magis exoptabantur. Legati debebant ex mente Pontificis omnes sententias mutare, quas tamen ut veras ante judicabant. Nihil audebant proponere nisi à Curiâ præscriptum. Qua arte ad se pertraxerint munus proponendi? Quæ ex eo commoda? Contraria sententia duorum Legatorum poterat omnium vota in Concilio evertere. Qualis fuerit hic Spiritus Concilii?

cilii? Curia Romana fuit primum mobile in Concil. Trid. 4. *Quales fuerint Patres in Concilio. Quibus jus suffragii competierit? An solis Episcopis? Monachis quoque conceditur ob interesse Curiæ Rom. Quæ sit origo juris suffragium ferendi in Conciliis. Curia Rom. in suam utilitatem hæc aptavit. Cur Episcoporum Procuratoribus non permiserint jus suffragii? Italorum multitudo in Concil. Trid. fuit Helena triumphans. Quales fuerint plerique ex Italis illis? Transmontanos habuerunt, ut exteros. In Concilio fuit novum Concilium ex Italis conflatum. An Episcopi rudes possint definire ex afflatu Spir. S. arduas quæstiones Theologicas? An loquantur velut Asina Bileam? Quomodo alii excusent. Rejicitur id. An in Conc. Trid. fuerit definitio dogmatum carbonaria?* 5. *Metus Curiæ Rom. ex Transmontanis. Duplex factio in Concilio, Curialium & Transmontanorum. Quomodo suam factionem firmarit Curia Rom. Italorum greges opponuntur Transmontanis. Monachi Episcopis. Opera Patrum Soc. J. laudatur. Lainii ambitio aliis invisa. Legati dividunt Patres, ut imperent. Curia alebat proditores in negotiis Concilii in principum Aulis. Canisius J. prodit Cæsaris consilia; Hugonius Gallorum; Pacensis Hispanorum; Gualterius Card. Lothar.* 6. *Legati sibi vendicabant jus proponendi. Quam ob causam? In Conc. Trid. nihil propositum, ac decisum, quod non prius Romæ expensum fuit. Cursores apportabant Spiritum S. ab urbe Romà. Cur in his ordo mutatus? Pallavicinus excusat hunc Spiritum. Item Pius IV. Excusatio repellitur, variis ex causis. Fuerunt viri in Concilio Pontifice sapientiores. An lumen illud fuerit liberè petitum? Quinam id petierint. Repellitur excusatio ex dicto Pauli III.* 7. *Patribus injecta est opinio, quasi non Romæ, sed Tridenti firmarentur Decreta. Plures Patres erant stipendiarii Curiæ Rom. Etiam Judæ in Concilio. Principes etiam in suas partes allexit Curia. Italos præsertim. Patres Curiæ invisi variè exagitati sunt. Legati vota indebant suis auriculata.* 8. *An Patres intellexerint sensum Decretorum? Quid evenerit in quæstione de certitudine gratiæ inter Catharinum & Sotum? Sciri non potest, cujusmodi fuerit Concilium Trid. An in illo Concilio Spiritus S. reperiri possit?* 9.

Ex

EX quo ad componendos motus, quos Curiæ Romanæ ambitio excitârat, atque avaritia, Caroli Cæsaris operâ synodus Tridenti consedit, & post dubium, difficilemque partum, qui octodecim annorum morâ hominum expectationem per diversas obstetricum artes fatigabat, amplam decretorum molem effudit, non eodem animi sensu ab omnibus hic partus exceptus est. Alii enim, quibus Majestas Romana curæ est, velut sacrum Spiritus sancti germen, & enatam è Jovis cerebro Palladem adorârunt. Sprevère alii velut exclusum Vaticano in nido pullum, & frigido conatu incubanti synodo callidè suppositum, quò sub alienæ matris nomine incautos simplicium oculos falleret. Nec defuere, qui velut nostrorum Iliadem temporum, civilis Imperii pestem, & obvolutum anguibus Medusæ caput detestati sunt. Et hanc quidem suspicionem jam multò ante, quàm iste patrum conventus Tridenti coaluit, præcurrenti in futura animo præceperant ii, quibus Curiæ Romanæ mores commercium interdixerant, (*Protestantium* accepere nomen) magnasque ex eo causas evulgarunt, cur Tridentini Concilii legibus sese submittere nec vellent, nec possent. Metum namque & præteritorum recordatio, & imago præsentium injecerat, *ne spiritus ille*, quem suis præesse Conciliis Roma jactitat, *è Vaticano Tridentum in manticâ deferretur*, & unius Curiæ Papalis arbitrio libratis Patrum consiliis publica etiam authoritas Romanam peccandi licentiam firmaret. Quæ partium studia dum solicitâ mente expendo, subit animum noscendi cupido, quis Tridentinos patres afflârit *spiritus*, fueritne in *Bulga* & *Bulla* ab urbe Romà submissus, quibus ministris res in Concilio transactæ, quæ judicandi observata conditio, qui judices, pedaneine, & velut utricales tibiæ, quæ, nisi inflaris, flaccido silentio obmutescunt, callidisne artibus oppressæ patrum voces, ne in libertatem erumperent, an verò integrâ sanctitate tanta moles constiterit, proprióque motu librata sit? quâ in re velut partium medius, & inquirenti propior nihil amori, nihil odio concedam, quæ veritatis examen semper deterunt, ut integrè dijudicari possit, quam reverentiam à mortalibus Concilii Tridentini decreta jure exigant.

I. COncilii Tridentini nomen tres Pontifices fatigavit, quorum duo *Paulus III.* & *Julius III.* his curis penè in mortui Synodum aut morte, aut certè alto opressam somno reliquêre, donec post *Marcellum II.* &

& *Paulum IV.* sub *Pio IV.* vitæ reddita *An.* 1563. anxium finem præceps reperit. Etsi autem non diffitear, præcelsæ hoc in conventu calliditatis, an prudentiæ consilia eminuisse, quibus *Curia Romana* in tuendâ, quam usurpabat, authoritate adversus omnium ferè Catholici etiam nominis Principum conatus triumphavit, adeò ut affirmare ausim, hujus Curiæ potentiam nunquam altioribus fixam, firmatamque radicibus, quàm hoc in Concilio, ad cujus tamen nomen, velut unicum moderandæ, quæ in immensum excrevit, potentiæ remedium, semper inhorruerat, id tamen prudentiæ quidem opinionem conciliabit, nunquam autem *Spiritus sancti* regimen huic cœtui ex eo affiget, nisi forte etiam civiles in Imperio seculari, ut vocant, conventus hanc Spiritus S. gratiam sibi arrogent, quòd partium altera utilitatem, nominisque existimationem alteri conetur præripere. In eo itaque quæstionis cardo vertitur: *An Spiritus Sanctus Concilio Tridentino præsens ejus actiones afflatu suo gubernarit?* Et quia id *facti* est, simulque divisis eruditorum sententiis distrahitur, prudentis est, & non amore, non odio veritatem indagantis, hic pedem figere, nec temerè prolabi ad ferendum judicium, nisi prius solerti examine partium medius ipsa hujus Synodi viscera excusserit. Sicut autem in quæstionibus *facti* melior plerumque conditio est dubitantis, negantis, & assensum differentis, ita in Romanos, qui factum affirmant, Synodumque *Sacrosanctam* faciunt, probandi onus devolvitur, quod hoc in negotio satis grave est, cùm certa signa nondum definita sint, è quibus *Spiritum sanctum* Synodi patribus astitisse, probari possit.

II. Interim comperio, in Romanorum favorem ex Pontificum edictis, & in specie ex *Pauli III.* ad Germanorum Antistites epistola apud *Pallav. lib.* 10. *cap.* 10. *n.* 2. & ex ipsâ denique famâ publica præsumptionem elici posse, quæ *Spiritus sancti afflatu* omnia hoc in conventu peracta esse doceat. Nescio tamen, an hæc præsumptio satis valida sit, ut sanctitatis opinionem conciliare possit. Neque enim hæc fama poterit hic dici *Publica*, quæ in *Protestantium* regnis obmutescit, & in paucis tantùm Catholici etiam nominis Imperiorum angulis liberè loquitur, neque, etsi communis foret, in aliter sentientium præjudicium trahi posset, cùm & famæ illi principium *Curia Romana* dederit, altera hâc in causâ litigantium pars; & publico etiam omnium hominum consensu sanctitatem, divinique spiritus afflatum certus aliquis cœtus consequi non possit. *Pontificum* autem testimonia fortè minora videntur, quàm ut rem tantam conficiant, cùm dubium maneat, *quantum fidei mereatur unius partis, & quidem suspectæ assertio? unde Pontifices id sciverint? quantum authoritatis in quæstionibus facti tribuendum sit Pontificibus?* Imò *an ex animo ita senserint, scripserintque?* quod postremum in *Paulo III.* ad Germanos scribente, *Concilium eò se transtulisse, quò Spiritus S. afflatus vocabat*, neque *Carolus V.* neque Hispani, Germanique præsules comperiebant,

neque & ego ob rationes *in Differt.de Translat.Concil.Trid.* allatas mihi ullo modo persuadere possum.

III. Ex adverso, si per præsumptiones agendum, vereor ne in alterius partis favorem aliquæ eruantur, quæ decantatum illum *Spiritus Tridentini* afflatum apud non temerè credulos in suspicionem adducant. Etenim præter Hispanorum, Gallicorumque Patrum de præreptâ synodo per violentas *Curiæ Romanæ* artes libertate querelas, dictum sub *Pio IV.* per ora hominum in Concilio vulgatum est, *Spiritum Sanctum è Vaticano Tridentum in mantica deferri*, scripsitque *An.* 1562 Romam *Lansacus* Gallicus Tridenti Legatus, *ne Pontifex Spiritum Sanctum in tabellarii mantica mitteret*, quæ opinio in viro Catholico, rerumque Tridentinarum apprime gnaro concepta facilè etiam in aliorum animis non adeò benignam de *Spiritu Tridentino* suspicionem alere poterit, præsertim cùm eadem mens *Ferdinando* Cæsari sub ea quoque tempora insederit, qui datis ad *Pium IV.* literis, habitisque cum *Morono* Pontificis Legato sermonibus disertè expressit, *haberi Concilium non Tridenti, sed Romæ, nec ad Decreta Patrum opera, sed tabellariorum deveniri.* Præter hæc illam de *Concilii authoritate* comperio Romanam sententiam *omnem Synodi Tridentinæ legem eatenus vim legis obtinere, quatenus à voluntate, & confirmatione Pontificis illam accipit*, simulque video post finem hujus Concilii Romæ in Vaticano addubitatum esse, *An Synodus Tridentina à Pontifice confirmanda esset, nec ne*, cùm leges aliquas suetis Curiæ commodis in speciem adversas deprehenderent; quæ sanè loquendi, agendique ratio *Spiritum Tridentinum* planè extinguit, cùm capere non possim, *quomodo Spiritus ille Concilio semper præsens dicatur, qui primùm ex ore, calamóque Pontificis per repetitas vices efflari debet, & velut volatilis in Alembico Vaticano figi, ac signari?* Vereor denique, ne *Spiritus* illius existimatio adhuc magis decrescat in iis, qui dispensationum Romanarum gnari latas in *Concilio* de moribus leges à *Curia Papali* prope ludibrio haberi intelligunt. Etenim ipsâ Synodo adhuc perdurante, & inspectante ejus legibus illusum est, etiam ab ipso *Pio IV.* & ab hujus obitu ad nostra usque tempora in *Congregatione Cardinalium super Concil. Trid. in Dataria*, aliisque judiciis nihil aliud actum, quàm ut per subtiles, callidasque interpretationes legum vim eluderent, Patrumque mentem perverterent. Et ausim affirmare, leges de *beneficiorum pluralitate, de commendis*, aliisque, quæ ad *materiam beneficiariam* pertinent, hactenus planè contemptas esse, neque in ullo observatas, nisi fortè in misero quodam, & pauperculo, cui defuit id, per quod omnia in *Curia Romana* obtinentur. Illud nescio, quomodo à fœdâ malitiâ excusari possit, quòd legem à Synodo in *causis matrimonialibus latam* (*In contrahendis matrimoniis*, verba sunt, *vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex causa & gratis concedatur*) jam à tempore *Pii IV.* quo Patres vix è Concilio discesserant, Romæ non conculca-

rint

rint modò, sed & adjectis ludibriis deriserint. Etenim itâ explicant, *gratis*, id est, *absque lucro concedentis, cùm ad pios usus hæc pecunia referatur*, & quamquam in *Dataria* reliquæ pecuniæ illa alias mixta fuerit, *Innocentius X.* tamen primus illam separavit, & ad *Romanos Pietatis montes* retulit: *ex causa*, id est *ob pinguem mulctam oblatam, quæ justam dispensandi causam præbet, cùm de cetero exprimendæ causæ necessitas in salutis æternæ detrimentum cedat*: *Raro*, id est, *quoties lubet, quia hominum cupiditas id exigit*. Interim Deo, hominibusque itá illudi, nemo negabit, cui vel mica pietatis superest, & mirari quis adhuc poterit, qua frônte hìc *lucrum concedentis* negent, cum *usurarios illos impietatis montes* nemo non cernat, & *Pios* istos *usus* adeò largis terminis definiant, ut nihil ferè Pontifici restet, quod non *Pii usus* nomen accipiat.

IV. Ab his ipsa hujus *Synodi* viscera inspicienda jam sunt, ut *Spiritus ille*, qui *Concilii* regebat artus, deprehendi possit. De synodi ministris *Secretario, Advocato, Promotore, Abbreviatore*, & quæ alia nomina rebus ibi conficiendis opportuna videbantur, si quis dixerit, eos ad *Curiæ Romanæ* nutum compositos fuisse, nimiumque forsan meminisse loci, unde in hæc munera intrusi stipendia colligebant, veniam fortè, non anathema merebitur. De eo quidem, qui Concilio à secretis, gravis oborta suspicio, quæ in querelas etiam prorupit, quasi nullius fidei homo, & versipelle pecus calamum ex *Curiæ Romanæ* arbitrio libraret. Ex quo enata consilia, ut venalis calami, fideique homini socius daretur, qui labentem alterius fidem retineret, quod sub initium quidem *Curiæ* Legatis stomachum movit, qui tamen facilè resedit, cum suo committi arbitrio audierunt, quem alteri socium adjungerent. Hac autem in agendi ratione an *Spiritus S.* reperiri possit, non tam audax sum, ut asseram. De *Legatis*, quos velut *Synodi animam* ab urbe Româ mittebat Pontifex, unum quandoque, aut duos, imo & tres, quatuorque, prout utilitatis ratio exigebat, sequentia comperio. *Primò*, Nemo ex *Transmontanis*, sed *Itali* tantùm, & à *Curia Romana* unicè penduli *Legatorum* partes obire poterant, quia incommodum videbatur, *Si primus præses, motorque Concilii, alterius, quàm Italicæ nationis proprius esset*. Raræ namque sapientiæ fuit, quòd *Simonetta Cardinalis Legatus* sub *Pio IV.* dixit: *Transmontanos omnes, præter quatuor ex Hispanis, conspirasse adversus Dominum, & Christum ejus*, id est, *nolle in omnibus Curiæ Romanæ ambitionem, ac cupiditatem probare*. *Secundò*. Non Theologiæ, ac rerum divinarum, sed juris Canonici, artiumque aulicarum periti, maximè autem utilitatis Romanæ gnari, studiosique eligebantur, quòd Theologiæ studium in synodi præside inanius haberetur, quàm ut *Spiritus Romani* motum sequi posset. Neque id ampliùs mirari jam licet, cùm de ipso *Papatu* etiam palàm edicant, non simplicis, ac Theologicæ virtutis homines, sed qui rerum civilium curis exerciti mundanis artibus oppleverunt animum,

Petri Cathedra imponendos esse. *Tertiò.* Pontificis Legati non audebant illam tueri sententiam, quam tamen antea velut veram in conscientia approbarant, si Curiæ commodis adversa existimaretur, sed ad *Sedis Apostolicæ*, id est, *Curiæ Romanæ* utilitatem duntaxat intenti, etiam intellectui, ac voluntati suæ vim inferre cogebantur. *Quartò.* Nihil poterant Legati unà cum Patribus decernere, imo nec proponere deliberandum, quod non prius Romæ speciali in cœtu, qui hunc tantùm in finem constitutus erat, discussum, prævióque judicio decretum fuerat. Et in hac officina excoquebatur *Spiritus ille*, qui arcanis literarum notis, quarum tamen clavem quandoque unus tantùm habebat è Legatis, cui *Curia* magis fidebat, ad solos Concilii Præsides submissus, ad Synodi patres continuato motu penetrabat. Ne quis autem contrariis consiliis cœtus Romani decreta eluderet, & fortè patribus, quod è re *Curiæ* non foret, proponeret, placuit *Proponendi munus* solis Papæ legatis affigere, eúmque in finem *Sess.* 17. hæc verba, *& in eo ea debito servato ordine tractari, quæ proponentibus Legatis, ac Præsidentibus apta videbuntur*, callidè inserere, ut omnes præcipiti, & incauto assensu seipsos proponendi jure privarent, quod magno quoque *Curiæ Romanæ* bono feliciter evenit, cessitque in *Arcanum dominationis*, quo Principum in Concilio postulata elusa sunt, adeò ut non mirer, *Pium IV. Vargæ* Hispanico Romæ Legato conquerenti, *Decretum illud esse contra synodi, Patrumque libertatem, præsertim cùm verba illa, Proponentibus Legatis, essent casus ablativi*, acriter regessisse, *habere se aliud quod cogitaret, quàm cujus generis, & cujus casus.* Et *Mantuanus* quoque, ac *Seripandus* Legati sub *Pio IV.* acriter incusati sunt, *quasi fautores eorum, qui conspirarent contra Sedem Apostolicam, quòd permiserint Controversiam de Jure residentiæ in disputationem trahi.* Hic erat *Concilii spiritus*, qui, ne erumperet, per vim detinebatur. *Quintò.* Credebatur quoque Tridenti, non licere, ut in sessione stabiliretur id, cui repugnabat sententia duorum ex quatuor Legatis, qui Pontificis nomine sub *Pio IV.* aderant. Nescio autem, an non impudens *Imperii*, seu *dominationis Arcanum* id fuerit, cùm hâc viâ omnium etiam totius orbis Episcoporum suffragia in *Concilio* Roma potuerit eludere, quasi verò *Synodalis ille Spiritus* à reliquis Concilii Patribus profugus, in *duorum* duntaxat *Legatorum* capita sese abdiderit, & ad *Curiæ Romanæ* nutum jam se contraxerit, jam extenderit. Hæc de *Legatis* comperta placuit afferre, prudentumque judicio permittere, *quis Spiritus Legatos agitarit? Illene, qui in Concilio credebatur esse, an is, qui Romano in cœtu conflatus, in bulgâ Tridentum mittebatur.* Crediderim fortè non defuturos, qui *Curiam Romanam* fuisse *primum mobile* existiment, quod *motu raptûs* Legatos, reliquosque synodi Patres circumegerit, cui Legatorum solertia *motum librationis* miscuerit.

V. Quod ceteros patres attinet, qui *Concilii corpus* constituebant, plura fortè erunt, quæ non levem suspicionem adversus *Spiritum illum* concitare poterunt.

terunt. *Primò* enim ſub initium *Concilii* in quæſtionem trahebatur, *An ſolis Epiſcopis, an verò Abbatibus quoque, & Ordinum Monaſticorum Generalibus jus ſuffragii concedendum eſſet?* & licet Epiſcopi, qui de cetero quoque ægrè ferebant, jura ſua in Abbates Pontificum artibus tranſiiſſe, ſibi ſolis judicandi poteſtatem arrogarent, *Imperii* tamen *Arcana* per hæc tentari exiſtimavit *Curia Romana*, quæ ad deprimendam Epiſcoporum authoritatem Monaſticos ordines velut *dominationis inſtrumentum* ſemper adhibuit; unde Legatis ab urbe Româ edictum, ut *Monaſticam* illam cauſam, quippe à quâ contra Epiſcopos, *Curiæ* triumphus hoc in Concilio dependeret, acriter propugnarent. Et lepidum quoque eſt, quòd *tribus* Abbatibus *unum* duntaxat votum conceſſerint, unde quandoque eveniebat, ut, ſi tres illi inter ſe diſſentirent, votum illud ad *ſemiſſes*, & *ſcrupulos* expenderetur. Mihi autem vel ex hoc ipſo dubium oritur, *an Patres illos Spiritus S. afflarit*, præſertim ſi aliquantò altiùs in *originem juris ſuffragium ferendi in Concilio* inquiratur. Nam cùm docente *Curiâ Romanâ* Spiritus S. aſſiſtentia in ſynodo generali ex Chriſti promiſſione dependeat, certum quoque eſt, jus ſuffragii, aut quibuſvis fidelium abſque diſcrimine relictum eſſe, aut certo ordini alligatum, nempe Eccleſiaſtico, & hic cùm in varios iterum ordines diſpeſcatur, aut ſoli Epiſcopi, aut alii quoque ſacerdotes, Monachorumque Præſides jure divino judicandi in Conciliis poteſtatem acceperunt. Si illud, ergo idem jus privilegio humano Abbatibus, aliiſque concedi non potuit; Sin hoc, ergo Abbates illi tres, non *unum*, ſed *tria* ſuffragia jure poterant prætendere, cùm poteſtas, quæ ex jure divino habetur, non primùm hominis privilegio acquiratur, quale tamen *Curia Romana* hâc in cauſa afferebat. Sed compertum eſt, hæc omnia, quæ tam *perſonas* in ſynodo ſuffragium ferentes, quàm ipſam judicandi ex *votorum quoad capita numerum* concernunt, à *Curiâ Romanâ* ſequioribus ſeculis ad propriam utilitatem adaptata eſſe. *Secundò* in quæſtionem pariter toto penè Concilii durantis tempore adductum eſt, *an etiam Epiſcoporum, qui legitimè abeſſent, procuratoribus jus ſuffragii concedendum?* & licèt *Paulus III.* ſub initium ſpeciali diplomate Germanis id conceſſerit, Legatis tamen è re *Curiæ* viſum eſt, id occultare, neque unquam permittere, ut procuratores hanc poteſtatem obtinerent, cujus cauſam nec puduit ipſos exprimere, *ne Germanorum procuratores adeò inundarent, ut Italicæ nationi ſuffragio antecellerent.* Nam quia ex *capitum pluralitate* dimetiebantur vota, & indies novi ex *Italia* Epiſcopi in *Curiæ Romanæ* ſubſidium conducti advolabant, numerumque *Transmontanorum* mirùm quantùm ſuperabant, periculoſæ plenum aleæ videbatur opus, illam procuratoribus portam aperire, per quam in *Curiæ* perniciem *Tranſmontani* prorupiſſent. An ergò & hic *Spiritum S.* quis reperiat, dicat, quicunque poterit. *Tertiò* ſi *Curia Romana* vel leviter meminiſſe velit, quem in finem tot *Italicorum*

Præsulum phalanges Tridentum submiserit, vereor, ne tantus ille de *Spiritu Tridentino* fastus detumescat. Non enim id fiebat, ut sapientiâ, atque ingenio synodum firmarent, cum id à plerisque eorum, quippe qui erant Aulici, rerum Theologicarum planè rudes, barbatuli juvenes, & velut utres, musicum rusticorum instrumentum, quos, ut vocem emittant, priùs inflare oportet, expectari non potuerit, sed ut in *Curia Romana* subsidium empti, conductique suffragiorum pro eâ numerum augerent. Hæc fuit illa *Helena*, quæ hoc in Concilio triumphavit, quæ *centum quinquaginta* & amplius ex *Italia* Prælatorum numero ferox, *Transmontanos*, quorum ægre *septuaginta* erant, conculcavit, spretisque etiam illusit procaci dicterio: *dalla Scabbia Spagnuola siamo caduti nel mal Francese, ex Hispanicâ scabie decidimus in morbum Gallicum*: quæ reliquas nationes sprevit velut exteras, neque ad *Synodi arcana* admittendas, ex quo factum est, ut ad privatos cœtus, in quibus de summa rerum transigebatur, *duo* quandoque Hispani, totidemque Galli, sed *viginti Itali* acciti sint, & in ipso Concilio *novum Concilium* ex *Italis* erectum sit. Sed de hac *Concilii Helenâ* Speciali opere aliâs contra *Pallavicinum* agam. Interim mirari quis possit, quâ fronte rudes illi rerum Theologicarum Episcopi se tot controversiarum istâ in Synodo judices fecerint, Orbisque Christiani *Doctores*, qui vix *discipuli* fuerant, & in specie quidem in gravissimâ illâ quæstione, *An editio Scripturæ vulgata cum textu originali conveniat*, quod tantâ confidentiâ ab Idiotis illis definitum est, ac si hebræas, græcasque literas per seculum trivissent. Hæc si quis urgeat, aveatque scire, quomodo *Spiritus S.* illos direxerit, qui nullam habuerunt earum rerum, quæ definiendæ erant, cognitionem, regerunt alii, *illos Patres instar asinæ Bileam locutos esse*, quod tamen alii rident. cùm ipsius *Aulæ Romanæ* doctrina sit, *Spiritum S. non operari in Conciliis modo extraordinario, sed prærequirere industrium rerum examen. Et* vereor, ne fortè sint, qui ex eo causam arripiant, peractas brutorum instar hoc in Concilio dogmatum definitiones, velut asinorum vocem, spernendi. Alii cautiùs loquuntur, *nempe rudes illos voluisse sequi doctrinam, mentemque Patrum doctiorum.* Sed hoc plura adhuc dubia ingerit. Primò enim vana est de hac voluntate præsumptio, cujus nulla indicia prostant. Deinde doctiores ipsi inter se non rarò dissentiebant, contrariisque sententiis suffragium ferebant, ex quo remanet difficultas, *in quam doctiorum partem hi rudes suum brutum Nihil resolverint?* Ad hæc, cui bono alebatur Tridenti ista ignorantium phalanx, cui unica gloria restabat, *quod per Carbonariam dogmatum decisionem characterem Episcopalem exerceret.* quod Laicis solatio esse poterit, qui hactenus ex *Gregorio M. lib. 2. Moral. cap. 25.* ubi tractat illud *Jobi 1. Boves arabant, & asinæ pascebantur juxta eos,* didicerunt, per *boves* intelligi *prælatos doctos*, per *asinas* verò *simplices laicos*, cùm inter *Concilii Tridentini* Patres fuerint, qui se *asinarum* societati miscuerint.

VI.

VI. Postquam ergo *Patrum Legatorumque* conditio *Synodalem illum Spiritum* dubium, suspectumque reddidit, modus agendi, quem Legati ex *Curia Romana* præscripto intrusêre, expendendus est, num saltem in eo *Spiritus S.* regimen comperiatur, an verò ad unius Romæ incrementum omnia directa fuerint. Observandum autem est, *Curia* hanc semper insedisse suspicionem, *Transmontanos*, & plerosque alios Episcopos hactenus ab ea oppressos opiniones utilitati Romanæ parum amicas ad Synodum allaturos esse, ex quo magnis sibi artibus opus esse vidit, ut imminentem cladem diverteret. Ergo duas in Concilio, *Curialium* alteram, quæ *Aula Romana* nutum sequebatur, alteram *Transmontanorum* deprehendo, quæ in libertatem intenta aliquam ejus recuperandæ spem sibi pollicebatur. Unde Legati, cùm ex uno scirent, paucos è *Transmontanis* ad Synodum illam venturos, (Germanis non nisi duo sub *Julio III.* adfuêre) ex altero *Italicorum* phalanges advolaturas, hoc ipso læti factionem suam firmari, id unum tamen metuebant, ne *Transmontani* Procuratores suo nomine submitterent; Sed placebat unico ictu hunc metum præcidere, jus suffragii, absque quo omnia *Transmontanorum* consilia vana erant, & nonnisi inanes flatus, procuratoribus adimendo. Et cùm scirent, *Episcopos* inter, & *Monasticos ordines* vetus odium in flammas erupisse, horum, quippe à *curia* unicè dependentium causam, addito etiam *suffragii jure*, sibi tutandam existimarunt, ut eorum subsidio *Episcoporum* consilia perfringerent. Et in hoc quidem Concilio *Societatis Jesu Patres* strenuos Athletas experta est *Curia*, quæ solertia *Sedis Apostolica* benevolentiam huic familiæ ita devinxit, ut jam tum in *Prætorianam sancti Petri cohortem* electa sit. Quanquam *Lainius* eorum *Generalis*, ne quid de aliorum petulantiâ dicam, modestiùs egisset, si aliis *Ordinibus*, qui antiquiores erant, præire non attentasset. Debilitatâ itaque his principiis *Transmontanorum Episcoporumque* factione Legati ad nova consilia transiêre, & Synodi Patres in tres distinctos cœtus callidè separarunt, tum ne mutuo aspectu sese animarent, & ab aliquo omnes unam in sententiam pertraherentur, tum etiam, ut multitudini ita divisæ faciliùs imperarent, factionemque distraherent. Quoniam verò ad opprimendam adversæ partis factionem magni interest, nosse ejus consilia, ut per opportuna remedia iis obsisti posset, Proditores ubique *Curia* aluit, qui *Principum, Patrumque* consilia exquirerent. Præterquam enim, quòd Ordinarii in Principum Aulis *Sedis Apostolica Nuntii*, exploratores publici essent, & *Jesuitarum Gener. Lainius* monente ex Aulâ Cæsareâ *Canisio Societatis* illius Patre, *P. Natalem*, communicato cum *Cardin. Simonetta* consilio, *Viennam* submiserit, ut à *Canisio* in consultationem Cæsaream de *Concilii negotio* introductus, *Curiæ Romanæ* Imperatoris consilia aperire posset, quod & viam parante infido isto *cane Canisio* factum est. Alii quoque ipsà in *Synodo* subornanarunt...

ornati ſunt, qui *Patrum* conſilia proderent. *Hugonius* enim *Sorboniſta*, *Franciſcanus* licèt, pecuniæ ex voto contemptor, ad *Gallicorum* conſiliorum proditionem auro pellectus eſt, & profunda *Hiſpanorum* conſilia, quæ maximè timebat *Curia*, *Epiſcopus Pacenſis* retexit, nec *Gualterium Curiæ* innexum Æruſcatorem puduit, per ſpeciem amicitiæ *Card. Lotharingium* Romanis in Concilio mirùm quantùm inviſum, ſuſpectumque callidè excutere. Ex his, quæ eveniſſe comperio, ſi quis *Spiritum* illum, qui *Tridentinos Patres* afflavit, abſque amore, & odio voluerit expendere, vereor, ne loco *Spiritus S. Spiritum profanæ calliditatis, proditioniſq;* reperiat, *quiq;* *ambitionis Romanæ memor, ad locum reſpexerit, unde efflatus erat.*

VII. Jactis his potentiæ fundamentis Legati in hoc ſummam rerum ſitam eſſe reputabant, ſi *Proponendi* in Concilio arbitrium ſibi ſolis poſſent vendicare, quod etiam toto Concilii tempore contra Regum, Principumque querelas & Epiſcoporum iras immoti per ſpeciem juſti ordinis retinuerunt. Vide quæ §. 4. jam attuli. Et hoc quidem *dominationis Arcano* muniti facilè præpediebant, nequid patribus diſcutiendum proponeretur, quod in *Curiæ Romanæ* damnum trahi poſſet, & ſi quæ *Principum* nomine poſtulata offerebantur, ea aut planè non exponebant ſynodi patribus, aut pauculis, quæ *Curiæ* gratiora erant, excerptis patrum oculos fallebant, Principeſque longâ morâ fatigatos deludebant. Interim ne fortè & ipſi Legati, aut imperitiâ, aut affectibus, aut conſcientiâ abrepti aliquid proponerent, & cum Patribus decernerent, quod in *Curiæ* detrimentum vergere poſſet, huic periculo id remedii proviſum, *ut nihil unquam in Concilio Tridenti proponeretur, definireturque, quod non prius Romæ ſeduſò excuſſum, prævióque judiciò decretum foret.* Et hæc agendi ratio toto Concilii tempore obſervata eſt, eumque in finem equi Curſorii deſtinati, qui per ſingulas hebdomadas duorum quidem dierum ſpatio, ſæpe etiam bis Româ Tridentum literas detulere; cumque hi magno ſemper ſtrepitu Tridentum ingreſſi ad Legatorum ædes appellerent, vulgatus ille *de Spiritu S. à Veredariis in Mantica allato* per eam occaſionem ſermo recrudeſcebat, cúmque grave patrum murmur ſuboriretur, Legati conſtituere, ut Curſores illi in itinere haud procul Tridento ſubſiſterent, & advectas ex Roma *bulgas bullaſque* cauto ſilentio afferrent. Quæ cum ita ſint, ingenuè fateri cogor, me ne umbram quidem *Spiritus Sancti Concilio Præſentis* deprehendere. Et quamquam videam *Cardin. Pallavicinum lib.* 16 *cap.* 10. *n.* 14. 15. 16. per hunc *in Mantica advolantem Spiritum* ita acriter cruciari, ut in omnem ſe partem anxius vertat, quô *decantato illi ſpiritui* rimam inveniat, dubitandi tamen ratio non eximitur. Huc tendunt omnia, quæ *Cardinalis* magnâ verborum pompâ fortè ad divertendos ſimplices exornat, *licuiſſe Legatis Pontificem dubiis de rebus conſulere, ut lumen aliquod externum, per Curiæ Romanæ literas allatum lumini Spiritus Sancti interno eò faciliorem in patrum ani-*

mis viam panderet. Eodem modo *Pius IV.* in *literis ad Ferdin. Cæsarem* hunc *Spiritum* emolliit, nisi quòd per fraudem, verba *Interdum potuisse id fieri, ut in quibusdam magis arduis Legati Consilium suum exquisiverint, neque id à se negari potuisse*, ad Cæsarem deludendum callidè inseruerit apud *Pallav. lib. 20. cap. 8. n. 7.* quo facti veritatem supprimeret. Sed hæc suspicionem magis augent. *Primò* quia si quis ab alio in re arduâ lumen externum postulat, is in eo aut majorem, aut certè parem sapientiam, reique, quæ dubium movet, notitiam præsumit, ex quâ sibi lumen illud polliceatur; id autem in nostro casu locum non habet; ut vel ex ipso *Pallav. lib. 6. cap. 17. n. 13.* patet, ubi præsules Tridentinos sub *Paulo III.* non tantùm vocat *virorum ex Italia, Sicilia, Sardinia, Gallia, Hispania, Græcia, Suecia, Scotia, & unde non? delectum*, sed & Theologos ibidem *præcipuum Theologiæ compendium*, de quibus sanè non præsumitur, quòd ab urbe Româ, à Pontifice minoris fortè scientiæ viro, lumen externum per modum *Consilii* exquisiverint. *Secundò*, Lumen externum qui petit, liberè petit, neque ad locum, personamque astringitur, liberè quoque lumen illud acceptatur. Mentiar autem, si vel umbra talis libertatis Tridenti in Legatis fuerit. *Tertiò*, Soli *Legati*, non verò reliqui *Patres Spiritum* illum in *Manticâ* accipiebant, sed demum in hos per callidas artes diffundebatur ab illis, ergo in solos Legatos rectâ lumen illud incidebat, & ab his obliquo cursu in ceteros reflectebatur, qui tamen nihil ultra intelligebant, quàm quod antea, *nisi quòd Romam ita velle cognoscerent.* *Quartò*, Optarem, *Pallavicinum* retinuisse memoriam eorum, quæ *Paulum III. Carolo V.* postulanti, *ut super decreto Justificationis maximè Insignium Academiarum sententia audiretur*, regessisse refert *lib. 9. cap. 3. n. 4. si disertè Academiarum sensa exquirerentur, hoc ipsum Concilii dignitati derogaturum, cujus erat, cunctas Academias docere ex divini Spiritus* sibi præsentis *afflatu.* Hæc si vera sunt, quid erat necesse, tot equos fatigare & *Spiritu Romano* implere *bulgas*, qui Concilio jam præsens erat? Ergo patet, lumen illud *externum* ab urbe submissum, non habuisse speciem *luminis externi*, sed potius *interni*, quod non per modum *Consilii*, sed *præcurrentis decreti* Tridentinos patres impulit, & in paria vota adegit.


VIII. Ut autem hoc *Imperii Arcanum* de *Spiritu Romano* in *bulgâ* submisso à vulgi Synodalis intelligentiâ subducerent, opus erat, hanc in patribus opinionem alere, *quasi non Romæ, sed Tridenti ultroneo Patrum consensu decreta firmarentur. Et* lepidum est, quod *Pius IV.* quo tempore extrema erat Concilii servitus, ad Legatos scripsit, *ut clamarent, Concilium esse liberum*, ut dolor ex libertate oppressa conceptus, novis etiam ludibriis augeretur. Interim, ut Patres in eandem cum Legatis sententiam irent, exquisitas artes *Curia Romana* adhibebat. Quorum favorem prensabat, eorum voces oblatis beneficiis sopiebat, & menstruis quoque stipendiis coëmebat suffragia: quæ res in *Curia* commodum

usque adeò cessisse visa est, ut etiam *Mantuano Cardinali Legato* ab urbe edictum sit, *ut nullis præscriptis finibus pecuniam largiretur*, & ut etiam *Judæis* alerent, triginta aliis, aliis sexaginta Coronatos per singulos menses dedere, ut non simplici modò, sed & geminato pretio ab his *Judis* proderetur veritas. Ipsi quoque Principes, quorum sub Imperio Prælati vivebant, magnis promissis, atque ostentatis opibus illecti sunt, ut Patribus *Curiæ Romanæ* tutelam anxiè commendarent, quod singulatim probare, mihi in proclivi est. Et *Italicos* quidem Principes injectâ suspicione solicitè concitabat *Pius IV.* quasi *Transmontanorum* consilia illuc vergerent, *ut Sedem Apostolicam ex Italiâ, quæ tamen hoc uno alias nationes superat, aliò abducerent.* Illos verò ex Patribus, qui libertati tuendæ intenti ad *Curiæ* nutum circumagi non poterant, Roma acriter persecuta est. Etenim *Episcopum Segoviensem*, qui fortè velut statua lignea, *Italico illo Spiritu* moveri non poterat, Romæ *Hæreticum* denuntiarunt, & postquam *Episcopus Buduensis* in hæc tantùm verba prorupisset: *Omnia Vanitas*, mox *Pius IV.* qui id à Legatis resciverat, *Occultiores modos proposuit, quibus à Concilio miser amoveretur.* Si qui publico in cœtu sententiam *Curiæ* minùs benignam expromerent, per subornatos à *Legato Simoneta* dicacibus facetiis exagitabantur, &, ut oppressis iis, qui velut partium ductores, suæ factionis patres moderabantur, reliquos ab his pendulos faciliùs sternerent, *Madruccius* & *Lotharingius Cardinales*, *Aulæ Romanæ* multùm invisi, per *Italorum* artes in conficiendo, nescio, quo decreto, authoritatis jacturam patiebantur, ut his stratis, aliorum, qui eos sequebantur, terga faciliùs calcarent. Ex quibus (nam plura piget referre) rem eò deduxêre Legati, ut plerumque ante *congregationem generalem*, ac *sessionem* patrum suffragia jam in numerato habuerint, cùm eos quoque non puderet, *Curiæ* mentem suis afflare, ex quo evenit, ut *Lansacus Galliæ Le atus* hæc Legatorum vota *auriculata* appellârit. Hanc agendi rationem si quis integrè expenderit, nescio, an ei vitio verti possit, si *Tridentinum Spiritum, Spiritum servitutis, fraudis, & malitiæ* appellârit.

IX. Unum superest, quod animum adhuc detinet, *An Concilium Tridentinum etiam sciverit, quid decreverit, & an veritatem illam quam se definisse ait, intellexerit?* Nisi enim id asseratur, synodus illa instar *Caiphæ* erit, qui, quod non capiebat, fatidico Spiritu effatus est. Dubitandi autem rationem *Ambrosius Catharinus*, & *Dominicus Sotus*, magna hâc in Synodo nomina, dederunt, dum etiam post *sessionem sextam*, in qua *cap. 9.* & *can. 13.* de *certitudine gratiæ Dei* actum erat, oppositas, ut antea, opiniones retinebant, imo uterque sententiam suam esse *Synodi mentem* asseverabat. Et eò quidem lis illa pervenerat, ut Patrum nonnullis in hujus, aliis in illius favorem testantibus, in duas prope partes Concilium scinderetur, nisi quòd boni quidam Præsules neutris addicti candidè fassi sint, se controversiam non satis intellexisse, assensum tamen decreto illâ formâ, quâ fuit

fuit promulgatum, commodasse, quod inter partes convenisse videretur. *Legatus S.Crucis* pro *Catharino* testimonium dicebat, *Montanus* inter tertios erat. Scire ergo hic pervelim, *quis fuerit ille Spiritus, qui Articulum illum conflavit, quaque illa synodus, ad quam hac in lite Catharinus, & Sotus provocarunt, cujus Patres alii huc, alii illuc rapiebantur:* Crediderim sanè, illum rem acu tacturum, qui dixerit, dum opiniones contrariæ in formando decreto excutiebantur, unamquamq; partem verba ea rejecisse, quæ sensum opinioni suæ repugnantem præ se ferebant, omnes verò iisdem assensos, quæ quisque putabat cum sensu suo posse consistere, atque inde fieri, ut verba Decretum exprimentia duplicem sensum, imò contrarias interpretationes admittant. Quæ si ita sint, manet addubitatio, *cujusmodi fuerit illud Concilium*, cui verborum quidem consensio, animorum verò pugna, & contrarietas tribuitur. Ubi ergo nunc decantatus ille *Spiritus*, qui Concilio præsens Patres afflasse, & in animorum unitatem compulisse, tantâ confidentiâ scribitur? Quamobrem, cum toto in Concilio nihil comperiam, quod mihi vel umbram *divini Spiritus* queat expingere, nemo prudens etiam mihi Anathema dicet, *si scapham scapham, ligonem ligonem, Spiritum bullarem, bullarem, bulgarem bulgarem* appellavero, neque venerari possim miserum illum Spiritum, qui *Mantica* inclusus Tridentum delatus est, præsertim, cum veriora docturis me ex animo subjiciam, illa eâ mente, hoc est, partium mediâ, quam in expendendis rebus, quas ex probatis Concilii Tridentini documentis placuit deducere, attuli, lubens excepturus.





INDEX IV.

Locorum Scripturæ, qui citantur, explicantur, objiciuntur, vel vindicantur.

Cap.	Verſ.	Pag.
	GENESIS.	
I.	26.27.	1126
	28.	627
II.	18.	572.600
III.	19.	832.1020
IV.	26.	1059.1060
IX.	3.4.	1126
XII.	1-4.	733
XIV.	20.	152
XV.	9.10.	781
XVIII.	1.2.	895
XIX.	1.	895.
XXII.	2.	781
XXIV.	16.	584
XXVIII.	1.2.	590.591
XXIX.	2.	543
XI VIII.	16.	794
XLIX.	10.	803
L.	5.	846
	25.	846
	EXODUS.	
III.	2.3.	895
XII.	6.	161
XIII.	19.	846
XIV.	19.	794
XV.	2.	765
XIX.	15.	644
XX.	4.	866
	5.	721
	7.	903

Cap.	Verſ.	Pag.
	12.	583
XXI.	4.	593
	7.	592
XXII.	20.	868
	26.	584
XXIII.	13.	751
	18.	162
	20.	794
XXV.	18.	573.900
XXIX.	38.	645
XXX.	7.	794
XXXII.	4.	869
	10.11.	792.794.805
XXXIV.	25.	162
	LEVITICUS.	
IV.	12.	65
	13.14.	196
	21.	65
VI.	15-18.	65
VII.	1.6.	65
XIV.	9.	400
XVI.	12.	794
	29.	1144
XVII.	10-14.	66.
XVIII.	5.	557.558.
	6.	552.556.557
	8.	543
	16.	558
	17.	557
	18.	562

Cap.

Cap.	Verſ.	Pag.
	24-26.	556.557
XIX.	27.	400
XX.	12.	557
XXIV.	6.	903
XXV.	44.	593
XXVI.	12.	962
XXVII.	3.4.	610
XXVIII.	32.	152
	NUMERI.	
VII.	2.	1059
	9.	400
	25.	803
XV.	39.	751
XVII.	8.	971
XXI.	9.	900
XXX.	4.5.	583.592.609
XXXV.	12.	803
	DEUTERONOM.	
IV.	2.	751
	15.	866.867.877
	16.	868.895
V.	16.	583
	17.	868
	24.	868
	33.	558
VI.	13.	753
	25.	803
VII.	3.	535
	25.	196
VIII.	3.	583
XII.	2.3.	781
	21.	229
	32.	751.928.931.1133
XIV.	14.	1133
XV.	4.	1016.1020
XVI.	16.	952
XVII.	3.	753

Cap.	Verſ.	Pag.
	18.	670
XXI.	11.	555
XXII.	23.	543
XXIII.	1.	595
XXIV.	1.	565
XXV.	5.	562
XXIX.	1.	633
XXXI.	16.	580
XXXIV.	6.	830
	JOSUA.	
I.	7.	670
V.	15.	895
VI.	13.	196
VII.	6.	900
	JUDIC.	
II.	1.	462
XVII.	3.	869
	I. SAMUELIS.	
VI.	19.	900
VII.	3.	735
XII.	13.	792.794
XIV.	35.	1122
XVI.	7.	766
XXI.	3.	644
	II. SAMUELIS.	
I.	3.	626
III.	35.	1121
IX.	7.	900
	I. REGUM.	
VI.	23.	873
VII.	25.	873
VIII.	39.	761.763
X.	19.	873
XII.	33.	752
XVI.	30.31.	942
XVII.	1.	1059
XVIII.	21.	942

Cap.	Verſ.	Pag.
	II. REGUM.	
X.	16.	942
XI.	12.	670
XIII.	21.	847
XVII.	25.	942
	33.	753
XVIII.	4.	900
XXII.	20.	761
	ESTHER.	
IX.	27.31.	1150.1171
	I. CHRONIC.	
XXIV.	4.	644
XXXVIII.	2-5.	847
	II. CHRONIC.	
VII.	14.	804
	36.	952
	42.	804
VII.	2.	836
	15.	952
XI.	15.	942
XXXIV.	2.3.	781
	ESDRAS.	
IX.	10.	555
	NEHEMIAS.	
IX.	13.	873
	JOB.	
IV.	7.	806
V.	1.	806
XIX.	21.	806.808
XXXIII.	23.	806.
XXXVIII.	6.7.	999.1004
	PSALMI.	
XIV.	4.	785
XVII.	15.	764
XVIII.	2.4.	765
XIX.	13.	734
XXXI.	6.	700

Pſal.	Verſ.	Pag.
XXXIV.	8.	791
XXXV.	12.	1144
XLIV.	18.	785
XLIX.	8.9.	1113
L.	15.	753
LXII.	6.7.12.	765
LXXII.	14.	803
LXXXII.	6.	1014
XCI.	11.	791
XCVIII.	1.	847
XCIX.	5.	903
CVI.	23.	792
CXV.	3.4.	765.873
	12.	866
CXVI	7.	700
	15.	845
CXIX.	63.	1112
CXXX.	3.	1112
CXXXI.	10.	804
CXXXII.	1.	804.805
	7.	835.904
	8.	977
CXXXV.	15.18.	873
CXLI.	2.	163.165
CXLVI.	2.	765
	PROVERBIA.	
VI.	24.26.	281
XXX.	8.	1020
	ECCLESIASTES.	
VII.	1.2.	1020
IX.	5.10.	699
	ESAJAS.	
XI.	20.	976
XXVI.	20.	832
XXXIII,	11.12.	281
XXIX.	13.	751.928
XXXIII.	7.	462

Cap.	Verſ.	Pag.
XL.	17.22,25.	868
	18-20.	873
XLII.	1-17.	873
	8.	752
XLIII.	1.	803
XLIV.	10-20.	873
LII.	11.	971
LV.	6.	699.753
LVI.	4.5.	593
LVII.	2.	832
LVIII.	5.6.	1149
LIX.	2.	808
LXIII.	9.	494.803
	16.	762
	JEREMIAS.	
II.	13.	944
VII.	28.	400
XIII.	15.	948
	33.	794
XV.	1.	792
	9.	751
XXII.	13.	830
XXIX.	6.	583
XXXI.	31.	239
XXXIII.	20.	794
XXXV.	1.2.	8148.ſeq.
	18.	1059
LII.	4.6.7.	1152
	EZECHIEL.	
VIII.	3.	402
XVI.	16.	1117
XVIII.	23.24.	699
XX.	10.11.	558
	25.	557
XXII.	5.	969
XXIV.	15.	626
XXXIX.	11.	1215.

Cap.	Verſ.	Pag
	DANIEL.	
I.	7.	1134
VII.	13.	911
IX.	22.	792
X.	3.	1121.1134
	4.	792.1121
	6.	895
XI.	37.	624.626.1215
	45.	1216
XII.	11.	160
	HOSEAS.	
II.	16.	869
	JOEL.	
II.	16.	645
	AMOS.	
II.	7.	559
	JONAS.	
III.	7.	1121
	HABACUC.	
II.	18.19.	893
	HAGGÆUS.	
I.	13.	462
II.	8.	164
	MALACHIAS.	
I.	11.	120.162.164
II.	7.	462.492
	14.	581.650
III.	1.	462.794
	ZACHARIAS.	
VII.	3.	1151.1152
VIII.	19.	1151
IX.	11.	718
	LIBRI APOCRYPHI.	
	TOBIAS.	
IV.	18.	192
XII.	12.	759

Cap.	Verſ.	Pag.
	II. MACHAB.	
V.	ult.	1059
XII.	23.	194
	34.	717
	SAPIENTIA.	
III.	1.	701
	SIRACIDES.	
III.	26.	944
	MATTHÆUS.	
I.	16.	613
	18.	614
	20.	543.613
III.	1.	1067
	11.	554.580.651.931
IV.	9.	757
	10.	753.810.814.1020
V.	3.	1074
	22.	724
	24.25.	725
	27.	580
	32.	564.580
VII.	7.	392
	15.	468
VIII.	14.	633
IX.	15.	1152
	21.	831
X.	10.	483
	17.	289
	28.	1048.1080
XI.	15.	1069
XII.	32.	720
XIII.	41.	791
XIV.	4.	558
XV.	9.	751.928
	11.	1126
XVI.	9.	871
	19.	466

Cap.	Verſ.	Pag.
	24.	1048.1080
XVII.	27.	1015
XVIII.	4.	600
	16.	466.467.600
	18.	720
	20.	1222
XIX.	3.	538.581
	6.	626.577
	7.	555
	8.	539
	9.	564.580.931
	11.	604.663.1081
	12.	609.621.644.650
	13.	1081
	15.	1069
	16.	1018
	21.	1074
	23.	1075
	29.	653
XX.	25.	414
XXII.	30.	791
	31.	744
XXIII.	27.	837
XXIV.	23.	934
XXV.	9.	1117
	10.	699
XXVI.	26.27.28.	61.65.73.168.248
XXVII.	50.	300
	MARCUS.	
III.	29.	721
IV.	1.4.	1067
VII.	6.7.	1026
	10.	1020
IX.	50.	600
X.	12.	570
	17.	1018
	30.	723

Cap.	Vers.	Pag.
XII.	34.	930
XIII.	32.	764
XIV.	23.	61
	LUCAS.	
I.	8.	644
	15.	1069
	27.35.	613
	72.	800
II.	5.	613
	29.	700
IV.	6.	757.791
	32.	1070
V.	33.	1121
VII.	33.	1069.1121
X.	41.	602
XII.	15.	744
XIV.	27.	1048.1080
XVI.	9.	727
	18.	570.651
	22.	700
	25-26.	698
XVIII.	8.	1018
	29.	653
	30.	723
XX.	34.	723
	35.	720.791
	36.	791
XXII.	19.	61.741204.248
	20.	62.63
	25.26.	413414
	66.	442
XXIII.	29.	600
	43.	700
	46.	300
XXIV.	19.	73
	30.	75

Cap.	Vers.	Pag.
	JOHANNES.	
III.	8.	392
	16.17.	698
	18.	724
IV.	20.	175
	23-24.	163.399
V.	24.	703.724
	43.	415
VI.	51-57.	66.74
VIII.	6.	677
	11.	672
IX.	4.	699
X.	3.4.	481
	27.	468
	34.	1014
XIV.	3.	703
	6.	787
XVII.	21.	1015.1020
	24.	914
XIX.	30.	1108
	36.	162
XX.	21.	480
	22.	352.361.390
	23.	1113.1114
XXI.	15.16.	681
	ACTA APOST.	
I.	23.	470
II.	41.	1070.1071
	42.	75
	46.	1072
III.	2.	242
	19.	720.723
	21.	984.988
IV.	32.	1929.1070
	34.	1070.1073
V.	4.	1070
	15.	953

Cap.	Vers.	Pag.
	35.	242
VI.	1.	1070
	6.	470
	9.10.	380
VII.	59.	700
VIII.	15.16.	362.393
	26.	380
IX.	16.	394.1108.
X.	4.	792
	11.12.	1126
	44.46.	393
	47.	550
XI.	15.	393
XIII.	1.	459
	2.	174.459
	3.	394
	18.	562
	36.	853
XIV.	13.	460.
	23.	459.470
XV.	18.	1126
	24.	399
XVI.	2.3.	483
XVII.	25.	866
	29.	902
XIX.	6.	361.393.394
	11.&c.	854
	12.	953
XX.	7.	75
	16.	937.955.1172
	17.	437 461
	28.	437.481
XXI.	8.	380.1072
XXII.	5.	442
XXIV.	11.	937
XXVII.	10.21.	734

Cap.	Vers.	Pag.
	AD ROMAN.	
I.	19.	368
	23.	812.874
	25.	753.873
	33.	866
II.	14.	368
	16.	720
III.	24.25.	699.700
V.	5.	385
VI.	23.	700
VII.	1.2.	565.651
	2.3.	571
	18.	600
VIII.	1.3.	699.911
	9.	392
	10.	700
	33.	699
X.	5.	558
XII.	4 5.6.	414.415
	8.	431
XIII.	1.	425.1014
	4.	670
	7.	591
	8.	1015
	16.	174
XIV.	5.	853.1138
	6.	1161
XV.	5.	1020
	16.	[illegible]
	27.	174
	I. AD CORINTH.	
I.	10.	1020
	25.	1193
II.	11.	766
III.	12.	729
IV.	7.9.	401
	15.	431.553

Cap.

Cap.	Verf.	Pag.
	21-23.	1193
V.	1.	558
	7.	162
	40.	581
VI.	4.	677
	16.	545
VII.	2.	527.545.621
	5.	645.653
	7-17.	604
	9.	605
	10.	572
	12.	547.555
	13.15.	565.577
	14.	645
	15.	565.577
	17.	604
	22.	1020
	23.	1193
	25.	1080
	31.32.	601
	34.	528.595.649
	35.	545
	36.	597
	37.	644
	38.	583.584.604
	39.	565.651
	40.	619
IX.	5.	621.633.653
	19.	470
X.	14.	899
	15.16.	251.290.362
	17.	63
	21.	172.173
	25-27.	1123
XI.	2.3.24.	62.204
	3.	467
	14.	402.406

Cap.	Verf.	Pag.
	20.	252
	23.	352
	24.	62.204
	25.	362
	26.	65.290.362
	28.	490
	33.	234
	ult.	77
XII.	9.10.	393
	12.	197
	21.	470
	28.	413.430.441
XIV.	2.3.	270.298.
	8.	288
XV.	29.	743
	II. AD CORINTH.	
I.	6.	1108
	22.	776
II.	10.	1115
V.	1.2.8.	700.702
	21.	735
VI.	28.	779
VIII	10.	1081
IX.	12.	174
X.	13-15.	441
XI.	13.	490
XII.	7.	605
	20.	425
	23.	605
XIII.	5.	776
	11.	1018
	AD GALAT.	
I.	1.2.	459
	7.	399
	8.	468
II.	11.	399
III.	12.	558

Cap.	Vers.	Pag.
	15.	63
	19.	787
	28.	425.1020
IV.	6.	392
	8.	753
	10.	1161
	19.	553
V.	8.	1017
	10.	1117
	20.	724
	AD EPHES.	
I.	8.	853
	21.	723
II.	18.	787
	19.	764
III.	12.	787
IV.	4.	1116.1117
	8.	362
	10-14.	271.413
	11.	118.120.413.441
	22.24.	602
	28.	1015.1047
V.	29-31.	534
	32.	525.534
	AD PHILIP.	
I.	1.	439
	10.	1020
	12.	1108
	19.	392
	33.	700.
II.	2.	1020
	4.	453
	7.8.	911
	15.	903
	20.	971
	29.30.	440
III.	7.8.	734
	15.16.	1018.1020
	21.	756
	AD COLOSS.	
I.	9.	853
	18.	467
	20.	756
	24.	1108
II.	2.	853
	6.	126
	10.15.	429
	16.	1142.1161
	18.	467.1017
	19.	751.753.756
	21.	644.1123
	22.	871.928.930.1016.(1123
	23.	647.757.871.930.(1016.1020
	24.	1108
III.	1.2.	939
	20.	583
	I. AD THESSAL.	
IV.	11.	1016
	12.	1047
V.	17.	1016
	II. AD THESSAL.	
II.	4.	1217.seq.
	7.	648
III.	8.	1047
	10.	1020
	12.	490
	I. AD TIMOTH.	
I.	7.	362
II.	2.3.4.	213.644.
	5.	787
	8.	363.933
	15.	535

Ca.

Cap.	Verſ.	Pag.
III.	2.	646.649
	1.2.	392.490.650
	6.	534
	7.	468.471.483
	10.	392.483
	11.12.	649.
	17.	380
IV.	1-4.	623.1123.1126
	12.	584
	14.	362.393.471
V.	9.	650
	11.	615
	14.	615
	15.	648
	19.	445

II. AD TIMOTH.

I.	6.	362.393
	10.	720
II.	4.	645
	19.	1120
III.	16.17.	1012

AD TIT.

I.	5.6.7.	437.438
	6.	627.649.650
	8.	646
	15.	459.1126
II.	4.	645

AD HEBR.

I.	3.	697
	7-14.	174
	14.	791
II.	14.	803.911.
V.	1.	120
	4.	479
	6.7.8.	116
VI.	4.	385
VII.	23.24.	118.121.157

Cap.	Verſ.	Pag.
	27.	121
IX.	24.	212.971
	25.	121
X.	14.	120
	18.	178
	22.	853
	24.	154
	25.	936
XI.	32.	610
XII.	22.	756.795
	23.	700.795
XIII.	4.	596.621.645
	10.	173
	13.14.	967.971
	16.	118.120

EPIST. JAC.

II.	21.23.	562

I. PETRI.

II.	9.	402
	13.	1014
V.	1.	441
	1.2.	439
	3.	415.470

I. JOH.

I.	7.	697.699
	8.	1026
II.	2.	699
IV.	1.	468
	3.	648
V.	21.	869


EPIST. JUDÆ.

	23.	899

APOCALYPSIS.

I.	13.	911
IV.	10.11.	824
V.	5.	977
	8.	791

Cap.	Verſ.	Pag.	Cap.	Verſ.	Pag.
VII.	2.	794	XVII.	1.	414.1215
VIII.	3.4.	758.792.794		5.	281
	5.	794		15.	1215
IX.	11.	1014		18.	414
	21.	71	XIX.	10.	756.810
X.	1.	794	XXI.	16.	977
XIV.	11.	198	XXII.	19.20.	753
	13.	700.703			



INDEX V,

Authorum Eccleſiaſticorum, S. Conciliorum & Patrum, qui laudantur, vel vindicantur.

A

Ambroſius de S. Cœna, 87. quo ſenſu de S. Cœna tanquam ſacrificio loquatur? 123. De Melchiſedeco, 153.159. De Canone Miſſæ & Conſecratione, 217. De Vaſis ſacris, 237.241. De Linguæ peregrinæ uſu, 284. De populo *Amen* ſuccinente, 295. De dignitate ſacerdotali, 356. De Paulini ad Epiſcopatum Vocatione, 372. Epiſcopos à Preſbyteris non diſtinguit, 446. Vindicatur, 447. Matrimonium quo ſenſu dicat *myſterium*? 537. in diverſis cauſis vindicatur, 569.570. 582. De velandis Virginibus quid ſentiat? 609. De Conceptione B. Virginis, 614. De divite avaro, 706. Ubique eſſe orandum, 944.

Antoninus de Paphnutio teſtatur, 662.

Aretas preces Sanctorum Apoc. V. 8. non cœlitum, ſed viventium in Terra interpretatur, 791.

Arnobius reprehendit Gentiles ob Reliquiarum cultum, 841. Exprobrat Gentilibus imaginum cultum, 881.

Athanaſius, De uno Mediatore, 760. De Pallio S. Anthonii ſibi legato quid dicat? 857. De ipſomet Antonio ejus teſtimonium, 859. Deum nulla effingi poſſe imagine, 868. Idolorum inventionem à malo eſſe dicit, 884. Quæſtiones ad Antiochum perperam ipſi tribuuntur, 926. Non eſſe peregrinandum religionis ergo, 947. An ſit author libri de Vita Antonii? 1042. Quid de cœlibatu Epiſcoporum & Monachornm ſentiat? 1052.

Athenagoras de Sacrificiis Chriſtianorum, 185. De Divortii cauſis, 574.

Augu-

Augustinus de Eucharistia infantibus porrigenda, 54. 55. de calice sacro, 62. de Cœna Emauntica, 75. de Cœnæ sacræ sumendæ tempore, 78. quomodo Christus in Eucharistia immoletur? 137. De ritu celebrandæ S. Cœnæ, 138. quo sensu Eucharistiam Sacrificium appellârit? 140. 152. 180. De Melchisedeco, 153. de loco Malach. I. 11. 163. 166. De altari Christi, 174. Ejus sacrificii definitio, 182. De sacrificio Christianorum, 183. quo sensu Christum in Eucharistia offerri dixerit? 187. explicatur & vindicatur, 188. ejus de Signis axioma generale, 188. S. Cœna ipsi sacramentum sacrificii est, 194. De oblationibus & orationibus pro defunctis, 202. Non semper sibi constat, 202. de Sacrificiis Christianorum, 206. de honore Martyrum, 207. In celebratione Eucharistiæ, 208. De oblatione munerum in Eucharistia, 212. ejus regula, de Apostolica traditione, 222. Fallax est regula, ibid. De vernaculæ linguæ usu, 275. De versionibus S. Scripturæ in vernaculas linguas, 285. Non est author libri quæstionum V. & N. Test. 352. de quatuor Apostolorum generibus, 356. De ordinatione Ministrorum ib. Quo sensu ordinationem dicat Sacramentum? 363. Paucissima agnoscit sacramenta, 364. Manu injecta Presbyter ordinatus fuit, 372. Pandit originem Tonsuræ Sacerdotum, 407. De Petri principatu 436. Episcopos, cum Presbyteris eosdem facit. 446. De Aerio Hæretico, 363. Hieronymi de S. Petri damnatione sententiam refutat, 465. De Petri primatu, 467. De electione Episcoporum per plebem, 488. de Sacramento inter Christum & Ecclesiam, 534. De Matrimonio, item de numero Sacramentorum, 536. de divortii caussis dubitanter loquitur, 568. Ejus regula de interpretatione Evangelistarum, 570. B. Virginem cœlibatum vovisse ait, 614. 515. Ejus querula protestatio de negotiis secularibus sibi judicandis, 679. Monachis ex manuum labore victitandum esse docet, 691. Animas post mortem purgari negat, 706. De piè defunctorum statu, 709. Ultimum quadrantem solvere quid ei sit? 726. 727. Ejus de loco Luc. XVI. 9. sententia, 729. Item de sensu loci 1. Cor. III. 12. 629. 733. Ejusdem de igne purgatorio sententia, 737. examinatur, 739. 740. de uno Mediatore, 759. de loco illo Esaj. LXIII. 16. Abraham nos nescit, &c. 763. rejicit Sanctorum invocationem, 769. 777. de hominum mediatione, 782. Unum esse mediatorem probat, 787. De visione beatorum cœlitum, 799. expositiones suas in Jobum ipse rejicit, 806. Quomodo Deum, & quomodo homines colamus, 813. Templa soli Deo exstruenda, 815. Primus δουλείας & λατρείας distinctionis author est, 817. examinatur

tur & explicatur fusiùs, 818.seq.de animarum fidelium post obitum statu,827. Vindicatur &explicatur, ibid. de supposititiis Martyrum reliquiis queritur, 843. 859. de reliquiis liberiùs locutus est, 857.858. Miracula sciscitantibus respondet, 861. Deum nulla imagine effingendum,868.De Simulachris Gentilium, 891. De imaginum cultu vindicatur, 927. de locorum peculiarium sanctitate, 937. de falsis miraculis, 937. Ubique orandum esse, 946. In hoc ipso vindicatur, 948. Ad Christum non per itinera longa veniendum esse, 948. Miracula exiguo loco habet,961.De terræ Sanctæ miraculosa virtute,978. Ejus Monachi institutio, 1036. vindicatur,1043.seq. 1046. Laborandum esse monachis, 1044. 1046. De Dæmoniorum doctrina in interdicto certorum ciborum, 1124. Nullas certas jejuniorum leges fuisse in Ecclesia primitiva observatas,1145.vindicatur ibid.de tempore jejunia celebrandi, 1155.Festa solemnia Ecclesiæ commemorat, 1161. tempora non serviliter esse observanda,1168.

Augustanæ Confessionis querela de Monachis,1032.

B

Balsamon Concilii Chalcedonensis Canonem VI. de non absolutè ordinandis Episcopis, explicat, 494. de cœlibatu Ecclesiasticorum agit, 633. 638.655. 656. De συνεισάκτῳ muliere non habenda quid sentiat? 662.

Basilius de S.Cœna domi exhibita,87. Quomodo imago & id cujus est imago idem sit, 186. Ejus Liturgia de Canone Missæ, 215. Verba consecrationis clara voce pronunciari præcipit, 301. Vindicatur de cœlibatu Sacerdotum, 655. De muliere συνεισάκτῳ quid tradat? 663. Monachis ex manuum labore vivendum esse docet, 691. De Angelorum & Sanctorum cœlitum notitia quid? 827. Imagines adorandas esse nuspiam docuit, 926. Ejus institutio Monachi, 1036. explicatur & vindicatur, 1042. 1045. De juvene Matth. XIX.21.1076.

Beda, de communione sub utraque, 88. Presbyteros septuaginta discipulorum typum gessisse tradit, 458. De tonsura Petri quid sentiat, 409.De Furfæi visione ignis purgatorii,713. De domo B.Mariæ,981.

Bernhardus de matrimonio non prohibendo Ecclesiasticis,519.De Clericorum incontinentia conqueritur, 1030. Querela ejus de Monasteriorum corruptela,1050.

Bonifacius Martyr de Vasis sacris in Eucharistia,237.

C

Canones Apostolici de Cœlibatu Clericorum quid tradant? 633.

Carolus Magnus de Imaginibus quid? 886. Ejus de Epiphanii Epistola contra imagines testimonium,

nium, ibid. Liber ejus, *Capitulare* dictus, cultum imaginum impugnat,887. Sorbona Pariſienſis eundem defendit, ibid. quomodo repertus & editus fuerit? 910. Vindicatur, 913. ſeq. peculiariter,919. Ejus ad Papam Adrianum ſermo, 907. Synodum Francofurtenſem cogit,908. Conſtantinum Cypri Epiſcopum erroris convincit,919.

Caſſiodorus de Paphnutii hiſtoria in Concilio Niceno teſtatur,662. Ejus formulæ, quibus reges Gothorum in gradibus prohibitis diſpenſabant,673.

Chryſoſtomus quo ſenſu S. Cœnam appellaverit Sacrificium? 140.180. de Melchiſedeco, 153.159. de loco Malachiæ I. 11. item de myſtica menſa, 164.165. de altari Chriſto, 174. de loco Act. XIII. 2. 174. de Sacrificio Euchariſtiæ, 182. De Sacrificiis Chriſtianorum, 186. explicatur & vindicatur, ibid. De memoriis Sanctorum in celebratione Euchariſtiæ, 222. De Vaſis ſacris, 237. De tunicis albis, 240. De iis qui in Euchariſtia non communicant, 253.254. explicatur & vindicatur, ibid. De Eremitis veteribus, 262. De dono, quod Timotheus per impoſitionem manuum accepit, 393. de Corona Sacerdotum, 407. De Epiſcoporum poteſtate, 443. Epiſcopos à Presbyteris non diſtinguit,446. De electione Matthiæ in Apoſtolum,471. De Meletii relegatione, 482. De electionibus Epiſcoporum queritur, 488. De conjugio ſpirituali Chriſtum inter & Eccleſiam, 535. 537. De divortii cauſis, 569. 575. De verbo ἐκβάλλειν τὴν γυναῖκα, 633. ejus de nuptiis ſecundis ſententia, 652. De συνεισάκτῳ muliere, 659. 660. Animas poſt mortem purgari negat, 706. De piè defunctorum ſtatu,708. ejus de loco 1. Cor. III. 12. ſententià,735. de reliquiarum translationibus, 857. Liturgia ejus nomine figmentum eſt, 927. Non eſſe religionis ergo peregrinandum, 947. vindicatur & explicatur, 971. contra illos qui ab alio quàm à Chriſto denominantur, 1017. De Monachorum veſtitu,1031. Monachi in quibus à Secularibus diſcrepent,1035.1041.

Clemens Alexandrinus de S. Calicis uſu vindicatur, 70.71. de Melchiſedeco, 153.159. de veſtibus Sacerdot. 240. de cauſis divortii, 547. ejus de illo Pauli 1. Cor. VII. 2. ſententia, 621. Idem in conjugio vixit, 668. de pœnitentia poſt hanc vitam agenda, 709. Gentilibus buſtuariam & mortualem objicit religionem,841. genios defunctorum coli, ibid. Deum nulla imagine effingi poſſe, 868. Pingendi artificium improbat,882.

Clemens Rom. Quo ſenſu S. Cœnam ſacrificium appellârit? 140. de veſte Sacerdot. 243. Exorciſtarum ordinem nullum agnoſcit, 375. de conjugio Presbyterorum,666. vindica-

dicatur & explicatur, 668. Canonum & Constitutionum ejus nomine prostantium dubia est authoritas, 668. quòd Gentiles Deorum suorum imagines coluerint, 881.

CONCILIA ET SYNODI.

Concilium Africanum de cœlibatu definit, 638.

Agathense de tonsura Sacerdotum, 407. Virgines ante quadragesimum ætatis annum velari prohibet, 638.

Ancyranum de Chorepiscoporum institutione agit, 458. Matrimonium non prohibet continentiam professis, 544. 654. idem vindicatur & explicatur, 658.

Antiochenum de iis qui non communicant, 254. De Episcoporum supra Presbyteros & Diaconos potestate, 450. Chorepiscopos veri nominis Episcopos fuisse, 458. De jure vocandi Ecclesiæ ministros, 473. De Episcopis titularibus, 498. De uxore συνεισάκτῳ Pauli Samosatheni, 659.

Arelatense II. de jure vocandi Ecclesiæ ministros, 473. De divortii caussis, 567. 568. Desertoribus Monachis vim nullam infert, 1050.

Avernense de jure vocandi Ecclesiæ ministros, 473.

Aurelianense de calice non miscendo, 308. III. De jure vocandi Ecclesiæ ministros, 473. Matrimonium non prohibet continentiam professis, 544. II. De vicibus officii Clericorum.

Barcinonense de jure vocandi Ecclesiæ ministros, 473.

Basileense Reservationibus Papalibus se opponit, 476. 478. Papæ leges præscribit, 521.

Cabilonense de jure vocandi Ecclesiæ ministros, 473. Servorum conjugia nonnisi per dominorum voluntatem rata esse statuit, 593. Peregrinationibus religiosis se opponit, 958.

Cæsaraugustanum Virgines ante quadragesimum ætatis annum velari prohibet, 609.

Carthaginense II. de jure vocandi ministros, 473. De non ordinandis Episcopis absolutè, 494.

III. De jure eligendi pastores Ecclesiæ, 472. 473. Invocationem Sanctorum damnat, 769.

IV. De veste alba Sacerdotis quid statuat? 241. De consensu parentum in filiorum matrimoniis; 586. Nuptias earum non damnat, quæ Virginitatem jam professæ erant, 616. Ψευδεπίγραφον est de ordinibus, 401. de jure vocandi Ecclesiæ ministros quid statuat? 473. de cœlibatu Sacerdotum, 656. Monachos Episcopis subjicit, 1048.

V. De cœlibatu Clericorum quid? 638. Contra falsas reliquias & ficta miracula decernit, 842. 843.

Chalcedonense de Diaconissarum functionibus, 371. Vetat quemquam ordinari absolutè, 494. Vindicatur idem, 497. Clericos & Monachos militiam sequi cur prohibeat? 1050.

Claro-

Claromontanum nonnisi Papalium mancipiorum conventiculum fuit, 1119.
Constantiense Institutionem S. Cœnæ sub utraque, & Ecclesiæ praxin in S.Cœna celebranda agnoscit, 67. 68.71. A Luthero Non-obstantiense vocatur, 71. Papam subjicit Concilio, 1204. Idem confirmatur à Martino Papa V. 1205. Caput Joh. Baptistæ Romæ haberi dicit, 843.
Constantinopolitanum III. De ordinibus Ecclesiæ ministrorum agit, 374. De libris Dionysii Areopagitæ de Hierarchia Ecclesiæ quid? 432. De jure vocandi Ecclesiæ ministros, 473.
IV. Seculares ab Episcoporum electione arcet, 486.
VI. Cultum imaginum cur probârit? 913. Oecumenicum cur haberi debeat? 915. Quale fuerit describitur, 916.
VII. Contra Imaginum cultum celebratum fuit, 916.
VIII. Oecumenicum Latinis cluet, 916.
IX. Græcis octavum habetur contra Latinos, 917.
Elibertinum De divortii causis agit, 567. De Cœlibatu Sacerdotum, 654. Prohibet uxores Episcopis in Ministerio Ecclesiæ constitutis, 656.563. Ejus authoritas disceptatur, 663. Prohibet accensionem cereorum in Cœmiteriis, 838. explicatur & vindicatur, 839. De cultu Imaginum quid statuat? 883.
Florentinum quid de mistione S. Calicis statuat? 307. De ordine sacerdotali, 360. Papæ potestatem definit, 422. Consensum mutuum causam efficientem esse dicit matrimonii, 531. Purgatorium astruit, 745.
Francofurtense Historiam imaginis Christi Edessanæ rejicit, 888. Capitulare Caroli M. probat, 887. Adrianum Papam ob Imaginum cultum falsè perstringit, 907.908. Imaginum cultum damnat, 913. Ejus Canon II. citatur de Synodo Nicena II. 917. Ejus Titulus vindicatur, 920.
Gangrense cœlibatum Clericorum abrogat, 631. Niceno posterius fuit, 634. Ejus authoritas vindicatur, 635.
Gentilliacensis Synodus quid de imaginibus decernat? 915.
Laodicense populum arcet ab electione Episcopi, 484. Sanctorum invocationem damnat, 769. Angelorum cultum rejicit, 773.
Lateranense de linguæ vernaculæ usu in cultus Divini celebratione quid? 277. Ne quis Episcopus sine titulo ordinetur, 491. Vocem *Titulus* pravè interpretatur, 494. Reliquias novas recipi vetat, 844. Itemque novas religiones seu ordines Monachorum, 1054.
Londinense de Episcopis titularibus quid sentiat? 497.
Lugdunense contra falsas reliquias & ficta miracula decernit, 842. Papalium

palium mancipiorum Conventiculum fuit,1119.
Machliniense cavit, ne Ecclesiastici ultra duas horas prandium prorogarent,1128.
Mediolanense Sanctorum reliquias tangi vetat,830.
Milevitanum de divortii causis agit, 574. In causa divortii lege Imperiali opus esse sancivit,673.
Moguntinum contra missas privatas decernit, 256. Sanctorum invocationem improbat, 783. Imagines adorandas esse negat,889.
Nannetense missis privatis se opponit, 256. 258. Sacerdotibus injungit, ut cooperatores habeant, 266. De jure eligendi Pastores Ecclesiæ decernit,472.
Nicenum I. De sacrificio corporis Christi quid sentiat? 181. 184. de jure eligendi Pastores Ecclesiæ,472. de cœlibatu Sacerdotum,655. vindicatur,657. Decernit pœnam eorum, qui in religione prævaricati fuerint,1120. Indulgentias ignoravit,1120. De Catharis sancit χειροθετȣμένȣς ἀυτȣ̀ς μένειν ȣ̉́τως ἐν κλήρῳ, 364. De Matrimonio casto, 529. Presbyteris vetat uxores παρεισάκτȣς,654.
II. De jure vocandi Ecclesiæ ministros quid statuat? 473. Electionem Episcopi per magistratum irritam reddit, 485. Imagines venerari jubet, 889. Imagines Dei damnat, 899. Oecumenicumne fuerit? 916.
Neo-Cæsariense de Episcopórum à Presbyterorum differentia quid statuat? 456. Matrimonium continentiam professis non prohibet, 544. De divortii causis quid? 567. 568. Conjugium Presbyterorum admittit, 654. Vindicatur & explicatur.657.
Parisiense II. de jure vocandi Ecclesiæ Ministros quid statuat? 473. Ejus de Epiphanii contra imagines Epistola testimonium,886.
Placentinum vetat quemquam ordinari sine titulo,494.
Rhemense de jure vocandi Ecclesiæ ministros,473.
Romanum Virginem ante 72. ætatis annum consecrari vetat,609.
Sardicense de jure eligendi Ecclesiæ Ministros,472.
Toletanum III. Consensum Parentum in filiorum matrimoniis poscit, 586. Missas privatas damnat, 267. de jure eligendi Ministros Ecclesiæ quid? 472.
IV. Quid de jure vocandi Ecclesiæ ministros statuat? 473. De Voto continentiæ, 545. De nuptiis earum, quæ virginitatem jam professæ erant,616.
Triburiense de causis divortii quid statuat? 567.
Trullana Synodus Canonem Apostolicum de cœlibatu sugillavit, 634. Canonem Concilii Carthagin. de cœlibatu Sacerdotum interpretatur,656. Abstinentiam à consortibus κατὰ τȣ̀ς ἰδίȣς ὅρȣς Sacerdotibus

dotibus imperat, 662. Ejusdem authoritas asseritur & vindicatur, ib.
Vasensis Synodus II. Papam in Oratione Missali nominandum sancit, 226. quando illud Kyrie eleison invectum fuerit? 246. quando habita fuerit hæc Synodus? 247. 248.
Westmonasteriensis Synodus focarias uxores clericis interdicit, 654. 661.
Wiennensis Synodus indulgentiarum abusum notat, 1097. Papalium mancipiorum Conventiculum fuit, 1119.
Wormatiensis Synodus de mixtione vini & aquæ in sacro Calice quid statuat? 308. Item de causis divortii, 568.
Cyprianus de Communione Calicis, 66. vindicatur, 70. 87. De immolatione Christi, 137. De ritu celebrandi S. Cœnam, 138. De loco Malach. I. 11. 164. 165. De sportulis, 199. De oblationibus quid senserit? 201. De Sacrificiis pro defunctis, 202. Ad originem Dominicæ traditionis revertendum esse, 234. De mixtura calicis, 309. De Sacerdotibus peccato contaminatis, 355. de Episcopo Schismatico, ibid. De Novati ordinatione, 444. De jure eligendi Ecclesiæ ministros, 747. De nuptiis earum, quæ Virginitatem jam professæ erant, 616. explicatur & vindicatur, 618. Ei liber *de singularitate Clericorum* perperam tribuitur, 660. Dehortatur presbyteros ab ascititiis mulierculis, ibid. de Simeonis cantico, 701. De piè defunctorum statu, 709. Purgatorium Pontificiorum ignorat, 738. quid intelligat per ignem, 739. De pœnitentium statu in hac vita, 739. Sanctorum intercessionem ab Origene didicit, 768 de habitu Virginum, 1082. Pro indulgentiis gratis citatur, 1121. Ejus vox: *unde venit ista traditio?* 1156.
Cyrillus Alexandrinus quid de loco Zach. IX. 11. sentiat? 720.
Cyrillus Hierosolymitanus de Catechesi & Catechistis agit, 381. Quo sensu matrimonium dicat *Mysterium*, 537. De Sacerdotum à conjugio abstinentia quid? 669. Hic idem Cyrillus ex Jesuitarum officinis prodiit, 667.

D

Damascenus de Melchisedeco, 155. Summæ insipientiæ & impietatis esse dixit, Deum velle effingere, 897.
Dionysius Alexandrinus de populo Amen Sacerdoti succinente, 295.
Dionysius Areopagita de Thymiamate, 245. de Communicantibus in Eucharistia, 253 Νοθείας arguitur, 431. &c. De Oratione pro defunctis, 707. De precibus Sanctorum viventium pro viventibus agit, 825. Idem negat Ordinationem quicquam in homine imperito efficere, 355. De Ordinibus Hierarchicis quid sentiat? 374. De tonsura Clericorum, 404. Primus Hierarchiæ in Ecclesia meminit,

minit, 411. Νοθεία ejus pluribus demonstratur argumentis, 412. 432.& seq.1031.

Dionysius Exiguus Concilii Neocæsariensis acta latinè convertit, 657. Itémque Ancyrani, 658. Nec non Niceni I. ibid. De Episcoporum potestate quid sentiat? 458. De Concilio Grangrensi, 634.

E

Egesippus de Jacobi Apostoli in Episcopum Hierosolymitanum ordinatione, 450.

Epiphanius de Melchisedeco quid? 153.159. De more recitandi nomina defunctorum, 202. Feriarum quartæ & sextæ Synaxin & jejunium ab Apostolica traditione falsò arcessit, 222. Ordinandi jus etiam Presbyteris competere, 462. explicatur & vindicatur, 463. Aërium impugnat, 464. Apostolos omnes sese castrasse ait, 612. Virgines à Monasticis distinguit, ibid. De nuptiis earum, quæ Virginitatem professæ erant, 616. explicatur & vindicatur, 619. De Episcopo liberos gignente, 655. De συνεισάκτοις Presbyterorum uxoribus, 659. explicatur & vindicatur, 663. Collyridianorum Mariolatriam refellit, 575. ejus liber de Vita Prophetarum dubiæ fidei est, 857.860. Thalmudicis somniis & commentis scatet, 860. Carpocratianos ob cultum imaginum Jesu accenset Hæreticis, 877. Iconoclasta fuit, 885. seq. ejus discipuli qui fuerint? 886. De Messalianorum hypocritico vestitu, 1028.

Eusebius de Concilio Niceno I. in articulo de S. Cœna, 184. De Sacrificiis Christianorum 185. quomodo imago, & id cujus imago est, idem sit? 186. De Christo se Deo Patri offerente, 189. explicatur & vindicatur, ibid. Polycratis testimonium de Johanne Apostolo Sacerdotali veste induto, 237. De populo Amen Sacerdoti succinente, 295. De Origene prædicanteante manuum impositionem, 480. De Unctione Sacerdotali, 405. explicatur, ibid. De Pauli Samosatheni focaria conjuge, 654. Presbyteris in ministerio constitutis ab uxorum consortio abstinendum, 667. Ejus de Epistola Clementis Rom. elogium, 668. De duplici Christianorum genere, 669. Ejus de Smirnensis Ecclesiæ facto circa corpus Polycarpi, 771. à Jesuitis Arianæ Hæreseos arcessitur, 772. De mediatoribus Gentilium apud deos suos, 782. De Baalis Phœnicum osculo testimonium, 836. Epistola Smyrnensium de Polycarpi ossibus terræ conditis, 838. ejus fabula de Hæmorrhousa muliere, 852. Deum nulla effingendum esse imagine, 868. Epistolæ Christi ad Abgarum meminit, 878. Imaginum usum ab Ethnicis manasse ait, 883. De imagine Constantini M. Romæ locata, 884. De Filio Dei apud quercum Mamreh Abrahamo apparente, 923. De Helena Hierosolymas eunte, 959. Crucis

cis per Helenam inventæ nuſpiam meminit,973. explicatur & vindicatur,975. Alcibiadis hiſtoriam refert,1132. Montanum νηϛείας νομοθετήσαντα vocat, 1145. ſeq. vindicatur,1146.

Euthymius quid de cauſis divortii ſentiat? 569.

F

Fulgentius peccata in ſeculo futuro nulla remitti docet,723.

G

Gelaſius negat Spiritum Cœleſtem ad conſecrationem myſterii venire,ubi ſceleſtus conſecrat,356.

Gelaſius Cyzicenus de actis Concilii Niceni quid? 531. 655. 657. de Paphnutio teſtatur,662.

Gregorius I.de celebratione S.Cœnæ, 138. Canonem Miſſæ non eſſe ab Apoſtolis traditum, 209. fuit ejus conſarcinator, ibid. De communicantibus in Euchariſtia, 253. De Unctione Sacerdotali, 405. 406. Matrimonium quo ſenſu Sacramentum dicat? 537.

Gregorius M. de loco Job.V. 1. quid ſentiat? 806. 807. Clericos in Monaſteriis eſſe vetuit,1042.

Gregorius Romanus de S. Cœnæ aſſervatione,87. de Communicantibus in Euchariſtia, 253. Purgatorii architectus fuit,735.

Gregorius Nazianzenus, de S. Cœna quid? 87. Baſilium M.unxit in Epiſcopum,406. ut & filium ſuum, ibid. De plebe Epiſcopum eligente, 485. Quo ſenſu matrimonium myſterium dicat? 537. de Virginitate, 599. de Presbyteris uxoratis 637. Ipſe duxit uxorem,ibid.Gregor. Nyſſenum conſolatur ſuper morte uxoris, 638. animas poſt mortem purgari negat, 706. Ejus de loco Luc.XVI.9. ſententia, 729.

Gregorius Nyſſenus B.Virginem votum cœlibatus emiſiſſe ait,614.615. in conjugio ſe vivere ſcribit, 638. De Sepulchro Theodori,927.de iis, qui adeunt Hieroſolymam, 947. vindicatur,950. contra peregrinationes religioſas ſcripſit,958.

H

Hieronymus de adminiſtratione Euchariſtiæ, 120. de celebratione S. Cœnæ,158. de Melchiſedeco,152. de jugi ſacrificio, 161. Canonem Miſſæ non eſſe ab Apoſtolis traditum,209. de traditionibus Apoſtolicis,222. de Vaſis ſacris in Euchariſtia, 237. de albis veſtibus, 240. de Exuperio Epiſcopo Tholoſano, corpus D. in caniſtro vimineo & ſanguinem in vitro portante, 242. Epiſcopos & Presbyteros æquales eſſe ſtatuit, 343. promotos ad Sacerdotium modis illegitimis Sacerdotes eſſe negat,355. De Diaconorū munere,280. de tonſura,401. 403. conſuetudinem vocat, 408. de corona Sacerdotali,409.Petrum multis gratiæ donis excelluiſſe tradit,435.436. Epiſcopos & Preſbyteros eoſdem eſſe affirmat, 443. Epiſcopos à Presbyteris non diſtinguit,446. à Bellarmino inconſtantiæ

ſtantiæ

stantiæ arguitur, 448. de S. Jacobo Episcopo Hierosol. 450. Episcopos Apostolis successisse, 458. vindicatur in controversia de Episcoporum supra Presbyteros eminentia, 464. quo sensu matrimonium sacramentum dicat, 538. de caussis divortii, 569. Virginitati nimiùm lenocinatur, 598. ejus de mulieribus sororibus sententia, 623. de Siricio conqueritur, 636. orbem conjugatis Clericis plenum esse dixit, 662. ex nimio affectu matrimonio æquo infensior fuit, 666. de piè defunctorum statu, 709. quid de loco 1. Cor. III. 12. sentiat? 735. Sanctorum ubiquitatem statuit, 827. contra affectatum amictum, 1027. Ejus de invocatione Sanctorum sententia, 774. Ejusdem error de sanctis, 775. ubi Agnus, ibi sancti eum sequuti, 814. Martyrum reliquiis quem fieri honorem velit? 839. respondet, cur cerei accendantur? 863. Deum nulla imagine effingi posse, 868. fusiùs de peregrinatione Hierosolymitana agit, 949. an peregrinationes commendârit? 978. contra eos, qui ab alio quàm à Christo nominantur? 1017. de Monachis divitibus, 1030. Monachorum vestitum hypocriticum describit, 1031. Monachatus plangentis officium habet, 1035. ejus institutio Monachi, 1036. vindicatur, 1045. Jejunia à quo primùm instituta? 1156. Cur in Ecclesia dies cœtûs constituti fuerint? 1162. unum diem altero sanctiorem non esse, 1163. vindicatur, 1168.

Hilarius quid de Presbyteris Ægyptiis testetur? 443. Locorum Venerationem explodit, 933.

Hincmari contra cultum imaginum & Concil. Nicen. II. Epistola, 920.

I

Ignatius seu Pseudo-Ignatii Epistolæ de Communione sub utraque, 70. de συνακολύθοις locutus non Acoluthos indigetat, 375. ejus Epistolæ νοθείας arguuntur, 411. 412. quomodo passus sit? 435. Quomodo Spiritus ejus Deum nactus Trallenses salutârit? 825. Jejunium diei Dominicæ rejicit, 1158.

Innocentius I. Papa Rom. de secreta pronuntiatione Verborum consecrationis decernit, 303.

Josephus Ægyptius τὸ ἐκβάλλειν τὴν γυναῖκα quomodo Arabicè reddat? 633.

Josephi Judæi de Essæis animarum immortalitatem asserentibus testimonium 744.

Irenæus de loco Malach. I. 11. 163. 164. 165. De Oblationibus munerum in Eucharistiæ celebratione, 211. 212. Preces Sanctorum Apoc. V. 8. de viventibus interpretatur, 791. Quo sensu Mariam vocârit Evæ παράκλητον consolatricem? 822. Idem explicatur, 826. Gnosticos ob cultum imaginis Jesu hæreticis accenset, 877. Jejuniorum observationem liberam olim fuisse, 1145.

Isidorus Acolutorum nullam facit men-

mentionem, 375. rasuram clericalem Apostolicæ institutionis esse asserit; sed non probat, 408. De corruptione Cleri, 421. duo Clericorum genera describit, ibid.

Justinus Martyr de Communione sub utraque vindicatur, 70. oblationum vel precum pro defunctis nuspiam meminit, 195. explicatur & vindicatur, 201. De Angelorum & Sanctorum adoratione quid sentiat? 206. De Canone Missæ, 212. De Eucharistiæ celebratione, 243. De populo Amen succinente, 295. Exorcistarum Ordinem nescit, 375. ejus ad locum Matth. XIX. 9. explicatio, 651. de piè defunctorum statu, 672. Solum Deum adorandum esse, 769. 771. 822. non Angelos, ibid. Bethlehemiticos infantes in Cœlo Dei clementiam pro nobis implorare scribit, 825. Opus orthodoxarum quæstionum ei falsò adscribitur, 857.

L

Lactantius de divortii causis quid sentiat? 569. De Simulachris Gentilium, quòd deos esse non crediderint, 881. Religionem nullam esse dixit, ubi simulachrum est, 883.

Leo I. quid de divortii causis? 569.

M

Minutius Felix in Octavio, de altari quid? 119. reliquias oppugnat, 841. Gentes Deum unum colere pertendit, 874. Crucem ipse non coluit, 885. 976.

Moses Ægyptius Concilii Chalcedonensis Canonem VI. de non ordinandis absolutè Episcopis, explicat, 494. Vindicatur, ibid.

N

Nicetas Choniates, de verbis Christi Joh. XX. 21. 480. Dei similitudinem nullam dari, 868.

Nicephorus de Macedoniana muliere sacrum panem accipiente testatur, 83. Scripta Ignatio tributa spuria esse asserit, 412. Ejus de Luciano Martyre testimonium, 267. Vindicatur, 268. Idem de Paphnutio testatur, 662. De Nazianzeni conjugio testatur, 638. Nullas Dei imagines esse faciendas pertendit, 868. Apostolos dies festos nullos instituisse asserit, 1161.

O

Oecumenius de loco Act. XIII. 2. 174. de Diaconorum munere, 380. Episcopos à Presbyteris non differre scribit, 446. quo sensu matrimonium mysterium dicat? 537. ejus de nuptiis secundis sententia, 652. ejus de loco 1. Cor. III. 12. sensus, 736.

Optatus Milevitanus contra rasuram Clericorum, 401.

Origenes de usu Calicis sacri, 720. quòd Christiani aras habeant, 119. de Sportulis, 199. de Oblationibus in memoriis defunctorum, 202. de Diaconorum munere, 380. ejus testimonium de Ignatii scriptis, 435.

de jure eligendi Ecclesiæ ministros, 474. de Episcopis divortia concedentibus, 569. sacrificium indesinens offerentem perpetuæ castitati se devovere, quo sensu dixerit? 669. de piè defunctorum statu, 708. primus Sanctorum intercessionem docuit, 768. 822. bonus est interpres, sed malus dogmatistes, ibid. explicatur & vindicatur, 826. Commentarius in Lamentationes & Jobum falsò illi inscribitur, ibid. Judæis objicit reliquiarum cultum, 841. Deo nullam similitudinem esse faciendam, 868.

P

Pacianus de Unctione Sacerdotali quid sentiat? 405. De Siricio Papa cœlibatum obtrudente, 636.

Paphnutius de malis ex prohibitione conjugii ortis testatur, 627. Legem de Clericorum cœlibatu in Concilio Niceno repressit, 731. 655. 657. Vindicatur, 662.

Philostorgii testimonium de Luciano Martyre Eucharistiam absque mensa celebrante, 120. in carcere Eucharistiam participante, 268. De Ulphilo Gothorum Episcopo testatur, 441. 444.

Photius Patriarcha Constantinopol. quid de libris Dionysii Areopagitæ? 432. 433. De cœlibatu Sacerdotum in Nomocanone, 655. Distinguit inter uxorem & mulierem συνείσακτον, 659.

Pollentius de causis divortii, 569.

Pontificum Romanorum rescripta de jure vocandi Ecclesiæ ministros, 473.

Primasius Episcopi & Presbyteri æqualitatem asserit, 446.

Procopius de Eunuchis Esaj. LVI. 5. quid sentiat? 595. Edessenæ imaginis Christi nuspiam meminit, 878.

Prosper de Apostolorum potestate testatur, 481.

Prudentius docet, quo tempore Martyrum imagines in templis pingi cœperint, 878.

R

Ruffinus quid de muliere prædicante prodat? 380. Ejus de Paphnutio testimonium, 662. De Therapeutis & Ascetis. 1067.

S

Sedulius Episcopi ac Presbyteri ταυτότητα καὶ ἰσοτιμίαν astruit, 446.

Siricii Papæ de purgatorio igne pœnitentium sententia, 739. Primus Monachos lege canonizavit, 1043.

Socrates Historicus docet, ad quid olim subdiaconi in Ecclesia adhibiti fuerint, 367. Quomodo Catechumeni ad munia externa adhibiti, 370. De ritibus Ecclesiæ agit, 398. Cœlibatum Clericorum improbatum in Concilio Niceno testatur, 631. De Eustathio conjugium Clericorum impugnante, 635. De Paphnutio intercedente legi de Cœlibatu Clericorum, 662. Jejuniorum certas leges Ecclesiam nullas

las obſervaſſe dicit, 1145. Apoſtolos dies feſtos inſtituiſſe negat, 1161.

Sophronius de Paſtoribus verba conſecrationis pronuntiantibus, ideóque cœlitus delapſo igne abſumptis teſtatur, 302. De libris Dionyſii Areopagitæ, 433. De Ordinatione D. Jacobi in Epiſcopum Hieroſolymitanum, 450.

Sozomenus de Cœlibatu Clericorum in Concilio Niceno improbato teſtatur, 631. 655. 657. De Paphnutio quid doceat? 662. De Clericis conjugatis? 662.

T

Tatianus ſolum Deum adorandum eſſe pertendit, 771.

Tertullianus de Communione ſub utraque, vindicatur, 70. De menſa Dominica, 119. De Melchiſedeco, 153. De Oblationibus pro defunctis quid ſentiat? 198. explicatur & vindicatur, 201. De populo Amen ſuccinente, 295. De jure eligendi Epiſcopos, 474. Matrimonium non agnoſcit eſſe ſacramentum, 537. De cauſis divortii, 574. ejus de cœlibatu Clericorum ſententia, 621. vindicatur, 623. Ejus de noviſſimo quadrante ſolvendo ſententia non favet aſtruendo purgatorio Pontificio, 738. Spiritus dedefunctorum à gentibus coli ait, 841. De ſimulachris Gentilium, 879. Pictores fictoréſque imaginum damnat, 883. De differentia inter Cherubinos, ſerpentem æneum & imagines lege Dei vetitas, 923. De ſecundo Decalogi præcepto, 925. Gentes Chriſtianis crucis cultum impingentes inducit, 976. De ciborum delectu, 1124. De Montaniſtarum abſtinentia à carne, 1131. Non imponendum jugum jejuniorum, 1147.

Theodoreti teſtimonium de Luciano Martyre ſine menſa Euchariſtiam celebrante, 120. De jugi ſacrificio, 161. De verſione Scripturæ in linguas vernaculas, 285. Ejus teſtimonium de Edeſo & Frumentio Indorum præconibus, 380. De dono quod Timotheus per manuum impoſitionem accepit, 393. Epiſcopos à Presbyteris non diſtinguit, 446. De jure vocandi miniſtros Eccleſiæ, ex Concil. Niceni Epiſtola Synodica, 472. de Lucio Ariano, 482. De divortii cauſis, 569. 570. ejus ad locum 1. Tim. III. 2. ſententia, 651. 652. Quid de loco Zach. IX. 11. ſentiat? 720. item de loco 1. Cor. III. 12? 735. Synodi Laodicenæ Canonem de Angelorum invocatione explicat, 774. Deum nulla ſimilitudine effingi poſſe, 868.

Theodoretus Cyrenſis docuit animas poſt exceſſum res curare humanas, 773.

Theophylactus de dono, quod Timotheus per manuum impoſitionem accepit, 393. Epiſcopos & Presbyteros æquales eſſe docet, 446. Ejus de

de loco 1. Cor. III. 12. sententia, 735.

Z

Zonaras Concilii Chalcedon. Can. VI. de non ordinandis Episcopis absolutè explicat, 494. de Cœlibatu Clericorum, 633. 538.

INDEX VI.

Authorum Ecclesiasticorum & profanorum, qui citantur, laudantur, notantur, vel explicantur.

A

Abatura Theodorus, 432.
Abarbenel, 968.
Abenezra, 808. 901.
Abulensis, 781.
Acosta, 666.
Ado, 915.
Æneas Sylvius, 67. 276. 638. 1196.
Æschylus, 809.
Agobardus Lugdun. Episc. 256. 260. 902. 908.
Agrippa Cornelius, 519.
Ajala, 1132.
Alanus, 141. 306. 885.
Albaspinæus, 84. 87. 88. 432. 739. 863. 1140.
Albertinus Edmundus, 179.
Albertus Magnus, 209.
Alcasar, 791.
Alciatus, 574.
Alcuinus, 224. 294. 301.
Alensis, 81. 82. 529. 307. 867. 885. 1026. 1125.
Aleander Hieronymus, 418.
De *Aliaco* Petrus, 1055. 1167.
Allatius Leo, 68. 87. 745. 1032.
Almain, 530.
Alphonsus de Castro, 464. 643. 1027.
Alvarez, 87.
Alvarus Pelagius, 144. 560.
Amalarius, 294. 409.
Amans Servita Brixianus, 80.
Ambrosius, Vide Ind. Patrum.
Amelot de la Houssaye, 1207. 1208. 1234.
Anastasius Bibliothecarius, 412. 923.
De *Ancona* Augustinus, 1101.
Andradius, 73. 152.
Angelus de Clavasio, 559. 705.
Angelus Rocca, 360. 819.
Angles Josephus, 465. 1104.
Anshelmus Cantuariensis, 794.
Anshelmus Laudunensis, 794.
Antisiodorensis, 714. 1119. 1120.
Antoninus, 209. 663. 712. 1090.
Antoninus Florentinus, 747.
De *Aquila* Petrus, 357.
Aquilinius Cæsar, 52. 1232. 1238. 1240.
Aquinas, 69. 120. 173. 291. 306. 371. 406. 640. 643. 713. 798. 882. 1015. 1129. Vide Thomas.
Aratus, 874.
Aretas, Vide Ind. Pat.
Arboreus, 69.
Arcudius, 372. 373. 406.
Arias Montanus, 21. 801. 804. 977.
Aristenus, 772.

Aristoteles,813.893.1079.
Armachanus Richardus,465.
Arnisaus,588.
Arnobius, Vide Ind.Pat.
Arnoldus Abbas Lubecensis,715.
Arrianus,1067.
Artemidorus,1067.
Athanasius, Vide Ind.Pat.
Ataides Georgius,145.151.166.172.
Athenagoras,185.574.
Avenarius,1215.
Aventinus,274.308.1103.
Augerius Edmundus,675.
Augustinus, Vide Ind.Patrum.
Aureolus Cardin.716.
Azorius, 117.145.261.857.867.894.
1012.

B

Baijus,712.
Balaus,627.632.
Baldingerus,934.941.967.
Balsamon,772.774.Vide Ind.Pat.
Balugius Stephanus,260.
Bannes,767.
Banosius Theophilus,430.
Barbosa Augustinus,1219.
Baronius, 145.147.256.277.309.353.
401.434.435.438.608.667.844.
859.899.917.1140.
Basilius, Vide Ind.Pat.
Baunius,641.
Becanus, 543.574.729.763.797.1060.
Beda,88 409.615.Vide Ind.Patrum.
Bellarminus, 88. 120. 121. 132.142.145.
174.179.220.272.285 306.354.389.
367. 389.438. 467.468.525. 545.
546.565. 674. 711.713.732.734.
744.765. 805. 714.815. 857. 882.
885.917. 1093. 1104.1215.1226.
Bellonius,973.974.976.
Benedictus Johannes,675.
Berengarius,139.142.
Bergamensis,313.
Bernardinus 525.717.759.
Berneggerus,983.
Bernhardinus de Bustis,759.
Bernhardus, Vide Ind.Patrum.
Berno,209.227.
Bertramus,294.
Bessarion Cardinalis,210.233.838.
Beveregius,634.
Bibliander,160.
Bibliotheca Patrum,88.143.255.747.911.
Biel Gabriel, 143. 216. 264. 291. 306.
759.888.
Biller, Belthet Johannes,283.294.889.
Blastar Matthæus,633.
Blesensis Petrus, 367.
Blondellus, 22. 308.412. 442. 446.459.
462.473.476.743.
Bochartus Matthæus,858.
Bochellus,1219.
Bodinus,838.
Boethius Hector,444.
Bona Cardinalis,88.
Bonaventura, 82. 307. 359.396.529.715.
759.1104.
Bonifacius Martyr Vide Ind.Pat.
Bossvetus Benignus, Meldensis Episc.
63.89.891.1205.
Boutillerius,890.
Breviarium Romanum,119.374.
Brodaus,1219.
Brugensis Lucas,62.
Bullengerus Cæsar,697.
Bullingerus Henricus,1169.

Bullarium magnum,747.
Burchardus,568.634.
Burnetus Gilbertus,1205.1234.
Bzovius,661.

C

Cabasilas Nicolaus,84.88.301.
Cabrera,890.
Cæsarius,767.
Cæsarius Arelatensis,1042.
Cæsar Aquilinius, Vide Aquilinius.
Cæsar Bullengerus, Vide Bullengerus.
Cajetanus, 152. 166.174.229.274.375. 408. 432. 533. 546. 569. 570. 640. 642.767.781.801.1015.1089.1095. 1115.1120.
Calixtus,Georgius,51 68.76.84.638.
Calvinus,141.360.620.809.843.762.
Camaldulensis Ambrosius,652.
Cameracensis Cardinalis,1072.
Campegius,627.
Camusius Petrus *Bellicensis Episc.* 691. 1053.1133.
Canisius,389.981.1257.
Canus Melchior,529.531.675.711.767. 1055.
Capellus Ludovicus,610.
Capisucchi,890.
Capreolus,530.
Caramuel,748.
Caranza,774.
Casaubonus,876.
Cassanæus,692.
Cassander Georgius , 68. 84. 88. 209. 227. 253. 285. 294. 379. 432. 536. 587. 609. 783. 785. 842. 876. 879. 1038. 1053.
Cassiodorus, Vide Ind.Pat.
De *Castro* Alphonsus , 69. 464. 527. 643.649.747.827.885.1027.1090. 1100.1235.
Castanus,1035.1037.1042.1048.
Catharinus Ambrosius , 453. 574. 892. 897.
Catechismus Trident.829.
Chalcondylas Laonicus,745.
Chamierus,76.430.632.638.1060.1114.
Chepmensis,1093.
Chisnæus,304.
Christophorsonus,958.
Christophorus Angelus, Græcus,104
Chrysostomus, Vide Ind.Pat.
Chytræus,543.
Cicero,70.403.817.831.
Circius Polonus,213.
Cirvelus,209.227.
à S.Clara Franciscus,447.
Clarus,1233.
De *Clavasio Angelus*.559.705.890.
Claudius Joh.108.
Clemens Alexand. Vide Ind.Pat.
Clemanges Nicolaus , 424. 629. 1050. 1170.
Clemens Rom. Vide Ind.Pat.
Clichtovæus Jodocus,646.675.
Coccejus,1015.
Cocus Robertus,225.927.
Codex Justiniani,661.
Codex Theodosii,661.672.
Cœlestinus,242.
Cœlius Rhodiginus,403 432.
Corduba,1207.
Cornelius Agrippa,519.
Costerus,641.642.1016.
Cotonus,698.891.
Covaruvias,574.
Cranzius,976.

Creyg-

Creygthonus Robertus,748.
Cujacius,584.
Cunerus,1107.
Cusanus,256.408.646.1031.
Cyprianus Vide Ind.Patrum.
Cyrillus,Vide Ind.Pat.

D

Dallaus,62.67.84.87.181.209 237.246. 258. 302. 412. 432. 667. 706. 708. 743. 769. 840. 858. 885. 923. 1131. 1140.1155.1156.
Damascenus,Vide Ind.Pat.
Damianus à Goes,748.
Damianus Petrus,351.353.715.
à Daventria Johannes,1032.
Dedieu Ludovicus,492.
Delrio,963.
Diecmannus,747.
Dionysius Alexandrinus,86.295.
Dionysius Areopagita, 373. 431. Vide Indicem Patrum.
Dionysius Carthusianus,432.712.
Dionysius Exiguus,657.
De *Dominis* M. Antonius,355.373.389. 417. 420. 430. 476. 521. 523. 545. 667.673.1040.1191.
Dominicus Soto, 642.643.647.712.890.
Duarenus,478.
Ducaus Fronto,623.
Duchesius,224.
Dudithius Andreas.37.1191.
Durandus, 141.209.229.242.308.385. 360.376. 525. 530. 533. 889. 895. 1013.1040.1167.
Durantus,256.294.304.525.

E

Ecchellensis,1051.
Eccius,140.525.820.913.
Edmundus Augerius,675.
Eduensis Stephanus,209.227.
Elias Metropolit.Creta,654.
Emmanuel Sà,1015.1132.
Epiphanius,Vide Ind.Patrum.
Erasmus Roterd. 174.256.348.432.532. 565. 574. 666.826.854.1049.1133. 1139.1168.
Escobarius,598.629.641.
Espencaus, 206. 266. 475. 519.588.646. 654.695.890.1190.1193.1196.
Estius Guilielmus,675.806.
Eurpides,809.
Eusebius,Vide Ind.Pat.
Euthymius,Vide Ind.Pat.

F

Fabius Incarnatus.377.
Fasciculus temporum,308.313.
Fehlavius,1045.
Ferus Johannes,1036.
Filiuccius,894.
Fischerus,697.1090.
Fonseca,804.
Fontidonius Petrus,107.
Forbesius, 358. 529. 537. 706. 709. 630. 737.743.865.879.915.1226.
Fordonus Johannes,444.
Forerius Franciscus,20.977.
Franciscus à.S.Clara,447.
Freherus Marquardus,22.
Freinshemius,424.521.1238.
Frizius,638.
Fronto Ducaus,623.
Fulgentius Ferrandus,634.
Fulgentius,Vide Ind.Pat.

G

Gabriel Patriarcha Alexandrinus,745.
Galatinus,153.160.

Galenus

Galenus Matthæus,145.1065.
Gallasius Nicolaus,842.
Gandulphus,529.
Gaufridus,525.
Gaza Theodorus,432.
Gelasius Papa, Vide Ind.Pat.
Genebrardus,153.259.826.
Gering,232.
Gerson,66.496.712.888.1053.
Gerundensis Moses,800.
Goar,295.
Godignus,253.255.748.
Grammondus,1236.
Graserus Conradus,1217.
Gratianus,367.368.472.475.527.528.
531.542.567.568.587.643.652.664.
1016.1032.1043.
Gregorius Nazianzenus, Vide Ind.Pat.
Gregorius Nyssenus, Vide Ind.Pat.
Gregorius M. Vide Ind.Pat.
Gregorius Turonensis,843.
Gropperus,140.675.
Guagninus,71.
Guicciardinus,419.1097.1196.
Guilielmus Parisiensis,531.675.
Gygas,353.522.
Gyraldus,Lilius,779.

H

Hardingius,73.287.291.295.
Hartus,1177.
Haymo Halberstadiensis,186.
Hegesippus, Vide Ind.Pat.
Heideggerus,152.159.440.561.670.781.
792.800.814.822,829.835.837.840.
846.848.861.871.878.942.1100.
Heinsius,400.
Herodotus,400.
Hervetus,5.86.557.
*Hieremias Patriarcha Constantinopolit.*71.
Hieronymus, Vide Ind.Patrum.
Hilarius, Vide Ind.Patrum.
Hincmarus Rhemensis,913.
Hoffmeisterus,256.
Holkot,889.
Honorius Augustodunensis, 209.224.227.
294.304.
Horantius,1222.
Hosius Cardin.306.647.816.
Hospinianus, 153.179.227.237.247.765.
993.1015.1038.1166.
Hostiensis,525.
Hottingerus,1038.1098.
Hugo Cardinalis,804.807.
Hugo Victorinus, vel *de Sancto Victore*,209.
227.294.304.
Huldricus Augustanus,627.
Humbertus,256.667.
Humbertus de Sylva candida, 633.667.
Hungerus Albertus,892.
Hypatius,71.

I

Jamesius Thomas,1104.
Jansenius,62.145.147.726.728.1142.
Jarchius Solomon,808.
Jarricius Petrus,748.
à Jesu Thomas,748.
Ignatius, Vide Ind.Patrum.
Index Expurgatorius Sandovalianus,152.
Innocentius III.Papa,261.
Innocentius IV.Papa,422.
Johannes VIII.274.
Johannes Benedictus,675.
*Josephi Antiquit.Jud.*1060.
Josephus Ægyptius,633.
Jovius,838.1097.
Irenæus, Vide Ind.Patrum.

Isidorus Hispalensis,421.668.
Isidorus Mercator,634.
Julius Clemens Scotus,1201.1203.1210.
1211.1212.1230.1235.
Junius Franciscus, 22.202. 430.1052.
1065.
Junius Hadrianus,409.
Ivo,546.1035.1041.
Jus Canonicum, 212. 307.367.472.475.
559.
Jus Graco-Romanum,654.
Justellus,381.
Justinianus Benedictus,601.605.
Justiniani Codex,661.
Justinianus,294.1082.
Justinus Martyr, Vide Indicem Patrum.

K

Kimchi R.David,610.867.901.
Kimedonzius,22.
Kircherius Athanasius,285.

L

Lactantius, Vide Ind.Pat.
Landspergius,691.
Landus Hortensius,402.
A *Lapide* Cornelius, 440. 559. 566.
608.649.743.801.
Launojus,309.674.1189.
Leo I.569.
Lojola,1020.1024.
Lombardus, 358. 368. 373. 492. 525. 536.
587.649.799.1026.
Lorinus,407.408.
Leo Allatius,68.87.745.1032.
Lessius,789.
Levi Ben-Gerson,610.
Ligtfootus,724.1076.
Lindanus,654.926.
Linerensis Petrus,1070.
Lipsius,661.
Lirinensis, Vicentius,643.
Lubelczyck Andreas,285.
Lucas Franciscus,1142.
Lucas Tudensis,892.
Lucretius,433.
Lupus Christianus,309.
Lutherus,71.1115.
Lutzenburgus Bernhardus,913.
Lyranus,69.174.153.274.192.566.79.
1069.

M

Maffejus,262.1023.
Major, Johannes,358.531.444.642.
Malderus Johannes,116.
Maldonatus,55.480.743.924.1142.
Malvesius Troilus,765.
Mantuanus,779.
De *Marca* Petrus,309.631.655.1219.
Marcus Ephesius,735.748.
Mariana,806.
Martinus Bracarensis,485.
Martinus Polonus,209.
Martyrologium Romanum,445.
Masius Andreas,285.889.
Mascarenhas,641.
Massonus,889.
Matthaus Paris,141.
Matthaus Westmonasteriensis,141.
Maximus Turonensis,823.
Maximus Tyrius,433.
Mayronius Franciscus,1088.
Medina Michael, 446. 448. 465. 642.
655.890.1107.
Melanchon,360.
Melchioris, Joh.67.
Menesius Alexius,285.
Mercerus,160.

Meßias Petrus,420.
Metaphrastes,440.
*Metrophanes Critopulus, Patriarcha Alexandr.*71.260.
Meurisse,145.
Micrologus,253.255.256.
Middensis Franciscus,695.711.713.
Minutius Felix in Octav. Vide Ind.Pat.
Modestinus,543.
Moguntini Jesuitæ,1034.
Molanus,889.890.
Molina Ludovicus,1233.
Molinæus,247.632.1219.
Monlucius,890.
Montacutius Richardus,1034.
Morinus,85.89.433.
Mornæus,153.163.179.247.307.
Morus Thomas,713.
Moses Ægyptius.
à *Mundelheim* Nebridius, 1034.
Muscus Johannes,304.

N

R.*Nachman*.808.
Natalis Alexander,309.
Navarrus,545.
Neutonus Adamus,1207.1237.
Nicetas Choniates, Vide Ind.Pat.
Nicephorus Callistus,83.Vide Ind.Pat.
Nilus Thessalonicensis,735.
Nonius,70.
Novellæ Justiniani,659.661.673.
à *Nyem* Theodoricus,549.

O

Oecumenius, Vide Ind.Patrum.
Occamus,797.
Odo Cameracensis,356.
Onuphrius Panvinius,4.
Optatus Milevitanus, Vide Ind.Pat.
Ordinarium Hildesheimense,816.
Ordo Romanus,81.84.86.88.231.
Origenes, Vide Ind.Patrum.

P

Paccuvius,70.994.
Pacianus, Vide Ind.Pat.
Pagninus,804.
Palatinus Joh.Baptista,274.
Pallavicinus Sforzia, 167.168. 171.276. 277.415.589.1088.*& passim.*
Paludanus,530.546.890.
Pamelius,256.476.623.962.1082.
Panormitanus,638.
Panvinius Onuphrius,4.
Paphnutius,627.656.Vide Ind.Pat.
Paschasius Radbertus,294.
Pasquier,1219.
Paßius Thomas,477.
Paulus Servita,450. Vide Pet.Suave.
Pelagius Alvarus,144.560.
Peltanus,714.
Peresius Ajala, 642. 697.711.809.889. 892.1132.
Perronius,141.667.926.1140.
Petavius Dionysius, 309.411.412.432. 667.776.885.1140.
Petrus Meßias,420.
Petrus Siculus,83.
Philastrius Brixiensis,464.
Philo Judæus,1062.
Philostorgius,442.Vide Ind.Pat.
Photius, 432.433.655.655. 926. Vide Ind.Patrum.
Photii Bibliotheca,1065.
Piasecius Paulus,746.
Picherellus,138.159.890.
Picto Franciscus,1206.
Pierius Valerianus,401.

Pighius Albertus,404.430.492.643.
Pintus Hector,801.804.
Pithœus,879.
Platina,209.308.313.638.
Plutarchus,258.
Polydorus Vergilius,638.780.
Pontificale Romanum,120.242.274.
Porta Baptista Neapolit.1232.
Possevinus, 433.574.826.856.857.924.
Prideaux,765.
Primasius,Vide Ind.Pat.
Procopius,Vide Ind.Pat.
Protosyncellus Gregorius,1148.
Prosper,Vide Ind Pat.
Prudentius,233.435.
Puteanus,307.

R

Rabanus Maurus,294.
Radulphus Tungrensis,209.227.
Raynoldus,229.768.777.782.882.
Rebuff,353.
Reiserus,1189.
Remigius,209.227.
Rhenanus Beatus, 209.227.256.432. 587.862.
Rhodiginus Balthassar,409.
Rhodiginus Cœlius,403.432.
Ribadineira,1023.
Ribera,801.804.
Richardus,546.890.
Richeomus,295.
Richerius Petrus,308.
Rigaltius Nicolaus,85.88.739.822.1085. 1155.
Rittershusius,580.
Rivetus,179.667.
Rocca Angelus,360 819.
Roffensis,432.697.798.711.747. 1090.
Rosarium Mariæ,816.
Rosselius Michaël,477.696.
Rubeus,713.
Rupertus Tuitensis,209.227.

S

S à Samuel,1075.1132.
R.*Saadiah*,1215.
Sabellicus,627.640.889.
Saligniacus,890.
Salmasius,254.412.417.419.420.
Salmero,69.145.147.565.615.625.713. 714.728.779.793.1222.
Salvianus,627.638.
Sanctius Caspar,1149.1151.
Sanderus Nicolaus,892.
Scaliger Josephus, 1031.1060.1065. 1066.1144.
Schmith Thomas,87.
Scipio Henricus, 4.52.73.283.284.342. 344.346.839.1211.1228.1236.
Scotus,306 307.358.359.533.546.1026.
Scribonius Joh.675.
à Seckendorf Vitus Ludovicus,1238.& *in Præfatione novissima.*
Seneca,674.
Senensis Sixtus, 21.272.465.569.711. 826.857.1140.
Serarius,1065.
Sguropulus,745.748.
Siculus Petrus,83.
Sidonius,140.
Sigebertus,143.
Sigonius Carolus,217.631.
Sirmondus,309.432.917.921.
Sleidanus,519.3236.*seq.*
Socrates Hist. Vide Ind.Pat.

Sonnius,725.726.799.
Sophocles,809.
Sophronius,303.*&c*.433.
Soto Dominicus,890.
Soto Petrus, 69. 306. 357.359.361.367. 527.546.570.571.642.674.697.711.
Sozomenus,83. Vide Ind. Patrum.
Spanhemius Fridericus,610.
Stella,727.728.1190.
Stevartus Petrus,605.
Steuchus Eugubinus Augustinus,913.919.
Stobæus,403.
Stapletonus,655.726.1157.
Strabo Walafridus, 209. 210.221.227. 236.240.256.259.265.294.827.
Stuckius Guilhelmus,993.
Suave Polanus, 23. 54. 67.110.136.232. 371.376.414.417.419. 426.541. 560.570. 571. 589.630. 639. 676. 696.864.888.*& passim*.
Suarez,116.142.724.728.
Suidas,809.
Sulpitius Severus,765.
Surius,772.774.1097.1238.
De *Sylva candida* Humbertus,633.667.
Sylvius Æneas, Vide Æneas.
Sylvius Franciscus,676.

T.

Tacitus,402.
Tannerus,810.912.
Tapperus Ruardus,1092.
Tarnovius,573.
Tarrasius,356.
Tertullianus, Vide Ind. Patrum.
Themasvvar,1115.
Theodectus,809.
Theodosianus Codex 661.673.
Theodoretus, Vide Ind. Pat.
Theodoricus à Nyem,671.
Thomas à Jesu,748.
Thomas Aquinas,173.291.306.358.538. 643.713.746.763.890.1076.1095. 1101.
Thomas Waldensis,834.
Thomas Morus,713.
Thuanus,308.34P.697.1097.1220.
Thucydides,584.
Tirinus,308.1055.
Toletanus Rodericus,219.
Toletus,729.1132.1142.
Tostatus,801.1053.
Tripartiti Operis author,1099.
Trithemius Abbas, 433. 827. 981.1048.
Triumphus,1107.
Tuitiensis Rupertus,209.227.
De *Turre* Raphael,890.
Turrecremata,553.890.1107.
Turretinus Benedictus,21.
Turrianus,565.642.1132.

V.

Vagedes Henricus,1246.*seqq*.
De Valentia Gregorius, 146.306.643. 892.1101.
Valerianus Pierius,401.
Valerianus Cappucinus,963.
Valesius Henricus,958.1065.
Valla Laurentius,432.843.
De *Valtelina* Johannes,231.
Varro,874.
Vasquez Gabriel, 116.145.655.799.833. 839.844.849. 869. 882.885.890. 893.903.981.
Vatablus,152.
Vedelius,70.
Verdrosius,621.655.810.*& passim*.
Vejelius Elias,745.747.1033.

Verge-

Vergerius,980.
Vergilius Polydorus,227.646.869.1168.1170.
Vicelius,140.256.
Victorinus, vel *Hugo de Sancto Victore*,209.227.294.304.
Vigerius Franciscus,923.
Villagagnonus,308.
Villavincentius,775.
Vincentius Lirinensis,542.643.944.
Virgilius,710.722.874.
Viringus Johannes,1128.
Virvesius,638.
Vives Ludovicus, 723. 779. 780. 809. 1049.1235.
Voetius Gisbertus,768.
Volaterranus,308.
De *Voragine* Jacobus,409.710.780.
Vorstius Johannes,580.
Vossius Gerardus Joh.200.412.769.
Urspergensis Abbas,1102.
Usserius Armachanus,435.

W

Waldensis Thomas,834.
Walenburgii fratres,767.784.820.
Waltramus Naumburgensis,476.
Wesselus Groninganus,1102.
Wetvveis,745.746.
Wicelius,1204.
Widefordus,75.
Widmanstadius,285.
Wolphii Lect.Memorab.606.842.

X

De *Xaintes Claudius*,145.164.

Z

Zagazabo Æthiops,745.748.
Zonaras,772.774.
Zvvinglius,193.200.

INDEX VII.
RERUM, PERSONARUM, ET VOCUM.

A

Abbatibus in Concilio Trident. trinis nonnisi unum Votum concessum fuit,1255.
Abdissus, Patriarcha Assyrius Papæ fit obnoxius, 104. &c. Concilio & Papæ obedientiam vovet, ibid. ære conductum Papæ mancipium fuit, 107.
Abelis & Abrahami sacrificia an in Veteribus Liturgiis cum sacrificio Christi conferantur,215.
Abrahamus cur ab Eliezere super femur juramentum exegerit? 829. an cum Angelis illis tribus collocutus, Deum essentialiter viderit? 897.
Abrogare Legem quis possit? 563.
Abstinentia ab aliquo cibi genere nullum est jejunii argumentum, 1139.
Abundii & Abundantii ossa hinc inde per orbem dispersa coluntur, 831.

Abyssini & Æthiopes non credunt purgatorium, 748.
Accidentalia Pontificii faciunt pleraque Eucharistiæ, quæ ejusdem substantialia sunt, 269.
Accidentis esse est inesse, 169.
Actuum Sacerdotum missificantium varietas; 243. Non est Apostolicæ institutionis, 244. Novem recensentur variandi modi, ibid.
Acephali quales & qui fuerint? 260.
Adamantii procax de Helvetiis Reformatis in Concilio Trid. Oratio 27. eadem perstringitur, 31.
Adorare & invocare Sanctos an idem sit? 789.
Adorare ad scabellum pedum Jehovæ quid sit? 835.
Adorare ad Orientem cur Veteres fuerint soliti? 903.
Adoratio aliquando totum cultum Divinum notat, 175. Ejusmodi cultu sanctorum reliquiæ affici non debent, 833.
Adrianus I. Papa Nicenum Concilium II. probat citra consensum occidentalis Ecclesiæ, 921. Tanquam Iconolatra à Synodo Francofurtensi falsè reprehenditur, 907. Basilio falsa affingit, 926.
Adstare altari in Veteri Ecclesia quid fuerit? 382.
Adulteram cur Christus Joh. VIII. judicare renuerit? 672. 677.
Adulterium est causa divortii, 564. seq. 179.
Ædificatio fidelium ex linguæ peregrinæ usu nulla est, 272.
Ægrotantibus Eucharistia olim non sub sola panis specie exhibebatur, 84. 86.
Ægyptus tria Monachorum genera habebat, 1035.
Aërii Hæresis, 462. 463. Ejus de jejuniis opinio, 1154.
Æthiopes quomodo Missam celebrârint, 253. 255. Eorundem Liturgia in Latinum conversa, 285.
Afris lingua Latina vulgaris fuit, 276.
Ἄγαμος quis Apostolo I. Cor. VII. 10. dicatur? 572. 573.
Agapæ Synaxi præcesserunt, 251.
Agatho Papa cur Dionysium Areopagitam laudet? 433.
Agnus Dei quando cantari in Missa cœperit? 221. 224.
Agnus figura Christi passi erat, 876.
Agnus Paschalis non fuit sacrificium, 162. quomodo figura fuerit Eucharistiæ, ibid.
Aharonis vocatio Divina fuit, 479.
אהלי qualia tentoria notent? 1216.
Alani dissertatio de dispensationibus in conjugio, & Conciliorum supra Papam authoritate, 333.
Alexandri I. Decretalium νοθεία panditur, 308. 309.
Alexander VI. matrimonium in VII. gradu prohibuit, 551.
Alexander VII. Simonistarum Alpha, 584.
Alliphiensis Episcopus, Episcoporum Institutionem à Christo defendit, 328.
Altari adstare quid in Veteri Ecclesia fuerit? 382.

Alta-

Altaria propriè dicta in N. T. nulla sunt, 118. 119. seqq. 173. 174. 181. 189.
Ambrosianus Missæ Canon qualis fuerit? 217. 280. 281.
Amen linguæ incognitæ cultui non potest succini, 272. quomodo olim populus sacerdoti Amen succinuerit? 294. 295. in Missa populus non potest Amen dicere, 295.
Amici Dei sæpiùs nævis attaminati fuerunt, 562.
Amicos sibi facere ex Mammone iniquitatis quid sit? 727. 728.
Amoris variæ distinctiones Pontificiorum refelluntur, 1025.
Ἀμυήτοις Mysteria religionis non licuit olim prodere, 303.
Amulii Cardin. literæ de Abdisso & Orientalibus Papæ obnoxiis factis, 104. perstringuntur, 107. Idem Concilium absolutè confirmandum esse pertendit, 1183. 1185.
Anabaptismus Monachalis blasphemus exploditur, 1032. 1033.
Anachoretæ quales monachi? 1012. 1013. ἀπάνθρωποι sunt, 1018.
Analogicus imaginum cultus exploditur, 893. seq.
Anastasius Bibliothecarius Rom. interpolator est Canonum Apostolicorum, 923. 925.
Anathematis reatus unius hominis toti aliquando populo imputatur, 196.
Anathema generale adversus Hæreticos à Concilio Trident. vibratur, 687. 690. idque in innocuos, 1201. qualia 136. denuntiata fuerunt, 1202.
Anathematismi Papales sæpiùs à Principibus eluduntur, 693. 694.
Angeli Ecclesiarum Asiaticarum Apoc. II. III. an fuerint Episcopi? 460.
Angeli in Missa per blasphemiam sacrificium consecratum Deo commendare rogantur, 215. Quomodo quasdam fidelium necessitates noverint? 788. 798. eorum cum beatis cœlitibus similitudo in quibus consistat? 788. A Sanctis nunquam fuerunt invocati, 896. 899. Non enim sunt fidelium domini, sed σύνδουλοι, 756.
Angelus Gen. XLVIII. 16. increatus est, 800. fuit Goel, Angelus fœderis, 803.
Animæ separatæ status qualis à priscis Ecclesiæ Doctoribus fuerit creditus? 200.
Animalium figuræ symbola sunt virtutum, 902.
Annatæ à Nemausensi Episcopo perstringuntur, 337. Cur tolerentur, 422.
Annuntiatio mortis Christi non potest nisi in vernacula lingua fieri, 269.
Annuntiationis Mariæ festum quomodo in Veteri Ecclesia fuerit celebratum, 1177.
Antichristus non habet rationem mulierum desiderii, 626.
Anthonius antiquissimus Monachus est, 1073. 1082.
Anthonius de Valtelina ceremoniarum Missaticarum libertatem tuetur, 98. 106.

Ἀπάρχη Apoc.XVI.13. quid significet? 703.
Apostoli S. Cœnam celebrandi formulam habuisse creduntur Orationem Dominicam, 210.222. Eorum traditio frustra obtenditur Ecclesiæ Rom. ritibus, 222. Eorum munus Papæ non competit, ibid. Sacramentorum authores non fuerunt, 353. Quomodo Spiritum S. acceperint? 395. Illis licebat nubere, 621.623. Eorum Princeps quis fuerit? 435.436. Cœlibatum non instituerunt, 646. Uxores suas non repudiarunt, 653. Quomodo Pastores Ecclesiæ fuerint, 441. Ciborum delectum non sanxerunt, 1140, Cur non jejunârint ut Pharisæorum discipuli? 1153. Eorum authoritas ad Episcopos non transiit, 464.
Apostoli Christi & Apostoli Papæ quantum differant? 1014.
Apostolica authoritas an aliis communis? 464,
Apotheosis Sanctorum examinatur, & exploditur, 765. seq.
Applicatio sanguinis & mortis Christi non fit ex parte tantùm, 1111. 1112.
Aqua Baptismi quomodo unionem Ecclesiæ cum Christo significet? 311.
Aquæ mixtura in calice eucharistico disceptatur & refutatur, 305. seqq.
Aquæ in S. Scriptura populum, sed non fidelem significant, 311.
Arabicâ Liturgiâ quinam sint usi? 285.
Arca fœderis non fuit adorata, 836. 900.901. seq. non fuit imago, 902 nec adorationis objectum, 969.982
Ἀρχαὶ καὶ ἐξουσίαι quid sint? 428.429.
Ἀρχιερεῖς olim etiam Episcopi dicti sunt, 412.
Arcudius Corcyræus Ordines minores in Concilio refellit, 373.
Aris adgeniculari quid apud Tertullianum sit? 862.
Armeni Eucharistiam vino meraco celebrarunt, 313. Eorum Liturgia in Linguam Latinam conversa est, 285.
Artes Curiæ Rom. quibus libertatem Concilii delusit, 1259.
Ascetæ inter priscos Christianos quinam fuerint? 1067. Sponte carnibus & vino abstinuerunt, 1140.
Asina Bileami quomodo in Concilio Trid. fuerit locuta? 1256.
Ἀστοργίας Jesuiticæ exemplum, 1015.
Ataides, Vide *Gregorius Ataides*.
Ἀθύτως offerre quid sit? 188.
Avaritia Clericorum perstringitur, 694. Avaritiæ Papalis prætextus, 549.
Auditus Verbi Divini præcipuum est salutis exterius adminiculum, 291.
Augustanæ Confessionis querela de Monachis, 1032.
Augustinus quo sensu Eucharistiæ Communionem infantibus necessariam esse dixerit? 54.55. non est author libri Quæstionum V. & N. Test. 352. *Vide Ind. Patrum.*
Augustinianorum Paduanorum indulgentiæ, 705.
Avilæ legatio ad Papam, 334.

Autho-

Authoritas Apostolica an transierit ad Episcopos? 464.
Authoritatis Papalis appendix omnia Concilii Trid. decreta dubia reddit, 695.

B

Baal Phœnicum sol fuit, 836. 942.
Babylon jam cecidit, 1229.
Baldingerus refellitur, 945. in causa peregrinationum religiosarum Vadimonium deserit, 967.
Baptismus an sit forma Hierarchiæ Pontificiæ? 416.
Baptismus & Monachatus in quibus conveniant vel discrepent, 1032. blasphemus est Monachalis baptismus, 1033.
Baptizari pro mortuis quid sit? 1. Cor. XV. 29. 743.
Barbam radere cur Veteribus prohibitum? 400. Gregorius VII. Papa rasuram barbæ præcipit, 401.
Baronius iniquè Hieronymum exagitat, 438. Falsationis arcessitur, 637. *Vide Ind. Authorum.*
Bellarmini impostura in citando Augustino de Linguæ Latinæ in sacris peragendis usu, 275. Idem docet authoritatem Sacramenti conferendi non esse gratiam gratum facientem, sed gratis datam, 390. Frustra ex Nazireatu V. T. tonsuram Clericalem probare conatur, 408. Episcopos & Presbyteros Apostolorum tempore communia Ecclesiæ ministrorum nomina fuisse agnoscit, 412. 438. Idem cum Baronio Clementis Romani libros *Recognitionum* in dubium vocat, 668. Purgatorium à lumine naturali hominibus innatum esse docet, 710. dubias tamen & discordes producit opiniones, 714. 715. Eodem fatente idololatriæ rei sunt imaginum adoratores, 892. 894.
Benedicti Regulæ serò demum à Papis fuerunt confirmatæ, 1036. 1042. Benedictinorum Veterum studia laudantur, 1048. Hodiernorum verò in diversum procul abeunt, ibid.
Bequetus Anglus Regis proditor à Papa canonizatur, 767.
Berengarius Missæ monstro masculè se opponit, 139. Ad Palinodiam cogitur, ibid. 142. quam tamen postea ejuravit, ibid.
Bernhardus in suis Operibus nullam indulgentiarum Papalium facit mentionem, 1099.
Bernoldus Constantiensis Ordinis Romani scriptor, 222.
Bertramus realem Corporis Christi in S. Cœna præsentiam oppugnavit, 139. 141. aliâs Ratramus idem dicebatur, ibid. Quo argumento Transsubstantiationem refellat? 312.
Bessarion Cardinalis de Reliquiarum fide oppidò ambigit, 838.
Bibliorum Tigurinorum picturæ excusantur & vindicantur, 897.
Bileami asina quomodo in Concilio Trid. fuerit locuta? 1216.
Biragus Concilio Pacificationem Gallicam excusat, 357.

Bonifacii VIII. ad Philippum Galliæ Regem de beneficiorum Ecclesiasticorum collatione stolida Epistola, Regisque responsum, 110.

במות sunt templa idololatrica Pontificiorum, 941.

Bonorum communio apud Veteres qualis fuerit? 1043. Occasio fuit vitæ cœnobiticæ, 1070. Apostolorum tempore qualis fuerit? 1071.

Bonum esse, quo sensu aliquid dicatur, 599. 600. Morale quid? 601.

בור Zach. IX. 11. quid significet? 719. 720.

Braccarensis Archiepiscopus contendit de Præcedentia, 12.

Bravo *Hieronymus* in Concilio contra Ordines minores disputat, 373. 375.

Breviarium Rom. Ordines Ecclesiasticos recenset, 374.

Bullingerus vidicatur, 910. idem contra Eccium de Caroli M. libris scribit, 922. Ejus de reformatione Ecclesiæ Tig. quoad dies festos narratio, 1169.

C

Cæsar Aquilinius laudatur, 1240. & passim.

Cæsareanorum Oratorum postulata in Concilio, 17. Reformationem urgent, 42. Calicis Eucharistici usum, 49.

Cajaphæ prophetandi donum quale fuerit? 391. 394,

Cajetanus Judaizans, 408.

Calceos solvere alicui, locutio est adagialis, 971.

Calicis Eucharistici usus an concedendus sit, in Concilio Trid. acriter disceptatur, 46. seq. 101. 102. urgetur ab Oratoribus Cæsareanis, 49. Blasphema vox Jesuitarum contra hoc petitum, 50. Fusè propugnatur, 60. seqq. probatur ex praxi Veteris Ecclesiæ, 67. Legati efficiunt, ut res ad Papam remittatur, 103. 107. Cur? 111.

Calixtus Orationem Oratoris Bavarici pro Calicis concessione suppressam in lucem eruit, 51. 68.

Calvinus vindicatur, 620. 794. 795. 861. 910. 1058. 1018. & passim. Quatuordecim enumerat clavos crucis Christi, 843.

Canaan cur terra Sancta dicatur? 970. cur infidelium dominio permissa? 972.

Canisius consilia Cæsareana prodit, 1257.

Canonicæ satisfactiones Veteribus Purgatorii nomine venerunt, 737.

Canonistæ Tonsuram distinctum Ordinem faciunt, 375. 376. iidem novem Ordines faciunt, 384.

Canonizatio Sanctorum exploditur, 765. seq.

Canon Missæ abrogandus est, 209. seq. à quo fuerit consarcinatus? 210. à Papis variè corruptus est, 211. Errores ejus, 213. seq. blasphemus est in Christum, 216. continet ἀσύστατα, 217. Hodiernus à Gregoriano differt, 221. Non est antiquus, 224.

Cantores Ecclesiæ quomodo ordinentur? 371. An in Veteri Ecclesia distin-

distinctum Ordinem constituerint? 384.
Capitulare Caroli M. 887. quando repertum & editum fuerit? 910. Concilium Nicænum II. condemnat, 917. Distinctionem adorationis rejicit, ibid.
Caput Ecclesiæ unicum est Christus, 467. Visibili capite in terris nihil est opus, 429.
Caramuel præ cœteris Doctoribus Pontificiis laudatur, 749.
Caranza residentiam urget, 342.
Carcer, de quo Matth. V. 24. agitur, quid notet? 725. 726. qualem sint interpretati Veteres? 738. 739.
Cardinales qui sint? 416. Primi qui fuerint? 423. Eorum ortus, ibid. Eorum munia quæ fuerint olim? 423. Jam planè desciverunt, 424. Quales sint eligendi? 521.
Carnium esus an vetitus? 1127. Caro in se immunda non est, 1127. A Papis tamen quibusdam immunda habita fuit, 1125. 1131. Carnium esus in taxa Cancellariæ Rom. certo pretio permittitur, 1133.
Caro quomodo mortificanda? 1022.
Carolus M. Episcoporum electionem per clerum & populum fieri præcipit, 486. Ejus libri contra Imaginum cultum scripti vindicantur, 887. 910. 911. Concilio Nicæno nullam tribuit authoritatem, 913. An ipsemet scripserit libros contra imagines? 913. 914. Ad Papam Adrianum scribit de imaginibus, 907. Constantinum Cypri Episcopum erroris convincit, 919.
Carpocratiani ob cultum imaginis JESU à Patribus hæreticis accensentur, 877. 884.
Cassander legem cœlibatus abrogandam esse seriò pertendit, 639. Varios in Ecclesia Pontificia errores & abusus notat, 783. 785. Vindicatur, 785. seq. Calvini inimicus fuit, 845. de reliquiis aliisque multis rectè sensit, ibid.
Castitas perperam matrimonio opponitur, 619. Cùm æquè in matrimonio obtinere possit atque in cœlibatu, 643. 669. Monachorum examinatur, 1027. & exploditur, 1030. 1052.
Castrare se propter Regnum Cœlorum quid sit? 612.
Casuum reservatorum abusus. 948.
Catechismi conficiendi negotium ad Pontificem remittitur à Concilio, 687. 690.
Catechistarum quodnam olim in Ecclesia munus fuit? 381.
Catharina Medicæa literis ad Pium IV. datis arbitratur, quo usque Protestantibus sit indulgendum, 11. Patrocinium Reformatorum per Gallias suscipit, 14. Imagines tolli jubet è Templis, 888. Vindicatur, 890.
Catharini *Ambrosii* querela de Episcopis, 453.
Cavillonio cavillatio sophistica objicitur, 98. 105.
Celsa, loca fuerunt idolis sacra, 941.
Ceremoniæ Ecclesiæ Romanæ ex Ju-

Judaiſmo & Ethniciſmo hauſtæ, 239. Novæ ſunt, 240. 248. Miſſaticæ oppugnantur, 227. &c. Impietatis incitamenta habent, 228. Gentiles vel Judaicæ ſunt, ibid. corruptæ, 229. ſuperſtitioſæ ſunt, 230.

Cerinthiani an Coloſſ. II. 16. intelligantur, ac reprehendantur? 1125. ſeqq.

Certitudo moralis ad πληροφορίαν non ſufficit, 853. mutationis ſymbolorum in Miſſa nulla eſt, 293. Prudentialis & Papalis exploditur, 1009.

Character indelebilis Sacerdotum merum eſt figmentum, 355. Ordines nullum imprimunt, 388.

Character ſubſiſtentiæ Dei Patris in Filio qualis ſit? 388.

Chariſma quod Timotheo 1. Epiſt. IV. 14. collatum eſt, quale fuerit? 362. 393.

Charitas an ſit forma Hierarchiæ Pontificiæ? 415.

Charitas erga Sanctos defunctos non poſtulat eorundem invocationem, 813.

Χειροθεσία an ſit Sacramentum? 351. Apoſtolorum tempore quale fuerit ſignum? 459.

Χειροτονία in eligendis Eccleſiæ Miniſtris qualis fuerit actus? 472.

Cherubim an fuerint imagines adorandæ? 870. 902. quid repræſentaverint? 900. ſeq. Non fuerunt Angeli, 901. Ejus vocis etymologia, ibid. Non fuerunt imagines, 902.

Chorepiſcopi quinam olim fuerint? 457. Veri Epiſcopi fuerunt, 458. 463.

CHRISTUS ſe ipſum in cœna ultima non obtulit, 136. ſeqq. 166. In V. T. Mediatoris munere fungi potuit ante aſſumptam humanitatem, 808. Poſt ſuam in Cœlos aſcenſionem an corporaliter in terris ſit futurus ante noviſſimum diem? 984. 988. ſeq. Ejus 40. dies jejunantis exemplum jejunium quadrageſimale non probat, 1157. Nullo modo imitantur Pontificii, ibid.

Chriſti perſona & crux ante Concilium Generale VI. non exprimebantur imagine, ſed ſub ſymbolo Agni, 876.

Chyckim חקים qualia ſtatuta notent? 558.

Ciborum delectus fusè oppugnatur, 1121. ſeqq. Primi ejus authores fuerunt Hæretici, 1130. Ejus Origo oſtenditur, ibid. Manichæiſmum ſapit, 1138.

Circumciſio an in Eccleſiam revocari poſſit? 408.

Clamor in precibus qualis requiratur? 299. 300. Qualis fuerit Chriſti in cruce? 300.

Clavi crucis Chriſti ad XIV. multiplicati ſunt, 943. 973.

Clavium poteſtas an ſoli Petro data ſit? 466. Imo toti Eccleſiæ, ibid. Non eſt poteſtas indefinita, 1152. adulteratur per indulgentias Papales, 1091. ſeq. Non eſt poteſtas ſoli Papæ conceſſa ad diſpenſandas

das indulgentias, 1113. 1114. singulis Apostolis, imo toti Ecclesiæ data est, 1114.
Clementis Rom. librorum Constitutionum νοθεία ostenditur, 245. ab ipsis Pontificiis Doctoribus in dubium vocantur, 668.
Clerici Papales scelerati sunt, 402. quomodo à Monachis olim fuerint distincti, 1042. seq. Clerici Monachis antecellebant, 1043.
Cneph Thebarum Deus, 875. quæ ejus fuerit forma? ibid.
Cœlibatus an conjugio præstet? 593. seq. Non naturâ suâ sanctior, 594. Est speciale quorundam donum Dei, 596. 652. Cur à Veteribus tantis elogiis fuerit elatus? 598. Votum ejus fusiùs impugnatur, 603. seqq. Idem fusiùs disceptatur, 620. seqq. ab Ecclesia obtrudi nemini potest sub ratione legis, 644.
Cœlites & Sancti in terris sunt συμπολῖται, 756. Necessitates nostras singulares ignorant, 796.
Cœlo capi & contineri Christum oportuit, 989. Cur? ibid.
Cœlestia Exodi XX. 4. quæ & qualia intelligenda? 910.
Cœna Domini quo sensu à Veteribus *Sacrificium* appellatur? 180. 182. 184.
Cœnobitæ quinam sint? 1012. Eorum varia genera, ibid. Ab Anachoretis multùm discrepant, 1018.
Cœnobiticæ vitæ occasio, 1070.
Cognatio Spiritualis impugnatur, 542.
Collectarum usus in Missa quando cœperit? 246.
Collyridianorum Hæresis in cultu B. Mariæ, 775.
Colonia & Mediolanum de corporibus trium Regum contendunt, 843.
Columna Christi, cujus Canones Apostolici meminerunt, an sit ejus imago? 923. 925.
Comam alere Clericis olim prohibitum fuit, 407.
Comatæ gentes quæ? 407.
Commemoratio mortis Christi in S. Cœna fit, 204. Non est oblatio Christi, 186. utriusque symboli usum requirit, 65.
Commendonii relatio de Ferdinandi Imp. malo erga Concilium Trid. affectu, 332.
Communio & communicatio quomodo differant? 1116. 1117. Communio præsupponit communicantes, 250.
Communio bonorum apud Veteres qualis fuerit? 1043.
Communio Sanctorum non jubet fieri preces pro defunctis, 197. 198. Non consistit in satisfactionum communicatione 1116. 1118.
Communio sub utraque fusè probatur, 60. seqq.
Concilia contra & præter Verbum Dei nulla pollent authoritate, 915. Quæ Oecumenica haberi debeant? 916. Antichristiana quæ fuerint, 1225. Generale seu Oecumenicum malè à Pallavicino definitur, 1222. Unde tale cognoscatur? 1223. Autho-

thoritatem à Papa non accipit. 1225. Ejusmodi Generale Concilium sub Papæ auspiciis nullum deinceps habebitur, 1217. Concilia convocare non est Papæ, 1189. Eorum confirmatio à quo fieri debeat, 1184. seq.

Concilium Tridentinum nescivit quid decreverit, 1260. quomodo & à quo confirmatum? 1184. *Vide Tridentinum Concil.*

Conciliorum Parisiensium editor crimen falsi commisit, 920.

Concilium Hierosolymitanum an ciborum delectum sanxerit? 1137. 1138.

Conclavistarum privilegium in Concilio Trid. oppugnatur, 100.

Concomitantia in S. Cœna Corporis & sanguinis Christi qualis intelligatur? 78.79. absurditas inde oriunda, 79.81.82.

Concubinatus à Pontificio Clero ipso præfertur matrimonio, 1016.

Concupiscentia est transgressio legis, 1029.

Confessores & Virgines quando coli cœperint? 225.

Confirmatio Conciliorum à quo olim facta? 1184.

Congregari in nomine Christi quid sit? 1222.

Conjugium est civilis contractus, 571. Ejus commoda & utilitates, 597. Non impedit Verbi Dei Ministros, quò minùs sacra rite obire queant, 645.

Consecratio Eucharistiæ ab Apostolis ad Orationis Dominicæ recitationem fiebat, 210.220. Non submissa, sed perceptibili voce fieri debet, 288. In Veteri Ecclesia clara voce fiebat, 301.

Consecratio Agni Dei ex Ceremoniali Romano petenda, 865. Ut & imaginis Beatæ Mariæ, ibid.

Consecratio Tabernaculi Mosaici speciali Dei mandato nixa fuit, 991. simplex fuit, 992.

Consensus Parentum ad matrimonium filiorum necessarius est, 564. 585. seq. Non sufficit contrahentium, 592.

Consilia Evangelica Papistica confutantur & exploduntur, 1025. seq. 1075.1080. seq. Apostolica præceptis non contradistinguuntur, 597.

Constantinus M. suam ipsius imaginem Romæ locavit, 884. Imagines non locavit in templis adorandas, ibid. Nec crucem ulli templo intulit adorandam, 885.

Constitutionum Apostolicarum ἀ- θεία ostenditur, 1140.1148.

Contactus nihil sanctificat, 1173.

Continentiæ votum non impedit matrimonium, 544. Nam in conjugio etiam locum habet, 643. Monasticæ votum examinatur, 1027. pluribus argumentis refellitur, 1030.1052.

Coptitæ hodierni in lingua Vernacula sacra sua peragunt, 285.

Corona Sacerdotum Papalium Coronæ Christi opponitur, 401. quo sensu olim per coronas adjurati? 407.

407. Quo sensu Hieronymus Sacerdotes, & S.Paulus Philippenses suam coronam appellarit? 409.
Corpora piè defunctorum in V. & N. Test.terræ mandata fuerunt, 830. 832.
Corpus Christi mysticum quale sit? 415. in S. Cœna exsangue intelligitur,79. Corpus & sanguis Christi in cruce separata fuerunt, 81.
Cotonus ex Diabolo percontatur, quis Scripturæ locus aptè purgatorium probet,697.
Crucifixum Florentinum ab Inquisitione captivum detinetur,882.
Crucis signum alloquitur Thomam Aquinatem,882.892. Ejus cultus & usus demum post tertium seculum in Ecclesiam fuit invectus, 894. 885. Ejus inventio Helenæ tributa fabulosa est, 972. 975. Ejus fragmenta infinita passim ostenduntur, 975. Non est latreuticè colenda, 976.
Cucullo Monachali nulla inest sanctitas,1034.
Culdei Scoticæ Ecclesiæ Presbyteri fuerunt,445.
Cultus externus Ecclesiæ Rom. ex Judaismo & Ethnicismo consarcinatus est, 239. Ejus splendor non convenit cum simplicitate Apostolica,240.
Cultus Dei nullus datur intermedius, qui nec Divinus nec humanus sit, 754. 755. A Scholasticis variè distinguitur,894. Ejus in absolutum & respectivum, terminativum & transitivum distinctio exploditur, 834.seq. 868.869.894.908.917.974.
Curare ea, quæ Domini sunt, quid significet? 602.
Curiales Romani reformationi Ecclesiasticæ sese opponunt,1184.seq.

D

Dalmaticæ Vestis Episcopalis inventum novum est,241.
Dallæus laudatur & vindicatur, 314. 463. & passim. Idem multis ex antiquitate argumentis imaginum cultum impugnat,878.
Damianus Papa Mediolanensem Ecclesiam ad rejiciendam Ambrosianam Liturgiam cogit,217.
Daniel cap. X. 2. non fecit delectum ciborum religionis aut meriti ergo, 1134. jejunando ab omni cibo abstinuit,ibid.
Datarii Papales qui & quales sint? 549.
Decalogus à Pontificiis mutilatur, 869.
Decreta Concilii Trid.cur duplicem plerumque sensum admittant? 1261.
Decretales Paparum aliquot νοθείας arcessuntur,308.309.
Dedicatio templorum Pontificiorum superstitiosa est, 992. æmula Gentilium,ibid. Miraculosæ dedicationes fabulosæ,ibld.
Defunctis S. Cœna nihil prodest,191.
Degradatio Clericorum quid sit? 389.
Depositio Clericorum ab eorundem degradatione quomodo differat? 389.

Descensus Christi ad inferos nihil profuit Purgatorianis,719.
Desertio malitiosa est causa legitima divortii, 577. ast non faciendi, sed patiendi,582.
Desiderium mulierum quid Dan.XI. 37? 626.
Destructiva mutatio in Missa nulla fit, 116.&c.130.&c.132.&c.
DEUS. Dei nomina & attributa quædam cur creaturis & quomodo communicabilia sint? 756.814. Ejus Essentia à Sanctis cœlitibus videri nequit,798. DEUS & S.S. Trinitas nulla imagine effingi potest, 867.868.897.899.
אלוה נכר Deus peregrinus Dan.XI. 39. quis sit? 1217.
Diabolus tentans Christum non λατρείαν stipulatus est,757.
Diaconi quales primùm fuerint, qualésque postea facti sint? 367.378. Eorum officium in Eucharistiæ celebratione,380.382. Eorum nomen quibus in Ecclesia tribuatur? 414. Eorum Electio ad totam Ecclesiam pertinet,471.
Diei Dominicæ seu solis determinatio an speciali præcepto ad publici cultus exercitium opus habuerit? 930. Ejus morale & ceremoniale distinguenda, 1143. Ejusdem celebratio quibus rebus perficiatur? 1165. Ad quid ab Apostolis institutus,1171.1173.
Dierum distinctio in N. T. nulla est observanda,1142.1162.11.65.
Διγάμῳ an Episcopo esse liceat? 650. 651.
Dii Gentilium à locis vel beneficiis præstitis denominabantur,782.
Diligere perfectè Deum & Proximum, est legem implere,1076.
Diœcesis à Parœcia quomodo differat? 460.
Dionysiani in Gallia fani dedicatio, 1000.
Dionysius Areopagita primus Hierarchiæ in Ecclesia meminit, 411. 431. Recentior quinti seculi scriptor est, 432. Νοθεία ejus ostenditur,433. seqq. Non est author librorum de Hierarchia Ecclesiæ, sed alius,1084. Ejus corpus & in Gallia prope Lutetias, & Ratisbonæ ostenditur,844.854.
Discernere corpus Domini quid sit? 290.
Disparitas religionis an sit idonea causa matrimonium contractum dirimendi? 457.578.
Dispensare contra jus naturæ solus Deus potest,563.
Dispensationes Papales perstringuntur,337. circa Sacramenta vel universales vel particulares sunt,550. sunt pecuniæ aucupium, 548.560. Contra legem moralem & naturalem fiunt, 559. ab Apostolicis dispensationibus plurimum differunt,1111.
Dissecare sanguinem Christi non oportet,1112.
Dissensus Pontificiorum Doctorum maximus ostenditur in determinando

do Ordinum numero, 375. Circa Matrimonium, 529. &c. utrum lex cœlibatus Divino an Ecclesiastico jure nitatur? 642. in dogmate de Purgatorio, 711. &c. In doctrina de cultu imaginum, 888. 889. 890. 892. 910. De ortu & usu indulgentiarum, 1090. De earundem effectu, 1091. 1095. seq. 1097. In tota indulgentiarum doctrina, 1104. Quid sit per modum suffragii indulgentias concedere, 1107. In definitione Indulgentiæ &c. 1115.

Distinctiones Scholasticorum variæ eluduntur, 894.

Distributiones quotidianæ in Ecclesia quid olim fuerint? 57. 58.

Divi fictitii & chimerici Pontificiorum, 765. 768. 843.

Divinum jus & ordinatio Divina an & quomodo distinguantur? 451.

Divitum erga pauperes officium, 1016.

Divortia cur & quomodo in V. T. concessa fuerint? 538. 539. Divortia in Codice Justinianæo concessa à Concilio Trid. damnantur, 509. Ob adulterii casum licita esse fusè probatur, 564. seqq. An plures alias ob causas fieri possit, disquiritur, 577. seqq.

Doctores Ecclesiæ, eorumque doctrinæ per ignem quomodo probentur? 732.

Doctrina Dæmoniorum explicatur, 624.

Dogmata à prædicatione seu doctrina distinguuntur, 302. 303. à Præceptis quomodo differant? 558. Papalia sunt ἐθελοθρησκεία, 647. Hierarchiæ stabilimentum, 648. Eorum definitio in Concilio Trid. carbonaria fuit, 1256.

Δογματίζεσθαι juxta illud Col. II. 21. quid? 647. 1125. 1126.

Dominatione omni Ecclesiæ ministris interdictum est, 413. 414.

Dominium Dei & hominum quantum differt? 757. 813. Paparum perstringitur, 414. 418.

Dona & charismata Dei varia sunt, 604.

Dona, munera, sacrificia in S. Cœnæ celebratione qualia in Veteri Ecclesia fuerint? 215.

Dormitio, seu sacrificium pro dormitione olim quid fuerit? 201. 202.

Dudithii de concedendo calice Oratio, 102.

Duella sub anathemate à Concilio Trid. prohibentur, 694.

Δουλεύειν per λατρεύειν octies in S. Scriptura redditur, 756.

Durandi Oratio ante Veronicæ imaginem, 833. 837. Idem Indulgentiarum abusum reprehendit, 1103.

E

Ecclesia non habet potestatem mutandi ritus à Christo institutos, 77. 78. Quæ Matth. XVIII. 16. intelligatur, 467. Est sola potestatis clavium idoneum subjectum, ibid. Ejus judicium quale sit? 469. Jus habet eligendi Pastores, 470. 471. 476. An matrimonia clandestina dissolvere possit? 510. Quales leges

ferre possit? 644. Quomodo Scripturæ sensum demonstret? 1195. Nullum tempus sanctum facere potest, 1173. Ejus indigentia indulgentiarum causa fuit, 1099.

Ecclesiæ Occidentales cur sacra sua latinè celebrârint? 285. cur & quando ab Orientalibus secessionem fecerint? 287. Orientales sacra sua vernacula lingua peragunt, 285. Canonem Rom. nunquam receperunt, 219. 224. Nec ritus & ceremonias missales, 230. 232. Earum regimen, 420.

Edessanæ Imaginis Christi nulla fit apud priscos mentio, 878.

Edere corpus & libere sanguinem Christi quomodo oporteat? 291. 292.

Einsidlensis sacelli ficta dedicatio cœlestis arguitur, 987. &c. Thaumaturgæ ejus miracula arguuntur, 962. 963. Peregrinatio fusè oppugnatur, 984. &c.

Ἐκβάλλειν, Ejicere uxorem quid fuerit olim? 633.

Eleemosynæ olim in S. Cœnæ celebratione offerebantur, 230.

Elias & Elisæus non fuerunt Monachi, 1059. 1061.

Elisæi corpus & ossa vim vivificam & miraculosam in se non habuit, 847. 853. 855.

Emauntica Cœna non fuit Eucharistiæ sacramenti celebratio, 75.

Encænia Judaica festos dies N. Test. non probant, 1171.

Energumeni quomodo in primitiva Ecclesia fuerint liberati? 378.

Enoschus an Monachatum adumbraverit? 1059.

Epaphroditus an Philippensium fuerit Episcopus? 440.

Ephesinus Angelus Apoc. II. non fuit Episcopus Dioecesanus, 461.

Epheso Miletum accersiti Presbyteri Act. XX. 17. an totius Asiæ minoris fuerint? 461.

Episcoporum immediata à Christo institutio urgetur in Concilio, 323. De ea verò Patres diffident, 324. à Granatensi efficaciter urgetur, 324. Interrumpitur à Warmiensi, 325. Ab Alliphiensi defenditur, 328. Et à Gallis, 329. Papa mandata edit contra eam, 330. 331. Titulares Episcopi perstringuntur, 337. Divina Episcoporum institutio Papatui jugulum petit, 342. 345. Episcopi & Presbyteri soli sunt legitimè instituti Ecclesiæ Ministri, 371. 412.

Episcopi ordinandis Spiritum S. conferre nequeunt, 391. An jure Divino superiores sint Presbyteris? 436. &c. 448. Nuspiam ἱεράρχαι, potiùs ἀρχιερεῖς appellantur, 431. Veri nominis tales quinam sint? 438. Olim nonnisi πρωτοκαθεδρίας jure à Presbyteris differebant, 443. 449. Eorum prælatura supra Presbyteros non manat ab Apostolis, 463. Eorundem immediata institutio à Christo quænam consectaria habeat? 451. Episcopi Pontificii à Veteribus plurimùm differunt, 452. Eorum vitia perstringuntur, 453.

Eorun-

Eorundem munus ostenditur, 454.
Episcopi titulares fusè oppugnantur, 489. &c. Utopici, Nullatenenses sunt, 492. Munere Episcopali non defunguntur, 493. Diœcesi non attendunt, 493. Vitulares potiùs sunt, 494. Eorum munus est Prædicatio, 521. In Veteri Ecclesia in conjugio vixerunt, Exempla, 638. Imo licet ipsis esse conjugatis, 649. 650. Pontificii sesupra potestatem secularem extollunt, 692. Alios excommunicandi jus non habent, 693. Papæ muli sunt clitellarii, 1196.
Episcopi in Concilio Trid. Papæ fuerunt mancipia, 1190. 1192. Rudes plerique, infames & impii fuerunt, 1190. Judices esse non potuerunt, 1192. Eorum potestatem, Divináne an humana sit, Concilium nunquam definivit, ibid. 1193. Cur in Curiales & Transmontanos, imò in tres factiones fuerint divisi? 1257.
Epistolæ Christi ad Abgarum incertitudo panditur, 878.
Equi cursorii Spiritum S. Româ Tridentum deportant, 1258.
Erasmi de vocatione Sacerdotum querela, 348.
Eremitæ girovagi, vagabundi olim appellabantur, 1012.
Eremitana Peregrinatio cur olim à Tigurinis frequentata fuerit? 934. eadem peregrinatio fusè impugnatur, 984. &c. *Vide Einsidlense Fanum.*
Erronei & infirmi tolerandi & corrigendi sunt 1202.
Esavus an sine parentum consensu matrimonium contraxerit? 589. 590.
Espencæus laudatur & vindicatur, 1193. & passim.
Esseni an & quales fuerint Monachi? 1060. ex Philone dilucidatur, 1062.
Ἐθελοθρησκεία Pontificiorum varia demonstratur, 647.
Ethnici cultum suum non in idolis, sed in Numine terminari dixerunt, 875.
Evagrius primùm imaginem Christi prodidit, 878.
Evangelia aliter apud Veteres, aliter apud Pontificios hodie prælegun tur, 229.
Eucharistiam sub utraque specie pro solis Apostolis & Sacerdotibus à Christo fuisse institutam, Jesuitarum blasphemia est, 51. 52. Quo eam Patres animo & fine infantibus porrexerint? 54. In primitiva Ecclesia infirmis & moribundis quomodo fuerit exhibita? 84. Non sub sola panis specie, 86. Quo sensu *Sacrificium* dici possit, 114. &c. 138. 140. seq. 180. Non est sacrificium propriè dictum, 114. seq. Quibus intervallis paulatim in Missam Papalem degeneraverit? 138. seq. Quando Missæ nomine appellari cœperit? 114. fuit Convivium à Christo Paschali convivio succenturiatum, 249. Inde à Paulo vocatur Δεῖπνον, 251. 252. Ejus variæ appella-

lationes apud Veteres, 255. Ejus consecratio perceptibili voce fieri debet,288.seq.
Eunuchi Esaj. LVI. 5. quales intelligantur? 594. Et Matth. XIX. 12. quales? 611.
Europa in Sacris nomine *Insularum* venit,1215.
Eustathius & Eustathiani quinam fuerint? 635.
Excelsa V. Test. qualia fuerint loca? 941.
Excommunicandi jus cui competat, 690.693.
Exempla ad imitationem proposita Divini præcepti vim includunt, 475.
Exorcistæ veri in Ecclesia Romana nulli sunt, 371. Quinam olim fuerint? 378. Ad tempus eorum status durabat,381. Degenerabant in magos,ibid.
Expurgatorius Index Rom.criminis falsi arguitur,884.
Exspectativæ gratiæ in Concilio damnantur,523.

F

Faber, *Vide Guido Faber.*
Fabulosis narrationibus cur aliquando etiam Viri graves fidem adhibeant? 975.
Facere non est sacrificare,115.118.120. 170.
Facite hoc ad mei recordationem: verba hæc non ad solos Sacerdotes restringenda sunt,73.74.115.
Felicis & Regulæ reliquiæ quomodo fuerint repertæ Reformationis tempore? 844.
Ferdinandus Imperator cur à Papa Pio IV. vocetur *Electus*? 6. Ejus de Concilio Trid. indicto sententia, 10.11.14. Legatorum ejus postulata,17.18. Ejusdem sinistra de Concilio Trid.opinio,332. Querela ejus de Concilio,341. Ejus ad Papam literæ, 347. indignè acceptæ,ibid.
Ferrerius Orator Gallus pungentem in Concilio Orationem habet,327. Ejus protestatio contra præcedentiam Oratoris Hispani, 339. De Concilio querelæ, 340. Reformationi Principum acriter se opponit,512. Episcopos illiteratos falsè perstringit,512.517.
Festa Hierosolymitana cur Apostoli celebrârint? 956.seq.
Festa Pontificia fusè disceptantur, 1159.seqq. Nec à Christo,nec ab Apostolis instituta sunt,1160.seq.Festa propriè dicta in N. T. nulla obtinent,1162.Eorum descriptio,1163. Festa Pontificia sunt superstitiosa, 1165.Veteri Ecclesiæ ignota,1166. Noviter demum instituta,ibid. De eorundem multitudine,& abusu in ipso Papatu querelæ,1168.1170.
Festum Purim non probat jejunia stata Pontificiorum,1150.1171.
Fideles sunt vera & viva Templa Dei, 939.940.943.
Fidem primam irritam facere 1.Tim. V.11. quid significet? 615.616. Non intelligitur votum cœlibatus, 616. Neque fides in Baptismo data,618.

Fides informis an sit Hierarchiæ Pontificiæ forma? 416.
Figuræ corporeæ, in quibus Deus in V. T. sanctis apparuit, non ejus adumbrarunt essentiam, 898.
Figuræ in Templo Solomonis quid notârint? 902. Non religiosè colebantur, ibid.
Filii dum subsunt parentibus, non sunt sui juris, 584.
Filius hominis in sacris quis intelligatur? 911. Filius Dei quomodo sit character subsistentiæ Patris? 388.
Fines quomodo faciant actionum discrimina, 219.
Focaria mulier qualis fuerit? 654. 661.
Fornicatio à Monachis matrimonio præfertur, 1016.
Fractio panis, & frangere panem, quid passim in sacris notet? 76.
Francisci conformitas blasphema, 788.
Francofurtensis Synodus imaginum cultum damnat, 908. 917.
Fratriam ducere an repugnet juri naturali? 563.
Fratrum & sororum nuptiæ naturali, an positivo juri repugnent? 559. 561.
Furfæi visio purgatorii ignis, 713. 715.

G

Galli quo loco Concilia Pontificia habeant? 37. Calicis Eucharistici usum omnibus permitti petunt, 47. multa de Concilii servitute & mala fide conqueruntur, 97. 98. 99. 100. Papæ potestatem in Concilio coërcere constituunt, 101, 102. Plura queruntur de Concilio, 322. Ab Hugonio produntur, 328. Episcoporum Divinam Institutionem propugnant, 329. Reformationis capita triginta quatuor exhibent, 330. Queruntur de prensationibus Concilii, 331. Non admittunt thesin, quòd Papa curam habeat regendi Ecclesiam universalem, 332. Reformationem urgent, 335. Desperant de fructu ex Concilio deportando, 336. Concilium Trident. rejecerunt, 1219.
Galliæ Rex Tridentum Concilio habendo deligi non vult, 9. Novum Concilium indici vult abolitis Tridentinis decretis, 10. 14. Literis ad Oratorem suum datis de Concilio conqueritur, 340. Se reformationi Principum opponit. 511. 517.
Gallicana vetus Ecclesia officia Divina aliter quàm Romana celebravit, 219. Primitùs à Presbyteris regebatur, 442. 445.
Γὰρ particula consecrationis canoni intrusa, 213. 214.
Generales ordinum sunt Papæ apparitores, 1024.
Genethliaci dies observant, 1143.
Gentiles sacra sua occultabant, 295. Eorum Sacerdotes in varios distinguebantur ordines, 398. Id non à Natura, sed à superstitione habuerunt, 369. Reliquiarum cultores fuerunt, 841. Eorum sacra & ritus in Ecclesiam Rom. invecti sunt, 780.
Gentilismus in Missæ demurmuratione

tione incruſtatur,295. Purgatorium peperit,709.
Georgius Ataides Luſitanus Miſſam ex Verbo Dei probari poſſe negat, 98. ſeq. Reſpondet ad argumenta pro Miſſa ex Verbo Dei objecta, 151.156.172.
Germani Cœlibatus legem ſerò & inviti acceperunt,631.
Germanus ὑποβολιμαῖος, 406. 408.
Gerſon perfectionem Chriſtianam in tribus illis votis monaſticis conſiſtere negat,1053.ſeq.
Gloriam Dei incorruptibilis mutare in ſimilitudinem hominis, &c. quid ſit? 874.
Gloria Chriſti poſt paſſionem qualis fuerit? 977.978.
Gnoſtici cur inter Hæreticos numerentur? 877.884.
Goel non eſt angelus creatus,803.
Gomorrhæus Damiani qualis fuerit liber? 628.641.
Gonzaga Cardinalis Concilii Trid. Præſes,10.
Gothi in Hiſpania Mozarabica liturgia uſi ſunt,285.
Gothicæ Eccleſiæ primus Epiſcopus Ulphilus fuit,442.444. Ante eum à Presbyteris regebatur,ibid.
Gradus quinam matrimonium impediant? 541.ſeq. Divinitùs prohibiti diſpenſari à nemine poſſunt, 556. &c. Papa tamen diſpenſat: Exempla,559.
Gradus pœnarum quales Chriſtus Matth.V. Judicium,Synedrium & Gehennam indigetet? 725.
Græci ad Concilium Trid. non vocantur,26.510.1218. Eorum mos ex præſanctificatis communicandi, 88. ſub utraque fiebat,ibid. Euchariſtiam clara voce conſecrabant, 294. Divortium admittunt, 510. Cœlibatum obtrudi ſibi paſſi ſunt, 631. Hodierni Purgatorium an credant? 745.746. Veteres Deum Hominis imagine coluerunt,874. Diverſum jejunandi morem obſervârunt, 1148. Recentiores μοναχομανοῦντες,1033. à Leone Allatio arguuntur,1032.1034.
Granatenſis Archiepiſcopus Verba Chriſti Joh. VI. de Sacramento agere negat,48. Urget Reformationem,324. Cumprimis Divinam Epiſcoporum inſtitutionem,325.
Gratia gratis data à gratum faciente diſtinguitur, 354. Hæc à ſolo Deo confertur,395. Illa etiam eſt donum Spiritus S.390.
Gratia Dei nulli loco etiam conſecrato alligatur,939.
Gregorius I. Purgatòrii architectus 735. inſignis fabulator fuit,858.
Gregorius VII. linguæ vernaculæ uſum in Euchariſtiæ celebratione prohibuit,276.
Guadicenſis Epiſcopus ob aſſertionem,quòd Epiſcopi legitimè dentur, à Papa non inſtituti, malè habetur, 328. In Epiſcopos titulares invehitur,337.
Gubernationes in Eccleſia quales Deus eſſe voluerit? 430.431.
Guidonis Fabri Oratoris Galli oratio

actis in Concilio Trid. habita, 34. 35.36. Ex Concilio discedit, 100.
Gutta unica sanguinis Christi an sufficiat redimendis omnibus hominibus? 1109.1110. Fusè refellitur hæc sententia, 1111.

H

Habessinorum Liturgia à Cassandro latinè reddita, 285.
Habitare quomodo Deus dicatur in Templo, inter Cherubim, in Cœlo, &c. 901.905.
Habitare Christum repræsentativè in locis consecratis falsum est, 939.
Hadriani VI. de Pontificum miseria vox, 8.14.
Hæmorrhousa mulier miraculosè sanata, 851.852.
Hæresis olim in bonam partem sumebatur, 774.
Hæreses orthodoxis à Papa impinguntur, 1234.
Hagiolatria Pontificiorum cum Gentilium simili comparatur, 782.
Hartmannus *Christophorus* annalium Einsidlensium scriptor citatur, 987.
Hebdomadarium jejunium Pontificiorum impugnatur, 1158.
Helena Constant. M. uxor an genuinam Christi crucem invenerit? 973.975.
Helena Concilii Trident. qualis fuerit? 1256.
Hermanni Contracti testimonium de Einsidlensis Sacelli dedicatione est adulterinum, 997.
Hierarchia Ecclesiæ Rom. qualis? 366.410. seqq. Perstringitur fusè, 412. seqq. Ejus membra & gradus, 384. an ex Ordinibus constet? ibid. An ejus forma sit fides informis? 416. fusiùs disceptatur, 410. seqq. Eam peperit non Christi, sed Romuli genius, 420. Nullam habet formam, 414. seq. Unitas ejus nulla est, 415.416. Non est corpus Christi, 416. Ejus vera forma definitur, 417. Ejus origo & progressus, 417. Utrum ad Ordinem, an Jurisdictionem pertineat, dissentiunt, 425. &c.
Hierosolyma cur religionis ergò visitari non debeat, vide Hieronymi rationes, 951. Cur verò Apostoli festa ibi celebrârint? 956. 957. Peregrinatio illuc pluribus impugnatur, 966. seqq. Templum Hierosolymitanum quomodo Dei fuerit habitaculum? 939.
Hierosolyma cur impura dicta fuerit? 970.971.
Hildefonso vestis sacerdotalis cœlitus missa dicitur, 241.
Hispani de Papæ in Concilium Trid. tyrannide conqueruntur, 28.34. Non mereri hoc Concilium legitimum dici ajunt, 37. de Italis Pontifici nimiùm obnoxiis & Concilii servitute conqueruntur apud Regem, 99. Urgent Episcoporum Residentiam, ibid. Reformationis articulos scripto exhibent, 324. Urgent dogma de Divina Episcoporum institutione, 325. Monentur à suo Rege, nequid in Papæ præjudicium tentent, 326. Cum Gallis de

Præcedentia contendunt,336.439.
השתחוה quid significat? 834.
Hoc facere dum Christus jussit, Ordinationem non instituit Sacramentum,360.
Honestas vestitûs commendatur 1031.
Honor religiosus à Pontificiis Sanctis suis tributus soli Deo debetur,815.
Hortensius Landus scripsit libellum de Barbarum persecutione,402,
Hosius *Stanislaus* Concilii Trid. præses,11.
Hugonius Episcopos Gallos prodit, 328.1258. Corrumpitur ab Episcopo Ventimigliensi,ibid.
Hydruntinus Episcopus impudens est causæ Papalis Hyperaspistes, 1200.
Hymnus Angelicus quando in Missa cantari cœperit? 246.247.
Hypatius primus Areopagitæ scripta rejecit,432.434.
Hypotheses vel Hypotheticæ locutiones non semper quid vel soleat, vel fieri possit,supponunt,793
Ὑστερήματα τῶν παθημάτων Christi adimplere quid sit? 1108.

I

Jacobi, Andreæ, & Hermæ scripta apocrypha purgatorium conceperunt,709.
Jacobus Apostolus Episcopus Hierosolymitanus ordinatur, 450. Ejus Liturgia supposititia est, 185.
Jacobi Patriarchæ matrimonium an legitimum fuerit? 590.591. Se post obitum invocari nuspiam mandavit,803.
Jason scriptor libb. Macchab. quis fuerit? 196.
Iconomachi veteres,886.
Idola Paganorum qualia fuerint? 874.
Idololatria Gentilium cum Pontificia confertur, 782. Judæorum in vitulo qualis fuerit? 781.782.
Jejunium Ecclesiasticum quid? 1121, Ejus absurda Pontificiorum definitio, 1122. Ab ipsis Pontificiis Scriptoribus carpitur,1128.1157. Jejunandi apud veteres ritus,1128.seq. Pontificium veri jejunii ludibrium est,1129.seq. 1157. Jejunii veri causæ,1144.
Jejunia stata impugnantur,1141.seqq. 1148.V.T. jejunia non stata & perpetua fuerunt, 1151. si stata fuerunt in Veteri N.T. Ecclesia,alio quàm in Ecclesia Rom. modo celebrata fuerunt,1155.seq.
Jephtæ votum examinatur, 610.611.
Jessæi qui fuerint? 1067.
Jesuitarum Ordo Papæ ipsi formidabilis est,640. Privatas Missas abrogant,262. Professi paupertatem simulant, 690. Opulentissimi sunt, 691. Jesuitarum artes ipsi Pontificii scriptores produnt, 692. Iidem præ cæteris in Concilio Trid. strenui Aulæ Papalis propugnatores fuerunt,1257.
Ignatii Epistolæ supposititiæ habentur,412.
Ignis transitorius veterum,737.
Ignis qualis 1. Cor. III. 12. intelligendus? 729.seq. De eodem variantes Patrum opiniones,735.737.seq.

Ignorantia mater est devotionis Pontificiæ, 287.
Ἱλάσκειν & propitiationem & impetrationem significat, 787.
Illiterati Episcopi perstringuntur, 355.
Imaginum cultus fusè impugnatur, 864. seqq. Est idololatria, 869. Superstitio, 871. In S. Scriptura prohibetur, 866.
Imagines nec propter se, nec propter exemplar colendæ sunt, 872. Vitam non habent, 873. quomodo cum prototypis idem sint? 186. Imagines non esse religiosè colendas Syllogismo demonstrativo evincitur, 894. Earum adoratores idololatræ sunt, ibid. 876. An Laicorum sint doctores? 906. Earum usus historicus quis? 906. 907.
Imago Christi & crucis ante Concilium Generale VI. nulla fuit, 876. Quæ ad Abgarum missa dicitur, fictitia est, ibid. Hodiernæ Christi imagines dissimiles sunt, 877. Ejus imaginis Historia incerta est, 878. Eam colere olim hæreticum putabatur, 877. 884.
Imago Dei quæ & qualis sit? 895. Solus homo Dei imago est, 897. Omnes aliæ Dei similitudines in S. Scriptura prohibitæ sunt, 898.
Immunda Hierosolyma cur dicatur? 971. *V. Hierosolyma.*
Impietatis documenta in Missæ ceremoniis, 228.
Impuritates ex Cœlibatu Clericorum, 606. pluribus perstringuntur, 639. 640. seqq. *V. Sacrificuli.*
Impletio legis requirit perfectam Dei & proximi dilectionem, 1026.
Imputatio satisfactionum humanarum ad justificandum peccatorem blasphema est, 1108.
Incestus nomina moralem turpitudinem notant, 557.
Incesta matrimonia à Papis dispensantur, 559.
Index librorum prohibitorum fusè disceptatur, 17. 19. 20. 21.
Indices Expurgatorii unde & quando orti sunt? 21. Corruptorii sunt, 22. 23.
Indulgentiæ Papales fusè impugnantur, 1085. seqq. Impiæ sunt, quia peccata eorúmque pœnæ à Deo gratis remittuntur, 1086. Nituntur falsis & impiis hypothesibus, 1087. Earum origo incerta est, 1089. 1090. Adulterant claves regni Cœlorum, 1091. Indulgentia Papalis definitur, 1090. Novum est Paparum inventum, ibid. 1097. seq. Enervant studium pietatis & resipiscentiæ, homines securos reddunt, 1092. Quænam earum beneficio relaxentur, 1093. De hoc ut & aliis earundem effectis ipsi Doctores dissentiunt, 1090. seq. 1097. seq. Imò tota earum doctrina incerta est, 1104. Definire nequeunt quid propriè sint, 1115. Ecclesiæ primitivæ consensu destituuntur, 1096. 1120. Reformationi ansam dederunt, 1097. Earum multi abusus panduntur, 1100. seq. Sugillantur ab

ipsis Pontificiis scriptoribus, 1101. Dissensus denuo notatur, 1104. seq. Promittunt, quod præstare non valent, 1106. Nihil dum de earum quidditate definitum est, 1115. Cur Romæ potiùs quàm Hierosolymæ locatæ sint? 974. Earum absurditas, 705.
Infantibus cur olim Eucharistia fuerit exhibita? 84. 87. Quid de hoc statuerint Patres nonnulli? 54.
Initiandi sacris quis fuerit Veterum mos, 266.
Initiatio vasorum sacrorum, 241. Pontificiorum hodierna nec à Christo, neque ab Apostolis tradita est, ibid.
Inquisitio Hispanica Indices expurgatorios facit, 22. se supra Concilium effert, 31.
Insufflatio Christi Joh. XX. 22. qualis fuerit actio? 352. Bellarmini de eadem sententia, 354.
Intercessio non importat adorationem seu invocationem religiosam, 790. Non Sanctorum, sed sola solius Christi intercessione juvamur, 205. Sanctorum intercessio non nititur eorum meritis, 805.
Intentio quomodo actionem discriminet? 229. non sufficit ad cultum Dei, 845. 911.
Invocare nomen Domini quid? 1060. non notat sublimius aliquod religionis institutum, 1061.
Invocatio Sanctorum oppugnatur, 749. seqq. Ejus origo & progressus ostenditur, 768. seq.
Jobus sanctos non invocavit, 806.
Johannes Baptista non fuit anachoreta, 1067. seq. Ejus vivendi ratio non probat jejunia Pontificia, aut ciborum delectum, 1135.
Johannes Apostolus an mitra sacerdotali indutus fuerit? 237. 242.
Johannes VIII. Papa Moravis sacra sua vernaculè peragere permittit, 274. 276.
Johannis XXII. Papæ Bulla manicarum monachalium controversiam non potuit definire, 1032.
Jonadab Rechabita suis non interdixit vini potu ex Divino mandato, 1148. seq. Fuit institutum politicum seu Oeconomicum, 1149.
Josephi caligæ in reliquiis habentur, 855.
Irenæus Mariam Evæ advocatam quo sensu vocaverit? 825.
Irene cultu imaginum infamis, 886.
Ισάγγελοι quomodo cœlites sint, 788. 790. in quibus hominum cum angelis similitudo consistat? ibid.
Isidori Hispalensis Liturgia Toleti asservatur, 219.
Itali in Concilio Trid. causam Papæ vehementer sustentarunt, 1196. 1199 Triplo plures, quàm cœterarum Nationum Episcopi fuerunt, 1200. Episcoporum institutionem non immediatè Divinam, sed Papalem esse contenderunt, 1221. Erant mancipia Papæ, rudes, aulici, pecunia & muneribus ad suffragia augenda conducti, 1256. Novum Conciliabulum in Concilio instituerunt, ib.
Jubilæa Pontificia indulgentiarum nundi-

nundinæ ſunt, 1097. Quando & cur fuerint inſtituta? ibid.

Judæi Prophetarum reliquias coluerunt, 841. Primis Chriſtianis imaginum cultum nunquam objecerunt, 882. eorum דין & כרת quid fuerint? 724.

Judaiſmus & Gentiliſmus in Papiſmo incruſtantur, 339.399.408.

Judas Macchabæus an pro defunctis ſacrificari juſſerit? 194.195. Negatur & vindicatur, 196.197.

Judicia Judæorum דין & כרת qualia fuerint? 724.

Judicium Eccleſiæ in rebus fidei quale ſit? 469.

Jugum portare ab adoleſcentia ſua quid ſignificet? 607.

Julius III. Papa moritur, 8.

Juris Divini vox eſt Papæ ruina, 451. multa ſunt juris Divini, quæ naturalis non ſunt, 585.

Juſtinianus an Clericis nuptias prohibuerit? 630.

K

Κατακυριεύειν quid ſignificet? 414.

Κατεξουσιάζειν quid notet? 414.

Keiſersbergii vox de Indulgentiis, 1119.

Κομᾶν quid ſit? 402.

Κεῖρμα & *κατάκειρμα* quomodo differant? 616.618.

L

Labor manualis Monachis etiam convenit, 1045. quinam labores ſint hodiernorum? 1046.

Lac B. Virginis multis in locis aſſervatur, 842.855.

Laicorum Doctores an ſint imagines? 905.

Lainezius Jeſuitarum Generalis reliquis Ordinibus de præcedentia litem movet, 100. Epiſcoporum divinam impugnat inſtitutionem, 325. impudens ejus pro Papa Oratio, 338.428. Chriſti & Papæ tribunal idem eſſe contendit, ibid.

Lancianenſis Archiepiſcopus à Legatis Romam mittitur conciliandi Papæ gratiâ, 43.45. cum mandatis remittitur, 45.

Landſpergii de Jeſuitarum ſimulata paupertate vox, 691.

Lanſaci Gallici Legati literæ ad Concilium, 31. Idem comparet in eo, 34. Ei Papa ſuccenſet, 44. Vox ejus de Legatis Papæ & Concilio illudentibus, 100.

Latinæ linguæ in cultu divino uſus, 275. eadem lingua in Africa vernacula fuit, ibid. Ejus linguæ apud Orientales nullus eſt uſus hodie, 287. Ejus cognitio minoribus Ordinibus neceſſaria abſurdè ſtatuitur, 349.

Λατρεύειν & *δουλεύειν* pro uno eodémque ſumuntur, 757.813.

Latriæ cultus non competit Sanctis, 204.

Latriæ & Duliæ diſtinctio exploditur, 754. ſeqq. Fuſiùs 809. ſeqq.

Latro in cruce patiendo non meruit Paradiſum, 702.

Launojus Dionyſium Areopagitam *νοθείας* arguit, 411. Papæ jus concilia convocandi competere negat,

1189. idque tribus argumentis probat, ibid.
Lauretana peregrinatio fusè oppugnatur, 979. seqq.
Lauretum quomodo ex vili vico in splendidum oppidum excreverit, 983.
Lazari in sinum Abrahæ receptio evertit Purgatorium, 701. Corpus ejus pluribus in locis monstratur, 843.
Lectorum quodnam in Ecclesia officium olim fuerit? 378.
Legati Papæ in Concilio Trid. soli proponendi facultatem sibi arrogarunt, 1197. Quinam esse debuerint? 1253. Fuerunt Itali à Curia Papali penduli, rudes & ignari, 1254. Soli Spiritum S. in bulga acceperunt, 1259.
Legem Divinam in hac vita perfectè implere nullus homo potest, 1029.
Leges ferendi potestatem qualem habeat Ecclesia? 644.
Leges civiles consensum parentum in filiorum matrimoniis deposcunt, 586. Naturales omnes obligant homines, 556. Pertinent ad legem moralem, ibid.
Legenda aurea à Jacobo de Voragine consarcinata est, 710.
Λειτουργεῖν quid significet? 174. 175.
Λειψανολατρεία Patribus incognita fuit, 856. seqq.
Leo Tigurinus à Redingii cavillationibus vindicatur, 876.
Leriensis Episcopus à Granatensi Papæ mulus clitellarius insignitur, 335.
Leviratus lex jurisne naturalis an positivi fuerit? 563.
Lex Dei quatenus sit abrogata? 551.
Libertas Ecclesiæ non tollit Christi præceptum de Communione sub utraque, 69.
Libertati Christianæ repugnat Ecclesiæ Rom. dominium in obtrudendis suis dogmatibus & ritibus, 219. 220.
Libertas cibaria in N. T. concessa est in Verbo Dei, 1138.
Libertas Christiana votis constringitur, 605.
Liberatio ex Purgatorio per indulgentias absurda est Papæ respectu, 1107.
Liberius Papa Arrianus fuit, 1223. 1131.
Libri prohibiti. *Vide Index libb. prohibit.*
Librorum prohibitionis occasio, origo & varii gradus, 23. 24. eorum censura quibus commissa fuerit? 17.
Limbus an Zach. IX. 11. & Patrum inde liberatio intelligatur? 719. 720. pluribus refellitur, 793. 801. seq.
Linguarum donum Apostolus Eph. IV. 10--14. commendat, 281.
Linguæ peregrinæ usus in cultu Divino damnatur, 270. Ejus origo panditur, 276. 283. In pœnam datus est, 281.
Linguæ vernaculæ usus in cultu Divino ac in celebratione Eucharistiæ maximè necessarius est, 269. 270.

Linus,

Linus, Cletus & Clemens an primi Cardinales fuerint? 423.
Liturgiæ veteres vel ſuppoſititiæ vel miſerè interpolatæ ſunt, 179. 184. &c. Veteris Eccleſiæ ejuſdem libertatis documenta ſunt, 219. Apoſtolorum dictæ fictæ ſunt, 223. Ambroſianam Damianus Mediolanenſibus eripit, 217. Iſidori Hiſpalenſis Toleti ſervatur, 219. Chryſoſtomi fictitia eſt, 927.
Loca quædam δυσνόητα non totam Scripturam in rebus ad ſalutem neceſſariis obſcuram faciunt, 731.
Locorum diſcrimen in N. T. ſublatum eſt, 931. 953. 983. alius alio in ſe ſanctior non eſt, 930. ejuſmodi locorum ſanctitas cum fide aſcenſionis Chriſti in Cœlum conſiſtere nequit, 937.
Λόγος rem ſeu probationem rei per Hebraiſmum ſignificat, 580. 581.
Lojola conſumptis in bello facultatibus Ordinem architectatur, 1030.
Lombardus duos tantùm Ordines ſacros agnoſcit, 373. 375. ſibi ipſi opponitur, 377.
Loqui Deo qua lingua oporteat? 271. Myſteria Dei loqui juxta Apoſtolum quid ſit? 298.
Lotharingus Cardinalis Papatui Oecumenico infenſus eſt, 101. Cum Præſulibus Gallis in Concilium Trid. venit, 326. Guadicenſem Epiſcopum liberiùs locutum vindicat, 328. Romæ accuſatur, 329. Formulam decreti de Reſidentia format, ſed à legatis mutatur, 331. De Concilii prenſationibus queritur, 332. Ejuſdem variæ de Concilio querelæ, 334. Papæ ad eas indignabunda reſponſio, 374. Callidum Papæ conſilium ſuggerit, quo pacto ſe à Reformatione extricare poſſit, 335. De variis abuſibus diſſerit, 336. Poſt pacificationem Gallicam nutat, & Papæ partibus accedit, 337. Cum Hydruntino de ſuperioritate Concilii altercatur, 338. De Concilio conqueritur, 340. Animi ſui in deterius mutati cauſam reddit, 509. 515. Matrimonia clandeſtina impugnat, 510. Româ redit in Concilium, 512. Ejus cum Pontificiis arcta neceſſitudo, 515. De Concilii ſervitute graviter conqueritur, 1197.
Lucianus Martyr in carcere ſolus communicare noluit, 267. 268. Vindicatur, ibid.
Lugdunenſes Martyres ſanguine animalium abſtinuerunt, 1139.
Lugere & jejunare in ſacris ſœpe perinde eſt, 1144. 1153.
Lumen quale Româ ad Concilium Trid. tranſmiſſum fuerit? 1259.
Lunenſis Comes, Orator Hiſpanus ad Concilium venit, 335. Cum Gallis de præcedentia contendit, 336. Propoſito finiendi Concilii ſeſe opponit, 508. De ſervitute Concilii queritur, 510. 515. Abrogationem Decreti de ſolis legatis proponendi facultatem prætendentibus petit, 512. 513. Ejus cum legatis velitationes, 515.

Lussi Helvetiorum Orator in Synodo comparet, 27. Ejus nomine Adamantius probrosam orationem habet, ibid. Eadem perstringitur, 31.

Lutherus vindicatur, 861. & passim. Constantiense Concilium Nonobstantiense appellat, 71. Ejus optima Indulgentiæ definitio, 1115.

Luxuriari in Christum 1. Tim. V. 12. quid sit? 616. 617.

M

Macedonianæ mulieris in percipiendo sacro pane fraus detecta, 83. 86.

Maccabæi in desertum secedentes Monachatum non præfiguraverunt, 1059. Idem examinatur & explicatur fusiùs, 1062.

Madrucii de Concilio querelæ, 340.

Magi olim secreta sua sileri volebant, 296.

Magistratus tabulæ legis utriusque custos est, 670. Matrimonialium causarum competens judex, 670. &c. Leges de Matrimonio ferre potest, 673. Vocantur dii, 1017.

Mandata Domini qualia 1. Cor. XIV. 37. intelligantur, 273. Dei sola sunt norma cultus Divini, 930 Qualia Concilio Trid. à Papa missa? 345.

Manducatio Corporis Christi in Cœna qualis fiat? 191. Spiritualis & impropria est, 994. 997.

Manichæi an sub una specie in Eucharistia communicaverint? 83. Quibus nuptias vetuerint? 625. Cur certos cibos prohibuerint? 1124. Cum iis paria faciunt Pontificii, 1124. 1125. 1131.

Mantuanus Card. Concilii Præses à Papa delegatur, 11. Ei Curia Papalis succenset, 28. 44. 45. Cum Simoneta conciliatur, 97. Ejus liberæ de Concilio ante obitum voces, 333.

Manuum impositio an constituat Sacramentum? 351. Ea Apostoli ceu signo sacramentali non sunt usi. 353. An Ordinis sit essentialis? 359. Non est idoneum signum sacramentale, 360. Nec à Christo instituta in Sacramentum, 361. Gratia sanctificans per eam non confertur, ibid. Non est causa Charismatum Dei, 362. Variæ ejus distinctiones examinantur & exploduntur, 363. Non potest esse signum ullius Ordinis, ibid. Ejus usus in Veteri Ecclesia, 363. Quid Apostolorum tempore effecerit, 393. 459.

Marcellus II. Curiæ Rom. reformationem curæ habuisse videri voluit, 13. Ejus de dubia Salute Pontificum vox, 14.

B. Maria an cœlibatum voverit? 613. quo cultu olim à Collyridianis affecta fuerit? 775. Eodem etiam hodie à Pontificiis, 776. Quo sensu eam Irenæus Evæ advocatam dixerit? 825. Ejus reliquiæ ridiculæ, 855. Ejusdem imaginis consecratio ex Ceremoniali Rom. depromenda, 865. memorabilis est, 865. Imagines ad libitum pictorum pinguntur, 877. Ejus domus Lauretana, 979. Fabulosa est, ibid. In Josephi ædes fuit adducta, 980, Μαριολατρεία, 759.

Maria in sacris notant populos, 1215. 1216. sed non fideles, ibid.

Marinari παῤῥησία per vim reprimitur, 1197. 1198.

Martyrum memoriæ quando celebrari cœperint? 205. 772. Olim in Eucharistiæ celebratione commemorati, non invocati fuerunt, 207. Cur apud eorum sepulchra aliquando miracula facta fuerint? 858. Eorum corpora non ostentanda & adoranda, sed sepelienda sunt, 860. Quomodo apud veteres eorum memoriæ celebratæ fuerint, 1166. 1170. Non festa propriè dicta iis dicata fuerunt, 1176.

Martyres & pœnitentes in quibus apud veteres differant? 738. 739.

Matthæi ad Apostolatum electio per quos facta? 471.

Matrimonium. De eo variæ in Concilio moventur quæstiones, 509. seq. 518. seq. Trina promulgatio ejus sancitur, 518. Ejus testis non necessariò Sacerdos est, 518. An sit sacramentum? 524. De forma, causa efficiente &c. ejus inter Doctores Pontificios variè disceptatur, 529. seqq. Quo sensu Mysterium sit? 534. De ejus impedimentis fusiùs, 540. seqq. Ecclesiæ Ministris non est impedimento in obeundo cultu Divino, 245. Clandestina & sine parentum consensu inita fusè impugnantur, 583. seqq. An & quomodo preces impediat? 645. à Pontificiis Doctoribus sugillatur, 647. In vitiis numeratur, 650. Ejus prohibitio ad Papæ tyrannidem stabiliendam excogitata est, 641. 642. Continentiæ remedium est, 621. 631.

Matrimonialium causarum quis competens sit judex? 670. seqq.

Mediator inter Deum & homines unicus est, 759. solus Christus, 787.

Mediatorium Christi officium per Sanctorum invocationem grandi afficitur injuria, 758.

Mediatores Gentilium apud Deos suos duplicis generis fuerunt, 782.

Mediolanensis Ecclesia Ambrosianam consecrandi formulam omittere jubetur, 217. De trium Regum corporibus cum Coloniensi contendit, 718.

Medioliani Inquisitionis Hispanicæ tribunal Hispani introducunt, 510.

Medius inter vitam æternam & infernum locus nullus datur, 699.

Melchisedecus non sacrificavit panem & vinum, 151. 152. seq. Ejusdem sacrificii à Missa discrepantia, 158. Non habet successores sacrificulos, 170. seqq.

Membra Christi purgatoriis flammis non ustulantur, 198.

Memoriæ Sanctorum defunctorum quomodo fiant? 199. 200. 202.

Mendicantes Monachi contra Apostoli præceptum de laborando manibus propriis peccant, 1016. Ipsis scriptoribus Pontificiis ludibrio habentur, 1038. 1051.

Mensa Domini veteribus altare, sed non propriè dictum appellabatur,

labatur; 180. &c. 183. 189.
Merita Sanctorum aliis non possunt communicari vel prodesse, 760.
Meritum & mereri solius Christi est, 824.
Metaphoræ S. Scripturæ clarioribus locis explicandæ sunt, 731.
Metaphrastes vanissimus Græculus audit, 405.
Metropolitani unde orti? 417. 421. 430.
מקטר Miktar quale sacrificium notet? 164. 165.
מנחה Minchah quale fuerit sacrificium? 164. 165.
Ministerium, vel esse in ministerio notat aliquando celebrationem Eucharistiæ, 663.
Ministri Ecclesiæ nonnisi jam apti ordinandi sunt, 392. In Scriptura Angeli vocantur, 461. 462. Eorum vocatio non à solis Episcopis pendet, 466. seq. Eorum missio à Deo esse debet, 356.
Mirabilia Dei quomodo cognosci possint? 983.
Miracula conficta Pontificiæ religionis cariosa fulcra sunt, 304. 847. Apud reliquias Martyrum facta examinantur, 933. adorandi necessitatem nullam inferunt. 860. Pontificiorum falsa & ficta pleraque sunt, 959. 960. 964. Verorum finis quis? 963.
Miraculum apud Elisæi ossa cur factum sit? 847.
Miraculorum donum temporarium fuit, 954. idem explicatur fusiùs, 959. 960. Christi miracula varia recensentur, 983.
Missæ sacrificium fusè disceptatur, 114. &c. Vocis origo, 114. 145. Destituitur institutione Divina, 115. Sacrificii definitio ei non competit, 116. quia incruentum sacrificium est, 123. nulli ejus actioni competit formalis ratio sacrificii, 125. &c. Ejus origo & incrementa, 138. &c. Vera ejus causa panditur, 143. quæstui habetur, 144. 194. Absurda hujus dogmatis, 145. &c. 149. Christum operantem excludit, 147. Quomodo prosit Missa? 147. An & quorum peccatorum remissionem impetret? 138. pro bestiis & rebus sensu carentibus celebratur, 146. 148. Efficacia ejus sugillatur, 149. 193. pro defunctis oblata oppugnatur fusè, 190. &c. Missa in honorem Sanctorum an celebranda? 203. &c. Missæ privatæ fusè oppugnantur, 248. &c. peregrinæ in missa celebranda linguæ usus discutitur, 268. &c. secreta ejus pronunciatio oppugnatur, 288. &c.
Missa veteribus incognita fuit, 185. Ejusdem Ceremoniæ impietatis documenta præbent, 278. Missæ privatæ absurdè fiunt, 218. 248. &c. Earum origo, 256.
Missatici ritus non sunt Apostolicæ originis & traditionis, 234.
Missio Ministrorum Verbi Dei, 356.
Mitra Pontificalis Apostolis incognita, 237. Talem Johannes Apostolus non gestavit, 242.

Mixtura vini & aquæ in Euchariſtia refellitur, 306. 309. Exemplo & præcepto Chriſti deſtituitur, 310.
Moguntina Synodus Sanctorum Invocationem religioſam improbat, 784.785.
Monachatus fusè oppugnatur, 1011. ſeqq. Cum lege Divina pugnat, 1013. Homines authoritati humanæ ſubjicit, 1014. Schiſmaticus eſt, 1018. Hypocriticus, 1026.
Monachis bona immobilia poſſidere permittitur, 691. A Peregrinationibus religioſis cur eximantur? 950. Eorum nec vox, nec res in S. Scriptura occurrit, 1012. Ἄνομοι ſunt & ἄστοργοι, 1015. Fornicationem Matrimonio præferunt, 1016. Eorum paupertas hypocritica refellitur, 1026. Caſtitas atque veſtitus hypocriticus examinatur, 1027. 1029. ſeq. Moderni ab antiquis in quibus differant? 1037. Similes ſunt Sarabaitis, 1037. Turcicis Monachis, 1038. 1051. Eſſenis ſemi-Judæis, 1040. Hodierni cum veteribus fuſiùs comparantur, 1040. ſeq. Girovagi ſunt, ibid. Veteribus fuit laborandum propriis manibus, 1044. Quid hodierni laborent? 1046. ſunt homines merè animales, 1214. Cur iis ſuffragii jus in Concilio Trid. conceſſum fuerit, 1225. 1227. Ab iis quomodo differant inſtitutis ſuis Moniales? 1044.
Monaſteria olim ſeminaria erant Eccleſiaſtici Ordinis, 1037. vetera quædam laudantur, 1048.
Montaniſtarum & Papiſtarum jejunia ſimilia ſunt, 1130. ſeq. 1146. quot diebus in anno jejunârint, 1148. 1156,
Morale bonum quid ſit? 600. 601.
Morientes in Domino ſalvantur ἀπάρτι, 703.
Moronus Card. finem Concilii urget, 687.
Mors Chriſti ad conſummandam redemptionem neceſſaria fuit, 137. Ejus recordatio & annuntiatio non in mimica externa repræſentatione conſiſtit, 297.
Mortificatio carnis Monachorum & Monialium qualis ſit? 1022.
Moſchelim משלים in V. T. qui fuerint? 428.
Moſes cur libellum divortii Judæis conceſſerit? 539. Ejus corpus an poſt obitum ſplendorem ſervârit? 831.
Mozarabum Miſſa qualis? 231. 280. 281. Eorundem liturgia uſitata fuit etiam Gothis in Hiſpania, 285.
Muhammed jejunia inſtituit, 1153. Ejus ſequaces peregrinantur ad ſepulchrum ejus, 952.
Mulier συνείσακτος quænam fuerit dicta? 654. 659. Eam inter & uxorem quale ſit diſcrimen? 659.
Munia Eccleſiaſtica non fiunt ab ordinibus Pontificiis, 370.
Mutatio deſtructiva in Miſſa nulla fit, 116. ſeqq. 130. ſeq. 132. ſeq.
Myſteria Dei loqui juxta Apoſtolum quid ſit? 298. Non ſunt Papæ, vel Miſſæ, 279. Gentilium qualia fuerint?

sint? 295.296. Religionis cur olim occultata? 302. Eadem rebus aliis affingere facile est, 408. Non omnia sunt sacramenta, 534.

Mysteria nulla inciderunt in dies festos Pontificiorum, 1163..1165. Eorum commemoratio non alligatur certo tempori, 1164. Non conciliant tempori sanctitatem, ibid.

Mysterium cur in Babylonis fronte scriptum fuit? 302.

N

נערה Nagnarah quam notet ætatem? 584.

Nannetense Concilium Missas privatas damnat, 258.

Natalis Jesuita Concilii proditor est, 333.

Natura humana extra suppositum nihil est, 169.

Nazaræi an à communione Calicis abstinuerint propter votum non bibendi vinum? 76.

Naziræis cum votis monasticis nihil est commune, 1019. Typicum fuit eorum institutum, 1061.

Naziræus Paulus an rasuræ author fuerit, 406.408. Cùm Naziræus esse desineret, tondebatur, ibid.

Nemo aliquando pro paucis ponitur, 254.

Nicena Synodus II. cur nullius est authoritatis? 913. Imagines adorandas esse statuit, 864.

Nicolaus I. Papa solo verbo Sacerdotem instituit, 351.353.

Nimrodi Romani qui & quales? 419.

Nomina Sectarum & Ordinum apud Pontificios invisa, 1017.

Nominationis & præsentationis jus populo olim concessum fuit, 473. 474.

Novella Justiniani apud Græcas Ecclesias in magna est authoritate, 294. probat consecrationis Verba clara voce fuisse recitata.

Novum, Novitas quid? Item Novatores qui sint? 239.240.

Nuptiarum habendarum tempus à Concilio Trid. definitur, 520. Eas prohibere quorum & quid sit? Est Dæmonum doctrina, 624. Antichristi, 627. Ingentium malorum causa, 628. Secundæ sintne licitæ? 563.

O

Obdormientes in Domino in purgatorium non detruduntur, 198.

Obedientiæ cæcæ votum refellitur, 1020.1023. Ejus praxis examinatur, 1027. refellitur, 1030. 1052. 1078. seq.

Obedientia Christo & Præpositis debita non votiva, sed præcepta est, 1079.

Oblationem sui Christus in primo Cœna non fecit, 100.101. Christi in cruce facta unica & perfecta est, 121. 122, in Missa nulla fit, 125.226.&c. Sine morte nulla est, 177.

Oblatio munda Malach. I. 11. sacrificium propitiatorium non notat, 163.164.

Oblationes V.T. & Christi in cruce in quibus conveniant? 187. Oblationes

nes priscæ Ecclesiæ à Missaticis toto genere differunt, 198. 200. 201. Oblationum pro defunctis origo, 199.200.

Oblatio adscripta in Canone Missæ quid sit? 217.

Observantia Ecclesiæ non est regula Verbi Divini, 200.

Occidentales Ecclesiæ cur & quando sacra sua Latinè peragere cœperint? 285. Quando & cur ab Orientalibus fuerint scissæ? 420.

Occultatio Christi in Missæ consecratione nequaquam significatur, 298.

Orari pro Episcopo Romano in Missa quando cœperit? 226.

Orare sacerdotem secretò in publica cultus Divini functione, absurdum est, 298.

Orare pro defunctis an liceat? 742. Veterum de hoc sententia examinatur, 743. seqq. Non præsupponit purgatorium, 707. Ejusmodi mos apud veteres unde invaluerit? 707. Quando ejusmodi Orationes pro defunctis fieri cœperint? 200. &c.

Ordinandi facultas æquè Presbyteris, atque Episcopis communis est, 442.462.

Ordinationis ceremoniæ disceptantur, 397. seqq. Ejus effectus proprius quis? 394. Non potestatem tantùm, sed actuale exercitium includit, 491.492.

Ordinis Romani libellus quo authore conscriptus? 224.

Ordinis varii abusus perstringuntur, 348. Ordines minores quinam sint? 349.

Ordo an sit Sacramentum? 350. seq. Negatur, 351. Plures ejusdem species recensentur, 357. Amitti & iterari potest, 355.389. An sint septem in Ecclesia ordines? 365. seq. Lombardus duos tantùm ordines sacros agnoscit, 373.375. Sibi ipsi verò opponitur, 377. Gentilismum & Judaismum incrustant, 368. Sunt tituli sine re, 369. Minores non sunt gradus ad Majores, 371. In Ecclesiæ ministerio an, & in quem finem fuerint instituti? 378. Non sunt necessarii ad Missæ sacrificium conficiendum, 381.383. An conferant gratiam gratum facientem, & spiritualem potestatem beneficio characteris? 385. seqq. Minorum functiones hodie à non consecratis fiunt, 383.

Ordines Monachorum olim non confirmabantur à Papa, 1036. Idem vindicatur & demonstratur, 1042. Novos fieri Concilium Lateranense vetuit, 1055.

Orichovius quis fuerit? 628.

Orientales Ecclesiæ Canonem Rom. nunquam receperunt, 219.224. Nec ceremonias Missales, 230.232. Sacra sua in vernacula lingua peregerunt, 285. Earum regimen quale fuerit? 420.

Origenis error de damnatorum liberatione, 741. Primus invocationem Sanctorum in Ecclesiam invexit,

768. 822. Malus dogmatistes ab Hieronymo vocatur, 826.
Ὡσαύτως quid in Eucharistiæ institutione significet? 62.
Osculum Baali fixum idololatricum cur fuerit? 833. 836.
Ostiarii ad quid in Ecclesia olim fuerint constituti? 378.
Oves Christi pascua sua ipsæ nôrunt, 1139.

P

Pacensis Episcopus Hispanorum consilia prodit, 328. 1258. Mulus clitellarius Papæ audit, 335.
Paganorum idola qualia olim fuerint? 874.
Palladius primus Scoticæ Ecclesiæ Episcopus, 445.
Pallavicinus Cardin. Papalis tyrannidis proxeneta, 548. Ejus pro cœlibatu rationes refelluntur, 629. Indulgentias Papales frustra ab Apostolorum temporibus arcessit, 1090. Ejus Historia Concilii Trid. à Julio Clemente Scoto, Ameloto de la Houssaye, aliisque arguitur, 108. 1211. 1212. Idem perstringitur, 1238. & passim.
Panem & vinum ponere super sepulchro justi, quid apud Tob. IV. 18. sit? 192.
Pane suo vesci in sudore vultus quid sit? 1041.
Papa cultum Judaicum & Gentilium ceremonias Ecclesiæ obtrusit, 239. Ejus potestas in Concilio acriter disceptatur, 330. 331. Idem Concilio mandata mittit, 345. Concilio libertatem variis artibus surripit, ibid. Ejus Potestas in Concilio disceptatur, 346. Reformationem aversatur, 347. solo verbo Episcopum instituit, 351. Ordines sacros non exercet, 377. Non est Apostolus Christi, 413. Tyrannus est, 414. supra Christum sese effert, 415. Bellis infestat orbem Christianum, 418. Dei nomen sibi tribui permittit, 423. Potestatis ejus incrementa, 419. Niceni Concilii tempore nondum invaluit, 420. Civilem potestatem invasit, 422. *in spiritualibus summam exercet tyrannidem*, 422. Deum se facit, 423. 429. Eandem sibi sumit potestatem, qualem habet Christus, 428. Tyrannidem gladio exercet, 429. Cum Cardinalibus plenitudinem potestatis Clavium non habet, 467. Sacramentorum Dominum se facit, 527. Ejus impuritas carnalis perstringitur, 629. Ejus tyrannis Principes eò adegit, ut se Concilii Trid. placitis submiserint, 641. Dominari vult toti mundo, 642. Reliquias veras à suppositititiis discernere nequit, 844. Ejus authoritas vel præsentia non facit, ut Concilium sit vel Oecumenicum, vel Orthodoxum, 916. Ejus in Concilium Trid. tyrannis, 1202. 1203. Firmatur Concilii decretis, 1203. Princeps hæresium judex non est, 1230. Ejus Superioritas ab ipsis Pontificiis pluribus non agnoscitur, 1230.
Paphnutius in Synodo Nicena cœlibatum

batum Clericorum impugnat, 631.
Παρακαλεῖν & παράκλησις quid Græcis Patribus significent? 825.
Parentum partes quænam ſint in filiorum contrahendis matrimoniis? 584. iis στοργὴ & obedientia debetur, 1015.
Parœcia à Diœceſi quomodo differat? 460.
Paſce oves meas, his verbis Papæ turpiter abutuntur, 28, 31.
Paſcendi munus eſt miniſteriale, 214.
Paſcere non eſt dominari, 412.
Pæſel פסל & תמונה quid? 866. ſeqq. 877.
Paſſionis Chriſti inſtrumenta an in ſe ipſis ſancta ſint? 971. 972. in illis oſtentandis variæ impoſturæ fiunt, 972. ſeq.
Paſſionum Chriſti reliquias adimplere quid ſit? 1108.
Paſtorum nomine quinam ſignentur? 120. In Eccleſia obeuntes ſacra peregrinâ linguâ uti non debent, 273. quomodo ſint Eccleſiæ miniſtri? 470. Ab ovibus eligi aliquando poſſunt, 482. Eorum munus quodnam ſit? 413. Malorum crimina non Ordini, ſed eorum perſonis imputanda ſunt, 356.
Paſtorum verba conſecrationis ruri pronuntiantium, & inde cœleſti igne abſumptorum fabula in Miſſæ gratiam adinventa eſt, 294. 301. confutatur, 304.
Patres utpote homines errare potuerunt, & de facto errarunt, 208. Trium priorum ſeculorum nihil de Purgatorio ſciverunt, 736. Nonnunquam incautiùs locuti ſunt, 599.
Patriarchæ Eccleſiæ unde orti? 417. 421. 430.
Patriarcharum V. T. oſſa cur in Terram Canaan fuerint translata? 846. 847.
Paulinus ſubitò Epiſcopus factus eſt, 371. 372. An Miſſam celebraverit? 267. Nolanus nullius certæ Eccleſiæ Presbyter fuit, 497.
Paulus Apoſtolus Petro æqualis fuit, 436. Ejus ſemicinctia an mirifica virtute prædita fuerint? 954. Peregrinationes religioſas non probavit, 956. Cur in feſto Hieroſolymæ eſſe contenderit, 956.
Paulus Sarpius Venetus cur *Petrus Suavis Polanus* audire voluerit? 1206. Hiſtoria ejus Concilii Trid. vindicatur contra Pallavicini & Redingii obtrectationes, 1208. ſeqq. 1211. Fuſiùs, 1231. ſeqq. 1236. A ſicariis Papalibus Venetiis vulneratur, 1232. Hiſtoriæ illius errores 360. à Pallavicino pueriliter impinguntur, 1240. 1241.
Paulus III. Papa Rom. Poteſtatem ſuam à Chriſto derivari non vult, 418. 419.
Paulus IV. contra Ferdinandum Imp. inſurgit, 6. Eligitur in Papam, 8. Ejus vox de Concilio, 9. 13. 14. Concilium Romæ haberi vult, 9. Ejus Index Expurgatorius, 19. 20. 21. Obliquè in Concilio perſtringitur, 19. Concilium Trid. ſugillat, 105.

Typhus ejus perſtringitur, 14.

Pauli V. Electio turbulenta, 488,

Pauperes Spiritu quínam? 1074. Explicatur fuſiùs & vindicatur locus Matth. V. 3. 1077.

Paupertas hypocritica Monachorum & Jeſuitarum perſtringitur, 691.

Paupertatis votum refellitur, 1020. 1021. fuſiùs, 1026. 1030. ſeq. item, 1074.

Payva *Jacobus* Ataidem in Concilio in articulo de Miſſa refutat, 98.

Peccatum unius aliquando toti alicui populo imputatur, 196.

Pentecoſte Judaica & Pontificia in quibus rebus conveniant? 1167. An Paulus eam Hieroſolymæ celebrârit? 1172.

Peregrinationes religioſæ fusè refelluntur, 928. ſeqq. Mandato & promiſſione Dei deſtituuntur, ibid. Idololatricæ ſunt, 944. A Judæis, Paganis & Turcis mutuatæ, 951.

Perfectionis Chriſtianæ ſtatus nullus niſi in Cœlis eſt, 601. Qualis homini Chriſtiano conveniat? 1019. 1020. Malè à Pontificiis definitur, 1024. Confutantur, 1025. Grabonis propoſitiones de perfectione, 1054.

Πέταλον Hebræorum ציץ eſt, 237. Non mitra Epiſcoporum, 242.

Petavius Ignatii Epiſtolas νοθείας arguit, 412.

Petrus Apoſtolus nullam conſecrandi formam Eccleſiæ ſcripto reliquit, 221. A Gentilibus tonſus fuit, 406. An tonſuræ author fuerit? 409. Martyrium ſuſtinuit, ibid. Cur Princeps Apoſtolorum à veteribus dictus? 435. Nihil hoc ad Papam ibid. συμπρεσβύτερον ſe ipſe vocat, 442. Eligendi Paſtores Eccleſiæ jus ſibi non arrogavit, 470. 471. Non ſolus clavium poteſtatem accepit, 487. Sequendo Chriſtum non deſeruit uxorem, 632. Ejus corpus variis in locis oſtentatur, 854. hinc inde translatum fuit, 858. Ejus umbra an miracula effecerit? 954.

Petrus Fontidonius Hiſpani Oratoris præcedentiam Oratione habita propugnat, 336.

Phariſæorum circa jejunia fermentum, 1153.

Philo Veteris Eccleſiæ ritum jejunandi non docet, 1139.

Philoſophi Platonici pepererunt Purgatorium, 709. Quem honorem imaginibus exhibuerint? 884.

Piæ cauſæ Papalis avaritiæ prætextus ſunt, 549.

Pictorum in Sanctorum imaginibus depingendis levitas, 877.

Picturæ in Templis demum Seculo V. ornatus causâ collocari cœperunt, 927.

Pierius Valerianus pro barbis Sacerdotum ſcribit, 401.

Pighius Epiſcopos ſui temporis vivis coloribus depingit, 430.

Pingendi ars cur priſcis Patribus inviſa fuerit? 882.

Piſcium eſus non mortificat carnem, 1127.

Pii IV. Bulla celebrationis Concilii, 1. &c.

&c. Notæ ad eandem, 5. &c. Qualis fuerit ante & post Papatum, 4. 5. Causæ ad Concilium celebrandum impellentes, 5. ad Concilium Cæsarem & Reges superbè invitat, 6. Ejus electio, 9. Sententia de Concilio, 10. 13. 14. Ejus index librorum prohibitorum, 20. Præsules novos Tridentum amandat, 29. Bellum contra Protestantes meditatur, 30. Curiam suam reformare incipit, sed per ludibrium, 30. Pœnitentibus veniam negat, 31. Desperat de eventu Concilii, 43. Fœdus & bellum contra Protestantes meditatur, 44. 50. Queritur de Oratoribus, inprimis Lansaco, 44. Singulari astu Concilium sibi obligat, ib. Finem ejus urget, 45. 99. denuo bellum meditatur, 101. Episcopos Italos & Titulares Tridentum submittit, ad deterrendum Lotharingum & Gallos, 322. &c. De Concilio tanquam hostili queritur, 329. Ferdinando acriter respondet, 334. A Cæsare & Gallo alienatus Hispanum conciliare studet, 335. Imperatori denuo suadet translationem Concilii, ibid. 336. facultatem Concilii finiendi vel suspendendi mittit Legatis, 511. ægrotat, 688. Bullam confirmationis edit, 1178. Notæ ad eam, 1154.

Platonicæ Philosophiæ dogma de animarum defunctarum statu & functionibus, 773. Purgatorio ansam dedit, 709.

Plebs olim jus habuit eligendi Ecclesiæ ministros, 474. 475. 476. seq. At à Concilio Laodiceno arcetur, 484. Quomodo sit bestia multorum capitum? 487.

Pœnæ peccatorum quæ per indulgentias remittuntur? 1091. 1094. 1095. Temporales quænam à veteribus dictæ? 737.

Pœnitens & Martyr quomodo apud veteres differant? 738. 739.

Poloni Episcopi malè affecti è Concilio discedunt, 11. 15. Decreta Concilii recipiunt, 1227.

Polycrates quo sensu Johañem Apost. πέταλον gestasse dixerit? 237. 242.

Polygamia Patriarcharum quomodo excusetur, 561. Inter Judæos olim usitata fuit, 650.

Pontificii cum Samaritanis contenduntur, 937. 941. Adorant quod nesciunt, 941. 942.

Πορνείας λόγος quid significet? 580.

Postulatio & vocatio quomodo differant? 473.

Potestas Abbatum & Prælatorum nec naturalis, nec civilis, nec Ecclesiastica est, 1030.

Potestas clavium non soli Petro, sed toti Ecclesiæ data est, 466.

Potestas civilis Magistratus & Papæ differt, 1192.

Potestas Ecclesiæ in instituendis ritibus quo usque sese extendat? 210. Vide *Ritus*.

Potestas Papæ illimitata & Purgatorium secum invicem pugnant, 1107.

Potus inebrians non pertinet ad jejunium, 1127.

Præ-

Præcepta à dogmatibus quomodo differant? 553. A Confiliis an discrepent? 597. Divina ſunt norma cultus & religionis.930.

Præceptum II.de non colendis faciendiſve imaginibus Doctores Pontificii variè torquent,882.

Præputium Chriſti aſſervari dicitur, 842.

Præſentia Chriſti virtualis ubi? 985. Explicatur, 993. Vindicatur ſpiritualis, 996. Corporis Chriſti ſubſiſtere poteſt,licet de modo non conſtet,941.

Præſanctificata Symbola quæ fuerint,88.

Πραγματεία τῦ βίυ quid? 645.646.

Prandii tempus apud veteres varium fuit,1128.

Preces in Eccleſia alta voce fieri debent, 294. Sanctorum Apoc. V. 8. quales ſint? 791.à ſolo Chriſto Deo offeruntur,792.

Preces,eleemoſynæ,jejunia &c.à Pontificiis in pœnis numerantur,1093.

Presbyteri & Epiſcopi non ſunt diſtincti ordines, 378. Divino jure ſunt æquales,412.413.437. & 448. In Scotia & Gallia olim ab Epiſcopis nihil differebant,442.445.

Primates Eccleſiæ qui? 417.

Principatus in Eccleſia an & qualis ſit? 429. Petri qualis fuerit? 435. 436.

Procuratoribus Epiſcoporum abſentium voti jus non concedebatur in Concilio,1255. Cur? 1257.

Proditores in Concilio Trid.unde & qui fuerint? 1257. Pecuniâ ad proditionem conducti fuerunt,1260.

Prohibitiones Matrimonii Pontificiæ perſtringuntur,544.ſeqq.

Προηγιασμένα,præſanctificata Symbola quæ olim fuerint dicta? 88,

Pronuntiatio ſecreta verborum conſecrationis Euchariſtiæ fusè impugnatur,288.

Proprium poſſidere an Monachis liceat? 1071.ſeq.

Proponendi munus in Concilio Trid. ſolis Papæ legatis vendicatur, 1254. Cur? 1258.

Prophetare aliud eſt, aliud prophetias loqui,272.

Proteſtantes ab Imp.Ferdinando jubentur Concil. Trid.frequentare, 329. Conditiones poſtulant, ibid. Qualis cautio iis ad Concilium veniendi concedenda ſit,in Concilio deliberatur,25.26 Non fuerunt vocati nec auditi in Concilio, 514. 1195.1218.1226. Paſſavii æquas pacis conditiones obtinent,1199.

Prudentibus quomodo Apoſtolus 1. Cor.X.15.loquatur? 290.

Pſalterium Bonaventuræ Mariam Chriſto præfert,759.

Pſychici apud Tertullianum qui fuerint? 1132.

Purgationem animarum quale veteres intellexerint? 723.

Purgatoriani Sacramenta nulla participant,198.

Purgari igne pœnitentes quid Hieronymo ſit? 139. Quid Auguſtino? 739.740.

Purga-

Purgatorium fusè impugnatur, 197. 198. 696. seqq. Non potest probari ex Scriptura, 697. Eidem repugnat, 697. Præcipuos fidei articulos subruit, 704. Primæ Ecclesiæ incognitum fuit, 706. Ejus Origo, semen, conceptio & nativitas ostenditur, 709. &c. multiplex Doctorum de eodem dissensus, 714. De loco item ejus & materia, 715.

Purim festum non probat jejunia stata, 1150. 1171.

Q

Quadrantem ultimum solvere Matth. V. 24. quid sit? 725. Quid Patribus nonnullis veteris Ecclesiæ de hoc videatur, 738.

Quadragesimale jejunium intra tria priora secula incognitum fuit, 1146. Idem fusiùs probatur, 1155. Ejus origo & progressus, 1147. 1156.

Quæstus ex Missificatione, 144. 194. Ex Purgatorio quæritur, 716.

Quies, in quam fideles post obitum ingrediuntur, qualis sit? 701. cum Purgatorio non consistit, 703.

R

Ragazoni Oratio Sess. XXV. habita, 688.

Raptorem inter & raptam an matrimonium legitimum fiat? 519.

Rasura in Scriptura damnata fuit, 400. Mysteria in ea Sacrificuli Pontificii quærunt, 401. Ejus origo & progressus, 407. Servilis & ridicula est, 409.

Rationi in rebus sacris quæ partes sint? 969.

Raziæ αὐτοχειρία non potest excusari, 196.

Reatus an rectè in culpæ & pœnæ distinguatur? 721.

Rechabitæ non præfiguraverunt Monachatum, 1059. 1061. Idem fusiùs ostenditur, ibid. Non abstinuerunt vino tanquam ex Dei mandato, 1148. seq. Eorum institutum non religiosum, sed Oeconomicum vel politicum fuit, 1149. Non fuerunt Israelitæ, ibid.

Redemptores Bellarmino etiam Sancti audiunt, 787.

Redingius in citandis Patribus oscitantiæ arguitur, 623. Falsationis, 656. 663. Αντισοφιστίας, 667. Oscitantiæ, 667. Mango est Papalium Canonizationum, 766. Perfidiæ in citandis authoribus arcessitur, 827. Baldingero clienti suo malè succollat, 935. seq. 980. Ejus cavillamenta retunduntur, 939. & passim Absurdus est, 1094. & passim.

Reformatio Curiæ Rom. ludicra à Pio IV. instituitur, 30. Ejus capita à Cæsareis exhibita, 42. seq. 49. A Concilio instituta desultoria tota fuit, 56. 67. 103. 108. 109. 326. 338. 348. Urgetur denuo, 335. Ejus capita à Gallis exhibita morbos Papatus detegunt, 346. Ejus XXXVIII. Articuli Oratoribus exhibentur, 509. In eos Oratores animadvertunt, 510. Cur tam sedulò à Papa fuerit declinata, 514. Principum reformatio frustra attentatur, 511. 516. De ea Ferrerius Gallus graviter conqueritur,

ritur,512. 517.Reformationem Cleri Concilium declinat,1203.1204.

Relaxationes à Canonicis satisfactionibus apud veteres quales fuerint? 1119. Non erant indulgentiæ Papales,1096.

Religio seu cultus Dei quid sit? 750. distinguitur in naturalem & voluntarium,seu institutum,751.soli Deo debetur,790.

Reliquiarum cultus fusè impugnatur, 528.seqq. Earum incertitudo ostenditur, 842. seq. 855. Fraudes variæ,ibid.845.Fictitiæ & ridiculæ quædam sunt, 847.849.854. Malè definiuntur,854. Patribus primitivæ Ecclesiæ incognitæ,856.seq.Earum translationes cur & quando cœperint? 357.858. Christi & Sanctorum plerorumque fictæ sunt, 943.

Reliquiæ carnis שאר בשר quid? 556. 559.

Remissio peccatorum & propria satisfactio simul subsistere nequeunt, 704. Nulla fit in Purgatorio, 722. Nam remisso peccato ejus & culpa & pœna remittitur,1091.

Repræsentatio Christi & ejus Passionis in Missa mimica est,297.

Reservationum Papalium origo,476. Maxima in Ecclesiam mala invexerunt,523.

Residentia Episcoporum in Concilio disceptatur,28.29. Urgetur ab Hispanis,99. De ea ambiguum decretum fertur,326. Galli eam juris Divini esse asserunt, 329. Negant id Papæ legati, 330. Papa de eadem Concilio mandata mittit,ibid.

Respectivus creaturarum cultus refellitur, 848. Concedit ut quævis creatura,etiam Diabolus, adoretur, 912.

Resurrectionem carnis olim etiam illi negabant, qui animæ immortalitatem credebant,744.

Reservationes reliquiarum Sanctorum ante Ambrosium nullæ fuerunt,862.

Reverentia sanguinis non est impedimentum legitimum matrimonii,551.

Richardus de Vercellis in mendosorum tabulam à Concilio rejicitur, 102.106.

Ritus Ecclesiasticos cur veteres sæpius Apostolicæ traditioni acceptos ferant? 222. Quales Ecclesia instituere possit? 210.228.232. Novos an possit,228.238.239. In Ecclesia Rom.tanquam necessarii obtruduntur,398.

Romana Ecclesia primum suum Episcopum ipsa ignorat,441.

Romuli non Christi genius Hierarchiam Romanæ Ecclesiæ peperit,4.

Rutilius Benzonius tabulæ Lauretanæ interpolator fuit,979.980.

S

Sabbathi Judaici sanctificatio in quo constiterit? 1174.

Sabbatho olim nonnullæ Ecclesiæ jejunare solebant,1155.

Sacerdos N. T. solus Christus est. 118. 120.Sacerdotum nomine sancti Pa-

tres quosvis Ecclesiæ Ministros insigniunt, 120. Christus sacerdos est in perpetuum, 157. 160. 189.
Sacerdotes Levitici à Christianis in quibus discrepent? 282.
Sacerdotum superiorum Seculorum socordia & ignorantia, ib.
Sacerdotes cur in Sacris Angeli dicantur, 492. Eorum cœlibatus fusè disceptatur, 620. seqq. Ejus causæ politicæ panduntur, 641. 642.
Sacerdotum conjugia ante Ordinationem contracta à Concilio Trullensi firmantur, 665. Eorum in V. T. ἐφημερίαι seu vices quando & ad quid institutæ fuerint? 645.
Sacerdotium V. T. typus fuit Christi, non Sacerdotum N. T. 354. Propriè dictum in N. T. nullum datur, 366.
Sacramentum & sacrificium rem unam simul esse, ἀσύςατον est, 124. Eadem Purgatorianis nihil prosunt, 198.
Sacramenti propriè dicti materia qualis esse debeat? 352. Ejus Essentia ex Dei institutione pendet, 368. De eorum essentialibus inter Pontificios nihil constat, 358. Non conferunt gratiam gratum facientem ex opere operato, 395. 396. Eadem determinatam materiam postulant, 400.
Sacrificare Christum in memoriam ejus absurdum est, 170. 172.
Sacrificii definitio, 116. Missæ non quadrat, ibid. 117. Expiatorium nullum datur absque αἱματεκχυσίας, 123. 150. Quale missa esse perhibetur, 124. In nulla parte Missæ sacrificii essentia deprehenditur, 125. seq. Sacrificium propitiatorium totalem victimæ destructionem postulat, 132. seq. Ejus definitio Missæ nullo modo applicari potest, 169.
Sacrificium Christi irreiterabile est, 177. Incruentum id vocare absurdum est, 185.
Sacrificia Christianorum malè in *Crucis* & *Missa* distinguuntur, 177. Vera eorum sacrificia quæ sint? 185. Sanctis offeruntur in Ecclesia Romana, 817.
Sacrificium pro dormitione quid veteribus fuerit? 201. 202.
Sacrificuli Romani creatores esse volunt sui Creatoris, 143. 144. Cujus ordinis sacerdotes sint? 171. Eorum antehac ignorantia, 283. 286. Eorundem blasphema impietas perstringitur, 388. 627. Scortatio & impuritas eorum, 627. Graves de iis in ipso Concilio Trid. querelæ, 640. Sacrificulus solus communicans, vel missificans non repræsentat populum, 246. &c.
Salaria Ecclesiæ Ministris qualia & unde olim data fuerint? 57. 58.
Salmero Jesuita prensat suffragia in controversia de Oblatione Christi in prima Cœna, 101. Quo astu & fine id fecerit? 170. Ejus insignis perfidia, 1198.
Salus linguâ Punicâ *Tria* significat, 275.

Samaritani cur idololatriæ rei fuerint? 940.941.seq.
Sancta terra, urbs &c. cur & quomodo dicatur? 970.971.
Sancti cœlites necessitates nostras singulares ignorant, 762.
Sancti qui habeantur & quinam sint? 846. quam habeant ad Deum relationem? 904. Sancti & B. Maria à Pontificiis Christo præferuntur, 759. In V. T. Dei visione in Cœlo perfecta fruebantur, 793. Per ignem transituri credebantur à veteribus, 737. Eorum merita aliis communicari vel prodesse non possunt, 760. 1108. Apotheosis eorum exploditur, 765. Sanctorum Communio non importat eorundem invocationem religiosam, 792. Non consistit in satisfactionum communicatione, 1116. Eorum cultus religiosus idololatricus est, 944. Festa eorum in Veteri Ecclesia cur & quomodo fuerint instituta? 1166. 1170.
Sanctificatio Sabbathi in quo constiterit? 1174.
Sanctio Pragmatica Ecclesiæ Gallicanæ quid fuerit? 476.
Sanctitas nulla locis inest, 971. Nec relativa ulla tempori inest, 1164. Ecclesia nullam ei conciliare potest, 1172.
Sanctum cur aliquid sit, aut dicatur? 905.
Sanguis Christi homines non tantùm à pœna peccatorum, sed à culpa etiam liberare valet, 1109. Singulis redimendis totus applicatur, ibid. Ejus guttulam sufficientem fuisse toti redimendo mundo absurdè dicitur, ibid. 1110. Etsi est thesaurus infiniti pretii, nihil tamen inde in Ecclesiæ thesaurum recondendum redundat, 1111. Eum dissecare quid sit? 1112.
Sanguis bestiarum in V. T. pro anima humana oblatus vicariam animæ Christi substitutionem repræsentavit, 66.
Sanguinis & suffocati prohibitio quare sit facta? 779. 783.
Sarabaitæ Monachi Ægyptiaci fuerunt, 1035. Moderni Monachi similes iis sunt, 1037. Imò iis deteriores, 1040. Eorum descriptio ex Benedicti regulis, 1041.
Satisfactiones Canonicæ veteribus ignis Purgatorius fuerunt, 737. Quales fuerint? 1099.
Satisfactio Christi fidelibus totaliter applicata est, 1087. seq. Christus pro omnibus distributivè morte sua satisfecit, 1088. Nihil abundat non applicatum, ibid.
Satisfactiones humanæ meritum Christi tollunt, 705. Unius non possunt alteri imputari, 1117. 1118. Sed sola satisfactio Christi, 1118.
Satispassio in Purgatorio Christi merito non innititur, 719.
Saxonibus sine vino Eucharistiam celebrare olim ab Innocentio VIII. permissum fuit, 308.
Scabellum pedum Dei, & ad illud adorare quid sit? 835. seq. 904.
Schisma Corinthiorum an causa sit distin-

distinctionis Episcopi & Presbyteri? 439.440.

Schismatis inter Christianos author est Papa, 515.

Scholæ Prophetarum ubi habitæ fuerint? 1061.

Scholasticis de cultu imaginum ac multis aliis dogmatis Ecclesiæ Rom. non convenit? 865.

Scholasticus Canonis Missalis consarcinator & corruptor fuit, 210.222. Non fuit Apostolus Petrus, 222.

Scipio Henricus, Jesuita Messanensis, Suavis Polani censor refellitur, defendens contra Suavem impia Salmeronis & Turriani in Concilio molimina, 52. 53. Patrum de Eucharistia infantibus porrigenda sensum à Concilio Trid. iis affictum, 54 Frustra ac falsò Polanum mendacii arcessit, 342.344.346. Historiam Concilii Tridentini ex ipso Suavi Polano concinnavit, 1236.

Sclavi olim vernacula lingua usi sunt in peragendis sacris, 276.277. Eorum Liturgiâ quinam sint usi? 285.

Scoticæ Ecclesiæ à Presbyteris olim regebantur, 442.444.

Scripturæ S. an & qualis sit obscuritas? 731. sola est legitimi Concilii norma, 1193. Ejus vis & efficacia 1212.

Sculptile ad cultum non licet facere, 967.884.

Scurræ in Concilio Trid. conducti ad eludenda seria Patrum dicta, 50.

crationis non nititur Christi exemplo, 296.

Secretarius Concilii Trid. Romanæ Curiæ mancipium fuit, 1253.

Seculum futurum quid in sacris significet, 721.

Segoviensis Episcopus Reformationis in capite & membris necessitatem urget, 45.103. Inde malè habetur, 333. Hæreticus etiam denuntiatur, 1260.

Sententia non est consilium, 1081.

Σεπτὸν & σεβαστὸν quid notent? 915.

Septicolle scortum Romæ est, 1229.

Sepulchri Christi locus incompertus est, 972. Ingens vectigal Turcis importat, 974.

Sepulchrum quomodo requies dicatur? 977.

Sepultura mortuorum à Deo mandata est, 832. Piis debetur, 845. Sanctis apud Pontificios negatur, 846.

Sequela Christi non libera, sed omnibus Christianis necessaria est, 1048. 1080.

Seripandus moritur, 335.

Servire quid sit, & cui oporteat? 757.

Servis non liberum erat olim matrimonia insciis dominis contrahere, 592.

Sergius Papa, *Agnum Dei* primus carmine cantandum instituit, 221.224. à Synodo VI. excommunicatur, 1226.

Serpens æneus in deserto ad quid fuerit factus? 926. Ex Tertulliano de

tis adoratus? 900.seqq. Fuit Christi typus,903.
Severiani ex Pseudo-Areopagita pugnantes ab Hypatio retunduntur, 432.434.
Sibyllarum errores quando in Ecclesiam introducti sint? 743. Earum sacra arcana erant,296.
Sigaleoni litant Missificantes,296.
Signis nulla inest virtus causativa gratiæ,245.
Silentii Deo litant sacrificuli in Missa, 296. ejusmodi silentium non nititur Christi exemplo,296.300. Quale in veteri Ecclesia in obeundo cultu divino obtinuerit? 302.
Similitudo Dei in quo consistat? 895. 897. in S. Scriptura omnes Dei similitudines prohibitæ sunt, 898. impossibilis est, ibid. Nulla datur, 868.877.
Simoneta Concilii Trid. Præses est,11. Eo Tridentum adventante prodigium observatur, ibid. Prensat suffragia in argumento institutionis sacramentorum,325.
Simonia Paparum perstringitur, 56. 1100.
Simplicitas Ecclesiæ non est ejus paupertas,234.
Siricius Papa Clericis matrimonio primus interdixit,527.528.631.635. Ejus argumenta diluuntur,529. Ab Hieronymo perstringitur,636. Ejus de Matrimonio sententia, 625. 631. Primus Monachos lege canonizavit,1043.
Sirmondus Jesuita laudatur,922. Dionysium Areopagitam νοθείας arguit,411.
Sisoë quid fuerit? 400.
Σκόλοψ S.Pauli quid fuerit? 605.
Sleidani Historia vindicatur, 1236. 1237.seq.
Smyrnenses quid de Polycarpi reliquiis fecerint? 772. Eorum Epistola Polycarpi ossa terræ mandari vult,838. Explicatur & vindicatur, 839.
Sodomia Clericorum bulla edita à Pio IV. perstringitur, 598.629.641.
Solutionem inter & absolutionem quid intersit? 1095.seq.
Sorbona Paris. Caroli M. libros de Imaginum cultu contra Maymburgum defendit,922.
Sordes Christianum non decent, sed honestas,1031.
Soror uxor quomodo dicatur? 621. 622.
Soto *Petri* literæ emortuales ad Papam,335.
Speciem unam in Eucharistia sumere non satisfacit præcepto instituentis Christi,61.
Speculum Trinitatis oppugnatur, 763.790.796.797.
Spinarum Christi quinam maximè recordari debeant? 409.
Spiritus S. in mantica Româ Tridentum mittitur,28,32.1258. Idque ad solos Papæ legatos,1259.
Spiritus S. in sacris literis sæpe notat ejus dona,354. quomodo olim per manuum impositionem collatus fuerit, 362. Ordinatis quomodo confe-

conferatur? 385. 390. Apostolis datus quid effecerit, 391. Episcopi eum ordinandis conferre nequeunt, 391. A solo Filio Dei mittitur, 392.
Sportulæ veterum quid fuerint? 199. sportulares fratres, 202.
Status integritatis sacrificiis nihil habuit opus, 178.
Stimulus S. Pauli 2. Cor. XII. 7. quid fuerit? 605.
Stipendia Ecclesiæ Ministris à Constantino M. ordinata fuerunt, 158.
Stylus Pontificiorum Scriptorum insolens, 172.
Suavis Polanus vindicatur passim adversus Scipionem Henricum, referens Salmeronis & Turriani in Concilio molimina, 52. 343. 344. Vide *Scipio Henricus*. contra Redingium, 451. & passim.
Subdiaconatus Pontificius qualis sit? 367. Non Ordo est jure Divino, ibid.
Substantia Sacramenti à Pontificiis in accidentia transmutatur. 269.
Successio Ecclesiastica demum post Apostolorum tempora cœpit, 441. Successio ordinationis emplastrum est illegitimæ potestatis in Ecclesia, 360.
Sudarium Veronicæ adoratur, 833. 837.
Suffragia ferre in Concilio Trid. quibus licuerit? 1255. Juris suffragia ferendi origo ostenditur, ibid. Habebantur ante factum decretum in numerato, 1260.
Superioritas Papæ supra Concilium, aut hujus supra illum nunquam definita est, 427.
Superstitio alitur falsis reliquiis & fictis miraculis, 842. Damnatur, 871. ex Peregrinationibus religiosis oritur, 943. earundem pericula, 944.
Surdis auditûs defectus non obest in perceptione Sacramentorum, 292.
Surius mendaciorum architectus, 406. fabularum hamaxarius, 1000.
Sursum corda quando olim tollere populus jubebatur, 299. 300.
Susceptor & suscepta an matrimonio jungi queant? 553.
Symbolis nulla inest sanctitas, 967. 969. sacrarum rerum symbolis quis honor debeatur? 849. 850. Non sunt adoranda, 850. Symbolis miraculorum non eadem sunt tribuenda, quæ virtuti Divinæ, 959.
Symbolum Apost. quando in Missa cantari cœperit? 246. 248.
Synaxis, convivium, Cœnam notant, 257.
Syncretistæ hodierni nituntur cothurnis Concilii Trident. 1205.

T

Tabernacula æterna, & in ea recipi quid ſit? 727.728. Moſaici Tabernaculi conſecratio ſpeciali Dei mandato nititur, 991.
Tactus rerum ſacrarum nihil juvat, 851.852.
Taxa Cancellariæ Rom. carnium eſum in jeiuniis certo pretio permittit, 1133.
Temperamentorum diverſitas ciborum delectum tollit, 1139.
Templa in ſe nullam habent Sanctitatem, 933. Chriſtianorum cum Templo Solomonis in quo conveniant? 936. Hoc quomodo Dei habitaculum fuerit? 939. Nullam in ſe ſanctitatem habent, 933. Soli Deo extruenda ſunt, 815.816. Solomonici templi figuræ quales? 902.
Templum Dei ſunt fideles, 939.940.943.
Tempus unum alio in ſe ſanctius non eſt, 1162.1164. ſanctificari ab Eccleſia non poteſt, 1173.1174.
Τέρας ψεύδους Pontificiorum, 964.
Terminorum Scholaſticorum monſtra Redingii exploduntur, 1160.
Teſtimonium negativum an alicujus ſit ponderis.
Thaumaturga Einſidlenſis arguitur, 962.
Theodoſius leges matrimoniales tulit, 674.
Therapeutæ & Therapeutrides quale hominum genus fuerit, 1062. Idem fuſiùs panditur, 1065. ſeq.
Theſaurus indulgentiarum Eccleſiæ Pontificiæ exploditur, 1088.1090. Figmentum eſt, 1109.
Thuanus capita Reformationis Concilio Trident. exhibita commemorat, 347. Contra Scipionem Henricum vindicatur, 1236.1238.
Thymiamata quibus in Romana Eccleſia adhibeantur?
Tigurinæ Eccleſiæ conſuetudo celebrandi Euchariſtiam vindicatur, 260. Ejuſdem Præpoſituræ Presbyteris uxores ducere olim licitum erat, 631.
Tigurini cur ſacellum Eremitanum ſuperioribus temporibus frequentârint? 934.
Tigurinorum excommunicatorum Apologia, 693. cur dies feſtos reformârint, 1169.
Tilius *Johannes* Caroli M. libros contra Imagines edit & tuetur, 887. 910.913. ſeq. 919.
Timotheus per manuum impoſitionem qualia acceperit dona? 362. 393. Idemne cum Timotheo fuerit Epiſcopus? 459. Ejus circumcidendi ſpecialis ratio fuit, 406.408.
Titulares Epiſcopi fusè impugnantur, 489. ſeq. Uthopici, Nullatenenſes ſunt, 492. Munere Epiſcopali non defunguntur, 493. Diœceſi non attendunt, 493. Vitulares potiùs ſunt, 494.
Tobiæ conjugium fueritne legitimum? 589 590.
Tonſura prima à Canoniſtis ordo peculiaris conſtituitur, 375.376. Verbo Dei damnatur, 400. Olim pœna fuit

fuit flagitiorum, 403. Tonſuræ Clericalis origo oſtenditur, 407. 408. Non eſt Apoſtolicæ inſtitutionis, 408. Eam Bellarminus fruſtra ex Naziræatu V.T. probare conatur, 408.

Torrenſis Tractatum edit de Epiſcoporum Reſidentia, 342.

Tota Chriſti mors omnibus, & ſingulis redimendis hominibus applicatur, 1088. 1112. Totus Chriſtus non eſt ſub ſpecie panis, nec ſacramentaliter ibi præſens, 81.

Traditio Apoſtolica quoad ritus miſſales fruſtra à Tridentinis jactatur, 234. &c. 248. Fruſtra Eccleſiæ Rom. ritibus obtenditur, 222.

Traditiones non ſcriptæ, non poſſunt eſſe norma fidei, 1193. 1194. Pharisæorum cur irritam fecerint legem Divinam, 931.

Tranſmontanorum Epiſcoporum factio cur in Concilio Trid. ſuppreſſa fuerit? 1257.

Tranſitivi & abſoluti cultus diſtinctio abſurda exploditur, 834. ſeq. 868. 869. 908. 917. 974.

Tranſſubſtantiatio Pontificia ex mixtura Calicis impugnatur, 310. 311. 312. Sitne Myſterium? 994. Exploditur, 996. & ſeq.

Tridentinum Concilium elapſo 12. In eo Legati Papæ aſtutè decretum formant, quo proponendi facultatem ſibi ſolis vindicant, 12. 13. 15. Decreta Concilii cur ex pluralitate ſuffragiorum facta ſint? 11. Univerſalem Eccleſiam repræſentare voluit, 18. de ejus Titulo, 18. 19. Papæ dominanti obnoxium, adeóque non liberum eſt, 28. 32. Servitutis hujus Concilii teſtimonia, 50. De Concilio Papa & Curia Romana queruntur, 43. Patres anathemate ferit, 56. Concilio Papa illudit, 105. de remedio Lotharingo & Gallis adventantibus opponendo deliberat, 322. à Pio IV. tanq. hoſtile accuſatur, 329. de Reſidentia & Epiſcoporum inſtitutione nova methodo agit, 329. diſſolvere denuo Concilium nonnulli conantur, 331. queritur de calumniis, quibus Romæ laceretur, 334. prenſatione utitur, 338. 345. Contra illa Ferrerius proteſtatur, 339, Ejus perverſitas plurium querelis probata, 340. ambiguitatibus lectori illudit, 374. Clandeſtina Matrimonia & rata & deteſtanda ſimul facit, 587. 588. Imaginum debitam venerationem non definit, 864. Nihil certi decernit, 888. ſeq. Invocationem Sanctorum neceſſariam eſſe,

917,1215. seq. Finem Concilio esse imponendum decernit, 686. Nequicquam reclamante Comite Lunensi,688. Modus finiendi Concilii præscribitur,ibid. De anathematizandis Hæreticis agitur, 688. De petenda à Papa confirmatione Concilii, ibid. De legendis Decrecretis,ibid.Finis ei imponitur,689. Excommunicati excommunicare Protestantes non potuerunt, 690. Ordinem Jesuitarum contra Concilium Lugdunense confirmat,692. Denuo agit de petenda Decretorum confirmatione, 1182. Confirmationis ejus historia pertexitur, 1182. Interpretandi ejus potestatem sibi Papa arrogat, 1185. Papa & ejus asseclæ Episcopi competentes judices non fuerunt, 1190.1192. Concilium hoc S. Scripturam non agnovit pro norma fidei,1193.Confirmatur,à Papa Pio IV.1178.A Papa leges accipit,1182. Confirmatio ejus examinatur,1184.Non fuit illa opus,1185.Hoc Concilium authenticum non esse sequentibus argumentis probatur. *a.* quia fuit convocatum & directum à Pontifice Rom. 1188. 1196. *b.* Ejus judices fuerunt Papa & ipsius jurata mancipia, 1190. *c.* Fidei normam non habuit Scripturam S,1193. *d.* Non fuit liberum,1195.seqq. *e.* Charitatis nullam curam habuit, 1201. *f.* Fini suo excidit,1202. *g.* Decreta ejus ambigua sunt, ib.1209. *h.* Nullus fructus illius apparet, 1212. *i.* Res inde in deterius iverunt, 1213. seq. *k.* A Conciliis veteribus Oecumenicis plurimùm distat, 1215. *l.* Divinis Oraculis notatur, 1215. *m.* Non est Oecumenicum, 1221.1227. *n.* Ei Oratores Regum & Principum non subscripserunt, 1220.1223. *o.* Hæreses non repressit,sed seminavit,1229.Argumenta contraria refelluntur,1223.seqq. Ejus Secretarius homo nullius fidei fuit, ex Curiæ Rom. arbitrio pendens,1253. Nescivit quid decreverit, 1260. Tridentinorum Patrum impietas in articulo de missa perstringitur,291.

Tridentum urbem Concilio habendo deligi non vult Cæsar Ferdinandus,nec Rex Galliæ,10. Non fuit idoneus locus habendo Concilio generali,1217. Hanc Urbem brevi universale odium incursuram,prædicitur in Concilio ipso,336.

Trinitas S.S.nunquam tricorpor apparuit, 873. Impiè ergo talis depingitur,897. Ejus Picturæ in Papatu excusari non possunt, 897.

Turcarum Monachatus quomodo & à quo fuerit institutus? 1051.

Tyrannis Papalis describitur, 414. 415 418.419.

Tzitzit ציצית Judæorum quid fuerit? 400.

V

De Valtelina, Dominicanus, Ceremonias Missæ in Concilio confutat,231.

Vargas Hispanus Romæ petens ut Conci-

Concilium apertum maneat, malè habetur, 688.

Vasa in Eucharistiæ celebratione qualia olim fuerint, 237. 241. Eorum initiatio, 241.

Vasquez projecti pudoris Jesuita, 844.

Vedrosius vindicatur, 170. 181. 621. 623. 655. & passim.

Vegliensis Episcopus negat sacrificium missaticum, 139. Residentiam probat, 329. ideo malè habitus ex Concilio discedit, ibid. 346.

Venetiis orantibus ad sepulchrum Christi 80000. annnorum indulgentia promittitur, 705.

Verba debent aliquid significare, 292. verba Missæ an ad communicantes pleraque dirigantur? 282. Eorum pronuntiatio in Missa fit incantatio, 269.

Verduni dissertatio de dispensationibus Papalibus demorsos planè ungues sapit, 333. 550. 559.

Veronicæ linteum adorantibus magnæ indulgentiæ promittuntur, 705.

Vescendi verbum non escæ tantùm, sed etiam potioni commune est apud authores, 70.

Vestes sacras Christus & Apostoli in obeundo cultu Divino nullas habuerunt ...

monstrosus est, 1027. 1029. Ex antiquitate impugnatur, 1031.

Victima in sacrificio destruenda erat, 132. seq.

Videre Deum de facie ad faciem quid sit? 763. 796.

Viduæ ad Eleemosynæ administrationem quales fuerint deligendæ, 608. Quales in Vet. Ecclesia sustentatæ fuerint? 615. 616. 618.

Vigilantius Hæreticus non fuit, 774. Sanctorum invocationem impugnando, 775. Vindicatur contra Pontificios, 823. 827.

Vigiliæ unde ortæ fuerint? 862.

Vinculum conjugii quando solvatur? 566 567.

Vinum Eucharisticum an sit aquâ miscendum? 305. &c. Quale intelligendum sit, Luc. XVIII. 16. 17? 1153.

Virga Aharonis an in se sancta fuerit? 971.

Virgines & Confessores quando coli cœperint? 225.

Virgines velandi mos qualis apud veteres? 1082. Non Sanctimoniales intelliguntur, ibid. 1084. à Monialibus olim distinguebantur, 612. qua ætate olim votis fuerint obstrictæ? 609.

Virginitas qualis ...


Vitulorum in Dan & Bethel cultus idololatricus fuit,872. Eorum cultores Deum ibidem specialiter præsentem putârunt,930.942. Eos quomodo Israelitæ coluerint? 779.781.
Vitulus in Deserto cultus אלהים vocatur,873. In eodem tamen verum Deum coli putabatur,ibid.
Umbra Petri & semicinctia Pauli reliquiarum nomine venire non possunt,943. Virtute mirifica non fuerunt prædita? 954.
Unctio sacra est κακοζηλία cultus Levitici, 398. Sacerdotalis an sit Sacramentum? 398. 404. &c. Apud Græcos non fuit in usu,406.
Unio Christi cum Ecclesia qualis sit? 575.
Unitas inter corpus Ecclesiæ Rom. & ejus membra nulla est, 415.416.
Ὕπανδρος mulier quæ sit? 571.
Vocatio Ministrorum Ecclesiæ non à solis Episcopis pendet,466.seq.
De Voragine *Jacobus* Legendas aureas consarcinavit.
Votum simplex & solenne quid? 546. An impediat matrimonium? 544. Non irritum facit jam contractum, 545. 554. 578. A cordis proposito quomodo differat,612. Incautè factum rescindendum est, 934. Sanctis nuncupatum idololatricum est,945. Cœlibatus pugnat cum libertate Christiana,605. Continentiæ Monasticæ examinatur,1027. fusiùs refellitur,1030.1052.
Vota Pontificiorum in genere perstringuntur,1017. Monachatus in specie Dei verbo contrariantur, 1020. Rejiciuntur,1052.
Vota seu suffragia in Concilio Trident. auriculata *fuerunt*,1260.
Vulgus imagines tanquam Divinitatis participes colit,866.
Uxor ab introductitia distinguenda est,*659.661.662.*

X

Xerophagi veteres qui & quales fuerint? 1132.

Z

Zacharias Papa certorum animalium carnes, tanquam impuras, vetat, 1125.
Zwinglius vindicatur, 193. 200. & passim. Idem cum Luthero in dulgentiarum abusu ad reformationem instituendam compellitur, 1099. Vindicantur,1101.& passim.



IN-

INDEX VIII.

Sphalmatum Typographicorum.

Pag.	*Lin.*	*Lege.*
1.	9.	cernentésque
9.	1.	Christi vicarium
12.	20.	veteris continuationem
14.	3.	insita ei
28.	22.	itum fuerat,
36.	17.	arriperet
56.	33.	sive ordinum
	34.	irregularitatem
58.	22.23.	Rectores
74.	17.	quidem
76.	8.	datum
83.	24.	omnes
86.	32.	Serapion è
	41.	*dele* dari.
106.	25.	debere,temerarii
110.	3.	sui
122.	15.	confirmatur,V.
124.	20.	sanguine fuso
161.	5.	זבח
	10.	פסח
	31.	illaturus
165.	40.	purum
168.	44.	προσευχθεὶς
174.	12.	sacrificium
175.	30.	sacrificiorum
178.	30.	lagana
188.	37.	vitis
189.	46.	Sacerdotium comparans
192.	34.	Cœcæ
31.	2.	histrionica

Pag.	*Lin.*	*Lege.*
272.	2.	& de eo
	45.	affectus,ubi nullus
273.	22.	bonísque promissis
274.	34.	vernaculam non fuisse
281.	34.	בלעגי שפה
285.	41.	disseminari potuerit,
297.	27.	histrioniam ejusmodi
303.	4.5.	ἀμυνέτω
312.	2.	Consuluistis
329.	32.	reprehensus
335.	35.	Episcopi
363.	22.	118.
364.	18.	Nicæni
374.	39.	& non
382.	29.	putida
400.	27.	זקנך
	38.	קצוצי
404.	21.	sine quibus
412.	5.	inusitato
417.	35.	Aleander
427.	18.	superioritate
428.	28.	obfirmati
	38.	authoritate, contentione
443.	14.	perversitati
449.	16.	Episcoporum & Presbyterorum
450.	6.7.	ab Apostolis Hierosolymorum
465.	9.	pondere

Pag.	*Lin.*	*Lege.*
608.	44.	innuptis
615.	17.	viduas
650.	30.	vivant
668.	7.	merus
683.	26.	principes
694.	37.	omittantur
705.	43.	1600.
714.	38.	quam
716.	38.	μηδὲν
718.	28	oppetendo
719.	10.	liberati
731.	44.	ἀρχιτέκτονα
735.	30.	noſcentem
745.	14.	igni
750.	41.	1.Pet.II.
758.	6.	תעבד
	36.	mediatores
763.	7.	לבד
	45.	tota
767.	20.	Nam Deificare
772.	26.	definitionibus judicium
774.	30.	opinione
791.	43.	ſuas
794.	1.	XIII.23.
798.	18.	Apolloniæ
800.	7.	Eſaj.LXIII.
	24.	benedictionem petit
804.	35.	Exod.XXXII.
814.	4.	quia Martyres,quorum memoriam veteres honorificentiſſimè celebrarunt , ab iiſdem
833	4.	adoretur.
842.	9.	Nicolao
	25.	ille formalem
859.	25.	cultum non conſtare
870.	13.	quin in ea
871.	39.	Matth.XV.
908.	10.11.	adoranda

Pag.	*Lin.*	*Lege.*
	13.	lex omnem
	14.	ſibi eſſe
915.	45.	A.767.
917.	33.	nos imaginem,ſed
925.	26.	non objecerunt
	37.	non hic
930.	30.	diſertè æquiparatur
934.	29.	alligaſti te
953.	14.	antiquavit
971.	8.	Phil.III.
978.	10.	neque profectò
	18.	cap.LIII.
983.	17.	cognoſci non poſſent
988.	16.	eas anguſtias
989.	41.	ſcriptivè fuit
997.	10.	impoſſibile
1001.	26.	ultro faſſus
1031.	9.	ſed linea
1045.	27.	vitæ rectè actæ
1052.	8.	cui tale
1062.	40.	Philo.Jam ergo
1073.	45.	Gratiano
1081.	16.	difficulter dives
	42.	S.Pauli verba
1106.	1.	gratiæque
	45.	Tomo VII.
1114.	35.	Joh.XX.23.
1118.	20.	ſubiverunt, repoſitis,
1121.	5.	in nullo.
1140.	31.	οὖν δὲ
1149.	18.	quæ conſilio
1196.	34.	Roma
1219.	26.	ad Papam
1231.	31.	ad eas quæ
1233.	41.	Cùm enim Clarum
1236.	11.	αὐθέντισοι
1244.	4.	humanum
1245.	38.	non eſt leve.

FINIS.